



Sign.ª Top.ª
Est. 48
Tab. 3
Num. 5

R° 1036

JUS ECCLESIASTICUM
UNIVERSUM
HODIERNÆ DISCIPLINÆ
ACCOMMODATUM.

Ex ipsis Sacræ Scripturæ Litteris, SS. Canonibus, Conciliorum, tum Œcumenicorum, tum Synodalium Decretis, Pontificum Rescriptis, SS. Patrum Sententiis, Principum Edictis, & Magistratûs tàm Ecclesiastici, quàm Civilis Judicatis depromptum.

OPUS,

IN QUINQUE PARTES DISTRIBUTUM,

Omnibus Episcopis, & eorum Vicariis, Abbatibus singulisque Ecclesiasticis Judicibus, Advocatis, Patronis, Parochis, Confessariis, cæterisque tam SS. Theologiæ, quàm Jurisprudentiæ studiosis, utilissimum & apprime necessarium,

AUTHORE

ZEGERO BERNARDO VAN ESPEN,

Presbytero J. U. D. SS. Canon. Profess. in Academia Lovaniensi.

*Secunda Editio Hispana priori accuratior & mendis quamplurimis, quæ in prima passim occurrunt, præcipuè in Indicibus, diligenter expurgata. In ea æquè ac in prima studio & cura Lic. D. Francisci Mariæ Vallarna facta, quæ in aliis ad calcem Operis apposita erant Supplementa, suo loco inserta reperientur, & notantur hoc signo **

TOMUS PRIMUS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

MATRITI : ANNO MDCCXCI.
IN TYPOGRAPHIA RAIMUNDI RUIZ.
SUPERIORUM PERMISSU.

Rc 1036

JUS ECCLESIASTICUM
UNIVERSUM
HODIERNÆ DISCIPLINÆ
ACCOMMODATUM.

Ex ipsis Sacræ Scripturæ Litteris, SS. Canonibus, Conciliorum, tum Œcumenicorum, tum Synodalium Decretis, Pontificum Rescriptis, SS. Patrum Sententiis, Principum Edictis, & Magistratûs tàm Ecclesiastici, quàm Civilis Judicatis depromptum.

OPUS,

IN QUINQUE PARTES DISTRIBUTUM,

Omnibus Episcopis, & eorum Vicariis, Abbatibus singulisque Ecclesiasticis, Judicibus, Advocatis, Patronis, Parochis, Confessariis, cæterisque tàm SS. Theologiæ, quàm Jurisprudentiæ studiosis, utilissimum & apprime necessarium,

AUTHORE

ZEGERO BERNARDO VAN ESPEN,

Presbytero J. U. D. SS. Canon. Profess. in Academia Lovaniensi.

*Secunda Editio Hispana priori accuratior & mendis quamplurimis, quæ in prima passim occurrunt, præcipuè in Indicibus, diligenter expurgata. In ea æque ac in prima studio & cura Lic. D. Francisci Mariæ Vallarna facta, quæ in aliis ad calcem Operis apposita erant Supplementa, suo loco inserta reperientur, & notantur hoc signo **

TOMUS PRIMUS.

MATRITI: ANNO MDCCXCI.
IN TYPOGRAPHIA RAIMUNDI RUIZ.
SUPERIORUM PERMISSU.

PROLEGOMENA.

PARAGRAPHUS I.

De Scopo, & Materia Operis.

Titulus huic Operi præfixus *JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM* nonnullis eam posset idæam imprimere, quasi hoc Opere, omnia, quæ ad hoc Jus spectant, continerentur; Universumque Jus Ecclesiasticum plenè in eo repræsentaretur; quod sanè non unum alterùmve sed plura eaque prolixa Volumina requireret.

Igitur Opus hoc inscribitur *Jus Ecclesiaticum Universum*, non quod in eo universa & singula ad Jus illud spectantia contineantur & explanentur, sed quòd universæ, aut minùs præcipuæ hujus Juris materiæ eo modo proponantur & exponantur, ut sperem ex principiis positis ad notitiam hujus Juris Ecclesiastici perveniri posse, atque Dubia & Quæstiones in eo occurrentia dissolvi.

Ut autem totius *Juris Ecclesiastici*, seu *Disciplinæ Canonicæ* idæam perfectam & plenam Lectori exponerem, Jus pristinum cum recentiore in singulis penè Disciplinæ seu Juris Ecclesiastici punctis ita cumulare studui, ut ex Operis hujus lectione innotescat, quid pristina Ecclesiæ Disciplina statuerit, & quid hodierna circa singulos articulos decernat, aut toleret.

Nec tantùm utrumque Jus Ecclesiasticum, pristinum & hodiernum, simpliciter allegare volui, sed insuper indicare, quando, & qua ocasione quibusque gradibus à pristina ad hodiernam Disciplinam descenderimus.

Insuper praxim sive Disciplinam hodiernam contra pristinos Patrum mores & Canonum constituta introductam sic repræsentare studui, ut usum legitimum ab abusu separarem; ostendendo, qualiter illi nos conformare possimus, hunc verò vitare, aut etiam ei nos opponere & contradicere subinde debeamus.

Jus *Ecclesiasticum* sive *Canonicum* affine esse scientiæ *Theologicæ*, plurimasque materias utrique esse communes, quin & ex iisdem principiis resolvendas, nemo, qui utriusque vel modicam notitiam habet, ignorat.

Hinc jam pridem dicere non dubitavit pius ac doctus Joannes Gersonius Universitatis Parisiensis Cancellarius in *Recommendatione Licentiandorum in Decretis*, per quadringentos inclusivè annos & ampliùs, sic fuisse gubernatam Ecclesiam, ut non esset distinctio Theologorum & Canonistarum, additque, quod „*Canones*, si benè „inspiciamus, non sint nisi conclusiones elicitæ vel illatæ ex Principiis Theologicis, id „est, ex Evangelio & aliis Libris Canonicis per illos, quibus dicit Christus: *Qui vos „audit, me audit.*

Ut igitur *Universum Jus Ecclesiasticum* repræsentaretur, necesse fuit, etiam attingere materias, quæ primo intuitu ad Theologicam magis, quàm Juris Ecclesiastici scientiam pertinere videntur, puta, *de Sacramentis in genere & singulis eorum speciebus*, *indulgentis*, aliisque similibus materiis.

Quis enim nescit, & hisce in materiis, multa ad Disciplinam Ecclesiasticam spectantia esse immixta, quæ ex Canonibus, & statutis positivis, non autem è libris Canonicis aut principiis Theologicis immediatè dependent, aut resolvuntur.

Et nonne Pontifices hasce materias Decretalium libris inserendo, sufficienter ostenderunt, eas non à solis Theologis, sed & Canonistis esse tratandas? Scientes, in his plu-

plurimùm *Juris Ecclesiastici* sive *Disciplinæ* occurrere ; uti & Gersonius notavit, subjiciens exemplum in uno per quod (ait) sciatur in cæteris „Confessio Sacramentalis „est de lege Evangelica propriè dicta : sed quod fiat hoc tempore vel illo, & apud suum „certum Sacerdotem , vel apud illum, de jure positivo est , quod nec clarè sequitur ex „Lege Evangelica, quod sic debeat fieri, nec tamen repugnans. Talia sunt sine nume„ro in reliquis, quæ concernunt Dei cultum , & charitatem erga ipsum & proximum „nostrum." Hæc Gersonius in citata Recomendatione.

Has igitur materias quasi Theologicas hoc in opere omittere non potui , ea nihilominus servata moderatione, ut ea , quæ ad Disciplinam pertinere videbantur , à merè Theologicis secernere studens, illa sola examinarem, hæc verò Theologis tractanda & resolvenda remitterem.

Hinc super materiis aut formis Sacramentorum quæstiones inter Doctores Scholasticos disputatas , vel etiam super Fidei nostræ dogmatibus aliisque ejus generis cum Hæreticis controversias, vel nullo modo , vel admodum leviter , ac Historicè potiùs, quàm Theologicè attigi.

Insuper nemo vel parum in Jure versatus ignorat , quàm difficulter Jus Civile à Jure Ecclesiastico , præsertim recentiori separari queat ; & quantopere Legis scientia assequendæ Juris Canonici scientiæ conducat; imò penè necessaria sit. Quapropter nec mirum apparere debet , si plura hinc inde ex Jure Civili huic Operi immixta quis videat. Ut tamen, quantum citra detrimentum Juris Ecclesiastici licuit, me intra scientiam hujus Juris continerem, materias illas, quæ ex Jure Civili & Statutis Politicis unicè penè dependent, omittendas judicavi, uti sunt materiæ Contractum, Testamentorum, Fidei-commissorum, Legatorum, hisque similes, de quibus vel nihil vel pauca , quæ ad Ecclesiasticum Jus propriùs spectant (puta , de rebus Ecclesiæ alienandis vel non, de Testamentis Clericorum, item de successione in bona Clericorum intestatorum) tractare volui.

E quibus Jus hoc Universum potissimùm hauserimus , in Operis Titulo indicatur: sed tamen quia non omnia ejusdem sunt ponderis , & auctoritatis , in hisce Prolegomenis, quæ singulis auctoritas tribuenda sit , paucis exponemus ; si priùs , quis Juris veteris & novi usus esse debeat , paucis annotaverimus.

§. II.

Quis debeat esse usus pristinæ disciplinæ.

Pristinam Ecclesiæ Disciplinam plerisque præsertim majoris momenti articulis recentiori & hodiernæ Disciplinæ ita conjugere studui, ut tamen utramque non confunderem, sed quid illa præscripserit, & in quo hæc ab illa recesserit, distinctè exponerem.

Quàm utilis, imò penè necessaria sit hæc pristinæ Disciplinæ notitia , non difficulter intelligetur , si reflectatur ad ea , quæ in hoc Opere sparsim dicuntur.

Apparebit imprimis, quòd licèt Ecclesia nonnunquam à Disciplinæ jam pridem in Conciliis sanctissimè instituta, atque per plura sæcula religiosissimè summo etiam cum rigore observata, pro temporum & personarum conditione nonnihil recedere cogatur, ipsamque Disciplinæ relaxationem tolerare vel dissimulare, nihilominus nunquam non optet, desideretque , eam, quantum possibile est, ubi nondum collapsa est , sollicitè servari , collabentem sustineri , & collapsam restaurari , velitque in hoc Episcoporum, Pastorumque curam & laborem præcipuè collimare : imò ad hanc collapsæ disciplinæ totum reformationis Opus tendere debere, apparebit ex iis, quæ dicta sunt *Parte prima*

ma hujus Operis *tit.* 20. *cap.* 2. & latiùs in Dissertatione *De veterum Canonum & in eis contentæ Canonicæ Disciplinæ stabilitate, & legitimo eorum usu*, quam vice præfationis Commentario in Canones in nova editione, quæ modò sub prelo est, præmisi: ubi & una ostenditur, quàm periculosè pro abolitione Sacrorum Canonum aut Disciplinæ Ecclesiæ sumatur argumentum à communi in Ecclesiæ praxi aut ab Ecclesiæ tolerantia. Insuper explicatur, quomodò, & qua moderatione Prælati Ecclesiæ in restauranda pristina Disciplina procedere debeant.

Non tantùm pristinæ Disciplinæ notitia ad hujus conservationem aut restaurationem conducit; sed & frequenter exacta hodiernæ Disciplinæ notitia sine illa haberi nequit, eò quòd à pristina tanquam rivulus è fonte hodierna Disciplina originem ducat, imò plura Disciplinæ hodiernæ puncta non sunt nisi pristinæ ipsius Disciplinæ reliquiæ, quæ sine hujus pristinæ disciplinæ notitia obscuræ planè ac inanes ritus sæpiùs apparebunt: si autem cum pristina Disciplina, cujus sunt reliquiæ, seu quædam vestigia, conferantur, utiles & plenæ spiritu Ecclesiæ apparebunt; cujus exempla in decursu operis plurima notavi, & Lectori occurrent; ac signanter *part.* 2. *tit.* 2. *cap.* 3. Adhæc ex ipsa pristinæ Disciplinæ scientia facilis solet esse accessus ad percipiendum verum spiritum Ecclesiæ in his, quæ modernam Disciplinam spectent. Licet enim Ecclesia nonnunquam *exteriorem* suam Disciplinam mutet, vel relaxet, non tamen mutatur spiritus Ecclesiæ, sed hic invariabilis & immutabilis perseverat, uti sæpiùs in hoc Opere monui, & in materiis ocurrentibus solicitè annotavi.

Quin & ex Operis hujus lectione innotescit, ex ignorantia pristinæ Disciplinæ, frequenter in crassos errores circa hodiernam Ecclesiæ Disciplinam prolapsos Interpretes tam Theologos, quàm Canonistas; eosque errores notabilibus abusibus subinde occasionem dedisse. Quapropter, ut fructuosè studio Juris Ecclesiastici incumbatur, & ad ejus perfectam notitiam perveniatur, nequaquam negligendum est studium pristinum illorum Canonum, qui Patrum Disciplinam repræsentant. Quod & seculo præterito rectè advertit pristinæ disciplinæ zelosissimus restaurator S. Carolus, de quo vitæ ejus Auctor scribit: „Canonum ea scientia ipsi perjucunda erat, quæ Patrum mores & acta „repræsentans Ecclesiæ componendæ atque ordinandæ rationem continet. Dolens autem „eos communi consuetudine tantummodò Canones ad interpretandum seligi, qui ad li„tes judiciaque valent, constituit ipse, qui iis declarandis præesset, unde sacra *Majo*„*rum* Instituta & ritus, optimumque Ecclesiæ administrandæ genus hauriretur.

§. III.

Attendenda circa recentiorem praxim in Ecclesia receptam.

Notavimus præcedenti Paragrapho, Ecclesiam subinde dissimulare, aut tolerare relaxationem Disciplinæ, quæ pro formandis moribus, aut vitiis extirpandis olim sanctissimè fuerat instituta, & per plura secula summo cum rigore observata.

Porrò ex hac dissimulatione seu tolerantia contingit, ut similis relaxatio quasi pro praxi & Disciplina ipsius Ecclesiæ interdum invalescat, & reputetur: quam tamen revera Ecclesia tolerat potiùs, quam probet.

Ut ergo votis Ecclesiæ obsequantur Prælati & Pastores Ecclesiæ, allaborare debent, ut prima illa Disciplina sensim, ubi collapsa est, restituatur, aut nondum totaliter collapsa sustineatur; ita tamen ut hac in parte procedatur fortiter & suaviter; id est, zelo Pastorali quâdam Christianâ prudentiâ & moderatione temperato, quemadmodum fusiùs exposui Dissertatione Procœmiali ad Tractatum Historico-Canonicum in nova editione. Ul-

Ulteriùs circa recentiorem Disciplinam contra pristinam Ecclesiæ Disciplinam sensim introductam attendendum, num hæc concernat materiam morum & quidem notabilis consequentiæ; an verò duntaxat versetur circa ritus aliquos in Administratione Sacramentorum, vel celebrationem Divinorum Officiorum, vel formam Judiciorum, aliosve similes haud magni momenti Disciplinæ articulos.

Quis enim ambigat, quin multa dissimulanda sint, circa posteriora, quæ non essent circa priora; plusque allaborandum, ut in prioribus restituatur Ecclesiæ pristina Disciplina, quam in posterioribus: atque nonnunquam propter aliquas oppositiones, difficultates, & turbationes in populo, permittendam Disciplinam inolitam circa ritus formamve Judiciorum, licet contraria etiam appareat conformior Spiritui Ecclesiæ, ob quas non esset permittenda & toleranda praxis, quæ contra Sacros Canones invaluit in materia morum & notabilis consequentiæ.

Attendendum insuper, num praxis contra Sacros Canones, & jam pridem usitatam Disciplinam, universaliter per totam Ecclesiam, aut saltem in his Ecclesiis ab omnibus recepta sit; an verò ita dumtaxat, ut à plerisque quidem recipiatur, contraria tamen apud melioris instituti homines adhuc perseveret: ac præterea, num praxis introducta, etiam auctoritate Prælatorum & Superiorum positivè sit probata, puta, synodorum Decretis, aut Libris Ritualibus inserta; num verò duntaxat simpliciter dissimuletur & passim toleretur. Neque enim dubitari potest, quin faciliùs circà hanc à Fidelibus aut inferioribus Pastoribus aliquid mutari; aut pristina disciplina contraria observari, aut urgeri queat, quam circa priorem generaliter conceptam, aut Superiorum auctoritate positivè probatam.

Similia circa pristinam & modernam Disciplinam sparsim in hoc Opere annotare studui, ut hinc innotesceret, qualiter Prælati & Pastores circa hujus tolerantiam, & illius restitutionem se gerere debeant: ne dum nimium dissimulant, nihil ad perfectum adducant, vel dum è contra præcipiti & inordinato zelo omnia ad pristinam Ecclesiæ Disciplinam reformare volunt, omnia turbent: licet hac in parte, frequentior soleat esse defectus, quàm excessus.

§. IV.

De Citationibus Decreti Gratiani.

Mirum forsam nonnullis apparebit, quod Canones, & dicta Sanctorum Patrum referens, solicitè annotaverim loca Decreti Gratiani, quibus hi Canones aut Patrum dicta à Gratiano referuntur; quasi Canonibus aut Patrum Sententiis per relationem in Decretum Gratiani aliquid auctoritatis accederet: cum tamen communi & Canonistarum & Theologorum consensu receptum sit, Decretum Gratiani nullam habere auctoritatem Juris; neque Patrum Sententias, aut particularium Synodorum aut Episcoporum Decreta accipere auctoritatem Juris Publici & communis, quia in Decretum Gratiani relata sunt. Huic sanè Doctorum opinioni lubens subscribo; eamque in Tractatu meo Historico Canonico in Canones pluribus confirmavi; neque loca Gratiani annotavi, ut Canonibus, aut Sententiis Patrum auctoritatem Juris ex relatione in hoc Decretum assererem.

Verùm, cum scirem, Decretum Gratiani una cum aliis partibus Juris Canonici constituere hodiernum Corpus Canonicum, cui ipsi Juris Consulti ab initio assueverunt; sciremque, ipsis Studiosis Juris in Scholis publicis hoc prælegi, & explicari, existimavi haud ingratum eis futurum, si indicarem, Canones, Dacreta, & Patrum Sententias extare in Decreto, quod ipsi in suo Corpore Juris Canonici habent, & quo con-

continuò ut quodam Canonum codice utuntur; imò è quo in controversiis & quæstionibus occurrentibus passim Canones, non tantùm in ipsis Scholis Academicis, sed & in Judiciis citari & allegari vident. Ut nec dubitare possim, quin Canones, & Patrum Sententiæ aliquid amplius ponderis, saltem apud Juris-Consultos & in eorum Tribunalibus obtineant, dum è Decreto Gratiani allegantur, quàm si immediatè ex aliqua particulari Synodo, aut Auctore recitarentur, quod & latiùs ostendi in citato Tractatu, ubi una exposui, quæ auctoritas aliquando tam apud Theologos quàm Canonistas fuerit hujus Decreti; & unde tanta ei auctoritas accesserit.

§. V.

De Decretalibus Gregorii IX. & aliis posterioribus Partibus Corporis Canonici.

Decretalium Collectio jussu Gregorii IX. confecta, eo fine publicata est, ut iis in *Judiciis & Scholis universi utantur*, uti dicitur in Epistola Compilationi præfixa, & Doctoribus, & Scholaribus Universitatis Bononiensis inscripta.

Eadem intentione & subsequentes Corporis Canonici partes publicatas esse, indicant earum respectivè Præfationes.

Porrò sicuti hac intentione à Pontificibus publicatæ sunt, ita quoque ubique penè Gentium receptæ fuere, ut quidquid iis continetur pro Jure communi reputatum sit. Ideoque quidquid iis præscribitur, pro Jure reputatur, quamdiu generali aut particulari contrario Jure ei derogatum non ostenditur.

Imò si Jus posterius sive scriptum, sive consuetudinarium sit dubium, ex hisce Decretalibus aliisque Libris Corporis Canonici, tanquam ex Jure communi interpretationem accipere solet.

Hæc Juris Canonici auctoritas ubique in hisce & vicinis Regnis ita firmiter erat stabilita seculo præterito, ut licet plures Provinciæ authoritatem Romani Pontificis excusserint, nihilominus hoc Jus Canonicum pro Jure communi constanter retinuerint, uti testatur Arturus Duck *Lib.* 1. *De Auctoritate Juris Civilis*, *cap.* 7. ubi *num.* 17. & 18. hæc habet: „Illud porrò in Juris Canonici laudibus eximium est, quòd „Principis Protestantes Germanici, aliive, postquam ab Ecclesia Romana recesserunt, „Lutheri & Calvini doctrinam amplexi, omnemque Pontificis Romani potestatem „abdicassent, Jus tamen Canonicum non excusserunt, sed eo in causis suis decidendis „etiam num utuntur, eodem planè modo, sicut Principes Europæi, postquam renun„tiaverant Cæsarum potestati, leges tamen Cæsareas adhuc observant. Et licet Marti„nus Lutherus zelo præpropero & inconsulto ductus, Juris Canonici Libros repugnanti„bus Juris-Consultis, Wittebergæ combusserat, Juris tamen Canonici usum ab eo „tempore Saxonei, Brunsvicensi, cæterique Protestantes semper conservarunt nulla „mutatione in eo admissa, sicut in Augustana confessione consenserunt, Jusque Cano„nicum Wittebergæ, & in reliquis Protestantium Academiis adhuc publicè docetur.

Itaque quæ ex Decretalibus Gregorii IX. aut Sexto Decretalium Bonifacii VIII. vel Clementinis, aut Extravagantibus in hoc Opere referuntur, pro jure communi recipienda sunt, & pro jure servanda quousque ostendatur, jure scripto vel consuetudinario, seu generali seu particulari ab hoc jure communi recessum, de quo latiùs in citato tractatu Historico-Canonico.

§. VI.

§. VI.

De Receptione Concilii Tridentini.

Cum decimâ Decembris anni 1563. finem accepisset Concilium Tridentinum, Pius IV. tunc Pontifex Romanus, universa ejus Acta & Decreta confirmavit per Bullam, quæ incipit, *Benedictus Deus*, editam & publicatam Romæ 2. Januarii anni 1564, & omnibus Christi Fidelibus suscipienda ac servanda esse decrevit ; præcipiens universis ab Ecclesiæ Prælatis quacumque dignitate fulgentibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis à Sacris Canonibus constitutis aliisque gravioribus etiam privationis, ut eadem Decreta & Statuta in Ecclesiis suis, Civitatibus ac Diœcesibus, in judicio & extra judicium diligenter observent, & à Subditis quisque suis, ad quos quomodolibet pertinet, inviolabiliter faciant observari. Hanc Bullam secuta est alia ejusdem Pontificis, quæ incipit, *Sicut ad Sacrorum*, publicata Romæ 20. Julii ejusdem anni, qua declarat „Decreta Sacri Generalis Concilii Tridentini ad reformationem & jus positi„vum duntaxat spectantia eos, ad quos pertinent à Kalendis Maii proximè præteriti „omnes obligari cœpisse, neque post eam diem excusationem cujusquam, quod ea „ignoraverit, admittendam, atque ita Apostolica auctoritate declarat, ac definit, & „ab omnibus judicari mandat atque statuit.“

Philippus II. tunc Hispaniarum Rex, & Belgarum Princeps, hac in re intentioni Concilii & Pontificis obsequi volens, curavit quamprimum Decreta hujus Concilii in omnibus suis Ditionibus publicari, adjuncto mandato ad omnes Officiarios Seculares ut dum requisiti fuerint, auxiliare brachium in eundem effectum sine ulla tergiversatione aut dilatione præstent. Quod quidem mandatum per Hispaniæ regna anno 1564, mense Julio publicatum esse, ex Emmanule Rodrigues refert Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico, *cap.* 32. §. 4.

Scripsit quoque Philippus II. ad Margaritam Parmensem tunc Belgii Gubernatricem, ut Concilium Tridentinum quoad puncta reformationis per has Belgicas Ditiones publicari & exactè observari curaret.

Igitur sub initium anni 1564. litteras dedit Margarita nomine Regis ad Archi-Episcopum Cameracensem, ut Decreta Concilii expenderet, & de modo, quo in sua Diœcesi secundùm Jura, privilegia, consuetudines hæc Decreta executioni mandare possent, sententiam suam exponeret. His litteris respondit Archi-Episcopus 23. Julii ejusdem anni, celebrationem Synodi Provincialis super receptione Concilii, & publicationem Decretorum per singulas Ecclesiarum Parochias esse quidem modos juri consentaneos, & antehac in re simili usitatos, sed magnis difficultatibus fore implicitos, nisi Regia auctoritate Decreta Concilii priùs probentur & admittantur.

Margarita interea ex tumultibus hic citatis prævidens, quot difficultatibus receptio & publicatio Concilii Trindentini auctoritate Regiâ esset obnoxia, uti narrat Famianus Strada de Bello Belgico, priùs explorare voluit, non tantùm sententiam & judicium Episcoporum, sed & Consiliorum Regiorum, nec non Magistratuum præcipuarum Civitatum, atque etiam Academiæ nostræ Lovaniensis super publicatione Concilii Tridentini in his Belgicis Ditionibus quoad Decreta Reformationis.

Litteræ ejusdem tenoris erant, quarum hæc ferè summa, ut Decreta Reformationis quantociùs expenderent atque deliberarent, qualiter & quibus mediis hæc decreta reformationis possent mandari executioni, ut eorum uberior fructus speratus habeatur ; attendendo ad prærogativas & Jura suæ Majestatis, Ecclesiarum & etiam Jura, privilegia & consuetudines Provinciarum, atque super singulis suam rescriberent sententiam.

Epis-

Episcopi, uti & Academia nostra Lovaniensis pauco vel nihil annotarunt, rescripseruntque Concilium Tridentinum simpliciter esse publicandum.

Consilia Regia autem, uti & Civitatum Magistratus, examinatis & revisis reformationis Decretis, plura hinc inde annotârunt, quæ Juribus Regiis suorumque vassallorum & privilegiis, atque inveteratis consuetudinibus harum Provinciarum videbantur contrariari, ideoque & judicabant publicationem non faciendam, nisi adhibita in his articulis quadam modificatione; ne ob aliàs inveteratos harum Provinciarum mores & recepta ac usitata hactenus Jura & Privilegia subitò inversa, turbarentur omnia, omnisque Concilii speratus fructus impediretur.

Hanc regiorum Senatuum, & civilium Magistratuum resolutionem Margarita Belgii Gubernatrix intimavit Regi Philippo II. qui respondit, „sibi non placere, in Con„cilio populis proponendo quidquam excipi: ne & Romæ, ubi sermonum avidæ, ma„teries obtrectandi, & reliquis Christianis Principibus in Hispaniam intentis, occasio „limitandi præberetur. Nam quod de regio ac provinciali Jure dicebatur, considera„tum abundè fuisse, cùm de Concilio eodem publicando quæsitum fuit in Hispania, „in qua illæ planè difficultates existebant: quarum sicut nulla tunc ratio habita est, „sed Concilium sine ulla exceptione propositum, adhibita tamen perlevi moderatione „in ejus usu, ita velle in Belgio idem factitari: eoque mitti Hispanicæ promulgatio„nis exemplum, ut parentes imperio suo populi ad unam ubique normam pariter exi„gantur."

Responso regio accepto ulterioribus deliberationibus finem imposuit Gubernatrix atque juxta enixam Regis voluntatem, publicationem Concilii simpliciter & sine ulla restrictione fieri mandavit, nullis Concilii articulis in ipso publicationis edicto nominatim exceptis aut restrictionibus appositis.

Verùm licet ipsa publicatio simpliciter & sine limitatione populo esset intimata, ne tamen jura & mores inveterati Provinciarum non sine populi turbatione inverterentur, ipsaque subitanea mutatio speratum fructum informationis impediret, declaravit Gubernatrix in Litteris seu Mandatis ad Episcopos & Magistratus regios pro executione Concilii: „Mentem Regis esse, ne propter promulgationem hanc licèt illimitatè & „sine restrictione factam, quidquam immutetur aut innovetur circa Regalia, Jura, „Privilegia Suæ Majestatis, aut suorum Vassallorum, statuumque suorum, & subjec„torum, & speciatim circa Jurisdictionem laicalem, Juspatronatus Laicis indultum, „seu Jus Nominationum, cognitionem causarum & materiæ possessoriæ Beneficiorum, „Decimarum possessarum, aut prætensarum per Laicos, superintendentiam & admi„nistrationem Hospitalium aliorumque piorum locorum: non, inquit ad contrave„niendum dicto Concilio, sed ut executio accommodetur naturæ cujuslibet Provinciæ.

Litteræ ad Episcopos missæ habentur parte 3. Edictorum Flandriæ *Lib.* 6. *Rubrica* 1. & ad Magistratus & Consilia regia parte 2. eorundem Edictorum, *Lib.* 1. *Rubrica* 2. atque prædictam clausulam eisdem verbis exprimunt.

Si notæ à Consiliis Regiis & Civitatum Magistratibus conferantur cum materiis in hac clausula expressis, patebit ad oculum, clausulam illam ad illas notas dirigi; atque Regem earum rationem in executione Concilii haberi voluisse.

Unde & Berthrandus Loth in Resolutionibus Belgicis *tract.* 2. *art.* 9. relatis annotationibus Concilii Arthesiæ mox subjungit: *Concilium Tridentinum quoad dicta puncta non fuit receptum in Arthesia.*

Similiter Antonius Anselmo *in suo Triboniano Belgico*, *cap.* 33. volens exprimere, quæ per dictam clausulam Rex voluit reservata, retulit servato ordine Sessionum & capitum Concili Tridentini, quid ad singula à Conciliis Belgicis fuerit observa-

tum, haud dubitans, quin hæc essent, quæ Rex per dictam clausulam reservata voluerat: quod & quotidiana praxis confirmat.

Itaque si dictas modificationes, Jura Regis ejusque Vassallorum, & inveterata Provinciarum privilegia ad regimen spectantia excipias, Concilium Tridentinum quoad Decreta reformationis & Disciplinæ simpliciter & absolutè publicatum fuit, unde & in Synodo Provinciali Cameracensi anno 1565. communi omnium suffragio declaratum fuit, *Quidquid Oecumenicum Concilium Tridentinum statuerit, id sacrosanctum omnibus sit, & inviolabile.*

Et Synodus Provincialis Mechliniensis anno 1570. primo suo Decreto, ordinat & præcipit „ut omnes & singuli, qui ad hanc Synodum convenerint, simpliciter & sine „ulla protestatione ea omnia & singula, quæ à Santa Synodo Tridentina definita & „statuta sunt, palàm recipiant" secundum tenorem suchedulæ sequentis: *Ego N. omnia & singula, quæ à Santa Synodo Tridentina statuta & definita sunt, palàm recipio.*

Conformiter ad hanc generalem publicationem Consilium Privatum Regium anno 1569. respondisse fertur Consilio Frisiæ, Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 23. *cap.* 6. *De Reformat.* quo decernitur, quòd „nullus primâ Tonsurâ initiatus, aut etiam „in minoribus Ordinibus constitutus, ante 14. annum, Beneficium possit obtinere, „deinceps debere observari, non obstante consuetudine immemoriali in contrarium; uti ex Zypæo notavi parte 2. hujus Operis *tit.* 19. *num.* 12.

Concilio Tridentino igitur in hoc Opere usus fui tanquam generaliter quoad Decreta Reformationis & Disciplinæ recepto, salvis restrictionibus sub sæpe dicta clausula contentis, quas & solicitè in singulis articulis occurrentibus annotare studui.

§. VII.

De Usu Synodorum particularium.

Synodi plures tum Provinciales, tum Diœcesanæ in Belgio, Gallia, aliisque Provinciis pro executione Concilii Tridentini & restauranda Ecclesiæ disciplina celebratæ fuere; qua auctoritate ad asserendam modernam disciplinam sæpius usi sumus in hoc Opere.

Quæ sit auctoritas & vis harum Synodorum quoad vim Legislativam, & quousque hæc se extendat, vel qui earum Decretis obstringantur, sufficienter expressum est *part.* 1. *tit.* 18. & 20. præsentis Operis, in quibus speciatim de Synodis Diœcesanis & Provincialibus tractatum est.

Sed quia pro Belgio non tantùm Belgicas, sed & exteras ac notanter Mediolanenses Synodos sub S. Carolo frequenter adducimus, notandum, quòd licèt hæ similesque Synodi non exerant vim obligandi, sive Legislativam in Belgicas, aut alias Provincias earum terminis non comprehensas, nihilominus non uno titulo pro stabilienda Disciplina Belgii & aliarum utiliter Provinciarum eas adduci.

Primò, quia frequenter Decreta Synodorum potiùs sunt declarationes quædam & interpretationes Decreti Concilii Tridentini, aut alterius Legis generalis, quàm novæ & positivæ ordinationes: quo casu meritò assumuntur pro intellectu & interpretatione hujusmodi Decreti aut Legis.

Hoc Titulo pro intellectu Concilii Tridentini utiliter admodum assumuntur Decreta Synodorum Mediolanensium sub S. Carolo, cujus cura & solicitudine Concilium Tridentinum multum promotum fuit, quique illud executioni mandare magnopere studuit.

Præ-

Præterea admodum conducit Synodorum auctoritas, ut Prælati, Pastores, aliique, quibus *Disciplinæ Ecclesiasticæ* conservatio aut restauratio incumbit, ipsam observantiam populo faciliùs persuadeant, eamque à novitate, aut singularitate, vel rigore nimio (quibus frequenter recta morum Disciplina aspergitur) vindicent, dum eam non tantum à privato aliquo Auctore, sed & à Synodis probatam ostendunt.

Adhæc sæpè in aliquibus synodis nonnulla ad rectum Ecclesiæ regimen, animarum directionem multùm utilia & opportuna occurrunt, quæ in aliis desiderantur; quidni liceat Pastoribus, Prælatis & quibus Ecclesiæ regimen creditum est, hæc ab illis Synodis suggesta impendere & mutuare, tametsi Decreta hæc vim Legis in suis Ecclesiis non habeant.

Quis enim vituperet Prælatos aut Pastores, si è Sanctis Patribus, aut probatis Auctoribus assumant, quæ hi pro regimine Ecclesiæ & animarum directione opportunè suggesserunt : tametsi vim legum eorum dicta aut sententiæ nullam habeant.

Nonne jam pridem Ecclesia Romana synodorum Orientalium, etiam particularium, item Africanorum Decreta pro formanda sua Disciplina asumpsit ; tametsi hisce Decretis non ligari sciret ? Similiter & notorium est, alias Ecclesias passim recepisse Canones exterarum Ecclesiarum, dum illos Disciplinæ formandæ aut stabiliendæ seu asserendæ convenientes intelligebant, quod & in Commentario Historico-Canonico in Canones pluribus ostendo.

Licet ergò particularium Synodorum auctoritas, quoad vim Legislativam certis limitibus concludatur, quatenus tamen præscribunt aut continent ea, quæ *ad rectam Ecclesiæ Disciplinam* fovendam, corroborandam, aut restaurandam, aut etiam declarandum alicujus Canonis aut Decreti sensum conducere possunt, merito assumuntur etiam ab iis, qui de cœtero earum auctoritate non ligantur, modò nihil sit contrarium Disciplinæ in hac particulari Ecclesia auctoritate Superiorum probatæ & pro Lege receptæ.

Notandum, quod synodo apposita littera *P.* significet synodum Provincialem: littera verò *D.* Diœcesanam. Numerus autem litteræ appositus significet, eam esse vel primam vel secundam.

§. VIII.

De Edictis Principum.

Ut perfecta haberetur notitia *Dicisplinæ Ecclesiasticæ*, præsertim *hodiernæ*, necesse fuit plura citare Edicta Principum, quibus ipsa *Disciplina* servanda præscribitur, quæque in his Belgicis vicinisque Provinciis vice Legum, maximè in Tribunalibus Regiis, habentur ; & ex quorum præcrispto quæstiones, notanter in possessorio deciduntur.

Cum verò similia Edicta concipi & publicari soleant sub nomine Regis Catholici, vel Christianissimi, alteriusve Principis, qui plura inter se omninò distincta Regna, aut distinctas Provincias sibi subjecta habet, prænotandum hic censui, Edicta non semper ad omnes Regis aut Principis Ditiones aut Provincias extendi, tametsi nomen Regis aut Principis simpliciter præferant.

Exemplum sit in Edictis Principum nostrorum. Licet enim Brabrantia, Flandria, Hannonia, pluresque aliæ Provinciæ pareant uni eidemque Principi, nimirum Regi, Catholico, nihilominus Provinciæ illæ manent inter se divisæ, atque uni Principi parent salvo singularum Jure, diversisque sæpè Legibus & Moribus utuntur : neque Lex à Principe uni data, alias astringit, nisi & his specialiter posita fuerit.

Ne ergo circa auctoritatem & vim obligandi horum Edictorum aberretur, inquirendum, num Edictum, de quo agitur, sit generale & directum ad omnes provin-

cias, puta, Belgicas Regi Catholico subjectas; an verò duntaxat sit singulare pro una alterave provincia, aut etiam particulari territorio: nam pro hac diversitate illius auctoritas magis & minus latè extenditur.

Ut verò hæc diversitas innotescat, sciaturque, quæ Edicta Generalia, quæ Provincialia aut particularia duntaxat sint, reflectendum est ad inscriptionem, eosque, quibus Princeps salutem dicat, & in Epilogo executionem ipsius Edicti mandet.

Si omnibus salutem dicit, plerumque Lex generali est: & ad eum finem Consiliis omnium provinciarum publicatio & executio injungi solet. Mandata seu Edicta provincialia præsidi & Consilio; Statuta & privilegia iis, quos concernunt, inscribi solent; uti tradit Zypæus in introductione ad Notitiam Juris Belgici.

„Solent etiam (ait ibidem Zypæus) condendis Legibus Principes Nostri præmit„tere consultationes cum suis Conciliis, juxta *leg.* 8. *C. de Constit.* plerumque supremis; „publicationem autem omnibus Provincialibus, ut dixi, in Epilogo injungere: quæ „etiam antequam illa fiat, examinare solent, an Juri patrio Lex non refragetur & „post illud examen, publicationis mandatum primipilare Apparitori, seu Ostiario dare.

Addit Zypæus *num.* 6. „Ea hîc publicatio est semper necessaria in singulis pro„vinciis (quod unitæ quidem omnes sunt, salvo singularum Jure, adeoque nullæalte„rius subjectæ) singularumque Metropolibus, tametsi plures sint; ut an Brabantia, „Lovanium, Bruxella, Antuerpia, Sylvaducis; in Flandria, Gandavum, Brugæ, Ipræ, „aliæ alibi, ante hanc promulgationem Lex non solet obligare.

Ut igitur de extensione Edicti statuatur, inquirendum, cui inscribatur, cui executio mandetur, quæ Consilia Rex super eo consuluerit, & ex cujus sententia confectum; ac denique quâ formâ & loco publicatum: ut ex his omnibus appareat, an Editum sit reputandum generale, an Provinciale, an particulare pro certo duntaxat territorio. Quod de Edictis Principum nostrorum ex. g. hic dicitur, etiam dicendum est de Edictis similium aliorum Principum, qui diversas, distinctasque Provincias sub suis Ditionibus possident.

§. IX.

De Sententiis Judicum.

Cum animus mihi esset, in hoc Opere exponere non tantum quid jam pridem SS. Canonibus aut etiam recentioribus Decretalibus, quæ Jus Commune constituunt, decretum sit, sed insuper, quid hic in Belgio, Gallia aliisque vicinis Provinciis observetur, visum fuit, Magistratuum seu Ecclesiasticorum, seu Civilium judicata inquirere & annotare, ut ex eis usus sive praxis locorum innotesceret, aut saltem firmaretur.

Ut enim de Jure præsertim Consuetudinario, aut de ipsarum Legum observantia aut sensu statuatur, maximi ponderis semper habitæ fuerunt etiam apud Romanos *receptæ Sententiæ*, hoc est, quæ usu fori & consensu Prudentium probantur. Hinc olim dixit Ulpianus Juris Consultus in *L.* 34. *ff. De Legibus*: „Cùm de consuetudine Civi„tatis vel Provinciæ confidere quis videtur, primum quidem illud explorandum arbi„tror, an etiam *contradicto* aliquando *Judicio* consuetudo sit formata.“ Non quod ad consuetudinem introducendam necessarii sint actus *Judiciales*; sed quod ad probandam consuetudinem plurimùm valeant, uti passim observant Legum interpretes.

Eo verò amplioris ponderis erunt, quo plures in eodem vel diverso Auditorio, seu Tribunali sententiæ super eodem articulo emanârint. Imò, quæ incerta erant, si agitata deinde fuerint in Auditoriis, & rerum frequenter judicatarum auctoritate in unam partem definita, Jus Civile fiunt, inquit Stockmannus in Procœmio ad Decisiones Curiæ

riæ Brabantiæ : Quidni & Ecclesiasticum , præsertim in his quæ à praxi & consuetudine locorum maximè dependent ; ut sunt solutiones Decimarum, reparationes Ecclesiarum , Domorum Pastoralium , aliæve similes?

Ne autem circa auctoritatem seu efficaciam rerum Judicatarum aberretur , notandum , ordinariè res inter privatos, etiam in Supremo Principis Senatu judicatas, Jus Generale non facere, etiam in simili planè casu & iisdem omninò circumstantiis: atque fas esse Magistratibus, licèt huic Supremo Senatui Subalternis , à sententia illa in judicando recedere, ut juxta illud vulgatum *non exemplis, sed Legibus judicandum*: nisi tamen Princeps, sive Senatus Principem repræsentans , declarat se velle, ut imposterum judicatum pro Lege habeatur, & pro Lege promulgari jubeat : quod subinde in materia magni momenti & notabilis consequentiæ contingit : Atque de hoc casu intelligenda apparet Constitutio Justiniani Imperatoris in *L.* 12. *Cod. de Legib.* in verbis. „Si imperialis Majestas causam cognitionabiliter examinaverit , partibus co„minus constitutis sententiam dixerit : omnes omnino Judices qui sub nostro Impe„rio sunt , sciant hanc esse Legem non solum illi causæ , pro qua producta est , sed „& omnibus similibus.

Hoc insuper notandum , quod sicuti non omnium Tribunalium par est auctoritas, ita nec rerum Judicatarum parem esse vim & efficaciam , majorisque indubiè auctoritatis esse, Supremorum Senatuum Arresta, quàm inferiorum judicata.

Ulterius notandum , Arresta & res judicatas præcipuè valere , ut adstruatur consuetudo, aut sensus alicujus Legis illis in Locis , quæ subjecta sunt Parlamentis , aut Magistratibus, à quibus hæc Arresta, aut hæ Sententiæ emanarunt ; quia Parlamenta & Magistratus præsumuntur judicare juxta consuetudinem , aut interpretationem Legis in suis Provinciis aut districtibus vigentem & receptam.

Nequaquam tamen dubitandum , quin & alicujus ponderis sint Arresta vel Sententiæ in exteris Parlamentis & Tribunalibus pronuntiatæ super alicujus Legis aut Edicti , vel Canonis generalis intellectu : præsertim si nulla in hac Provincia aut Districtu contraria consuetudo aut interpretatio invaluerit , sive recepta sit , ipsaque insuper Arresta aut res judicatæ conformia appareant naturali & obvio sensui ipsius Canonis, Legis , aut Edicti.

Licet igitur sciam , Praxim Belgicam non eandem esse in omnibus Juris Ecclesiastici articulis , notanter ubi de Jurisdictione Ecclesiastica (cui Belgium amplius favere solet) agitur , cum praxi in Gallia vigente , nihilominus ad stabiliendam modernam disciplinam Belgicam , non semel Parlamentorum Gallicanorum & aliorum exterorum Tribunalium judicata annotavi, ubi nulla contraria Belgii judicata reperi, nec ea Moribus aut Legibus harum Provinciarum adversari vidi.

Præcipuè autem circa res judicatas attendendum , an quæstio fuerit super dubio Legis , Canonis , aut Consuetudinis in generali & in abstracto ; puta an ex tali specie fructuum secundum Leges Belgii colligantur Decimæ ; an incolæ , an Decimatores teneantur ad reparationem Domus Pastoralis , &c. & an per sententiam hoc dubium decisum sit , sine respectu ad aliquam *specialem* circumstantiam in casu proposito occurrentem.

Si enim in quæstione sive lite particulares fuerint circumstantiæ , ob quas in hoc particulari casu , hoc illove modo Legem aut consuetudinem interpretari oportuit , appareatque eas circumstantias verisimiliter ipsum judicem ad sic judicandum permovisse, sententia ita prolata inaniter applicabitur , nisi casus cum iisdem circumstantiis occurrat : quemadmodum circa declarationes S. Congregationis super interpretatione Concilii Tridentini notavi *part.* 1. *tit.* 22. *cap.* 5. hujus operis.

Ut

Ut ergò auctoritate rerum Judicatarum securiùs utamur, examinandus casus cum circumstantiis super quo sententia prolata est: investigandumque, num appareat, Judicem in concipienda sententia aliqua speciali circumstantia in hoc casu occurrente permotum esse; ita ut sententia non nisi casui cum simili circumstantia applicari queat: an verò dubium aliquod super sensu Canonis, Legis, vel Edicti aut Consuetudinis in abstracto sive independenter ab omni speciali circumstantia decisum sit.

Ad hanc porro notitiam assequendam multùm facilitabit, si peritiores Jurisconsulti adhibeantur, qui Sententiarum brevicula ritè concipiant, quemadmodum notavit Stockmannus in Epistolæ Curiæ Brabantiæ inscripta, & decisionibus illius Curiæ præfixa: qui & ibidem deplorat, Curiæ hujus res judicatas, non ejus auctoritatis & roboris visas fuisse, qua esse debuerunt; quod hinc evenisse credit „quod ex infirmo „grege Legulejorum ad id munus passim delecti, qui monstra Sententiarum, loco „rationum Juris deinde nobis efformaverunt.

Hinc quoque patet, non parum attendendum esse, à quo ipsa Arresta allegentur, ut de eorum auctoritate statuatur: utrum ea referentes, eorum prolationi & causarum discussioni interfuerint; vel actorum omnium inspectionem habuerint; eaque ita discusserint, ut intelligere potuerint, super quo Arresta prolata sint.

Quin & illud circa Arresta & Magistratuum judicata observandum, non mox iis adhibendam fidem, ubi hæc apud auctorem aliquem relata vel asserta reperiuntur, quemadmodum de Declarationibus S. Congregationis super interpretatione Concilii Tridentini declaravit *Urbanus III.* sed ipsorum referentium auctoritas ponderanda; quin & ad ipsa Curiæ Regesta subinde reccurrendum, ut certiore prolatione allegatæ sententiæ fides, & ejusdem verus sensus haberi queat.

IN-

INDEX

TITULORUM ET CAPITUM.

PARS PRIMA.

De Personis.

TITULUS PRIMUS.

De Clericis.

Cap. I. *DE Clericis primæ Tonsuræ.*
II. *De Clericis minorum Ordinum.*
III. *De Subdiaconis & Presbyteris.*
IV. *Clericis certa Ecclesiæ abscribendi.*

TITULUS II.

De vita & honestate Clericorum.

Cap. I. *SIngularis in Clericis morum honestas requiritur.*
II. *Honestas & modestia in habitu Clericorum.*
III. *Incontinentia & familiarior cum mulieribus conversatio Clericis cavenda.*
IV. *Ebrietas, commessatio, popinarum frequentatio Clericis specialiter interdictæ.*
V. *Lusus alearum, seu à fortuna dependens Clericis vetitus; & quæ in Ludis licitis cavenda.*
VI. *Clerici negotiis secularibus se non immisceant.*

TITULUS III.

De Pastoribus & Vice-Pastoribus.

Cap. I. *SIngulis Parochiis singuli Parochi totius Parochiæ curam sustinentes præficiendi.*
II. *De vice Pastoribus; à quo assumendi & quid iis incumbat.*
III. *Parochi, aliique curam animarum sustinentes jure divino tenentur residere.*
IV. *Parochi animarum curatores tenentur* per se *instructioni populi, aliisque functionibus Pastoralibus incumbere.*
V. *Respondetur ad cap. 68. de Regulis Juris in 6. & unà afferuntur rationes, ob quas ordinariè contingat, instructionem Pastoris esse populo utiliorem, quàm extrani.*
VI. *Episcopi cogere debent Parochos, ut* per se *populum instruant.*
VII. *Fratres Mendicantes instituti sunt, ut meri Parochorum subsidiarii.*
VIII. *Regularium Stationes quantumvis diuturnæ & continuatæ, Parochum per se concionari aut catechizare volentem impedire nequeunt.*
IX. *Quæ observanda à Parocho circa Stationarios.*
X. *Sicut Parochorum est populum instruere; ita Parochianorum est eos audire.*
XI. *Quæ in Belgio fuerint statuta ad promovendum frequentationem Parochiæ ad audiendum Verbum Dei.*

TITULUS IV.

De Custodibus Ecclesiarum Parochialium.

Cap. I. *DE Officio Custodum.*
II. *Qui ad Officium Custodum admittendi, & qui rejiciendi.*
III. *A quo Custos constituendus; & quæ ejus Jura.*

TITULUS V.

De Ædituis Ecclesiarum Parochialium, & Magistris Pauperum, seu Mensarum Sancti Spiritus.

Cap. I. *QUi, & à quibus instituendi; & quod ab electis præstandum juramentum.*
II. *Quænam præcipuè ab Ædituis & Magistris Pauperum in administratione bonorum observanda.*
III. *Quomodo bona Fabricæ & Mensæ Sancti Spiritus dispensanda, & à quibus.*
IV. *Qui computibus intervenire debeant.*
V. *Quæ circa redditionem computûs observanda.*
VI. *Proponuntur Regulæ generales in hac materia observandæ.*

TITULUS VI.

De Decanis Christianitatis seu Ruralibus

Cap. I. *ARchipresbyteri alii Urbani & alii Rurales; Hi à quo eligendi*
II. *Decani Rurales Pastoribus & Ecclesiasticis sui districtus intendere debent.*
III. *De visitatione Archipresbyterorum.*
IV. *De congregationibus Pastorum & Archipresbyterorum.*
V. *Ne Juribus Archipresbyterorum.*

TITULUS VII.

De Canonicis Collegiatarum, & Cathedralium Eclesiarum; & Officio Juribusque utriusque communibus.

Cap. I. *UNde Canonici Collegiatarum & Cathedralium Ecclesiarum dicantur* secu lares.
II. *Canonici, qui hodie dicuntur* seculares, *vitam communem & claustralem egerunt. Et quando ab ea recesserint.*
III. *Ex desertione vitæ communis quasi naturaliter secuta est vitæ Canonicalis dissolutio.*
IV. *Ipsa Canonicorum instituto seu professio semper mansit invariata.*
V. *De Congregationibus Capitularibus.*
VI. *Canonici Divinum Officium diurnum pariter ac nocturnum publicè persolvere tenentur.*
VII. *De Distributionibus quotidianis.*
VIII. *Distributiones non sunt institutæ, ut propter eas Divinum Officium frequentetur.*
IX. *De Residentia Canonicorum.*
X. *De Causis excusantibus à Residentia.*
XI. *De Causis legitimis recipiendi Distributiones in absentia.*

TITULUS VIII.

De Capitulo Cathedrali.

Cap. I. *CApitulum Cathedrale Ecclesiæ Senatum repræsentat, & unum cum Episcopo corpus constituit.*
II. *Capitulum Cathedrale quantumvis exemptum debet Episcopo tanquam* Capiti *reverentiam & honorem exhibere; & in quibus hæc consistant.*

Quo-

Index Titulorum & Capitum.

III. *Quomodo Episcopus Capitulis etiam exemptis interveniat.*
IV. *In quibus Episcopus teneatur consilium vel consensum Capituli petere.*

TITULUS IX.

De Capitulo Sede vacante.

Cap. I. *Capitulum Sede vacante in ordinariam Jurisdictionem Episcopi succedit.*
II. *In quæ Capitulum Sede vancante Episcopo non succedat.*
III. *Qualis Vicarius Sede Vacante hodie constitui soleat.*
IV. *A quo & qualem jurisdictionem accipiat Vicarius.*

TITULUS X.

De Canonicis Graduatis.

Cap. I. *Qua ratione & quomodo Canonici Graduati præsertim in Belgio instituti.*
II. *De Graduatis Theologis & Canonistis.*
III. *De Graduatis Nobilibus.*

TITULUS XI.

De Dignitatibus Capitulorum.

Cap. I. *De Præposito.*
II. *De Decano.*
III. *De Cantore.*
IV. *De Scholastico.*
V. *De Thesaurario.*
VI. *De Canonico Theologo.*

TITULUS XII.

De Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium.

Cap. I. *De Archidiacono.*
II. *De Archipresbytero Cathedrali.*
III. *De Pœnitentiario.*
IV. *De Officiali Episcopi.*
V. *De Vicario Episcopi.*

TITULUS XII.

De Electione & Nominatione Episcoporum.

Cap. I. *Quas partes olim populus habuerit in hac Electione.*
II. *Quomodo Electio Episcoporum ad Capitula Cathedralia sit devoluta & unà de Concordatis Germaniæ.*
III. *De Regia Episcoporum Nominatione.*
IV. *Quæ conditiones in Nominatione Regia sunt servandæ.*
V. *Quædam circa electionem, & Nominationem Episcoporum invariata manserunt.*

TITULUS XIV.

De Confimatione Episcoporum.

Cap. I. *Ad quem spectet Episcoporum confirmatio.*
II. *Confirmatio dari debet prævia causæ cognitione.*
III. *Per quos, & quâ formâ hodie informatio de Nominatis ad Episcopatus sumatur.*
IV. *De effectu Confirmationis, & quæ hodie requirantur, ut plenum effectum sortiatur.*

TITULUS XV.

De Consecratione Episcoporum.

Cap. I. *Quibus, intra quod tempus, & quo loco Consecratio fieri debeat.*
II. *De Juramento ab Episcopis ante Consecrationem Romano Pontifici præstando.*
III. *De moderno rito Consecrationis.*
IV. *De Effectu Consecrationis, acpræcipuè de Vinculo quo Ecclesiæ alligatur Episcopus, & unà de prohibita translatione Episcoporum.*

TITULUS XVI.

De Cura Episcopali.

Cap. I. *Quomodo Episcopi succeserint in locum Apostolorum.*
II. *Episcopi vocantur ad nudum Ecclesiæ ministerium & servitutem.*
III. *Quisquis Episcopus hodie habet distinctam Diœcesim, extra quam jurisdictionem aut Pontificalia exercere nequit.*
IV. *Cura & regimen totius Diœcesis primario & principaliter incumbit ipsi Episcopo.*
V. *Episcopi jure divino tenentur ad residentiam, & qualis debeat esse illa residentia.*
VI. *De legitimis causis Episcoporum à suis Diœcesibus.*
VII. *Præcipuum munus Episcoporum est Prædicatio Verbi Dei.*
VIII. *Nullus sine auctoritate Episcopi publicè prædicare potest.*
IX. *Episcoporum est pro populo orare, populum ad orationem excitare, preces publicas indicare.*

TITULUS XVII.

De visitatione Episcoporum.

Cap. I. *De necessitate & scopo visitationis.*
II. *Quæ* procurationes *ab Episcopo visitante exigi vel recipi possint, & qui ad eas teneantur.*
III. *Quæ loca ab Episcopis* visitari *debeant, & possint*
IV. *Quomodo in Visitatione procedendum; & quem effectum Decreta in Visitatione habeant.*

TITULUS XVIII.

De Synodis Diœcesanis seu Episcopalibus.

Cap. I. *Quoties hæ Synodi celebrandæ, & qui interveniant.*
II. *Quæ in Synodo Diœcesana tractanda.*
III. *De Testibus Synodalibus.*
IV. *Qui his Synodis subdantur, & quæ earum auctoritas.*

TITULUS XIX.

De Metropolitanis.

Cap. I. *Quando & à quibus Metropolitani instituti.*
II. *Quam obedientiam Episcopi suffraganei debeant suis Metropolitanis.*
III. *In quibus causis Metropolitanus sit Judex Ordinarius Episcoporum.*
IV. *Quam auctoritatem Metropolitani hodie habeant in Diœcesi suorum Suffraganeorum.*
V. *De Pallio & cruce Archiepiscopali.*

TITULUS XX.

De Synodis Provincialibus.

Cap. I. *Quoties Synodus Provincialis celebranda, & qui illi interveniant.*
II. *Quæ in Concilio Provinciali tractanda.*
III. *Qui Decretis Synodorum Provincialium sint subjecti: & de confirmatione Sedis Apostolicæ super his Synodis.*
V. *Quæ Principum circa Synodos Episcopales auctoritas.*

TI-

Index Titulorum & Capitum.

TITULUS XXI.

De Lagatis & Nuntiis Apostolicis.

Cap. I. *DE variis Legatorum speciebus.*
II. *De Auctoritate & Dignitate Legatorum.*
III. *Quis moribus hodiernis præsertim Galliæ & Belgii circa Legatos & Nuntios Apostolicos obtineat.*

TITULUS XXII.

De Congregationibus Cardinalium.

Cap. I. *DE origine, & dignitate, & officio Cardinalium.*
II. *De Consistorio Cardinalium.*
III. *De Congregatione S. Offici sive Inquisitionis; atque una de origine Inquisitionis.*
IV. *De Congregatione Indicis.*
V. *De Congregatione pro executione & interpretatione Concilii Tridentini.*
VI. *De Congregatione super negotiis Episcoporum Regularium.*
VII. *De Sacra Congregatione Rituum.*

TITULUS XXIII.

De Officialibus Curiæ Romanæ.

Cap. I. *DE Vice-Cancellario, & Cancellaria Romana.*
II. *De Datario & Dataria.*
III. *De Pœnitentiario & Pœnitentiaria.*
IV. *De Secretario Brevium, & differentia inter Brevia & Bullas.*

TITULUS XXIV.

De Instituto Regularium & eorum Admissione.

Cap. I. *DE Primævo Monachorum Instituto, eorum Regulis & Constitutionis.*
II. *Multis seculis Ordinum Monasticorum ignota diversitas, quomodo postmodum inducta, & quomodo restricta novorum Institutio.*
III. *De nova constructione Monasteriorum.*

TITULUS XXV.

De Admisione ad Religionem, & Novitiatu.

Cap. I. *QUaliter probandus admittendus ad Religionem.*
II. *De Novitiatu.*
III. *De Libertate Novitii deserendi Religionem ante Professionem, & ad eam spectantibus.*
IV. *Quomodo Novitii de bonis suis disponere possint, & debeant.*
V. *De Examine Puellarum ante habitus susceptionem, & Professionem.*

TITULUS XXVI.

De Simonia circa ingressum Religionis.

Cap. I. *EST Simonia aliquid exigere pro sustentatione Professuri dum Monasterium est sufficiens.*
II. *An titulus paupertatis* exactiones *dotium justificet.*
III. *Media convenientia ad extirpanda pactiones Simoniacas.*

TITUTUS XXVII.

De Professione & ejus effectu.

Cap. I. *DE Professione solemni ejusque ritu, & an* tacita *hodie obtineat.*
II. *De ætate profitentium.*
III. *De Formula Professionis, & quid contineat.*
IV. *Professio Religiosa an professum abstringat stabiliter Monasterio. Et quid ab exeunte Monacho observandum.*
V. *An Professio Religiosa permittat transitum de una Religione ad aliam.*
VI. *An Monachi contumaces & rebelles possint post professionem è Monasterio ejici, & à Religione abscindi.*

TITULUS XXVIII.

De Voto obedientiæ.

Cap. I. *QUalis debeat esse Obedientia.*
II. *De Obedientia* cæca.
III. *An obediendum Superiori aliquid contra vel supra Regulam præcipienti.*
IV. *An Regularibus à præcepto Superiorum apellare liceat.*

TITULUS XXIX.

De Voto Paupertatis.

Cap. I. *ABdicatio* omnis *proprietatis est* essentialis *Statui Religioso.*
II. *Religiosi privati sunt omni jure successionis.*
III. *Paupertas Religiosa permittit honorum etiam immobilium possessionem in communi hodie; necessaria* amortizatio.
IV. *Qui Ordines* Mendicantes, *& eorum spacialis Paupertas ac quæ Religiosa* Mendicitas.
V. *Omnia undecumque Religiosis obvenientia in comunes usus Fratrum sunt dispensanda.*
VI. *Peculia Monachorum contrariantur Voto Paupertatis & vitæ communi.*
VII. *Omnibus ex* communi *Monasterii substantia necessaria subministranda, & quæ in horum usu observanda.*
VIII. *Quomodo bona Monasterii à Superioribus dispensanda.*
IX. *Titulus administrationis in simplici Monacho Pallium* Proprietatis.

TITULUS XXX.

De Voto Castitatis.

Cap. I. *PRofessio Religiosa includit votum Castitatis saltem implicitè: & ad quid obliget.*
II. *Mulierum ad claustra & Oratoria Monachorum ingressus quomodo vetitus.*
III. *De Clausura Monialium vetante egressum Monialium.*
IV. *De Clausura vetante ingressum in Monasteria; quæ sit circa clausuram Belgica disciplina.*

TITULUS XXXI.

De Monasteriorum Superioribus.

Cap. I. *QUid Abbates & abbattissæ; & varia eorum distinctio.*
II. *De Priori Claustrali, Obedientiario, & Conventuali, eorumque differentiis.*
III. *De Auctoritate Prælatorum regendi & corrigendi Subditos.*
IV. *Quandonam Superior debeat petere* consilium *vel* consensum *Capituli, & qui Capitulum constituant.*
V. *De Cura temporalium Abbatibus incumbente, & Officialibus ab ipsis constituendis.*
VI. *De Usu* Pontificalium *Abbatibus indulto.*
VII. *De Abbatibus Laicis & Commendatariis, & horum origine & juribus.*
VIII. *De Electione & Nominatione Superiorum.*

IX. *De Confirmatione & Benedictione Abbatum.*
X. *Quis Ordo & ætas in Superioribus regularibus requiratur.*

TITULUS XXXII.

De Regularium Reformatione & Visitatione.

Cap. I. *Præcipuè causæ collapsæ disciplinæ Monasticæ recensentur.*
II. *A quos reformandi auctoritas pertineat.*
III. *De Congregationibus & Capitulis Regularium.*
IV. *De Visitatione Monasteriorum.*
V. *De Scopo & Forma visitationis & reformationis.*

TITULUS XXXIII.

De quasi Regularibus.

Cap. I. *De Patribus Oratorii.*
II. *De Canonissis.*
III. *De Beguinis.*

PARS SECUNDA

De Rebus.

TITULUS PRIMUS.

De Sacramentis in Genere.

Cap. I. *De Sacramentorum Essentia, Numero, & Divisione.*
II. *Quæ in Sacramentorum administratione servanda; & quis eorum præcipuus Minister.*
III. *An aliquid in Sacramentorum administratione exigi possit.*

TITULUS II.

De Baptismo.

Cap. I. *De materia & forma Baptismi, & quo modo hæc adhibenda.*
II. *De Ministro, loco, & tempore administrandi Baptismi.*
III. *De Ritibus Baptismi.*
IV. *De Patrinis & Obstetricibus.*
V. *De Purificatione post partum.*

TITULUS III.

De Sacramento Confirmationis.

Cap. I. *Qui confirmandi, & quomodo instruendi, & quo tempore confirmandi.*
II. *De Ministro Confirmationis & de Chrismate.*
III. *De Ritibus Confirmationis.*

TITULUS IV.

De Sacramento Eucharistiæ.

Cap. I. *De Materia, Forma, & Ministro hujus Sacramenti.*
II. *Qui ad Communionem admittendi; qui repellendi.*
III. *De Communione Paschali.*
IV. *De Communione infirmorum.*
V. *De Circumgestatione, & expositione Eucharistiæ.*

TITULUS V.

De Celebratione Missarum.

Cap. I. *De varia* Missæ *significatione; nec non Liturgiarum & Ceremoniarum diversitate.*
II. *De Missa publica sive Parochiali.*
III. *De Missa privata.*
IV. *De Oblationibus populi inter Missarum solemnia.*
V. *De honorario Missæ, & de quibus ejus occasione populus instruendus.*
VI. *Quid Sacerdotes in receptione Honorari servare debeant, & quæ incommoda ex Honorario profluant.*
VII. *De Anniversariorum & Missarum Fundationibus, eorumque Reductione.*
VIII. *De Oratoriis privatis sive domesticis.*
IX. *Quædam observanda & cavenda pro reverentia Sacrifici.*

TITULUS VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Cap. I. *De variis Nominibus, Partibus, Forma & Effectu hujus Sacramenti.*
II. *De publica, solemni & privata Pœnitentia.*
III. *De Canonibus in Libris Pœnitentialibus.*
IV. *De moderna circa Pœnitentias imponendas disciplina & quis hodie Canonum Pœnitentialium usus.*
V. *De ordinario Pœnitentiæ Ministro.*
VI. *De Approbatione Confessariorum, & ejus limitatione ac Revocatione.*
VII. *De Reservatione Casuum.*

TITULUS VII.

De Indulgentiis.

Cap. I. *De variis Indulgentiarum Speciebus sive Formulis.*
II. *De moderato Indulgentiarum usu.*
III. *De Abusu Quæstorum Eleemosynarum, eorum abolitione, & de quæstu in usu Indulgentiarum vitando.*
IV. *De Jubileo.*

TITULUS VIII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Cap. I. *De Materia, Forma, & Partibus inungendis.*
II. *Quibus & quando hoc Sacramentum administrandum.*
III. *De Ministro, Ritu, & Iteratione hujus Sacramenti.*

TITULUS IX.

De Sacramento Ordinis.

Cap. I. *De Materia & forma hujus Sacramenti.*
II. *A quo Ordines recipiendi.*
III. *De Litteris Dimissorialibus.*
IV. *De Examine Ordinandorum.*
V. *De Ordinum Interstitiis.*
VI. *De Titulo Ordinationis.*

TITULUS X.

De Irregularitate ejusque Speciebus.

Cap. I. *De Irregularitate in genere.*
II. *De Irregularitate ex Bigamia.*
III. *De Irregularitate ex defectu Natalium.*

Index Titulorum & Capitum.

IV. *De Irregularitate ex defectu lenitatis.*
V. *De Irregularitate ex defectu corporis.*
VI. *De Irregularitate ex crimine.*
VII. *De Irregularitate ex homicidio.*

TITULUS XI.

De Seminaris Clericorum.

Cap. I. *ORigo & scopus Seminariorum.*
II. *Qui ad Seminaria admittendi.*
III. *Media temporalia Seminariis fundandis impendenda.*
IV. *De Collegiis academicis.*
V. *De Scholis puerorum.*

TITULUS XII.

De Impedimentis Matrimoinii.

Cap. I. *QUomodo Sponsalia contrahenda, & quod circa illa Parochorum officium.*
II. *De vinculo Sponsalium eorumque dissolutione.*
III. *De Proclamationibus seu Bannis Matrimonialibus.*
IV. *De Matrimonio & Consensu Matrimoniali.*
V. *Coram quo matrimonium contrahendum.*
VI. *De Ritibus contrahendi Matrimonii.*

TITULUS XIII.

De Sponsalibus & Matrimonio.

Cap. I. *PEnes quem sit auctoritas inducendi Impedimenta Matrimonii.*
II. *De Impedimentis impedimentibus, ac signanter de* tempore clauso & Ecclesiæ interdicto.
III. *De Impedimento erroris & condictionis.*
IV. *De Impedimento Voti & Ordinis.*
V. *De Impedimento Consanguinitatis & Affinitatis.*
VI. *De Impedimento Cognationis Legalis & Spiritualis, nec non publicæ honestatis.*
VII. *De Impedimento Criminis.*
VIII. *De Impedimento ex cultus disparitate.*
IX. *De Metu.*
X. *De Impedimento Raptûs.*

TITULUS XIV.

De Dispensationibus Matrimonialibus.

Cap. I. *DE usu Dispensationum Matrimonialium; & cui autoritas dispensandi competat.*
II. *Sub qua formula hodie Dispensationes Matrimonialis in Curia Romana expediri, & cui commiti soleant.*
III. *De forma Litterarum Dispensationum; & quomodo se Delegatus informare debeat de impedimento allegato.*
IV. *De Causis Dispensationis, & informationis super veritate eorum.*
V. *De Dispensatione super Matrimonio cum impedimento dirimente contracto.*
VI. *De Dispensatione in* forma Pauperum.
VII. *De Dispensatione pro foro conscientiæ expedienda per Pœnitentiariam.*
VIII. *Quæ circa Dispensationes à Parocho populo exponenda.*

TITULUS XV.

De Divort iis & secundis Nuptiis.

Cap. I. *DE Divortio quoad vinculum; & conversione Conjugatorum.*
II. *De separatione Matrimonii quoad thorum & cohabitationem.*
III. *De secundis Naptiis.*

TITULUS XVI.

De ædificandis, consecrandis & reparandis Ecclesiis.

Cap. I. *DE Scopo Templorum & eorum Ornatu.*
II. *De ædificandis Ecclesiis, & quæ intervenire debeant.*
III. *De Consecratione Ecclesiarum, ejusque Ritibus.*
IV. *De Reconsecratione & Reconciliatione Ecclesiarum.*
V. *De reparandis Ecclesiis.*

TITULUS XVII.

De Celebratione Festorum.

Cap. I. *DE Institutione, & varia Specie Festorum.*
II. *Quis sit finis institutiones Festorum; & quomodo observanda.*
III. *De Operibus servilibus die Festo prohibitis.*
IV. *Strepitus forenses & mercatus diebus Festis vetiti.*
V. *De Spectaculis, Choreis, & popinarum frequentatione vetitis.*
VI. *De licentia laborandi diebus festivis.*

TITULUS XVIII.

Origo, Definitio, & Divisio Beneficiorum.

Cap. I. *ORigo & definitio Beneficiorum.*
II. *De Dignitatibus & Personatibus.*
II. *De Beneficiis Regularibus & Secularibus.*
IV. *De Beneficiis Curatis & simplicibus; ac præcipue de Capellaniis.*

TITULUS XIX.

De Ætate & Qualitate Beneficiandorum.

Cap. I. *DE ætate ad Beneficia requisita.*
II. *De Ordine Beneficiis annexo.*
III. *Intra quod tempus, Ordo Beneficio annexus suscipiendus; & quæ pœna non suscepti.*
IV. *De Scientia aliisque Qualitatibus ad Beneficia requisitis.*

TITULUS XX.

De Pluralitate Beneficiorum.

Cap. I. *SEmper vetita Beneficiorum pluralitas, & rationes prohibitionis.*
II. *Quomodo pluralitas Beneficiorum sensim invaluerit, & quibus potissimum prætextibus.*
III. *Quid contra pluralitatem Beneficiorum actum & statutum in Concilio Tridentino.*
IV. *De varia Beneficiorum incompatibilium specie.*
V. *De Dispensatione super pluralitate Beneficiorum.*

TITULUS XXI.

De Ordinaria Beneficiorum provisione.

Cap. I. *QUi Beneficiorum Collatores* Ordinarii, *ac præcipuè de jure Episcopi.*
II. *De Collatione; & quâ forma expedienda.*
III. *De Electione ejusque forma.*
IV. *De Triplici Forma electionis à Concilio Lateranensi præscripta.*
V. *Intra quod tempus beneficia conferenda? Et de Jure Devolutionis.*

TITULUS XXII.

De Concursu ad Parochialis.

Cap. I. *PRoponitur & justificatur Forma Concursus à Synodo Trid. proposita; & quomodo proponendum Edictum concursûs.*
II. *Quæ Ecclesiæ Parochiales concursui sint subjectæ.*
III. *De Examinatoribus, & examine.*

IV. *De renuntiatione idoneorum ; de electione magis idonei ; & de collatione hinc facienda.*
V. *De Vicario seu Deservitore Ecclesia Parochiali vacante , constituendo.*

TITULUS XXIII.

De Mandatis & Reservationibus Apostolicis.

Cap. I. *ORigo & progressus Mandatorum* de providendo *& Reservationum.*
II. *Quia circa Exspectativas & reservationes actum in Concilio Tridentino.*
III. *De Reservationem Beneficiorum vacantium apud Sedem Apostolicam.*
IV. *De Reservationibus contentis in Extravagantibus* Execrabilis *&* Ad regimen , *& duabus primis Regulis Cancellariæ.*
V. *De Reservatione* octo *mensium.*
VI. *De alternativa.*
VII. *De Jure præventionis , & Regula Cancellariæ de* Verisimili Notitia.

TITULUS XXIV.

De Provisione Apostolica.

Cap. I. *DE Provisione in forma* dignum , *& in forma* gratiosa.
II. *Forma* novæ provisionis; *item* perinde valere ? *nec non* perinde ETIAM valere; *&* Rationi congruit.
III. *Provisio Apostolica expedita ad* petitionem partis; *de* Signatura *& ejus Effectu.*
IV. *De Exprimendis in prima & secunda parte Signaturæ.*
V. *De Clausulis tertiæ partis Signaturæ.*
IV. *De Placito Regio super Provisionibus Apostolicis.*

TITULUS XXV.

De Jure Patronatus.

Cap. I. *DE Origine Juris Patronatus , & de Advocatis Ecclesiarum.*
II. *De varia Specie Juris Patronatus.*
III. *De Modo acquirendi & probandi Jus Patronatus.*
IV. *Quomodo Jus Patronatus transferatur.*
V. *De Præsentatione & differentiis inter Patronum Ecclesiasticum & Laicum.*
VI. *De Jure alimentationis & superintendentia Patronis competentibus.*
VII. *De Juribus Honorificis præcipuè Patrono debitis.*
VIII. *De Regalia.*
IX. *De Nominatione Regia extra Regaliam ; & de oblatis ad Monasteria.*

TITULUS XXVI.

De Institutione & Possessione Beneficiorum.

Cap. I. *DE Institutione.*
II. *De Possessione , & forma eam accipienai.*
III. *De Regula Cancellariæ* De Annali possessore.
IV. *De Regula Cancellariæ* De Triennali Possessore.

TITULUS XXVII.

De Resignatione & permutatione Beneficiorum.

Cap. I. *DE Resignatione pura & simplici & Resignatione* in favorem & ex causa permutationis *harumque origine.*
II. *De quorum consensu Resignationes admittendæ : & quæ causa requiratur.*
III. *De Procuratorio ad resignandum.*
IV. *Quinam Beneficia sua resignare possint.*
V. *De Regula Cancellariæ* De infirmis Resignantibus.
I. *De Regula Cancellariæ* De publicandis Resignationibus.
VII. *Quando Resignans à Resignatione resilire ; vel ad Beneficium resignatum regredi possit.*

TITULUS XXVIII.

De Pensionibus Ecclesiasticis.

Cap. I. *QUæ natura Pensionum ; & quid de iis in Synodo Tridentina actum.*
II. *Quæ usum Pensionum reddant odiosum.*
III. *Discutiuntur causæ ex quibus hodie Pensiones imponi solent.*
IV. *Quæ ex parte Pensionariorum sint attendenda , ut securi sint in accipiendis Pensionibus.*
V. *Cujus auctoritate hodie imponatur Pensio, & quæ differentia inter Pensionem impositam à Papa , & creatam ab Episcopo.*
VI. *Quæ Beneficia Pensione gravari queant ; & qualiter.*
VII. *Quæ portio proventuum in Pen ionem assignari possit ; et quæ in hanc portionem imputentur.*
VIII. *De Clausulis in litteris Pensionis apponi solitis.*
IX. *De Extinctione , Translatione , & Redemptione.*

TITULUS XXIX.

De Unionibus Beneficiorum.

Cap. I. *DE varia Specie Unionis , & quorum auctoritate facienda.*
II. *De Causis Unionis , & quæ Beneficia uniri possint.*
III. *De Solemnitatibus servandis in Unione.*
IV. *De Disolutione Unionis.*

TITULUS XXX.

De Simonia circa Beneficia.

Cap. I. *UNde desumenda enormitas hujus vitii , & quare olim magis contra Simoniacas* Ordinationes , *quàm similes Beneficiorum Provisiones actum ; hodie verò secùs.*
II. *De triplici munere , à* manu , *à* lingua , *& ab* Obsequio.
III. *Quàm commune aliquando hoc vitium fuerit : & quomodo technis occultatum: & quid ad technas detegendas adhibitum.*
IV. *Palliatur Simonia separando temporale à spirituali; vel dando per modum* Motivi.
V. *De P alliis sub specie* pietatis ; *item* redemptionis vexæ , *&* gratuitæ remunerationis.
VI. *De pœna dispositionis Simoniacorum , & nullitate provisionis Simoniacæ.*
VII. *De Dispensatione cum Simoniacis.*

TITULUS XXXI.

De Acceptione Personarum vitanda in Beneficiorum provisione.

Cap. I. *QUid acceptio personarum , & quando hoc in Collatione Beneficiorum committatur.*
II. *Beneficia conferenda sunt* Dignioribus.
III. *Unde desumenda major capacitas , & quomodo de ea inquirendum.*
IV. *Quàm grave delictum sit accipere personam in Collatione Beneficiorum , & unde hæc gravitas desumenda.*

TITULUS XXXII.

De Peculio Clericorum.

Cap. I. *QUid Peculium Clericorum , & quid nomina Peculii veniat , & quod jus Clericis competat.*
II. *Quo jure , quo & titulo Clericis alimenta & stipendia debeantur , & quo animo ea accipere debeant.*
III. *Bona Ecclesiæ dicta,* Vota Fidelium, Pretia peccatorum, & Patrimonium pauperum, *& quare.*
IV. *Quæ moderatio in usu proventuum Ecclesiasticorum à Clericis tenenda.*

An

Index Titulorum & Capitum.

V. *An Clerici divites Patrimonio, possint reservatis proventibus Patrimonii, ex bonis Ecclesiæ vivere.*
VI. *De Divisione bonorum Ecclesiæ, & an per eam natura illorum mutata.*
VII. *De Testamentis Clericorum.*
VIII. *Ad quos bona Clericorum* intestatorum *deferantur.*

TITULUS XXXIII.

De Decimis & Oblationibus.

Cap. I. *DE Origine Decimarum, & quo jure debeantur.*
II. *De quibus decimæ hodie sint solvendæ.*
III. *De Jure Parochorum ad decimas, & cui Parochiæ debeantur.*
IV. *De Decimis Laicalibus sive infeudatis.*
V. *De Decimis ad Monasteria & Capitula devolutis.*
VI. *De decimis novalibus & minutis.*
VII. *Qui decimas solvere teneantur, & qui ab iis exempti.*
VIII. *Quomodo decimæ solvendæ.*
IX. *Quomodo, & coram quo decimæ exigendæ.*
X. *De Oblationibus.*

TITULUS XXXIV.

De Portione congrua Parochorum.

Cap. I. *DE Origine Pastorum Primitivorum, Vicariorum perpetuorum & Portionis congruæ.*
II. *Quæ in taxatione Portionis congruæ attendenda.*
III. *Unde Portio congrua desumenda.*
IV. *Quo ordine Decimatores sint Portioni congruæ subjecti; & quousque?*
V. *Portio congrua tanquam causa alimentorum judicanda & assignanda.*
VI. *Quæ in Portionem congruam imputanda.*
VII. *Per quos, & coram quibus portio congrua petenda.*
VIII. *De Domo Pastorali an sub Portione congrua comprehendatur; & cui onus eam extruendi & reparandi incumbat.*

TITULUS XXXV.

De Immunitate Bonorum Ecclesiasticorum.

Cap. I. *QUam Immunitatem jam pridem dederint Imperatores.*
II. *Quid Decretales, & hodierna Belgii consuetudo circa hanc Immunitatem statuant.*
II. *De Subsidiis voluntariis à Clero Principi solvendis.*

TITULUS XXXVI.

De Administratione & Alienatione Bonorum Ecclesiasticorum.

Cap. I. *DE Episcoporum in dispensandis & administrandis rebus Ecclesiæ auctoritate.*
II. *De Elocatione Bonorum Ecclesiasticorum.*
III. *De vetita rerum Ecclesiæ alienatione & quid nomine alienationis veniat; & quæ res contineatur.*
IV. *De Causa & solemnitate in alienatione rerum Ecclesiæ requisitis.*

TITULUS XXXVII.

De Hospitalibus & aliis piis Locis.

Cap. I. *DE vario Hospitalium genere.*
II. *Superintendentibus Hospitalium & piorum Locorum.*
III. *Qui sint præficiendi curandis infirmis & pauperibus sive corporaliter sive spiritualiter.*
IV. *Quæ in Administratione & Dispensatione rerum Hospitalium observanda.*
V. *Qui ad Hospitalia recipiendi; & quid circa Mendicos habeant Principum Edicta, & quomodo regenda.*
VI. *De Confraternitatibus.*

TITULUS XXXVIII.

De Sepulturis.

Cap. I. *DE Ritibus Sepulturæ, & exequiis.*
II. *De loco Sepulturæ.*
III. *De Sepultura Parochiali, Majorum & electa sive per electionem.*
IV. *De vetita exactione pro Sepulturis, & de Juribus Funeralibus.*
V. *De Juribus Ecclesiæ Parochialis ad exequias & oblationes, dum alibi Sepultura est electa.*
VI. *Quibus neganda sit Sepultura.*

PARS TERTIA

De Judiciis, delictis, et pœnis Ecclesiasticis.

TITULUS PRIMUS.

De Jurisdictione Ecclesiastica in Civilibus.

Cap. I. *QUæ fuerit jam pridem Episcoporum auctoritas in dirimendis causis Laicorum.*
II. *Quantopere sensim imminuta sit jurisdictio Ecclesiastica in causis Civilibus Laicorum in Belgio & Gallia.*
III. *Quæ fuerit jam pridem Episcoporum auctoritas in decidendis causis Civilibus Clericorum.*
IV. *Quibus Casibus hodie Clerici in Civilibus coram Judice Seculari conveniantur.*

TITULUS II.

De Causis Ecclesiasticis.

Cap. I. *DE Causis spiritualibus præsertim Matrimonialibus.*
II. *De Causis Testamentariis & quomodo ad Judicem Ecclesiasticum spectent.*
III. *De aliis Causis profanis ad specialem Episcoporum curam spectantibus.*
IV. *De Possessorio & Petitorio in Causis Ecclesiasticis.*

TITULUS III.

De Jurisdictione Criminali.

Cap. I. *QUæ jam pridem fuerit auctoritas Judicis Ecclesiastici in puniendis delictis Clericorum.*
II. *Qua ratione imminutum hodie privilegium* fori, *& de quibus criminibus Clericorum cognoscant Judices Regii.*
III. *Qui Clerici privilegio* fori *gaudeant.*
IV. *Coram quo Causæ criminales Episcoporum examinandæ & determinandæ.*

Index Titulorum & Capitum.

TITULUS IV.

De Delictis Ecclesiasticis.

Cap. I. QUomodo olim *Episcopi de omnibus Criminibus cognoverint, & quomodo hæc Episcoporum auctoritas imminuta.*
II. *De crimine hæresis & schismaticis.*
III. *De Sortilegio, Magia, & aliis similibus.*
IV. *De crimine Adulterii, Lenocinii, Stupri, Raptus, Concubinatus, & Fornicationis.*
V. *De Blasphemia, Perjurio, & aliis nonnullis delictis Ecclesiasticis.*

TITULUS V.

De Judicibus Ecclesiasticis & Arbitris.

Cap. I, DE *Judice Ordinario Deorum Officialibus.*
II. *De Judicibus Delegatis & Synodalibus.*
III. *De Judicibus delegandis in Partibus, & non evocandis extra Provinciam.*
IV. *De Arbitris.*

TITULUS VI.

De Ministris Curiæ Ecclesiasticæ.

Cap. I. DE *Assessore.*
II. *De Advocatis.*
III. *De Procuratoribus & Syndicis.*
IV. *De Graphiariis & Secretariis.*
V. *De Advocato Fisci & Procuratore Officii sive Promotore, nec non Apparitoribus.*

TITULUS VII.

De Institutione Causarum Civilium.

Cap. I. QUando & *quomodo hodierna forma litigandi forum Ecclesiasticum intraverit.*
II. *De Citatione ejusque forma.*
III. *De Libeli Oblatione & litis Contestatione.*
IV. *De Juramento calumniæ & Dilationibus.*
V. *De Probationibus & Præsumptionibus.*
VI. *De Probatione per Testes.*
VII. *De Probatione per instrumenta, & de Notariis Apostolicis & Regiis.*
VIII. *De Juramento suppletorio ob defectum probationum.*

TITULUS VIII.

De Instructione Causarum Criminalium.

Cap. I. DE *Accusationibus & Informationibus præviis.*
II. *De Captura vel Citatione* personali *accusatorum, & quæ circa incarcerandos servanda.*
III. *De Examine Rei, & de Tortura.*
IV. *De purgatione Vulgari & Canonica.*

TITULUS IX.

De Sententiis, earumque Executione.

Cap. I. DE *Sententia difinitiva, interlocutoria, & & provisionali.*
II. *Quæ observanda ante sententiæ prolationem, & quæ juramenta à Judicibus præstanda.*
III. *De Forma concipiendi, & pronuntiandi Sententiam & condemnatione in expensas & interesse.*
VI. *De executione Sententiæ.*

TITULUS X.

De Appellationibus & Recusationibus.

Cap. I. DE *frequentia Appellationum in Curiis Ecclesiasticis.*
II. *De forma interponendæ et prosequendæ Appellationis, fatalibus & Apostolis.*
III. *De Effectu Appellationis.*
IV. *De Reformatione, Revisione & Appellatione tanquam* ab abusu.
V. *De Recusatione Judicis.*

TITULUS XI.

De Pœnis & Censuris Ecclesiasticis.

Cap. I. DE *Pœnis Ecclesiasticis.*
II. *De Censuris in Generali.*
III. *De variis Excommunicationis speciebus.*
IV. *De effectu Excommanicationis.*
V. *Excommunicatio non ferenda sine gravi causa & an injusta sit servanda vel timenda.*
VI. *Excommunicatio non nisi in contumaces ferendæ & de excommunicatione* latæ *sententiæ.*
VII. *Excommunicatio non nisi aliis mediis frustra adhibitis, & cum magna circumspectione ferenda.*
VIII. *De Forma & ritibus ferendæ excommunicationis*
IX. *De Interdicto.*
X. *De Suspensione.*
XI. *De Absolutione à Censuris.*

TITULUS XII.

De Exemptione à Jurisdictione Ordinariorum.

Cap. I QUaliter *Monachi primitùs subjecti fuerint Episcopis.*
II. *Seculo Sexto & sequentibus varia privilegia sive immunitates Monachis concessa fuere, sed salva Canonica & Spirituali in Monachos auctoritate.*
II. *Quorum auctoritate privilegia seu immunitates Monasteriis olim indulta sint.*
IV. *De Initiis & progressu exemptionum.*
V. *Principia quædam Juris in hac materia Exemptionum notanda.*
VI. *Quid Synodus Tridentina circa Exemptione statuerit.*

PARS

JURIS ECCLESIASTICI UNIVERSI

AUCTORE

ZEGERO BERNARDO VAN ESPEN

PARS PRIMA.

AVANESEN

SEGERO BERNARDO

AUCTORE

UNIVERSI

IOANNIS ECCLESIASTICI

PARS PRIMA
DE PERSONIS.

TITULUS PRIMUS
DE CLERICIS.

CAPUT PRIMUM.

De Clericis primæ Tonsuræ.

1 *Olim Tonsura ab ordinibus non fuit separata.*
* *Tonsura separatim ab omni ordine collata.*
2 *Separationis occasio.*
3 *Hodie semper sejuncta.*
4 *A multis perversè appetitur.*
5 *Perversa intentio à Synodis quomodo reprobata.*
6 *Solicitudo Episcoporum circa Tonsurandos.*
7 *Commoda ex illa solicitudine speranda.*
* *A quo primitus collata.*
8 *Quomodo hodie probanda Tonsura suscepta.*
* *Controversia Doctorum, & resolutio.*

I. PRimis quinque ut minus Ecclesiæ seculis, nullos fuisse Clericos primæ duntaxat Tonsuræ, nullo minore, aut majore Ordine insignitos, solidè ostendit Morinus de Ordinat. *part.* 3. *exercitat.* 15. *cap.* 3. ibidem ostendens; Tonsuram seculis illis nunquam separatim ab omni Ordine datam fuisse, sed simul cum primo ordine, velut ritum illius collationi annexum.

* Sunt nonnulli viri eruditi, atque inter alios Joannes Mabillon in Præfatione ad partem 1. seculi III. Benedictinorum *numer. XIX.* & Christianus Lupus in scholiis *ad Canonem XIII. Concilii Oecumenici VII.* qui contendunt contra Morinum Tonsuram ante tempus à Morino præfixum, separatim, & ante alicujus ordinis susceptionem fuisse datam.

Quidquid sit de hac epocha *separatim* datæ Tonsuræ, in hoc tamen Morino consentiunt, morem illum *passim* Tonsuram ut quendam quasi ordinem præmittendi ante omnis ordinis susceptionem, etiam Minorum, recentioris esse disciplinæ.

II. Quâ autem occassione, tandem circa annum septingentesimum Tonsura ab omni Ordine separari cœperit, his verbis enarrat Morinus: „Parentes filios suos impuberes, imò ferè „ infantes Ecclesiasticis officiis consecrabant, & Episcopis insti- „ tuendos offerebant. Eos Episcopi in eâdem domo educandos, „ & instruendos curabant, ut essent Cleri reparandi velut Se- „ minarium. Eorum institutioni senex aliquis è clero præficie- „ batur, atque ut plurimum Archidiaconus. Cum autem prop- „ ter ætatis infirmitatem Ostiariorum, aut Lectorum officiis in „ Ecclesia fungi non possent, Ordines illos illis non confe- „ rebant, sed solam Tonsuram cum veste clericali. Tonsuram „ ideo ab Ordine separantes, ne pueri isti Ecclesiæ ministeriis „ parentum pietate devoti, ut prorsus seculares & profani, ho- „ minum oculis comparerent. Longo post tempore, quod in „ pueris fiebat propter ætatis infirmitatem, in ætate valentibus „ usurpatum est, Tonsuraque clericalis, ut Ordo quidam ab „ aliis separatus, quibuscunque separatim collata est.“

III. Quod labentibus seculis invaluisse scribit Morinus, id non in Belgio duntaxat, sed per totam Ecclesiam Latinam receptum est, ut nimirum Tonsura clericalis, tamquam Ordo quidam ab aliis separatus, quibuscunque separatim conferatur.

Neque insigniti Tonsurâ clericali ab ea *Clerici* duntaxat nuncupantur, sed etiam de *foro* Ecclesiæ constituuntur; & privilegia clericalia adipiscuntur: uti Episcopus ordinans ex Pontificali denuntiat: *Filii Charissimi*, ait ad Tonsuratos, *animadvertere debetis, quod hodie de* FORO ECCLESIÆ *facti estis, &* PRIVILEGIA *Clericalia* (a) *sortiti.*

IV. Hinc factum, ut plures, non animo Deo & Ecclesiæ serviendi, sed laicalis judicii declinandi causâ (b), & privilegiis clericalibus gaudendi Tonsuram clericalem expeterent; quos notavit Synodus Tridentina, eos ad Tonsuram non admitendos declarans *de quibus probabilis conjectura non sit, eos non secularis judicii fugiendi fraude hoc vitæ genus elegisse.*

Verùm, quia in Belgio hæc à jurisdictione laicali exemptio quoad clericos primæ Tonsuræ faventibus, vel annuentibus Summis Pontificibus, multum restricta est (ut infra, ubi *de immunitate & exemptione Clericorum* agetur, ostendemus) pauci sunt in Belgio, qui hac à Synodo Tridentina reprobatâ intentione, Tonsuram clericalem expetunt. At alia est non minùs perversa & perniciosa, quæ plurimos ad Tonsuram clericalem hodiè in Belgio impellit.

Cum enim in Belgio, uti & aliis Provinciis, plura sint Ecclesiastica Beneficia solam Tonsuram clericalem requirentia, ut quis proventibus, aut aliqua eorum parte gaudere possit, etiam in minori ætate constitutus; plurimi, vel proprio, vel parentum instinctu, ad Tonsuram clericalem hoc unico motivo impelluntur, ut Beneficii obtinendi fiant capaces, nihil de vocatione ad Statum Ecclesiasticum, aut propensione & animo, Deo & Ecclesiæ serviendi soliciti.

V. Carnalem hanc ac terrenam intentionem, non secus ac priorem exclusit Synodus Tridentina, declarando, primâ Tonsurâ solum initiandos, de quibus probabilis conjectura sit, *eos hoc vitæ genus elegisse, ut Deo fidelem cultum præstent*, Sess. 23. cap. 4. De reform.

VI. Hinc è Concilio Tridentino redux Franciscus Richardotus Episcopus Atrebatensis voluit, ut ad Tonsuram non admittantur, „ nisi qui fidem faciant, se eo animo hunc gradum op- „ tare, ut Deo & Ecclesiæ serviant.“ Syn. Atrebatensis 1570. *tit. de Sacram. Ordinis cap.* 7. Consonant & aliæ Synodi Belgicæ, vel generaliter, aut etiam specialiter jam citatum Synodi Tridentinæ decretum probantes. Quibus novissimè suffragatus est nominatissimus ille Mechliniensium Archi-Præsul Jacobus Boonen, in Decreto suo de *Sacris Ordinationibus* 19. Octob. 1654. publicato, in quo à Tonsurando inter cætera requirit, „ ut à Pa- „ rocho & Ludimagistro, cève, quem in quovis Studiorum ge- „ nere audit, aut si alicui Seminario, vel Collegio adscriptus est, „ ab illius Rectore loco Parochi, clausas & obsignatas litteras af- „ ferat; quibus testatum faciat, bonis probisque moribus sem- „ per se vixisse, itemque in Ecclesia frequentiùs, religiosiùs- „ que versatum esse, ac sacram Communionem sæpiùs in anno „ sumpsisse;“ *Nec non probabilem de se spem præbere, quòd in Cle-*

(a) *Vide* Legem 1. tit. 4. lib. 1. Recopil.

(b) *Jure nostro Regio hoc cautum est in* leg. 8. eod. tit. & lib.

Clericalis Ordinis disciplina sit permansurus, quod potissimum, ut Deo fidelem cultum præstaret, ad hoc vitæ genus fuerit inductus.

His præfuerat zelosissimus Medionalensis Antistes S. Carolus, qui à Tonsurandis inquiri voluit. " Quam ob causam se cleri„ cos fieri velint? An tales sint, qui spem præbeant, Ecclesiæ „ Ministros utiles se fore? A quo Sacerdote, sanctioris vitæ ma„ gistro instituti sint vitæ Clericalis modum? An vitæ Christia„ næ præcepta, institutavè sciant?" Conc. Mediol. 5. *part.* 3. *c.* 2.

Sanè si unquam in danda Tonsura vigilare & solicitos esse oportuit Episcopos Belgii, indubiè hoc tempore oportet. Ad oculum quippe patet, in Belgio locum habere quod anno 24. præsentis seculi deplorabant Patres Concilii Burdigalensis *Cap.* 6. §. 2. " In nulla re magis laborare homines hujus seculi, quàm „ ut filii, præcipue deformes & ad negotia secularia inepti in „ sortem Domini assumantur: ad beneficia certè, non ad offi„ cia Ecclesiastica quacunque ratione, cùm eos non vocet Do„ minus, promovendi. "

VII. Si eam circa Tonsurandos curam impenderent Episcopi, non dubium, quin plures inepti & mercenarii à beneficiis, & ministeriis excluderentur; qui semel Tonsurâ acceptâ, & per eam beneficiorum capaces rediti, à Patronis, aut Collatoribus Beneficia impetrantes, non sine summa difficultate, & non nisi obstante manifestè impedimento, excludi possunt.

Ad hæc; si Episcopus, qui non nisi Ecclesiæ utiles, & in doctrina & moribus ritè probatos Sacerdotes Diœcesi suæ providere intendit; ni & circa Tonsurandos debitam exactamque adhibeat diligentiam, non rarò suo frustrabitur voto. Quid enim faciliùs, frequentiùsque, quàm obtentâ jam Tonsurâ beneficium aliquod nullius, aut exigui proventûs impetrare in Diœcesi Episcopi, qui scitur omnes penè indiferentèr ad Sacros Ordines admittere; atque ita titulo beneficii à tali Episcopo ordinari, à quo ordinari non potuisset, nisi Tonsurâ receptâ beneficium obtinuisset.

Ex his quisque facilè intelliget, *permultum propterea referre* (verba sunt S. Caroli in Concil. Mediol. IV.) *omnem in illa conferenda, & suscipienda, diligentiam adhiberi.*

* Tonsuram primitùs etiam & à Presbyteris, quin & à Laïcis subinde datam esse, monet Mabillon in Præfatione ad *part.* 1. *seculi III. Benedictinorum, num. XIX.*

Neque id adeo mirum videbitur, si attendatur, quòd primitùs Tonsura in simplici quadam capillorum detonsione, & vestium mutatione constiterit.

Per hanc enim capillorum detonsionem & vestium clericalium assumptionem demonstrabat suscipiens, se animum ad statum Ecclesiasticum habere; eo ferè modo, quo in Academicis Collegiis, & Episcoporum Seminariis solent adolescentes vestem & tonsuram in simplici capillorum detonsione consistentem assumere, eâque assumptione animum ad statum Ecclesiasticum profiteri.

Quid igitur mirum, si Tonsura in hac capillorum & simplici vestium mutatione consistens etiam à Presbyteris, quin & à Laïcis citra consensum Episcopi dari potuerit?

At, postquam labentibus seculis, sensim hæc capillorum detonsio & vestium immutatio fieri cœpit, quibusdam precibus & ritibus adhibitis, atque adinstar cujusdam ordinis reputari, tandem & collatio Tonsuræ ad Episcopum devoluta est; eo etiam titulo, quod de vocatione matriculæ Ecclesiæ adscribendorum, præ cæteris cognoscere & inquirere, pertinere videtur ad Episcopum.

VIII. Illud circa Tonsuram, & Ordines in Belgio speciale ocurrit, quòd edictum perpetuum Alberti & Isabellæ *art.* 21. pro eorum probatione requirat litteras (c), nec testes admittat, nisi in casum deperditorum Registrorum; quam perditionem, qui allegat, probare debet, uti notat Antonius Anselmo ad citatum articulum §. 17.

* Sed cum inter Doctores controvertatur utrum Tonsura Clericalis probetur per litteras ordinum superiorum, utrum verò requirantur litteræ Tonsuræ, sive quæ expediuntur & dantur in specificam probationem datæ Tonsuræ.

In primis apparet, quòd articulus *Edicti perpetui*, de quo suprà, intelligi debeat de litteris *specialiter* collationem Tonsuræ referentibus; sive de illis, quæ expediuntur *speciatim* in probationem collatæ Tonsuræ, solentque vulgo vocari *litteræ Tonsuræ.*

Et ex hoc tamen satis constat, hunc articulum loqui de probatione *judiciali*; ut nimirum dum pars in judicio opponit defectum Clericatûs, eoque ex capite nullitatem collationis aut præsentationis arguit, judex nequeat admittere probationem per testes, sed requirere teneatur probationem per *litteras* juxta tenorem Edicti.

At extra judicium, aut in locis, in quibus non viget lex positiva, probationem per *litteras* requirens, sufficiens & plena probatio Tonsuræ haberi posse videtur per litteras & probationem superiorum Ordinum, uti pluribus adstruit Nicolaus Garcia de Benef. *Part.* 7. *cap.* 2.

Scitur enim hodie neminem ordinari, nisi ordinandus Ordinario præviè fidem fecerit de suscepta Tonsura, & aliis Ordinibus inferioribus.

Quin & ipsi ordinandi hodie admodùm soliciti sunt, ne omissâ Tonsurâ ad ordines promoveantur, ob periculum irregularitatis eo titulo incurrendæ: quia juxta modernam disciplinam, & receptam opinionem per *saltum* censerentur promoti & ordinati, qui omissâ Tonsurâ ad Ordinem altiorem promoverentur, quæ promotio irregularitatem hodie inducit, *toto titulo x. de Clerico per saltum promoto.*

Quapropter, si constet per litteras aut aliunde quemquam esse constitutum in sacris Ordinibus, non dubium, quin attento more, qui in ordinandis servari consuevit, sufficienter censeri debeat probatum, similem ordinatum etiam esse initiatum primâ Tonsura, tametsi *litteras Tonsuræ* non possit producere.

Igitur quia Capitula vel alii, quibus competit jus inducendi præsentatos, vel electos aut provissos in realem possessionem beneficiorum, non cognoscunt de qualitatibus aut titulis introducendi more judiciario, dubium non videtur quin etiam sufficiat probatio susceptæ Tonsuræ per litteras superiorum Ordinum; vel quod constet eum revera in superiori Ordine constitutum.

Contraria nimiùm scrupulosa quorundam Capitulorum & Prælatorum praxis videtur profluxisse ex ignorantia, aut non adhibita distinctione inter probationem judicialem & extrajudicialem.

Sicuti enim de cæteris qualitatibus ipsius instituendi non exigitur examen judiciale, neque requiritur probatio, quæ esset in judicio necessaria, sed sufficere creditur, si instituendus capacitatem quoad mores, & scientiam probet per testimonia extra judicialia, quæ moralem saltem certitudinem efficiunt; quidni sufficere debet, si instituendus per probationem extrajudicialem faciat fidem de susceptâ Tonsurâ.

Rectè quoque notat post alios Perezius de Latera in Tractatu *de Anivers. & Capell. Lib.* 2. *cap.* 5. quòd etsi nullus queat obtinere titulum beneficii, nisi primâ Tonsurâ initiatus fuerit, tamen, si quis sit in possessione, is non teneatur probare Tonsuram; sed quod præsumptio resultans ex quasi possessione beneficii, & clericatus sufficiat, & in beneficii possessione manu teneatur, saltem quoad usque ipse defectus Tonsuræ plene probetur.

CAPUT II.

De Clericis Minorum Ordinum.

1 *Ordines Minores Ordinibus Sacris olim non semper præmissi.*
2 *Aliquando plures, aliquando pauciores præmittebantur.*
3 *Nemini uno eodem tempore plures conferebantur.*
4 *Interstitia etiam inter hos Ordines servata.*
5 *Hodie omnes Sacris Ordinibus præmitti debent.*
6 *Votum Ecclesiæ ut functiones illorum Ordinum restituantur.*
7 *Ut per interstitia conferantur.*
8 *Disciplina circa hos Ordines multùm collapsa.*
9 *Quæ prolapsionis origo.*
10 *Zelus S. Caroli in hac disciplina restituenda.*

1. QUatuor ordines, quos hodie Minores dicimus, Ostiariatum, Lectoratum, Acolytatum, & Exorcistatum, primis Ecclesiæ seculis non fuisse semper præmissos Sacris Ordinibus; neque existimatum tunc fuisse, ut hodie creditur, illum per *saltum* aut minus canonicè Ordinatum, qui uno aut pluribus, vel subinde etiam omnibus Ordinibus Minoribus omissis, ad Diaconatum altioremque Ordinem fuisse promotus, tam ex Canonibus, quam exemplis Sanctorum ita Ordinatorum, fusè ac solidè ostendit Morinus *de SS. Ordinat. part.* 3. *exercitat.* 11. *cap.* 2. Notatque ibidem: Minores illos Ordines eum præcipuè in finem majoribus fuisse præmissos, ut in horum exercitiis, ad altiores Ecclesiæ functiones assumendi prius probarentur & exercerentur.

II. Hinc ulterius fiebat, ut nunc plures, nunc pauciores Sacris Ordinibus præmitterentur; prout nimirum Episcopi judicabant ipsum ordinandum plus minusve esse probandum & exercitandum.

Neque enim ullus, etiam Minoribus Ordinibus insigniebatur, nisi una alicui Ecclesiæ adscriberetur, ubi Ordinis suscepti functiones obiret.

III. Cùmque singulorum Ordinum variæ, diversæque essent functiones, nemini uno eodemque tempore plures Ordines dabantur; sed prout his, illisve ampliùs convenire judicabantur, eos Episcopus conferebat. " Alius, inquit S. Ambrosius „ *lib.* 1. *Off. cap.* 44. distinguendæ lectioni aptior, alius Psalmo „ gratior, alius exorcizandis qui malo laborant spiritu solicitior, „ alius

(c) *Probatio Tonsuræ in Hispania debet fieri, ut præcipitur in Instructionæ apposita in* leg. 8. tit. 4. lib. 1. Rec. §. 3. & 5.

„ alius sacrario oportunior habetur. Hæc omnia spectet Sacerdos, „ & quid cuique congruat, id officii deputet. Quo etenim „ unumquemque suum ducit ingenium, aut quod officium de- „ cet, id majore implet gratia."

IV. Denique nemo eo tempore, Ordine aliquo Minore insignitus ad ulteriorem, etiam Minorem Ordinem ascendebat; nisi præscriptis temporibus, quæ hodiè *interstitia* vocamus, in Ordinis illius exercicio laudabiliter versatus esset; & quoddam quasi tyrocinium percurrisset, quo se in majoribus functionibus obeundis idoneum probasset. Quæ omnia fusiùs prosequitur & probat Morinus in citato capite, & sequentibus.

V. Moderna verò Ecclesiæ disciplina nullum hodie ad Sacrum Ordinem admittit, nisi omnibus quatuor Minoribus insignitum; eumque, qui vel uno omisso Majorem suscepisset, tamquam per *saltum* promotum reputaret; & à suscepti Ordinis functionibus suspensum; saltem quoad usque omissum Ordinem suscepisset. De quo videri possunt Canonistæ ad *tit.* 28. *lib.* 5. *Decretalium de Clerico per saltum promoto.*

Quoad reliqua puncta, si Ecclesiæ mentem in canonibus expressam spectemus, reperiemus, modernam circa Ordines minores disciplinam Ecclesiæ cum pristina penè per omnia convenire.

VI. Optat siquidem Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 17. *de reformat.* " Ut Sanctorum Ordinum à Diaconatu ad Ostia- „ riatum functiones, ad Apostolorum temporibus in Ecclesia lau- „ dabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquandiù intermissæ, „ in usum juxta sacros canones revocentur:" Hortaturque in Domino Ecclesiarum Prælatos, illisque præcipit, ut quantum fieri potest provideant, ut functiones hujusmodi in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis frequentioribus, per constitutos in dictis ordinibus duntaxat exerceantur. Et sanè, ni hic esset Ecclesiæ sensus, quamobrem Ordinum illorum singulas functiones tam solicitè in Pontificali Ecclesia exprimeret, Ordinatisque inculcaret; atque ut in iis exercendis essent diligentes moneret, Deumque per Antistitem deprecari vellet?

VII. Adhæc etiamnùm hodie Ecclesiæ mentem esse, ut Ordines Minores per temporum intervalla conferantur; utque in illorum exercitiis Clerici probentur, priusquam ad ulteriores promoveantur, evidenter probat Synodus Tridentina desiderans, ut Minores Ordines per temporum interstitia, nisi Episcopo aliud expedire magis videretur, conferantur; *ut eò accuratiùs, quantum sit hujus disciplinæ pondus possint edoceri ac in* UNOQUOQUE MUNERE, *justa præscriptum Episcopi se* exerceant, idque in ea, *cui* adscripti erunt, Ecclesia; nisi fortè ex causa studiorum absint, *atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate, vitæ meritum & doctrina major acrescat.*

Quid evidentiùs, quam Synodum Trid. conformiter ad Patrum disciplinam, velle, non solum ut Minorum Ordinum functiones in usum revocentur; sed etiam ut singuli per temporum intervalla conferantur, ut ita in eorum exercitiis, tamquam in quodam Tyrocinio ad majores Ordines promovendi exerceantur, & probentur.

Hanc disciplinam probarunt & Synodi Belgicæ; vel generatim probando quæ circa Ordines statuit Synodus Tridentina, vel eandem disciplinam suis decretis specialiter proponentes & inculcantes.

" Nullus, ait Synodus Namurcensis sub Francisco Busseret „ anno 1604. *tit.* 17. *cap.* 2. se præsentet ad plures Ordines Mi- „ nores simul suscipiendos, nisi Ecclesiæ necessitas, aut utilitas „ hoc postulaverit: *Cùm extra hunc casum, Sacrum Concilium „ Tridentinum in Minoribus non minus, quam Majoribus Or- „ dinibus interstitia servari voluerit.* Idem inculcat repetitis supra citatis Concilii Tridentini verbis Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 9. *cap.* 4. Et novissimè sub Wachtendonck Synod. Namurcensis *tit.* 8. *cap.* 4. declarat " quod Minoribus „ Ordinibus insigniti, *juxta Concilii Trid. dispositionem*, non „ nisi post annum à susceptione postremi gradus Minorum Or- „ dinum, ad Majores Ordines promovebuntur; nisi necessitas, „ aut Ecclesiæ utilitas videatur aliud poscere.

VIII. Attendant Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati, quibus disciplinæ cura incumbit, quam hæc cum moderna Belgii praxi conveniant: Ubi Minorum Ordinum officia, & ministeria à quolibet occurrente occupantur, & vix aliquando ab initiatis administrantur.

Imò quis Clericus ob receptos hos Ordines de functionibus Ordinibus annexis obeundis vel unquam cogitat; aut ab Episcopo monetur? Quis Episcopus, aut Ecclesiæ Prælatus intendit num Ordinibus Minoribus initiati aliquas eis annexas functiones exerceant; Aut, an qui eas obeunt, Ordinibus illis sint initiati? Adeò quidem de his omnibus altum silentium, ut verendum sit, ne evenerit in Belgio, quod timebat Synodus Trident. quod nimirùm, per functionum illarum neglectum, daretur occasio hæreticis traducendi functiones illas *ut otiosas.*

Quoad interstitia inter ipsos Ordines Minores, nullum superest in Belgio vestigium; imò nec unus sine altero unquam confertur, aliquæ sunt etiam in Belgio Diœceses, in quibus separatim, & servatis interstitiis conferuntur.

Quin nec Ordines Minores, inter & Subdiaconatum plusquam unius diei spatium intercedere solet: Hoc est, feria VI. quis ad Minores, & Sabbatho sequente ad Subdiaconatum promovetur.

Ita omnis canonica per Synodum Trident. & Synodos Belgicas renovata inculcataque disciplina, jam tamdem non tantum collapsa, sed penitùs quodammodò extincta est.

IX. Et unde hæc prolapsio? non aliundè, quam ex faciliori primùm ab Episcopis facta dispensatione. Cum enim injunctum esset Episcopis Ordinum Minorum servare interstitia, addita hac moderatione: *Nisi necessitas, aut utilitas Ecclesiæ, judicio Episcopi, aliud exposcat*, contigit, ut cœperint primùm cum aliquibus dispensare, credentes, necessitatem, aut Eclesiæ utilitatem eam requirere; qua deindè à nonnullis Episcopis nonnihil facilitata, tandem porta aperta est huic, quam videmus prodigiosæ disciplinæ relaxationi. Adeo ut hic verificetur illud Veterum: *Dispensatio omnis bonæ disciplinæ noverca.*

X. Expendere poterunt Episcopi, nùm tantus canonum neglectus sit tolerandus, disciplinaque illis præscripta ita negligi possit, ut nulla illius vel retinendæ vel restaurandæ cura sit habenda. Aliud sanè oculatissimo Mediolanensium Antisti S. Carolo visum fuisse, sat probant, quæ pro restituendis Ordinum illorum functionibus, disciplinaque in eorum collatione restituenda in suis Conciliis decrevit. Interim illud indubitatum: Non minus hodie, quam olim, ad Sacros Ordines assumendos, debere Episcopis & quoad mores, & quoad doctrinam esse probatos. Quam probationem si hodiè non accipiant ex hoc, quod Sacris initiandi priùs per certa tempora se in Minorum Ordinum functionibus laudabiliter exercuerint, & dignos majoribus functionibus probarint, eam indubiè aliunde accipere debent.

CAPUT III.

De Subdiaconis, Diaconis et Presbyteris.

1 *Multis seculis Subdiaconatus Minoribus Ordinibus annumeratus fuit.*
2 *Etiam postquam continentiæ lex ei fuit annexa.*
3 *Hodiè Sacris Ordinibus adjunctus.*
* *Sed in ordinatione Subdiaconi non fit impositio manuum.*
4 *De servanda Castitate serio monendi ad Ordinem Subdiaconatûs assumendi.*
* *Continentia ex vita ante acta probanda est.*
5 *Officia Subdiaconorum verbis Pontificalis expressa.*
6 *Officia Subdiaconi ad solam Epistolæ decantationem hodiè reducuntur.*
7 *Subdiaconi horas canonicas recitare debent.*
8 *Quare Diaconus antonomasticè dicatur* Minister.
9 *Diaconorum varia officia.*
10 *Hodiè multùm restricta.*
11 *Ad Diaconos monitum Pontificalis.*
12 *Multum collapsa moderna disciplina circa Diaconorum officia.*
* *Ordinandi certis officiis addicendi.*
13 *Presbyterorum functiones proponuntur ex Pontificali.*
14 *Prima indicatur per verbum* Offerre.
15 *Secunda per verbum* Benedicere.
16 *Tertia per verbum* Præesse.
17 *Quarta per verbum* Prædicare.
18 *Quædam circa posteriores functiones notanda.*
19 *Presbyteri ordinantur in adjutorium Episcoporum.*
20 *Presbyteri in utilitatem proximi ordinantur, non in propriam.*

I. INdubitatum est, Subdiaconatum multis seculis etiam in Ecclesia Latina Minoribus Ordinibus annumeratum fuisse, & extra Missarum solemnia & extra altare collatum; solosque Ordines Diaconatus & Presbyteratus Majores & Sacros Ordines, qui inter Missarum solemnia, & ad ipsum altare, seu sanctuarium Sabbatho quatuor Temporum conferrentur, reputatos fuisse. Qui mos etiam hodiè apud Græcos retinetur; & apud Latinos usque ad seculum IX. generaliter, & in quibusdam Ecclesiis ad seculum XII. conservatus fuit: uti multis ostendit Morinus de SS. Ordinat. *part.* 3. *exercicit.* 12.

II. Sacris autem Ordinibus hunc Ordinem annumeratum credunt communiter Canonistæ, *ad Cap.* 9. ✠ *de ætate & qualit. Ordinandorum*, dum ei perpetuæ continentiæ lex adjuncta fuit. Sed error videtur. Constat enim, quod lex continentiæ Subdiaconis seculo quinto imponi cœperit; ex Epistola 12. Leonis I. ult. edit. & seculo VI. tandem generaliter omnibus ad Subdiaconatum promovendis à S. Gregorio posita: ita enim scribit *Lib.* 1. *Epist.* 42. " Ante triennium Subdiaconi omnium Eccle- „ siarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Rom. Ecclesiæ nulla- „ tenus suis uxoribus miscerentur: Quod mihi durum, atque „ incompetens videtur, ut qui usum ejusdem continentiæ non „ invenit, neque castitatem ante promissit, compellatur à sua „ uxore separari; atque per hoc, quod absit, deterius cadat. Unde

de videtur mihi, *ut à præsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum caste promiserit.*

Post hoc decretum, uti observat Morinus, vix deprehenditur, fieri mentio Subdiaconorum conjugatorum; adeo ut ab eo tempore, id est, seculo VI. Subdiaconis lex continentiæ indicta fuerit. At demum tribus post seculis cœpit in aliquibus Ecclesiis Sacris Ordinibus annumerari, & junctim cum his inter Missarum solemnia & ante Altare conferri; qui mos tandem, cùm plerasque Ecclesias occupasset, sensim in legem transivit; & seculo decimo tertio ab Innoc. III. *in Cap.* 9. ✠ *De ætate & qualit. Ordin.* probatus.

III. Moderna ergo, non solùm Belgica, sed universalis Ecclesiæ Latinæ disciplina etiam Subdiaconos perpetuæ castitatis legi obstringit, Subdiaconatum Ordinibus Majoribus & Sacris annumerat; ac junctim cum his confert. Hac tamen veteri ex disciplina manente differentiâ: quod Diaconi & Presbyteri ab Archidiacono Episcopo ante altare ordinandi præsententur, nequaquam verò Subdiaconi; uti nec super horum Ordinatione, sed tantùm Diaconorum & Presbyterorum populus consulitur.

* Inter hæc pristinæ disciplinæ vestigia illud admodum notandum, quod Subdiaconatus nec hodiè per impositionem manuum conferatur, uti Diaconatus & Presbyteratus, sed dumtaxat per instrumentorum & vestium traditionem, quemadmodum Ordines Minores conferuntur.

IV. De lege perpetuæ continentiæ ex præscripto Pontificalis, tanquam de re maximi momenti monentur ante ipsam Ordinationem, ut serio attendant, nùm legi illi implendæ per Dei gratiam se sufficientes credant; quod ex diuturna castitatis custodia statui vult S. Gregorius: „Ne unquam ii, qui ordinati sunt, pereant, ait, provideri debet, quales ordinentur: Ut priùs aspiciatur, si vita eorum *continens in plurimis fuit*, si studium orationis, si eleëmosynæ amorem habuerunt." *Lib.* 3. *Epist.* 26.

Meritò proinde decrevit Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 9. *cap.* 8. „Nemo ad Subdiaconatus Ordinem suscipiendum se offerat, qui non suam ipsius Dei beneficio *castitatem expertus*, firmiter statuat, mulieribus & mulierum desideriis, omnisque generis turpitudinibus perpetuò abstinere, tum animi, tum corporis castitati studere.

Et Synodus Leodiensis anno 1618. *tit.* 8. *cap.* 4. inter eos qui ordinari prohibentur reponit num. 14. *Qui in adolescentia mœchati sunt.* Et num. 11. ad altiores Ordines non promovendos reponit, *lapsos post Ordinem susceptum.*

* Prædicta etiam Patribus Concilii Tridentini inter articulos reformationis nomine Caroli IX. Regis Galliæ præsentatos, suggestu leguntur *art.* 1. his verbis: *Cum Sacerdotes in primis castos esse oporteat, ex Sacerdotum autem incontinentia in Dei Ecclesia magnæ nascantur offensiones, provideat sancta Synodus, ut non alii imposterum ordinentur Sacerdotes, quàm qui* SENIORES *sunt, & qui à populo* BONUM *habeant testimonium, ut ex* ANTE ACTA *vita quales postea sint futuri, non levis sit conjectura; & Sacerdotum libidines & flagitia acerrimis pœnis coerceantur.* Habentur hi articuli in libello, cui titulus: *Instructions & Lettres du Roy Tres Chretien... & autres Actes concernant le Concile de Trente.* Edit. 1654. pag. 369.

V. Officia Subdiaconorum exprimit, & enumerat Pontificale: *Subdiaconum*, ait, *oportet, aquam ad ministerium Altaris præparare, Diacono ministrare, pallas altaris, & corporalia abluere, calicem & patenam in usum sacrificii eidem offerre.*

Deniquè, postquam præscriptis verbis à Pontifice ordinante, amictum, manipulum, & tunicam acceperunt, datur eis liber Epistolarum, hac verborum formulâ: *Accipite librum epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis quàm defunctis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

VI. Verùm cum hæc omnia hodiè plerumque, etiam per Laicos, aut inferiores Clericos, vel in Missis privatis per ipsum Sacerdotem agantur, omne penè Subdiaconorum officium, ex moderna disciplina reducitur ad ministerium Altaris in Missis solemnibus, præcipuumque creditur, solemnis Epistolæ decantatio: quæ tamen inter officia Subdiaconi antiquitus in Ecclesia Latina non recensebatur; nec hodiè apud Græcos recensetur, uti probat Morinus de *SS. Ordinat. part.* 3. *exercit.* 12. *cap.* 1. Ibidem quoque ex vetustis Ritualibus, & auctoribus astruens, recens esse, Subdiacono in sua Ordinatione librum Epistolarum tradi: similiter contactum Sacrorum vasorum, non tantum Subdiaconis, sed & Acolytis olim licitum fuisse.

VII. Porrò cum hodiè paucos, aut nullos ferè in Ordine Subdiaconatus perseverare videamus, illumque ordinariè assumi tanquam gradum, quo ad Presbyteratum ascendatur; Officiaque Subdiaconatus, non ut olim per solos Subdiaconos, sed passim per Presbyteros etiam in officio solemni agantur, non judicavi operosiùs inquirere, & discutere, quæ hodiè sint specialia Subdiaconorum officia, aut olim fuerint. Hoc unum notasse sufficiat, quòd cùm olim universus Clerus divino officio recitando, aut peragendo adstringeretur, labentibus seculis obligatio illa ad solos Beneficiatos, ac Clericos Sacris Ordinibus initiatos transierit; inter quos cum Subdiaconi tunc computarentur, obligatio Horas Canonicas ut minus privatim recitandi apud ipsos quoque remansit. Unde ex hodierna disciplina Subdiaconi, vi solius Ordinis suscepti, ad quotidianum Horarum Canonicarum pensum tenentur. De quo latius infrà titulo de Divino Officio.

VIII. Quemadmodum Subdiaconus quasi subminister Diaconi, ita Diaconus græcè, latinè *Minister* dicitur; eò quod Episcopis & Presbyteris ministret. Et quidem adeò necessarius olim Sacerdoti credebatur, ut dicere audeat S. Isidorus: *Sine ipsis* (Diaconis) *Sacerdos nomen habet, officium non habet. Lib.* 2. *cap.* 8. *de Divin. Offic.* Et auctor Constitutionum Apostolorum, post relata plurima Diaconorum officia ait: *Cæterum sit Diaconus Episcopi auris, & oculus, & item os, cor, & anima, ne Episcopus solicitudine multarum rerum sed graviorum tantùm urgeatur. Lib.* 2. *cap.* 44.

Nec immeritò hæc dicta esse fatebitur, qui attenderit, quæ per Diaconos secundum temporum illorum disciplinam agebantur.

IX. Et quidem in peragendo divino officio ita Diaconus Sacerdoti Minister assistebat; ut penè omnia ipso monente, & intendente peragerentur. „Ipse clara voce in modum præconis admonebat cunctos, sive in orando, sive inflectendo genua, sive in psallendo, sive in lectionibus audiendis. Ipsi etiam Diaconi, *ait Isidorus loco citato*, ut aures habeamus ad Dominum, clamant: ipsi quoque Evangelizant. Sacerdos oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat." Id est, Sacerdos consecrat oblata, Diaconus verò populo distribuit. Constat enim Diaconos olim Sanguinem Domini à Sacerdote consecratum populo distribuisse. Hinc illud S. Laurentii ad Sixtum Papam: *Cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.*

Interdum in quibusdam Ecclesiis, etiam Corpus Dominicum seu Panem consecratum distribuisse constat: ut videre est apud Morinum de SS. Ordinat. *part.* 8. *exercit.* 9. *c.* 3. §. 6.

Pergit dein Isidorus: „Ipsis etiam Sacerdotibus propter præsumptionem non licet de mensa Domini velare calicem nisi eis traditus sit à Diacono, Levitæ inferunt oblationes in Altaria, Levitæ componunt mensam Domini, Levitæ operiunt Arcam Testamenti.

His addit Alcuinus. „Ponit linteum in Altare, ponit Panem & Calicem, quæ nec mittendi, nec auferendi potestatem habet Presbyter, si Diaconus adfuerit. Sicut Presbytero officium consecrandi competit, ita Diacono ministrandi.

„Varia insuper & multiplicia erant Diaconorum officia, *ait Morinus loco citato* §. 7. in SS. Ordinationibus, in Baptismis solemnibus Antiquorum, in Consecratione Chrismatis, atque ut ita dicam, in omnibus prorsus officiis Eclesiasticis.

Adhæc, præter hoc Sacrum Ministerium in Altari, & Officiis Ecclesiasticis, omnia propè ecclesiastica negotia Episcopi per Diaconos agebant, uti pluribus refert & probat Morinus dicto loco: ut proinde mirum non sit, si Diaconi antonomasticè *Ministri* Episcoporum dicti sint; ac tandem in eam ascenderint auctoritatem, ut etiam se Presbyteris præferre non erubuerint; de qua Diaconorum insolentia, vide notas nostras ad *Can.* 1. *Nicænum.*

X. Verum ex moderna Ecclesiæ disciplina, Diaconorum officia & functiones multum restricta esse notissimum est.

Pontificale Romanum eorum officia his ferè verbis complectitur: *Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare.* Præter hæc tribuitur ei potestas legendi Evangelium sub hac formula verborum: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quàm defunctis, in nomine Domini.*

XI. Hæc ex Ecclesiæ præscripto hodiè Diaconis proponuntur: monenturque, ut tanquam Comministri, & Cooperatores Corporis & Sanguinis Domini, sint ab omni illecebra carnis alieni. „Curate, *ait ad ipsos Pontifex Ordinans*, ut quibus Evangelium ore annuntiatis, vivis operibus exponatis; ut de vobis dicatur: Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.

XII. Si ergo ad mentem Ecclesiæ in Pontificali expressam & conservatam reflectamus; Diaconi non tantum ad Altaris ministerium, sed etiam ad functiones Hierarchicas ordinantur. At hodiè etiam quoad Diaconos, adeo prolapsa est moderna disciplina, ut nullum penè præter Ministerium Altaris Diaconis relictum sit officium: imò nec illud nisi in solemni Missa Diaconis relinquitur. Quin & hîc frequenter, præcipuè in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis Diaconorum ministerium supplent Presbyteri. Ita ut tandem eò deventum sit, ut Ordinatio Diaconorum fieri non soleat, ut habeantur, qui Dia-

co-

conorum functiones obeant, sed ut per Diaconatum tanquam gradum ad Presbyteratum ascendatur. Unde nec ullus ordinari in Diaconum solet eo fine, ut in officio Diaconatus perseveret, sed ut eo suscepto ad Presbyteratum tempore interstitiorum evoluto, promoveatur. An autem hæc menti & intentioni Ecclesiæ sint planè conformia, despiciant Episcopi. Illud certum est, ex intentione Ecclesiæ, nullum debere ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis: neque illum ordinari, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus. Sed de hoc latiùs infrà, ubi prius de Presbyterorum functionibus egerimus.

* Pristinæ Pat. disciplinæ, & quod hodiè non videtur *Diaconatus* susceptus, nisi ut necessarius ad Presbyteratum, collapsio meritò displicuit Episcopis Galliæ, ut intelligitur ex articulis reformationis nomine Caroli IX. PP. Trid. exhibitis, de quibus in nota præcedenti, quorum hic ordine quartus erat: *Diaconis, & aliis sacris ordinibus restituatur debita & antiqua functio, ne amplius nuda, & in cærimoniis tantùm nomina dicantur.*

XIII. Presbyterorum functiones Pontificale Ordinandis proponit his verbis: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare.* Deinde peracta ordinatione ad ordinatum dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.*

XIV. Primum ergo Presbyterorum officium est, *Offerre*, quo nomine oblationem Sacrificii Missæ intelligendam venire indubitatum est: eaque ex moderna Ecclesiæ disciplina primaria & omnibus indifferenter vi suæ ordinationis competens, Presbyterorum functio reputatur; de qua latiùs parte 2. agetur.

XV. Secunda functio exprimitur per verbum *Benedicere*: quæ ex hodierna disciplina exercetur per Presbyteros, dum præscriptis precibus, rebus quibusdam *benedictionem* publicam impertiuntur, v. g. Aquæ, Novis fructibus, &c. Sed tamen & in his servandus Ecclesiarum ritus, & usus, qui quasdam benedictiones vel Episcopis, vel solis Parochis, aut aliis ab Episcopis delegatis Presbyteris reservat.

XVI. Tertia, quæ verbo *Præesse* indicatur, significat Presbyterorum in conventu publico præsidentiam: quam hodiè agere videntur, dum nomine totius populi publicas preces fundunt; dum in supplicationibus aliisve similibus functionibus primum locum occupant, &c.

XVII. Quarta, indicata verbo *Prædicare*, indubiè instructionem populi exprimit. Uti & quinta per verbum *Baptizare*. Unde & Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 14. *de reform.* vult, ut in Presbyteros ordinandi, ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur.

XVIII. Veruntamen circa has postremas Presbyterorum functiones, uti & eam, quæ significatur per illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. notandum: quòd licèt functionum illarum exercitium Presbyteris in sua Ordinatione simpliciter, & sine restrictione indulgeatur, nihilominus per canones & consuetudinem Ecclesiarum eas multis modis esse restrictas: neque omnibus indifferenter earum exercitium ex hodierna disciplina competere: uti infrà ubi de Sacramentis, & prædicatione Verbi Divini tractabitur, ostendemus.

XIX. Interim illud sat constat, Presbyteros eum in finem ordinari, ut unà cum Episcopis, quisque pro suo talento, & ut Ecclesiæ necessitas, aut utilitas postulaverit, laborent, & Ecclesiam ædificent.

Hinc nomine Ecclesiæ Antistes ordinans ordinandos Presbyteros his verbis affatur: „ Filii dilectissimi, quos ad nostrum adjutorium Fratrum nostrorum arbitrium consecrandos „ elegit, servate in moribus vestris castæ & sanctæ vitæ integritatem. Agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis; „ quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra á vitiis & concupiscentiis omnibus procuretis. „ Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei: sit odor „ vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi; ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum, id est, familiam Dei; „ quatenus nec nos de vestra provectione, nec vos de tanti „ officii susceptione damnari à Domino, sed remunerari potiùs mereamur.

XX. Denique cum Sacramentum Ordinis, uti rectè monet Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 8. *cap.* 1. non pro singulorum salute, sed pro totius Ecclesiæ propagatione, & gubernatione institutum sit, nemo quoque ad Ordinem, præsertim Presbyteratus admittendus est, qui non ad utilitatem Ecclesiæ functionibus sui Ordinis occupetur; quod capite sequenti latius ostendetur.

Ea vero, quæ ad qualitatem, ætatem, examen & titulum ordinandorum spectant, ubi de Sacramento Ordinis agetur, exponentur.

CAPUT IV.

Clerici certæ Ecclesiæ adscribendi.

1 *Clericorum vita otiosa admodum scandalosa.*
2 *Ut illi occurratur, certæ Ecclesiæ adscribi debent.*
3 *Excipiuntur studentes in Universitate.*
4 *Quomodo Ecclesiæ designatæ inservire debeant Clerici.*

I. NIhil adeo vocationi clericali oppositum, nihil Ecclesiæ magis probrosum & Laicis scandalosum esse, quàm otiosam ac inertem Clericorum vitam, ratione, & experientiâ compertum est.

Hinc jam pridem solicita fuit Ecclesia, ne quis in Clerum assumeretur nisi certo loco adscriberetur, ubi functionibus Ordini suo convenientibus occuparetur, & vitam Clerico dignam institueret.

II. Disciplinam hanc canone VI. Concilii Calcedonensis probatam, sed temporum injuria penè collapsam, restauratam volens Synodus Trident. inhærendo vestigiis dicti Concilii, statuit: „ Ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, „ aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, „ non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus.“ *Sess.* 23. *cap.* 16. *de Reformat.*

Hoc saluberrimum decretum Synodi Belgicæ uno consensu receperunt, & innovarunt: additque Synodus Camerac. P. II. „ Ut in proximi Ordinis susceptione examinentur singuli, num in iis Ecclesiis, quibus adscripti fuerint, suas „ functiones obierint.“ *Tit.* 10. *cap.* 6.

III. Non immeritò tamen ab hac regula Synodus Namurcensis sub Wachtendonck *tit.* 8. *cap.* 9. excipit in Universitate aut Seminario degentes: hi enim præterquam quod in Oratoriis Collegiorum aut Seminariorum functiones Ordinum obire soleant, etiam studiis aliisque exercitiis se ad altiores Ordines & majores functiones obeundas ex voto Ecclesiæ præparant: modo juxta leges, & mentem Fundatorum in Universitate & Seminariis se exerceant, & occupent, uti infrà sub titulo de *Seminariis* ostendetur.

IV. Sive ergo pristinam sive hodiernam Ecclesiæ disciplinam spectemus, nullus ordinari debet, nisi uni Ecclesiæ pro sua conditione & talento serviat. Neque ex mente Ecclesiæ sufficit, si forsan aliquoties in Ecclesia, cui adscriptus est, tanquam Subdiaconus, aut Diaconus ministret; vel Presbyter Missam celebret, & de reliquo nullum Ecclesiæ servitum exhibeat; sed ita se exhibere debet, ut verè dici queat, quod Ecclesiæ illi serviat, ejusque servitio se impendat, & occupet, v. g. peragendo divino officio, vel Parocho in catechizandis parvulis, visitandis ægrotis, aliisve functionibus assistendo: ni ipsum major Ecclesiæ utilitas, aut necessitas aliis functionibus impendat.

Hoc indubiè motivo inducta Syn. Camerac. P. II. *tit.* 21. *cap.* 6. præcipit omnibus Sacerdotibus & Clericis, qui intra Parochiæ fines degunt, ut Parochum in instituenda juventute pro sua quisque virili adjuvent.

TITULUS II.

De vita, & Honestate Clericorum.

CAPUT I.

Singularis in Clericis morum honestas requiritur.

1 *Probatur ratione adducta per Tridentinum.*
2 *Probatur ex officio Clericorum.*
3 *Ex Scriptura Sacra.*
4 *Hæc rationes omnes Clericos spectant.*
5 *Vita Clericorum eruditio sit aliorum.*
6 *Nonnulla Clericis specialiter cavenda.*

I. „ NIhil est, inquit Synodus Trid. *Sess.* 22. *cap.* 1. *de Reformat.* quod alios magis ad pietatem, & Dei „ cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui „ se

„ se divino ministerio dedicarunt. Cûm enim à rebus seculi in „ altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in spe„ culum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod „ imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem „ Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, „ ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus „ nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præseferant: „ levia etiam dicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut „ eorum actiones cunctis afferant venerationem."

II. Præterea, cum Clerici Laicorum constituti sint Magistri & Doctores, ea morum vitæque integritate eos vivere oportet, ut quæ verbo alios docent, operibus non negent, „ Hinc Synodus voluit, per Episcopos sæpius monendos Cle„ ricos, in *quocumque Ordine* fuerint, ut conversatione, ser„ mone & scientiâ commisso sibi populo præeant," memores ejus, quod scriptum est: *Sancti estote, quia & ego sanctus sum*; & juxta Apostolum: *Nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus exhibeant se sicut ministros Dei*: ne illud Prophetæ dictum impleatur in eis: *Sacerdotes Dei contaminant sancta, & reprobant legem. Sess* 14. *in proœmio.*

III. Hæc omnia conformia sunt dicto Christi ad Apostolos, & in ipsis ad universum Clerum: *Vos estis lux mundi: sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*, Matt. 5. ℣. 14. Cui congruit illud Apostoli ad Titum c. 2. ℣. 7. & 8. *In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum... Verbum sanum & irreprehensibile; ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.*

IV. Si quis forsam hæc ad solos Episcopos Apostolorum successores dictum credat, is audiat S. Hyeronim. in Comment. ad citatum Apostoli textum relatum apud Gratianum. *Caus.* 8. *q.* 1. *can.* 21. „ Qualis ædificatio erit discipuli, si „ se intelligat Magistro esse majorem? Unde non solùm Epis„ copi, aut Præsbyteri & Diaconi debent magnopere provi„ dere, ut cunctum populum, cui præsident, conversatione, „ sermone & scientiâ præcedant, verum etiam & inferior „ gradus: Exorcista, Lectores, Æditui, Acolyti, & omnes „ omninò, qui domui Dei serviunt: quin vehementer Eccle„ siam Christi destruit, meliores Laicos esse quàm Clericos.

V. Ut ergo Clerici dignè sua vocatione vivant, ita studere debent vitam componere, ut eorum *vita*, verbis loquor Augustini, *eruditio sit aliorum, & assidua salutis prædicatio.*

VI. Interim nonnulla sunt à Clericis planè cavenda; aut in quibus singularem honestatem & moderationem Clericis necessariam esse canones inculcant. De quibus, quid disciplina, præsertim hodierna & Belgica habeat, paucis exponemus.

CAPUT II.

Honestas et modestia in habitu Clericorum.

1 *Vestis secularis cur Clericis indecens.*
2 *Per externum habitum morum honestas ostenditur.*
3 *Clericus vestes clericales abjiciens professioni suæ renuntiare videtur.*
4 *Quomodo puniendus ex decreto Concilii Trid. vestes clericales non deferens.*
5 *Quæ sit dicenda vestis clericalis.*
6 *Non deferentes vestes clericales beneficiis privari possunt.*
7 *Amittunt privilegium fori.*
8 *Quæ requirantur, ut Clericus dictas pœnas incurrat.*
9 *Qui judicare debeat, num vestis sit clericalis.*

I. CLerici cùm vi professionis sint à mundo separati, & in militiam Christi adscripti, ab eorum professione alienum est, si exteriori habitu mundanam militiam, aut vitam laicalem potiùs, quàm clericalem profiteri velint.

II. Quapropter, licèt Ecclesia noverit, *habitum non facere Monachum*, nec vitæ sanctitatem in veste exteriori positam esse; nihilominùs admodum semper solicita fuit, ut Clerici vestes proprio congruentes Ordini deferrent: *Ut per decentiam habitus extrinséci*, ait Synod. Trid. *Sess.* 14. *c.* 6. *de Ref. morum honestatem intrinsecam ostendant.*

III. Imò, qui abjectis vestibus Ordini suo congruentibus, laicales assumere malunt, nomine & professione ac privilegiis clericalibus indignos, functionibusque Ordinum & Beneficiorum, eorumque proventibus privandos censuit: utpote qui vestium clericalium abjectione, & laicalium assumptione professionem suam se vilipendere, imò erubescere, cique quodammodo renuntiare ostendunt.

IV. Et quidem Syn. Trid. loco citato, loquens de Clericis vestes laicales publicè deferentibus, decernit, „ Ut si „ postquam per edictum publicum moniti fuerint, honestum „ habitum clericalem, illorum Ordini & dignitati congruen„ tem, & juxta ipsius Episcopi ordinationem & mandatum „ non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio „ & beneficio, ac fructibus & redditibus, & proventibus ip„ sorum beneficiorum, nec non, si semel correpti denuò in „ hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & be„ neficiorum hujusmodi coërceri possint & debeant. Constitu„ tionem Clementis V. in Concilio Viennensi editam, quæ „ incipit *Quoniam*, innovando & ampliando.

Hoc Synodi Trid. decretum Synodi Belgicæ pari consensu receperunt, & sæpius innovarunt. Synodus Mechl. P. II. *tit.* 18. *cap.* 4. Camerac. P. I. *tit.* 9. *cap.* 4. & Part. 2. *tit.* 16. *cap.* 5. & 6. & aliæ communiter.

V. Porrò quis sit dicendus amictus, sive vestis Ordini clericali conveniens, difficile est generaliter determinare, cum pro temporum & locorum varietate eum varium esse, & mutari posse indubitatum sit.

Assumenda ergo est vestis, quæ pro loci & temporis conditione honestati & modestiæ clericali sit conveniens: ita ut exteriùs modestiam, vitamque Clericalem omnibus ostentet, nihilque mundani fastus, aut vanitatis sæcularis præferat.

VI. Quare rectè dixit Syn. Mechl. P. II. *loco citato.* „ Et „ quoniam mundana curiositas quotidianas adinvenit levitates, „ omnis ille habitus quibuslibet Ecclesiasticis personis interdic„ tus sit, à quo Episcopus abstinendum mandavit." Additque: „ Et qui ab Episcopo moniti, etiam per edictum pu„ blicum, honestum habitum clericalem non gestaverint, per „ suspensionem ab Ordinibus, officio & beneficio, ac fructi„ bus, & redditibus, & proventibus ipsorum beneficiorum, „ necnon, si semel correpti iterum in hoc deliquerint, etiam „ per privationem officiorum & beneficiorum coërceantur."

VII. Similiter concordato Episcopum Leodiensem inter & Carolum V. *Cap.* 6. Clerici primæ Tonsuræ privilegio fori privantur, si vestes Ordini clericali minus convenientes, quæ ibidem describuntur, gestent. Quod & Syn. Trid. comprobavit, declarans, Clericos primæ Tonsuræ, etiam in minoribus Ordinibus constitutos non gaudere *privilegio fori*, licèt alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi sint adscripti, nisi clericalem habitum & Tonsuram deferant.

VIII. Attamen, ut Clericus privilegio fori dicatur privatus, aliisque canonicis pœnis mulctetur, non sufficit, quod ex levitate fastum, aut pompam secularem nonnihil affectet, aut unâ alterâve vice vestes clericales, etiam sine justa causa dimiserit; sed requiritur, ut ita continuet, ac passim vestibus laicalibus utatur, ut dici queat, *abjecisse vestes clericales*, easque, ut loquitur Trident. *parvipendere* videatur, uti observ. Ant. Faber ad Codicem, *tit. de Episc. & Cler. definit.* 36. *Notâ* 2. & latius Stephanus Weymsius ad Constitutiones 24. in Tridentino innovatas, *Constit.* 8. *n.* 14. Quin tamen unicum etiam actum abjectionis vestium clericalium, aut fastum mundanum in veste clericali Episcopus pro ratione scandali & excessus punire queat, non dubium: & rectè monet Zypæus *Consult.* 1. *tit. de Vita & honest. Cleric. num.* 7.

IX. Si autem dubitetur, nùm hic habitus sit clericalis an laicalis, moribus Belgii ferè receptum est, de hac quæstione tanquam *meri facti*, Regios Magistratus judicare. Ita testatur judicatum esse & servari in Burgundia Grivellius, *Decis.* 30. „ Eamque sententiam etiam hîc, ac passim in supremiis Cur„ riis Franciæ servatam, secutamque memini, inquit Christi„ næus *Volum.* 1. *Decis.* 56." Similiter refert judicatum in Curia Gratianopolitana Guido Papæ *Decis.* 138. qui ibidem *num.* 1. notat, habitum Clericalem dici quoad privilegium fori, „ quando ipsum habitum deferens ex inspectione Clericus præ„ sumitur.

CAPUT III.

Incontinentia et familiarior cum mulieribus conversatio Clericis cavenda.

1 *Clericos summopere dedecet vitium incontinentiæ.*
2 *Ut hoc caveatur, familiarior cum mulieribus conversatio Clericis vitanda.*
3 *Refertur Decretum Synodi P. Cameracensis.*
4 *Decreta Synodorum PP. Mechliniensium.*
5 *Plures Synodi Diœcesanæ.*
6 *Ad solam monitionem Episcopi Pastores ancillas suas dimittere debent.*
7 *Etiam cavenda familiaritas cum mulieribus devotione conspicuis.*
8 *Tutius est Clericos famulum habere quàm ancillam.*
9 *Varia ex citatis decretis corollaria.*
10 *Clericis cavendum, ne quid in verbis vel factis aut supellectile obscœni occurrat.*
11 *Specialiter interdicitur Clericis habere statuas vel imagines minùs honestas.*

I. „ QUàm turpe, ac Clericorum nomine, qui se divino „ cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiæ „ sordibus immundoque concubinatu versari, satis res ip„ sa

„ sa (inquit Syn. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 14. *de Ref.*) com-
„ muni fidelium omnium offensione, summoque clericalis mi-
„ litiæ dedecore, testatur.

Ut igitur non tantùm à vitii hujus reatu, sed omni ejus specie ac suspicione alieni essent Clerici, valde solicita semper fuit Ecclesia.

II. Hinc omnem non necessariam & familiariorem cum mulieribus conversationem, tanquam incontinentiæ suspicionem & periculum ingerentem Clericis interdixit. Utque veteres de hac re Conciliorum canones & Patrum sententias omittamus, sola temporibus & Provinciis nostris magis accommodata Synodorum Decreta referre lubet.

III. Synodus Cameracensis P. I. *tit.* 9. *cap.* 3. ita loquitur: „ Consortium mulierum Sacerdoti non convenit, quem
„ castitas & continentia ornare perpetuò debent. Et ut castitas
„ servari queat in muliebri consortio, rarò tamen bonum no-
„ men retineri potest. Quare præcipit S. Synodus, ne, qui sa-
„ cros Ordines susceperit, in familia secum habeat mulierem ex-
„ traneam, de qua suspicio facilè sinistra concipi possit; quam
„ suspicionem vitare nequeunt, qui juvenes, comptas, proca-
„ ces, otiosas, impudentes, mali nominis ac famæ, aut quas
„ anteactæ vitæ macula contaminet, vel secum alunt, vel fre-
„ quenter adeunt, aut admittunt. Si quis hac parte peccaverit,
„ monitus castigatusque nisi animum & vitam mutaverit, gra-
„ viter Ordinarii arbitrio puniatur.

IV. Idem compendio expressit Mechl. P. I. præcipiens, „ Ut Clerici à suspecta cum mulieribus conversatione, & co-
„ habitione omninò abstineant.“ Ulteriùs progressa Synodus Mechl. P. II. *tit.* 18. *cap.* 8. ait.: „ Quoad Clericos concu-
„ binarios (si qui sint, quod Deus avertat) vel suspectam
„ cum mulieribus consuetudinem habentes juxta decreta Ca-
„ nonum & Concilii Tridentini rigorosè puniantur, & hujus-
„ modi mulieres, si monitæ ab Ordinario se ab eorum con-
„ suetudine non sejunxerint, extra oppidum vel diœcesim, in-
„ vocato etiam, si opus fuerit, brachio seculari, ejiciantur.

V. Provincialibus consonant Diœcesanæ, inhibentes Clericis, „ Ne cum suis ancillis, quantumcumque honestis, ni-
„ miam contrahant familiaritatem, aut cum eis ad convivia,
„ quamtumvis honesta, etiam vocati accedant; multoque mi-
„ nùs ad tabernas, aut ad choreas.“ Vide Iprensem ann. 1577. *tit.* 3. *cap.* 3. Mechl. anno 1609. *tit.* 17. *cap.* 6. Gaudens ann. 1613. *tit.* 17. *cap.* 5.

VI. Quæ duæ postremæ addunt: „ Si quis ancillam ha-
„ beat, vel cum alia muliere sic conversetur, ut obloquium in-
„ de, vel scandalum oriatur, ad monitionem Episcopi vel etiam
„ Capituli, sub quo degit, hanc ancillam abdicare, seu ab hu-
„ jus mulieris familiaritate se substrahere mox teneatur.

Antuerpiensis ann. 1610. *tit.* 17. *cap.* 6. ait: „ Teneatur
„ unusquisque suam ancillam sine strepitu dimittere, quamcun-
„ que nos in Vicariatu nostro, aut Decanus & Capitulum quoad
„ sibi subditos, dimittendam judicaverimus.“ Idem habet Synodus Leodiensis ann. 1618. *tit.* 6. *cap.* 1.

VII. Quin & Synodus Audomarensis perpendens, etiam interdum periculosam esse conversationem cum mulieribus, pietatem licèt præferentibus, præcipit: „ Ut cum mulieribus etiam
„ *sanctitate spectatis*, extra honestatis necessitatem non con-
„ versentur: *de vestimentis eorum* (quod monet sapiens) *pro-*
„ *cedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Et melior est, minùs-
„ que periculosa in virorum conversatione, iniquitas viri, quàm
„ mulier benefaciens.

VIII. Deindè postquam monuit conformiter ad præcitatas Synodos, ne nimis familiariter utantur ancillis suis, quantumcunque honestis: nec cum eis ad convivia, quantumvis honesta, etiam vocati accedant, aut etiam ad forum, adjungit: „ Sciant verò multo fore & tutius & honestius, si ancillarum
„ loco, viri viris inserviant, atque iis præsertim qui soli agunt.“ *Tit.* 16. *cap.* 2.

IX. Hæc Synodorum Decreta ostendunt, quod hodierna Belgica disciplina absolutè non inhibeat cohabitationem Clericorum cum muliere extranea, nullatenus tamen permittat aliquam cum mulieribus conversationem, quæ vel minimam suspicionem dare posset, solicitèque caveant, ne cum ancillis suis familiaritatem nimiam contrahant, aut quidquam in illis patiantur, quod vel speciem aliquam mali ingerere posset.

Unde juxta Synodorum mentem attendere debent Eclesiastici, ne eorum ancillæ suo agendi, aut loquendi liberiori modo videantur sibi potiùs Magistrarum, quam ancillarum auctoritatem arrogare; hinc enim sinistra facilè oritur suspicio, & nimius erga ancillas arguitur affectus.

Insuper evincunt citata Synodalia Decreta, Ecclesiasticos omnes illas dimittere, idque sine strepitu Judicii, debere ancillas, quas Episcopus aliusve eorum Superior ob causam dimittendas judicaverit: & ab earum conversatione abstinere, quam Superior suspectam, aut populo in offendiculum cedere duxerit. Laudanda sanè & penè necessaria disciplina. Quis enim nescit, quàm frequenter circa similia in propria causa cœcutiant Ecclesiastici; aut non advertant, quantopere offendatur populus ex modo agendi alicujus ancillæ; aut quadam cum muliere nimia aut familiariore conversatione.

Imò Ecclesiastici, qui ad monitionem Superioris ancillas suas dimittere, aut conversationi renuntiare renuunt, ordinariè vel hoc ipso renisu non obscurè ostendunt, nimium erga has ancillas aut mulieres humanum, ne dicam, carnalem affectum.

Denique, tametsi Belgica disciplina non planè omnem ancillam, etiam extraneam, modò honestam, Clericis interdicat; sat tamen in allegatis Synodorum Decretis innuitur, Synodorum illarum votum fuisse, ut quantum temporum ac locorum circumstantiæ patiuntur, loco mulierum viri in famulatum assumantur; præsertim à Pastoribus aliisque personis Ecclesiasticis, qui soli familiam instituunt.

Et quis hæc non optet, imò penè necessarium autumet, qui pericula, quæ continua illa unius cum una conversatio secum trahit, expenderit?

X. Denique, ut omnem incontinentiæ vel speciem vitent Clerici, non tantùm à mulierum familiariore, aut suspecta conversatione iis cavendum est, sed insuper ne quid vel in verbis, vel in factis, aut tota sua familia quidquam obsceni, aut minùs casti occurrat.

XI. Quapropter, licèt omnibus lex naturalis & divina inhibeat obscœnas minùsque honestas imagines, vel statuas expositas habere, specialiter tamen Clericis id cavendum esse inculcant Belgica Concilia. „ Nemo, ait Synodus Mechl. P. II. *tit.* 14. *cap.* 3. Ecclesiastici Ordinis lascivas, & ob nu-
„ ditatem vel alias obscenas, & quæ pias mentes offendant,
„ imagines, in suis ædibus ac hortis ponat vel retineat, sub
„ pena arbitraria. Concionatores quoque contra hujusmodi ima-
„ ginum quocumque etiam profano loco positarum detestan-
„ dum usum frequenter conciones suas instituant.

CAPUT IV.

Ebrietas, comessatio, popinarum frequentatio Clericis specialiter interdictæ.

1 *Ebrietas continentiæ clericali specialiter contraria.*
2 *Per SS. canones singulariter Clericis interdicta.*
3 *Compotationes pomeridianæ similiter vetitæ.*
4 *Popinarum ingressus Clericis interdictus.*
5 *Pœnæ ingredientibus decretæ.*
6 *Cura S. Caroli, ne Clerici peregrini ad popinas divertere deberent.*
7 *Principum nostrorum ordinationes circa usum tabernarum.*
8 *Saluberrimum S. Ludovici decretum.*
9 *Lucrum ex cellis Capitulorum non quærendum.*

I. CLericos vi suæ professionis specialiter continentiæ studere, omnemque incontinentiæ suspicionem & periculum studiosè declinare debere, præcedenti §. ostensum fuit.

Ex quo haud difficulter infertur, ebrietatem quoque & comessationes, omnemque in cibo & potu excessum eisdem cavendum esse.

Quis enim ignorat illud Apostoli ad Ephes. 5. ℣. 18. *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Et illud Sapientis Proverb. 20. ℣. *Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas.* Hinc illud Hieronimi lib. 2. contra Jovinian. *Esus carnium, & potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est.*

II. Meritò proinde jampridem Synodus Agathensis, *Canon* 4. apud Gratianum, *Dist.* 35. *Can.* 9. dixit: „ Ante om-
„ nia à Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes
„ ac nutrix est: itaque eum quem ebrium fuisse constiterit
„ (ut ordo patitur) aut 30. dierum spatio communione statui-
„ mus submovendum, aut corporali subdendum supplicio.

Et sub titulo Decretalium, de vita & honestate Clericorum ex Conc. Later. sub Innocentio III. tanquam honestati Clericorum summe necessarium, refertur. *A crapula & ebrietate omnes Clerici abstineant diligenter. Unde vinum sibi temperent, & se vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur, cùm ebrietas & mentis inducat exilium & libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitùs decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo obligant potatores: & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his culpabilem se exhibuerit, nisi à Superiore commonitus satisfecerit, ab officio, vel beneficio suspendatur.*

Et quid pluribus hæc probare contendimus? Quandoquidem, ut rectè monent Patres Synodi Cameracensis P. I. *tit.* 8. *cap.* 1. „ Quantum probri & incommodi ebrietas afferat, cùm
„ omnibus Ordinibus Reipublicæ, tum Clero maximè, res
„ ipsa docet. Atque eam ob rem ebriosum hominem navigio
„ jactato sine ullo gubernaculo Salomon comparat. Nec enim
„ ullum potest virtutis aut mentis constans officium præstare,
„ qui temulentiam & ebrietatem sectatur. Propterea lege ve-
„ te-

„ teri Sacerdoti mandabatur, vino ut abstineret, quo tempo-
„ re munus Sacerdotii esset obiturus. Quare præcipit S. Syno-
„ dus, ut quicumque in Clero, id est, in sorte Domini tue-
„ rit annumeratus, ab hac ebrietatis & crapulæ macula se pror-
„ sus abstineat. Tollatur autem omninò turpis ea consuetudo,
„ quâ mutuò se quandoque ad haustus æquales provocant, cer-
„ tantque hac infamia reliquos vincere. Isaias enim iis execra-
„ tionem denuntiat, qui potentes sunt ad bibendum vinum.
„ Quicumque verò ex Clero hanc normam contemserit, nisi
„ à Superiore monitus paruerit, castigetur: castigatus si non
„ resipuerit, suspendatur ad tempus sive ab officio, sive à
„ beneficio.

III. Consonant & reliquæ Synodi Belgicæ, vitium hoc in Clero tanquam ejus vocationi & functionibus summoperè contrarium detestantes: ebrietati insuper adjungentes & *comessationes* Clericis non minùs indecoras; quarum nomine, quin veniant pomeridianæ illæ in Belgio nimiùm frequentatæ compotationes, dubium non est. Unde Synodus Buscoducensis sub Masio, *tit.* 14. *cap.* 4. de Vita & honestate Clericorum tractans, ait: „ *Compotationes* quoque *pomeridianas* vel *domi suæ*,
„ vel apud alios, & consortium quorumvis intemperantium &
„ malè moratorum studiosè declinent.

Hîc advertere licet, quàm meritò soliciti fuerint nonnulli hujus Academiæ Collegiorum Moderatores, ut mos ille abrogaretur, quo certus per hebdomadam dies hujusmodi compotationibus pomeridianis videbatur quodammodo designatus: in illis præcipuè Collegiis, quæ juventuti ad vitam & honestatem clericalem formandæ sunt instituta.

Ad hæc cùm in popinis, seu ut hodie loquimur, tabernis, ebrietatis, comessationumque vitia præcipuè soleant regnare, easque frequentantes de illis esse suspectos, jam pridem harum frequentatio, tanquam vitæ & honestati Clericorum adversa, Clericis per canones inhibita fuit.

Utque canonem 24. Laodicœnum, item 27. Concilii Carthag. III. aliosque pristinos canones, quos videre est apud Gratianum, *Dist.* 44. præteream, in Decretalibus sub titulo: De Vita & honestate Clericorum, *cap.* 15. ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. legitur: *Clerici tabernas prorsus evitent, nisi necessitatis causâ in itinere constituti.*

Consonant & Belgica nostra Concilia. „ Clerici, ait Con-
„ cil. Cameracense, P. I. *tit.* 8. *cap.* 6. ne tabernas pota-
„ torias adeant, neque diversoria frequentent, nisi sint viato-
„ res, nec omninò misceant se laicis compotationibus; viles-
„ cit enim plurimum ex ea turpi & indecora consuetudine
„ Ecclesiastici ministerii dignitas.

IV. Mechliniense, P. II. *tit.* 17. *cap.* 6. „ Sub pœna ar-
„ bitraria interdicit omnibus Clericis, ut neque edendi, vel
„ bibendi causâ tabernas ingrediantur, nisi peregrinationis, vel
„ alia necessitate compulsi.

Similia & aliæ Synodi pariformiter inculcant: renovatque Antuerpiensis sub Miræo, *tit.* 17. *cap.* 4. Statutum domini Somnii, „ Ut quicumque Ecclesiasticus (nisi peregrinationis aut
„ alia necessitatis causâ compulsus) tabernam bibendi causâ vi-
„ sitaverit, incurrat pœnam trium florenorum primâ vice, secundâ dupli, tertiâ quadrupli; quam pœnam inexcusabiliter
„ incurrere decernimus, ait, omnes & singulos qui id fe-
„ cerint.

Ulterius progressa Synodus Namurcensis sub Buisseret, anno 1604. *tit.* 8. *cap.* 5. tabernas malorum omnium fontes, non solùm Clericis prohibet, sed etiam seriò injungit Promotoribus, ut si quos resciverint frequentantes, exceptâ solâ itineris necessarii causâ, eos coram Officialibus mox evocari curent. Hisque injungitur, „ ut eos primùm pœnis pecuniariis,
„ deindè etiam, si abstinere noluerint, carceribus ad meliora
„ compellant.

Synod. Grandes. anno 1613. *tit.* 17. *cap.* 3. & decreta Synodalia ejusdem Diœcesis sub Triest. *tit.* 18. *cap.* 4. declarant,
„ Nec Clericis licitum esset tabernas ingredi sub prætextu con-
„ tractuum ibidem celebrandorum, ad quas tamquam Notarii,
„ vel aliàs publicæ personæ vocantur, quibus contractibus, ait,
„ interese in tabernis similiter prohibemus.

Ex his statue, disciplinam Belgicam ingressum in tabernas edendi bibendive causâ Clericis universim interdicere, nisi itineris necessitate compellantur: „ Et quidem eo casu non nisi
„ *modicæ refectionis* gratiâ, illas ingrediantur, ait Synodus Iprensis sub Rithovio, *tit.* 3. *cap.* 1. ut peregrinantes decet.

V. Et quia non parùm sæpè incommodi & periculi imminet Clericis extraneis, dum ad ignota nonnunquam diversoria accedere, ibidemque cum secularibus utriusque sexus, & cujuscunque conditionis & status conservari coguntur, meritò Episcopi adlaborarent in id; ad quod S. Carolus in Concilio Mediol. I. *part.* 2. *tit.* 25. suæ Provinciæ Episcopos hortabatur: „ Ut in
„ singulis suis civitatibus curent parandum unum, aut alterum
„ publicum & honestum diversorium, quo suarum Diœcesium
„ Clericis rusticanis necessitatis causâ convenire liceat: nec in
„ eo hospitio improbis, aut nequam hominibus locus sit, neve
„ fœminis ullo modo; sed tantùm Clerici & Religiosi viri, si
„ fieri possit, in eo recipiantur.

Interim dum similes in civitatibus domus non habentur, Clerici ad communia diversoria divertere coguntur, meritò, quantum possunt, à communi secularium, ac præsertim mulierum convictu & consortio se separant; ut ita multarum difficultatum & peccatorum occasionem, quæ in simili occasione concurrunt, faciliùs evitent.

VI. Quin & Principes nostri attendentes multiplicia mala, quæ ex potitationibus & comessationibus in tabernis nascuntur, multa pro earum moderatione & usu edixerunt; quæ si exactè servarentur, multis incommodis ex earum usu & frequentatione nascentibus obviaretur.

In primis sanxerunt, ne quis tabernam exerceat locis infrequentibus; sed tantum in loco publico cujusque pagi aut vici, vel secus viam publicam; & ad eum numerum duntaxat admittantur, qui conveniat numero incolarum, aut itinerantium, utque & in civitatibus earum multitudo minuatur: neque aliæ intra milliare à quacumque civitate mutata permittantur, nisi necessariæ sint, vel incolis, vel itinerantibus, ut suprà. Edict. Philippi II. 22. Junii 1589. & Alberti, & Isabellæ 1. Julii 1616. Hinc clarum est, Principum intentioni contrarias esse tabernas, quæ passim in civitatum suburbiis visuntur; & penè nonnisi potitationibus & comessationibus civium inserviunt.

Ulteriùs Edicto 18. Nov. 1585. sancitum est, ut nullus in Bravantia extra civitatem tabernas exercere queat, nisi cum consensu Officialis, & Magistratus vicinioris civitatis, circa quam eas exercere intendit. Neque ipse Officialis aut Magistratus ullus ad hoc exercitium admittat sub pœna privationis officii, nisi quos prævia informatione, probos, honestos, catholicos, & integræ famæ, & boni nominis esse cognoverint.

Denique ordinatum est, ut diversoria sive tabernæ sæpiùs à locorum Officialibus visitentur, præsertim vespertino tempore. Edicto 1. Junii 1609.

Hæc aliaque Principum edicta, quæ plura citantur ab Antonio Anselmo in Codice Belgico, verb. *Herbergen*, si attentiùs expendantur, non obscurum erit, Principum nostrorum votum esse, ut tabernæ nonnisi necessariis civium & incolarum usibus, & vel maximè itinerantium commoditati & usui subserviant.

VII. Et quidem hanc Principum nostrorum piam intentionem jam pridem expresserat Sanctissimus Galliarum Rex Ludovicus IX. inter cujus statuta relecta & probata in generali Concilio Prælatorum, Baronum & Militum terræ Regis Galliæ apud Biterum an. 1255. hoc habetur, *cap.* 25. „ Nullus prætereà re-
„ cipiatur ad moram in tabernis faciendam, nisi sit transiens vel
„ viator, vel in ipsa villa non habeat aliquam mansionem.

VIII. Porrò ne & ipsi Ecclesiastici videantur ipsos seculares interdum ad suas cellas sive caveas vinarias, ceu quasdam tabernas lucri causâ invitare, non immeritò sanxit Synod. D. Mechl. ann. 1609. ut „ ex cellis ad Capitulorum aut Cleri ad-
„ ministrationem spectantibus lucra non quærantur. Et si quando
„ ex vinorum venditione omni expensâ deductâ, emolumenti
„ aliquod excrescere contigerit, in pios tantùm usus id conver-
„ tatur." *Tit.* 17. *cap.* 7.

CAPUT V.

Ludus alearum seu a fortuna dependens Clericis vetitus, et quæ in ludis licitis cavenda.

1 *Ludus alearum Legibus Civilibus jam pridem interdictus.*
2 *Singulariter Clericis vetitus.*
3 *Sub lusu alearum etiam comprehenditur lusus chartarum & generatim omnis à fortuna dependens.*
4 *Consuetudo canones in totum abrogare non potest.*
5 *Non contrariatur S. Thomas.*
6 *Circa restitutionem lucri ex ludo vetito quid in Belgio obtineat.*
7 *Hodie victori actio non conceditur ad lucrum petendum.*
8 *Quæ à Clericis in ludis licitis observanda.*
9 *Qua ratione Clerici in ludis moderationem facilè servare possint.*

I. Alearum lusus, tanquam discordiæ & rixarum seminarium jam pridem legibus improbatus fuit; adeò quidem, ut pecuniæ, quam victus collusori solverit, repetitionem dederint, etiam post 30. annorum lapsum, *L.* 1. *Cod. de Aleatoribus.* Ipso autem vel hæredibus ejus repetere negligentibus, poterit à quocunque repeti; potissimùm à Magistratu vel Episcopo loci, ut in civitatis opera expendatur, dicta *lege* 1.

Hic juris Romani rigor, licet consuetudinis vi, *etsi injusta*, ut loquitur Tuldenus ad *tit. Cod. de Aleatoribus*, abrogatus, ostendit nihilominus, quàm solicitè Reipubl. moderatores etiam laicos ab hoc lusu avocare studuerint. Ut proindè mirum non sit, si inter illa, quæ à Clericis speciatim cavenda sunt, lusum alearum Ecclesia reposuerit.

II. Utque nihil dicamus de Justiniani Imperatoris constitutio-

tionibus in Auth. *Decernimus*, *Cod. de Episcopis, & Clericis*, desumpta ex Novella 123. *cap.* 10. Item Synodi Quini-Sextæ aliisque antiquis decretis, quibus omnis alearum lusus Clericis interdicitur, Concilium Lateranense in *cap.* 15. ℣ *de Vita & honestate Cleric.* ait: *Clerici ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.*

Quod decretum conformiter ad Synodum Tridentinam pari consensu Belgii nostri Antistites in suis respectivè Synodis renovarunt, & inculcarunt. Vide Synodum Mechl. P. II. *tit.* 18. *cap.* 9. Antuerpiensis sub Miræo, *tit.* 17. *cap.* 9. Buscoducensem sub Masio, *tit.* 14. *cap.* 4. Tornacensem anno 1577. *tit.* 12. *cap.* 4. aliasque.

III. Sed inquiet aliquis, sivè antiquas, sivè recentiores Conciliorum sanctiones consulamus, nullibi lusum chartarum sive pagellarum Clericis interdictum reperiemus: (d) Adeoque nec hic inter lusus vetitos reponendus videtur. Respondeo, verum esse, canones passim & plerumque ludi alearum duntaxat meminisse, omnemque alearum lusum simpliciter Clericis interdicere: at sicuti *alea* per translationem ponitur pro quavis fortuna, sive periculo, aut periculi dubitatione, diciturque, *aleam* omnem jacere, qui se periculo fortunæque committit: & *aleæ* emptio Jurisconsultis dicitur, cùm incertus eventus, v. gr. captus piscium, aut avium emitur, *L.* 8. §. 1. *de contrah. emp. L.* 12. *ff. de Action. empti.* Ita quoque lusus alearum accipitur pro omni lusu, qui casu potiùs, quàm arte regitur.

„ Aleæ nomine, inquit Tuldenus ad *Cod. tit. de Aleatoribus*, „ non tantùm tesserarum lusus, sed quicumque alius perinde à „ fortunæ eventu, imò vel à solertia pendens, continetur, & „ in lucrum exercitus legibus improbatur.“ Idem notat Vallensis ad *tit. Decretal. de Vita & honest. Cler. n.* 12. aliique passim tum Legum, tum Canonum Interpretes.

Cùm igitur nemini dubium esse queat, quin *chartarum* sive *pagellarum* ludus æquè ac tesserarum à casu dependeat, dubitari quoque nequit, quin sub generali *aleæ* ludo & hic ludus contineatur.

Unde S. Antoninus cùm dixit nomine *alearum ludi* intelligi omnem, qui inititur fortunæ, etiamsi ibi fiat aliquid de industria, pro exemplo ponit non tantùm ludum taxillorum, sed etiam chartarum. *Part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 23.

Et sanè, si quis expenderit mala, ob quæ alearum ludum à Clericis præsertim cavendum esse, Canones edixerunt; ea non minùs in ludo chartarum, quàm tesserarum occurrere facilè intelliget, & quotidiana experientia experietur.

IV. Quæ incommoda ex simili ludo provenientia si quis attenderit, facilè quoque intelliget, quòd consuetudo contraria multorum Clericorum (non paucis tamen eam improbantibus) canonum illorum auctoritatem non poscit ita enervare, ut lusum illum Clericis licitum reddat. Si enim hæc mala, ob quæ canones ludum hunc vetuerunt, expendantur, reperietur, illos non juri merè possitivo, quod consuetudine tolli potest, sed etiam naturali inniti; cui opposita consuetudo non legis, sed corruptelæ nomen meretur.

Unde Innocentius III. *in cap.* 11. ℣ *De excess. Prælat.* Clericum alearum lusui vacantem, & obtentu *consuetudinis Clericorum Gallicanorum, qua ferè universi Clerici frequenter sic ludunt*, se à culpa eximere volentem, refellit his verbis: „ Nos „ qui ex officii nostri debito pestes hujusmodi extirpare propo„ nimus, atque ludos voluptuosos (occasione quorum sub qua„ dam curialitatis imagine ad dissolutionis materiam venitur) pe„ nitus improbamus, excusationem prædictam, quæ per pra„ vam consuetudinem (quæ corruptela dicenda est) palliatur, „ frivolam reputantes, cùm in illis magis plectibilis sit ofensa, „ per quos ad excusandas excusationes in culpis, delinquendi „ auctoritas usurpatur.

Et ita hanc consuetudinem tanquam rationi naturali contrariam pro abusu, non tantùm Theologi, sed & Jurisconsulti repetant. Panormitanus ad *cap.* 15. *de Vita & honest. Cleric.* Fachinæus *Lib.* 11. *Controv. cap.* 52. aliique ab iis citati.

V. Neque in speciem his contrariatur S. Thomas 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 7. *ad* 2. qui ibidem ait, quòd victor in ludo aleæ teneatur ad restitutionem eorum, quæ accepit juxta leges civiles; nisi contraria consuetudine in loco illo abrogatæ sint. Evidens enim est, Sanctum Thomam non agere illic de canonibus aut legibus simpliciter lusum alearum interdicentibus; sed de lege civili obligante victorem ad restitutionem, & concedente ipsi victo repetitionem; quam legem contraria consuetudine tolli posse non diffidemur.

VI. Et quidem in Belgio vicinisque provinciis generali consuetudine receptum esse, victo dati seu perditi repetitionem non dari, testantur Christinæus *vol.* 2. *Decis.* 200. Tuldenus, Zypæus aliique relati à D. Christinæo in Notis ad *cap.* 230. *lib.* 2. *Bugnyonii De legib. abrog.* quod tamen limitant: „ Si „ quando alter dolo mala vicit; quando non pecunia, sed ves„ tis aut pallium in solutum data sunt; aut quis ingentem pe„ cuniæ summam in magnum familiæ dispendium in aleæ lusum „ profudit. Unde aliquibus locis cautum, ut quis nonnisi ad certam pecuniæ quantitatem ludere possit; utque quod eam excedit, licite repetatur. Item si quis id, quod perdidit ludendo, nondum solverit, sed ipsi creditum fuerit, non teneatur in foro externo ad solutionem, quamvis & fidem eidem de solvendo dedisset. (e) Vide D. Christinæum loco citato.

VII. Sicuti autem moribus Belgii victo dati repetitio denegatur, ita victori ad id, quod promissum aut cautum est, actio denegatur. Nec is, qui alicui sciens in aleæ lusum pecuniam credidit, repetendi actionem habet, Christinæus *loco citato*: & in terminis habent Consuet. Antuerp. *tit.* 54. *art.* 17. 18. 19. & 20. Vide Zypæum in *Notitia Jur. Belgic. tit. De Religios. & aleæ lusu*, ibidem monentem, „ Edicto 31. Aug. 1610. aleas „ aliunde ferri vetitum, certumque vectigal impositum, non „ tamen id in Brabantia receptum, quia non prævio Ordinum „ assensu emissum, sine quo pecunia imperari hîc non solet.

VIII. Quoad ludos autem non à casu sivè à fortuna, sed ab industria dependentes, illos interdum ad relaxationem corporis vel spiritus, ut suis functionibus obeundis aptior reddatur, adhiberi posse etiam à Clericis, latè docet S. Thomas 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. Modò tamen, ut monet idem Doctor, „ Ludus congruat „ personæ, & tempori, & loco, & secundum alias circumstantias „ debitè ordinetur, ut scilicet sit & tempore & homine dignus.

Si ergo Ecclesiastici ad animi, corporisve relaxationem honesti alicujus ludi exercitium sibi utile aut necessarium credant, illud ita attemperare debent, ut personæ, loco, & tempori conveniat.

Et primò quidem, cùm vix contingere possit, ut Clerici publicè & coram secularibus hujusmodi exercitiis occupentur, quin aliquam levitatis notam incurrant; quin & aliquid de existimatione & reverentia Ordini clericali debitis detrahatur, nullatenus convenit, ut in loco publico & secularibus quibusque patenti ludant.

Quod perpendens S. Carolus, postquam omnem ludum alearum Clericis interdictum esse declaravit, subjungit: „ Si autem „ valetudinis interdum causa parva pila aut alio non indecoro „ ejusmodi exercitationis genere uti contingerit, ne id publicè „ faciant.

Similiter Synodi Belgicæ dicunt: „ Scandalosum esse, Pasto„ res aliosque Sacerdotes ad psittacum jaculari, aut in locis pu„ blicis ludere pila palmaria. Ideoque etiam quilibet ab eo abs„ tinebit sub pœna arbitraria. Ita Syn. Gand. an. 1613. *tit.* 17. „ *cap.* 10. quod renovatum est in Decretis Synodalib. sub Triest. „ *tit.* 17. *cap.* 7. Et Syn. Cameracensis D. an. 1617. *cap.* 6. „ Item Ordinationes Synod. Antuerp. sub Nemio, *tit.* 17. *n.* 3.

Illud quoque summoperè cavendum, ne nimio affectu alicui ludo quantumvis honesto afficiantur. „ Quantumcunque enim „ honesta sit recreatio (ait Salesius in *introd. ad vitam dev.* „ *cap.* 3. *part.* 31.) vitio certè non caret, animum ei & affec„ tum applicare.

Cavendum deniquè Ecclesiasticis, ne lucri cupiditate ad ludum principaliter accedant; cui periculo occurrere volens S. Carolus decrevit: „ Ut si valetudinis interdum causa, parva pila, „ aut alio non indecoro exercitationis genere uti contigerit, ne „ publicè id faciant, *nec pecunia intercedat in ludo, nec quid„ quam quod facilè pecuniâ æstimari potest.*

IX. Hanc in ludicris & aliis oblectamentis tum corporis, tum animi moderationem non difficulter observabunt Ecclesiastici, qui meminerint, universos Ecclesiasticæ militiæ adscriptos ad pietatis religionisque exercitationes vocatos esse; ut monet Synodus D. Mechlin. *tit.* 17. *cap.* 1. subditque: „ Sciat propterea „ id in officio suo positum esse, ut cùm officiis divinis obeun„ dis vel in frequentandis Ecclesiis quod debet tempus con„ sumpserit, si quid sibi reliquum est, id omne non in rerum „ secularium colloquiis profanisque actionibus, sed in divinarum „ litterarum studiis & in cœlestium rerum contemplationibus & „ sanctis piisque officiis traducat.“ Similia habet Synodus Audomar. anno 1583. *tit.* 16. *cap.* 5. additque: „ Qui pastoratu „ funguntur, dent operam ut proficiant in cognitione eorum, quæ „ ad ipsorum spectant officium, visitent ægrotos, consulant ip„ si secum & cum Deo, qua optimè ratione unus Parochia„ norum ipsorum à vitiis ad virtutem trahi, alius persuaderi id „ quod consultissimum sit, tertius ad perfectum excitari possit.

CAPUT VI.

Clerici negotiis secularibus se non misceant.

1 *Negotia secularia professioni clericali contraria.*
2 *Mercatura illis singulariter interdicta.*
3 *Decimarum conductio Parochis non convenit.*
4 *Famulatus personarum secularium Clericos non decet, uti nec familiarum administratio.*
5 *Quomodo se gerere debeant Principum Cappellani.*

Cle-

(d) Vide leg. 18. tit. 7. lib. 8. Recop. §. 14.

(e) Dicta lege 18. tit. 7. lib. 8. Recop. §. 8.

6 *Clericis data immunitas à tutela & similibus publicis officiis, & quare.*
7 *An Clericis conveniat studium Legum civilium.*
8 *Qua ratione Pontifices Clericis indulgeant studium Legum.*
9 *Privilegium Academicum indulgens Clericis studium Legum, & Medicinæ est species dispensationis.*
10 *Hodiè Clerici non incurrunt censuras studentes Legibus, aut Medicinæ.*

I. „ DUO sunt genera Christianorum, (ait S. Hieronymus „ apud Gratianum, *Caus.* 12. *q.* 1. *Can.* 7.) Est au„ tem unum genus quod mancipatum divino officio, & deditum „ contemplationi, & orationi, ab omni strepitu temporalium „ cessare convenit, ut sunt *Clerici* & Deo devoti, videlicet con„ versi. Clerus enim græcè, latinè sors. Inde hujusmodi homines „ vocatur Clerici, id est, sorte electi. Omnes enim Deus in suos „ elegit.

Cum ergo Clerici & Monachi specialiter vi suæ vocationis Dei & Ecclesiæ servitio sint addicti; & ea ratione Ecclesiasticæ militiæ adscripti, unanimi Patrum consensu illis applicatur illud Apostoli: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus: ut ei placeat, cui se probavit.* 2. ad Timoth. 2. ỿ. 4. Id est, Clericus adinstar militis adscriptus Christi militiæ, ut placeat ei à quo delectus est, omnia negotia aliena ab officio illo militari procul à se abjiciat; illud unum agens & cogitans, quomodo ritè Deo & Ecclesiæ militare possit.

II. Itaque ex ipsa clericali professione probant canones non convenire Clericis mercaturam; quia per illam plurimùm abstrahuntur à militia sua eclesiastica & secularibus implicantur.

Antiquos in hanc rem canones, & Patrum sententias recitat Gratianus *Dist.* 88. Quos sequutus Alexander III. Londinensi Episcopo rescribit in *Cap.* 6. ⁜ *Ne Clerici vel Monachi* &c. „Se„ cundum instituta Prædecessorum nostrorum sub interminatio„ ne anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lu„ cri *negotientur*: & ne Monachi à Clericis vel laicis suo no„ mine firmas habeant: neque Laici Ecclesias ad firmam teneant.

Quibus conformia sunt Synodorum nostrarum decreta, mercaturam Clericis etiam sub pœnarum comminatione interdicentia. Synod. Camerac. P. II. *tit.* 16. *cap.* 1. Mechlin. P. II. *tit.* 17. *cap.* 5.

Adduntque præterea tanquam eodem ex fundamento profluens, ne decimas, census, prædia, aut terras alienas conducant, quæstus faciendi causâ.

III. Et quidem quod ad decimarum conductionem attinet, illud singulariter notandum; hodiè frequenter à Capitulis decimas Pastoribus elocari, eo quòd ab his, quàm à rusticis sibi de solutione magis cautum credant. At non advertunt, quòd præterquam quòd Pastores per hujusmodi decimarum conductiones à suis functionibus Pastoralibus soleant non parùm abstrahi, contingat quòd indignationem & odium aliquale suorum Parochianorum non rarò incurrant: dum hi credunt per Pastores sibi lucrum, quod ipsi ex conductione decimarum sperabant, & sibi tamquam villicis competere credunt, ereptum vident. Ut vel hinc pateat, quàm merito harum conductionem Synodi nostræ Pastoribus interdixerint.

IV. Eodem fundamento innixæ Synodi nostræ conformiter ad responsum Pontificis in *Cap.* 16. *de vita & Honestat. Cleric.* interdicunt Clericis, ne se famulatui Personarum secularium, aut alicujus familiæ administrationi, sive procurationi (f) addicant: „ Quomodo enim (ait Synodus Buscod. sub „ Masio, *t.* 14. *c.* 5.) Procuratores & Dispensatores domo„ rum alienarum atque villarum esse poterunt Clerici, qui „ proprias jubentur contemnere facultates.“ Et Synodus Namurcensis anno 1604. *tit.* 8. *cap.* 7. „ Non solùm contra „ Apostolicum præceptum faciunt Clerici qui negotiationibus „ operam dant, & quæstum captant, sed etiam qui alienos „ agros aut decimas conducunt, & illis colendis, his verò „ colligendis maximam sui temporis partem, quam orationi & „ sacris studiis impendere deberent inutiliter impendunt; nec „ non ii, qui dominorum temporalium obsequiis se tradunt „ & in eorum negotiis curandis toti occupantur.

V. Synodus quoque Œcumenica VII. *Can.* 10. vult, ut Clericus, qui de consensu Episcopi „ Principum Capellanus „ constituitur, non liceat ei mundanas & seculares curas sus„ cipere; præsertim cùm hoc agere prohibeatur à Sacris Ca„ nonibus: potius autem maneat ad magisterium tan puero„ rum, quàm famulorum, relegens eis Divinas scripturas; ad „ hoc enim Sacerdotium consecutus est.

His obiter nota, jam pridem à Synodo Generali laudatos, qui pueris, quos instituendos suscipiunt, sacras scripturas prælegunt, & commendant.

VI. Annumerant pariter Sacri Canones negotiis secularibus, à Clericis haud facile suscipiendis, tutelas, curatelas, similesque curas, quæ Clericos multis difficultatibus natæ sunt implicare, & à divinis functionibus multum impedire, animumque distrahere.

Notum est illud Concilii Africani à S. Cypriano laudatum. „ Ne quis de Clericis, & Dei Ministris tutorem vel cu„ ratorem testamento suo constituat: quando singuli divino „ officio honorati, & in Clerico ministerio constituti non ni„ si Altari & Sacrificiis deservire, & precibusque atque ora„ tionibus vacare debeant.

Hanc clericale officium inter & similes functiones incompatibilitatem intelligens Justinianus Imperator, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis omnibus immunitatem ab omni cujuscumque generis tutela & curatela concessit. Unà tamen declarans, eos tantùm Clericos & Monachos hujusmodi habere beneficium, qui apud Sacrosanctas Ecclesias, vel Monasteria permanent: *Cum propter hoc*, ait, *ipsum beneficium eis indulgeamus, ut, aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministeriis inhæreant. L.* 52. *C. de Episc. & Cler.*

Hîc per transennam observa veram ac præcipuam causam immunitatum, & privilegiorum clericalium.

Privilegium Justiniani moribus Belgii receptum esse quoad immunitatem clericorum ab onere tutelæ & curatelæ, testatur à Sande in Decis. Frisiæ *tit.* 9. *Dicis.* 7.

Itaque, ut verbo dicam, negotia secularia, præsertim quæ multum distrahere & implicare hominem solent, studiosè à Clericis declinanda. Aut ut minus, si necessitas aut proximi charitas exposcat, ea moderatione suscipienda & amplectenda, ut quæ vi officii clericalis sibi incumbunt, haud negligantur; ne è milite Christi & Ecclesiæ, miles & servus mundi factus videatur.

Quod de negotiis, idem de studiis statuendum, ut nimirum studia Clericorum vocationi eorum sit conformia.

Hoc ex capite jam pridem Monachis, Archidiaconis, Decanis, Plebanis, Præpositis, Cantoribus, & aliis Clericis Personatus habentibus, nec non Presbyteris sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibitum fuit audire Leges civiles, *Cap.* 3. *& Cap.* 10. ⁜ *Ne Cler. vel Monachi secul. neg. &c.* „ Ne occasione scientiæ (inquit Alexand. III. in citato. *Cap.* 3.) „ spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur.

Et sanè, ut rectè advertit magnus ille Bathoniensis Archidiaconus Petrus Blesensis: „ Res plena discriminis est in Cle„ ricis usus Legum; totum enim hominem adeo sibi vindicat, „ ut eum rei familiaris providentia fraudet, suspendat à spiri„ tualibus, à divinis avellat.

VII. Hinc tamen nemo inferat, Legum humanarum studium Clericis & Monachis planè esse interdictum: quandoquidem certum sit, Theologicæ scientiæ, præsertim ubi de Jure & justitia tractat, Legum civilium notitiam non parum conducere. Canonicam quoque scientiam plurimum ex notitia legum adjumenti accipere, nimis evidens est. Unde teste Pontifice in *cap.* 1. ⁜ *De novi operis nuntiat.* „ Sicut Leges non „ dedignantur SS. Canones imitari, ita & SS. Statuta Cano„ num Principum Constitutionibus adjuvantur.

Nullatenus proindè statui aut vocationi Clericorum contrariatur studium Legum civilium; modo ea fiat moderatione, ut nec contra Apostoli præceptum, Deo militantes negotiis secularibus implicentur; neque disceptationum forensium peritiam per studium istud affectent: cùm judicatum sit, *absurdum Clericis esse, imò opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationum forensium. L.* 41. *C. de Episc. & Cler.*

VIII. Quapropter Pontifices concedentes dispensationem Presbyteris aliisve Clericis audiendi Leges civiles, eam ad triennium restringere consueverunt: „ Ne prætextu longioris „ temporis studendi, (ait Pyrrus Conradus in Praxi dispen„ sationum, *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 18.) Presbyteri & alii „ Clerici supra expressi, occasione scientiæ mundanis actioni„ bus involvantur, & nimis à contemplatione distrahantur; „ cùm per Jus civile non dirigatur principaliter homo in Deum, „ sicut per Jus canonicum.

Apponunt insuper hanc clausulam: *Pro majori Sacrorum Canonum intelligentia.*

IX. Ex his haud difficulter intelligitur, quòd dum Pontifices Academiæ Lovaniensi, aliisque indulgent privilegia, (quæ quædam dispensationes sunt) ut etiam Presbyteri & clerici dignitates vel Personatus possidentes, Physicam, Medicinam & Leges liberè audire queant, illa sint accipienda cum ea moderatione, ut Clerici illis scientiis vacare possint, quatenus non negligant Canonum & Theologiæ scientiam statui suo & vocationi convenientem; neque occasione studii Legum aut Medicinæ mundanis actionibus nimis involvantur, & à contemplatione & gustu rerum divinarum nimiùm abstrahantur.

X. Quia verò hujusmodi moderatio generaliter determinari nequit, ac propterea cujusque conscientiæ relinquatur, hinc usu

(f) Vide Regias schedulas 23. Novemb. 1764 & 4. Augusti 1767.

usu & moribus Belgii obtinuit, ut Clerici quicunque liberè Leges & Medicinam sine ullo excommunicationis metu audiant: neque ullus credat, sibi specialem dispensationem Pontificiam esse necessariam, ut tutus sit à pœnis canonicis.

TITULUS III.

De Pastoribus & Vice-Pastoribus.

CAPUT I.

SINGULIS PAROCHIIS SINGULI PAROCHI TOTIUS PAROCHIÆ CURAM SUSTINENTES PRÆFICIENDI.

1 *Institutio & divisio Parochiarum malè Dyonisio Papæ tribuitur.*
* *Confictio Decretalium sub nomine primorum Pontificium ab omnibus recognita.*
2 *Est tamen antiqua.*
3 *Totius Parochiæ cura incumbit Parocho.*
4 *Fines Parochiarum debent esse certi & distincti.*
5 *Parochus est principalis & proprius Sacramentorum minister in sua Parochia.*
* *Parochi dicti Minores Prælati.*
6 *Sæpè Pastores recogitent sibi totius Parochiæ curam incumbere.*

I. PArochias jam tum seculo III. fuisse institutas & divisas, probant communiter Canonistæ auctoritate Epistolæ, quæ sub nomine Dyonisii Papæ (qui vixit circa annum 266.) refertur à Gratiano, *Causa* 13. *q.* 1. *Can.* 1. in qua Dyonisius Severo Episcopo scribit: „ Ecclesias singulas „ singulis Presbyteris dedimus: Parochias & cœmeteria eis di„ visimus, & unicuique jus proprium habere statuimus; ita vi„ delicet, ut nullus alterius parochiæ terminos, aut jus inva„ dat, sed unusquisque suis terminis contentus & taliter Ec„ clesiam & plebem sibi commissam custodiat, ut aute tri„ bunal æterni Judicis de omnibus sibi commissis rationem red„ dat, & non judicium, sed gratiam pro suis actibus accipiat.

Verùm cùm hodiè eruditis omnibus compertum sit, hanc Epistolam S. Dyonisio falsò adscriptam, eamque putridis Isidoris Mercatoris mercibus annumerandam esset, ut fusiùs in Observationibus ad collectionem Isidori Mercatoris ostendimus, parùm solidum, pro earum institutione & divisione astruenda, hinc argumentum sumitur.

* Cum frequenter in præsenti opere notetur epistolas decretales Romanis Pontificibus, qui tribus primis Ecclesiæ seculis floruerunt, adscriptas esse, quarum plurima fragmenta exstant apud Gratianum, & quarum auctoritate etiam Pontifices in suis Decretalibus frequenter usi fuerunt, has, inquam, Epistolas, sive Decretales passim ab omnibus eruditis tanquam suppositicias & putidas Pseudo-Isidori merces repudiari; pro omni probatione judicavi hic adjiciendam notam Patris Philippi Labbæi præfixam Decretalibus Clementis I. Papæ, *Tom.* 1. *Conc. gener. col.* 75. ubi sic ait: *Mirum est viris doctissimis Turriano, Rivio, & quibusdam aliis in tanta eruditionis Ecclesiasticæ luce probare potuisse, Decretales illas Epistolas à quocunque seu* Mercatore, *seu* Peccatore *fabricatas, & antiquis Romanæ urbis Pontificibus circiter annum Christianæ Romanæ epochæ octingentesimum suppositas: adeo enim perspicacibus viris deformes videntur hoc saltem tempore, ut nullâ arte, nullâ cerussa, aut purpurisso fucari possint: eas omnes, saltem plerasque earum repudiarunt eruditissimi quique tractatores Catholici, Baronius, Bellarminus, Peronius, Contius, Antonius Augustinus, Lorinus, Dirmandus, Ducæus, Petavius, Marca, Bosquetus, ut alios modo sive antiquiores, sive recentiores silentio obvolvam. De singulis, ut se dabit occasio deinceps; verum obiter tantum καὶ ἀκροστιχῶς dicturi sumus. Neque enim vacat pluribus hoc loco traducere ἐυήθειαν cujusdam novelli ὑπεραπίστου, qui mala avi ex zelo quidem, si minus prudenti & considerato certè non secundum scientiam easdem ab omni eruditione præstantibus abjectas, ac penitus repudiatas defendere aggressus est.*

II. Quin tamen antiqua sit earum institutio, & divisio, haud dubitari potest. Scribit enim S. Athanasius *Apolog.* 2. „ Mareotes ager est Alexandriæ, quo in loco nunquam Epis„ copus fuit, imo nec Chor-Episcopus quidem, sed universæ „ ejus loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subjacent, ita tamen, *ut singuli pagi suos Presbyteros habeant.*

Quod in Episcopatu Alexandrino erat tempore S. Athanasii, hoc sensim, populo christiano crescente, per totam Ecclesiam factum fuit: id est, districtus Episcopales, quos hodiè Diœceses vocamus, in plures divisi fuêre portiones; atque cuique portioni sua attributa Ecclesia, & populus Ecclesiæ illi vicinus; quas hodie *Parochias* appellamus.

III. Porrò sicuti singulis diœcesibus seu districtibus Episcopalibus unicus erat præfectus Episcopus, cui totius diœcesis regimen incumbebat, & quem populus istius diœcesis ut proprium Episcopum colere & agnoscere deberet; ita & singulis parochiis datus fuit Presbyter, qui totius parochiæ curam spiritualem ageret; qui propterea *Parochus*, seu *Presbyter Parochianus* dicebatur: & quem populus tanquam proprium suum Pastorem venerari & audire deberet; propterea dictus *proprius Sacerdos.*

Ea de causa cautum fuit, „ Ut nullus Presbyter alterius „ Parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habue„ rit, absque licentia sui Presbyteri ad Missam recipiat vel „ solicitare præsumat.“ Constit. Synod. Heraldi Episcopi Turonensis, *cap.* 29.

Et ex Concilio Nannetensi refertur in *cap.* 2. ✠ *de Parochiis*: „ Ut Dominicis & festivis diebus Presbyteri antequam „ Misam celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochia„ nus in Ecclesia sit; qui contempto proprio Presbytero ibi „ velit Missam audire; quem si invenerint, statim ab Ec„ clesia abjiciant.

Quin & anno 1310. statuit Synodus Coloniensis, „ Ut „ nullus Parochianus ab alio, quàm à suo vero Plebano com„ munionem recipiat, nisi de hoc privilegiis authenticis sit mu„ nitus. Contrarium facientes à perceptione Corporis Christi abs„ tineant, quousque ipsi Plebano satisfecerint de contemptu.

IV. Hinc Synodus Trid. collapsam disciplinam restaurare desiderans, mandat Episcopis, „ In iis quoque civitatibus, „ ac locis, ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, „ nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed „ promiscuè petentibus Sacramenta administrant; pro tutiori ani„ marum eis commissarum salute, ut distincto populo in cer„ tas propriasque parochias unicuique suum *perpetuum pecu„ liaremque* Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, „ & *à quo solo licitè* Sacramenta suscipiant; aut alio utiliori „ modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in „ iis civitatibus, ac locis, ubi nullæ sunt Parochiales, quam„ primum fieri curent: non obstantibus quibuscumque privi„ legiis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus. *Sess.* 24. „ *de Reform. cap.* 13.

Qui mentem ac intentionem Concilii jam relatis verbis expressam attenderit, haud difficulter intelliget, satisfactum esse decreto Concilii, si Parochiæ quidem certos & determinatos fines non habeant, sed certum populum certasque familias; usque adeo ut Sacramenta promiscuè non administrentur, sed Parochi suos noscant, & eum sui: & ita respondisse S. Congregationem testatur Barbosa *de officio Parochi, part.* 1. *cap.* 1.

Ulterius evincit citatum decretum Synodi, unicuique Parochiæ suum debere esse Presbyterum, qui sit Caput Ecclesiastici istius Conventus, & cui totius Parochiæ cura spiritualis principaliter & immediatè incumbat; quemque Parochiæ istius populus, ut ordinarium, & proprium Sacramentorum Ministrum agnoscat.

V. Proinde merito dicendum cum pio Gersonio Parisiensi Cancellario: „ Domini Curati sunt in Ecclesia Minores Præ„ lati & Hierarchæ ex primaria institutione Christi; quibus „ competit ex statu jus prædicandi, jus Confessiones audien„ di, jus Sacramenta Ecclesiastica secundum exigentiam sui „ status & Parochianorum ministrandi, jus sepulturas dandi, „ jus insuper decimas & alia jura parochialia recipiendi.“ *De „ potestate Ecclesiastica, Cons.* 12.

* Presbyteri Parochiales, sive Parochi, jampridem dicti fuerunt *Minores Prælati & Hierarchæ* ex prima institutione Christi, sic ex Gersonio notatur. Neque id sine fundamento ab eo dictum facilè fatebitur, qui attenderit Presbyteros sive Parochos jam pridem dictos & reputatos esse sucessores LXX. discipulorum, quemadmodum Episcopi dicti fuêre Apostolorum successores. Hinc illud apud Gratianum dist. 21. *Simpliciter verò majorum & minorum Sacerdotum discretio in novo testamento ab ipso Christo sumpsit exordium, qui* XII. *Apostolos tanquam* majores *Sacerdotes*, LXX. *discipulos tanquam* minores *Sacerdotes, instituit.*

Undè uno consensu & Theologi & Canonistæ agnoverunt Presbyteros, notanter Parochiales, in partem sollicitudinis Pastoralis vocatos, meritò dici *minores* Sacerdotes, sive Præla-

latos & Hierarchas; necnon LXX. discipulorum succesores.

Idipsum & hodiernum Pontificale supponit Presbyteros recenter ordinatos his verbis per Episcopum exhortans: *Fratres dilectissimi & Sacerdotes Domini, cooperatores ordinis nostri estis. Nos vice duodecim Apostolorum fungimur, vos ad formam* LXX. *discipulorum estis.*

Itaque ad Presbyteros, & notanter ab Parochos dictum esse à Christo non dubitatur, quod ad LXX. discipulos dixit, Lucæ 10. *Ite, ecce, ego mitto vos, sicut agnos inter lupos..... qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.*

Igitur dicendum Parochos tanquam septuaginta discipulorum vicem gerentes, esse ex institutione divina, & *à Spiritu sancto positos, ad regendam Ecclesiam Dei.*

Id ipsum significavit & S. Paulus *Actor.* 20. in Mileto enim convocatis Episcopis, simul & senioribus, sive *Presbyteris*, dixit ad omnes: *Attendite igitur vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus* posuit Episcopos regere *Ecclesiam Dei.*

Licèt enim solo *Episcoporum* nomine utatur, nihilominus & ad Presbyteros gregem Christi pascentes loquitur: eo quòd nomine Episcoporum ex phrasi ejus ætatis, & Presbyteri significabantur.

Quod & notavit jam pridem S. Irenæus *lib. 3. contra hæres. cap.* 14. *num.* 2. (Paulus) *in Mileto*, inquit, *convocatis Episcopis* & PRESBYTERIS, *qui erant ab Epheso, & reliquis proximis civitatibus, utrumque enim nomen habebant illo tempore.*

Id autem probari asserit ex textu Actorum supra relato: *Idque*, ait, *nos etiam docet Actuum historia: cùm enim dixisset S. Lucas Divinum Apostolum Ephesiorum Presbyteros accersivisse Miletum, exponit etiam, quæ illis dicta fuerunt: Attendite*, inquit, *vobis ipsis & universo gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos pascere Ecclesiam Christi, eosdemque nominavit* Presbyteros & Episcopos.

Huic consonat S. Hieronymus in Epist. ad Titum, *cap.* 1. ℣. 7. *Episcopos hic non solum Pontifices, sed & Presbyteros intelligimus: non enim in una civitate plures erant Episcopi; hoc etiam in Apostolorum* Actibus *invenitur.*

Et S. Isidorus Hispalensis *de offic. Eccl. lib. 2. cap.* 7. ad ea Pauli verba, *in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos*, reflectens ait: *Dixerat enim supra Presbyteros Ephesi vocatos, quos nunc Episcopos, id est*, Superinspectores *nominat.*

Hinc videmus à primis Ecclesiæ seculis Presbyteros tanquam septuaginta discipulorum successores, una cum Episcopis Apostolorum successoribus Ecclesiam rexisse, atque fidei integritati invigilasse & Episcopos reputasse hosce, tanquam suos cooperatores, ac secundi ordinis in vinea Domini operarios.

VI. „ Sæpe ergo recogitent Pastores (verba sunt Synodi „ Gandensis anni 1613 *tit* 16. *cap.* 9. renovata in decretis „ Synodalibus sub D. Triest. *tit.* 16. *cap.* 14.) se ad Ovium „ suarum salutem omnes suas actiones & functiones pastorales „ dirigere debere, & sibi aliquando pro animabus earum „ reddendam rationem in strictissimo Dei judicio: ideo etiam „ earundem salutem continuis precibus & quotidianis Sacrificiis „ Deo ferventer commendent, omnibus ritè dispositis non mi„ nùs promptè, ac benignè, quàm reverenter Sacramenta ad„ ministrent, atque ita grandiores pascant verbo Dei ac sa„ lutaribus monitis, ut parvulis quoque panem frangere non „ omittant, & in omnibus præbeant se ipsos exemplum bono„ rum operum, facti forma gregis ex animo.“ Simile monitum exhibet Synodus Autuerp. sub Miræo, *tit.* 16. *cap.* 7.

Porro sicuti cura pastoralis totius Diœcesis Episcopo incumbens non impedit, quo minus Parochi aliique inferiores Ministri Episcopo in solicitudine pastorali adjutores accedant, ita nec cura pastoralis uni Parocho injuncta prohibet, quo minus plures in eadem parochia sub ipso Parocho ut principali, functionibus pastoralibus occupentur, & cum Parocho allaborent. De quibus capite sequenti.

CAPUT II.

De Vice Pastoribus: a quo assumendi, et quid iis incumbat.

1 *Parochi cogendi, ut necessarios sibi Ministros adjungat.*
2 *Vice-Pastorum assumptio pertinet ad Pastorem, nisi speciali titulo aliud obtineat.*
* *Assumptio Vice-Pastoris spectat ad Vicarium perpetuum.*
3 *Synodus Trident. Sess.* 21. *c.* 4. *de Reform. agit de Vice-Pastoribus, non de Fratribus Mendicantibus.*
* *Vice-Pastores non facilè ad nutum Parochi removendi.*
4 *Vice-Pastoribus etiam propriè cura Parochiæ incumbit.*

I. „ Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, „ ait Synodus Tridentina *Sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.* „ in omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel baptismalibus, in „ quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non pos„ sit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui „ divino peragendo; cogant Rectores vel alios, ad quos per„ tinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot „ sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum „ celebrandum.

II. Cùm ergo Synodus velit, Rectores Ecclesiarum per Episcopos esse cogendos, ut sibi adjungant tot Sacerdotes, quot administrandis Sacramentis, & cultui divino celebrando sunt necessarii, luculenter supponit, Sacerdotum electionem non ad ipsos Episcopos, sed ad ipsos potiùs Rectores Ecclesiarum parochialium, qui illos in suum adjutorium adjungere coguntur, spectare.

Et quidem moribus Belgii etiam obtinuit, ut Parochi suos Vice-Pastores assumant, nisi forsan speciali titulo electio vel præsentatio Vice-Pastoris, aut alterius Sacerdotis subsidiari alteri sit delata. Qui titulus plenè probandus est, ut Parochus excludatur.

Et sane cùm Vice-Pastores in subsidium Parochorum destinentur, eorumque vices suppleant, & ipsorum consequenter Vicarii sint, non minus ipsis deferenda eorum electio, quàm Episcopo aliisque Prælatis suorum respectivè Vicariorum.

* Testatur Hyacinthus Boniface in sua additionali colectione Arrestorum *tom. 1. lib. 5. cap.* 3. judicatum sæpius fuisse, *Vicario perpetuo* competere electionem & assumptionem Vice-Pastoris ad exclusionem Pastoris primitivi, idque notanter ob Concilii Trid. Decretum *Sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.* apertè deferens primo loco ipsis Rectoribus assumptionem Sacerdotum, qui judicantur necessarii ad Sacramenta populo administranda, & cultum divinum celebrandum.

Itaque solus titulus *Primitivi Pastoris* non sufficit, ut Vicarius *perpetus* ab electione seu assumptione sui Vice-Pastoris excludatur; sed vel antiqua possessio, vel alius specialis titulus cum titulo *Primitivi Pastoris* concurrere debet.

Cum enim assumptio Vice-Pastoris respiciat curam animarum, quæ plenariè *Vicario perpetuo* ad exclusionem *Primitivi Pastoris* competit, vigore suæ perpetuæ Vicariæ, justum est, ut in consequentiam hujus curæ animarum assumptio Vice-Pastoris ei deferatur potius, quàm Pastori Primitivo, qui curam animarum non exercet.

III. Adhæc jam suprà citatum Concilii Tridentini decretum, Rectoribus injungens, tot sibi Sacerdotes ad munus pastorale adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum, intelligi de Sacerdotibus, qui in parochia residentes, unà cum Parocho Sacramenta administrent, & cultum divinum celebrent, ipse tenor decreti sat manifestè declarat,

Quapropter huic decreto satisfactum cupiens Synodus P. Cameracensis *tit. 5. cap.* 4. expendensque in plurimis hujus Provinciæ Ecclesiis parochialibus unum esse cum suo Custode, seù Clerico Sacerdotem: „ Æquissimum judicavit, ut qui „ in iisdem Capellanias obtinent ad Pastori in prædictis coo„ perandum, ideoque ad personalem residentiam, juxta ve„ risimilem Fundatorum intentionem, obligentur. Verùm cùm „ hoc sit difficilimum quoad omnes obtinentes Capellanias in „ usum revocare, in iis saltem hoc omninò mandat observari, „ in quibus de dicta obligatione ex Originali aut Authentica „ fundationis copia constare poterit.

Non dubitavit ergo hæc Synodus, quin Tridentina Synodus loqueretur de Sacerdotibus, qui in parochia residentes Pastoribus in munere pastorali essent adjutorio: consequenter non de Fratribus Mendicantibus, qui in adjutorium Parochorum ad unum alterumve actum subinde advocari solent; sed de Sacerdotibus, qui in omnibus curam Animarum cum Parocho sustinent: quales indubiè præcipuè sunt hi, quos *Vice-Pastores* dicimus.

Hi enim non in uno alterove actu, neque certis duntaxat Solemnioribus diebus, quemadmodum Fratres Mendicantès, Parocho assistunt; sed indifferenter, idque sine dierum aut temporis distinctione in omnibus, quæ curam Animarum spectant, unà cum Pastoribus laborant, eique opitulantur: adeò ut & propterea parochiæ cura ipsis incumbat, curamque Animarum habere dicantur, non secus ac ipsi Parochi; hac tantummodò differentia, quod hi titulum perpetuum habeant, ipsiusque parochiæ Caput & primarius Presbyter & Curatus sit, ipsi autem Vice-Pastores ordinariè tanquam meri Parochorum Vicarii & subsidiarii sint amovibiles; & ipsi Parocho in his, quæ animarum curam concernunt, subjecti.

* Nihilominus quia Vice-Pastores, tametsi etiam nullum habentes veri beneficii titulum, censentur habere officium curatum, ratione cujus parochiæ sunt deputati pro cura Animarum sustinenda, atque eo titulo etiam in parochia fixè residere & domicilium habere jubentur, eique parochiæ continuo invigilare, non eâdem facilitate ad nutum Parochorum ab officio hoc removeri possunt ac cæteri Presbyteri, putà *Stationarii*, qui merè pro beneplacito Parochorum ad cer-

tas

tas functiones obeundas, pro occurrente necessitate asciscuntur, tanquam Parochorum simplices subsidiarii, qui peractis his functionibus ad propria redeunt, neque hi *Stationarii* dicuntur officium curatum in parochia habere. Accedit, quod Vice-Pastores non sine aliqua infamiæ nota possint ordinariè à Parochis simpliciter sic dimitti: præsertim quod Vice-Pastores soleant in Vice-Pastoratu perseverare, donec ad aliquod beneficium Parochiale, vel ad alium beneficium, aut officium assumantur seu promoveantur.

IV. Quemadmodum ergo Parocho propriè totius parochiæ cura incumbere, verusque *Curatus* & proprius Sacerdos dicitur, licèt ipsi Episcopo primariò & principaliter eadem cura incumbat, eique in concernentibus curam Animarum subjiciatur; ita quoque Vice-Pastores propriè curam Animarum habere, verique Curati sivè Pastores dicuntur, tametsi cura Parocho primario incumbat, eique in hac cura subjiciantur. Idcoque quæ de Parochorum residentia, ac obligatione munus pastorale *per se* obeundi (de quibus infrà) decreta sunt, etiam in Vice-Pastoribus locum habent; utpote quibus non secus ac ipsis Parochis cura Animarum incumbit.

CAPUT III.

Parochi aliique curam Animarum sustinentes jure divino tenentur residere.

1 *Quod residentia sit juris divini probatur ex Concilio Trid.*
2 *Nullus antiquorum id negavit.*
3 *Edicta Regia circa residentiam Pastorum quid statuant?*
4 *Quid Synodi Belgicæ.*
* *Ad residentiam cogendi possidentes beneficia curata.*
5 *Rigor Synodorum moribus nonnihil mitigatus.*

I. „ PRæcepto divino mandatum (g) esse omnibus, qui„bus Animarum cura commissa est, oves suas ag„noscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini præ„dicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum om„nium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque mi„serabilium personarum curam paternam gerere, & in cæ„tera munia pastoralia incumbere, declarat Synodus Tridenti„na, *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*

Porrò eodem jure, quo mandatum est iis, quibus cura Animarum commissa est, in hæc incumbere, eos ad personalem residentiam teneri, nemo negarit, qui cum eadem Synodo fatetur hæc omnia ab iis *nequaquam præstari posse, qui gregi suo non invigilant & assistunt.*

II. Nemo ergo miretur, quod ex Cajetano refert Fagnanus ad cap. EX PARTE, *de Clericis non residentibus*, *n.* 21. quòd nimirum. „ Nullus Antiquorum contradicebat, quin Pas„tores Animarum tenerentur sub præcepto divino ad perso„naliter residendum.“ Quam veterum sententiam contra quosdam Neotericos solidissimis & evincentibus fundamentis ibidem astruit Fagnanus: ostenditque, quod licèt Synodus Tridentina eam sententiam expressè & in terminis, ut ajunt, non definierit, nihilominus sufficienter eam in allegatis verbis insinuaverit, & virtualiter declaraverit.

Unde Synodus Buscoducensis sub Masio, *tit.* 17. *cap.* 7. præmissis functionibus pastoralibus subjungit: „ Ad implenda „& præstanda hæc pastoralia officii debita, ad assiduam „apud oves suas residentiam se *jure divino* obligatos esse „intelligant Pastores.

III. Hæc considerantes Principes nostri voluerunt, in omnibus litteris *Placeti* concedendis super provisionibus Apostolicis parochialium beneficiorum, expressè exprimi, provisum teneri personaliter residere in loco parochiæ, nec per alium posse deservire. *Edicto* 28. *Nov.* 1541. *art.* 32. & 33.

Et in placeto, quo privilegia Nominationum hujus Academiæ probantur, cavetur, ut in litteris Nominationum ad Beneficia Curata inseratur clausula personalis residentiæ.

* Verùm quia in Romanâ Curia nonnunquam obtinebatur dispensatio *de non residendo*, addiderunt insuper Principes in eodem Edicto, Placitum non esse concedendum super privilegiu *de non residendo* in beneficiis curatis, aut super dispensatione super ætate, aut super eo, quod ignoret idioma Patriæ.

Verba Edicti in utroque articulo sunt: *Qu' en toutes Lettres de* PLACET, *qui s' accorderont pour mettre à execution aucunes Bulles aut Provisions Apostoliques de Cures & Eglises Parochiales, sera ajout, que l' impetrant sera tenu resider au lieu de sa Cure, sans la pouvoir faire desservir par autrui.*

Que Lettres de Placet ne seront accordées sur privilege de non rèsider sur les Cures, ou sur dispense d' âge, ou qu' il ne scait la langage du Pays, ni aussi sur Coadjutories des Prebendes, ou autres Benefices simples.

Ex his non obscurum, quòd eo tempore Curia Romana de beneficiis etiam parochialibus sive curatis providere personis in hisce residere non volentibus, vel ipsis deservire ob defectum ætatis, aut ignorantiam idiomatis non valentibus, atque ad reprimendos hos abusus hisce Edictis opus fuisse.

Etiam ex his habemus, quàm meritò Principes nostri voluerint non recipi & executioni mandari rescripta Romana sine suo *Placito* (h), uti latiùs exposui in Tractatu de hoc Regio Placito.

IV. Synodi nostræ Belgicæ conformiter ad Synodum Tridentinam, vix temporariam ac quantumvis brevem à parochia sine expressa licentia absentiam concedunt. „Pastores, ait „Synodus Buscod. loco citato, nec ab ovibus suis sine li„centia Decani ruralis, ac nisi alteri approbato ab Ordina„rio curâ commissâ ultra octiduum absint.“ Idem declarat Syn. Antuerp. sub Miræo *tit.* 16. *cap.* 15. additque: „Habitetque (Pastor) non solùm intra limites suæ Parochiæ, sed „etiam non procul ab Ecclesia, nullo autem modo in di„versorio quopiam seu taberna, aut in domo quapiam ma„læ famæ.

Ulterius progressus vigilantissimus Gandensium Antistes Antonius Triest in Decretis Synodalibus *tit.* 16. *cap.* 15. declaravit: „Nulli Pastorum licere, ultra quatuor dies (inclu„sis nempe diebus exitûs & reditûs) abesse, nisi de licen„tia suorum respectivè Decanorum in scriptis obtenta. Quòd „si verò ad octiduum vel diutiùs abesse cogantur, nostrûm „erit hujusmodi facultatem concedere, nec tum demum li„cebit eis discedere, nisi prævìè Decano, deinde populo sig„nificaverit, cuinam vices suas durante absentiâ delegaverit. „Contravenientes verò mulctari volumus toties quoties, li„brâ grossorum, aut alia graviori pro modo culpæ & ar„bitraria.

Quæ Synodalia Decreta planè consona sunt Decreto Concilii Tridentini, *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* utpote nullam sine Episcopi licentia Parochis absentiam quantumvis temporariam annuenti; ut ex ipsis verbis decreti patet; & pluribus ostendit Fagnanus ad *cap.* RELATUM, ✠ *de Clericis non residentibus.*

* Quâ formâ hodiè signanter ex præscripto Concilii Trid. *Sess.* 23. *cap.* 1. Episcopi procedere debeant contra Parochos non residentes, deducit Prosper Fagnanus ad *cap. Ex tuæ* ✠ *de Clericis residentibus*, ubi singulatim annotat, in quibus hoc in puncto Concilium Trid. à modo procedendi per Jus commune, ac notanter in prædicto capitulo, *Ex tuæ* præscripto recesserit.

Notandum autem quòd hæc residendi obligatio etiam obtineat in beneficiis curatis, sive Parochialibus, tametsi ea obtinentes essent Canonici Cathedrales; referturque in Actis Cleri Gallicani, *tom.* 2. *part.* 2. *tit* 14. *cap.* 15. Arrestum Parlamenti Parisiensis de 17. Octobr. 1650. quo injungitur Canonicis Cathedralibus Cenomanensibus Ecclesias Parochiales possidentibus, in iisdem residere, aliàs exciderent proventibus dictorum beneficiorum applicandis hospitali generali civitatis Cenomanensis; fuitque executio decreta per Arrestum ejusdem Parlamenti 7. Maji 1659. ad instantiam Procuratoris Generalis.

In iisdem Actis loco citato *cap.* 13. refertur judicatum per solemne Arrestum Parlamenti Parisiensis 19. Julii 1654. quòd non tantùm Canonici Cathedrales, sed etiam ipse Archi-Diaconus obtinens beneficium Parochiale in eadem diœcesi teneretur *personalitèr* residere in beneficio *Parochiali*, aut dimittere, si in illo residere nollet. Et *cap.* 17. ibidem refertur declaratum per Arrestum Consilii Statûs in modum Regulamenti pro Diœcesi Cardurcensi, quòd, dum eadem persona obtinet duas Ecclesias Parochiales, sivè sint litigiosæ, sivè eas pacificè possideat, provisus non sit gavisurus proventibus, nisi illius Beneficii, in quo *personaliter* functiones exercebit; illius autem Beneficii, cui *personaliter* non deservit, aut utriusque, si neutri deserviat, proventus impendentur in sustentationem Vicarii deservientis, vel reparationem ornamentorum, aut utilitatem Eclesiæ dicti Beneficii, secundùm ordinationem Episcopi.

V. Et licèt horum decretorum rigorem quoad licentiam Episcopi, aut Decani Ruralis pro absentia exigui temporis, modò alteri idoneo interim cura Animarum committatur, usus in plèrisque locis nonnihil temperaverit; ipsaque absentiæ paucorum dierum causa conscientiæ Pastorum videatur relicta, tamen præallegata decreta satis ostendunt, quàm soliciti esse debeant Parochi, ne unquam oves suas pastorali præsentia privent, sed illis

(g) *Et jure nostro Regio*, in leg. 27. tit. 3. lib. 1. Recopilat.
(h) *Idem stabilitum fuit in Regnis Hispaniæ* (*sub nomine* Regio Exequatur) *in Pragmatica Sanctione* de 18. Januarii 1762, *& postea confirmatum alia* de 16. Junii 1768, *quæ hodie est* lex 37. tit. 3. lib. 1. Recopilat.

illis continuò adsint : idque non tantùm præsentiâ corporali, sed pastorali, id est, continuâ vigilantiâ & solicitudine. Unde Synodus P. I. Cameracensis, *tit. de Pastorum residentia, cap.* 2. ait : „ Pastores non modo præsentia, sed officio & ministerio re„ sideant in suis Ecclesiis.

CAPUT IV.

Parochi aliique Animarum Curatores tenentur per se Instructioni populi, aliisque functionibus Pastoralibus incumbere.

1 *Probatur ex Concilio Tridentino.*
2 *Præcipua Pastoris functio est* Instructio *populi.*
3 *Eam tenentur per se obire.*
4 *Instructio vulgò dicta* Catechizatio *multum à Synodis commendata.*
5 *Hæc etiam adultis necessaria.*
6 *Nunquam intermittenda.*

I. SYnodus Tridentina Pastorum aliorumque, quibus cura Animarum commissa est, obligationem personaliter residendi colligens ex divino præcepto. „ Quo iis mandatum est, „ oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbique „ Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bo„ norum omnium operum exemplo pascere“, pro indubitato supponere debuit, Pastores aliosque curam Animarum habentes, eodem divino præcepto teneri ea per se facere.

Si enim huic præcepto satisfacerent, modò ea per alios facerent, hoc est, alios delegando, qui oves agnoscerent, Sacrificium pro iis offerrent, Verbi Divini prædicatione pascerent, &c. qua specie ex allegato præcepto Pastorum personalem residentiam concludere potuisset Synodus? Aut quomodò dixisse potuisset Synodus. „ Ea omnia nequaquam ab „ iis præstari & impleri posse, qui gregi suo non invigilant „ neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.“ Quandoquidem hæc omnia etiam ab absentibus, & iis qui mercenariorum more gregem suum deserunt, facilè præstari possent, si ea per alios præstare possent.

Nihil ergo evidentiùs, quàm ex mente Synodi Parochos aliosque quibus cura Animarum commissa est, debere munia pastoralia per se præstare, & implere. Et sanè quid à ratione magis alienum, quàm habere officium, & non facere quæ officii sui sunt? Habere Curam, & nolle curare? Esse Pastorem, & non pascere?

II. Porrò, cùm inter cætera quæ spectant ad curam Animarum, teste Concilio Lateranensi in *cap.* 15. *de Officio Ordinarii, pabulum Verbi Dei permaximè noscatur necessarium*, hi quibus Cura hæc incumbit præcipuè soliciti esse debent, ut illud ovibus prorrigatur : exemplo Apostolorum, qui, ut eorum Acta referunt, dixerunt : „ Non est æquum „ nos relinquere Verbum Dei, & ministrare mensis. Consi„ derate ergo Fratres, inquiebant, viros ex vobis boni testi„ monii plenos Spiritu Sancto & Sapientiâ, quos constituamus „ super hoc opus, nos verò orationi, & *Verbi Dei Ministe„ rio* instantes erimus.

Hinc illud Apostoli : *Væ mihi, si non Evangelizavero.* Hæc quoque ostendunt, Apostolos haud dubitasse, quin ipsi, & consequenter qui ipsis in curam Animarum, & Ecclesiæ regimen succederent, id muneris per se implere deberent.

III. Proinde Synodus Tridentina non novam aliquam obligationem Pastoribus imposuit, sed jure naturali & divino impositum ursit, dum *Sess.* 5. *cap.* 2. *de Reform.* præcepit, ut „ Quicunque Parochiales vel alias curam Animarum habentes „ Ecclesias quocunque modo obtinent, per se, vel alios ido„ neos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis „ & Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua & earum „ capacitatem pascant salutaribus verbis ; docendo quæ scire „ omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum „ brevitate sermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes quas „ sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem „ gloriam consequi valeant.

Verùm cùm experientiâ notorium sit, Catholicis plerisque lacte potiùs, quàm solido cibo opus esse ; Pastoribus & Animarum Curatoribus singulariter incumbendum instructioni, in qua prima Fidei & religionis rudimenta ad captum & parvulorum & rudiorum traduntur ; quam hodiè *Cathecismum* dicimus. De qua instructione agit Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 4. *de Reform.* eamque ut pernecesariam, vult in singulis parochis diebus Dominicis & Festis fieri.

IV. Mirum! quanta solicitudine hanc instructionem Parochis commendet Synodi Belgicæ.

Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 21. *cap.* 5. postquam præcedenti capite de hac instructione à Parochis instituenda dixisset, ait : „ Si quis autem Parochus non legitimè impeditus hoc tam „ necessarium officium, quod etiam ex Concilii Tridentini „ decreto præstare debet, prætermiserit, is toties unius floren„ mulctam fabricæ applicandam incurrat, quoties hoc neglexerit.

Deinde *cap.* 6. subjungit : „ Ut tamen etiam ipsi Parocho „ sucurratur, omnibus Sacerdotibus & Clericis, qui intra fines „ Parochiæ degunt, præcepit hæc Synodus, ut eam in hoc Sanc„ to dicendi munere pro sua quisque virili adjuvent.

Sanè, si omnes passim Sacerdotes tam sancto & necessario operi, ubi per alias graviores & magis necessarias occupationes licet, applicarentur ; & populus foret instructior ; & Sacerdotes ab otio, multorum malorum & scandalorum ocasione, retraherentur.

Synodo Provinciali consonans Diœcesana Cameracensis anno 1604. præcipit. „ Ut saluberrimam Catechismi doctrinam „ nunquam intermittant Parochi, etiamsi paucissimi forent Au„ ditores ; sed singulis diebus Dominicis ante vel post Ves„ peras diligenter eo munere fungantur, magnam à Domino „ mercedem tam pii operis consecuturi.“ *tit.* 3. *cap.* 5.

Non minori zelo & efficaciâ hoc Catechizandi opus reliquæ Synodi inculcant : obsecratque Synodus Gandensis, „ Omnes „ & singulos Pastores per viscera misericordiæ Dei, & sub ob„ testatione Divini judicii mandat, ut huic officio seriò, dili„ genter & sine intermissione incumbant, tum in suis Parochiis, „ tum in Scholis, aut si fieri possit, in particularibus Congre„ gationibus per hebdomadam aliquando indicendis in vicis „ à Parochia sua remotioribus, *tit.* 4. *cap.* 3.

V. Et quia, ut jam dictum est, non solùm pueris, sed & adultis necessaria esse solet hæc instruendi ratio, utpote frequenter in præcipuis, & maximè necessariis Religionis articulis parum instructis, meritò Synodus Leodiensis anno 1618. *tit.* 4. *cap.* 3. mandat, „ Soliciti sint Parochi, ut diebus Fes„ tis & Dominicis unam horam in struendis Parochiæ suæ pue„ ris, aliisque etiam adultis rudioribus Catechizandis, impen„ dant. Memores quòd pro eorum animabus sint Deo ratio„ nem reddituri.

Et Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.* 11. *cap.* 8. vult, „ Ut finita Missa Matutinali, tam in hyeme, quàm æstate so„ liciti sint Pastores, ut pauperes, mendici, famuli, ancillæ, „ atque alii mechanici catechizentur, & erudiantur in his, „ quæ sine salutis suæ periculo ignorare non possunt.

Quàm necessaria sit hodiè hujus decreti executio, negare non potest, nisi qui ignorat, quanta in hoc hominum genere soleat esse circa præcipua Religionis nostræ mysteria ignorantia. Neque est, quod de fructu hujus exercitationis ambigant Pastores, cùm hic manifestus sit in iis Parochiis, in quibus Pastores zelosiores eam instituerunt.

Quin & Synodus Namurcensis 1639. considerans hujus instructionis necessitatem, „ Hortatur omnes Verbi Dei præcones, „ ut conciones suas ita disponant, etiam diebus solemnioribus, „ ut potiùs catechismum, quàm concionem redoleant, & captui „ populi, quantum fieri potest, accommodent, *tit.* 2. *cap.* 1.

Duo ex his Synodorum decretis consectaria sunt. Primum, nequaquam dubitasse Synodorum Patres, quin Parochis aliisque curam Animarum habentibus incumbat obligatio instruendi tam adultos, quàm parvulos, id est, omnes suæ curæ subjectos; singulis nimirùm pro eorum capacitate, & necessitate.

VI. Alterum, hanc seu puerorum, seu adultorum instructionem non tantùm in hyeme, sed & æstate ; id est, toto anni tempore esse faciendam. Neque omittendam eò quòd pauci forsan sint Auditores ; nam nec hi pabulo Verbi Dei ob aliorum negligentiam aut impedimenta frustandi sunt : ne aliàs & ob neglectum horum verè dicatur : *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret illis.* Undè & improbanda, atque à Synodis improbata est illorum Parochorum praxis, seu potiùs ignavia, qui causantes frequentantium paucitatem tempore æstatis, aut messis, instructionem, præsertim parvulorum intermittunt. Ex quo contingit, parvulos circa fidem & Religionis rudimenta nihil aut parùm esse instructos ; cùm ex intermissione tanti temporis facilè excidat puerorum memoria, quod leviter in hyeme didicerunt.

Quàm procul à mente illorum, qui Synodo Namurc. ultimæ interfuêre, hæc Parochorum excusatio fuerit, claret ex ejus decreto, *tit.* 16. *cap.* 2. quo monet Parochos, „ Ut tempore „ messis, & etiam illis diebus, quibus opiliones, vel bubulci, „ vel subulci in agris sunt, illos visitent ibidem & doceant : imi„ taturi ea in parte vestigia Salvatoris nostri Jesu-Christi, qui per „ vicos & plateas transibat evangelizare Regnum Dei.

CAPUT V.

Respondetur ad cap. 68. de Regulis Juris in VI. Et una afferuntur rationes, ob quas ordinarie contingat, Instructionem Pastoris esse populo utiliorem, quam extranei.

1 *Quid Regulæ Juris.*
2 *Quid inquirendum pro intellectu regularum Juris.*

Ne-

3 *Negotia, in quibus eligitur industria personæ, alteri mandari non possunt.*
4 *Ostenditur, quòd citata regula hîc malè applicetur.*
5 *Instructio populis cæteris paribus utilius fit per Parochum quàm per alium.*

I. REgula Juris 68. in VI. ita habet: *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.*

Ut hujus regulæ sensus habeatur, prænotandum intentionem eorum, qui regulas Juris composuêre, fuisse, ex multis particularium factorum decisionibus communia quædam capita, quæ Jurisconsulti *Regulas*, Medici *Aphorismos* vocant, constituere; ad quæ veluti ad quasdam stationes, in tanta causarum varietate & multitudine recurri posset, ut notat Peckius in procœmio ad Regulas juris.

Unde *L.* 1. *ff. de R. J.* ait: „Regula est, quæ rem, „quæ est, breviter enarrat. Non ut ex regula jus sumatur, „sed ex jure, quod est, regula fiat.

II. Pro genuino ergo regulæ sensu assequendo inquirendum, quæ juris decisiones particulares huic regulæ constituendæ occasionem dederint.

Certum est, multa esse negotia, præsertim civilia, quæ nullam personæ industriam, aut personalem qualitatem requirunt: & in quibus ipsa personæ industria non inspicitur aut spectatur. Alia verò sunt, quæ à personarum industria & peritia potissimum dependent, & suam utilitatem potissimùm ab ea mutuant; & in quibus personarum singulares qualitates specialiter attenduntur.

Priora, utpotè à personarum qualitate ac industria non dependentia, per procuratores, aliosve mandatarios æquè, ac per principales perfici posse, in variis factorum generibus decisum fuit.

III. Hæc verò, quæ à personarum industria dependet, & in quibus personæ industria eligitur, alteri committi non posse, ex adverso sæpiùs declaratum est.

Is, cui adjungitur (ait Pontifex in *cap.* 43. ✠ *de offic. & „potestat. Judic. Delegat.*) ut personaliter negotium exequa„tur, potest, dummodò partes consentiant, hoc aliis dele„gare; præterquam, si inquisitionem fieri, vel Ecclesiis de „Prælatis, vel aliis Ministris provideri mandaremus, cùm in his „omnibus casibus *industriam* & fidem personæ, cui talia com„mitimus, eligere videamur.

Et Bonifacius VIII. *in cap.* 12. *eod. in VI.* ait: „Is cui ab „Apostolica Sede committitur certæ personæ provisio de certo „beneficio in certa Ecclesia, Diœcesi, vel Provincia facienda, „potest alii committere licitè vices suas. Sed si (non expressâ „certâ personâ) committatur eidem, ut alicui personæ idoneæ „de certa Ecclesia vel beneficio debeat providere: (*Quia circa „eligendam personam ejus industria hîc videtur electa*) provi„sionem sibi commissam alteri demandare non potest.

IV. Cùm ergo regula ex jure ante constituto desumatur, evidens est hanc regulam non concernere ea negotia, quæ personæ industriam requirunt, sive in quibus personæ industria eligitur seu spectatur; utpote quæ ex juris decisione aliis committi nequeunt. Et ita unanimi Canonistarum calculo receptum est, ad similia negotia hanc regulam non extendi.

Quis verò ambigat, quin Ecclesia eligens Pastores, aliosque animarum Curatores, personæ qualitates & industriam consideret & spectet? Ut quid enim tanta circa mores, doctrinam, cæterasque personales qualitates & dotes inquisitio, tamque exactum examen (de quibus infrà part. 2.) nisi ut de his omnibus sufficienter constet, & eorum ratio habeatur?

V. Illud accedit, quòd non tantùm in Pastoribus eligatur & attendatur industria & qualitas personæ, sed quod insuper munia pastoralia, præsertim populi instructio, multis titulis cum majori fructu per proprium Parochum, quàm per extraneum, licèt æquè industrium & capacem, ordinariè fiat.

Primò, cùm Pastori id muneris à Deo & Ecclesia specialiter sit impositum, illiusque populi proprius instructor sive Doctor designatus, meritò confidendum fore ut Deus populo singulariter per ejus verba benedicat.

Secundò, dum populus videt Pastorem per se prædicationi & instructioni incumbentem & laborantem, magis excitatur ad affectum & amorem sui Pastoris; quo fit, ut non solùm diligentiùs & libentiùs, sed & cum majori fructu illum audiat.

Tertiò, cùm Pastor exactiorem suorum notitiam habeat, etiam meliùs novit, quæ vitia magis regnent, quæ virtutes minùs frequententur, quæque consequenter frequentiùs & utiliùs pro hoc populo sint dicenda, quibus affectibus & mediis sint movendi & trahendi.

Denique cùm Pastor proventus & subsidia temporalia sibi habeat assignata; neque à populi liberalitate & benevolentia illa debeat expectare, quemadmodum frequenter extranei, & vices Pastorum supplentes illa tenentur sperare, contingit, ut Parochus etiam liberiùs, majorique auctoritate, vitia & defectus in populo carpere & corripere audeat. Cùm è contra hi à populo temporalia sperantes, non rarò dicere cogantur ea, quibus favorem populi concilient, ea verò tacere, quæ populum offendunt.

Hæc aliaque, quæ evincunt, Parochi instructiones ordinariè populo esse utiliores, quàm extraneorum, ac præterea Parochum specialiter à Deo & Ecclesia esse delectum, ut populum Verbo Dei pascat, eique propriè curam populi commissam, sat probant, quàm ineptè quidam Mercenarii potiùs quàm Pastores, in velamentum suæ ignaviæ & negligentiæ hanc juris regulam assumant; idque contra adeò manifesta Ecclesiæ toties iterata decreta, quibus declarat, Pastoribus hoc munus incumbere, quæ §. præcedenti sunt relata; quibus unum ex Synod. Namurc. 1570. sub Havetio è Synodo Tridentina recenter reduce, addo; quod unà declarat, examen de qualitatibus ad Ecclesiam Parochialem assumendorum ideo institui, ut appareat, eum posse & velle per se officium pastorale implere. „Animarum cura nemini posthac credatur, „nisi vitæ ac morum integritate, & doctrinâ talis sit, qui „velit & possit populum rectè docere, & pro auditorum „captu Verbum Dei explicare. Itaque ad Pastoratum nomi„natus, si facto diligenti examine deprehensus fuerit idoneus, „*tum demùm* ad munus pastorale admittatur, *ubi promi„serit, juramento medio, se pro viribus suæ vocationi satis„facturum.*" Tit. 9. cap. 5.

CAPUT VI.

Episcopi cogere debent Parochos, ut per se populum instruant.

1 *Probatur ex Tridentino.*
2 *Parochis contrarius usus suffragari non potest.*
3 *Episcopus, Regulares Parochis substituere non potest.*
4 *Exponitur* Clementina 2. *de Sepulturis.*
* *An mittendi fratres Mendicantes in adjutorium Parochi, ipso invito?*

I. SYnodus Tridentina loco citato postquam declaravit, Parochos aliosque, qui curam Animarum habentes Ecclesias obtinent, teneri per se, si legitimè impediti non fuerint, diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus, plebes sibi commissas pascere salutaribus verbis, subjungit: „Id verò, si quis eorum præstare negligat, etiamsi ab Epis„copi jurisdictione quavis ratione exemptum se esse prætende„ret, etiam si Ecclesiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut „alicui monasterio etiam extra diœcesim existenti, forsam an„nexæ vel unitæ, modo reipsa in diœcesi sint, provida pas„toralis Episcoporum solicitudo non desit, ne illud impleatur: „Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Ita„que ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri „suo defuerint, per Censuras Ecclesiasticas, seu alias, ad ip„sius Episcopi arbitrium cogantur; ita ut etiam, si ei sic ex„pedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id „præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principa„lis ipse resipiscens officium suum impleat.

Manifestum ergo est, ex mente Concilii Tridentini muneris Episcopalis esse, adigere Parochos, ut per se populum instruant, saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus, nî legitimè se impeditos probent. Neque Episcopum permittere posse, ut Parochi haud legitimè impediti extraneis instructionem committant.

II. Nec Parochis hac in parte contrarius usus, quantumvis longævus, suffragari potest; quandoquidem, eadem declarante Synodo, præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum cura commissa est, Oves suas Verbi Divini prædicatione pascere. *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* Cui præcepto contrarius usus pro abusu reputandus est.

Quapropter nuper declaravit Innoc. XI. Parochos Bruxellenses per Archiepiscopum Mechlin. cogendos, ut per se catechizent; tametsi annis 90. continuis per patres Societatis id fecissent. Verba decreti infra referentur.

III. Procul proinde abest à mente Synodi Tridentinæ, ut Episcopi Parochis haud impeditis, & imò per se munus prædicationis obire volentibus, mittere possent Regulares, aut eos in suis Stationibus, ut vocant, Parochis invitis & per se concionari volentibus, firmare. Quod & ipsa Synodus satis declaravit, cùm dixit, Episcopos non legitimè impeditos obligari per se in sua Cathedrali Ecclesia, in aliis verò per Parochos, sive iis impeditis per alios, Sacras Scripturas, Divinamque Legem annuntiare. *Sess.* 24. *cap.* 4. *de Reform.*

Quid enim evidentius, quàm Synodum velle, ut Episcopus populo Legem Divinam annuntiet in Ecclesiis Parochialibus à Catedrali distinctis per Parochos; nec nisi iis impeditis aliis id committat.

IV. Quod ergò dicitur in *Clementina* DUDUM, *de Sepultu-*

turis: In Ecclesiis parochialibus Fratres illi (Prædicatores & „ Minores) nullatenus audeant, vel debeant prædicare, vel „ proponere Verbum Dei, nisi Fratres prædicti à Sacer„ dotibus parochialibus invitati fuerint vel vocati, & de ip„ sorum beneplacito & assensu, seu petita licentia fuerit & „ obtenta: nisi Episcopus vel Prælatus superior per eosdem „ Fratres prædicari mandaret; " Locum habet cùm Parochus vel per se prædicare non vult; vel solus cum iis, qui curam Animarum sustinent, instructioni populi insufficiens est, & tamen adjutorium irrationabiliter recusat: quo indubiè casu Episcopus, cui primariò Animarum cura incumbit, quique defectum Parochi in his, quæ eam curam concernunt, supplere debet, invito Parocho Fratres mittere potest; qui non quidem Parochum in functionibus Pastoralibus impediant, sed juvent. Ita quoque hunc textum intellexit Zypæus, *Resp.* 4. *de Parochiis.*

* Notabiliter est tenendum, per Zypæum *loco citato*, *n.* 7. dici, non sufficere licentiam generalem ab Episcopo datam Fratribus Mendicantibus, ut hi recusante Parocho, queant in ejus Parochia concionari ad sensum dictæ Clementinæ, sed requiri post petitam & recusatam à Parocho licentiam, *speciale mandatum Episcopi*, *nam & illud* (ait) CAUSÆ, *cur Parochus dissentiat*, COGNITIONEM *exigit.*

Nec sanè sine fundamento addidit Zypæus quod, *& illud, cur Parochus dissentiat, causæ cognitionem exigat.* Cùm enim jure Beneficii Parochialis Parocho totius Parochiæ cura Animarum incumbat, eamque jure proprio sustineat, & functiones ad eam curam spectantes obire possit ac debeat; consequens est, quod ipsi tanquam negligenti, aut insufficienti, alius in suâ parochiâ ad has functiones obeundas substitui nequeat, nisi probata sit ejus negligentia vel insufficientia; sivè quod injustè & irrationabiliter consensum suum deneget.

Ulteriùs quia Parochus titulo sui beneficii functiones has exercet; nec nisi servato juris ordine in hac cura, vel functionibus ad eam pertinentibus, quovis modo turbari vel impediri potest, consequens est, & in hac causæ cognitione ordinem juris esse servandum.

Undè si post cognitionem causæ Parochus prætendat Episcopum irrationabiliter judicasse operam Fratrum Mendicantium in obeundis functionibus pastoralibus esse necessariam; seque à functionibus illis obeundis irrationabiliter impediri, quidni Parochus ab eâ sententia seu declaratione posset per apellationem vel querelam ad superiorem providere? Scilicet viâ appellationis, si Episcopus juris ordine servato procedat, vel per recursum ad protectionem Regiam, si viâ facti fuerit processum.

Et eo titulo non ita pridem in functione concionandi *Manutenentiam* obtinuit in Consilio Brabantiæ Pastor Ascanus contra quemdam Religiosum ex ordine sancti Dominici, prætendentem Pastore invito concionari vigore specialis mandati Archi-Episcopi Mechliniensis.

Idipsum obtinere circa Fratres Mendicantes & alios, quos Episcopi obeundas functiones pastorales, puta concionandi aut confessiones excipiendi, mittere vellent, sub titulo *Missionariorum*, ostensum est in Resolutione super simili casu per Doctores Lovanienses; atque ita etiam in Consilio Flandriæ judicatum. Utrumque instrumentum annectitur sub litt. C. in Tractatu nostro *De Recursu ad Principem.*

Notandum, quod etiam refert Cardinalis de Luca *discursu* 27. inter Miscellanea *num.* 3. & 7. *quod ubi Parochus idoneus est, & vult prædicare per se ipsum, eo casu Episcopus non possit alium deputare*; *ut pluries* (inquit,) *declaratum fuit, per congregationem Concilii*; *& præsertim scio ita declaratum post hæc scripta sub die* 13. *Septembris* 1670.

CAPUT VII.

FRATRES MENDICANTES INSTITUTI SUNT, UT MERI PAROCHORUM SUBSIDIARII.

1 *Probatur auctoritate S. Bonaventuræ.*
2 *Auctoritate S. Thomæ.*
3 *Ex admissione Patrum S. J. in Belgio.*

I. SAnctus Bonaventura de Religionibus Fratrum Mendicantium disserens, ait, illas præfiguratas per Joannem & Socios ejus, qui Petro & Andreæ in mari laborantibus, & præ multitudine piscium rete ad terram trahere non valentibus, ex alia navi, scilicet ex vita contemplativa in adjutorium vocati sunt. Ac deindè subdit: „ Nos sumus illi pauperes, qui re„ manentes manipulos segetum, & spicas decidentes post mes„ sores, & racemos relictos in vinea colligere debemus, id est, „ illas reliquias quas Plebani, qui habent officium in plebe sua „ docendi & colligendi, relinquunt, ut eas ex area Ecclesiæ „ ad horreum cœlestis patriæ referamus." Ac tandem concludens ait: „ Temperatissimè sic disposuit Divina Sapientia, & „ instituit Sedes Apostolica, ut per Ordines prænotatos in præ„ dicatione & confessione defectus Cleri suppleantur, & animæ „ salventur, & nec in temporalibus nec spiritualibus Jus Cle„ ricorum aliquatenus violetur." In tract. *Quare Fratres Minores prædicent.*

Hauserat hæc indubiè hic S. Doctor è piissimi Patris sui Testamento, quo inter alia filiis hoc monitum dedit: „ Etsi „ haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit; & in„ venirem pauperculos Sacerdotes hujus seculi in parochiis, „ in quibus morantur, nolo contra eorum voluntatem prædi„ care.

II. Similiter S. Thomas sub idem tempus inquirens, utrum aliqua Religio possit institui ad prædicandum, vel confessiones audiendum, more suo hoc, inter alia pro parte negativa, format argumentum. „ Id, ad quod Religio instituitur, vi„ detur esse maximè proprium Religioni; sed prædicti actus „ non sunt proprii Religiosorum, sed potiùs Prælatorum: non „ ergo ad hujusmodi actus potest aliqua Religio institui." Tum resolvens pro affirmativa respondet proposito argumento: „ Si„ cuti Religiones instituuntur ad prædicandum & confessiones „ audiendum, non quidem auctoritate propria, sed auctorita„ te Superiorum, & inferiorum, ad quos ex officio pertinet, „ & ita subvenire in tali ministerio est hujus Religionis pro„ prium." 2. 2. *quæs.* 188. *art.* 4. *ad* 2.

Manifestum ergo est ex utriusque hujus Doctoris sententia, qui sub initio Fratrum Mendicantium floruere, institutum eorum esse, Prælatis & Parochis in animarum regimine opitulari, & cooperatores accedere.

Quod de Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus dixêre præfati Doctores, id pari ratione de aliis, qui eundem in finem instituti sunt, asserendum.

III. Quare Patres Societatis an. 1565. postulantes in Belgicas provincias admitti, gratiasque ac privilegia eorum Societati à Sede Apostolica indultas Regia auctoritate confirmari; ut ostenderent, se nonnisi ut subsidiarios Prælatorum & Parochorum venire, hanc ipsi clausulam libello supplici inseruerunt. *Salvo quod prædicare non poterunt, nisi præhabitâ veniâ, & permissione Episcoporum, Pastorum, & aliorum Ordinariorum:*

Quin & Rex supplicationi annuens, Societatem juxta ejus institutum & professionem ad has Belgicas suas ditiones admittens, hanc specialiter cautionem adjectam voluit: *Quòd Socii illius Societatis se non poterunt ingerere exercitio illius rei, spectantis ad munus Pastorale, sine scitu, consensu, & beneplacito, tam Curatorum locorum, quàm Episcoporum & aliorum Ordinariorum, quibus auctoritas competit.*

Quibus consonant, quæ de admissione Societatis in Belgium respondet *Imago primi seculi lib.* 6. *cap.* 1. „ Sed neque nos „ adhuc usos privilegiis, neque porrò usuros cum Pastorum „ offensione, quibus non æmuli veniamus, sed adjutores & ad„ ministri.

Scribit quoque Orlandinus, *lib.* 14. *Histor. Societatis, anno* 1544. *num.* 49. Patrem Bernardum Oliverium respondisse D. Roberto de Croy Episcopo Cameracensi, *quòd Ignatii monitu Patres cavissent, ne Parochorum usquam injussu quidquam aggrederentur.*

CAPUT VIII.

REGULARIUM STATIONES QUANTUMVIS DIUTURNÆ ET CONTINUATÆ, PAROCHUM PER SE CONCIONARI AUT CATECHIZARE VOLENTEM IMPEDIRE NEQUEUNT.

1 *Instituto Fratrum Mendicantium contrarium est velle Parochis invitis concionari.*
2 *Fratres Mendicantes Parochis per se concionari volentibus cedere debent.*
3 *Quæ sit origo & natura* Stationum *Fratrum Mendicantium.*
4 *Stationes nullum jus concionandi invito Porocho tribuunt.*
5 *Ita declaravit Innocentius XI.*
6 *Dicta declaratio comprehendit omnes Regulares.*
7 *Jus Parochorum per sententiam Concilii Privati confirmatum.*
8 *Et Senatus Brabantiæ.*
9 *Parocho non obest, quod Jus nominandi Stationarium sit penes Pastorem primitivum aut Ædituos.*

I. CUm capite IV. ostensum sit, Parochis, aliisque Curam animarum habentibus præcepto divino mandatum esse, per se, si legitimè impediti non sint, oves suas Verbi Divini prædicatione pascere; ac deinde capite præcedenti, Fratres Mendicantes in subsidium Parochorum esse primitùs institutos, & ab Ecclesia admissos: ex his nemo non videt, quàm sit inordinatum, ipsorumque Fratrum instituto adversum, velle Parochos, quorum subsidiarios se profitentur, in functionibus ex præcepto divino ipsis impositis impedire.

Hanc quorundam præsumptuosam audaciam expendens Syno-

nodus Coloniensis anno 1536. postquam *p.* 4. *cap.* 8. dicit: „ Aliquot retrò seculis in Ecclesiam receptos esse quatuor Men„ dicantium Fratrum Ordines, quod Parochorum in Verbi mi„ nisterio cooperarii forent", (quos nec repellendos esse ait, modò intra canonicarum Constitutionum cancellos se contineant) capite sequenti subjungit: „ Qui tamen (Fratres Men„ dicantes) cùm in subsidium tantùm vocati sint, ordinariis „ Ecclesiarum Rectoribus molesti esse desinent: ita videlicet, „ ne eosdem cùm suo muneri ipsimet fungi velint, præoccu„ pent; neve quos in excolenda vinea Domini juvare debent, „ in concionibus virulentâ ac detrectatoriâ linguâ carpant. Uti „ nonnulli hujus generis solent, qui inflati ac incompositi, po„ puli auribus demulcendis student, suam non Christi gloriam „ ambientes.

II. Eodem ex fundamento Synodi Belgicæ sedulò inculcant, ne ullus, quantumvis etiam Privilegiatus, Parochum per se concionari volentem impedire audeat.

„ Pastoribus per se munus prædicationis obire volentibus, „ (ait Synodus Antuerpiensis sub Miræo) meminerint omnes „ quomodocunque privilegiati, se juxta decretum Concilii Tri„ dentini cedere debere." *Tit.* 11. *c.* 7. Conformes sunt Synodus Mechl. D. an. 1609. *tit.* 10. *c.* 4. Gandensis, *tit.* 10. *cap.* 2. aliæque.

Neque hac in parte Fratribus Mendicantibus suffragari posse Stationes, ut vocant, quantumvis etiam seculis aliquot continuatas, facilè intelliget, qui harum Stationum conditionem & originem paulisper expendere voluerit.

Et quidem Sationes hæ, saltem pleræque, vel ante Concilium Tridentinum, vel circa tempora absoluti Concilii ortum suum habuêre.

III. Cùm enim ante Concilium Tridentinum; imò & tempore Concilii magna ubique esset Sacerdotum Parochialium raritas, magna ignorantia, atque non residentium & mercenariorum more greges suos descrentium ingens copia, ut ex historiis, ipsisque Concilii Trident. & aliorum Conciliorum, etiam Belgicorum circa id tempus celebratorum decretis potest constare; contigit, ut vel Episcopi, vel etiam populus, aut Capitula, tanquam primitivi Pastores, vel interdum ipsi Parochi Presbyteris subsidiariis sufficientibus destituti rogaverint hujus illiusve Ordinis Fratres, ut ipsi, qui ad defectum Cleri supplendum, Parochisque opitulandum se institutos profitebantur, quibusdam determinatis diebus ad populum Conciones haberent.

Hi verò rogantibus obsequentes diebus sibi asignatis Conciones ad populum per aliquem ex Ordine suo habuêre; ex quarum continuatione Sationes factæ sunt.

Hic enim Ordo habere dicitur Stationem, qui ex rogatu Parochi alteriùsve jus vocandi habentis, his illisve per annum diebus Conciones habere consuevit; ita ut necesse non sit de novo vocari, sed vi primæ vocationis ex Ordine illo semper mittatur, qui illis diebus Conciones habeat, Parochoque in hoc munere subsidio sit.

IV. Cùm igitur Regulares, qui vigore harum Stationum concionantur, vocati fuerint tanquam subsidiarii, qui defectum aut insufficientiam Parochorum supplerent ipsisque subsidio essent; manifestum est, nullum jus titulo harum Stationum contra Parochos posse prætendi: quandoquidem non obstante quocunque temporis decursu verum maneat, ipsos non nisi ut Parochorum Subsidiarios esse vocatos; adeoque nec aliter quàm tales esse habendos.

Porrò qui hodiè indiget subsidio, cras non indigere potest: & qui hodiè eo uti vult, cras nolle potest.

Ad hæc quid à natura Subsidiariorum magis alienum, quàm esse subsidio ei, qui subsidio nec indiget, nec uti desiderat? Quid injustius, quàm eos, qui subsidiarios & opitulatores se profitentur Prælatorum & Parochorum, velle impedire Parochos iis in functionibus, quas ut per se obeant, non Ecclesiastica duntaxat, sed & divina Lex mandat?

V. Ex his elucet justitia declarationis Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Trident. Interpretum, & decreti Innocentii XI. dati occasione controversiæ inter Parochos Bruxellenses & Patres Societatis super instructione sive Catechismo parvulorum (h).

Contendebant enim Patres Societatis jus tradendi doctrinam christianam sive catechismum in Ecclesiis parochialibus allegantes continuam non interruptam consuetudinem nonagenariam; ac per hanc jus illud sibi competere prætendebant. Parochi ex adverso allegabant, sibi ex munere & officio jus esse in propris suis Ecclesiis, parvulis divini Verbi panem frangendi; neque posse à quopiam in hoc suo munere impediri, aut præocupari. Quæstione delata ad dictam Sacram Congregationem, hæc die 8. Maji. 1681. censuit: „ Nullum jus competere Pa„ tribus Societatis Jesu docendi doctrinam christianam in Ec„ clesiis invito Parocho, nec in aliis invito Titulari: Et fac„ ta de præmissis relatione Sanctissimo, Sanctitas sua senten„ tiam S. Congregationis approbavit, addens præterea non mo„ dò ad Parochos hoc spectare, verùm teneri per se ipsos do„ cere, atque ad eorum partes explendas ab Archiepiscopo „ juris mediis cogendos esse.

Originale hujus resolutionis asservatur in Archivis Archi-Episcopatus Mechliniensis; & juxta copiam, ut ajunt, authenticam integra exhibetur in Libello D. Opstraet, cui titulus, *Pastor bonus*, *p.* 2. *cap.* 1. §. 5.

VI. Sat perspicuum est resolutionem S. Congregationis, ipsamque Pontificis approbationem & extensionem unicè inniti juri & obligationi Parochorum instruendi populum sibi subjectum: quam obligationem Patres Societatis, qui ut Parochorum subsidiarii id muneris aliquandiu subierant, Parochis eximere non potuerant, adeoque nec Parochis esse obstaculo, quominùs obligationi suæ satisfacerent.

Ex quo ulteriùs consectarium est, quod licet Declaratio solos Patres Societatis, de quibus erat quæstio, exprimat, reliquos tamen Fratres Mendicantes eodem, & non fortiori, quo Patres Societatis in tradenda christiana doctrina in Ecclesiis Parochialibus jure nitentes, comprehendi. De quo non dubitans Archiepiscopus Mechliniensis in decreto suo 2. Aprilis anni sequentis ad hoc Sedis Apostolicæ decretum alludens, postquam Parochis omnibus injunxit: „ Ut singuli per se ins„ truendæ juventuti, seu catechizandis rudibus sedulò incum„ bant, addit: Eo etiam attento quod sanctissimus Dominus „ noster anno proximè elapso octava Maji, juxta sensum me„ morati Concilii Generalis, (Tridentini) declaravit, Ca„ techesim non modò ad Parochos spectare, nec alios posse „ in Ecclesiis Parochialibus iis invitis docere, verùm teneri per „ se ipsos docere, atque ad eorum partes explendas juris „ mediis cogendos.

VII. Nec solus Ecclesiasticus Magistratus Parochorum jus in functionibus Pastoralibus obeundis contra quascunque etiam inveteratas & continuatas Regularium stationes declaravit & firmavit: sed & Civilis seu Regius, dum ad ejus Tribunal quæstio delata fuit, Parochos in hoc suo jure manutenuit & confirmavit. Aliquot hujus rei testimonia eaque ilustriora proferam.

Primum occurrit occasione Patrum Dominicanorum urbis Insulensis. Cùm enim in ea civitate ex antiquo usu Fratres Mendicantes Stationes concionandi in Adventu & Quadragesima haberent, contigit, ut anno 1619. ad Patres Dominicanos statio concionandi in Ecclesia Parochiali S. Salvatoris spectaret; at licentiam concionandi his Patribus Episcopus Diœcesanus Tornacensis denegavit; allegans pro causa recusationis, quòd hi Patres in quadam causa funeralium suum tribunal declinassent, & ad regium confugissent. Patres hac recusatione offensi ad Consilium Sanctius Bruxellis recursum habuêre, querentes, sibi approbationem recusari ex causa, quæ in judicio controverteretur. Consilium audito prius Episcopo, qui aliam, præter allegatam, recusationis causam non allegaverat, 23. Octob. 1639. rescripsit Episcopo, casu quo prior aut alius dicti Ordinis Religiosus cum omni reverentia ac submissione postulet continuationem Stationum in Adventu & Quadragesima; unà recognoscens, ait Consilium, quod sine Episcopi licentia concionari nequeant, intentionem & votum Consilii esse, ut sine ulteriori difficultate pro hac vice Stationes consuetas in ipsis continuare permittatis; nequaquam tamen intendentes, in aliis circumstantiis & occasionibus vestram in functionibus Episcopalibus auctoritatem imminuere.

Cum verò nec his litteris moveretur Episcopus, persis-

(h) *Exortâ Controversiâ inter Parochos & Patres Societatis Jesu super jure docendi doctrinam Eclesiasticam in Ecclesiis Parochialibus, allegantibus his consuetudinem nonagenariam, illis verò competentiam ex proprio munere, supplicatur S. Congregationi pro declaratione.*

Die 8. *Martii* 1681. 6. *Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit nullum jus competere Patribus Societatis Jesu docendi doctrinam christianam in Ecclesiis invito Parocho, nec in aliis invito Titulari. Et facta de præmissis relatione Sanctissimo, Sanctitas sua sententiam S. Congreg. approbavit, addens præterea non modo ad Parochos hoc spectare, verùm teneri per seipsos docere, atque ad eorum partes explendas ab Archi-Episc. juris mediis cogendos esse. Si verò aliorum opera uti debeant, mens est Sanctitatis suæ, quod Parochi potiùs, quàm alios, adhibeant Patres Societatis Jesu.*

Erat signatum F. Cardinalis Columna præfectus & contra signatum S. Archi-Episcopus Brancaccius Episcopus Viterbiensis.

Erat munitum sigillo dicti Eminentissimi Domini Cardinalis præfecti.

Concordantiam cum suo originali asservato in Archivis Archi-Episcopalibus Bruxellis attestor. Et erat signatum J. *de Martyre*, Secretarius Illust. & Rev Domini Archi-Episcopi Mechliniens. = *Concordantiam attestor.*

teretque in recusatione approbationis, nulla alia recusationis ratione adducta (quæ Regiis Ministris insufficiens imò eorum auctoritati & jurisdictioni videbatur contraria) tandem 3. Decembris ejusdem anni nomine Principis Cardinalis tunc temporis Belgii Gubernatoris scriptum fuit Episcopo, quòd pertinax illa approbationis recusatio magis ac magis ostendat, hanc recusationem unicè procedere ex displicentia obtentæ victoriæ per prædictos Religiosos contra Parochos civitatis Insulensis in materia funeralium coram tribunali laico: ideoque sua Celsitudo mandet, ut casu quo Religiosi præstent ea, quæ in litteris Concilii fuêre expressa, eos indilatè ad continuandum suas Stationes admittat, sub pœna apprehensionis temporalium sui Episcopatus: si tamen, inquit, *Parochus intendat per se concionari in sua Ecclesia per Adventum & Quadragesimam, sua Celsitudo eum impedire non intendit.*

In vim hujus clausulæ Parochus per se Conciones habuit; & Dominicani mansêre exclusi. Hæc ex Registro M. S. Archi-Episcopatus Mechliniensis.

Licèt ergo inveteratas, & longa annorum serie continuatas Religiosorum Stationes sine causa impediri non posse judicarent Ministri Regii, eas tamen utpotè merè precarias, & subsidiarias nullatenus posse juri Parochorum derogare; aut Parochum suas functiones per se obire volentem impedire, haud dubitârunt.

Alterum argumentum suppeditat famosa controversia quæ occasione instructionis parvulorum sive catechismi anno 1643. in Civitate Gandensi exorta est.

Patres Societatis admissi fuerant in civitate Gandensi anno 1586. atque ab eo tempore usque ad annum 1643. tam in Ecclesiis parochialibus, quàm Sacellis Ecclesiis parochialibus subjectis catechizationes parvulorum diebus Dominicis & feriis quintis habuerant. At hoc anno septem Parochi civitatis Gandensis exposuerunt Episcopo, præcipuum munus Pastorum esse, ritè instruere parvulos, eisque verbi divini pabulum subministrare, & panem frangere, ideoque se intendere, muneri illi per se conformiter ad jus naturale, & Ecclesiasticas sanctiones sedulò incumbere; eumque in finem gratias agere Patribus Societatis pro labore, quem in hoc pio opere spatio circiter 60. annorum subierant.

Episcopus audito suo Vicariatu respondit, liberum esse Pastoribus gratias agere Patribus Societatis pro labore hactenus impenso in catechizatione diebus Dominicis horâ primâ pomeridianâ, & feriis quintis per hebdomadam in Ecclesiis Parochialibus & Sacellis; ac posse posthac *per se* vel *suos Vice-Pastores* in suis respectivè Ecclesiis parochialibus, & Sacellis, quæ ipsis sunt subjecta, has instructiones facere; quo possint melius Agnos suos agnoscere, & ipsi ab illis agnosci.

Verùm contra tum Episcopi, tum Parochorum resolutionem causam Patrum Societatis suscepêre Scholasticus Ecclesiæ Cathedralis & Magistratus, obtuleruntque respective libellum supplicem Consilio Sanctiori exponentes, Patres Societatis ea conditione ad civitatem Gandensem fuisse admissos, ut catechizationes parvulorum haberent; easque tanquam eorum instituto & professioni conformes ipsis per Scholasticum & Magistratum, quibus ex officio incumbit instructioni juventutis intendere, demandatas & spatio 60. annorum continuatas.

His aliisque tum ex parte Scholastici tum Magistratus allegatis argumentis, reposuit Episcopus: Ut verum sit, Patres ex suo instituto mitti ad catechizandum, eaque conditione ad civitatem Gandensem fuisse admissos; certissimum tamen esse non nisi in qualitate *subsidiariorum* venire, nec aliâ conditione vel in hanc civitatem, vel in Belgium esse admissos; quæ admissio nullatenus juri ordinario Parochorum derogare potest.

Similiter quæcunque auctoritas vel Scholastico vel Magistratui competat instructioni juventutis invigilandi, ea tamen nequaquam impedimento esse potest Parochis volentibus muneri catechizandi sibi subditos satisfacere, sed ex adverso, si quæ his esset auctoritas, eam impendere deberent, ut Parochi huic suo officio, ad quod præcepto divino tenentur, sedulò incumberent.

Hoc unum penè fuit, quod omnibus tam ex privilegiis, & instituto Societatis, quàm ex jure Scholastici & Magistratûs petitis argumentis reposuit Episcopus: idque eo successu, ut 18. Martii 1644. Consilium Sanctius pro Episcopo judicaverit; translationemque Stationum à Patribus Societatis ad Parochos probaverit. Cujus sententiæ meminit quoque Zypæus. *Responso 4. de Parochis.*

VIII. Tertium Argumentum suppedittat sententia Senatûs Brabantiæ (k) pro Præposito, Pastore & Ædituis Ecclesiæ Parochialis frigidi Montis in civitate Bruxellensi contra Patres Dominicanos.

Patres Dominicani continuaverant Stationes concionandi omni-

(k) *Cum in Consilio Clementissimi Domini nostri Regis Caroli ejus nominis II. Regis Castellæ, Legionis, Aragoniæ, utriusque Siciliæ, Jerosolimæ, Lusitaniæ, Navarræ, &c. Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgii, &c. Comitis Habspurgensis, Flandriæ, Artesiæ, &c. Constituto in hac sua Provincia & Ducatu Brabantiæ, quæstio & lis mota fuerit inter Patrem Priorem & Conventuales Patrum Prædicatorum hujus civitatis Bruxellensis, impetrantes ab una, & Dominum Præpositum, Pastorem, Ædituos & Magistros Pauperum Ecclesiæ Parochialis de Candenbergh ejusdem civitatis reos citatos ab altera partibus, in qua cum parties in rotula 7. Novembris 1674. regulatæ fuissent verbalia suas in memorias reducere, atque hinc inde satisfactum fuisset, impetrantes per suos dixissent in substantia: Primò quòd, cum ipsi Impetrantes vel ab anno 1474. & sequentibus, ulteriusque ad exhibitionem dictarum memoriarum, stationem suam semper habuerint in Ecclesia Parochiali citatorum, ad concionandum in eadem Ecclesia quibuslibet Festis totius anni, pariterque ad corrogandum cum scutella eleëmosynam pro dicto suo Conventu, tempore concionis in eadem Ecclesia per aliquem suorum Religiosorum, signanter cum id notoriè constaret ex documentis id concernentibus penès ipsos prædecessoresque eorum omni tempore asservatis, quodque dicti Impetrantes à prædicto immemoriali tempore usque ad præfatam exhibitionem memoriarum pacificâ & quieta possessione gavisi essent, ut in prædictis concionibus stationalibus in dicta citatorum Ecclesia circuirent per quemdam Religiosorum suorum pro eleëmosyna sui Conventus, prout omnibus manifestum erat, his nihilominus non obstantibus contigisset primâ die Maji anni superioris 1674. concionante in præfata citatorum Ecclesia, horâ ordinariâ Patre Procuratore Conventus Impetrantium, eoque juxta priscam consuetudinem auditoribus omnibus commendante eleëmosynam, cum exinde socius ejus cum capsula sua circuire intenderet, hoc ipsis viâ facti fuerit inhibitum ab Ædituo & Magistris pauperum ejusdem Parochiæ, qui eo usque fuerant inconsiderati, ut via meri attentati, turbationis, viâ facti & novitatis, specialiter verò idem Ædituus, fratri laico Impetrantium & socio præfati Patris Procuratoris inhiberent circuitum cum scutella sua eleëmosynaria, ita ut præfatum fratrem laicum secedere & abire compulerint, non sine magna admiratione schandaloque publico quorumvis auditorum, pariterque cum maxima ignominia & contemptu sui Conventus, quin imò, quod amplius est, quòd idem Ædituus publicè scutellam clausisset, tali modo Impetrantium pacificam & immemorialem possessionem impediens, quod plenè constaret ex testimoniis præparatoris & depositionibus Joann. Beckers & Joann. Van Essche, qui concioni iisdem die & hora interfuerant; posse verò idem ampliùs plurimorum testimonio roborari & manifestari, causa eo directa quòd talia & via facti attentata directè repugnarent sæpiùs memoratæ priscæ & immemoriali possessioni Impetrantium: itidemque essent contraria Diplomatibus quibusvis & Edictis Supremorum hujus Belgii Principum, quodque insuper quo providerent, jurisque sui æquitatem conservarent, Impetrantibus consultum fuisse ad prædictum Consilium recurrere, quod idem consecutive humillimè implorassent & requisissent, idcircò ut eidem placuisset in finem præscriptum ipsis concedere litteras patentes manutenentiæ in forma, quod conformiter ad prædictas ipsorum preces eædem ipsis litteræ indilatè concessæ fuerint & expeditæ à die 7. Maji 1674. quod easdem in promptis etiam executioni mandari curassent, ad diem undecimam ejusdem mensis Maji 1674. per primarium præfati Consilii Apparitorem, prout ex ejusdem relatione pateret, quòd idem primarius Apparitor, cum ei debitè innotuisset de possessione Impetrantium, & turbatione via facti citatorum, eosdem Impetrantes nomine suæ Majestatis ut Ducis Brabantiæ manutenuisse in possessione circumeundi cum scutella per Religiosos suos tempore concionis stationum suarum in dicta Ecclesia, pariterque emolumentorum inde proventientium, & eorum quæ indè dependerent, quòd idem primus Apparitor tum insuper jussione expressa mandâsset Ædituo Pepermans, omnibusque ad quos spectare posset, ne Impetrantes in pacifica & tranquilla sua possessione ejus quod supra memoratum est, turbarent, aut quovis modo impedirent; ulteriùs ut ipsi citati impedimenta quæcunque, & turbationes dictæ pacificæ & tranquillæ possessioni contrarias indilatè & sine ulla mora absque sumptu & damno amoliri tenerentur & reparare. Quod dicti citati videlicet tam Ædituus, quàm Magistri pauperum prout & Pastor primario Apparitori exequenti in promptis respondissent, Impetrantes deinceps in Templo suo non concionaturos, aut ad Templum suum venturos (quod maximè notandum foret) ut in concionibus suis, quæ singulis diebus anni Festis haberentur, circuirent cum scutella; quòd ipsi citati impetrantibus expressè admodum inhiberent ne Cathedram suam in prædicta Ecclesia suâ ascenderent, quòdque talis esset prætensim intentio Pastoris ejusdem Ecclesiæ; quòd ipsi citati, non obstantibus præmemoratis rigorosis mandatis & Edictis hujus Supremi Consilii, & in contemptum auctoritatis ejusdem eò usque fuissent temerarii, idque in præjudicium prædictæ manutenentiæ executioni mandatæ, ut die secunda Pentecostes anni elapsi 1674. mero attentato, & via facti impedivissent Patrem*

Go-

nibus diebus Festis colectamque per aliquem è suis tempore concionis per duo integra secula in dicta parochiali Ecclesia. At anno 1674. Æditui unà cum Pastore expendentes Ecclesiæ suæ egestatem intimaverunt Patribus Dominicanis, se non posse ultra permittere dictam collectam in commodum Conventûs ipsorum, eamque posthac faciendam in utilitatem Ecclesiæ; cumque non obstante hac intimatione die 1. Maji ejusdem anni Patre Dominicano concionante Socius ejus se ad colligendam eleëmosynam more consueto accingeret, impeditus fuit ab Ædituis. Hinc Patres Dominicani ad Senatum Brabantiæ recursum habuêre, & allegata immemoriali possessione faciendi dictam collectam, & turbatione, litteras *manutenentiæ* obtinuerunt: Quibus se unà cum Præposito & Pastore opponentes Æditui dixerunt, hanc collectam esse nudam sequelam & appendicem Stationum concionandi.

Porrò *Stationes* illas esse merè precarias & ad nutum Pastoris revocabiles, & consequenter, cùm Pastor egerit gratias Patribus illis pro concionibus, nihil planè juris illos sibi posse asserere ad dictam collectam; ac per consequens litteras manutenentiæ per sub-&-obreptionem esse obtentas sustinuerunt: & ita cum expensis declaravit Senatus 3. Octob. 1675.

IX. Quinimo licèt Stationarii deputatio sit penès Capitulum v. g. ut Pastorem primitivum, aut Ecclesiarum Ædituos; nihilominus Parocho per se concionari volenti cedere debere non semel judicatum fuit. Et quidem cum Capitulum S. Petri Lovanii jure primitivi Pastoris nominasset in Concionatorem Adventûs & Quadragesimæ unum è Societate, voluit ejusdem Ecclesiæ Plebanus per se diebus Dominicis Adventû & Quadragesimæ concionari, quod hactenus per Stationarium à Capitulo fieri consueverat; cumque nonnulli Canonici causam Stationarii sustinere vellent, quæstione ad Supremum Brabantiæ Senatum delata, jus concionandi excluso Stationario adjudicatum fuit Plebano anno 1684.

Refert quoque de Sercy in libro Gallico, cui titulus: *Définition Patrum Minoritarum Civitatis Mechliniensis, qui similem stationem prætensam obtinebant vi contractus à multis annis in Metropolitana ejusdem civitatis; quòdque hoc contra Stationantes prætensim esset judicatum in magno Consilio suæ Majestatis ibidem anno* 1664. *quòd tales stationes prætensim precariò donentur & concedantur, quòd his positis ipsi citati Cathedram suam occludendo Impetrantibus turbationem nullam novissent, quòd per illud jure suo usi fuerint & nemini fecerint injuriam, quòd per illum prætensim multò minus attentarint, quòd contra hæc per Van den Branden pro Impetrantibus fuisset replicatum in rotula 5. Septembris tum proximè elapsi, adeoque concludendo perstitisset, ut aliàs, ut ante ubique cum expensis, vel quod alias &c. idque propterea, quod pro maxima parte positiones præfatæ responsionis citatorum expressè admodum ab Impetrantibus negarentur, quod acceptaretur confessio à citatis facta, quod Pepermans cum suis origo esset & prima causa turbationis illius viâ facti, & modi agendi, quod præparatoriæ attestationes citatorum minus adversarentur Impetrantibus quàm faverent, quodque easdem (in quantum pro) cum confesso turbationum ibidem factarum acceptarent, quod contra hæc Du Prenne simpliciter loco duplicæ perstitisset, atque tale erat factum, & casûs positio, & in quo citati planè fuissent infundati, dum interim suprà, & causâ ad probandum regulata plenè patere, quòd Impetrantes à tempore immemoriali fuissent in pacifica & tranquilla possessione concionandi in Ecclesia citatorum, quibuslibet anni festis diebus, concionisque tempore circumeundi cum scutella pro eleëmosyna sui Monasterii; quod illud satis patuisset ex notoriis quas desuper tot seculis servâssent, & in litis per extractum authenticum exhibitis, possetque ulterius manifestari ubi negotium ad id dispositum & ordinatum fuerit, quòd ipsi Impetrantes principaliter & unicè ex auctoritate prædicti Consilii se manuteneri curâssent, in possessione circumeundi cum scutella pro eleëmosyna sui Conventus, toties quoties in Ecclesia citatorum concionarentur, quòd illud precisè demonstraret exacta relatio primarii Apparitoris qui eas litteras executioni mandavit, pariterque ipsum manutenentiæ Diploma, ad quod brevitatis causâ remitteretur, quòd talis possessio & turbatio tanquam versans in negotio purè temporali spectaret ad notitiam Tribunalium civilium, quòd ipsi citati & specialiter Pepermans ejusque consortes auctores & perturbatores fuissent pacificæ & tranquillæ possessionis Impetrantium, quòd illud superabundè declararetur ex præscriptis, cum præparatoriis attestationibus ex parte sæpius memoratorum Impetrantium traditis; præteriretur, quòd omnes Canonicæ leges, omnes Synodi & Sacrosancta Concilia, per multa insuper decreta sanctæque Sedis expressa mandata, quæ ab immemoriali tempore usque ad prædictarum memoriarum exhibitionem emanarunt, nihil aliud clament, nisi quod Religiosis ex Ordine Impetrantium, ubivis in quibuscumque Ecclesiis, sacellis & locis absolutè permissum esset concionari, verbumque Dei populi annuntiare, prout id instructivè ulterius deduceretur; quòd non foret in potestate ullius alterius Ecclesiasticæ superioritatis talia revocare aut irrita facere; attento quod hoc ab eo fieri deberet qui talia privilegia & potestatem ipsis, Ordinique ipsorum in perpetuum concessisset, quòd id solummodo spectaret ad potestatem suæ Sanctitatis quæ propter rationes eam moventes sola hoc posset revocare; verùm cum nullæ hactenus fuissent rationes, ut tales revocationes fierent, sed è contrario, ut hæc privilegia magis & ampliùs augerentur ob beneficia & utilitates quas populus inde quotidiè perciperet, hinc ne minima ratio quidem aut fundamentum subesset, cur talis ipsorum immemorialis possessio Impetrantium denegaretur, ultrà ea quæ superiùs sufficienter essent declarata, quæque itidem suo tempore demonstrarentur (si opus foret) ultrà confessionem ab ipsa parte superiùs factam; quòd hæc turbatio unicè & specialiter orietur à dictis Ædituis & Magistris pauperum præfatæ Ecclesiæ S. Jacobi de Candenbergh, ut constat ex actis per eos ipsos in lite productis, nec possent iidem citati ex quadam attestatione Philippi Verdelet

Godefridum Goddry Religiosum Ordinis Impetrantium quominus Cathedram ascenderet, & juxta antiquam & immemorialem suam possessionem in prædicta citatorum Ecclesia concionaretur hora octava matutina; quòd ipsi citati in eum finem & effectum videlicet dictus Pepermans cum suis, introrsum ad januam dictæ Cathedræ novam jussissent affigi seram, nec clavim tradere voluissent quâ aperiretur; quòd ipsi citati è contrario istorum, speciatim dictus Pepermans cum magno scandalo & ignominia Ordinis Impetrantium, vice Patris Godefridi Coddry, Patrem quendam Capucinum dictam Cathedram jusserint ascendere, ut ibidem vice ipsius concionaretur, quæ omnia plenè constarent ex preparatoriis & juratis attestationibus Huberti Goossens Professione sua Typographi in hac civitate, & Adriani vander Vlot professione Oenopolæ, qui in memorata Ecclesia tum præsentes interfuêre; quòd dictus Pepermans contra primum Impetrantium injuriosa & scandalosa quædam verba protulisset, quòd super eo & super memorata via facti in promptis nomine Impetrantium tanquam super mero attentato facta fuerit protestatio, simulque fuerint requisitæ desuper litteræ patentes attentati in talibus causis servientes, cum ulteriori interdicto ne simile quid in posterum attentaretur, sub pœna sexaginta regalium aureorum, qui cederent emolumento suæ Majestatis, quòdque exemplar illarum traderetur in manu Officii fiscalis, ut ad onus prævaricantium sui muneris debitum exequeretur; quòd viso hoc libello, & consulto officio Fiscali, idem libellus remissus esset ad rotulam, ut ibidem fierent supplicationes in eo expressæ, inhibitione facta citatis ne quid attentarent usque ad diem primam servientem; quòd dictus libellus in præfata rotula fuerit exhibitus, daloque illius inspectione citatis, iidem eo usque fuissent passione abrepti, ut noluerint eidem acquiescere aut obedire; quòd è contrario dicti citati continuè turbassent Impetrantes, qui hactenus in tranquilla & pacifica fuerant possessione (ut supra dictum est), quòdeum in finem nunquam permississent Impetrantibus, ut præfatæ litteræ patentes manutenentiæ effectum suum sortirentur, non obstantibus rigorosis mandatis, jussionibus & interdictionibus hujus Consilii; quòd idcircò, usque in hanc horam nunquam voluissent admittere Impetrantes, aut Religiosos ab eis missos ut concionarentur, aut cum scutella pro eleëmosyna circuirent, sed eosdem semper dimisissent cum ignominia totius sui Ordinis & contemptu auctoritatis hujus sæpè memorati Consilii, adeoque, ut supra dictum est, nolentibus citatis acquiescere & obedire expressis mandatis quæ in præfatis litteris manutenentiæ urgebantur & continebantur, ex parte Impetrantium fuerint citati ad opponendum per eundem primarium Apparitorum ad rotulam 30. Maji tum proximè elapsi post Vacantias; quòd Van den Branden ibidem comparens pro Impetrantibus proponendo exposuisset contenta litterarum suarum patentium manutenentiæ, & conclusisset pro auctoritate mandatorum inde expressorum, & aliàs prout in mandato, & in casum litis, pro recredentia cum expensis, damnis & interesse, quòd Van den Branden eodem die exposuisset contenta in præfato suo libello in materia attentati, & conclusisset prout in eodem cum expensis, quòd Du Prenne pro citatis contra conclusiones Van den Branden ibidem consignatas & captas, esset contestatus die 27. Junii 1674. adeoque conclusisset pro sub & obreptione dictarum litterarum patentium manutenentiæ, & ulterius ad non receptionem tam in materia principalis quàm attentati, equidem in modo & forma cum expensis, idque maximè ob rationes prætensim, quòd Archiepiscopi nemini tribuerent auctoritatem ad concionandum nisi Pastores in eo consentirent, quòd illud Impetrantibus esset prætensim notum, tam ex eorum parentibus, quàm ex quodam prætenso mandato quod ipsis Pastor fieri curâsset, quòd ipsi prætensim mandatis talibus acquievissent, in eumque finem prætensim se domi continuissent feria secunda Paschatis, dieque Annuntiationis Divæ Virginis, quòd per illud Impetrantes prætensim renuntiâssent suæ stationi, quòd similes stationes essent revocabiles ad nutum Pastoris loci & Superioritatis Ecclesiasticæ, quòd tale quid prætensim patuisset in sta-

finitions du Droit Canon. &c. tit. de Ædituis n. 19. Ædituos interdum habere jus ex consuetudine immemoriali nominandi Concionatorem Adventûs, aut Quadragesimæ, sed talet, *data* 16. *Maji tum proximè elapsi, & ab iis similiter in lite exhibita commodum ferre, attento quod per illum se iidem jugularent, cum idem Deponens testabatur, quod ad requisitionem citatorum missus fuisset ad Monasterium Impetrantium, ut ad diem* 1. *Maji concionatorem haberent, at ea conditione quòd in eadem Ecclesia pro eleëmosyna sui Conventus non circuirent; quid adhuc egerent testibus, & quid manifestius ad condemnationem citatorum, quandoquidem per id ipsum possessionem Impetrantium quoad conciones de novo continuâssent, turbationemque etiam tum solummodò movissent quoad temporale, sive concernens circuitum cum scutella pro Conventus sui eleëmosyna, & quandoquidem in materia possessoria & ad obtinendum in materia manutenentiæ nihil aliud secundùm jura requireretur præter probationem possessionis & turbationem ex adverso motam, & consequenter, ad Impetrantes quoties in Ecclesia citatorum concionarentur, impediri aut turbari licuisset in circuitu cum scutella pro eleëmosyna sui Conventus, prout effectu contigisset, uti esset in confesso vel ipsius partis, hinc firmum esset ac stabile quod Impetrantium litteræ patentes in hoc casu deberent confirmari cum expensis, damnis & interesse, cum possessio hic superius clarè esset demonstrata; quin ipsi parti esset in confesso, quodque turbatio adversus hæc mota, etiam resultaret ex factis hic ante descriptis ab ipsa parte passim admissis, & ab Impetrantibus præparatoriè plenè probatis cum præsentatione eadem facta ulteriùs ad superabundantiam probandi si opus foret, quibus omnibus attentis, &c. hic conjungendo &c. persisterent etiam nunc Impetrantes expressè admodum prout aliàs, cum expensis, aut aliàs salutariter omni meliori modo; prædicti verò citati in scripturis suis memorialibus dixissent sequentia in substantia: quod quandoquidem inter citatos statutum esset ob graves admodum rationes, accedente etiam prævio mandato Superintendentium eleëmosynis Impetrantem cum gratiarum actione amovere, & indicare quod inutile foret ut deinceps Religiosos suos ad ipsorum Ecclesiam mitteret ad concionandum Festis diebus, quo sibi ad exclusionem ejusdem Ecclesiæ, & Pauperum propria facerent emolumenta circuitus tempore concionis, prædicti Æditui & Magistri pauperum in corpore Impetrantem de eadem resolutione certiorem ante fecissent in Quadragesima* 1674. *exponentes ipsi magnum gravamen, necessitatem & paupertatem tam Ecclesiæ, quam pauperum, super quibus cum Impetrans deliberasset cum Patribus Discretis sui Conventus, respondisset personis præfatis, se nolle ut deinceps quispiam Religiosorum suorum Ecclesiam præfatam concionaturus intraret, seque expunxisse & delevisse concionem seu thema per quendam suorum Religiosorum compositum & destinatum concioni ibidem habendæ, quocircà conformiter ad resolutionem prædictam & responsum desuper datum Religiosos suos domi detinuisset, feriâ secunda & tertia Paschatis, & Festo Annuntiationis Divæ Virginis, dum & conciones per alios fuerint habitæ, & circuitus pro elcëmosyna factus ad emolumentum Ecclesiæ præfatæ & Pauperum, Festo autem SS. Apostolorum Philippi & Jacobi ad requisitionem citatorum quendam Religiosorum suorum misisset Impetrans ut iterum concionaretur, cui facto cum ne minima quidem subesset suspicio quod sibi voluisset Impetrans attribuere prædictam oblationem directè contra resolutionem ipsi intimatam, contigisset quod præfati Æditui & Magistri Pauperum simile quid observantes fratri laico inhibuissent ne circuiret, quibus fuisset Impetrans quasi verò permotus, ut in hocce Consilio peteret litteras patentes manutenentiæ, quibus obtentis ob reticentiam verarum causæ circumstantiarum, vi earum citatis diem indixisset in rotula per primarium Apparitorem* 12. *Maji* 1674. *ad trigesimam ejusdem mensis, quantumvis verò prædicti citati dicto primario Apparitori expressè declarassent hanc suam esse intentionem, quod Religiosi Impetrantium deinceps non concionarentur pro emolumentis oblationum, quodque idcircò se vellent opponere, adeoque prænominatæ litteræ manutenentiæ resolverentur in simplicem citationem, tam secundum jus scriptum quàm praxim hujus prædicti Consilii, nihilominus Impetrans, eo titulo quod cuidam Religiosorum suorum inhibuissent citati ne concionaretur feria* 2. *Pentecostes ejusmodi anni* 1674. *libellum ulterius obtulisset* 13. *Maji, & super inhibitione aut impedimento præsertim requisivisset litteras patentes attentati, obtinuissetque ut remitteretur ad rotulam cum interdicto provisionali usque ad primam; quod postmodum* 30. *per Procuratorem suum Van den Branden proponentem primò in materia manutenentiæ jussisset enarrari contenta litterarum suarum patentium, & conclussisset pro confirmatione mandatorum in iis expressorum, aut aliàs prout in mandato, & in casum litis ad recredentiam, facta Procumen Parochum posse hujusmodi Concionatorem recusare, si ipse velit per se Conciones habere: *Et ita*, ait, *semper fuit judicatum.*

Dif-

ratori Du Prenne occupanti pro citatis earum litterarum visione cum tribus annexis præter relationem, & proponens eâdem in materia attentati repetiiset similiter contenta libelli, concludens prout in eodem cum expensis ac sustinens quod concessa interdictio effectum suum continuaret sortiri; contra quæ simul & semel respondentes citati in rotula 27. *Junii subsequentis, conclusissent in finem ut litteræ patentes manutenentiæ in hoc Consilio impetratæ declararentur sub-&-obreptitiæ, quodque Impetrantes, eo quod vi earum taliter, & prout fecerant, conclusissent pariterque in materia attentati declararentur, equidem in modo & forma non receptibiles cum expensis, aut aliàs &c. cum rationibus extra mandatum peremptoriè allegantes, quod pretensus circuitus cum scutella tempore concionis super quo D. Impetrans se voluisset manuteneri, in omnem eventum, ut accessorius solummodo considerari posset ad jus concionandi, quòd autem Domini Archiepiscopi Mechlinienses in hac Diœcesi auctoritatem non concederunt concionandi nisi ea conditione, ut in hoc ipso pariter consentirent Pastores, prout id impetranti probè notum erat, & aliàs ex patentibus Religiosorum posset videri, præter quæ, verum esset quòd Pastor in hac citatus ipsi prohibuisset in Parochiali sua Ecclesia concionari; cui inhibitioni effectivè etiam Impetrans acquievisset, quin effectivè renuntiasset prætensæ suæ stationi juxta certificationes cum responsione præfata exhibitas, quod similes stationes precariæ tantùm reputarentur & dependentes pro omni tempore â voluntate Pastorum & alterius Ecclesiasticæ Superioritatis qui easdem posset revocare, prout simile quid patuisset in statione quam Patres Minoritæ Mechliniæ vi contractus & à multis annis habuissent in Metropolitana Mechliniensi, cum enim in ea causa à prædictis Patribus requisitæ essent litteræ manutenentiæ, iidem per sententiam desuper secutam in magno suæ Majestatis Consilio* 12. *Nov.* 1665. *declarati fuissent infundati & non receptibiles, quibus attentatis dici non posset turbationem ullam motam esse contra Impetrantem per occlusionem Cathedræ concionatoriæ, multò minus turbationem talem quæ redoleret attentatum aut viam facti, contra quæ replicando Impetrans, easdem allegationes licet admodum peremptorias nudè & simpliciter impugnâsset per impertinentiam & negationem, nec quidquam ex sua parte novi in contrarium allegasset, cum autem citati simpliciter loco duplicæ perstitissent, partes in rotula septima Septembris tum proximè elapsi regulatæ fuissent rescribere per memorias, cui citati satisfaciendo ex sua parte produxissent allegationes & deductiones hic supra factas, quatenus inde posset conjici Impetrantes non esse fundatos, his addendo quod concionare & Verbum Dei populo annuntiare præcipua Episcoporum esset functio juxta Apostolicam doctrinam & Concilii Tridentini testimonium, Sess.* 24. *cap. de Reform.* Imò Episcopis solis prædicandi munus de jure competeret, cæteris nonnisi ex ipsius concesione *ajebat idem Concilium*, Sess. 5. de Reform. cap. 2. *post S. Gregor. Nazianzenum & Philosophorum de* sacra Episcoporum auctoritate, cap. 31. §. 1. *hæc concionandi auctoritas reputaretur ab Episcopis propriè & ad exclusionem quorumvis aliorum communicata Pastoribus, cuilibet in sua Parochia, tanquam eorum Vicariis ibidem & Coadjutoribus, & juxta doctrinam Barbosæ in Collectaneis ad idem Concil. Trid.* Sess..... cap. 4. §. 4. *unicum Impetrantium munus foret aliorumque Religiosorum subvenire Episcopis in prædicationis ministerio, cum rogati aut vocati forent, propter quas rationes etiam non hic liceret ullis Religiosis concionari in Parochiali Ecclesia, nisi cum venia Illustrissimi; quæ venia etiam non aliter concederetur, nisi ea conditione quod in eo consentire deberent Pastores, juxta notorias patentes Impetrantium & quorumvis aliorum Religiosorum, adeò ut cum Impetrantes de jure forent impotentes ad concionandum in præfata Ecclesia Parochiali de Caudenbergh nisi cum venia Illustrissimi & pariter Pastorum ibidem, prætensa eorum possessio non posset idcirco aliter admitti quàm ut precaria aut gratiosa, quandoquidem notorium foret quod quidquid necessariò deberet ex alicujus permissione fieri, revocari etiam posset ad nutum permittentis.* Cap. *Si cui*, de Præbendis in 6. & *Bartol.* in l. Jubemus, §. Sanè si hæc, Cod. de Sac. Eccles. *Commentarios faciens ad verbum* PERMITTERE, dum à legislatore usurpatur, denotat perpetuitatem, propterea quod lex perpetua sit, contrarium tamen obtinet in aliis rebus præsertim gestis à particularibus, in quibus istiusmodi verbum significat actum temporaneum, qui à permittente post unum actum deinceps impediri possit, utpote precario concessus. *Adeo ut omnimode infundatum esset quod ex speculatione quorumdam actuum consecutivè factorum ex necessitate & ex prævia permissione, deducere quis vellet possessionem ut manu-*

* Difficultates quas Regulares, præsertim Ordinum Mendicantium ad functiones hierachicas, ut subsidiarii, sivè coadjutores adsciti, Pastoribus, aut etiam Prælatis prætextu suorum privilegiorum movere, jam pridem experientia docuit, verisimiliter occasionem dederunt Statuto quod anno 1423. in suo Provinciali Concilio promulgandum duxit Thedoricus Archi-Episcopus Coloniensis his verbis concepto: *Item statuimus & ordinamus sub pœna excommunicationis, quam ferimus in his scriptis, ne aliquis Rector, aut perpetuus Vicarius Parochialis Ecclesiæ, seu etiam Capellæ, ordinet, constituat, vel deputet aliquem* RELIGIOSUM MENDICANTEM VEL NON MENDICANTEM *ad regendam vel gubernandam seu officiandam suam vel ejus Vicariam seu cappellam, aut aliàs vices suas committere talibus præsumat, modo aliter idoneus commodè haberi poterit, dolo & fraude seclusis.*

Supplementum ad Numerum IV.

In Textu notatum fuit Fratres Mendicantes non posse invito Parocho Stationes suas continuare eo titulo quod eas tempore longissimo obierint.

Hoc & hîc notandum, nec titulum præscriptionis Parocho objici posse, quasi longâ concionandi possessione jus aliquod sibi acquisivissent, Stationes illas invitis Parochis continuandi.

Constat enim has *stationes* sivè concionandi facultates fratribus Mendicantibus concessas esse duntaxat precariò, sivè in subsidium vel defectum Parochorum, neque ipsos Stationarios unquam, nisi ut Parochorum, ordinariorumque Prælatorum adjutores & subsidiarios fuisse consideratos, aut alia in qualitate ad eas functiones admissos.

Cùm igitur nullus possit propriâ auctoritate sibi mutare causam sive titulum possessionis vel quasi possessionis, consequens est, Stationarios semper precariò & anquam meros subsidiarios, stationes illas continuasse.

De natura autem & conditione precarii est, quod ad libitum & beneplacitum concedentis revocari queat. *L.* 1. §. 1. *ff. de Precario, & cap.* 3. ⁂ *eodem tit.*

Unde qui precariò jus aliquod exercet, tempore etiam longissimo nihil ex illo exercitio potest sibi juris asserere, nec illud, quod precariò exercuit, contra naturam precarii reddere irrevocabile; nisi probaret alium titulum ad prescribendum sufficientem, interim supervenisse, atque in vim hujus tituli possessionem continuatam, tempore ad præscriptionem requisito.

CAPUT IX.

Quæ observanda a Parocho circa Stationarios.

1 *Primo ne quempiam ad concionandum admittat, nisi de licentia Episcopi docuerit.*
2 *Secundò, ut curet convenientiorem sibi mitti.*
3 *Convenit ut Parochus per se vel per alium concioni intersit.*
4 *Conveniens est, ut cum stationario collationem constituat.*
5 *Stationario in temporalibus subsidio sit.*

OStendimus quidem capite præcedenti, Fratres Mendicantes vi suarum Stationum quantumvis multorum annorum serie continuatarum, Parochis per se munus prædicandi aut cathechizandi obire volentibus haud posse obsistere vel impedimento esse; at quia nonnunquam contigit, ut Parochi legitimè impediti, vel certis diebus ad magnum populi concursum quibusdam locis, præsertim in civitatibus hactenus insufficientes sint, ut in Quadragesima & Adventu quotidie, aut Dominicis, Festisque diebus non unam duntaxat, sed plures conciones habeant; ideòque necesse sit, ut vel Fratres Mendi-

nuteneretur juridicè invito & renuente permittente, prout hic contingeret non solùm contra voluntatem priorum citatorum, verum etiam ipsius Illustrissimi Archiepiscopi, cum tamen munus prædicandi in Ecclesia Parochiali adeo sit functioni Pastorali anexum ut nemini, ne quidem pro tempore concedi possit nisi cum venia & interventione Pastorum, procul absit ut Religiosi ad similes Cathedras jus perpetuum possent prætendere ratione alicujus possessionis, quæ non alia foret nisi precaria aut gratuita, non solùm contra bonum institutum & ordinem qui in Hierachia aut Ecclesia foret, verum etiam in præjudicium Parochianorum qui per talia à Pastoribus suis abstraherentur, privarenturque cibo aut nutrimento Verbi Dei ipsis per eosdem Pastores subministrando, tam de jure divino quam naturali, si quando autem Pastores ob multiplices occupationes idem per se facere non possent, tum exacti muneris & obligationis ipsorum foret ad id committere & substituere personas idoneas, quod fieri necesse erat cum absoluta dependentia, ut iidem Pastores amovere possent concionatores qui sæpius ratione incapacitatis nullum fructum aut utilitatem conferrent Parochianis, adeo ut manutenentia per Impetrantes requisita malo admodum foret exemplo, existimante Carolo Fevret, in tractatu de Abusu, lib. 3. cap. 3. *propterea nullam manutenentiam concedi posse in simili materia aut casu, qualis erat de Verbo Dei annuntiando; quæ opinio corroboraretur & stabiliretur per declarationem Cardinalium datam super* 4. cap. Sess. 24. *prædicti Concilii Trid. in verbis*; nulla habita ratione cujuscumque consuetudinis etiam immemorialis, *dum agit de Monachis volentibus sibi attribuere auctoritatem concionandi in Cathedris Dominorum Episcoporum Pastorum; insuper vero bene examinando fundum negotii, manifestè deprehenderetur, quod Religiosi nullum possint habere titulum ut per se in prædictis Cathedris concionarentur, illis repugnante jure divino, contra quod nunquam præscriberetur, & prædictis Constitutionibus Pontificiis, adeo ut ex æqua justitia ne quidem in eo possent manuteneri contra resolutiones quæ in contrarium sumerentur auctoritate ordinaria & in vim juris communis, quarum executio nunquam censeretur incidere in viam facti aut attentati*, cap. 2. de Spoliat. in 6. *quo expressè deciditur quascunque vias turbationis attentati aut spoliati cessare, quandocunque is, contra quem agere intendimus, munitus esset & suffultus jure communi, ad quæ omnia conformiter etiam judicatum foret in præfato magno Consilio, in casu huic simili, non obstante antiqua & immemoriali possessione intervenienti, & quidem innixa cuidam contractui ex parte prædictorum Minoritarum, præterquam quod in casu subjecto concurreret, Impetrantes stationi suæ prætensæ in omnem eventum renuntiâsse per responsum quod dedissent prædictis Ædituis & Magistris pauperum latius in acta quæ inde extat, memoratum*, quemadmodum enim possessio animo retineretur, ita contraria animi declaratione amitteretur. *Conchrius* var. resol. lib. 2. cap. 7. num. 23. *& quantumvis postea Festo SS. Philippi & Jacobi anni tum proximè elapsi concionati fuerint, id contigisset ad requisitionem citatorum, qui existimaverant Impetrantes sese conformaturos juxta normam prædictarum resolutionum ipsis antea propositarum, quibusque jam tum, cum tertiò recurrisset occassio concionis ad diem festum, acquievissent, ut pateret ex documentis in lite per citatos exhibitis, ad quæ omnia consecutivè pluresque alias rationes persisterent citati in & super omnibus prout alias cum expensis, aut alias salutariter &c. Postmodum autem die videlicet* 6. *Februarii ultimò elapsi oblatus fuisset libellus à prædictis citatis in quo exponebatur in substantia, quod in materia manutenentiæ litem sustinerentur citati contra prædictos Impetrantes ratione cujusdam stationis Festorum dierum, in qua iidem Impetrantes nitebantur per Curiam manuteneri licet malè & infundatè, prout à citatis in lite ex variis capitibus fuisset demonstratum, qui iidem pro ulteriori confirmatione æquitatis sui Juris lubenter adjunxissent, sententiam ibidem annexam pronuntiatam in magno Mechliniensi suæ Majestatis Consilio in materia simili manutenentiæ, inter Rever. Patrem Provincialem, Guardianum & Conventuales Minoritarum ibidem ab una, & Dominum Archiepiscopum, junctis Dominis Præposito, Decano & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ ab altera parte, ex qua constaret prædictos Patres Minoritas declaratos esse non receptibiles, eò quod voluissent manuteneri in statione quam prætendebant vi contractus & ex antiquo se obtinere, ut in eadem Metropolitana concionarentur, ulterius ad prædictum finem lubenter etiam adjunxissent Supplicantes, quod contra manutenentiam per Impetrantes requisitam sese opposuissent ex prævio consensu, mandato & jussione Illustrisimi Archi-Episcopi, qui etiam ulterius declarâsset suam esse intentionem ut deinceps in præfata Ecclesia Parochiali, quoad punctum concionandi, assumerentur tales Concionatores seu Seculares quales prædicti Pastores judicarent expedire. At vero cum status negotii obstaret quominus citati eadem exhiberent, recurrerent ad prædictum Consilium, humillimè supplicantes quatenus prædicta facta & allegata insuper ad litem assumerentur, idemque libellus ad dictum effectum ratus haberetur pro civili, quò viso libello cum statutum fuisset ut supplicantes petitionem suam exponerent in rotula, debitè vocata aut citata parte aut ejus Procuratore, factâque illius in rotula expositione, dicti Impetrantes contra exhibuissent rationes impertinentiæ. Quibus omnibus bene & maturè expensis clementissimus Dominus noster Rex Dux Brabantiæ &c. admittens ad littem præfatum libellum Civilem & rationes impertinentiæ, declarat præfatas litteras patentes manutenentiæ sub-&-obreptitias, Impetrantesque eo quod vi earum taliter & prout fecerunt, concluserint, pariterque in materia attentati infundatos & non receptibiles, condemnans eosdem Impetrantes in expensas hac de causa factas juxta debitam taxam & moderationem præfati Consilii. Actum & pronuntiatum Bruxellis* 3. *Octobris* 1675. *extensumque ad requisitionem & sumptus citatorum.*

dicantes Stationes suas continuare hactenus permittant, vel aliquos in auxilium advocent, expendenda sunt, quæ potissimum circa hujusmodi Subsidiarios Parochis agenda incumbant.

Et quidem cùm ex Decreto Synodi Tridentinæ Regulares ad prædicandum in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, ultrà licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur; sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint. *Sess.* 5. *cap.* 2. *de Reform.* Parochus attendere debet.

I. Primò, ne ullum in sua Ecclesia prædicare permittat, nisi de hac Episcopi licentia prævièe in scriptis doceat. Quod & Synodi, & Episcoporum decreta sedulò & enixè Parochis inculcant.

II. Secundò, cùm Parocho cura Ovium suarum incumbat eoque titulo solicitè attendere debeat, quo pabulo Oves suæ reficiantur; non cuivis vices indifferenter & cæco quodam modo, quasi ad se non spectaret, an Oves salutari vel insano pabulo pascerentur, committere potest; sed quantum in se est, allaborare debèt, ut is in subsidium suum mittatur, de quo meritò confidat, quod populum sincerè Evangelicæ doctrinæ pabulo pascet; & affectuosè ad vitia declinandum & virtutes amplectendum movebit & inclinabit.

III. Quia tamen non ubique à Parocho dependet hujusmodi Stationariorum deputatio; neque semper tales, quales desiderat, obtinere potest, consultum erit interdum à Parochis observari, quod faciendum monuit Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 19. *cap.* 4. „ ut quandocunque alius, quàm ipsemet Pastor concionatur, Pastor ipse per se vel per idoneum substitutum concioni intersit, diligenterque audiat, an porrigatur Christi ovibus quale convenit pabulum, an dicatur aliquid quod Fidei Catholicæ, aut bonis moribus non sit consonum, vel quod pias aures possit offendere. Quod si quid hujusmodi observet, moneat Concionatorem, ut apud populum id revocet, aut nobis per se vel per Decanum suum id significet; denuntientque Concionatores eos omnes (id quod etiam rogamus omnes utriusque sexus fideles pro eo quo tenentur zelo tuendæ gloriæ Dei) qui opere, sermone, aut conversatione scandalosi, vel criminum suspecti, malèque famati, plus exemplo suo destruunt, quàm verbo ædificant.“

IV. Tertiò, quia Parochus exactiorem parochiæ suæ notitiam habere solet, quàm Stationarii seu Terminarii qui duntaxat quasi transeundo, & stando, à quo *Stationes* dicuntur, in parochiis versantur, & multum conveniens, ac penè necessarium est, ut conferant quandoque cum Terminariis, cæterisque Regularibus ipsorum nomine concionantibus, uti monet dicta Synod. *eod. tit. cap.* 2. „Iis de rebus quas expediat maximè in Concione ad populum ipsorum tractari, ex. gr. „ ut in vitia quæ maximè illic regnant, maximè invehantur; „ ut virtutes quæ illic frigent, cumprimis commendent, & „ alia pro populi conditione sibi sumant tractanda, quæ non „ ita posunt novisse foris advenientes Religiosi, ut Pastores domestici; & ut noverint, maximè tamen utilis fit hujusmodi collatio, quo & Pastor & qui ejus loco est Concionator, concordes uno ore loquantur, & sententiam animi sui per se unus, per alterum alter dicat.“

V. Denique si videat Parochus Stationarios sive Terminarios aliosve Regulares se veros Parochorum subsidiarios exhibere, sibique in Officio Pastorali sedulò, & cum fructu subservire, dignum & justum erit, ut illos cum omni benignitate ac benevolentia recipiat: „ Eosque, ut monet Synodus „ Cameracensis, *P. I. tit.* 6. *cap.* 6. apud populum habeat „ commendatos tamquam operarios mercede suâ dignos.“ Ubique enim, præcipuè tamen in Parochis ruralibus, Stationarii, aut aliqui ex eorum Ordine solent certis diebus, eleëmosynam à Parochianis quasi in mercedem suorum laborum petere.

Quin & usus obtinuit, ut Stationarii, qui certis designatisque diebus concionantur, sumptibus communitatis excipiantur, uti testatur de Sercy loco supra citato. Hi verò qui ab ipso Parocho ob impedimentum repentinum subinde vocantur, ejus sumptibus excipiendos esse monet, quod & moribus Belgii congruit. Conveniens tamen est, ut potiùs apud Pastorem, quàm Laicos hospitentur; ipsaque communitas potiùs Pastori, quàm alteri sumptus suppeditet, atque refundat.

CAPUT X.

Sicuti Parochorum est populum instruere, ita Parochianorum est eum audire.

1 *Adstruitur auctoritate Scripturæ S.*
2 *Auctoritate Concilii Trid.*
3 *Auctoritate S. Caroli.*
4 *Commoda ex frequentatione parochiæ provenientia.*
5 *Rejicitur inepta cujusdam glossa.*
* *Evertitur ineptitudo glossæ super Decreto Concilii Trid. de frequentandis Ecclesiis Parochialibus.*
6 *Incommoda ex neglectu frequentationis parochiæ.*
7 *Motiva dictam frequentationem promoventia.*
8 *Litteræ Pastorales Sancti Caroli ab Episcopis Belgii adoptatæ.*
9 *Omnibus Verbi Dei præconibus injungitur ut hanc obligationem populo proponant.*

I. Sicuti boni Pastoris est, teste ipso Summo Pastore Christo, *Joan.* 10. Oves proprias noscere, eas præire, ac nominatim vocare, & ad salubria pascua educere, ita eodem testificante, Ovium est vocem Pastoris audire, & vocantem sequi.

Si ergo Parochi tanquam boni Pastoris sit oves pascere & instituere, etiam reciprocè Parochianorum tanquam ovium est, á Pastore Divini Verbi pabulo velle pasci, ejusque vocem audire.

II. Hanc Parochianorum obligationem supponens Synodus Tridentina loco citato Episcopis mandat, „ ut moneant populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei.“

III. Huic Synodali decreto parere volens S. Carolus litteras monitoriales, quibus populus de hac obligatione moneretur in Concilio suo Provinciali VI. edidit; quas in idioma vulgare versas populo prælegi & explicari per omnes suæ Provinciæ Diœceses voluit.

In his primò ostendit, quanti olim apud antiquos Patres fuerit frequens ad Ecclesiam propriam parochialem fidelium conventus, ac deinde subdit: „ Cujus veteris disciplinæ restituendæ in usumque revocandæ desiderio flagrans olim Summus Pontifex Urbanus VI. eo de genere Apostolica Sanctione diligentissimè cavit, & nuper Sacra Tridentina Synodus Œcumenica ab Episcopis fideles non solùm hoc moneri voluit, ut frequenter ad proprias Parochiales Ecclesias saltem Dominicis diebus, festisque majoribus accedant, sed illud etiam diligenter ostendit, unumquemque teneri, ubi commodè fieri potest, parochiæ suæ interesse ad audiendum Verbum Dei.“

Hæc Viri Sanctissimi (cui Concilii Tridentini directio præcipuè incumbebat, dum allegatum Decretum editum fuit) verba utinam expenderent illi, quos non pudet dicere, Decreto Concilii Tridentini non præceptum, sed consilium contineri.

IV. Prosequitur deinde S. Carolus: „ His igitur ejusdem „ Tridentinæ Synodi decretis, & veteri salutarique exemplo „ adducti, cùm populum urbis, Diœcesis, Provinciæque Mediolanensis nostræ rebus ad salutem necessariis instructum, „ per bona opera ad præmium sempiternum perducere summoperè in Domino cupiamus, hac nostra monitione eos universos & singulos cohortamur, ac per viscera Misericordiæ „ Jesu Christi obsecramus, atque obtestamur, ut quamvis in „ sua vicinia, oppidis, & suburbiis, Oratoria, Capellas, aliasque Ecclesias habeant, ubi sanctissimo Missæ sacrificio interesse possint; frequenter tamen Dominicis saltem aliisque solemnibus festisque diebus ad suam quique Parochialem Ecclesiam conveniant: ubi á Parocho, cui cura commissa est, „ Verbo Dei pascantur, fidei Christianæ rudimentis, aliisque „ animarum saluti necessariis præceptis erudiantur; ad sanctissima Sacramenta religiosiùs percipienda instruantur, ad eorumque frequentem usum, ut illa sacra Synodus optat, paternis ejus cohortationibus indies magis inflammentur: tum „ ab eodem item audiant, qui dies festi, si qui in hebdomadam inciderint, colendi, quæ vigiliæ jejuniave servanda sint. „ Discant ab ipso item, quæ Christianæ pietatis officia in illis „ religiosè colendis præstari oporteat; ac quæ præterea Supplicationes, Processionesve aut Stationes, Ordinationes, Indulgentiæ, Jubilæa indicantur, quæ matrimoniorum Denuntiationes fiant; quæ item pro ratione temporum, admonitu jussuve Episcopali ad diligentiorem eorum institutionem „ promulgentur.“

V. Si hæc unà cum ipsa Concilii Tridentini sanctione paulisper expendisset Auctor Libelli, cui titulus: *Exhibitio Canonum circa prædicationem Regularium*, indubiè intellexisset ineptitudinem Glossæ, quam pag. 67. citato Concilii Trid. decreto appendit: „ Concilium Trid. *ait*, Ecclesiæ Parochialis jus non firmat contra Mendicantium Ordines, „ sed contra alias Parochiales Ecclesias, ac præsertim contra „ Oratoria seu Capellas... Ordinum, etiam Mendicantium Ecclesiæ sunt Vicariæ, atque appendices Romanæ Ecclesiæ, „ ideoque quisque Fidelis potest illic Sacra audire“: Si inquam, Litteras S. Caroli unà cum ipsa Tridentini lege attendisset, intellexisset, suæ Glossæ ineptitudinem. Cum enim edicat Synodus unumquemque teneri *suæ Parochiæ*, vel ut S. Carolus, *Parochiali propriæ Ecclesiæ interesse*, nonne evidentissimè etiam contra Ordinum Mendicantium Ecclesias firma-

mavit jus Ecclesiæ Parochialis? Nùm forsan dicet, Fideles suæ Parochiæ, vel Parochiali propriæ Ecclesiæ interesse, quando Ecclesiis Mendicantium intersunt? Hoc qui dicere audet, etiam dicat, Ecclesias Mendicantium esse Fidelium *Parochias* aut *Parochiales proprias Ecclesias*: ipsosque Fratres Mendicantes Fidelium *proprios Parochos*, coram quibus & Matrimonium contrahi posse affirment.

Quod verò Auctor addit, Ecclesias Mendicantium esse Vicarias, ac appendices Romanæ Ecclesiæ, haud capio: Hoc scio, Fratres Mendicantes, cum eorum Ecclesiis à Sede Apostolica esse probatos, & admissos, ut Prælatorum & Parochorum administros & subsidiarios. Ideoque rectè dici, eorum Ecclesias ex intentione Pontificum & Fundatorum esse vicarias & appendices subsidiarias seu succursales Ecclesiarum Parochialium.

* Et licet credam hujus glossæ ineptitudinem sat probatam manere, nihilominus ut ostendatur ante Concilium Tridentinum, hoc jus Parochialibus Ecclesiis contra Fratres Mendicantes fuisse assertum, atque Concilium Tridentinum jus commune innovasse, addenda est Extravagans Sixti IV. quæ incipit *Vices*; relata inter Extravagantes Communes sub *tit. de treuga & pace.*

In hac igitur Extravagante in primis narratur, quod in quibusdam partibus Germaniæ dissidium exortum esset inter Fratres Mendicantes signanter, Prædicatores, Minores, & Carmelitas ab una parte, & Presbyteros Parochiales ex altera, super obligatione audiendi Missam diebus Dominicis & Festivis in Ecclesia parochiali.

Hoc dessidium Sixtus IV. partibus hinc inde auditis in hunc modum decidit: *Quod Fratres* MENDICANTES *non prædicent, Populos* PAROCHIANOS *non teneri* AUDIRE MISSAM IN EORUM PAROCHIIS *diebus Dominicis & Festivis*, CUM JURE SIT CAUTUM ILLIS DIEBUS PAROCHIANOS TENERI AUDIRE MISSAM IN EORUM PAROCHIALI ECCLESIA, NISI FORSITAN EX HONESTA CAUSA AB IPSA ECCLESIA *se absentarent.*

Hæc clausula finalis conformis est clausulæ, quam suo decreto adjecerunt Patres Tridentini: *ubi id commodè fieri potest*, ut vel inde appareat, Patres Tridentinos in formando suo decreto ad hanc extravagantem reflexisse.

Cùm ergo hæc controversia verteretur inter Fratres Mendicantes sustinentes Fideles præcepto Ecclesiæ de audienda Missa diebus Dominicis & Festivis satisfacere audiendo Missam in eorum Ecclesiis; & Parochos contendentes Parochianos teneri diebus Festis & Dominicis interesse suæ Parochiæ ad audiendam Missam, evidens est, quod Pontifex præcipiendo, *ut Fratres Mendicantes non prædicent, populos Parochianos non teneri audire Missam in eorum Parochiis diebus Festis & Dominicis*, firmet jus Ecclesiarum Parochialium, non tantùm contra alias Parochias, Capellas aut Oratoria, sed contra Ecclesias Fratrum Mendicantium, de quibus in hac controversia unicè quæstio vertebatur.

Verùm quidem est nullam hîc fieri mentionem de obligatione audiendi Verbum Dei *in Parochia*, sed solummodo de obligatione audiendi Missam, quia spectatâ illius temporis disciplinâ, hoc ipso, quo declaratur, Fideles teneri diebus Dominicis & Festivis interesse Parochiæ ad audiendam Missam, una declaratum censebatur Fideles teneri eisdem diebus interesse Ecclesiæ Parochiali ad audiendum Verbum Dei.

Notum enim est, quod prædicatio Verbi Dei seu annuntiatio sive explanatio Evangelii partem constitueret ipsius Missæ, sive sacræ Liturgiæ, uti pluribus probatum est, *part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 2. *num.* 17. *& seqq.*

Sed omissâ hac glossâ & aliis rationibus super eam, ne in infinitum procedamus, ad litteras S. Caroli revertamur.

VI. Propositis fructibus ex diligenti parochiæ frequentatione sperandis, ex adverso nunc incommoda ex ejus neglectu obvenientia enumerat, & ob oculos ponit: „Hinc, ait, in „plerisque sæpe Articulorum, & Dei Sanctæque Matris Ec„clesiæ præceptorum, quæ ad salutem consequendam chris„tianum hominem nosse oportet, imperitia, festorum dierum „cultus neglectus, debita christianæ pietatis opera non excul„ta, non cognita christiana familiarum institutio, languescens „Sacerdotum Parochorum omne officium, eorum aliquis con„temptus; Sanctissimorum Institutorum, & Sacrorum Cano„num violatus usus: hinc denique Ecclesiis Parochialibus, „quæ à majoribus, tanto pietatis studio exædificatæ sunt, ins„taurandis, ordinandis, sartis tectisque habendis cura multis „ex partibus neglecta, in illisque nulla aut penè exigua Eccle„siastica ad divina Officia obeunda necessaria suppellex.

„His tot tantisque malis, atque incommodis unusquisque „occurrere studeat, id diligenter exequendo, quod Sancto„rum Patrum suadet auctoritas, quod Tridentina Synodus mo„neri jubet, quod ex illius jussu nos de uniuscujusque Ves„trum salute soliciti, paternis vocibus cohortamur & mone„mus in Domino.

VII. Denique præoccupat quæ in excusationem neglectus assumenda prævidebat; motivaque pietatis ad sedulam Parochiæ frequentationem incitantia adducit: „Nec verò quem„quam aliquod, quod vel ex pluvia, frigore, æstu, tempo„rûmve vicisitudine existat incommodum, ab hoc officio de„terreat, imò verò ad illud diligentiûs exequendum, prout „in Domino confidimus, se quisque eorum accendat necesse est, „qui salutis suæ memores, hujus rei gravitatem eorum, quæ „commemorata sunt ratione perpendent, quique aliquando ani„mo secum reputabunt, non solum Parochialem Ecclesiam „sibi datam esse, in qua primum Baptismo suscepto Chris„to Domino renati, aliis Sacramentis aluntur ad perpetuam „salutem, sed Parochum etiam Sacerdotem sibi loco paren„tis esse debere, quem diligant, colant atque observent: hoc „sibi proponentes, illum pro fidelibus sibi commissis apud „Deum Internuntium, ac deprecatorem esse, divinæ Legis In„terpretem, Dispensatorem Mysteriorum Dei, Christianæ vi„tæ & morum disciplinæ Magistrum, à quo omne petant „piè rectèque vivendi consilium, ac denique Ministrum om„nium ferè, quæ ad salutem eis necessaria sunt."

VIII. Has litteras hîc referendas judicavi, tùm ut ex illis pateat, quid de obligatione frequentandi parochiam ad audiendum Verbum Dei, ejusque momento senserit Sanctissimus hic Præsul; tum quia litteras has etiam Episcopi Belgii, ut mandato Concilii Tridentini satisfacerent, non semel probarunt & in suis Diœcesibus promulgari mandarunt.

Et quidem Andreas Creusen Archiepiscopus Meclin. cum comperisset, subditos suos in crassa Mysteriorum fidei ignorantia versari; eamque pro magna parte oriri ex eo, quod non haberetur diligentia conveniens, & affectus frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei, ut ipse loquitur in suo Decreto 26. Octob. 1667. evulgato, voluit has Sancti Caroli Litteras in idioma Flandricum & Gallicum versas suo Decreto annecti, & populo proponi.

Quod idem modernus Antuerpiensium Antistes Joannes Ferdinandus Van Beugem evulgato decreto die 21. Martii 1687. fieri mandavit: „Ut quisque, ait, tùm auctoritate tanti viri, „tùm concludentibus ejus rationibus, ad Parochiæ frequenta„tionem impensius incitetur."

IX. Porro Episcopi Belgii, ut juxta legem sibi à Synodo Tridentina positam, populus sæpius de hac obligatione moneatur, præter iterata à se edita Decreta, insuper omnibus Verbi Dei Præconibus, tam Regularibus, quàm secularibus hæc duo injungunt: primum, „ut moneant populum, ut frequen„ter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis & Festis „majoribus accedant." Alterum: „Diligenter item moneant, „unumquemque teneri parochiæ suæ interesse, ubi commodè „id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei:" Instructiones pro Concionat. *Art.* 9. & 10.

Hæc continua Episcoporum mandata, & sæpius iteratæ Pastorales exhortationes, sat probant quantoperè hujus legis custodia ipsis cordi sit; quod & ampliùs patebit, si expenderimus, quæ in Belgio ad promovendum Parochialium Officiorum frequentationem decreta sint.

CAPUT XI.

QUÆ IN BELGIO FUERINT STATUTA AD PROMOVENDAM FREQUENTATIONEM PAROCHIÆ AD AUDIENDUM VERBUM DEI.

1 *Tempore instructionis parochialis Missa celebrare non potest.*
2 *Nemo tempore concionis parochialis concionari potest.*
3 *Edicta Regia circa hanc rem.*
4 *Varia ad promovendum frequentationem Catechismi, præsertim circa pauperes.*
5 *Magistratum cura in promovendo Catechismo.*
6 *Quid Litteræ Regiæ de hac re habeant.*

SYnodi Belgicæ supponentes obligationem frequentandi parochiam ad audiendum Verbum Dei adeò claris ac evidentibus terminis in Sacris canonibus, ac novissimè in Synodo Tridentina esse expressam; ut nullo vel apparenti colore obfuscari posset, non tam fuêre solicitæ, ut hanc legem suis decretis inducerent, quàm ut removerent ea, quibus à Parochiæ frequentatione populus quacunque ratione avocaretur; eaque ordinarent, quibus ad eam frequentandam incitaretur & moveretur.

I. „Quia unusquisque juxta Concilium Tridentinum Pa„rochiæ suæ interesse tenetur ad audiendum Verbum Dei, ubi „commodè id fieri potest; quo tempore illud in Ecclesia Pa„rochiali anuntiatur, (ait Synodus D. Mechl. *tit.* 10. *cap.* 5.) „nemo in Capellis, quæ Parochiæ finibus continentur, con„cionet, aut Missam celebrare presumat sub pœna arbitraria. „Et similiter nemo in eadem Ecclesia sub concione, Missam, „etiam privatam celebret."

Similiter Buscoducensis sub Masio, *tit.* 11. *cap.* 3. „Ne „Parochiani, qui diebus Dominicis & festivis juxta Conci„lii

„ lii Tridentini declarationem, Parochiæ suæ interesse ad au-
„ diendum Verbum Dei tenentur, ab illo avocentur; præci-
„ pit ne quis Sacerdos eo tempore in Ecclesia Parochiali, aut
„ extra eam in Capellis Sacrum facere aut concionari præsumat,
„ sub pœna nostro arbitrio infligenda. " Et altera sub eodem Ma-
sio, postquam statuit in Parochia, Missa matutinali finitâ, Cate-
chismum esse instituendum, adjungit: „ Caveant Sacerdotes, ne
„ tempore concionis hujus matutinæ, sive etiam pastoralis, au-
„ deant Missam legere, ne occasione hac Auditores â catechi-
„ zatione avocentur. "

„ Capellani (ait Synodus Namurcensis anno 1639. *tit.* 3.
„ *cap.* 16.) sive extra Ecclessiam Parochialem tali tempore Mis-
„ sas dicant, ut populus hac occasione à Missa Parochiali, Con-
„ cione, aut Catechismo non avertatur. „

II. Synodus autem Antuerpiensis sub Miræo *tit.* 11. *cap.* 8. eandem frequentandi parochiam ad audiendum Verbum Dei obligationem ex Concilio Tridentino præmittens ait: „ nemo
„ in civitate nostra, & oppidis, Dominicis & festis diebus an-
„ te meridiem extra Ecclesiam Parochialem, lingua vernacu-
„ lâ concionetur, nequidem sub prætextu Indulgentiarum, aut
„ Confraternitatum: lingua vero externa non fiat concio ante
„ horam decimam. "

Quod hæc Synodus statuit, generaliter in Belgio receptum est; ut nimirùm nemo in civitate aut oppidis concionari queat eo tempore, quo concio Parochialis habetur; ne populus hac occasione avocetur â Parochia, cui ad audiendum Verbum Dei interesse tenetur.

III. Neque Episcopis duntaxat, sed & ipsis Principibus curæ fuit, ne quid populum ab officio parochiali retraheret. Hinc Philippus II. edicto anni 1587. ad Synodum Camera-censem, *art.* 5. cavit, Ne „ quis diebus Dominicis aut Fes-
„ tis tempore Concionis, Summi Sacri, & Vesperarum, au-
„ deant ambulare in foro, aut locis publicis, aut propè Ec-
„ clesiam, neque intrare popinas, aut publicè quocunque ludo se
„ occupare, vel choreas ducere, vel piscari; aut scholas
„ gladiatorias vel hortos Sagitariorum frequentare sub pœna
„ arbitraria. " Et Carolus V. Edicto anni 1531. *art.* 31. ne quis eo tempore ad tabernas recipiatur.

IV. Porrò cùm non tantùm instructio Parochi, quæ fit per modum concionis necessaria sit, sed vel maximè illa, quæ ad parvulorum & rudiorum captum instituitur, quæ *Catechismus* dicitur, varia quoque quibus tùm pueri, tùm rudiores adulti ad hujus frequentationem incitarentur & urgerentur, ordinata sunt.

Et in primis Synodus Antuerpiensis sub Miræo, *tit.* 1. *cap.* 4. statuit „ ut Pastor inducat Rectores Fabricæ & Mensæ S. Spi-
„ ritus aliosque viros probos & honestas matronas, ad chari-
„ tatis officia præstanda promptos, ut sua presentiâ & opera tam
„ sanctum opus modis omnibus, quibus possunt, promoveant,
„ petatque Pastor à quolibet Magistratu unum alterumve vi-
„ rum pium, honestum & talium rerum amantem, qui unà
„ cum ipso Catecheseos continuationi & bono ordini super-
„ intendant. "

Et cap. 5. pergit: „ Ad hunc Catechismum teneantur Lu-
„ dimagistri & Magistræ ducere suos discipulos: pueri verò
„ à sexto ætatis anno usque ad decimum quintum, qui Scho-
„ las quotidianas non visitant ob paupertatem, describantur à
„ committendis à Magistratu loci, qui & eo compellantur ve-
„ nire sub pœna, qua parentes, aut ii quibuscum habitant,
„ mulctentur: in quem finem suspendatur catalogus in Scholis
„ qui singulis vicibus legatur, absentes requirantur, quos si
„ contingat sæpius sine causa legitima abesse, deferantur ad
„ Superintendentes castigandi; & Rectores mensæ pauperum ele-
„ ëmosynas dari solitas Parentibus, qui suas proles non mit-
„ tunt ad Catechismum, suspendant. Si verò animadvertatur,
„ quod catechizatio fieri commodè non possit hora prima, fiat
„ aut manè post Missam matutinam aut summam Missam; ita
„ tamen ut semper sit certa hora, & quantumcunque pau-
„ ci conveniant, non ideo omittatur.

„ Utque etiam pauperiores, ait *cap.* 8. ea, quæ salutis
„ sunt, discere possint, emantur sumptibus mensarum paupe-
„ rum, vel communitatum, libelli Catechismi & præmia ad pue-
„ ros excitandos. "

V. Quia vero, ajunt Statuta Synodalia Gandensia sub Antonio Triest. „ Plurimi arte mechanica & ex eleëmosynis victi-
„ tantes, quò rudiores existunt, eò tardiores reperiuntur in
„ frequentando Catechismo, eos singulariter curæ Parochorum
„ & Cathechistarum in Domino commendantes, quantum opus
„ est mandamus, ut importunè opportunè instent apud Do-
„ minos temporales & Magistratus, quatenus omnem operam
„ in promotionem profectûs spiritualis hujusmodi ignorantium
„ impendant; ac ipsis exponat decretum principis desuper ema-
„ natum litteris ad Consilium Flandriæ directis, necnon alias
„ litteras ejusdem Consilii datas ad singulos Diœcesis nostræ
„ Magistratus, quarum copias ad finem horum decretorum
„ adjicimus. "

V. Litteræ Regiæ datæ ad postulationem Episcopi Gandensis, quarum hæc decreta meminere, injungunt omnibus Magistratibus Diœcesis Gandensis, ut adigant Ludimagistros, & Magistras sub pœna suspensionis ab officio, adducere pueros Scholas suas frequentantes ad locum Catechismo habendo per Episcopum aut Decanum ruralem assignatum aut assignandum.

Et his sat intelligitur, Belgii Moderatores seu Ecclesiasticos, seu Politicos nihil prætermisisse, quò tum predicationis, tùm Catechismi Parochialis adeò pium & necessarium opus promoverent, & populus in iis, quæ salutem animæ spectant, debitè instrueretur: illud duntaxat dolendum, tam sancta ac necessaria decreta adeò negligi, atque ob eum neglectum fideles præcipuè pauperiores in tanta mysteriorum fidei & Religionis nostræ ignorantia versari.

Cæterum de qualitate & ætate in Pastoribus cæterisque curam Animarum gerentibus requisitis tractabitur in Parte secunda, ubi de qualitate & ætate ad Beneficia requisitis agetur. Similiter de examine & concursu ad Pastoratus instituendis; item de officio & jure Pastorum in administratione Sacramentorum, celebratione Exequiarum, & Funeralium suorum Parochianorum; jure ad decimas, oblationes, atque competentiam Pastoralem; aliisque ad munia Parochorum atque jura Ecclsiarum Parochialium pertinentibus in Secunda Parte sub suis respectivè titulis agetur.

TITULUS IV.

De Custodibus Ecclesiarum Parochialium.

CAPUT I.

De Officio Custodum.

1 *Officium Custodum de Jure Communi.*
2 *In Decretalibus non agitur de hodiernis Ecclesiarum Parochialium Custodibus.*
3 *Functiones Custodum ex Synodis Belgicis.*
4 *Custodes Cautionem dare debent.*
5 *Cura ipsorum circa nitorem Ecclesiarum.*

I. SI jus Decretalium consulamus, quod pro jure communi hodie receptum est, Custodis est, ea, quæ Ecclesiæ competunt, custodire; in canonicis horis signa tintinabulorum pulsando, ipso Archidiacono jubente pulsare; pallia vel linteamina altaris, seu cuncta utensilia Ecclesiæ indesinenter custodire; lampades & lucernas in accendendo, seu extinguendo, pervigilem existere. *Cap.* 1. ✠ *De Offic. Custodis.*

Ad hæc solicitus esse debet de omni ornamento Ecclesiæ & luminariis sivè incenso; nec non panem & vinum omni tempore præparatum ad Missam habere debet. Præterea omnes oblationes seu decimas cum consensu tamen Archi-Diaconi, absente Episcopo, inter Fratres dividat. *Cap.* 2. ✠ *eod. tit.*

II. Hîc non de Custodibus Ecclesiarum Parochialium, quales hodie in plerisque sunt, tractari, sed potius de Custode Cathedralis, aut Collegiatæ Ecclesiæ, quem *Thesaurarium* dicimus, & plerumque Canonicos dignitate præcedit, tum officia jam descripta, tum illa ab Archidiacono dependentia sat innuunt; præsertim cum in dicto Capitulo 2. referatur ex Concilio Toletano, eam esse Custodis eminentiam, ut in his tribus, nimirum, Archidiacono, Archipresbytero & Custode, tamquam in tribus Ecclesiæ Columnis consistere debeat alma Mater Ecclesiæ: quæ nullatenus congruere Custodibus, sive Matriculariis Parochialium Ecclesiarum nemo non videt. Quapropter cum de his duntaxat hoc titulo agere decreverim, functiones non tam ex jure communi, quàm Synodis Belgicis, quæ de his Custodibus ex professo agunt, petendæ sunt.

Illud cumprimis ex Synodis constat, Custodes esse Parochorum, eorumve vices gerentium in administratione Sacramentorum divinorumque Officiorum persolutione ministros, & administros.

III. „ Pastori, vel ejus vices gerenti, *ait Synodus Gan-*
„ *densis*, diebus Dominicis & Festis Vesperas & Laudes ves-
„ pertinas solemniter decantanti, Custos in habitu decenti &
„ su-

„ superpelliceo indutus debitè assistet, prout & Missam so-
„ lemnem vel privatam quocunque anni die celebranti, ac pa-
„ ratus erit quacunque hora illi à Pastore significanda saltem
„ quoad Missas, ut Pastori inserviat in muneribus Pastoralibus
„ ipsius auxilium requirentibus; cavebit igitur, ne sine Pas-
„ toris licentia sese absentet; imò si interdum ob negotia pri-
„ vata domo suâ abesse cogatur, mandamus, ut alteri idoneo
„ & Pastori grato vices suas committat, vel de absentia sua
„ domesticos aut vicinos suos vel ipsum Pastorem certiorem red-
„ dat quonam pergat, quatenus necessitate vel occasione ur-
„ gente facilè valeat reperiri, & advocari. " *Tit.* 16. *cap.* 19.

Huic conformes sunt pleræque Belgicæ Synodi; additque Audomarensis 1583. *tit.* 20. *cap.* 2. „ Ornamenta bonaque Ec-
„ clesiæ soliciti sint ut ne perflantur, seduli ut lacera fracta ve
„ restaurent, aut Ecclesiæ impensis restaurari curent, pru-
„ dentes, ut detrita indecorè non prodeant in servitium Dei.
„ Dent operam, ut sursum & deorsum in templis omnia sint
„ munda ac nitida. Pavimenta, parietes, altaria, altarium tecta
„ & sacras vestes tergant frequenter. Altarium mappas, Sacer-
„ dotum amictus atque albas, sacra Corporalia, calicum pu-
„ rificatoria, priusquam evadant sordida, mutent, aut Sacer-
„ dotibus mutanda dent: phialas sivè ampullas, quibus vinum
„ & aqua subministrantur singulis septimanis ut minimum la-
„ vent, ac mundent. Non permittant, ut dent Sacerdotibus ad
„ Sacrificium panem mucidum aut maculosum, vinum acidum,
„ impurum, evanidum, aut quod pridie profana mensa res-
„ puerit. Denique in omnibus diligenter & fideliter, quæ of-
„ ficii sui sunt, præstent, magnis à Deo præmiis remunerandi. "

Quæ hæc Synodus fusius, paucis comprehenderat Synodus I. Cameracensis: „ Vestes ornamenta, supellectilem diligen-
„ ter conservent, exponantque, & reponant honestè, ut dig-
„ num est. " *Tit. de ministeriis Eccles. cap.* 18.

Verùm non ubique curæ Custodum eadem concredi, sed alibi pauciora sat indicat Synodus Namurcensis anni 1604. statuens: „ ut iis in locis, ubi matriculariis cura & custodia or-
„ namentorum & aliorum mobilium bonorum Ecclesiæ com-
„ mittuntur, non admittantur ad hoc munus, nisi sufficientem
„ judicio Pastoris & præcipuorum Parochianorum, de iis fi-
„ deliter conservandis & restituendis præbuerint cautionem. "
Tit. 9. *cap.* 11.

IV. Quoad hanc cautionem à Custodibus præstandam, Synodus D. Mechl. 1609. vult, ut requisiti dent cautionem pro his, quæ illorum curæ committuntur. Similem cautionem aliæ Synodi quoque exigunt; eamque nonnullæ sufficientem judicio Pastoris & Notabilium, in qua re uniuscujusque Ecclesiæ consuetudo & statuta attendenda sunt.

V. Denique præcipit jam citata Synodus Namurcensis, *cap.* 12. „Ut moneantur diligenter & frequenter à Pastoribus,
„ ut nullas in Altaribus aut in Parietibus, nec in ipso tem-
„ pli pavimento, imò nec in cœmenteriis notabiles sordes pa-
„ tiantur, sed reipsa omnibus testentur, se diligere decorem
„ domus Dei, cujus ministerio sunt mancipati.

CAPUT II.

Qui ad Officium Custodum admittendi, et qui rejiciendi.

1 *Custodes Ministris Ecclesiæ annumerandi.*
2 *Horum qualitates habere debent.*
3 *Secularibus Officiis implicati assumi non possunt.*
4 *Debent se exhibere ut Ministros Ecclesiæ.*
5 *Simoniam sapit vendere Officium Custodis.*
6 *Tangitur abusus circa Ministrum Missæ.*

I. Qui functiones, & munia Custodum præcedenti capite breviter exhibita expenderit, haud difficulter fatebitur, Custodes Ministris Ecclesiæ, eorumque officia Ecclesiasticis ministeriis esse annumeranda: Adeoque eas meritò in Custodibus conditiones & qualitates requiri, quæ dignos Ecclesiæ Ministros decent; eaque omnia ab iis esse fugienda, quæ hujusmodi Ecclesiæ Ministros dedecent; & per quæ ministerium ipsorum vituperaretur.

II. „ Considerantes indecorum esse, inquiunt Patres Syno-
„ di Brugensis sub Driutio, statui Ecclesiastico, Laicos, qui-
„ bus jure vetitum est, cancellos sive chorum Eccelesiarum
„ ingredi, Custodum officia in diversis Ecclesiis exercere: præ-
„ cipimus & conjungimus singulis Decanis, ne deinceps quis-
„ piam ad custodiæ deserviturum admittatur, non tonsura-
„ tus, aut Bigamus, qui Ballivi aut clientis Officium exercet,
„ aut in judicio criminali interfuit, suamque in eo sententiam
„ protulit, vel officium cauponarii, vel tabernarii aliudve vi-
„ le & Clerico indignum exercet, aut qui barbam defert lon-
„ giorem, seu vestem Clericis indecentem; atque ante admis-
„ sionem dictis Decanis de vitæ suæ honestate & fidei sin-
„ ceritate testimonium scripto exhibeat. "

III. Simile est decretum iisdem penè verbis conceptum Synodi Iprensis sub Rithovio an. 1577. *tit.* 25. *cap. unico*, solosque *Tonsuratos* ad hoc ministerium assumi permittens, „ & „ de quorum probitate, religione, peritia, & laudabili con-
„ versatione, fidedigno testimonio (sicuti decet Ministros Ec-
„ clesiæ) constet. " Idem requirit Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 20. *cap.* 3. Synodus quoque Antuerpiensis sub Miræo *tit.* 16. *cap.* 23. ad officium custodis non admittendos censet. „ qui Ballivi, Prætoris, Procuratoris, aut simili of-
„ ficio funguntur, aut cauponam aperiunt; cum hujusmodi of-
„ ficiis distracti, inquit, debitè officium custodis facere non
„ soleant. " Et *cap.* 19. edixerat, ut custos assumatur, *qui boni sit nominis & famæ, & honestæ conversationis, peritus cantûs.*

Quin Synodus Gandensis an. 1613. *tit.* 16. *cap.* 12. & decreta Synodalia sub Triest *tit.* 16. *cap.* 20. nec ad deserviturum custodiæ admitti volunt, „ qui collectoris vectigalium,
„ cauponis, tabernarii, vel aliud vile & sordidum officium exer-
„ cet, nec bigamum, sine legitima dispensatione. "

Denique Synodus I. P. Cameracensis, *tit. de ministeriis Ecclesiasticis*, *cap.* 10. paucis multa comprehendens, ait: „ Matricularii, & custodes Ecclesiarum munera sordida, &
„ planè laica non obeant. Ne sint publicani, sylvarum cus-
„ todes, villici locatitii, nec vestitu præ se ferant aliud, quàm
„ castum & modestum Ecclesiæ ministerium, cui sunt attributi. "

IV. Nullatenus ergo ambigi potest, quin Synodi Belgicæ uno consensu custodes Ministris Ecclesiæ annumeraverint. Hinc Synodus Audomarensis loco jam citato ait: „ Assumpti autem
„ qui fuerint, abstineant omni tabernarum ingressu & conver-
„ satione indecenti, vitam ducant Dei Ministris dignam, nec
„ prodeant saltem in Ecclesiam aut ad obeundum, quod sui
„ est muneris, nisi in tonsura & habitu decenti. "

Et Synodus Mechl. P. II. *tit.* 17. *cap.* 15. vult, ut in sua assumptione promittant, „ se in officio divino & adminis-
„ tratione Sacramentorum superpelliceo usuros, alioquin officio
„ privandos. Et si custodes non resideant, teneantur provi-
„ dere Ecclesiæ de idoneo aliquo substituto, cum stipendio
„ Ordinarii arbitrio illi constituendo. "

V. Ex his patescit dictas Synodos conformiter ad jus commune non dubitasse, quin officium custodis seu Matricularii sit officium Ecclesiasticum, ipsique Ministris Ecclesiæ sint annumerandi; ideoque tamquam indubitatum supposuerint veram esse Simoniam mediante temporali hujusmodi officium vel impetrare, ut in casu occurente etiam respondit Wamsius *Cons.* 562.

VI. Ad hæc si quis attendat morum ac vitæ honestatem aliasque conditiones in Matriculariis requisitas, eo titulo, quod parochis in suis assistere debeant functionibus, facilè intelliget, quàm á Patrum mente alienum sit, quod in præcipua & sublimissima functione, scilicet Sacrificio Missæ, assistat nescio qui sordidus & immorigerus puer, isque tanquam minister nomine totius Ecclesiæ Sacerdoti respondeat: sed de hoc summo & nunquam satis deplorando abusu plura. *Part.* 2. *tit. de Sacrificio Missæ.*

CAPUT III.

A quo Custos constituendus, et quæ ejus jura.

1 *Jure communi electio Custodis spectat ad Parochum.*
2 *Consuetudine aliove titulo ad Ædituos aliosve spectare potest.*
3 *Parochus suum Ministrum habere debet.*
4 *Unde Custodibus competentia assignanda.*
5 *Custos partem suam habet in obligationibus.*
6 *Circa hoc jus Custodis observanda consuetudo.*

I. CUm Custodes sint ministri Pastoris, ut ipsi serviant in iis omnibus, quæ muneris ejus sunt, uti loquitur Synodus Audomarensis, *tit.* 20. *cap.* 2. naturale est, ut Parocho competat jus constituendi Custodem tanquam ministrum suum; ideoque, ni contraria consuetudo aut alius legitimus titulus probetur, quo Parochus excludatur, non appareret, qua ratione ab electione excludi queat.

II. Quia tamen Matricularii quoque ornamenta aliaque Ecclesiæ utensilia curare est, quorum cura & ad Ædituos Ecclesiarum solet spectare, hinc consuetudo multarum Ecclesiarum in constituendo seu eligendo Matricolario ipsos Ædituos una cum Parocho admittit.

Quin tamen ex singulari titulo, aut legitima aut longa consuetudine ad alios jus illud transferri possit, dubium non est. Unde primò & ante omnia de titulo & consuetudine inquirendum; si verò de iis non constet, aut non satis probentur, eo casu juxta jam dicta Parochus & Ædituus ad constituendum Matricularium præ cæteris fundati videntur.

III. Jam pridem decretum fuit in Concilio Nannatensi relatum *in cap.* 3. ✠ *de Vita & honest. Cleric.* „ Ut quisque Pres-
„ byter qui plebem regit, Clericum habeat, qui secum can-
„ tet, & Epistolam & lectionem legat, & qui possit tenere
„ scho-

„ scholas, & admonere suos Parochianos, ut filios suos ad „ fidem discendam mittant ad Ecclesiam, quos ipse cum om- „ ni castitate erudiat. "

Clericum, de quo in citato decreto, eundem esse, quem hodie *Custodem* vocamus, inter Canonistas convenit; & monet Boëtius Epo in Commentario ad dictum Capitulum.

IV. Ulterius ad citatum Capitulum notat Glossa, quòd Ecclesia dedicari non debeat, nisi dos pro duobus ad minus sufficiat Clericis.

Proindè non Parochus duntaxat, sed & Custos jus habet, ut sibi tanquam Ecclesiæ Ministro dos competens ad sustentationem assignetur ex proventibus Ecclesiæ. Ideoque cùm decimæ sint institutæ, & ab Ecclesia ordinatæ, ut Ministri Ecclesiæ intertineantur, si hæ ad Monasteria, aut Capitula transierint, tenebuntur eam dare ex illis portionem, ut non tantùm Parochus, sed & ejus Minister, qui illi in functionibus suis assistere debet, decenter vivere queat.

Hinc Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.* tantùm ex primitiis, decimis, aut aliunde redigi vult, quod pro Rectoris aut Parochiæ necessitate decenter sufficiat.

Cum ergo ambigendum non sit, quin Matricularius Parochiæ necessarius sit, nec ambigendum videtur, quin & assignanda è decimis competentia illius quoque necessitati respondere debeat.

Hæc tamen intellige, nisi consuetudo aliusve legitimus titulus onus sustentandi Custodem ad alios transtulerit, uti in Belgio multis locis onus illud incolis incumbit.

V. Deinde cùm Custos in Officiis Ecclesiasticis Parocho ut Minister accedat; justumque sit, ut qui altari servit, de altari vivat, nequaquam injustum est, ut Custos de oblationibus aliisque in ejusmodi officiorum persolutione dari solitis participet; quod & in plerisque Ecclesiis consuetudine obtinuit.

VI. Attamen circa quantitatem & particularia quædam oblationum jura, Ecclesiarum non una sæpe est consuetudo, quæ cùm nihil per se inordinati habere soleat, observanda est; ut in casu occurrente rectè respondit & probavit Wamsius *cons.* 436.

TITULUS V.

De Ædituis Ecclesiarum Parochialium, & Magistris pauperum Mensarum Sancti Spiritus.

CAPUT I.

QUI, ET A QUIBUS CONSTITUENDI; QUOD AB ELECTIS PRÆSTANDUM JURAMENTUM.

1 *Jure communi & moribus hodiernis eligendi sunt ex communibus Laicis.*
2 *Interdùm possunt esse Ecclesiastici.*
3 *Illorum electio pendet à consuetudine.*
4 *Justum est, ut interveniat Parochus.*
* *Jus Parochorum stabilitur.*
5 *Potest tamen subinde excludi.*
6 *Quid Parocho incumbat, dum electioni intervenire nequit.*
7 *Juramentum noviter electi.*
8 *A quo recipi debeat.*

I. QUod piorum locorum Rectores, locorum ipsorum curâ postpositâ, bona, res & jura ipsorum interdum ex occupatorum & usurpatorum manibus excutere negligerent: quinimo ea collabi & deperdi, domus & ædificia ruinis deformari permitterent; quin & proventus eorum in usus suos damnabiliter converterent, videns Synodus Viennensis, statuit „ Ut nullus est locis ipsis secularibus, Cleri- „ cis in beneficium conferatur, etiamsi de consuetudine (quam „ ait reprobamus) hoc fuerit observatum, nisi in illorum fun- „ datione secus fuerit constitutum, seu per electionem sit in „ Rectore locis hujusmodi providendum; sed eorum guber- „ natio viris providis, idoneis & boni testimonii committatur, „ qui sciant, & valeant bona eorum ac jura utiliter regere „ & eorum proventus & redditus in personarum miserabilium „ usum fideliter dispensare; & quos in usus alios bona præ- „ dicta convertere præsumptio verisimilis non sit. " *Clement.* QUIA CONTINGIT, *de Religiosis domibus.*

Conformiter ad hanc Concilii Viennensis constitutionem iteratò à Concilio Tridentino innovatam, moribus obtinuit, ut Ædituí Ecclesiarum, itemque Magistri Mensarum S. Spiritus eligantur communes Laici, boni Patresfamilias ex cujusque Parochiæ incolis; adeo ut nec Ecclesiastici, imò nec Laici nobiles aut Officiales, sed mercatores, opifices, aliique simplices cives, aut pagorum incolæ sint eligendi, uti tradit Autumnus ad *leg.* 33. *Cod. de Episc. & Cler.*

II. Hoc tamen cum ea limitatione intelligendum, nisi ex fundatione aut inveterata consuetudine secus obtineat, Ecclesiasticos enim esse subinde Ecclesiarum Ædituos, seu Magistros Fabricæ non tantùm ipsa multarum Ecclesiarum, præsertim quibus Canonicorum Capitula intendunt, consuetudo ostendit, sed etiam ipsa Synodus Tridentina supponit, volens, „ ut Administratores tam Ecclesiastici, quàm Laici Fabricæ „ cujusvis Ecclesiæ singulis annis rationem administrationis red- „ dere teneantur Ordinario; " *Sess.* 22. *cap.* 9. *de Reform.* Idem supponunt Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem, uti manifestum erit ex verbis infrà referendis.

(m) *Ordinationes seu Constitutiones datæ à summo Consilio seu Senatu Brabantico super administratione bonorum Ecclesiasticorum & Sancti Spiritûs.*

Ordinationes pro Parochia loci dicti *Popel* in Episcopatu

III. Quibus verò Ædituorum seu Magistrorum Frabricæ aut mensarum S. Spiritûs electio competat, inter disciplinæ puncta referendum est, de quibus dici potest cum S. Augustino, *Epist.* 54. *ad Januarium. num.* 3. „ Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm „ ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam ad quam for- „ tè devenerit. " Cum tamen hi Fabricæ & pauperum Magistri in hac bonorum administratione in locum ac vices Diaconorum, qui viduarum & pauperum mensis præpositi fuêre, successisse videantur, primitivæ ac puriori Ecclesiasticæ disciplinæ sat videtur conforme statutum Archidiaconatûs Hispaniæ in Ecclesia Leodiensi, cujus territorium etiam vicina nobis loca complectitur, quo edicitur, nominationem Mamburnorum sive Magistrorum. „ præcipuè ad Parochos specta- „ re, nisi ex contraria & legitimè præscripta consuetudine aut „ in largitionum fundatione secùs fuisse institutum appareat evi- „ denter. Quibus rursum casibus nihilominus Pastores nomina- „ tioni seu electioni nedum interesse, sed ut ritè omnia procedant advigilare volumus..... Qua in re ut major cautio adhibeatur, fient deinceps ejusmodi Mamburnorum electiones, „ populo imprimis Dominico aut Festo die immediatè diem „ electionis præcedente inter Missarum solemnia præcertiorato, „ & in termino per campanæ pulsum specialiter convocato, „ ut iis despiciat cum Pastore de magis idoneis eligendis. "

IV. Quod de Parocho hîc dicitur, de consuetudine ubique penè obtinet; ut nimirum Parochi interventu Magistri Fabricæ, & pauperum nominentur, ipsaque Synodalia decreta probant.

Synodus Iprensis sub Rithovio, *tit.* 28. *c.* 1. „ Fabricis „ Ecclesiarum cujusque loci ex communi deliberatione Pasto- „ ris & notabilium Parochianorum præficiantur Magistri seu Gu- „ bernatores, omni exceptione majores, bonæ conservationis „ & industriæ, atque ad bona Fabricarum conservandum, re- „ cipiendum, & utiliter dispensandum idonei & sufficientes, & „ nullo modo de hæresi suspecti. " Idem de Magistris mensæ S. Spiritus decernitur capite sequenti.

* Parochi interventum in electione, & nominatione prædictis pro Ducatu Brabantiæ confirmant Regulamenta, auctoritate supremi Senatûs Brabantiæ facta, occasione quæstionum, quæ super hac electione nec non administratione bonorum, ac proventum distributione, ad fabricam & mensam sancti Spiritûs spectantium exortæ, & ad supremum Brabantiæ Senatum delatæ erant.

Quantumvis enim ex his Regulamentis intelligatur in hoc Ducatu Brabantiæ electionem horum Magistrorum, nec eisdem personis ubique competere, uti nec administrationem vel distributionem bonorum & proventuum, vel etiam auditionem computûs in omnibus Parochis uniformiter deferri, nihilominus ex his habemus, Parochorum jus in his esse conservatum.

Cùm autem in his Regulamentis plura occurrant in hac materia notanda, & quæstionibus sopiendis opportuna, ea integra (m) infrà apponuntur.

Hæc Sylvæ Ducis. I. *Primo loco, annuatim Dominicâ ante Purificationem Beatæ Virginis sub vel post Missam matutinam procedetur ad electionem novi ædilis seu magistri Ecclesiæ & magistri sancti Spiritus per Pastorem & duos Scabinos ad id*

V. Hæc iisdem verbis repetit, suisque decretis inseruit Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 22. *cap.* 1. & 2.

Subinde tamen, vel ex fundatione, vel ex vetusta & nunquam interrupta consuetudine etiam contingere potest ut ad solos Laicos pertineat: quæ licèt nonnihil dura videatur utpote excludens Parochum, cui primario cura Ecclesiæ & pauperum commendata censetur, tamen toleranda est; eamque supponunt concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem

id nominandos per Officialem & Legales. II. *Quod ita electi præstabunt juramentum in debita forma inter manus Officialis præsente Pastore.* III. *Quod Dominica ante* 15. *Septembris post sacrum matutinum, Pastor in Ecclesia publicabit octo vel decem diebus post reddendas fore rationes magistrorum Ecclesiæ & sancti Spiritus.* IV. *Quod rationes seu computus & claudentur eodem die quod reddentur.* V. *Quod rationes reddentes eos personaliter à se scriptos & formatos præsentabunt.* VI. *Quod rationes reddentes, si non sciant scribere vel aliàs incapaces scribendi vel formandi suas rationes seu computus, Dominus Pastor poterit id facere, & Secretarius signare, nullo inde percepto salario.* VII. *Quod quoniam leges seu legales jam conveniunt in popina, in quâ non decet exhibere rationes, erit licitum id facere in domo Pastoris, publicè, coram Scabinis, apertis januis, ut cuilibet sit liber accessus.* VIII. *Quod magistri Ecclessiæ & sancti Spiritus nullatenus poterunt facere distributiones eleëmosynarum, nisi ex consensu Pastoris, & dum erunt faciendæ considerabiles distributiones, etiam postulabitur consensus supradictorum duorum Scabinorum.* IX. *Quod parvæ reparationes poterunt fieri consentiente Pastore per magistros Ecclesiæ & sancti Spiritus: majores verò intervenientibus, & consentientibus supra dictis duobus Scabinis.* X. *Quod magistri Ecclesiæ, & sancti Spiritus non poterunt elocare bona Ecclesiæ & sancti Spiritus, nisi publicè intervenientibus Pastore & duobus supradictis Scabinis.* XI. *Quod magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus nullam pecuniam poterunt pensioni annuæ assignare vel dare nisi intervenientibus Pastore & supradictis Scabinis.* XII. *Quod si aliqua dissidia oriantur, decidentur juxta diploma affixum sub dato* 31. *Augusti anni* 1608.

XIII. *Quod omnia dicta officia reddenda juxta hanc Constitutionem vel aliter quoad supra dicta bona, debebunt* gratis *fieri, sine ullis sumptibus sive titulo vocationum, conviviorum, expensarum vel aliter, mandando omnibus ut se his accommodent, quæ omnia provisionaliter fiunt, donec aliter ab Aula statuatur. Datum in hac urbe Bruxellensi sub sigillo Majestatis suæ* 18. *Decembris* 1702. *Signatum* Bodry.

Ordinatio seu Constitutio pro bonis Ecclesiæ Sacelli & sancti Spiritus pagorum Vorscher & Lichtaert, Episcopatus Antuerpiensis. I. *Primò, quod Dominica cujuslibet anni ante* 15. *Septembris, Pastor cujuslibet publicabit in Ecclesia* 21. *ejusdem mensis festo sancti Matthæi reddendas fore rationes seu computum Ecclesiæ, Sacelli & sancti Spiritus.* II. *Quod quilibet rationum redditor debebit facere computum integrum, & pro eo cavere.* III. *Quod rationes seu computus debebunt appostillari & claudi eodem die, quo reddentur.* IV. *Quod reddentes seu exhibitores personaliter à se formatas & conclusas rationes præsentabunt.* V. *Quod si iidem reddentes seu exhibitores non sciant scribere, vel aliàs non sint in potentia scribendi vel formandi suas rationes aut computus, Pastor poterit id facere & Secretarius signare nullo inde percepto salario.* VI. *Et quoniam congregatio legis hodiedum servatur in duabus dictis Parochiis, in popina in qua non expedit nec decet rationes reddere, erit licitum id facere in domo Pastoris publicè coram Officialibus & Scabinis, januis apertis, ut unicuique sit liber accessus.* VII. *Quod parvæ reparationes necessariæ poterunt fieri per magistros Ecclesiæ, Sacelli, & sancti Spiritus, cum Pastoris consensu, sed considerabiles debebunt fieri intervenientibus & consentientibus Officiali & Scabinis.* VIII. *Quod magistri Ecclesiæ, Sacelli & sancti Spiritus, non poterunt elocare bona Ecclesiæ, Sacelli & sancti Spiritus, nisi publicè & intervenientibus Pastore, Officiali, & Scabinis.* IX. *Quod dicti magistri Ecclesiæ, Sacelli & sancti Spiritus, non poterunt pensioni assignare ullam pecuniam nisi intervenientibus Pastore, Officiali, & Scabinis.* X. *Quod debebunt reassumi vel in securitatem redigi in debita forma pecuniæ huc usque sine sufficiente securitate pensioni assignatæ.* XI. *Quod rationes apertæ & clausæ fient exiguo temporis spatio, & consequenter executioni tradentur.* XII. *Quod rationes debitè confectæ & clausæ, debebunt deponi in cista Ecclesiarum respectivarum, ad quas etiam deferentur pecuniæ restantes ex clausis computibus* 14. *diebus post redditionem computuum.* XIII. *Quod magistri Ecclesiæ sancti Spiritus nullas eleëmosynas poterunt distribuere nisi consentiente Pastore, & dum agetur de faciendis majoribus distributionibus postulabitur consensus Officialium & Scabinorum.* XIV. *Si accidant dissidia, decidenda erunt juxta affixum diploma* 31. *Augusti* 1608. XV. *Quod omni officia reddenda juxta hanc ordinationem vel aliter respectu prædictorum bonorum, fient* gratis *absque ullis sumptibus sive titulo vocationum, conviviorum, expensarum, aut aliter; mandando unicuique ut se his accommodet, omnia provisionaliter, donec ab Aula aliter statuatur. Datum in hac civitate Bruxellensi sub sigillo secreto Majestatis suæ* 10. *Julii anni* 1709. *sub signo calamari signatum* Bodry, *& erat impositum Secretum Majestatis suæ hostia rubra obductum papyro alba. Hæc ordinatio fuit extensa* mutatis mutandis *pro* Parochia Boort. *Meerbeeck de Satrapia Compenhout in Archiepiscopatu Mechliniensi, 22. Octobris* 1721. *sub Secretario* Vander Linden.

Ordinatio pro Parochia Haren prope Bruxellas. I. *Quod semper erunt duo magistri Ecclesiæ, & duo magistri sancti Spiritus; quorum duo Seniores deserent sua servitia finito secundo anno.* II. *Quod ipsorum loco quolibet anno Sabbati ante Purificationem, eligetur novus Magister Ecclesiæ, & sancti Spiritus à Pastore & à Domino loci, vel in ejus absentia à primario ejus Officiali.* III. *Quod ita electi præstabunt inter manus Officialis juramentum solitum præstari.* IV. *Quod magistri Ecclesiæ, & sancti Spiritus debebunt rationes suas annuas reddere in loco (non existente popina) in qua Lex convenit intervenientibus Parocho, & Domino territoriali, vel ejus principali Officiali & duobus Scabinis cum judicii scriba Pagi* d' Haren. V. *Quòd hi duo computus reddentur eodem tempore* gratis, *separatis sexternioribus, & absque quod ullus possit nec postulare, nec ullo salario gaudere.* VI. *Quod reddentes rationes præsentaturi sint suos computus respectivos à se scriptos & debite efformatos, ut, illis appostillatis & clausis, signentur à Secretario* d' Haren.

VII. *Quod si contingat aliquos illorum qui computibus debent interesse, non adesse die statuto, procedetur à præsentibus ad auditionem & clausuram.* VIII. *Quod magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus respectivè habebunt administrationem proventuum seu reddituum respectivorum.* IX. *Quod reparationes & expensæ ordinariæ Ecclesiæ fient cum cognitione Parochi & Domini, aut ejus principalis Officialis.* X. *Quod distributiones Eleëmosynarum eodem modo fient.* XI. *Quod elocatio seu conductio bonorum Ecclesiæ, & sancti Spiritus fiet publicè, &* gratis *ut supra, intervenientibus Officiali principali, duobus Scabinis, & Secretario, coram Pastore, & Domino, si id bonum judicent.* XII. *Quod nulla venditio bonorum, nulla refusio reddituum, nulla expositio pecuniæ pro lucro percipiendo, vel alii contractus qui olent alienationem, poterunt fieri nisi cognoscentibus Parocho, Domino, & omnibus quorum intererit, & ex consensu Archiepiscopi, & permissus Majestatis suæ.* XIII. *Quod fient duæ cistæ, una pro Ecclesia, & altera pro sancto Spiritu, in quibus custodientur documenta respectiva, litteræ, rationes seu computus &c. sicut etiam pecuniæ paratæ.* XIV. *Quod pro qualibet cista fient tres differentes seræ & tres claves; Pastor uniuscujusque cistæ habebit unam, Dominus vel ejus principalis Officialis etiam uniuscujusque unam, & Magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus etiam suarum cistarum respectivarum.* XV. *Quod insuper observabuntur statuta in affixo diplomate* 31. *Augusti anni* 1608. *Datum* 24. *Januarii* 1713. *signatum* Bodry.

Ordinatio pro bonis Ecclesiæ, & sancti Spiritus Parochiæ Everensis. I. *Quod semper erunt duo magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus, quorum duo Seniores servitia sua deserent circa finem anni secundi.* II. *Quòd die Sabbati ante Purificationem Beatæ Virginis ipsorum loco eligetur novus Magister Ecclesiæ & Sancti Spiritus, à Pastore, & à Domino territoriali seu loci, vel absente dicto Domino, à Pastore & Officiali principali dicti Domini, qui casu quo non convenirent, convenient mittendo sortem.* III. *Quòd ita electi tenebuntur præstare solitum juramentum inter manus Officialis.* IV. *Quòd Dominica secunda Septembris cujuslibet anni, Pastor parochiæ in Ecclesia publicare debeat, Jovis die ejusdem hebdomadæ exhibendas fore rationes seu computus Ecclesiæ & sancti Spiritus.* V. *Quòd quilibet reddens tenebitur facere computum integrum & pro eo cavere.* VI. *Quod computus debebunt calamari, signo muniri, & claudi eodem die quo reddentur.* VII. *Quòd reddentes tenebuntur personaliter præsentare suos computus à se formatos & scriptos.* VIII. *Quòd si iidem reddentes non sciant scribere, vel aliàs incapaces hoc præstandi, aut conficiendi suos computus, Pastor id poterit efficere, & Secretarius vel judicii scriba signare nullo inde percepto salario.* IX. *Et quoniam lex dictæ Parochiæ convenit hodiedum in popina, in qua non decet reddere rationes, erit licitum id facere in domo Pastoris, publicè coram Decano rurali, dicto Pastore, Officiali, & Scabinis, januis apertis, ut unicuique sit liber accessus.* X. *Quòd magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus habebunt administrationem respectivorum reddituum.* XI. *Quod minores reparationes necessariæ, dummodo non excedant summam* 12. *florenorum, poterunt fie-*

sem in verbis: *Quod si Magistri Fabricæ Mensæ S. Spiritus, aut Administratores Hospitalium Laici fuerint*, & à Laicis instituantur &c.

VI. Veruntamen ubi consuetudo ad Laicos privativè hanc nominationem detulerit, Parochi erit electoribus inculcare rationibusque persuadere, ut sine acceptione personarum eligant illos, quos administrandis bonis Ecclesiæ & pauperum convenientiores scient: illis ostendendo, quòd si ex affectu carnali incapaces, aut parum idoneos nominaverint, se coram Deo debitores constitui eorum omnium, quæ per minùs fidelem aut parum providam horum administrationem Ecclesiæ aut pauperibus subtraherentur; quæque habituri fuissent, si sine acceptione personarum capaciores electi fuissent. Hinc Synodus Iprensis anno 1609. *tit.* 20. *cap.* 19. postquam monuit multùm interesse ut semper probi & fideles Magistri Fabricæ & mensæ pauperum constituantur, subjungit: *Viderint proinde qui alios & negligentes creant, num actionum similium iniquarum coram Deo participes esse velint.*

VII. Electi priusquam administrationi se immiscere queant, medio juramento promittere debent in hujusmodi officio fidelitatem; quodque bona Fabricarum, & pauperum conservabunt; & deperdita, quantum poterunt, recuperabunt; ac utiliter juxta Fundatorum intentionem & necessitatem obvenientem dispensabunt; quodque pro eorundem bonorum conservatione & fideli dispensatione non minorem, sed, si fieri potest, majorem impendent operam & diligentiam, quàm circa res proprias. Hæc est formula juramenti expressa in Synodo Iprensi sub Rithovio, *tit.* 28. *cap.* 1. 2. & & Audomarensi 1583. *tit.* 21. *cap.* 1. & 2. cui quoad substantiam plerisque in locis consueta formula juramenti consonat, nisi quod alibi addatur aliquid de annua redditione computus: uti videre est in regulamento Consilii Flandriæ anni 1651, quod extat al calcem statutorum Synodalium sub D. Triest.

VIII. A quo juramentum illud recipi debeat, non eadem est omnium Ecclesiarum consuetudo. Alibi enim à Pastore, tanquam primario Ecclesiæ & pauperum intendente, & locum Episcopi tenente, recipitur. Hæcque consuetudo probatur à Synodo Buscoducensi tam sub Metsio, quàm sub Masio. Prima quidem mandat, ut Magistri Fabricæ & mensæ S. Spiritus juramentum in præsentia Parochi infra mensem à suscepta administratione præstent, *tit.* 24. *cap.* 7. Altera verò, ut antequam se administrationi immisceant, teneatur juramentum fidelitatis instar tutorum & curatorum coram Parocho præstare, *tit.* 12. *cap.* 1.

Alibi verò consuetudo habet, ut juramentum illud recipiatur à Magistratu, vel primario Officiali. Et quidem citatum regulamentum Concili Flandriæ *art.* 2. injungit Magistris Fabricæ, & Mensæ S. Spiritus præstare juramentum fidelitatis coram Ballivo, Scolteto, vel Sculteto, Drossardo, aut alio primario Officiali, ad quem pertinet.

Et cùm Officialis Noviodunensis cujusdam Parochiæ Magistros Fabricæ evocasset ad præstandum juramentum, injecta ap-

fieri per magistros Ecclesiæ & sancti Spiritus consentiente Parocho, majores verò intervenientibus & consentientibus Officiali & Scabinis. XII. *Quòd magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus non poterunt elocare bona Ecclesiæ & sancti Spiritus, nisi publicè intervenientibus Pastore, Officiali & Scabinis, absque quod dent præferentiam conducentibus sive incolis sive peregrinis, & hoc sub antiquis conditionibus quæ scriptis tradentur à dictis magistris Ecclesiæ & sancti Spiritus, nisi ex communi consensu congruum videretur mutare aliquos articulos; & casu quo dicti magistri Ecclesiæ, & sancti Spiritus sint incapaces, inhærendum erit dispositioni datæ in articulo octavo præfato.* XIII. *Quòd dicti magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus non poterunt ullas pecunias redditibus assignare, nisi Pastore, Officiali & Scabinis intervenientibus.* XIV. *Quòd curandum erit ut in cistam reddeant vel in securitatem veniant pecuniæ huc usque absque sufficienti cautione assignatæ pensioni.* XV. *Quòd computus aperti, & imò clausi, fient exiguo temporis spatio, & consequenter executioni mandabuntur.* XVI. *Quòd debitè clausi & finiti reponentur in cistis respectivis Ecclesiæ sancti Spiritus Everensis, quo etiam adferentur pecuniæ restantes à clausis computibus intra quatuordecim dies post redditas rationes, & in quibus præterea deponentur documenta & litteræ, in quibus agitur respectivè de bonis Ecclesiæ, & sancti Spiritus.* XVII. *Fient pro qualibet cista tres diversæ seræ & totidem claves; Pastor utriusque unam retinebit; primus Officialis pariter unam cujuslibet cistæ, & Senior magistrorum Ecclesiæ & sancti Spiritus pariter retinebit unam clavem de cistis ipsorum respectivis.* XVIII. *Magistri Ecclesiæ & sancti Spiritus poterunt facere, consentiente Parocho, Eleëmosynarum distributiones non excedentes summam trium florenorum: dum verò considerabiliores erunt faciendæ, dictos principales Officialis & Scabini debebunt intervenire, & consentire.* XIX. *Casu quo accidant dissidia, decidenda erunt juxta affixum diploma* 31. *Augusti* 1618. XX. *Dicta Officia reddenda consequenter ad hanc ordinationem vel aliter quoad supra dicta bona, debebunt ab unoquoque, sive ille sit Eclesiasticus sive secularis,* gratis *fieri, sine sumptibus, sive titulo vacationum, conviviorum, expensarum vel altero; etiam Pastor & ædituus servitia & sepulturas* gratis *facient eorum, qui gavisi fuerint mensa sancti Spiritus. Mandando omnibus & singulis ut his se conforment provisionaliter, donec aliter ab Aula statutum fuerit. Datum Bruxellis* 3. *Octobris* 1718. *Signatum*, Catz.

Sententia data in Concilio Brabantico super administratione bonorum Ecclesiæ & Sancti Spiritus 27. Februarii anni 1714.

Franciscus Wolffgangus Wilhelmus Rompen, Pastor immunitatis Tervuerensis, Supplicans. *Præfecti, Consules, Scabini & Rectores ejusdem immunitatis, Citati seu in judicium vocati. Viso in Consilio supremo Brabantico statuto à Majestate sua, libello supplice præsentato, per supplicantem remiso ad Commissarios hujus Aulæ per citationem de* 9. *Junii anni* 1711. *Cum hoc tenore: quòd tam per Synodos Belgiorum, quam per Ordinationes hujus Aulæ emanatas quoad administrationem Ecclesiarum & ipsarum bona, directio & administratio bonorum spectantium ad Ecclesias & pauperes planæ patriæ concernat Pastores Parochiarum respectivarum: quòd in immunitate Tervuerensi directio & administratio bonorum Sancti Spiritus ibidem erat penes Pastores & magistros pauperum: quòd prædecessores Supplicantis hac semper possessione fuissent gavisi, ut patebat ex declaratione Consulum, Scabinorum, & Magistrorum pauperum dictæ immunitatis: quòd attentâ hâc declaratione antecessor Supplicantis obtinuisset diplomata manutenentiæ anno* 1679. *contra Consules, Scabinos, & Jacobum* Druaert *tanquam receptorem pauperum Tervuerensium, super quo dicti Consules, Scabini, & receptor reliquerunt prædecessorem supplicantis in pacifica sua possessione: quòd supplicans ab adventu suo ad dictum Pastoratum in eadem manserat quoad hanc administrationem: quòd consequenter schedulis ab ipso & à magistris pauperum signatis semper factæ fuissent Eleëmosynæ & distributiones frumentorum pauperibus in dicta immunitate, quòd nihilominus supplicans turbaretur viâ facti in sua possessione pacifica à Officiali* Carolo Michiels, *qui requirentibus præfecto, Consulibus & Scabinis, prætensam qualitatem ducis ædilium Ecclesiæ, & pauperum, inhibuit* 5. *Maji* 1711. *modernis magistris pauperum* Cornelio Labon, & Adriano Van der Smissen, *ne imposterum darent schedulas pauperibus, nisi signatas propriâ ipsorum manu, nulla alia admissa neque aditâ signaturâ, sub pœna &c. Talibus autem viis facti intolerabilibus in patria justitiæ, supplicans concludebat, ut placeret Consilio ipsi dare litteras patentes manutenentiæ in debita forma, cum clausula interdictionis; processu verbali deinde habito coram Commissariis* 19. *Junii* 1711. *in quo supplicans per suum Procuratorem proponendo contenta in sua dicta supplica inserebat ut per ipsam. Conclusio contraria citatorum ejusdem diei, ut supplicans declararetur non admittendus in his quæ concludebat* idque cum expensis; *citatio ibidem facta eodem die, auditis verbaliter partibus, mandabat citatis, ut supplicanti daretur accessus ad omnes computus pauperum, & ad acquisita ab anno* 1675. *inclusivè, cum exhibitione adquisitorum ad id servientium, & demonstratione modi quo computata fuissent, ut desuper quoad factum & partibus auditis, ulterius & summariè disponeretur ut æquum & justum, citatio ulterius data in procesu verbali* 3. *Julii* 1711. *per quam Aula, partibus auditis illis, mandabat* hinc inde *ut congruè applicarent documenta, quibus prætendebant uti, ut fundarent ex utraque parte sua conclusa, ut parti utrique extraderetur octiduum, ut illis visis, comparerent etiam post octiduum, & desuper illis verbaliter & summarie auditis, decerneretur; data potestate nihilominus ex consensu partium, absque præjudicio cujuscumque juris*, Francisco le Roi, *ut* ad interim *daret schedulas distributionum pauperibus, visis respectivis applicatis, seu scriptis partis utriusque, ulterioribus processibus verbalibus causæ, quoad dissidia in illa mota tum pro petita consignatione testamentorum, codicillorum, donationum, & aliorum actuum, quæ citati in sua potestate prætendebant habere, & expurgatione desuper à supplicante factâ: citatio data post processum verbalem* 17. *Februarii* 1711. *in qua Aula mandabat partibus* hinc inde, *ut ad acta venirent: Aula omnibus perpensis & attentis manutenet supplicantem in possessione, simul cum magistris Sancti Spiritus, ut signent schedulas servientes distributioni Eleëmosynarum erga pauperes, exceptis casibus in quibus per acta fundationis aliter statutum & decretum videretur, & mandat citatis ut curent annullari omnia impedimenta hisce contraria, condemnans dictos citatos ad expensas sub debita taxatione & moderamine Aulæ. Ita datum in Civitate Bruxellensi* 17. *Februarii* 1714. *Signatum, A. V.* Ghindertaelem.

appellatione tanquam ab abusu, juxta usum Regni Franciæ, ad Parlamentum Parisiense, cassatum, nullumque declaratum fuit decretum Officialis, dictumque est, juramentum hujusmodi Magistrorum, utpote qui Laici sunt, & solis rebus temporalibus præfixi, coram superioribus Laicis esse præstandum. Papon. *lib.* 4. *tit.* 12. *Arrest.* 14.

In his ergo cujusque Ecclesiæ antiqua consuetudo tenenda est: unde Synodus Iprensis 1609. *tit.* 20. *cap.* 22. simpliciter dicit, „Ut qui admittuntur ad administrationem bo„norum Fabricæ aut Mensæ pauperum, præstent Superiori„bus juramentum", non designando vel Ecclesiasticos vel seculares.

CAPUT II.

Quænam præcipue ab Ædituis et Magistris pauperum in administratione bonorum observanda.

1 *Res sibi commissas ut proprias administrare debent.*
2 *Nihil alienare possunt sine Superiorum consensu.*
3 *A consuetudine pendent, qui in alienatione intervenire debent elocationi publicè instituendæ.*
4 *Nec nisi præstitâ cautione.*
5 *In elocationibus prandia non facienda.*
6 *Lites non suscipiendæ sine auctoritate & prævio Superiorum examine.*
7 *Litteræ fundationum aliaque monumenta solicitè servanda.*
8 *Quid observandum, dum ex Archivis aliquid extrahitur.*

I. Imprimis ex ipsa lege justitiæ, & religione sui juramenti omni fidelitate res Ecclesiæ & pauperum tanquam res proprias administrare debent; omnem impendentes curam & studium, ut nihil vel eorum negligentiâ pereat, aut deterioretur.

II. Pro securiori autem bonorum conservatione Principes nostri in edicto ad Synodum P. II. Mechliniensem, *art.* 28. conformiter ad jus commune interdixerunt omnem eorum alienationem, permutationem, oppignorationem sive hypothecationem; & in casum notabilis necessitatis, aut utilitatis, ratione cujus oporteret hujusmodi alienationi consentire, intentionis suæ esse declarant, ut omnia prævie examinentur, & sedulò discutiantur per Episcopum, aliosque ad quos hactenus recurri solitum fuit, & ut à singulis respectivè obtineatur eorum consensus in scriptis.

Similiter Philippus II. edicto ad Synodum P. II. Cameracensem vult, ut Judices Regii aliique habeant tanquam nullas & invalidas omnes alienationes rerum Ecclesiasticarum, „quæ „factæ sunt sine consensu Superiorum, & convenienti causæ „cognitione; idque non obstante quacumque contraria con„suetudine quoad alienationes post Edictum factas. Insuper „pro invalidis reputari vult venditiones granorum, quorum „termini nondum effluxerunt, factas viliori pretio ob anticipatam solutionem."

III. Cùm verò Edicta non exprimant, quinam præter Episcopum huic alienationi consentire debeant, sed ad hactenus observatam consuetudinem remittant, ea omnino attendenda & examinanda est; ut tamen Parochi, & Notabilium Parochianorum, qui de necessitate Ecclesiæ, aut Parochiæ, aliisve justis alienationis causis, præ cæteris meliùs solent esse instructi, judicium saltem expetatur, æquum justumque est. Unde & Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 28. *cap.* 4. vult. „ut in majoribus negotiis, & maximè ubi de præjudicio Fabri„carum seu pauperum agitur, nihil administratores, nisi de una„nimi Pastoris & Notabilium consensu attentare præsumant."

Ad hæc ne in ipsa bonorum elocatione carnalis affectus se immisceat, ea viliori pretio amicitiæ aliove humano intuitu elocando, cautum est Edicto Philippi II. supra citato *art.* 25. ne hujusmodi bona elocentur, nisi previis tribus proclamationibus aut chartularum affixionibus in locis consuetis; vel saltem non elocentur minori pretio quàm bona vicina ejusdem naturæ & qualitatis elocari consueverunt; ita ut nec accipi queat poculum vini in diminutionem mercedis elocationis, nisi de consensu Superioris, sub pœna nullitatis talium contractuum.

Similiter Edicto Concilii Flandriæ suprà allegato *art.* 5. cautum est, ne Magistri Fabricæ aut Mensæ pauperum, aut Receptores quidquam elocent, nisi publicè, prævia chartularum affixione, & proclamatione; plusque offerens, præferatur.

IV. Idem pleræque Synodi Belgicæ inculcant; adduntque ut non habeantur ratæ elocationes, nisi sufficienti cautione data. Synodus Audomarensis an. 1583. *tit.* 21. *cap.* 4. Mechl. an. 1609. *tit.* 21. *cap.* 2. & Iprens. an. 1577. *tit.* 25. *cap.* 5. quæ & addit, ut elocationes fiant omni privato favore seposito, præsentibus Notabilibus & aliis, qui interesse voluerint.

V. Denique Synodus P. II. Cameracensis monet, ne in hujusmodi elocationibus prandia fiant sumptibus ipsarum fundationum, nisi quæ à Fundatoribus sunt instituta.

Et sane quid injustius aut inhumanius, quàm bona pauperum, aut Ecclesiæ usibus deputata in hujusmodi conviviorum inutiles & superfluos sumptus impendere!

VI. Ulteriùs cùm inter majoris momenti negotia meritò numerentur lites, quæ, ut experientiâ notum est, non sine magnis sumptibus agi consueverunt; & ad quas Administratores & Receptores nonnumquam ob speratum lucrum ex vacationibus sunt justo procliviores, meritò Synodalibus decretis ordinatum est, quod sine auctoritate Superiorum & prævio maturo examine, à Magistris institui aut suscipi non possint.

„Rectores Fabricarum aut mensarum S. Spiritûs nullas li„tes assumant (ait Synodus Antuerp. sub Miræo *tit.* 21. *c.* 25.) „nisi causâ prius à nobis nostrove Vicariatu examinatâ, ne „alicui inconsulta temeritate per injuriam molesti sint, at„que non necessariis sumptibus, salariis, vacationibusque fa„bricas aut mensas pauperum gravent. Quod si etiam causa „gravioris momenti sit, comittetur alicui ex Vicariatu aut De„cano Christianitatis, ut antequam lites instituantur, cum ad„versariis seria ratione agant, ut si fieri possit, res sine stre„pitu Judicii terminetur, assumptis potiùs, si dubium fuerit, „utrimque Jurisconsultis, quibus decisio negotii committatur: „si quis secùs fecerit, nullo modo expensas in fabricæ aut men„sæ S. Spiritus rationes referat, nec Auditores rationum infer„ri patiantur, in quas fortè condemnatus erit, aut quas ab ad„versario recuperare nequiverit, sed eas ipse in pœnam te„meritatis suæ luat.

Huic justissimo Decreto passim consentiunt reliquæ Synodi, requirentes in assumptione litis prævium Pastoris, vel etiam Episcopi, & Magistratûs cosensum. Synodus Namurc. anno 1639. *tit.* 18. *c.* 7. Buscoduc. anno 1612. *tit.* 21. *cap.* 4. Iprens. 1577. *tit.* 28. *cap.* 4. Audomar. anno 1583. *tit.* 21. *cap.* 4. quæ duæ ultimæ generaliter decernunt, ut in majoribus & magis arduis negotiis, nihil, nisi de unanimi Pastoris & notabilium consensu attentare præsumant.

VII. Denique cùm experientiâ compertum sit, multa bona Fabricarum piarumque fundationum perire, aut deperdi, eò quòd litteræ fundationum, aliave monumenta ad probationem necessaria non satis fideliter & exactè conserventur; tum Principum, tum Synodorum decretis sancitum est, ut omnia documenta, computus & litteræ Ecclesiarum & pauperum referantur in unum respectivè Archivum, quod vulgò dicitur *De Com.* sub clausura trium diversarum clavium; quarum una sit penes Pastorem, altera penes Magistratum, & tertia penes Magistros Fabricæ vel Mensæ S. Spiritûs respectivè; ita Edictum Concilii Flandriæ suprà citatum; quod apertè supponit esse duo archiva, unum monumentis ad Ecclesiam spectantibus, alterum ad Mensam S. Spiritûs pertinentibus subserviens; ut illius clavis sit penes Magistros Fabricæ, hujus verò apud Magistros S. Spiritûs.

Edicto jam citato quoad archivum ejusque sub tribus distinctis clavibus clausuram Synodi nostræ consentiunt; sed pro monumentis Fabricæ & pauperum conservandis, unicum supponere videntur; cùm passim clavium custodiam ita distribuant, ut unam quidem Pastori, reliquas verò primario Mamburno, seù Magistro Fabricæ, & primario Magistro Mensæ S. Spiritûs respectivè committant. Etenim quoad hanc clavium custodiam si reperiatur Ecclesiarum varia consuetudo aut ordinatio, cuique Ecclesiæ sua servanda erit.

VIII. Additque citatum Edictum Consilii Flandriæ, & communiter Synodi nostræ, ut si quando necesse fuerit aliquod monumentum ex ipso archivo extrahi, loco illius in archivo ponatur scripta notitia cum expressione nominis & cognominis, & residentiæ illius, qui hoc monumentum accepit, unà cum signatura ipsius, qua fatetur se illud accepisse.

Quod de clausura archivi seu scrinii pro conservatione monumentorum cautum, idem Edicto Caroli V. anni 1531. *art.* 16. & Synodalibus decretis sancitum est circa gazophilacia, sive truncos recipiendis Fidelium oblationibus exposita; ut nimirùm tribus distinctis seris firmentur, utque clavium una sit penes Pastorem.

SUPPLEMENTUM AD HOC CAPUT II.

Decretum Episcopi & Principis Leodiensis pro fideli & recta administratione bonorum Fabricæ Ecclesiæ & Mensæ S. Spiritûs.

Maximilian Henry, par la grace de Dieu, Archeveque de Cologne, Prince Electeur du Saint Empire Romain, Archi-Chânceiller par l' Italie, & du Saint Siege Apostolique Legat né, Eveque & Prince de Liege, Hildesheym, elu Eveque de Munster Administrateur de Bergtesgarde, & Duc des deux Bavieres, du haut Palatinat, Westphalie.

Lingeren, & Boüillon, Comte Palatin du Rhin, Landgrave de Leuchtenberg, Marquis de Franchimont, Comte de Looz, Herne, &c. Sur rapport nous fait que dans nos Villes Bourgades & Villages de nôtre Pais & Diœcese de Liege, il se glisseroit un abus tres considerable au sujet des Comptes, tant des biens appartenants aux Eglises, Fabriques & Luminaires, que Mambours des pauvres, les uns des Auditeurs d' iceux se faisant mettre à diner, les autres se faisant payer en argent, au lieu de servir gratuitement l' Eglisse & les pauvres d' icelle; les Mambours desquels feroient des effractions de muids à petit prix, comme aussi la distribution des pains, ainsi que bon leur semble, les donnant aux riches aussi bien qu' aux pauvres. Voulant à ce remedier, avons ordenné, comme Nous ordonnons par les presentes, a tous Mambours & Auditeurs desdits Comptes, d' y vaquer gratuitement pour Dieu & pour les pauvres, sans pretendre chose que ce soit, pour depense de bouche ou autrement: Commé aussy Nous ordonnons à tous Mambours desdites Eglises & pauvres de suivre au futur les effractions du Clergé de Liege pour les muids qui leur sont dûs, & de ne faire distribution desdits biens, soit en pains, à autres qu' à ceux, qui sont vraiement pauvres, & connus pour tels par les Pasteurs, pardevant lesquels, & les deux plus vieux Eschevins ou Principaux du lieu, tous les comptes susdits de l' Eglise & pauvres seront rendus & examinez gratuitement. Ordonant à tous Pasteurs & Deserviteurs desdites Eglises de publier cetui nôtre Mandement au jour de Dimanche, pendant la Messe Paroissiale, dans chaque leurs Eglises; & pour meilleure & absolute observance, de choisir chacun dans leurs Paroisses un ou deux Synaux pour annoter les contraventeurs, & leur en faire pertinente relation, afin qu' il soit procedé contre eux à la peine de cinque florins d' or pour les pouvres de la Paroisse.

Et comme plaintes Nous ont aussi eté faites, que des personnes peu soigneuses de leur instruction Chretienne, tant nesessaire pour le salut de leurs ames, sortiroient pendant la grande Messe de l' Eglise, pour n' attendre le Sermon ou exhortation du Pasteur, & s' en iroient caquetter au portail de l' Eglise, menant grand bruit, & commettant insolence, Nous le deffendons tres serieusement, & enchargeons les Pasteurs de surveiller soigneusement la dessus, pour que telles personnes soient chatiés d' un florin d' or d' amende, pour chaque fois, applicable aux pauvres comme dessus. Donné en notre Ville de Bonne le vingtiéme May mille six cens quatre vingt & six. Etoit signé, Maximilian Henry & *puis écrit*, Lieu (†) du Scel, & *ensuite contresigné* Ferd. Schich.

Formula qua expeditur Nominatio Regia ad Abbatias.

CHarles par la grace de Dieu, Roy de Castille, de Leon, &c. A Religieuses persones nos cheres & bien aimes les Prieure, Religieuses & Convent de l' Abbaye N. Salut & dilection. Comme à nous comme Ducq de Brabant affiert & appartient d' avoir soigneux egard, que le Prelatures, Abbayes, Prieures & autres Dignités etans en icelui Pais, soient pourvues des gens Catholiques, de bonne vie & conversation, pour les entretenir en bonne & Chretiene Religion, & par Indult Apostolique, droit de personnage, Regale, & autrement nous compete, & ayons droit de auxdites Prelatures, & dignites, quando elles vaquent, nommer persones suffisantes, idoines & à nous agreables. Et il soit par le trespas de Dame N. vostre derniere Abbesse, ladite Abbaye presentement vacante, nous ayons fait informer de le idoineté & capacité des Religieuses d' icelle, entre lesquelles nous seroit etre presentée Dame N. Religieuse de la meme Abbaye: Scavoir vous faisons, que le bon rapport que fait nous à eté de ladite Dame N. & de ses sens, experience, bonne Religieuse vie, & conversation, nous l' avons par la deliberation de nôtre tres cher & feal Cousin Don Francisco Antonio de Agurto, Marquis de Castannaga, Chevalier de l' Ordre d' Alcantara, Lieutenant, Gouverneur, Capitaine General de nos Pays Bas, &c. A denommé & denommons par ces presentes, à ladite Abbaye N. vous consentans & requirans, que procedans à l' Election de vostre nouvelle & future Abbese, vous elisiez & acciptiez à icelle Dignité, la dite Dame N. comme persone a ce capable, & à nous aggreable, à laquelle consentons, & permettons de pouvoir sur ce obtenir de notre Saint Pere le Pape, de l' Eveque Diocesain, ou autre Superieur, telles Bulles Apostoliques & provisions de Confirmation qu' il appartiendra, & icelles à dûe execution, au surplus prendre, & aprehender la vraye, reele, & actuelle possession de laditte Abbaye, ensemble des droits, fruits, profit & emolument d' icelle, pour d'orenavant la tenir, regir & administrer tant au spirituel qu' au temporel, en a gardées & observées les solemnités en tel cas requises & accoutumées. Si donnons en mandement à nos Tres chers & Feaux les Chef President & Gens de nos Privé & Grand Conseil, Chancellier de gens de notre Conseil orddoné en Brabant, & à tous autres nos Justiciers, Officiers, & Subjets, à qui ce regarder, à qu' a vous en ce que dit est, ils assistent, si besoin en avez & en outre fassent, souffrent & laissent ladite Dame N. de cette nostre presente nomination, accord & consentement, pleinement & paisiblement jouir & user, cessans tous concredits & empechement au contraire. Car ainsi nous plâit-il. Donne en notre Ville de Bruxelles &c. Christ. Vt Inferius erat signatum; *Par le Roy*, Galvan.

CAPUT III.

Quomodo bona Fabricæ et mensæ S. Spiritus dispensanda, et a quibus.

1 *Bona Fabricæ & Mensæ S. Spiritûs fideliter dispensada.*
2 *Bona pauperum ex humano affectu non dispensemur.*
3 *Non tantum inopiæ, sed & morum ratio in hac dispensatione habenda, & qui hoc nomine ab eleëmosyna arcendi.*
4 *Quomodo Parochus in horum distributione intervenire debeat.*
5 *Qui eleëmosynis gaudent, à Parocho examinandi.*

I. BOna Fabricæ sive Ecclesiæ in usus Ecclesiæ esse fideliter expendenda, ipsa nominis etymologia evincit. Neque enim alia ratione dicuntur bona Fabricæ sive Ecclesiæ, nisi quòd usibus Ecclesiæ destinata sint. Quapropter attendendum Ædituis, aliisve bonorum illorum Administratoribus, ut fideliter in utilitatem Ecclesiæ proventus illorum expendantur; & si in alios usus ex aliquo humano affectu impenderint, restitutioni se reddi obnoxios. Similiter bona Mensæ S. Spiritûs seù pauperum esse destinata in usus pauperum, ipsorum nomen manifestat, adeoque & illa in pauperum usum fore impendenda.

II. Verùm quia pauperum magna solet esse copia eorumque multiplex conditio; neque facilè generaliter determinari queat, qui sint habendi ut pauperes, quibus hæc bona rectè impendantur; idque fere arbitrio & prudentiæ credi debeat eorum, qui bonorum illorum dispensationi præsunt, ideò in hac dispensatione facilè ex humano amicitiæ, aut proprii emolumenti affectu à justitiæ tramite deflectitur, aut in vitium acceptionis personarum inciditur. Quod vitium haud evadunt, qui in distributione hujusmodi eleëmosynarum ex privato aliquo affectu minus merentes magis merentibus præferunt: cùm dubitari nequeat, offerentium hujusmodi eleëmosynas intentionem esse, ut dum omnibus pauperibus provideri nequit, magis merentes primo de illis participent.

Hinc Synodi nostræ passim solicitè inculcant, „ut eleëmosynæ Mensarum pauperum sine humano affectu & acceptione personarum, iis tantùm distribuantur, qui verè pauperes sunt.“ Ita Synodus Mechl. 1609. *tit.* 21. *cap.* 11. Idem & reliquæ Synodi communiter monent; additque Franciscus Sonnius Antuerpiensium Antistes in decretis Synodalibus, *tit. de Bonis Fabricæ & S. Spiritûs*, *cap.* 6. ut „in singulis Parochiis Mamburni S. Spiritûs habeant Mensam convenienti loco positam ad distribuendas ex ea pauperum portiones; ut videat populus, neque indignos admitti, neque dignos repelli, fierique hanc distributionem sine personarum acceptione.“

III. Monet præterea citata Synodus Mechliniensis, ut in eleëmosynarum distributione „non inopiæ & egestatis tantùm „sed morum etiam ac vitæ probitatis ratio habeatur.“

Atque imprimis hoc nomine ab his eleëmosynis arcendi sunt validi mendicantes, qui hujusmodi eleëmosynis victantes in otio & desidia, ac quæ exinde sequuntur multis sceleribus vitam ducunt; quos & Principes ab eleëmosynis arcendos multis edictis sanxerunt. Nam ut de similibus monet Synodus Coloniensis 1536. *part.* 11. *cap.* 5. „Utiliùs enim esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quàm eidem frangitur, ut seductus injustitiæ acquiescat.“

IV. Hinc facilè patebit, distributionem eleëmosynarum præ cæteris convenire Parochis, eisque primo loco deferendam; & si consuetudo eam Magistris detulerit, omninò convenire, ut ipsi in eleëmosynarum distributione Parochum ad minus consulant, & audiant. Hinc Synodus Iprensis sub Carolo Masio anno 1609. *tit.* 20. *cap.* 16. ait: „Distributiones eleëmosynarum libere semper fiant conscio Pastore; qui eas non ex humano affectu, aut cum acceptione personarum, (inquit capite sequenti) sed omnibus indifferenter verè pauperibus & probis honestisque vel ipse distribuat, vel distribui curet.“

Similiter Synodus Namurcensis an. 1659. *tit.* 22. *cap.* 6. „Eleëmosynæ Mensarum pauperum sine humano affectu & acceptione personarum iis tantum distribuantur, qui verè pauperes sunt, & in iis nihilominus vitæ ac morum probitatis „cujusque ratio habeatur, ad quem finem, ait, poterit adesse Pastor loci.“

Ad-

V. Addit & merito Buscoducensis sub Masio *tit.* 21. *c.* 5. „ Ut diebus Dominicis & festivis post summum Sacrum & Con„ cionem (quibus omnes interesse debent sub privatione eleëmo„ synæ) sine humano effectu distribuantur. " Deinde prosequitur: „ Notabiliter ante Festum Nativitatis Jesu Christi, & Pas„ chæ Magistri S. Spiritûs dabunt nomina Pastoribus gaudentium „ subsidio S. Spiritûs, ut fidem eorum & Religionem cognoscant; non enim eleëmosynis gaudere poterunt, nisi de Con„ fesione & Comunione in Paschate docuerint. "

Hæc aliaque saluberrima Decreta & conditioni horum bonorum & legibus justitiæ distributivæ planè conformia, si exactè servarentur, non tantùm corporalibus, sed spiritualibus necessitatibus pauperum quàm optimè provideretur. Adde Decretum Synodi Antuerp. suprà citatum.

CAPUT IV.

Qui computibus intervenire debeant.

1 *Quis ex Decreto Concilii Tridentini hîc intervenire debeat.*
* *Episcoporum auctoritas circa administrationem bonorum Fabricæ & Mensæ S. Spiritûs.*
2 *Synodus Tridentina cum limitatione hîc recepta.*
3 *Qui interveniant secundum Concordatum inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem.*
4 *Qui ex Edicto Philippi II.*
5 *Qui ex Edicto Alberti & Isabellæ.*
* *Jus Patronorum.*
6 *Interdum cum Parocho intervenire debet Commissarius Episcopi.*

I. „ Administratores, tam Eccelsiastici, quàm Laici, Fa„ bricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, Hos„ pitalis, Confraternitatis, eleëmosynæ Montis Pietatis & quo„ rumqunque piorum locorum, singulis annis teneantur, ait „ Synodus Tridentina, *Sess.* 22. *cap.* 9. *de Reform.* redde„ re rationem administrationis Ordinario; consuetudinibus & „ privilegiis quibuscunque in contrarium sublatis: nisi secùs for„ tè in institutione & ordinatione talis Ecclesiæ seu Fabricæ ex„ presse cautum esset. Quod si ex consuetudine aut privilegio aut „ constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda es„ set, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius: & aliter factæ „ liberationes dictis Administratoribus minimè suffragentur. "

Ex mente ergo Synodi Tridentinæ in redditione rationum semper intervenire debet Ordinarius loci, nisi in fundatione contrarium expressè cautum sit.

* Quamvis in Gallia non secus ac in Belgio tùm ex particulari lege fundationis, tùm etiam ex consuetudine, computus Fabricæ vel mensæ S. Spiritûs, nonnunquam reddantur coram Ordinario, imò nec Ordinario ejusve Commisario interveniente, tamen plurimis Parlamentorum Arrestis in Gallia declaratum & ordinatum fuit, Ædituos seu Magistros fabricæ debere ipsis Episcopis, eorumve Archidiaconis, vel Commissariis in cursu visitationis exhibere computus, ut ab ipsis revideri possint & examinari. Quin imò si de ipsa visitatione instituenda debitè fuerint præmoniti Æditui, seù Magistri Fabricæ, jubentur paratos habere computus, ut visitantibus Episcopis, eorumve Archidiaconis aut Commissariis eos exhibere queant; aliàs in defectum poterunt Episcopi, vel eorum Archidiaconi ipsis designare tempus, intra quod hos computus ritè exhibitos coram iis, qui intervenire solent, deferant ad aulam Episcopalem, ut illos Episcopus ejusve Commissarius revidere & examinare queat, prout hæc omnia latiùs referuntur in Actis Cleri Gallicani, *tom.* 3. *part.* 3. *tit.* 3. ubi quoque notatur, quod in hujusmodi revisione & examine etiam possit intervenire Procurator Regius, si ita visum fuerit.

De hac Episcoporum auctoritate circa proventus Fabricæ & mensæ Sancti Spiritûs eorumque administratione in Gallia conservata, plura quoque tradit Du Casse in suo Tractatu de Jurisdictione Eccles. *tom.* 1. *cap.* 9. *num.* 2.

II. Verùm notum est Synodum Tridentinam in Belgio receptam ac publicatam esse cum quibusdam restrictionibus, quas Regii Magistratus Regiæ suæ Majestati suggesserant, quasque pro pace ac quiete harum provinciarum, imò & faciliori ipsius Synodi executione necessariò adjiciendas publicationi Synodi judicabant, ipsumque Regem in litteris tum ad Archiepiscopum Cameracensem, tum Regios Ministros, quibus executionem Concilii suis Ministris injungit, hanc addidisse clausulam: „ Ne quid mutetur aut innovetur circa jura regalia, „ privilegia suæ Majestatis, aut suorum vasallorum & subdi„ torum, & speciatim circa superintendentiam Hospitalium, alio„ rumque piorum locorum. "

Igitur ad plenè dignoscendum, qui computibus & rationum redditioni hîc in Belgio interveniant, non tantùm Synodi Tridentinæ decreta, sed vel maximè inveteratæ Belgii consuetudines, & specialia jura exquirenda sunt.

III. Et quidem Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem inita anno 1541. (quæ & in publicatione Concilii Tridentini Brabanti in hac materia conservanda dixerunt) *tit.* 3. §. 11. habent: „ Quòd si Magistri Fabricæ, Mensæ „ S. Spiritûs, aut Administratores Hospitalium Laici fuerint & „ à Laicis instituti, rationes administrationum suarum redde„ re coguntur coram Superioribus suis, vocato ad hoc Cu„ rato, si resideat, vel eo absente Vicecurato, vel Vicario „ perpetuò residente, ut si voluerit, intersit, absque eo, quòd „ Decanus foraneus, aut alius Episcopi Commissarius necessa„ riò vocari aut interesse debeat." Sequenti §. dicti Concordati cautum est: „ Ut institutio, destitutio vel correctio ta„ lium Administratorum Laicorum & à Laicis institutorum ad „ eosdem superiores Laicos pertinebit, & in casum negligen„ tiæ ipsorum post monitionem per Episcopum eis legitimè fac„ tam, eorum negligentiam poterit Episcopus supplere, ratio„ nes administrationum exigendo, puniendo, vel destituendo „ delinquentes pro illa vice. Si Administratores omnes vel ma„ jor pars Ecclesiastici fuerint, tunc omnis cura Administra„ torum quoad computum, institutionem, &c. ad Episcopum „ spectabit."

Igitur vi Concordatorum illorum, si fabricæ aut Mensæ S. Spiritûs Administratores Laici fuerint, & à Laicis instituti, rationes reddi debent coram eorum Superioribus & Curato, aut ejus Vicecurato vel Vicario perpetuò residente; Episcopis verò aut ejus Deputatus nequaquam vocari aut interesse debet. In casum tamen negligentiæ poterit Episcopus rationes exigere.

IV. Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem *art.* 3. cavet, „ ut quo proventus Fabricarum & aliorum piorum lo„ corum, meliùs impendantur, & fundationes prout oportet, „ conserventur, redditioni computus proventuum Fabricarum, „ præsens sit & vocetur Curatus loci, vel Episcopus mittat „ unum alium suum Deputatum, quando ex causa id judica„ verit expedire, idque sine sumptu dictæ Fabricæ, & sine præ„ judicio juris vel auctoritatis Regiæ, aut particularium To„ parchorum ipsorum locorum."

V. In Edicto Alberti & Isabellæ ad Synodum Mechlinien-sem per octo articulos de administratione piarum fundationum & locorum tractatur: & quidem art. 23. quasi præfando ajunt Principes, „ Conservationem piorum locorum, eorumque pro„ ventuum specialiter sibi esse commendatam, utpote cujus pars „ notabilis à Principibus suis Prædecessoribus, aut eorum Va„ salis provenit." Deinde subdunt: „ Nos confidentes, nec du„ bitantes de bono affectu Archiepiscopi & Episcoporum hac „ in parte nobis assistendi, & satisfaciendi obligationi, quæ jux„ ta sacros Canones ipsorum officio & dignitati annexa est, „ statuimus &c."

Agnoscunt ergo Principes, Episcopis vi sui officii curam Fabricæ piarumque fundationum specialiter incumbere; seque edicta legesque suas eò dirigere, ut in hac officii executione Episcopis subsidio sint; quem in finem præterea inter alia, „ quoad redditionem computuum seu rationum, præter illos, „ qui hactenus intervenerunt, sive ex parte Principum, sive „ Vasallorum, intentionis suæ esse declarant, & præcipiunt, „ conformiter ad id, quod jam ordinatum fuit per edictum re„ gium ad Synodum Cameracensem 1. Junii anni 1587. ut Epis„ copi ejusve Commisarii in præfata computuum redditione in„ terveniant sine sumptu aut onere dictarum fundationum, pro „ meliori causarum directione, & uniuscujusque satisfactione; „ omnesque exorituræ difficultates sopiri queant communi ar„ bitrio eorum, qui computibus intendent." *Art.* 25.

* Observat Zypæus *Consult.* 7. *de Parochiis*, *num.* 5. quòd licèt ex sententia Concilii Tridentini Patronis Ecclesiarum, aut piarum fundationum videatur competere sola cura invigilandi, ne quid prodigatur, non autem statuendi; Edictum tamen Alberti & Isabellæ ad Synodum Mecliniensem *art.* 23. indifferenter vocat Patronos *ad rationes audiendas*, *& super iis cum aliis statuendum.*

Proinde hoc edicto dicti Principes plus aliquid Patronis circa administrationem bonorum Ecclesiæ per se suosve majores fundatæ vel dotatæ dedisse videntur, quàm ipsa Synodus Tridentina.

Quod sanè quoad Patronos Laicos, quorum Majores Ecclesias ex suis bonis fundârunt, aut dotârunt, ratione non caret. Quis enim ambigat quin pii fundatores & benefactores desideraverint, ut eorum hæredes curam haberent, ut hæ piæ fundationes executioni mandarentur & conservarentur; & bona eum in finem relicta conformiter ad eorum piam intentionem & dispositionem impenderentur?

VI. Ex his Principum Edictis & Concordatis sat intelligitur, intentionem eorum fuisse, ut redditioni computuum Parochus interveniat; imo & subinde ultra Parochum Episcopus ejusve Commissarius.

Et quidem cùm ex Concordato inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem expressè Parochus esset vocatus, & ex edicto Alberti & Isabellæ præter illos, qui consuverant inter-

venire, vocetur Episcopus ejusve Commissarius, non obscurum est, cur in istis Parochiis, quæ aliquando fuerunt sub Diœcesi Leodiensi, unà cum Parocho interveniat Archi-presbyter.

Nequaquam ergo Principum intentio fuit, per limitationem publicationi Concilii Tridentini adjectam, Parochum aut Episcopum omninò excludere.

Imò cùm Sacri Canones, ipsorumque Principum edicta jus interveniendi ejusmodi rationum exhibitioni adeò enixè, & evidenter Parocho & Episcopo asserant, consequens est, quod non nisi evidenter & juridicè contrario titulo probato Parochus vel Episcopus excludi queat.

CAPUT V.

Quæ circa redditionem computus observanda.

1 *Singulis annis computus reddendus.*
2 *Certus dies præfigendus, & à quo.*
3 *Conclusiones computuum purgandæ.*
4 *Expensæ inutiles vitandæ.*
5 *Bona pauperum in usum Communitatis non convertenda.*
* *Proventus fabricæ aut mensæ S. Spiritûs non facilè impendi in sustentationem Vice-Pastorum aut Matriculariorum.*
6 *Defectus & abusus circa computus per quos corrigendi.*
7 *Qui cognoscere debeant de quæstionibus in hac materia exurgentibus.*

I. „RAtiones Fabricarum, & Mensarum pauperum aliarumque piarum fundationum, ait Synodus Mechl. „P. II. singulis annis ubique reddantur; vel saltem ubi te„nuiores sunt earum proventus, singulis biennis.“ *Tit.* 21. *cap.* 8.

Hanc annuam rationum exhibitionem non tantùm Synodi, sed & Principum edicta urgent; quin & juramento in sæpe citato Regulamento Flandriæ præscripto annua illa computûs exhibitio exprimitur, & exigitur.

II. Præterea edicto Principum ad Synodum Mechliniensem *art.* 23. statuitur: „Ut Episcopi per se, vel per Commissa„rios cum interventione Patronorum fundationum, vel aliorum „qui hactenus curam habuêre, alioquin primarii Officialis, cer„tum perpetuumque diem præfigant, quo quotannis adminis„tratores rationem seu computum reddant.“

Regulamentum Concilii Flandriæ similiter certum diem singulis annis redditioni computûs designari optat; vultque ut dies ille publicetur ante fores Ecclesiæ 14. aut minus 10. vel 8. diebus ante; ut unusquisque se juxta hoc gerere queat.

Cùm ergo vi edicti Commissario Episcopi, qui solet esse ipse Decanus Ruralis, primaria cura incumbat designandi diem redditionis computûs, non dubium quin ex intentione Principum ipsi Decani Rurales specialiter invigilare teneantur, ut suo tempore computus fiant.

III. Adhæc non tantùm invigilare tenentur, ut computus nondum exhibiti exhibeantur, sed insuper præcedentes computus examinare, & attendere, num conclusiones debitè sint purgatæ, seu reliqua eorum plenè soluta. Synodus Mechl. P. II. *tit.* 22. *cap.* 10.

Quin & Regulamentum Flandriæ *art.* 3. vult, ut Administratores fabricæ & mensæ S. Spiritûs intra 6. hebdomadas, vel ad summum duos menses à deposito officio conclusiones suas purgent ad manus successorum, sub pœna executionis.

IV. Ut verò paucioribus expensis fiant, decrevit Concilium Flandriæ, ut reddentes computum, aut quem hi designare volent ad describendum dictum computum, sive sit Graphiarus Parochiæ, sive quis alius, „Non amplius possint ac„cipere in singula folia ex utraque parte conscripta quàm qua„tuor asses, etiam cum duplicato, modò unaquæque pagina „contineat 17. aut 18. lineas, & singulæ lineæ sex verba, sic „ut articuli inutiliter non extendantur, sub pœna quòd horum „respectu in taxando salario nulla habeatur ratio ab Audito„ribus computûs.“

Et Articulo 10. decernitur, ut „Auditoribus sive pro au„ditione sive conclusione computus loco salarii singulis unus „duntaxat florenus detur; Graphiario autem pro lectione ac „signatura tam originalis quàm duplicati, duo floreni; neque „aliquid præterea eorum intuitu in computum induci possit; „ac signanter ne aliquæ convivationes fiant ad onus Fabricæ „aut pauperum.“

Denique ut omnes superfluæ expensæ vitentur, nec quocunque colore bona Ecclesiæ vel pauperum in proprium suum commodum Graphiarii aliique Officiales divertant, cautum est, ne expensis fabricæ vel pauperum ampliùs quàm duo exemplaria computûs conficiantur: unum reponendum in Archivis Ecclesiæ, & alterum ut maneat apud eum qui computum exhibuit.

Mandant quoque singulariter Synodi nostræ, ut â comessationibus & conviviis, quibus fabricæ pauperesque gravantur in redditione computûs & elocatione bonorum, abstineatur.

Et sanè qui inutilibus, superfluis, imò profanis expensis res pauperum & Ecclesiæ consumunt, aut in proprium usum quocunque prætextu convertunt, nequaquam ab injustitia & restitutione excusari possunt; quâ de re à Parochis interdum monendi sunt.

V. Quin nec id justum est, ut bona in eleëmosynas pauperum distribuenda convertantur in honoraria aut salaria eorum, qui Communitati serviunt, tametsi pauperes sint; cùm ejusmodi salaria non ut eleëmosynæ debeantur. *Non detur*, ait Synodus Namurcensis anno 1639. tit. 18. cap. 23. *subulcis vel Communitati servientibus aliquid stipendi è mensa pauperum.*

Deinde *cap.* 27. monet: „Ut Pastores bona pauperum & „fabricarum, pro Sacris, Hebdomadariis, Defunctorum, Ve„nerabilis Sacramenti, Supplicationum pompâ, Citharædis, „ad libitum non expendant.“ Ne eâ occasione Pastores res Ecclesiæ aut pauperum vel in alienos, vel etiam indirectè in proprios usus divertant.

* Eâdem ratione non videtur sat justum, ut proventus dictorum bonorum, quæ à fidelibus specialiter in usum fabricæ ac notanter pauperum sunt oblata, impendantur in honorarium Presbyteri Missam matutinalem celebrantis, vel etiam Vice-Pastoris, aut matricularii, sive custodis.

Cùm enim hic Presbyter Missam matutinalem celebret pro majori commodo totius communitatis; nec Beneficium, è quo honorarium haberi queat, fundatum sit, justum apparet, ut potiùs communitas onus hoc ferat, quàm ut honorarium è bonis pauperum desumatur, atque onus hoc solis pauperibus impositum censeatur.

Id non obscurè indicavit Synodus Prov. 1. Mechl. an. 1570. *tit. de divino officio*, desiderans enim ut in omnibus Ecclesiis Parochialibus habeatur Missa matutinalis pro ancillis & famulis, ordinavit, „ut eum in finem revideantur Capellaniæ in „Ecclesiis erectæ, ut illarum possessores ad residentiam com„pellantur, aut etiam per contributionem Parochianorum ho„nesto Sacerdoti stipendia vitæ constituantur, qui & Missam „matutinalem peragat, & Pastori occupato, aut infirmo, in „administrandis Sacramentis subveniat“: idque conditione tali quod consuetum in similibus stipendium à Parochianis recipere & retinere possit.

Quoad Vice-Pastorem & Matriculam juxta deducta sub titulo *de congrua portione Parochorum*, & sub titulo *de officio Custodum*, hi vel à Decimatoribus vel ex collectis Parochianorum, vel de Beneficiorum proventibus juxta juris communis & Concilii Tridentini dispositionem intertinendi sunt.

Quapropter dum proventus Fabricæ & notanter mensæ S. Spiritûs in similium Presbyterorum vel Matriculariorum honoraria sive stipendia impenduntur, in effectu proventus fabricæ, vel mensæ S. Spiritûs cedunt in emolumentum vel ipsorum Parochianorum, vel Decimatorum; quorum impensis hi Presbyteri vel Matricularii essent intertinendi.

Si tamen his Presbyteris vel Matriculariis committatur specialis instructio puerorum, uti in pluribus Parochialibus moris est, nequaquam injustum videtur, ut ex proventibus mensæ sancti Spiritûs aliquid assignetur Sacerdoti vel Matriculario in honorarium, ut pauperes gratis instrui queant, quia hæc re ipsâ in emolumentum & usum pauperum cedunt.

Unde in Decretis Francisci Buisseret Episcopi Namurcensis in Congregatione Capitulari Peldoniensi, *tit. de Matriculariis*, publicata anno 1612. 4. Junii, postquam declaratum est ad Matricularios etiam pertinere, Juventutem docere, subjungitur: *Ut autem suâ mercede non frustrentur, Mamburnis permittimus, ut* CONTEMPLATIONE PAUPERUM, *quos docebunt* GRATIS, *aliquam ipsis portionem super bonis pauperum vel Ecclesiæ persolvant.*

VI. Si autem contingat, „Episcopos eorumque Commis„sarios vel in visitatione, vel in ipsa computuum auditione „deprehendere notabiles defectus, volunt Principes in edicto „ad Synodum Mechl. *art.* 30. de iis informari Fiscales regios; „ut hi ex officio hujusmodi defectibus & abusibus obvient, & „remedium adhibeant.“

Huic conforme est Decretum Synodi Namurc. anni 1659. *tit.* 16. *cap.* 27. statuens, ut „Ubi in rescriptionibus inve„nietur Mamburnos fabricæ & mensæ pauperum alicujus Pa„rochiæ non reddere computum, ad nos deferantur, ut mox „certiorato Procuratore generali Brabantiæ & Namurcensi res„pectivè per eos ad redditionem compellantur.“

VII. Quapropter si edicta & quotidiana praxis attendantur, etiam in Belgio obtinere videtur, quod de Gallia refert Carolus Fevret, nimirùm Judices regios esse in possessione cognoscendi de quæstionibus occasione computuum, aut administrationis bonorum fabricæ exorientium. Cum enim agatur de rebus profanis seu temporalibus, ipsique Administratores sint personæ Laicæ; sustinent Magistratus Civiles, Ædituos & Magistros pauperum ratione suarum administrationum coram Ecclesiastico judice conveniri non posse. Ideoque, ait dictus Fevret, omnia Parlamenta Galliæ abusivas declarant omnes simpli-

plices citationes Ædituorum ad Tribunal Ecclesiasticum, omnemque processum in ordine ut coram Archidiaconis, aut Officialibus suos computus reddere compellantur. Vide etiam Renatum Choppinum de Polit. Eccles. *lib.* 2. *tit.* 2.

Hanc disciplinam confirmat Articulus 26. edicti Principum ad Synodum Mechliniensem, quo decernitur, „ Ut si occa„ sione resolutionis captæ per Episcopum ejusve Commissarium „ & alios superintendentes auditioni computus, quispiam præ„ tendat se læsum, is possit quærelam deponere coram Supe„ riore *seculari* judice loci ipsius fundationis, de cujus admi„ nistratione agitur; cujus sumptibus tunc sustinebitur, quod „ per Auditores decretum fuerit.“

Eodem Carolo Fevret referente, Judices Ecclesiastici nequaquam judicare possunt de destitutione, aut institutione Ædituorum & Magistrorum: quod & conforme est Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem, si Æditui ac Magistri pauperum Laici sint, & à Laicis instituantur, uti his in provinciis plerumque contigit: unde & quæstiones in hac materia occurentes vix alibi quàm coram regiis Tribunalibus agitari videmus.

CAPUT VI.

Proponuntur regulæ generales in hac materia observandæ.

1 *In hac materia alia sunt Juris naturalis, alia sunt merè disciplinæ.*
2 *In his primò inspicienda cujusque loci consuetudo.*
3 *Deficiente consuetudine, localium Synodorum Decreta, aut Principum Edicta.*
4 *Quædam circa Edicta Regia notanda.*
5 *Deficientibus Synodorum Decretis & Principum Edictis, attendenda Synodus Tridentina.*
6 *Post hæc recurrendum ad Jus commune.*
7 *Præ omnibus tamèn attendenda fundatio.*
* *Proventus Ecclesiarum impendendi conformiter ad legem fundationis.*

I. INter illa, quæ hactenus dicta sunt de administratione fabricarum & Mensarum S. Spiritus sive pauperum, aliqua sunt, quæ lex naturalis servanda præcipit; quæque consequenter nec per locorum spatia, nec per temporum decursum mutari, aut variari possunt: v. g. quod bona ad fabricam aut pauperum mensam spectantia fideliter & in utilitatem Ecclesiæ ac pauperum administrentur & dispensentur; nullæ superfluæ ac inutiles expensæ in eorum elocatione vel redditione computuum fiant; littes aliave negotia majoris momenti per quæ notabile damnum bonis illi inferri posset, non nisi prævio maturo examine suscipiantur; proventus pauperum ita distribuantur, ut non tantùm corporalibus, sed quantum possibile est, etiam spiritualibus necessitatibus pauperum succurratur; utque sine ullo humano effectu, & personarum acceptione magis merentibus dispensentur.

Alia verò, eaque non pauca sunt merè disciplinæ ex eorum genere, quæ per loca terrarum, & temporum vicissitudines variari possunt. Exempli causâ, à quibus eligendi Æditui aut Mamburni; à quo recipiendum eorum juramentum, qui redditioni computus intervenire debeant, & alia similia.

II. Super his ergo si forsan quæstio incidat, primò & ante omnia inquirendum erit, utrum antiqua & hactenus non interrupta consuetudo & possesio non habeatur, quæ casum decidat. Hæc si habeatur, haud facilè ab ea in hac materia, & punctis supra expressis, recedendum erit; sed servanda regula, quam in similibus tradit S. Augustinus Epist. 54. ad Januarium num. 3. *Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam, ad quam fortè devenerit. Ipsa quippe mutatio consuetudinis*, ut ibidem num. 6. dicit August. *etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.*

III. Deficiente verò consuetudine, vel eâ dubiâ aut incertâ existente, recurrendum erit ad localium Synodorum Decreta, aut Principum Edicta in hac materia evulgata, ut si casus in illis decidatur, aut dubium illustretur, illis sit inhærendum; præsertim tamen Principum Edictis.

IV. Illud verò hîc observandum, licèt edicta nomine Principis, cui totum Belgium erat subjectum, emanaverint, inde tamen consequens non esse, hæc Belgium integrum sive omnes ejus provincias concernere; quia subinde contingit, ut Princeps non nisi unam provinciam suo Edicto obligare velit, interdum duas, & aliquando omnes. Hoc ut dignoscatur, videndum, qua qualitate Legislator loquatur, & quibus. Si omnibus salutem dicit, plerumque generalis Lex est; eoque casu ad calcem publicatio & executio Conciliis aut Parlamentis omnium provinciarum injungi solet. Mandata verò & decreta solùm provincialia solis duntaxat, qui sunt de illa provincia, inscribuntur: & in fine publicatio & executio Præsidi & Concilio illius Provinciæ demandatur. Vide Zypæum in proœmio Notitiæ Juris Belgici.

V. Si nec ex ipsis Synodorum Decretis, nec Principum edictis decisio casûs haberi queat, inquirendum erit, num ipsa Concilii Tridentini Decreta elucidationem subministrare queant. Nam ut in prolegomensis notatum fuit, & in terminis expressis Senatui Frisiæ 6. Junii anno 1569. respondit Consilium Secretum Regium; Synodus Tridentina in his Provinciis simpliciter publicata fuit, intimatâ solummodo Archiepiscopo Cameracensi ac Magistratibus civilibus Regis voluntate de conservandis Provinciarum consuetudinibus & Juribus Regiis ac Vasallorum in hac materia; consequenter, ubi vetusta consuetudo, aut Jus Regium aut Vasallorum non ostenditur, Tridentina decreta subintrare debent.

VI. His quoque deficientibus, aut non satis apertè casum exprimentibus, ex Juris communis dispositione resolutio quæstionis petenda erit. Commune enim & receptum Jurisconsultorum principium est: Deficiente consuetudine & jure patrio, juri communi stadum esse; illaque si dubia sint, eorum interpretationem ex jure communi desumendam esse.

VII. Porrò hæc omnia intelligi oportet, nisi quidquam quoad administrationem ipsius fundationis à Fundatore præscriptum sit: quia leges fundationis in hac materia primum locum obtinere solent. Denique efficacissimum sopiendis quæstionibus remedium erit, si sincero pietatis zelo, in hoc pietatis & religionis opere omnes procedant, ostendantque se non quærere, quæ sunt sua, sed quæ Dei & pauperum.

* Edicto Melodunensi in Gallia expressè vetitum est, bona per fundationem ad certum usum Ecclesiæ vel alicujus Capellæ destinata, in alium usum convertere.

Additur præterea, quòd si ad alios usus applicata reperiantur, in pristinum usum fundationis restituantur, uti refertur in Actis Cleri Gallicani *tom.* 3. *tit.* 3. *n.* 8.

Prosequitur Edictum articulo IX. quòd, si ex dictis bonis post impletam fundatoris expressam ordinationem, aliqua supersint, illa impendantur, vel in reparationem Ecclesiæ, vel in emptionem ornamentorum, aliave similia pietatis opera, conformiter ad sacros Canones, & non in alios usus, sub pœna, quòd ipsi Æditui seu Magistri fabricæ proprio & privato nomine pro iis respondere debebunt.

TITULUS VI.

De Decanis Christianitatis seu Ruralibus.

CAPUT I.

Archipresbyteri, alii Urbani, et alii Rurales: Hi a quo eligendi.

1 *Antiquus Archipresbyterorum in Ecclesia usus.*
2 *A multis seculis plures in una Diœcesi Archipresbyteri constituti.*
3 *Archipresbyterorum electio & destitutio olim ad Episcopum & Archidiaconum, hodie ad solum Episcopum spectat.*
4 *Archipresbyteratus hodie nulli beneficio aut determinatæ parochiæ solet esse annexus.*
5 *Functiones Archipresbyterales unice penè dependent ab arbitrio Episcopi.*

I. ANtiquum esse Archipresbyterorum usum & institutionem testis est S. Hieronymus, qui in epistola ad Rusticum ait: „ Singuli Ecclesiarum Episcopi, *singuli Ar„ chipresbyteri*, Archidiaconi; & omnis Ordo Ecclesiasticis „ suis Rectoribus nititur. “

Supponit quidem S. Hyeronimus, unicum fuisse in singulis Ecclesiis Cathedralibus Archipresbyterum, sicuti unicus erat Episcopus. Nec mirùm, eo quippe tempore, prior Ordinatione inter Presbyteros Archipresbyter seu *primus* Presbyterorum erat, isque toti collegio Presbyterorum præsidebat; quemadmodum & hodie unicus esse solet Archipresbyter in Cathedrali Ecclesia, qui omnibus Presbyteris & Clericis civitatis Episcopalis præesse consuevit, & *Archipresbyter Cathedralis* vocatur, atque inter dignitates numerari solet, de

quo hîc non agitur, sed de solis Ruralibus, id est, qui extra civitatem Episcopalem curam agunt.

II. Jam enim à multis seculis populo multiplicato, plures in una Diœcesi Archipresbyteri constitui cœperunt, qui extra civitatem Presbyteris & Clericis intenderent, & præessent, dicti propterea *Rurales*.

Et quidem seculo IX. inter constitutiones Riculfi Episcopi Suessionensis *cap.* 20. legitur: „ Rationi quoque proximum est, „ ut unoquoque mense statuta die, id est, Kalendis uniuscu- „ jusque mensis per singulas *Decanias* Presbyteri simul con- „ veniant, & de his, quæ in eorum Parochiis accidunt, ser- „ monem habeant."

Erant ergo jam tùm Diœceses in certas *Decanias* distinctæ, sive designati districtus, quibus singuli Decani præessent; quæ disciplina ad hæc nostra tempora pervenit: hoc unum cavendum, *ne pluribus præficiantur Ecclesiis* (ut loquitur Synodus Mechl. P. I. *tit. de Decanis cap.* 3.) *quàm possint commodè regere.*

III. Si jus commune sive Decretalium spectetur, electio, uti & destitutio Decanorum Ruralium, communiter ad Episcopum & Archidiaconum spectat: „ Quia, cùm ab omnibus, quod „ omnes tangit (ait Pontifex in *cap.* 7. ✠ *de Offic. Archid.*) „ approbari debeat, & commune eorum Decanus officium exer- „ ceat, communiter est eligendus vel etiam amovendus. "

At quia in Belgio omnis penè Archidiaconorum potestas & jurisdictio ad Episcopos revoluta est, ut infrà dicetur, etiam in plerisque Belgii partibus obtinet conformiter ad decretum Synodi Mechl. P. I. *c.* 3. „ Ut Archipresbyteri Rurales in sin- „ gulis Diœcesibus pro discretione Episcoporum assumantur..... „ ac sint arbitrio Episcoporum amovibiles."

IV. Imò moribus Belgii passim obtinuit, ut non tantùm Episcopi soli pro suo arbitrio Decanos Rurales constituant, sed insuper libertas eis sit, quemcunque è Presbyteris, quem huic officio maximè judicant convenire, eligere; nec solet officium Archipresbyteratûs ulli determinatæ Parochiæ aut Dignitati, vel Beneficio esse annexum.

Similiter in potestate Episcopi est, Districtum Decanorum vel extendere, vel limitare; imò & unam Decaniam sive districtum Archipresbyteratûs in plures dividere, aut plures in unum conflare.

V. Functiones quoque & potestas Decanorum à commissione seu instructione, quam ab Episcopis accipiunt, unicè dependent: unde in Litteris, quibus Archipresbyter ruralis constituitur, inseri consuevit hæc clausulas: *Archipresbyterum districtûs N. te nominamus & deputamus cum facultatibus hujusmodi Archipresbyteris concedi solitis ac consuetis juxta instructiones datas.*

Ut ergo de officiis juribusque Decanorum Ruralium conformiter ad jus Belgii judicemus, decreta synodalia, ipsorùmque Episcoporum instructiones, quibus facultates & functiones Archipresbyterorum continentur, potiùs quàm Juris communis præscripta examinanda sunt.

CAPUT II.

Decani Rurales Pastoribus et Ecclesiasticis sui districtus intendere debent.

1 *Decani Rurales sunt Pastores Pastorum.*
* *De cura Pastorali Decanorum Ruralium.*
2 *Tenentur ad residentiam.*
3 *Pastoribus invigilare, & de vita & moribus soliciti esse debent.*
4 *Qui in Decanos eligendi.*

I. ARchipresbyteros seu Decanos Rurales esse Pastores Pastorum, sive curam Pastorum sui districtûs agere, imo & omnium Ecclesiasticorum, nisi consuetudo aliusve legitimus titulus curam aliquorum ad alium detulerit, tum commissio Archipresbyteris dari solita, tùm Synodalia decreta manifestè supponunt.

* Licèt Archipresbyteri sive Decani rurales dicantur *Pastores Pastorum*, & frequenter etiam omnium sui districtûs Ecclesiasticorum, ob curam pastoralem ipsis incumbentem; nequaquam tamen habendi sunt ut *Ordinarii* respectu illorum, quemadmodum Parochi respectu populi suarum respectivè Parochiarum.

Parochi enim titulo suorum Beneficiorum parochialium per institutionem canonicam tituli collativam, accipiunt curam animarum omnium fidelium intra districtum suæ respectivè Parochiæ commorantium, Jure ordinario, sive jure suorum beneficiorum; Decani vero rurales eam duntaxat solent accipere ex commissione & delegatione Episcopi, quasi jure delegato.

Ulteriùs tametsi de jure communi in *cap.* 4. ✠ *de Officio Archypresbyteri*, videatur Archipresbyteris etiam cura plebis sive populi incumbere, adeoque inspecto jure Decretalium, videantur Decani rurales posse populo quoque Parochiarum sub suis respectivè districtibus Decanatûs consistentium, Sacramenta administrare; mores tamen hodierni eorum curam ad Pastores & Ecclesiasticos suorum respectivè districtuum restrinxerunt, uti monet Zypæus *responso unico de Officio Archypresbyterinum.* 5.

II. Unde Synodus Mechl. P. I. *tit. de Decanis. cap.* 2. cùm prius de residentia personali Pastorum dixerat, subjungit: „ Cùm eadem sit ratio de Pastoribus & Archipresbyteris seu „ Decanis Ruralibus, qui & ipsi Pastores Pastorum sunt, & „ eorum officium in observatione morum tam Pastorum quàm „ laicorum sui districtûs consistit; statuit hæc Synodus, ut si- „ cuti singuli Pastores in suis Parochialibus, ita omnes Archi- „ presbyteri seu Christianitatum Decani in suorum Decanatuum „ limitibus ad personalem residentiam compellantur."

III. Et *cap.* 4. deinde infert, ut Archipresbyteri Rurales in singulis Diœcesibus pro discretione Episcoporum assumantur, *qui possint*, inquit, *Pastoribus vitâ, & consilio & exemplo prodesse.*

Synodus quoque Cameracensis P. II. *tit.* 19. *cap.* 12. supponens Archipresbyteris curam Pastorum & Ecclesiasticorum incumbere, ait: „ Decani autem rurales Parochorum, adeoque „ omnium, etiam Sacerdotum & Clericorum, quin & laico- „ rum suorum districtuum mores diligenter observent, potissi- „ mum autem, ut Pastores in prædicatione verbi Dei, Sacra- „ mentorùmque administratione, ac in cæteris omnibus suo „ muneri satisfaciant."

Synodus etiam Antuerpiensis claris terminis hanc Archipresbyterorum obligationem expressit & declaravit: „ Archipres- „ byteri seu Decani rurales, cùm sint Parochorum aut Sacerdo- „ tum sui districtûs Pastores, soliciti sint, ait, de eorum sa- „ lute & profectu spirituali, & singularem habeant inspectio- „ nem & curam de ipsorum doctrina, vita & moribus. Et „ vicissim mandamus Parochis & Sacerdotibus, ut Decanos „ uti Superiores suos agnoscant, revereantur & ament. "

Idem omnes passim Synodi & Episcoporum instructiones solicitè inculcant; monetque Audomarensis *tit.* 18. *cap.* 1. „ Decanorum esse in sui Decanatus partibus sive Parocchiis cu- „ rare ut Sacerdotes & Clerici omnes, & singulariter ut Pasto- „ res vitam agant sua vocatione dignam, ac talem ut nemo „ de ipsis queri possit, nihilque in ipsis, nisi grave, modes- „ tum, imitationeque dignum conspici; deinde in hoc advigi- „ lare, ut Pastores in prædicatione Verbi Dei, Sacramento- „ rum administratione, & omninò in functione pastoralis of- „ ficii sui rectè, diligenter, & quemadmodum oportet, ver- „ sentur. Adhæc ipsos quando opus fuerit, visitare, mone- „ re, corripere, consolari, consilio ipsis subvenire: denique „ veri Pastoris officium erga illos, sanos, & ægrotos, vivos & „ mortuos, exercere."

Addit Namurcensis anni 1639. *tit.* 21. *cap.* 6. ut eos hortentur, ut „ quotidiè aliquid temporis orationi & lectioni spi- „ rituali tribuant."

Ut verò Parochiarum & Parochorum notitiam exactiorem habeant, rectè monet dicta Synodus Namurcensis, *tit.* 20. *cap.* 35. ut „ Decani habeant aliquot probos & sibi fidos Pastores, à „ quibus excessus vicinarum Ecclesiarum addiscant."

Duo hîc notanda. Primum omnia hæc à Synodis decreta unicè ac quasi per necessariam consequentiam profluere ex cura Pastorali, quam Archipresbyteri Pastoribus & Ecclesiasticis sibi subjectis impendere debent.

Ex quo ulteriùs consequens est, quòd supposità curâ animarum ab Archipresbyteris omnia, quæ Synodi ac Episcoporum instructiones tanquam necessaria aut admodum convenientia pro debito illius curæ exercitio præscripserunt, eatenus semper & ubique esse observanda, in quantum cura pastoralis, quam pastoribus aliisque Eclesiasticis debent, requirere videtur.

IV. Alterum notandum, quàm soliciti meritò sint Episcopi, ut doctiores, zelosiores, in cura animarum exercitatiores, ac pietate morumque integritate eminentiores ad hoc officium eligantur; utpote, qui non Laicis tantùm, sed & ipsis Laicorum directoribus, & conductoribus, vitâ, consilio & exemplo prodesse, & præire debent.

CAPUT III.

De Visitatione Archipresbyterorum.

1 *Visitatio Decanorum necessaria.*
2 *Singulis annis instituenda.*
3 *Primo de vita & moribus inquirendum.*
4 *Inducere studeant Pastores ad Officia spiritualia.*
5 *Satagere debent, ut plenam notitiam Parochiarum sui districtûs accipiant.*
6 *Præter annuam visitationem Parochias suas frequenter invisent.*

Quæ

7 *Quæ potissimum Decanis attendenda, ut officium suum recognoscant.*

I. CUm Archipresbyteri omnibus Pastoribus, & Ecclesiasticis sui districtûs superintendere, & invigilare debeant; attendere quoque debent, num nihil in parochiis sibi subjectis, ad earum debitum regimen & curam animarum spectans negligatur; nihil evidentius, quàm inter primas Archipresbyterorum obligationes esse, parochiarum sibi subjectarum exactam, & frequentem visitationem; qua mediante in notitiam parochiarum venire, & corrigenda corrigere, aut ad Episcopum corrigenda referre queant.

II. Et quidem in omnibus Synodis Archipresbyteris injungitur, ut semel ad minus singulis annis Parochias sui districtus visitent; tempusque visitationi destinatum Pastoribus tempestivè præsignificent; caveantque seriò, ne occasione visitationum comessationes ullæ fiant.

III. Inter cætera autem visitaturi sedulò inquirant, ait Synodus Mechliniensis P. II. *tit.* 17. *cap.* 11. „An Pastores „ ipsi, ac reliqui Sacerdotes, & Ministri Ecclesiæ honestè vi„ vant; & an officio suo in prædicatione Verbi Dei, cele„ bratione Missarum, administratione Sacramentorum, ac cæ„ teris omnibus, satisfaciant."

Et Synodus Namurcensis anni 1659. *tit.* 16. *cap.* 13. monet omnes Archipresbyteros: „Ut annales visitationes obeun„ tes, & aliàs diligenter inquirant, quibus rebus Pastores se „ impendant, ut si quos otio deditos repererint, ne nihil agen„ do malè agere discant, eos actionibus Ecclesiastico homine „ dignis incumbere, & per bona opera certam suam voca„ tionem facere procurent.

„ Cui fini inducent omnes & singulos (pergit capite se„ quenti) ut quotidie ad mediam horam lectioni Scripturæ „ Sacræ aut alicujus pii libri, & aliam mediam horam divi„ norum Mysteriorum, & maximè Passionis Christi medita„ tioni insumant."

IV. „Iuducent etiam illos, ut quotannis opportuno tem„ pore se recolligant, faciantque exercitia spiritualia apud eos „ qui in ista arte versati sunt, quibus sic absentibus provide„ bitur populo de Sacerdote, qui tam in concionando, cele„ brando, quàm confessiones audiendo eorum vices suppleat."

Eadem & cæteræ Synodi Archipresbyteris inculcant, ut nimirum „ sedulò inquirant in suis visitationibus de vita, doctri„ na & moribus Curatorum & aliorum Presbyterorum," uti loquitur Synodus Brugensis sub Druitio; quæ & addit: „Ac „ Præceptorum seù Magistrorum; & cujus sint qualitatis, fi„ dei, & nominis ac famæ."

V. Quibus consonant novissimæ instructiones datæ Archipresbyteris Diœcesis Mechliniensis, quibus ante omnia injungitur, „Curent visitationem, ut potissimam officii sui par„ tem, sedulò, accuratè & cum timore Dei perficere, ac præ„ cipuè invigilare, ut Altaria, ac Sacramentalia, ipsaque tem„ pla nitida serventur, *Pastoresque ipsi, quoad obligationes & „ functiones suas Pastorales exacti sint & diligentes, an quo „ studio, quove exercitio otium pellant. Quare non plures una „ die visitabunt Ecclesias, quàm commodè possint.*"

Varia alia, tùm statum interiorem, tùm exteriorem Parochiarum spectantia, super quibus Archipresbyteri visitando se informare debent, Synodi & instructiones Episcopales præscribunt; quo possint integrum Parochiæ statum plenè cognoscere; eumque Episcopo referre, ut ipse Diœcesis suæ notitiâ habitâ, possit intelligere quæ pro bono cujusque parochiæ ordinanda, aut facienda occurrant.

VI. Porrò cûm unicâ annuâ visitatione vix assequi possint totius parochiæ perfectam notitiam, rectè monent Synodi, ut præter visitationem ordinariam, data occasione, sæpius parochias sibi commissas invisant. Synodus Antuerp. *tit.* 16. *cap.* 1. Namurcens. anno 1639. *tit.* 21. *cap.* 5. Hinc & in *cap.* 4. ✠ *de Offic. Archipresbyt.* præcipitur, „ut singulæ plebes Archipres„ byterum habeant propter assiduam erga populum Dei curam, „ qui non solùm imperiti vulgi solicitudinem gerat, verùm etiam „ Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi „ circumspectione custodiat, & quâ unusquisque industriâ divi„ num opus exerceat, Episcopo suo renuntiet."

Et Synodus Iprensis sub Rithovio, *tit.* 7. *cap.* 2. Decanorum officium esse ait, „Pastores, quando opus est, monere, „ corripere, visitare, consolari, bono consilio subvenire, ac „ veri Pastoris officium erga illos exercere."

VII. Uno verbo, recogitare debent Archipresbyteri, se esse consitutos Pastorum & Ecclesiasticorum sui districtûs Pastores, ipsarumque parochiarum Vice-Episcopos directioni intendere; ut vel ipsi defectus corrigant, vel ad minus Episcopum de omnibus plenè instruant.

Hinc apparet, Officium Archipresbyterale gravius sanè esse, quàm vulgò apprehenditur; atquè ad illud non esse assumendos, nisi qui zelo, & pietate Pastoribus præeant, ac ea doctrina sint & eruditione, qui & Pastoribus consilia, & salutaria monita dare possint, & exactè ac prudenter defectus parochiarum observare, & ad Episcopum referre.

Cæterùm plura, quæ Archipresbyteri circa scholas, domos pastorales, ornamenta Ecclesiarum, imò circa Monasteria Monialium sibi subjecta, aliaque similia inquirere & facere tenentur, notabimus, ubi parte secunda specialiter de illis rebus tractabitur.

CAPUT IV.

De Congregationibus Pastorum et Archi-Ppresbyterorum.

1 *Decanus dum expedire judicaverit, Parochos sui districtûs convocare potest.*
2 *Quomodo capitula Pastorum instituenda.*
3 *Quid in illis tractandum, & quis eorum scopus.*
4 *Etiam Parochi sine Decano capitula habere possunt utiliter.*
5 *Decani annuatim cum Episcopo convenire debent.*

I. „UT Decani, quæ ipsis ratione Decanatûs incumbunt „officia, faciliûs exequantur, ait Synodus Iprensis „sub Rithovio, *tit.* 7. *cap.* 3. liceat iis, quoties expedire „videbitur, omnes Pastores sui Decanatûs ad aliquam Paro„chialem Ecclesiam convocare, atque cum illis communiter „& divisim consilia de pastorali officio, & pro uniformi execu„tione & observatione statutorum tractare."

Præter has extraordinarias ex causa instituendas Congregationes, volunt insuper Synodi Belgicæ, ut Capitula Pastorum singuli Archipresbyteri quotannis celebrent, præcisè illo die, quem Ordinarius illis statuit. Synodus Mechl. P. II. *tit.* 17. *cap.* 14.

II. „Porrò hæc ipsa capitula sic celebrentur, ut ea non „ad compotandum, sed ad tractandum de rebus seriis indicta „esse omnibus innotescat. Proinde in illis initium rerum agen„darum sumatur ab invocatione Spiritûs Sancti, quo dirigente „de rebus Ecclesiæ conferatur. Prandium verò non fiat nisi „frugale & moderatum, ut nemo sumptibus vel potu grave„tur, vel nec unquam illud in taberna vel diversorio insti„tuatur. Extranei quoque, per quos tractatio de rebus Ec„clesiæ possit impediri, ab eo excludantur." Ita Synodus Mechl. D. *tit.* 16. *cap.* 9. cui & aliæ Synodi consonant.

III. In his autem congregationibus de morum correctione, abusuum reformatione tractetur, ait Synodus Cameracensis, P. II. *tit.* 19. *cap.* 16. & à singulis Pastoribus in scriptis referatur statutus suarum Ecclesiarum; item quidquid in eis defectûs animadversum fuerit; vel ut loquitur Synodus Antuerpiensis, *tit.* 16. *cap.* 2. singuli Pastores liberè pandent, si in suis aut vicinis Ecclesiis aliquos defectus aut transgresiones animadverterint.

Monent quoque Synodi, ut Archipresbyteri tanquam Pastorum Pastores, & congregationis præsides eosdem ad statutorum Synodalium observantiam, ac diligentem munerum suorum adimpletionem & defectum suorum Parochianorum declarationem pia & seria oratiuncula adhortentur. Synodus Buscod. sub Masio, *tit.* 16. *cap.* 5. & Synodus Camerac. P. II. loco citato, *cap.* 17. quæ ejusmodi exhortationem haberi vult vel per Archipresbyteros vel aliquem ex Pastoribus ab eis deputatum in eum finem, ut *omnes de abusibus aut negligentiis à postrema congregatione per eos observatis sincerè deponant.*

Scopus proinde harum congregationum unicus hic est, ut abusibus & defectibus, aut difficultatibus, vel mutua collatione occurri & mederi possit, vel eorum haberi exacta notitia; quâ habita de omnibus Episcopus informetur, & ejus auctoritate, quod expedire judicabitur, statuatur.

IV. Præter hæc communia omnium Pastorum cum suo respectivè Decano capitula, hodiè sunt non minùs utiles Pastorum inter se congregationes, quarum meminit, & quas institui vult Synodus Namurcensis anni 1659. *tit.* 16. *cap.* 16. „Ubicunque, ait, hactenus Pastores non sunt reducti in clas„ses, qui singulis mensibus, & certo statuendo die, vel ho„ris conveniant, ibique tractent de promovenda pietate in Deum, „zelo animarum, & scientia Pastoribus necessaria, fiat quan„tociùs, ubi per temporum difficultates, & armorum stre„pitus licebit. Præscribentur quoque libri tam pii, quàm theo„logici, quos ante proximum conventum legere tenebuntur, „& in quibus examinandum vel è quibus disputandum, & „cum Confratribus conferendum erit."

Dum hæc Pastorum congregationes modestè, piè ac vero pastorali zelo instituuntur, nemo de earum fructu & utilitate dubitare poterit; summum tamen erit adjumentum, si inter eos sint aliqui scientia, pietate & zelo eminentiores, qui juniores aut rudiores, vel tepidiores erudire vel excitare queant, suâque auctoritate & eruditione congregationem dirigere.

V. Ad hæc, ut ipsi Episcopi exactius & opportunùs, quæ & generaliter suæ Diœcesi, aut aliquibus particularibus parochiis conveniunt, statuere queant, nonnullæ Synodi ordinarunt,

runt, ut quotannis certo designatoque die omnes Archypresbyteri Episcopum accedant, atque cum illo de statu suorum respectivè districtuum conferant, exponantque quid singuli, tum in visitatione, tum congregationibus Pastorum aut aliunde observarint; quidque pro bono parochiarum statuendum judicarent; ac deinde post mutuam collationem, maturamque deliberationem audiant, quæ pro salute, ac utilitate animarum Episcopus statuenda & ordinanda duxerit.

Hîc rursus intelligitur, quàm meritò Episcopi sint soliciti, ut constituantur Archipresbyteri eruditione, zelo animarum, & rerum agendarum peritia eminentes, qui unà cum ipsis queant de statu & regimine Diœcesis conferre & deliberare.

Tales sanè, si essent Archipresbyteri, eaque annuatim capitula ad morùm & disciplinæ reformationem celebrarentur, spes esset, quòd illa aliquatenus supplerent vicem Synodorum Diœcesanarum, quas quotannis celebrandas præcepit Concilium Tridentinum, *Sess.* 24. *c.* 2. *de Reformat.* & hodie, proh dolor! unà cum totius disciplinæ collapsione, negligi penitùs videmus.

CAPUT V.

De Juribus Archipresbyterorum.

1 *Decani habent jus visitandi parochias sui districtûs.*
2 *Pastores illos ut Superiores cognoscere debent.*
3 *Decanorum est Pastoribus sibi subjectis administrare Sacramenta.*
4 *Etiam pro illis funebre officium persolvere.*
5 *Pastores & Beneficiatos in possesionem introducere.*
6 *Jus habent interveniendi computibus fabricæ, hospitalium, monasteriorum, &c.*
7 *Nonnulla observanda à Decanis circa usum suorum jurium.*

I. ARchipresbyteris, sive Decanis Ruralibus incumbere curam parochiarum suorum respectivè districtuum extra dubium est; adeoque jus est Archipresbyteris visitandi dictas parochias, quoties id necessarium aut utile videbitur, ut debitam parochiæ notitiam habere queant.

II. Adhæc, cùm Decani Rurales sint Pastorum & Ecclesiasticorum suorum districtuum Pastores, etiam justum est, ut Pastores & Ecclesiastici ipsos ut superiores suos agnoscant, revereantur & ament; uti Synodi Belgicæ præcipiunt.

III. Porrò quia Pastorum est, subditis suis Sacramenta administrare, etiam Decanorum est, Pastoribus aliisque Eclesiasticis sibi subjectis Sacramenta porrigere. Hinc passim Synodi monent Archipresbyteros: „Ut ubi intelligent aliquem è sui „ districtûs Pastoribus aut Sacerdotibus periculosè laborare, sta„ tim ad eum excurrant, moneantque, ut saluti suæ consulat, „ eique, si opus est, Sacramenta administrent.“ Ita Synodus Antuerpiensis, *tit.* 16. *cap.* 4. cui passim reliquæ Synodi ac Episcoporum instructiones consonant.

IV. Ulteriùs cùm Pastorum sit subditis suis è vita decedentibus justa persolvere, etiam Archipresbyteris jus est, „Omni„bus Ecclesiasticis tàm secularibus, quàm regularibus (verba sunt „ Synodi Antuerpiensis *cap.* 5.) extra monasterium degenti„bus in suo districtu morientibus, Sacramenta administrare, & „ officium funebre facere. Urgente tamen necessitate Pastor lo„ ci aut vicinus vices suppleat.“

Addit insuper Synodus Namurcensis anno 1638. *tit.* 21. *cap.* 9. officia per Decanos sive Archipresbyteros fieri solita, „ut puta exequiæ Pastorum, Sacerdotum, vel in Sacris Ordi„nibus constitutorum, nobilium, leprosorum & alia hujus„modi, si per Prælatum vel alium fiant, serventur Decano „ sua jura.“

V. In plerisque quoque Diœcesibus jus est Archipresbyteris introducendi Pastores aliosque Beneficiatos in possessionem, recipiendi ab iis Fidei professionem aliaque solita juramenta. Quinimò in quibusdam locis obtinuit, „ut nullæ literæ curæ „ animarum deservituræ, vel Vicepastoratûs cuiquam suffra„gentur, nisi prævìè Archipresbytero istius districtûs exhi„beantur & ab eodem subsignentur.“ Ita decreta Synodalia Gandens. *tit.* 16. *cap.* 9.

VI. Solent quoque Archipresbyteri loco Episcopi intervenire computibus non tantùm fabricæ, aut mensæ S. Spiritus in parochiis sui districtûs, sed etiam Hospitalium, Begginagiorum & Monasteriorum Ordinario subjectorum.

VII. Verùm circa hæc aliaque jura & officia Archipresbyterorum notandum, illa plurimùm ex consuetudine, & institutionibus, seu facultatibus, quæ Archipresbyteris in singulis Diœcesibus dari consueverunt, dependere, & variari, adeò ut ex consuetudine aut Decreto unius Diœcesis quoad similia ad alias Diœceses ordinariè non liceat inferre.

Deinde recogitare debent Archipresbyteri in tuendis aut exigendis juribus, præsertim temporalibus, se admodum moderatos esse debere. Cùm enim ipsi sint Pastores Pastorum, etiam officii eorum est, Pastoribus ostendere, & suo agendi modo vivaciter imprimere, quòd prima cura & solicitudo esse debeat salus animarum. Jura verò præcipuè temporalia parùm esse curanda; maximè ubi eorum rigorosa exactio nata esset profectum animarum & progressum Evangelii impedire.

Uno verbo Archipresbyteri ita suorum jurium curam agant, ut tamen nunquam excidat, quòd cùm sint Parochorum & Sacerdotum sui districtûs Pastores, ante omnia soliciti sint de eorum salute & profectu spirituali, & singularem habeant inspectionem & curam de ipsorum vita & moribus, ac diligentia zeloque circa functiones pastorales, seque respectu Pastorum gerant, non ut dominantes in Clero, sed tanquam Patres & forma gregis facti ex animo. Pastoribus zelosis, & in officio pastorali obeundo intrepidis & ferventibus consilio, auxilio & solatio contra obmurmatores & refractarios sua auctoritate assistant & opitulentur.

TITULUS VII.

De Canonicis Collegiatarum & Catedralium Ecclesiarum, & officiis juribusque utriusque communibus.

CAPUT I.

Unde Canonici Collegiatarum et Cathedralium Ecclesiarum hodie dicantur *Seculares*.

1 *Synodi etiam Generales Canonicos quosdam* Seculares *vocant.*
2 *Vocabulum* Seculare *nonnumquam in malam partem accipitur.*
3 Seculares *interdum dicuntur, qui civilibus negotiis præcipuè occupantur.*
4 *Vox* Secularis *prout applicatur Canonicis, in malam partem non sumitur.*
5 *Qua ratione* canonicè *viventes rectè dicantur* Seculares.

CAnonicos Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, non tantùm à vulgo & imperitis, aut malevolis hominibus hodie dici *Seculares*, eoque vocabulo distingui à Canonicis regularibus in Monasteriis sub trium votorum professione viventibus, ex ipsis Conciliis manifestum est.

I. Synodus Lateranensis sub Innocentio III. non obscurè distinguit Ecclesias Canonicorum *Seculares à Regularibus*: sed manifestius ipsa Synodus Tridentina *sess.* 7. *cap.* 14. *de Reform. Seculares* Clericos à *Regularibus* destinguens; & alibi sæpius regularium Canonicorum ut à secularibus distinctorum verba faciens, hanc nomenclaturam probavit.

Quòd igitur Canonici hodierni, qui votis monasterii non astringuntur, dicantur *Seculares*, ipsos offendere non potest, cùm etiam ipsa Concilia eo nomine à *Regularibus* ipsos distinguant.

II. Verùm vocabulum illud *Seculare* frequenter in malam partem accipi, ut v. g. ab Apostolo, dum præcipit, ut *abnegantes impietatem &* SECULARIA *desideria, sobriè, justè & piè vivamus in hoc seculo*, negari non potest.

III. Similiter interdum *seculares* dicuntur, qui in civilibus rebus & actionibus occupantur, qui soliciti esse debent, quomodò liberos honestè educent & doceant. A quibus negotiis cùm sese Ecclesiasticus Ordo Deo mancipatus abstrahere debeat, dicente Apostolo: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*, alii ad eorum discretionem homines *seculares* dicti sunt; ac frequenter in Canonibus Clerici hujusmodi Secularibus opponuntur.

IV. Neque ergo etiam hac ratione Canonici aut alii quicunque Ecclesiastici, si conformiter suæ vivant vocationi, *seculares* dici possunt, neque hac significatione à Conciliis Canonici vocantur *seculares*; sed quatenus opponuntur iis, qui recedentes à seculo ad claustra & solitudines se retrahunt; & exteriori professione per trium votorum emissionem omnibus secularibus & mundanis renuntiantes, seculo & mundo nuntium mittere; imò quodammodo mori dicuntur.

V. Horum ergo respectu Canonici, postquam rejectâ com-

mu-

muni vitâ singularem vitam inter seculares vivere cæperunt, *seculares* dicti sunt; non eâ quidem ratione, qua Laici actionibus civilibus & secularibus impliciti *seculares* vocantur; sed eatenus, quod jam in seculo, hoc est, inter seculares homines conversentur & habitent, qui antea in claustris ab omni mundi strepitu & hominum secularium conversatione segregati planè è seculo exiisse videbantur.

Hinc Adamus Canonicus Præmostratensis apud Molanum, *lib. 2. cap. 25. de Canonicis*, cùm sibi objecisset: „Si Ca„nonici, quomodo seculares? Ut cygnos nigros, sic audio „dici Canonicos *seculares*: (subdit) sed esto, nec ipsum cul„pemus modum loquendi. Sit quòd sic appellentur, non quia cri„minibus seculi ipsi seculo conformati implicantur, sed pro „eo, quòd tam arctum vivendi propositum non amplectan„tur, quàm arctum illi tenere videntur, qui *regulares* ap„pellantur."

CAPUT II.

CANONICI, QUI HODIE DICUNTUR *SECULARES*, VITAM COMMUNEM ET CLAUSTRALEM EGERUNT. ET QUANDO AB EA RECESSERINT.

1 *Canonici seculares olim in communi vixerunt.*
2 *Probatur pluribus exemplis.*
3 *Quando desierit vita communis.*
4 *Quæ desertionis causa.*

I. SI antiqua Canonicorum monumenta & temporum historiæ revolvantur, nihil certius quàm pleraque, quæ hodie dicuntur *Capitula Canonicorum secularium*, vitam communem vixisse; eodem penè modo, quo hodie Canonici, qui dicuntur *regulares*, licèt vota solemnia præcipuè paupertatis non emitterent.

II. Et quidem in Ecclesia Leodiensi seculo XII. vitam communem inter Canonicos adhuc superstitem fuisse, scribit Bartholomæus Fisen. *lib. 10. cap. 10. Hist. Leodiensis*, ubi loquens de Alberone Principe ait: „Ipso Principe, Cano„nicorum omnis disciplina corruit, quam neque Presides cu„rarunt, neque Episcopus ipse: ut qui negligere cœpit De„cessoribus suis solemnes Collegiorum inspectiones. *Claustri* „ergo ratione omni sublatâ dies noctesque Collegia patuêre, „etiam equitibus curribusque; cùm ad eam ætatem clausa per„severassent, quo ritu hodie Monasteria."

Et anno 1189. Godefridus III. donans decimas Collegio Canonicorum S. Joannis Leodii ait: „Et residuum fructuum „in usum Fratrum in Ecclesia vestra residentium, juxta *por„tionem*, quæ unumquemque Fratrum in *refectorio* continge„re debet, prout competens videretur, rationabiliter Capi„tulum dispensaret." Apud Miræum in Diplomat. Belg. *cap.* 65. quæ evidenter vitam communem supponunt.

De Ecclesiis Cameracensibus, aliisque vicinis testatur Chronicom Cameracense per Baldericum; & de Trevirensi, Wormatiensi, Coloniensi, aliisque Germaniæ Canonicorum Ecclesiis, testis est Trithemius ad annum 975.

Et quid plura, nonne vitam illam communem clamant etiamnum „hodie *dormitoria*, *refectoria*, & alia id genus lo„ca publica, quibus nostri Ordinis Canonici, ait Aubertus „Miræus *in notis ad Regulam Canonicorum*, olim usi fue„runt, hodieque extant, & cum admiratione monstrantur Co„loniæ Agrippinæ, Tornaci, Leodii, Brugis, Insulis, & alibi."

III. Hæc vitæ communis institutio in aliquibus citiùs, in aliis seriùs desiit. Circa seculum X. nonnullos ad vitam singularem abjectâ communi convolâsse tradit Trithemius loco citato: „Sub Theodorico Archiepiscopo Trevirensi, Canonici „majoris Ecclesiæ ibidem abjectâ vitâ regulari, quam hucus„que in eadem Ecclesia Majores eorum continuaverant, de„sierunt esse regulares, & facti sunt nomine & conversatio„ne seculares. Quorum exemplo malo Canonici quoque S. Pau„lini Trevirenses, Sancti Castoris in Confluentia, Moguntinen„ses, Wormatienses, Spirenses, & complurium aliarum Ec„clesiarum, diversis quidem temporibus, sed uno impietatis „spiritu, regularis vitæ communitatem abjecerunt."

IV. Hos successivis temporibus alios secutos fuisse, Scriptores seculi XI. & XII. abunde testantur, & altè deplorant; eamque mutationem non auctoritati Ecclesiæ, sed defectui, & refrigescenti charitati adscribunt.

S. Ivonem Episcopum Carnotensem audiamus. „Quod com„munis vita, inquit, in omnibus Ecclesiis penè defecit tam ci„vilibus quàm Diœcesanis, non auctoritati, sed desuetudini, „& defectui adscribendum est, refrigescente charitate, quæ „omnia vult habere communia; & regnante cupiditate, quæ „non quærit ea, quæ Dei sunt & proximi, sed tantùm quæ „sunt propria. *Epist.* 60.

Similiter sub idem tempus de hoc Canonicorum transitu à vita communi ad singularem loquens Stephanus Tornacensis, dicit, Canonicos transitum illum fecisse, *quia dispensationis levamen libentiùs admittebant, quàm auctoritatis vigorem.* Quapropter urget Decanum Remensem, ne patiatur hanc Ecclesiasticam & diu servatam disciplinam aboleri, neque tàm facile *juventuti singulariter, ne dicam*, ait, SECULARITER *vivere volenti obediat.* Epistola 160.

CAPUT III.

EX DESERTIONE VITÆ COMMUNIS QUASI NATURALITER SECUTA EST VITÆ CANONICALIS DISSOLUTIO.

1 *Desertio vitæ communis secum traxit solutionem disciplinæ canonicalis.*
2 *Primum medium conservandæ disciplinæ canonicalis, quod suppeditabat vita communis, cum vita singulari desiit.*
3 *Promitur medium secundum.*
4 *Tertium.*
5 *Quartum.*
6 *Ex desertione vitæ communis factum, ut in vita canonicali homines mundani desiderata invenerint.*
7 *Hinc totius disciplinæ canonicalis ruina.*

I. VIx ullum reperire est Scriptorem, qui Canonicorum è vita communi ad vitam singularem transitum refert, quin unâ referat & deploret ut ex ea secutam totius canonicalis disciplinæ relaxationem; testeturque è Regularibus, non nomine duntaxat, sed vitâ & moribus etiam factos *Seculares*. „Etenim, „ait Dionysius Carthusianus, quæ, quanta & qualia vitia orta „sint atque quotidie oriantur ex relaxatione illa *vitæ communis*, „dormitoriique ejusdem, experientia potiùs docuit, quàm lin„gua possit explicare."

Quàm verò hæc vitæ canonicalis dissolutio ex ea vitæ communis in singularem commutatione naturaliter & quasi sua sponte profluxerit, ultro fatebitur, qui utramque vivendi normam, & exteriorem disciplinam paulò attentiùs consideraverit.

II. Dum in communi vivebant, simul in uno reficiebantur refectorio, mensuramque potus & cibi Superiores pro necessitate, non pro voluptate moderabantur; ipsaque convivia sacrâ semper lectione condiebantur. Unde de Canonicis Remensibus adhuc in communi viventibus quasi exultans scribit Stephanus Tornacensis: „procedentibus unanimiter de Missa ad Missam, „de spirituali refectione ad corporalem, præmissa invocatione „dominica, & signo benedictionis super cibum extenso, refi„ciebant convivæ Domini minùs ventrem, quàm mentem, so„nante eis per ministerium lectoris divino eloquio." *Epist.* 160.

At erepta vita singulari, tum non secundum moderationem & discretionem Superiorum cibus potusque subministrabatur, sed suo quisque arbitrio mensam suam instruere potuit, deliciisque, quantum placuerit, affluere, genioque & concupiscentiis indulgere. Pro lectione sacra discursus non tantùm otiosos & seculares, sed & pejores liberum fuit permittere.

III. Vita communis de bonis & proventibus Ecclesiasticis singulis pro necessitate suppeditabat; quibus usibus datum impenderetur, Prælati invigilabant & rationem exigebant; at in vita singulari singulis suæ præbendæ, sivè proventuum portio ita concreditur, ut de ea nulli rationem, nisi soli Deo, reddere teneantur: atque hinc liberrima cuique ex bonis ecclesiasticis consanguineos familiaresque ditandi relicta potestas: hinc de patrimonio Christi luxuriandi, nullo fræno restricta libertas.

In vita communi nulla nisi de licentia Prælati dabatur egrediendi è claustro Canonicorum facultas; atque hinc rara erat cum hominibus secularibus Canonicorum conversatio; cum mulieribus autem rarissima. At per vitam singularem reserato, seu potiùs deserto claustro, libera ac familiaris cum secularibus, non viris modo, sed & mulieribus conversatio facta est.

IV. Durante vita communi tempora singula, quibus impendi deberent, ex præscripto regulæ & superiorum erant determinata; atque ita otio pro magna parte occassio substrahebatur. Aderant & Superiores, qui quid singuli suo tempore facerent, intenderent; minusque rectè agentem aut otio diffluentem monerent & corriperent.

At nihil horum in vita singulari Canonicorum, quidquid lubet, quisque pro suo agit arbitrio; si otiari, si variis, imò & parùm Clericum decentibus occupationibus vacare lubet, quis est qui vigilet, qui moneat, aut qui corripiat?

V. Florente vita communi, domo sive claustro omnibus communi, & supellectili vulgari pro discretione Superiorum contenti esse debebant; dum autem vivunt singulariter, quisque domicilia extruit aut comparat, ac supellectili ornat, prout suæ ambitioni, aut vanitati congruere judicat.

Utque verbo dicam, cum vita singulari irrepsit libertas Canonicorum pro suo libitu vivendi, redditusque ecclesiasticos pro arbitrio dispensandi.

Huic vivendi libertati, si quis conjunxerit divitias, & honores etiam mundanos, quos ipse canonicalis status hodie dare solet, facilè videre est, qua ratione homines mundani, carna-

nales, ambitiosi, avari, aliisque vitiis pleni, in vita Canonicorum reperiri cœperint, quo suis concupiscentiis & carnalibus desideriis satisfacere possent.

VI. Hinc contingit, ut Canonicatus & Præbendas ambire cæperint in quibus regnabat avaritia, imperabat ambitio; aut quos commodè, deliciosè, imò splendidè, & honorificè secundum seculum vivendi incitabat desiderium. Jamque vita canonicalis non ampliùs considerata fuerit, quasi eam profitentes mundo ejusque pompis & prætensionibus valedicerent, seque totos Dei & Ecclesiæ servitio consecrarent, vitamque secundum Canones seu Regulas ab Ecclesia præscriptas sanctè instituere deberent; sed considerari cœpit, quasi vita commoda & honorifica secundum seculum, dans ea omnia, quæ homines seculi existimanda & optanda credant.

Inde felices æstimati, etiam maximè secundum mundum, qui Canonicatus assequuntur; sed eo feliciores quo *pinguiores*, ut vocant, aut honorabiliores sunt Præbendæ.

Ex quo ulteriùs parentum cura & studium, ut suos quâcunque via ad Canonicatus promoveant; tametsi nec minima in illis appareant vitæ clericalis specimina.

Quin & parvulis nondum penè natis provida parentum solicitudo Canonicatus parare cœpit. „Hunc nos, inquiunt apud „S. Bernardum in *declamat.* §. 5. illi vel illi tradamus Episco„po, apud quem habemus gratiam, aut cui fortè servimus, ut „dicetur de bonis Domini, nec in tot liberos nostra divida„tur hæreditas."

VII. Quid igitur mirum, si postquam ea de vita Canonicali fuit impressa idea, postquam ad illam ambitio, avaritia, ipse mundi spiritus, homines carnales & mundanos solicitavit & induxit, imò & plerumque intrusit, unà secuta sit totius disciplinæ relaxatio? Imò sanè mirandum, quòd adhuc illius vel vestigia superesse reperiantur?

„Si enim, teste Bellarmino de *Gemitu Columbæ lib.* 2. *c.* 8. „multitudo Monachorum ex monte perfectionis exciderit ad „vallem profundam nimiæ relaxationis, quia non duxit eos stella „ad præsepium Christi, id est, non traxit eos divina vocatio „ad humilitatem Christi sectandam; sed carnalis sensus qui „mentem excæcat, duxit illos, vel ad vitam commodiorem „cùm essent pauperes, vel ad honores ambiendos in Religione, „cum in seculo non invenirent qua viâ possent ascendere: vel „alio aliquo humano consilio vestem sanctam induerunt. Et „quid mirum si multi vestem religiosam induant, cum non spi„ritus Domini, sed carnalis sensus eos ad Religionem duxerit."

Si, inquam, hæc de Religiosis non rectâ intentione Monasteria intrantibus verè dixerit Bellarminus, quid dicendum erit de iis, qui vitam commodiorem & honores non in monasterio, ubi adhuc vita quædam communis & austeritas servatur, sed in seculo, ubi ambitio & dissolutio dominatur, cum studio quærunt & sæpe inveniunt?

CAPUT IV.

Ipsa Canonicorum institutio, seu professio semper mansit invariata.

1 *Perversa de vita canonicali idea.*
2 *Disciplinâ exteriori mutatâ, invariata mansit canonicalis institutio.*
3 *Non minor hodie in Canonicis requiritur morum integritas quàm durante vitâ communi.*
4 *Sola exterior disciplina mutata est.*
5 *Hæc facilitabat, ut canonicè viveretur, non tamen omninò necessaria erat.*
6 *Alia habenda de Canonicis idea, quàm vulgò habetur.*

TAndem connivente Ecclesia Canonicos à vita communi, ad singularem transivisse, magnamque circa exteriorem vivendi disciplinam mutationem intervenisse, ex dictis capite superiore satis constat.

I. Ulteriùs ex hac vivendi ac exterioris disciplinæ variatione magnam vitæ libertatem, atque inde totius canonicalis professionis dissolutionem secutam abundè quoque ostendimus; quæ dissolutio ubi universas penè per orbem christianum Canonicorum Ecclesias pervasit, eam tandem plerisque impressit ideam, quasi vita canonicalis esset vita commoda & honorifica, maximeque secundum seculum optanda, sine ulla penè obligatione divitias, honores, aliaque secundum mundum appetibilia affluenter suppeditans.

Verùm nihil à mente Ecclesiæ magis alienum, quàm hæc de vita canonicali secularis & perversa idea.

II. Licèt enim disciplinæ exterioris mutationem tandem toleravit Ecclesia, nunquam tamen de sanctitate vitæ, & vivendi secundum Canones seu Ecclesiasticas Regulas obligatione quidquam remisit: imo immobilem semper supposuit ipsam canonicalem institutionem, & professionem, si ipsas essentiales & interiores statûs canonicalis obligationes spectemus.

Hinc seculo XV. non de Canonicis in communi viventibus, sed singularem jam vitam agentibus dicebat Dionysius Carthusianus: „Clerici vocabantur *Canonici*, quoniam regu„larem & rectam tenentur ducere vitam, vitiorumque obli„quitates vitando, sincerè gradari juxta præfixa eis à SS. „Patribus statuta." *Tractat. de vita Canon.*

Utque propriùs ad nostram ætatem descendamus, præcedenti seculo Synodus Coloniensis; „Ut de Canonicis dica„mus paucis, inquit, respondeat eorum vita titulo, respon„deat nomini: sint reipsa, ut sunt nomine *Canonici*, id est, „Regulares." An. 1536. *Part.* 3. *cap.* 4.

Quin & sub finem ejus seculi Clerus Gallicanus, ut Canonicos ad vitæ rectitudinem, morum integritatem, Canonumque sedulam observantiam efficaciùs redduceret, ut nominis sui memores essent, admonuit: „Canonicos semper suæ de„nominationis memores esse oportet, inquit, ne quis eorum „Canones & Regulas, vitæ aut morum pravitate unquam trans„grediatur, sed è contra qui exleges sunt, aut in futurum „esse possent, eorum exemplo ad pietatis & probitatis totius „formam & regulam revocentur."

III. Et quid plura? An minorem hodie in Canonicis, in cibo potuque aut mensarum apparatu frugalitatem requirit Ecclesia, quàm olim, cùm communi refectorio utentes, cibi potusque mensuram suorum Prælatorum arbitrio accipiebant? An minùs se à spiritu mundi, & secularibus negotiis separare debent Canonici, qui hodie vitam singularem agunt, quàm olim in communi viventes? An minùs castè vivere, aut mulierum suspecta & periculosa consortia vitare, quàm dum simul in uno claustro habitantes, à secularium ac mulierum conversatione manebant separati? An hodie ex proventibus ecclesiasticis liberaliùs, & extra necessitatem consanguineos aut familiares ditare possunt; aut in luxum, usus superfluos vel profanos erogare, quàm dum eos ex communi massa dispensante Prælato pro sua quisque necessitate accipiebat? An minor hodie Canonicorum orandi, divinumque officium devotè ac diligenter persolvendi obligatio, quàm dum in una domo commorantes, simul è dormitorio, aut refectorio instar hodiernorum Religiosorum, statis horis ad persolvendas horas canonicas pergebant? An minor est hodie, quàm olim fuerit, Canonicorum Deo & Ecclesiæ serviendi, seque eorum ministerio consecrandi necessitas?

Revolvantur, releganturque Canones, etiam his postremis seculis postquam vita communis Canonicorum in singularem transivit, editi, nihil planè circa hæc mutatum reperietur; sed eadem omninò Canonicis inculcata invenientur & præscripta.

IV. Uno verbo, quidquid mutationis intervenit, unicè ipsam exteriorem vivendi disciplinam concernit, quæ quidem non parùm facilitabat, ut Canonici ea, ad quæ vi suæ professionis indispensabiliter adstringuntur, observarent; nequaquam tamen ejus erat conditionis, ut ea non observatâ, Canonici, quæ suæ sunt vocationis & professionis exactè, licèt fortè difficiliùs, implere nequeant.

V. Quidni enim inter Canonicos *singulariter*, hoc est, extra congregationem viventes, reperiantur, qui ejus sint virtutis & perfectionis, ut eam in cibo & potu totiusque mensæ apparatu sibi præscribant, & servent moderationem, quam etiam in ordinatissima congregatione Superiores juxta Canones præscriberent? Qui redditus ecclesiasticos, quantumvis suæ dispensationi pro arbitrio concreditos, summo cum timore ac tremore, tanquam patrimonium pauperum dispensent? Qui cucuram temporalium sine curis agant? Qui divitias possideant quasi nihil habentes? Inque particulari familia ita vitam instituant, ut munia omnia Canonicorum ad præscriptum Sacrorum Canonum non minus perfectè & absolutè adimpleant, quàm si juxta pristinam vivendi disciplinam vitam agerent communem.

VI. Ex his quisque facilè intelliget, aliam planè de vita canonicali esse concipiendam ideam, quàm vulgò concipitur; vitamque canonicalem ex mente Ecclesiæ non esse institutam aut ordinatam, ut quis commodè, lautè, ac honorificè secundum seculum vivat, sed ut à mundo abstractus, omnibusque ejus prætensionibus renuntians, unicè Deo, & Ecclesiæ, sive orando, sive laborando serviat; vitamque clericalem juxta Sacros Canones tantò exactiùs & ferventiùs instituat, quantò reliquis Clericis & nomine & dignitate præcellit.

Ex his quoque non difficulter intelligitur, quàm procul à mente Ecclesiæ, & à vera idea, quam de Canonicatibus habere deberent, recedant, qui ad eos tanquam ad res secundum mundum maximè optabiles & commodas, aspirant; felicesque se autumant, dum ad eos pervenerint, nihil aut parum de obligatione, quam ratione Canonicatûs contrahunt, soliciti.

CAPUT V.

De Congregationibus Capitularibus.

1 *Collegia Canonicorum olim dicta* Monasteria; *hodie* Capitula.

Con-

2 *Congregationes Canonicorum quando dici cœperint* Capitula.
3 *Soli Canonici Capitulum constituunt.*
4 *In dignitate constituti, si non sint Canonici, non sunt de Capitulo.*
5 *Fallit in Decano.*
6 *Canonicatum & dignitatem obtinens non gaudent duplici suffragio.*
7 *Canonici Sacris non initiati Capitulo non interveniunt.*
8 *Canonici non ordinati, an* turnum *suum habeant in collatione Beneficiorum.*
9 *Olim Canonici quotidie Collationem instituebant.*
10 *In hujus locum successere Capitula disciplinæ, & quid in eis tractandum.*
11 *In Capitulis primùm de disciplina & vivendi ratione tractandum.*
12 *In Capitulis à majori parte suffragiorum concluditur, & hinc nonnumquam statuta injusta.*
13 *Non cæco modo in Capitulorum statuta jurandum.*
14 *Quando indicenda Capitula.*
15 *Non indicenda tempore divini Officii.*
16 *Nec in hoc consuetudo excusari potest.*
17 *Nec alia negotia non capitularia tempore divini Officii tractanda.*

I. DUM olim Canonici vitam communem agerent, unoque claustro sub certa regula, & Superiorum directione viverent, eorum collegia dicta fuisse *monasteria*, ex monumentis & Scriptoribus illorum temporum notissimum est, ut meritò Molanus, *lib.* 1. *de Canonicis cap.* 12. imperitiæ arguat eos, „qui dum alicubi incidunt in locum quemquam „apud superiorum ætatum Scriptores, in quo Canonicorum „collegium vocatum *Monasterium*, aut errorem esse, aut mo„nasticum ordinent, antequam Canonici essent, in eo viguisse, „putent, non aliâ ratione moti, quàm quòd videant Monas„terii nomen illi quandoque tributum esse.“

At postquam Canonici abjectâ vitâ communi ad vitam singularem transierunt, externâque vivendi disciplinâ se planè à Monachis & Regularibus in communi viventibus discreverunt, sensim quoque vocabula communem illam vitam præferentia respuerunt; atque ita eorum Ecclesiæ sive collegia prius *Monasteria* nuncupata, dici cœperunt *Capitula*: hocque nomine hodie Canonicorum secularium Ecclesiæ à Monachorum & Canonicorum Regularium Conventibus distinguuntur.

II. Ulteriùs singularitate semel inductâs suas etiam congregationes, quæ durante vita communi dicebantur *Conventus*, *Collatio*, aliove simili nomine, quo communitas aliquo modò indicabatur, *Capitula* dixerunt; hodieque congregationes, seu conventus Canonicorum vulgari nomine *Capitula* vocantur; eaque, quæ in illis congregationibus acta sunt, *acta capitularia*, *capitulariter* acta dicuntur.

III. Ad hanc Congregationem, quæ communiter *capitulum* nuncupatur, jus habent soli Canonici; id est, qui in ea Ecclesia verè sunt Canonici, omniaque jura Canonicorum habent.

Unde Beneficiati, qui Canonici non sunt, licèt etiam haberent jus præbendæ, sive cum Canonicis proventus dividerent aut participarent, imò & de administratione bonorum cum Canonicis in communi deliberandi jus haberent, si tamen Canonici non sint, de Capitulo esse non censentur, neque in electionibus, aliisque actibus capitularibus ipsam bonorum administrationem haud concernentibus, interveniendi jus habent, nisi aliud de consuetudine aliove particulari titulo obtineat: uti latè Fagnanus ad *c.* 1. ✠ *de Elect. num.* 33. *& seqq.*

IV. Quinimò, si in eadem Ecclesia sint dignitates, quarum possessores simul non sunt Canonici, de jure communi vocem aut sedem in Capitulo non habent, nisi ex earum fundatione seu erectione expressè, aut ex antiqua consuetudine secùs obtineat. Unde Glossa ad Sanctionem Pragmaticam *c. sicut*, §. *quanta*, post Innocentium aliosque Canonistas ait: „Archidiaconus, „alii Prælati inferiores & alii Beneficiati in Ecclesia Cathedrali, „nisi habeant Canonicatum, non sunt de Capitulo, nec debent „habere vocem in Capitulo.“

Et generaliter Rebuffus Tractat. de Nominat. *quæst.* 8. *n.* 32. asserit: „Habentes dignitatem in Ecclesia de jure non sunt de „Capitulo, nisi aliàs sint Canonici: soli enim Canonici faciunt „Capitulum & unum corpus cum Episcopo.“

V. Decanus tamen licèt præbenda canonicali careat, nec specialem Canonicatum obtineat, quia caput est Canonicorum eorumque curam gerere debet, Capitulo intervenire eique præsidere consuevit, nisi forsan de rebus temporalibus seu præbendis, in quibus ipse non participat, tractetur. Ita judicatum pro Decano *non præbendato* Ecclesiæ Cathedralis Amiensis in Parlamento Parisiensi 28. Julii 1672. uti refertur in Libro, cui titulus, *Journal du Palais*, *Tom.* 2.

VI. Quinimò si dignitatem quis obtineat unà cum Canonicatu, si jus commune spectemus, duplici suffragio in Capitulo non gaudet, illudque prætendens, vel consuetudine aliove particulari titulo munitum se esse ostendere debet. Panormitanus ad *c.* 12. *de sent. & re jud.* & Cujacius *ibid.*

VII. Ulteriùs, quamvis Canonicis per solam canonicatûs assecutionem & captam possessionem quæsita sint omnia jura canonicalia, dicanturque esse de Capitulo, tametsi etiam nullo sacro ordine sint insigniti, nihilominus in actibus capitularibus suffragium non habent; nisi ut minus ordinem habeant Subdiaconatûs, etiamsi hoc illis ab aliis esset concessum, *Clement.* Ut II. *De ætate & qualit. & ordine præfic.* innovata per Synodum Tridentinam, *Sess.* 22. *c.* 4. *de Reform.* ut nimirum hoc pacto, „Qui divinis in Cathedralibus, vel Collegiatis, Secu„laribus, vel regularibus Ecclesiis sunt mancipati officiis, ad „suscipiendos sacros ordines propensius inducantur,“ ait dicta Clementina.

Ita quippe comparatum est, proh dolor! ut Canonici, qui nihil ex Sacerdotio lucri temporalis expectant, nihilque mundani honoris accedere sibi autumant; sed libertatem sibi per susceptionem S. Ordinis potiùs adimi, ad Sacrorum ordinum susceptionem quodammodò cogi debeant: Cappellani verò, & viliores Clerici ad Sacerdotium tanquam artem de pane lucrando currant & festinent; quod jam pridem altè deploravit & graphicè expressit Philippus Abbas Bonæ Spei S. Bernardo coævus, *de Dign. Cler. c.* 15. & 16.

Procedit autem hæc juris dispositio non tantùm in voce decisiva, sed etiam consultiva, adeò ut neque assistentiam, neque sedem in Capitulo habere possit Canonicus, qui ordine saltem Subdiaconatus non est initiatus; quemadmodum declarâsse S. Congregationem refert Garcias de *Benef. p.* 3. *c.* 4. *n.* 25.

VIII. Hæc tamen non procedunt in his, quæ à Canonicis fiunt non capitulariter, sive extra Capitulum. Ita in Ecclesiis, ubi collatio spectat ad Canonicum hebdomadarium sive turnarium, Canonicum in Sacris non constitutum suam habere hebdomadam sæpiùs judicatum fuisse, refert Garcias loco citato, *num.* 29.

Verùm, si benè attendatur, dum Canonico *Turnario*, sacro ordine non insignito, datur jus præsentandi, atque ad ejus presentationem Capitulum præsentatum instituere debet, in effectu datur simili Canonico jus concurrendi ad unum è præcipuis actibus capitularibus, qui est denominatio ad beneficia: atque de hac causa Advocatus Ragius conclusit, non esse dandum jus *Turnarii* cuidam Canonico Ecclesiæ Cathedralis Constantiensis Sacris non initiato, non obstante statuto & consuetudine trium seculorum ejusdem Ecclesiæ; sustinens statutum illud ac consuetudinem esse merum abusum tendentem in fraudem juris excludentis similes Canonicos ab actibus capitularibus. Et ita judicavit Senatus Rotomagensis, atque instante Procuratore Regio unâ inhibuit omnibus Capitulis sui districtûs conferre quodcunque beneficium ad præsentationem Canonicorum sacris ordinibus non initiatorum, eamque suam ordinationem per modum Regulamenti publicari præcipit. Vide *Journal du Palais*, *tom.* 3.

IX. In his capitularibus conventibus tractandum de his omnibus, quæ statutum & administrationem Ecclesiæ, quæque ipsum Canonicorum officium concernunt; ac imprimis, & ante omnia, ipsam disciplinam, vivendique rationem morumque reformationem spectantia.

Et quidem regula Canonicorum in Synodo Aquisgranensi exarata *cap.* 123. præcipit: „Ut Canonici quotidiè ad Co„lationem veniant, ubi & hanc institutionem & aliarum sanc„tarum Scripturarum lectiones perlegant, & pro admissis ve„niam postulent, & sententiam pro qualitate admissi suscipiant; „ubi etiam de communi profectu & utilitate Ecclesiæ per„tractent.“

X. Scio quidem cum vita communi hanc sanctissimam disciplinam in plerisque Canonicorum Ecclesiis exolevisse; at in ejus locum succeserunt Conventus, quos *Capitula disciplinæ* vocant.

Synodus Colon. anno 1536. *p.* 3. *c.* 14. quæ in his potissimùm tractanda sint exponens: „Capitula, inquit, discipli„næ quæ vocant, multò majori diligentia observentur atque „hactenus. Id ita fiet, si non tam profanæ quàm res sacræ in „his tractentur: si de moribus inquiratur, si vita expenda„tur singulorum, & quod olim sancti Patres fecisse dignos„cuntur, ex temporali oratione interdum commoneantur Fra„tres, & imprimis ad Sacras Litteras capescendas instigen„tur, atque ut in his optimas horas collocent, incitentur, quòd „hîc reperiatur fons vitæ scaturiens, ex quo qui haurit, non „sitit in æternum; hîc thesaurus Evangelicus, propter quem „oportet vendere universa, reconditus sit, ex quo prudens „ille Paterfamilias profert nova & vetera.“

Indubiè admodum esse optandum, ut in omnibus Canonicorum Ecclesiis hæc specialia disciplinæ Capitula frequenter ac seriò instituerentur; vel si hæc specialia capitula non habeantur, ipse ordinariæ Capitulares Congregationes ita instituantur, ut non planè temporalibus negotiis occupentur, adeò ut nihil morum ac disciplinæ, divini Officii rectæ institutio-

ni, aut reformationi impendatur, neque cura tantùm habeatur de minimis, neglectis majoribus.

Aliud sanè ipsum Canonicorum officium exigit, & decreta Synodorum clamant.

XI. „ Canonici (inquit Synodus Bituricensis anno 1564. *tit.* „ 34. *can.* 9. convenientes ad Capitula, primùm tractent de „ celebratione divini Officii, & quoscunque defectus delin- „ quentium corrigant, tum de temporalibus negotiis statuant.“

Et Synodus Tolosana anno 1590. *p.* 1. *c.* 2. §. 7. ait: „ In comitiis sodalitiis & Capitulo de is primùm, quæ ad di- „ vinum cultum spectabunt, tum de justa morum reformatio- „ ne, delictorum debita animadversione, demum de privatis re- „ bus temporalibusque negotiis agant.“

Consonat & Concilum Avenionense anno 1594. *tit.* 33. ita decernens: „ in Capitulo clamosas & contentiosa confabu- „ lationes evitabunt, & de iis, quæ ad Ecclesiæ cultum, & „ ad pietatem promovendam spectant, de bonorum Ecclesias- „ ticorum administratione tractabunt.“

Volunt ergo Concilia, ut ea, quæ mores, divinum Officium, ac Ecclesiæ cultum spectant, præcipuum ac primum locum in Capitulis obtineant. Et meritò, cùm nihil justius ac rationabiliùs sit, quàm negotia majoris ponderis & momenti præferri negotiis minoris momenti. Ac sanè timendum, ne Canonici qui adeò soliciti sunt de rebus temporalibus, ut nihil in eorum Conventibus penè nisi de illis audiatur aut tractetur, sint non tantùm nomine, sed re ipsa Canonici *Seculares*, verèque dici queat de ipsis, quod de quibusdam Prælatis sui temporis dixit Bernardus *Lib.* 4. *de consid. ad Eugen. Papam c.* 6. „ Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam „ de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerunt.“

XII. Negotia in Capitulis proposita solent ordinariè ex pluralitate suffragiorum concludi; quodque major pars Capituli resolvit, ipsum *Capitulum* resolvisse censetur.

Porrò quia non rarò contigit, hoc præsertim tempore quando adeò relaxata, & ab omni penè disciplina exempta est Canonicorum vita, ut plures Canonicorum vel nullam veræ disciplinæ notitiam habeant, aut etiam eam oderint, unicè vivendi libertatem affectantes, & lucro temporali inhiantes: quidni hinc natum est contingere, ut inter resolutiones, vel etiam ordinationes capitulares bonis vel reclamantibus, vel subinde pacis causa, aut ad majus malum evitandum, dissimulantibus, reperiantur non paucæ, quæ canonicæ disciplinæ adversantur; magisque quæstum aut turpe lucrum, imo subinde simoniam sapiunt, quàm pietatem, aut spiritualem profectum; qua de re audire lubet, quæ per experientiam reperiunt, & referunt Patres Synodi Coloniensis anno 1536. *part.* 3. *cap.* 19. „ Ha- „ bent, inquiunt, ferè quotquot sunt Cathedrales aut Colle- „ giales Ecclesiæ suum volumen peculiarium Statutorum, quæ „ interdum pro affectu privato cujuslibet augentur aut crescunt. „ *Inter hæc reperias quam plura, quæ quæstum magis quàm* „ *pietatem resipiat*, & ad inequalitatem magis quam æqualita- „ tem faciant: unde discordia inter fratres (ut fieri solet) fre- „ quenter alitur, concordia verò scinditur laceraturque. *Et* „ *quantumvis pleraque inter hæc iniqua reperias, adiguntur* „ *tamen omnes qui recens admituntur, ut ad ejusmodi sta-* „ *tutorum observationem* (etiam penitùs ignari quid contineant „ illa), *citra ullum delectum jurejurando se alligent*, cum ta- „ men juramentum non debeat esse iniquitatis vinculum, nec „ ad ignorata extendi. Operæ pretium itaque nobis videtur, „ hujusmodi statutorum volumina inter visitandum excutere, & „ quæ evangelicæ puritati atque fraternæ charitati, denique dis- „ ciplinæ ecclesiasticæ minùs consentanea reperta fuerint, re- „ secare, cavereque, ne posthac ulla nova statuta in ejusmo- „ di Ecclesiis (nisi tamen noster accesserit calculus) edantur.“

Idem supposuit Synodus Tridentina, *Sess.* 24. *cap.* 14. *de Reform.* deplorans, quòd in pluribus Ecclesiis tam Cathedralibus quàm Collegiatis & Parochialibus, ex earum Constitutionibus, aut ex prava consuetudine, in electione, præsentatione.....sive admissione ad possessionem alicujus Beneficii, vel Canonicatuum, certæ conditiones seu deductiones ex fructibus, compensationesque illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur turnorum lucra, interponantur. Quæ omnia detestans S. Synodus, „ Mandat Episcopis, ut quæcun- „ que hujusmodi in usus pios non convertantur, atque ingres- „ sus eos, qui *simoniacæ labis*, aut *sordidæ avaritiæ* suspi- „ cionem habent, fieri non permittant, ipsique diligenter de „ eorûm *Constitutionibus* sive consuetudinibus super prædictis „ cognoscant: & illis tantùm, quas ut laudabiles probaverint, „ exceptis, reliquas ut pravas ac scandalosas rejiciant & abo- „ leant.“ Et eos, qui adversus prædicta quavis ratione commisserint, pœnis simoniacorum subjacere decernit, „ non „ obstantibus (inquit Synodus) quibuscunque *statutis*, *consti-* „ *tutionibus*, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam „ *Apostolicâ auctoritate confirmatis*; de quarum subreptione, „ obreptione & intentionis defectu Episcopus tanquam Apos- „ tolicæ Sedis Delegatus cognoscere possit.“

Ex his quis non videat, per Synodum Tridentinam supponi, in Statutis & Constitutionibus, etiam Cathedralium Ecclesiarum (tametsi per Sedem Apostolicam confirmatis) posse reperiri aliqua, quæ Synodus tanquam de simoniaca pravitate suspecta detestatur.

Hinc quisque discat non cæco modo in Statuta & Ordinationes Capitulorum esse jurandum, sed ea priùs meritò examinari & expendi debere: eosque multùm hallucinari, qui sibi licitum credunt, quidquid in Statutis Capituli probatum invenitur; tametsi etiam Sedis Apostolicæ confirmatio accesserit.

XIV. In plerisque Ecclesiis certi dies vel per mensem, vel etiam hebdomadam solent esse designati, quibus statâ hora Capitulum conveniat, soletque dici *Ordinarium*.

Sed quia nonnunquam repentina negotia, quæ dilationem non patiuntur, congregationem Capituli requirunt, in potestate Decani alteriusve, cui jus convocandi Capitulum, ex consuetudine aliove titulo competit, est, quocunque die & tempore Capitulum indicere.

XV. Illud tamen observet, ut nisi necessitas urgeat, tempore divinorum Officiorum Capitula non habeantur. „ Cano- „ nonici, inquit S. Carolus, in Concilio Mediol. I. *part.* 2. „ *cap.* 38. quo tempore divina Officia celebrantur, non ha- „ beant Capitula, nisi fortassis aliter evidens necessitas pos- „ tulaverit: qui contra fecerint, distributionem ne capiant ejus „ horæ, in qua id commiserint.

Et Synodus Cameracensis P. II. *tit.* 18. *cap.* 17. „ Canonico- „ rum congregationes pro Ecclesiarum suarum negotiis, quæ Capi- „ tula dici solent, horâ competenti fiant, nec summæ Missæ tem- „ pore ullo modo habeantur, nisi necessaria aliqua causa superve- „ niat quæ differri non possit, quo casu, ut minimùm mittantur ali- „ qui Canonici in chorum.“ Et Mechl. P. II. *tit.* 12. *cap.* 11.

XVI. Idem responsum à Sacra Congregatione refert Garcias *de Beneficiis part.* 3. *cap.* 2. *n.* 559. „ qui ipse, cùm esset „ Canonicus Abulensis, atque in ea Ecclesia sæpè fierent *Ca-* „ *pitula*, & haberentur congregationes *capitulares* tempore di- „ vinorum Officiorum, & dum Horæ, etiam Missa major cele- „ brarentur, juxta statuta & antiquam consuetudinem in Hispa- „ nia hactenus observatam; ac esset in hac Ecclesia ordinatio „ capitularis, quòd Canonicus qui fuerit in Ecclesia, & non in- „ traverit Capitulum, mulctetur certâ pœnâ, etiamsi sit in „ choro in divinis Officiis: his, inquam, sic se habentibus pe- „ tiit ipse Garcias declarari, an nihilominus Canonicus seu Ca- „ pitularis possit licitè à Capitulis abesse, stando in choro, nec „ propterea possit mulctari? Secundò, an possit, etiamsi velit, „ interesse Capitulis, quæ fiunt tempore divinorum Officiorum, „ supposito quòd fiunt, & satisfaciat suæ obligationi & faciat „ fructus suos, qui in illa hora lucrifiunt..... Congregatio Con- „ cilii ad primum respondit: congregationes hujusmodi capi- „ tulares habendas non esse eo tempore quo divina Officia cele- „ brantur, nisi causa aliqua urgens eas ad aliud tempus non pa- „ teretur differri; quòd si hæ congregationes absque causa præ- „ dicta tempore celebrationis divinorum habitæ fuerint, Cano- „ nicum jure ab his, ut choro intersit, posse abesse, nec prop- „ terea esse mulctandum. Ad secundum non posse, juxta res- „ ponsum ad primum.“ Quam declarationem, ait Garcias, authenticam habeo.

XVII. Infertur autem ex dictis, uti notat ibidem Garcias, „ non licere etiam fieri congregationes particulares Commissario- „ rum Capituli, nec occupari Beneficiatos in negotiis & rebus „ Ecclesiæ (quæ aliàs commodè fieri possunt) dum divina Of- „ fficia celebrantur, quamvis oporteret aliàs eis constituere ali- „ quod stipendium seu salarium.“

Infertur etiam non licere facere rationes & computus bonorum, & redituum Mensæ, vel Fabricæ, dum divina fiunt; & ita respondit S. Congregatio apud Garciam loco citato n. 568. his verbis: „ Congregatio Concilii censuit, neque Episcopum „ neque Capitulum debere exigere rationum redditionem tem- „ pore quo recitantur Horæ Canonicæ, & divina celebrantur.“

CAPUT VI.

Canonici divinum officium diurnum pariter ac nocturnum publice persolvere tenentur.

1 *Præcipuum officium Canonicorum est persolutio divini Officii.*
2 *Unde hæc obligatio Canonicorum.*
3 *Omnibus Horis etiam minoribus interesse debent.*
4 *Debent per se divinum Officium persolvere.*
5 *Contrarium statutum non valet.*
6 *Non improbandus Vicariorum usus.*
7 *Quod Vicariorum officium.*
8 *Quid in his assumendis præcipuè attendendum.*

I. SOlemnem divini Officii persolutionem unam esse è præcipuis Canonicorum obligationibus nemo dubitat. Quapropter maxima pars regulæ Canonicorum à Synodo Aquisgra-

granensi conscriptæ, circa modum ac normam persolvendi Horas Canonicas versatur; ac *Cap.* 131. monentur Canonici: „Ut „studeant summoperè Horas Canonicas vigilantissima cura cus„todire, & in his divinum officium humiliter ac devotè per„solvere. Mox enim, ait Synodus, ut auditum fuerit signum, „festinatò omnes ad Ecclesiam conveniant, quam non pom„paticè, aut inhonestè, vel incompositè, sed cum reveren„tia & Dei timore ingrediantur."

Hinc in Conciliis, etiam post commutatam vitam communem Canonicorum in singularem, nihil tantopere Canonicis inculcatum, quàm *Ut in Choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter* (verba sunt Synodi Trid. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Ref.*) *distinctè devoteque laudent.* Ideoque non immeritò seculo 11. ad quendam Canonicum scripsit S. Ivo Carnotensis; „Ad hoc instituta est Clericalis militia, ut „psalmodiæ & hymnodiæ quotidianum offerat Deo sacrificium."

II. Unde hæc Canonicorum obligatio profluat, sat indicat ipsa Canonicorum regula monens Canonicos, „Ut laudes „Deo in communi persolventes, pro suis populorumque, quo„rum oblationibus vivunt, delictis Deum exorent."

Quibus non obscurè innuit, ideo Canonicis factas oblationes fundatasque eorum Ecclesias, ut ipsi pro populo ac Fundatoribus Deum incessanter orarent & laudarent: „Nam, in„quit Justinianus Imperator, qui constituerunt vel fundarunt „sanctissimas Ecclesias pro sua salute & communis Reipubli„cæ, relinquerunt illis substantias, ut per eos debeant sa„cræ Liturgiæ fieri, & ut illis à ministrantibus piis Clericis „Deus colatur."

Quàm hæc vera sint, propiùs intelligent Canonici, si fundationum dotationumque suarum monumenta, non tantùm ad conservationem temporalium, uti fieri solet, sed ad intelligendam suam obligationem, sedulò ac diligenter pervolvant.

III. Porrò cùm officium divinum juxta normam à multis seculis receptam constet septem partibus, nimirum Matutino, sub quo & *Laudes* comprehenduntur, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperis & Completorio; illæque simul sumptæ integrum officium divinum diurnum ac nocturnum constituant, consequens est, Canonicos non tantùm uni alterive aut etiam majoribus Horis debere interesse, sed omnibus: quia obligatio Canonicorum est non partem duntaxat divini Officii persolvere, sed integrum; unde de Canonicis aliisque Clericis choro adstrictis pronuntiat Concilium Generale Lateranense sub Innocentio III. quòd teneantur *divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrare.*

IV. Porrò si canonicalis muneris & obligationis sit, officium divinum publicè & solemniter persolvere, evidenter consequitur, Canonicos ad eam persolutionem *personaliter* obligari; cùm ipsa ratio dictet & clamet, unumquemque teneri ad ea, quæ ex suo instituto seu professione sibi incumbunt & injucta sunt.

Quapropter de Canonicis tam cathedralibus, quàm collegiatis loquens Synodus Trid. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* ait: *Omnes verò* PER SE, *&* NON PER SUBSTITUTOS *compellantur obire officia.*

Huic Concilii Tridentini decreto consonat Synodus Cameracensis P. I. *tit.* 6. *cap.* 7. decernens: „In choro cùm psalli„tur, Canonici omnes qui in choro fuerint & Sacellani psal„lant, nec sint in sedibus suis otiosi, nec putent se functos „officio, si vicariâ tantùm operâ cultum divinum celebrari „curent: modò tamen psallere per valetudinem queant, nec „aliis impediti justis de causis fuerint."

Et Synodus Mechl. P. II. *tit.* 12. *cap.* 2. „Meminerint, „ait, omnes tam in dignitate constituti, quàm Canonici, Ca„pellani, Vicarii, Beneficiati, & reliqui habituati, manda„ti Concilii Trid. ut omnes divina *per se*, & non per subs„titutos compellantur obire officia, atque in choro ad psal„lendum instituto hymnis & canticis Dei nomen reverenter, „distinctè, devotèque laudare."

V. Infinita propemodum tùm veterum, tùm recentiorum Synodorum decreta, tùm probatissimorum Auctorum testimonia, hanc Canonicorum obligationem *per se* divina officia, cessante legitimo impedimento, persolvendi asserentia; contrariumque usum tanquam merum abusum ex desidia & superbia Canonicorum ortum reprobantia, allegare possem, nisi id fusè & abundè præstitissem in dessertatione de Canonicis *parte* 3. *cap.* 2. Illud hic addo, referente Nicolao Garcia de Beneficiis, *part.* 3. *cap.* 2. *n.* 498. resulutum fuisse conformiter ad jam dicta, à Sacra Congregatione, „si factum sit „aliquod statutum, quod Canonici possint inservire per Subs„titutum, vel alternatim unus pro alio, non habeatur ejus „ratio, quia est contra Concilium Tridentinum.

„Procedit etiam dicta declaratio, ait Garcias, licèt ante „Concilium esset statutum, vel consuetudo etiam immemo„rialis in contrarium, ut colligitur ex ipso Concilio."

VI. Quia tamen nonnunquam contingit, præsertim in Ecclesiis Cathedralibus, ut Canonici aliis negotiis Ecclesiæ distracti, officia *per se* congruenter persolvere nequeant, nullatenus improbandum, ut aliquos Vicarios assumant, qui Canonicorum legitima ex causa absentium vices suppleant, & in persolvendis divinis laudibus Canonicis adjutores accedant.

VII. Hunc esse Vicariorum finem indicat Synodus Coloniensis anno 1536. *parte* 3. *cap.* 6. monens Vicarios: „Ut „attendant quòd Canonicis adjutores accedant: horum nimi„rum vice qui vel adversa valetudine detenti vel negotiis ne„cessariis advocati interesse non possunt.

„Ita Vicarii opera, inquit Synodus Audomarensis 1583. „*tit.* 12. *cap.* 6. Officium peragatur, ut nihilominus ii ipsi „quorum proprium est illud agere, qui dignitatem, canoni„catum aut quodvis aliud beneficium vel officium in Eccle„sia obtinent, nisi legitimè impediantur, per se ipsos, & „non per alios duntaxat illud faciant."

VIII. Porrò in assumendis hisce Vicariis meritò attendent Canonici, nùm mores ac vita officio ab iis obeundo respondeant; ne aliàs cantando non Deum laudent, se offendant.

Quare Patres Concilii Cameracensis, P. I. *tit.* 1. *cap.* 14. monent: „Ut in Ecclesiis sive Cathedralibus sive Collegia„tis non constituantur Vicarii, qui Canonicas, quas vocant, „Horas in choro canant, nisi aut Sacerdotes aut in Sacris Or„dinibus constituti, aut saltem Lectores ordinati; atque hi, „quantum fieri potest, sint cœlibes, quorum mores vitaque „probata fuerit, nec permittantur in choro psallere, nisi ves„titu & habitu corporis, ministros se esse Dei & Ecclesiæ „demonstrent." Plura videri possunt in citata Dissertatione de Canonicis, *parte* 3. *cap.* 2. §. 5.

CAPUT VII.

De Distributionibus quotidianis.

1 *Quid distributiones.*
2 *Quæ institutionis ratio.*
3 *Omnibus Horis etiam minoribus asignandæ.*
4 *Integris Horis interesse debent qui eas lucrentur.*

I. Distributiones propriè dicuntur *quotidianæ*, ait Stephanus Weymsius ad Constit. 11. per Concilium Tridentinum innovatam, *num.* 7. „Quando singulis diebus, vel „etiam singulis horis distribuuntur, in pecunia, victu, po„tu vel alia specie, his tantùm, qui personaliter præsentes „sunt in officiis divinis; quod moribus hodiernis passim fit „per plombetum vel tesseram."

II. Quis sit harum distributionum scopus, jam pridem ad Paschalem Papam scribens S. Ivo Carnotensis expressit: „Cùm „in pluribus Canonicorum Carnotensium desuevisset disciplinæ regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de somnolentis vigilantes, de tardis assiduos ad frequentandas Horas canonicas, deliberavi apud me, ut darem iis dimidiam præpositurам, ut inde fieret *quotidianus „panis*, quem acciperent assidui, amitterent tardi; ut ad quas „eos panis interni dulcedo non movebat, panis corporei re„fectio provocaret; quamvis eorum annua præbenda eis ad „hoc sufficiens esse deberet."

Unde & Synodus Coloniensis an. 1536. *p.* 3. *cap.* 10. animadvertens Canonicorum in frequentandis divinis officiis neglectum, „Facilè, ait, castigabitur hic lapsus, si negligen„tes subtractione proventuum seu distributionum mulctentur."

Et ipsa Synodus Tridentina distributiones probans, easque, ubi desierant, reduci desiderans, ac ob id præcipiens, „tertiam fructuum, quorumcunque proventuum & obventio„num, tam Dignitatum, quàm Canonicatuum, Personatuum, „portionum, & officiorum, separari debere, & in *distri„butiones quotidianas* converti; hanc suæ perceptionis ratio„nem præmiserat: *Cum beneficia ad divinum cultum, atque „ecclesiastica munia obeunda sint constituta, ne qua in par„te diminuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in „rebus obsequium præstetur: statuit, &c.*"

III. Si ergo quotidianæ distributiones eo fine institutæ, & ab Ecclesia probatæ sint, ut Canonicorum aliorumque Clericorum in frequentandis Horis canonicis negligentia puniatur, & mulctetur; ne *qua in parte*, ut loquitur Synodus Tridentina, *diminuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium præstetur*, quis hinc consequi non videt, eas non aliquibus duntaxat, sed omnibus horis, id est, integro officio divino esse assignandas; ut hoc pacto fiat, ne *qua in parte* cultus divinus diminuatur seu negligatur; nec Canonici suæ impunè desint obligationi.

De hac Synodi Tridentinæ sententia non dubitans S. Carolus in Synodo Mediolanensi IV. *parte* 2. *cap.* 13. statuit; „Ut etiam in Ecclesiis vel Cathedralibus vel Collegiatis, quam„vis reliquis divinis officiis congruus quotidianarum distribu„tionum census assignatus sit, *aliquibus* tamen *canonicis Ho„ris*

„ *ris* aut cæteris officiis, etiam extraordinariis, quavis auc-„ toritate institutis, nullæ quotidianæ distributiones adscriptæ „ attributæve sint, aut si attributæ sint, exiguæ illæ quidem, „ atque usque adeò tenues, ut verisimiliter negligantur; in „ iis Episcopus vel de communi residentiæ, distributionum-„ que quotidianarum censu, si ampliùs sit, certam portionem „ arbitrio suo congruam, Capituli ac reliquorum, qui ejusdem „ censûs participes sunt, consensu detrahat, eamque ipsam „ statam *unicuique* ex illis canonicis Horis officiisve attribuat, „ adscribatve perpetuo, vel omninò ipse auctoritate & facul-„ tate sibi ab eodem Tridentino Concilio data, quemadmo-„ dum etiam à sancta Sede Apostolica declaratum est."

Quod hîc asseritur à S. Sede Apostolica declaratum esse, ei conforme est, quod refert Garcias *de Beneficiis part.* 3. *c.* 2. *num.* 489. censuisse S. Congregationem, „ distributiones „ quotidianas, quæ acceptæ fuerunt ex tertia parte fructuum „ dignitatum alicujus Ecclesiæ, assignari debere non duabus „ Horis tantùm Canonicis, sed etiam *reliquis omnibus aliis*, „ quibus qui non interfuerint, distributionem amittant."

Conformiter proindè ad mentem Concilii Tridentini Synodus Mechl. P. II. *tit.* 2. *cap.* 2. „ Ut minores Horæ non „ negligantur, voluit, ut pro illis certæ distributiones assig-„ nentur, aut minores illæ Horæ majoribus adjungantur; in ma-„ joribus illis Horis nemo distributionibus gaudeat, nisi qui „ in minoribus quoque Horis debitè interfuerit."

IV. Ulteriùs ipse distributionum quotidianarum scopus, & institutionis ratio sat ostendunt, eas non deberi nisi illi, qui actualiter integrè & completè Horis Canonicis assistit. Unde Synodus Basileensis declaravit, *Sess.* 21. *cap.* 4. „ Ut qui in „ Matutinis ante finem Psalmi, *venite exultemus*; in aliis Ho-„ ris ante finem *primi Psalmi*, in Missa ante ultimum *Kyrie* „ *eleison* usque in finem divino Officio non interfuerit, nisi „ fortè necessitate cogente, ac petita ac obtenta à Presiden-„ te chori licentiâ discedere oporteat, pro illa Hora absens cen-„ seatur: salvis, ait Ecclesiarum consuetudinibus, si quæ for-„ tè circa hoc exactiores existunt."

Et patres Concilii Moguntini anno 1549. *c.* 72. „ Anima-„ rum periculo obviare, & Ecclesiarum necessitati consulere vo-„ lentes, decreverunt & ordinarunt, ne quotidianæ distribu-„ tiones ad brevissima quædam momenta, puta ad lectionem „ Epistolæ, seu unius Psalmi aut responsorii; sed *integris ac* „ *totis Officiis & Horis assignentur*, & iis modò tribuantur „ qui officiis divinis, de quibus hæc emolumenta dantur, *ab ini-*„ *tio ad finem* interfuerint.... Quibuscunque irrationabilibus, aut „ pravis consuetudinibus (quæ potius corruptele censendæ sunt) „ non obstantibus."

Eundem abusum Synodi Belgicæ pariter damnant, & quidem Mechliniensis P. II. *tit.* 12. *c.* 4. ait: „ Careant distri-„ butionionibus, qui ante *Gloria Patri* primi Psalmi cujus-„ que oficii *usque ad finem* eidem officio actualiter non intersunt."

Synodus verò Diœcesana anno 1609. *tit.* 11. *cap.* 10. hoc Concilii Provincialis decretum renovans addit: „ Iis dis-„ tributionibus quoque privari volumus, qui in Missis voti-„ vis & anniversarium, quæ ex fundatione sine commenda-„ tionibus canuntur, ante primam Collectam; in vigiliis ve-„ rò ante finem secundi Psalmi Vesperarum, & in commen-„ dationibus ante initium Psalmi, *In exitu*, usque ad finem „ non intersunt."

Uno verbo distributiones ex mente Ecclesiæ ita ordinandæ ac dispensandæ sunt, ne qua in parte cultus divinus minuatur, sed divinum officium in omnibus suis partibus, tam majoribus, quam minoribus integrè & ordinatè ab omnibus persolvatur.

CAPUT VIII.

Distributiones non sunt institutæ, ut propter eas Divinum Officium frequentetur.

1 *Multis rationibus improbatur Officium intuitu distributionum frequentare.*
2 *Ratio prima.*
3 *Secunda.*
4 *Tertia.*
5 *De simonia redduntur suspecti, qui principaliter ob distributiones frequentant.*
6 *Indicia è quibus cognoscitur, num* principaliter *ob distributiones quis frequentet.*

I. Distributiones quotidianas instituit & probavit Ecclesia, ut Clericorum in persolvendis divinis Officiis negligentius aut tepor, earum privatione mulctaretur. Ipsique hac mulctæ comminatione ad diligentiorem & ferventiorem divini Officii persolutionem excitarentur, nequaquam verò, ut Canonici earum lucrandarum causâ ad divinum Officium accederent, sive eo principaliter animo divino Officio interessent aut ad illud frequentandum moverentur, ut distributionum illarum lucro gaudere possent.

II. Scit enim Ecclesia, *voluntariè* sacrificium laudis Deo esse offerendum, juxta illud Psalmistæ à Canonicis quotidiè pronuntiandum, *Voluntariè sacrificabo tibi.*

At „ si propter aliud laudes Deum, ait S. Augustinus, in „ *Ps.* 53. *ex necessitate laudas.* Si adesset tibi quod amas, non „ laudares Deum: Vide quid dicam? Laudas Deum, v. g. ut „ tibi det amplam pecuniam, (ut distributiones accipias) si „ aliunde haberes amplam pecuniam non à Deo, nunquid lau-„ dares Deum? Si ergò propter pecuniam laudas Deum, non „ *voluntariè* sacrificas Deo, sed *ex necessitate* sacrificas, quia „ præter illum nescio quid aliud amas."

Qui ergo divinas laudes Deo persolvit, Horasque canonicas frequentat, ut distributiones lucretur, non frequentaturus, si earum lucrum non speraret, aut aliunde habere posset, convincitur non *voluntariè*, sed *ex necessitate* Deum laudare, sive divinum officium persolvere.

III. Ulteriùs, novit Ecclesia illud jam pridem ab eodem Doctore pronuntiatum: „ Quæcunque res propter aliud aliquod „ quæritur, sine dubio inferior est (nimirùm appretiatione quæ-„ rentis) quàm id, propter quod quæritur: & ideò illud pri-„ mum est propter quod rem istam quæris, non ista res, quam „ propter istud quæris. Quapropter si Evangelium & regnum „ Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum, & „ posterius regnum Dei."

Qui ergo Officium divinum quærit, seu frequentat propter materiales has distributiones, convincitur pluris æstimare distributiones, quàm ipsum divinum Officium; & priores facere distributiones, quam Officium divinum.

IV. Quinimò, qui eo animo Horas canonicas frequentat, spiritualibus terrena mercari convincitur: nam, ut ait S. Bernardus, „ qui Officium ecclesiasticum quærit, aut eo tenet ani-„ mo, eoque intuitu, ut huic vitæ habeat necessaria, *perver-*„ *so nimis ordine cœlestibus terrena mercatur.*

V. Cùm igitur ratio simoniæ in hoc præcipuè consistat, quòd morali agendi modo, res spirituales temporalibus æquiparentur, aut postponantur; ipsaque spiritualia ut medium ad obtinendum temporalia ordinentur, non dubitant Canonistæ post Glossam in *c. unic. de Clericis non resid. in VI.* comdemnare *Simoniæ mentalis Canonicum, qui interest Officio divino principaliter pro denario.*

Quid de eo senserint Patres Synodi Coloniensis an. 1536. discant Canonici ex iis, quæ *parte* 3. *cap.* 13. tùm optando, tum hortando & comminando Canonicis proposuerunt: „ Uti-„ nam, inquiunt, optando à Deo Opt. Max. consequi possi-„ mus, ne quisquam *lucri causâ* divinis interesset, *alioqui non* „ *accesurus sacra*, veluti quem nummi magis, quam Dei amor „ in templum trahit, quæstum pietatem esse putantem; qui non „ dubium, ex numero eorum est, de quibus Isaias dixit: *Om-*„ *nes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Nec multùm „ is abest (uti plerisque doctissimis viris placuit) *ab horrendo* „ *crimine Giezi, qui existimavit divinum munus pecuniâ re-*„ *dimendum.* Quare viderint Clerici nostri, ut eorum mens & „ intentio tota in Deum referatur, ut cum David confiteantur: „ *Deo in directione cordiis ac in labiis suis pronuntient omnia* „ *judicia oris ejus.* In via etiam testimoniorum Domini delec-„ tentur, sicut in omnibus divitiis. Optandum ut Psalmus il-„ le 118. qui toties non sine causa in Ecclesiis replicatur, ore „ simul & corde, respondente singulis verbis mente decantetur, „ & cum eodem Psalte ex animo dicatur: voluntariè *sacrifica-*„ *bo tibi & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.* „ non adimit Christus, sed decernit operanti suam mercedem, „ *Dignus est enim operarius mercede sua, & qui altari deser-*„ *vit, de altari & vivet.* Sed interim cogitare debet Clericus *se* „ *vivere non ut edat, sed edere ut Christo vivat*, habereque „ semper reconditum Christi verbum: *Primum quærite regnum* „ *DEI & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*"

Similiter Stephanus, Episcopus Parisiensis dubitâsse non videtur, Simoniam mentalem committi à Clericis, qui divinum Officium ob solam spem materialium distributionum frequentant: „ Prohibemus vobis omnibus, (inquit in sua Synodo) *ne com-*„ *mitatis Simoniam etiam mentalem, adeundo ad divinum Of-*„ *ficium sub spe materialium distributionum.*"

VI. Quis verò censeri debeat *principaliter* Horis Canonicis propter distributionem interesse, licèt id ab interiori animi affectu dependere videatur, frequenter tamen non obscura occurrunt externa indicia, hanc animi constitutionem pandentia.

Si v. g. Canonicus Horas illas solicitè frequentet, quibus distributiones majores sunt annexæ, illas verò quibus nullæ aut exiguæ constitutæ sunt, sine justa causa passim negligat, nullamque illas frequentandi sibi curam esse ostentat; indicium erit non obscurum, quòd Horas non amore Religionis, sed amore pecuniæ frequentet, easque tanquam medium ad distributiones ordinet. Canonicus quoque, qui mox ut officium, cui distributionum lucrum annectitur, est absolutum, è choro dis-

ce-

cedere solet, neglecto officio quod distributiones non pendit, tametsi etiam immediatè sequatur, difficulter se à suspicione simoniaca liberabit.

Quapropter Pius Parisiensium Cantor simoniæ arguit Clericos, qui nolebant festum S. Stephani postulante quodam Prælato, ritu duplici cantari: „ Nisi unà pastum & refectionem an„ nuam Clericis promitteret, insuper nummos matutinales illius „ noctis duplicandos; ut sic celebrarent potiùs festum nummi „ duplicati, quàm festum S. Stephani..... Quibus sunt similes, „ pergit Petrus Cantor, quidam in Ecclesia psallentes & pro „ pretio cantantes, quibus pecunia disciplina est, nummus De„ canus, ac etiam Deus; qui idololatræ sunt, nummum po„ tiùs adorantes, quàm Deum: *Non aliàs Deo cantaturi, nisi „ propter nummum.*“

Subdit deinde prædictus Auctor: „ Quid viliùs quàm duas „ Horas in Ecclesia quadam (quia ad illas decantandas non est „ constituta certa pecunia) à Laicis dici *Horas Domini, cæte„ ras denarii*, imò diaboli; imò ad has Horas decantandas & Ho„ ras Beatæ Virginis non adsunt Clerici, sed præsentes in aliis, „ ab his fugiunt, ut nullum opus sibi *vendicet in Ecclesia Spi„ ritus Sanctus, cum nihil gratis in ea fiat, sed omne sibi ven„ dicet nummus.*“

Si hodie superesset Petrus, in multis reperiret Ecclesiis, quòd in una se reperisse deplorat, & quasdam Horas Vicariorum, quasdam Canonicorum & Capellanorum, non immeritò appellandas videret.

Nonne cum magno divini Officii dedecore conspicitur à duobus tribusve Vicariis Horas illas passim cursim, & sincopando decantari, quibus decantandis nullus nummus est constitutus? Nunquid qui diligunt decorem domus Dei, magno animi dolore videre coguntur Canonicos, Cappellanos aliosque Clericos ex Horis canonicis, quibus distributiones quotidianæ sunt assignatæ, penè non absolutis, quasi aufugere, & ad plateas aut consortia confabulationis causâ se conferre, interim illa officii parte, quæ distributione caret, neglecta?

CAPUT IX.

De Residentia Canonicorum.

1 *Omnia beneficia de Jure communi residentiam requirunt.*
2 *Ex decreto Concilii Trid. Canonici ad residentiam tenentur.*
3 *Quid sit residere.*
4 *Canonici integro divino Officio assistere debent.*
5 *Sine causa nequidem tres menses abesse posunt.*

I. CUm beneficium detur propter officium, *cap. fin. de Rescriptis in IV.* nullum ad beneficium esse assumendum, nî unà in eo loco resideat, ubi officium obire possit, jure cautum est: ideoque ut rectè post alios Canonistas notat Fagnanus ad *caput, Conquerente,* ✠ *de Clericis non resid.* „ Beneficium quantumcunque minimum, puta viginti solidorum, „ ex quo habetur pro titulo, de jure communi *personalem* re„ sidentiam requirit, adeo ut non residens beneficio privari de„ beat.“ Hæc Fagnanus, qui addit. „ Iste textus (scilicet ci„ tatum caput, *Conquerente*) optimè probat beneficium quan„ tumvis tenue, de jure communi obligare ad *personalem* re„ sidentiam.“

II. Igitur juxta disciplinam juris communis, Canonicos ad *personalem* residentiam astringi dubitari nequit. Quam æquissimam, atque intentioni fundatorum planè conformem disciplinam tempore Synodi Trident. multùm prolapsam, restaurare desiderans eadem Synodus, statuit *Sess. 24. cap. 12. de Reform.* „ Quod obtinentibus in Cathedralibus aut Collegiatis Ecclesiis „ dignitates, canonicatus, præbendas aut portiones, non li„ ceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres men„ ses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilomi„ nus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii „ tempus requirunt.“

Cum Synodus hanc novem mensium residentiam requirat, non obstante quocunque statuto, aut quacunque consuetudine contraria, rectè respondit S. Congregatio referente Fagnano *ad cap.* LICET, ✠ *de Præb. num. 32.* „ Eo decreto sublatam es„ se consuetudinem *immemorialem* vacandi ultra tres menses à „ servitio chori.“

III. *Residere* autem juxta mentem Canonum, & Synodi Tridentinæ, „ Est cum effectu Ecclesiæ in divinis deservire; „ nam residentia, ait Fagnanus *loco citato, num. 24.* debet es„ se laboriosa, non desidiosa, cum beneficia ad divinum cul„ tum & ecclesiastica munia obeunda sint constituta. Quid enim „ prodest præsentia in loco, inquit Glossa *ad cap. unic. de „ Clerico non resid. in VI.* ex quo divinis non adsunt.“

IV. Ut ergo Canonici dicantur residere ad mentem sacrorum Canonum, tenentur divino Officio non tantùm pro parte, sed integro assistere, alias enim pro parte duntaxat residerent, Unde cùm fuisset quæsitum à S. Congregatione, an valeret statutum, ut unâ vel duabus horis interessentes lucrentur massam grossam, sive præbendam, amissis distributionibus quotidianis, responsum est, non valere. Fagnanus dicto loco, *n. 35.*

Rectè proinde notavit Joann. Wiggers de jure & justitia, *tract. 7. c. 3. dub. 20. n. 90.* quòd „ Beneficiati, qui præbendas „ habent liberas sine alio officio, v. g. docendi, concionandi, „ audiendi confessiones, aut simili onere non gravatas, ut ri„ tè peragant suam residentiam, non sufficit quòd in die inter„ sint semel officio chori, etiamsi forsitan ex consuetudine Ec„ clesiæ permittantur tales gaudere proventibus cum aliis, sed „ debent interesse divinis Officiis omnibus, ita ut à peccato „ mortali non videantur excusandi illi, qui justa cessante causa „ absentant se ordinariè ab uno aut pluribus officiis.

„ Probatur, quia ordo Canonicorum maximè, non Cathe„ dralium, est in Ecclesia principaliter institutus, ut ipsi ho„ ris nocturnis, & diurnis Deum in psalmis, hymnis, & can„ ticis spiritualibus laudent, pro beneficiis gratias agant, iram „ Domini precibus & intercessione sua à populo avertant; & „ exequantur illud Prophetæ Joëlis cap. 2. *Inter vestibulum & „ altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent, par„ ce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in „ opprobium, ut dominentur eis nationes*: quo nomine liberalem „ passim ex bonis Ecclesiæ obtinent sustentationem. Unde ex of„ ficio suo, & ex seria Ecclesiæ voluntate obligantur ita sedulò „ curare & prestare.“

„ Dixi, inquit Wiggerius, qui habent præbendas liberas, „ quia in his, qui habent alio onere gravatas, Ecclesia qua„ si commutavit officium chori in aliud munus sibi & popu„ lo magis necessarium aut magis utile; quare hi meritò ab „ officio chori sunt excusati.“

V. Denique notandum, concessionem sive permissionem absentiæ ad tres menses, cujus meminit Synodus Trident. non sic esse accipiendam, quasi Canonici liberè & licitè abesse possint à choro tanto tempore pro mero libitu; sed hoc sensu, quòd tanto tempore abesse possint ex honestis causis absque speciali licentia superioris; sive quòd illius absentiæ causa legitima permittatur conscientiæ Canonicorum. Imò Synodus propriè nullum tempus absentiæ dedit aut constituit, sed tantùm prohibuit, ne longiori, quàm trium mensium spatio abessent; sive, ut ait Fagnanus, non processit *concedendo*, sed *prohibendo.*

CAPUT X.

De causis excusantibus a residentia.

1 *Facilius à residentia excusantur Canonici quàm Pastores.*
2 *Canonici in servitio Episcopi occupati à residentia excusantur.*
* *De Canonico in servitio Episcopi.*
3 *Non requiritur licentia Capituli.*
4 *Tantùm duo & quidem simplices Canonici cum hoc privilegio assumi possunt.*
5 *Absentia studiorum causâ à residentia excusatur.*
6 *De jure communi requiritur licentia Episcopi, secùs de consuetudine.*
7 *Debent absentes incumbere studio S. Theologiæ aut Sacrorum Canonum.*
8 *Debent transmittere litteras testimoniales de progressu in studiis, & quid hæ continere debeant.*
9 *Litteræ testimoniales non temerè concedendæ.*
10 *Privilegia hæc restringuntur ad Beneficia speciali titulo personale servitium non requirentia.*
11 *Clerici studiorum causa absentes observare debent statuta de vita & honestate Clericorum.*
12 *Familiares & domestici Regis à residentia excusantur.*
13 *Limitationes hujus privilegii.*
* *Restrictiones privilegii recipiendi fructus in absentia.*
14 *Notanda circa causas absentiæ.*
15 *Solent restringi dicta privilegia ad fructus grossos.*

I. QUamvis Canonicos ad residentiam, & personale obsequium in Ecclesia cui sunt adscripti, obligent sacri Canones, ipsumque canonicale officium, nihilominùs esse legitimas nonnullas causas, quæ absentiam licitam faciant, ipsosque Canonicos, à pœnis contra absentes decretis eximant, constat; imò frequentiùs posse esse causam sufficientem, ut Canonicorum absentia sit legitima, quàm parochorum aut aliorum curam animarum sustinentium, dubium non est: tum quod ex illorum abesentia non sit metuendum tantum, quantum ex horum, animarum & Ecclesiæ nocumentum; tum quod illorum faciliùs, quam horum absentia, aliorum præsentia suppleri possit.

II. Sic Canonicis, donec in servitio Episcopi fuerint ne quidquam subtrahatur, quod de communitatis sibi beneficio debetur, respondit Alexander III. *in cap. 7.* ✠ *de Clericis non resid.* Ratio est: „ quia absentes ab Ecclesia pro servito Epis-

co-

„ copi, ubi servitium est necessarium vel utile Ecclesiæ, & „ respicit Episcopum, quatenus Episcopum, juris censura, ait „ Fagnanus *ad dict. cap. 7. num.* 12. reputantur præsentes & „ censentur inservire Ecclesiæ.... Et servitium Episcopi qua„ tenus Episcopus est, censetur quasi servitium Ecclesiæ cui „ præsidet, cum Ecclesia sit in Episcopo. "

* Non dubitatur, quin si Episcopus ad hanc instructionem judicet sibi necessarios aliquos è Canonicis, eosque illum in finem sibi assumat, hosce Canonicos debere reputari existentes in servitio Episcopi, eoque titulo possent conformiter ad jus commune fructibus suæ præbendæ in absentia gaudere.

Quapropter non sine fundamento judicatum est anno 1640. in Consilio privato Parisiensi Canonicum deputatum ab Episcopo ad obeundam missionem & prædicationem, debere reputari præsentem in choro, prout refertur in actis Cleri Gallicani, *tit. 1. cap. 2. §. 27.*

III. Et quidem Canonicos in servitio Episcopi, etiam sine consensu Capituli, fructus in absentia lucrari, neque Episcopum teneri Capitulo probare utilitatem Ecclesiæ communiter notant Canonistæ: id tamen ad *duos*, uno consensu limittant auctoritate responsi Honorii III. in *c. 15. de Cleric. non resid.* Quamvis ergo supra citatum *c. 7.* loquatur simpliciter de Canonicis sine ulla numeri præfinitione, tamen declarari & restringi debet, inquit Fagnanus, per dictum cap. 15. *quod specialiter loquitur de* duobus, *idque Ecclesiarum usus approvabit.*

IV. Ulterius si Canonicus in servitio existens Episcopi præter canonicatum in eadem Ecclesia dignitatem obtineret, ratione cujus ad speciale aliquod & personale servitium obligaretur, non posse occasione hujus servitii fructus illius dignitatis absens percipere, nec à residentia eximi; ut judicatum refert Carolus Fevret, tract. *de Abusu lib. 3. cap. 1. num.* 13. ibidem notans, Episcopos tantùm posse assumere in suum servitium duos simplices Canonicos suæ Ecclesiæ, qui hoc privilegio gaudeant.

V. Secunda eaque hodie usitatissima absentiæ causa, est studium in Universitate publica & probata: „ Studentes in theo„ logiæ Facultate, ait Honorius III. in *cap. fin.* ¤ *de Ma„ gistris*, intergrè per annos quinque percipiant de licentia „ Sedis Apostolicæ proventus præbendarum & beneficiorum suo„ rum non obstante aliquâ contrariâ consuetudine. " Quin & Innocentius III. prædecessor Honorii, Canonicis esse indultum gratia studiorum, ut in absentia percipiant fructus suarum præbendarum, respondit in *c. 12.* ¤ *de Cleric. non resid.* Voluitque & ipsa Synodus Tridentina *Sess. 5. c. 1. de Ref.* „ Ut „ Scholares qui in ipsis Scholis student, privilegiis omnibus „ de perceptione fructuum Præbendarum & Beneficiorum, in ab„sentia à jure communi concessis, plenè gaudeant, & fruantur."

VI. Si jus commune spectemus, ut quis studiorum causa absens fructus percipiat, requiri expressam licentiam Episcopi communiter docent Canonistæ; & fusè probat Fagnanus ad *cap. Cum ad hoc* ¤ *de Cler. non resid.* „ Ideo autem est „ necessaria Episcopi licentia, quia cùm trasmittendi ad studia „ litterarum debeant esse dociles, Episcopus debet sedulò dis„ quirere, an sint ætate, naturâ & ingenio tales, qui possint „ in litteris proficere, & hos tantùm licentiare. "

Verùm cùm & privilegia Universitatibus Belgii indulta, ipsaque Concilia passim generaliter studiorum causa absentibus fructus beneficiorum in absentia indulgeant, praxis Belgii hanc Ordinarii licentiam non requirit; & ita quoque servari refert Rebuffus in praxi Benef. *p. 2. de Disp. de non resid. num.* 25. & judicatum ait Fevret loco citato; qui & ibidem monet, hoc privilegium non concedi, nisi sub certis conditionibus, quarum prima hæc est, quòd ii soli hoc gaudeant privilegio, qui ad publicas Universitates mittuntur, ut studeant Theologiæ, vel SS. Canonibus.

VII. Et sanè cum Theologica & SS. Canonum scientia, penè unica sit Canonicorum & Clericorum vocationi conveniens; ideoque *sola Clericorum Scholastica disciplina vocetur*, meritò requiritur, ut illi operam suam navent. Unde S. Carolus in Concilio Mediol. I. *p. 2. c. 27.* recipientibus fructus in absentia causa studiorum imposuit hanc legem, „ verè in publico, ce„ lebrique gymnasio *Theologiæ vel SS. Canonibus* studeant."

Huic consonat praxis Curiæ Romanæ, quæ concedens licentiam absentiæ studiorum causa opponit hanc clausulam: „ Ora„ tor operam in aliqua approbata Universitate studii generalis, „ seu gymnasio publico, studio *Theologiæ* aut *Decretorum*, ac„ tu navare teneatur." Pirrus Corradus de Dispens. *lib. 5. c. 6.*

VIII. Altera eaque notanda conditio est, quòd teneantur residentes in Universitate singulis semestribus, aut ad minus singulis annis, Episcopo, aut Capitulo litteras testimoniales sui Regentis seu Professoris de progressu in studiis exhibere.

Et quidem S. Carolus in Concilio Mediol. I. *p. 1. c. 27.* statuit, ut ii, qui studiorum causa absunt, „ singulis sex mensi„ bus Episcopo scriptum sui Doctoris exhibeant, quo is ipsos „ in eo studii genere proficere testetur, quod etiam Episcopus „ secretò ab aliis cognoscere studeat."

Similiter Patres Concilii Tolosani ann. 1590. *p. 1. c. 2. §. 5.* volunt, „ ut studentes Canonici temporis fideliter exacti stu„ diorumque progressus Capitulum singulo anno admoneant. „ Cujus rei statim à Capitulo Episcopus certior fiet."

Synodus quoque Coloniensis anno 1549. *p. 1. c. 5.* loquens de Canonicis ad Universitates studiorum causa mittendis, adjicit hanc cautionem, „ dum tamen certis testimoniis singulis an„ nis ad collegia mittendis constet, nec perversis moribus eos „ deditos, nec studia vana, quæ ad Ecclesiæ ædificationem non „ conducant, sectari; committendum enim non est, ut Divi„ no cultui dicata stipendia, in hujusmodi Canonicos discolos „ erogentur."

Eodem collimant litteræ testimoniales, quas sigillo Universitatis munitas à Canonicis aliisque Clericis studentibus singulis annis exhiberi vult Synodus Mechl. P. I. *tit. de Vita & Honest. Cleric. cap. 4.* quæ & præcipit, ut litteræ illæ quoque testentur, utrum Clerici studentes utantur vestitu Ordini suo & vocationi congruo.

Ex his evidens est, hoc studentinum privilegium eo unicè collimare, ut Ecclesia aliquando egregios, & eruditos Ministros & operarios habere queat: ut proinde nullatenus improbandum sit, quod judicatum in Parlamento Tolosano refert Tornet, *litt. C. c. VIII.* ut si Canonicus studens in Universitate postmodum transeat ad statum matrimonialem, aut nolit esse professione Ecclesiasticus, Capitulum posset repetere fructus perceptos.

IX. Ex his facilè intelligitur litteras testimoniales Clericis studentibus à Doctoribus, aut Universitate non esse annuendas, nisi prævio examine constet de eorum in studiis diligentia & progressu: ne aliàs per hujusmodi testimonia Episcopis & Capitulis imponatur.

X. Solent denique hæc absentiæ privilegia restringi ad Canonicatus & Beneficia, quæ speciali titulo *fundationis* non exigunt aliquod *personale* & particulare servitium; uti aliquoties in contradictorio judicio decissum fuisse testatur Fevret loco citato; & addit, nonnunquam numerum Canonicorum volentium abesse studiorum causa restrictum fuisse ad duos aut quatuor pro majore vel minore numero Canonicorum præsentium; ne aliàs officium Divinum aliaque Ecclesiæ munia absolvi non possent. Vide etiam Brodeau in notis ad Louëtium, *litt. C. cap. 6.*

XI. Denique meminisse oportet Canonicos in Academia studiorum causa versantes, quod Canones, ac Romani Pontifices pro tempore quidem eos à personali residentia absolvant, ut commodiùs majorique otio studiis incumbere queant, scientiamque suæ vocationi congruentem comparare; nequaquam tamen eos eximant ab observatione eorum, quæ de *vita & honestate Clericorum* Canonibus decreta sunt, nullumque studiis impedimentum ingerunt.

Quapropter voluêre Patres Synodi Mechl. P. I. loco citato: „ Ut Clerici qui in Academiis aut Scholis majoribus vel „ minoribus vivunt, & in alio quàm in sui beneficii loco re„ sident, intra mensem à die publicati hujus Concilii Provin„ cialis, corona, pileo, caligis, & vestitu ordini suo & vo„ cationi congruo utantur," cujus rei etiam in litteris testimonialibus singulis annis transmittendis mentionem fieri mandat.

XII. Plures alias, tùm ex jure communi, tùm ex privilegiis particularibus causas absentiæ recensent Doctores; & quidem Glossographus ad Sanctionem Pragmaticam titulo *Qualiter Horæ sint dicendæ*, Verbo *Teneantur*, dicit: „ Ex privi„ legio Pii II. Mantuæ concesso, Capellani, Clerici familiares „ & domestici Regis & Reginæ, in eorum servitio, perci„ piunt grossos fructus suorum beneficiorum, tanquam si in „ iis residerent, non obstante, quod non fecerint primam re„ sidentiam ex statuto."

XIII. Verùm hoc privilegium probans Parlamentum Parisiense in favorem Capellanorum Capellæ Regiæ, illud limitavit, inquit Fevret, tract. *de Abusu, lib. 3. cap. 11.* ad fructus grossos, & tempus servitii. Et litteræ Regiæ quibus Capellanis Oratorii Regii conceditur jus percipiendi fructus in absentia, nominatim excipiunt distributiones quotidianas. Plurima judicata occasione hujus privilegii videre licet apud Brodeau in notis ad Louëtium, *litt. C. cap. 32.* & *cap. 24.* eodem privilegio gaudere asserit Consiliarios Ecclesiasticos supremorum Parlamentorum tanquam domesticos regios, quique Regi in administranda justitia continuò assistant; atque hoc titulo anno 1641. Consilium privatum adjudicavit Eustachio l' Escuyer, Canonico Tornacensi & Consiliario Eclesiastico in Senatu Montensi, fructus suæ Præbendæ in absentia, ut refertur in Registro M. S. Archiepiscopatûs Mechliniensis, *Centuria 2. art. 35.* Hoc tamen privilegium, ut & præcedens, non habere locum in beneficiis curam animarum habentibus, aut ex fundatione particulare & personale officium requirentibus, sæpius judicatum testatur Choppin. in Monastico, *lib. 2. cap. 3.* & de Polit. Eccles. *lib. 3. tit. 3. num. 20.*

Idem privilegium Principum nostrorum domesticis & Capellæ Burgundiæ Capellanis concessum esse nostrates asserunt, & praxis comprobat; de quibus vide Zypæum in jure novo, *tit. de Cleric. non resid. num. 19.*

Pri-

* Privilegia absentiæ, Consiliariis & Capellanis Regiis concessa, cum ea moderatione & restrictione intelliguntur, ut numerus præsentium judicetur sufficiens divinis officiis ritè persolvendis.

Hinc in Actis Cleri Gallicani, *tom. 2. part. 2. tit. 14. c. 12.* refertur judicatum per Parlamentum Parisiense die 4. *Martii* 1614. non posse esse in eadem Ecclesia ultra *quatuor* Canonicos, qui dispensentur à residentia causa studiorum.

Et cap. 10. ibidem refertur Arrestum Consilii privati datum in judicio contradictorio die 10. *Junii* 1685. quo imprimis declaratum est, Consiliarios Clericos, nec non Officiarios Capellæ Regiæ de Canonicatu provisos, obligatos esse residere extra tempora exercitii suorum officiorum.

Præterea declaratur: quòd in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, quæ non pertinent ad provisionem suæ Majestatis, nonnisi *duo* queant esse privilegiati dictæ Capellæ Regiæ; & in Ecclesiis ad collationem suæ majestati spectantibus non ultra *quatuor*.

Imò licet numerus Canonicorum ascenderet ad 40. non possent tamen esse ultra *sex* lucrantes fructus suarum præbendarum in absentia, absque distributionibus manualibus, quæ præsentibus affectæ remanebunt.

XIV. Porrò circa hæc aliaque privilegia Canonicos, aliosque Ecclesiasticos à residentia eximentia observandum, illa esse species quasdam dispensationis; ideoque iis utentes expendere debent, num sit sufficiens causa iis utendi, id est, ea Ecclesiæ utilitas aut necessitas, quæ compenset incommodum ex non residentia proveniens: nimirùm quod fructus destinatos hujus particularis Ecclesiæ minister percipiat, cùm nullum interim huic Ecclesiæ officium impendat; ac insuper ministro privet, quem habere posset, si beneficium quod absens retinet, dimitteret.

XV. Denique notandum, plerasque causas sive de jure communi, sive ex privilegio à residentia excusantes restringi ad *fructus grossos* in absentia percipiendos, pauciores verò esse, quæ & quotidianas distributiones comprehendant, de quibus capite sequenti.

CAPUT XI.

De causis legitimis recipiendi distributiones in absentia.

1 *Distributiones jure communi absentibus vix unquam conceduntur.*
2 *Corporalis infirmitas, aut Ecclesiæ utilitas non sufficit, nisi concurrat consuetudo.*
3 *Consuetudo Belgii nonnihil laxior quàm Jus commune.*
4 *An audientes confessiones, & celebrantes tempore Divini Officii gaudeant distributionibus.*
5 *An publicè docentes tempore Divini Officii.*
6 *Quibus cedant distributiones absentium.*

I. SI jus commune spectemus, nonnullæ causæ quidem ut legitimæ probantur, ob quas Canonici aliique similes Beneficiati à residentia excusentur, fructusque beneficiorum etiam absentes percipiant; sed penè in omnibus cum restrictione ad solos fructus *grossos*, suæ præbendæ, ut vocant, exclusis distributionibus quotidianis, quæ *victualia*, *vel manualia* dicuntur, eò quòd in manum præsentem quasi tradantur, quæ de jure communi vix ulli absenti concedi reperies; adeò ut etiam si quis rescriptum sive privilegium à Sede Apostolica obtinuerit de percipiendis fructibus cum clausula, *ac si præsens esset*: „ Nihilominus, ait Fagnanus ad *cap.* LICET, „ *de Præb. num.* 101. distributiones non deberentur. Nam „ harum distributionum ea est natura propria, ut debeantur „ his tantùm, qui *verè* intersunt officiis divinis, non autem „ his, qui fictè resident, aut juris interpretatione."

Similiter Synodus Tridentina, *Sess. 24. cap. 12. de Ref.* statuit: „ ut distributiones, qui statis horis interfuerint, reci„ piant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his „ careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit, *Con„ suetudinem*, quod S. Synodus in usum revocat, non obstan„ tibus quibuscunque statutis & consuetudinibus."

II. Nulli ergo nisi *actualiter* Horis Canonicis interfuerit, ex mente Concilii Trid. distributiones concedendæ sunt, idque juxta Decretum Bonifacii VIII. à Synodo innovatum: quod Decretum relatum in *cap. unico, de Clericis non resid. in VI.* reprobat tanquam corruptelam omnem consuetudinem concedentem distributiones quotidianas aliis, quàm qui *actualiter* & *verè* horis canonicis interfuerit, *exceptis illis*, ait, *quos infirmitas, seu justa & corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret.*

Hac exceptione nequaquam intendit Pontifex, distributiones concedendas iis omnibus, qui ex evidenti Ecclesiæ utilitate absunt, aut quorum absentiam utilitas Ecclesiæ aliunde compensat, & excusat; sed solùm vult, non esse improbandam consuetudinem, aut ordinationem Ecclesiæ, distributiones absentibus annuentem, si modò vel infirmitas corporalis, aut evidens Ecclesiæ utilitas concurrat.

Quis enim dubitet, in Ecclesiæ utilitatem cedere, ut Canonici in regimine Diœcesis Episcopo assistant, & inserviant? & tamen si jus commune spectemus, distributiones eis absentibus non debentur. Similiter negari nequit, quin absentia Canonicorum studiorum causa cedere possit in Ecclesiæ utilitatem, & tamen distributiones quotidianas nemo eis assignat.

Ut ergò de recipiendis in absentia distributionibus rectè judicemus, non tantùm inquirendum, an corporalis infirmitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas absentiam excuset, sed an etiam aliqua Ecclesiæ ordinatio vel consuetudo concurrat.

Ita in plerisque Ecclesiis absentes ob corporis infirmitatem lucrantur distributiones illarum Horarum, quibus dum sani sunt, interesse solent. Et licèt Bonifacius VIII. in citato *cap. unico*, idem velit observari quoad distributiones in defunctorum anniversariis largiendas, tamen in nonnullis Ecclesiis Canonici absentes ob corporalem infirmitatem accipiunt distributiones Horarum, & non anniversariorum; ut proindè id à consuetudine cujusque Ecclesiæ maximè dependeat.

III. Similiter, licèt de jure communi tantùm gaudeant distributionibus, qui occupantur in negotiis Ecclesiæ suæ, nihilominus consuetudo Ecclesiarum Belgii habet, conformiter ad Synodos Provinciales, intelligi „ in Ecclesiæ nego„ tiis occupari non solum eos, qui Capituli, vel Fabricæ „ negotia tractant, verba sunt Synodi Mechl. P. I. sed & Epis„ copum, Archidiaconum, Pœnitentiarium, atque illos omnes, „ qui propria dignitatum, vel præbendarum suarum munia „ obeunt, aut Episcopis ordines conferentibus, visitantibus, ac „ in aliis Episcopatus negotiis occupatis adsunt, vel aliquo „ ab eis missi consilium & operam suam impendunt, quos, „ ait, pro tempore (fraude & dolo seclusis) decernit pro præ„ sentibus reputari, & omnibus emolumentis gaudere debere, „ sicut si *personaliter* divinis interessent." *Tit. de Officio Divino, cap. 5.*

IV. Idem declarans Synodus Camerac. P. II. *tit. 18. c. 5.* & *c. 6.* ait: „ Similiter eos, qui vel celebrant, vel audiunt „ confessiones, ipsâ horâ qua hæc faciunt, pro presentibus ha„ bendos esse, modò tamen ad principales Horas juxta Eccle„ siæ suæ consuetudinem ingressum fecerint, & Missâ suâ aut „ confessionibus finitis, si nondum sit peractum officium chori, „ in ipsum redeant." Idem quoad celebrantes habet dicta Synodus Mechliniensis, *cap. 6.* Et ita quoad celebrantes & audientes confessiones tempore divini officii in Belgio obtinet; tametsi jus commune quoad eos, quibus ex munere non incumbit onus excipiendi confessiones, vel obligatio illis Horis celebrandi, non omninò consonet; uti videre est apud Fagnanum ad *cap.* LICET *de Præbend. num.* 118.

Illud quoque notandum, quòd consuetudo celebrantes tempore divini Officii non excuset, nî cum consuetudine concurrat juxta constitutionem Bonifacii VIII. utilitas Ecclesiæ. Unde Canonici, qui aliis majoribus negotiis non distrahuntur, tempusque sufficiens habent, ut extra tempus divini Officii celebrent, neque aliquid notabile occurrit, quod celebrationem eo tempore exigit, nescio an vi hujus consuetudinis satis sint securi, dum ita passim divina Officia negligunt & chorum deserunt celebrationis causa.

V. Ad hæc citata Synodus Cameracensis, *cap. 7.* „ Favo„ re studiorum eos, qui ad docendum in ipsis Ecclesiis Cathe„ dralibus aut Collegiatis, vel in Universitatibus (quoad bene„ ficia, quæ in ipsis Universitatibus possident) obligantur, iis „ diebus, quibus actu docebunt, aut publicis disputationibus „ intererunt, pro præsentibus habendos esse statuit, modo dua„ bus de Majoribus Horis in die intersint."

Evidens est juxta hujus Synodi decretum, quod professores Academici, qui vi suarum lectionum sunt Canonici, deberent haberi pro *præsentibus*, in iis saltem Horis, quibus actu in lectionibus & disputationibus publicis occupantur: contrarium tamen consuetudine obtinere manifestissimum asserit Zypæus, *de Cler. non resid. n. 40.* qui ibidem quoque multis probat, maximè dependere à consuetudine & ordinatione Ecclesiarum, quæ sit dicenda *Ecclesiæ utilitas* aut *necessitas*, ut distributiones absentibus dari possint.

Qui ergo sine probata causa, secundum jam dicta, „ *per„ sonaliter* competens sibi officium juxta formam ab Episcopo „ præscribendam quolibet die statuto non impleverint, illius „ diei distributionem amittant, nec ejus (ait Synodus Trid. „ *Sess. 22. cap. 3. de Reform.*) quoquo modo dominium ac„ quirant, sed Fabricæ Ecclesiæ aut alteri pio loco arbitrio Or„ dinarii applicetur."

VI. Verùm quoad applicationem portionis, quæ absenti cedere deberet, aliter in plerisque Ecclesiis usus obtinet.

Cùm enim bona Ecclesiæ, sive Fabricæ soleant esse distincta & separata à bonis Canonicorum, aliorumque Ministrorum

Ec-

Ecclesiæ, sive mensa Capitulari, quoad distributiones absentium, usus habet, ut si singulis Canonicis & Beneficiatis certa portio assignata sit, seu cuilibet qui divinis interfuerit, detur certa quantitas, tunc portio absentis, sive id quod superest, inter præsentes non dividitur, sed manet in massa communi; si verò certa portio seu quantitas singulis non sit assignata, sed una omnibus, quæ inter præsentes sit distribuenda, tunc portio absentium manet apud præsentes, augeturque propter absentiam aliorum; idque non tam jure accreseendi, quàm non decrescendi, ut loquuntur Jurisconsulti.

Hæc tamen intelligi debent quoad prius membrum, si portiones desumantur ex massa seu bonis Capitularibus: si enim v. gr. ab hæredibus defuncti singulis Canonicis aut Beneficiatis detur certa quantitas exequiis aut sepulturis, absentium portiones manebunt apud hæredes. Similiter hæc omnia intelligenda sunt, nisi alia consuetudo Ecclesiæ quoad hanc applicationem obtineat. Vide Garciam de Beneficiis, *p.* 3. *cap.* 2. *num.* 443. *& seqq.*

„ Similiter dicendum est, ait Garcias dicto loco, *n.* 449. „ de fructibus præbendæ ammissis ob non residentiam, vel aliàs, „ quòd si in Ecclesia non sunt præbendæ distinctæ, nec est fac„ ta divisio reddituum inter Ecclesiam & ejus Ministros, sed ex „ patrimonio & bonis Ecclesiæ dentur præbendæ & redditus „ Ministris, assignata cuilibet certa portione, tunc fructus amis„ si ad ipsam Ecclesiam pertinent; si verò est mensa Capitularis „ & massa communis Canonicorum & Beneficiatorum distinc„ ta à patrimonio Ecclesiæ, seu Fabricæ, quæ inter residentes „ pro suis præbendis dividitur, ut communiter est in Ecclesiis „ Hispaniæ, tunc portio absentium, seu aliàs amissa, in men„ sa Capitulari remaneat, cum reliquis ejusdem fructibus inter „ residentes dividenda.“

TITULUS VIII.

De Capitulo Cathedrali.

CAPUT I.

CAPITULUM CATHEDRALE ECCLESIÆ SENATUM REPRÆSENTAT ET UNUM CUM EPISCOPO CORPUS CONSTITUIT.

1 *Primis seculis Presbyteri & Diaconi unum cum Episcopo Ecclesiæ Senatum componebant.*
2 *In eorum locum succedit Capitulum Cathedrale.*
* *Episcopi non tantùm Capitulum, sed & reliquum Clerum præsertim curam animarum sustinentem meritò consulunt.*
3 *Capitulum Catedrale esse Senatum Ecclesiæ probatur.*
4 *Capitulum Cathedrale tanquam Senatus Ecclesiæ præcedit cætera corpora Ecclesiastica.*
5 *Etiam Magistratum Civilem.*
6 *Singuli Canonici Cathedrales præcedunt omnium inferiorum Ecclesiarum Canonicos.*
7 *Canonici Cathedrales ut singuli in dignitate non sunt constituti, ad eam tamen accedunt.*

I. PRimis nascentis Ecclesiæ seculis Presbyteri & Diaconi in civitate Episcopali curam animarum gerentes, unum cum Episcopo corpus quasi constituebant, Senatumque formabant, quos idcircò Vir Apostolicus B. Ignatius Martyr scribens ad Magnetianos ait esse loco *Senatus Apostolici.* Et in Epistola ad Trallianos vocat *Consistorium sacrum*, *Consiliarios* & *Assesores Episcopi.* De quibus & Hyeronimus in cap. 3. Isaiæ: *Et nos habemus*, inquit, *in Eclesia Senatum nostrum, Cœtum Presbyterorum.*

II. Subsequentibus seculis paulatim Presbyterorum, Clericorumque numero crescente, cœperunt Episcopi è Clero quosdam eligere, sibique propiùs assignare, quorum consilio & opera Diœcesim suam regerent: quos posterior ætas *Canonicos Cathedrales* tanquam *Capitulum Cathedrale* vocabit.

* Admodum verisimile est, hoc jus ad Capitula Cathedralia, excluso reliquo Clero demum seculo decimo aut undecimo devolvi cœpisse, quando & Beneficiorum & Dignitatum tituli erecti, & separatim ab ordine collati leguntur, quemadmodum sub idem penè tempus electio Episcoporum ad Cathedrales Canonicos, reliquo clero excluso, translata scitur.

Verùm etiamsi hæc hodie disciplina invaluerit, & recepta sit, ut scilicet Capitulum Cathedrale *Senatus* Ecclesiæ reputetur, atque Episcopus illud, ut suum *Senatum* habeat, quemadmodum olim suum Clerum; nihilominus indubitatum est, quod non raro expediret ut Episcopus in suum consilium alios è suo Clero, notanter Parochos, atque Archipresbyteros adscisceret, maximè dum agitur de his, quæ curam animarum, & regimen spirituale populi concernunt, & in quibus frequenter hi præ Canonicis Cathedralibus solent esse versati, & de abusionibus reformandis propius instructi, utpote Episcopis in hac cura & regimine cooperatores.

Unde optarunt Synodi, ut Episcopi, ut minus annuatim convocent Archipresbyteros, ut cum iis deliberent ac statuant, quæ ad extirpandos abusus, & procurandam salutem animarum intellexerint opportuniora, uti suprà *tit.* 6. *cap.* 4. *num.* 5. dictum est.

III. Porrò quemadmodum antiquitùs Presbyteri & Diaconi civitatis Episcopalis *Senatum* Episcopi, atque unum cum Episcopo corpus formabant, sic Capitulum Cathedrale, quod huic Presbyterorum & Diaconorum cœtui successit, ut antea dictum est, *Senatum* Ecclesiæ, & unum cum Episcopo corpus constituere dicitur.

Unde monet Synodus Trid. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* Canonicos Cathedrales, „ ut vestitu decenti tam in Ecclesia „ quàm extra assiduè utantur; ab illicitisque venationibus, au„ cupiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant, atque ea „ morum integritate polleant, ut meritò Ecclesiæ *Senatus* di„ ci possit.“

Et Synodus Burdigalensis anno 24. currentis seculi, *cap.* 9. §. 8. „ Decet Metropolitanam Ecclesiam & aliàs Cathedrales „ Ecclesias eas personas ita probitate & scientia commendatas „ ad canonicatus eligere & assumere, ut ex iis corpus Capitu„ li coalescens *Senatus* Episcoporum, unde consilium acces„ sant, meritò dici possit.

IV. Porrò quia Capitulum Cathedrale ipsum quodammodò totius Diœcesis Clerum repræsentat, atque unum cum Episcopo Senatum ac corpus constituit, etiam prærogativa præcipua gaudet, cæteraque omnia corpora Ecclesiastica præcedit.

Hinc concludit Cassanæus in catalogo *gloriæ mundi, part.* 4. *consid.* 32. quòd „ Abbates non debeant supersedere Cano„ nicos Ecclesiæ Cathedralis, nec debent eos præcedere, maxi„ mè quando processionaliter procedunt, & ita quasi universa„ liter servatur, maximè in regno Franciæ, ubi semper Eccle„ siæ Cathedrales præferuntur in quibuscunque processionibus & „ aliis actibus Ecclesiasticis.“

V. Cumque quæstio incidisset inter Capitula Cathedralia & Magistratus civiles super *præcedentia*, hæc non semel in contradictorio judicio Capitulo Cathedrali, utpotè *Senatum* Ecclesiæ repræsentanti, adjudicata fuit, atque generaliter Rex Galliæ declaravit 8. Februarii 1657. Canonicos Cathedrales esse manutenendos in præcedentia in omnibus Conventibus publicis & privatis ante Officiarios & Magistratus, etiam Senatus Regios Præsidiales ut vocant, sive Curiarum subalternarum, ita ut corpus Canonicorum præcedat corpus Officiariorum, & singuli Canonici singulos Officiarios. Vide acta Cleri Gallicani, *tom.* 1. *tit.* 1. *cap.* 8. *num.* 28. *& seqq.*

VI. Quin & singuli Canonici Cathedrales præcedunt singulos Canonicos omnium inferiorum Ecclesiarum, possuntque Canonici Cathedrales juxta Innocentium III. in *cap.* SEDES APOSTOLICA, ✠ *de Rescriptis*, dici Clerici *primi* gradus, alii autem Clerici *secundi* gradus.

VII. Quia tamen singuli Canonici propriè non constituunt Senatum, aut Corpus ipsam Ecclesiam Cathedralem repræsentans; neque jurisdictio, aut auctoritas singulis Canonicis, sed Corpori competit; singuli quoque Canonici Cathedrales dignitatem habere non dicuntur, distinguunturque à constitutis in dignitate, in *cap.* STATUTUM, *de Rescriptis in VI.* ut notat Zypæus *consult.* 2. *de Majorit. & Obed.* Docetque Canonicos Catedrales ut singulos, cedere debere Decanis, Præpositis aliisque in dignitate constitutis, etiam Ecclesiarum Collegiatarum: quanquam & in his consuetudo locorum varia esse possit, quæ in similibus attendenda, ut rectè monet Cassanæus, in catalogo *gloriæ mundi, part.* 4. *consid.* 38.

Prærogativa quidem horum Canonicorum vel in hoc elucet, quòd ipsi Judices à Sede Apostolica in partibus delegari queant, quod nulli alteri de Clero præterquam in Dignitate constituto conceditur.

CA-

CAPUT II.

Capitulum Cathedrale quantumvis exemptum debet Episcopo tanquam *Capiti* reverentiam et honorem exhibere ; et in quibus hæc consistant.

1 *Episcopus semper habitus caput sui Cleri.*
2 *Capitulum Cathedrale eum pro tali agnoscere debet.*
3 *Capitula Cathedralia desertâ vitâ communi à jurisdictione Episcoporum se eximere cæperunt.*
4 *Synodus Trid. voluit præcipuum honorem adhibere Episcopo, non obstante exemptione.*
5 *Nulla exemptio excusare potest Capitula ab exhibendis iis, quæ sunt honoris & reverentiæ.*
6 *Capitula etiam exempta impedire nequeunt ut Episcopus solemniter ad suam Cathedram deducatur, eique benedictionem danti se inclinari debent.*
7 *Episcopo in Ecclesia Cathedrali etiam exempta, prima, & honorabilior Sedes sæpius adjudicata.*
8 *Non obstante exemptione, Canonici operâ & Consilio Episcopo assistere debent, & ad postulationem Episcopi congregationem indicere.*
* *Canonici etiam exempti jura reverentialia debent suo Episcopo.*

I. TOtius Cleri Episcopum caput esse, eique præcipuam agendorum in sua Diœcesi curam incumbere indubitatum est.

Hinc illud Concilii Carthaginensis IV. *can.* 35. apud Gratianum, *dist.* 95. *can.* 10. „Ut Episcopus in Ecclesia & „ consessu Presbyterorum *sublimior* sedeat." Et illud viri Apostolici S. Ignatii in Epistola ad Smyrnenses: „Omnes Episco„ pum sequimini, ut Christus Patrem, & Presbyterorum Col„ legium ut Apostolos. Et Diaconos revereamini, ut ex Dei „ præcepto ministrantes. Sine Episcopo *nemo* quidquam fa„ ciant eorum, quæ ad Ecclesiam spectant."

II. Cùm verò Capitulum cathedrale præcipuam cleri partem constituat, atque totius Diœcesis quodammodo clerum repræsentent, *Senatumque* componat, Hierarchicus ordo atque Episcopalis dignitas exigunt, ut Capituli cathedralis caput ac præses sit Episcopus, ipsumque ut talem Canonici revereantur, atque suspiciant, uti respondit Alexander III. in *cap.* NOVIT, ii *de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.*

III. Vitâ communi Canonicorum durante, quando Canonici, quos hodie *Cathedrales* dicimus, cum Episcopo, atque sub ejus directione in communi vivebant, perfectissima erat capitis & membrorum conjunctio: at vitâ communi in singularem mutatâ, ipsisque Capitulorum proventibus ab Episcopalibus separatis, cœperunt Canonici non secus ac Monachi à jurisdictione Episcoporum quærere exemptiones.

IV. Quas exemptiones utpote Episcopis in præcipuam sui Cleri partem subtrahentes auctoritatem, atque liberiùs delinquendi facultatem Canonicorum foventes, aboleri, ipsaque Capitula Cathedralia ad pristinam subjectionem Episcopi reducere desiderantes Patres Tridentini, nonnulla decrêvere, quæ temporum ac rerum conditio patiebantur pro restituenda Episcopali in Capitula Cathedralia auctoritate, *Sess.* 25. *c.* 6. *de Ref.* „Atque inter alia, ut Episcopis, ubique is honor tri„ buatur, qui eorum dignitati par est; eisque in choro, & „ in Capitulo, in processionibus & aliis actibus publicis sit „ prima sedes & locus, quem ipsi elegerint, & præcipua om„ nium rerum agendarum auctoritas."

V. Et sanè, non obstante quacunque exemptione Episcopus manet *Caput & Primarius Pastor, ac Pater sui Cleri, ac totius Ecclesiæ sibi creditæ*, ideoque nullatenus Canonici, quantumvis exempti à jurisdictione Episcopi, ipsi negare possunt, quæ *honoris* ac *reverentiæ* sunt, non magis, quàm filius emancipatus naturalia illa obsequii & honoris jura negare queat Patri suo naturali; uti rectè observat Carolus Fevretius tract. *de Abusu, lib.* 3. *cap.* 1. cùm *nusquam exempti liberi esse censeantur*, inquit, *ab obsequio reverentiali.*

VI. Hac de causa Capitula quantumvis exempta impedire nequeunt, quominus Episcopus in Pontificalibus incedens per Apparitores & Accensos suos, cum suis respectivè sceptris & virgis ad Cathedram suam deducatur; dictique Ministri sua loca prope Episcopum, quo præsto esse queant in ejus servitio, obtineant, quemadmodum ibidem notat Fevretius, qui & ibidem notat, quàm injustè ac parum christianè quidam Canonici prætenderent, vi suæ exemptionis se eximere à genuflexione, aut corporis inclinatione cum reliquo populo, dum Episcopus solemniter benedictionem impertitur; atque ab hac sua prætensa denegatione destitisse, cùm providerent se à Senatu Regio, cujus protectionem Episcopus imploraverat, certò condemnandos.

VII. Ulteriùs ex Decreto Synodi Tridentinæ: Episcopis „ in omnibus actibus publicis, & in choro debetur prima se„ des & locus, quem ipse elegerit, " idque rursus non obstante quacunque Capituli exemptione à jurisdictione Episcopi, eò quod hæc juribus & obsequiis honorificis atque reverentialibus, ratione characteris Episcopalis debitis, minimè deroget.

Quapropter Episcopus in sua Ecclesia Cathedrali, tametsi exempta potest habere sedem seu thronum elevatum, uti judicatum in Parlamento Regio pro Episcopo Catalaunensi contra suum Capitulum 15. Febr. 1664. ex Renato Choppino refert Fevretius *lib.* 3. *cap.* 3. Similiter cùm nonnulli Canonici Ecclesiæ Cathedralis Æduensis vellent impedire Episcopum, ne Cathedræ suæ imponeret umbellam, quæstione ad Parlamentum Regium delata, declaratum fuit 14. Mart. 1657. referente ibidem Fevretio, Episcopo liberum esse habere umbellam in Cathedra sua elevata ad tres gradus, ad quam possit accedere sive in habitu Pontificali, sive Canonicali, quotiescunque ei libuerit.

VIII. Ad hæc, quia Episcopis semper intacta ac integra manet cura totius Diœcesis, atque præcipua omnium rerum gerendarum auctoritas; nec non ipsa Capitula Cathedralia obligentur, quacunque exemptione non refragante, consilio ac opera ei assistere, cùm eum in finem fundata sint & instituta; consequens est, Canonicos negare justè non posse congregationem Capituli, cùm eam Episcopus necessariam pro negotiis Ecclesiæ suæ judicaverit. Atque hinc à Senatu Parisiensi 15. Febr. 1564. judicatum fuit, Episcopum Cabilonensem imperare posse, ut cogatur Capitulum quotiescunque deliberandum erit pro negotiis Ecclesiæ, aut concernentibus servitium Regis, Carolus Fevretius, *l.* 3. *c.* 1.

* Cùm Episcopus, non obstante quacunque exemptione remaneat caput & Prælatus totius sui Cleri & Capituli, & eo titulo debeatur illi debita reverentia, honos externus sit ipsi exhibendus, ejus characteri correspondens, non sine fundamento jam pridem condemnati fuerunt quidam Canonici Ecclesiæ cujusdam Cathedralis, non obstante allegatâ per eos contrariâ possessione, comitari suum Episcopum in publicis processionibus; nec posse *separatim* procedere, uti refert Joannes Galli *quæst.* 325. ubi Carolus Colinæus in margine ad verbum *Canonici* adjicit: QUAMVIS EXEMPTI, *quia non sunt exempti à jure reverentiali, nec ab onere & obligatione ministerii communis, sed à contentiosa Jurisdictione.*

Hæ quæstiones Galli cum notis Molinæi habentur insertæ volumini secundo operum Molinæi ultimæ editionis Parisiensis.

CAPUT III.

Quomodo Episcopus Capitulis etiam exemptis interveniat.

1 *Synodus Trident. voluit ut in Capitulis etiam exemptis Episcopi præsiderent.*
2 *Hoc decretum quantumvis justissimum ubique executioni mandari non potuit.*
3 *Episcopi postularunt unionem præbendæ suæ Episcopatui, ut* Capitulum *tanquam Canonici intrare possint.*
4 *Non est novum, quòd Episcopus in qualitate Canonici Capitulo intersit.*
5 *Unde dignoscatur an interveniat* ut Canonicus, *an* ut Prælatus.
6 *Quem locum obtineat, dum intervenit ut Canonicus.*
7 *Non præsidet dum intervenit ut Canonicus, nisi privilegio aut consuetudine contrarium obtineat.*
8 *Quod suffragium Episcopus in Capitulo habeat.*
9 *Exemptio Capitulorum quomodo limitanda.*

I. SYnodus Tridentina auctoritatem atque jurisdictionem in Capitula sua Cathedralia, quantum temporum conditio patiebatur, Episcopis restituere volens, præter ea, de quibus capite præcedenti, statuit, ut „si Episcopi aliquid Ca„ nonicis ad deliberandum proponant, nec de re ad suum vel „ suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capi„ tulum convocent, vota exquirant, & juxta ea concludant." *Sess.* 25. *cap.* 6. *de Reform.*

Itaque ex mente Patrum Synodi Trident. Episcopi sunt ipsorum Capitulorum Moderatores, atque Præsidentium munia & functiones exercent, idque non tantùm quoad Capitula jurisdictioni suæ subjecta, sed etiam *exempta*; utpotè de quibus unicè in suo decreto agit Synodus.

Et sanè quid justius, ac ipsi ordini hierarchico conformius, quam ut is in consessu sui Cleri præsideat, ac negotia proposita Præsidentis instar moderetur, qui præcipuum in Hierarchia locum obtinet; atque eminenter omnem Ecclesiasticam auctoritatem, quæ in Clero inferiori reperitur, continet; imò à quo tanquam è fonte in reliquum Clerum defluere debet; ut propterea Episcopatus plenitudinem Sacerdotii,

reliqui verò ordines aut dignitates clericales portionem aliquam duntaxat habere dicantur.

II. Quapropter, uti ex historia Concilii Tridentini intelligitur, votum Patrum erat, eas exemptiones planè abolere, atque Capitula Cathedralia ad plenam Episcopi subjectionem reducere; at temporum ac rerum conditio, aliquam in his moderationem à Concilio extorsit, & nihilominus tamen, uti queruntur Patres Concilii Rothomagens. ann. 1581. „ exemptio„ nes Capitulorum propter quas eorum non potest restitui ec„ clesiastica disciplina, nec emendari abusus Ecclesiarum Ca„ thedralium, nequeunt ad hanc moderationem Concilii Trid. „ reduci propter Capitulorum resistentium multitudinem, eo„ rumque potentiam."

III. Hinc eidem „ Episcopi Rothomagensis provinciæ con„ senserunt salvas manere exemptiones, ne, inquiunt, propter „ eas Concilio Provinciali poneretur obstaculum." Deinde subdunt, atque Pontifici exponunt: „ Sed salvis illis, viderunt jam „ sibi viam paratam à D. Metropolitano ad ingrediendum Ca„ pitula & eis præsidendum, in ipsisque reformandum omnia. „ Nam antea Archiepiscopi nostri impetrarunt à Sede Aposto„ lica Bullas ad uniendum canonicatum & præbendam Archi„ episcopatui, ut ita Archiepiscopus tanquam Canonicus in„ traret Capitulum, quoties vellet, & in ipso præsideret; quo „ jure nunc etiam utitur. Supplicant humillimè Episcopi Sanc„ titati suæ, ut dignetur omnibus ejusdem Provinciæ Episcopis „ Bullam communem conferre ad uniendum Episcopatui cano„ nicatum & præbendam, quam vacantem deligere voluerint, „ adinstar unionis Archiepiscopo Rothomagensi dudum conces„ sæ, atque ad eundem effectum & finem."

IV. Quod hîc dicitur indultum Archiepiscopo Rothomagensi, aliisque ejusdem Provinciæ Episcopis indulgeri petitur, nimirùm Episcopatibus præbendam & canonicatum Cathedralem uniri, ut ea mediante tanquam *Canonicus* Capitulo interesse possent, novum non est; nam in *cap.* 15. ✠ *De concessione Præbendæ, &c.* cùm quæsitum esset, collatione præbendarum spectante ad Episcopum & Capitulum, utrum Capitulo negligente intra tempus legitimum, collationem jus conferendi devolveretur ad Episcopum; respondit Innoc. III. collationem non devolvi ad Episcopum, sed secundum Statuta Lateranensis Concilii devolvi ad Superiorem: *Nisi fortè*, inquit, *non ut Prælatus, sed ut Canonicus vobiscum jus habeat conferendi*, quo responso supponitur Episcopum interdum ut *Prælatum*, interdum verò ut *Canonicum* Capitulo intervenire & cum Canonicis deliberare; quod & ad citatum capitulum uno consensu notarunt Canonistæ.

Hac similiter distinctione utitur Pontifex in *cap. A collatione, de Appellation. in VI.* respondens à collatione beneficii, quæ communiter à Capitulo & Episcopo fit, appellari oportere non ad Episcopum, sed ad ejus Superiorem, si ut *Prælatus* interveniat, aliàs si ut *Canonicus*, ad ipsum Episcopum esse appellandum.

V. Si verò quæratur, qua qualitate Episcopus Capitulo intervenire censeatur, an tanquam *Prælatus* & Caput, an tanquam *Canonicus* sive membrum Capituli, censent Canonistæ, quòd si in Ecclesia sit statutum, aut vetusta consuetudo, determinans qua qualitate Capitulo Episcopus interveniat, illi standum esse; his verò deficientibus, aut dubiis, tunc decidendum esse ex conjecturis. Quia si Episcopus non tenet primum locum & honorabiliorem, censetur interesse ut *Canonicus*, si autem præsideat & teneat honorabiliorem locum, censetur esse in Capitulo ut *Prælatus*.

VI. Nam ut post Abbatem in *cap.* POSTULASTI, ✠ *de Concess. præb. n.* 8. passim tradunt Canonistæ, „ ubicunque Præ„ latus interest in aliquo Collegio non ut *Prælatus* illius collegii, „ sed ut *singularis* illius collegii, non debet tenere Caput illius „ collegii; licèt persona sua seu dignitas sit in se honorabilior, „ quàm dignitas Præsidentis in illo collegio: quia non stat ibi „ tanquam constitutus in sua dignitate, sed tanquam *singularis* „ de Collegio." Hæc Abbas & post ipsum communiter Canonistæ, & inter alios Fagnanus ad citatum capitulum *Postulasti*, qui & addit; quòd Episcopus qui est Canonicus in sua Ecclesia, & ut *talis* Capitulo intervenit, debeat sedere immediatè post eum, qui præest Capitulo: si autem in aliena Ecclesia habeat canonicatum, debeat sedere in loco canonicatus. „ Sic in „ præsens, ait, in Basilica S. Petri Patriarcha Hierosolymitanus, „ qui est etiam Canonicus, sedet in choro post Canonicos an„ te ipsum receptos."

VII. Quòd igitur Archiepiscopus Rothomagensis assistens Capitulo ratione canonicatus suo Archiepiscopatui annexi, dicatur in Capitulo præsidere, consuetudini aut privilegio tribuendum est: quod sanè & dignitati Episcopali & disciplinæ primitivæ & puriori admodum consentaneum est. In erectione quoque novorum Episcopatuum Belgii, annexus sive incorporatus fuit Canonicatus seu præbenda mensæ Episcopali, ratione cujus *Episcopus persona capitularis sit, vocemque & auctoritatem etiam in Capitulo super Decanum & Canonicos habeat.*

VIII. Illud insuper notat Glossographus ad allegatum capitulum *à collatione*, & post eum Canonistæ, quòd Episcopus interveniens Capitulo ut *Canonicus*, habeat vocem, & sua vox augeat numerum: si autem ut *Prælatus*, non habeat vocem, sed solùm habeat potestatem concludendi secundum majorem partem Capituli.

Hoc tamen Glossographi dictum intelligi debet de voce *absoluta*, non autem *decisiva* in paritate, quæ in omni congregatione Præsidenti & concludenti competere solet.

Insuper dictum illud Glossographi intellige, nisi consuetudo aut speciale statutum Episcopo aliquid amplius deferat; uti Bulla erectionis novorum Episcopatuum Belgii, in electione Canonicorum graduatorum, dat Episcopo tanquam Canonico primum suffragium æquivalens suffragio unius è reliquis Canonicis graduatis, ac insuper in paritate suffragium decisivum, sive paritatem dirimens.

CAPUT IV.

In quibus Episcopus teneatur consilium vel consensum Capituli petere.

1 *Olim Episcopi Presbyterorum & Diaconorum consilio utebantur.*
2 *In decidendis causis Episcopo assistebant.*
3 *In locum Diaconorum & Presbyterorum successit Capitulum Cathedrale.*
4 *Canonici Cathedrales in regimine Ecclesiæ operâ & consilio Episcopo assistere debent.*
* *Quales eligendi Canonici Cathedrales.*
5 *Episcopus consilium petere, non tamen sequi, ordinariè tenetur.*
6 *In collatione Beneficiorum interdum consensum Capituli habere debet.*
7 *Consensus Capituli requiritur in alienatione bonorum.*
8 *Item in unione Beneficiorum.*
9 *Moribus Belgii loco Capituli interdum succedit Vicariatus.*

I. QUamquam penès Episcopos præcipua semper fuerit in Ecclesiæ regimine auctoritas, ac tanquam summi Sacerdotes, ipsamque plenitudinem Sacerdotii obtinentes fuerint considerati, nihilominus ab ipsis Ecclesiæ primordiis, fuit & Presbyterorum, Diaconorumque ordo & cœtus, quorum consilio & opera Episcopi in Ecclesiæ regimine uterentur.

Hinc illud Cypriani ad Presbyteros & Diaconos suos, *epist.* 5. „ Quamquam causa compelleret, ut ipse ad vos pro„ perare & venire deberem: primò cupiditate & desiderio ves„ tri, quæ res in votis meis summa est, tum deindè ut ea, „ quæ circa Ecclesiæ gubernaculum utilitas communis expos„ cit, tractare simul & plurimorum consilio limare possemus „ &c." Et infra: „ Ad id verò, quod scripserunt mihi Com„ presbyteri nostri Donatus & Fortunatus, Novatus & Gor„ dius, solus rescribere nihil potui; quando à primordio Epis„ copatus mei statuerim, nihil sine consilio vestro, & sine „ consensu plebis, meâ privatim sententiâ gerere."

Cui consonat illud S. Ignatii: *Revereantur omnes Episcopum, ut* JESUM *Christum existentem Filium Patris; Presbyteros autem, ut consilium* DEI *& conjunctionem Apostolorum.* Epist. ad Tarsenses.

II. Hac de causa videmus passim sacros Canones in judiciis causarumque decisionibus Presbyteros Diaconosque Episcopis jungere: imò ex Concilio Carthagin. IV. can. 23. refert Gratianus 15. *quæst.* 7. *can.* 6. „ Ut Episcopus nullius „ causam audiat absque præsentia suorum Clericorum; alio„ quin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsen„ tia confirmetur."

III. Cùm ergo Capitulum Cathedrale præcipuam cleri portionem, unumque cum ipso Episcopo corpus Senatumque constituat, pristinumque Presbyterium, quo inconsultò nihil majoris momenti Episcopi in negotiis ecclesiasticis expedire consueverant, representet; æquum, justumque, atque regimini Ecclesiæ convenire judicatum est, ut Episcopi in regimine & administratione Ecclesiæ suæ Canonicorum Cathedralium opera & consilio uterentur, imò & in quibusdam nec sine eorum assensu procedere possent.

Et quidem ad Patriarcham Hierosolymitanum scribit Alexander III. in *cap.* NOVIT, ✠ *de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*: „ Novit plenius tuæ discretionis „ prudentia, qualiter tu & fratres tui unum corpus sitis, ita „ quod tu caput, & illi membra esse probantur. Unde non „ decet te omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ „ negotiis uti; cùm id non sit dubium, & honestati tuæ & „ SS. Patrum constitutionibus contraire.

„ Innotuit siquidem auribus nostris, quòd tu sine consi„ lio fratrum tuorum Canonicorum S. Sepulchri, Abbates & „ Ab-

„ Abbatissas & alias Ecclesiasticas personas instituis & desti-
„ tuis. Ideoque id auctoritate Apostolica prohibemus. Nos enim
„ tales institutiones & destitutiones carere decernimus robore
„ firmitatis."

Et in *cap.* QUANTO, ✠ *eod.* rursus eidem rescribit: „Quia
„ non decet prudentiam tuam in negotiis tibi commissæ Ec-
„ clesiæ *consilium* fratrum tuorum postponere, cum quibus
„ unum corpus existere comprobatis, Fraternitati tuæ manda-
„ mus, quatenus in concessionibus & confirmationibus, & aliis
„ Ecclesiæ tuæ negotiis fratres tuos requiras, & cum eorum
„ consilio vel sanioris partis eadem peragas & pertractes, &
„ quæ statuenda sunt statuas, & errata corrigas, & evellen-
„ da dissipes & evellas."

IV. Juxta modernam proindè Ecclesiæ disciplinam Episcopus Canonicos Cathedrales ut suum Senatum, cujus consilio Ecclesiam suam administret, suscipere tenetur: ipsique Canonici sedulò expendere: „ canonicatuum ac præbendarum ins-
„ tituendi rationem & causam hanc fuisse, ut benè monuit Car-
„ dinalis Polus in *decreto de Reform. Cleri Anglicani*, ut qui
„ ad eas assumuntur, Episcopo assistant, eumque in muneris
„ sui functione *consilio* & opera adjuvent, in Divinis celebran-
„ dis Ecclesiæ inserviant."

Hac de causa Canonicos Cathedrales monuit magnus ille Gandensium Antistes Guilielmus Lindanus: „ Ut nulla ratio-
„ ne putarent se apud Deum excusari, si solùm officio reci-
„ tando occupentur: in primis verò, ait, per Germaniam,
„ qui ad docendum Episcopoque subserviendum præcipuè sunt
„ à Carolo Magno instituti, quemadmodum tabulæ fundatio-
num sonant." *Par. Apologiæ.*

* Hac de causa inter articulos reformationis nomine Caroli IX. Regis Galliæ PP. Trident. propositos, erat hic ordine 27. his verbis expressus: *Cùm Episcopus ea jurisdictione uti non debeat secundum antiqua Decreta, nisi consulto Capitulo, quemadmodum nec alia suæ Diœcesis gravia negotia tractare, danda est diligens opera, ut Canonici Cathedralium Ecclesiarum sint assidui in Ecclesia Cathedrali bonis moribus & scientiâ præditi; quique saltem vigesimum quintum annum attingant: nam ante illam ætatem, cùm non possint per leges humanas rebus suis prospicere; quomodo Episcopo suo consulere poterunt?*

V. Verùm tametsi Ecclesiæ mens sit, ut Episcopi in Ecclesiarum administratione arduisque negotiis *consilio* Fratrum suorum sive Canonicorum utantur, præcipuam tamen auctoritatem arbitriumque penès Episcopum esse vult; ut ipse audito & maturè expenso Canonicorum consilio id decernat, quod Ecclesiæ hîc, & nunc magis expedire judicaverit.

Qui enim aliquos ut *Consiliarios* sive per modum consilii audire debet, rationes quidem ipsorum expendat justum est, at eorum *consilium* sequi non tenetur, neque consensum Capituli expectare, nî id speciali jure expressum sit, communiter tradunt Canonistæ ad Titulum Decretalium *de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*; quod S. Carolus in sua Synodo Provinciali V. *part.* 3. *cap.* 11. his verbis expressit: „ Quibus in actionibus aut deliberationibus Œcumenicâ
„ Synodo Tridentinâ, aut Provincialibus Conciliis constitutuum
„ est de Capituli Clerive consilio aliquid agendum esse, non
„ propterea tamen illud sequendi necessitatem sibi impositam
„ esse Episcopus existimet, nisi in iis tantùm de quibus id
„ speciatim nominatimque cautum est."

Cui conformis est resolutio sacræ Congregationis Cardinalium, quam refert Piasecius in praxi Episcoporum, *part.* 2. *cap.* 2. *n.* 8. qua declaratur, Episcopum in edendis constitutionibus debere requirere consilium Capituli: *licèt illud non teneatur sequi, nisi in casibus à jure expressis.*

VI. Casus vero à jure expressos ibidem enumerat Piasecius, atque imprimis requiritur non *consilium* duntaxat, sed & consensus Capituli in illis omnibus in quibus vertitur interese Capituli, *cap. fin.* ✠ *de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.* Unde si collatio Beneficiorum pertineat tàm ad Capitulum, quàm Episcopum, nihil potest de illis disponere Episcopus sine consensu Capituli, *cap.* 6. ✠ *eod.*

VII. Item si agatur de notabilium aliquarum rerum ad Ecclessiam spectantium alienatione, *c.* 1. 8. & 9. ✠ *eod.*

VIII. Hoc ex capite in Ecclesiarum & Beneficiorum unione consensum Capituli intervenire debere, non obscurè innuitur in *Clement. fin. de rebus Eccles. non alienandis.* Plura de his casibus â jure exceptis vide apud Barbosam tractatu de Canonicis, *cap. fin.*

IX. Notat autem Zypæus, *consult.* 17. *de Regularibus num.* 38. quòd „in his regionibus passim negotia Episcopalia,
„ & singulatim uniones per Episcopos expediantur non inter-
„ veniente Capitulo, sed consilio Vicariatus. Usus autem is
„ notorius est, tam quotidianâ praxi, quàm infinitis hodierna-
„ rum & veterum unionum litteris ubique extantibus." Hæc ille, qui ibidem notat, consuetudinem hanc non esse planè difformem à mente Conc. Trident. quod in multis negotiis non integrum Capitulum, sed aliquos de Capitulo ab Episcopis in consilium adhiberi vult, ut infrá videbitur, ubi de illis materiis tractabitur.

Praxis hæc, de qua Zypæus, nequaquam universalis est, in Ecclesiis Cathedralibus Belgicis: plures enim sunt, in quibus, Sede non vacante, nullus Vicariatus instituitur, omniaque negotia *capitulariter* peraguntur, & ab Episcopis consulitur Capitulum.

TITULUS IX.

De Capitulo Sede vacante.

CAPUT I.

CAPITULUM SEDE VACANTE IN ORDINARIAM JURISDICTIONEM EPISCOPI SUCCEDIT.

1 *Clerus olim Sede vacante Ecclesiam subministrabat.*
* *Quo jure Capitulum succedat in jus Episcopi Sede vacante.*
2 *Capitulum Cathedrale Clerum repræsentans, nunc vices Episcopi supplet.*
3 *Illud procedit etiam quoad ea, quæ Episcopo speciali jure competunt.*
* *Quæ competunt Episcopis sublata reservatione, transeunt in Capitulum Sede vacante.*
4 *Et generaliter tàm quoad jurisdictionem contentiosam, quàm voluntariam.*
5 *Licet excludantur inferiores Prælati, non tamen Capitulum.*

I. CUM ob tyrannorum persecutiones S. Cyprianus Ecclesiam suam deserere debuisset, ad Clerum Romanum Sede vacante per mortem Fabiani Pontificis scripsit Clerus Carthaginensis, cui respondens Clerus Romanus inter alia dicit: „ Et cùm incumbat nobis, qui videmur *Præpositi*
„ esse & vice *Pastoris* custodire gregem, si negligentes inve-
„ niamur, dicetur nobis quod & antecessoribus nostris dictum
„ est, qui tam negligentes Præpositi erant: quoniam perditum
„ non requisivimus, & errantem non correximus, & claudum non
„ colligavimus, & lac eorum edebamus, & lanis eorum ope-
„ riebamur... Nollumus ergo, fratres dilectissimi! & vos mer-
„ cenarios invenire, sed bonos Pastores, cùm sciatis non mi-
„ nimum periculum imminere, si non hortati fueritis fratres
„ nostros stare in fide immobiles, ne præceps iens ad idolola-
„ triam funditùs eradicetur fraternitas." Hactenus Clerus Romanus, *epist.* 2. inter epistolas Cypriani editionis Rigaltii: quæ evidenter ostendunt, curam regimenque Ecclesiarum Romanæ & Carthaginensis Pastore eviduatarum, Clero illarum respectivè Ecclesiarum incubuisse.

* Quapropter rectè notat Cardinal. de Luca, *disc.* 31. *in Conc. Trid.* „ quòd Episcopali Sede vacante, de jure Episco-
„ palis jurisdictio, atque Ecclesiæ administratio devolvatur ad
„ Capitulum, non quidem ex aliquo privilegio vel delegatione,
„ sed ex ratione juris non decrescendi, quia Ecclesia Cathe-
„ dralis efformatur conjunctim ab Episcopo & Capitulo; ab
„ illo scilicet ut capite, ab isto tanquam reliquo corpore, Ec-
„ clesiasticâ jurisdictione penes totum corpus habitualiter re-
„ sidente, exercitio autem in plerisque competente capiti."

Hinc infert *num.* 3. „ Et consequenter defecto jure consoli-
„ dationis, vel ex jure non decrescendi, universa jurisdictio,
„ seu totum jus Cathedralium, tam in habitu, quàm in exerci-
„ tio, manet penes Capitulum, tanquam reliquum corpus poli-
„ ticum, seu intellectuale."

II. Proindè à Patrum descendit traditione, quòd in Capitulum Cathedrale Clerum Ecclesiæ repræsentans, Diœcesseos regimen, ipsaque Episcopalis auctoritas Sede vacante devolvatur, *cap.* 11. & 14. ✠ *de Majorit. & Obedient. cap. unic. Ne Sede vacante in VI. cap. penult. de supp. neglig. Prælator. in VI.* & aliis multis, è quibus Canonistæ hanc formant regulam: Capitulum Sede vacante fungitur vice Episcopi, & succedit in omnibus quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, exceptis casibus in jure expressis; licèt etiam non competerent Episcopo jure communi, sed solùm ex consuetudine, vel statuto sive indulto spe-

ciali ; modo tamen competant tanquam Episcopo & Ordinario.

III. Unde facultas concessa Episcopis à Concilio Tridentino, *Sess. 24. cap. 6. de Reform.* dispensandi super irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, etiam competit Capitulo Sede vacante : „ Nam licèt illa facultas (ait Garcias, *de „ Beneficiis, part. 3. cap. 7. n. 40.*) Episcopo competat jure „ speciali dicti decreti, tamen competit ei jure communi, & „ ex jurisdictione ordinaria ei attributa per dictum decretum.“ Quandocunque ergo vel à consuetudine, vel aliunde v. gr. à Synodo Trid. datur Episcopis aliqua facultas, extendendo, aut prorrogando eorum jurisdictionem ordinariam ; aut in aliquibus casibus tollendo Monasteriorum aut Capitulorum exemptinem, quæ jurisdictioni ordinariæ obstaculum objiciebat, Capitulum Sede vacante succedit, uti rectè monet Garcias dicto loco, *num.* 48.

* Cùm autem certum sit, primis octo ut minus seculis integram remansisse Episcopis jurisdictionem & auctoritatem quoad ea omnia, quæ regimen populi & Cleri sui requirebant, nec nisi labentibus seculis, præsertim post receptum Decretum Gratiani nonnulla fuisse Sedi Apostolicæ reservata, consequens est, quòd sive consuetudine, sive speciali decreto concedantur, dici debeat quòd non de novo Episcopis attribuantur, sed potiùs, quòd auctoritas Episcopalis in integrum restituatur, ac proinde dici debeant hæc ab Episcopis *Jure ordinario* exerceri, non autem ex speciali delegatione.

Et per consequens Capitulum Sede vacante etiam in similia, tanquam auctoritati Episcopali ordinariæ annexa succedere, & penès Capitulum esse eorum exercitium, nisi ostendatur speciali Ecclesiæ decreto exercitium illius Capitulo esse interdictum.

IV. Procedit autem tam in jurisdictione contentiosa & necessaria, quàm voluntaria & gratiosa. Vide Glossam Pragmat. *Tit. de Concubinariis* verbo *Superiores.*

V. Quin licèt *cap. 20. Sess. 34. de Reform.* causæ matrimoniales & criminales solius Episcopi cognitioni reserventur, exclusis omnibus inferioribus judicibus, tamen non intelligi exclusum Capitulum Sede vacante, ex Quaranta monet Zypæus, quia *non est inferior Prælatus, sed fungitur ipsa jurisdictione Episcopi.*

CAPUT II.

In quæ Capitulum Sede vacante Episcopo non succedat.

1 *Capitulum in jurisdictionem ordinariam Episcopi, non extraordinariam succedit.*
2 *Quandonam succedat in iis, quæ Episcopis conceduntur tanquam Sedis Apostolicæ delegatis.*
3 *Quomodo succedat in collationem Beneficiorum.*
4 *Quæ potestas Capituli circa alienationem bonorum ad mensam Episcopalem spectantium.*
5 *Non succedit in ea, quæ Ordinis sunt.*
6 *Potest tamen facultatem dare Ordines conferendi, & Ordines suscipiendi.*
* *Collatio Beneficiorum etiam ad provisionem liberam Episcopi spectantium olim pertinuit ad Capitulum.*
7 *Hæc facultas quomodo à Synodo Trid. limitata.*
8 *An Capitulum possit dare facultatem recipiendi Ordinem titulo patrimonii.*
9 *Quandiu Sedes censeatur vacare moribus Belgii.*

I. CApitulum Sede vacante Episcopo tanquam totius suæ Ecclesiæ ordinario Pastori & Judici succedit, atque in omnibus, quæ ipsi ut Episcopo competunt, vicem ejus supplet, nisi specialiter excipiantur : quæ verò Episcopo, non ut Episcopo, seu Ordinario suæ Diœceseos, sed in alia qualitate speciali & quasi extranea attribuuntur, in his Capitulum Episcopum non repræsentat, nec ejus vices supplet.

II. Unde infertur, quòd potestas attributta à Concilio Tridentino Episcopis *tanquam Sedi Apostolicæ delegatis*, defuncto Episcopo in Capitulum non transeat, uti in terminis post alios tradit Fagnanus ad *cap.* HIS QUÆ, ✠ *de Majorit. & obedient. num.* 55. unà monens, hoc non procedere, si facultas illa Episcopis competat utroque jure, scilicet ordinario & delegato ; veluti si Concilium det illis facultatem procedendi *etiam* auctoritate Apostolica.

Et quidem si Concilium tribuat Episcopis auctoritatem procedendi auctoritate Apostolica iis in casibus, quibus ante Concilium poterant procedere auctoritate ordinaria, eo casu Concilium non censebitur derogasse auctoritati ordinariæ ; sed eidem adjunxisse auctoritatem Apostolicam.

Id perspectum habens S. Carolus declaravit, quòd „ si Epis„ copus tanquam Sedis Apostolicæ delegatus sententiam in iis „ causis tulerit, in quibus ante Concilium Tridentinum Ordina„ rius eâdem jurisdictione potestateve uti poterat, non ad Se„ dem Apostolicam, sed ad Archiepiscopum, ab illa sententia „ devolvatur appellatio.“ *In Concil. Mediol. V. part. 3. c. 11.*

Itaque Capitulum Cathedrale ad exemplum pristini Presbyterii sive Cleri, Sede vacante fungitur vice Pastoris, eique incumbit, curam Diœcesis gerendo, ea omnia facere, quæ Episcopus vi sui officii Episcopalis agere deberet ; nisi quædam speciali jure futuro Episcopo sint reservata.

III. Cùm autem à Ministrorum electione maximè dependeat bonum Ecclesiæ regimen, voluit Ecclesia, ut si ea conformiter ad jus commune & primævam ac Apostolicam disciplinam Episcopis solis competat, futuro Episcopo illo reservetur.

Hinc inter casus specialiter exceptos, in quibus Capitulum Sede vacante non succedit, præcipuum esse tradunt Canonistæ collationem Beneficiorum ; idque sive competat jure collationis strictè dictæ, sive jure præsentationis ; sive jure proprio, sive jure devoluto : modo tamen collatio sive presentatio sit libera, neque conjunctim cum Capitulo, sed soli Episcopo competat.

Si enim collatio vel confirmatio aut institutio tantùm competat Episcopo ad præsentationem patroni Laici vel Ecclesiastici; vel collatio sit quidem libera, sed spectet conjunctim ad Episcopum & Capitulum, his casibus Capitulum Sede vacante Episcopo succedit, & collationem, confirmationem vel institutionem dare potest ; uti communiter docent Interpretes, & communis praxis probat.

Imò si ex aliquo privilegio aut gratia, Beneficium spectans ad solius Episcopi collationem, debeatur certæ personæ, v. g. Nominato Academico, eo casu posse Capitulum aut Vicarium Sede vacante conferre, tradit Garcias *de Benefic. part. 5. c. 7.* ubi *n. 73.* docet eam collationem dici necessariam, quæ est debita certæ personæ, seu certo generi personarum. Et ideò, ait, *n. 75.* quando patronus præsentasset plures æquè idoneos, posset nihilominus Capitulum Sede vacante instituere quem maluerit ex præsentatis.

Conformiter ad hanc distinctionem, Synodus Diœces. Mechliniensis *tit. 15. c. 6.* declarat : „ Beneficia ad collationem Ar„ chiepiscopi spectantia, per Capitulum, vel Vicarium non „ conferantur : deservitores tamen & administratores ejusmodi „ Beneficiorum vacantium licitè constituentur : & præsentati à „ patronis, si idonei judicati fuerint, per Archidiaconum ins„ titui poterunt.“

Et capite sequenti addit : „ Si quam ex novem præbendis „ affectis (id est, graduatis) Sede vacante vacare contigerit; „ reliqui ejusmodi præbendas obtinentes, liberè illam, debitè „ tamen qualificato, conferre poterunt, Sedis vacatione non „ obstante.“ Idque ideo indubiè, quia harum præbendarum collatio spectat conjunctim ad Episcopum & Canonicos graduatos, ut infra dicetur.

* Quandoquidem, ut collatio non libera dici possit, sufficit, quòd Episcopus conferre teneatur uni ex certa familia, vel ex pluribus per Patronum præsentatis, uti ex Garcia suprà notatum, mirum non est, quod refert Renatus Choppinus de sacrâ Politiâ, *lib. 1. tit. 5. n. 14.* si, Sede vacante, simplicia Beneficia ad collationem Episcopi spectantia vacare contigerit, in mense Graduatis affecto, possit Capitulum Sede vacante illa conferre uni Graduatorum ; tametsi liberum sit Capitulo uni ex pluribus Graduatis conferre, nihilominus ipsa collatio habetur pro necessaria sive non libera ; tamen in Galliis Beneficia simplicia collationis Episcopalis, vacantia, in Regalia sunt ad collationem ipsius Regis, uti annotatum est *Part. 2. tit. 25. cap. 8.*

At & illud communiter observant Canonistæ, quòd si Episcopus in collatione Beneficii duntaxat consilium Capituli petere debeat, eo casu non censeatur provisio simultanea, cùm Capitulum Sede vacante de illo Beneficio disponere nequeat, uti notat Cabassutius in sua Juris Canonici theoriâ & praxi, *lib. 2. c. 24. n. 17.* unâ observans, quòd similiter Capitulum mortuo Episcopo, aut in longinquis agente, possit Beneficium conferre, licèt jubeatur in collatione consilium Episcopi expetere juxta *cap. unicum*, NE SEDE VACANTE, *in VI.*

Neque necessitas expetendi consilium Episcopi reddit collationem simultaneam ; consilium autem expetendi obligatio cessare videtur, dum aut absolutè expeti nequit, puta mortuo Episcopo, aut admodum difficulter haberi, uti in casu dicti Capituli.

IV. Adhæc Ecclesia suo destituta Patre & Pastore, viduæ ac pupillo comparatur. Quare sicuti alienatio bonorum pupilli interdicta est tutoribus & curatoribus, pariformiter alienatio bonorum Ecclesiæ seu Episcopatus, sive ad mensam Episcopalem spectantium, Capitulo Sede vacante interdicta est, Fagnanus loco citato *n. 58.* & alii ibidem citati.

V. Ulteriùs, quia ea quæ Ordinis sunt Episcopalis, dependent à charactere episcopali, qui nec Capitulo nec singulis de Capitulo communicatur, etiam in Capitulum non transeunt, quæ ab Ordine episcopali dependent.

VI. Verùm, quia non tam Ordinis, quàm jurisdictionis est, licentiam impertiri subditis, ut ab alio quàm Diœcesano Ordines suscipiant, aut ut Episcopus in aliena Diœcesi, quæ Ordinis sunt, exerceat, hinc est, quòd Capitulum Sede vacante nequeat quidem ea quæ Ordinis sunt, per se sive per Vicarium

rium suum exercere, possit tam vi jurisdictionis ordinariæ per vacationem Sedis ad se devolutæ concedere, ut subditi sui ab alio Ordines suscipiant, *cap. 3. de Temporib. ordinat. in 6.* vel alteri Episcopo licentiam impertiri, etiam in Diœcesi viduata quæ Ordinis sunt exercendi.

* Quemadmodum Capitulum Sede vacante semper potuit, & hodie potest examinare & deligere eos, quos per sacram ordinationem judicat ministeriis Ecclesiasticis applicandos, consequens est, & Capitulo seu Clero Sede Episcopali vacante, licuisse deligere & nominare eos, qui in Ecclesia ministrarent, & de proventibus Ecclesiarum participarent, sive ut hodie loquuntur, de *Beneficiis* providere licuisse, quoad usque institutis titulis beneficialibus, Beneficia separatim ab ipsis Ordinibus conferri cœperunt.

Postquam enim collatio Beneficiorum separari cœpit ab ordinatione, atque majora & opulentiora beneficia, puta Canonicatus & Dignitates in Ecclesiis Collegiatis & Cathedralibus potius pènes temporalia, quàm spiritualia, sive officium ecclesiasticum considerari cœperunt, sensim unà invaluit, ut Beneficiorum Collatio ad Episcopum spectans quasi inter fructus Episcopales numerari cœperit.

Hinc ulterius verisimiliter contingit, ut quemadmodum ipsa alienatio temporalium Capitulo esset interdicta, & Episcopo integra temporalia conservari deberent, pariter creditum fuerit, quòd collatio Beneficiorum fructibus Episcopalibus annumerata, censerètur integra Episcopo reservanda. Igitur nec mirum hujus reservationis nullum in vetustioribus Canonibus vestigium occurrere.

VII. Hanc tamen Capituli potestatem limitavit Synodus Tridentina, *Sess. 7. cap. 10. de Reform.* ut „ non liceat Ca„ pitulis Ecclesiarum Sede vacante, infra annum à die vacatio„ nis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reve„ rendas, ut aliqui vocant, tàm ex juris communis dispositio„ ne, quàm etiam cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, „ alicui, qui beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi oc„ casione arctatus non fuerit, concedere.“

Hoc decreto etiam comprehendi dimissorias pro prima tonsura, notat Garcias, *de Beneficiis, part. 5. cap. 7. n. 73.* non obstante declaratione S. Congregationis Cardinalium ad calcem hujus decreti relata his verbis: *Congregatio censuit, textum hunc non comprehendere primam tonsuram*; quia ut monet Garcias, intelligenda est, non quoad prohibitionem, sed quoad pœnas in decreto adjectas; hancque explanationem communis praxis comprobat: notatque Fevretius, Capitula, Sede vacante non posse infra annum dimissoriales concedere, tametsi consuetudine immemoriali essent muniti.

Restringit tamen Synodus Tridentina suum decretum ad eos, qui beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctati fuerint; his enim dimissorias etiam à die vacationis Capitulum dare potest. *Arctati* ratione beneficii *recepti* dicuntur, qui obtinent beneficium, ratione cujus infra determinatum tempus tenentur ad certum ordinem promoveri; quod tempus si infra annum à vacatione Sedis Episcopalis elabatur, poterit Capitulum ei tanquam *arctato* ratione *beneficii recepti* litteras dimissoriales concedere. Si verò nullum beneficium habeat, sed præsentetur à Patrono ad aliquod beneficium, quod certum ordinem actu requirit, poterunt ei dari litteræ dimissoriales tanquam *arctato* ratione Beneficii *recipiendi.*

VIII. Post annum verò libera est potestas Capitulo, tanquam vices Ordinarii supplenti, dare dimissorias, etiam titulo patrimonii vel pensionis, si id Ecclesiæ necessitas aut utilitas requirat, conformiter ad *cap. 2. Sess. 21. de Reform.* quamvis S. Congregatio videatur declarasse, Capitulum Sede vacante non posse dare dimissorias ordinandi *ad titulum patrimonii*; quia uti de regno Castellæ monet Garcias *loco citat. num. 93.* ita, & de Belgio dici potest, nimirum declarationem illam non videri receptam, uti monet Zypæus in jure nove *tit.* Ne Sede vacante *num. 2.*

IX. Vacare autem Sedes censetur, saltem de consuetudine Belgii, donec litteras confirmationis à Pontifice obtentas Regi sive Consilio Regio Episcopus confirmatus ostenderit, illæque placetatæ Capitulo exhibitæ sint, atque in vim illarum per se vel alium possesionem acceperit: quod & in Hispania aliisque Regnis servari testatur Garcias, *de Benefic. part. 5. cap. 4. num. 258.*

CAPUT III.

Qualis Vicarius Sede vacante hodie constitui soleat.

1 *Olim Clerus in communi Sede vacante Ecclesiam ministrabat.*
2 *Hodie ex decreto Concilii Trid. constituendus Vicarius.*
3 *Synodus Tridentina Officialem & Vicarium pro uno eodemque accipit, secus obtinet in Belgio.*
* *Synodus Officialem & Vicarium pro eadem persona accepit & quare.*
4 *Moribus Belgii Capitulum Officialem distinguit à Vicario.*
5 *Officiales à Capitulo elegi non solent, sed constituti ab Episcopo continuari.*
6 *Decretum Concilii Trid. moribus Belgii solùm habet locum in Vicario obtinente jurisdictionem voluntariam.*
7 *Intra octo dies à vacatione constitui debet, vel ab Episcopo constitutus continuari.*
8 *Non debet esse graduatus in Jure.*
9 *Moribus hodiernis constituendus est Vicarius distinctus ab Officiali.*
10 *Possunt plures Constitui Vicarii.*
11 *Præter Vicarium potest constitui Vicariatus.*

I. De jure communi jurisdictionem Episcopi devolvi ad Capitulum sede vacante supra ostendimus, illamque per se in communi olim exercere poterat, atque ita Clerum Romanum vacante Sede eam exercuisse, ex supra relatis ejus ad Clerum Carthaginensem litteris sat manifestum est.

II. At cum compertum esset, etiam hîc non rarò locum habere illud tritum: *Segnius expediunt commissa negotia plures*, declaravit Synodus Trident. *Sess. 24. cap. 16. de Reform.* „ Capitulum Sede vacante Officialem seu Vicarium infra oc„ to dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem „ confirmare omninò teneatur, qui saltem in jure Canonico „ sit Doctor, vel Licenciatus, vel aliàs quantum fieri pote„ rit, idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum de„ putatio hujusmodi devolvatur.“

Pro intelectu hujus Decreti prænotanda sunt sequentia.

III. Primò Concilium in hoc decreto pro uno eodemque accipere Officialem & Vicarium, idque juxta usum plurium Ecclesiarum, & quidem totius Italiæ, ubi referente Thomasino, *Discipl. Eccles. part. 4. lib. 1. cap. 27. §. 5.* etiam num hodie Officialis & Vicarius Episcopi solet esse eadem persona, at in hisce vicinisque Provinciis solent Episcopi habere Officialem, qui contentiosam jurisdictionem, & Vicarium qui voluntariam exerceat; hicque *Vicarius Generalis* dici consuevit.

* Quod antea dictum est, notavit etiam Cardinalis de Luca, *disc. 31.* in Concilium Trident. rationem subjiciens. „ Cùm „ enim (inquit) illum in magna parte ex Italis Cardinalibus, „ Episcopis & Prælatis constaret, “ ita *secundum Italiæ mores* sensisse visum est: atque hinc rectè ulteriùs observavit, quod Vicarius Generalis, qui juxta Italiæ praxim simul est Officialis, debeat esse Doctor aut Licentiatus in Jure. Et *n. 18.* monet, quòd in Hispania constans sit Ecclesiarum consuetudo eligendi in Vicarium Sede vacante, etiam non Doctorem, indubiè, quia & in Hispania Vicarius Generalis distinguitur ab Officiali, neque contentiosam Jurisdictionem habeat, sed hæc penès solum Officialem sit.

Ex his itaque habetur, quòd mirum quoque non sit, si ob multitudinem Episcoporum & Prælatorum Italiæ, quæ numerum Episcoporum & Prælatorum omnium aliarum Nationum simul collectorum longe superabat; Decreta hujus Concilii ad mores Italiæ magis, quàm aliarum Nationum fuerint inflexa & formata: quare & nemo mirari debet, si in plerisque Regnis extra Italiam Decreta reformationis hujus Concilii non fuerint simpliciter & generaliter recepta; sed cum quadam moderatione conformiter ad mores cujusque Regni & Provinciæ, uti sæpius in hoc opere notatur.

IV. Simili modo Capitulum Sede vacante in jurisdictionem Episcopi & contentiosam & voluntariam succedens, alterum Officialem, qui contentiosæ jurisdictioni præsit, & Vicarium generalem, qui voluntariæ, de novo creare, vel ab Episcopo creatum confirmare consuevit.

V. Et quidem quoad Officiales constitutos ab Episcopis, hi in officio suo Sede vacante continuari consueverunt, raroque à Capitulo novi eliguntur: quin moderna praxis in Regno Galliæ obtinet, sæpiùs in contradictorio judicio firmata, Capitulum Sede vacante Officiales ab Episcopo institutos destituere non posse, nisi Capitulum probet se esse in antiqua possessione contraria, uti latè refert Brodeau in *Notis ad Louet litt. O. art. 2.*

VI. Decretum proindè Concilii Tridentini, in quantum injungit Capitulo post mortem Episcopi constituere Officialem seu Vicarium infra octo dies, moribus nostris attentis ferè unicè locum habet in Vicario Generali voluntariam jurisdictionem, & curam spiritualem obtinente.

VII. Et quidem si similem Vicarium infra octo dies non constituerit, vel existentem non confirmarit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvitur; poterit tamen lapso octiduo moram purgare, & Vicarium eligere, quandiu Metropolitanus manum non apposuit: uti & in his partibus, etiam Collatores & Patroni Beneficia conferunt, & ad ea præsentant, quandiu superior nihil præstitit. Zypæus in jure novo *tit. Ne Sede vacante.*

Hunc Vicarium vel de novo constituere, vel ab Episcopo constitutum confirmare in arbitrio est Capituli.

VIII. Cùm verò in similem Vicarium generalem transire non soleat jurisdictio contentiosa, sed ea apud eum, qui *Officialis* dicitur, resideat, etiam non requiritur, ut hic Vicarius sit Doctor aut Licentiatus in Jure Canonico; quam qualitatem requirit duntaxat Synodus Tridentina in Vicario, cui exercitium jurisdictionis contentiosæ committitur; quem & propterea cum Officiali confundit.

Hinc, uti benè notat Zypæus in jure *novo tit. Ne Sede vacante*, videmus hîc, tam ab Episcopis, quàm Capitulis Sede vacante in Theologia graduatos Vicarios passim constitui ad exercendam voluntariam jurisdictionem.

IX. Ulteriùs quia Synodus Tridentina Vicarium confundit cum Officiali, videtur attentis verbis Decreti, unum duntaxat posse constitui à Capitulo Vicarium, qui & contentiosam & voluntariam jurisdictionem exerceat. Verùm cùm notorium sit, in hisce, aliisque multis Provinciis Officialem à Vicario distingui, etiam notorium est, Sede vacante præter Officialem insuper Vicarium eligi. Unde quando Synodus D. Mechliniensis voluit ut Capitulum Metropolitanum Sede vacante infrà octo dies non plures Vicarios, sed unum tantum Vicarium constituat, vel existentem confirmet juxta præscriptum Concilii Trid. indubiè intelligi debet de illo, qui attento harum Provinciarum usu, Vicarius dicitur, & ab Officiali distinguitur.

X. Insuper notandum, quòd in pluribus, etiam Belgicis Ecclesiis consuetudine immemoriali obtineat, ut plures Vicarii Sede vacante cum eadem auctoritate & æquali jurisdictione constituantur; quam consuetudinem à Concilio non esse sublatam multis probat Garcias *de Beneficiis part.* 5. *cap.* 7. *num.* 36. referens ita à S. Congregatione responsum fuisse.

XI. Ulteriùs moribus nostris obtinuit, ut quemadmodum Episcopus aliquos Canonicos interdum eligit, è quibus Concilium suum, quod *Vicariatum* vocat, componit, ita quoque Capitulum Sede vacante, subinde unum nominat Vicarium generalem, ac insuper aliquos è Canonicis, qui *Vicariatum* constituant; cujus consilio vel assensu Vicarius generalis juxta Capituli deliberationem in regimine Diœcesis procedat.

CAPUT IV.

A QUO ET QUALEM JURISDICTIONEM ACCIPIAT VICARIUS.

1 *Vicarius jurisdictionem accipit à Capitulo.*
2 *Jurisdictio devolvitur ad Capitulum, non ad Vicarium.*
3 *Cura & solicitudo Ecclesiæ, etiam constituto Vicario, manet apud Capitulum.*
4 *Si Vicarius sit suspectus, Capitulum de causa suspectationis cognoscit.*
5 *Capitulum potest Jurisdictionem Vicarii limitare.*
6 *An Vicarius pro libitu & arbitrio Capituli possit revocari.*
7 *Quid circa hoc moribus Belgii obtineat.*
8 *Meritò soliciti sunt Canonici, ut bonus constituatur Vicarius.*
9 *Ultra Vicarium, à Capitulo constituendus Œconomus, qui rebus temporalibus Episcopatus intendat.*
10 *Fallit in Episcopatibus, qui subjacent Juri Regaliæ.*
* *Fructus Episcopatus vacantis reservati Cameræ Apostolicæ.*
11 *Œconomi à Capitulo deputati succedenti Episcopo rationem administrationis reddere debent.*

I. SIcut Vicarius Episcopi omnem suam auctoritatem & jurisdictionem ab Episcopo recipit, eamque juxta limites & formam sibi ab Episcopo præscriptos exercere debet; ita quoque Vicarius à Capitulo Sede vacante nominatus omnem suam jurisdictionem & auctoritatem à Capitulo mutuat.

II. Licèt enim Synodus Tridentina voluerit à Capitulo constitui Vicarium, nihil tamen circa jurisdictionem immediatam devolutionem mutavit, sed eam in terminis juris communis reliquit: ut quemadmodum de jure communi tota ad Capitulum devolvebatur, ita & nunc devolvatur, maneatque ipsa jurisdictio radicaliter, etiam constituto Vicario, apud ipsum Capitulum, exercitium verò apud Vicarium, quem fieri mandavit Tridentinum: quia penè imposibile esset, ut, si Capitulum *per se* administret, singulis Ecclesiæ necessitatibus, præsertim repentinis, & moram non ferentibus, pro debito posset satisfieri. Vide Zypæum *resp.* 1. DE SEDE VACANTE.

III. Hinc ulteriùs consequens est, uti ibidem notat Zypæus, Capitulo post nominationem Vicarii adhuc incumbere solicitudinem Episcopalem in quam successit, neque ab ea constituto Vicario plenè exonerari; quod etiam evidenter supponit epistola Clementis VIII. ad Capitulum Neapolitanum, quam ex Quaranta ibidem refert Zypæus.

IV. Eodem ex fonte, si Vicarius sit in aliqua causa suspectus, providet Capitulum: atque vi jurisdictionis apud ipsum remanentis de causis suspectationis cognoscit, ut tradit Fagnan. ad *Cap.* HIS QUÆ, ✠ *de major. & obed. num.* 75.

V. Quin eodem ex capite, si Capitulum det Vicario limitatam jurisdictionem & auctoritatem reservando sibi aliqua, ea Vicarius exercere non potest. Garcias *de Beneficiis part.* 5. *cap.* 7. *num.* 30. cui & Ecclesiarum multarum praxis consentit.

VI. Quandoquidem de ratione Vicarii esse videatur dependere à voluntate & arbitrio constituentis, sive illius cujus vices sustinet: consequens apparet, Vicarium Capituli, non secus ac Vicarium Episcopi, pro libitu & arbitrio Capituli revocari posse; & ita ante Concilium Tridentinum unanimi consensu sentiebant Canonistæ. At cùm hodie ex præscripto Tridentini Concilii, Capitulum Vicarium nominare jubeatur; adeoque nominatio Vicarii, vel non designatio non ita sit arbitrio Capituli, quemadmodum est in arbitrio ipsius Episcopi, hinc etiam penes Episcopum hodie videtur esse liberior revocatio ipsius Vicarii, quàm penes Capitulum.

Et quidem Synodus Mechliniensis decernit: „ Vicarium semel à Capitulo electum, vel confirmatum, postea sine justa „ & rationabili causa removeri non posse.“

Quin & refertur declarasse Sacram Congregationem, Vicarium à Capitulo nominatum removeri non posse, nisi ex causa à Sacra Congregatione Episcoporum probanda: „ Sed, ait „ Zypæus in Jure novo *loco citato*, credo hîc non obtinere eum „ recursum.“

VII. Interim tamen, quia Vicarii generales à Capitulo electi solent constitui pro tempore vacantis Sedis; nec nisi rarissimè renovari solent, ægrè mores Belgii paterentur, ut sine causæ allegatione, & probatione Vicarius officio suo destitueretur; præsertim cùm ea amotio vix sine aliqua infamiæ nota hodie fieri posset.

Ita quippe consuetudine passim obtinuit, ut licèt officia seu secularia seu Ecclesiastica sint de natura sua, aut etiam speciali statuto revocabilia; imò teneantur possessores eorum singulis annis ea ad manus constituentium resignare, nequeant tamen iis privari, nisi ex causa vera, & probata, si talia sint, quæ revocari, & mutari non solent, sed ad vitam continuari, ac ut talia vulgò reputari: adeò ut mutatio, vel revocatio sine nota infamiæ fieri non posset. Vide Wamesium Consilio canonico 301. & Dominum Christinæum in notis ad Bugnyonium *de Legibus abrogat. lib.* 1. *Satyra* 1.

Interim tamen, cùm ex justa & rationabili causa Capitulum possit Vicarium electum vel confirmatum removere, argumentum est nequaquam obscurum, jurisdictionem penes Capitulum etiam constituto Vicario manere; licèt exercitium illius juxta terminos à Capitulo præfixos, sit apud Vicarium, & non apud Capitulum.

VIII. Ex his facilè quisque judicare poterit, quanta debeat esse Canonicorum cura & solicitudo, ut prudens, peritus ac zelosus Vicarius eligatur; quandoquidem bonum vel malum regimen totius Diœcesis unicè penè dependeat à bono vel malo Vicario.

IX. Ultra Vicarium, cui regimen Ecclesiæ committitur, vult Synodus Tridentina, ut Capitulum Sede vacante Œconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant.

X. Hanc tamen dispositionem Concilium limitat ad casum, ubi fructuum percipiendorum cura Capitulo Sede vacante incumbit.

Unde si Episcopatus Juri Regaliæ sint subjecti, Sede vacante rerum temporalium administratio, non ad Œconomos à Capitulo deputandos, sed ad Officiarios Regios (n) spectare consuevit.

* Quemadmodum enim in Gallia proventus Episcopatuum huic juri subjectorum cedunt Sede vacante Ærario Regis, ita in Italia Sede vacante sunt reservati Cameræ Apostolicæ, iisque colligendis deputantur collectores, qui Œconomos nominare consueverunt, uti notat de Luca *Discursu* 31 *in Concil. Trid. num.* 6. quæ reservatio verisimiliter profluxit ex quadam specie Regaliæ, quam posteriores Pontifices exercuerunt in Episcopatus Italiæ, præsertim in temporalibus sibi subjectos: neque enim pristinis seculis similis reservatio in commodum Cameræ Apostolicæ nota fuit.

XI. Œconomi à Capitulo deputati solam custodiam & curam rerum ad Episcopatum spectantium habent: unde instar curatorum nihil de fundis aut rebus Episcopatus alienare possunt; tenenturque hi Œconomi Episcopo ad vacantem Ecclesiam promoto rationem suæ administrationis, si exigat, reddere, tametsi ex ipso Capitulo fuerint assumpti; potestque eos Episcopus punire, si in officio administrationis deliquerint, etiamsi prædicti Officiales, ait Tridentinum, redditis rationibus, à Capitulo vel deputatis ab eodem absolutionem, aut liberationem obtinuerint.

TI-

(n) *Circa hanc materiam est singulare Concordatum celebratum inter Sanctam Sedem & Regnum Hispaniæ* anno 1753. *quod invenitur in* leg. XI. tit. 6. lib. 1. Recopil.

TITULUS X.

De Canonicis Graduatis.

CAPUT I.

QUA RATIONE, ET QUOMODO CANONICI GRADUATI, PRÆSERTIM IN BELGIO INSTITUTI.

1 *Ecclesia semper desideravit, ut ad Canonicatus Graduatos assumerentur Viri docti.*
* *Gradus Academicus actu requiritur tempore electionis.*
2 *Hoc ut assequeretur, gradus Academicos Canonicatibus annexuit.*
3 *Eundem in finem in erectione novorum Episcopatuum Belgii instituti sunt Canonici* Graduati.
4 *Hi tenentur specialiter operâ & Consilio Episcopo assistere.*
5 *Ex iisdem eligendi Archidiaconus, Archipresbyter, & Pœnitentiarius.*
6 *Eligendi per Episcopum & Graduatos, & quare.*
7 *Hæ Præbendæ sub nullis reservationibus &c. comprehenduntur.*
8 *Tres ex iis Canonicis examinant admittendos ad Sacros Ordines & curam animarum.*

I. CAnonicos Cathedrales successisse pristino Presbyterio, quod Episcopo pro Senatu esse in Ecclesiæ suæ administratione solebat, suprà vidimus, ipsosque ex sua institutione ac mente Ecclesiæ debere operâ ac consilio Episcopis assistere; ac unà cum ipsis Episcopis Senatum Ecclesiæ constituere ostendimus.

Quapropter solicita admodum fuit Ecclesia, ut ad hos præsertim Canonicatus assumerentur viri eruditione ac moribus ita conspicui, ut meritò sperari queat, quòd ex iis corpus tale coalescat, à quo Episcopi in Ecclesiæ regimine operam & sanum consilium habere queant. „ Decet namque (ait Sy„ nodus Burdigalensis ann. 1624. *cap.* 9.) Metropolitanam „ aliasque Cathedrales Ecclesias, eas personas ita probitate ac „ scientia commendatas ad Canonicatus assumere & eligere, „ ut ex iis corpus Capituli coalescens Senatus Episcoporum, „ unde consilium accersant, meritò dici possit.“

Quapropter Gradum Academicum in electione Graduatorum requiri tempore electionis, nec satis esse, quòd electus esset proximè dispositus ad gradum suscipiendum resolvit, & probat Wamesius *Consilio Canonico* 18. atque id ipsum non obscurè probat textus Bullæ erectionis novorum Episcopatuum in Belgio, cùm in ea dicatur, novem illas Præbendas, seu Canonicatus conferendas *Graduatis in Theologia vel jure*; ita ut ipse Gradus Academicus ipsam collationem respiciat: quo casu qualitas expressa exigitur in ipso actu collationis, uti de ordine requisito notatur *Part.* 2. *Tit. XIX. cap.* 2. *n.* 5.

II. Hoc ut faciliùs & efficaciùs consequerentur Patres Consilii Basileensis *Ses.* 13. voluerunt: „ Ut in qualibet Cathe„ drali & Collegiata Ecclesia ultra Præbendam Theologo as„ signandam, tertia pars præbendarum conferatur Graduatis.“ Hoc decretum non tantùm in sanctionem Pragmaticam jussu Caroli VII. Galliarum Regis relatum est, sed etiam Concordato inter Leonem X. & Franciscum I. conservatum & de novo confirmatum.

Quin & Synodus Tridentina expendens, quantopere Ecclesiæ intersit, ut ad Canonicatus promoveantur Viri doctrina & probitate insignes & probati, hortatur, ut „ in Provin„ ciis, ubi id commodè fieri potest, dignitates omnes, & sal„ tem dimidia pars canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis „ & Collegiatis insignibus conferantur tantùm Magistris vel Doc„ toribus, aut etiam Licentiatis in Theologia vel Jure Cano„ nico. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.*

III. Eundem in finem in ereptione novorum Episcopatuum Belgii facta ad instantiam Philippi II. per Paulum IV. statutum fuit: „ Ut decem Canonicatus sive Præbendæ primò va„ cantes sic maneant affecti, quòd ipse Episcopus unum vel „ unam omnium primò vacaturos tanquam mensæ Episcopali „ perpetuò unitos obtinere, illorumque ratione persona capi„ tularis esse, vocemque & auctoritatem etiam in Capitulo „ super Decanum & Canonicos habere possit.“

„ Reliqui verò novem Canonicatus & Præbendæ prædicti „ tribus *Magistris*, aut Licentiatis in Theologia, & tribus „ aliis *Doctoribus Decretorum*, seu in his Licentiatis, ac tri„ bus aliis *Nobilibus* ejus Diœcesis, etiam in Jure vel Theo„ logia saltem gradu Licentiaturæ in famosa quapiam Univer„ sitate Studii Generalis, secundum tenorem prædictarum Lit„ terarum promotis, ordine in dicta designatione expresso, „ so, in perpetuum concedi & assignari debeant.“

IV. „ Quodque ad sex priores tam Nobiles, quàm alii „ non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos „ verò tres Canonicatus & tres Præbendas, ex reliquis novem „ Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi, nulli nisi Nobiles „ & Graduati, ut præfertur, assumi possunt; ac omnes & sin„ guli ratione suarum hujusmodi præbendarum consilium & „ operam in negotio Ecclesiæ & Religionis, cæterisque dif„ ficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Episcopo „ suo requisiti fuerint, tam conjunctim quàm divisim præsta„ re teneantur.

V. „ Ac unus Archidiaconus ad Archidiaconatum, & alius „ Archipresbyter ad Archipresbyteratum, nec non reliquis ex „ dictis Graduatis, Pœnitentiarius ad Pœnitentiariam hujusmo„ di, ad nominationem Episcopi assumi, & omnium primi „ post Episcopum vacaturos Canonicatus & Præbendas prædic„ tos simili ordine consequi debeant.“

Hæc sat patenter evincunt, hanc Graduatorum institutionem unicè factam, ut in Cathedralibus Ecclesiis aliqui ut minùs inter Canonicos essent, qui scientia ac eruditione in Sacra Theologia & Sacris Canonibus excellerent; qui Episcopis consilio & operâ in regimine suæ Ecclesiæ assistere possint.

VI. „ Ut autem, prosequitur Bulla erectionis, de viris „ spectatæ doctrinæ & probitatis, ad ædificationem Ecclesiæ „ Dei, accuratiùs prospiciatur, quòd ipsi novem Canonica„ tus & novem Præbendæ ac prima vice per Episcopum dun„ taxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, „ ut præfertur, ad electionem Episcopi, & aliorum Gradua„ torum præfatorum superstitum per eos conferantur, & in hu„ jusmodi electione suffragium Episcopi non plus juris sive mo„ menti, quàm cujusvis Graduatorum habeat, nisi vocum pa„ ritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc Episcopi suffra„ gium paritatem dirimat.“

Ex his erectionis verbis intelligant Canonici Graduati electionem loci vacantis sibi esse delatam, ut nimirum, *De Viris spectatæ doctrinæ & probitatis, ad ædificationem Ecclesiæ* DEI *accuratius prospiciatur*. Proinde hinc intelligant, quàm soliciti esse debeant, ut omni humano respectu seposito hujusmodi viros eligant.

Hac de Episcopis & Canonicis Graduatis spe conceptâ pro stabilienda eorum in hac electione libertate declaratur & statuitur in ipsa erectionis Bulla: „ Quòd ipsi novem Canonica„ tus & novem Præbendæ sub nullis specialibus vel generalibus „ etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Cor„ pore Juris clausis, necnon exspectativis, coadjutoriis, manda„ tis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, & aliàs „ disponendo primariis precibus nuncupatis, vel aliis gratiis præ„ ventivis per Nos aut Romanos Pontifices pro tempore exis„ tentes, & Sedem Appostolicam prædictam, vel ejus Lega„ tos etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad ins„ tantiam Imperatoris, Regis, Ducum ac aliorum Principum „ aut ejusdem S. R. E. Cardinalium, & ex quacunque cau„ sa quantumlibet urgenti pro tempore factis & concessis com„ prehendantur, nec etiam tanquam vacantes apud Sedem ean„ dem, aut ulla alia ratione generaliter vel specialiter reservari, „ nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex causa per„ mutationis apud Sedem eandem pro tempore occurrentem, „ per Romanum Pontificem aut Sedem hujusmodi de illis pro„ videri, aut aliàs quoquo modo disponi possit, sed forma „ electionis præmissæ omni tempore servari nullâque causâ in„ fringi debeat.“

Adhæc, quòd magna de eruditione cæterisque qualitatibus Canonicorum Graduatorum concepta fuerit idea, & illud non obscurè evincit, quòd è novem graduatis eligi debeant ab Episcopo tres præcipui ejus Ministri, scilicèt Archidiaconus, Archipresbyter Cathedralis, & Pœnitentiarius.

VIII. Accedit, quòd in Bulla dicitur: „ Ex senioribus præ„ fatis Canonicis duo in Theologia, & unus in jure Canonico „ Graduati unâ cum Archidiacono curam habeant examinan„ di promovendos ad Sacros Ordines, & admittendos ad cu„ ram animarum, quacunque illi auctoritate provisi fuerint.

CAPUT II.

DE GRADUATIS THEOLOGIS ET CANONISTIS.

1 *Solent Graduati in Theologia & Jure canonico æquiparari.*
2 *Objectio contra hanc paritatem.*

Sol-

3 *Solvitur objectio.*
4 *Canonista Canonibus SS. ut oportet instructus etiam aliquo modo Theologus est.*
5 *Pluribus seculis Canonistarum & Theologorum distinctio fuit ignota.*
6 *Utiliter Canonistæ studium Theologiæ, & Theologus studium Canonum jungunt.*
7 *Quæ causa, quòd Graduati in Jure canonico SS. Canonibus, ut oportet, non sint instructi.*
* *Unde proveniat, quòd Graduati in Jure Canonico sint minus instructi disciplina Ecclesiæ.*
8 *Conveniens esset, ut Gradus in Jure civili non semper jungeretur Gradui in Jure canonico.*
9 *Ex præmissis ostenditur, Canonistam posse Theologo comparari.*

I. SYnodus Tridentina, sive in promovendis ad Canonicatus & Præbendas, sive in promovendis ad primarias dignitates Ecclesiasticas, etiam Episcopatum, requirens gradum Academicum, ubique gradum in Jure canonico jungit gradui in Sacra Theologia; ita ut velit promovendum esse Graduatum in Theologia aut Jure canonico. Similiter Bulla erectionis novorum Episcopatuum in Belgio numerum æqualem Graduatorum in Jure canonico, & Graduatorum in Theologia instituit; neque in electione ad dignitates Theologos Canonistis præfert, sed Episcopo liberum relinquit, vel ex his, vel ex illis assumere.

II. Verùm, cùm Canonici cathedrales, ac præcipuè ipsi Graduati instituti sint, ut Episcopo in regimine Ecclesiæ consilio & operâ assistant; illudque regimen unicè ferè spiritualem animarum profectum atque directionem respiciat, qua ratione Canonistæ cum Theologis in hoc munere concurrere, aut his æquari possunt?

Canonistarum quippe scientia, non tam regimine spirituali subservire posse videtur, quàm litibus ac controversiis forensibus terminandis, quæ minima ac infima est regiminis Episcopalis portio.

III. Negari non potest, non paucos hodie inter Graduatos in Jure canonico reperiri, qui unicè penè incubuerunt Canonibus & Decretalibus, quæ ad lites & judicia valent; eosque ferè solos in prælectionibus exponi audiverunt; adeoque forensibus judiciis ac litibus prosequendis aut terminandis idonei duntaxat reperiuntur: sed absit, ut hujusmodi Graduatos in Jure canonico ad Canonicatus & Dignitates Ecclesiasticas, ut Episcopis in regimine & cura Ecclesiæ adjutores & consiliarii essent, Ecclesia aut Fundatores desideraverint; sed veros indubiè voluerunt præfici Canonistas, id est, eâ Canonum scientiâ refertos, qui Patrum acta ac mores repræsentantes, optimam Ecclesiæ componendæ atque ordinandæ rationem continent.

„ Hi autem canones, (uti rectè monuit pius Parisiensis Uni„ versitatis Cancellarius Joannes Gersonius) si benè inspiciamus, „ non sunt nisi conclusiones elicitæ vel illatæ ex principiis Theo„ logicis, id est, ex Evangelio & aliis libris Canonicis, per il„ los, quibus dicitur: *Qui vos audit, me audit.*"

IV. Hisce canonibus, si ritè essent instructi Canonistæ, sive in Jure canonico Graduati, quis non videat, quàm hi possent, non secus ac Theologi, regendæ Ecclesiæ esse idonei?

Imò si hisce Canonibus sese occuparent, qui Juri canonico operam navant; adque ad Ecclesiæ serviendum se studio illi impendunt, etiam in Theologicis scientiis non essent ignari.

V. Si enim Canones sint *Conclusiones ex principiis Theologicis elicitæ vel illatæ*, qui illorum plenam notitiam ac genuinum sensum assequi desiderat, etiam principiorum, è quibus deducuntur, planè ignarus esse non potest.

Hinc Gersonius asserere non veretur, „ per quadringentos „ & ampliùs annos ita gubernatam fuisse Ecclesiam, ut non esset „ distinctio Theologorum & Canonistarum; licèt Canones Sacri „ multi essent ultra tenorem expressè traditum in Evangeliis & „ cæteris Libris Canonicis."

VI. Deinde monet, „ Dominum non ita distinxisse Theolo„ giam à sacris Canonibus, & è contra, quin utiliter & salubriter „ possint ab eodem homine, quantum sibi conceditur, investi„ gari. Si enim reperti sunt, qui ultra Canones sacros Legibus „ humanis dederunt studium suum, & è contra, & profecerunt „ in utrisque; si ultra Philosophiam & Metaphisicam multi „ quotidie in Theologia se vehementer exercent: hoc conve„ nientius habet fieri, quòd Theologus descendat ad inspicien„ dum Canones tanquam conclusiones elicitas ex suis principiis „ theologicis deducere. Sic erit talis ambidexter Theologus Ca„ nonista & Canonista Theologizans: Et quis est iste & lauda„ bimus eum? Quid autem facilius est ex ambobus, aut per „ Theologiam S. cognoscere Canonicam scientiam, vel è contrà. „ Existimo, quòd primum, sicut facilius est & ordinatius de„ ducere ex principiis conclusiones, quàm ex conclusionibus ad „ principiorum notitiam devenire."

Si hoc Gersonis consilium attenderent tam Theologi quàm Canonistæ, illi nimirùm sacris Canonibus, utpote conclusionibus practicis ex principiis theologicis elicitis; hi verò Libris canonicis & SS. Patribus incumbendo, non dubium, quin & illi & hi majori cum fructu Ecclesiæ regendæ, & Episcopis consilio & operâ assistendi forent capaciores.

Ejusdem cum Gersonio sententiæ fuisse S. Carolum refert in ejus vita Carolus à Basilica S. Petri. „ Ea, inquit, Canonum „ scientia ipsi perjucunda erat, quæ Patrum mores & acta re„ præsentans Ecclesiæ componendæ atque ordinandæ rationem „ continet. Dolens autem eos communi consuetudine tantum„ modò Canones ad interpretandum seligi, qui ad lites judicia„ que valent, constituit ipse, qui iis declarandis præesset, un„ de sacra Majorum instituta & ritus, optimumque Ecclesiæ ad„ ministrandæ genus hauriretur."

Ut ergo scientiam Canonum, qua Ecclesiæ serviendi reddantur idonei, faciliùs assequerentur Juris Canonici Studiosi, optandum esset, ut hi saltem, qui se non forensibus controversiis occupare, sed in clericali Statu Deo & Ecclesiæ servire intendunt, potiùs studium Theologicum, id est, Sacræ Scripturæ & SS. Patrum, quàm Legum civilium jungerent aut præmitterent studio sacrorum Canonum.

VII. Et sanè, quod hodie Juris Canonici Studiosi penè non imbuantur, nec studeant nisi Canonibus aut Decretalibus, quæ ad lites judiciaque valent, quidni magna ex parte inde proveniat, quòd nulli hodie creari soleant Doctores Canonum seu Decretorum, ni unà & Legum Doctores creentur; paucique Juris Canonici aut Decretorum duntaxat Licentiati fiant?

Cùm enim Legum studium ad forenses controversias, judiciaque terminanda pene unicè spectet, facilè contingit, ut etiam studium canonum eò conferant.

* Quòd studentes Juri Canonico vix hodie imbuantur eâ scientia Canonum, quibus purior Ecclesiæ disciplina repræsentatur, vel inde magna ex parte oritur, quòd in scholls plerumque non exponantur nisi recentiores Romanorum Pontificum Decretales, neglectis magnâ ex parte pristinis Canonibus, qui optimam regiminis Ecclesiastici rationem, per octo circiter secula solicitè conservatam & renovatam exhibent.

Quod verò ex auctore vitæ S. Caroli numero præcedenti retulimus, nimirùm quòd constituerit ipse, qui iis Canonibus declarandis præesset, unde sacra majorum instituta, & ritus, optimumque Ecclesiæ administrandæ genus hauriretur; vix dubium, quid id intelligi debeat de eo, qui Decreti Gratiani expositioni & prælectioni à S. Carolo fuerit præpositus.

Certum enim est, quòd licèt hoc opus Gratiani magnâ confusione contextum sit, & contineat plurima apochrypha, supposititia, mutilata, ac nonnunquam in alienum sensum à mente auctoris ad sui temporis disciplinam & amplificationem Pontifitiæ potestatis detorta; nihilominus & illud oportet fateri in hoc Gratiani Decreto esse respersos Canones, & SS. Patrum sententias in omni penè materia, è quibus optima regendæ Ecclesiæ ratio hauriri queat, modò is, cui illud prælegendi & exponendi munus incumbit, sciat falsa à veris suppositita à sinceris, & contorta ab integris ritè discernere.

Proindè nec ambigendum, quin prælectio hujus Decreti Gratiani multò aptior & convenientior sit, ut ex eâ sacra majorum instituta, & ritus, optimumque administrandæ Ecclesiæ genus hauriri queat, quàm prælectio Decretalium Gregorii IX. & sequentium Pontificum, quæ penè unicè quæstiones de variis materiis incidentes & ad forum contentiosum pertinentes respiciunt, easque vel decidunt, vel formam & modum decidendi præscribunt; nihil autem vel parum in iis occurrit, unde purior Ecclesiæ disciplina dignosci posset.

Hâc ratione inductus Philippus II. pluribus jam institutis prælectionibus Juris Canonici in hac Academia Lovaniensi, adjunxit prælectionem Decreti Gratiani; uti constat è litteris (o) Ducis Sabaudiæ Belgii Gubernatoris anni 1557. datis ad Priorem & Collegium nostrum J. U. Doct. Prof. Ordin.

VIII.

(o) *Honorabiles docti & sincerè dilecti. Cùm Serenissimus Rex Dominus & cognatus noster observandus pro sua in bonarum disciplinarum, & præsertim Jurisprudentiæ studiis provehendis propensione, nonnullorum Professorum stipendia augenda duxerit, novasque quasdam lectiones institui mandârit: nos tam laudabile Majestatis suæ institutum executioni mandare cupientes, jussimus pro singulis litteras pro obtinenda debita stipendiorum solutione congruas expediri. Verùm, cùm præ cæteris Majestati suæ cordi sit, ut novæ lectioni Decretorum rectè provideatur, quam Majestas sua pro horum temporum (quibus disciplina Ecclesiastica graviter convellitur) necessitate, cupit ad primævam genuinamque suam revocari originem, sic ut magis ad Ecclesiæ ædificationem, quàm litium judiciorumque disceptationem dirigatur, dum diu multumque ad eam provinciam idoneus quispiam quæsitus esset, tandem Majestas sua ob singularem Petri Ximeni commendationem illum quantumvis reluctantem eò impulit, ut conditionem eam susciperet. Circa quam quidem ea fuit suborta difficultas, quòd dun-*

VIII. Ut ergo verum, ac Ecclesiæ utile Canonum studium ampliùs floreret, optandum esset, ut non tantùm Licentiati, sed & Doctores crearentur, qui unicè se Canonum studio occuparent, verumque sensum è suis fontibus eruerent, quemadmodum in ipsis Universitatis nostræ florentibus exordiis frequens fuisse ipsi Fasti Academici abundè testantur, in quibus referuntur plurimi solius Juris Canonici seu Decretorum Doctores.

IX. Hæc sat ostendunt, qua ratione Graduatus in Jure canonico, si scientia sacrorum Canonum, qui veram Ecclesiæ disciplinam, quin & *Patrum mores actaque repræsentant*, sit debitè instructus, quemadmodum publicum Academicum testimonium sive Gradus præfert, possit unà cum Graduato Theologo Episcopis in administratione Ecclesiæ esse admodum idoneus.

Adhæc, quis ultra mirabitur, si ad præcipuas Ecclesiæ Dignitates ac Munia vocentur indifferenter Graduati in Jure canonico & Theologia, qui attenderit sacros Canones esse conclusiones è Libris canonicis & Sanctis Patribus elicitas; ac per consequens peritum SS. Canonum, etiam Sacrarum Litterarum ac Patrum non posse esse ignarum, è quorum lectione etiam Theologus suam haurire debet scientiam.

Sicuti enim Canonistæ nomen non meretur, saltem ut ad Ecclesiastica munia assumatur, iis Canonibus tantùm instructus, qui ad forenses quæstiones, judiciaque terminanda conducunt, ita nec Theologi nomine dignus est, qui scientiam suam è sacris Litteris & Patribus non hausit.

CAPUT III.

De Graduatis Nobilibus.

1 *An probanda consuetudo Capitulorum nullos admittendi nisi Nobiles.*
2 *In electione ac munia Ecclesiastica magis attendenda virtutum, quàm generis nobilitas.*
3 *Potest tamen quandoque generis nobilitas attendi.*
4 *Hæc debet attendi cum respectu ad bonum Ecclesiæ.*
5 *Nobilitas potest conferre, ut quis magis prosit Ecclesiæ.*
6 *Quid nobilibus Canonicis præ reliquis incumbat.*
7 *Nobiles etiam gradu Academico insigniti esse debent.*
8 *Gradus Academici magna cautione concedendi.*

I. NOnnulla sunt Canonicorum Collegia, in quibus invaluit consuetudo, quam etiam nonnunquam ex ipsa fundatione originem habere asserunt, ut nullos ad suum gremium admittant, nisi suam nobilitatem legitimis testimoniis asseruerint; contra quam referente Molano *lib. 2. de Canonicis, cap.* 29. prolixè scribit Guilielmus Peraldus acriter reprehendens consuetudinem illarum Ecclesiarum, quæ nolunt *canonicare*, ut loquitur, nisi Nobiles.

Peraldo consentire videtur Gregorius IX. in *c.* 37. ✠ *de Præbendis & Dignitatibus.* Cùm enim auctoritate Apostolica Episcopus Portuensis tanquàm Sedis Apostolicæ Legatus contulisset jure devoluto Præbendam in Ecclesia Argentina cuidam Clerico, & Capitulum illud admittere nollet, allegans consuetudinem antiquam inviolabiliter observatam, juxta quam nullum nisi *nobilem*, & liberum, & ab utroque parente illustrem, honestæ conversationis, ac eminentis scientiæ, in suum consortium hactenus admisserant; quæstione ad Sedem Apostolicam devoluta, respondit Pontifex Gregorius IX. „ Nos igitur attendentes, quòd non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque hònestas, Deo gratum faciunt, & idoneum servitorem, ad cujus regimen non multos secundum carnem nobiles & potentes elegit, sed ignobiles ac pauperes: eò quòd non est acceptio personarum apud ipsum, & vix ad culmina dignitatum (nedum ad Præbendas) viri eminentis scientiæ valeant reperiri, exceptiones hujusmodi non duximus admittendas.“

II. Profectò, quin in electione & vocatione ad Ecclesiastica ministeria vitæ merita, ac eruditio potiùs sint attendenda, quàm familiæ prosapia & nobilitas, nemo ambigere potest: ut propterea meritò dicat Molanus *loco citato*, quòd „ reprehendenda & reformanda sunt Collegia, in quibus postposito de pietate & eruditione examine, hoc solum diligentissimè discutitur, an nominatus sit satis nobilis, qui admittatur, an stemma ejus nusquam deficiat, an tot recensere possit proximos suos parentes aut Barones, aut Comites; an habeat omnia sua Quarteria, ut loquuntur integra & similia, quæ nec recensere valeo, nec commemorari necesse est.“

III. At verò, ubi pietas ac eruditio non desunt, quin & ipsa generis nobilitas subinde considerari expendique queat inficiari nullus potest. Certum enim atque experientiâ notorium est, quòd nonnunquam Nobiles atque illustres Viri, dum de cætero pietate & eruditione sunt insignes, multa suâ auctoritate in bonum Ecclesiæ præstare possint, quæ alii pari aut majori pietate ac eruditione conspicui præstare non possent.

IV. Tametsi ergo in electione ad munia Ecclesiastica generis nobilitas vel familiæ prosapia nequaquam per se ac simpliciter sit attendenda, nihilominus cum respectu ad bonum Ecclesiæ, sive in quantum ea conferre potest, ut Nobilis majori auctoritate Ecclesiæ serviat, meritò attenditur; poteritque interdum Nobilis ignobili, licèt nonnihil doctiori & capaciori, sine personarum acceptione præferri.

Hæc præ oculis abuisse creditur Pontifex, dum ad instantiam Philippi II. inter novem Graduatos in singulis Cathedralibus Ecclesiis noviter erectis, tres Nobiles Graduatos esse voluit, non quosvis, sed Nobiles ipsius Diœcesis.

IV. „ Quòd enim, ait Molanus, ad ministerium Ecclesiæ vocentur, & invitentur, hoc fit, ut non solùm per eruditionem & pietatem, sed per *nobilitatem* quoque suam Ecclesiam Dei juvent. Cùm enim *Nobiles* seculares gladium portent, & per suam potentiam possint Ecclesiæ Dei, & viris ecclesiasticis multùm prodesse, valde expedit ex eorum familiis in Clero aliquos esse, ut eorum favor, obsequium & reverentia erga Ecclesiam & Ecclesiasticos magis foveatur & conservetur. Imò dum in Clero sunt Nobiles, libenter Nobiles Viri & Illustres Principes eò filios suos destinant, ut nobilitati stemmatis nobilitatem addant morum, animum liberalibus & honestis studiis excolant, & à teneris annis reverentiam Ecclesiastici Ordinis imbibant,“

VI. „ Nobiles proinde Canonici semper meminerint sui officii, atque suæ vocationis esse, ut nobiles seculares, apud quos propter carnis & sanguinis nobilitatem plerumque præ reliquis Canonicis gratiores & majoris auctoritatis sunt, adhortentur & doceant, Deum & Ecclesiam ab iis requirere, ut veluti nutritii Ecclesiæ Christi, primò & ante omnia tueantur

duntaxat Baccalaureus sit in Jure Canonico, & altiorem gradum docendique auctoritatem non haberet. Verùm non visum fuit hoc impedimentum, tam egregium institutum debere remorari, & uti Regia Majestas de eo cum ipso dispensavit, sic etiam vos non gravatè eum ad hanc professionem admissuros esse confidemus, eâ tamen conditione, ut intra annum à die cœptæ Professionis Doctoralia Insignia recipiat. Cùm hæc autem lectio non minùs Theologiæ operam dantibus, quàm Juris Canonici Studiosis utilis futura videatur, talem ei horam assignari à vobis velimus, quæ utrisque sit accommoda. Ad hæc etiam intellexisse vos arbitramur constituisse Majestatem suam, quo ii, qui Jurisprudentiæ primam daturi sunt operam, universa ejus disciplinæ elementa rectiùs simpliciùsque percipiant, ut deinceps & Institutionum altera instituatur lectio, quâ omissis iis, quæ prolixiorem, exactioremque requirunt explicationem, is, qui ad hanc assumetur professionem, summatim duntaxat textum Justinianæum explicet, glossasque leviter ac perfunctoriè tantùm attingat, sic ut eas auditores legere, & potiora aliqua inde retinere assuescant. Et ne ultra septa hæc novus Professor transiliat, intra anni spatium totos quatuor libros Institutionum omnino Majestas sua vult absolvi, cujus vos diligentem habere curam, ac Majestati suæ vel Nobis denuntiare velimus, si aliter fiat. Eandem quoque brevitatem desideramus observari in altera lectione nova, quâ visum fuit, non abs re fore, si quispiam titulos ipsos utriusque Juris interpretetur, quò & facilius eos tyrones adiscant, & ordinem rerum, materiarumque (qui memoriam imprimis sublevant) complectantur, & significationem uniuscujusque tituli plenius percipientes ad gra-

„ tur *viora legum citò perdiscenda, viam sibi præstruant, & hanc quoque lectionem anni termino præscriptam Rex voluit, sicut post minores vacationes mense Octobri semper à capite hæc Institutionum prælectio titulorumque expositio inchoetur. Institutionum autem consuetæ atque ordinariæ lectionis dignitati nihil Majestas sua detractum voluit, sed cùm eam ampliore stipendio decoravit, id desiderat, ut diligentiâ quoque majore tractetur. Cùm autem intelligamus eum, qui illi hactenus præfuit, adversa laborare valetudine, quæ fortè in longum tempus protrahi posset, cupimus, ut de Vicario ita provideatur, ne quid publicata studia detrimenti accipiant. Ad has autem lectiones delegimus D. Joannem Venduvilium, Petrum Bekium, Juris utriusque Doctores, & Joannem Ramum Licentiatum, ex quibus ni unus nobis assumendus videatur, ad operam Vicariam ægrotantis, vos velimus dispicere, qui ex iis ad singulas lectiones magis videantur vel propensi vel idonei. Et cùm in rerum novarum institutione, quid utile vel secus sit, experimento primùm intelligi certius soleat: visum nobis fuit, ut singulis in unum duntaxat annum hæ lectiones addicantur, quo ipsorum interea spectata diligentia, & speratæ utilitatis cognito successu, sub ejus finem de eorundem confirmatione melius constitui, queat. Superest igitur, ut de Ximeni admissione, & quos, quibus lectionibus magis aptos censeatis, vestram nobis sententiam perscribatis, quò similiter super stipendiorum solutione providere eis possimus. Quid autem super augmento veterum stipendiorum, vel institutione novorum pro utrisque Juris Professoribus ordinatum sit, ex schedula inclusa intelligitis. Deus vos conservet. Datum Bruxellæ 22. Aprilis 1557. post Pascha.*

„ tur honorem Dei, fidem catholicam, pacem Christianorum, „ pietatem, & bonos mores, Ecclesiam, viros Ecclesiasticos, „ & Monasticos, eorumque privilegia & immunitates. Et ut fi- „ lios suos à teneris annis sic institui curent, ut simul cum pie- „ tate observantiam Sacerdotii & Cleri imbibant. Ex quò facilè „ intelligitur, cur conveniat patrios nobiles exteris præferre, „ quòd hi plus apud nobilitatem Patriæ & Diœcesis, quàm ex- „ teri nobiles præstare possint."

VII. Neque Nobilitatem duntaxat, sed & eruditionem desideraverit Pontifex, dum ad instantiam Philippi II. tres Præbendas sive Canonicatus in singulis noviter erectis Ecclesiis Cathedralibus *Nobilibus* Diœcesanis assignavit: id vel inde intelligitur, quòd ultra Nobilitatem etiam gradum Doctoratûs aut Licentiæ in Theologia aut Jure Canonico requisiverit; ut scilicèt hoc publico Academico testimonio probarent se non tantùm generis, sed & eruditionis nobilitate insignes & idoneos, qui Ecclesiâ operâ & consilio servire possint.

VIII. Ex hactenus dictis quisque facilè intelliget, quàm soliciti esse debeant, quibus incumbit Gradus Academicos annuere, ne aliis annuant, quàm qui eruditionem aliasque animi dotes habent, quas Gradus ille Academicus ceu publicum quoddam testimonium præfert.

Ut quid Gradus illi requiruntur, nisi ut per illos constet de eruditione & capacitate promovendi; sed de his alibi latiùs.

TITULUS XI.

De Dignitatibus Capitulorum.

CAPUT I.

De Præposito.

1 *Quales durante communi Canonicorum vita essent Præpositi.*
2 *Hodierni Præpositi ab antiquis in multis distincti.*
3 *Non omnium Præpositorum eadem jura & officia.*
4 *In his attendenda consuetudo, statuta & fundatio.*

I. IN plerisque Ecclesiis Cathedralibus prima post Episcopalem dignitas, & in Collegiatis absolutè prima est Præpositi.

Officium Præpositorum in Ecclesiis Canonicorum, cùm inter Canonicos adhuc vigeret vita communis, describit Synodus Aquisgranensis anno 816. *cap.* 139. „ Quamvis, ait, om- „ nes qui præsunt, Præpositi ritè dicantur, usus tamen obti- „ nuit, eos vocari Præpositos, qui quandam Prioratûs curam „ sub aliis Prælatis gerunt. Hi tamen, qui juxta hunc morem „ *Præpositi* vocantur, tales & tam strenui sunt constituendi, qui „ & vitæ probabilis sint, & ea, quæ sibi injuncta sunt, fideliter, „ humilitèrque expleant; & pro eo, quòd aliis prælati sunt, „ nequaquam parvi pendeant canonica instituta; sed quantò plus „ implicantur in fratrum curis, tantò magis studeant cœlestibus „ obtemperare monitis. Debent igitur cunctæ congregationi es- „ se utiles & de ministerio commisso fideliter prodesse. Ea ve- „ rò, quæ fratribus dare debent, cum charitate tempore op- „ portuno incunctanter præbeant, quatenus à Domino de fide- „ li administratione gradum bonum acquirant. Erga hujusce- „ modi verò delinquentes, & obedientiam, sibi commissam be- „ ne administrantes modus superiùs comprehensus tenendus est."

II. Si quis attendat, quæ hîc Præpositis injunguntur, & incumbunt, facilè apparebit, quantum moderni Præpositi, quos in Belgio habemus, ab illis, quos describit Synodus, discrepent.

Tunc Præpositura erat officium, nunc non solùm est Beneficium, sed primaria dignitas. Tunc cura & regimen Canonicorum & Clericorum in communi viventium Præposito incumbebat; nunc pauci sunt, quibus cura animarum, aut aliquod spirituale regimen incumbit. Tunc Præpositi in congregatione & pervigili cura Fratrum assidui erant; hodie verò plures credunt se ab omni residentia personali exemptos: imò in Diœcesi Leodiensi omnes opulentiores Collegiatarum Ecclesiarum Præposituræ possidentur à Canonicis S. Lamberti. Uno verbo, uti rectè notat Molanus *lib. 2. de Canonicis cap. 4.* „ Si nostros „ Præpositos ad priscos illos conferamus, nihil ferè aliud vide- „ mur reservasse, quàm umbram quandam præposituræ, quæ „ adhuc relucet in prima sessione, in opimis fructibus, qui ta- „ men in nonnullis locis, justi Dei judicio, propter intermis- „ sam residentiam multùm attenuati sunt: rursus in collatione „ Beneficiorum, & nonnullis aliis." Hæc Molanus, quæ tamen commodè intelligenda sunt.

III. Constat enim, & in Belgio esse quasdam Præposituras, quibus Canonicorum & cleri cura spiritualis est annexa, Præpositusque est Canonicorum Pastor; quique consequenter etiam de jure naturali ac divino ad residentiam tenetur. Alii sunt, quibus alta officia etiamnum hodie incumbunt.

Et quidem Ecclesiæ Coloniensis Præpositos vi sui juramenti adstringi ad defensionem jurium, privilegiorum & Statutorum Ecclesiæ, apertè supponit Synodus Coloniensis anno 1549. *Remedio 3. cap. 5.*

Et inter statuta Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis, titulo, *de Officio Præpositi*, legitur: „ Absente vel impedito „ Archiepiscopo, ejus vices in divinis supplebit Præpositus, „ cùm huic Ecclesiæ aliquis datus erit, celebrabitque Sacrum „ secundum præscriptum Tabulæ capitularis, & in decissionibus „ capitularibus habebit primum suffragium post Reverendiss. & „ Illustriss. D. Archiepiscopum: post quem etiam habebit „ primum locum in consessibus & actibus publicis; suberit ta- „ men Capitulo, Decano autem ut Pastori."

IV. Itaque quoad jura, dignitatem & munia Præpositorum, cujusque Ecclesiæ fundationes, statuta & consuetudines attendenda sunt, ut ex illis, quid Præpositis competat aut incumbat, judicari possit. Illud autem meritò monet Molanus *loco citato*, ut Præpositus, qui à cura animarum est liber, „ me- „ minerit saltem, ut purus sit in conferendis Beneficiis, ne, si „ aliter faciat, gravissimum reportet Dei judicium. Et quia nun- „ quam Clericis bonæ voluntatis desunt officia & exercitia Ec- „ clesiastica, quibus se & Deo & hominibus commendent, me- „ minerit eum, qui cæteris antistat honore, etiam merito & „ labore antistare debere, seque tantò magis Ecclesiæ Dei de- „ bitorem esse, quantò abundantiores & majores sunt fructus, „ quos de Altari Dei percipit."

CAPUT II.

De Decano.

1 *Decanorum origo.*
2 *Cura animarum à Præpositis translata in Decanos.*
3 *Hodie unicus est in singulis Capitulis Decanus, cui totius Cleri cura incumbit.*
4 *Solet esse Caput & Præses Capituli.*
5 *Jurisdictio Decani maximè à consuetudine dependet.*
6 *Jurisdictio interdum est non apud Decanum, sed apud Capitulum. Interdum apud utrumque.*
7 *Jure communi non habet jurisdictionem* contentiosam, *sed duntaxat* correctionalem.
8 *Jurisdictio correctionalis competit Capitulo vel Decano, etiam in Capitulo non exempto.*
9 *Etiam Capitulum hanc aliquando exercet in Decanum.*
10 *Potest Decanus & Capitulum Canonicos ob indecentiam in vestibus, aut irreverentiam in Ecclesia suspendere ab introitu Chori & Capituli.*
* *Jurisdictio Decanis & Capitulis competens solet esse correctionalis.*
11 *Officialis Episcopi non potest suspendere resolutiones Capitulares in materia disciplinæ.*
12 *Quàm grave sit Decanorum officium.*

I. NOtissimum est ex historiis & Regulis Patrum, olim fuisse in plerisque Monachorum congregationibus, præter Abbatem & Præpositum, varios Decanos, qui singuli sub sua cura habebant decem Monachos. „ Si major fuerit „ congregatio, ait S. Benedictus *in regula cap.* 21. eligantur „ de ipsis Fratres boni testimonii, & sanctæ conversationis, & „ constituantur Decani, qui solicitudinem gerant super De- „ canias suas."

Cùm verò Canonici in communi viventes disciplinam monasticam in plurimis æmularentur, etiam ad imitationem Monachorum Decanos constituerunt; quare & in plerisque Hispaniarum Ecclesiis Cathedralibus Decani olim vocabantur *Priores*, teste Innocentio III. *Lib. 1. Epist. 77.* Quia Astoricen- „ sis Ecclesia dignitatem Decanatus à longis retrò temporibus „ noscitur habuisse, licèt qui eo fungebatur honore, promo- „ veretur aliquando & destitueretur pro Episcopi & Capitu- „ li voluntate, nec Decani sed *Prioris* nomine vocaretur, se- „ cundum consuetudinem fere omnium Ecclesiarum Hispaniæ, „ quæ tunc temporis ibi vigebat, &c."

II. Cum verò Præpositi ob curam temporalium, curam spiritualem negligerent, sæpiusque à congregatione ob eam temporalium curam abesse deberent, tandem interior cura ad De-

ca-

canos translata fuit: ipsique Decani in plerisque Ecclesiis capita congregationis, saltem quoad disciplinæ directionem constituti fuere.

III. Et quidem in plerisque tam Cathedralibus quam Collegiatis Ecclesiis, Decani solent totius Capituli & Cleri Capitulo subjecti curam spiritualem habere; usuque receptum est, ut quantumcunque numerosum sit Canonicorum Collegium, unicum habeat Decanum, qui tam Canonicorum, quam inferioris Ecclesiæ suæ Cleri curam habeat.

Unde Synodus Coloniensis anno 1260. firmiter præcipiendo Decanis injungit: „ Totâ eos ad id niti solertia, quòd in Ec„ clesiis disciplinalis observantia vigeat honestatis: & sicubi ener„ vata exstiterit, ipsam studeant reformare, commissam sibi exces„ suum correctionis potestatem & regimen sui officii taliter exe„ quendo, ut boni Dispensatores in domo Domini super ejus „ familiam dignâ possint commendatione censeri. Et hoc qui„ dem se facere arbitrentur, si ipsi disciplinati appareant in se„ ipsis, & per bonum exemplum confortent & animent suos „ Confratres."

Similiter seculo præterito altera Synodus Coloniensis iisdem vestigiis insistens, monet utrobique: „ Decanis curæ sit, „ ut Clericos suos ad observationem piorum rituum provo„ cent ac reducant, ut ad agendam vitam Clericis dignam per„ petuò cohortentur ac impellant, ut à negotiis, & tumultibus „ mundanis revocent, ne magis seculi quàm Christi milites vi„ deantur, ut comessationibus, ebrietatibus, ac omni luxui „ interdicant, denique ut suo officio satisfacere compellant." Anno 1536. *part.* 3. *cap.* 2.

Et sane de jure communi Decano incumbere curam Animarum ostendit Concilium Lateranense in *Cap.* 7. ✠ *de Elect.* statuens, „ Ut Decanatum, Archidiaconatum & alia quæ cu„ ram Animarum habent annexam, nullus omninò suscipiat, „ sed nec Parochialis Ecclesiæ regimen, nisi qui jam 25. æta„ tis annum attigerit, & qui scientia & moribus existat com„ mendandus."

IV. Nec tantùm Pastor est, seu curam animarum sustinet totius Cleri: sed & in plerisque Ecclesiis caput est totius Collegii, ipseque in congregatione Capitulari præsidere, proponere, & ex resolutione Canonicorum concludere solet; tametsi etiam in Choro & publicis consessibus Præpositus ipsum Decanum præcedat.

V. Quoad jurisdictionem Decani in Canonicos aliosque Ecclesiæ suæ Clericos plus ex consuetudine & privilegio; quàm ex jure dependet, uti monet Glossographus ad Sanctionem pragmaticam, *Tit. Quomodo divinum Officium sit celebrandum*, Verbo *Decanus*, ibidem tamen monens, „ Ubi Decanus esset „ Prælatus Ecclesiæ Collegiatæ, de jure haberet jurisdictionem „ ordinariam in illos de Collegio. Additque, „ quòd quasi in „ omnibus Ecclesiis Regni Galliæ hæc obtinet consuetudo, quòd „ Decani jurisdictionem habent in Capitulum, & in aliquam „ partem Cleri.

VI. Hoc Glossographi dictum commodè intelligendum est, etiam quoad Ecclesias Regni Galliæ; cùm certum sit, non tantùm in Belgio, sed & in Gallia plures esse Ecclesias, in quibus de consuetudine jurisdictio est non apud solum Decanum, tametsi caput Capituli, sed vel apud solum Capitulum, vel apud Capitulum & Decanum conjunctim.

Et quidem immediatè post allegata Glossographi verba, observandum subjicit ejus notator Philippus Probus, quòd „ De„ canus Parisiensis jurisdictionem non habet in Capitulum, nec „ in Clerum, sed ipse & Capitulum eam simul in singulos „ Ecclesiæ Ministros, etiam Canonicos Præbendatos, etiam „ Dignitates in ea obtinentes habent, quam per Officialem ca„ pitulariter institutum exercent."

Inter statuta quoque Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis *Tit. de Officio Decani*, legitur, quòd Decano quidem onus curæ animarum in omnes Capitulares & Capitulo subditos incumbat, sed tamen quòd „ propria auctoritate graviores pœ„ nas nemini infliget, sed monitum & non resipiscentem Ca„ pitulo deferet, porrò puniendum."

VII. Verùm sive Capitulo, sive Decano, sive utrisque conjunctim jurisdictio competat, ea tamen de jure communi non *contentiosa*, sed *correctoria*, seu *correctionalis*, ut loquuntur Canonistæ, esse intelligitur: unde cùm diceretur in *Cap.* 6. *de sententia Excommunicat. in VI.* quòd Decanus usus fuerit gladio spirituali excommunicationis, idque probaretur ab Innocentio IV. observat Glossa, „ Quòd Decanus iste de con„ suetudine vel privilegio haberet jurisdictionem ordinariam, „ vel saltem potestatem fulminandi censuram."

Itaque nisi consuetudo, aut alius specialis titulus Decano aut Capitulo jurisdictionem contentiosam tribuerit, sola *correctionalis* competet, reliquâ apud Episcopum ex jure communi remanente.

Hinc cùm Capitulum Nivernense quendam suum subditum carceri mancipasset, isque ab illo Capituli decreto tanquam ab abusu, juxta mores Regni Galliæ, ad Senatum Regium provocasset; auctoritate Senatus decretum Capituli cassatum fuit, declaratumque, incarcerare Canonicos spectare ad Episcopum, non ad Capitulum. Menardus in suis Arrestis, *lib.* 1. *tit.* 3. *arrest.* 3.

VIII. At ea, quæ correctionem paternam & disciplinam spectant, ad Capitulum vel Decanum, etiam in Capitulis non exemptis, pertinere vulgò receptum est. Quapropter, si quis Canonicus aliusve de Clero Capitulo subjectus, aliquam in Divino officio, aut Capitulo vel alibi irreverentiam, aut insolentiam committat, Capitulum vel Decanus pro Ecclesiarum diversa consuetudine vel statuto poterit eam punire non contentiosè, sed correctionaliter, idque per modum jurisdictionis, quàm Canonistæ dicunt *correctionalem*; v. g. privando similes irreverentes aut insolentes suis distributionibus, vel ingressu Chori vel Capituli ad certum tempus; vel quòd in inferioribus sedilibus aliquanto tempore consistere debebunt, aliave simili leviori pœnâ mulctando, quæ potiùs ad correctionem, quàm ad punitionem tendere videtur, argumento *Cap.* 13. ✠ *de Offic. Ordin.* ubi notat Panormitanus, quòd „ quilibet Præla„ tus habens subditos possit & debeat procedere ad correc„ tionem excessuum & reformationem morum."

IX. Conformiter ad hanc decisionem, Capitulum Carnotense privaverat Decanum suum distributionibus suis per octiduum, eò quòd in pleno Capitulo unum è Canonicis contumeliosè tractasset; cùmque ab hac Capituli resolutione Decanus tanquam ab abusu appellasset ad Parlamentum Parisiense, resolutio Capituli confirmata fuit. Fevret. *Tract. de Abusu, lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 3.

X. Similiter quidam Canonici Ecclesiæ Collegiatæ Divæ Virginis Baunensis, ob indecentiam in capillis & vestitu, necnon irreverentiam commissam erga Decanum, per deliberationem Capitularem condemnati fuere, petere veniam à Decano & Capitulo, & abstinere ab introitu chori per quindenam, & ab introitu Capituli per mensem. A qua deliberatione appellantes dicti Canonici ad Officialem Augustodunensem, obtinuerunt ab eodem Officiali interdictum contra Capitulum procedendi ad executionem istius deliberationis. Quod cùm Syndico Capituli esset intimatum, mox à dicto decreto Officialis interjecit appellationem *tanquam ab abusu*; atque per sententiam Parlamenti Regii 31. Maji. 1633. declaratum fuit, nulliter & abusivè per Officialem fuisse decretum; annullavitque omne, quod in vim illius interdicti actum erat, condemnatis Canonicis in expensas, & mulctam 20. librarum: ac jus dicendo super pricipali, dixit, deliberationem esse exequendam in omnibus suis punctis.

Per hanc sententiam, ait Fevret, *loco cito*, Senatus Regius duo puncta decidit. Primum, quòd Capitulum potuerit uti hac moderata & levi correctione pro conservatione disciplinæ, juxta id, quod dicitur in *L. Unica*, *Cod. de emendat. propinq. lib.* 9. „ Jure patrio auctoritas corrigat propin„ qui juvenis erratum, & privata animadversione compescat, „ Quod si atrocitas facti jus domesticæ emendationis excedat, „ placet enormis delicti reos dedi Judicum notioni."

* Ex anteà dictis infertur, quòd jurisdictio correctionalis, quæ Capitulo vel Decano competere consuevit, pertinet duntaxat ad defectus leviores, præsertim spectantes disciplinam canonicalem; non autem graviora crimina, quæ manent punienda per Ordinarium, & ordine judiciario servato.

Eandem distinctionem inter leviores defectus contra disciplinam canonicalem, aut modestiam, & honestatem clericalem, & graviora Canonicorum delicta, sive crimina, notavit vir clarissimus, & in materia canonica non parum versatus, Franciscus Pinsonius in notis ad Mollinæum ad *cap.* IRREFRAGABILI 13. ✠ *de Offic. Ordin.* Relato eam in rem Arresto Parlamenti Paris. de anno 1671.

Monet & ibidem Pinsonius, à sententia correctionali Decani vel Capituli super hujusmodi defectibus, non admitti appellationem cum effectu *suspensivo*.

Insuper notat, quòd, si post monitionem Ordinarii Capitulum in corrigendis defectibus maneat in mora, poterit Ordinarius negligentiam Capituli supplere, *cap.* 13. IRREFRAGABILI, ✠ *de Offic. Judic. Ordin.* quia jurisdictio, quæ ab Episcopo consuetudine, vel privilegio transivit ad Capitulum, facilè rursus ad Episcopum reddit, uti rectè notat Dandinus Alteserra, *lib.* 8. *de Jurisdict. cap.* 15.

Porrò sicuti hæc correctionalis Jurisdictio nonnisi circa leviores defectus versatur, nec ad graviora delicta vel crimina se extendit, ita quoque vigore hujus jurisdictionis graviores pœnæ non decernuntur, sed leviores, puta privatio distributionum, vel introitûs ad Chorum vel Capitulum, aut etiam suffragii ad tempus, pro gravitate excessûs, quæ pœnæ non absimiles sunt suspensionibus & excommunicationibus, quæ passim occurrunt in regulis Monachorum inter pœnas, quas Abbates etiam pro delictis subinde levioribus, Monachis infligere jubentur; quæ nequaquam à jurisdictione aliqua contentiosa, vel potestate clavium, sed solummodo à correctionali

& paterna auctoritate procedebant; unde nec similes suspensiones aut excommunicationes censuris Ecclesiasticis à clavium potestate procedentibus annumerabantur, uti nec suspensiones Canonicorum pro levioribus excessibus contra disciplinam canonicalem hodie infligi solitæ, pro censuris reputari possunt, nec consequenter operari effectum censurarum. Unde Canonicus ob similem aliquem leviorem excessum suspensus, aut interdictus ab introitu Chori, contra interdictum introeundo Chorum, & Divino Officio assistendo, non fiet irregularis.

XI. Alterum, quòd Officialis non potuerit dare decretum suspensivum in materia correctionis & disciplinæ. Plures similes sententias, quibus declaratum fuit, Capitulis & Decanis pro varietate Ecclesiarum competere jurisdictionem *correctionalem* in materia disciplinæ, vide apud Tornet. *Litt. C. cap.* 49. 53. & 54.

XII. Cæterùm non tantùm quoad jurisdictionem, sed etiam quoad alia jura Decanorum, potissimùm inspicienda sunt antiqua singularum Ecclesiarum statuta & consuetudines; & si inspiciantur Ecclesiarum Belgii consuetudines & statuta, in plerisque verissimum esse reperietur, quòd monet Molanus, *lib.* 2. *de Canonicis cap.* 6. „Multâ sanè opus est prudentiâ, auc„toritate, eruditione & morum probitate, ut Decanus Digni„tatem suam tueatur. Pastor est omnium Canonicorum & in„ferioris Cleri, qui pro his omnibus & singulis redditurus est „Deo rationem. Nec tantùm Pastor est, sed caput Collegii, „qui sicut bonus Paterfamilias, domui suæ præesse debet. „Est enim ei familiæ Ecclesiasticæ regimen commissum, ut „honorem domûs Dei tueatur, ut disciplinam conservet in „Clero, ut in rebus spiritualibus & temporalibus conservan„dis ministerium sibi concreditum adimpleat, nec tam præ„esse, quàm omnibus & singulis prodesse velit. Quàm arduum „autem sit hoc munus, non ignorant multi viri boni, qui in „Collegiis Canonicorum sincerè Deo placere cupiunt.“ Hæc Molanus, quæ utinam attenderent, qui ad Decanatum tanquam ad Dignitatem & Officium sine onere currunt.

CAPUT III.

De Cantore.

1 *Cantor olim dictus* Primicerius.
2 *Officium Cantoris.*
3 *Cantor dictus* Chori-Episcopus.
4 *Cantor irreverentes & defectuosos in Divino Officio punire potest.*
5 *Cur baculum in præcipuis Festivitatibus ferat.*
6 *Cantor in plerisque Ecclesiis inter dignitates computatur.*
7 *Obligationes Cantoris meritò expenduntur.*

I. INter omnes penè Canonistas convenit, *Primicerium*, de quo est titulus Decretalium, esse eundem, quem hodie in plerisque Ecclesiis Canonicorum dicimus *Cantorem*: dictumque credunt *Primicerium*, eò quòd in Ecclesiis præfectus sit Canonicis & aliis Clericis atque Cantoribus instituendis & docendis ad cantum in Choro destinatus, atque ita velut *primus* in Choro, & *primus* in cantu. Primicerius enim dictus est, „quasi *primus* in ordine ceræ seu scripturæ (ait Vallensis „ad Titulum *de Officio Primicerii*) in omnibus ordinibus dignior: „sic enim sæpiùs legimus in Novella 8. *Notariorum Primi„cerium*, id est, primum, seu in Matricula Notariorum pri„mò scriptum: & in Codice Lib. 12. *Primicerium menso„rum*.....Et Augustinus vocat Stephanum, *Primicerium Mar„tyrum*. Is verò, qui Primicerium in quocumque sequebatur, „Secundicerius & sic deinceps dicebatur.“ Hæc ille.

Cantoris autem, qui & interdum dicitur *Præcentor*, officium est, choro præesse, ut ibidem Canonicos, reliquosque Clericos & Ministros ad divina dirigat Officia, & modum canendi; quod divinæ laudis in communi choro decantandum est, per eum præordinetur, & solicitè psallendi ordinem, ac orandi modum committat, silentiumque indicat; risus cohibeat & colloquia, ac curet, ne quis in psallendo nimiùm festinet, vel tardet, nec versus alter ante alterius finem incipiatur. Uno verbo, Cantoris oneri incumbit, ut divina Officia graviter & ordinatè Altissimo persolvantur, ut juxta Apostolum omnia secundum ordinem fiant in Ecclesia. Ita post Barbosam *de Canonicis*, *c.* 9. aliosque Canonistas tradit Fermosinus in commentario ad *Titulum de Offic. Primicerii*, *quæst.* 1. *num.* 19.

III. Mirum ergo videri non debet, quòd in Synodis Coloniensibus anni 1260. & anni 1536. Cantores dicantur *Chori-Episcopi*, sive latinè Chori *inspectores*.

IV. Et inter statuta Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis sub titulo, *de Officio Cantoris*, habetur: „Chorum re„vereuter diriget, discursiones, confabulationes, cachinnatio„nes, omnesque alias insolentias & irreverentias compescet, „curamque geret, ut omnes Chori leges & statuta bene obser„ventur; & maximè ut totum divinum Officium tractim, dis„tinctè, articulatim ac reverenter peragatur; & quos in præ„dictis delinquere videbit, semel monitos propria auctoritate „corripiet, & distributionibus privabit.“ Tradit quoque Renatus Chopin. *Lib.* 1. *de Polit. Eccles. cap.* 3. *num.* 10. ex Glossa Pragmaticæ, quòd in plerisque Ecclesiis sit „Can„tor *Præses* seu *Præsul Chori* dictus, aut *Chori Director*, cum „sacra potestate Juridica in Sacrificulos templi, vel Canonicos „quidem, & alios Ecclesiastica præstantes Dignitate.“

V. In signum hujus potestatis receptum videtur in quibusdam Ecclesiis, ut Cantor utatur in præcipuis festivitatibus baculo argenteo, quem *baculum Cantoralem* vocant: cujus usus præscribitur in ritibus Ecclesiæ Lugdunensis, quos cum observationibus nuper evulgavit Antonius Bellot Lugdunensis Decanus; qui ibidem *pag.* 739. ex Honorio Augustodunensi mysticam illius baculi significationem refert.

Imò in hac nostra Ecclesia Collegiata S. Petri Lovanii, licèt Cantoria non sit Dignitas, locumque post omnes Canonicos primæ fundationis in Choro habeat, tamen personaliter in solemnioribus officiis assistens, Canonicos omnes, qui per ordinem ei assistunt, præcedit, quasi in dignitate constitutus.

VII. Utinam hæc onera, quæ sibi ex officio incumbunt, expenderent Ecclesiarum Cantores, facilè intelligerent, se in Clero digniorem locum habere, proventusque Ecclesiasticos percipere, non ut inde superbiant, aut otientur, & commodè vivant, sed majori auctoritate munera sibi incumbentia exsolvere queant, recogitentque seriò, defectus & irreverentias Divini Officii, si muneri suo desint, aliquando in districto Dei judicio sibi imputandos.

CAPUT IV.

De Scholastico.

1 *In Collegiis Canonicorum olim fuerunt Scholæ puerorum.*
2 *Ecclesiæ Cathedrales & Collegiatæ suas Scholas retinuerunt.*
3 *Scholasteria olim simplex beneficium, sensim in dignitatem degeneravit.*
4 *Decretum Concilii Tridentini circa Scholasterias.*
5 *Scholastici per se formandæ juventuti intendere debent.*
6 *Eorum cura in constituendis Scholarum Magistris.*
7 *Sæpius Scholas frequentare & curare debent.*
8 *Primaria cura semper manet apud Scholasticos.*

I. JAm pridem in Canonicorum Collegiis, vigente adhuc vita communi, fuisse adolescentum & puerorum Scholas, in quibus à pueritia paulatim ad vitam clericalem formarentur, notissimum est.

Ut verò Scholæ illæ non solùm essent Scholæ litterarum, sed & virtutum, unus ex probatissimis Senioribus, qui pueros & adolescentes in bonis moribus & vitæ sanctitate erudiret, solicitè deputabatur. „Fratrer, ait Regula Canonicorum, *cap.* 135. „cui hæc cura committitur, si eorum curam parvipenderit, & „aliud quàm oportet, aut eis in aliquo læsionis maculam inges„serit, severissimè correptus ab officio amoveatur: & Fratri „alii id committatur, qui eos & innocentis vitæ exemplis in„formet, & ad opus bonum peragendum excitet.“

II. Vitâ communi Canonicorum in singularem commutata, licèt pueri & adolescentes Canonicis sensim quoque cohabitare desierint; nihilominus mansêre puerorum & adolescentum Scholæ Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis subjectæ; mansitque & unus è Clero, qui eam curam ageret, qui hodiè *Scholasticus*, sive interdum *Scholarchus*, hoc est, Scholæ Præpositus sive Præfectus nuncupatur.

III. Olim Scholasteria sive munus Magistri Scholarum erat simplex officium, à quo si quis minus conveniens judicabatur, pro arbitrio Superiorum amovebatur; ac stabilita tandem singulari Canonicorum vita, uti & pleraque Canonicorum munia, in Beneficium, imò & in aliquibus Ecclesiis ad dignitatem evecta est. Hinc ulteriùs contigit, ut ob splendorem dignitatis & proventus amplos annexos munia illa ambiri cœperint, constituique Scholastici, qui vix seipsis regendis essent idonei; autumantes satis esse, si ipsi dignitate & proventibus potirentur, officium verò à se in alios derivarent. *Ætate nostra*, ait Albertus Crantius lib. 7. Wandal. cap. 4. *Scholastici nullum officium est, nisi collectas pauperum Scholarium in usus mensæ suæ vertere.*

IV. Huic abusui obviare volens Synodus Tridentina statuit *Sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.* „Ut de cætero officia vel digni„tates illæ, quæ *Scholasteriæ* dicuntur, non nisi Doctoribus, „vel Magistris aut Licentiatis in Sacra Pagina, aut in Jure Ca„nonico, & aliis personis idoneis, & qui per seipsos id munus „explere possint, conferantur, & aliter facta provisio nulla sit „& invalida, non obstantibus quibusvis privilegiis & consuetu„dinibus etiam immemorialibus.“

V. Hoc decreto apertissimè declarat Synodus, Scholasticos tales esse constituendos, qui *per se* munus suum expleant, id est,

est, curam Scholarum habeant, & formandæ instituendæque juventuti intendant.

VI. Imprimis igitur Scholastici est curare, ut si ad ipsum spectet constituere magistros sive magistras Scholarum, nullum aut nullam admittat, nisi priùs de illius capacitate & bona conversatione ac piis moribus apprimè sit instructus, de quo meritò sperare queat, quòd tenellæ juventuti contina virtutum exempla ob oculos ponet; & cui nihil magis curæ sit, quàm puerorum malas inclinationes refrænare ac mortificare, & virtutum semina inserere.

Si enim Magistri aut Magistræ non undequaque à vitiis sint immunes, facilè aliquam vitiorum illorum maculam juventuti communicabunt. Notum quippe est, quàm facilè pueri, velut novæ & adhuc recentes testæ, odorem aliquem, quem diu reservent, recipiant.

VII. Neque hic sistere potest Scholasticus, quasi sufficeret, quòd Magistrum aut Magistram Scholis designaverit & instituerit, sed ipse meminisse debet, se semper manere Scholarum Præfectum, ideoque jugem Scholarum curam sibi incumbere; seque invigilare debere, num juventus, tam in litteris, quàm moribus ritè instituatur & proficiat: eumque in finem frequenter per se visitet, examen instituat, eaque omnia faciat, quæ ostendant, eum juventuti sedulò invigilare, atque de eorum profectu in litteris ac morum pietate multùm esse solicitum, verumque esse Scholarchum sive Scholarum Præfectum. Et quidem tantò vigilantior esse debet Scholasticus puerorum Magister ab Ecclesia designatus, quantò tenella juventus faciliùs vel perversa doctrina, vel perversis moribus inficitur; eoque periculosior sit vel minima puerorum infectio, quod ea, quæ primùm cum lacte quasi imbibunt, etiamsi pessima sint, plerumque usque ad senectam, imò ad mortem usque retinere soleant.

VIII. Tametsi ergo hodiè à Scholasticis aliisve, quibus id ex consuetudine aliove titulo competit, præficiantur instituendæ & formandæ juventuti Magistri vel Magistræ, tamen præcipua ac primaria cura manet apud Scholasticos: quæ sanè non exiguam prudentiam, eruditionem ac zelum requirere solus inficiabitur, qui nescit, quanta peritia, quantusque labor & industria requirantur, ut juventutis corrupta natura in novam commutetur, atque in ea conservetur; ut propterea non immeritò Synodus Tridentina tam solicitè inculcaverit, ut Scholasteriæ non nisi Doctoribus, vel Magistris aut Licenciatis in Sacra Pagina, aut in Jure Canonico, aliisve personis idoneis, qui per se ipsos id munus obire possint, conferantur.

Porrò quâ ratione Scholæ, tum in civitatibus, tum in Pagis ex Synodorum & Principum nostrorum decretis sint instituendæ, quæque circa eas observanda, pluribus exponetur *part. 2. tit. de Scholis.*

CAPUT V.

De Thesaurario.

1 *Thesaurarius unde dictus.*
2 *Thesauraria interdum* simplex Officium, *interdum* Dignitas.
3 *Officium Thesaurarii.*
4 *Thesaurario cura supelectilis Ecclesiasticæ incumbit.*
5 *Custodia actorum & litterarum ad Ecclesiam spectantium incumbit eidem.*
6 *Quomodo Thesaurarius à consuetudine Ecclesiæ suæ officia metiri debeat.*
9 *Thesaurario ordinarie plura incumbunt, quam aprehenditur.*
8 *Monitum Molani ad Thesaurarios notandum.*

I. IN plerisque Canonicorum Ecclesiis solet esse unus *Thesaurarius*, à thesauris Ecclesiæ, qui ejus custodiæ committuntur, nomen habens, inquit Molanus *Lib. 2. de Canon. cap. 13.*

II. Est autem Thesauraria apud quosdam, ut exempli gratia in Ecclesia Collegiata S. Petri Lovanii, simplex officium à quo, si inidoneus appareat, amoveri potest. In plerisque verò Ecclesiis est, vel Beneficium, vel Dignitas, etiam interdum ex primariis. Et quidem tempore Innocentii III. Thesaurariam Nivernensem fuisse pro dignitate reputatam, inde apparet, quòd Thesaurario Nivernensi causæ cognitio delegata reperiatur, in *Cap. 32. ✠ de Offic. Judicis delegati.* Notat autem Molanus, „ quòd prius, (scilicet esse simplex Of„ ficium,) simplicitati vetustatis magis competat; tunc enim om„ nia officia in Clero erant obedientiæ, ut alicubi Clerus Co„ loniensis loquitur. Posterius verò ex divitiis enatum est, quæ „ in Cathedralibus aliisque capitularibus Ecclesiis varia Offi„ cia non modo in Beneficia, sed etiam in Dignitates evexe„ runt. Quo fit, ut aliquando is fiat Thesaurarius, qui se ip„ sum custodire ac gerere nesciat, quique ineptus sit ad cu„ juscunque parvæ domûs custodiam.“

III. Officium Thesaurarii describit conformiter ad ea, quæ dicuntur sub titulis Decretalium *de Officio Sacristæ*, & *de Officio Custodis*, Rodericus Zamorensis his verbis: „ Tesaura„ rius, sive custos præcipuâ quadam perogativâ, ac hono„ ris preeminentiâ in Sacrosancta Ecclesia fulget; illorum enim „ dignitati & officio Basilicarum primò incumbit custodia & „ tuitio, Ostiariorum institutio, luminarium incensio & præ„ paratio, cura denique baptisterii, Vasorum quoque Sancto„ rum & Sacerdotalium vestium, nec non Sacrarum Reliquia„ rum, ac tandèm totius Ecclesiæ Thesauri ad eum principa„ liùs pertinet custodia. Sed & inter Ecclesiæ Ministros, pro „ modo obsequii & personarum differentiis, redditus & obla„ tiones dividit. Meritò igitur S. Synodus idipsum dignitatis Of„ ficium, ut unam Ecclesiæ columnam, summo studio eligen„ dum, honorique habendum decrevit, ut nullus in ea nisi „ sanctior & melior ordinetur.“

Hæc ille, supponens cum pluribus aliis Canonistis, ea quæ in Decretalibus *de Officio Sacristæ & Custodis* leguntur hodiernis Thesaurariis esse applicanda; neque iis, qui hodie in Ecclesiis sive Canonicorum, sive Parochialibus *Custodes* seu *Matricularii* vulgò appellantur, applicari posse: quod & suprà *tit. 4. cap. 1.* notavi.

IV. Concilium Coloniense anno 1260. Thesaurarios cum Custodibus confundit, monetque, „ ut luminaria Ecclesiæ ita fi„ deliter administrent, & generaliter omnis Ecclesiasticæ supel„ lectilis seu Thesauri custodiam, eorum fidei atque curæ com„ missam, ita conservent fideliter & solerter, quòd inde non sint „ reprehensibiles, & quòd pœnam canonicæ castigationis evitent.“

V. Nec tantùm vasa & ornamenta sacra, sed etiam acta omnia instrumenta & privilegia, quibus feuda, beneficia & reliqua omnia jura continentur, sub Sacristæ, seu Thesaurarii manu remanere debere, ex *Ep. 57. lib. 1. Innocentii III.* tradit Cironius in commentario ad titulum *de Officio Sacristæ*, qui tamen ad titulum *de Officio Custodis* rectè monet, de his non esse certi quidpiam statuendum, propter varias Ecclesiarum consuetudines, „ ad quas, inquit, omnia hæc of„ ficiorum & Dignitatum jura semper referre debemus.“

VI. Hæc tamen nolim ita intelligi, quasi sufficiat Thesaurario alterive Dignitatem aut Beneficium in Ecclesia obtinenti examinare, quid eorum Prædecessores aliqui egerint, aut quid similem Dignitatem in aliis Ecclesiis obtinentes passim agant. Cùm nihil sit frequentius, quàm inter hujusmodi generis homines reperiri, qui nihil penè eorum quæ officium requirit, adimplent, rati sufficere, si dignitate & proventibus potiantur; sed horum negligentia non pro legitima consuetudine, sed pro enormi & deplorando abuso reputanda est.

VII. Ut ergo de sua obligatione statuat Thesaurarius, aliusve Dignitatem aut Beneficium obtinens, consulere debet Sacros Canones, litteras fundationis, sive erectionis, statuta suæ Ecclesiæ, aliaque similia monumenta, ut ex illis, quid sui Officii sit intelligat; nec dubitandum, si hæc seriò revolvantur, quin constabit, nullum esse Beneficium aut Dignitatem, cui non sit ex mente Ecclesiæ & Fundatorum onus notabile annexum; atque omne Beneficium dari propter Officium; verisimeque dictum esse à Molano; *etsi Thesaurarii nomen perdulce sit, difficile tamen est Officium, si recte geratur.*

Unum hîc præterea monendum censuit Molanus, quod & præsenti temporum calamitati admodum congruit, nimirum, „ multos esse nedum Thesaurarios, sed & corpora sive Col„ legia Canonicorum, qui nesciant, quid sit custodire Thesau„ ros Ecclesiæ. Putant enim tunc demum eos custodiri, si ad „ ornatum templi Dei custodiantur. Si quis verò vel propter „ publicam famem, vel propter redemptionem captivorum, eos „ alienare velit, quám multi clamabunt non custodiri, sed dis„ trahi & dissipari vasa Dei? Quasi verò quod in viva Dei „ templa ex necessitate impenditur, hoc malitiosè materiali „ Dei templo detrahatur. Sic carnales homines sapiunt, sed lon„ gè aliud est Sanctorum Dei judicium.“

CAPUT VI.

De Canonico Theologo.

1 *Decretum Concilii Lateran. de institutione Theologi.*
2 *Decretum Concilii Basiliensis.*
3 *Decretum Concilii Trid.*
4 *Consectaria ex decreto Concilii Trid.*
5 *Præbenda non inteligitur affecta Theologo, nisi per actualem deputationem.*
6 *Quoties & quo tempore Theologus prælegere debeat, Synodus Trid. non determinavit.*
7 *Hac de re S. Caroli Decretum.*
8 *Pluraque Concilia volunt bis, aut ut minus semel per hebdomadam doceri.*
9 *Et Canonici lectioni interese debent.*
10 *Ex mente Ecclesiæ Theologus per se docere, & omnes de Clero Ecclesiæ lectioni interesse debent.*

Theo-

11 *Theologus iis horis quibus docet, etiam distributiones in absentia lucratur.*

I. CONcilium Lateranense sub Innocentio III. in *Cap.* 4. *de Magistris*, voluit, ut Metropolis Ecclesia Theologum habeat, qui Sacerdotes & alios in Sacra Pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad Curam animarum spectare noscuntur.

II. Hoc generalis Concilii decretum per Synodum Basiliensem *Sess.* 31. *cap.* 3. extensum fuit ad Ecclesias Cathedrales: taliter videlicet: „Quod quilibet Collator ipsarum „Præbendarum teneatur & debeat Canonicatum, & Præben„dam, quamprimùm facultas se obtulerit & inveniri potue„rit, uni Magistro Licentiato, vel in Theologia Baccalaureo „formato conferre, qui per decennium in Universitate privi„legiata studuerit, & onus residentiæ & lecturæ & predica„tionis subire voluerit, quique bis aut semel ad minus per „singulas hebdomadas, cessante legitimo impedimento legere „debeat; & quoties ipsum in hujusmodi lectura deficere con„tigerit, ad arbitrium Capituli in substractione distributionum „totius hebdomadæ puniri possit. Et si residentiam deserue„rit, de alio provideatur. Veruntamen ut liberiùs studio va„care possit, nihil perdat, cùm absens fuerit à Divinis."

Decretum illud ad verbum Sanctioni Pragmaticæ, nec non Concordato inter Franciscum I. Regem Galliæ & Leonem X. insertum est.

III. Intelligens autem Synondus Tridentina, hæc saluberrima Decreta non ubique suum hactenus obtinuisse optatum effectum, edixit *Sess.* 5. *cap.* 1. *de Reformat.* „Ut in Ec„clesiis Metropolitanis vel Cathedralibus, si civitas insignis, „vel populosa, ac etiam in Collegiatis existentibus in aliquo „insigni oppido, etiam nullius Diœcesis, si ibi Clerus nu„merosus fuerit, ubi nulla præbenda aut præstimonium seu „stipendium hujusmodi deputatum reperitur, Præbenda quo„modocunque, præterquam ex causa resignationis, primo va„catura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad „eum usum ipso facto perpetuò constituta & deputata intel„ligatur. Et quatenus in ipsis Ecclesiis nulla vel non suffi„ciens Præbenda foret, Metropolitanus vel Episcopus ipse per „assignationem fructuum alicujus simplicis Beneficii, ejusdem ta„men debitis supportatis oneribus, vel per contributionem „Beneficiatorum suæ civitatis & Diœcesis, vel aliàs, prout „commodiùs fieri poterit, de Capituli consilio ita provideat, „ut ipsa sacræ Scripturæ lectio habeatur; ita tamen, ut quæ„cunque aliæ lectiones, vel consuetudine, vel quavis alia ra„tione institutæ, propter id minimè intermittantur. Ecclesiæ „verò, quarum annui proventus tenues fuerint, & ubi tam „exigua est Cleri & populi multitudo, ut Theologiæ lectio „in eis commodè haberi non possit, saltem Magistrum habeant „ab Episcopo cum consilio Capituli eligendum, qui Cleri„cos aliosque Scholares pauperes Gramaticam gratis doceat, „ut deinceps ad ipsa Sacræ Scripturæ studia, annuente Deo, „transire possint, ideoque illi Magistro Grammatices, vel ali„cujus simplicis Beneficii fructus, quos tandiu percipiat quam„diu in docendo perstiterit, assignentur, dum tamen Benefi„cium ipsum suo debito non fraudetur obsequio; vel ex Ca„pitulari, vel Episcopali mensa condigna aliqua merces persol„vatur; vel alias Episcopus ipse aliquam rationem ineat suæ „Ecclesiæ & Diœcesi accomodam, ne pia hæc, utilis, atque „fructuosa provisio quovis quæsito colore negligatur. In Mo„nasteriis quoque Monachorum, ubi commodè fieri queat, etiam „lectio sacræ Scripturæ habeatur."

IV. Ex mente proinde Concilii Tridentini, non tantùm in Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis juxta præcedentium Conciliorum Decreta, sed etiam in Collegiatis Insignibus, ubi numerosus est Clerus, constituendus Thelogus (p) qui Sacram Scripturam prælegat; eique Præbenda quomodocunque præterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ipso facto perpetuo constituta & deputata intelligatur.

V. Hoc tamen inteligendum est, modò ipse Episcopus primo vacantem Præbendam huic muneri actualiter deputarit & annexuerit, Theologalemque declaraverit. Ante enim hanc actualem Episcopi deputationem Præbendam non censeri Theologalem, sed manere liberam, communiter tradunt Canonistæ; & ita declarasse S. Congregationem Cardinalium refert Fagnanus ad *Cap.* 4. ℵ *de Magistris*. Vide Zypeum *Consult.* 2. *tit. de Magistris*.

VI. Quoties verò per hebdomadam, & quo tempore docere debeat, Synodus non expressit; censuitque S. Congregatio, teste Garcia *de Beneficiis*, *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 155. quòd de tempore & hora & materia Scripturæ, Theologiæ, quæ in S. Scriptura continetur, super qua legendum sit, relinquitur arbitrio Ordinarii. Et ita Synodi pro executione Synodi Tridentinæ celebratæ quoque intellexerunt. Synodus P. I. Cameracensis postquam nonnulla de lectionibus Theologicis in Capitulis & Monasteriis habendis statuisset, in fine adjungit: *Relinquatur autem Episcoporum, Capitulorum & Abbatum judicio, qua hora, quibusvè diebus sit prælegendum.*

VII. Concilium Mediolanense V. sub S. Carolo statuit: „Ut „quicunque Præbendam Theologalem, vel Tridentino decreto, „aliâ auctoritate rationeve institutam, in Cathedrali Collegia„tisque Ecclesiis obtinet, is & quæ sacrarum lectionum genera, „& quibus diebus Episcopus præscripserit, ut interpretationis „suæ munere fungatur, accuratè ad illius præscriptum præstet, „ita ut etiam, si expedire censuerit, & in Seminario & in aliis „Clericalibus Sacerdotalibusque Collegiis doceat: in Basilica „verò Cathedrali, saltem die festo, semper Sacram Scripturam „publicè interpretetur & exponat, nisi aliquando aliud jusserit „Episcopus."

Et in Synodo sua Diœcesana XI. declarat S. Carolus, ut si singulis feriis prælegere non possit, ter saltem per singulas hebdomadas id præstet: additque „Clericos porrò inferiorum or„dinum aut Cathechismi Romani doctrinâ aut alia lectione etiam „separatim à reliquo Clero sæpius in hebdomada erudiat, at„que instituat, ex præscripto regularum nostrarum."

VIII. Alia Concilia pressiùs inhærendo determinationi Concilii Basiliensis insertæ Concordato Leonem X. inter & Franciscum I. Regem Galliæ, & probatæ in Concilio Lateranensi sub eodem Leone, decernunt, ut Theologalem Præbendam obtinentes teneantur bis, aut ad minus semel in hebdomada prælegere, & diebus Dominicis & Festis solemnibus concionem publicam habere. Synodus Turonensis an. 1583. *cap.* 13. Bituricensis 1584. *tit.* 34. *can.* 7. Aquensis, *tit. de Canonicis*, quæ ultima vult, ut saltem bis in hebdomada doceat.

IX. Porrò cum frustranea esset Theologiæ prælectio, nisi sint, qui eum prælegentem audiant, curare debent Episcopi, Capitula, aliique Superiores, ut Clerici instructione indigentes diligenter prælectioni intersint.

„Curent autem Episcopi (inquit Synodus P. I. Cameracen„sis) cum Capitulis & Monasteriis, quacunque ratione com„modiùs fieri queat, proposita sive pœna, sive præmio, ut „frequens sit auditorium, qua in re plerumque valebit docen„tis industria, si sit efficax in docendo; ut non tantùm rem „exponere, sed Auditorem retinere, & oblectare possit." Atque eum in finem capite præcedenti monuerat, „ut ii, qui „Theologiam in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, aut Mo„nasteriis docent, in eo præstando eum ordinem teneant, qui „maximè Auditoribus sit commodus, ut lectionis adminiculo „non doctiores tantùm, sed probiores evadant."

Synodus Turonensis jam citata postquam dixit, cogendos esse ad sui muneris expletionem Canonicos Theologales, tanquam consequens subjungit: „Cæteris Canonicis, Capellanis, Vica„riis, Presbyteris & Clericis civitatis injungentes, ut prædica„tionibus & lectionibus intersint." Bituricensis loco suprà allegato vult, ut „etiam Dignitates habentes cum reliquis Cano„nicis & Ecclesiasticis concionanti aut prælegenti teneantur ad„esse sub pœnis indicendis: graviore autem pœna plectentur, „ait, qui semel atque iterum moniti abfuerint." Synodus Aquensis ejus lectioni interesse quoque vult Clericos Seminarii, si ita Episcopo videbitur.

X. Itaque ex mente Ecclesiæ, & natura ipsius Præbendæ Theologalis, tenetur ejus possessor per se, & non per substitutum, cessante legitimo impedimento Scripturam prælegere, ejusque prælectioni Clerus Ecclesiæ interesse.

Hinc cùm Canonicus Theologalis Ecclesiæ Sagiensis esset monitus à Capitulo, ut conformiter ad Conciliorum Sanctiones concionaretur & prælegeret sub pœna amissionis fructuum suæ præbendæ, isque replicasset, prælectionem suam futuram inutilem, eò quòd Canonici non interveniant, quodque Decreta Theologo prælectionem injungentia, similiter injungant Canonicis, ut prælectioni assistant: quæstione ad Senatum Regium delata, utrique parti injunctum fuit, ut respectivè Decreta & Canones servarent, id est, Theologus suo muneri satisfaceret, & Canonici assisterent. Tournet. *Litt. C. cap.* 18.

XI. Ut verò Theologus utiliùs & fructuosiùs suo muneri satisfacere, studiisque liberiùs vacare possit, *etiamsi absens fuerit à divinis*, ait Synodus Basiliensis, *habeatur pro præsente, ita ut nihil perdat.*

Quare non tantùm grossi fructus, sed & quæcunque propriæ dictæ distributiones quotidianæ, etiam ex anniversariis provenientes, Theologo absenti debentur, iis saltem diebus, quibus docere debet.

Hac de causa cùm Officialis Carnotensis privasset Canonicum Theologalem distributionibus quotidianis, quia ordine in tabella Chori designato lectiones nocturni non cantasset, interjecta appellatione tanquam *ab abusu* ad Senatum Regium, sententia Officialis cassata fuit; declaratumque, Canonicum Theologalem

(p) *De hac Præbenda facit mentionem* l. 24. tit. 3. lib. 1. Recop.

lem à servitio chori esse exemptum ; nec nomen esse inscribendum tabellæ pendenti in choro. Tournet. *Litt. C. cap.* 17.

Refert quoque Nicolaus de Rebbe, Canonicus Insulensis, in tractatu *de Canonicatu Theologali, quæstione VII.* Gregorium. XIII. ex certa scientia & de consilio Cardinalium sanctione irrefragabili ordinasse, ut Theologus solitus legere, absens à servitio chori, percipiat integros fructus præbendæ, exceptis distributionibus quotidianis propriè dictis ; quas & percipiet, diebus lecturæ.

TITULUS XII.

De Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium.

CAPUT I.

De Archidiacono.

1 *Primus Episcopi Minister est Archidiaconus.*
2 *Amplissima olim erat Archidiaconi auctoritas.*
3 *Archidiaconus erat generalis Episcopi Vicarius.*
4 *Ejus auctoritas etiam ad Presbyteros extendebatur.*
* *Error Gratiani extulit Archidiaconos supra Archi-Presbyteros.*
5 *Archidiaconi auctoritas primùm tantùm fuit vicaria sive delegata.*
6 *Quomodo sensim facta sit ordinaria.*
7 *Seculo VIII. erat ordinaria.*
8 *Archidiaconi interdum habuerunt jurisdictionem Fori contentiosi.*
9 *Non omnium Archidiaconorum eadem fuit auctoritas & jurisdictio.*
10 *Archidiaconorum potestas multùm diminuta.*
11 *Jurisdictio Archidiaconorum per Concilium Trident. restricta.*
12 *In plerisque Ecclesiis hodie nulla est Archidiaconorum jurisdictio contentiosa, sed sola cura extrajudicialis.*
13 *Distinguenda quæ facit Archidiaconus jure proprio ab iis quæ agit tanquam Officialis Episcopi.*
14 *Archidiaconorum est, Ordinandos præsentare Episcopo.*
15 *Archidiaconi examini ad Ordines & Beneficia jure suo interveniunt.*
16 *Jure communi Archidiaconi jus habent visitandi Diœcesim.*
17 *An sine consensu Episcopi post Concilium Trid. Archidiaconi visitare possint.*
18 *Consensum suum Episcopus facilè negare non debet.*
19 *Decani Rurales jure communi ab Archidiacono & Episcopo olim dependebant, secus hodie.*
20 *De jure communi institutio corporalis Beneficiatorum ad Archidiaconum spectat.*
21 *De consuetudine institutio* tituli collativa *etiam spectat ad Archidiaconum.*
22 *In nonnullis Ecclesiis adhuc hodie amplissima est Archidiaconorum jurisdictio.*
23 *Exemplum suppeditat Ecclesia Leodiensis.*
* *Archidiaconorum Ecclesiæ Metropolitanæ Ultrajectensis summa auctoritas.*
24 *Aliud exemplum est in Ecclesia S. Jacobi Lovanii.*
25 *Quidquid Archidiacono competit, ei competit jure ordinario.*
26 *Qua ratione Archidiaconus hodie adhuc dicatur Vicarius Episcopi.*
27 *An Archidiaconus Ordinandos præsentare possit, quos indignos novit, si eos Episcopus dignos judicet.*
28 *Archidiaconi debent esse ad minus Licentiati in Theologia aut Jure Canonico, & in Belgio ex Canonicis Graduatis assumi.*

Diaconos olim fuisse præcipuos Episcoporum, tum in sacris, tum temporalibus ministros supra *tit.* 1. *cap.* 3. ostendimus.

I. Porrò inter Diaconos eminebant Archidiaconi, tanquam primi Diaconorum, sive primi ministrorum.

Archidiaconus itaque quasi *præcipuus* Episcopi minister, negotiis Ecclesiasticis præficiebatur.

Unde S. Leo conqueritur de Anatolio Episcopo Constantinopolitano, quòd eum Archidiaconum constituisset, qui Eutychianæ hæreseos se prodiderat defensorem ; quem „ quia inquit, *nunc Ecclesiasticis negotiis præposuit*, propter hæreticam perversitatem eidem favorem suum præstare convincitur.“ *Epist.* 85. ult. edit.

Archidiaconus itaque generalis quodammodo erat Episcopi Vicarius : tantæque propterea auctoritatis, ut de S. Joanne Archidiacono, qui postmodum fuit Episcopus Cabilonensis, loquens Sidonius Apollinaris, dicat, eum diu hæsisse in Officio Archidiaconi, priusquam ad Sacerdotium elevaretur, quia non inveniretur, qui dignè officio illo fungeretur ; in quo Archidiaconi gradu, seu ministerio, multùm retentus propter industriam, diu dignitate non potuit augeri, ne potestate posset absolvi. *Lib.* 4. *Epistola* 25.

II. Amplissimam hanc Archidiaconorum auctoritatem terminis specificis expressit seculo VI. S. Isidorus Hispalensis, & refertur apud Gratianum, *Dist.* 25. *can.* 1. „ Archidiaconus, „ inquit, imperat Subdiaconis & Levitis : ad quem ista ministe„ ria pertinent, ordinatio vestiendi Altaris è Levitis, cura in„ censi, & sacrificii necessaria solicitudo ; quis Levitarum Epis„ tolam & Evangelium legat, quis preces dicat, seu responso„ria in Dominicis diebus aut solemnitatibus decantet ; solicitudo „ quoque Parochiarum & ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent „ curam ; pro reparandis Diœcesanis Basilicis ipse suggerit Sa„ cerdoti ; ipse inquirit Parochias cum jussione Episcopi, & or„ namenta, vel res Basilicarum Parochiarum ; gesta libertatum „ Ecclesiasticarum Episcopo idem refert ; collectam pecuniam „ de communione ipse accipit & Episcopo defert, & Clericis „ proprias partes idem distribuit. Ab Archidiacono nuntiantur „ Episcopo excessus Diaconorum ; ipse denuntiat Sacerdoti in „ sacrario jejuniorum dies atque solemnitatum, & ab ipso pu„ blicè in Ecclesia prædicatur.“

III. Hæc Isidori expressio ostendit, Archidiacono integram Episcopalem jurisdictionem tam in spiritualibus quàm in temporalibus fuisse concreditam, eique visitationem Parochiarum & Ecclesiarum demandatam fuisse. Uno verbo, Archidiaconus erat Episcopi generalis & universalis Vicarius, ut meritò Vicentius Fortunatus scribens ad Archidiaconum Meldensem, eum *Magnum* Ministrum dixerit, hocque Poëma cecinerit.

Det tibi larga Deus, qui curam mente fideli
De grege Pontificis, MAGNE *Minister, habes.*

IV. Adhæc non tantùm in Laicos, aut inferiores Clericos, vel etiam Diaconos, sed in ipsos Presbyteros auctoritatem & potestatem exercebant Archidiaconi, uti ex relatis Isidori verbis colligi potest ; qui id ipsum eodem loco evidentioribus & expressioribus terminis declarat, dicens : „ Archipresbyter ve„ rò se esse sub Archidiacono, ejusque præceptis, sicut Epis„ copi sui, sciat obedire.

* Verba illa, quibus Archipresbyter jubetur subesse Archidiacono, & ex Isidoro relata, apud Isidorum Hispalensem non exstant ; neque apud Burchardum *Lib.* 3. *Decreti cap.* 50. ubi hæc epistola refertur, uti nec in Pannormia Ivonis, *Lib.* 3. *cap.* 41. Legitur tamen hæc periodus in Decreto Ivonis, *Part.* 6. *cap.* 20.

Ad hunc locum Ivonis notat Joannes Molinæus, Doctor Lovaniensis, „ quòd hæc periodus, nimirum de superioritate & „ auctoritate Archidiaconi in Archipresbyterum, non habea„ tur in Codice Regio ; suspectaque (inquit) mihi perpetuò „ visa sunt, quòd Archipresbyter subdatur Archidiaconis, quod „ vetustum non esse, in Canonibus Conciliorum vel mediocri„ ter versatus nemo ignorat.“

Verisimile est Gratianum nactum fuisse exemplar Decreti Ivonis, in quo prædicta legebantur sub nomine Isidori, atque Gratianum more suo illa sine ulteriori examine in suum Decretum retulisse, tanquam verba Isidori.

Ulteriùs verosimile est, verba illa ex Decreto Gratiani relata esse in Decretales Gregorii IX. in *cap.* 1. *de Officio Archidiaconi*, ubi quidem referuntur tanquam ex Concilio Toletano, sed in nullo Concilio Toletano hactenus reperta sunt.

Illud indubitatum est, auctoritatem Archidiaconi supra ipsos Archipresbyteros, per horum verborum relationem in Decretales stabilitam fuisse, & quasi in jure communi fundatam reputari cœpisse.

Hîc rursus videmus auctoritate Gratiani factum esse, ut contra pristinam Patrum disciplinam, ipsamque Sacerdotii dignitatem, nova disciplina fuerit inducta ; & Archidiaconi non tantùm supra Presbyteros, sed & Archipresbyteros, altiorem gradum obtinuerint, imò jurisdictionem in eos exercendi auctoritatem.

V. Verùm quia Archidiaconorum auctoritas solummodo erat vicaria sive delegata, totaque ab Episcoporum delegatione dependens ; ea pro diversitate locorum & temporum, nunc extensior, nunc restrictior fuisse legitur.

Cùm

VI. Cùm verò Episcopi vices suas Archidiaconis generaliter & penè semper committere solerent, & ipsi auctoritatem suam etiam absentibus Episcopis vi suæ generalis & solitæ commissionis per se exercere; paulatim auctoritas illa Archidiaconorum origine sua *vicaria* & *delegata*, in *ordinariam* mutari cœpit; ipsique Archidiaconi ea agere jure proprio cœperunt, quæ prius jure duntaxat delegato seu vicario exercuerunt. Cumque prius Archidiaconorum ministerium tantùm esset *merum officium* ab arbitrio Episcopi committentis dependens, tandem in *beneficium* & *dignitatem* mutatum fuit, ipsique Archidiaconi qui hactenus Episcoporum duntaxat fuerunt vicarii, sensim Prælatis ordinariis annumerati.

Et quidem jure Decretalium, nec non hodierno ac signanter Belgii, omnis Archidiaconorum auctoritas & jurisdictio reputatur ordinaria, ita ut eam jure proprio sive jure dignitatis exerceant; neque magis ab Episcoporum arbitrio dependeat, quàm aliorum Prælatorum ordinariorum; tametsi etiam hodie rectè dicantur *oculi* Episcoporum, utpote qui ipsi Diœcesi in adjutorium Episcoporum, non auctoritate vicaria, sed ordinaria invigilare debeant.

VII. Hinc Synodus Oxoniensis anno 1287. Archidiaconos judicibus ordinariis annumerat: „Singulis *Archidiaconis*, eorum Of„ ficialibus, cæterisque jurisdictionem ordinariam habentibus „ præcipimus &c.“ *Can.* 25.

Similiter Innocentius III. respondit, ab Officialibus Suffraganeorum Remensis Ecclesiæ non posse appellari ad ipsos Suffraganeos, ne ab eodem ad eundem appelletur; sed appellandum esse ad Curiam Archiepiscopi. „At ab Archidiaconis aliisque, „ait, inferioribus Prælatis Suffraganeis subjectis eisdem, & eo„rum Officialibus, ad *Suffraganeos* ipsos debet, & non ad „eandem Curiam (omissis dictis Suffraganeis) appellari.“ *Cap.* 3. *de Appellat.* in 6.

Supposuit igitur Innocentius, Tribunal Archidiaconi non esse vicarium, uti erat & nunc esse solet Officialium.

VIII. Insuper ex hac Decretali aliisque quamplurimis constat, Archidiaconos tunc temporis habuisse jurisdictionem fori *contentiosi*, eamque ordinariam & á delegatione Episcopi independentem: quin & ex *Cap.* 54. ✠ *de Elect.* intelligitur, quòd Archidiaconus Ambianensis de consuetudine suspenderet, excommunicaret & absolveret Presbyteros & Priores; & Parochiales Ecclesias interdiceret; nec non visitaret & inquireret, quæ viderentur inquirenda, & procurationes ratione visitationis reciperet; in quibus concludit Pontifex, evidenter apparere, quòd hic Archidiaconus curam Animarum haberet; ideoque aliud Beneficium curatum cum Archidiaconatu habere non posset.

IX. Non omnium tamen Archidiaconorum nec olim fuit, nec hodie est eadem auctoritas & jurisdictio, sed ea ferè tota à consuetudine dependet. Unde respondit Honorius III. in *C.* 10. ✠ *de Offic. Archid.* Archidiacono Senonnensi nihil amplius licere jurisdictionis vel auctoritatis in monasteria exercere, quam constiterit Prædecessores ejus *de pacifica sic obtenta consuetudine* exercuisse.

X. Et quidem postquam Archidiaconorum potestas in ordinariam, & ab Episcopi arbitrio quasi independentem mutata fuit, multùm per Episcopos & Synodos, ac iis faventem consuetudinem restricta fuit; paucique hodie sunt Archidiaconi, qui pristinæ auctoritatis & jurisdictionis insignia, imò vestigia retinuerunt.

XI. Quod enim jurisdictionem *contentiosam* sive fori externi attinet, imprimis receptum est in Belgio decretum Concilii Tridentini *Session.* 24. *cap.* 20. *de Reformat.* quo cavetur, ut „causæ matrimoniales & criminales non Decani, Archidia„coni, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando; sed „Episcopi tantùm examini & jurisdictioni relinquantur.“ Receptum simpliciter decretum *Sess.* 25. *c.* 14. *de Roformat.* quo Clericorum concubinariorum, aut de hujusmodi crimine suspectorum causa sive cognitio Archidiaconis adimitur, & Episcopis reservatur.

XII. Quin in plerisque Belgicis Ecclesiis consuetudo omnem planè jurisdictionem *contentiosam* Archidiaconis ademit, & ad Episcopos ejusve Officiales transtulit; salvâ tamen Archidiaconis curâ & solicitudine, tam in Clerum, quàm in populum; ut nimirum, tanquam *oculi* Episcoporum omnia lustrent, & omnibus intendant; & leviora quæ emendatione indigent tanquam vices gerentes sui Episcopi corrigant & emendent, idque sine strepitu judicii; majora verò & ardua ad Episcopum referant: uti notat Zypæus *Consult. de Offic. Archid. num.* 2. ibidem *n.* 3. monens, quod criminales causas, quas Synodus Tridentina cognitioni Archidiaconorum subtrahit, accipere oporteat strictè, ut non comprehendat *correctorias*, quæ tantùm pro emendatione excessuum proponuntur, sed illas quæ ad punitionem & pœnas ordinarias legales, & canonicas.

Et *n.* 4. docet, „secundum eum sensum etiam reserva„ri judicio Episcopi causam concubinatus; scilicet quando agi„tur ad pœnas ibidem propositas; non verò si vel criminali„ter non agatur, vel in rigore verbi non sit concubinatus: „ita ut fornicatio, & non assidua frequentatio, monitio etiam „concubinarii ad Archidiaconi curam spectent; non autem ri„gorosa dicti capitis 14. punitio: sed illa jam sit redacta in „ordinem arduorum negotiorum, quæ nequeunt sine majo„ris præsentia terminari, dicto capite 7. nec excludatur Epis„copus per monitiones aut correctiones Archidiaconi, ut in „aliis casibus Synodus Mechliniensis decrevit.“

XIII. Unde conformiter ad modernam præsertim Belgicam disciplinam rectè monet Carolus Fevret *Tract. de abusu lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 20. & 21. diligenter esse distinguenda, quæ nudè ad Archidiaconi, ut Archidiaconus est, Officium pertinent, & quæ exercere potest non jure suo, & tanquam Archidiaconus, sed tanquam *Vicarius* aut officialis Episcopi; hæ quippe duæ qualitates disparatæ in eundem concurrere subinde possunt.

Tanquam Archidiaconus enim regulariter & ex Juris Canonici præscripto levem solùm ac volatilem habet jurisdictionem. Cùm enim Officialis Episcopi sit gravium controversiarum Judex, earumque omnium, quæ causæ cognitionem postulant, & ab Ecclesiastica jurisdictione pendent, iniquum profectò videretur, duos Judices diversos, duoque diversa Tribunalia in una eademque Diœcesi reperiri. Idcirco Archidiaconorum jurisdictio ad levia tantùm negotia revocatur, quæ obiter in transitu aut in cursu visitationis expediri possunt: & dum hujus levioris correctionis & momentaneæ cognitionis terminos transgredi, sine speciali aliquo titulo præscriptionis aut immemorialis consuetudinis, voluerunt; omne quod egerunt, tanquam abusivum & sacris Canonibus contrarium cassatum fuit, ait idem Auctor idipsum prolatis nonnullis Parlamentorum Arrestis confirmans.

XIV. De jure communi, quod & hodie adhuc obtinet, Archidiaconorum est, Ordinandos præsentare Episcopo, *Cap.* 9. ✠ *de Offic. Archidiac.* Cui Consonat præscriptum Pontificalis Romani, jubens Ordinandos Diaconos & Presbyteros per Archidiaconum Episcopis præsentari.

Cùm ergo ex præscripto Pontificalis Archidiaconi de capacitate testimonium ferre debeant, nemo non videt, quàm justum & æquum sit, ut Archidiaconi Ordinandorum examini interveniant, ut Ordinandorum capacitas iis perspecta esse queat.

XV. Nec tantùm Ordinandorum, sed & promovendorum ad Beneficia examini jus interviniendi Archidiaconis jure communi, & hodierno competit. Et licet Concilium Tridentinum, aut Synodi Locales, vel Episcoporum decreta aliquos speciales examinatores nominent, nullatenus ipse Archidiaconus censetur exclusus, sed hi Archidiacono censebuntur adjuncti; uti rectè advertit Zypæus in dicta consultatione. Unde Bulla erectionis novorum Episcopatuum Belgii volens, ut duo seniores ex Canonicis Theologis graduatis & unus in Jure canonico graduatus curam habeant examinandi promovendos ad Ordines & curam animarum, expressè dicit, examen illud instituendum *unà cum Archidiacono*, sat insinuans, Archidiaconum in hoc examine præcipuam personam sustinere.

XVI. Hunc in finem jure communi Archidiaconis visitandi Diœcesim jus est. *Cap.* 1. & 6. ✠ *de Offic. Archidiaconi.*

XVII. Circa hoc tamen visitandi jus notandum decretum Concilii Tridentini, *Sess.* 24. *cap.* 3. *de Reform.* quo decernitur „*Archidiaconi*, Decani & alii inferiores in his Ecclesiis, „ubi hactenus visitationem exercere legitimè consueverunt, de„beant quidem assumpto Notario de consensu Episcopi dein„ceps per se ipsos tantùm ibidem visitare.“

Hoc decretum ita videtur intellexisse Franciscus Richardotus, Episcopus Atrebatensis (qui Concilio Tridentino interfuit, & in hujus sessionis apertione coram Patribus peroravit) ut verba illa *de consensu Episcopi* referantur ad *assumendum Notarium*, non ad facultatem visitandi; ita ut *Notarium* de *consensu* Episcopi assumere deberet, qui acta visitationis scribat, sed consensus Episcopi, ut visitationem instituat, non esset necessarius.

Nam in Synodo sua Diœcesana anni 1577. *tit. de visitationibus*, *cap.* 1. declarat. „Cùm in hac Diœcesi nostra Pa„rochialium Ecclesiarum visitatio ex antiqua consuetudine sit „penes Archidiaconos Ecclesiæ nostræ, quibus ex decreto Tri„dentini Concilii mandatur, ut visitationem hanc *adjuncto no„tario nostro* personaliter obeant &c.“ Quibus verbis non obscurè innuit, Concilium nihil circa visitationem Archidianorum statuise, nisi ut visitationem *adjuncto notario Episcopi*, & *personaliter* obeant.

Non desunt tamen, qui credant, mentem Patrum Tridentinorum fuisse, ut Archidiaconi aliique inferiores, quibus jus visitandi quacunque ex causa competit, illud sine consensu Episcopi posthac obire nequeant: quæ interpretatio magis congruere videtur cum verbis sequentibus ipsius Decreti, quæ volunt, ut „visitatores à Capitulo deputandi, ubi Capitulum jus „visitandi habet, *prius ab Episcopo approbentur.*“

si

XVIII. Si juxta hunc sensum Concilium accipiatur, rectè monet Zypæus in citata consultatione, id tamen accipiendum esse moraliter, ita ut Episcopus non semper & præfractè dissentire possit, ne Archidiaconus visitet, sed arbitrio boni viri. Non enim intendit Concilium, solicitudinem Archidiaconorum extinguere, sed ut omnia ordinatè fiant, & concorditer: Nam *unus ædificans, & unus destruens, quid prodesset illis nisi labor?* Ecclesiast. 34. Unde & decernit Concilium in *d. cap.* 3. ne inferiorum visitatio Episcopi visitationem impediat, & ut illi huic peractæ visitationis rationem reddant. „Hæc Zypæus, qui ibidem iis ex causis dubitat, num „Concordàtum olim inter Episcopum, & Archidiaconos Cameraci initum, ne scilicet imposterum hi visitarent, sed nomine utriusque Episcopi & Archidiaconi visitaret Decanus „Christianitatis, juraque reciperet, undique fuerit rationabile; „& an non rationi magis congrueret, ut sicuti Archiepiscopi Cameracenses nunc per se visitant, ita quoque Archi„diaconi per se visitarent, quàm quòd Decanus loco utrius„que non visitantis, jura reciperet.

Illud insuper observandum, uti benè monet Franciscus Richardotus, Episcopus Atrebatensis *loco citato*. „ut visitatio Ar„chidiaconorum diligenter fiat, non autem perfunctoriè, neque „ut tantùm cognoscatur de bonis Ecclesiasticis, quomodo in„sumantur, aut de Ecclesiarum rebus, cujusmodi sunt orna„menta, libri, altaria, aut de Sacrosanctæ Eucharistiæ ho„nesta conservatione, aut baptisteriis, & hujusmodi aliis; sed „de Sacerdotum, Clericorum & Laicorum fide, vita & mo„ribus."

XIX. Ex hoc interim concordato, tametsi undique rationabile non esset, sat apparet, Decanos sive Archipresbyteros ad Episcopum & Archidiaconum, habuisse communem aliquem respectum, juxta *Cap.* 7. §. *fin.* ✠ *de Off. Archid.* ubi dicitur, „quòd cùm Decanus commune eorum (Episcopi & „Archidiaconi) officium exerceat, communiter est eligendus, „vel etiam amovendus."

At hisce in locis hujusmodi Decani à solis Episcopis constituuntur, & amoventur juxta Synodum I. P. Mechliniensem, *tit. de Decanis, cap.* 3.

XX. Insuper institutio corporalis sive missio in possessionem de jure communi competit Archidiacono, *Cap.* 7. ✠ *de Off. Archid.* Institutionem verò *auctorizabilem*, seu tituli attributivam, & de qua loquitur regula Juris: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine canonica institutione obtineri*, de jure communi ad solum Episcopum spectare tradunt Canonistæ ad *Cap.* 4. ✠ *de Off. Archid.* ipsam scilicet institutionem auctorizabilem cum commissione seu datione curæ animarum confundentes, juxta illius Capituli rubricam quæ habet: *Archidiaconus sine mandato Episcopi non committit curam animarum, id est, non habet institutionem auctorizabilem.*

XXI. At hoc puncto, à jure communi, & hac Canonistarum interpretatione, in his Provinciis per consuetudinem nonnihil recessum est.

His enim in locis, institutionem *corporalem* consuetudo ferè ad Episcopos, qui eam Archipresbyteris committere solent, transtulit: Institutio verò *auctorizabilis* seu tituli attributiva, etiam in Beneficiis Curatis Archidiaconis competere consuevit: ita tamen ut curam animarum ab Episcopo obtinere debeant; ideoque consuetudo Belgii institutionem auctorizabilem à datione curæ Animarum distinguit.

Et quidem adeo propria est Archidiaconis Beneficiatorum, institutio, ut Collegia Canonicorum, dum Collegas suos ipsi instituunt (uti plerisque in locis consuetudine obtinuit) id *jure Archidiaconali* se facere dicant; satis insinuantes, actum illum propriè esse Archidiaconorum, eumque peragendo se de juribus Archidiaconalibus aliquid participare; & in hoc actu jus Archidiaconale obtinere.

XXII. Ex his sat manifestum est, jura Archidiaconorum magis ex consuetudine, quàm è jure communi esse metienda; quæ consuetudo in nonnullis Diœcesibus præsertim latis & diffusis, & ubi Episcopi simul sunt Principes seculares, amplissimam jurisdictionem & auctoritatem iis attribuit, seu potiùs conservavit.

XXIII. Exemplum suppeditat nostri Ecclesia Leodiensis, quæ octo habet Archidiaconos, anno 799. à Leon III. Pontifice institutos.

Scribit enim Bartholomæus Fisen *Lib.* 5. *hist. Ecclesiæ Leodien.* §. 28. quòd „cùm Diœcesim admodum vastam Epis„copus lustrare pro munere suo unus ipse non posset, mag„nis potissimùm Reipublicæ negotiis aliò sæpe avocantibus, „imò accersentibus è vicino plerumque Regibus ad gravio„ra Regni negotia, id muneris partitus est Pontifex in Ar„chidiaconos octo. Primum jussit esse ipsum S. Lamberti Præ„positum, attribuitque Provinciam, civitatem Leodiensem. Re„liquam omnem Diœcesim in 7. alias portiones distribuit, Ar„dennam, Brabantiam, Campiniam, Condrusos, Famennam, „Hannoniam, & Haspaniam: singulas singulis Archidiaconis „subjecit, quorum ea est dignitas in Ecclesia Leodiensi, ut „Abbates etiam in concessibus antecellant." Hæc ille.

De his Archidiaconis etiamnum hodie verè dici potest, quòd in omnibus sint *Vicarii & oculi* Episcoporum; omnem curam, & solicitudinem in Clero & Ecclesiis impendendo, jurgia singulorum audiendo, causasque eorum decidendo, idque non jure merè vicario, uti olim, sed jure quasi ordinario, id est, jure dignitatis.

Hinc Synodus Leodiensis anni 1618. monet Archidiaconos ut „visitent Ecclesias suas diligenter, & in visitatione facien„da contenti sint moderatis & frugalibus expensis. In pro„cessibus contra Pastores & alias personas Ecclesiasticas, ge„rant se Archidiaconi, & eorum Officiales, maturè & cir„cumspectè, nequid in contemptum statûs illorum temerè com„mitatur."

Item vult, ut Archidiaconi Synodos consuetas, juxta laudabilem Diœcesis Leodiensis consuetudinem celebrent, ac temerarios à Synodis absentes puniant.

Plura, quæ his Archidiaconis competunt, videri possunt in Concordatis inter Episcopum & Archidiaconos generaliter, & Archidiaconorum Brabantiæ specialiter initis 24. Septemb. 1334. quæ utique, ait Zypæus in *citata consultatione, n.* 18. „etiam nunc obtinere debent, quatenus Canones Trident. aut „novæ hic erectiones non derogarunt, iis in locis, quæ ab Epis„copatu Leodiensi sunt præcisa."

* Legimus non minorem auctoritatem & jurisdictionem Archidiaconorum Ecclesiæ Metropolitanæ Trajectensis ad Rhenum, & aliarum Ecclesiarum ejusdem Provinciæ: legiturque harum Provinciarum Archidiaconos se fortiter opposuisse publicationi Concilii Tridentini quoad Decreta Reformationis, quia per hæc Decreta videbantur auctoritas & jurisdictio Archidiaconorum diminui & ad Episcopos transferri; quod tamen sine magnis incommodis fieri non posse prætendebant, uti hæc latiùs exponuntur in opere, cui titulus: *Batavia sacra*, ubi *part.* 2. recitantur Acta Synodi Provincialis hujus Provinciæ sub Frederico Schenkio Archiepiscopo celebratæ anno 1565. & in qua de publicatione Concilii Tridentini agebatur, ubi hæ Archidiaconorum oppositiones recitantur.

XXIV. Similiter Decanus Capituli S. Jacobi (quod ad hanc civitatem an. 1456. translatum est, cum primitùs esset Encuriæ in Gallo-Brabantia Diœcesis, olim Leodiensis, nunc Namurcensis) hic, inquam, Decanus est Archidiaconus cum amplissima jurisdictione etiam in foro contentioso sive judiciali in Parochos & Clericos quatuor Parochiarum, tàm in causis criminalibus, quàm civilibus.

XXV. Porrò quidquid consuetudo, aut jus hodiernum Archidiaconis detulit, aut conservavit, illud non de jure *delegationis* sive Vicario, sed *jure ordinario*, sive jure suæ dignitatis exercere censentur; ideoque nec illud propriè *vice* Episcopi, at *jure proprio* agere dicuntur.

XXVI. Verissimum proinde est, saltem inspecto jure hodierno Belgii, quod post Innocentium, aliosque Canonistas asserit Fagnanus ad *cap.* AD HÆC, ✠ *de Offic. Archid. n.* 31. Archidiaconos ideò dici Vicarios Episcopi, quia exercent ea quæ etiam ad Episcopos pertinent; illos tamen non esse *tantùm Vicarios*, sed *certa dignitate* potiri, adeò ut propterea removeri non possint ad libitum Episcopi, nec ipse pro suo velle illorum officia exercere; multò minùs Archidiacono adimere, & alteri committere.

Quare cùm Ordinandorum præsentatio de jure & consuetudine ad Archidiaconum pertineat, eam excluso Archidiacono Episcopus alteri committere nequit.

XXVII. Sed quid si Episcopus ordinare velit, quos Archidiaconus dignos non novit, imò indignos esse novit, num eos Episcopo præsentare debebit, aut poterit? Nequaquam. Quomodo enim juxta Formulam Pontificalis dicet: *Scio & testificor eos dignos esse, quantum humana fragilitas nosse sinit*, si nesciat dignos, aut quod amplius, indignos esse sciat?

Verbo, cùm Archidiaconi *oculi* sint Episcopi, ut loquitur Conventus generalis Cleri Gallicani an. 1579. *tit. de Eccles. visitat.* „Juxta antiquos & recenter editos Canones, Cons„titutionesque ita suum officium ac munus obeant, ut fidelem „hac in re tam sancta tamque necessaria, cum Ecclesiæ, tum Episcopo operam suam comprobent."

XXVIII. Ut verò ea eruditione cæterisque dotibus ad id muneris obeundum necessariis instructi assumantur, decrevit Concilium Trid. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Ref.* ut Archidiaconi, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia, seu Doctores aut Licentiati in Jure Canonico.

In Belgio autem in Ecclesiis Cathedralibus noviter erectis, non tantùm debet esse Licentiatus in Theologia aut Jure Canonico, sed assumendus est ex novem Canonicis graduatis.

Hîc rursus advertitur, cujus debeant esse eruditionis, quibus gradus illi Academici conceduntur, & quanta debeat esse

Doctorum cura, ne inidonei ad gradus illos admittantur, ac ita per illos gradus ad primarias Ecclesiæ Dignitates inidonei promoveantur.

CAPUT II.

De Archipresbytero Cathedrali.

1 *De hoc Archipresbytero agitur in Decretalibus, Titulo* de Officio Archipresbyteri.
2 *Dignitas & officia Archipresbyteri multùm pendent à consuetudine.*
3 *Hic Archipresbyter eandem penè auctoritatem habet in Clerum Civitatis Episcopalis, quam Decanus Ruralis in Clerum sui districtûs, cum quadam tamen differentia.*
4 *Officia Archipresbyteri de jure communi.*
5 *Quoad celebrationem divini Officii spectanda consuetudo cujusque Ecclesiæ.*
6 *Idem penè jus competit huic Archipresbytero jure proprio, quod Decanis Ruralibus jure delegato.*
7 *Archipresbyter assumendus ex Canonicis Graduatis.*

I. INter dignitates Ecclesiarum Cathedralium, post Archidiaconatum in plerisque Belgii Ecclesiis est Archipresbyteratus; de quo in *cap.* 2. & 3. ✠ *de Offic. Archipresbyteri*, tractari notarunt Interpretes, diciturque *Archipresbyter Urbicus* sive *Urbicarius*, id est, urbis Episcopalis, ad distinctionem Archipresbyterorum Ruralium, quos hodie *Decanos Christianitatis* dicimus, de quibus suprà *tit.* 6. actum fuit.

II. Porrò Archipresbyteri Dignitas & munia, quemadmodum de Archidiaconis notatum fuit, magis ex singularum Ecclesiarum consuetudine, quàm è jure scripto metienda sunt.

III. Solent autem Archipresbyteri Cathedrales similem curam & auctoritatem, eaque jura obtinere in Clerum & personas Ecclesiasticas urbis Episcopalis, quam Decani Rurales in suis respectivis districtibus. Hac tamen differentia, quòd Decani sive Archipresbyteri Rurales nullam de consuetudine Belgii dignitatem, sed merum officium habere censeantur, ac in omnibus suis functionibus ab instructionibus Episcoporum dependeant; Archipresbyteratus verò Cathedralis vera sit dignitas, muniaque de jure vel consuetudine annexa, *jure* dignitatis, id est, *jure ordinario*, sicuti Archidiaconi habeant; ideoque nec pro arbitrio Episcoporum tolli aut diminui possint.

IV. De jure communi Archipresbyter in Episcopi sui absentia, ad vicem ejus Missarum solemnia celebrat, collectam dicit, aut is, cui ipse injunxerit, *cap.* 1. ✠ *de Offic. Archipresbyt.* itaque hinc concludunt Canonistæ, Archipresbyterum *in divinis*, non *foris* Archidiaconum præcedere; sed hanc Archipresbyterorum præcedentiam nulla Belgica Ecclesia novit, sed ubique locorum, etiam in choro Archidiaconus solet præcedere Archipresbyterum.

V. Quod celebrationem officiorum in absentia Episcopi attinet, singularium Ecclesiarum consuetudines & constitutiones attendendæ sunt; quæ subinde eam curam ad Præpositum, Decanum, Archidiaconum, aliumve in dignitate constitutum transtulerunt, quemadmodum & cura Pastoralis ipsorum Canonicorum & Cleri Cathedralis ad Decanum aliumve plerumque spectat, ita ut Archipresbyteri solùm inferiorem Clerum civitatis sibi subjectum habeant.

VI. Porrò quid Archipresbytero respectu Cleri & Monasteriorum sibi subjectorum incumbat; & quomodo curam & solicitudinem pastoralem eis impendere debeat, colligi potest ex iis, quæ de Decanis Ruralibus dicta sunt: cùm non minor sit Archipresbyteri Cathedralis obligatio respectu Cleri sui districtûs, quàm Decanorum Ruralium intuitu suorum subditorum.

Unde indubiè hæc dignitas annumeranda es Dignitatibus, quibus cura animarum subest; & ad quam consequenter ex decreto Concilii Tridentini, *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* nemo promoveri possit, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit.

VII. Et quamvis vi Tridentini Concilii necessariò conferenda non sit hæc Dignitas graduatis in Theologia aut Jure Canonico, in Belgicis tamen Ecclesiis noviter erectis, uni è novem graduatis Canonicis hæc dignitas conferri debet.

CAPUT III.

De Pœnitentiario.

1 *Jam pridem fuerunt Presbyteri, qui Episcopis in excipiendis confessionibus assisterent.*
2 *Horum Presbyterorum potestatem, tum quoad personas tum quoad crimina, Episcopi pro suo arbitrio limitabant.*
3 *Seculo XIII. necdum invaluerat consuetudo approbandi Confessarios pro tota Diœcesi.*
4 *Liberum non erat Confessarium pro libitu deligere.*
5 *Poterat tamen ad Episcopum quisque recurrere.*
6 *Episcopus unum nominabat, ad quem unicuique liberum erat accedere; & quem inferiores Presbyteri in dubiis consulerent.*
7 *Huic graviora crimina reservantur.*
8 *Ad illum pœnitentes graviorum criminum mittebantur.*
9 *Pœnitentiarius erat quasi Vicarius generalis Episcopi in injungendis pœnitentiis & arduis causis decidendis.*
10 *Magna requiritur eruditio & prudentia in Pœnitentiario.*
11 *Ex decreto Concili Trid. in omnibus Ecclesiis Cathedralibus constituendus Pœnitentiarius, & qualis.*
12 *In Belgio assumi debet ex Canonicis Graduatis.*
13 *De consuetudine Belgii Pœnitentiariatus est Dignitas.*
14 *Vi sui officii est Confessarius ordinarius totius Diœcesis, & quilibet ei etiam in Paschate confiteri potest.*
15 *Tenetur confessiones excipere, & ad id ab Episcopo cogi potest.*
16 *Pœnitentiarii eximiæ scientiæ esse debent.*
17 *Quid in illis requisivit S. Carolus.*

I. INter Coadjutores & Vicarios Episcoporum jam olim fuere Presbyteri, qui excipiendis confessionibus & imponendis pœnitentiis vices Episcopi supplebant.

Hinc illud Concilii Lateranensis sub Inocencio III. in *cap.* 15. ✠ *de Offic. Ordinarii.* „ Præcipimus tam in Cathedralibus, quàm „ aliis Conventualibus Ecclesiis Viros idoneos ordinari, quos „ Episcopi possint Coadjutores & cooperatores habere, non so„ lùm in prædicationis officio, verùm etiam in *confessionibus* „ *audiendis* & *pœnitentiis* injungendis. "

II. Vicariorum sive cooperatorum horum potestatem & jurisdictionem Episcopi ad quasdam personas, & certa crimina restringere solebant; ut nimirùm pro diversa personarum conditione varios assignarent Confessarios, graviora quoque crimina sibi nonnunquam reservantes.

Alii quippè Confesarii Laicis, alii Clericis, alii Monialibus, & alii subindè sublimioribus personis deputabantur; quibus solis & non aliis tales confiteri possent.

„ Volumus (inquit Synodus Wigorniensis anno 1240. „ *can.* 17.) ut ad audiendas *Clericorum* confessiones certi de„ putentur in singulis Decanatibus Confessores, quos in præ„ senti Synodo per ipsos electos volumus nominari."

Et Synodus Cicestrensis anno 1289. *can.* 12. ait: „ In sin„ gulis autem Decanatibus per Capitulum eligantur duo Presby„ teri, qui moribus & scientia præditi confessiones audiant „ *Sacerdotum.*"

III. Neque enim hactenus invaluerat consuetudo hodierna approbandi passim Confessarios, quorum potestas se per totam Diœcesim generaliter extendat, qui omnium scilicet indifferenter confessiones excipere queant, ita ut unicuique liberum sit, quemcumque voluerit, sive secularem sive regularem hujusmodi Confessarium approbatum eligere.

IV. Quin nec juri communi, quod Decretalibus Gregorii IX. continetur, hæc moderna disciplina consonat, cùm jure Decretalium electio libera Confessarii privilegii loco habeatur, *cap. fin.* ✠ *de Pœnit. & remiss.*

Verùm in hac particularium Confessariorum designatione semper manebat salva ipsa auctoritas Episcoporum, ita ut liberum esset ad ipsos Episcopos recurrere, ac omissis designatis Confessariis conscientiam iis aperire.

VI. Cùm verò hujusmodi recursus essent tunc temporis frequentiores, Episcopi tunc nominare cæperunt prudentiâ, eruditione, ac pietate præstantiorem, ad quem tanquam ad Episcopum omnibus pateret accessus, quem *Confessorem* aut *Pœnitentiarum generalem* nominabant, quem similiter inferiores Confessarii, & Pœnitentiarii in casibus dubiis consulere possent, & ad quem tanquam Episcopum graviorum criminum absolutio & pœnitentiæ impositio referrentur. Synodus Oxoniensis anno 1287. *can.* 5. postquam statuit, „ ut Archidiaconi, qui „ de Sacerdotum moribus & prudentia pleniorem habent noti„ tiam, de quolibet Decanatu unum vel duos eligant Confesso„ res, quos ad hæc (audiendas confessiones) scientia & meritis „ crediderint magis idoneos, qui vice Episcoporum, Decano„ rum Ruralium, Rectorum, Vicariorum & Parochialium Sa„ cerdotum, audiant confessiones," subjungit sequentia: „Pœ„ nitentiarii nostri generalis auctoritate in omnibus salva, ad cu„ jus arbitrium in dubiis & gravioribus recurratur, nisi fortè „ talis emergat articulus, qui nobis inconsultis nequeat expediri."

VII. Et infrà: „ Majora & notoria crimina Pœnitentiario „ nostro reservet (Sacerdos) & pœnitentem sibi transmittat cum „ litteris causam delicti, & circumstantias ipsius continentibus. „ Pœnitentes iterum cum litteris Pœnitentiarii, absolutionis & „ pœnitentiæ modum continentibus, ad suum redeant Sacerdo„ tem; revertenti aliter non credatur. Hæc nedum in foro pœ„ nitentiali, sed judiciali præcipimus firmiter observari."

VIII. Synodus quoque Cicestrensis anno 1289. *can.* 12. enor-

enormia delicta Episcopo vel ejus Pœnitentiario ad hoc specialiter deputato, præterquam in articulo mortis reservat. „ Litteras autem, ait, Archidiaconi, Decani vel Officiariorum ad „ Pœnitentiarium gratis concedi pœnitenti volumus, & præcipimus. Et ut liqueat, qualis fuerit pœnitentia, & pro quo „ crimine specialiter injuncta, pœnitens litteras Pœnitentiarii „ referat ad mittentem."

IX. Itaquæ Pœnitentiarius erat quasi Vicarius generalis Episcopi in injungendis pœnitentiis, & arduis causis in illo tribunali occurrentibus decidendis & resolvendis.

„ Ad illum, inquiebat anno 1218. Episcopus Ambianensis, „ loquens de Pœnitentiario à se recenter instituto, tanquam ad „ illum, quem post nos in hoc officio (audiendi confessiones) „ proximum esse volumus, dubitationes, si quæ emergunt in „ foro pœnitentiali, jubemus reportari." Hab. *tom.* 12. Spicil. Dacheriani.

Et Synodus Bituricensis anno 1584. *tit.* 21. §. 21. *can.* 15. ait, „ confessionibus audiendis præpositi dubitantes de casuum „ gravitate aut differentia, consulant Episcopos aut eorum Pœnitentiarios, aut viros in ea re versatos, non expressis pœnitentium nominibus."

X. Si quis porrò expendat, quàm graves difficilesque casus, & dubitationes in hoc tribunali occurrant, facilè intelliget, quanta eruditio, experientia ac prudentia in Pœnitentiario requiratur, quamque optandum esset, ut similis ubique haberetur, quem in difficilioribus casibus, inferioribus tutò consulere, & à quo difficultatum suarum optimam ac fundatam resolutionem referre possent: quique majoribus & enormibus criminibus convenientes pro qualitate criminum & pœnitentium satisfactiones, & remedia salutaria injungere novisset.

XI. Et quidem Synodus Trident. *Sess.* 24. *cap.* 8. *de Ref.* voluit, ut „ in omnibus Cathedralibus Ecclesiis, ubi id com„ modè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum unione Præben„ dæ proximè vacaturæ ab Episcopo instituatur, qui Magister „ sit, vel Doctor aut Licentiatus in Theologia vel jure Ca„ nonico, & annorum quadraginta, seu aliàs, qui aptior pro „ loci qualitate reperiatur."

Hoc Concilii Tridentini Decretum Belgicæ variæque Ecclesiæ uno consensu recepêre.

XII. Bulla erectionis novorum Episcopatuum vult, Pœnitentiarium ab Episcopo assumi è novem graduatis Canonicis, adeoque licèt vi Concilii Tridentini Pœnitentiarius etiam non graduatus assumi interdum posset, id recentiorum illarum Ecclesiarum electio non permittit.

XIII. Ulteriùs consuetudine Belgii, vicinarumque Ecclesiarum obtinet, ut Pœnitentiariatus non sit merum Officium, & Pœnitentiarius simplex Episcopi Vicarius; sed ut Pœnitentiaratus Beneficium sit, imò & Dignitas, ipseque Pœnitentiarius reliquos Canonicos, tametsi seniores præcedat; ita tamen ut novissimum inter Dignitates locum obtineat, ni alia sit particularis Ecclesiæ consuetudo, quæ servanda erit.

XIV. Quapropter verissimum est, in Belgio præsertim, quod communiter tradunt Canonistæ, Pœnitentiarium institutum eo ipso habere à jure facultatem audiendi confesiones Pœnitentium illius Diœcesis, & jurisdictionem ad absolvendum à peccatis, & esse veluti Parochum totius Diœcesis, nec requiri novam licentiam Ordinarii; cùm sit ordinarius confessor Diœcesis, ejusque jurisdictio ordinaria. Vide Fagnanum ad *cap.* GRAVE ✠ *de Præb. num.* 12. & Garciam *de Benef. part.* 5. *cap.* 4. *n.* 112. *qui & n.* 113. infert: „ Unde quilibet poterit ei confiteri „ peccata, & satisfacere præcepto *Capituli*, OMNIS UTRIUSQUE „ SEXUS, *de pœnit. & remis.* ut censuit S. Congregat. 16. Fe„ br. 1593. his verbis: An si quis confessus fuerit sua peccata semel „ in Paschate Pœnitentiario deputato in vim Decreti Concilii Tri„ dentini *Sess.* 24. *cap.* 8. dicatur satisfecisse præcepto conten„ to in dicto *Cap.* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS; Congregatio cen„ suit satisfecisse."

XV. Cùm itaque vi sui Officii & Dignitatis Pœnitentiarius sit quasi Vicarius *natus* Episcopi in audiendis confessionibus, etiam tenetur munus illud tempore & loco arbitratu Episcopi designandis obire; & in casum negligentiæ ab Episcopo puniri, imò & dignitate privari potest, ut censuisse S. Congregationem testatur Garcias loco citato *n.* 117. *& seqq.*

XVI. „ Qui igitur Pœnitentiarii munere funguntur, eximiæ „ scientiæ esse debent, (inquit Synodus Turonensis anno 1583. „ *c.* 13.) ut vitium à vitio discernere, & animas quæ peccaverunt, modo leniter blandisque verbis consolari, mœstasque „ reficere, modo acerbè & graviter increpare, atque etiam „ instruere valeant."

XVII. Hujus Dignitatis & Officii gravitatem expendens S. Carolus in Synodo Mediol. V. *parte* 3. §. 5. decrevit: „ Ut „ ubi primùm Præbenda pœnitentialis vacaverit edictum de more „ proponatur, quo ad concursum evocentur quicunque sint, „ qui illius muneris causa examen subire velint, aliosque no„ minare qui subeant... Episcopus adhibitis sibi, pro arbitrio suo „ moribus, ætate, gradu, Ordine cæterisque conditionibus ad „ moribus, ætate, gradu, Ordine cæterisque conditionibus ad „ tale munus necessariis accurate perquirat. Tum demum Epis„ copus ipse solùm rebus iis omnibus accuratè perpensis, matu„ rè in Domino deliberet, & liberè diligat, quem pro cons„ cientiæ religione digniorem aptioremque existimet, cui tale „ munus tantique ponderis rectè committatur. Qui in delibera„ tione idem videat, ut quod præsertim ad Pœnitentiarium at„ tinet, cum peritiam necessariam spectarit, tum maximè vi„ tæ innocentiam morum gravitatem, spiritualium exercitatio„ num studium, & usum diuturniorem in confessionibus au„ diendis, exercitationem, prudentiam, cæterasque religiosæ pie„ tatis virtutes perpendat."

Si eum Episcopi in conferenda hac Dignitate delectum facerent, omnibus facilè appareret, quàm meritò hujusmodi Dignitas in Ecclesiis instituta sit, quæ hodie penè inutilis & sine ullo officio aut onere esse apparet.

CAPUT IV.

De Officiali Episcopi.

1 *Officialis & Vicarius Epicopi jure communi sæpe pro eodem sumuntur.*
2 *Secus moribus Belgiis.*
3 *Officialis dicitur, qui foro contentioso præest, olim dictus* Missus.
4 *De jure communi Episcopus potest creare plures Officiales.*
5 *Quis Officialis Provincialis & quis Foraneus.*
6 *Moribus hodiernis Episcopi tenentur interdum plures Officiales constituere.*
7 *Officialis principalis jure communi aliquam dignitatem habere videtur.*
8 *Quæ tamen non est propriè Beneficium, nec cum alia dignitate incompatibilis.*
9 *Officialis etiam principalis jurisdictio de jure communi tantùm est Vicaria & ad nutum revocabilis, secus moribus Belgii.*
* *Utrum Officiales Episcopi ad ejus nutum sint revocabiles in Gallia.*
10 *An Episcopi possint pro libitu alios judices constituere.*
11 *Utrum Episcopi possint per se jus dicere.*
12 *An Officialis principalis jurisdictio morte Episcopi extinguatur.*
13 *Tribunal Officialis non est distinctum à tribunali Episcopi.*
14 *Qualis constituendus Officialis.*
15 *De hoc Officiali intelligitur Concilium Trid. Sess.* 24. *capite* 16. *de Reformat.*
16 *Religiosi ne quidem de consensu Superiorum possunt esse Officiales.*

I. SI jus commune spectemus, Vicarius & Officialis Episcopi sæpius coincidunt, ipseque Officialis, Vicarius Episcopi dicitur. Et quidem toto titulo, Sexti Decretalium, qui inscribitur simpliciter, *de Officio Vicarii*, vix de alio, quàm Officiali Episcopi tractatur; ipsaque hodierna Italiæ praxis est, ut Vicarius Episcopi sit & Officialis; quam secuta Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 16. *de Refor.* Officialem cum Vicario Episcopi confundit, uti suprà notavimus.

II. At moribus Belgii vicinarumque Ecclesiarum Officialis à Vicario Episcopi simpliciter dicto omninò diversus est.

III. Officialis enim is dicitur qui jurisdictioni contentiosæ præest, atque in Forensibus vices gerit Episcopi, ejusque tribunali præsidet, qui olim *Missus* Episcopi dictus fuit *cap.* 2. ✠ *de Regularib.* & *cap.* 1. ✠ *de Frigidis & malefic.* notatque Glossa ad *cap.* 2. *Verbo* OFFICIALEM, *de Offic. Vicarii in* 6.

IV. De jure communi Episcopum posse plures creare Officiales expeditum est *Clem.* 2. *de Rescriptis*: ubi distinguitur Officialis *principalis* Episcopi ab Officiali *Foraneo.*

V. Principalis dicitur qui constituitur in ipsa civitate Episcopali, ut jus dicat in ipso tribunali, in quo ipse Episcopus jus dicere consuevit.

Foraneus verò, qui extra civitatem Episcopalem in aliqua parte Diœcesis juri dicendo præest.

VI. Hæc Officialium multiplicatio licèt spectato jure communi arbitrio Episcoporum committatur, moribus tamen obtinuit, ut, si Diœcesis se in plures Provincias civiles extendat, Episcopus teneatur in singulis Provinciis tribunal exigere, atque Officialem præficere, ne aliàs contra notoria Belgii aliarumque vicinarum provinciarum antiqua privilegia, & inveteratas consuetudines subditi in jus vocentur extra provinciam. Vide Carolum Fevret *tract. de Abusu, lib.* 4. *cap.* 3. §. 7. qui ibidem asserit, extra hunc casum ordinariè ab Episcopo unicum, idque in ipsa civitate Episcopali, Officialem constituendum: testaturque ann. 1600. in Parlamento Parisiensi ex eo capite rejectum fuisse tanquam abusivam nomi-

nationem Officialis, quem pro loco à civitate Episcopali 12. milliaribus distinctio nominaverat Episcopus; id confirmat auctoritate Baldi dicentis: „Neque enim debent esse unius „civitatis plures Episcopi, ut nec plures Vicarii aut Officia„les.“ Sed in moribus Belgii receptum non est, „Plures enim „in una eademque Provincia, v. g. Brabantia, ob ejus ex„tensionem, ejusdem Episcopi Officiales creari videmus.“

VII. Principalis Officialis, qui in ipsa civitate Episcopali constituitur, etiam jure communi aliquam dignitatem habere videtur; quandoquidem ei per rescriptum Apostolicum causæ committi possint, *Clem. 2. de Rescript.* quæ non nisi Canonicis Cathedralibus, aut aliis in dignitate constitutis committi queunt, *cap.* STATUTUM, *de Rescript. in* 6. secus verò de Officiali foraneo, cui nec similes causas committi posse in eadem Clementina deciditur.

VIII. Hæc tamen dignitas nec ut Beneficium, nec propriè in titulum possidetur, ut Archidiaconatus, Decanatus & similes, quare nec cum alia dignitate incompatibilis est, quemadmodum observat Rebuffus in praxi *de Vicariis Episcoporum, num.* 4. & 7.

IX. Quin si jus commune spectemus, Officialis tametsi principalis, sive Cathedralis, jurisdictionem habet duntaxat vicariam ad arbitrium Episcopi revocabilem; quod hodie secus obtinere contendit Carolus Fevret, prætenditque, Officialem semel institutum non posse à constituente, aut ejus successore pro arbitrio removeri.

Cùm enim Episcopi non ampliùs soleant per se quæ sunt contentiosæ jurisdictionis exercere, videntur, inquit Fevret, Officiales hodie esse veri & ordinarii Ministri jurisdictionis Episcopalis: adeò, ut ea de causa non dicantur Officiales *Episcopi*, sed *Episcopatûs*: ipsaque rescripta Romana inscribantur non Officiali Episcopi Mechliniensis, sed simpliciter *Officiali Mechliniensi.*

* Quæstionem de revocabilitate aut irrevocabilitate Officialium in Gallia sæpius fuisse agitatam, variaque Parlamentorum Arresta, nunc pro revocabilitate, nunc pro irrevocabilitate, fuisse pronuntiata notat Ducasse Archidiaconus & Officialis Condomensis in sua Praxi Jurisdictionis Ecclesiasticæ, *tom. 2. cap. 1. num.* 6. donec tandem Rex Galliæ anno 1700. declaravit Officiales Episcoporum esse amovibiles; eamque declarationem dicit in Parlamentis Regiis fuisse registratam: hoc tamen unà observat, *num.* 5. Officialem non posse ab Episcopo constitui ad unam particularem causam.

Quoad Belgium, consuetudo & usus Ecclesiarum Belgicarum inamovibilitati Officialium favet; adeo ut, cùm Archidiaconus Condromi in Ecclesia Leodiensi Officialem suum in Provincia Limburgensi residentem tentasset amovere, hic à supremo Brabantiæ Senatus, cujus foro dicta Provincia subjacet, fuerit in hoc suo Officio manutentus per solemnem sententiam in contradictorio latam 20. Martii 1700.

Quoad hanc sententiam illud meretur notari, quòd Fiscus Regius & Status dictæ Provinciæ Limburgensis sese eidem Officiali adversus tentatam hanc amovibilitatem junxissent.

X. Similiter censet relatus Fevret cum Mornacio ad *L.* 1. §. 1. *ff. de Offic. ejus, cui mandata est jurisdictio*: „Episcopos „non posse pro animi sui libidine permutare judices, novosque „ad singulas lites in hanc vel illam partem sufficere: perpe„tuum enim debere esse eum, qui semel elegerunt, ut vice „sua judicet; nisi incidat delegandi alterius causa, ex morbo, „recusatione aut absentia, quæ impedimento sit quo minus ip„se cognoscat de Episcopalis juridicinæ negotio:“ additque Mornacius, in causa appellationis tanquam ab abusu interjectæ occasione hujusmodi particularis delegationis, & designationis judicis ad unam causam, à Senatu Regio judicatum, Episcopum abusum fuisse suâ jurisdictione, & in expensas condemnatum. Simile judicatum Senatus Parisiensis anni 1602. refert Pelius, *lib. 1. c. 37. action. forens.* Plura tamen eaque recentiora Parlamentorum judicata, quibus potestas revocandi suos Officiales Episcopis fuit adjudicata, referuntur in Actis Cleri Gallicani, *p. 1. tom. 21. 15. num. 27. 28. 29. 30. & 31.* Item *part. 8. tit. 3. num. 1. & 2.* quin tamen Officiales suos foraneos faciliùs, quàm principalem sive Cathedralem revocare queant, dubium non est.

XI. Quin & prætendit sæpe citatus Carolus Fevret, Episcopos adeò se hodie jurisdictione contentiosa exuisse, eamque in Officiales suos transtulisse, ut nec possint causas Ecclesiasticas ad forum suum spectantes sibi judicandas, & per se decidendas reservare, quod num verum sit, multùm sanè dubito.

Contrarium insinuat Concilium Narbonense anno 9. currentis seculi habitum *cap.* 42. mandans., „ut Episcopi per seip„sos causas audiant, quas si omnes audire nequeant, Officiales „deputent.“ Cui conformis videtur Belgii nostri moderna disciplina, quæ Episcopis auctoritatem causarum decisionem sibi reservandi hactenùs conservasse videtur.

XII. Jure communi Officialatus etiam principalis, tamquam officium merè *vicarium*, morte ipsius concedentis extinguitur; quod Ecclesiarum Belgicarum consuetudinem necdum abrogasse manifestum est, quandoquidem praxis notoria, saltem quarundam Ecclesiarum habet, quòd Capitulum Sede vacante Officialem, etiam Cathedralem, vel de novo eligat, vel constitutum confirmet; tametsi Fevretius moribus Galliæ secus obtinere asserat.

XIII. Quocunque demum jure sive titulo Officialis hodie suâ jurisdictione utatur, certum est, illam esse Episcopalem, nec tribunal Officialis distinctum esse à tribunali Episcopi: adeoque & certissimum est etiam moribus hodiernis, ab Officiali sive principali sive foraneo, non appellari ad Episcopum, sed provocandum esse ad eum, ad quem esset appellandum, si Episcopus per se sententiam dixisset.

XIV. Cùm igitur Officialis jurisdictioni contentiosæ, causarumque forensium decisioni præsit, meritò monentur Episcopi, ut personas providas, & ab omni avaritia vacuas, & in Jure Canonico atque disciplina Ecclesiastica multùm exercitatas, Officiales constituant.

XV. De hoc quoque Vicario sive Officiali intelligitur Synodus Tridentina, *Sess. 24. cap. 26. de Reform.* requirens, „ut „Capitulum Sede vacante teneatur infra 8 dies post mortem „Episcopi Officialem seu Vicarium constituere, vel existentem „confirmare, qui saltem in Jure Canonico sit Doctor vel Li„centiatus, vel aliàs quantum fieri potest idoneus.“

Neque Capitulum posse vi finalis clausulæ eligere non *graduatum*, si in Capitulo adsint Doctores aut Licentiati in Jure Canonico huic officio idonei, censuit S. Congregatio apud Garciam *de Benefic. part. 5. cap. 7. n. 12.*

XVI. Quàm parùm monasticæ professioni congruat munus Officialatus, quod totum in strepitu forensi penè versatur, nemo non videt; unde notat Mornacius ad *L.* PLACET, *Cod. de Episcopis & Clericis*, moribus hodiernis, ne quidem de consensu Superiorum ad hujusmodi officium eos assumi posse; ideò ait Mornacius, *abusivum id esse, contrariumque monasticæ professioni, si Episcoporum vel Archidiaconorum fierent officiales Religiosi.*

Cæterùm plura de observandis ab Officialibus in exercitio suæ jurisdictionis & abusibus qui irrepserunt, dicentur Parte 3. ubi de jurisdictione Ecclesiastica agetur.

CAPUT V.

De Vicario Episcopi.

1 *Moribus nostris Officialis Episcopi distinguitur à Vicario.*
2 *Vicarius Episcopi nullam jurisdictionem contentiosam habet.*
3 *Non potest negotia judicialiter examinare.*
4 *Potest Episcopus unum vel plures pro libitu constituere.*
5 *Potestas Vicarii est tantùm delegata ad nutum Episcopi revocabilis.*
6 *Debet habere commissionem suam in scriptis.*
7 *Episcopus potest Vicarii potestatem pro arbitrio restringere.*
8 *Episcopo mortuo, vel aliâs suâ jurisdictione destituto, extinguitur etiam jurisdictio Vicarii.*
9 *Quæ forma revocationis Vicarii.*

I. TAmetsi in jure Vicarius Episcopi & Officialis ejus frequenter confundantur & pro synonimis accipiantur, ut suprà notatum est, moribus tamen nostris quoad functiones & jurisdictionis exercitium omninò distinguuntur.

II. Officialis enim, de quo capite præcedenti, ea quæ contentiosæ jurisdictionis sunt, exercet, at qui hodie Vicarius Episcopi dicitur, nihil jurisdictionis contentiosæ habet; sed omnis ejus auctoritas versatur circa ea, quæ voluntariæ jurisdictionis sunt; adeò ut Vicarius limites suæ jurisdictionis excederet, si judicialiter partes coram se citari juberet, aut judiciales informationes super commisso crimine caperet.

III. Hoc ex capite, cùm quidam Vicarius certam Confraternitatis erectionem examinasset & discussisset judicialiter, sive in forma judiciali, per Senatum Regium judicatum fuit, abusivè Vicarium processisse: eò quòd nullam jurisdictionem contentiosam vi sui Vicariatus haberet, sed ea in solidum penes Officialem resideat: ita refert Germanus Forget in suo Tractatu *de Personis & rebus Eccles. lib. 1. cap. 42. num.* 10. Vide etiam Fevret *lib. 3. cap. 5.* ibidem notantem, quòd si causa aliàs ad officium Vicarii spectans, more judiciali instituatur & examinetur, agitari debeat coram Officiali, non coram Vicario; & si secus fiat, abusivum esse, atque ita aliquando judicatum fuisse.

IV. Potest Episcopus unum vel plures, uti sibi visum fuerit, Vicarios constituere. Et quidem in quibusdam Ecclesiis Episcopi plures nominant Vicarios, qui simul corpus unum, quod Vicariatus dicitur, componunt; à quo pleraque, quæ jurisdictionis voluntariæ sunt, expediuntur.

Et si Zypæo credimus, *Consult. 17. n. 38. de Regular.* his in regionibus passim Episcopalia negotia, & singulatim uniones, per Episcopos expediuntur non interveniente Capitulo, sed Consilio Vicariatus.

V. Porrò auctoritas & potestas horum Vicariorum, tàm de ju-

jure quàm consuetudine merè vicaria est, & à beneplacito Episcopi dependet, adeò ut eam extendere & restringere liberè queat; quare de Vicariorum auctoritate ex ipsa commissione judicandum est.

VI. Unde ne fraus, aut error in his contingat, Vicarius non debet officium suum exercere, nisi habeat scripturam suæ potestatis, inquit Rebuffus in praxi benef. *tit. de Vicar. Episc. n.* 9. qui & *n.* 13. monet, „ in constitutione Vicariatus inter„ venire debere testes; alioquin, ait, instrumentum cum signo „ sui Secretarii tantùm esset Scriptura privata, quæ non pro„ baret. Et bonum est, ait *n.* 14. quòd nullus reciperetur Vi„ carius, nisi instrumentum Vicariatus esset registratum in actis, „ & ita fuit in Senatu statutum requirente Dionysio Riaut, Ad„ vocato tunc egregio Universitatis, nunc autem Advocato „ Regio, anno 1548. mense Martio.“ Hæc Rebuffus, quæ latiùs secundum praxim Regni Galliæ deducit Fevretius in suo tractatu de Abusu, *lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 13. & 14.

VII. Si litteræ commissionis mandatum restringant ad certos actus, aut locum vel tempus, termini commissionis servandi erunt. Si verò nulla specialis restrictio, sive limitatio facta sit, sed generalis sit, tunc mandata creduntur omnia, quæ voluntariæ jurisdictionis sunt; iis exceptis, quæ de jure aut consuetudine sub generali mandato sive commissione non veniunt, sed speciale mandatum requirunt; de quibus consule Rebuffum in praxi *tit. de Forma Vicariatus Archiepiscoporum & aliorum Collatorum.*

VIII. Quandoquidem jure communi, cui mores hactenus non derogarunt, Vicarii Episcoporum habeant duntaxat mandatam potestatem, omnis eorum potestas non tantùm morte Episcopi, quandocunque ea intervenerit, sed & quoties Episcopus suâ auctoritate vel jurisdictione exuitur, v. g. per excommunicationem, vel renuntiationem, plenè extinguitur: quandoquidem omnimodò tanquam rivulus à suo fonte à jurisdictione Episcopi dependeat; imò Vicarii jurisdictio non est, nisi ipsa Episcopi jurisdictio mandata, sive delegata.

IX. Eodem ex fundamento, potest Episcopus Vicarium etiam generalem revocare sive destituere, etiam sine consensu Capituli, sicuti absque ejus consensu constitui potest, debet tamen revocatio insinuari Vicario; quin uti post Rebuffum, Boërium, aliosque docet Garcias de Beneficiis *p.* 5. *c.* 8. *n.* 176. & 177. hæc revocationis intimatio adeo necessaria est, ut aliàs gesta à Vicario valebunt, etiamsi habeat notitiam revocationis, & illa publicè sit nota.

Sed hîc notandum Rebuffum, aliosque per Vicarium *generalem* Episcopi, intelligere illum, qui non tantùm in spiritualibus & in his, quæ voluntariæ sunt jurisdictionis, constituitur, sed etiam in contentiosis & ordinariam jurisdictionem concernentibus; verbo, qui in omnibus Episcopi v. g. absentis vices suppleat, & cui omne regimen Ecclesiæ omnisque jurisdictio Episcopalis commissa sunt; nequaquam verò illum, quem hodie Vicarium *generalem* hîc dicimus, qui ad nutum Episcopi constituitur & revocatur, & cui duntaxat quædam voluntariæ jurisdictionis munia, nec tamen omnia committuntur.

In hoc porrò Vicario supradicto omnia requiri, sive in consitutione, sive revocatione, non credimus.

TITULUS XIII.

De Electione & Nominatione Episcoporum.

CAPUT I.

QUAS PARTES OLIM POPULUS HABUERIT IN HAC ELECTIONE.

1 *Populus electioni olim interveniebat, idque ex Apost. traditione descendit.*
2 *Probatur hæc disciplina ex antiquo Testamento.*
3 *Eadem disciplina seculo* 5. *erat tam in Ecclesia Græca, quàm in Latina.*
* *Synodus Laodicena Laicos ab electione non exclusit.*
4 *Serius in Ecclesia Latina, quàm in Græca.*
5 *Seculo* 9. *superstes fuit etiam in his partibus.*
* *Electio R. Pontificis per Clerum & populum facta.*
6 *Rationes hujus disciplinæ.*
7 *In hac electione tamen præcipuas partes habebant Episcopi.*
8 *Poterant Episcopi electum à populo interdum rejicere.*
9 *Poterant etiam sine prævia plebis electione ordinare Episcopum.*
10 *Electio populi nullum jus tribuebat Electo.*
11 *Episcopo defuncto, mittebatur Visitator, ut populum circa Electionem instrueret.*
12 *Electio examinanda mitti debebat ad Metropolitanum.*
13 *Metropolitanus cum suæ Provinciæ Episcopis, electionem & personam electam examinabant.*
* *De auctoritate Episcoporum in electione & confirmatione novi Episcopi.*

I. DIsciplinam, quam in electione Episcopi ex traditione Apostolica primis seculis universalis servabat Ecclesia, describit S. Cyprianus *Epist.* 68. editionis Rigaltii: „ Propter „ quod (nimirum ne indignus promoveatur) diligenter de tradi„ tione divina & *Apostolica observatione* observandum est & „ tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per provincias „ universas tenetur, ut ad Ordinationes ritè celebrandas, ad eam „ plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem pro„ vinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus eligatur ple„ be præsente, quæ singulorum vitam plenissimè novit, & unius„ cujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod & apud „ vos factum videmus in Sabini Collegæ nostri Ordinatione, ut „ de universæ Fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui „ in præsentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fe„ cerant, judicio, Episcopatus ei deferretur, & manus ei in lo„ cum Basilidis imponeretur.

II. Et paulò ante: „ Quod & ipsum videmus de divi„ na auctoritate, ut Sacerdos plebe præsente sub omnium occu„ lis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testi„ monio comprobetur, sicut in Numeris Dominus Moysi præ„ cepit dicens: *Apprehende Aaron fratrem tuum, & Elea„ zarum filium ejus, & impones eos in montem coram* OMNI „ *Synagoga, & exue Aaron stolam ejus, & indue Eleazarum „ filium ejus, & Aaron appositus moriatur illic.* Coram om„ ni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instruit „ & ostendit Ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi as„ sistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente, vel „ detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicen„ tur, & sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium judicio „ & suffragio fuerit examinata.“

Conformiter ad hanc disciplinam, Cornelium Romæ Clericorum plebisque suffragio Episcopum ordinatum, testis est idem Cyprianus *Epist.* 41. & 42. atque de ipso Cypriano testatur Pontius Diaconus in ejus vita, quod judicio Dei & „ plebis favore officium Sacerdotii, & Episcopatus gradum ad„ huc Neophytus, & ut putabatur, novellus, electus est.“

III. Quin & eam disciplinam, etiam quoad suffragia plebis, non tantùm in Ecclesia Latina, sed & Græca integram ac illibatam fuisse post Synodum Laodicænam sub initio seculi quarti celebratam, constat. Nam in Synodo Calchedonensi actione II. Sthephanus Episcopus Ephesinus volens ostendere se canonicè electum, ait: „ Me quadraginta Episco„ pi Asiani, suffragio Clarissimorum & Primatum, & totius „ Reverendissimi Cleri, & omnis civitatis ordinaverunt.“

Quin & Novellæ Justiniani expressè volunt in electione Episcopi unà cum Clero, Primates Civitatis, cui Episcopus ordinandus est, intervenire. *Novellâ* 123. *cap.* 1.

* Justinianus in dicta Novella ordinavit, ut in electione Episcopi unà cum Clero intervenirent Honorati civitatis, cui Episcopus ordinandus est.

Ex quo admodum verisimile est, Justinianum ad id constituendum permotum fuisse auctoritate Synodi Laodicenæ, cujus Canones ætate Justiniani, Codici Canonum tam Ecclesiæ Græcæ, quàm Latinæ inserti, non exiguæ erant auctoritatis.

Porrò Canone 13. hujus Synodi cautum erat, *turbis non esse permittendum, eorum, qui sunt in Sacerdotio constituendi, electionem facere.*

Itaque Justinianus, ut conformiter ad mentem hujus Canonis tumultuosas electiones præcaveret, non quidem ipsum populum, sed duntaxat *tumultuantem plebem*, & turbas ab electione submovit; atque jus eligendi unà cum Clero ad Honoratos, sive Primates civitatis transtulisse videtur, tanquam qui plebem & populum civitatis repræsentant.

Et reverà per dictum Canonem Laodicenum non fuisse ab electione Episcopi laicos, sive populum omninò sobmotos, evincit tam Ecclesiæ Græcæ, quàm Latinæ per plura secula, post editum & receptum hunc Canonem, continuata disciplina, populum unà cum Clero ad electionem admittens.

Fatendum quidem est hunc Laodicenum Canonem à quibusdam, ac notanter à Gratiano in eum sensum acceptum esse, quasi ab electione populus totaliter per eum esset exclusus; nam *Dist.* 63. eum adducit in probationem hujus asserti, *Laici nullo modo debent se electioni immiscere.*

Ver-

Verum & hoc notum est, Gratiano sat familiare fuisse Canones detorquere ad disciplinam sui temporis, notanter Ecclesiæ Romanæ, Canonibus sensum planè à mente Patrum alienum affingendo.

Liquet autem ex historicis, eo tempore, quo Gratianus Decretum compilavit, laicos fuisse ab electione Episcopi Romani auctoritate Innocentii II. exclusos, & solis Clericis delatam.

IV. Hoc equidem constat, apud Grecos citiùs quam Latinos, ab Episcoporum electionibus laicos exclusos fuisse; siquidem Seculo IX. Synodus VIII. *can.* 22. „ statuit, atque „ jure promulgat, *neminem laicorum* Principum vel Potentum „ semet inserere electioni vel promotioni Patriarchæ vel Metro„ politæ, aut cujuslibet Episcopi, ne videlicet in ordinata hinc & „ incongrua fiat confusio, ne videlicet præsertim cùm nullam in „ talibus potestatem quemquam potestativorum vel cæterorum „ laicorum habere conveniat, sed potius silere, ac attendere si„ bi, usquequo regulariter à Collegio Ecclesiæ suscipiat finem „ electio futura Pontificis."

V. At in Ecclesia Latina seculo IX. etiam laicos electioni intervenisse, plebisque suffragia fuisse expetita, ex historiis formulisque electionum est notorium. Utque prætereamus quæ remotiores Ecclesias concernunt, una sufficiet Epistola Hincmari Archiepiscopi Remensis ad Hedenulphum Laudanensem Episcopum, ut Visitatoris officio fungatur in electione Episcopi Cameracensis, qua eum his verbis hortatur: „ Ad candem Ec„ clesiam quantocyus studeas properare, ac assiduis hortationi„ bus Clerum, *plebemque* Ecclesiæ publicè admonere festines, „ ut remoto privato studio, uno eodemque consensu talem si„ bi præficiendum expetant ac eligant Sacerdotem, qui & tantò „ ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis Canonibus „ nullatenus respuatur.... Quæ „ electio non tantùm à civitatis „ Clericis erit agenda, verùm & de omnibus Monasteriis ipsius „ Parochiæ, & de rusticanarum Parochiarum Presbyteris oc„ currant Vicarii, commorantium secum concordia vota feren„ tes; sed & Laici nobiles, ac cives adesse debebunt: quoniam „ ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri." Habetur hæc epistola tom. 8. Conciliorum Generalium collectionis Labeanæ *col.* 1867. ibi & columna sequenti extat ejusdem Hincmari epistola ad Clerum & plebem Cameracensem, ut canonicam electionem faciant cum Visitatore sibi designato.

Non dubium ergo in Cameracensi, uti & in aliis vicinis Ecclesiis, quòd formulæ ibidem relatæ ostendunt, seculo IX. non Clerum duntaxat, sed & plebem ad Episcopi electionem concurrisse.

* Probat etiam Liber diurnus Romanorum Pontificum, quem edidit, & notis ac observationibus illustravit Joannes Garnerius, è Societate Jesu, eam formam servatam fuisse in electione Episcopi Romani etiam seculo VIII.

Refertur enim Decretum de electione Pontificis, cui subscribit Presbyter hâc formulâ: N. *humilis Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ huic decreto à nobis facto in* N. *sanctissimum Presbyterum consensi & subscripsi.*

Deinde dicitur, quòd subscripserit totus Clerus, Optimates, & Milites, & Cives.

Ex qua formula subscribendi habetur, uti & notat ibidem Garnerius; *eam non esse laicorum, qui consentiant tantum, laudentque electionem, sed qui reverà eligant cum Clericis.*

Et in eodem Libro diurno *cap.* 2. *Tit.* 4. exhibetur relatio de electione Pontificis ad Exarchum, atque exponitur, quòd defuncto Romano Episcopo, triduo ad ejus obitu „ Divinâ „ gratiâ suffragante, & omnium animis inspirante, in uno con„ venientibus nobis, ut moris est, à parvo usque ad magnum „ in personam sanctissimi hujus S. Apostolicæ Sedis Romanæ Ec„ clesiæ Archidiaconi, Deo cooperante & BB. Apostolorum an„ nisu concurrerit, atque consenserit electio."

Rectè hîc rursus observat Garnerius, ex verbis hisce constare, non eâ tantùm de causa convenisse tunc temporis proceres aliosve laicos, cùm Pontifex eligeretur, ut assensum darent electoribus Clericis, vel testimonium ferrent de probitate eligendi, sed ut verè eligerent.

Id ipsum notavit Daniel Papebrochius *Dissertatione* 16. in Conatu Chronico Historico, subjectâ vitæ Gregorii II. *num.* 6.

Probat autem Garnerius prædictum Decretum electionis, uti & hanc relationem ad Exarchum, concernere electionem Gregorii II. qui circa annum 714. electus fuit in locum Constantini Papæ.

Ex his habemus, ad electionem Romani Pontificiis, quemadmodum ad electionem aliorum Episcoporum concurrisse Primores, populumque cum Clero Romano, etiam seculo VIII.

Ulteriùs ex prædicto electionis Decreto nequaquam obscurum est, electionem quidem factam per Clerum & populum Romanum, nequàquam tamen plebem & vulgum populi electioni intervenisse, sed solos Primores sive Honoratos populum repræsentantes, conformiter ad Constitutionem Justianiani, quæ suprà §. III. notata est.

Imò, si sit fides erudito viro Onuphrio Panvino in notis ad Platinam in vita Innocentii II. ea electionis forma per populum & Clerum in Ecclesia Romana conservata fuit usque ad tempora hujus Pontificis. Scribit enim sub hoc Pontifice *primùm* populum Romanum à Pontificiis Comitiis omninò fuisse exclusum; atque primum sine *ullo populi* interventu Papam creatum esse, mortuo Innocentio II. Cælestinum II. sub medium seculi XII.

VI. Rationem hujus disciplinæ ex Cypriano supra audivimus, nimirum, ut *plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.*

Alteram dat S. Leo *Ep. ad Episcopos Proviciæ Viennensis.* Quæ est 10. in editione Quenelliana. Cum enim dixisset, „ per pacem & quietem Sacerdotes qui futuri sunt, postulen„ tur," addit: „ Teneatur subscriptio Clericorum, honora„ torum testimonium, Ordinis consensus & plebis: *Qui præ„futurus est omnibus, ab omnibus eligatur.*" Vel ut loquitur Cælestinus I. „ Nullus invitis detur Episcopus, Cleri, Ple„ bis & Ordinis consensus & desiderium requiratur." *Ep.* 2. *cap.* 5. apud Gratianum *Dist.* 61. *can.* 14. Aut sicuti exprimitur in citata Epistola Hincmari Remensis: *Quoniam ab omnibus debet eligi, cui ab omnibus debet obediri.*

VII. Dum verò his rationibus permota Ecclesia, plebem ac Clerum totum in sui Pastoris electione intervenire, atque audiri voluit, præcipuas tamen in hac momentosa electione partes esse voluit Metropolitani, ac Comprovincialium Episcoporum; atque ab his propriè eligi ac præfici Episcopum; populumque, ne in hac nominatione, aut postulatione Pastoris errare contingat, docere, errantemque in vitam rectam reducere.

Hinc Synodus Nicæna *Can.* 4. statuit: Episcopum conve„ nit ab omnibus, qui sunt in provincia, constitui. Si autem „ sit hoc difficile, vel propter urgentem necessitatem, vel viæ „ longitudinem, tres omninò eundem in locum congregatos, „ absentibus quoque suffragium ferentibus, scriptisque assentien„ tibus, tunc electionem fieri."

Canonem non tantùm de consecratione, sed etiam de electione loqui ostendimus in Scholis; neque de hoc esse dubitandum monet Christianus Luppus *part.* 4. *Schol. pag.* 148. Episcopis ergo tribuit electionem sive ordinationem; quia plebe Cleroque postulante, aut consentiente, ordinatio sive nominatio Episcopi ipsis præcipuè competebat.

Hinc Episcopi Alexandriæ, quorum plures Concilio Nicæno interfuerant, describentes ordinationem S. Athanasi in Episcopum Alexandrinum, eamque ab Arianorum calumniis vindicantes, dicunt, quòd cùm convenissent ad constituendum in locum Alexandri defuncti Episcopum, tunc omnis multitudo, & omnis populus Catholicæ Ecclesiæ, „tanquam ex una „ anima & corpore convenientes, vociferabantur, clamabant „ petentes Athanasium Episcopum Ecclesiæ: hoc precabantur „ publicè à Christo, & hoc nos adjurabant facere, per multos „ dies & noctes, ipsi neque ab Ecclesia discedentes, neque nos „ sinentes abire: hujus rei nos testes sumus, hujus & urbs uni„ versa, & provincia."

Liquet ergo, Synodum Episcoporum tunc habitam fuisse ad celebrandam Episcopi ordinationem, & populum prævìe suum testimonium de eligendo tulisse; ac juxta populi postulationem ab Episcopis electum ac ordinatum fuisse Athanasium.

VIII. At si populus tumultosè, aut passione aliquâ præventus, vel ignorantiâ seductus inidoneum, aut minùs convenientem postulasset, eum Episcopi rejicere poterant & debebant; atque de hoc casu scribit Cælestinus I. ad Episcopos Apuliæ & Calabriæ: „ Docendus est populus, non sequendus. Nosque „ (si nesciunt) eos, quid liceat, quidve non liceat, commone„ re, non his consensum præbere debemus." *Epist.* 3. *cap.* 3. Et apud Gratianum *Dist.* 62. *Can.* 2.

IX. Quinimo interdum, ubi persona aliqua divino indicio ad regimen Ecclesiæ videbatur vocata, etiam sine plebis consensu Metropolitanus cum Episcopis suffraganeis Episcopum ordinabat: ait enim Cyprianus ad Clerum & plebem suam scribens: „ In ordinandis Clericis, fratres charissimi, solemus vos „ ante consulere, & mores ac merita singulorum communi con„ silio ponderare; sed expectanda non sunt testimonia huma„ na, cùm præcedunt divina suffragia."

X. Neque etiam eo tempore electio illa plebis jus aliquod ad *rem* dabat ipsi Electo, se potiùs erat simplex postulatio ipsius Plebis & Clerici de persona sibi grata ordinanda in suum Pastorem.

Quia tamen voluntati desiderioque populi non consentire difficile erat, atque invitis, ac reluctantibus Pastorem dare infaustos non rarò pariebat effectus; hinc multùm soliciti erant Episcopi, ut ritè populus instrueretur, atque ad postulandum idoneum induceretur.

XI. Quapropter durante hac disciplina, Metropolitanus mox ut aliquam in sua Provincia Ecclesiam suo viduatam Episcopo intellexerat, Episcopum Visitatorem ad viduatam Ecclesiam destinabat, qui populi Clerique animos ad concordem, ac canonicam digni Præsulis electionem faciendam disponeret; cu-

jus

jus Visitatoris frequens mentio occurrit in Epistolis S. Gregorii, ac signanter *lib.* 2. *epist.* 19. ad Benenatum Visitatorem Ecclesiæ Cumanæ ; ubi quæ ejus sint munia latè describit ; quæ omnia allegata tum in Epistola Hincmari ad Hedenulphum Laudunensem , tum in ejusdem ad Clerum & Plebem Bellovacensem, atque in allocutione Visitatoris Episcopi ad Clerum & plebem electionis causa congregatum , etiam exprimuntur ; atque eam disciplinam seculo IX. & in hisce partibus conservatam evincunt. Habentur in dicto tomo 8. Conciliorum , *col* 1867. *& seq.*

XII. Illud notandum , quòd in Epistola Hincmari Archiepiscopi Remensis ad Clerum & plebem Bellovacensem , post quam de pluribus in electione servandis eos instruxit , qualitatesque eligendi exposuit , subdit : „ Hujusmodi autem quan„ tum Dominus dederit , ipso cooperante electum cum Visita„ tore vestro , præsente scilicet confratre nostro , & cum Decre„ to canonico , ad humilitatis nostræ solicitudinem examinan„ dum adducite : quia , ut longè ante nos dictum est , non *est „ facilè dimittendus , cui est proximus committendus.* Prænoscere „ vos denique volo , quia si personam à Sacris Canonibus de„ viam scienter nobis adduxeritis , non solùm ex ea Pontificem „ non habebitis , verùm etiam pro illicita electione , ut contemp„ tores Canonum , judicium incurretis. Sed & nostro & Coë„ piscoporum nostrorum judicio refutatâ rationabiliter electione „ vestrâ incongruâ , talem secundum Laodicenses Canones „ studebimus eligere , qui vestris vitiosis voluntatibus non va„ leat consentire.“

Hæc ostendunt , Metropolitanum & Episcopos Comprovinciales non ita fuisse electione populi & Cleri constrictos , quin eam ex causa legitima rejicere possent.

Electione itaque peracta Decretum Canonicum Electionis, Clericorum , Monachorum , ac Laicorum subscriptione munitum conficiebatur ; illudque Metropolitano offerentes , Electum in Episcopum suæ Ecclesiæ ordinari postulabant. Plures hujusmodi *Decreti* formulæ extant. *Tom.* 8. *Conc.*

XIII. Hoc decreto accepto , Metropolitanus convocatis suæ provinciæ Episcopis , tum electionis formam , tum qualitates Electi examinabat ; quæ si examine instituto canonica reperiebantur , Electum cum consensu Episcoporum suæ Provinciæ in Episcopum consecrabat ; atque cum canonicis litteris , quibus novus Episcopus de suo officio instruebatur , ad Ecclesiam sibi commissam mittebat. Exemplar tam dicti examinis , quàm Litterarum canonicarum , extat in allegato tom. 8. Conciliorum; atque in illis plura occurrunt , quæ ad notitiam disciplinæ illius temporis conducere possunt.

* Quandoquidem Hincmarus Rhemensis in Epistola ad Clerum & plebem Bellovacensem seculo IX. scribebat , penes Metropolitanum , & Coëpiscopos esse auctoritatem refutandi & rejiciendi electionem , si persona electa judicetur indigna ; atque eo casu penes ipsos sit potestas aliam personam dignam eligendi juxta Canones Laodicenses ; nequaquam obscurum est , etiam eo tempore non solius Metropolitani , sed & aliorum Comprovincialium Episcoporum judicio , formam electionis , ipsamque personam electam fuisse submissam.

Constat enim per *Canonem XII.* Laodicensem , electionem Episcoporum ad judicium Metropolitani & Coëpiscoporum comprovincialium fuisse remissam ; & ipse Hincmarus in citata Epistola expressè monet Clerum , plebemque Bellovacensem, quòd si personam à SS. Canonibus deviam elegerint & adduxerint , non solùm illam personam electam in Pontificem non sint habituri , sed quòd suo & Coëpiscoporum suorum judicio , refutatâ rationabiliter eorum electione incongruâ , talem secundum *Canonem Laodicensem* eligant , qui *vestris* , ait , *vitiosis voluntatibus non valeat consentire.*

Itaque non nisi posterioribus seculis , ac signanter post evulgatas & receptas Gregorii IX. & sequentium Pontificum Decretales , jus confirmandi electum ad solum Metropolitanum fuisse translatum constat; hoc autem ob difficultatem congregandi Episcopos comprovinciales sensim inductum & receptum fuisse, credit de Marca, *de Concordat. Sacerdotii & Imperii* , *lib.* 8. *cap.* 8.

Insuper ex prædicta Epistola Hincmari , nec non ex relatis ex Libro diurno Romanorum Pontificum in notis ad *n.* 5. intelligimus , Laicos eâ ætate nondum fuisse ab electione Episcoporum omnino exclusos , neque Hincmarum tametsi Canonum scientiâ instructissimum existimâsse per *Canones Laodicenses* laicos ab electione Episcoporum planè fuisse submotos.

CAPUT II.

Quomodo Electio Episcoporum ad Capitula Cathedralia sit devoluta , et una de Concordatis Germaniæ.

1 *Seculo* 11. *Electio adhuc erat penes populum & Clerum.*
2 *Seculo* 12. *cœpit transire ad Capitula Cathedralia.*
* *Quâ occasione & tempore hæc electio ad Capitula Cathedralia devoluta.*
3 *Seculo* 13. *penes Capitula Cathedralia erat Electio Episcopi, exclusis etiam Suffraganeis.*
4 *Per reservationes Pontificias jus illud Capitulis fuit ademptum.*
5 *Reservationes illæ non ubique fuerunt receptæ.*
6 *In Concilio Constantiensi contra dictas Reservationes tractari cœpit.*
7 *Decretum Concilii Basiliensis contra dictas Reservationes Sanctione pragmatica Regis Galliæ probatum.*
8 *Urgentibus Pontificibus Rom. Pragmatica Sanctio abolita fuit.*
* *Sed hodie salva manet , exceptis articulis quibus expressè per Concordata fuit derogatum.*
9 *Pro restituendis Electionibus inita sunt Concordata inter Rom. Pontificem & Principes Germaniæ.*
10 *Quid in his Concordatis contineatur quoad Electiones.*
11 *Concordata hæc concernunt duntaxat illos , qui sunt sub Imperio.*
12 *Non extenduntur se in Brabantiam , exceptis paucis civitatibus.*
13 *Hæc Concordata tantùm obligant illos , qui ea acceptarunt.*
14 *Beneficia extra fines Imperii sita , non subjacent Concordatis , licet Collatores sint sub Imperio.*
15 *Solæ Ecclesiæ Nationis Germaniæ jus Electionis conservant.*

I. CLerum , ac populum electionibus Episcoporum in Ecclesiis Occidentales adhuc seculo XI. intervenisse testantur Epistolæ Gregorii VII. ac signanter *lib.* 1, *epist.* 35. *lib.* 5, *epist.* 8. in qua postrema inter plura contra Episcopum Aurelianensem allegata recenset „ Dicitur siquidem legitimam „ ætatem non habens contra decreta Sanctorum Patrum sine „ idonea Cleri & populi electione Ecclesiam invasisse.“

II. Quin & seculo XII. electiones Episcoporum Cabilonensis & Gebennensis adhuc peractas fuisse cum consensu populi , non obscurè innuit S. Bernardus *epist.* 13. & 27. tametsi fatendum sit , seculo illo cœpisse electiones Episcoporum à populo & Clero transire & transferri ad Capitula Cathedralia, tanquam Clerum totius diœcesis representantia , atque unum cum suo Episcopo corpus & Collegium constituentia.

* Quamvis multis seculis , præsertim in Ecclesia Latina ad Electionem Episcopi populus, unà cum Clero concurrerit , certum tamen est, Clerum in hac electione præcipuas semper partes habuisse.

Cùm enim Presbyteri & Diaconi , aliique inferiores Clerici unum semper constituerint Collegium , cui Episcopus præsidebat , tanquam Collegii istius caput ; justum ac naturale apparuit , ut hi , qui Collegium constituebant , è suo Collegio, eligerint , qui Collegio præsidere deberet.

Hinc & illud S. Hieronymi in Epist. ad Evagrium apud Gratianum , *dist.* 93. *Can.* 24. *legimus* : „ Alexandriæ à Marco Evan„ gelista usque ad Heraclem & Dionysium Episcopos , Presby„ teri semper unum ex se electum in excelsiori loco collocatum „ Episcopum nominabant ; quomodo si exercitus sibi Impe„ ratorem faciat , aut Diaconi eligant de se , quem industrium „ noverint & Archidiaconum nuncupent.“

Postquam igitur ad Capitula Cathedralia pristini Cleri , seu Presbyterii auctoritas sensim fuit devoluta ; & creditum fuit, Capitula Cathedralia unum cum Episcopo, ut capite , corpus constituere , mirum non est , quòd & Electio Episcopi ad illa sensim fuerit devoluta : quantumvis fatendum sit , à forma Electionis ab Apostolica Traditione descendente , & per plura secula conservata , per hanc devolutionem ad Capitula Cathedralia , excluso reliquo Clero & populo , multum fuisse recessum , uti ex notatis capite præcedenti constare potest.

Admodum itaque verisimile est , jus hoc Electionis ad Capitula Cathedralia demum transiisse , postquam jus Cleri Romani in Electione Romani Episcopi ad solos Cardinales translatum fuit; quod contingisse sub Alexandro III. id est , sub finem seculi XII. notat in hujus Pontificis vita Onuphrius.

Relato enim diuturno schismate , quod fuit sub hoc Pontifice , ait : „ ex hujus rei occasione , Clero ac populo omni„ nò à Pontificis Electione exclusis , ea ad Cardinales solos „ tùm primùm redacta fuit. “

Dum igitur ad solos Cardinales , excluso reliquo Clero, Electio Romani Episcopi tandem transiit; ipsique considerari cœperunt tanquam unum cum Romano Episcopo Corpus seu Collegium constituentes, & ipsum Romanæ Ecclesiæ Clerum seu Presbyterium repræsetantes , sensim creditum fuit Canonicos Cathedrales , tanquam Cathedræ Episcopali proprius adhærentes , posse considerari tanquam unum cum Episcopo corpus constituentes , & Clerum , sive Presbyterium Ecclesiæ repræsentantes ; atque ita jus Electionis , aliaque jura Cleri , sive Præsbyterii ad solos Canonicos Cathedrales , seu Capitula Cathedralia transiisse.

Id autem demùm contigisse post tempora Alexandri III. vel

vel inde colligitur, quòd de hac repræsentatione, vel juribus Capitulorum Cathedralium, nihil simile in pristinis Canonibus, imò, nec in Decreto Gratiani occurrat, sed simpliciter jus Electionis Clero deferatur, asseraturque Episcopum debere majora Ecclesiæ negotia cum consensu sui Cleri absolvere.

Nec scitur ante Innocentium III. hæc Capitulorum Cathedralium jura fuisse stabilita. Legitur enim hunc Pontificem per suas Decretales respondisse, Episcopum cum Canonicis Cathedralibus, tanquam fratribus suis, unum corpus constituere; atque cum consensu vel consilio eorum (nulla Cleri factâ mentione) negotia Ecclesiæ debere tractare.

Hæ verò Decretales per Gregorium IX. in collectionem Decretalium relatæ in *cap.* 4. *&* 5. *De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli* &c. pro jure communi receptæ sunt.

Tandem creditum fuit, non tantùm jus Electionis, sed & cætera jura Cleri ad Capitula Cathedralia, tanquam Clerum representantia transiisse.

Quapropter & creditum est, quòd Episcopi, dum negotia Ecclesiæ peragunt cum consilio vel consensu Capituli censeantur ea pertractare, & absolvere juxta Canones cum consilio vel consensu sui Cleri.

Hanc indubiè inductam sensim disciplinam præocculis habuêre Patres Concilii Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* dum dixerunt, Canonicos Cathedrales constituere Senatum Ecclesiæ, quem SS. Patres, ac signanter S. Ignatius, per integrum Clerum constitui jam pridem dixêre.

Illud ambigi nequit, quin per eam devolutionem jurium Cleri ad solos Canonicos Cathedrales, quasi Clerum repræsentantes, à mente ac spiritu Canonum plurimum sit recessum.

Certum quippè est, quòd Ecclesia, dum voluit ut Episcopi negotia Ecclesiæ cum consilio & consensu Cleri tractarent, unà voluerit, ut negotia regimen spirituale & animarum salutem spectantia plurium consilio tractarentur, præcipuè eorum, quibus perspectum esset, quid huic spirituali regimini animarum esset convenientius, & magis necessarium.

Præterea negari nequit, quin de his instructiores meritò supponantur, & habeantur, qui unà cum Episcopo in hoc spirituali animarum regimen laborent, uti sunt præ reliquis Pastores, sive Curata beneficia possidentes, nec non Archipresbyteri, ac similes curam animarum sustinentes.

Et quidem, dum juxta Canones Episcopi unà cum suo Clero negotia tractabant & absolvebant, decretaque & ordinationes pro regimine Ecclesiæ formabant, & emittebant, ea reputabantur quasi Synodicè acta.

Quid enim propriè est Synodus Diœcesana? Nisi conventus constans ex Episcopo & Clero suæ Diœcesis, præsertim eorum de Clero, qui unà cum ipso curam animarum sustinent.

III. Et quidem circa initium seculi XIII. jus Capitulorum Cathedralium circa Electiones Episcoporum planè fuisse stabilitum, colligitur ex epistolis, ac responsis Innocentii III. & sequentium Pontificum, quæ Decretalibus Gregorii IX. sunt inserta; adeo quidem ut cùm Canonici Strigoniensis Ecclesiæ Colocensem Archiepiscopum sibi dari in Episcopum ab Innocentio III. postulassent; ac Suffraganei Episcopi prætenderent, eam postulationem non debuisse fieri, nisi ipsis consultis, ut qui solerent electioni Strigoniensis Archiepiscopi interesse cum Capitulo; respondit Innocentius Præposito & Capitulo Strigonensi: „ Vobis dedimus in mandatis, ut ad pro„ movendum vobis Pastorem idoneum per electionem cano„ nicam vel postulationem concordem (requisito Suffraganeo„ rum assensu, si esset de antiqua & approbata consuetudi„ ne requirendus) procedere curaretis, alioquin nos ipsi pro„ videremus Ecclesiæ viduatæ, *Cap.* 4. ✠ *De postulat. Prælat.*

Itaque jus electionis tempore Innocentii III. ita privativè spectabat ad Canonicos Cathedrales, ut ne ipsi quidem Suffraganei Episcopi ad electionem sui Metropolitani cum Capitulo concurrerent; imò nec ipsorum assensus requirendus, nisi esset assensus *de antiqua & approbata consuetudine* requirendus.

IV. „ Duravit (ait Barbosa *Lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 8.) „ hujusmodi potestas eligendi Episcopum in Capitulis & Ca„ nonicis usque ad tempora Bonifacii VIII. & Clementis V. „ ut constat ex titulis *De Electione*, *in Sexto & Clementinis.*

„ Primùm Cathedrales Ecclesias, quæ apud Romanam tan„ tùm Curiam vacare contigissent, suæ dispositioni, (inquit „ Barbosa dicto loco) reservare cœpit Clemens V. in *Extrav.* „ ET SI IN TEMPORALIUM, *De Præbendis, inter Comm.* Dein„ de verò idem Clemens V. earum quoque Ecclesiarum pro„ visionem, quæ Clero & populo christiano carerent, Rom. „ Pontificis dispositioni reservavit *in Clement.* IN PLERISQUE, „ *De Elect.* Postea Benedictus IX. *in Extrav.* SANCTA RO„ MANA, *de Elect. inter Comm.* statuit, quatuor Patriarcha„ libus Ecclesiis vacantibus, illis non posse provideri Roma„ no Pontifice inconsulto. Hinc Joannes XXII. *in Extrav.* EX „ DEBITO, *Eodem Tit. de Elect. inter Com.* provisioni suæ „ reservavit Episcopales, & earum superiores Sedes, quæ apud „ Sedem illo vivente vacare contigerint. At Benedictus XII. „ *in Extrav.* AD REGIMEN, *de Præbendis*, *inter Comm.* dis„ positioni Apostolicæ reservavit omnes Patriarchales, Archi„ episcopales, & Episcopales Ecclesias, &c. tunc apud Se„ dem Apostolicam quomodocunque vacantes, & imposterum „ vacaturas. Denique per sequentes Romanos Pontifices reser„ vatio facta fuit simpliciter & generaliter quoad omnes Ec„ clesias Episcopales, tam apud Sedem Apostolicam, quàm „ extra Curiam vacantes in *Regula* 2. *Cancellariæ.*“

Per has reservationes ad nihilum redactum esse jus eligendi Prælatum, quod habebant Capitula Cathedralia & Collegiata, etiam post alios Canonistas observat Fagnanus ad *cap.* NULLUS ✠ *de Elect.*

V. Verùm Reservationes illæ non ubique receptæ fuerunt, aut probatæ, retinentibus tum Episcopis, Capitulis & Patronis, quibus jus eligendi, conferendi & præsentandi penè omne per has adimebatur, tum etiam Regibus & Principibus Vasallorum suorum atque subditorum jura tuentibus; quippe qui malebant penes Capitula, aliosque sibi subditos esse jus electionis, quàm penes Pontifices.

Nec enim metuebant Principes, ne manente electione apud Capitula sibi subdita, facilè aliquis sibi non gratus, aut in sui regni negotiis suspectus ad Prælaturam eligeretur; quod è contra manente apud Pontifices provisione se metuere per promotionem extraneorum dicebant.

VI. Et quidem in Concilio Constantiensi, Prælati, præsertim Regni Galliæ, instanter petierunt, ut *jus Electionis* per reservationes quodammodo extinctum restitueretur iis, quibus de jure communi competit. Sed Concilium hoc unicè penè occupatum & intentum extinguendo schismati, quod per plures annos Ecclesiam sciderat, & affixerat, hunc articulum *de Reservationibus Sedis Apostolicæ*, item *de Collationibus Beneficiorum & gratiis expectativis*, item *de Confirmationibus Electionum*, futuro Romano Pontifici per Concilium eligendo commisit, ut super illo unà cum Concilio aut Deputatis ex qualibet Natione secundum æquitatem ac bonum Ecclesiæ regimen ante dissolutionem Concilii provideret.

VII. Cùm verò Martinus V. à Concilio Constantiensi electus nihil super his articulis statuisset, rursus in Concilio Basiliensi institerunt Patres, ac præcipuè Ecclesiæ Gallicanæ, pro abrogatione reservationum, atque restitutione Canonicarum Electionum; ac tandem *Sess.* 23. hoc editum fuit Decretum, quod & in Conventu Bituricensi Cleri ac Procerum Regni Gallicani probatum, ac auctoritate Caroli VII. Galliarum Regis cum aliis pluribus articulis partim ad verbum, partim cum aliqua moderatione ex Synodo Basilensi desumptis, probatum & evulgatum est sub nomine ac titulo *Pragmaticæ Sanctionis*. „ Sancta Synodus in Spiritu Sancto congregata statuit & „ definivit, generalem reservationem omnium Ecclesiarum Me„ tropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & Monaste„ riorum, ac Dignitatum electivarum, per Romanum Pontifi„ cem de cætero fieri, aut factis uti non debere, reservatio„ nibus in corpore juris clausis, & his, quas in terris Roma„ næ Ecclesiæ ratione directi seu utilis dominii mediatè vel „ immediatè subjectis fieri contigerit, semper exceptis: sed quòd „ per electiones & confirmationes canonicas, secundum juris „ communis dispositionem, prædictis Metropolitanis, Cathe„ dralibus, Monasteriis, & Collegiatis Ecclesiis, aut Digni„ tatibus electivis vacantibus, debitè provideatur; non dero„ gando propterea statutis, privilegiis, consuetudinibus ratio„ nabilibus, quibuscunque postulationibus in dispositione ju„ ris communis remanentibus. Decernitque hæc Sancta Syno„ dus rationi fore consentaneum & Reipublicæ accomodum, „ ut contra hoc salutare decretum Romanus Pontifex nihil at„ tentet, nisi ex magna rationabili ac evidenti causa, in lit„ teris Apostolicis nominatim exprimenda. Et ut eo firmius hoc „ salubre Decretum custodiatur, vult eadem Sancta Synodus, „ ut inter alia quæ Romanus Pontifex in sua assumptione pro„ fitebitur, juret Decretum hoc inviolabiliter observare. Et „ quoniam tales (ut prædictum est) oportet esse Prælatos, hi, „ ad quos jus pertinet eligendi, omnem curam adhibeant, ut „ dignam coram Deo & hominibus electionem faciant, exac„ tamque proinde apponant solicitudinem, ut tales eligant, qui „ tanto officio valeant satisfacere; scientes, quòd si vel do„ losè vel negligenter ac timore Domini postposito in re tam „ gravi se gesserint, sicut auctores erunt & causa malorum „ Pastorum, ita participes fient pœnarum, quas ipsi mali Pas„ tores in districto Dei judicio patientur.“

VII. Hoc igitur Decreto electio Episcoporum Capitulis Cathedralibus restituta fuit, atque Reservationes magna ex parte abolitæ, ac multùm limitatæ. Sed cùm in hac Pragmatica Sanctione non tantùm electiones Capitulis restituerentur, ac Reservationes Pontificiæ abolerentur, verùm & confirmationes Prælatorum inferioribus & Ordinariis reservarentur, aliaque plu-

plura præjudiciosa Sedi Apostolicæ in illa occurrere viderentur, Pius II. anno 1548. ad Pontificatum assumptus, aliique ejus Successores apud Reges Galliæ vehementer pro ejus abrogatione institerunt; sed quia Prælati, Parlamenta Regia, atque Parisiensis Universitas ejus observantiam ac necessitatem ex adverso vehementer urgerent, contigit, ut per quinquaginta & ampliùs annos super hac re certatum sit (uti in historia Pragmaticæ & Concordatorum videri potest) donec tandem anno 1516. initis Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. res tota sopita fuit, atque iterum electiones abrogatæ, Nominatione Episcoporùm ipsi Regi, confirmatione verò Pontifici delata, ut capite sequenti latiùs exponetur.

* Historia Pragmaticæ Sanctionis Caroli VII. Regis Francorum, ad quam superius lector remittitur, latinè edita extat in Appendice Monumentorum ad calcem hujus Pragmaticæ Sanctionis cum Glossis Cosmæ Guimier, &c. editionis anni 1666. cura & opera Francisci Pinsonii.

Ex hac historia liquet, quòd, licèt Romani Pontifices Pius II. Julius II. & Leo X. summoperè institerint pro tali ejus abrogatione, ac tandem obtinuerint Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. tamen totalem abrogationem obtinere non potuisse, ex hac ipsa historia manifestum est. Legitur enim *pag.* 730. editionis Francisci Pinsonii, Nuntium Apostolicum obtulisse Regi Galliarum Francisco I. duos libros subsignatos, nec non plumbo sigillatos, quorum alter erat Concordatorum à Concilio Lateranensi sub Leone X. comprobatorum; alter verò erat liber, actum continens Revocationis Pragmaticæ.

Nuntius verò expetiit à Rege utriusque actûs approbationem & publicationem in Curia Parlamenti habendam, Rex verò, cùm utramque Bullam recepisset, decrevit *unicam Concordatorum Bullam* publicandam; quoad revocationem verò *Pragmaticæ*, de ea nihil publicari voluit.

Insuper in eadem historia refertur *pag.* 735. „ quòd cum „ Curia Parisiensis rescivisset Congregationem Romæ habitam „ (quæ Concilium Lateranense nuncupabatur) omnia tentasse, „ ut Pragmaticam Sactionem rescinderet, ex ejus decreto Pro„ curator Generalis provocaverit omnium Regnicolarum no„ mine; quòdque cùm primum Pragmaticæ cassatio ad noti„ tiam pervenisset, Curia, cùm eidem appellationi adhæreret, „ demum provocaverit ad Papam meliùs consultum, nec non „ futurum Concilium generale legitimè congregandum; vel ad „ illum, vel ad illos, ad quem, seu quos, petendo Apos„ tolos instantissimè ab Episcopo Lingoniensi Pari Franciæ ip„ si Curiæ præsente.

„ Atque eos quidem *Apostolos* dictus Episcopus Lingonien„ sis ad honorem Dei Omnipotentis, pro Ecclesiæ Gallicanæ, „ Regni & Reipublicæ præsidio & conservatione concesserit Re„ verentiales, & quales de jure pro remedio opportuno se„ cundum temporis necessitatem concedere possit & debeat; „ illudque amplius, Curia actum sibi authenticum confici pos„ tulaverit de toto processu ab Actuariis & Manuensibus præ„ dictis.

Bulla seu Decretum abrogationis Pragmaticæ Sanctionis, à quo Procurator Generalis dicitur appellationi adhæsisse, promulgatum fuit à Leone X. *Sess. XI.* Concilii Lateranensis, & integra refertur tomo 14. Conc. General.

Narratur quoque in eadem historia Pragmaticæ Sanctionis, quòd ad querelam Universitatis Parisiensis super publicatione Concordatorum inter Leonem X. & Franciscum I. inter alia responderit Curiæ Parisiensis Cancellarius „ quòd, licèt ad Con„ cordatorum publicationem procederetur, nullum ex ea præ„ judicium Academiæ Parisiensi suboriretur, necnon Curia con„ troversias judiciales definiret secundum Pragmaticæ decreta, „ ut ante publicationem consueverat.

Hinc etiamnum hodiè notoria contraventio Pragmaticæ Sanctionis locum facit in Regno Galliæ appellationi tanquam *ab abusu*, uti infra *part.* 3. *tit.* 10. *cap.* 4. notatum est.

Ad hæc & hodie in Parlamentis Gallicanis causæ decidunter conformiter ad hanc Sanctionem Pragmaticam, creditur- que eam in suo mansisse vigore, exceptis solis articulis, quibus nominatim & expressè per dicta Concordata est derogatum.

IX. Neque Galli duntaxat de sublatis per Reservationes juribus Ordinariorum, Capitulorum, Patronorum atque Collatorum conquesti fuêre; sed eadem quoque Germanorum fuit querela, quos inter & Sedem Apostolicam pro ipsius tranquillitate inita, atque conclusa est *concordia*, quæ vulgò dicitur, *Concordata Germaniæ*, & à Nicolao V. speciali Bullâ, quæ incipit, *Ad sacram*, probata.

X. In his Concordatis quoad electiones Episcoporum hæc habetur: „ Placet nobis, quòd in Metropolitanis & Cathe„ dralibus, etiam immediatè non subjectis Ecclesiis, & Mo„ nasteriis immediatè subjectis Sedi Apostolicæ, fiant Electio„ nes Canonicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur. Quas etiam „ ad tempus Constitutionis felicis record. Nicolai Papæ III. „ quæ incipit: *Cupientes*, expectabimus, & elapso dicto ter„ mino, si non præsentatæ, vel si præsentatæ minùs canoni„ cæ fuerint, providebimus, & si canonicæ fuerint, eas confir„ mabimus; nisi ex rationabili & evidenti causa, ac de dicto„ rum Fratrum Cardinalium consilio de digniori & utiliori per„ sona duxerimus providendum, proviso quòd confirmati præ„ dicti, & per Nos provisi Metropolitanis suis & aliis præstent „ debita juramenta, & alia, ad quæ de jure tenentur."

Itaque vi horum Concordatorum, Capitulis Cathedralibus competit jus eligendi suos respectivè Episcopos, prout jure communi præscribitur; „ exceptis tamen Cathedralibus & Me„ tropolitanis, quas apud Sedem Apostolicam quocunque mo„ do vacare contigerit; nec non quæ per mortem Cardina„ lium, aut Officialium quoruncunque dictæ Sedis, quamdiu „ ipsa officia actualiter tenebunt, & etiam quorumcunque Le„ gatorum seu collectorum, ac in terris Romanæ Ecclesiæ Rec„ torum & Thesaurariorum deputatorum, seu missorum vaca„ bunt, ubicunque dictos Legatos, vel Collectores seu Rec„ tores & Thesaurarios, antequam ad Romanam curiam re„ dierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis; quæ „ omnes Sedi Apostolicæ reservantur; uti & quorumlibet pro „ quibuscunque negotiis ad Romanam curiam venientium, seu „ etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta curia ul„ tra duas dietas legales non distantibus ab hac luce transire „ contigerit." Constitutio Nicolai III. ad quam textus Con„ cordatorum remittit, refertur in *cap.* 16. *de elect. in* 6.

XI. Porrò Concordata hæc inita & conclusa per Fredericum III. Imperatorem, nec non quosdam Principes Nationis Germanicæ ex una parte, & Legatum Apostolicum sufficienti auctoritate suffultum ab altera, & per Nicolaum V. confirmata, ultra Nationem Germanicam non extenduntur; nec alios, quàm qui sub Imperio sunt, complectuntur.

XII. Cùm igitur Brabantiæ Ducatus Imperatorem pro Superiore non cognoscat, nec sub Imperio comprehendatur, neque in Brabantia ullæ Leges Imperiales, Constitutiones aut Decreta locum habeant, nec hæc quoque Concordata Brabantinos concernunt; neque Beneficia in Brabantia sita unquam subjecta fuêre regulis aut conditionibus in hisce Concordatis præscriptis; uti latè post Wamesium, *Consilio Can.* 255. ostendit Zypæus *Consult.* 3. *de Præbendis*; quamvis interim negari non possit, hæc Concordata Trajecti ad Mosam & Nivellis, quantumvis Ducatûs Brabantiæ civitatibus, notoriè observari: nam, uti notat Zypæus loco citato, „ Proclive est „ credere Dominam Nivellensem olim fundationis Imperatoriæ „ & Principem ipsius Imperii, Imperii Concordata acceptasse, „ & iis conformes fecisse collationes Præbendarum. Trajectum „ porrò fuit à Philippo II. Imperatore, Henrico Duci Bene„ ficiario jure concessum, & à Frederico II. & Henrico ejus „ filio confirmatum, & à Leodiensibus variè controversum, ut „ refert Divæus in Brabantia *lib.* 1. *cap.* 11. & Kinschot. „ *tract.* 1. *cap.* 2. ut quamvis à Carolo V. demum Braban„ tiæ sit annexum, non desierunt tamen Leodienses indivisa „ sibi jura possidere. Unde nec erectis novis Belgii Episco„ patibus inde est abscissum, ut mirum non sit, si illa Ec„ clesia Cathedræ suæ mores sit imitata, cui in spiritualibus „ & temporalibus non desierat subesse, adeoque Concordata „ Germanica acceptaverit."

* Concordata Germaniæ, quantum ad articulum de collatione & reservatione Beneficiorum non vigere, nec unquam viguisse in Ducatu Brabantiæ, notatum est; imò neque hæc in Ecclesia Cathedrali Antuerpiensi locum habent, tametsi hæc civitas retinuerit titulum *Marchionatus S. Imperii*; quod inde contigisse verisimile est, quòd Dux Brabantiæ hæc Concordata intra terminum in Concordatis præscriptum non acceptaverit; quæ tamen aceptatio requirebatur.

Quod autem Civitates & Ecclesias Trajectensem & Nivellensem attinet, cùm hæ civitates tempore innitorum Concordatorum nondum essent totaliter ab Imperio avulsæ & emancipatæ, acceptatio Concordatorum facta per Imperatorem sufficere potuit ad introducenda ibidem Concordata, uti observat celebris hujus Universitatis Jurisconsultus Van de Velde in suis Annotationibus mss. ad Regulam Cancellariæ de reservatione mensium, *dubio* 4.

Notat & ibidem, quòd Concordata hæc obtineant in Ducatu Luxemburgensi, comprehenso etiam Comitatu Chimacensi, utpotè qui fuit sub Imperio usque ad ejus emancipationem postmodum factam, id est, post tempus initorum Concordatorum. Monet quoque in civitate Thenensi haberi quidem sex menses, sive alternativam, quali gaudent Ecclesiæ his Concordatis subjectæ.

XIII. Ulteriùs quia Concordata illa inita non fuerunt per totam Nationem Germanicam, sed tantùm per Imperatorem & aliquos Principes inclytæ Nationis Germanicæ, illa nequaquam omnes omninò Imperii Principes comprehenderunt, aut obligarunt, sed eos duntaxat, qui illa acceptanda duxerunt, quemadmodum latè probat Zypæus; „ Multi siquidem, ait, „ *num.* 6. per Germaniam eadem Concordata non acceptarunt, „ ut

ut Herbipolenses, Bambergenfes, aliique, quia ampliora Pri- „ vilegia, vel sibi fortè convenientiora obtinuerant.“

XIV. Ad hæc notandum, quòd tametsi Collatores hæc Concordata acceptaverint; atque sub illis comprehendantur, si tamen Beneficia ad eorum collationem spectantia sita sint extra fines Imperii, in horum collatione Concordatis locum non esse.

Unde nec litteræ Maximiliani Imperatoris scriptæ 11. Januarii 1518. ad Leodienses, & Caroli V. ad Cameracenses 9. Februarii 1554. quibus sub gravissimis pœnis injungitur, ne quem ad Beneficium quodcunque admittant vigore litterarum Apostolicarum, nisi juxta terminos Concordatorum, concernunt Beneficia in Brabantia sita. Et quamvis tam Maximilianus, quàm Carolus, essent Duces Brabantiæ, non tamen in hac qualitate *Ducis*, sed *Imperatoris* litteras scriptas probat Zypæus; & ipse litterarum contextus ostendit.

XV. Ecclesiæ ergo Nationis Germanicæ, quæ hæc Concordata acceptarunt, etiamnum hodie, eæque penè solæ, jus electionis conservarunt; quæ in sua Electione formam jure communi præscriptam servare debent, nisi ex speciali privilegio, consuetudine, aut fundatione aliquid secùs obtinere probetur; cùm Concordata nullum specialem Electionis ritum aut formam præscribant. Quæ verò forma in Electionibus sit servanda, infra Parte 2. dicemus.

CAPUT III.

De Regia Episcoporum Nominatione.

1 *Ex quo Principes fidem Catholicam susceperunt, Electioni Episcoporum intenderunt.*
2 *Seculo VI. Episcopos de consensu Principis fuisse Ordinatos, probatur auctoritate S. Gregorii.*
3 *Episcopos Nominatos fuisse à Regibus, probatur testimonio Leonis IV. & Stephani IV.*
4 *Reges Hispaniæ nominasse Episcopos, ostendit Concilium Toletanum XII.*
5 *Etiam seculo VIII. jus nominandi Episcopos habuerunt Reges Galliæ.*
6 *Licèt Electio fieret à Capitulis Cathedralibus, licentia tamen eligendi petenda erat à Regibus.*
7 *Nullus facilè eligebatur à Capitulis, nisi quem Rex electum volebat, & ideo Electionibus favebat.*
8 *Reservationes Romanæ Principibus displicuerunt.*
9 *Pontifices maluerunt jus nominandi Regibus concedere, quàm Canonicas Electiones & Confirmationes restituere.*
10 *Probatur ex Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I.*
11 *Jus nominandi abrogatis Electionibus Regi Galliæ delatum est per dicta Concordata.*
12 *Hæc Concordata non sine contradictione recepta fuêre.*
13 *Exceptæ fuerê Ecclesiæ, quæ specialibus Apostolicis privilegiis jus eligendi se habere poterant docere.*
14 *Hæc exceptio hodie locum non habet.*
15 *Regi Catholico indulta nominandi Episcopos à variis Pontificibus concessa fuerunt.*
16 *Jus illud Regibus Hispaniæ etiam competere dicitur titulo Jurispatronatûs.*
17 *In erectione novorum Episcopatuum Belgii jus nominandi Principibus reservatur.*
18 *Idem jus passim aliis etiam Principibus Catholicis concessum.*
19 *Rex Catholicus non tantùm indulti Apostolici, sed etiam* Regaliæ *in litteris Nominationis meminit.*

I. UBI fides christiana primùm prædicari cœpit, ut occulta hæc primùm fuit propter metum Principum Ethnicorum, ita inconsultis Principibus Sacerdotales Dignitates ab Episcopis assentiente Clero populoque, uti supra expositum fuit, conferebantur. Sed simul ac fidem christianam susceperunt Principes, & Reges, continuò & ipsi cœperunt curam, & auctoritatem adhibere, non quidem ut ad se plenum jus conferendi, aut nominandi avocarent (nam etiam aliquot seculis post Constantini ad fidem christianam conversionem penes Episcopos, Clerum, populumque mansit) sed quo providerent, ut Sacerdotia ritè ac canonicè conferrentur; nec quisquam indignus, aut qui Ecclesiæ aut Reipublicæ Statum ac pacem turbaret intruderetur; ideoque & sine suo assensu consecrari aut confirmari Electos Episcopos ægrè sinebant.

Unde rectè notat Christianus Lupus in dissertatione *de Regia Nominatione*, tomo 3. Scholiorum præfixâ, *cap.* 6. Regium consensum electioni dandum, esse antiquum, & à Romana etiam Ecclesia probatum, aut certè toleratum. „ Etenim, „ pergit Lupus, Eusebianæ factionis Antiochena Synodus, dum „ ejusdem Civitatis Patriarcham S. Eustachium dejecit, electum „ à se Eusebium Cæsariensem Constantino Augusto obtulit, & „ petit confirmari, factamque de illo Electionem, quòd Ca- „ non Apostolicus & Nicæna Synodus vetarent translationes, „ Princeps cassavit. Ita in hujus vita scribit ipse Eusebius, & „ Hermias Zozomenus.“ Hæc ille, qui ibidem plura refert, quibus ostenditur, jam seculo IV. Principes electioni Episcoporum se immiscuisse.

II. Ut ad recentiora veniamus, S. Gregorius seculo VI. scribit Joanni primæ Justinianæ Illyrici Episcopo: „ Quia sus- „ cepta Fratrum & Coëpiscoporum nostrorum relatio, ad lo- „ cum vos Sacerdotii totius Concilii unito consensu, & *Serenis- „ simi Principis voluntate* declarat accersiri, gratias Omnipo- „ tenti Deo Creatori nostro magna cum exultatione retulimus.“ *Lib.* 4. *Epist.* 8. apud Gratianum, *Dist.* 63. *can.* 9.

III. Et apud Gratianum, *ead. dist. can.* 16. scribit Leo IV. pro Colono Reatinæ Ecclesiæ Electo ad Lotharium Augustum, ac Ludovicum ejus filium: „ Vestram mansuetudinem deprecа- „ mur, quatenus Colono humili Diacono eandem Ecclesiam „ (scilicet Reatinam) ad *regendum concedere dignemini*, *ut „ Vestrâ licentiâ acceptâ*, ibidem eum, Deo adjuvante, con- „ secrare valeamus Episcopum. Sin autem in prædicta Eccle- „ sia nolueritis, ut præficiatur Episcopus, Tusculanam Eccle- „ siam, quæ viduata existit, illi Vestra Serenitas dignetur con- „ cedere, ut à nostro Præsulatu consecratus, Deo Omnipoten- „ ti, vestroque Imperio grates peragere valeat.“

Similis est epistola Stephani IV. ad Guidonem Comitem quam ibidem *Can.* 18. retulit Gratianus; ad quas respexisse videtur S. Ivo Carnotensis in Epistola ad Hugonem Lugdunensium Primatem, in qua scribit: „ Post canonicam Electionem Reges „ Apostolica auctoritate à concessione Episcopatuum prohibitos „ minimè videmus. Legimus enim sanctæ recordationis summos „ Pontifices aliquando apud Reges pro Electis Ecclesiarum, ut „ eis ab *ipsis Regibus* concederentur Episcopatus, ad quos „ Electi erant, intercesisse; aliquorum, quia *concessione's Re- „ gum* nondum consecuti fuerant, consecrationes distulisse.“

* Ex eo autem, cùm Imperator & in urbe Roma summum obtineret Imperium, jam pridem quoque obtinuit, ut electus in Episcopum Romanum ordinari non posset, priusquam consensus Imperatoris accessisset, & in personam electam consensisset.

Et quidem Platina tanquam singulare notat in vita Pelagii II. quòd propter obsidionem urbis Romanæ à Longobardis, Pelagius injussu Imperatoris, tum Pontifex creatus sit, quia extra obsessam ab hoste Urbem mitti quispiam non posset. Nihil (inquit) tum à Clero in eligendo Pontifice actum erat, nisi ejus Electionem Imperator aprobasset; additque Platina, quod ad placandum Imperatorem missus fuerit Constantinopolim Gregorius Diaconus, qui ipsi Pelagio postmodum sucessit sub nomine Gregorii I.

Quo tempore eum consensum requirere cœperint Imperatores, incertum est. Arbitratur Onuphrius Panvinus *in notis ad Platinam*, tempore Justiniani Imperatoris hunc morem fuisse inductum, ut electus à Clero & populo Romano in Episcopum Romanum ordinari non posset, neque electus administrationem Pontificatus suscipere, antequam consensus Imperatoris accessisset; „ ut Imperator (ait Onuphrius) certus esset de conditio- „ nibus novi Pontificis, cujus maxima tum auctoritas esse cœ- „ perat, Imperatoribus præsertim Italiâ absentibus.

Quidquid sit de hac Onuphrii annotatione, id sat constat, morem hunc à tempore Justiniani pluribus seculis fuisse usitatum.

Et quidem habetur ex Joanne Diacono *in vita S. Gregorii*, quòd, cùm invitus per Clerum & populum in locum Pelagii II. esset electus: „ Ipse intelligens esse electum, omnimodò ten- „ tavit prævenire Principem, ut Electionem de se factam non „ approbaret, atque ita ordinationem declinaret.“ Evidens argumentum, existimasse Gregorium electionem de se factam, suo frustrandam effectu, si Principis non accederet assensus.

Hunc Principis sive Imperatoris assensum diù etiam post tempora S. Gregorii necessarium fuisse evincit Liber diurnus RR. Pontificum per Garnerium è Societate Jesu Presbyterum, nuper editus, ac notis & observationibus illustratus.

In hoc Libro refertur *cap.* 2. *tit.* 3. formula relationis *de electione Pontificis ad Principem*; in qua exponunt Electores, quòd in Electionem venerabilis Apostolicæ Sedis Archidiaconi, omnium, Deo volente, declinaverit assensus.

Post hæc supplicant Principi, ut Dominorum pietas servorum suorum obsecrationes dignanter exaudiat, & concessa pietatis suæ jussione potentium desideria, pro mercede Imperii sui ad effectum, de ordinatione ipsius præcipiat pervenire.

Ex toto hujus formulæ contextu manifestum est, hanc supplicationem esse libellum, quo approbatio Electionis à Principe expetebatur.

Unde & summarium hujus tituli ita expressit Garnerius: *de Electione, quæ mox referebatur ad Principem, id est, Constantinopolitanum Imperatorem, postulabaturque Electionis approbatio.*

Verùm ob hanc habendi Imperatoris Constantinopoli residentis consensus necessitatem, plerumque multo tempore Romana Ecclesia suo viduata manebat pastore.

Et

Et quidem Daniel Papebrochius *in vita Benedicti II. in suo Conatu Chronologico*, observat, causam longioris moræ, quæ deprehenditur intercessisse inter Electionem & Ordinationem hujus Pontificis, nec non Leonis II. immediati hujus Benedicti prædecessoris, in hanc obtinendi Imperatoris consensus necessitatem esse refundendam.

Ut autem ocurreretur his incommodis, quæ ex mora diurnæ vacationis proveniebant, contigit, ut Imperatores nonnunquam Electionis confirmandæ auctoritatem Exarcho suo Ravennæ residenti, & negotia Italiæ nomine Imperatoris administranti, committerent, uti à Constantino Imperatore ad instantiam Benedicti II. factum credit Papebrochius loco citato.

Idipsum probat allegatus Liber diurnus Rom. Pontificum, in quo inter alia *c. 2. tit.* 4. exstat formula precum, sive supplicationis Cleri & populi ad Exarchum Ravennæ, cujus hoc est summarium per Garnerium huic supplicationi præpositum: *referebatur etiam ad Exarchum Ravennæ*, „ *ut electionem* VEL „ NOMINE PRINCIPIS CONFIRMET, *vel confirmandum curet.*“

Ex pluribus autem circumstantiis probat idem Garnerius, prædictas preces, sive supplicationem pertinere ad Electionem Gregorii II. quæ contigit sub initium seculi VIII.

Quæ hactenus notata sunt, evincunt quidem, ad consecrationem electi in Romanum Episcopum procedi non potuisse, nisi Electio ab Imperatore, vel ejus nomine per Exarchum esset probata: sed prævie ad Electionem necessarium fuisse Principis consensum, aut ejus Missos, sive Legatos ad electionem debuisse vocari, non constat.

Quin & legitur apud Anastasium Bibliothecarium *in vita Hadriani II.* & ex ipso apud Gratianum *Dist.* 63. *Can.* 29. „ Cùm „ Hadrianus II. ad Romanum Pontificatum ab Ecclesia Dei, Genitricis Dominæ nostræ, quæ dicitur *ad Præsepe*, trahere„ tur ad Lateranense Patriarchium, certatim à Clero & Proce„ ribus & plebe deportatus est; quod audientes Missi Ludovi„ ci Imperatoris molestè tulerunt, indignati scilicet, quòd dum „ præsentes essent, non fuerunt invitati, nec optatæ à se futuri „ Præsulis Electioni interesse meruerunt; qui acceptâ ratione, „ quòd non causâ contemptûs Augusti, sed futuri temporis „ prospectu commissum hoc fuerit, (ne videlicet Legaros Prin„ cipum in electione Romanorum Præsuluum expectandi mos „ per hujusmodi fomitem inolesceret) omnem indignationem „ medullitùs sedaverunt, & ad salutandum electum etiam ipsi „ humiliter accesserunt.“

Post enarratam Electionem Hadriani II. & datam satisfactionem Missis Imperatoris, subditur: „ Denique omnes hunc cer„ tatim coram iisdem Legatis rapere & ad summum Pontificatûs „ apicem provehendum trahere, ac anxiè nitebantur portare, „ nisi blanditiis Senatorum & consiliis aliquantulum sedati fuis„ sent. Quorum omnium unanimitatis desiderium audiens Ludo„ vicus Christianissimus Imperator, cognoscens etiam, quali„ ter in eo Decretum suum suis subscriptionibus roboraverunt, „ gavisus est.

Scripsit & Imperator epistolam ad Romanos, quâ ipsos laudavit, quòd talem Pontificem unanimiter elegerint.

Ex his patescit, Romanos prætendisse *Missos* Imperatoris, tametsi in Urbe præsentes, ad electionem non debuisse vocari, neque eorum adventum esse expectandum, priusquam ad electionem procedatur.

Constat & ex his actis, quòd populus voluerit etiam mox à facta Electione sine Imperatoris consensu ad consecrationem electi procedi, sed Senatorum blanditiis & consiliis aliquantulum fuerit sedatus, & consecratio electi dilata.

Itaque etiam eo tempore persuasum erat Romanis, signanter Senatoribus, ad electi ordinationem non esse procedendum, priusquam haberetur Imperatoris assensus.

Verùm nec id negari potest, quin hoc Populi Romani propositum & desiderium, ut non expectato Imperatoris assensu electus mox ordinaretur, (uti in actis legitur) nec non eorum ad querelas *Missorum* Principis responsum innuant, Romanos tum temporis cœpisse aspirare ad excutiendam necessitatem expectandi consensum Imperialem prævie ad consecrationem electi.

Id ipsum Romanorum desiderium & studium insinuant quæ ex Sigonio refert Daniel Papebrochius *in vita hujus Pontificis Hadriani II.* quòd sub Ludovici filio Carolo Craso „difficilibus „ bellis occupato, Hadrianus compellentibus Romanis, ediderit „ Decretum pro libertate Romanorum, ut Pontifex designatus „ consecrari sine præsentia Regis aut Legatorum ejus possit.“

Atque hinc non sine fundamento supponit Papebrochius aliquandiu Pontificum non tantum Electionem, sed & consecrationem liberam habuisse Romanos, quod non obscurè probat Concil. Ravennatense habitum an. 904. sub Joanne IX. ubi imprimis *Can.* 1. deplorat Pontifex, *quòd S. R. Ecclesia plurimas patiatur violentias, Pontifice obeunte, quæ ob hoc inferuntur, quia absque Imperatoris notitia, & suorum Legatorum præsentia Pontificis fit consecratio, nec canonico ritu & consuetudine ab Imperatore directi intersunt Nuntii, qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri.*“

His incommodis ut occurratur, eodem Canone statuitur: „ Volumus, ut deinceps abdicetur & constituendus Pontifex, „ convenientibus Episcopis & universo Clero eligatur, expeten„ te Senatu & populo, qui ordinandus est sic in conspectu om„ nium, celeberrimè electus ab omnibus *præsentibus Legatis* „ *Imperialibus* consecretur.“

Et sanè subsequentes Pontifices, Electionem suam non sat firmam existimasse, nisi accesserit consensus & confirmatio Imperatoris, evincunt, quæ circa electionem Gregorii VII. acta fuisse narrantur.

Cùm enim facta esset Electio per populum & Clerum Romanum de ejus persona, sine speciali licentia & interventu Imperatoris, veritus Hildebrandus electus in Pontificem, ne postmodum ob defectum consensus Imperatoris ejus electio & ordinatio in Pontificem irrita & invalida declarari posset, ordinationem suam differendam censuit quoad usque consensum & approbationem Imperatoris obtinuisset, pro quibus obtinendis Legatos suos missit ad Imperatorem, scribitque Lambertus Schuffnaburgensis: „ quòd cùm Hildebrandus zelo Dei ferventissimus „ erat, Episcopi Galliarum protinùs grandi scrupulo permove„ ri cœperint, ne vir vehementis ingenii, & acris erga Deum „ fidei districtiùs eos pro negligentiis suis quandoque discuteret, „ atque ideo communibus omnes consiliis Regem adorti orabant, „ ut electionem, quæ ejus injussu facta fuerat, irritam esse de„ cerneret, asserentes, quòd nisi impetum hominis prævenire „ maturaret, malum hoc non in alium gravius, quàm in ipsum „ Regem redundaturum esset.

„ Statim Rex à latere suo Eberhardum Comitem misit, qui „ Romanos Proceres conveniens causam ab eis sciscitaretur, „ quare *præter consuetudinem Majorum*, *Rege inconsulto* Ro„ manæ Ecclesiæ Pontificem ordinassent, ipsumque, si non „ idoneè satisfacerent, illicitè acceptatâ dignitate abdicare se „ præciperet.

„ Is veniens Romam benignè à prædicto viro susceptus est, „ cumque illi mandata Regis exposuisset, respondit se, Deo „ teste, honoris hujus apicem nunquam per ambitionem affec„ tasse; sed electum se à Romanis, & violenter sibi imposi„ tam fuisse Ecclesiastici Regiminis necessitatem, cogi tamen „ nullomodo potuisse, ut ordinari se permitteret, donec in „ Electionem suam tam *Regem*, quàm Principes Teutonici reg„ ni *consensisse* certâ legatione cognosceret.“

„ Hac ratione distulisse adhuc ordinationem suam, & si„ ne dubio dilaturum, donec sibi voluntatem Regis certus in„ de veniens Nuntius intimaret.

„ Hoc ubi Regi est renuntiatum, libenter suscepit satisfac„ tionem, & lætissimo suffragio ut ordinaretur, mandavit: quod „ & factum est anno sequenti in Purificatione S. Mariæ.“ Hucusque Lambertus.

Ex his manifestum est, Hildebrandum electum in Pontificem, nequaquam credidisse suam electionem sine consensu Principis factam, firmam satis esse, ipsosque Episcopos Gallicanos existimasse, in arbitrio Regis esse electionem sine suo consensu factam, irritam declarare, prout hæc omnia latiùs prosequitur, & probat Ludovicus Maimbourg, *Histoire de la decadence de l' Empire*, *pag.* 224. *& seqq. Edit. Paris. anni* 1684. Notatque ibidem pag. 404. quod hac potestate uti desierint Imperatores, post initam Concordiam super Investituris inter Calixtum I. & Henricum V. in Concilio Lateranensi.

Et sanè ex historia dissidiorum inter Romanos Pontifices & Imperatores, occasione *Investiturarum*, haud obscurum est Romanos Pontifices in hac controversia unicè intendisse, Imperatores ab electione sive Investitura Prælatorum, ac notanter Romani Pontificis, totaliter excludere.

Sufficienter quoque ex eadem historia constat, per *Investituram* & in hac tota luctuosa controversia Imperatores id unum prætendisse, ut Electione canonicè per Clerum & populum peractâ, electus ordinari non posset, priusquam Electio & persona electa Imperatori fuisset notificata, & Imperatoris assensus accessisset. Deinde quòd electus deberet ab Imperatore de novo recipere Regalia, quæ concessio fiebat per *Investituram*, porrigendo electo *annulum & baculum*, quemadmodum id coram Paschali II. Papa, nomine Imperatoris Henrici V. declaravit Archiepiscopus Trevirensis his verbis: „ Talis est „ Domini Imperatoris, pro qua mittimur, causa: temporibus an„ tecessorum vestrorum sanctorum & Apostolicorum virorum „ Magni Gregorii, & aliorum, hoc ad Jus imperii pertinere „ dignoscitur, ut in omni Electione hic ordo servetur: ante„ quam Electio in palam proferatur, ad aures Domini Impe„ ratoris perferre, & si personam deceat, assensum ab eo an„ te Electionem factam assumere, deinde in conventu, secun„ dum Canones, petitionem populi, Electionem Cleri, assen„ sum Honoratorum proferre: consecratum liberè, nec simo„ niacè ad Dominum Imperatorem pro *Regalibus*, ut annu„ lo & virga investiatur, redire, & hominium facere.

Et sanè hanc fuisse communem Electionis & investitura-

rum formam sub Imperatoribus ante tempora Gregorii VII. pacificè & sine ulla controversia usitatam, sat constare potest, ex iis quæ tum hoc capite notata sunt, tum passim ex is, quæ in historicis istius ætatis occurrunt: eamque formam sub S. Henrico servatam fuisse, intelligitur ex Ditmaro Episcopo Merspurgensi *lib.* 6. *pag.* 44. circa annum 1012. qui refert, quòd „ defuncto Tagmone Magdeburgensi Archiepis- „ copo, S. Henricus Imperator, cùm ejus obitum intellexis- „ set, miserit Episcopum Herbipolensem, ut per eum intel- „ ligeret interventionem Capituli & Vassallorum Magdebur- „ gensium circa personam ad Archiepiscopatum promovendam, „ cumque ex iis intellexisset, ipsos inclinari in Walterdum Præ- „ positum ejusdem Ecclesiæ, Rex Henricus eum ad se accer- „ sit, cùm à Rege ad suos diverteretur, eis *annulum* quem „ in *arrham* acceperat à Rege, ostendit: post hæc ad cano- „ nicam Electionem processum fuit, ipseque Walterdus ca- „ nonicè electus, & mox facta Electione Rex electo *Bacu-* „ *lum Pastoralem* porrexit, præstitoque juramento fidelitatis Re- „ gi, in Ecclesiam introductus fuit.“ Hæc refert Ditmarus qui ipse præsens adfuit.

Ulterius constat Gregorium VII. ejusque successores in luctuosa illa de Investituris controversia cum Imperatoribus prætexisse, hæc ab Imperatoribus prætensa circa investituram jura, esse contraria libertati sacrarum electionum; isamque Ecclesiam quodammodo in servitutem redigi, quemadmodum inter alios expressit Paschalis II. Expositis enim per Trevirensem Archiepiscopum, nomine Henrici Imperatoris verbis supra relatis, respondens dixit: „ Ecclesiam pretioso Jesu Chris- „ ti sanguine redemptam, & liberam constitutam, nullo modo „ iterato ancillari oportere: si Ecclesia eo inconsulto Præla- „ tum eligere non possit, cassata Christi morte ei *serviliter* „ subjacere; si *virga & annulo* investiatur, cùm ad altiora ejus- „ modi pertineant, contra Deum ipsum usurpare; si sacratas „ Corpori & Sangini Dominico manus, laici manibus gladio san- „ guinolentis obligando supponat, ordini suo & sacræ Unc- „ tioni derogare.“

Supradicta tum per Archiepiscopum Trevirensem nomine Imperatoris exposita, tum hæc Pontificis responsa referuntur ex Sugerio apud Juretum in notis ad *epist.* 236. Ivonis Carnotensis.

Præterea habetur Enricum V. in solemni illa Concordia super hac luctuosa controversia anno 1122. inter ipsum & Calixtum II. Actam dedisse, in qua hæc inter cætera leguntur: „ pro amore Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Domini Pa- „ pæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo, & „ sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo & sanctæ Ecclesiæ Ca- „ tholicæ, omnem Investituram per *Annulum & Baculum*, & „ concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem & liberam con- „ secrationem.“ Integra Acta legitur Tom. 10. Conciliorum General. *columnna* 901. *editionis Labeanæ.*

Cum igitur per hanc Actam non tantùm Imperator renuntiaret Investituræ per *Annulum* & *Baculum*, sed insuper electionem & liberam consecrationem omnibus Ecclesiis concederet, nequaquam dubitarunt Romani Pontifices Imperatorem remisisse jus probandi, sive confirmandi Electionem & personam electam, priusquam electus in Pontificem ordinari vel consecrari posset, quandoquidem ipsi Romani Pontifices in hac controversia contenderent, per hoc prætensum jus Imperatorum libertatem electionis & consecrationis labefactari.

IV. Etiam seculo VII. Regum Hispaniæ consensum in electione Episcoporum desideratum fuisse; quin nec quemquam nisi ab eo prius designatum consecrari potuisse, manifestum est ex Canone 6. Concilii Toletani XII. qui & à Gratiano *Dist.* 63. *Can.* 25. refertur in probatione hujus assertionis: *In Electione Episcoporum Principis dessideratur assensus.*

Idem ad citatum Canonem sextum notat Garcias Loaisas, qui ibidem relatis litteris Isidori Hispalensis, nec non decreto Concilii Toletani XVI. concludit: „ Unde constat *ad Regiam* „ *curam pertinere nominare Episcopos*: quod, ait, fiebat hoc „ pacto. Rex de ea re nominationem referebat ad Concilium, „ Concilium autem inquirebat, an nominatus dignus esset eo „ munere, ut ad Episcopatum eveheretur, quod si inventus „ esset moribus & doctrina ornatus, statim à Concilio con- „ firmabatur.“

V. Nec tantùm in Hispania, sed & in Gallia sub primis Regibus nominationem Episcoporum fuisse penes Reges, notat Jacobus Sirmondus in præfatione *de antiquo more promovendi Episcopos*; quæ extat tom. 8. Conciliorum Generalium editionis Labeanæ; ubi unà ex eodem Sirmondo referuntur formulæ antiquæ de *Episcopatu*, quarum usus fuit sub primis Regibus, sub his titulis: Primò *Cleri plebisque viduatæ Civitatis preces ad Regem pro Episcopo instituendo.* Secundò: *Præceptum Regis de Episcopatu ad Episcopum designatum.* Tertiò: *Indiculus Regis ad Metropolitanum, ut designatum Episcopum ordinet cum suis Comprovincialibus.* Quartò: *Indiculus alter ad Episcopum pro eadem designati Episcopi ordinatione.*

Hæ formulæ ostendunt, plenam nominationem eo tempore penes Reges fuisse, ac personam ad Episcopatum nominatam Metropolitano ejusque Comprovincialibus à Rege fuisse præsentatam, ut ab ipsis in Episcopum ordinaretur.

Legitur quidem seculo IX. & sequenti apud Clerum & populum electionem fuisse, sed quasi beneficio Principis aut Regis; nam ad electionem procedere fas non erat, nisi prævia Principis licentiâ.

Extat etiamnum hodie in appendice ad tomum 8. Conciliorum Generalium epistola Hincmari Remensis Archiepiscopi ad Carolum Regem Francorum, qua petit, ut Clero & plebi Silvanectensi Episcopi Electionem permittat, ac Visitatorem, qui electioni præsit, designet. Et in Decreto Cleri & plebis Senonensis de electione Ansegisi, quo ab Episcopis Provincialibus electum sibi in Pastorem ordinari petunt, asserunt, elegisse se per licentiam Episcoporum, *Domino etiam Christianissimo Carolo annuente.*

* Ex formulis, quas edidit Jacobus Sirmondus & quibus fit mentio, non evincitur, Regibus Galliæ fuisse plenum jus nominandi Episcopos, sed duntaxat probatur jus dandi consensum Electioni faciendæ, vel factæ: ostenditque Petrus de Marca, de Concord. Sacerdotii & Imperii, *lib.* 8. *cap.* 9. *& sequentibus*, hoc jure Reges Galliæ & Hispaniæ, necnon Principes Romanos usos fuisse, etiam probantibus Ecclesiæ Proceribus, quin & Synodorum Decretis Jus illud Regibus conservatum & confirmatum fuisse.

VI. Et licèt seculo XIII. electiones Episcoporum ad Capitula Cathedralia fuerint devolutæ, atque inter alios S. Ludovicus Galliarum Rex in sua Sanctione Pragmatica anno 1268. decrevisset, „ Item Ecclesiæ Cathedrales, & aliæ Regni nos- „ tri liberas electiones, & earum affectum integraliter habeant,“ nequaquam tamen hæ electiones sine licentia ac inspectione Principis peragebantur.

Nam hoc ipso anno, quo prædicta Pragmatica Sanctio edita fuit, Decanus & Capitulum Morinense ad S. Ludovicum destinarunt suum Archidiaconum, & Scholasticum „ ad peten- „ dum, inquiunt, nomine nostro à supereminenti, & magni- „ fica regia dominatione & munificentia *licentiam eligendi*, & „ providendi nobis, & nostræ Ecclesiæ de Pastore.“

Eandem licentiam anno sequenti ab eodem Sancto Rege postularunt Decanus & Capitulum Cenomanensis Ecclesiæ; uti patet ex supplica, quæ unà cum prædicta supplica Morinensis Capituli, necnon Pragmatica Sanctione S. Ludovici extat inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, editas per Pithœum tom. 1. *cap.* 15. qui & ibidem plurimas similes supplicas, Regibus subsequentibus exhibitas producit. Voluerunt ergo Reges, ut Ecclesiis Cathedralibus libera electio esset suorum Prælatorum; sed previâ eorum licentiâ, quo innuerent, Capitula eam eligendi libertatem debere liberalitati Regum acceptam referre. „ Quia, ait Christianus Luppus, Reges etiam „ nominationis sibi jus arrogabant, Canonicam electionem con- „ suerunt esse suum singulare beneficium; ideoque per singu- „ lares preces singulis vicibus implorandum.“

VII. Sive autem electioni faciendæ consensum Principis expectare deberent Capitula, sive electionis factæ approbationem, semper tamen natum erat contingere, ut non alius eligeretur, aut admitteretur, nisi quem Princeps cupiebat.

Non mirùm proinde quòd Principes Capitulis sibi subjectis annuerent canonicam electionem, quam vel ipsi pro suo arbitrio fieri permittebant, aut probabant vel improbabant. Quin & facile eis erat, sua auctoritate, aut precibus interpositis, à Capitulis impetrare, ut illum in Episcopum eligerent, quem Principes desiderabant.

VIII. Porrò cùm viderent per reservationes Pontificias Prælatorum nominationes ad Curiam Romanam devolutas, non perinde amplius à suo dependere arbitrio Ecclesiarum Cathedralium provisiones, imò frequenter personas extraneas sibi haud gratas, quin & nonnunquam suspectas ad Prælaturas suorum Regnorum nominari, omni conatu studioque illis reservationibus sese opposuerunt; atque canonicas electiones restitui voluerunt, suamque quam in iis jam pridem habuerunt, auctoritatem reduci.

IX. Econtra Pontifices attendentes, quòd restitutis canonicis Electionibus reipsa quodammodo ad Reges & Principes devolveretur Prælatorum Nominatio, ipsi verò Pontifices in totum ab eis excluderentur, in tantum ut nec Prælatorum confirmatio, quæ de jure communi Metropolitano competit, ad ipsos imposterum spectaret, convenientius crediderunt, si Regibus concederent privilegium seu indultum nominandi, sive præsentandi ipsi Pontifici personas ad Episcopatus promovendas; & ita Reges jus nominandi Episcopos ex privilegio aut indulto Sedis Apostolicè habere viderentur; ac unà Sedi Apostolicæ Episcoporum promotio & confirmatio reservaretur.

X. Et sanè Franciscum I. Galliarum Regem non desiderasse abrogationem canonicarum electionum, quæ per Sanctionem Pragmaticam erant restitutæ, & per famosum Concor-

da-

datum inter ipsum Franciscum & Leonem X. unà cum Sanctione Pragmatica sunt abrogatæ, sat innuere videtur in proœmio Concordatorum. Ibidem enim exponens, qualiter sibi cura fuerit, ut Concordata ita essent confecta temperataque, ut pleraque Pragmaticæ Sanctionis firma nobis, ait, posthac rataque futura sint; ac tum pluribus articulis Pragmaticæ Sanctionis relatis, qui post Cancordata salvi manserunt, ad articulum de electionibus descendens ait: „ Quod verò ad elec-„ tiones pertinet, minime quod optabamus, obtinere potuimus."

Et contra Leo X. totus est, ut ostendat, electiones esse abrogandas; asseritque, ex electionibus quæ in Ecclessii Cathedralibus & Metropolitanis à multis in Regno Galliæ fiebant, grandia animarum pericula provenire; idque hac inter alias rationes, quod *pleræque per abusum secularis potestatis fierent.*

Supposuit ergo Pontifex, electiones plerasque ad arbitrium & beneplacitum Principum fieri.

XI. Itaque post multas discussiones, ac deliberationes, Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Galliarum conclusa & recepta fuere anno 1516. quorum primus articulus hic est: „Quod de cætero Cathedralibus & Metropolitanis Ec-„ clesiis in Regno Galliæ, Delphinatu & Comitatu Diensi, ac „ Valentinensi nunc & pro tempore etiam per cessionem in „ manibus nostris (Pontificis) & Successorum nostrorum Ro-„ manorum Pontificum canonicè intrantium sponte factam va-„ cantibus, illarum Capitula & Canonici ad electionem, seu „ postulationem, inibi futuri Prælati procedere non possint; sed „ illarum occurrente hujusmodi vacatione, Rex Franciæ pro „ tempore existens, unum gravem Magistrum seu Licentiatum „ in Theologia, aut in utroque seu altero Jurium Doctorem „ aut Licentiatum in Universitate famosa & cum rigore exami-„ nis, & in vigesimo septimo suæ ætatis anno ad minus cons-„ titutum, & aliàs idoneum infra sex menses à die vacationis „ Ecclesiarum earundem computandos, *nobis* & Successoribus „ nostris Romanis Pontificibus, seu Sedi prædictæ nominare, & „ de persona per Regem hujusmodi nominata per Nos & Suc-„ cessores nostros, seu Sedem prædictam provideri debeat: & „ si contigeret præfatum Regem personam taliter non qualifi-„ catam ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, per nos & „ Successores seu Sedem hujusmodi de persona sic nominata „ eisdem Ecclesiis minimè provideri debeat," &c.

XII. Hæc Concordata tandem post multas, tàm ex parte Curiæ Regiæ, quàm Prælatorum, atque Universitatis Parisiensis oppositiones, auctoritate Regia publicata & executioni mandata fuere; atque hodie in vim illorum Rex ad Episcopatus & Archiepiscopatus nominat.

XIII. Declarat tamen Pontifex, se non intendere per præmissa in aliquo præjudicare Capitulis Ecclesiarum, Privilegia à Sede Apostolica proprium eligendi Prælatum obtinentibus, quominus ad electionem liberè procedere possint, juxta formam in eorum privilegiis contentam: „ Et si in eorum pri-„ vilegiis forma aliqua expressa non fuerit, tum formam Con-„ cilii generalis, Capituli QUIA PROPTER, tantùm servare te-„ neantur: dummodò de privilegiis sibi concessis hujusmodi, „ per litteras Apostolicas, seu alias authenticas scripturas do-„ cuerint, omni alia specie probationis eis in hoc adempta.

XIV. Verùm, primùm ipse Leo X. ac deinde Clemens VII. per speciale indultum concesserunt ipsi Francisco I. suspensionem privilegiorum, si quæ Sedes Apostolica quibusdam Ecclesiis annuisset; permittentes interim Regi nominationem ad Prælaturas. Simile indultum Pius IV. postmodum Carolo IX. dedisse legitur; ac interea injungebatur omnibus Capitulis, ut si quæ prætenderent hujusmodi privilegia à Sede Apostolica accepisse, eorum litteras Cancellario Regio examinandas traderent. Post hæc Reges Galliæ manserunt in possessione nominandi ad omnes sui Regni Ecclesias Cathedrales; vel quòd privilegia in forma authentica non fuerint producta, vel quòd longa possessio jus illud formaverit & firmaverit, uti observat Pinsonius *in Historia de Indultis*; qui & ibidem refert plura indulta Regibus Galliæ à variis Pontificibus concessa, quibus jus nominandi extenditur ad Pronvincias & Ecclesias Concordato non comprehensas.

XV. Regi Catholico similia quoque Indulta nominandi ad Cathedrales Ecclesias concessa testantur unanimiter rerum Hispanicarum Scriptores; atque hodie Præsentatio sive Nominatio fit à Rege, teste Garcia *de Benef. part.* 5. *c.* 1. *numer.* 217. „ cujus juris præsentandi, ait, & patronatus præcipuum fun-„ damentum est privilegium Apostolicum, quod habent Reges Hispaniæ." Deinde ex Mariana in historia Hispanica *lib.* 24. *cap.* 16. refert, quòd cùm fuisset de hoc controversia, Sixtus IV. concessit perpetuò „ Regibus Castellæ, quod in Epis-„ copatibus eligerentur per eos nominati & petiti." Quin & teste Mariana *lib.* 24. *cap.* 5. uti ibidem etiam retulit Garcias: „Papa Adrianus VI. concessit Carolo Imperatori Regi „ Hispaniarum & ejus Successoribus, jus præsentandi Episco-„ pos Hispaniæ, qui ante providebantur ad supplicationem Re-„ gum."

XVI. De hoc jure Regum Hispaniæ latiùs tractat Covarruvias ad *Cap. Possessor, part.* 2. §. 10. *numer.* 5. ibique observat, quòd non tantùm ex privilegio, sed vi juris patronatus competat Regibus Catholicis jus præsentandi: „ Siquidem, „ ait, Hispaniarum Reges Patronatus jus obtinent in Eccle-„ siis Cathedralibus, cùm eas erexerint, construxerint, & am-„ plis patrimoniis dotaverint."

Uno verbo, uti rectè monet Covarruvias, „ absque ulla „ controversia Hispaniarum Reges jus, & quasi possessionem „ habent ab eo tempore, cujus initium memoriam hominum „ excedit, eligendi & nominandi eos, qui à Romanis Pon-„ tificibus sunt præficiendi, ita quidem, ut nisi à Rege no-„ minatus nemo possit his Dignitatibus insigniri (q).

XVII. Et in Bulla erectionis novorum Episcopatuum Belgii, Paulus IV. Philippo Regi ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis (scilicet ejus partis inferioris Germaniæ, quæ Philippo Regi Catholico hæreditario jure subjecta erat) in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas ad dictas Ecclesias, quotiescunque illas vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos ad Nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservavit.

XVIII. Pari jure omnes penè Principes & Reges Catholicos suarum respectivè Ditionum Episcopos nominare, asserit Martha *tract. de jurisdictione, part.* 2. *cap.* 4. & latiùs Michaël Roussel in historia Pontificiæ jurisdictionis *lib.* 2. *c.* 7.

XIX. Porrò „Principes nostri (uti post Boëtium Eponem „ advertit Zypæus in Jure novo, *tit. de electione, num.* 3.) „ cum ad Episcopatum aliquem nominant, præfantur, se id „ facere vigore Regaliæ, Indulti Apostolici, seu quovis alio ju-„ re sibi competente. Pontifex verò in litteris confirmationis „ providet nominato in vim *Indulti Apostolici*, omissa *Rega-„ liæ* mentione, utpote quasi rejectæ, si non agnitæ."

CAPUT IV.

Quæ conditiones in Nominatione regia sunt servandæ.

1 *Nominandus secundum Concordata Galliæ debet esse graduatus in Jure vel in Theologia*
2 *An magis expediat, ut sit graduatus in Theologia, quàm in Jure.*
3 *Exceptio à dicta regula Concordati.*
4 *Rex Catholicus aliique Principes ex præcepto Concilii Tridentini qualem nominare debeant.*
5 *Decretum Tridentini ostendit, non exiguam curam adhibendam in concedendis gradibus Academicis.*
6 *Vi Concordatorum Galliæ nominatio fieri debet intra sex menses à die vacationis.*
7 *Si Rex personam non qualificatam nominaverit, tenetur intra tres menses à die recusationis aliam nominare.*
8 *Quomodo recusatio intimanda, & cui.*
9 *Prædictæ limitationi temporis non astringitur Rex Catholicus, nec alii Principes.*
10 *Pontifex vigore prædictorum Concordatorum liberè providere potest de Ecclesiis apud Sedem Apostolicam vacantibus: & quid sit ibidem vacare.*
11 *Interdum Rex Galliæ provisioni Pontificis se opponere posset.*
12 *Regia Nominatio Pontifici præsentanda.*
13 *Speciales conditiones in Concordatis seu Indultis, in nominatione Regia sunt servandæ.*

I. PLures conditiones in Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. in Nominatione Regia servandæ præscribuntur. Et quidem quod personam à Rege nominandam attinet, decernitur, nominandum à Rege esse debere „ Virum gravem, „ Magistrum seu Licentiatum in Theologia, aut in utroque Ju-„ re, seu in altero Jurium Doctorem aut Licentiatum in Univer-„ sitate famosa, & cum rigore examinis, & in 27. suæ æta-„ tis anno ad minus constitutum."

II. Nota autem Michaël Roussel in historia jurisdictionis Pontificiæ *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 19. quod Henricus II. statuerit in Comittis Blesensibus, neminem se nominaturum, nisi qualitates haberet; ac insuper voluerit, ut nominatus examinaretur ab Episcopo vel Archiepiscopo, & duobus Theologis: „Sed tu-„ tius esset, ait Roussellius, neminem nominari, nec nomina-„ tum admitti, nisi qui *Theologiæ Doctoratum optimo marte* „ *meruisset*: sic enim dignitas Ecclesiæ, quæ maximè viget in „ doctis & benè moratis Præsulibus (à doctrina autem præclari „ mo-

(q) *Hæc doctrina expressis verbis habetur* in ll. 1 & 5. tit. 6. lib. 1. Recop. & *etiam* in leg. 11. ejusdem tit. & lib. & *postremò* in leg. 3. tit. 6. lib. 1. Recop. Indiar.

„ mores plerumque nascuntur, ut ab ignorantia pravi) faci-
„ lè restitueretur, idque absolutè addi Concordato debue-
„ rat; si quidem nemo nescit, quàm facile gradus Jurium
„ obtineantur, ut ex illis doctus & capax præsumi non de-
„ beat."

Videant qui hodie annuendis Gradibus Academicis præsunt, an hoc Roussellii dictum hodie non verificetur.

III. Porrò conditioni de Gradu Academico in nominando requirendo, hæc moderatio subjicitur; „Exceptis consanguineis „ Regis, ac personis sublimibus ex causa rationabili & legiti-„ ma, in Nominatione, & Apostolicis litteris exprimenda, nec-„ non Religiosis Mendicantibus Reformatis, *eminentis* scientiæ, „ & *excellentis* doctrinæ, qui juxta Ordinis Regularia institu-„ ta ad Gradus hujusmodi assumi non possunt."

IV. Rex Catholicus aliique Principes, licèt legibus horum Concordatorum non adstricti, nihilominus easdem penè circa nominandas personas quoad hunc articulum leges servare tenentur vi Concilii Tridentini, quod *Sess.* 22. *cap.* 2. *de Reformat.* præscribit: „Ut quicumque posthac ad Ecclesias Cathe-„ drales erit assumendus, præter cæteras qualitates, scientiâ ejus-„ modi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit „ satisfacere. Ideoque antea in Universitate studiorum Magis-„ ter sive Doctor in S. Theologia vel Jure Canonico meritò „ sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio ido-„ neus ad alios docendos ostendatur."

V. Hîc notandum Synodum Tridentinam in defectum Gradus Academici requirere, ut Nominandus sive Promovendus *publico* alicujus Academiæ *testimonio* idoneus ad alios docendos ostendatur; adoque non obscurè insinuare & supponere, Gradus Academicos esse publica eruditionis, ac scientiæ testimonia, ut consequenter, quis his muniti fuerint, alio publico Academiæ testimonio non indigeant.

Hinc patet, quàm soliciti esse debeant Doctores, quibus admissio ad hujusmodi Gradus incumbit, ne publica illa eruditionis ac capacitatis testimonia annuantur iis, qui scientiâ atque capacitate, quam Gradus præfert, debitè non sunt instructi: ne aliàs leviùs illa concedantes, Ecclesiæ ac Fundatoribus, qui Gradus illos tanquam eruditionis testimonia requisierint, in re summi momenti imponatur.

Unde inter rationes, quibus pius ille Parisiensis Cancellarius Joannes Gersonius ad renuntiandum officio Cancellarii movebatur, hæc una erat: „Cogor ad deliberationem aliorum, „ vel pro consuetudine temporis, ignaros scientiâ & pernicio-„ sis moribus promovere." Ad quæ reflectens Joannes Sinnichius ait: „Censuit nimirum, indignorum ad Gradus Academicos „ promotionem, gravem esse iniquitatem; ideo utique, quia „ immanem Reipublicæ tam Ecclesiasticæ quàm Politicæ infert „ perniciem." Saul Exrex. *lib.* 1. *cap.* 122. §. 465.

VI. Aliæ sunt conditiones in præfatis Concordatis, quæ recipiunt tempus, intra quod Nominatio à Rege fieri debet; nimirum intra *sex menses* à die vacationis Ecclesiarum computandos.

VII. Deinde additur: „Et si contigerit, Regem personam „ taliter non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacantes no-„ minare, nos (Leo X.) & Successor seu Sedes hujusmodi, de „ persona sic nominata iisdem Ecclesiis minimè providere de-„ beat: sed teneatur idem Rex infra tres alios menses à die recu-„ sationis personæ nominatæ non qualificatæ, solicitatori Nomi-„ nationem non qualificatam prosequenti, *consistorialiter* factæ „ intimandæ computandos, alium supra dicto modo nomi-„ nare."

Prima ergo Nominatio per Regem fieri debet infra sex menses à die vacationis; si autem nominata sit persona non qualificata, juxta præscripta in Concordato, eamque Pontifex confirmare recusaverit, alium nominare Rex poterit, sed intra tres menses; si verò prima Nominatio Regia non fuerit plenè sortita effectum, utpote quia nominatus consentire recusavit, vel post consensum juri suo renuntiat, aut fortè diem clausit extremum, seu propter occultum ejus vitium nominatio irritatur, tunc, inquit Rebuffus, Rex habebit alios sex menses, ac si vacatio nova esset.

VIII. Prædicti verò tres menses computandi sunt à die recusationis intimatæ prosequenti Nominationem.

Hinc infert Rebuffus in commentario ad Concordata titulo *de Regia Nominatione*, verbo *prosequenti*, quòd solicitator Regis debeat prosequi Nominationem factam per Regem, „ Atque per hoc infertur, ait Rubuffus, quòd Rex tenetur ha-„ bere Romæ solicitatorem, qui nominationem hanc prosequa-„ tur. Quòd si solicitator mortuus sit, tunc putarem, ait idem, „ recusationem posse intimari Procuratori nominati, vel illi, cui „ directæ sunt litteræ, fortè etiam posset eo casu recusatio „ intimari Protectori Galliarum, vel alteri negotia Regis Ro-„ mæ gerenti, vel alteri solicitatori prosequenti hanc Nomi-„ nationem."

Imò juxta stilum hodiernum, Rex tres litteras Romam pro expeditione ac prosecutione Nominationis mittit. Unam ad Pontificem, alteram ad suum Legatum Romæ residentem, & tertiam ad Cardinalem Protectorem Regni Franciæ; qui etiam in Consistorio negotium illud proponit, ac refert; uti titulo sequenti dicetur.

Porrò hæc recusationis intimatio nequaquam fieri debet *consistorialiter*, uti nonnulli ex verbis Concordati concludere voluerunt, sed recusatio tantùm *consistorialiter*, sive in Consistorio concludenda est, quemadmodum observat, & probat Rebuffus loco citato, verbo *Consistorialiter*.

IX. Porrò eâ temporis limitatione per Concordata præfixa, nec Rex Catholicus, nec alii Principes Concordatis hisce non comprehensi constringuntur; quin imò Regibus Hispaniæ non currit tempus quatuor mensium, quod de jure omnibus Patronis laicis præscriptum est: etiamsi sciat Rex vacationem; idque ex legitima præscriptione, qua omnes Reges Hispaniæ tuti sunt, ait Garcias *de Beneficiis parte* 10. *cap.* 2. *n.* 34 „eò „ quòd impediti multis occupationibus tam in bello, quàm in „ pace, non possint intra illud tempus præsentare. Et ita sem-„ per practicari videmus, cum Rege enim non curatur de tem-„ pore & termino ad præsentandum, tam in Episcopatibus, „ quàm in aliis præsentationibus."

X. Præscribitur præterea in sæpè dicto Concordato, quòd de Ecclesiis per obitum apud Sedem Apostolicam vacantibus, semper, etiam nullâ Regis præcedente Nominatione, liberè per Pontificem provideri possit.

„ Tunc dicitur *apud Sedem* vacare (ait Rebuffus in ver-„ bo *Apud Sedem*) etiamsi in locis vicinis per duas diætas mo-„ riatur, sive ibi occasione Curiæ moraretur, sivi aliâ causa „ apud Sedem prædictam esset."

Restringitur autem vacatio hæc ad vacationem *per obitum*: ideoque si per resignationem, aliove modo apud Sedem vacare contigerit, Pontifex providere non poterit, nisi prævîâ Nominatione, aut saltem prævio Regis consesu, uti notat Rebuffus verbo *Per obitum*; & latiùs prosequitur Fevretius *lib.* 2. *de abusu cap.* 7. *n.* 11.

XI. „ Posset etiam Rex Franciæ (inquit Rebuffus ibidem, „ verbo *Provideri possit*) in hoc casu, quando vacat per obi-„ tum in Curia, contra provisum per Papam se opponere & ex-„ cipere, si timeret de conjuratione, seu proditione patriæ, seu „ revelatione secretorum suorum ratione patriæ, unde provisus „ est oriundus, vel propter parentes suos, qui semper Regi „ fuerunt infesti, & tunc esset audiendus, quia satis prosequi-„ tur interesse proprium."

XII. Denique vi Concordatorum Regia Nominatio ad Romanum Pontificem deferenda est, à quo solo provisoria, seu confirmatoria diplomata concedi possunt; quod hodie etiam in aliorum quorumcunque Regum, ac Principum Nominatione, quin & in Electione, quæ vi Concordatorum Germaniæ fit, ubique obtinet; idque contra pristinam, ac etiam jure Decretalium stabilitam Ecclesiæ disciplinam, quæ Episcoporum confirmationem, vel Conciliis Provincialibus vel Metropolitanis deferebat, uti latiùs titulo sequenti exponetur.

XIII. Si quæ præterea speciales conditiones in Concordatis, aut Indultis, vel privilegiis, quibus Regibus & Principibus jus nominandi concessum est, fuerint expressæ & acceptatæ, hæc indubiè juxta tenorem expressum servandæ sunt, præter illa, quæ ipsa ratio & divina lex omnibus, quibus jus nominandi, aut eligendi Ministros Ecclesiæ competit, servanda præscribit.

CAPUT V.

Quædam circa Electionem, & Nominationem Episcoporum invariata manserunt.

1 *Qui ad Electionem & Nominationem concurrunt, tenentur bonum Ecclesiæ præ oculis habere.*
2 *Patroni etiam laici vi sui Juris Ecclesiæ Ministros designant.*
3 *In distributionem Beneficiorum committitur acceptatio personarum, dum ex humano respectu minus dignus digniori præponitur.*
4 *Probatur auctoritate S. Thomæ.*
5 *In promotione ad Episcopatum acceptio personarum est grave peccatum.*
6 *Nominationem Episcoporum recusavit Valentinianus Imperator; & quare.*
7 *Ludovicus VI. Galliarum Rex noluit acceptare privilegium conferendi munia Ecclesiastica.*
8 *Idem fecit S. Ludovicus.*
9 *Quàm solicitus hic fuerit, ut digni ad munia Ecclesiæ promoverentur.*
10 *Qui in Nominatione ad Episcopatus non multùm sunt soliciti de qualitatibus promovendorum, convincuntur non satis æstimare pretium animarum.*
11 *Ab Episcopatu repellendi ambientes.*
12 *Prævia ad Nominationem diligens instituenda inquisitio.*

Pro

13 *Pro obtinendo bono Pastore, tum publicæ, tum privatæ preces instituendæ.*
14 *Quomodo ad has populus excitandus.*

VAriam fuisse circa personas eligentes aut ad electionem concurrentes disciplinam, & electionis formam, ex historiis, & sacris Canonibus, aliisque Ecclesiasticis monumentis in præcedentibus sufficienter est ostensum.

I. Verùm quæcunque in his potuerit pro ratione temporum, aut locorum intervenire mutatio, illud semper mansit, & manebit immutabile, ac invariabile, quòd quicunque sive Clerici sive Laici, seu Reges, seu populus ad Electionem vel Nominationem concurrant, teneantur in Electione sive Nominatione bonum Ecclesiæ, cui Pastor præficiendus est, præ oculis habere.

II. Indubitatum quippe est, quòd etiam Reges aliique Patroni laici vigore juris patronatus, aut indulti vel alterius tituli, ad Episcopatus, cæteraque Ecclesiastica beneficia nominantes, aut præsentantes, vi illius Ecclesiæ Ministros designent, atque Ecclesiastica munia distribuant.

III. Certum autem est, in distributione Beneficiorum, seu Officiorum Ecclesiæ, eam qualitatem personæ attendendam esse, quæ personam magis idoneam, aut utilem ad ministrandum & serviendum Ecclesiæ ostendit, id est, attendendam esse qualitatem, quæ ad bonum Ecclesiæ facit.

Hinc ulteriùs consequitur, quòd quicunque ad Beneficia nominant, vitium acceptionis incurrant, ipsamque justitiam distributivam lædant, si ex humano aliquo respectu, & intuitu qualitatis personæ, aut motivi, quæ nullatenus Ecclesiæ utilitatem respiciunt, nec personam ministerio, ad quod eligitur, digniorem reddit, ad nominandum aliquem minùs dignum, relicto digniore, moveantur.

IV. „Si potest haberi aliquis magis idoneus, ait S. Tho„mas 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *ad* 3. erga aliquam dignita„tem, & alius præferatur, oportet, quòd hoc sit propter ali„quam causam: quæ quidem si pertineat ad negotium, quan„tum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus: si verò „non pertineat ad negotium id, quod consideratur ut causa, „erit manifestè acceptio personarum.

V. „Nec sane quantum arbitror, inquit S. Augustinus „*epist.* 54. putandum est, leve esse peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini nostri JESU CHRISTI, „si illam distantiam sedendi & standi ad honores Ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem ho„noris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore atque sanc„tiore?“

Si hoc generatim de honoribus Ecclesiasticis putaverit Augustinus, quid non censendum, si hæc personarum acceptio ad Episcopatus referatur? Nam, ut meritò monuerunt Patres Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform.* „Si in quibuslibet „Ecclesiæ gradibus providenter, scienterque cavendum est, „ut in domo Domini nihil sit inordinatum, nihilque præpos„terum: multò magis elaborandum est, ut in Electione ejus, „qui suprà omnes gradus constituitur, non erretur. Nam to„tius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requi„ritur in corpore, non inveniatur in capite.“

Ac deinde tanquam ex prædictis consequens subjungit: „Om„nes verò & singulos, qui ad promotionem præficiendorum „quodcunque jus quacunque ratione à Sede Apostolica ha„bent, aut alioquin operam suam præstant; nihil in iis pro „præsenti temporum ratione innovando, hortatur & monet, „ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & po„pulorum salutem utiliùs posse facere, quàm si bonos Pas„tores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promovere studeant, „eosque alienis peccatis communicantes *mortaliter* peccare, „nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicave„rint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut am„bientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præ„fici diligenter curaverint; & quos ex legitimo matrimonio „natos, & vita, ætate, doctrinâ, atque aliis omnibus qua„litatibus præditos sciant, quæ juxta Sacros Canones, & Tri„dentinæ hujus Synodi Decreta requiruntur.

VI. Hoc periculum in Electione seu Nominatione ad Ecclesiæ ministeria, præsertim Episcopatûs, expendens Valentinianus Imperator, ad eligendum Mediolanensem Episcopum Synodum Episcoporum quidem convenire jussit, eosque exhortatus est, ut talem eligerent Episcopum, qui *non solo verbo, sed etiam conversatione gubernet subjectos, & totius semetipsum imitationem virtutis ostendat, testemque doctrinæ conversationem bonam habeat*; at cùm Synodus petiisset, ut magis ipse decerneret eligendum sapiens & pius, mox respondit: *Supra nos est talis Electio. Vos enim gratiâ divinâ potiti, & splendore fulgentes, meliùs poteritis eligere.* Apud Gratianum *Dist.* 63. *Can.* 3.

VII. De Ludovico VI. Galliarum Rege refertur: „Re„versus de Hierosolymitana contra Saracenos expeditione, cùm „quidam Clericus Roma Papale quoddam privilegium attu„lisset, quo in omni Ecclesia Cathedrali sui Regni jus con„ferendi, cui vellet, primam vacaturam cum cunctis fructi„bus medio tempore provenientibus, consequebatur, confes„tim combussit litteras, dicens: *Malo illas hîc comburere, quàm si propter illas in inferno comburerer.* Thomas Walsingam in hypodigm. Neustriæ.

VIII. Scribit Broymarus Cancellarius S. Ludovici Galliarum Regis in ejus vitâ: „cùm ei instituendi Pastores à Ponti„fice potestas facta esset, ad idque diploma legatus Româ „rediens attulisset: quòd mea, inquit, Romæ negotia stre„nuè obieris, laudo: quòd mihi à Pontifice munus hoc re„tuleris, non probo. Intelligo enim, quanto cum periculo „animæ meæ & regni id susciperem, ac protinus diploma in „ignem projecit.“

IX. Quàm verò ipse solicitus esset, ut optimè in Ecclesiæ bonum de Beneficiis ad suam Nominationem spectantibus, provideretur, exponit Nangius in ejus vitâ, *pag.* 369. „Sa„nè in Beneficiis conferendis, quæ ad patronatum, sive do„nationem ipsius pertinebant, Deum semper præ oculis ha„bebat, & electis & probatis personis, quantum poterat, con„ferebat. Quas personas eligi & inquiri faciebat per Cancel„larium Parisiensem & alios bonos viros.“

X. Et profectò Principes eorumque Ministri, qui in nominatione ab beneficia Ecclesiastica, præsertim Episcopatûs, unde salus unius integræ Diœcesis magna ex parte dependet, soliciti non sunt, ut capaciores ac digniores promoveantur, convincuntur non æstimare pretium animarum. Divinitùs enim jam pridem dixit Hormisdas Papa *Epist.* 25. *cap.* 1. „Æstimet quis pre„tium Dominici Gregis, ut sciat, quod meritum constituendi deceat esse Pastoris.“

XI. Sed prô dolor! frequenter amplius inquirunt, magisque anxii sunt, ut fidelem ac expertem constituant civitatis alicujus aut castri Rectorem aut Gubernatorem, cui salus & conservatio temporalis concredatur, quàm quis constituatur Civitatis aut Diœcesis Episcopus, cui tot animarum æterna salus committitur; non rarò hîc vix aliud considerantes, quàm quis pluribus commendationibus, ne dicam muneribus & obsequiis sit instructus.

Utinam hi expenderint illud nunquam satis expendendum Imperatorum in *L.* 31. *Cod. de Episcopis & Clericis*: „Tantum „ab ambitu debet esset sepositus (ordinandus Episcopus) ut „quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola „ei suffragetur necessitas excusandi. Profectò indignus est Sa„cerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.“

XII. Laudandum ergo fuit decretum Regis Galliæ in Comitiis Blesensibus promulgatum, ne Nominatio Regia ad Episcopatus fieret ante mensem à vacatione, ut maturiùs de persona nominanda deliberari ac inquiri posset.

Quàm hæc inquisitio necessaria sit, & quomodo nullatenus excusentur prætextu ignorantiæ, si omissâ sedulâ ac studiosâ inquisitione Ecclesiæ zelosum ac fidelem Ministrum non dederint, quibus jus eligendi aut nominandi competit, multis ostendit S. Chrysostomus. *Lib.* 1. *de Sacerd. cap.* 2.

Ulteriùs, quamvis moderna Ecclesiæ disciplina nec populum, nec Clerum saltem inferiorem ad Electionem Episcoporum admittat, tamen illud semper verum manebit, tàm populi quàm Cleri plurimum interesse, ut talis Pastor Ecclesiæ detur, qui boni Pastoris qualitatibus sit instructus.

XIII. Et quia scimus, cor Regis esse in manu Dei, & quòd à Summo animarum Pastore dependeat, mittere operarios in messem suam, illud saltem Populo & Clero incumbit, ut precibus ad Deum fusis bonum Pastorem instanter ac humiliter petant.

Quapropter durante disciplinâ, quæ electionem Clero populoque deferebat, Visitator Electioni intendens universos monebat: „Magnopere studendum est, dilectissimi fratres Deum „suppliciter deprecari, ut talem inter vos, ad suum servi„tium aptum, & vobis profectuosum per suam magnam cle„mentiam manifestare dignetur. Ideoque admonemus, ut tridua„na jejunia ab omnibus in ista Parochia commorantibus fie„ri jubeantur, & ut eleëmosynæ, quantumcunque quisque da„re potuerit, in suo maneat arbitrio. Simulque omnes unâ „voce, unâque mente omnipotentem Deum deprecemur, ut „talis Dei famulus, Deoque dignus, & bonis hominibus ac„ceptus, ad illam Venerabilem Sedem Pontifex eligatur, qui „postmodum nullo vitio, nullâ reprehensione arguatur; sed sit „bonis moribus ornatus, & sancta conversatione suffultus, Sa„crisque Litteris imbutus & idoneus minister esse possit ad per„ficiendum ea, quæ ei commissa fuerint.“

Eadem ratione, stante moderna disciplina, Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 1. de *Reformat.* statuit; „Ut, cùm „primum Ecclesia vacaverit, supplicationes ac preces publi„cè privatimque habeantur, atque à Capitulo per civitatem & „Diœcesim indicantur; quibus Clerus populusque bonum à „Deo Pastorem valeat impetrare.“

Plu-

XIV. Plurimum valebit ad excitandam populi devotionem & fervorem, si animarum Directores frequenter, ac vivaciter populo exponant, quantum mali immineat sibi, si pro Pastore bono mercenarius, aut etiam lupus aliquis intret; quodque Deus interdum ob peccata populi permittat, ut non mercenarii duntaxat, sed & lupi in ovile suum intrent, illudque tum suis malis exemplis, & moribus, tum perversis doctrinis devastent, ovesque spiritualiter occidant.

TITULUS XIV.

De Confirmatione Episcoporum.

CAPUT I.

Ad quem spectat Episcoporum Confirmatio.

1 *Primitùs ad Metropolitanum cum Episcopis Comprovincialibus spectavit.*
2 *Probatur ex Concilio Nicæno & Laodicæno.*
* *Confirmatio Episcopi Romani ad quem jampridem pertinuit.*
3 *Præcipua auctoritas erat penes Metropolitanum, & ad hunc solum sensim devolutum est jus confirmandi.*
* *Episcopi Suburbicarii à Romano Pontifice jure Metropolitico confirmati, & ordinati.*
4 *Per XIII. secula apud Metropolitanum permansit.*
* *Confirmatio Episcoporum non nisi posterioribus seculis ad Romanum Pontificem devoluta & ab ordinatione sejuncta.*
5 *Per Reservationes Pontificias seculo XIV. ad Sedem Apostolicam jus confirmandi devolvi cœpit.*
5 *Etiam post sublatas Reservationes mansit jus confirmandi penes Pontificem.*
7 *Concordata Germaniæ illud Sedi Apostolicæ deferunt.*
8 *Item Concordata Galliæ.*
9 *Similiter Indulta & Privilegia nominandi Episcopos Regi Catholico aliisque Principibus concessa.*

I. ELectionem Episcoporum multis seculis, præsertim in Ecclesia Latina suffragio Cleri ac populi factam fuisse, suprà ostendimus; unà quoque ibidem notavimus, non eam fuisse hujus electionis vim, sive auctoritatem, ut necessariò is esset ordinandus, quem populus ordinandum expetiiset, sed penes Metropolitanum cum Episcopis suffraganeis jus fuisse, electionem, electamque personam examinandi, utrum nimirùm & illa canonica esset; & hæc ad Ecclesiam regendam, & onus Episcopale sustinendum sufficiens: atque ulteriùs in potestate Metropolitani & Episcoporum fuisse electionem probare, vel improbare, prout eam vel canonicam, aut minùs canonicam judicarent. Hoc insuper notandum, quòd nec per hujusmodi electionem, uti hodie, jus aliquod *ad rem* ipsi electo acquireretur, antequam per Metropolitanum, ac Episcopos Comprovinciales electio seu nominatio populi esset probata & admissa; ipseque electus ordinatus & in Cathedra collocatus.

II. Itaque confirmatio & approbatio electionis sive nominationis primis Ecclesiæ seculis omnimodò erat penès Episcopos Ordinatores, id est, Metropolitanum cum Suffraganeis juxta Canonem IV. Nicænum, quo decernitur: „ Episcopum „ oportet maximè quidem ab omnibus, qui sunt in Provin„ cia, constitui: si autem sit hoc difficile, vel propter urgen„ tem necessitatem, vel viæ longitudinem, tres omninò eun„ dem in locum congregatos, absentibus quoque suffragium „ ferentibus, scriptisque assentientibus, tunc electionem fieri, „ eorum autem quæ fiunt confirmationem in unaquaque Pro„ vincia à Metropolitano fieri. "

Hoc Canone non de solà ordinatione sive consecratione agi, sat innuit ipse consensus absentum in scriptis requisitus, qui ad confirmationem sive approbationem electionis, nequaquam ad ipsam formalem ordinationem sive consecrationem aliquid conferre potest.

Unde Canone XII. Synodi Laodicænæ edicitur, ut „ Epis„ copi judicio Metropolitanorum & eorum, qui circumcirca „ sunt Episcoporum, proveheantur ad Ecclesiasticam Digni„ tatem, ii videlicet, qui plurimo tempore probantur tam ver„ bo fidei, quam rectæ conversationis exemplo. "

Metropolitano igitur cum vicinis, id est, Comprovincialibus Episcopis, defert hæc Synodus, eodem quo Nicæna celebrata seculo, constitutionem, sive provectionem Episcoporum, idque indubiè ob approbationem & confirmationem electionis, quæ ab ipsis, secundum temporis illius disciplinam dependebat.

* Ita quemadmodum electio Romani Pontificis eodem ritu, quo aliorum Episcoporum electio, per Clerum & populum per decem ut minus secula peracta fuit, uti titulo præcedenti probatum fuit, similiter & electionis confirmatio, & personæ electæ ordinatio juxta præscriptum SS. Canonum ac notanter Nicænorum, sicuti aliorum Episcoporum facta legitur.

Et quidem seculo XI. eam fuisse usitatam formam confirmationis R. Pontificis non obscurè indicat Gratianus, *dist.* 23. *can.* OMNES, ubi relatâ formâ electionis usitatâ Alexandri II. ætate dicit: *Quia Sedes Apostolica cunctis in orbe terrarum præfertur Ecclesiis, atque ideo super se Metropolitanum habere non possit, &c.*

Cùm igitur Episcopus Romanus nullum haberet supra se Metropolitanum, consequens apparebat, electum in R. Episcopum ad normam Canonum Nicænorum non esse confirmandum. Verùm verba per Gratianum addita evincunt etiam eo tempore R. Episcopum adinstar aliorum Metropolitanorum confirmari consuevisse. Subjicit verbis jam relatis, *Cardinales* Episcopi *proculdubio* METROPOLITANI *officio funguntur, qui videlicet electum Episcopum ad Apostolici culminis apicem provehunt.* Quæ verba non obscurè significant electionem R. Episcopi, non secus ac reliquorum Metropolitanorum, confirmationi, examini, ac judicio Episcoporum Provincialium fuisse subjectam.

Scitur enim quòd Episcopi, quos posterior ætas vocavit Episcopos *Cardinales*, sint ipsi Episcopi Romæ adjacentes, cum Episcopo Romano tanquam Metropolitano unam Provinciam constituentes.

Quapropter dum in præcitato Decreto asseritur, *Episcopos Cardinales Metropolitani officio fungi, qui videlicet electum Episcopum ad Apostolici culminis apicem provehunt*, perinde est, ac si diceretur, *Provinciales Episcopos vice Metropolitani fungi*, & electionem perficere & probare; atque hoc sensu Decretum hoc à pristina disciplina non discordat, quandoquidem sciatur Metropolitanos Episcopos ab Episcopis Comprovincialibus fuisse confirmatos & ordinatos, saltem iis temporibus quibus nondum Patriarcharum jura per Orientem & Occidentem essent stabilita. Scitur enim inter jura Primatuum & Patriarcharum tandem & jus ordinandi Metropolitanos fuisse enumeratum.

III. Quoniam tamen inter Episcopos Ordinatores, primus & præses esset Metropolitanus, neque semper omnibus Comprovincialibus Episcopis commodum esset, ad singulas Episcoporum ordinationes convenire, sensim ex quodam ut minus tacito Ecclesiæ consensu ad Metropolitanum integrum plenè devolutum est jus electionis discutiendi, easque vel ut canonicas probandi, vel ut minus canonicas reprobandi.

Et quidem Nicæna Synodus hanc Metropolitani auctoritatem in Episcoporum ordinatione in relato Canone non obscurè expressit his verbis: „ Potestas sanè vel confirmatio pertinebit „ per singulas Provincias ad Metropolitanum Episcopum. " Gratianus, *dist.* 64. *can.* 1.

Et Canone VI. ait: „ Illud generaliter clarum est: quòd „ si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus „ hunc magna Synodus definivit, Episcopum esse non oportere. " *Dist.* 64. *can.* 8.

Hinc illud Innocentii I. „ Extra conscientiam Metropolitani „ Episcopi, nullus audeat ordinare Episcopum. " *Dist.* 64. *can.* 5.

Quid & si inter Electores circa personam eligendam sit dissensio, Metropolitani est, eum ordinare, qui majoribus meritis juvatur. Ita enim ad Anastasium Thessalonicensem scribit S. Leo: „ Cùm ergo de summi Sacerdotis electione tractabitur, „ ille omnibus præponatur, quem Cleri plebisque consensus „ concorditer postulavit; ita ut si in aliam fortè personam par„ tium se vota diviserint, Metropolitani judicio, is alteri præ„ feratur, qui majoribus & studiis juvatur & meritis. "

Synodus VII. *Can.* 2. Metropolitani munus esse declarat, futurum Episcopum examinare, probareque, an sacrâ scientiâ sit satis instructus.

* Sicut à primis seculis penes Metropolitanos præcipuam fuisse auctoritatem in electione & Ordinatione Episcoporum, atque sine consensu Metropolitani Episcopum ordinari non potuisse, quemadmodum & Synodus, *Can.* 5. expressit.

Itaque & Confirmatio & Ordinatio Episcoporum spectare censebatur ad Metropolitanum cujusque Provinciæ.

Verùm & hoc scitur, quòd sensim hoc jus Metropoliticum quorundam Episcoporum extensum sit ad plures Provincias.

Et quidem jus Metropoliticum Episcopi Romani, uti & Alexandrini, tempore Concilii Nicæni ad plures Provincias & Ecclesias in illis consistentes se extendebat, uti probat *Can.* 6. hujus Synodi.

Un-

Unde hoc jure usum fuisse Episcopum Romanum, in provinciis & Ecclesiis Suburbicariis juri Metropolitico subjectis, non tantùm tempore Concilii Nicæni, sed & pluribus sequentibus seculis, evincitur ex libro Diurno Romanorum Pontificum, in quo libro *cap.* 3. exhibetur per plures articulos sive titulos ritus ordinationis Episcopi Suburbicarii per Pontificem Romanum.

Porrò cùm in hoc libro Diurno nullus ordinationis ritus præterquam Suburbicarii occurrat, imò nec ullius alterius ordinationis tanquam ad Episcopum Romanum spectantis mentio fiat, non sine fundamento concluditur, tempore confecti hujus libri, id est, sub initium seculi VIII. Pontificem Romanum nullius Episcopi ordinationem sibi vindicasse, nisi Ecclesiarum Suburbicariarum, sibi jure Metropolitico subjectarum, uti ad Canon. VI. Nicænum probatum est.

Cùm verò eo tempore confirmatio unâ cum ordinatione perficeretur, consequens est, toto illo tempore nullius alterius Episcopi confirmationem ad Romanum Episcopum pertinuisse.

Ulteriùs, quia ea ætate confirmatio non sejungebatur ab ordinatione, mirum videri non debet nullum in dicto libro Diurno vestigium apparere confirmationis prout hodie in usu est.

Quin & ritus ordinationis Episcopi Suburbicarii, uti in hoc libro describitur manifestè probat, Episcopum Romanum eodem ritu tum temporis ordinasse & confirmasse Episcopos sibi jure Metropolitico subjectos, quo cæteri Metropolitani suos respectivè Episcopos suffraganeos, sive suæ respectivè Provinciæ.

Ex eodem ritu ordinationis ibidem descripto, *tit.* 8. habetur, quòd Episcopus ordinatus, non tantùm Episcopo Romano tanquam suo Metropolitano & Ordinatori obedientiam promitteret, sed & insuper suo Principi fidelitatem: quare & Garnerius huic titulo præfixit hoc summarium: „Episcopus ad„debat indiculum de obedientia erga Romanum Pontificem, & „ fidelitate erga Principem servanda.

IV. Hæc disciplina Metropolitano Confirmationem suorum Suffraganeorum attribuens, per tredecim facilè secula inconcussa permansit, eamque & jus commune Decretalium Gregorii IX. apertissimè supponit, & confirmat; unde uno consensu tradunt Canonistæ, Episcopum de jure communi confirmandum esse à suo Metropolitano.

Unde Joannes Eckius, ille famosus Lutheri Antagonista, *lib. 3. de Primatu Petri, cap.* 40. ait, ab antiquo constitutum, Episcopum quemlibet à suo Metropolitano confirmandum, & Metropolitanum à Primate, & Primatem à suo Patriarcha: miraturque, quomodo contra jura (quæ plurima ibidem profert) suas Confirmationes Episcopi, præsertim Germani, ex Roma petant. Pergit enim: „Quod jugum nescio „ quomodo Episcopi excusserunt, ut Confirmationem, saltem „ in Germania, omnes ex Roma petant. Forsan Viri magni „ & potentes, ac natalibus illustres, dedignabantur confirma„ri ab humilis generis Metropolitano. Hoc autem de Con„firmatione per Metropolitanum facienda, constitutum fuit in „ Concilio Nicæno, &c.

* Quod dicitur, confirmationem Episcoporum penes Metropolitanos integram fuisse jure Decretalium, id est, etiam seculo XIII. intelligi oportet de vera confirmatione electionis, quæ ipsam Episcopi ordinationem præcedere debebat; ut nec ante hanc confirmationem obtentam electus ordinari in Episcopum posset, neque administrationi seu in temporalibus seu spiritualibus ullatenus se immiscere.

Hujus generis confirmatio, etiam jure Decretalium, Metropolitanis integra mansit, neque à Sede Apostolica per litteras & Bullas obtineri debuit.

Cæterum & hoc verum est, quòd similis confirmatio, qualis hodie ordinationi præmitti debet, & per quam Episcopatus quodammodo confertur, ab ipsa ordinatione omninò separata, & speciales suos effectus producens, prioribus seculis ignota fuerit, uti in nota præcedenti dictum fuit.

Quo verò tempore confirmatio Episcoporum ab ipsa ordinatione cœperit sejungi & suos speciales effectus producere, incertum est: admodum verisimile est, non nisi circa seculum XI. aut XII. initium habuisse; dum scilicet Beneficiorum collatio & provisio ab ipsa ordinatione separari cœpit. Ipsa enim moderna Episcoporum confirmatio in effectu est Episcopatûs *collatio* seu *provisio*, quæ similiter ut Beneficiorum provisio in ipsa ordinatione fiebat.

Unde & Pontifex juxta hodiernum stylum asserit in litteris confirmationis, se Ecclesiæ vacanti de Pastore & Episcopo providisse.

V. Verum, an hæc fuerit aliquando occasio, quod Episcopi pro Confirmatione ad Sedem Apostolicam recurrerint, nescio; illud certius est, quòd sicuti per reservationes Pontificias, quæ potissimum à Joanne XXII. incrementum accepère, ad Sedem Apostolicam seculo XIV. provisiones sive nominationes fuere devolutæ, atque eo titulo electiones canonicæ quodammodo abolitæ; pariter jus confirmandi Episcopos Metropolitanis ademptum & Sedi Apostolicæ fuerit reservatum. Indignum quippe credebatur, ut à Romano Pontifice ad Episcopatum designatus, à Metropolitano Confirmationem petere & accipere juberetur. Quid enim id aliud, quam nominationem Pontificiam, Metropolitani judicio probandam vel improbandam subjicere?

VI. Licèt verò hæ Pontificiæ reservationes quoad Episcopatus & Prælaturas, sive per Concordata, sive per indulta ac privilegia Regibus concessa, quoad nominationes & electiones ad Cathedrales Ecclesias fuerint in multis restrictæ, scilicèt reservando ipsis Capitulis canonicas electiones, uti contigit per Concordata Germaniæ, vel jus nominandi Regibus ac Principibus indulgendo, tamen confirmationes Romano Pontifici hactenus reservatæ manserunt, nec quidquam juris Metropolitanis restitutum est.

VII. Et quidem Concordata Germaniæ volunt, „ quòd in „ Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis immediatè non sub„jectis Sedi Apostolicæ, fiant electiones canonicæ, quæ ad „ dictam Sedem deferantur, quas etiam, ait Pontifex Nico„laus V. ad tempus constitutum in constitutione Nicolai Pa„pæ III. quæ incipit, *Cupientes*, expectabimus, & elapso „ dicto termino, si non præsentatæ, vel si præsentatæ minùs ca„nonicæ fuerint, providebimus, & si canonicæ fuerint, eas „ confirmabimus, nisi ex rationabili & evidenti causa, ac de „ dictorum Fratrum consilio de digniori & utiliori persona duxe„rimus providendum, proviso quòd confirmati prædicti, & „ per nos provisi, Metropolitanis suis & aliis præstent debita ju„ramenta, & alia, ad quæ de jure tenentur."

VIII. Concordata similiter inter Leonem X. de Franciscum I. Regem Franciæ habent, ut Rex Virum gravem qualitatibus ibidem expressis instructum, & aliàs idoneum, infrà sex menses à die vacationis Ecclesiarum, Romanis Pontificibus seu Sedi Apostolicæ nominabit, & de persona per Regem hujusmodi nominata per Romanos Pontifices, seu Sedem prædictam providebitur.

Itaque etiam vi horum Concordatorum requiritur Papæ provisio: „Alioquin si à Rege nominatus (inquit Rebuffus, *de „ Regia ad Prælaturas nominatione*, verbo *Provideri*) rece„perit fructus Episcopatus ante Papæ provisionem, amittit jus „ nominationis & dicitur *intrusus*."

IX. Indulta quoque ac privilegia, quibus Romani Pontifices Regibus Hispaniæ & Principibus nostris jus nominandi ad Cathedrales Ecclesias indulserunt, Confirmationem sive Provisionem Romanis Pontificibus seu Sedi Apostolicæ reservarunt; nec alteri, quàm Sedi Apostolicæ personam à Rege præsentari volunt.

CAPUT II.

Confirmatio dari debet prævia causæ cognitione.

1 *Confirmanti meritò supplicatur illud Apostoli*, Manus cito nemini imposueris.
2 *Quid sit* manus citò imponere.
3 *Confirmatio danda est prævio diligenti examine.*
4 *Ante Confirmationem citandi, qui electioni se volunt opponere; & quomodo.*
5 *Informatio accipienda etiam circa personam electam.*
6 *Informatio facienda in loco, in quo Electus solitus fuit conversari.*
7 *Quàm solicitè inquisierit circa personam electam ante Confirmationem S. Gregorius.*
8 *Exactum fuisse institutum examen seculo IX. in hisce Provinciis ostenditur.*

I. CUM is, qui confirmat electum vel nominatum, eundem instituat, ac propriè Ecclesiæ Pastorem provideat & constituat, meritò Innocentius III. in *cap.* 19. ℣ *de Elect.* confirmanti applicat illud Apostoli ad Timotheum: *Manus* CITO *nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*, 1. ad Tim. 5. 22.

II. „Quid verò est (ait S. Leo *Epist.* 1. *cap.* 2.) CITO „ *manus imponere*, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus „ examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ; „ Sacerdotalem honorem tribuere non probatis." Gratianus, *dist.* 78. *can.* 3.

III. Meritò ergò jam pridem Sacris Canonibus cautum fuit, ne Metropolitani aliique Prælati, quibus jus confirmandi, seu probandi electiones aut nominationes ad ministeria Ecclesiastica præsertim Episcopatus competit, præcipitanter sine prævio maturo ac diligenti examine & informatione ad Confirmationem prosiliant. Hos renovans Concilium Lateranense sub Innocentio III. „irrefragabili constitutione sancivit, quatenùs cùm „ quisquam ad regimen animarum fuerit electus, is ad quem per„tinet ipsius confirmatio *diligenter examinet* & *electionis pro„cessum* & *personam electi*; ut cùm omnia ritè concurrerint, „ munus ei Confirmationis impendat: quia si secus fuerit in„cautè præsumptum, non solùm dejiciendus est indigne pro„mo-

„ motus, verùm etiam indignè promovens puniendus. Ipsum „ quoque decernimus hac animadversione puniri; ut cùm de „ ipsius constiterit negligentia, maximè si hominem insuficientis „ scientiæ, vel inhonestæ vitæ, vel ætatis illegitimæ approba- „ verit, non solùm confirmandi primum successorem illius ca- „ reat potestate, verùm etiam (ne aliquo casu pœnam effugiat) „ à perceptione proprii Beneficii suspendatur, quousque (si „ æquum fuerit) indulgentiam valeat promereri. Si verò con- „ victus fuerit in hoc per malitiam excessisse, graviori subja- „ ceat ultioni." *Cap.* 44. ✠ *de Elect.*

IV. Si electus coelectum aut specialem suæ electionis adversarium habeat, is ante Confirmationem nominatim vocandus erit; aliàs ubi concors fuit electio, aut nullus nominatim se electioni opponit, generale ac peremptorium edictum proponendum est in Ecclesia, in qua electio facta est: ut si qui sint, qui se volunt opponere, constituto termino veniant, *cap. fin. de Elect. in* 6. ubi & Confirmationes hisce non observatis factæ, declarantur viribus omninò carere, irritæ & inanes.

V. Examen, seu informationem esse faciendam, non tantùm circa electionis processum, sed etiam personam electi, declarat citatum Lateranensis Concilii sub Innocentio III. Decretum; & quidem quòd tria præcipuè inquirenda sint in persona electi, videlicet ætas legitima, morum honestas, & litteratura sufficiens, scribit idem Innocentius Archiepiscopo & Capitulo Capuano, in *cap.* 19. ✠ *de Elect.* IN INTEGRA.

VI. Quia verò vita cujusque exactius nosci potest in loco, in quo quis diù conversatus fuit, ibidem inquirendum est de moribus electi, *cap.* 3. ✠ *de Elect.* quod sub nomine Gregorii III. retulit Raymundus; at, uti rectè notavit Antonius Augustinus, *in notis ad primam collectionem Decretal.* fragmentum est, licet truncatum, & in nonnullis immutatum, epistolæ 18. lib. 8. S. Gregorii ad Anthemium Subdiaconum Campaniæ; ex qua apparebit, quam fuerit hic S. Pontifex solicitus, ut accuratè de vita, moribusque electi esset instructus, priusquam electionem suo assensu probaret, atque unà intelligetur, quam utile sit ad intellectum Decretalium recurrere ad fontes, è quibus sua Raymundus, aut alii Decretalium collectores hauserunt: uti latiùs in tractatu Historico-Canonico in Canones, *part.* 8. *cap.* 1. §. 6. monui.

VII. Itaque in citata epistola scribit S. Gregorius: „Post- „ quam is qui ad Episcopatum Surentinæ civitatis electus fue- „ rat, aptus nobis visus non est, Amandum Presbyterum Ora- „ torii S. Severini, quod in castro Luculano situm est, ele- „ gerunt. Eapropter experientiæ tuæ præcipimus, ut eundem „ Presbyterum excusatione posposita, sub omni ad nos stu- „ deat festinatione transmittere: quatenus petentium deside- „ ria cum Christi auxilio, si nihil est, quod eum impediat, im- „ pleantur. Cujus vita vel actus, quia melius possunt illic, „ ubi diù est conversatus, agnosci, curæ tuæ sit cum fratre & „ Episcopo nostro Fortunato de eo diligenter inquirere. Et si „ nulla sunt, quæ ad sacrum Ordinem obsistere valent, ad nos „ debet omni postposita tarditate transmitti."

VIII. Quam exactum examen super electionis processu & persona electi per Metropolitanum seculo IX. etiam hisce in partibus institueretur, abundè probat examinatio Williberti Catalaunensis ordinandi Episcopi per Hincmarum Remensem Metropolitanum, assidentibus Provinciæ Remensis, & aliarum Provinciarum Episcopis: quæ extat integra in appendice Tomi 8. Conciliorum Generalium editionis Labeanæ, *col.* 1878.

Firmum itaque & constans semper fuit, Confirmationem Episcoporum non esse leviter annuendam, sed serium tam super qualitatibus electi quàm forma electionis examen esse præmittendum; quamvis ritus hujus examinis, & Confirmationis pro temporum & locorum diversitate varius fuerit: quemadmodum in sequentibus ostendetur.

CAPUT III.

PER QUOS, ET QUA FORMA HODIE INFORMATIO DE NOMINATIS AD EPISCOPATUS SUMATUR.

1 *Synodus Tridentina non determinavit, per quem aut quâ formâ facienda sit informatio.*
2 *Vult dicta Synodus, ut in Synodo Provinciali forma præscribatur.*
3 *Forma examinis in Synodo Provinciali Cameracensi anno* 1565. *præscripta.*
4 *Eadem in Synodo ejusdem Provinciæ anno* 1586. *& in Mechliniensi anno* 1570. *probatur.*
5 *Patres harum Synodorum non crediderunt, per Synodum Tridentinam solis* Nuntiis *Apostolicis informationem demandatam fuisse.*
6 *Neque id in Gallia creditum: & quid in Comitiis Blesensibus super forma examinis decretum.*
7 *Gregorius XIV. & Urbanus VIII. declararunt, informationem non esse sumendam per Ordinarios, nisi* deficientibus *Legatis Sedis Apostolicæ.*
8 *Synodus Provincialis Mechliniensis ann.* 1607. *recepit Bullam Gregorii XIV.*
9 *Conformiter ad illam Bullam in hisce Provinciis soli Nuntii Apostolici, exclusis Ordinariis, informationes accipiunt.*
10 *In Gallia id non æquè receptum.*
11 *Quid anno* 1596. *Notabiles Regni in conventu Rothomagensi de hac re proposuerint.*
12 *Quid occasione Nominati ad Episcopatum Convennarum anno* 1639. *à Parlamento Parisiensi decretum sit.*
13 *Praxis Galliæ habet, quòd Nominatus jubeat informationes accipi per Episcopum ultimæ suæ residentiæ.*
14 *Omnes quibus jus nominandi aut confirmandi Episcopos competit, meritò de vita & moribus inquirunt.*
15 *Pontifices à facienda informatione excludunt, qui Nominatum in tertio consanguinitatis aut affinitatis gradum contingit.*
16 *Prælati ad faciendam informationem designati, tenentur eam facere per se.*
17 *Prælatus inquirens per se ex officio, testes vocare & examinare debet, idque secretò.*
18 *Testes debent esse viri graves, prudentes & pii.*
19 *Testes debent scire quæ requirantur in promovendo ad Episcopatum.*
20 *Consanguinei & familiares, item æmuli & inimici in testes non recipiendi.*
21 *Non sufficit aliquem gradu Academico esse insignitum, sed major de ejus doctrina habenda notitia.*

I. SYnodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 2. *de Reform.* expressis qualitatibus in assumendo ad Ecclesiam Cathedralem requisitis, subjungit: „Quarum rerum instructio, si ejus no- „ titia nulla aut recens in Curia fuerit, à Sedis Apostolicæ Le- „ gatis seu Nuntiis Provinciarum, aut ejus Ordinario, eoque „ deficiente, à vicinioribus Ordinariis sumatur."

Decretum hoc nequaquam determinat, per quem, aut qua formâ in singulis Provinciis informatio, sive instructio de qualitatibus assumendi ad Ecclesiam Cathedralem sumenda sit; sed eam vel à Legatis seu Nuntiis Apostolicis, aut Ordinario ejus qui assumendus est, accipi posse tantummodo dicit: quod & non obscurè insinuat *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformat.* ubi expresè fatetur, in accipienda hac informatione, non uniformem rationem ubique ex nationum, populorum, ac morum varietate posse adhiberi.

II. Quapropter mandat: „ut in Provinciali Synodo per „ Metropolitanum habenda, præscribatur, quibusque locis & „ Provinciis propria examinis, seu inquisitionis, aut instructio- „ nis faciendæ forma, Sanctissimi Romani Pontificis arbitrio ap- „ probanda, quæ magis eisdem locis utilis, atque oportuna es- „ se videbitur."

III. Conformiter huic Tridentino decreto, Synodus Cameracensis Provincialis ann. 1565. titulo *de Examine Episcoporum*, formam inquisitionis, sive informationis de nominato ad Cathedralem Ecclesiam his verbis expressit: „Ubi autem vel electio, „vel postulatio, aut nominatio facta fuerit, per eos eumve „quorum aut cujus intersit, auctoritate Metropolitani, aut si „defuerit, vicinioris Episcopi Provinciæ affixis schedulis de- „nuntiatoriis ad valvas vacantis Ecclesiæ, denuntietur patere „aditum omnibus, qui sciant, aut impedimentum, aut vi- „tium esse aliquod, quamobrem electus vel postulatus, aut „nominatus minimè promoveri debeat; ut liberè, ac tutò ei- „dem Episcopo aut Archiepiscopo denuntianti intra tempus de- „finitum significent: idemque assumptis secum duobus vacan- „tis Ecclesiæ Canonicis testes productos audiat, & examinet: „quæraturque de natalium integritate, de ætate, an sit anno- „rum triginta; de vita, moribus, & exercitiis, de gradu, sta- „tu, facultate, an Doctor, an doctus saltem; sitque iis vir- „tutibus præditus, quas Apostolus in Episcopo requirit; & an „sex mensium spatio in sacro Ordine fuerit constitutus. Quæ „omnia fideliter descripta, ac ejusdem Episcopi, aut Archi- „episcopi manu, ac sigillo firmata, & obsignata, mittantur ad „S. D. Papam, ut sufficienter instructus confirmare tutiùs elec- „tum, postulatum, aut nominatum queat."

IV. Et ejusdem Provinciæ altera Synodus anno 1586. habita, vult, ut „novo Episcopo Electo aut Nominato processus „super ejus doctrina & moribus Romam transmittendus fiat, „juxta dispositionem, ait, Decreti primi Concilii Provin- „cialis." *Tit.* 17. *cap.* 9.

Similem formam sumendæ informationis in Synodo Provinciali Mechliniensi titulo de *Episcopis*, *cap.* 1. & 2. præscriptam habemus.

V. Hinc patet, quòd tametsi Episcopatuum Belgii tunc temporis provisio, ac Confirmatio à Sede Apostolica petenda & accipienda esset, nihilominus instructio, seu informatio super qualitatibus promovendorum per Metropolitanum, aut eo absente, seniorem Suffraganeum fieret; adeoque ne crederent Syno-

nôdorum harum Patres, vi decreti Concilii Tridentini solis Legatis, seu Nuntiis Sedis Apostolicæ jus sumendi informationes competere.

VI. In Galia quoque non obstante prædicto Concilii Tridentini decreto, informationes nequaquam per Nuntios Apostolicos, sed per Ordinarios pluribus annis factæ sunt.

Nam in Comitiis Blesensibus anno 1576. inter alia decretum fuit, ut priusquam litteræ nominationis Regiæ ad Pontificem mitti tolitæ expediantur, nomina eorum qui per Regem nominati sunt, mittantur ad Episcopum Diœcesanum loci, ubi Nominati ultimis annis resederint, & domicilium habuerint; ac etiam ad Capitula Cathedralium Ecclesiarum vacantium, qui respectivè inquirent de vita, moribus, bona disciplina, & conversatione catholica dictorum Nominatorum; & de omnibus conficient legitimos processus verbales, quos clausos & obsignatos quantociùs transmittent.

Insuper statutum est, ut ante expeditionem litterarum nominationis, dicti Nominati examinentur super eorum in Sacris Litteris eruditione per unum Archiepiscopum aut Episcopum per Regem designandum, adscitis duobus Doctoribus Theologiæ, qui de Nominatorum sufficientia aut insufficientia testimonium ad Regem mittent.

Post hæc supervenit Bulla Gregorii XIV. quæ incipit *Onus Apostolicæ*, edita 1. Maji 1591. qua prædictum Decretum Concilii Tridentini renovatur, ac multa insuper circa formam faciendæ informationis adduntur & explicantur.

VII. Ac in primis præcipit, „ ut cùm extra Romanam Cu„ riam examen, instructio, sive inquisitio facienda erit, nemo om„ ninò cujuscunque status, gradus, conditionisve fuerit, inquisi„ tionem sibi abrogare præsumat, sed integrum hoc negotium „ iis, qui à prædicto Tridentino Concilio designantur, Aposto„ licæ videlicet Sedis Legatis, seu Nuntiis Provinciarum, aut „ ejus, de quo inquisitio fit, Ordinario, eoque deficiente, Or„ dinariis vicinioribus relinquatur, nisi justis de causis nobis, aut „ pro tempore existenti Romano Pontifici per speciale mandatum „ alicui alteri hoc munus quandoque committendum visum fuerit.“

Deinde addit: „Quòd si fortè aliquis prædictorum consan„ guinitate aut affinitate usque ad tertium gradum inclusivè pro„ movendum contingerit, ut omnis suspicio carnalis affectus à „ tam sancto negotio repellatur, ille quidem eo casu censeatur „ exclusus, atque ad eum, qui proximè sequitur, hoc est, si „ Legatus excludendus erit, ad Nuntium; si Nuntius, ad Or„ dinarium: si Ordinarius, ad viciniorem Ordinarium inquisitio„ nis officium deferatur.“

Ex quibus non obscurum est, Pontificem in hac Bulla, inquisitionem, sive examen de qualitatibus promovendi, duntaxat deficientibus Legatis vel Nuntiis Apostolicis per Ordinarios fieri velle; quod & in sequentibus his verbis rursus insinuat: „Quòd „ si de Episcopo, vel Metropolitano extra Romanam Curiam „ degente ab una Ecclesia ad aliam ex aliqua gravi & justa cau„ sa transferendo ageretur, hoc munus Legato vel Nuntio Apos„ tolico ejus Provinciæ, aut Regni, ubi Ecclesia ipsa, à qua „ transfertur, sita erit; ad Metropolitanum, si Episcopus; ad „ Suffraganeum verò antiquiorem residentem, si Metropolitanus „ transferendus erit, pertinere declaramus.“

Hanc Sedis Apostolicæ mentem clarioribus terminis expressit Urbanus VIII. anno 1627. in nova ac particulari instructione circa conficiendos processus inquisitionis super qualitatibus promovendorum ad regimen Cathedralium, aut aliarum Superiorum Ecclesiarum.

„ Si processus inquisitionis, ait, conficiendus sit extra Ro„ manam Curiam, hoc munus spectet ad Legatos Sedis Apos„ tolicæ, vel ad Nuntios Provinciarum in locis, in quibus „ commorantur. Si non adsint Legati, neque Nuntii, spec„ tet ad Ordinarios personarum promovendarum, & ipsis de„ ficientibus, ad Ordinarios viciniores; qui ordo servandus „ est, neque quisquam debet sibi hoc munus arrogare præ„ ter ordinem supradictum, nisi Romano Pontifici per spe„ ciale mandatum alicui alteri illud demandare placuerit. Quo „ casu apparere debet de mandato speciali in principio pro„ cessus.“

VIII. Synodus Provincialis Mechliniensis anno VII. labentis seculi juxta præcitatam Gregorii XIV. Bullam processum super qualitatibus promovendi ad Episcopatum fieri mandat. „ Facta novi Episcopi nominatione (inquit *tit.* 16. *cap.* 8.) „ processus super ejus natalibus, vita, ætate, doctrina & mo„ ribus, Romam transmittendis, fiat juxta dispositionem Bul„ læ Gregorii XIV. quæ incipit: *Onus Apostolicæ.*“

IX. Porrò quia hæc Bulla, uti jam notatum est, informationem non permittit fieri per Ordinarios, nisi deficientibus Legatis, aut Nuntiis Apostolicis, in Belgio tandem receptum fuit, ut dicta informatio, ac processus fiant per Nuntium sive Internuntium Apostolicum in hisce Provinciis residentem; neque Ordinarii ullas in processu illo formando partes habeant.

X. Galli verò ægrè hanc provinciam Nuntiis Apostolicis permittere volunt, sed ad Ordinarios, & alios à Rege committendos spectare contendunt.

Et quidem in reconciliatione Henrici IV. propositus à Pontifice hic articulus, quòd *omnes informationes de vita & moribus & religione, quæ posthac fient ratione provisionis Beneficiorum Consistorialium in Gallia, fient per Nuntios & alios Ministros Sedis Apostolicæ*, tanquam moribus Regni contrarius à Rege rejectus fuit.

XI. Rursus anno 1596. Notabiles sive Primores Regni congregati Rothomagi suggesserunt Regi, quòd iis in locis, in quibus non videtur hactenùs Regiæ suæ Majestati conveniens restituere electiones, dignetur interea in nominationibus suis jubere observari articulum II. Comitiorum Blesensium anni 1576. atque eundem ampliando, præcipere, ut informationes super religione, vita, moribus & doctrina promovendorum ad Archiepiscopatus fiant per Episcopum Provincialem seniorem in ordine Episcopali & residente. Et promovendorum ad Episcopatus per Archiepiscopum in Provincia residentem; & in hujus absentia per seniorem Episcopum Provinciæ similiter residentem, adscitis tribus Canonicis Ecclesiarum vacantium, à Capitulis ad hunc effectum deputatis.

Et ad obviandum abusibus, qui committuntur in faciendis informationibus, ad Curiam Romanam mittendis, per dictos nominatos ad Prælaturas, pro quibus informationibus faciendis accipiunt commissarios, & testes adducunt, quos sibi convenire judicant; supplicant Regi, quatenùs dignetur statuere, ut prædictæ informationes fiant à dictis Archiepiscopis & Episcopis in forma superiùs descripta; quodque Archiepiscopi & Episcopi has informationes facientes, inquirent quoque de mediis, quibus obtentæ sint nominationes ad Archiepiscopatus vel Episcopatus; etiam de confidentia & Simonia, pensionibus, & pactionibus illicitis, si quæ intervenerint. Et ubi hæc informationum forma observata non fuerit, possint Capitula interponere appellationem, tanquam *ab abusu*, ab executione provisionum ad Archiepiscopatus & Episcopatus; qua pendente non tenebuntur provisos recipere ad Archiepiscopatus vel Episcopatus, nec ut tales agnoscere.

XII. Rursùs cùm anno 1639. Pontifex differret dare provisionem nominato à Rege ad Episcopatum Convennarum, quia informationes ad Curiam Romanam missæ, factæ essent in forma superiùs descripta; ac insuper à Sacra Congregatione decretum fuisset, ut dictus nominatus institui juberet novam informationem in Curia Romana, & si desint testes, Dominum Nuntium posse delegare Ordinario eos articulos, super quibus informatio Parisiis fieri non poterit: Procurator Regius habitâ eorum notitiâ Parlamento Regio expossuit, quòd juxta primum articulum Comitiorum Blesensium, informationes super vita, moribus, ac doctrina nominatorum à Rege ad Prælaturas fieri debent per Episcopos Diœcesanos Galliæ; quòd tamen eo non obstante, Nuntii Apostolici eas sibi eousque attribuerint, ut Bullæ aliæque provisiones Romæ non expediantur, nisi informationes per Nuntium sint factæ. Quandoquidem verò, ajebat Procurator Regius, dictæ informationes unicè fiant, ut securiùs ac maturiùs in Nominationibus, quæ ad Regem pertinent, procedatur; neque Romam mittantur, nisi ut Pontifici ostendatur, nominatum esse instructum qualitatibus à Sacris Canonibus & in Concordato requisitis, & per consequens nominatum recusari non posse, justum apparet, ut Decreta & Ordinationes Regiæ per solos Regios Commissarios executioni mandentur. Addebat insuper Procurator Regius, quòd per jura ac libertates Ecclesiæ Gallicanæ, Nuntii Apostolici in Gallia residentes nullam jurisdictionem exercere possint. Hisce aliisque per Regium Procuratorem expositis, Parlamentum Regium edixit, ut informationes super ætate, vita, moribus & conversatione Catholica nominatorum à Rege ad Episcopatus, aliasque Prælaturas & Beneficia posthac fiant per Episcopos Diœcesanos illius loci, in quo nominatus ultimis quinque annis resederit, conformiter ad articulum primum Comitiorum Blesensium. Inhibitione insuper facta nominatis, utendi aliis informationibus quàm per prædictos Episcopos factis, sub pœna excidendi jure per nominationem acquisito. Præterea inhibitum fuit omnibus Regnicolis, depositiones facere, aut testimonia reddere in ordine ad has informationes, quàm coram prædictis Episcopis; atque omnibus Banquariis & Expeditionariis alias informationes Romam mittere, sub pœna privationis suorum officiorum, quodque punientur tanquam pacis publicæ perturbatores. Mandatumque fuit, ut præsens decretum ubique publicaretur. Vide Carol. Fevret. *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 11. & latiùs Tractatum Gallicum *de Informatione nominatorum ad Episcopatus.*

XIII. Unde praxis hodierna Galliæ habet, uti asserit D. Fleury in Institutionibus Juris Canonici, *part.* 1. *c.* 10. quòd nominatus curet informationem de vita & moribus suis fieri per Episcopum suæ ultimæ residentiæ.

* Et hoc procedit ex eo, quòd cùm in Gallia Nuntius careat omni jurisdictione, non potest efficaciter citare testes aut eos ad ferendum testimonium cogere defectu jurisdictionis; atque hinc contingere solet, ut informationes recipiantur ex sola de-

depositione eorum qui per nominatum ad ferendum testimonium mittuntur, plerunque deponentes juxta instructionem sibi à nominato ejus amicis datam.

Nec id ambigi potest, quin vita, moresque nominati soleant Ordinario domicilli, in quo Nominatus resedit & vixit, propius esse noti, quàm Nuntiis Apostolicis in Metropoli (seu in urbe, quæ Caput Regni dicitur) continuò morantibus. (r)

XIV. Quin Reges aliique, quibus, aut nominatio, aut electio Episcoporum incumbit, meritò per se vel ministros suos, aliosve, quos ad id convenientiores judicaverint, de vita ac moribus promovendi informationes sumant, nemini dubium esse potest. Cùm verò Romanus Pontifex, juxta modernam disciplinam, in danda confirmatione & provisione ad Episcopatus successerit Metropolitano, meritò & ipse inquirit, ac informationes de vita ac moribus, cæterisque nominati aut electi qualitatibus, per se aut alios capit; formamque informationis capiendæ præscribit, quam ad assequendam convenientem notitiam de capacitate nominati aptiorem credit.

Et sanè forma tam à Gregorio XIV. in citata Bulla, quàm Urbano VIII. præscripta, si seriò atque exactè in capiendis informationibus servaretur, spes esset, instructionem super qualitatibus Promovendorum sufficientem aceptam iri.

XV. In primis circa personas, quibus inquisitio sive informatio committitur, inter alia decernitur, ut si aliquis ex Prælatis, ad quem in ordine supradicto spectat processum conficere, consanguinitate vel affinitate usque ad tertium gradum inclusivè promovendum contingat, ille excludatur ab hoc munere, quod eo casu deferatur ad illum, qui proximè sequitur, servato eodem ordine & gradu.

XVI. Adhæc Prælati in Bulla designati, „ non per suos Vi„ carios, Auditores vel alios Ministros, sed per seipsos inqui„ rendi munus, ait Gregorius XIV. exercere debent, quamvis „ ab hujusmodi personis, aliisque viris peritis juvari possint.“ Rationem hujus præmiserat: „Quia Sacrum Concillium Triden„ num non sine magna ratione eminentes personas, & quæ negotii „ magnitudinem probè intelligerent, ad hoc officium nominavit.

XVII. „ Ad hoc autem, ut mens ejusdem Sacri Conci„ lii (pergit Gregorius XIV.) rectè ac feliciter debitæ exe„ cutioni mandetur, & tale sit examen, quale requiritur in „ negotio tanti ponderis, declaramus ac statuimus, non esse „ in vita ac doctrina promovendi investiganda, eam rationem „ adhibendam, ut ab ipso promovendo articuli offerantur, ac „ testes producantur, sed opórtet ut Prælatus, qui munus in„ quirendi suscepit, articulos conscribat, atque ipse ex officio „ suo illos testes vocet atque examinet, quos de rebus inqui„ rendis sincerum ac fidele testimonium daturos esse existimet. „ Verùm, ut inquisitio prædicta faciliùs ac pleniùs perfici at„ que expediri queat, utile erit si Prælatus, qui inquisitionem „ facturus est, vel à promovendo, vel ab aliquo alio confici „ curet schedulam, in qua sint ordine descripta, nomen pro„ movendi, cognomen, patria, parentes, ætas, ordo, gradus, „ professio, functio, si quam is fortè exercuit, loca in quibus „ aut Theologiæ vel Juri Canonico operam dederit, aut lon„ go tempore versatus fuerit, denique amici ac familiares, qui „ tam ipsum quàm parentes ejus intimè norint. Quod si pro„ movendus documentum aliquod exhibere voluerit, unde ip„ sius ætas, gradus, dignitas, sacri Ordines, functio, officia, „ muneraque, aut aliquid ejusmodi comprobetur, admittendum, „ ac processui inserendum erit, modò documentum publicum „ seu authenticum fuerit.“

Eadem habet instructio Urbani VIII. quæ insuper addit: „ Ipse (Prælatus inquirens) ex officio suo secretò vocari man„ det, & secretò examinet, ipsemet recipiat in manibus suis „ singulorum testium juramentum.“

XVIII. Nec quoscunque in testes adhibendos esse voluere Pontifices, sed „ Testes sint viri graves, pii, prudentes, doc„ ti, & qui de qualitatibus promovendorum rectum judicium „ ferre valeant, sincerumque ac fidele testimonium verisimi„ liter sint daturi; præsertim verò hujusmodi qualitates esse de„ beant in testibus, qui interrogandi erunt de fide Catholica, „ vita, moribus, doctrina, & aptitudine promovendi ad re„ gendam Ecclesiam.“

XIX. Deinde rationem, quæ testes hujusmodi dotibus instructos assumendos suadet, hanc apprimè notandam subjicit: „ Scire enim debent ipsi testes, quæ requirantur in eo, qui „ recturus est Ecclesiam Cathedralem, ad hoc ut sit idoneus „ ad alios docendum, aptus ad illam gubernandam, & dignus „ qui ad eam promoveatur.“

XX. Pergit deinde: „ Non sunt recipiendi in testes cogna„ ti vel nimium familiares, aut inimici sive æmuli personæ pro„ movendæ. In investigandis testium qualitatibus adhibenda est „ diligentia per Prælatum inquirentem, ut cognoscere possit, „ quàm sint erga promovendum affecti; exindeque conjicere, „ utrum ex affectu, an ex veritate testimonium dicant. Si ali„ quando Prælato inquirenti ita expedire videbitur, testibus „ ad memoriam reducet vim juramenti & gravitatem perjurii, „ admonebitque ipsos reos futuros apud Deum eorum omnium, „ quorum vel committendo, vel omittendo rei erunt, qui pro„ movebuntur, si vel falsa narrando, vel reticendo, vera cau„ sa erunt, ut homines indigni vel minus idonei Ecclesiis præ„ ficiantur.“

XXI. Hæc ad verbum desumpta sunt ex *Instructione* jussu Urbani VIII. emanata, quæ præter hæc exhibet quoque interrogatoria, quæ necessaria sunt ad inquirendum in omnes qualitates in promovendis requisitas, quæ pleraque circa vitam, mores, fidem catholicam & doctrinam ipsius promovendi versantur: sed præ reliquis notandus hic articulus: „An sciat eum „ aliquo gradu in Jure canonico, vel in sacra Theologia in„ signitum esse, quibus in locis, quanto tempore, & quo „ fructu ipse Theologiæ, vel Juri canonico operam dederit, „ & an verè ea doctrinâ polleat, quæ in Episcopo requiritur, „ ad hoc, ut possit alios docere, & quæ sit causa scientiæ.“

Ex hoc articulo non obscurè colligitur, Pontificem haud credidisse, eos omnes sufficienti doctrinâ pro Episcopatu esse iustructos, qui gradu Doctoratûs aut Licentiæ in Theolgia vel Jure canonico sunt insigniti; quod apertiùs expressit Gregorius XIV. Cùm enim renovavit Decretum Concilii Tridentini, in promovendis ad Ecclesias Cathedrales dictum gradum Academicum, aut certè publicum alicujus Academiæ testimonium requirens, subjungit: „Tamen quia circa doctrinam plu„ res fraudes comitti solent; & sæpe contingit, ut nonnulli „ scientiâ vacui, de solo Doctoris titulo, aut privilegio glo„ rientur, volumus, ut de eorum etiam doctrina diligenter in„ quiratur, qui vel Doctoratus vel Licentiæ titulis, & privile„ giis gaudent, vel etiam à publicis Academiis testimonium ha„ buerunt, quòd idonei essent ad alios docendos; nisi fortè „ aliquorum insignis doctrina ex publica ipsorum functione no„ toria esset.“

Quàm hæc cautio etiam hodiè omninò sit necessaria, nemo non agnoscet, qui expenderit, quàm leviter & quanta facilitate hi gradus nonnumquam concedantur.

Ex his breviter ac in compendio relatis non difficulter quoque judicare quisque poterit, quàm exacta notitia Promovendorum ad Prælaturas sperari posset, si seriò & exactè juxta mentem Concilii Tridentini & Pontificum, qui has inquirendi formulas præscripsêre, informatio & inquisitio fieret. Bulla Gregorii XIV. extat in Bullario Romano *tom.* 2. *pag.* 705. edit. anni 1655. Instructio Urban. VIII. habetur apud Barbosam, *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 8.

CAPUT IV.

Quo ritu expediatur Confirmatio.

1 *Olim Confirmatio à consecratione vix separata fuit.*
2 *Ex stylo Decretalium Electus ante consecrationem, tametsi Confirmatus, non dicitur simpliciter Episcopus, sed* Electus.
3 *Quæ forma Confirmationis observaretur, cùm electio esset penes populum & Clerum.*
4 *Quomodo peteretur Confirmatio Nominati à Principe.*
5 *Quomodo Capitula Cathedralia Electum Metropolitano præsentarent, & quomodo hic confirmaret.*
6 *Ex Decreto Trid. Concilii processus inquisitionis mitti debet ad Pontificem, à quo Confirmatio habenda est.*
7 *Moderatio dicti Decreti juxta stylum hodiernum.*
8 *Prælatus qui inquisivit, judicium suum de testibus & persona promovenda transmittere debet.*
9 *Totus inquisitionis processus à Cardinale Relatore cum tribus aliis accuratè examinari debet; & in duobus successivis Consistoriis relatio fieri.*
10 *Quis hodie soleat esse* Relator, *& qui alii tres Cardinales.*
11 *In primo Consistorio fit nuda propositio, vocaturque* præconizatio: *in secundo fit totalis relatio; atque ex suffragiis Cardinalium Nominatum Pontifex sub certa forma Episcopum pronuntiat.*

I. PRistina disciplina, quæ facilè per X. secula inconcusa permansit, Confirmationem Episcoporum ab eorum consecratione vix sejunxit; sed Episcopus Electus à Metropolitano & Comprovincialibus examinatus, uno eodemque quasi actu & temporè consecrabatur, & confirmabatur; sive potius ordinando confirmabant; neque ante ordinationem Prælatus aut Episcopus dicebatur, nisi ad summum cum addito *Electus.*

II. Quin ex stylo Decretalium, uti observat cum aliis Fagnanita sit *litteris Regiis, idcircò habetur velut* tolerantia, *non ut* permissio propriè *dicta.*

(r) *Notandum tamen est, quod Rex Ludovicus XIV. permiserit, ut ista morum informatio fieret coram Nuntio Sedis Apostol. Sed ea permissio cùm data fuerit voce tenus, nec mu-*

nanus ad *Cap.* EAM TE, ℣ *de Rescriptis*, ante consecrationem non dicitur, Episcopus simpliciter, sed *Electus*. „Et meritò, „ait, quia electio & consecratio unum faciunt Episcopum..... „Quod locum habet non modo in canonicè Electis & Confirma„tis, sed etiam in illis, quos Papa pronuntiavit *Episcopos*; quia „ante consecrationem vocantur *Electi*..... Nec Electus in Pa„pam, ante benedictionem, coronationem & consecrationem, „ex stylo intitulatur *Pontifex*, nec scribit Pontificatum in „*data*."

Hæc sunt, inquit Ludovicus Thomasinus, de Disciplina Ecclesiæ, *part.* 4. *lib.* 2. *cap.* 50. *num.* 8. restantes reliquiæ pristinæ disciplinæ, quæ Confirmationem à consecratione non distinguebat; imò vix apud Veteres ante X. aut XI. seculum confirmationis Episcoporum, sed electionis, consecrationis, & ordinationis duntaxat mentio fit.

Juxta disciplinam ergo pristinam, quæ per X. & ampliùs secula duravit, Confirmatio hac ferè forma peragebatur.

III. Quàm primùm electio à Clero populoque facta erat, decretum electionis, eligentium subscriptionibus roboratum, ad Metropolitanum & Episcopos Comprovinciales mittebatur, ut Electus in Episcopum ab ipsis ordinaretur.

Extat in Appendice tomi 8. Conciliorum Generalium Decretum Cleri & plebis Ecclesiæ Laudunensis de electione Hedenulfi Episcopi ad Hincmarum Metropolitanum Rhemensem & Episcopos Provinciæ, ut illum in Episcopum ordinent.

Hic postquam præfati sunt, æquum esse, ut ab omnibus eligatur, cui debet ab omnibus obediri, Metropolitanum interpellantes, dicunt: „Quapropter cum *Decreto nostræ electio*„*nis* manibus singulorum nostrorum roborato ad Paternitatem „vestram accedentes, Hedenulfum Ecclesiæ nostræ filium, & „in Ecclesia nostra suffragantibus stipendiorum meritis, ad „onus usque Sacerdotale promotum, vitâ & moribus ac sanc„ta conversatione idoneum approbatum, quem per licentiam „vestram, favente Christianissimo Imperatore Carolo, pari „consensu, ac concordi devotione, atque unanimi voluntate „eligimus, per *manus vestras*, ac *cæterorum vestræ Diœce*„*seos sanctorum Episcoporum*, *consecrari*, nobisque & Ec„clesiæ nostræ Doctorem atque Pontificem constitui implora„mus, precamur, ac petimus."

Extat quoque ibidem sub *num.* 13. Decretum Cleri Parisiensis de electione Æneæ Episcopi ad Metropolitanum Senonensem ejusque Provinciales Episcopos; & *num.* 14. Decretum Cleri & plebis Senonensis de electione Ansegisi Metropolitani, qui ex alia Provincia petitus est, ad Episcopos Provinciæ Senonensis.

Hæc Decreta, præter alia plura ad disciplinam Ecclesiæ spectantia, ostendunt, eo tempore, facta electione à Clero & plebe, electionem fuisse oblatam Metropolitano, ut ipse illam cum Provincialibus Episcopis examinaret; & Electum in Episcopum ordinaret, si omnia canonicè acta, ipsumque Electum secundum Canones idoneum reperisset: prout ex actis, quæ in eadem Appendice referuntur, ac supra *tit.* 13. *cap.* 1. annotavimus, intelligi potest.

IV. Reges quoque nominatum à se ad Episcopatum, Metropolitano in Episcopum ordinandum præsentasse, ex Concilio Toletano 12. *Can.* 12. superiùs notatum fuit; & probat forma præsentandi, quæ in sæpiùs citatâ Appendice *ad tom.* 8. Conciliorum Generalium, exhibetur sub hoc titulo: *Indiculus Regis ad Metropolitanum, ut designatum Episcopum ordinet cum suis Comprovincialibus.*

Verum quidem est, in dictis formulis, ac decretis unicè peti à Metropolitano, ut unà cum Comprovincialibus, Episcopum electum ordinet & consecret: quia, ut jam monuimus, disciplina illius temporis Confirmationem à consecratione seu ordinatione non distinguebat; sed Metropolitanus consecrando probabat, & admittebat electionem, & electum Ecclesiæ Pastorem dabat.

V. Et licèt postmodum Confirmatio à consecratione distingui cœperit, atque ob raritatem Conciliorum Provincialium ad solum Metropolitanum Confirmatio fuerit devoluta, tamen illa ferè juxta pristinam formam petebatur, atque cum causæ cognitione à Metropolitano expediebatur. „Nam Capitulum (ait „Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiastici*, *cap.* 9. *num.* 5.) cui jus „eligendi suum Episcopum de Jure communi spectat, eidem „Metropolitano, seu alteri Superiori mittebat litteras, sigillo „suo & singulorum munitas, ac per Canonicos subscriptas, „quæ appellabantur *Decretum*, in quibus electio facta seriatim „narrabatur, & Confirmatio petebatur."

Hodiè verò omnium Episcoporum Confirmatio ad Romanum Pontificem spectat; eaque hac ferè forma expediri solet.

VI. Cùm inquisitio de persona promovenda (formâ capite præcedenti expressa) „perfecta fuerit, ea in instrumentum „publicum redacta, inquit Synodus Tridentina, *Sess.* 24. *c.* 1. „*de Reform.* cum toto testimonio ac professione fidei ab eo „(Nominato aut Electo ad Episcopatum) facta, quamprimum „ad Sanctissimum Romanum Pontificem omninò transmittatur, „ut ipse summus Pontifex plena totius negotii, ac personarum „notitia habita, pro gregis Dominici commodo de illis, si idonei „per examen seu per inquisitionem factam reperti fuerint, Ec„clesiis possit utiliùs providere."

VII. Quod hîc dicitur de transmissione processûs sive inquisitionis ad Rom. Pontificem, intelligi debet juxta stylum hodiernum, si Ecclesiæ non sint ad nominationem vel præsentationem Imperatoris vel Regis alicujus; quia si sit de hujusmodi nominatione vel præsentatione, Prælatus qui processum confecit, eum transmittet ad Cardinalem illius regni vel Provinciæ protectorem, in qua est Ecclesia providenda de Pastore.

VIII. „Ipse quoque Prælatus, qui processum examinis con„fecit, vel per litteras separatas (juxta Decretum Urbani VIII.) „simul tamen cum processu mittendas, vel per subscriptionem „hujusmodi processus significabit, quanta fides testibus exami„natis eorumque dictis, & Scripturis productis suo judicio „habenda sit, simul etiam quid de promovendo ipse sentiat.

IX. „Omnes verò inquisitiones, informationes, testimo„nia, ac probationes quæcunque de promovendi qualitatibus, „& Ecclesiæ statu, à quibuscunque etiam in Curia Roma„na habitæ (ait Synodus Trid. loco citato) per Cardina„lem, qui relationem facturus erit in Consistorio, & alios „tres Cardinales diligenter examinentur, ac relatio ipsa Car„dinalis Relatoris & trium Cardinalium subscriptione robo„retur; in qua ipsi singuli quatuor Cardinales affirment, se, „adhibita accurata diligentiâ invenisse promovendos qualitati„bus à jure & ab hac sancta Synodo requisitis præditos; ac „certò existimare sub periculo salutis æternæ idoneos esse, „qui Ecclesiis præficiantur: ita ut relatione in uno Consis„torio factâ, quo maturius interea de ipsa inquisitione cog„nosci possit, in aliud Consistorium judicium differatur, ni„si aliud Beatissimo Pontifici videbitur expedire."

X. Cardinalis proponens ex stylo hodierno, si de Ecclesia expectante ad nominationem Regis agatur, est Cardinalis *Protector* illius Regni. Tres alii Cardinales sunt primus Cardinalis Episcopus, primus Cardinalis Presbyter, & primus Cardinalis Diaconus.

XI. In primo Consistorio fit nuda propositio Nominati ad Ecclesiam vacantem per Cardinalem proponentem, dicitur-que *Præconizatio*; resolutione tamen dilata in alterum Consistorium, ut interea Pontifex & Cardinales de persona promovenda melius se informare queant. In secundo Consistorio idem Cardinalis rursus præsentat promovendum; ac de omnibus, quæ statum Ecclesiæ, ac qualitates promovendi spectant, Pontificem & Cardinales informat; vocaturque hæc præsentatio *Propositio*. Omnibus absolutis Pontifex colligit suffragia Cardinalium, & si dicant Nominatum esse confirmandum Pontifex pronuntiat ipsum Episcopum, per hæc verba: „Auc„toritate Dei Omnipotentis Patris, & Filii & Spiritûs Sancti, & „Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, Ecclesiam N. „de Persona N. providemus, ipsumque illi in Episcopum præ„ficimus, & Pastorem, curam & administrationem ipsius ei„dem in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo."

Si hæc tam seriò atque exactè observarentur in facienda informatione super moribus, atque conversatione Nominati, aut electi ad Cathedrales Ecclesias, quam à Conciliis & Romanis Pontificibus ordinata sunt, indubiè spes esset, quòd sat exacta etiam haberetur de promovendis notitia.

CAPUT V.

De effectu Confirmationis: et quæ hodie requirantur ut plenum effectum sortiatur.

1 *Ante Consecrationem Episcopus electus aut nominatus administrationi se ingerere nequit.*

2 *Episcopi immediatè Romano Pontifici subjecti debent, antequam plenitudinem officii accipiant, se eidem præsentare ex Decreto Concilii Lateranensis.*

3 *Ne quidem sub titulo Œconomi aut Procuratoris possunt administrationem ante Confirmationem suscipere.*

4 *Hæc non tantùm in Electo, sed quocunque Nominato locum habent.*

5 *Fallit in Electis concorditer, in partibus à Curia Romana remotis.*

6 *Sub remotis etiam Angli, Franci & Alemanni comprehenduntur.*

7 *Per Confirmationem Electus, aut Nominatus, verus Pastor Ecclesiæ constituitur.*

* *Hoc recencioris disciplinæ est.*

8 *Cur Episcopus Confirmatus ante Consecrationem ex stylo Decretalium non dicatur simpliciter Episcopus, sed Electus.*

9 *Episcopus confirmatus omnia potest exceptis his quæ* Ordinis *sunt.*

10 *Inspecto Jure Decretalium sola Confirmatio expedita hæc ope-*

operatur, secus ex Constitutione Bonifacii VIII. & stylo hodierno.

11 *Juxta stylum hodiernum Episcopus confirmatus non potest accipere possessionem, nisi litteris expeditis, & Capitulo exhibitis.*

12 *Debent à Rege* placitari.

13 *Ut provisi de Ecclesiis, quæ juri* Regaliæ *sunt subjectæ plenum effectum Confirmationis obtineant*, Regalia *debet esse* clausa.

14 *Ut* claudatur, *debet provisus præstitisse juramentum Fidelitatis Regi.*

15 *Quæ insuper* ad clausuram *requirantur.*

16 *Quædam notanda pro intellectu* Regaliæ.

17 *Quæ Ecclesiæ in Gallia huic juri sint subjectæ.*

18 *Quid in Germania & Belgio obtineat.*

I. QUemadmodum olim Electus à Clero & populo, aut à Rege nominatus, nullatenus Pastor aut Episcopus censebatur Ecclesiæ vacantis, priusquam à Metropolitano & Episcopis Provincialibus confirmatus, atque in Ecclesiæ Pastorem & Episcopum ordinatus esset; ita nec de jure communi, & hodierno electi à Capitulis Cathedralibus, aut nominati à Regibus, se administrationi Ecclesiæ sive in temporalibus sive spiritualibus quocunque prætextu immiscere possunt ante confirmationem expeditam, *cap.* 17. ✠ *de Elect.* quia, ut ait ibidem Pontifex, *nemo debet sibi honorem assumere; sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.*

II. Et Concilium Lateranense sub Innocentio III. vult, „ut qui ad Romanum pertinent immediatè Pontificem, ad per„cipiendam sui Confirmationem officii, ejus se conspectui (si „commodè fieri potest) personaliter repræsentent, aut per„sonas transmittant idoneas, per quas diligens inquisitio super „electionibus & electis haberi possit: ut sic demum per ip„sius circumspectionem consilii sui plenitudinem officii asse„quantur, cum eis nihil obstiterit de Canonicis institutis.“ *Cap.* 4. ✠ *de Elect.*

III. Cùm verò nonnulli hanc Concilii sanctionem illudere volentes, sub titulo Œconomi, aut procuratoris se administrationi Ecclesiarum ante Confirmationem ingererent, Concilium Lugdunense sub Gregorio X. his fraudibus obviare volens, generali constitutione sancivit, „ut nullus de cætero ad„ministrationem Dignitatis (ad quam electus est) priusquam „celebrata de ipso electio confirmetur, sub œconomatus vel „procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in „spiritualibus vel in temporalibus, per se vel per alium, pro „parte, vel in totum, gerere, vel recipere, aut illis se im„miscere præsumat. Omnes illos, qui secus fecerint, jure (si „quod eis per electionem quæsitum fuerit) decernentes eo „ipso privatos.“ *Cap.* 5. *de elect. in VI.*

IV. Nec tantum in electione obtinet hæc Juris decisio, sed & in præsentatione, sive nominatione, uti post alios Canonistas tradit Fermosinus ad *cap.* 15. ✠ *de Elect. quæst.* 2 *num.* 11. „Nam si persona presentati, ait, se ingerat ante „Confirmationem reverà dicitur intrusus, & subjectus pœ„nis dicti *cap. Avaritiæ.*“

V. Nullo ergo titulo, Electi aut Nominati se administrationi Ecclesiæ viduatæ ingerere possunt ante Confirmationem; eamque juxta stylum hodiernum in Curia Romana expediendam, nisi tamen „valde remoti sint, videlicet ultra Italiam „constituti: hi si electi fuerint in concordia (inquit Conci„lium Lateranense sub Innocentio III. in citato *cap.* 44.) dis„pensativè propter necessitates Ecclesiarum, & utilitates in „spiritualibus & temporalibus administrent; sic tamen ut de „rebus Ecclesiasticis nihil penitùs alienent.“

VI. In *cap.* 28. ✠ *de Electione* in integra Decretali, inter remotiores privilegio gaudentes exprimuntur Metropolitani Angliæ, Franciæ & Alemaniæ, hac assignata ratione: „Quia „si tanto tempore quousque posset Electus Confirmationem „cum Pallio à Sede Apostolica obtinere *Regalia* non reci„peret Ecclesia, quæ interim administratione careret, non mo„dicum incurrere detrimentum.“

Hîc obiter notandum, tempore Innocentii III. auctoris dictæ Decretalis, in Anglia, Francia & Alemania nota fuisse *Regalia.*

VII. Itaque ex hactenus dictis constat, Electum aut Nominatum ante Confirmationem, non tantùm Pastorem aut Episcopum non esse, sed nec administrationi Eclesiæ ullatenus se posset regulariter ingerere; at obtentâ confirmatione, tanquam verus Pastor & Episcopus Ecclesiæ vacantis reputatur.

Quod non tantùm olim, cùm confirmatio à consecratione vix sejuncta erat, verum & hodie, si jus commune Decretalium spectemus, obtinet, ipsaque formula provisionis, sive confirmationis Pontificiæ manifestè exprimit. Dicit enim: „Ecclesiam N. de persona N. providemus, ipsumque illi in Epis„copum præficimus, & Pastorem, curam, & administrationem „eidem in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo.“

Verus igitur Pastor & Episcopus per confirmationem, sive Provisionem Pontificiam constituitur; omnisque cura pastoralis & Episcopalis plenariè ei competit; eamque tanquam Episcopus & ordinarius Ecclesiæ Pastor administrare potest, uti uno consensu tradunt Canonistæ.

* Quod hodie obtinet jure Decretalium, ut electus in Episcopum obtenta Confirmatione Pontificia, habeatur ut *verus Pastor* Ecclesiæ, possitque omnia, quæ jurisdictionis sunt, tanquam Episcopus exercere, contrarium esse primitivæ Ecclesiæ disciplinæ, & primario fini instituti Episcopatus, dubium non est: nam constat decem ut minus seculis ignotum fuisse, ut quis diceretur Episcopus, aut jurisdictionem, aut munus Episcopi obiret, priusquam in Episcopum esset ordinatus.

Et sane nequaquam videtur congruum, ut is Ecclesiam tanquam *Episcopus* regat, omnemque in Clerum & populum auctoritatem & jurisdictionem exerceat, qui hactenus nec per manuum impositionem, plenitudinem Spiritûs Sancti accepit, nec Sacerdotii Christi particeps factus est, & ob hujus defectum nec ea, quæ ordinis sunt & maximè Episcopis propria, exercere potest.

Hac ratione motus Cardinalis Lotharingius coram PP. Concilii Trid. dicere non dubitavit: „Absurdissimum est Cardina„libus *Diaconis* Episcopatum committi, abominandum siqui„dem est, ut is Episcopatum obtineat, qui Episcopus esse „non vult.“

Nec dissimulavit dicere: Hæreticis gravi esse offensioni, „quòd in causis Religionis ii judicent, qui potestatem impo„nendi manus non habent, & penè laici sunt.“

Certum quoque est, quòd nec Romanus Pontifex legitimè electus, pro Romano Pontifice reputatus olim fuerit ante suam ordinationem.

Quare electus anno 752. die 6. Martii Stephanus vulgò dictus II. qui ante ordinationem suam obiit, inter Pontifices numeratus non fuit per Anastasium Bibliothecarium, nec alium quemquam ante Baronium, qui cæteros ejusdem nominis uno deinceps gradu submovit, & quem alii omnes appellant *Secundum*, ipse facit *Tertium*, & sic consequenter, uti notavit Daniel Papebrochius in suo Conatu Chronico Historico ad vitam hujus Stephani, qui unà observat, idipsum liquere ex electione Presbyteri Petri post mortem Joannis V. quæ sine dubio legitima fuit, quippe à Clero præcipuè pendens, neque per militarem tumultum irritabilis, nusquam tamen ille inter Pontifices numeratur, quia nunquam processum est ad ejus ordinationem.

VIII. Verum quidem est, illum ante consecrationem juxta stylum hodiernum non dici simpliciter Episcopum, sed cum addito *Electum*: sed id aliundè non fit, quam quòd ante consecrationem, characterem seu Ordinem ipsum Episcopalem necdum acceperit; ideoque nec plenitudinem Sacerdotii habeat, quæ requiritur, ut quis simpliciter & absolutè *Episcopus* aut *Summus Sacerdos* dicatur.

IX. Hinc concludunt Canonistæ, & communis praxis probat, Episcopum confirmatum, non consecratum, posse plenariè jurisdictionem suam exercere; eaque omnia, quæ ad curam Pastoralem & Episcopalem pertinent, agere, exceptis his duntaxat, quæ Ordinis, seu characteris sunt Episcopalis; qualia sunt Ordines sacros per se conferre, Chrisma conficere, Sacramentum Confirmationis dare, &c. Ita decrevit Cœlestinus III. *cap. Transmissum, tit. de Elect. potest.*

X. Et quidem si citata provisionis verba, & jus commune Decretalibus Gregorii IX. comprehensum spectemus, sola confirmatio prædictos effectus parit; possetque Electus, aut Nominatus mox ab exceptâ confirmationis notitia, administrationem & curam Ecclesiæ sibi commissæ suscipere; at Constitutione Bonifacii VIII. quæ refertur in *Extravagante* INJUNCTÆ, *de Elect. inter Commun.* & cui praxis hodierna conformis est, sancitum est, „ut Episcopi aliique Prælati superiores quocun„que nomine censeantur, qui apud Sedem Apost. promoven„tur, aut Confirmationis, consecrationis, vel benedictionis „munus recipiunt, ad commissas eis Ecclesias absque dictæ Se„dis *Litteris*, hujusmodi eorum promotionem, confirmatio„nem, consecrationem seu benedictionem continentibus, ac„cedere, vel bonorum Ecclesiasticorum administrationem ac„cipere, non præsumant; nullique eos absque dictarum Lit„terarum ostensione recipiant, aut eis pareant vel intendant. „Quòd si forsam contra præsumptum fuerit, quod per Epis„copos, Prælatos, Abbates, Priores, & alios Monasteriorum „regimina exercentes prædicto medio tempore actum fuerit, irri„tum habeatur: nec quidquam interim iidem Episcopi, vel „Prælati, Abbates, Priores, vel regimina exercentes, de Ec„clesiarum vel Monasteriorum proventibus percipiant eorun„dem. Capitula verò & Conventus Ecclesiarum, & Monaste„riorum ipsorum, & alii quicunque ipsos absque hujusmodi „dictæ Sedis litteris recipientes, vel obedientes eisdem, tan„diu sint à Beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec „super hoc ejusdem Sedis gratiam meruerint obtinere.“

Ita-

XI. Itaque Provisus à Sede Apostólica, non potest possessionem adipisci, uti benè notat Zypæus ad *tit. de Casu possess.* nisi Litteris in forma expeditis; quin nec sufficit Litteras in Curia Romana in forma esse expeditas, sed insuper desideratur, ut provisus eas exhibeat & præsentet ipsi Capitulo; neque sufficit per testes earum expeditionem probare.

Ulteriùs, si consuetudinem ac praxim Belgii spectemus, verissimum est, quod de praxi Hispaniæ testatur post Garciam & alios citatos, Fermosinus ad *cap.* 15. ℵ *de Elect. quæst.* 3. scilicet, Provisum non posse administrare, nisi naturalem & actualem possessionem acceperit.

XII. Quin & illud Belgii praxi planè consonat, quod de Hispania, ex Garcia ac aliis testatur Fermosinus loco citato, *quæst.* 4. *num.* 23. „ quòd Episcopus etiam confirmatus, lit„ teras confirmationis teneatur mittere Regi, & ejus Regio „ Consilio; (s) & quòd antequam ibidem expediantur, non „ capitur possessio.“ Quid enim nocius, quàm hisce in Provinciis vigore litterarum Curiæ Romanæ non posse accipi possessionem cujuscunque Beneficii, nisi prius Litteræ Regi in suo Concilio exhibitæ & ibidem *placitatæ* fuerint?

XIII. Provisi de Ecclesiis Cathedralibus, quæ Juri Regaliæ subjectæ sunt, ut post obtentam provisionem pontificiam, plenam temporalium sui Episcopatus administrationem, ac Beneficiorum collationem obtineant, debent *manus Regiæ levationem* obtinuisse, sive ut loquuntur, *Regalia* debet esse *clausa.*

XIV. Ut verò *clausura* fiat, requiritur primò, ut Provisi juramentum fidelitatis Regi præstiterint, „ quòd nimirum Regi „ erunt *legales*, & *fideles* in suo episcopali statu (t), & popu„ lum earum Civitatum & Episcopatuum, in quantum po„ terunt, in obedientia & recognitione supremæ potestatis er„ ga Regem, & suam succesionis sanguinis posteritatem tene„ bunt.“ Ita refert Philippus Probus in Supplementoad tractatum *Juris Regaliæ* per Arnulphum Ruzæum, *quæst.* 2. *num.* 6. qui *num.* 7. asserit, ob hoc juramentum, omnes Episcopos Regni Franciæ *fideles Consiliarios Regis* appellari.

XV. Nequaquam tamen sufficit hoc fidelitatis juramentum præstitum esse, sed insuper requiritur, quòd Litteræ „Regiæ „ attestantes dictum juramentum sic fuisse præstitum (inquit Phi„ lippus Probus loco citato, *quæst* 3. *num.* 2.) præsentatæ, re„ gistratæ & expeditæ fuerint in Camera computorum, & quòd „ Receptor seu Commissus ad receptam ipsius Regaliæ rece„ perit mandatum à prædicta Camera emanatum, per quod „ mandetur, quòd levet manum Regis, & permittat dictum „ Episcopum uti & gaudere, ponendo ipsam temporalitatem ad „ plenam deliberantiam: nec ante receptionem hujusmodi man„ dati à dicto Receptore, seu Commisso, reputatur dicta Re„ galia clausa, sed usque ad diem ipsius receptionis, tenetur „ reddere computum & rationem de fructibus hujusmodi tem„ poralibus, & confert Rex Beneficia tanquam in Regalia va„ cantia, & hoc de jure & consuetudine Regis & suæ Co„ ronæ Franciæ.“

XIV. Ut faciliùs intelligantur, quæ hîc de apertione & *clausura Regaliæ* dicuntur, notandum Jus *Regaliæ* juxta hodiernum, præcipuè Regni Galliæ, stylum & modum loquendi esse Jus, quo Rex, Sede vacante, sibi attribuit dispositionem omnium proventuum Episcopatus; & collationem pleno jure omnium Beneficiorum non Curatorum ad liberam collationem Episcopi spectantium.

Dicitur ergo Regalia *aperta*, quando per mortem Episcopi, aut alio modo Sedes vacat; tunc enim Regi Jus Regaliæ jam descriptum acquiritur, sive aperitur.

Manet autem *aperta Regalia*, sive Jus illud apud Regem manet, quousque novus Episcopus præstito juramento ac litteris Regis obtentis & registratis, & manus Regiæ levatione facta possessionem Episcopatus per se acceperit; quo demum juxta modernam praxim Regalia clauditur, sive Jus Regium tam quoad proventum dispositionem, quàm Beneficiorum collationem extinguitur, & plenaria dispositio Episcopo defertur.

XVII. Porrò de hoc Jure *Regaliæ* plura dicemus parte secunda ubi de collatione Beneficiorum tractandum erit; illud equidem sciendum, neque in Regno Galliæ jam pridiem omnes Episcopatus huic juri fuisse subjectos, uti passim Auctores de illo jure tractantes testantur; atque inter cæteros Philippus Probus, qui loco suprà allegato, *quæst.* 60. enumerat Archiepiscopatus, & Episcopatus, qui huic fuerint subjecti, & qui ab eo exempti; manseruntque plures Ecclesiæ ab hoc jure liberæ; atque per Arresta Regia in ea libertate conservatæ fuerunt usque ad annum 1673. quando in conformitatem Arresti Parlamenti Parisiensis Rex declaravit, jus *Regaliæ* esse inalienabile & inpræscriptibile; illudque sibi generaliter in omnibus Archiepiscopatibus & Episcopatibus sui Regni ac ditionum suæ obedientiæ, competere, iis solis exceptis, qui titulo oneroso sunt exempti.

Conformiter ad hanc Declarationem Regiam, & alteram de 2. Aprilis 1675. prioris confirmativam & explanativam, jus *Regaliæ*, Rege urgente, ac tandem etiam Clero consentiente, licèt nonnullis Episcopis fortiter resistentibus, ad omnes Ecclesias Metropolitanas & Cathedrales extensum est.

XVIII. In Imperio quoad *Regaliam* moderatiùs agitur, uti notat Zypæus in Jure novo, *de Elect. num.* 3. „ut Episco„ pi, qui & Principes sint (ut sunt plerique) statim per se „ vel alios juramenta debita præstent quidem; & Regalia, „ ac feuda sua relevent; non tamen vacante Sede tempora„ litas ad manus Imperatoris ponitur, sed Capitulum admi„ nistrat pro Succesore: sed id fortè, quia Pontifices Germa„ nos Imperatores Fridericum, Henricum, &c. superârunt: „ Bonifacius VIII. Philippum Pulchrum aut Successores non „ item.“

Belgii Episcopatus, si Tornacensem excipiamus, juri Regaliæ subjecti non sunt; unde temporalia per Capitulum, aut Œconomum à Capitulo deputandum Sede vacante administrantur pro succesore; atque ipsa Beneficiorum collatio novo Episcopo reservatur; juxta ea, quæ *tit.* 9. *cap.* 2. dicta sunt.

TITULUS XV.

De Consecratione Episcoporum.

CAPUT I.

A QUIBUS, INTRA QUOD TEMPUS, ET QUO LOCO CONSECRATIO FIERI DEBEAT.

1 *Præcipua in consecratione auctoritas erat penes Metropolitanum.*
2 *In conservanda hac Metropolitanorum auctoritate valdè religiosi fuerunt Romani Pontifices.*
3 *Suffraganeorum in consecratione olim requisita fuit præsentia, aut ut minus assensus.*
4 *Tres ut minus Episcopi debent esse præsentes.*
5 *Hæc disciplina tam in Græca quàm Latina Ecclesia etiam hodie obtinet.*
6 *Ratio hujus disciplina.*
7 *Præsentia plurium Episcoporum spectat duntaxat ad disciplinam.*
8 *Necessitate cogente potest interdum ab hac disciplina recedi, & à duobus consecratio peragi.*
9 *Ita Ordinatus Pelagius I. Papa.*
10 *Etiam ab uno Episcopo fieri potest Consecratio; nec apud Veteres desunt exempla.*
11 *Probatur auctoritate S. Gregorii.*
12 *Conformis est moderna praxis Curiæ Romanæ.*
13 *Quoad Consecratorem Episcoporum hodierna disciplina difformis est à pristina.*
14 *Consecratio tam ex veteri, quàm moderna disciplina debet fieri intra tres menses.*
15 *Est tamen differentia in tempore, à quo tres menses computari debent.*
16 *Quo in loco fieri debeat.*

I. PRæcipuam in confirmatione Episcoporum auctoritatem per XII. & amplius secula fuisse penes Metropolitanos, titulo præcedenti abundè probatum fuit. Cùm verò confirmatio ab ipsa consecratione vis sejungeretur, sed Metropolitanus unà cum Episcopis Comprovincialibus, examine supra electionis forma, ac persona electa facto, ad Ordinationem, seu Consecrationem procederet, si electionem canonicam, & personam electam idoneam reperisset; mirum non est, si primas quoque in consecratione Episcoporum partes duodecim seculis facilè Metropolitano delatas esse videamus.

Et quidem Canone VI. Nicæno dicitur: „Illud generaliter „ est clarum, quòd si quis præter sententiam Metropolitani fuerit

(s) Novissimè ex jam citata leg. 37. tit. 3. lib. 1. Recopil.
(t) Vide leg. 3. tit. 3. lib. 1. Ordinam. l. 13. tit. 3. lib. 1. eamd. leg. & tit. lib. 4. & leg. 29. tit. 4. lib. 2. Recop. & postremo l. 1. tit. 7. lib. 1. Recopil. Indiar.

„ rit factus Episcopus, hunc magna Synodus difinivit Epis„ copum esse non oportere.“ Apud Gratianum, *dist.* 64. *Can.* 8.

Hinc illud Innocentii I. ad Victricium Episcopum: „Ex„ tra conscientiam Metropolitani Episcopi, nullus audeat or„ dinare Episcopum... Hoc enim & Synodus Nicæna consti„ tuit, atque definivit.“ Gratianus ibidem *can.* 5.

II. Eam Metropolitani in consecrandis Episcopis suis suffraganeis prærogativam pluribus inculcat Gelasius I. apud Gratianum loco citato *Can. VI.* atque in illa conservanda adeò erant religiosi Pontifices, ut Stephanus VI. ne hanc perturbaret, Lingonensem à populo & Clero ritè electum & Romam pro consecratione cum decreto electionis missum (recusante nimirum Lugdunensi Metropolitano eum consecrare) illum consecrare bis renuerit, ac repulerit, ad Lugdunensem scribens, & rescribens, ut ipse suo munere in hujus consecratione fungeretur; tertio demum interpellatus, vix magna Lugdunensis pertinacia coactus, illum consecravit; uti latiùs ex Frodoardo in Historia Rhemensi refert Baronius ad *annum* 885.

Similiter Gregorius VII. licèt ipse Robertum Carnotensem ab Episcopatu deposuisset, non tamen propterea sibi alterius suffectionem, aut ordinationem reservavit; sed ad Ordinarios tam electores, quam consecratores illum rejecit. Sinoniensi enim Metropolitano & Suffraganeis ita scribit: „Ecclesiam illam (Car„ notensem) canonicam electionem in aliquam idoneam per„ sonam facere admonuimus; admonemus & vos, ut eidem elec„ tioni eam quam oportet, aut per vos, aut idoneos nun„ tios vestros diligentiam adhibentes, quem electum canonicè „ cognoveritis, & manus imponere, & in Episcopum *conse„ crare* nullâ occasione recusetis.“ *Lib.* 4. *Epistol.* 15.

III. Porrò licèt præcipua fuerit in Episcoporum confirmatione & consecratione penes Metropolitanum auctoritas, aliorum tamen Suffraganeorum, seu Comprovincialium nequaquam negligendus erat consensus, & auctoritas.

Confirmationem enim Episcoporum Metropolitano & Episcopis Suffraganeis per Canones Nicænos, aliosque subsequentes per continuam X. seculorum seriem delatam fuisse, supra ostendimus. Cùmque ordinatio, sive consecratio à confirmatione necdum esset sejuncta, etiam Consecrationem Episcoporum, Metropolitano cum Episcopis Comprovincialibus delatam fuisse cognoscimus; idque uno consensu Theologi & Canonistæ fatentur; eamque disciplinam etiam Jure communi seu Decretalium conservatam tradunt ad *cap.* 7. ✠ *de Temp. Ordin.*

IV. Verùm quia difficile erat ad omnem Episcopi ordinationem omnes Provinciæ Episcopos *personaliter* convenire & assistere, Canone IV. Nicæno cautum fuit, „ ut si hoc diffi„ cilè fuerit, vel aliqua urgente necessitate, vel itineris longi„ tudine, certè tres Episcopi debeant in unum congregari; ita „ ut etiam cæterorum, qui absentes sunt, consensum in litteris „ teneant, & ita faciant ordinationem.“ Gratianus, *dist.* 64. *can.* 1.

V. Et licèt tum præsens Canon, tum plerique alii eandem disciplinam præscribentes, videantur non tantùm de consecratione, sed vel præcipuè de electione & confirmatione Episcopi agere; nihilominus ex hisce Canonibus stabilita ac conservata fuit in Græca pariter, ac Latina Ecclesia hactenus disciplina, ut ad consecrationem Episcopi convenire, eique personaliter assistere debeant, præter Metropolitanum aliumve Episcopum ordinantem, duo alii Episcopi.

„ Adsint (ait modernum Pontificale Romanum, *Tit. de Con„ secratione Electi in Episcopum*) *duo ad minus Episcopi as„ sistentes.*“ Et Rituale Græcorum ordinem in consecratione Episcopi servandum præscribens, ait: „ Tres vero Pontifices „ sive etiam plures, Pontificium omnem ornatum induti in sel„ lis suis sedent ante sacras sancti altaris fores.“

VI. Rationem hujus disciplinæ jam pridem assignavit Innocentius I. in epistola ad Victricium apud Gratianum *dist.* 64. *Can.* 4. „ Ne unus Episcopus ordinare præsumat Episcopum, „ ne, ait, furtivum beneficium præstitum videatur. Hoc enim „ & in Nicæna Synodo constitutum est atque definitum.“

Quasi diceret: noluit Synodus ut Episcopus *furtivè*, sive tanquam fur, clam in Ovile Christi ascendat; sed *publicè*, id est, Ecclesiâ universâ, per cujusque Provinciæ Episcopos repræsentata, probante & assentiente.

Non absimilem hujus disciplinæ rationem dedit S. Anselmus Cantuariensis in litteris ad Regem Hiberniæ, improbans in Regno illo, *ab uno Episcopo Episcopum*, *sicut quemlibet Presbyterum*, *ordinari*, subjungit: „ Minus quàm à *tribus* Epis„ copis ordinari non debet; cum propter multas alias, & ratio„ nabiles causas, quas epistolaris brevitas non admittit, tum ut „ *fides*, *vita & solicitudo ejus qui invigilare debet*, *idoneis & „ legalibus testibus comprobetur.*“ Lib. 3. epist. 147.

VII. Hîc nota, nec Innocentium, nec Anselmum Episcoporum Ordinationes sive Consecrationes sine legitimo Episcoporum numero factas, tanquam nullas, invalidasque rejicere; sed solum arguere, eas clandestinè ac sine legitima quasi approbatione peragi; ipsorumque Episcoporum præsentiam non tam ad substantiam & validitatem consecrationis, quàm ad discutiendam & comprobandam ordinationem requirere: quod & probat absentium Episcoporum Comprovincialium per litteras requisitus consensus.

VIII. Licèt ergo disciplina hæc, utpote ab Apostolis nobis tradita, & hactenus in Ecclesia reservata, meritò religiosè observetur, nihilominus, sicut in aliis disciplinæ articulis contingit, necessitate cogente, ex Superiorum judicio ab ea nonnihil recedi posse, & ratio & auctoritas probant.

Et quidem in Constitutionibus Ecclesiæ Alexandrinæ sub nomine Apostolorum præcipitur: *Ut ordinetur Episcopus à tribus Episcopis*; *necessitate vero cogente à* DUOBUS. Apud Guillelmum Beveregium *in notis ad Canonem I. Apostolorum.*

Et in Constitutionibus vulgò *Apostolorum*, *lib.* 3. *cap.* 20. „ Jubemus autem ut à tribus Episcopis Episcopus ordinetur, & „ ut minimum à duobus; ita ut ab uno constitui non possit; testi„ monium enim duorum & trium firmius est & certum.“

IX. Sic Ordinatus est Pelagius I. Episcopus Romanus à duobus Episcopis & uno Presbytero, scilicet: „ Dum non essent „ Episcopi, qui eum ordinarent, inventi sunt duo Episcopi, „ Joannes de Perusio, & Bonus de Ferentino, & Andreas „ Presbyter de Ostia, & eum ordinaverunt Pontificem, tunc „ enim non erant in Clero, qui poterant eum promovere.“ Anastasius Bibliothecarius in *ejus vita.*

X. Quin & eadem necessitate urgente quidni ab *uno* Episcopo Episcopus ordinari posset? Cum sicuti *trium* ita quoque *duorum* præsentia ad disciplinam, non ad substantiam, seu essentiam consecrationis spectare videatur: nec desunt apud veteres hujusmodi ordinationis exempla.

Synesius Siderium Palæbiscæ Episcopum à Philone Cyrenensi solo ordinatum fuisse refert; additque: *Verùm in temporibus formidolosis*, *summum jus prætermitti necesse est.* Epist. 67.

XI. Sed in hanc rem dignissima notatu est S. Gregorii ad Augustinum Anglorum Apostolum responsio. Interrogaverat eum Augustinus: „ Si longinquitas itineris magna interjaceat, ut „ Episcopi non facilè valeant convenire, an debeat sine aliorum „ Episcoporum præsentia Episcopus ordinari?“ Respondit Gregorius: „ Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc „ solus Episcopus inveniris, ordinare Episcopum *non aliter ni„ si sine Episcopis* potes.“ Ita Beda *in Hist. Anglic. lib.* 1. *cap.* 27. à quo primùm hanc epistolam accepimus, uti notat Vir Eruditus Petrus Gussanvillæus in notis ad hanc epistolam, quæ est 31. *lib.* 12. observatque tam ex antiquis quàm recentioribus editionibus, codicibus manuscriptis, & auctoribus ecclesiasticis, hanc esse genuinam epistolæ lectionem, vitiosam verò quorundam exemplarium quæ habet: *Ordinare Episcopum non aliter nisi cum Episcopis potest.* Idem notat, ac solidè probat Guillelmus Beveregius Presbyter Anglicanus in *notis ad Canonem I. Apostolorum.*

XII. Hisce conformis est moderna praxis Curiæ Romanæ. Hodie quippe, teste Fagnano, in Litteris pro consecratione Episcoporum in Indiis apponitur clausula infrascripta, videlicet: *Tibi Presbytero*, *ut à quocunque malueris Catholico Antistite gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habente*, *accitis & in hoc illi assistentibus duabus vel tribus* DIGNITATIBUS, *munus consecrationis recipere valeat.* Ad *cap.* ✠ *de Temp. Ord. num.* 20.

XIII. Quoad ipsum verò Consecratorem Episcoporum hodierna disciplina à pristina nonnihil dissona est. Nam juxta disciplinam sacris Canonibus & Decretalibus Gregorii IX. expressam, ordinarius Consecrator est Metropolitanus respectu suorum Suffraganeorum; hodie verò sicuti Episcoporum confirmatio, ita & consecratio ad Pontificem devoluta est. Unde in Pontificali Romano sub titulo, *de Consecratione Electi in Episcopum*, præmittitur hoc monitum: „ Nemo consecrari debet, „ nisi priùs constet Consecratori de Comissione consecrandi, „ sive per Litteras Apostolicas, si sit extra Curiam; sive per „ commissionem vivæ vocis oraculo à Summo Pontifice Conse„ cratori factam, si Consecrator ipse sit Cardinalis.“

Et ex præscripto ejusdem Pontificalis, Ordinator priusquam consecrationem inchoet, petit ab Episcopis assistentibus, & electum Consecratori, ut eum ad onus Episcopatus sublevet, præsentantibus: *Habetis mandatum Apostolicum?* Quo lecto demum ad consecrationem procedit.

XIV. Jam pridem in Concilio Calchedonensi decretum fuit, „ ut intra tres menses Episcoporum ordinationes fiant, nisi in„ exorabilis utique necessitas effecerit, ut dilationis tempus „ prorrogetur.“ Gratianus *dist.* 75. *can.* 2.

Synodus Tridentina advertens plures Episcopos electos, munus consecrationis negligere; ratos sibi sufficere accepta confirmatione, ea, quæ jurisdictionem & temporalium administrationem & usum spectant, pleno jure obtinuisse; edixit: „ Ec„ clesiis Cathedralibus, seu Superioribus quocunque nomine, ac „ titulo præfecti, etiam si sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales „ sint, si munus consecrationis intra tres menses non susce„ pe-

„ perint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur: „ si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis „ ipso jure sint privati." *Sess. 23. cap. 2. de Reform.*

XV. Sive ergo pristinam, sive modernam spectemus disciplinam, consecrationi peragendæ trium mensium tempus est præfixum; hac tamen differentia, quòd Canon Carchedonensis (uti rectè monet Lupus) „ à cœpta vacatione, Tridentinum „ verò decretum à data per D. Papam confirmatione, velit tres „ menses computari."

Dum enim Metropolitano, & Episcopis Comprovincialibus præcipuæ partes essent in eligendo, confirmando & consecrando Episcopo, omnia facilè intra tres menses à die vacationis expediri poterant: sed devoluto jure confirmandi & providendi ad Sedem Apostolicam, vix possibile est, ut omnia intra tres menses à die vacationis expediantur; ideoque à die obtentæ provisionis Apostolicæ tempus trium mensium consecrationi præfixum computari cœpit.

XVI. „Consecratio verò, ait Synodus Tridentina loco ci„ tato, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam „ promoti fuerint, aut in Provincia, si commodè fieri poterit, „ celebretur."

CAPUT II.

De Juramento ab Episcopis ante consecrationem Romano Pontifici præstando.

1 *Ab ordinandis exigi professionem juratam olim Patribus displicuit.*

2 *Professionem obedientiæ sine juramento olim Episcopi etiam præstabant suis Metropolitanis.*

* *Professio Fidei simplex absque jurejurando facta Summo Pontifici.*

3 *Circa seculum XI. professioni obedientiæ cœpit adjungi juramentum.*

4 *Sola obedientia canonica promittebatur usque ad tempora Gregorii VII. qui novam juramenti formulam induxit.*

5 *Novam hanc esse formulam probatur.*

6 *Seculo XIII. Juramentum cum dicta formula exigebatur in concessione* Pallii.

7 *Eodem seculo exigi cœpit per Romanos Pontifices ab Episcopis eorum ordinationi immediatè subjectis: & per Metropolitanos à suis Suffraganeis.*

8 *Hodie ab omnibus Episcopis præstatur Romano Pontifici juxta formam in Pontificali expressam.*

9 *Tres priores articuli in formula juramenti expressi conformes sunt juramento fidelitatis à vasallo præstando Domino directo.*

* *Juramentum non proponendum Episcopis, qui ratione temporalium Summo Pontifici non sunt obstricti.*

10 *Refertur quartus articulus juramenti, & quæ sit ejus genuina lectio ostenditur.*

11 *Qui per* Regalia Sancti Petri *intelligatur.*

12 *Quintus articulus.*

13 *Sextus articulus.*

14 *Septimus articulus.*

15 *Tres posteriores articuli cum quadam moderatione intelligendi.*

* *Desideratur major claritas in articulis juramenti ab Episcopis in Ordinatione præstandi.*

16 *Visitationis Liminum Apostolorum, de qua in articulo septimo, meminit Synodus Romana anno 743.*

17 *Visitare Limina Apostolorum primitus idem fuit quod ad Synodos convenire, & solos Episcopos ad Metropolim Romanam pertinentes obligabat.*

18 *Quare citius Metropolitanis quàm reliquis Episcopis hæc obligatio fuerit imposita.*

19 *Hodie omnibus generaliter Episcopis vi juramenti imponitur, & quare.*

20 *Quoties Episcopi Belgii Limina Apostolorum visitare debeant.*

21 *Quid per* Limina Apostolorum *in formula juramenti intelligatur.*

22 *Quis præcipuus scopus visitationis.*

23 *Juxta formulam juramenti Episcopi, non nisi legitimo impedimento detenti, per specialem nuntium huic obligationi satisfacere possunt, & qualis debeat esse ille Nuntius.*

24 *De praxi & consuetudine Belgii, Episcopi visitationem hanc absolvunt per Nuntium.*

25 *Refertur articulus octavus juramenti; & ostenditur quomodo hic & alii articuli cum quadam moderatione sint intelligendi.*

26 *Proponitur articulus nonus juramenti.*

27 *Seculo etiam XIV. simile juramentum fidelitatis & obedientiæ ab Episcopis præstabatur Metropolitanis.*

28 *Formulæ hodiernæ multa additа sunt post tempora Gregorii VII.*

I. PRistina Patrum ætas attendens, quàm enixè, ac verè Christus inculcasset, & Apostolus Jacobus monuisset: *Non jurare omninò... sit autem sermo vester, est, est, non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.* Matth. 5. admodum solicita fuit, ne citra necesitatem inevitabilem juramentum, præsertim à Ministris Ecclesiæ exigeretur.

Hinc illud etiam seculo IX. Concilii II. Cabilonensis: „ Dic„ tum est interea de quibusdam fratribus, quòd eos, quos or„ dinaturi sunt, *jurare* cogant, quòd digni sint, & contra Ca„ nones non sint facturi, & obedientes sint Episcopo, qui eos „ ordinat, & Ecclesiæ in qua ordinatur. Quod juramentum quia „ periculosum est, omnes unâ inhibendum statuimus. " *Can.* 13.

Et in Conventu Episcoporum, Abbatum, Comitum vel Majorum natu Francorum jussu Ludovici Pii Imperatoris anno 816. Aquisgrani habito, decretum est: „ De Episcopis verò „ in Longobardia constitutis, qui ab his, quos ordinabant, *Sa„ cramenta* & munera contra divinam, & canonicam auctori„ tatem accipere, vel exigere soliti erant, modis omnibus inhi„ bitum est, ne ulteriùs fiat: quia juxta Sacros Canones uter„ que gradu proprio talia facientes decidere debent. " *Cap.* 16. & refertur *lib.* 1. *Capitular. Regum Francorum cap.* 91.

II. Ipsum juramentorum exactionem præcipuè displicuisse, non verò obedientiæ professionem, sat innunt illa ipsa Regum Francorum Capitularia, in quibus *lib.* 7. *cap.* 466. legitur: „ Quando Presbyteri, aut Diaconi per Parochias constituuntur, „ oportet eos *professionem* Episcopo suo facere. " Quid hæc professio contineret, titulus ipsius Capitularis ostendit: „ Ut „ Presbyteri & Diaconi quando per Parochias constituuntur, „ stabilitatis & obedientiæ suæ, atque statuta servare promissio„ nem suo faciant Episcopo. "

Similem professionem suis Metropolitanis in sua ordinatione faciebant Episcopi. Extat in Appendice tomi 8. Conciliorum Generalium *col.* 1881. professio Adalberti futuri Episcopi Morinensis Hincmaro Rhemorum Archiepiscopo oblata, in qua præter professionem fidei habetur: „ Privilegio etiam Metropo„ lis Rhemorum Ecclesiæ ac ejus Præsulis, secundum sacrosanc„ tos Conciliorum Canones, & Decreta Sedis Apostolicæ ex Sa„ cris Canonibus, & legibus promulgata, pro scire & posse, „ absque dolo & simulatione, vel indebita & pertinaci contra„ dictione, me *obediturum* profiteor. "

Eandem professionem eidem Rhemorum Archiepiscopo fecisse Hincmarum Laudunensem Episcopum ejus Nepotem, scribit Amoinus, aut ejus Continuator ad annum 870. eamque in Concilio apud Attiniacum Episcoporum decem Provinciarum, cùm de multis, atque inter alia de inobedientia erga suum Archiepiscopum impeteretur, propriâ manu subscriptam porrexit.

Porrò in hac professione nullius Juramenti mentio occurrit; nec aliud quàm canonicam obedientiam Metropolitano debitam exprimit. Unde Hincmarus Rhemensis de Laudunensi loquens ait: „ Non debuerat oblivisci *professionis*, & subscriptionis suæ, „ ante Ordinationem Episcopalem, qui coram Altaria sanctæ „ Mariæ, & cunctis qui adfuerunt non solùm de Rhemensi Ec„ clesia, & de Laudunensi parochia, verùm & de Rhemorum „ Provincia Episcopis, & aliis diversi ordinis Viris, secundum „ morem Rhemensis Ecclesiæ, sicut *soliti erant Episcopi ordi„ nandi subscribere*, post Catholicæ fidei professionem de *obe„ dientia* sua secundum sacras regulas erga Rhemorum Metro„ polim propria manu subscripsit. "

* Observatum fuit suprà, jam pridem Episcopos suis Metropolitanis fecisse professionem fidei, sed nullo interposito juramento; quod & obtinuisse in Ecclesia Romana evincitur ex libro Diurno Romanorum Pontificum, in quo legitur *cap.* 3. *tit.* 6. professio fidei, quam Episcopus Ecclesiæ Suburbicariæ emittebat coram Episcopo Romano tanquam suo Metropolitano, nulla tamen facta mentione juramenti, sed ita simpliciter concluditur: Et ut *nostræ fidei* vestro Apostolatui, sanctæque ejus Catholicæ Ecclesiæ integritas, ac puritas monstraretur, per præsentis promissionis nostræ paginam per N. Notarium scribendam dictavimus, & sacro scrinio sanctæ Apostolicæ beatitudinis vestræ contradimus.

Simplex igitur erat fidei declaratio, & professio; unde & titulus habet: *Promissio fidei Episcopi.*

Observat autem Garnerius, hanc promissionis formulam referendam ad annum 683. additque hujus formulæ auctorem Leonem II. nimirum prout ibidem legitur; nam similes formulæ temporum successu varia passæ sunt additamenta, uti ibidem rectè monet Garnerius.

Ex his interim patet, quòd nec eo tempore ab Episcopis, licèt Romani Episcopi ordinationi subjectis, obedientia, aut fidei professio medio *juramento* fieri solita esset.

III. Tametsi circa seculum XI. professioni Juramentum subinde adjungi cœperit, nihilominus illa professio solam adhuc Canonicam obedientiam respiciebat; quod ex professione Tho-

mæ Eboracensis facta S. Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi manifestum est.

Postquam enim anno 1072. multùm disputatum fuisset de subjectione, quam Ecclesia Eboracensis debebat Ecclesiæ Cantuariensi, tandem „ Lanfrancus, Dorobernensis Archiepiscopus „ ex antiqua Antecessorum consuetudine ostendit, Archiepisco„ pum Eboracensem professionem Archiepiscopo Cantuariensi „ facere etiam cum *Sacramento* debere (inquiunt acta Concilii „ Anglicani tom. 9. Conciliorum Generalium *col.* 1211.) sed ob „ amorem Regis, Thomæ Archiepiscopo Eboracensi Sacramen„ tum relaxavit, scriptamque tantùm professionem recepit, non „ præjudicans Subcessoribus suis, qui voluerint *Sacramentum* „ cum professione à Successoribus Thomæ exigere.“ Hactenus acta dicti Concilii; quibus subjicitur professio Thomæ Eboracensis facta Lanfranco Cantuariensi, in qua hæc leguntur: „ Ego Thomas Ordinatus jam Eboracensis Ecclesiæ Metropoli„ tanus Antistes, auditis cognitisque rationibus, absolutam ti„ bi Lanfrance Dorobernensis Archiepiscope, tuisque Succes„ soribus, de *Canonica obedientia* professionem facio: & quid„ quid à te, vel ab eis justè, ac canonicè injunctum mihi fuerit, „ servaturum me esse promitto.“

IV. Sacramentum ergo sive juramentum professioni adjici quidem cœpit; at nihilominus sola obedientia canonica hactenus exigebatur; neque aliam etiam à Rom. Pontificibus exactam fuisse vel in Ordinatione Episcoporum aut Metropolitanorum; imò nec in concessione Pallii Archiepiscopalis legitur ante tempora Gregorii VII. qui primus anno 1079. à Patriarcha Aquiliensi in Concilio Romano exegit non canonicam duntaxat obedientiam, sed Juramentum fidelitatis non absimile illi, quod Vasallus præstare solet Domino directo: *Non ero in consilio, neque in facto ut vitam, aut membra, aut Papatum perdant, aut capiti sint malâ captione.*

V. Novam fuisse hanc juramenti formulam sufficienter quoque probat epistola Paschalis II. sub finem seculi XI. aut initium seculi XII. scripta ad Archiepiscopum Panormitanum, cujus fragmentum extat in *cap.* 4. ¤ *de Elect.* & integra refertur in prima Decretalium collectione Antonii Augustini eodem titulo *cap.* 21. & tomo 10. Conciliorum *inter epistolas Paschalis II.* ubi tamen inscriptio alia est; *nec mirum*, inquit Vir Eruditus Franciscus Florens ad titulum *de Electione*, *pag.* 119. edit. anni 1679. *eodem enim exemplo, ad plures Metropolitanos missam fuisse, varietas inscriptionis indicat.*

Ita Litteras orditur Paschalis: „ Significâsti Reges, & Regni „ Majores admiratione permotos, quòd Pallium tibi ab Apocri„ fariis nostris tali conditione oblatum fuerit, si Sacramentum, „ quod à nobis scriptum detulerant, *exhiberes*, vel ut alia lec„ tio habet, *jurares.*“

Hæc quid aliud, quàm rem hactenus inusitatam, quæ suâ novitate admirationem ingerere solet, indicant? Quod & totus epistolæ contextus ostendit, qui unicè in hoc collimat, ut evincat, Pontifici liberum esse in concessione Pallii exigere juramentum, quod pro conservanda Ecclesiæ unitate, & obedientia in Sedem Apostolicam judicant necessarium; unàque obloquentium argumentis occurrere conatur, atque ipsius juramenti æquitatem, & necessitatem adstruere.

Mirum ergo videri non debet, si nec Ordine Romano veteri, nec apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum Maurum, atque his recentiorem Rupertum Abbatem, ulla hujusmodi juramenti mentio occurrat; quamvis omnes ex professo de Pallio scripserint; cùmque omnes vel Galli, vel Germani, aut Scoti fuerint, non obscurè innuitur, illis in partibus juramentum hoc, etiam in receptione Pallii, seriùs notum fuisse.

VI. At seculo decimo tertio in concessione Pallii, Romanos Pontifices à nonnullis saltem Metropolitanis hujusmodi juramentum exegisse, evincunt acta Innocentii III. edita à Francisco Bosqueto, in quibus *paginâ* 64. extat Formula dandi Pallium cum adjuncto fidelitatis juramento simili Gregoriano.

VII. Quin eodem labente seculo invaluisse, ut idem juramentum exigeretur etiam ab Episcopis ad ordinationem Pontificis Romani immediatè spectantibus; sive à suis Coëpiscopis sibi immediatè subjectis, testatur Gregorius IX. in *cap.* 13. ¤ *de Majoritate & Obed.* ibidem respondens, simile quoque juramentum exigi posse per Metropolitanum ab Episcopis sibi subjectis, eoque debere esse contentum; hoc est, juramento Gregorii VII. de quo in *cap.* 4. *de Jurejurando*; uti ad dictum *cap.* 13. monet Glossographus, verbo *forma.*

VIII. Postquam verò omnium Episcopatuum provisio ad Sedem Apostolicam, exclusis Metropolitanis & Episcopis Comprovincialibus, translata fuit; atque solius Sedis Apostolicæ auctoritate confirmari & consecrari cœperunt, etiam ab omnibus, tanquam ordinationi Sedis Apostolicæ immediatè subjectis, juramentum hoc Romano Pontifici præstandum exigitur, idque hodie præstatur juxta Formulam à Clemente VIII. reformatam & extensam, ac Pontificali Romano insertam.

IX. Formula Juramenti prout à Gregorio VII. proposita fuit, & in *cap.* 4. ¤ *de Jurejurando* refertur, septem continet articulos, sive clausulas; quorum tres primi planè conformes sunt iis, qui in Juramento fidelitatis, quod Vasallus præstare tenetur Domino directo, continentur, uti videre licet *lib.* 2. *Feud. tit.* 5. 6. & 7. atque his verbis in formula Juramenti exprimuntur: *Ego N. Episcopus* (Pontificale addit: *Electus Ecclesiæ N.*) *ab hac hora in antea fidelis ero sancto Petro, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, Dominoque meo Papæ C. ejusque successoribus canonicè intrantibus. Non ero in consilio* (Pontificale addit: *aut consensu*) *neque in facto, ut vitam perdat aut membrum, vel capiatur mala captione* (addit Pontificale: *aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur; vel injuriæ aliquæ inferantur, quovis quæsito colore.*) *Consilium, quod mihi aut per se, aut per litteras, aut nuntium manifestabit, ad ejus damnum* (Pontificale addit: *me sciente*) *nulli pandam.*

Hi articuli sat ostendunt, hoc Juramentum Fidelitatis præcipuè concernere Episcopos, qui Sedi Apostolicæ non in spiritualibus duntaxat, sed & in temporalibus subjecti sunt.

* Quandoquidem plures ex articulis juramenti ab Episcopis in sua ordinatione præstandi, sint planè conformes iis, quos continet juramentum à Vasallo præstandum Domino directo, non satis conveniens apparet, ut similes articuli proponantur Episcopis, qui Romano Pontifici in temporalibus, nec immediatè, nec mediatè sunt subjecti, neque Pontifici tanquam ejus Vasalli ratione temporalium sunt obstricti, præsertim ut idipsum jurejurando obsignent.

X. Quartus articulus in *cap.* 4. ¤ *de Jurejurando* exprimitur hac forma: *Papatum sanctæ Romanæ Ecclesiæ & regulas sanctorum Patrum* (pro his finalibus verbis legitur in Pontificali: *& regalia sancti Petri*) *adjutor ero ad defendendum & retinendum, salvo ordine meo, contra omnes homines.*

Pontificali Romano consonat formula Gregorii VII. prout refertur in Concilio Romano VI. anno 1079. quæ extat tomo 10. Conciliorum Generalium edit. Labbeanæ *col.* 379. Ibi enim legitur: *Papatum Romanum &* REGALIA *sancti Petri adjutor ero ad retinendum & defendendum salvo ordine meo.*

Hanc lectionem sibi valdè placere, dixit Antonius Augustinus ad *c.* 20. *de Elect.* in prima collectione, atque unà dicit: „ Erratum esse videtur ex litterarum compendio. In alia formu„ la Sacramenti Roberti Ducis Apulliæ, Calabriæ, & Siciliæ „ est: S. Romanæ Ecclesiæ, tibique adjutor ero ad tenendum, „ acquirendum & defendendum *regalia sancti Petri*, ejusque „ possessiones pro meo posse contra omnes homines.“ Hæc ille; notatque & vir eruditus Franciscus Florens, hanc esse veram & antiquam lectionem.

XI. *Regalia sancti Petri* hîc accipiuntur pro *Patrimonio* sancti Petri; quod apertè confirmat Formula Innocentii III. extans in ejus gestis *pag.* 64. in qua ita explicantur Regalia: *Honores, dignitates & rationes Apostolicæ Sedis defendam pro posse, salvo ordine meo*: & pluribus probat D. Du Cange in suo *Glossario*, verbo *Regalia*: ideoque dici potest, quòd sub nomine *Regalium* eorumque defensionis in Formula Gregorii VII. omnia essent comprehensa, quæ latiùs in Pontificali Romano ex præscripto Clementis VIII. his verbis sunt expressa: „ Jura, honores, privilegia & auctoritatem sanctæ Romanæ „ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ & successorum prædictorum, „ conservare, defendere, augere, promovere curabo. Neque „ ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ip„ sum Dominum nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam, „ aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, Juris, honoris, „ statûs, & potestatis eorum machinentur. Et si talia à quibus„ cunque tractari, vel procurari novero, impediam hoc pro „ posse, & quantò citiùs potero, significabo eidem Domino „ nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire.“

XII. Quintus articulus habet: *Vocatus ad Synodum veniam nisi præpeditus fuero canonicâ præpeditione.* In antiqua formula Gregorii VII. ita exprimitur: *Ad Synodum, ad quam me vocabunt, per se, vel per suos nuntios, vel per suas litteras, veniam & canonicè obediam, aut si non potero, Legatos meos mittam.*

XIII. Sextus articulus: *Legatum Apostolicæ Sedis quem certum esse cognovero* (hæc postrema clausula, *quem certum* &c. in Pontificali omittitur) *in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo.*

XIV. Septimus est: *Limina Apostolorum singulis annis* Pontificale: *singulis triennîis*) *per me aut per certum nuntium* (Pontificale: *Personaliter per me ipsum*) *visitabo, nisi eorum absolvar licentiâ.* Hæc ultima clausula non habetur in Pontificali, sed adduntur sequentia: *Et Domino nostro ac successoribus præfatis, rationem reddam de toto meo Pastorali officio, ac de rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ statum, ad Cleri & populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei traditæ sunt, salutem, quovis modo pertinentibus*; & cætera quæ inferiùs referentur.

Totus hic articulus de visitatione Liminum Apostolorum deest in formula Gregorii VII. suprà citatâ, sed vice illius habentur hæc, quæ nec in Decretalibus, nec in Pontificali occurrunt: *His, quos nominatim excommunicaverint, scienter non com-*

communicabo: *Romanam Ecclesiam per* SECULAREM MILITIAM *fideliter juvabo, cùm invitatus fuero*

Hîc rursus non obscurè innuitur, juramentum hoc primitus conceptum fuisse pro solis Episcopis, qui etiam in temporalibus Sedi Apostolicæ aliquo vinculo obstricti essent.

XV. Cæterum circa tres posteriores articulos natandum, tria ibidem præscripta, ità commodè, & rectè ab Episcopis præstari posse, dummodò consensus Regis & Principum interveniat, præsertim in Gallia & hisce Provinciis, in quibus absque consensu Regis, nec legatum Pontificis, ut talem agnoscere, adire, excipere & comitari, nec regni finibus excedere, vel ad Synodum vel ad Pontificem licet proficisci. De quibus videri potest Franciscus Florens ad titulum: *de Concessione Pallii pag.* 231. & ab eo citati: & quæ infra *titulo de Nuntiis & Internuntiis Apostolicis* notata sunt.

* Observare non erit superfluum nonnullos articulos juramenti ab Episcopis in ordinatione præstandi, ita expressos esse, ut attento expressionis tenore, & spectatis Provinciarum inveteratis moribus, sat ambiguum sit, num Episcopi suo juramento quoad hos articulos, satisfacere possint. Optandum esset ut ob religionem juramenti, articuli clarioribus terminis, & Provinciarum juribus & consuetudinibus conformibus exprimerent, atque ita omnis æquivocatio & ambiguitas, quæ in juramentis solicitè vitanda est, evitaretur.

Etiam hîc meritò attendendum, hanc juramenti formam per Gregorium VII. demum fuisse propositam & exactam, qui primus inter Pontifices sibi attribuit plenam & universalem auctoritatem in temporalia, uti ex hujus Pontificis litteris ostendit Dominus Fleuri in sua Historia Ecclesiastica, *lib.* 63. *num.* 2.

XVI. De *liminum Apostolorum* visitatione mentio fit in Synodo Romana *sub Zachariæ Papa* an. 743. *can.* 4. ex qua desumptus est *can.* 4. *dist.* 93. apud Gratianum, uti rectè notârunt Correctores Romani.

In hoc Canone statuitur: „ Ut juxta sanctorum Patrum & „ Canonum statuta, omnes Episcopi, qui hujus *Apostolicæ Se-* „ *dis ordinationi subjacent*, qui propinqui sunt, annuè Idibus „ mensis Maji sanctorum Principum Apostolorum Petri, & Pau- „ li liminibus præsententur, omni occasione seposita: qui ve- „ rò de *longinquo*, juxta chirographum suum impleant. Nam, „ qui hujus constitutionis contemptor extiterit, præter si ægri- „ tudine valida fuerit detentus, sciat se Canonibus subjacere."

XVII. Duo nobis hic Canon aperit. Alterum, quòd Episcopi Liminibus Apostolorum se præsentare deberent, ut Synodo annuè juxta Canones celebrandæ interessent; atque *Liminibus Apostolorum se præsentare*, idem esset, quod Romam ad Synodum juxta Limina Apostolorum celebrandam convenire.

Alterum, obligationem se præsentandi liminibus Apostolorum solis Suffraganeis Romanæ Metropolis, sive qui ordinationi Sedis Apostolicæ subjacebant, fuisse impositam: nec tamen his omnibus, sed solis *propinquis*; remotiores enim, tametsi ad Romanam Metropolim spectantes, ipsi venire non tenebantur; sed satis erat, si chirographo suo, quæ in Synodo agebantur, confirmarent.

Itaque obligatio adeundi limina Apostolorum profluxisse videtur ex obligatione accedendi ad Synodos Metropolitanas; quod apertius indicat S. Leo, qui scribens ad Episcopos Siciliæ, Pontificis Romani ordinationi subjectos, ait: „ Illud pri- „ mitùs pro concordissimæ unitatis custodia exegimus, ut quia „ saluberrimè à sanctis Patribus constitutum est, binos in annis „ singulis Episcoporum debere esse conventus, terni semper ex „ vobis ad diem tertium Kalend. Octobr. Romam fraterno Con- „ cilio sociandi, indissimulanter occurrant."

Hîc ergo manifestum est, obligationem veniendi Romam, à S. Leone elici ex obligatione accedendi ad Synodos Provinciales.

Cùm verò juxta pristinam Ecclesiæ disciplinam, Episcopi ad ejus spectarent Synodum, à quo ordinationem acciperent, facilè intelligitur, cur Episcopi ordinationi Sedis Apostolicæ immediatè subjecti ad Limina Apostolorum accedere specialiter adstricti essent.

XVIII. Hinc ulterius intelligimus, quare hæc obligatio citiùs Metropolitanis, quàm Episcopis cæteris imposita sit; uti colligitur ex Epistola VI. Paschalis II. quia scilicet, Metropolitanorum ordinatio citiùs, quàm Episcoporum ad Sedem Apostolicam translata est; atque Metropolitani ab eadem Sede Pallium, & cum eo *plenitudinem* Sacerdotii accipere consueverant.

Quod intelligens antiquus Juris canonici Glossographus ad *cap.* 4. ⁂ *De Jure jurando*, verbo *singulis annis*, notavit, obligationem visitandi Limina Apostolorum, de qua in citato capitulo, intelligendam de *Archiepiscopis & Episcopis, qui subsunt Domino Papæ* NULLO MEDIO. Additur in margine ex Joanne Andræa: *Idem servatur in aliis, si confirmationem, consecrationem vel Pallium à Papa recipiunt.*

XIX. Translatâ ergo non tantùm Metropolitanorum, sed & Episcoporum confirmatione & consecratione ad Sedem Apostolicam, unà ipsa obligatio visitandi Limina Apostolorum, si-

bi accedendi ad Sedem Apostolicam cujus jam ordinationi omnes immediatè censentur subjicii, generaliter ad Episcopos, unà cum juramento extensa fuit.

XX. Cumque jam inter Episcopos huic obligationi subjectos essent nonnulli in Provinciis remotis, quibus singulis trienniis Limina Apostolorum visitare, esset non parum incommodum, Xistus V. varia temporum intervalla, pro varietate Provinciarum & Regnorum præfixit, quæ in Pontificali Romano expressa sunt; atque inter alia ait: „ Ad tempus sin- „ gulorum quadrienniorum tenentur Germani, Galli, Hispa- „ ni, Belgæ, Boëmi, Hungari, Angli, Scoti Iberni, & cæ- „ teri omnes qui in Europa sunt citra mare Germanicum & „ Balticum, atque omnium insularum maris Mediterranei."

XXI. Per *Limina Apostolorum* in formula juramenti relata *in citato cap.* 4. non intelligi Ecclesias SS. Petri & Pauli, nec mortua eorum corpora vel sepulchra, sed Papam, vel Sedem Apostolicam, apertè colligitur ex verbis quæ subjiciuntur: *nisi eorum absolvar licentiâ*: quæ necessario ita debent exponi, nisi absolvar per Papam, qui illis *Liminibus* præest, & illorum Apostolorum vice fungitur; uti post alios Canonistas notat Fagnanus ad *citatum capitulum* 4. Unde obligatio Episcoporum visitandi materiales illas Apostolorum Basilicas non tam ex juramento, quàm consuetudine atque posteriorum Pontificum decretis profluit; quod & Fagnanus ibidem notavit.

XXII. Porrò præcipuus scopus hujus visitationis, uti colligitur ex Bulla Xisti V. & hodierno stylo Curiæ Romanæ, est, ut Episcopi Sedem Apostolicam de statu Ecclesiæ suæ plenè informent; eumque sacræ Congregationi Cardinalium super Interpretatione Concilii Tridentini (quæ ad hoc specialiter deputata est) referat; quod & hodierna formula juramenti in verbis supra relatis exprimit.

Hic autem statûs duplex est, materialis & spiritualis. „ Materialis versatur circa loca Urbana, suburbana, ruralia, „ sylvestria. Item circa Cathedralem, Collegiatas, Parochiales „ & alias Ecclesias & Oratoria. Item circa Monasteria tam „ virorum, quàm mulierum, hospitalium, Montem pietatis, „ Collegia, Confraternitates, & alia pia loca, tam Civitatis, „ quàm Diœcesis, & circa earundem Ecclesiarum & locorum „ situm, Fabricam, ornatum, bona, redditus, sacram supel- „ lectilem, personarum ac ministrorum numerum & ordinem, „ & alia his similia. Et quoad hunc statutum materialem pra- „ xis est, ut unusquisque Episcopus in prima ejus visitatio- „ ne plenam exhibeat relationem; in sequentibus autem vi- „ sitationibus super hoc statu materiali simpliciter se referat ad „ relationem primo exhibitam, & tantùm adjiciat, si quid addi- „ tum, imminutum, immutatum fuerit, quod S. Congregationem „ scire expediat." Hæc Fagnanus ad dictum *cap.* 4. *num.* 73.

Status spiritualis, sive formalis, ut eum vocat Fagnanus, in quo præcipuè eniti debent, versatur circa pastorale officium, atque omnia, quæ ad ipsarum, quibus præsunt, Ecclesiarum regimen, & animarum salutem pertinet, de quibus S. Congregatio juxta præscriptum Xisti V. edoceri vult, scilicet. „ quæ in Ecclesiis eorum curæ, ac fidei commissis, Cle- „ ri, populique morum disciplina sit, quæ Concillii Triden- „ ni, cum in omnibus, tum præcipuè in residentiæ munere „ executio, quæ item piæ consuetudines & qui omnium de- „ nique in via Domini sint progressus." Sive ut in suo juramento ad præscriptum Pontificalis exprimit Episcopus: „ Ra- „ tionem reddam de toto meo Pastorali officio, de rebus om- „ nibus ad meæ Ecclesiæ statum, ad Cleri & populi discipli- „ nam, animarum denique, quæ meæ fidei traditæ sunt, sa- „ lutem quovis modo pertinentibus; & vicissim mandata Apos- „ tolica humiliter recipiam, & quàm diligentissimè exequar."

Et hæc quidem generalia sunt super quibus S. Congregatio informari debet, quæ pro accuratiore informatione ad specialia descendere solet, quemadmodum monet Fagnanus, qui & articulos illos ibidem annotat: De quibus si sincerè ac pro rei veritate Congregatio informetur, non dubium, quin frequenter perspectum esse debeat Sedi Apostolicæ, quantus sit in pluribus Ecclesiis super hisce defectus, cui per Sedem Apostolicam opportunis remediis merito occurratur.

XXIII. Formula Juramenti expressa in *cap.* 4. ⁂ *de Jure jurando*, tantùm obstringit jurantem, ut per se, vel per certum nuntium Limina Apostolorum visitet; at formula in Pontificali expressa obligat, personaliter per seipsum visitare, nec nisi legitimo impedimento detentum per alium, atque hoc casu, uti habent verba juramenti: „ per certum nuntium ad hoc „ speciale mandatum habentem, de gremio mei Capituli, aut „ alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu aliàs per- „ sonatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per Diœ- „ cesanum Sacerdotem; & Clero deficiente omninò per ali- „ quem alium Presbyterum secularem vel regularem spectatæ „ probitatis & religionis de supradictis omnibus plenè instruc- „ tum. De hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas „ probationes, ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem propo- „ nen-

„ nentem in Congregatione Sacri Concilii per supradictum „ nuntium transmittendas.“

XXIV. Moderna Belgii vicinarumque Provinciarum constans, ac uniformis praxis habet: ut visitatio per nuntium fiat, quasi ob itineris longitudinem, molestias & expensas, atque diuturniorem à Diœcesi absentiam, legitimum ac continuum impedimentum subsit, neque ulli Episcopo hinc difficultatem moveri hactenus intelleximus; in Gallia verò hic articulus non observatur, ait D. Fleuri in Instit. Juris Canonici *parte* 1. *cap.* 11.

XXV. Præter septem articulos in formula Juramenti Gregoriani, prout refertur in dicto *cap.* 4. contentos, addit insuper formula Pontificalis moderna: „ Regulas sanctorum Pa„ trum, Decreta, ordinationes, seu dispositiones, reserva„ tiones, provisiones & mandata Apostolica, totis viribus ob„ servabo, & faciam ab aliis observari.

„ Hæc clausula (inquit Vir Eruditus Franciscus Florens ad „ titulum de *concessione Pallii pag.* 230.) latissime patet, nec „ eam usus noster admittit in plerisque. Ideoque omissa est „ in formula Gregorii XV.“

Formula Gregorii XV. cujus hic meminit Florens, est illa, quam novum Archiepiscopum Parisiensem eidem Pontifici præstitisse testatur Florens, extatque apud Andream Du Saussai, libro *de mysticis Galliæ scriptoribus.* (u)

Quod de Gallia asserit Florens, id quoque de Belgio affirmari posse non dubium. Nihil enim certius, quàm provisiones, reservationes, ac mandata Apostolica non generaliter & indistinctè, sed cum certis limitationibus, juxta jura, ac receptas Provinciarum, atque Ecclesiarum consuetudines hîc admitti; credendumque nec eorum observantiam aliter jurari velle Pontifices, videturque usus ac communis intellectus, in hunc sensum juramentum exposuisse, non tantùm quoad hunc articulum, sed etiam reliquos; ut scilicet contenta in illis articulis intelligantur, prout Provinciarum jura, ac consuetudines illa observari permittunt.

XXVI. Denique additur in formula Pontificalis: „ Pos„ sessiones verò ad mensam meam pertinentes non vendam, „ nec donabo, neque impignorabo; nec de novo infeudabo, „ vel aliquo modo alineabo, etiam cum consensu Capituli Ec„ clesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam „ alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita „ Constitutione contentas, eo ipso incurrere volo.“

XXVII. Juramenti ad Episcopis præstandi de non alienandis rebus ad suam mensam spectantibus fit mentio in *cap.* 8. *de Rebus Ecclesiæ non alien.* illudque vel Pontifici, vel Metropolitano præstandum erat. „ Nam (ut ait Glossa ibidem, „ verbo *Sacramento*) quilibet Episcopus, qui immediatè Do„ mino Papæ subest, jurat ei fidelitatem, quòd non alienabit „ bona Ecclesiæ, nec infeudabit, & idem juramentum præs„ tant alii Episcopi suis Metropolitanis.“

Hîc nota, tempore Glossographi hujus, id est, seculo XIV. nondum omnes Episcopos præstitisse hoc juramentum fidelitatis Romano Pontifici, sed tantùm immediatè Pontifici, subjectos; reliquos verò illud idem præstitisse suis Metropolitanis, sive Episcopos, uti ante diximus, juramentum præstitisse illi à quo ordinationem, sive confirmationem accipiebant. Et etiamnum hodie extat in Pontificali Romano ordo consecrationis, quo à Metropolitano electus ordinari solebat; ubi idem penè per omnia juramentum, quod hodie Pontifici præstatur, præstandum præscribitur Metropolitano. Habetur in Pontificali sub titulo: *De scrutinio quo Antiqui utebantur antequam* ELECTUS *in* EPISCOPUM *consecraretur.* Plura de hoc juramento dicentur infrà titulo *De Metropolitanis.*

XXVIII. Notandum quoque hujus clausulæ *de non alienandis rebus* Ecclesiæ, nullam in formula Gregorii VII. prout vel in Concilio Romano, vel Decretalibus exhibetur, fieri mentionem; unde post tempora Gregorii VII. insertam fuisse rectè observat Franciscus Florens *loco citato pag.* 231. quemadmodum plura alia successu temporis addita fuisse, ex dictis facilè intelligi potest; & utramque formulam inter se conferenti ad oculum patebit.

CAPUT III.

De moderno ritu Consecrationis.

1 *Electus præsentatur Consecratori.*
2 *Olim interrogabat Metropolitanus, num præsentantes scirent electum esse dignum: quod etiam tempore Innocentii III. in usu fuit.*
* *Inquiritur utrum ante Innocentium III. ritus iste ceperit usurpari.*
3 *Olim solebat fieri præsentatio electi pridiè ante consecrationem per Archipresbyterum vel Archidiaconum Ecclesiæ vacantis.*
4 *Hodie consecrator tantùm petit à præsentantibus electum, an habeant* mandatum Apostolicum; *& quæ hujus ratio.*
5 *De examine electi faciendo ante consecrationem.*
* *Formula examinis istius antiqua non est. Profesio fidei ab electo Episcopo emittenda.*
6 *In quo hæc examinandi ratio differat à pristina Patribus usitata.*
7 *Consecrator electo exponit, quid Episcopum facere oporteat.*
8 *Liber Evangeliorum cervicibus & scapulis electi imponitur, & Consecrator cum Episcopis assistentibus manus capiti consecrandi imponit.*
9 *Manuum impositio ritus est antiquissimus, semper in Ecclesia tam Latina quàm Græca observatus.*
10 *Impositio libri Evangeliorum etiam est antiquissima, non tamen universaliter ubique eodem tempore recepta.*
11 *Hæc verba,* Accipe Spiritum sanctum, *recitari in ipsa manuum impositione recens est cæremonia, non tamen frustrâ dicuntur.*
12 *Oratio Consecrationis pro Consecrato.*
13 *De unctione capitis & manuum Consecrati.*
* *Hujus unctionis ætas quæritur.*
14 *Benedictio & traditio Baculi Pastoralis, & hujus cæremoniæ antiquitas.*
15 *Cur in ordinatione Romani Pontificis, hæc ceremonia omittatur, & an olim non fuerit adhibita.*
16 *Impositio annuli & ejus antiquitas.*
17 *Traditio libri Evangeliorum ipsi Consecrato est recens cæremonia.*
18 *Consecratus offert panem & vinum, quòd antiquitus etiam à populo fiebat.*
19 *Consecratus cum Consecratore stando Missam peragit, & de eadem Hostia, & de eodem Calice communicant.*
20 *Hic ritus olim in Ecclesia Latina, & hodie etiam in Ecclesia Græca est usitatus & ordinarius.*
21 *Impositio Mitræ, & quando ejus usus inceperit.*
22 *De Chirothecis Pontificalibus.*

I. RItu hodierno, Electus sive Nominatus medius inter duos Episcopos ducitur ad Metropolitanum sive Consecratorem, & senior assistentium eum Consecratori præsentat consecrandum sub hac formula verborum: *Reverendissime Pater, postulat sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hunc præsentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis.*

II. Tempore electionis petebat Metropolitanus: *Scitis illum esse indignum?* Respondebat Episcopus: *Quantum humana fragilitas nosse sinit*, & *scimus & credimus illum dignum esse.*

Hancque formulam in usu fuisse tempore Innocentii III. patet ex ejus responso relato in *Cap. Unic.* ✠ *de scrutinio in Ordine faciendo*; ubi interrogatus, an Episcopus assistens hoc responsum dare queat, dum Electi conversatio minùs sibi cognita, aut penitùs ignota est, respondit: „ In tali responsione „ aliquem peccare non credimus, dummodo contra scientiam „ non loquatur: quia non simpliciter illum asserit dignum, sed „ *in quantum humana fragilitas nosse sinit*; cùm illum, quem „ indignum esse non novit, dignum debeat æstimare. Hujusmodi „ ergo responsione securè uti poteris, nisi fortè de indignitate „ tibi constiterit consecrandi.“

Ad hanc responsionem reflectens antiquus Glossographus ait: „ Mirabilis est responsio ista: potiùs enim dicere deberet, *se* „ *nullam habere scientiam* de ejus dignitate vel indignitate.“ Deinde respondet: „ Ex eo, quòd videt illum electum à bo„ nis, quamdam videtur habere notitiam de dignitate ipsius, & „ de tali respondet, quia audivit ab illis.

Hoc responsum Glossæ attendens Panormitanus, ait: præsumitur hoc in casu dignus, quia præsumptio est pro ejus dignitate; eò quòd per alios est præsentatus ut bonus, ad hoc est electus ut bonus & confirmatus; sicut in illo, qui petit consecrari; & tunc præsumitur accidentalis bonitas. Hæc quidem vera sunt, quando ipsi testanti constat, in electione aut confirmatione consecrandi ita fuisse inquisitum in idoneitatem consecrandi, ut reverà notitiam illius habere censeatur; ideoque de illa testari possit: alioquin, uti rectè monet Joannes Andreas: *Quomodò testificatur de eo, quod non novit?*

* Quandonam hæc formula interrogationis & responsionis invaluerint, incertum est.

Constat eam tempore Innocentio III. fuisse usitatam, uti & antecedenter notatum est, sed pristinis seculis in usu fuisse non legitur. Occurrit quidem in libro Diurno Romano *cap.* 3. *de Ordinatione Episcopi Suburbicarii, tit.* 3.

Verùm hæc alia non erat, quàm *Precatoria*, quam Diaconus Ecclesiæ viduatæ missus unà cum electo Episcopo, nomine Cleri & plebis Ecclesiæ viduatæ secum ferebat, & coram Episcopo Romano, adstante electo, prælegebat, deprecans elec-

(u) *Gregorius XV. ille est, qui, postulante Ludovico XIII. Sedem Parisiorum Episcopalem ad Archiepiscopatûs Dignitatem evexit die* 20. *Octob.* 1622.

electum in Episcopum ordinari, uti in notis latiùs exponit Garnerius: observatque, hujus Decretalis meminisse Alcuinum *de Officiis divinis*, dum ait: „ Cùm Episcopus civitatis fuerit de„ functus, eligitur alius à Clero seu populo; fitque Decretum „ ab illis, & veniunt ad Apostolicum cum suo electo, deferen„ tes secum suggestiones, seu rogatorias litteras, ut eis conse„ crent Episcopum."

Nulla tamen ibidem hujus interrogationis, aut responsionis fit mentio: sed neque in *Ordine Romano*, qui hoc libro Diurno recentior est (uti notat Garnerius) quidquam de hac interrogatione, aut responsione occurrit.

Itaque dubitari nequit, quin recentioris ætatis sic hic ritus; qui nec hodie in usu est, uti supra notatum est.

III. Solebat insuper, die præcedente ipsam consecrationem fieri alia præsentatio ipsius Electi per Archipresbyterum vel Archidiaconum Ecclesiæ, cui Electus erat præficiendus, qui Electum medium inter duos Canonicos ejusdem Ecclesiæ Metropolitano præsentabat, qui Metropolitano interroganti: *Fili mi, quid petis?* Respondebat: *Ut Deus & Dominus noster concedat nobis Pastorem.* Rursus eum interrogabat Metropolitanus: *Quid vobis complacuit in illo?* Respondebat præsentans: *Modestia, humilitas, patientia & cæteræ virtutes.* Ulterius Metropolitanus: *Habetis decretum?* Respondebat: *habemus.* Tunc legebatur Decretum, quo declarabatur, Canonicos præsentem Presbyterum in suum Episcopum elegisse, eumque in Pontificem ordinari postulare: quæ latius referuntur in Pontificali Romano sub tit. *de Scrutinio Serotino.*

IV. Hodie omnibus hisce interrogationibus & responsionibus ommissis, Consecrator postulationi Episcopi offerentis hoc unum reponit: *Habetis mandatum Apostolicum.*

Respondente Episcopo Assistente, *habemus*, jubetur legi mandatum, quo auctoritate Sedis Apostolicæ consecrandi potestas committitur.

Cum ergo Consecratio fiat auctoritate Sedis Apostolicæ, sivè ex ejus delegatione, mirum non est, si Consecrator ex præscripto Pontificalis Romani, non interroget Episcopos Assistentes & Electum consecrari postulantes, *num sciant eum esse dignum*; quia, uti refertur in citato responso Innocentii III. Pontifex non in ordinatione Pontificis, sed in ordinatione Diaconi vel Presbyteri id interrogare etiam eo tempore solebat.

V. Lecto mandato Apostolico, necnon præstito per Electum juramento, de quo capite præcedenti, incipit Consecrator Electum examinare; quod antiquam Patrum institutionem docere asserit, tum ut observetur illud Apostoli: *Manus nemini citò imposueris*: tum, ut etiam is, qui ordinandus est, eruditur, qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conversari in Ecclesia Dei.

Extat formula examinis, modernæ planè similis, in antiquo Ordine Romano; in qua tamen post articulum de obedientia ac subjectione Romano Pontifici exhibendâ, subjicitur articulus, quo similis fides & subjectio Metropolitano, ejusque Successoribus promittebatur à Consecrando.

* Formula examinis instituendi in ipsa Ordinatione per Metropolitanum Ordinantem, & responsionis Ordinandi ad singulos articulos sibi à Metropolitano propositos, recentioris apparet instituti, quandoquidem in libro Diurno Romano per Garnerium evulgato, nulla hujus examinis memoria occurrat, sed præscribitur *cap.* 3. *tit.* 6. formula *Professionis fidei* ab Ordinando emittenda.

Hujus verò professionis fidei non meminit *Ordo Romanus*, qui cum aliis libris de *Divinis Officiis* editus est, sed vice professionis fidei, exhibet interrogationem ab ordinante Pontifice faciendam, non absimilem illi, quæ in hodierno Pontificali exhibetur.

Ex quo sine fundamento concludit Garnerius hunc ordinem Romanum esse libro Diurno posteriorem. Professioni enim, ait, interrogatio successit.

Similem fidei professionem jam pridem emississe electum in Episcopum Romanum, testis est Joannes Diaconus in vita sancti Gregorii, quam *Symbolum* vocat.

Recentiorem professionis formulam exhibet Garnerius in citato libro Diurno *cap.* 2. *tit.* 9. vocaturque *Indiculum.* Credit autem Garnerius eam referendam ad ætatem Cononis aut Sergii Pontificum.

Ex contextu autem hujus Professionis sive *Indiculi* patet electum in Pontificem Romanum, simplicem, nullo interposito juramento, fidei professionem fecisse; quod & notavit Garnerius, unà observans in notis ad citatum titulum 9. verbo *Electus*, „ Nempe profitebatur (ait) orthodoxam fidem, velut „ unus fidelium, antequam in Cathedra Petri docturus Eccle„ siam sederet." Additque: „ Professio hæc videtur fuisse to„ tius ceremoniæ initium."

Intelligitur insuper ex hac professionis formula, electum in Romanum Pontificem professum fidem suam & „ tam de Sanctæ „ & Individuæ Trinitatis, quæ unus est Deus, quàm de dis„ pensatione quæ secundum carnem facta est, Unigeniti Filii „ Dei Domini nostri Jesu Christi, & de Ecclesiæ dogmatibus, „ sicut in Universalibus Conciliis, & Constitutis Apostolico„ rum Pontificum, probatorum, atque Doctorum Ecclesiæ „ scriptis sunt commendata."

Ad hunc ordinem expressionis in hac fidei professione observatum, reflectendum monet Garnerius in notis, verbo *Universalibus Conciliis.* „ Adverte (ait) ordinem regularum fidei „ à summis Pontificibus coram Ecclesia constitutum.

Deinde monet ibidem Garnerius verbo *nihil de traditione*, hujus professionis fidei, quæ prima in libro Diurno ponitur, meminisse, & ejus partem referre Ivonem Carnotensem *part.* 4. *cap.* 132. *sui Decreti*; & in Epistola 57. ad Abbatem Majoris Monasterii: atque hinc concluditur, etiam ætate Ivonis, id est, circa annum 1115. summos Pontifices eam fidei Professionem emisisse.

Ex quo concluditur ad eam usque ætatem Romanos Pontifices in ordinem regularum fidei coram Ecclesia in sua ordinatione Universalibus Conciliis primum locum dedisse, atque constitutis Apostolicorum Pontificum præposuisse.

Neque sanè fundamento caret hoc examen, quod hodie in ordinatione instituitur, & merè rituale est, & hodie inter ritus ordinationis refertur successisse pristinæ professioni fidei quam Episcopus etiam Romanus in sua ordinatione emittebat.

Professio enim hæc eosdem penè fidei articulos continebat, qui in hodierno rituali ordinando proponuntur.

VI. Indubitatum est, semper Ecclesiam valdè solicitè inculcâsse, ut ante ordinationem Episcoporum serium, atque exactum de fide, & moribus Ordinatorum examen institueretur; adeoque ritus hic, in quantum prævium illud examen repræsentat, ex Patrum Traditione descendere rectè dicitur: at illud dolendum, quòd quæ à Patribus seriò fiebant, ut exactam notitiam ipsius ordinandi consequerentur, hodie tanquam meram, ac nudam cæremoniam, juxta formulam præscriptis verbis expressam adhiberi & proponi; neque ad aliud in Pontificali conservari videantur, quàm ut omnibus, quibus Episcopos promovendi officium incumbit, in memoriam revocetur, quàm enixè semper voluerit Ecclesia, ut de persona promovenda exactum, atque serium examen institueretur; ne alias, manus cito imponentes, alienis peccatis communicent.

VII. Examine peracto, Consecrator versus ad Electum dicit: *Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare.*

VIII. Tum precibus aliquibus cum Litaniis recitatis, Consecrator, accepto libro Evangeliorum, illum apertum, adjuvantibus Episcopis Assistentibus, nihil dicens, imponit super cervices, & scapulas Electi: quem unus ex Capellanis Electi, post ipsum genuflexus, quousque liber ipse eidem Electo in manus tradendus sit, continuè sustinet. Deinde Consecrator, & Assistentes Episcopi, ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes, *Accipe Spiritum Sanctum.*

IX. Ritum hunc, in quantum *manum impositionem* continet, à Judæis ac Synagoga in Ecclesiam traductum, atque ab Apostolis observatum, & per eorum Successores ad nos transmissum fuisse, ostendit Guillelmus Beveregius *ad Canonem I. Apostolorum*; notatque Morinus *de sacris Ordinationibus parte 2. exercit.* 1. *cap.* 1. tam Græcos, quàm Latinos Libros Rituales veteres & recentiores in consecratione Episcopi præscribere *manuum Episcoporum impositionem*; imò SS. Patres, cùm Episcopatus causam allegant, ad manuum impositionem confugere, semperque dicere, per manuum impositionem aliquem Episcopatus gratiam consecutum, vel ordinatum, vel factum Episcopum.

X. Nec tantùm ritus hic, quoad manuum impositionem est antiquissimus, sed etiam quoad ipsam Evangelii impositionem Patribus usitatus fuit: „ eamque omnes Rituales antiqui & re„ centes Latini, Græci, Syri commemorant: quam S. Cle„ mens, S. Dionysius, Concilium Carthaginense IV. referunt „ & explicant; quam denique laudat S. Chrysostomus in ora„ tione qua probat, unum esse Novi & Veteris Testamenti Le„ gislatorem," inquit Morinus loco citato *num.* 3. qui tamen ibidem *num.* 5. observat, quòd antiquissima hæc cæremonia non fuerit universaliter ab omnibus Ecclesiis accepta; quod ibi latiùs prosequitur; asseritque, plures Ecclesias in Gallia & Germania hanc cæremoniam olim non observâsse; imo, nec forsan primis temporibus Romanam Ecclesiam.

XI. Quoad illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, quæ Consecrator, & Episcopi Assistentes in ipsa manuum impositione pronuntiant, recens est cæremonia, solisque Latinis, (si Morino credimus) nota: „ Nulli enim, ait, Ritualis Latini an„ tiqui hæc habent verba; nusquam comparent; etiam in re„ centioribus multis nulla eorum mentio. Antiqui Scholastici, „ Hugo de S. Victore, Alexander Alensis, Guillelmus Alti„ sidor. S. Bonaventura, S. Thomas; licèt quæ ad Ordines „ spectant, diligenter & minutè persequantur, eorum non me„ minerunt. Apud Latinos cœpta sunt usurpari vix ab annis „ quadringentis. Apud Græcos autem & Syros nec est, nec un-

„ quam

„ quam fuit illorum usus. Itaque nulla ratione dici possunt ad „ Ordinis substantiam pertinere.“ Qui deindè ostendit, quòd nihilominus rectè pronuntiaverit Synodus Tridentina. *Sess.* 23. *can.* 4. *de Ordine.* „ Si quis dixerit, per sacram Ordinationem „ non dari Spiritum Sanctum; ac proinde frustra Episcopos di- „ cere: *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. anathema sit.

„ Catholicis quippe certum est, ait Morinus, Ordinationis „ ritu, obicem non ponentibus Spiritum Sanctum dari, & gra- „ tiam produci. Præterea ab antiquissimis temporibus, tam apud „ Latinos, quàm apud Græcos, non modo in Ordinatione „ Episcopi, sed etiam Presbyteri & Diaconi, invocatur Spiri- „ tus Sanctus. Invocationem illam nobis repræsentant Rituales „ omnes, Latini, Græci, Syri, antiqui & recentiores in hunc „ usque diem.“

XII. Prædictâ cæremoniâ expletâ, Consecrator recitat præfationem, in qua Deum precatur, ut dignetur Electo dare virtutes, quas vestes summi Sacerdotis veteris Testamenti figurabant: „ illius namque, ait, Sacerdotii anterioris habitus, nos- „ træ mentis ornatus est, & Pontificalem gloriam non jam nobis „ honor commendat vestium, sed splendor animarum. Quia & „ illa, quæ carnalibus *blandiebantur obtutibus*, *ea potius*, *quæ* „ *in ipsis erant intelligenda*, poscebant.“

XIII. Interea verò Choro decantante hymnum: *Veni sancte Spiritus*, chrismate ungit caput Electi dicens: *Ungatur*, *& consecretur caput tuum cælesti benedictione*, *in Ordine Pontificali.*

Unctionem hanc apud Latinos antiquissimam esse contendit Morinus *de SS. Ordinat. parte* 3. *exercit.* 6. *cap.* 2. in aliquibus tamen Ecclesiis citiùs, in aliis seriùs adhibitam fuisse probat; ipsamque Episcopalem unctionem in Ecclesia Romana antiquiorem esse Presbyterali.

Expletâ unctione, Consecrator resumit præfationem, precaturque, ut Deus virtutum & gratiarum abundantiam per hanc materialem unctionem designatam, Electo infundere dignetur: *Hoc Domine*, ait, *copiosè in caput ejus influat*; *hoc in oris subjecta decurrat*; *hoc in totius corporis extrema descendat*, *ut tui Spiritus virtus*, *& interiora ejus repleat*, *& exteriora circumtegat.*

Finitâ præfatione Chorus canit *Psalm.* 132. qui loquitur de unctione Aaron; atque interea Consecrator ungit chrismate manus Electi, precaturque, ut ipse Deus eum *Chrismate & mysticæ delibutionis liquore perfundat*, *& spiritualis benedictionis ubertate fœcundet*: *Quidquid benedixerit*, *benedicatur*; *& quidquid santificaverit*, *sanctificetur*; *& consecratæ manus istius*, *vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem.*

* Ritum unctionis Episcoporum latiùs exponit Innocentius III. *in cap. unico*, *de sacra unctione*, eumque procedere ex institutione Apostolica probare contendit auctoritate Decreti, quod sub nomine Anacleti Papæ legerat apud Gratianum; *Dist.* 76. *Can. Ordinationes Episcoporum*, desumptum ex epistolâ secundâ Decretali huic Pontifici adscriptâ: sed hanc & duas reliquas Epistolas Decretales extantes sub nomine hujus Pontificis esse putidas Pseudo-Isidori merces nôrunt eruditi: notatque Philippus Labbæus in nota marginali ad primam harum epistolarum: „ has epistolas non ausus est Bellarminus indubita- „ tas affirmare, nec negat in eas aliquos errores irrepsisse; eru- „ ditis verò Catholicis videntur suppositæ.“

Sed & hoc scitur ab Innocentio III. atque à plerisque Auctoribus illius ætatis pro indubitato, & authentico reputatum fuisse; quidquid apud Gratianum legebatur.

Et hinc contigit plurima ab Innocentio III. & subsequentibus Pontificibus, & Auctoribus adscribi instituto Apostolico, & reputari tanquam ex *traditione Apostolica* descendentia, quæ demum mediis Ecclesiæ seculis statuta sunt vel sensim post receptas has falsas Decretales, & editum Decretum Gratiani inducta & recepta fuerunt.

XIV. Post hæc benedicit Baculum Pastoralem, eumque tradit Consecrato dicens: *Accipe Baculum Pastoralis Officii*; *ut sis in corrigendis vitiis piè sæviens*, *judicium sine ira tenens*, *in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens*, *in tranquillitate severitatis censuram non deserens.*

Baculi hujus Pastoralis, qui communiter dicitur *pedum*, meminit quoque antiquus Ordo Romanus; quin Concilium Toletanum IV. an 633. *can.* 28. inter ornamenta Episcopalia *Baculum* numerat.

Apud Græcos, quemadmodum observat Jacobus Goar *in notis ad Rituale Græcorum pag.* 313. *edit. Parisiensis* an. 1647. „ à cunctis, tum Pontificibus, tum monasteriorum Præfectis, „ manibus fertur; illoque utpote breviori, & minus pretiosâ „ materiâ conspicuo (rarò nàmque argenteus est, sæpius autem „ ebore & ebeno solum variegatur) per viam gradientes se sus- „ tentant: illoque ut potestatis in inferiores exercendæ symbolo, „ ab Imperatoribus quondam donari solitos Patriarchas, & alios „ præcipuos animarum Præfectos, scribit Codinus *c.* 20. Pa- „ triarcham quidem his verbis: *Patriarcha deinde in suggestum* „ *conscendens*, *è manu Imperatoris pedum Pastorale accipit.*“

XV. Non immeritò ergo notavit Morinus citatâ exercitatione 2. *cap.* 2. *n.* 5. hanc cæremoniam esse admodum antiquam.

Illud tamen notandum, quòd Romanus Pontifex *non utatur Baculo Pastorali*, *tum propter historiam*, *tum propter mysticam rationem*, ait Innocentius III. in *cap. Unico*, ✠ *de Sacra Unctione.*

Pontificem hîc citare acta S. Martialis Lemovicensis, atque alludere ad historiam in illis relatam rectè monet Baronius ad diem 30. Junii; quam historiam Glossa recitat his verbis: „Mar- „ tialis unus de discipulis Petri, quem posuit Dominus inter dis- „ cipulos cùm dixit: Nisi efficiamini sicut parvulus iste, non „ intrabitis in Regnum Cœlorum, &c. quem postea Petrus „ cum alio, scilicet Materno, ad prædicandum missit in Ger- „ maniam, qui cùm iret, mortuus est, & rediit collega ad Pe- „ trum: & Petrus ait: *Accipe baculum*, & tangens eum dic, „ ut in Nomine Domini surgat, & prædicet, & ivit. Et 40. „ die à tempore mortis tetigit eum & resurrexit, & prædicavit, „ & ita Petrus removit à se baculum, & dedit subditis.“

Verùm adverterunt eruditi, hæc acta Martialis, quæ tanquam ab Aureliano ejus immediato successore scripta circumferuntur, non obscura præferre suppositionis & falsitatis indicia. Et quidem per crasam inscitiam auctor dicit, Vespasianum successisse immediatè Neroni. Asserit insuper, Martialem parem cum Apostolis à Christo post resurrectionem accepisse potestatem; eum nunquam esuriisse, vel sitivisse, aut aliquo dolore laborâsse, & alia plura narrantur, quæ non minus fabulosa sunt, quàm quæ in Synodo Lemovicensi anno 1031. celebrata pro asserendo S. Martialis Apostolatu, narrantur. Cujus consequenter auctoritas reputanda sit historia, quæ unicè innititur fidei hujusmodi actorum, intelligi potest.

Mysticas rationes plures allegant Glossa, Joannes Andreas, aliique relati ad citatum *Cap. Unicum*, verbo *Mysticam rationem*; quæ, an sat sint convenientes, meritò Lector expendet: illud interim constat, Romanos Pontifices olim etiam usos fuisse virga Pastorali.

Luitprandus enim loquens de exauctoratione Benedicti V. Pontificis in quodam Romano Conciliabulo facta an. 964. inter alia dicit: „ Post hæc Pallium sibi abstulit (Benedictus) quòd „ simul cum *Pontificali Ferula*, quam manu gestabat, Domino „ Papæ Leoni reddidit, quam Ferulam idem Papa fregit, & „ fractam populo ostendit.“ Habetur tomo 9. Conciliorum Generalium *col.* 659. Eadem habet Auctor Appendicis ad Reginonem an. 964. Et Cencius Camerarius in Cæremoniali *de Inauguratione Cælestini III. Papæ*: „ Idem electus sedet ad dex- „ tram in sede Prophyretica, ubi Prior Basilicæ S. Laurentii „ dat ei *Ferulam*, quæ est signum regiminis & correctionis.“

XVI. Post traditum Baculum Pastoralem, Consecrator benedicit *annulum*; eumque in digitum annularem dexteræ manus Consecrati immittit, dicens: *Accippe annulum*, *fidei scilicet signaculum*; *quatenus Sponsam* DEI, *Sanctam videlicet Ecclesiam*, *intemerata fide ornatus illibatè custodias.*

Meminit quoque *annuli* tanquam ornamenti Pontificalis vetus Ordo Romanus, ubi & tres verborum formulæ, per quas annullus tradi possit, referuntur; quarum sola tertia hodiernæ formulæ conformis est.

Et ante annos mille jam citatum Concil. Toletanum IV. *Canon* 28. ornamentis Episcopalibus annumeravit annulum: ut proinde etiam hanc cæremoniam jure meritò admodum antiquam dicat Morinus *loco suprà citato.* Attamen quia apud Alcuinum, Amalarium, & Rabanum de annulo summum est silentium, argumentum est sat plausibile, seriùs in Gallia & Germania fuisse notam, quemadmodum Græcos Episcopos *annuli* usum ignorare, testatur Jacobus Goar *loco citato.*

XVII. Imposito annulo, Consecrator accipit Librum Evangeliorum de scapulis Consecrati; & adjuvantibus ipsum Episcopis assistentibus, tradit eum clausum Consecrato, tangenti illum sine apertione manuum, dicens: *Accipe Evangelium*, *& vade*, *prædica populo tibi commisso*; *potens est enim Deus*, *ut augeat tibi gratiam suam.*

Huic traditioni vim consecrationis nonnulli Scholasticorum dare voluere, at eos refutat Morinus, observans: „ Quòd tra- „ ditio illa res sit nupera; quam ait, nulli Rituales ante quin- „ gentos annos scripti, nulli Auctores ante idem tempus com- „ memorant, licèt nonnullis, ut Isidoro, Alcuino, Amala- „ rio, & aliis commemorationis causa non defuisset. Nec etiam „ illa ætate invenies Auctorem aut Ritualem qui de Ordi- „ nationibus sacris agentes, istius cæremoniæ meminerit.“

Deinde judiciosè reflectit Morinus, quòd & in traditione Baculi Pastoralis, annuli & Evangelii semper Episcopus dicatur *Consecratus*, ante autem semper, *Electus.* Indicium minimè obscurum, quòd etiam Liber Pontificalis, ante hanc traditionem, eum habeat pro *Consecrato*; adeoque & traditiones illas ut meras cæremonias Consecrato Episcopo accedentes.

XVIII. His antea dictis peractis, Consecrator pergit in Missa usque ad Offertorium inclusivè. Dicto Offertorio, sistit se Consecratus medius inter Episcopos Assistentes coram Con-

secratore; eique offert duo intorticia accensa, duos panes, & duo barilia vino plena; idque juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam, cujus hîc memoria conservatur. Ipse enim Ordo Romanus circa seculum IX. aut X. compositus, ritum offerendi describens, ait: „Populus dat oblationes, id est, *panem* „ *& vinum*, & offerunt cum fanonibus (x) candidis primo mas„culi, deinde fœminæ." Sed de his plura infrà parte 2. Titulo de Oblationibus.

XIX. Post hæc Consecratus ad posterius cornu Epistolæ altaris accedit, & ibi stans medius inter duos Episcopos Assistentes, ante se habens Missale suum, simul cum Consecratore dicit & facit omnia prout in Missali. Deindè cùm ad Communionem ventum est, Corporis Christi communionem accipit à Consecratore reverenter inclinatus, non genuflexus. Unam autem hostiam ambo, id est, Consecrator & Consecratus consecrant, & de ea participant. Similiter Consecrans postquam Sacri Sanguinis partem cum hostiæ particula intincta, sumpsit, reliquum Sanguinis Cansecrato tradit.

XX. Hæc rursus si cum moderno Ecclesiæ Latinæ ritu conferantur, planè extraordinaria apparebunt; at si comparentur cum ritu, qui ante quingentos aut sexcentos annos viguit in Ecclesia Latina, & adhuc hodie viget in Ecclesia Græca, apparebit nihil hîc extraordinarii fuisse statutum, sed hîc conservatum esse veteris ritus monumentum.

Nihil enim olim tum in Ecclesia Latina, ac etiamnum hodie in Ecclesia Græca usitatius ac frequentius, quàm plurium Presbyterorum, aut Episcoporum cum uno principaliter celebrante concelebratio; idque eodem penè per omnia ritu, qui hodie in Episcopi consecratione superest, quemadmodum latè probat & describit Morinus *SS. Ordin. part. 3. exercit. 8. cap. 1.* eumque tempore Innocentii III. id est, sub initium seculi XIII. nondum abolitum fuisse advertit, licèt tunc abolescere cœpit; ejusque abolitioni multum subservisse Theologiam Scholasticam, quæ sub id tempus præcipuè emersit; eo quòd mos ille, sive ritus fuerit Doctoribus Scholasticis innumerarum difficultatum seges amplissima.

XXI. Finitâ Missâ Consecrator benedicit *Mitram*, eamque adjuvantibus ipsum Assistentibus Episcopis capiti Consecrati imponit, dicens: *Imponimus, Domine, capiti hujus Antistitis & agonistæ tui galeam munitionis & salutis; quatenus, decorata facie, & armato capite cornibus utriusque Testamenti terribilis appareat adversariis veritatis, & te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus existat: qui Moysi famuli tui faciem ex tui sermonis consortio decoratam ludicissimis tuæ claritatis ac veritatis cornibus insignisti, & capitis Aaron Pontificis tui tiaram imponi jusisti.*

Vir eruditus Hugo Menardus in *notis ad Librum Sacramentarium S. Gregorii, pag.* 562. de Mitræ usu loquens ait: „Cujus in Sacramentariis nostris manuscriptis, in Ordinibus „Romano & Tiliano, in Pontificali manuscripto, quod ser„vatur in Sacristia Ecclesiæ Rothomagensis & putatur esse „Rehemense in Missa ab Illyrico edita, apud Alcuinum, Ama„larium, Rabanum, & alios antiquos Scriptores qui de Of„ficiis Divinis tractavêre, & ornamenta Pontificalia recensent, „mirum est silentium; ita ut existimem, vix ante annum „post Christum natum *millesimum* mitræ usum in Ecclesia „fuisse."

A mitra sive Pontificio pileo capiti imponendo (ait Jacobus Goat in *notis ad Rituale Græcorum pag.* 314.) hucusque vulgò Græci abstinuerunt: cujus rationes prolixè ibidem proponit Goartius.

XXII. Post hæc, ex præscripto Pontificalis sequitur benedictio chirothecarum, quas adjuvantibus Episcopis Assistentibus, Consecrator imponit manibus Consecrati, dicens: *Circumda, Domine, manus hujus Ministri tui munditiâ novi hominis qui de cœlo descendit: ut quemadmodum Jacob dilectus tuus pelliculis hædorum opertis manibus, paternam benedictionem oblato Patri cibo potuque gratissimo impetravit; sic & iste oblatâ per manus suas hostia salutari, gratiæ tuæ benedictionem impetrare mereatur.*

Chirothecarum usum Apostolicæ traditionis esse asserit Honorius Augustodunensis in *Gemma animæ lib. 1. cap.* 215. ubi ait: *Chirothecarum usus ab Apostolis est traditus.* Sed (ait Cardinalis Bona *lib. 1. rerum Liturg. cap.* 24. §. 12.) „hoc „credibile non est, cùm per aliquot secula, nullum earum „reperiatur monumentum, nec illis unquam usa sit Ecclesia „Orientalis."

Meminit interim chirothecarum, sive *Manicarum* in ordinatione Episcopi sub certa verborum formula Consecrati manibus imponendarum, vetus Ordo Romanus: earundem quoque inter ornamenta Pontificalia meminit vetus liber Sacramentarius, jussu Rotaldi Abbatis Corbejensis ante annum millesimum scriptus; uti in præfatione ad Sacramentarium S. Gregorii monet Menardus, qui primus illum publicavit.

In Missa quoque quam Illyricus sub nomine Missæ veteris Gallicanæ præcedenti seculo edidit, & quam Cardinalis Bona in appendice ad libros suos rerum Liturgicarum sub titulo, *Missæ Romanæ variis orationibus interpolatæ* evulgavit, extat quoque oratio ad induendas manicas: „Creator „totius creaturæ, dignare me indignum famulum indumen„tis justitiæ & lætitiæ induere, ut puris mentibus ante cons„pectum tuum assistere merear mundus."

Hinc apparet hunc usum non adeò esse in Ecclesia recentem.

Hactenus dicta sat ostendunt, ritus, ac ornamenta Pontificalia in ordinatione Episcoporum, unicè ex mente Ecclesiæ ad hoc adhiberi, ut ipsis Episcopis in memoriam reducatur, quas virtutes ministerium Episcopale in ipsis exigat; & qualiter suo officio eos incumbere oporteat. Hinc videant Episcopi, quantopere à spiritu Ecclesiæ aberrent, qui illa Pontificalia ornamenta sibi quasi ad pompam, ac fastum mundanum imposita & data credunt.

COROLARIUM AD HOC CAPUT III.

De Episcopis qui solent nuncupari titulares.

1 *Finis, quem sibi semper proposuit Ecclesia in ordinandis Episcopis.*
2 *Episcopi Titulares dicuntur impropriè Titulares.*
3 *Eorum origo & progressus.*
4 *Concilium Ravennatense prohibuit, ne ad obeunda Episcoporum munia admitterentur.*
5 *Usus hodiernus huic Decreto contrarius.*
6 *Abusus in Episcopis Titularibus notati.*
7 *Quid Franciscus de Vargas, nonnullique alii de iis senserint, exponitur.*
8 *Eorum querelæ non diriguntur adversus quoslibet Episcopos, qui Titulares habentur.*

* I. SUperiori capite III. num. XVII. notatum est, quòd in consecratione Episcopi, Ordinans, postquam digito Ordinati imposuit annulum, tradat librum Evangeliorum Ordinato dicens, *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commisso, potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam*, ostendit Ecclesiam desiderare, ut, qui ordinatur Episcopus, commissum sibi habeat populum, cui prædicet Evangelium.

Unde à pluribus deploratum jam pridem legitur, ordinari Episcopos, quos *Titulares* dicimus, non ad regendum populum sibi commissum, quem non habent, sed duntaxat, ut caracterem & dignitatem accipiant.

II. De his Episcopis Titularibus rectè notavit Ludovicus Thomassinus de *Disciplina Ecclesiæ part. 3. lib. 1. cap. 3. num. 2.* hos Episcopos impropriè dici *Titulares*; quandoquidem Episcopi & Clerici dicantur ad *titulum* ordinati, dum certæ Ecclesiæ in sua ordinatione assignantur, sive intitulantur, ut ibidem Ordinum suorum functiones & munia obeant.

Hi verò ad certas Ecclesias ordinantur, sive *intitulantur*, non ut ibidem munia & functiones ordinis Episcopalis obeant, sed & nudum Ecclesiæ, ad quam ordinantur, *nomen* mutuent.

Unde rectè concludit Thomassinus, hos Episcopos dici *Titulares*, eò quòd *nudum titulum* habeant Ecclesiæ, ad quam sunt ordinati.

III. Observat quoque Thomassinus, *parte 4. lib. 1. cap. 7.* hos Episcopos *Titulares* in Ecclesia Latina præcipuè originem accepisse circa seculum XII. & XIII. originis illius occasionem & progressum ibidem summatim deducens.

Et quidem ex his quæ ibidem refert Thomassinus habetur quòd primo in Ecclesia Orientali, sive Græcâ, ac dein in Ecclesia Latina ordinari cœperint Episcopi titulo Ecclesiarum Cathedralium in quibus quidem erant Episcopi ordinati, sed qui populi idioma ignorarent, uti contigit in quibusdam Ecclesiis Orientalibus seu Græcis seculo XII. & XIII. quando per exercitus Christianorum occupatâ Terrâ Sanctâ populi Latini permixti fuêre Grecis: & cùm illi idioma Græcum ignorarent, nec ritibus Græcanicis essent assueti, ordinati sunt Episcopi & Presbyteri Latini, qui populis illis Verbum Dei annuntiarent, & Sacramenta ritu Latino administrarent.

Leguntur & nonnunquam Episcopi pro Ecclesiis sub infidelium Principum dominatione constitutis, ordinati, ad quas ordinatis Episcopis non patebat accessus, sed adhuc populus Catho-

(x) *Variæ sunt* Fanonum *acceptiones*; *aliquando sumitur* Fanon *pro Manipulo*, *aliquando pro Veste sacra summi Pontificis*, *aliquando pro Mappulis lineis candidis*, *ad rerum oblatarum munditiem servandam*, *& reverentiam*, *adhibitis. De Fanonibus eruditè pertractavit Justus Fontaninus*, *Dissertatione de* oblat. Mysteriis, &c.

tholicus restabat, qui Episcopo indigebat; vel spes erat fore, ut hæ civitates ad Principis Catholici dominationem reducerent, atque ita Episcopis ordinatis ad eas pateret accessus.

Verùm sensim his cautionibus prætermissis cœperunt ordinari passim ad Ecclesias in partibus infidelium consistentes, Populo, Cleroque Catholico omninò carentes; & de quibus reducendis ad Principis Catholici dominationem spes nulla affulgebat; imò & certum erat, quòd tum ob ignorantiam idiomatis, aliasque conditiones, ordinatus Episcopus nunquam curam istius Ecclesiæ esset suscepturus, quin ex omnibus circumstantiis & manifestum erat, Ecclesiam illam in ordinatione unicè pro mero, & quasi imaginario titulo assignari.

Cùm interim similes ordinati Episcopi per hanc ordinationem, Episcopalem dignitatem & caracterem acciperent, atque omnia Episcopalia exercendi jus adipiscerentur, plures etiam in similes Episcopos ordinari ambierunt, qui nullum populum, cui præessent, habentes, per diversa loca discurrentes, & è functionibus Episcopalibus turpem quæstum quærentes, Episcoporum Diœceses & regimen turbabant, & Episcopalem dignitatem in vilipendium vertebant, uti ex querelis illorum temporum contra hos *Titulares* Episcopos intelligitur.

IV. Concilium Ravennatense anno 1314. *Rubrica IV.* ait: „ Item exhortamur pro unitate fidei & honore sanctæ Romanæ „ Ecclesiæ, & affectuosè rogamus, ac attentiùs requirimus om„ nes & singulos exemptos intra Ravennatem Provinciam cons„ titutos, ut nullos Episcopos peregrinos, vel ignotos, & po„ pulum subditum citra mare non habentes, invitent, seu ad„ mittant ad ordinationes tenendas, seu alia Pontificalia exer„ cenda in ipsorum Ecclesiis, Monasteriis, vel locis. Quòd si „ contra fecerint, volumus, eos privilegiis, beneficiis, & fa„ voribus præsentis Concilii, & omnium aliorum Conciliorum „ Ravennatis Provinciæ ipso facto esse privatos.“

V. Hodie in Gallis usus obtinet, ut Episcopi Titulares admittantur ad tenendas ordinationes proprio Episcopo invitante.

VI. Similes Titulares Episcopatus præ cæteris ambiisse Religiosos, notanter Ordinum Mendicantium, atque sub obtentu horum Episcopatuum etiam sui Ordinis deposuisse habitum, habemus ex Decreto Concilii Salsburgensis anno 1420. in his verbis: „ Cùm plerique *Fratres Ordinum Mendicantium, ac Re„ ligiosi Ordinum aliorum intitulati* ad Ecclesias Cathedrales suæ „ Religionis habitum absque rationabili causâ manifestè non de„ ferentes, &c.“

Idipsum de Religiosis indicavit Clemens V. in sua adversus hos *Titulares* Episcopocos editâ Constitutione relatâ in *Clement.* IN PLERISQUE, *de Elect.* & de qua actum in *additione ad titulum* 13. *cap.* 2. *num.* 4. Verùm neque per hanc Clementis Constitutionem, neque per Synodorum Decreta, aut piorum querelas, abusibus & scandalis, quæ hæc Episcoporum frequens ordinatio causabat, occurri potuit, quapropter plures viri pii eorum ordinationem non convenire dicebant.

Inter alios Joannes Gersonius de *Statu Prælat. consid.* 8. quamvis admodum moderatè loquatur de his Episcopis, asseratque, statum Episcopalem esse posse sine populo, & sine usu vel exercitio, nihilominus dicere non dubitat: „ quòd hoc fie„ ri non conveniat, *quia* (ait) vanum & *monstruosum videtur „ in Ecclesia, quoniam frustra est potestas, cui non subest „ operatio.*“

Cúmque nec tempore Concilii Tridentini scandala & abusus ex horum Episcoporum ordinatione provenientia cessarent, in ipso Concilio non defuêre Patres, qui contra hos abusus & scandala declamarunt, horum Episcoporum totalem abolitionem optantes.

VII. Scribit enim è Concilio Franciscus de Vargas in epistola die 26. Nov. 1551. scriptâ, alterâ die post celebratam Sessionem XIV. ad Cardinalem Granvellanum Episcopum Attrebatensem, quòd Decreta Reformationis hac sessione edita nequaquam essent sufficientia pro tollendis abusibus, deploratque, quòd Decretum contentum *cap.* 2. potiùs ad obfirmandos quàm tollendos abusus conducat, eò quòd hoc decreto confirmentur Episcopi *Titulares in partibus infidelium, qui* (ait) *deberent aboleri tanquam contrarii Juri Canonico, & plurimorum in Ecclesia malorum causa sunt.*

Et cùm rursus sub Pio IV. tractaretur de Sacramento Ordinis, plures contra hos Episcopos Titulares reclamarunt, atque inter alios, teste Pallavicino *lib.* 26. *c.* 16. *n.* 12. Archiepiscopus Granatensis damnavit usum Episcoporum Titularium, tanquam quos primæva Ecclesia ignoraverit.

Et Ludovicus Caranza in *Tractatu de Residentia Episcoporum*, quem sub tempus Concilii Tridentini evulgavit *pag.* 140. hos Episcopos Titulares vocare non dubitat *monstra, à quibus vexatur Ecclesia.*

Et licèt eorum usum à Concilio Tridentino toleratum recentiores Canonistæ improbare non audeant, dicere tamen non dubitat Prosper Fagnanus ad *Cap.* EX PARTE, ✠ *de Clericis non resid. n.* 48. „ Creare Episcopos Titulares sine rationabili cau„ sa, & eo tantùm fine, ut eâ dignitate alicujus persona qualifi„ cetur, seu decoretur, abusionis est.“

Sat benè congruit hisce Episcopis Titularibus, quod de Episcopis sine certa parochia ordinatis seculo XI. scripsit S. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis ad Muriatdachum Regem Hiberniæ *lib.* 3. *epist.* 167. „ Dicitur Episcopos in terra vestra „ passim eligi, & sine certo Episcopatus loco constitui: Epis„ copus, *nisi certam parochiam & populum, cui superintendat, „ habeat, constitui secundum Deum non potest*, quia nec in se„ cularibus nomen vel officium pastoris habere valet, qui gre„ gem, quem pascat, non habet.“

VIII. Ex hactenus notatis intelligi potest, querelas contra Episcopos Titulares nequaquam dirigi posse, nec jam pridem fuisse directas contra eos, qui ordinantur cum respectu ad Ecclesias populum Clerumque Catholicum habentes, quem pascant, & regant, sed tamen sub titulo, sive nomine alicujus peregrinæ Ecclesiæ in partibus infidelium consistentes ob politicas rationes latere jubentur: licèt reipsa ut Episcopi & Pastores populi & Cleri prædictarum Ecclesiarum ordinentur.

Exemplum vidimus in Ecclesiis nobis vicinis, nimirum Metropolitanâ Ultrajectensi & Cathedrali Harlemensi, quæ à centum circiter annis in potestate Acatholicorum constitutæ numerosum admodum populum cum suo proprio Clero & ordinariis Pastoribus retinuerunt; quibus & Episcopus datus fuit, qui tametsi ad eas Ecclesias regendas & administrandas ordinaretur, quin & earum Ecclesiarum vulgò à populo & Clero haberetur & reputaretur Episcopus, nihilominus propter politicas rationes non sinebatur ad titulum earum Ecclesiarum ordinari, sed peregrinæ Ecclesiæ nomen mutare debebat, & ab eo nomen Episcopi gerere: quæ latiùs deducta sunt in quadam Consultatione ad instantiam Cleri Trajectensis datâ per Doctores Lovanienses & per Doctores Parisienses ultra centum probatâ, in qua & adstruuntur Capituli illius Ecclesiæ jura Sede vacante, uti Capituli Ecclesiæ Harlemensis in alio scripto, cui titulus: *Motivum pro Capitulo Harlemensi.*

CAPUT IV.

De effectu consecrationis, ac præcipue de Vinculo quo Ecclesiæ alligatur Episcopus; et una de prohibita translatione Episcoporum.

1 *Olim ante consecrationem nullum jus acquirebatur Electo.*
2 *Per consecrationem olim in Episcopum transibant non solùm quæ erant* Ordinis, *sed &* jurisdictionis.
3 *Hodie sola conferuntur quæ sunt* Ordinis.
4 *Plenitudo nihilominus Sacerdotii confertur per consecrationem.*
5 *Episcopus alligatur Ecclesiæ cui præficitur, eamque sibi desponsat.*
* *De vinculo quasi matrimoniali inter Episcopos & Ecclesiam.*
6 *Transmigrationes de una Ecclesia ad aliam vetitæ per Synodum Nicænam.*
7 *Huic obsequens Eusebius Cæsariensis laudatur à Constantino Magno.*
8 *Ariani Episcopi Synodi Nicænæ Decretum contemnunt.*
9 *Patres Sardicenses hisce occurrere volentes graviori pœnâ transmigrationes Episcoporum prohibent.*
10 *Communione laica etiam in fine vitæ privant Episcopos sine causa ad alias Ecclesias transmigrantes; & quæ hujus disciplinæ ratio.*
11 *Sensum Canonis intervertit Raymundus Decretalium compilator.*
12 *Hæc disciplina rigorosè observata in Ecclesia Romana.*
13 *Canon Sardicensis etiam seculo X. renovatus.*
* *Translatio de uno Episcopatu ad alterum in Ecclesia Romana.*
14 *Sub his Canonibus non comprehenduntur translationes Episcoporum factæ necessitate, aut utilitate Ecclesiæ cogente.*
15 *Translationes olim fiebant auctoritate Synodi Provincialis.*
16 *Auctoritas illa Synodi Provincialis mansit inconcussa seculo IX.*
17 *Seculo XII. Sedi Apostolicæ videtur fuisse reservata.*
18 *Innocentius III. dicit*: Institutione Divina *translationem Episcoporum esse reservatam.*
19 *Quomodo illud dictum Innocentii intelligendum.*
20 *Hodie sola auctoritate Romani Pontificis Episcopus à sua Ecclesia absolvi potest.*
21 *Translatio Episcopi hodie fieri nequit sine consensu Regis, ejusque nominatione.*
22 *Etiam hodie translationes fieri nequeunt sine necessitate, aut majori utilitate Ecclesiæ.*

I. MUltis seculis consecrationem Episcoporum haud fuisse à confirmatione sejunctam, non semel in præcedentibus notavimus; ac insuper observavimus, olim per electionem Cle-

Cleri & plebis nullum propriè jus Electo fuisse acquisitum, multisque seculis ignotum fuisse, per electionem acquiri Electo jus *ad rem*; per Confirmationem verò jus *in re*: hæc enim Patrum ætas ignoravit.

II. Hac ergo disciplina durante, Electus nullum jus habebat in administratione Ecclesiæ; neque Ecclesiæ Pastor, aut Prælatus habebatur ante consecrationem; sed demum per consecrationem, sive ordinationem Episcopus constituebatur. Unde Patribus idem erat, ordinare aut consecrare Episcopum, & constituere Episcopum, aut Ecclesiæ de Episcopo providere: neque inter illa decem primis Ecclesiæ seculis in Sacris Canonibus ullum discrimen reperitur.

Itaque si pristinam illorum temporum disciplinam spectemus per consecrationem demum omnem accipiebant Episcopi auctoritatem & potestatem; tàm quoad ea, quæ *jurisdictionis*, quàm quæ *Ordinis* dicuntur. Neque illa sine his in Episcopos transibant.

III. At posterior ætas, quæ confirmationem à consecratione distinguere cœpit, etiam ea quæ *jurisdictionis* sunt, ab his quæ *Ordinis* sunt tandem separavit; atque per confirmationem ante consecrationem, quæ *jurisdictionis* sunt, in Episcopum transire voluit; imò per confirmationem Pastorem ac Prælatum Ecclesiæ sine consecratione constitui, omneque regimen Ecclesiæ committi, solis iis exceptis, quæ *Ordinis* sunt; quæ tamen ut in Ecclesia sua, aut Subditis suis per alios Episcopos conferantur & impendantur, permittere, aut delegare potest; uti titulo præcedenti *cap.* 4. latiùs ostendimus.

IV. Itaque juxta hodiernam disciplinam consecrationis proprius effectus censetur, Electo & Confirmato conferre characterem Episcopalem, vi cujus accipit plenitudinem Sacerdotii; & vi hujus consequitur plenissimam Episcopalis Ministerii exercendi auctoritatem, etiam quoad ea quæ *Ordinis* sunt; cumque priùs, licèt confirmatus adhuc esset in Ordine Presbyterali, per consecrationem in superiorem, scilicet Episcopalem, sublimatus est; atque arctiori quodammodo vinculo Ecclesiæ alligatur, seu consecratur.

Hinc illud Innocentii III. spectata recentiori disciplina: „ Spirituale fœdus conjugii, quod est inter Episcopum & Ec„ clesiam, in electione *initiatum*, in confirmatione *ratum*, & „ in consecratione intelligitur *consummatum*. " *Cap.* 4. ✠ *de Translat. Episc.*

V. Porrò seu disciplinam veterem, sive recentiorem attendamus, Episcopus semel certæ Ecclesiæ datus & ordinatus, illi tanquam perpetuus illius Minister, ac Pastor alligatus est; eamque quodammodo sibi sponsam & uxorem desponsat, ideoque eam facilè deserere, aut aliam desponsare, adulterii cujusdam spiritualis species Patribus visum fuit; præterquamquod transcursiones de una ad aliam Ecclesiam, ipsis Ecclesiis perniciosas, & populo scandalosas existimarent; nec aliunde quàm ex avaritia vel ambitione procedere.

* De hoc vinculo quasi matrimoniali inter Ecclesiam & Episcopum loquuntur epistolæ Decretales sub nomine Calixti & Evaristi Pontificum, quarum fragmenta extant apud Gratianum *Causa* 7. *q.* 1. *can.* 11. & 39.

Et quidem in Decretali Callixti in citato *Can.* 39. legitur: „ Apostolus ait: *Alligata est uxor legi, quandiu vir ejus vi„ vit, & eo verò defuncto, soluta est à lege viri: similiter & „ sponsa Episcopi* (quia sponsa, uxorque ejus dicitur Eccle„ sia) illo vivente ei est alligata, eo verò defuncto soluta est, „ & cui voluerit, nubat, tantùm in Domino, id est, regulari„ ter: si enim eo vivente alteri nupserit, adultera judicabitur: „ similiter & ille, si alteram spontè duxerit, adulter existima„ bitur, & communione privabitur."

Quin penè à temporibus Apostolorum singuli Episcopi singulis Ecclesiis particularibus fuerint præpositi & alligati, & dubitari nequit; sed eum esse vinculi nexum, quo Episcopus Ecclesiæ suæ vinculatur, sive alligatur, qualis est nexus matrimonialis inter ipsos conjuges, nequaquam apud antiquos legitur.

Unde vel ex hoc capite hæ epistolæ meritò supposititicæ haberentur, quantumvis plurimis aliis titulis uti apocryphæ & his Pontificibus falsò adscriptæ ab eruditis jam pridem fuerint repudiatæ, atque inter alios monet Philippus Labbæus in nota marginali ad Epistolam Calixti I. „ Antonius Augustinus Ar„ chiep. Tarraconensis, *Dial.* 4. *lib.* 2. de emendatione Gra„ tiani testatur, Callixti epistolas rejectas fuisse à selectis viris, „ qui Romæ operam navarunt Gratiano corrigendo; idem sen„ tiunt viri eruditi & res ipsa clamat."

Non minus fortiter vinculum inter Ecclesiam & Episcopum comparatione factâ ad vinculum carnalis matrimonii expressum est in fragmento epistolæ Decretalis Evaristi Papæ in citato *Canone* 39. & integra cum alia epistola ejusdem Pontificis extat Tomo 1. Concil. Generalium, atque priori harum hanc notam posuit Labbæus: *Supposititia Antonio Contio aliisque eruditis Catholicis.*

Interim non dubium quin hæ epistolæ Decretales, præsertim postquam eas Gratianus in suum Decretum transtulit, occasionem dederint, vinculum illud, quod intercedit inter Episcopum & Ecclesiam, coæquandi vinculo matrimonii inter conjuges intercedenti, prout in Decretalibus sequentium Pontificum, ac notanter Innocentii III. hæc coæquatio sæpius occurrit, qui & inde concludit vinculum hujus matrimonii spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam *solius* Romani Pontificis auctoritate, tanquam *vices Dei in terris gerentis* solvendum, uti infra *in nota ad num.* 18. ostenditur.

Verum quidem est, sub gravissimis pœnis jam pridem per Sacros Canones, ac notanter Sardicenses, vetitum fuisse Episcopis, Ecclesiam, cui erant in sua ordinatione adscripti, deserere, & ad aliam transire, sed hanc suam indignationem contra has de una ad aliam Ecclesiam transitiones, non fundant Patres in violatione vinculi spiritualis matrimonii inter Episcopum & Ecclesiam, sed in *avaritia* & *ambitione*, quæ solet Episcopos impellere ad transeundum de una ad aliam Ecclesiam.

Et quidem à tempore, quo Ecclesia pleniori pace sub Constantino frui cœpit, atque temporalibus magis abundare, necesse fuit huic avaritiæ, ac ambitioni frænum per Sacros Canones injicere.

VI. „ Propter multum tumultum (ait Canon 15. Nicænus) „ & seditiones quæ fiunt, omninò visum est, ut consuetudo, „ quæ præter Canonem in nonnullis partibus invenitur, tolla„ tur; ut à civitate in civitatem nec Episcopus, nec Presbyter, „ nec Diaconus transeat. Si quis autem post sanctæ & magnæ „ Synodi definitionem tale quippiam aggressus fuerit, vel se „ rei ejusmodi dederit, quod factum erit, omninò reformabi„ tur, & Ecclesiæ restituetur, cui Episcopus vel Presbyter or„ dinatus fuerit."

VII. Hunc Canonem, ejusque rationem perpendens Eusebius Cæsariensis, qui Concilio Nicæno interfuerat, recusavit relicta Ecclesia Cæsariensi ad Antiochenam transire: cujus factum laudans Constantinus in litteris ad Eusebium datis, dixit: „ Rectissimè fecit Prudentia tua, quæ & mandata *DEI*, & Apos„ tolicam atque Ecclesiasticam regulam custodire statuit, Epis„ copatum Antiochensis Ecclesiæ repudians, & in eo potiùs „ permanere desiderans, quem *DEI* mandatu ab initio suscepis„ set." Apud Eusebium *lib.* 3. *de vita Constantini c.* 61. editionis Valesianæ.

Quasi diceret: rectissimè fecisti, quòd Ecclesiam cui *DEI* mandatu ab initio fuisti mancipatus, non deserueris, sive repudiaveris aliâ desponsatâ.

VIII. Non obstante æquissima hac Apostolica & Canonica regula à Synodo Nicæna exposita & probata, Episcopi plures præsertim Ariani, crebris mutationibus & translationibus, eo tempore, omnes Orientis Ecclesias perturbabant; idque tum ambitione, tùm avaritia ducti, tum etiam ut hæresim suam latiùs spargerent: exemplum secuti Ducis sui Eusebii, qui primum Birytii Episcopus, deindè Episcopatum Nicomediæ, posteà Constantinopolis ambivit & obtinuit, ope Imperatoris Constantii: „ Quin etiam depositis Episcopis Orthodoxis, aliquando „ relegatis, imò & necatis, in eorum Episcopatus transfere„ bant Ariani suarum partium Episcopos: ut constat ex epis„ tola Synodi Alexandrinæ, relata ab Athanasio in 2. *Apolo„ gia de fuga sua*, & in *epistola ad vitam solitariam degen„ tes*, *tom.* 1. "

IX. Hisce ut occurrerent, Patres Sardicenses graviore sanctione, & pœna coërcendas hasce transmigrationes censuêre. Itaque Osius Præses Concilii, Patres alloquens dixit: „ Non „ minùs mala consuetudo, quàm perniciosa corruptela funditùs „ eradicanda est: ne cui liceat Episcopo de civitate sua ad „ aliam transire civitatem. " Deinde hanc hujus corruptelæ rationem notandam, ac utinam non modernarum translationum ordinariam causam! subjicit: „ Manifesta est causa, quâ hoc „ facere tentant cùm nullus in hac re inventus sit Episcopus, „ qui de majori ad minorem transiret. Unde apparet avaritiæ „ ardore eos inflammari, & ambitioni servire, & ut dominatio„ nem agant. Si omnibus placeat, hujusmodi pernicies sæviùs „ & austeriùs vindicetur, ut nec laicam communionem habeat, „ qui talis est: Responderunt universi: *Placet.*"

Can. II. ita habet: Osius Episcopus dixit: „ Etiamsi talis „ aliquis extiterit temerarius, ut fortassis excusationem afferens, „ assereret, quòd populi litteras acceperit, cùm manifestum „ sit, potuisse paucos præmio & mercede corrumpi eos, qui „ sinceram fidem non habent, ut clamarent in Ecclesia, & ip„ sum petere viderentur Episcopum, omninò has fraudes dam„ nandas esse arbitror, ita ut nec laicam in fine communio„ nem talis accipiat: Si vobis omnibus placet, statuite. Syno„ dus respondit: *Placet.*"

X. Communione ergo laica, nec in fine vitæ donandos Episcopos, contra Canonicas Sanctiones de una ad aliam migrantes Ecclesiam decernit Canon: ad quem rigorem reflectens Aristenus ait: „ Hoc enim inauditum & horrendum est, ut ne„ que in discessu communione dignus censeatur, quod alibi „ in Canonum ullo non invenies cuilibet impositum & inflictum „ peccato."

A vero forsan non aberravit Aristenus Auctor Græcus, si ad Orientales reflexerit Ecclesias: nam ipse Morinus *lib. 9. cap. 19. de Pœnit.* fatetur, in Orientalibus nulli unquam crimini hanc pœnam impositam fuisse: in aliquibus tamen Ecclesiis, primis seculis tria crimina, nimirùm idololatriam, homicidium, & mœchiam, hac pœna fuisse vindicata: id est, illi qui horum aliquod admisisset, etiam in fine vitæ reconciliationem denegatam fuisse, *difiteri*, *ut opinor*, ait Morinus, *nemo poterit, qui antiquorum testimonia de hac re tantisper animo versaverit.*

Cùm ergo mœchiæ carnali olim in aliquibus Ecclesiis imposita legeretur hæc pœna, eandem hîc imponi non abs re censuit Synodus Sardicensis, ut notavit Christianus Lupus scribens: „Episcopi enim sine competenti causa translatio est „ *Spirituale adulterium*, nequaquam minus carnali, cui eandem pœnam antiqua Ecclesiæ disciplina inflixit." In Scholis ad *Dictatum Gregorii VII. Can.* 13.

Si ergo ex rigore & atrocitate pœnæ liceat arguere de enormitate delicti, expendant Episcopi, qui tam facilè paupere & humili Ecclesia desertâ ad ditiorem, ac honorabiliorem transeunt, quanti peccati periculo se exponant.

XI. Canonis 1. fragmentum refertur in *Cap.* 1. ✠ *de Clericis non residentibus.* Canon verò 2. relatus est in *Cap.* 2. ✠ *de Elect.* Sed Raymundus Decretalium Gregorii IX. Compilator reflectens ad pœnam hoc Canone indictam, scilicet, privationem communionis *Laicæ* etiam in fine vitæ; eamque disciplinæ sui temporis dissonam videns, addit hanc parenthesim, *nisi de hoc pœnituerit*, non solùm contra omnium Latinorum & Græcorum codicem, atque ipsius pristinæ Decretalium compilationis fidem, verùm etiam contra manifestum Canonis sensum. Ut vel hinc appareat, quàm necessarium sit ad ipsos fontes, è quibus sua desumpsit Raymundus, recurrere, ut genuinus Canonum sensus habeatur.

Innumeri sunt Ecclesiæ Canones, & Pontificum Decreta, hanc disciplinam stabilientes, Canonesque Nicænos & Sardicenses innovantes; quorum plures à Gratiano, *Causa 7. quæst.* 1. referuntur.

XII. Et quidem adeo tenax hujus disciplinæ fuit Sedes Apostolica, ut primus de alia Ecclesia ad Romanam transmigrasse dicatur Formosus circa finem seculi IX. neque in omni illa horrenda barbarie, quam adversus defunctum exercuit Stephanus VII. aliud ei improperasse legitur, nisi *cum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem Sedem usurpâsti?*

XIII. Joannes IX. Successor Stephani volens reparare, quæ nimia atrocitate & odio in Formossum attentaverat Stephanus; & ne tamen factum Formosi ab illis in perniciosum exemplum traheretur, hunc in Concilio Romano anno 940. Canonem edidit: „Quia necessitatis causâ de Portuensi Ecclesia Formosus pro vitæ merito ad Apostolicam Sedem provectus est, statuimus & omninò decernimus, ut id in exemplum nullus assumat; præsertim cum sacri Canones hoc interdicant, & præsumentes tanta feriant ultione, ut etiam „ *in fine Laicam eis prohibeant* communionem: quippe quod „ necessitate aliquoties indductum est, necessitate cessante in „ auctoritatem sumi non est permissum."

* Ex actis contra Formosum ob ejus ab Ecclesia Portuensi ad Romanam transitum, necnon ex verbis Joan. IX. sive Concilii Romani intelligitur, quòd illis temporibus non dubitaretur, quin Ecclesia Romana, non minus quàm reliquæ Ecclesiæ Conciliorum Canonibus & Decretis disciplinam Ecclesiasticam concernentibus adstringeretur. Ac insuper ex his, quæ in eo Concilio decreta fuerunt ad cautelam, ne exemplum Formosi in consequentiam traheretur, evincitur, quàm periculosum sit, & exemplo perniciosum obtentu necessitatis & dispensationis à regulis Ecclesiasticis semel recedere. Quandoquidem nec obstante toties iteratâ prohibitione & nominatim appositâ cautione, nihilominus exemplo Formosi, prætextu necessitatis & utilitatis Ecclesiæ, sensim translationes contra Sacros Canones in Ecclesia Romana adeo invaluisse conspiciamus, ut à pluribus seculis vix ullum in Episcopum Romanum assumptum legamus, qui priùs alterius Ecclesiæ Episcopus non fuerit ordinatus, atque ita de una ad aliam Ecclesiam transferri non debuerint.

XIV. Hic Canon dum ostendit, quantopere Sacri Canones transmigrationes Episcoporum, quarum avaritia, vel ambitio causa est, aversentur, unà quoque ostendit, translationem Episcopi, quam necessitas, aut utilitas Ecclesiæ exigit, hac prohibitione non comprehendi. Tunc enim non tam dicuntur Episcopi suam Ecclesiam deserere, repudiare, aut ad aliam migrare, aut invadere, quàm cogente necessitate, aut utilitate Ecclesiæ, ab Ecclesia avelli, & ad aliam protrudi sive transferri.

Hanc distinctionem manifestè supponit antiquus Canon XIV. Apostolorum: „Episcopo non liceat suâ relictâ parochiâ ad „ aliam transire, etiamsi à pluribus cogatur; nisi sit aliqua cau„ sa rationi consentanea, quæ eum cogat hoc facere, utpotè ad „ majus lucrum, cùm possit ipse iis, qui illi habitant, pietatis „ verbo conferre, idque non ex se, sed ex multorum Episcopo„ rum judicio, & maxima exhortatione."

Et apud Gratianum legitur ex Epistola Anteri Papæ: „Non „ enim transit de civitate ad civitatem, nec transfertur de mi„ nore ad majorem, qui hoc non ambitu, nec propriâ voluntate facit, sed aut vi à propria sede pulsus, aut necessitate coac„ tus, aut utilitate loci, aut populi, non superbè, sed humi„ liter ab aliis translatus, & inthronizatus est." *caus. 7. quæst 1. can.* 34.

Plura in hanc rem ibidem recitat Gratianus, atque inter alia ex Synodo Carthaginensi IV. *can.* 27. „Episcopus de loco ig„ nobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quis„ quam inferioris Ordinis Clericus: Sanè, si utilitas Ecclesiæ „ fiendum poposcerit, Decreto pro eo Clericorum & Laico„ rum Episcopis porrecto, in præsentia Synodi transferatur, „ nihilominus alio in locum ejus Episcopo subrogato."

Etiam antiquum in hanc rem Canonem, atque plura antiquorum & sanctorum Episcoporum exempla profert Socrates *lib. 7. Hist. Eccles. cap.* 35.

XV. Insuper ex citatis Canonibus, & aliis innumeris veteris disciplinæ monumentis & historiis compertum est, ad Metropolitani & Episcoporum Comprovincialium cognitionem olim spectasse, an ex translatione hujusmodi emersura sit utilitas Ecclesiæ tanta; aut ea urgeat necessitas, ut omnibus expensis meritò Episcopus à vinculo, quo Ecclesiæ suæ tenetur alligatus, absolvatur, & alteri alligetur.

Et Canon Antiochenus XVI. apertè quoque supponit Episcopum auctoritate Synodi Provincialis, quam *perfectam Synodum vocat*, de Ecclesia in Ecclesiam transferri posse; quam disciplinam usque ad seculum X. inconcussam mansisse ostendit Thomassinus; atque circa illa tempora paulatim ad Sedem Apostolicam devolvi cœpisse Episcoporum translationes; utpotè quæ *majoribus causis*, quæ sub idem tempus Sedi Apostolicæ reservari cœperunt, tunc annumeratæ fuerunt. *De Discipl. Eccles. part. 3. lib. 2. cap.* 40.

XVI. Hinc in epistolis illis, quas primis Romanis Pontificibus supposuit, nescio quis Pseudo-Isidorus circa seculum IX. integra adhuc circa translationes Episcoporum elucet Synodorum Provincialium auctoritas: „Nam (ait suppositititus sive „ fictus Anterus in citata epistola) sicut Episcopi habent potes„ tatem ordinare regulariter Episcopos, & reliquos Sacerdotes, „ sit quoties utilitas, aut necessitas coegerit, supradicto modo „ & mutare, & inthronizare potestatem habent."

Additur quidem apud Gratianum: *Non tamen sine sacrosanctæ Romanæ Sedis auctoritate & licentia*; sed uti rectè notarunt Correctores Romani, hæc verba non leguntur in Epistola Anteri, neque in Panormia, neque apud Burchardum & Ivonem.

Non obscurum sanè argumentum, tempore Pseudo-Isidori, id est, circa seculum IX. adhuc constantem fuisse disciplinam, quæ Synodis Provincialibus translationes Episcoporum tribuit.

* Ex Epistola Eugenii III. ad Episcopos Germaniæ datâ occasione electionis Guicmanni Gumensis Episc. in Archiepiscopum Magdeburgensem, colligitur, quòd etiam sub medium seculi XII. auctoritas transferendi Episcopum de una Ecclesia ad aliam nondum esset generatim Sedi Apostolicæ reservata: licèt enim Pontifex in hac epistola acerrimè redarguat Episcopos, qui huic electioni consensum præbuerant, ipsamque electionem improbet; ne verbo tamen conqueritur, quòd Guicmannus sine auctoritate Sedis Apostolicæ de Cumensi Ecclesia ad Magdeburgensem tanslatus sit; sed duntaxat conqueritur, quòd in hac electione „ *solius Principis favor* „ *expectetur*, & nec inspectâ necessitate illius Ecclesiæ nec consideratâ utilitate personæ, *Clero nolente*, imò ut dicitur, „ ex *parte maxima reclamante*, in Magdeburgensi Ecclesia „ eum dicant supplantandum."

Ut proindè ex hisce non obscurum sit, quòd Eugenio minime displicuisset electio Guicmanni Cumensis Episcopi in Archiepiscopum Magdeburgensem, si modò necessitas Ecclesiæ, vel utilitas personæ in hac electione considerata fuisset; & concors fuisset Cleri & plebis in hac electione consensus.

Insuper ex hac Epistola Eugenii, & aliis plurimis veterum translationum formulis habetur, quòd eâdem formâ, eodemque ritu electio per Clerum & populum perageretur, sive in Episcopum Ecclesiæ vacantis eligeretur aliquis jam Episcopus consecratus, & alteri particulari Ecclesiæ præpositus, sive eligeretur simplex Presbyter, aut Diaconus: quòdque ipsa electio & electus pariformiter utroque casu à Metropolitano, ejusque Suffraganeis examinarentur, & discuterentur, hâc duntaxat interveniente differentiâ, quòd dum de transferendo Episcopo de una Ecclesia ad aliam ageretur per Metropolitanum & Episcopos Suffraganeos, non tantum ipsa forma electionis, & qualitates ipsius electi essent discutiendæ, sed insuper expendendum esset, nunc causa subesset sufficiens & le-

legitima, ut Episcopus de Ecclesia, cui per ordinationem erat adscriptus, ad vacantem Ecclesiam, ad quam erat electus, transferri deberet.

Quòd igitur hodie Episcopus uni Ecclesiæ alligatus, non possit per communem formam electionis ad aliam Ecclesiam eligi, sed in ejus electione procedendum sit per viam *postulationis*, recentioris est disciplinæ, neque in Decreto Gratiani, aut sanctis Canonibus specialis hæc postulationis forma occurrit; imò nec ante Innocentium III. forma *postulationis* à communi forma electionis distincta, nota fuisse videtur; neque sub titulo Decretalium *de Postulatione Episcopi*, ulla de hac forma legitur Decretalis antiquior Decretali hujus Pontificis. Unde nec illud olim obtinuisse legitur, ut per electionem, ipsiusque electionis acceptationem jus aliquod acquiratur electo ad Prælaturam; secùs verò per postulationem, licèt per postulatum acceptam, nisi priùs hæc à Rom. Pontifice fuerit probata.

XVII. Seculo verò XII. quo Gratianus Decretum suum compilavit, eas Sedi Apostolicæ fuisse delatas; ac propterea dictam clausulam epistolæ Anteri fuisse adjectam.

XVIII. Igitur cum magna moderatione intelligi oportet, quod scripsit Innocentius III. Decano & Capitulo Andegavensi, & refertur in *cap.* 2. ✠ *de translat. Episc.* Non enim humanâ, sed potiùs *divinâ potestate* „ conjugium spirituale dissolvitur, „ cùm per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu „ Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur; & ideò tria hæc, „ quæ præmisimus, non tàm *constitutione Canonica*, quàm *institutione divina* soli sunt Romano Pontifici reservata."

Et rursus in *cap.* 3. *eodem tit.* dicit: „ Potestatem transferendi Pontifices, ita sibi retinuit Dominus & Magister, quod „ soli B. Petro Vicario suo, & per ipsum Successoribus suis, „ speciali privilegio tribuit & concessit, sicut testatur antiquitas, „ cui Decreta Patrum sanxerunt exhibendam reverentiam, & „ evidenter asserunt Sacrorum Canonum sanctiones. Non enim „ homo, sed Deus separat, quot Romanus Pontifex (qui non „ puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris) Ecclesiarum „ necessitate, vel utilitate pensata, non humanâ, sed divina „ potiùs auctoritate dissolvit."

Hæc, inquam, non severè ad vigorem expressionis sunt accipienda, sed benigna interpretatione mollienda. Neque enim quidquam evidentius, quàm vinculum conjugii spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam sola auctoritate humana inductum, eadem quoque dissolvi; illudque multis seculis non solius Rom. Pontificis, sed & Synodorum Provincialium auctoritate fuisse dissolutum; atque cessiones, ac translationes Episcoporum earum auctoritate fuisse factas.

XIX. Quid igitur voluit Pontifex, dum asserit, *non tam constitutione Canonicâ, quàm institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata*, scilicet, translatio, depositio & cessio Episcoporum? Ludovicus Thomassinus aliique nonnulli credunt, Pontificem voluisse, translationem, depositionem & cessionem Episcoporum divina dispositione reservatam, quatenus scilicet *Primatûs* jure divino à Christo collati Petro & ejus Successoribus Romanis Pontificibus, appendix quædam est jus illud cognoscendi de *causis majoribus*; atque Episcopos rationem habuisse hujus Primatus, cùm causas majores, inter quas est *translatio* Episcoporum, ad Sedem Apostolicam referendas sanxëre. Ita Thomasinus *part.* 4. *de Discipl. Eccles. lib.* 2. *cap.* 56. *num.* 7.

Et quidem hanc suam fuisse mentem, insinuat *epist.* 16. *lib.* 1. ad Capitulum S. Anastasiæ scribens: „ Ex illo singulari „ excellentiæ privilegio, quod Unigenitus ille Filius Jesus Christus Apostolorum Principi Petro concessit, sanctorum Patrum „ postmodum instituta manarunt, ut *majores causæ* ad Sedem „ Apostolicam perferrentur." Idem innuit epist. 48. ad Patriarcham Antiochen. cujus fragmentum proposito subserviens, legitur in *Cap.* 1. ✠ *de Translat. Episcopi.*

* Verùm ex hac Thomassini interpretatione sequeretur auctoritatem cognoscendi de causis majoribus, & transferendi Episcopos, non tàm ex institutione divina, quàm ex positivo & humano Episcoporum constituto esse Romano Pontifici reservatam, tametsi Episcopi in hoc constituto aliquam rationem *Primatûs* hubuisse viderentur.

Sanè, si verba Innocentii III. necnon argumenta attendantur, quibus hæc tria *cessio*, *translatio* & *depositio* Episcoporum Romano Pontifici, *non humanâ auctoritate*, sed *divinâ institutione* docet reservata, nequaquam obscurum est, hunc Pontificem voluisse & existimasse, quòd hæc tria essent *speciali* Christi privilegio & institutione Romano Pontifici reservata, idque independenter ab omni Episcoporum positivo constituto. In primis enim pro fundamento suæ assertionis supponit in *c.* 2. quod fortius sit spirituale vinculum matrimonii, quod dicitur intercedere inter Episcopum & Ecclesiam, quàm carnale inter conjuges.

Hinc ulteriùs concludit, dubitari non debere, quin „ omnipotens Deus spirituale conjugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, *suo tantum judicio reservaverit dissolvendum*, qui dissolutionem etiam carnalis conjugii, quod est inter virum & fœminam suo tantùm judicio reservaverit, præcipiens, ut *quos Deus conjunxit, homo non separet.*

Similiter in *cap.* 3. tractans idem argumentum, redarguensque Episcopum Hildesemensem, quòd relictâ hac Ecclesiâ sine auctoritate Romani Pontificis transiisset ad Herbipolensem Ecclesiam, ait: „ Non satis attendens, quòd veritas in Evangelio protestetur, Matth. cap. 19. ℣. 6. *quos Deus conjunxit, homo non separet*, " evidenter verba illa Christi applicans vinculo spiritualis matrimonii inter Episcopum, & Ecclesiam.

Ex his habetur Innocentium credidisse, quòd Deus sibi reservaverit dissolutionem spiritualis conjugii, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, eo modo, quo sibi reservavit dissolutionem carnalis conjugii.

Hoc & evincit consequentia, quam inde format: immediatè enim subjungit, & concludit: „ Non enim humanâ, sed „ potiùs divinâ potestate conjugium dissolvitur, cùm per *translationem, depositionem aut cessionem* auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu Christi, Episcopus „ ab Ecclesia removeatur. Sive ut loquitur in *cap.* 3. Non enim „ homo, sed *Deus* separat, quos Romanus Pontifex (*qui non „ puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris*) *Ecclesiarum „ necessitate, vel utilitate pensatâ, non humana, sed* DIVINA „ *potiùs auctoritate dissolvit.*"

An non eodem argumento concludendum fuisset Romanum Pontificem posse dissolvere vinculum matrimonii *Carnalis*, dicendo, quòd dum illud dissolvit, non *homo* sed *Deus* dissolvat? Certum enim est, quòd Deus suâ auctoritate matrimonium carnale, etiam consummatum dissolvere possit.

Quod autem dicit Romanum Pontificem *non* PURI *hominis, sed* VERI DEI *vicem gerere in terris*, nequaquam hoc sensu sine blasphemia intelligi potest, quasi Romanus Pontifex aliquid in se divinitatis haberet, sed duntaxat, quòd tanquam Minister & Vicarius Christi constitutus sit ad regendam Ecclesiam Dei, quodque hac auctoritate à Christo sibi concessâ, sit dispensator mysteriorum Dei: quod indubiè de Episcopis & Ecclesiæ Pastoribus, *quos Spiritus Sanctus potuit regere Ecclesiam Dei*, eâdem ratione affirmari potest: possunt & ipsi, dum peccatores ligant, aut absolvunt, dicere, quòd ligent & solvant, non *humanâ*, sed *Dei* auctoritate, & tanquam vicem Christi in dispensatione mysteriorum Dei, & usu clavium gerentes.

Quod autem dicit Innocentius in citato cap. 3. *quòd potestatem transferendi Pontifices, ita sibi retinuerit Dominus & Magister, quod* SOLI *Petro Vicario suo, & per ipsum succesoribus suis* SPECIALI *privilegio tribuit & concessit*, evidenter repugnat praxi, & disciplinæ Ecclesiæ, quæ à temporibus Apostolorum per decem, ut minus secula, constanter perseveravit, quæ translationem Episcoporum de una ad aliam Ecclesiam Synodis Provincialibus attribuit.

Quod in probationem sui asserti subjungit Innocentius: *Sicut testatur* ANTIQUITAS *cui Decreta Patrum sanxerunt reverentiam exhibendam, & evidenter asserunt Sacrorum Canonum sanctiones* refertur indubie ad Decretalem Anteri Papæ, cujus fragmentum refert Gratianus, *causa* 7. *quæst.* 1. *can.* 34. ac signanter cum hoc additamento: *Non tamen sine sacrosanctæ Rom. Sedis auctoritate, & licentiâ.*

In primis scitur, quòd tempore Innocentii III. Decretales à Pseudo-Isidoro primis Romanis Pontificibus affictæ, passim pro veris & genuinis illorum Pontificum epistolis reputarentur, præsertim postquam in Decretum Gratiani erant relatæ, ea enim erat Gratiani auctoritas, ut, quidquid in Gratiani Decreto legebatur, pro authentico antiquitatis monumento reputaretur.

Quapropter videmus ab Innocentio III. aliisque ejus ætatis Pontificibus & Doctoribus scholasticis indistinctè in auctoritatem assumptum, quiquid à Gratiano referebatur.

Hujus itaque Decretalis auctoritate, prout à Gratiano hoc additamento aucta referebatur, inductus verisimiliter fuit Innocentius, ut asserere non vereretur, ex *traditione Apostolica* descendere, quòd *soli* Petro, ejusque successoribus *speciali* privilegio Dei reservata esset Episcoporum de una Ecclesia ad aliam translatio, sive dissolutio vinculi spiritualis, quo Episcopus suæ Ecclesiæ alligatur.

Porrò hodie eruditis passim notum est, dictam Decretalem Antero Papæ à Pseudo-Isidoro esse falsò suppositam.

Undè huic Decretali hanc notam marginalem apponit Philippus Labbæus: *Suspecta pariter viris doctis vel ex unius Hieronymi segmentis.* Monent insuper Correctores Romani (uti num. XVI. notatum fuit) verba hæc, *auctoritate hujus sanctæ Sedis*, non legi in Epistola Anteri, neque in Panormia, neque apud Burchardum, vel Ivonem: qui & observant, idem esse de verbis illis prope finem Canonis, *non tamen sine sacrosanctæ Sedis auctoritate & licentia.*

Hæc sane Anteri Decretalis, prout per Pseudo-Isidorum se-

culo circiter VIII. supposita fuit huic Pontifici, refertur ex collectione Isidori, *tom.* 1. *Conciliorum*, idque sine adittamento illo de auctoritate Romani Pontificis in translatione Episcoporum. Argumentum evidens, eâ ætate nequaquam creditum fuisse, in hac translatione licentiam vel auctoritatem Romani Pontificis necessariam: id enim à confictore, qui totus erat ad amplificandam Rom. Pontificis auctoritatem, nequaquam fuisset prætermissum; quin vel ex suppositiitia Decretali haud obscurum est, eâ ætate auctoritatem transferendi Episcopos de una Ecclesia ad aliam adhuc integram fuisse penes Synodos Provinciales, quandoquidem apertis verbis hæc Decretalis, uti ab Isidoro Antero supposita est, eam auctoritatem Episcopis attribuat: ita enim legitur: *Nam sicut Episcopi regulariter habent ordinare Episcopos, & reliquos Sacerdotes, sic quoties utilitas aut necessitas exegerit, supradicto modo & mutare, & inthronizare potestatem habent.*

Ad hæc Innocentius III. in sua Decretali, quasi pro fundamento suæ assertionis assumit, vinculum matrimonii spiritualis, quod intercedit inter Episcopum & Ecclesiam, esse *fortius* vinculo matrimonii carnalis inter virum & uxorem, à nemine ante Innocentium dictum fuisse legitur; uti nec illud quod hic Pontifex dixit in allegato Capitulo 4. *de translatione Episcoporum*: „ Fœdus spiritualis conjungii, quod est in„ ter Episcopum & Ecclesiam, quod in *electione initiatum*, „ *ratum in confirmatione*, *& in consecratione intelligatur con*„ *summatum*; " illaque ex falsis Decretalibus in Decretum Gratiani relatis deducta & desumpta, suprà ostensum est.

Nequaquam proindè mirum asserere, virum clarissimum Guillelmum Barclajum in *tract. de Potestate Papæ*, *cap.* 28. „ Nullum esse in jure Pontificio locum verbis quidem pla„ niorem & apertiorem, intellectu autem difficiliorem: adeò „ ut (ait) in eo explicando interpretum omnia ingenia conci„ dant: nam quid magis intelligenter, planè & perspicuè di„ ci potest, quam non hominem sed Deum separare, quos „ Romanus Pontifex separat, seu dissolvit? aut cui magis con„ sequens, quàm hoc illi: Romanum ergo Pontificem posse „ dissolvere matrimonium *inter conjuges carnali copula consum*„ *matum*, qua conclusione tamen nihil falsius, ac proinde illud „ ex quo sequitur falsum esse fatendum est, quemadmodum „ sequi falsum ex vero nunquam potest. "

Insuper ibidem non sine fundamento observavit Barclajus, quòd plerique Canonistæ nudis verbis Decretalium inhærentes, hisce Innocentii III. Decretalibus abrepti, Romanis Pontificibus non humanam duntaxat, sed quasi divinam tribuerint auctoritatem: relatis enim prædictis Decretalibus, de similibus Canonistis subjungit: „ Hæc illa sunt quibus homines „ isti in præcipitem errorem deferuntur, ut *quidquid à Papa fiat, à Deo factum esse putent.* "

Quidni hisce & similibus Decretalibus adscribenda est ista quorundam imperitorum Canonistarum perversa opinio, de qua Cardinalis Contarenus in Epistola ad Paulum III. „ Voluntatem Pontificis regulam quandam esse, quâ ejus actiones diri„ gantur: neque in jure positivo constituendo, aut abrogando, „ aut dispensando regulam quampiam Pontifici esse constitutam. "

Et sane vix credibile est, quòd jurisperiti illi hanc impiam propositionem proponere ausi fuissent, nisi in Pontifice aliquid supra humanam Potestatem agnovissent, verbis illis Innocentii III. forsan abrepti, quibus asserit Pontificem in dissolvendo matrimonii spiritualis, *non* PURI *hominis*, *sed* VERI *Dei vices gerere*: nam, uti rectè advertit Contarenus: *Hæc propositio non tantùm adeo falsa, adeò repugnans sensui communi, adeò est contraria Doctrinæ christianæ, adeò depravat universi christiani populi gubernationem, ut nihil* PERNICIOSIUS *inveniri potuerit; sed insuper* (ait) *Idololatriam sapit, cui namque* (pergit Contarenus) CREATURÆ *hoc atribu potest, quòd actionum suarum* VOLUNTAS *ejus sit regula, an hoc non proprium sit* SOLIUS DEI?

XX. Quidquid sit, illud certum est, juxta stabilitam jure communi Decretalium, & hodie per totam Ecclesiam receptam disciplinam, translationes Episcoporum, uti & cessiones soli Romano Pontifici esse reservatas; nec posse sine ejus expressa licentia Episcopum à vinculo, quo suæ Ecclesiæ est alligatus, absolvi; ne quidem auctoritate Legati *à latere* sine speciali Sedis Apostolicæ indulto, *cap.* 3. ✠ *de Officio Legati.*

XXI. Ulterius cùm translatio fieri nequeat, nisi Ecclesia, à qua fit translatio, vacet, & alteri de novo provideatur, hinc usu notorio receptum est, quòd ubi Reges ad Episcopatus jus nominandi habent, nequaquam sine consensu Regis translatio fieri possit.

„ Necesse est (inquit Rebuffus in praxi, titulo *de trans*„ *latione Episcopi*) Regem translationibus Episcoporum con„ sentire, cùm ejus intersit, tanquam fundatoris; alioquin ap„ pellaretur ab abusu. "

Imò nec solus Regis consensus, seu approbatio sufficit, sed debet insuper in ipsa Bulla provisionis fieri mentio nominationis Regiæ; quemadmodum solemni Arresto aliquando decisum esse refert Joannes Tornet in sua collectione Arrestorum, *lit. R. cap.* 82. Et ita passim videmus, etiam in Belgio, ad nominationem Regiam Episcopos transferri.

XXII. Porrò licet mutata nonnihil sit disciplina quoad ipsam translationis formam, semper tamen mansit & manebit inconcussa Patrum regula, quòd nonnisi necessitate aut utilitate cogente, translationes Episcoporum fieri possint; nec minus hodie, quam ætate SS. Patrum culpabiles sunt Episcopi, qui avaritiâ aut ambitione ducti, de una Ecclesia migrant ad aliam.

Unde in Dictatu, vulgò Gregorio VII. adscripto Canone XIII. dicitur *Quòd Papæ liceat de Sede ad Sedem*, NECESSITATE COGENTE, *Episcopos transmutare.*

Et inter monita Cardinalis Bellarmini ad Clementem VIII. hoc unum erat: „ Translatio Episcoporum secundum Cano„ nes & usum veteris Ecclesiæ, non debet fieri nisi ob *Ec*„ *clesiæ necessitatem*, vel *majorem utilitatem.* Nec enim ins„ titutæ sunt Ecclesiæ propter Episcopos, sed Episcopi prop„ ter Ecclesias. Nunc autem quotidie fieri translationes vide„ mus, ea solum de causa, ut Episcopi honore vel opibus „ augeantur. "

De hac veritate non minus persuasus ipse Pontifex, quàm ipse Bellarminus, respondit: *Nos cum difficultate transferimus, & non defuimus monere Principes per nos, & per Nuntios nostros.*

TITULUS XVI.

De Cura Episcopali.

CAPUT I.

QUOMODO EPISCOPI SUCCESSERINT IN LOCUM APOSTOLORUM.

1 *Christus in opere sibi injuncto socios habere voluit.*
2 *Ad hoc elegit specialiter duodecim Apostolos.*
3 *Hos missit sicut ipse missus erat à Patre.*
* *Auctoritas regendi Ecclesiam omnibus Apostolis data.*
4 *Dedit Apostolis etiam potestatem alios mittendi.*
5 *Apostoli in suos successores transmisserunt quæ pro regimine Ecclesiæ essent necessaria.*
6 *Probatur Episcopos esse Apostolorum successores.*
7 *Quæ Apostolis ut* Episcopis *commissa fuerunt, in Episcopos transmissa sunt.*
8 *Nequaquam quæ Apostolis ut* Apostolis *erant propria; & quæ illa sint.*
9 *Episcopatus plenitudinem Sacerdotii continet; & in quo hæc plenitudo consistat.*

I. REdemptor humani generis Christus Homo Deus, missus à Patre ut perficeret opus ejus; nimirum conversionem hominum ad fidem per prædicationem Evangelii socios habere voluit, & ministros; quorum operâ ad ejusdem predicationem Evangelii uteretur, & quibus idem opus committeret.

II Ad hoc igitur ex numerosa discipulorum turba duodecim elegit, *quos & Apostolos nominavit*; quos familiaritate continua, verbis & factis optimè instructos, deinde ad prædicationem Evangelii mitteret, tanquam testes oculatos vitæ doctrinæ & resurrectionis suæ: *Et vos*, ait illis, *testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis* Joann. c. 15 v. 27.

III. Hos igitur misit prædicare, & evangelizare: atque post resurrectionem totum illum officium, quod ipse acceperat à Patre, perficiendum generali mandato commissit dicens: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Joann. 20. Ad idem nimirum opus perficiendum, quod quidem ipse Christus à Patre missus, tanquam præcipuus, propria auctoritate, propriaque doctrina hic existens in terris visibiliter exercuit, *circumeundo civitates & castella*; Mat. cap. 9. Marc. cap. 6. ipsi verò tanquam ejus ministri, auctoritate delegata & doctrinâ eis tradita, ac infusa, & experimentali continuarent; & quod ipse cœperat, ipsi prosequerentur.

* Ex verbis Evangelii antea relatis manifestum est, Christum omnes Apostolos misisse in mundum universum ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, idque cum pari auctori-

ritate, neque uni præ alio majorem dedisse auctoritatem in hac missione; sed quòd omnes & singuli ex æquo cum ea missi fuerint potestate, qua ipse ut homo missus fuerat à Patre: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos.*

Scitur quidem Christum nonnunquam singulariter ad Petrum verba direxisse, dum de potestate *clavium*, necnon de pastura spirituali agebatur, sed & hoc annotatum jam pridem fuit à sanctis Patribus, dicta ad Petrum, Ecclesiæ sive toti Collegio Apostolorum eam repræsentanti in persona Petri dicta fuisse.

Apud Gratianum, *caus.* 24. *quæst.* 1. *can.* 17. id annotatum occurrit ex S. Cypriano: „ Loquitur Dominus ad Petrum, ego dico tibi, inquit, *Tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam*, super unum ædificat Ecclesiam: & „ quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem „ potestatem tribuat, & dicat: *Sicut misit me Pater, & ego* „ *mitto vos*: *Accipite Spiritum Sanctum*: tamen, ut *unitatem* „ manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem auc- „ toritate suâ disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, „ quod fuit & Petrus, *pari consortio prædîti honoris & potestatis.* „ Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una mons- „ tretur. "

Idipsum notavit S. Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovinianum* circa medium: „ At dices, supra Petrum fundatur Ecclesia, „ licèt idipsum alio loco super *omnes* Apostolos fiat, & *cuncti* „ claves Regni Cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ec- „ clesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim „ *unus* eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio."

His consonat S. Augustinus *lib. de Agone Christiano, cap.* 30. „ Non enim (ait) sine causa inter omnes Apostolos hujus Ec- „ clesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus. Huic enim (Ec- „ clesiæ) claves Regni Cœlorum datæ sunt, cum Petro datæ „ sunt, & cum ei dicitur, ad OMNES dicitur, *Amas me? Pas-* „ *ce oves meas.*"

Et rursus apud Gratianum, *caus.* 24. *quæst.* 1. *can.* 6. ex tractatu ejusdem Doctoris in Joannem hæc leguntur: „ Quod- „ cunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis. Si hoc „ Petro tantùm dictum est, non hoc facit Ecclesia.... Si ergo „ hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam „ sanctam repræsentavit."

Itaque tametsi Christus subinde verba direxerit ad solum Petrum, hæc nihilominus ad totum Apostolorum Collegium, sive omnes Apostolos, quorum personam gerebat Petrus, directa fuise, censuêre Patres.

Et quidem adeò constans erat hæc opinio de data ex æquo auctoritate omnibus Apostolis annuntiandi Evangelium, & regendi Ecclesiam seculo VIII. ut etiam eam de data ex æquo auctoritatem opinionem ipse Pseudo-Isidorus expresserit in Decretali Anacleto Papæ supposita, cujus fragmentum refert Gratianus *dist.* 21. *can.* 3. *In novo.*

Post relata enim verba Christi, quibus Petro claves Regni Cœlorum, & super eum Ecclesiam se fundaturum promissit, concludit: „ Hic ergo solvendi, ligandique potestatem primus „ accepit à Domino, primusque ad fidem populum suæ prædi- „ cationis unitate adduxit, verboque instituit. *Cæteri vero Apos-* „ *toli* (ait) *cum* EODEM PARI *consortio honorem & potestatem* „ *acceperunt.*"

Scio Glossographum ad hunc Canonem, verbo *pari*, uti & ad Canonem LOQUITUR, *caus.* 24. *q.* 1. hoc appendisse glossema: „ Argumentum, quòd omnis Episcopus sit par Aposto- „ lico, quantum ad ordinem, & rationem consecrationis. Pe- „ trus enim major fuit aliis in administratione."

Verùm, quàm ineptum sit hoc glossema, evincunt verba Christi, quibus Apostolis omnibus Ecclesiam commendavit, eosque pari cum potestate missit, utpote, quæ evidenter de ipsius Ecclesiæ regimine, & administratione loquuntur; ac ita evincunt, à Christo datam esse plenariam potestatem Ecclesiam instituendi & gubernandi, omniaque ad ejus debitum regimen necessaria ordinandi, tanquam fideles dispensatores mysteriorum Dei, & ministri ac boni Pastores, cum eadem potestate, quâ ipse missus fuerat à Patre: quo sensu & textus à Gratiano relati potestatem ex æquo datam supponunt.

Id ipsum notavit Cardinalis Cajetanus in tractatu *de Auctoritate Papæ & Conciliorum*, *cap.* 3. Post relata enim Christi verba, quibus misit Apostolos, & propagationem, ac regimen Ecclesiæ ipsis commisit, atque ex his conclusit, Apostolos pari auctoritate à Christo fuisse missos, ulteriùs ita statuit: „ Ex „ his facilè est videre, quòd Apostoli, in quantum Apostoli, „ habuerint non solùm potestatem ordinis, sed jurisdictionis; „ auctoritas enim gubernandi Ecclesiam, quæ est Apostolatui „ propria, sine jurisdictionis potestate non est."

Fatetur igitur Cajetanus, quòd, sicut ipse Apostolatus æqualis fuit omnibus Apostolis, ita potestas gubernandi Ecclesiam in omnibus fuerit æqualis; utpote quæ est *Apostolatui propria*, eaque non tantum *ordinis*, sed & *jurisdictionis*, quia sine hac potestas gubernandi Ecclesiam non est.

Hæc tamen inter Apostolos æqualitas nullatenus Petri tollit Primatum. Evidens enim est, inter plures in regimine & auctoritate pares & æquales, unum esse posse primum, & primatum etiam cum quibusdam prærogativis obtinere; ut proinde ex æqualitate potestatis ac jurisdictionis, quam inter Apostolos agnoscunt sancti Patres, nihil concludi queat contra Primatum Petri.

IV. Verùm Christus, qui est ipsamet increata Sapientia, Ecclesiæ suæ, quam tanquam aciem castrorum ordinatam, Ducibus, Tribunis & Centurionibus bene instructam esse voluit, haud sat prospexisset, si solis eam Apostolis ita commendasset, ut illis extinctis, utpotè mortalibus, nulli alii succederent in eodem gubernandi munere.

Verum quidem est quòd Christus tametsi non amplius visibiliter cum hominibus conversetur, tamen Ecclesiam sponsam suam non omninò deserat, sed Spiritu suo perpetuò præsens, eam ipsemet regat adhuc, & gubernet tanquam *Caput* & *Dominus*, cui promisit se adfuturum usque ad consummationem seculi; nihilominus uti voluit ministris, & operariis, qui ipsius nomine ea exhibeant ministeria, quæ opere peraguntur corporali, & visibili.

Hi primi fuêre Apostoli ab ipsomet Christo, ut dixi, electi, & ad hoc munus assumpti; qui tamen, ut ipsi etiam possent aliquo modo esse perpetui in Ecclesia, dedit & eis potestatem alios eligendi, & assumendi ad idem opus, sicut ipse eos elegerat, & assumpserat. Dixit igitur illis: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos*, cum commissione & mandato generali; ut sicut ipse habuit à Patre mandatum generale docendi, instruendi & convertendi mundum ad cognitionem veri Dei, & Ministros ad hoc necessarios, necessariâ auctoritate instructos deputandi; ita & ipsi haberent idem officium & mandatum, cum eadem potestate Ministros eligendi simili auctoritate instructos, idque continuata successione usque ad consummationem seculi.

V. Apostoli ergo auctoritate à Christo sibi delegatâ, quidquid pro Ecclesiæ debitâ administratione necessarium erat, in Episcopos tanquam legitimos Successores transfuderunt.

VI. Hinc illud Psalmistæ: *Pro Patribus nati sunt tibi filii*, sic exponit Augustinus: „ Patres missi sunt Apostoli, pro Apos- „ tolis filii nati sunt tibi, *constituti sunt Episcopi.* Hodie enim „ Episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ip- „ sa Ecclesia *Patres* illos appellat, ipsa illos genuit, ipsa illos „ constituit in Sedibus *Patrum.* Non ergo te putes desertam, „ quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides „ illos, per quos nata es, de prole tuâ tibi crevit paternitas „ *pro Patribus tuis nati sunt tibi filii.*" In Psalm. 44.

S. Cyprianus ad Cornelium Papam scribit: „ Hoc vel maxi- „ mè, Frater, laboramus, & laborare debemus, ut unitatem „ à Domino, & per Apostolos nobis *Successoribus* traditam, „ quantum possumus, obtinere curemus." *Epist.* 42. Item, „ Christus dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes Præpositos, „ qui Apostolis vicariâ ordinatione succedunt: *Qui vos audit,* „ *me audit.*" Epist. 69.

Apud nos Apostolorum locum, ait Hieronymus, *Episcopi tenent.*

Et S. Gregorius: „ *Horum* profectò (Apostolorum) nunc „ in Ecclesia *Episcopi* locum tenent, ligandi, atque solvendi „ auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur." *Homil.* 26. *in Evang.*

His, aliisque Patribus inhærens Synodus Tridentina declarat, *Episcopos*, qui in *Apostolorum locum successerunt*, ad Ordinem Hierarchicum præcipuè pertinere. *Sess.* 23. *de Ordin. cap.* 4.

VII. In ipsam ergò Apostolicam auctoritatem succedunt Episcopi, ita nimirùm, ut quidquid potestatis Episcopalis, id est, ad regimen Ecclesiæ spectantis Apostoli habuerunt, id ab ipsis in Episcopos, tanquam eorum in Ecclesiæ administratione & regimine Successores transfusum sit.

* Ex eo, quòd Episcopi in ordinaria potestate & auctoritate gubernandi Ecclesiam succesissent Apostolis, & quidem omnibus in *communi*, sive Apostolorum Collegio, consequens est, omnes Episcopos ex sua institutione præveniendo omne jus positivum esse in potestate & auctoritate gubernandi Ecclesiam æquales; non tantùm quoad ea quæ ordinis sunt, sed & quæ jurisdictionis sunt, in quantum hæc ad salutem populi & rectum spirituale Ecclesiæ regimen spectant.

Certum quippè est succesorem in jura sui prædecessoris succedere, nisi ostendatur hæc in successore restricta esse vel excepta, aut legitimè alterata.

Itaque sicut Apostoli cum plenaria ex æquo potestate ad propagandam & gubernandam Ecclesiam missi fuerunt, uti ad *n.* 3. probatum est, ita in eandem *plenariam* potestatem & auctoritatem Episcopi præveniendo omne jus positivum, ex æquo Apostolis succedere dicendi sunt.

Hanc consequentiam notavit S. Hieronymus in Epistola ad Evagrium relata apud Gratianum *dist.* 93. *can. Legimus*, æqualitatem Episcoporum maximarum & minimarum civitatum ex hac successione adstruens: „ Ubicunque fuerit Episcopus, sive Ro-

„ Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, „ sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est & „ Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel „ sublimiorem, vel humiliorem non facit Episcopum."

Hujus æqualitatis rationem dein subdit: *Cæterum omnes successores Apostolorum sunt*, quasi diceret, cùm omnes æqualiter Apostolis succedant in communi, etiam ejusdem reputandi sunt meriti & Sacerdotii.

Cui conforme est illud S. Cypriani apud Gratianum *caus.* 24. *q.* 1. *can.* 16. „ Nemo fraternitatem fallat, nemo fidei verita- „ tem perfidâ prævaricatione corrumpat, Episcopatus *unus* est, „ cujus à singulis pars in solidum tenetur."

Et rursus in Syn. Carthag. super quæstione *de validitate, aut invaliditate Baptismi collati per hæreticos*, ad Episcopos dicere non dubitavit: *Quòd habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non possit, cùm nec ipse possit alterum judicare, sed expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione; & de actu nostro judicandi.*

Itaque non dubium, quin præveniendo jus positivum, singuli Episcopi habeant plenam auctoritatem statuendi & agendi omnia, quæ ad populi sibi commissi salutem & rectam ministrorum instructionem judicaverint necessaria, quodque habeat omnis Episcopus suæ potestatis liberum arbitrium, neque ab altero judicari queat; nisi à definitis & decretis Ecclesiæ recedere reperiatur.

Quin & hæc plena auctoritas penes Episcopos septem ut minus seculis mansisse videtur; at subsequentibus seculis præsertim post invectas & receptas falsas Decretales, multa sensim Pontifici Romano reservari cœperunt: uti in decursu hujus operis sæpius notatum est.

VIII. Ea verò, quæ Apostolis non ut Episcopis, sed ut Apostolis sunt propria, neque debito Ecclesiæ regimini, & administrationi sunt necessaria, ni fortè ad tempus, in Episcopos non transierunt; neque in his Apostolis successerunt; ut propterea non *Apostoli*, sed simpliciter *Episcopi* dicantur.

Verbo, succedunt Apostolis in regiminis Ecclesiastici ministeriali potestate, nequaquam verò in hoc, ut sint testes, vitæ, doctrinæ, & Resurrectionis JESU CHRISTI Domini nostri, & sanè testes *oculati*; neque in eo, quòd à Christo immediatè eligantur, & ad evangelizandum mittantur; neque in multis gratiis & prærogativis, ut in *copia* Spiritus Sancti, in *doctrinæ infallibilitate*, in *plenitudine scientiæ*, in *dono linguarum* & *miraculorum*, &c. In his enim Apostolorum proprietatibus nulla datur successio ordinaria in Ecclesia: fuerunt enim dona & privilegia *Apostolatûs propriè dicti*, in quem Episcopi non successerunt: Quidquid verò reliquæ potestatis, ac officii habuêre Apostoli, id totum fuit Episcopale, & in Episcopos tanquam eorum Successores pro regimine suarum Diœcesium plenariè transfusum est.

IX. Episcopatus ergo per se plenam regiminis Ecclesiastici potestatem, & ipsius Sacerdotii plenitudinem continet: adeo ut Episcopi, præveniendo omnem Ecclesiæ restrictionem, seu limitationem, eandem in regimine Ecclesiastico illimitatam, quam Apostoli habuêre, auctoritatem vi suæ Ordinationis accipiant.

Hinc illud Clari à Mascula apud Agustinum, *lib.* 7. *de Bapt. contra Donatist. cap.* 43. „ Manifesta est sententia Do- „ mini nostri Jesu Christi Apostolos mittentis, & ipsis solis po- „ testatem sibi à Patre datam permittentis, quibus nos succesi- „ mus, *eodem potestate* Ecclesiam Domini gubernantes."

CAPUT II.

EPISCOPI VOCANTUR AD NUDUM ECCLESIÆ MINISTERIUM ET SERVITUTEM.

1 *Ostenditur Apostolos ad laborandum vocatos fuisse.*
* *Quâ ratione Pontifex & Episcopi dicantur capita Ecclesiæ.*
2 *Munus Apostolorum non nisi laboriosum fuisse.*
3 *Episcopi tanquam Apostolorum successores non nisi ad laborem vocantur.*
4 *Nomen ipsum* Episcopi *significat eos ad solicitudinem & laborem esse vocatos.*
5 *Monitum Synodi Tridentinæ ad Episcopos.*
6 *Dictum Doctoris Clictovii contra illos, qui onus Episcopale in Vicarios conjiciunt.*

I. SI eas Apostolorum prærogativas, quæ dona fuêre temporis, potiùs quàm personarum, ut loquitur Augustinus, exceperis, unicè ad Ecclesiæ ministerium, ac populi instructionem, & ipsius Ecclesiæ spiritualem ædificationem ministerialem vocati fuêre; ut propterea Apostoli, seipsos tanquam simplices Ministros & operarios ad laborandum in vinea Domini, eamque excolendam reputaverint; atque eundem in finem ad idem ministerium sibi Successores ordinaverint.

Ita Paulus vocat se ministrum Evangelii & Ecclesiæ: *Cujus ego* Ecclesiæ, inquit, *factus sum Minister secundum dispensationem* DEI, *quæ data est mihi in vos, ut impleam Verbum* DEI. Ad Colossens. 1. Et alibi plantandi & rigandi officium sibi applicat; quod est, esse merè operarios in vinea Domini: *DEI enim adjutores*, inquit, *sumus*, *DEI agricultura estis*; *omnia enim vestra sunt*, 1. Cor. c. 3. id est, in vestri gratiam; quasi diceret, omnia, quæ agimus tanquam Dei Adjutores & Operarii, in vestri gratiam & profectum spiritualem facimus.

Unde & ipse Christus *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum* IN OPUS MINISTERII IN ÆDIFICATIONEM *Corporis Christi.* En opus ministerii ad quod Apostoli & Pastores vocantur; nimirum ad ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia.

* Exprimitur, Apostolos & Episcopos eorum successores, & generatim omnes Pastores positos tanquam operarios & coadjutores in ministerium Evangelii.

Ad hoc verùm notandum, ipsos duntaxat à Christo positos ut meros ministros, qui per actus hierarchicos, & externos applicent & impendant hominibus ea, per quæ Christus voluit spiritum suum, & interiorem influxum gratiæ suæ largiri; uti sunt divini verbi prædicatio, Sacramentorum administratio, aliaque similia.

At verò interiorem illum influxum sui Spiritûs, & gratiæ, Christus nulli homini, aut puræ creaturæ in anima operandi potestatem communicavit, sed eam sibi soli reservavit: hinc illud Apostoli: *neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

Igitur nec Episcopi, nec Pastores dici possunt Vicarii Christi vel ejus vicem in terra gerentes, quantum ad hunc interiorem, & spiritualem influxum, sed duntaxat quoad externam Ecclesiæ gubernationem, & sensibilem ac simplicem applicationem eorum, per quæ interiorem eum gratiæ, & Spiritûs sancti influxum, Christus applicare, & communicare voluit.

Unde propriè loquendo nullus ministrorum Ecclesiæ, etiam Romanus Pontifex dici potest dare verum influxum interiorem: sed hic influxus soli Christo, tanquam unico & propriè dicto capiti essentiali suæ Ecclesiæ competit, per quem etiam, tanquam Caput, omnia ejus membra vitam, & motum interiorem gratiæ accipere debent.

Proinde impropriè, & æquivocè tantum influxus hic Pontifici, aut Episcopis tribui potest, quatenùs scilicet extrinsecè per ministeria externa, sive actus sensibiles & hierarchicos mysteria Christi dispensant.

Inde & habetur, quòd Episcopi, quin & Romanus Pontifex, non nisi impropriè dici queant *Caput* Ecclesiæ; sed solus Christus *Caput* Ecclesiæ dicendus sit: utpotè, qui solus in membra influit, ac per interiorem spiritum motum vitalem tribuit, & sine cujus continuo influxu membra motum & vitam spiritualem amittunt, atque arescunt.

Verùm quemadmodum Episcopi, & Pastores dicuntur nonnunquam influere, in quantum per actus hierarchicos externos applicant ea, quibus Christus influxum hunc gratiæ suæ interioris, & sui etiam Sacerdotii communicationem annexuit, ita quoque *capita* ministerialia suarum respectivè Ecclesiarum Episcopi tanquam primi ministri, & Pontifex Romanus, utpotè primus inter omnes, totius Ecclesiæ *caput ministeriale* appellari potest.

Id jam pridem notavit Gabriel Biel accuratè explicans, quâ ratione Romanus Pontifex dici queat influere in corpus Ecclesiæ, aut ejus Caput nuncupari, *lection.* 23. *in Canone Missæ, litt. N.* dicens: „ Præterea Christus est caput Ecclesiæ *princi-* „ *pale* & *primarium*, in se omnia dona & gratiarum charisma- „ ta continens, & propriâ virtute, & auctoritate membra vivi- „ ficans, ac motum, & sensus spirituales influens. Papa verò „ caput est Ecclesiæ *secundarium* & Vicarium, nonnunquam „ virtutis gratiæ vacuum: neque enim ipse influit vitam spiri- „ tualem in membra, neque enim ipse dat membris sensum & „ motum, nisi ut minister & Vicarius Christi, propter quod „ dicit Apostolus 2. Corinth. 5. *pro Christo legatione fungimur* „ *tanquam Deo exhortante per nos.* Adde & illud prioris ad „ Corinth. 3. *neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat,* „ *sed qui incrementum dat Deus.*"

Et Petrus Alliacensis, Cardinalis & Episcopus Cameracensis in tractatu de *Ecclesiæ auctoritate*, *part.* 1. *cap.* 1. notavit, quòd, licèt Christus „ solus & propriè sit & maximè Caput „ Ecclesiæ, tamen nihilominus Petrus, & quilibet ejus succe- „ sor Vicarius Pontifex summus, potuit dici *caput* Ecclesiæ, in „ quantum est principalis inter ministros."

Hinc ulteriùs *part.* 3. *c.* 4. concludit: „ quòd, quamvis „ Papa concedatur caput Ecclesiæ, tamen hoc est sub princi- „ pali, & essentiali capite Christo, & ideo subordinatio cor- „ poris Ecclesiæ ad Papam est solùm accidentalis, sed essen- „ tialis ad Christum."

Et

Et Synodus Basileensis in responsione Synodali editâ anno 1432. (quæ incipit *Cogitanti*, & integra habetur tom. 12. Conc. General. col. 673.) asserit : quòd sit *principalis* Prælatus corporis mystici, & propterea sit nihilominus intra corpus: „ Nam, si esset extra corpus, tunc non pertineret ad corpus, „ nec tunc caput esset. Corpus igitur hoc totum continet, & „ ipsum, quod dicitur *Caput*, & singula membra."

Cùm ergo Romanus Pontifex non nisi caput Ecclesiæ ministeriale dici, & reputari queat, tanquam primus minister, & principalis Prælatus, neque dici queat propriè influere in corpus Ecclesiæ, ei motum, aut vitam spiritualem subministrando, consequens est, non posse duci similitudinem à capite naturali respectu corporis humani, ad caput ministeriale, quale est Papa respectu Ecclesiæ : neque prætendi posse, integritatem Corporis Christi mystici dependere ab incolumitate hujus *Capitis*, quemadmodum à capite naturali dependet incolumitas corporis humani.

Idipsum jam pridem notavit Joannes Gersonius *art.* 11. inter articulos contra Petrum de Luna : „ Respondeo, ait, quòd „ similitudo corporis veri, & mystici non est usquequaque ea„ dem, quoniam sine capite naturali corpus non potest vivere, „ sed sine capite *secundario* corpus mysticum potest habere vi„ tam, sicut in casu nostro patet de Papa, quo remoto, vel „ abscisso stat unitas & vita in corpore mystico Ecclesiæ, & „ hoc est *virtute Capitis essentialis & primi*, quod est Christus."

His & consentit Bellarminus *lib.* 2. *de Concil. auctoritate cap.* 19. „ In corporibus naturalibus amputato capite totum „ corpus moritur, at Corpus Ecclesiæ non moritur, morien„ te Papâ."

Unde mortuo Papâ manet *Una, Sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia*, & ut talem publicè per symboli recitationem, etiam nullo existente Romano Pontifice, confitemur.

II. Rectè ergo Os verè aureum S. Chrysostomus, recensens munera Apostolorum, non nisi laboriosa, obsequiosa, ministerialia protulit : „ *Columnæ* quidem, quoniam virtute sua „ Ecclesiæ robur sunt..... *Gubernatores*, quoniam orbem ter„ rarum viam rectam docuerunt ; *Pastores*, quoniam lupos „ abegerunt, & oves conservaverunt ; *Aratores* quoniam spinas „ eradicaverunt ; *Vinitores*, quoniam labruscas eradicaverunt, „ & semina pietatis plantaverunt. " *Serm. de Pentecoste.*

Vocati ergo fuêre Apostoli, eorumque Successores ad ministerium ; id est, ut vineam Domini excolant, ejus gregem custodiant & pascant, atque ad æternæ vitæ pascua perducant.

III. Hæc expendens S. Gregorius, in persona Joannis Episcopi primæ Justinianæ omnibus Episcopis scribit : „ Estote in „ custodia commissi gregis vigilantes atque soliciti, & disciplinæ zelo districti, ne Lupus insidians, nec ovile turbare Do„ minicum, nec nocere ovibus aliqua fraudis occasione prævaleat. Animarum lucrum tota mentis intentione ferre festinate: „ nomen nos *Pastoris*, non ad quietem, sed ad laborem sus„ cepisse cognoscite. Exhibeamus ergo in opere, quod signa„ mur in nomine. Sacerdoti prærogativam, si recta considera„ tione pensemus, solicitis & bene gerentibus in honore, ne„ gligentibus autem profectò erit in onere. Sicut igitur *laboran„ tes*, & circa animarum salutem *solicitos*, hoc nomen ante „ Deum æternam ducit ad gloriam ; ita *desides* ac *torpentes* ur„ get ad pœnam. " Lib. 4. epist. 8.

IV. Et S. Augustinus *lib.* 19. *de Civit.* DEI, *cap.* 19. apud Gratianum 8. *quæst.* 1. *Can.* 11. ex ipso nomine *Episcopi* ostendit, Episcopum ad curam, & laborem vocari ; onusque Episcopale, non nisi cogente charitate, esse suscipiendum. Verba ejus sunt : „ *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus deside„ rat.* Exponere voluit, quid sit Episcopatus : quia nomen est „ *operis*, non honoris. Græcum est enim, atque inde ductum „ vocabulum, quòd ille, qui præficitur, eis, quibus præficitur, „ superintendit, curam eorum scilicet gerens : ἐπὶ quippe, su„ per, σκοπος verò, intentio est. Ergo Episcopos, si velimus, „ latinè *superintendentes* possumus dicere ; ut intelligat non „ esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. Itaque „ à studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quòd ad lau„ dabile pertinet otium. Locus verò superior, sine quo regi po„ pulus non potest, etsi ita teneatur, atque administretur, ut „ decet, tamen non decenter appetitur. Quamobrem otium „ sanctum quærit *charitas veritatis* : negotium justum suscipit „ *necessitas charitatis* : quam sarcinam si nullus imponit, per„ cipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati : si autem im„ ponitur, suscipienda est propter charitas necessitatem ; sed „ nec sic omnimodò veritatis delectatio deserenda est, ne sub„ trahatur illa suavitas, & opprimat ita necessitas."

V. Itaque optandum esset, (verbis loquor Synodi Tridentinæ. *Sess.* 25. *cap.* 1. *de Reform.*) „ ut ii, qui Episcopale minis„ terium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant ; ac se non ad „ propia commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores „ & solicitudinem pro Dei gloria vocatos esse intelligant."

VI. Videant ergo hi, qui se Apostolorum Successores esse gloriantur, ne dum rejecto in alios pondere diei & æstus, reservatis sibi honoribus & divitiis, in ipsis verificetur quod dictum refertur de similibus à Jodoco Clictovio Doctore Sorbonico: *Adibunt hujusmodi per* VICARIOS *paradisum*, IN PERSONA *inferos*. Apud Espencæum *lib.* 3. *digress. c.* 2.

CAPUT III.

QUISQUE EPISCOPUS HODIE HABET DISTINCTAM DIŒCESIM, EXTRA QUAM JURISDICTIONEM, AUT PONTIFICALIA EXERCERE NEQUIT.

1 *Christus Apostolos non misit ad certam Ecclesiam, sed in universum mundum.*
2 *Ipsi certas orbis partes singuli delegerunt.*
3 *Apostoli certas Ecclesias fundabant, & his proprios Episcopos assignabant ; idque cum potestate rursus alios ordinandi.*
4 *Tempore Apostolorum erant Episcopi quidam certæ Ecclesiæ alligati, quidam nulli, inter quos tamen nullum erat essentiale discrimen.*
* *Solicitudo Episcopalis ad omnes Ecclesias se extendit.*
5 *Post tempora Apostolorum singulis Episcopis sua fuit assignata Ecclesia.*
* *Præter solicitudinem omnium Ecclesiarum, Romano Pontifici sua est particularis Ecclesia.*
6 *Episcopis interdictum fuit quidquam in aliena Diœcesi ordinare aut agere sine licentia Ordinarii.*
7 *Synodus Tridentina interdixit Episcopis exercere* Pontificalia *in alterius Diœcesi sine licentia Ordinarii.*
8 *Quis ad mentem Concilii Tridentini dicatur* Ordinarius.
9 *Episcopus in loco* simpliciter exempto *suæ Diœcesis potest* Pontificalia *exercere.*
10 *Archiepiscopus in Diœcesi sui Suffraganei* Pontificalia *ordinariè exercere non potest.*
11 *Quid sub nomine* Pontificalium *contineatur.*
12 *Non potest Episcopus in aliena Diœcesi Missam in* Pontificalibus *celebrare ; nec solemnem benedictionem impertiri sine licentia Ordinarii.*
13 *Archiepiscopi vel Primates non possunt extra suam Diœcesim incedere* cruce elevata.
14 *Actus* voluntariæ *jurisdictionis, usum* Pontificalium *non exigentes, in aliena Diœcesi expediri possunt.*

I. CHristus Dominus ascensurus ad Patrem, & Ecclesiam suam visibiliter derelicturus, dixit Apostolis : *Euntes in mundum* UNIVERSUM *prædicate Evangelium* OMNI *creaturæ.* Deinde subdit sacer Textus : *Illi autem profecti, prædicaverunt* UBIQUE *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* Marci 16. v. 20.

II. Nequaquam ergo Christus Apostolos suos ad certam, ac limitatam Orbis partem misit ; sed in mundum universum, ut docerent omnes gentes, & prædicarent ubique.

Verùm cùm singuli non possent ubique prædicare Evangelium, & actualiter operi Apostolico incumbere, sed tantùm in ea Orbis parte, in qua præsentes erant, initio quidem, ex communi, mutuoque consensu, non tamen sine interna Spiritûs Sancti inspiratione, quia pauci erant, ut tanquam testes oculati vitæ, & doctrinæ Christi, ejusque Resurrectionis, Evangelium per universum mundum disseminarent, admodum latas, & diffusas Orbis partes, seu ut hodie loquimur, Diœceses singuli sortiti sunt : adeo ut etiam integra, ac lactissima Regna pro sua quisque Diœcesi haberet ; in qua actu quisque operaretur.

III. Adhæc quocunque Apostoli perveniebant, non solùm evangelizabant, atque populos docebant, & Ecclesias fundabant, sed etiam proprios Episcopos creabant, quibus Ecclesias noviter fundatas commendabant ; ac insuper quo ipsi pertingere non poterant, Discipulos in doctrina Christi ritè instructos, & ordinatos ablegabant ; idque rursus ad amplas Diœceses, & cum potestate alios constituendi, & ordinandi.

Exemplum habemus in Apostolo Paulo, qui Titum reliquit Cretæ, *ut ea*, ait, *quæ desunt corrigas*, & CONSTITUAS *per civitates* PRESBYTEROS, *sicut & ego disposui tibi.* Ad *Titum* 1. cujus prius operâ confirmaverat alias quoque Ecclesias, Dalmaticam, & Corinthiacam.

IV. Ut proinde dubitari nequeat, tempore quoque Apostolorum fuisse Episcopos, qui non secus quàm Apostoli, indiscriminatim per omnem, & varias Regiones discurrentes, semina Evangelii mitterent ; alios verò particularibus partibus Orbis, seu Ecclesiis adstrictos & destinatos, quod tamen nullum inter illos essentiale discrimen constituebat.

* Porrò, quemadmodum hæc ad certam Ecclesiam adscriptio nullam inter Apostolos essentialem differentiam induxit, ita nec inter Episcopos de eorum auctoritate, & missione ad gubernandam Ecclesiam quidquam diminuit.

Unde, quemadmodum Apostoli omnes vi suæ missionis, quam

quàm à Christo acceperant, Evangelium annuntiare debebant per mundum universum; ita quoque Episcopi eorum successores, non obstante hâc ad certam Ecclesiam adscriptione, vocati censentur ad impendendam curam pastoralem omnibus fidelibus, & annuntiandum Evangelium omni creaturæ, dum necessitas, aut salus proximi id exigit.

Quidni igitur pari rationi ex mente Ecclesiæ esse dicamus, omnem restrictionem Episcopalis solicitudinis jure positivo inductam, debere cessare, dum necessitas Ecclesiæ, aut charitas proximi eam restrictionem non patitur, sed auctoritatem Episcopalem, & plenitudinem sacerdotii in ordinatione acceptam, ad alias Ecclesias extendi postulat?

Omnis enim Episcopalium Diœcesium non secus ac Parochiarum divisio, & ad certos terminos restrictio, ex lege positiva dimanat, quæ legi necessitatis, & charitatis cedit.

Quid igitur si noverit Episcopus Ecclesiam aliquam ministris necessariis, & Catholicis destitutam videns, neque huic populo esse proprium Episcopum, qui Presbyteros, & necessarios Ministros ordinet? Quidni, inquam, poterit, imò teneretur, urgente Ecclesiæ hujus necessitate Episcopalem suam auctoritatem, & solicitudinem ad eam Ecclesiam, seu populum extendere, ei necessarios ministros ordinando? Quemadmodum Parochus ob defectum proprii Parochi, vel presbyteri potest, quin & tenetur ultra limites propriæ Parochiæ curam pastoralem alteri populo impendere.

De hac mente Ecclesiæ indubiè persuasus erat S. Epiphanius, de quo legimus apud S. Hieronymum *epist.* 60. „ Quòd cùm aliquando esset in Diœcesi Hierosolymorum, in „ Monasterio Bethelhemitico, Diaconum ordinaverit quemdam „ & postea Presbyterum, illiusque Monasterii in spiritualibus „ fermè destituti, curam gesserit non exiguam, illudque egre„ giè instituerit, & instruxerit. "

Hoc Epiphanii facto offensus Joannes Hierosolymorum Episcopus in ipsum Epiphanium excanduit, uti habetur ex litteris S. Epiphanii ad ipsum Joannem, quibus ostendit, immerito ob hanc causam in ipsum excanduisse Joannem, tametsi non difiteatur Monasterium Bethlehemiticum, cujus curam egerat, & cui Presbyterum ordinaverat, extra suam Diœcesim, & in Diœcesi Joannis Hierosolymorum Episcopi sìtum, rationem notandam subjiciens: „ Ob Dei timorem (ait) „ hoc sumus facere compulsi, maximè, cùm nulla sit diver„ sitas in Sacerdotio Dei, & ubi Ecclesiæ utilitati provide„ tur: Nam, etsi singuli Ecclesiarum Episcopi habeant sub „ se Ecclesiam, cui curam videntur impendere, & nemo su„ per alienam mensuram extenditur, tamen præponitur om„ nibus charitas Christi. "

Ex his Epiphanii verbis habemus, ipsum existimâsse in sacerdotio Dei nullam esse diversitatem; atque ex Christi instituto nullis locis officium Episcopale sive sacerdotale concludi, atque ita, dictante charitate, quæ humanis legibus non adstringitur, singulos Episcopos posse etiam aliorum Ecclesiis curam impendere.

His consonat, quòd Alexander Episcopus Alexandrinus, ortâ hæresi Arianâ scribit in epistola, quâ de hac hæresi in sua Diœcesi exurgente, certiores reddit cæteros Episcopos: „ cùm (ait) in sacris litteris sit unum corpus Ecclesiæ Catho„ licæ nobis traditum, & præceptum, ut concordiæ, ac pa„ cis vinculum firmum teneamus. Apud Socratem *lib.* 1. *cap.* 3. "

Hîc videmus, Alexandrum ad movendos Episcopos in debellationem hujus exorientis hæresis in sua Diœcesi Alexandrina, eo præcipuè fundamento ursisse, quòd singulis Episcopis, non tantùm singularum suarum Diœcesium, sed unus corpus Ecclesiæ *omnibus & singulis* traditum & præceptum esset.

Indubiè idipsum movit S. Cyprianum, ut non tantùm Ecclesiæ Carthaginensis (cujus erat Episcopus) curam egerit, sed & eam curam ad Romanam Ecclesiam, cæterasque etiam per Orientem Ecclesias extenderet.

De ipso namque ita scribit Gregorius Nazianzenus *Orat.* 19. *in Cyprianum*: „ Non enim Ecclesiæ Carthaginensium præse„ dit *soli*, seu Africæ, quæ ex illo, & per illum celebris in „ præsentem usque diem facta est, sed *Hesperiæ universæ*, imò „ *Orienti* ferè ipsi ad finem usque Meridiei & Septentrionis. "

Notissimum est, qualiter sanctissimi Episcopi Athanasius, Basilius, Chrysostomus, aliique, universis Ecclesiis, ubi eas periclitari cernebant, vel forsan etiam à suis Episcopis negligi, vel erroribus & hæresibus infici, succurrerint; quin & ubi inter Ecclesias dissidia, contentionesque nata videbant, sese ut concordiæ & pacis arbitros ex suo pastorali officio impenderint.

Notabile est, quod de Hilario Pictaviensi, & Eusebio Vercellensi scribit Theodoretus in sua historia, *lib.* 5. *cap.* 4. „ Ita dico: isti viri, velut magnifica quædam lumina Illiricum, „ & Italiam, Galliasque suo splendore radiârunt.

Quidni & credamus, Eusebium Samosatensem Ecclesiæ hujus Episcopum, varios per Syriam, & Mesopotamiam ordinâsse Episcopos Catholicos, uti testatur de ipso Theodoretus loco prælato, *eadem charitate & necessitate urgente*, ut eas Ecclesias vel ab hæresi Ariana purgaret, vel præservaret.

Neque enim Theodoretus, aliusve ejus ætatis scriptor, vel delegationis alicujus Episcopi, vel ullius Synodi meminit, cujus auctoritate munitus Eusebius has ordinationes extra suam propriam Diœcesim, quin & Provinciam fecisset.

Omnes igitur hi, aliique vigilantissimi Episcopi persuasissimum sibi habebant, officium Episcopale ipsos obligare non tantùm ad laborandum pro una particulari Ecclesia, cui in sua ordinatione fuêre adstricti, sed quòd hoc officium universæ Ecclesiæ deberent, ubi *necessitas vel charitas* id juxta leges christianæ prudentiæ exigeret, quemadmodum eam extendit S. Eustachius Episcopus Antiochenus, uti scribit S. Chrysostomus in laudibus hujus Episcopi. „ Hic edoctus probè fuerat à S. Spritûs „ gratia, Ecclesiæ Antistitem non de illa solùm, quæ ipsi à S. „ Spiritu sit commissa, curam debere gerere; verùm etiam de „ *universa*, quæ per orbem terrarum degit. "

V. Post mortem verò Apostolorum, cernens Ecclesia ex indiviso illo regimine non rarò oriri confusionem & perturbationem in Ecclesiæ regimine, *singulis Pastoribus* (uti loquitur S. Cyprianus) *portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet.*

* Quemadmodum à primis nascentis Ecclesiæ penè temporibus singulis Episcopis certa Dominici gregis portio fuit assignata, quam unusquisque regat & gubernet, uti supra notatur, ita quoque Romano Pontifici, quamvis potissimum incumbat omnium Ecclesiarum solicitudo, certa portio, sive particularis Ecclesia, quam ipse tanquam ejus proprius Episcopus, & pastor regat, & gubernet, assignata fuit.

De Ecclesia Romana ità consideratâ, atque certis limitibus circumscriptâ, & uni Episcopo Romano, tanquam proprio Pastori concreditâ, intelligitur illud Hieronymi *in epistola ad Evagrium* apud Gratianum *dist.* 93. *can.* 24. „ Ubicunque fue„ rit Episcopus, sive *Romæ*, sive Eugubii, sive Constantino„ poli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem „ meriti, ejusdem est & Sacerdotii. Potentia divitiarum, & „ paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Epis„ copum non facit. Cùm omnes Apostolorum Successo„ res sunt.

Quid manifestius, quàm Hieronymum hîc considerâsse Pontificem Romanum, ut Episcopum Urbis Romanæ, eâque in qualitate cæteris Episcopis æqualem, sive ejusdem meritis ejus dem & Sacerdotii reputasse.

Et ante ipsum S. Irenæus Lugdunensium Episcopus scribens contra hæreses, ac probans Catholicæ doctrinæ veritatem ex Apostolica traditione in certis Ecclesiis per manus & successiones ab Apostolis illarum Fundatoribus accepta, longum futurum nimis existimans, si vellet omnium Ecclesiarum numerare successiones; ex omnibus tamen Ecccclesiis particularibus sumit tres duntaxat *maximam & antiquissimam & omnibus cognitam, illam, quæ à duobus Apostolis Petro & Paulo fuit fundata* Romæ. Deinde sumit *Smirnensem & Ephesinam.*

Reputavit igitur Irenæus, Ecclesiam Romanam, ut Ecclesiam ab Apostolis fundatam, & antiquissimam, sed tamen tanquam unam particularem, & à reliquis distinctam.

Cùm igitur Episcopus Romanus, tametsi inter cæteros *Primus* & *Primatum* obtinens, semper ordinatus & reputatus fuit, tanquam Ecclesiæ Romanæ certis limitibus circumscriptæ proprius Episcopus & Pastor, etiam pluribus seculis obtinuit, & religiosè servatum est, ut more cæterorum Episcoporum, non nisi à Presbyteris aut Diaconis Ecclesiæ Romanæ tanquam ejus proprius Pastor eligeretur: uti etiam recenter notavit Joannes Garnerius in secunda appendice ad librum Diurnum Romanorum Pontificum, unà monens non reperiri, quòd primis septem seculis, Episcopi Romani consecratio alio ritu fuerit peracta, quàm aliorum Episcoporum: „ Non apertè (inquit) constat, utrum in consecratione Pon„ tificis alius ritus servatus fuerit primis septem seculis quâm „ qui servari solitus in consecratione aliorum Metropolitano„ rum, imò & Episcoporum: additque, quòd eâ tempesta„ te non ex Episcopis summi Pontifices fierent (id enim ten„ tatum primo in Formoso) sed ex Diaconis ut plurimum, & „ Presbyteris Ecclesiæ Romanæ, ut historia Pontificum docet. "

Hinc & olim Pontifices Romani adinstar aliorum Episcoporum, qui à sua particulari Ecclesia nomen mutuabant; etiam & ipsi à Romana Ecclesia tanquam â sua particulari Ecclesia dicti fuere *Urbis Romæ Episcopi.*

Ita Hieronymus quoties de Romano Pontifice loquitur, eum Romanæ Ecclesiæ, aut simpliciter *Urbis* Episcopum vocat. Ita enim in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis loquens de epistolis Dionysii Corinthii, ait: „ Septima Dionysii epis„ tola est ad Romanos, quam scripsit ad Sotherem *Episco„ pum eorum*: evidenter significans Sotherem esse Romano„ rum particularem Episcopum. " Et de Victore loquens: „ Vic„ tor XIII. (ait) *Romæ Urbis Episcopus*, & alios plures ibi„ dem Pontifices enumerans, ipsos Urbis *Romæ* Episcopos vocat. "

Por-

Porrò in quantum Ecclesia Romana consideratur, ut particularis Ecclesia, eatenus quoque cum cæteris Ecclesiis particularibus per modum partis *integralis* constituit unam universalem Ecclesiam.

Quare ita considerata ipsa reputari nequit, nisi per modum partis *integrantis* ipsum corpus, quod universalis Ecclesia dicitur, & ita à patribus fuit considerata.

Id ipsum observavit Edmundus Richerius *lib. 2. Historiæ Conc. cap. 23.* ubi recolligens, quæ in historia octo primorum Conciliorum Generalium sibi præ cæteris notanda videbantur, *num. 1. vers. 5.* notandum duxit: „ Novem primis seculis qui„ bus octo universalia Concilia habita sunt, nunquam auditum, „ aut lectum, *Romanam Ecclesiam* alia notione, aut significa„ tione sumptam, quàm pro *singulari*, aut particulari Ecclesia, „ atque membro primo Ecclesiæ universalis."

Quapropter & legitur, quod Ecclesia Romana tanquam particularis Ecclesia suas habuerit particulares disciplinæ regulas, seu Canones, & Canonum codicem; nec non ritus & cæremonias uti in hoc Opere, & in Tractatu Historico Canonico in Canones, non semel notatum est.

VI. Illaque disciplina *num. 5.* descripta, confussioni tollendæ adeò necessaria visa fuit, ut eam Ecclesia in hodiernam usque diem conservaverit, variisque Canonibus frequenter stabilierit; interdixeritque severè Episcopis, in aliena Diœcesi nec quidquam ordinare aut gerere sine licentia Episcopi Diœcesis illius.

„ Episcopus (inquit Synodus Antiochena anno 341. *Can. 22.*) „ in aliam civitatem, quæ ei subjecta non est, non ascendat, „ nec in Regionem quæ ad eum non pertinet, ad alicujus or„ dinationem, nec Presbyterum, nec Diaconum constituat lo„ cis alii Episcopo subjectis, nisi cum voluntate proprii illius „ Regionis Episcopi; siquis autem tale quid ausus fuerit, in„ firma sit ordinatio, & ipsi à Synodo puniatur."

Apud Gratianum 9. *quæst. 1. can. 7.* ubi plures antiquos Canones in eandem rem profert.

VII. His insistens novissimè Synodus Tridentina *Sess. 6. cap. 5. de Reform.* ait: „ Nulli Episcopo liceat cujusvis pri„ vilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, ni„ si de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem „ Ordinario subjectas tantùm; si secus factum fuerit, Episco„ pus ab exercitio Pontificalium, & sic Ordinati ab execu„ tione Ordinum sint ipso jure suspensi."

VIII. Ordinarius cujus licentia hîc desideratur, dicitur, qui jurisdictionem & auctoritatem Episcopalem in loco obtinet, sive sit Episcopus; sive alius Prælatus non Episcopus; Episcopalem tamen jurisdictionem vel ex privilegio, aut Jure communi obtinens.

Unde Capitulum, Sede vacante, aut ejus Vicarius exercitium Pontificalium Episcopo extraneo concedere potest.

Eodem ex capite eandem licentiam impartiuntur Abbates, aliique Prælati non *simpliciter* exempti, sed *nullius* Diœcesis; qui Episcopalem jurisdictionem ex privilegio; aut inveterata consuetudine exercent. Adeo quidem, ut nec vicinior Episcopus, aut is, qui ad visitanda similia loca in Concilio Provinciali, juxta Decretum Concilii Trident. *Sess. 24. cap. 9. de Reform.* electus est, Pontificalia sine hujusmodi Abbatis, aut Prælati licentia exercere queat; uti notat Zipæus *Resp. 1. de Exces. Præl.*

IX. In loco autem *simpliciter exempto*, quique manet illius Diœcesis, intra cujus fines situs est, nullus Episcopus sine licentia Ordinarii istius Diœcesis Pontificalia exercere potest: ipse verò Episcopus Diœcesanus in simili loco exempto, absque consensu Superioris illius loci *Pontificalia* agere potest: idque ob reliquias jurisdictionis, quas Episcopus in loca quantumvis exempta suæ Diœcesis retinet. Quare dici non potest, hoc casu, Episcopum in aliena Diœcesi Pontificalia exercere. Et ita judicatum fuit à Concilio Privato Regio pro Episcopo Audomarensi contra Abbatem, & Conventum S. Bertini in civitate Audomarensi 21. Augusti 1593. & rursus 25. Septembris ejusdem anni; uti refertur in Registro MS. Archiepiscopatûs Mechliniensis; *Centur. 2. articulo* 88.

X. Aliud est de Archiepiscopo quoad Diœceses suorum Suffraganeorum. Cùm enim in his jurisdictionem ordinariam non obtineat, citra consensum Ordinarii in his exercere Pontificalia nequit, si casum visitationis excipias. Vide Zerolam in praxi 5. *Archiepiscopus*: & Zypæum in Jure novo *Tit. de Excess. Prælat. num. 1.* item Cardinalem de Luca ad *Conc. Trid. disc. 6.*

XI. Sub exercitio Pontificalium à Synodo Tridentina comprehenditur, non tantùm Ordinum collatio, quamvis præcipuè ad eam respiciant verba Decreti, sed & alia, quæ aliquam jurisdictionem aut Episcopalem, sive Pontificalem auctoritatem requirunt, & præ se ferunt.

XII. Unde nec Missam quidem in Pontificalibus citra licentiam Ordinarii celebrare posse plures docent; atque novissimè Cardinalis de Luca *in annotationibus ad Concilium Tridentinum disc. 6.* qui addit, nec Mozzetam deferre, nec benedictionem impertiri posse; quòd ille pontificalium ornamentorum publicus & solemnis usus aliquam jurisdictionis speciem referat in utente. Et quidem dum Baculus pastoralis Episcopo in ordinatione traditur, ex præscripto pontificalis dicitur: *Accipe Baculum* PASTORALIS OFFICI, *ut sis in corrigendis vitiis piè seviens, &c.*

Hinc evidens est Baculum pastoralem, jurisdictionis, & superioritatis cujusdam esse signum; quod & de reliquis ornamentis pontificalibus facilè esset ostendere. Et hæc Doctorum opinio conformis est modernis Belgii moribus, qui nullum extraneum sine consensu Ordinarii in Diœcesi in Pontificalibus celebrare permittunt: quamvis credat Zypæus *in citato responso*, non videri tamen ubique quoad pœnam suspensionis ex sola celebratione esse certo usu receptum.

XIII. Eodem ex capite, judicatum legitur, nec Archiepiscopum, nec Primatem posse extra suæ jurisdictionis terminos, cruce elevata procedere: eò quòd *crucis* illa solemnis delatio indicium jurisdictionis præferat: de quo consule Carolum Fevret, & ab eo citatos *tract. de Abusu, Sect. 3. cap. 2. §. 12.* & sequentibus.

XIV. Si autem agatur de actibus *voluntariæ* jurisdictionis, qui non exigunt usum Pontificalium, ut sunt provisiones Beneficiorum, ac deputationes Officialium, vel delegationes causarum cum similibus, hæ in aliena Diœcesi expediri possunt; uti notat De Luca loco citato: qui addit, quòd propterea prima Tonsura ab Episcopo proprio subdito in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii conferri possit; quia etiam in Camera sine Pontificalibus dari potest; & quia propriè Ordo non est, sed introductio ad Ordines.

CAPUT IV.

CURA ET REGIMEN TOTIUS DIŒCESIS PRIMARIO, ET PRINCIPALITER INCUMBIT IPSI EPISCOPO.

1 *Episcopus est primarius Pastor totius Diœcesis, eique cura omnis populi incumbit.*
2 *Ob hanc curam Episcopatus habitus semper fuit pro formidabili onere.*
3 *Ministri inferiores à cura suæ Diœcesis eum non eximunt.*
4 *Presbyteri omnes sunt in adjutorium Episcoporum.*
5 *Nec Presbyteri, nec quicunque Beneficiati quidquam agere possunt in Cura animarum, nisi cum subjectione ad Episcopum.*
6 *Nulla exemptio quantumvis generalis eximere potest ab obedientia Episcopi in his, quæ concernunt curam animarum.*
7 *Quia Episcopo incumbit cura totius Diœcesis, ideo ad eum de jure communi expectat collatio omnium Beneficiorum in sua Diœcesi.*
8 *Nullus potest dare curam animarum, nisi Episcopus.*
9 *Illud etiam conforme est moribus Belgii.*

I. SPectata disciplinâ Ecclesiæ à primis seculis acceptâ, & hactenus conservatâ, Episcopi in ipsa Ordinatione deputantur singuli ad suam respectivè singularem Ecclesiam, sive Diœcesim, in qua actu quisque laboret, & ministerium suum impleat, juxta illud vulgare S. Cypriani: „ Singulis Pastoribus „ portio gregis est adscripta, quam regat unusquisque, & gu„ bernet."

Hujus igitur gregis cura Episcopo tanquam primario & principali Pastori incumbit; propterea Episcopos verbis Apostoli monendos duxit Synodus Tridentina, *Sess. 6. cap. 1. de Reformat.* „ Ut attendentes sibi & *universo gregi*, in quo Spiritus „ Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit „ Sanguine suo, vigilent, in omnibus laborent, & ministerium „ suum impleant."

Hinc Episcopum, illum esse dicit Canon 38. Apostolorum, „ Cujus fidei *populus* est *creditus*, & à quo pro animabus ratio „ exigetur."

Et canon 24. Anthiochenus vult, res Ecclesiæ esse in potestate Episcopi; „ Cui, ait, est *omnis* populus creditus, & *eorum* „ *animæ*, quæ in Ecclesiam conveniunt."

II. Hanc totius populi curam Episcopis incumbentem expendentes SS. Patres, Episcopatum esse onus humeris Angelicis formidandum dicere haud dubitârunt; eosque ad indefessam, ac vigilem gregis custodiam hortati fuere. „ Estote (ait S. „ Gregorius in persona Joannis Episcopi primæ Justinianæ ad „ omnes Episcopos) in custodia commissi gregis vigilantes, at„ que soliciti, & disciplinæ zelo distincti; ne lupus insidians „ nec Ovile Dominicum turbare, nec nocere ovibus aliqua frau„ dis occassione prævaleat. Animarum lucrum Deo nostro nota „ mentis intentione facere, festinate: nomen vos Pastoris non ad „ quietem, sed ad laborem suscepisse cognoscite." *Lib. 4. ep. 8.*

III. Verum quidem est, spectata Diœcesium latitudine & extensione, quæ sæpè etiam centena hominum millia complectitur, solum Episcopum haud posse omnem totius Diœcesis populum actu, & continuatè pascere, ac dirigere, eaque omnia fa-

facere, quæ ad spiritualem totius populi curam & Diœcesis regimen requiruntur; ideoque necessarium fuisse, ut & plures sint inferiores Sacerdotes, & ministri, qui unà cum Episcopo populi curam, atque Ecclesiæ regimen suscipiant. At hæc inferiorum ministrorum cura ac solicitudo nequaquam Episcopum à totius Diœcesis cura eximit. Ipse namque est & manet totius Diœcesis *Caput* & principalis minister, cui omnes inferiores adjutores, & administri accedunt, cum quadam ad ipsum Episcopum, in his, quæ Ecclesiæ regimen, & functiones hierarchicas spectant, dependentia & subjectione.

IV. Unde Ordinandos Presbyteros, ex præscripto Pontificalis Romani ita alloquitur Episcopus ordinans: „ Tales esse „ studeatis, ut in adjutorium Moysis & duodecim Apostolorum, „ Episcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moysen, & „ Apostolos figurantur, dignè per gratiam Dei, eligi valeatis.... „ Itaque Filii dilectissimi, quos ad nostrum *adjutorium* Fratrum „ nostrorum arbitrium consecrandos elegit, servate in moribus „ vestris castæ & sanctæ vitæ integritatem.“

Post hæc orat Deum his verbis: Quapropter infirmitati „quo- „ que nostræ quæsumus, hæc adjumenta largire; qui quantò „ fragiliores sumus, tantò his pluribus indigemus.“

Itaque costant Sacerdotes in solum adjutorium Episcoporum ordinari; non quo Episcopi à cura eximantur, sed in cura sustinenda adjuventur.

V. Quin & omnia Ecclesiæ ministeria, & Ecclesiastica Officia, sive Dignitates, sive Beneficia juxta modernum loquendi usum, & Ecclesiæ disciplinam dixeris, in adjutorium Episcoporum instituta sunt, atque ipsum Episcopum, in iis, quæ regimen Ecclesiæ & curam populi concernunt, tanquam superiorem, & cui primario cura incumbat, & à quo tanquam è fonte omnis ecclesiastica potestas in inferiores ministros derivatur, suscipere tenentur.

Hinc illud viri Apostolici Sancti Ignatii Martyris: „ Sine „ Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam „ spectant; & honora Deum, ut omnium auctorem & Do- „ minum; Episcopum verò, ut Principem Sacerdotum, ima- „ ginem Dei referentem: Dei, inquam, propter Principatum, „ Christi verò propter *Sacerdotium.*“ *Epist. ad Tralles.*

Item illud Canonis XXXVIII. Apostolici: „ Presbyteri & „ Diaconi sine licentia Episcopi nihil perficiant: ipse enim est, „ ait, cujus fidei populus est creditus, & à quo pro anima- „ bus ratio exigetur.“

VI. Quapropter nulla quantumvis generalis ab Episcopi jurisdictione, cuicunque seu personæ, seu corpori aut congregationi indulta exemptio, eximit à dependentia, & subjectione Episcopali in his quæ curam populi & regimen Ecclesiæ concernunt; uti infra ubi de exemptione Regularium & ea occasione etiam Canonicorum agendum erit, ostendetur.

VII. Ulteriùs eodem ex principio profluit, vulgatissimum illud, ac fundatissimum Canonistarum principium, nimirùm Episcopum esse de jure communi collatorem Beneficiorum in sua Diœcesi; ideoque qui alicujus Beneficii collationem ad exclusionem Episcopi sibi competere asserit, debere probare titulum, vi cujus contra jus commune collatio ipsi excluso Episcopo, competat. Cùm enim totius Diœcesis regimen illi incumbat, meritò electio ministrorum, quales sunt omnes Beneficiati, ei concredita censetur; sed de hoc latius in secunda Parte hujus operis, ubi de Collatione Beneficiorum agetur.

VIII. Similiter, quia Episcopatus plenitudinem Sacerdotii habet, atque ex ejus plenitudine in inferiores ministros defluit, nemo ea, quæ Curam animarum respiciunt, in ejus Diœcesi exercere potest, nisi auctoritate & facultate ab Episcopo accepta.

Quare Archidiaconum Eliensem reprehendit Alexander III. in *Cap.* 4. ✠ *de Offic. Archidiac.* quòd obtentu consuetudinis sine licentia & mandato Episcopi Curam animarum committere præsumat: „ Cùm satis sit absurdum, ait, & Sanctorum Patrum institutionibus alienum, ut Archidiaconus auc- „ toritate propria debeat cuilibet Ecclesiarum *Curam* com- „ mitteret.“

IX. Quod & moribus Belgii consonum est. Licèt enim Archidiaconi quidam, aliique nonnulli ex privilegio, vel antiqua consuetudine prætendant non tantùm quorumdam Beneficiorum collationem, sed etiam eorum institutionem *authorizabilem*, sive tituli collativam, *Curam* tamen *animarum* ab Episcopo habendam esse concedunt; & licèt vi collationis aut institutionis acceptæ possessionem corporalem ipsius Beneficii accipere posset Beneficiatus, nequaquam tamen his, quæ *animarum curam* spectant, se posse sine licentia Episcopi immiscere concedunt; & usu notorio comprobatur.

CAPUT V.

Episcopi Jure Divino tenentur ad residentiam et qualis debeat esse illa residentia.

1 *Ex cura pastorali sequitur obligatio residendi.*
2 *Consequentiam hanc probat Synodus Tridentina.*
3 *Eodem jure, quo Episcopo incumbit cura animarum, etiam incumbit necessitas residendi.*
4 *Nullus antiquorum negavit Episcopos jure divino ad residentiam teneri, idque Synodus Tridentina sat patenter declaravit.*
5 *Sancti Patres ex non positivis Decretis, sed ex sacris Litteris necessitatem residendi adstruxerunt.*
6 *Episcopi non eximuntur à residentia substituendo Vicarios.*
7 *Nulla inveterata consuetudo Episcopos à residentia excusare potest.*
8 *Synodus Tridentina veteres Canones circa residentiam tanquam nunquam abrogatos innovat.*
9 *Nulla eminentia personæ Episcopum à residentia eximit.*
10 *Residentia merè corporalis non sufficit, sed debet esse laboriosa.*
11 *Ipsum Verbum* RESIDERE *id etiam importat.*
12 *Canones loquuntur non de residentia otiosa, sed laboriosa.*
13 *Etiam Pastores* mercenarii *corporaliter resident, & de hac re discursus Bartholomæi de Martyribus.*
14 *Decretum Synodi Aquiliensis contra otiosam residentiam Episcoporum.*

I. Juxta inveteratam, & hactenus conservatam Ecclesiæ disciplinam, Episcopi singuli in sua ordinatione certæ Ecclesiæ deputantur, in qua actualiter officium Episcopale obeant; è qua particulari deputatione & applicatione sat patenter oritur ipsa Episcoporum in suà Ecclesia residendi necessitas.

Cùm enim quis ad Episcopatum promovetur, unà fit Pastor, & minister; Christique locum in Ecclesia accipit in ea parte, in qua legitimè fuerit per Ecclesiam constitutus; quæ omnia, cum sint *personalia* ipsis personis alligata, residentiæ personalis obligationem secum trahunt.

II. Quapropter Synodus Tridentina residendi necessitatem Episcopis, aliisque Ecclesiarum Rectoribus persuadere & inculcare volens munia illa personalia Episcopis, aliisque Ecclesiarum Rectoribus incumbentia proponit; atque ex illis obligationem residentiæ sua sponte profluentem educit: „ Cum „ *præcepto divino* mandatum sit omnibus, ait, quibus ani- „ marum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sa- „ crificium offerre, Verbique Divini prædicatione, Sacramen- „ torum administratione ac bonorum omnium operum exem- „ plo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium persona- „ rum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia „ incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari & im- „ pleri possunt qui gregi suo non vigilant, nec assistunt, sed „ mercenariorum more deserunt; Sacrosancta Synodus eos admo- „ net, & adhortatur, ut divinorum præceptorum memores, fac- „ tique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant.“ *Sess.* 23. *cap.* 1.

III. Itaque eodem titulo, eodemque jure obligari Episcopos ad residendum credit Synodus, quo eis injunctum est, iis incumbere, quibus sine personali apud gregem residentia satisfacere nequeunt.

IV. Nemo proinde miretur, uti ex Cajetano refert Fagnanus ad *cap.* EX PARTE, *de Cleric. non resid. num.* 21. „ quòd „ nullus antiquorum contradicebat, quin Pastores animarum „ tenerentur præcepto divino ad personaliter residendum.“ Quam veterum sententiam contra quosdam Neotericos solidissimis, ac convincentibus rationibus astruit ibidem Fagnanus: unà advertens & ostendens quòd licèt Synodus Tridentina eam sententiam verbis formalibus, & in terminis expressis, ut ajunt, non definiverit, nihilominus sufficienter eam in allegatis verbis insinuaverit, & virtualiter declaraverit; declarando nimirum, quòd illa omnia, quæ præcepto divino Episcopis, aliisque curam animarum habentibus incumbunt, nequaquam ab iis præstari & impleri possint, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.

V. Et sanè residendi necessitatem non ex Ecclesiæ positivis Decretis, sed ipsis sacris Litteris, & ipso pastorali officio Patres astruxerunt (y).

„ Nosti (inquiebat S. Athanasius ad Constantium Impe- „ ratorem) ex lectione *Scripturarum*, quanti sceleris sit Epis- „ copum Ecclesiam suam deserere, & negligere gregem Dei. „ Pastorum enim absentia lupus invadendi gregis occasionem „ præstat. Si fugissem, quam excusationem apud veros Epis- co-

(y) Quibus adde leg. 27. tit. 3. lib. 1. Recopil.

„ copos, vel potiùs apud eum, qui mihi hunc gregem credidit habuissem.“ *Apol. ad Constantium.*

VI. Nec obstat si dicatur, Episcopi possunt hæc munia exercere per Vicarios & alios Episcopos pauperes: quoniam ut verbis utar Cajetani relatis à Fagnano loco citato, *num.* 44. „ Abusionis est detestabilis, ut pauper Episcopus relicta sua „ Ecclesia alteri deserviat, cùm singuli Episcopi teneantur ad hæc omnia *per se* explenda in sua Diœcesi.“

Insuper Episcopus pauper, vel titularis non est proprius hujus populi Pastor, sed alienus; „at grex à Domino jube„ tur pasci per proprium Pastorem; non per mercenarium ad „ quem non pertinet de ovibus:“ ait enim Dominus Joan. 10. *qui autem intrat per ostium, Pastor est ovium, cujus vocem oves ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus; alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.*

Hæc ibi: „ Pondera singula verba, (ait Fagnanus *n.* 49. „ quæ evidenter demonstrant, officium Pastoris animarum esse „ omninò *personale* ex præcepto Evangelico, nec posse ex sui „ natura per alium adimpleri.“

Ad hæc, quid certius, uti rursus advertit Fagnanus, quàm in electione ad Episcopatum considerari industriam, & qualitates personæ? In his autem, in quibus personæ industria requiritur, & attenditur, operam Vicariam non admitti in confesso est. Unde meritò hîc applicatur dictum S. Bernardi relatum ab Hostiensi in *cap.* EXTIRPANDÆ ✠ *de Præb. Qui per Vicarium inservit, per Vicarium remunerabitur.*

VII. Quemadmodum erga nulla, quantumvis inveterata consuetudo, seu potiùs corruptela efficere potest, quin Episcopi debeant *attendere sibi & universo gregi, in quo eos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam* DEI; nec non implere, quod ipsis in persona Timothei dixit Apostolus: *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple,* ita nec consuetudo sufficiens est, ut à residentia, sine qua illa præstari nequeunt, excuset.

VIII. Unde Synodus Tridentina sciens Canones residentiam Episcopis præscribentes, jus divinum potiùs, quàm positivum continere; ideoque hac in parte consuetudine quidem conculcari, sed aboleri haud posse, non dubitavit, antiquos Canones, qui temporum atque „ hominum injuriâ penè in desuetudinem „ abierant, adversus non residentes promulgatos innovare; „ quemadmodum, ait, virtute præsentis Decreti innovat.“ *Sess.* 6. *cap.* 1. *de Reform.*

IX. Uti temporis lapsus, ita nec personæ eminens qualitas à gregis sui custodia & pastorali solicitudine, à consequenter neque à residentia eximere Episcopos sufficit.

Quod probans Synodus Tridentina declarat, „ omnes Pa„ triarchalibus, Metropolitanis ac Cathedralibus Ecclesiis qui„ buscunque, quocunque nomine, & titulo præfectos, etiamsi „ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad perso„ nalem in sua Ecclesia vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto „ sibi officio defungi teneantur.“ *Sess.* 23. *c.* 1. *de Refor.*

X. Verùm, quia ipsa Episcoporum residentia corporalis, parum prodesset, nisi etiam residentes se Pastores & Rectores gregis commissi ostenderent; atque ea obirent, ob quæ ipsa personalis residentia præcipuè exigitur, meritò Synodus Tridentina necessitatem residendi inculcans, Canonesque adversus non residentes innovans, aliaque pro eorum meliore executione adjungens, omnes Patriarchalibus, Metropolitanis, & Cathedralibus quibuscunque, quocunque nomine, ac titulo præfectos, monet ac monitos esse voluit, (*Sess.* 6. *cap.* 1. *de Ref.*) „ ut attendentes sibi, & universo gregi, in quo Spiritus S. „ posuit eos regere Ecclesiam *Dei*, quam acquisivit sanguine „ suo, *vigilent*, sicut Apostolus præcipit, *in omnibus laborent,* „ *& ministerium suum impleant*: implere autem se nequaquam „ posse sciant, si greges sibi commissos, mercenariorum more „ deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum „ est manibus à supremo judice requirendus, custodiæ minimè „ incumbant; cùm certissimum sit, non admitti Pastoris excu„ sationem, *si lupus oves comedit, & Pastor nescit.*“

Et in alio suo de residentia Episcoporum Decreto, non solùm ex officio pastorali Episcopis incumbente, residendi necessitatem consequi ostendit, sed insuper declarat, eos obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi residentiam, *ubi injuncto sibi officio defungi teneantur.*

Ex his perquàm manifestum est, non localem & corporalem duntaxat præsentiam requisisse Synodum, dum Episcopos ad residentiam obligari declaravit, & edixit; sed *laboriosam*, id est, ut tanquam veri Pastores gregi suo *attenderent, & invigilarent*, in *omnibus laborarent, & ministerium suum implerent*; atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum manibus à supremo judice requirendus, custodiæ incumbant; easque à lupis defendant & præservent.

XI. Quin & ipsum verbum *residere*, ut post alios Canonistas notat Fagnanus de residentia Canonicorum disserens, „ acci„ piendum est cum effectu, id est, Ecclesiæ in divinis Officiis „ deservire: Nam residentia debet esse *laboriosa* non *desidiosa,* „ cùm Beneficia ad divinum cultum & ecclesiastica munia ob„ eunda sint constituta.“ *Ad Cap.* LICET ✠ *De Præbend. num.* 23.

XII. Quapropter si expendantur Canonum, atque SS. Patrum de necessaria Pastorum, ac præsertim Episcoporum residentia, dicta, & Decreta universa, apparebit, non merè *localem* ac *otiosam* apud Gregem præsentiam, sed *laboriosam* & *invigilantem* urgeri, & desiderari.

Unde nec Ecclesia in ordinatione, seu consecratione Episcopi, tantum ad residentiam, sed ad laborem Episcopos mittit, dum ordinando dicit: *Vade, & prædica populo tibi commisso*: Quasi diceret, non tantùm ad populum *vade*, sive accede, ut præsens ei sis, sed *prædica*, id est, labora, uti infra latius exponetur.

XIII. Et quid magnum esset, nudam ac sterilem residentiam, seu præsentiam Episcoporum obtinere, cùm hæc in illis, quos Christus odioso nomine *Mercenariorum* exagitat, etiam reperiatur. Ni enim gregi suo adessent, non dicerentur fugere, dum vident lupum venientem; quemadmodum piè & doctè advertit Bartholomæus de Martyribus Archiepiscopus Bracarensis, *Vir* (fatente Palavicinio *lib.* 15. *hist. Conc. Trident. cap.* 11.) *sanctitate doctrinaque spectabilis*, dum in ipso Concilio Tridentino super formando Decreto de residentia Episcoporum suum suffragium depromeret. Discursum dignum judico qui in gratiam Lectoris integer hîc referatur.

„ Ex Prælatis plures, qui ante me locuti sunt, plus satis „ & magno numero exhibuerunt loca Conciliorum & SS. Pa„ trum, speciatimque S. Thomæ, è quibus videre est, residen„ tiam Pastorum & indispensabilem, & juris *divini*, esse. Sed „ si quod in animo est mihi licet verbis enuntiare, infelices pro„ fectò videmur, quòd super hoc negotio sententiam proferre „ debeamus. Quò enim, heu! Ecclesia redacta est, si illi ip„ si, quos Deus protectores, & custodes ejus constituit, in„ cumbatne ipsis obligatio cum ipsa fideliter remanendi, in „ dubium revocent? Intolerabile nobis foret, si quispiam vel „ dubitaret solùm, teneaturne fidelis famulus parvulis suæ cu„ ræ commissis, Pastor gregi suo, vel mater filio quem lac„ tat, fideliter adhærere; & dubitamus, an Deus, qui cu„ ram commissit nobis filiorum suorum, quorum, teste Paulo, „ simul & Pastores & patres & matres sumus, indispensabili „ vinculo ipsis adhærendi nos adstrinxerit? Pastores vocat „ S. Ambrosius Vicarios amoris Christi, *Vicarii amoris Chris„ ti*; vultque, quemadmodùm Christus ipsos hæredes effecit „ Sacerdotii sui, ita fiant & imitatores perfectæ ejus charitatis. „ Propterea à S. Petro & in Petri persona ab omnibus Pasto„ ribus, antequam Pastorem agnorum suorum eum constituat, „ triplicem amorem exposcit. An ergo dubitabimus, tenea„ murne cum illis manere, pro quibus omni momento ipsam „ etiam animam ponere paratos non esse oportet? Disceptа„ mus, an nostra præsentia ipsis debita sit, qui tamen diffiteri „ nequaquam possumus, vitam nostram ipsorum magis quàm „ nostram esse. Quî igitur audent quidem prætendere, in his „ nos & nimis multa expetere & quodammodo excedere? Econ„ trario hac super re dicere nobis licet quod dicebat olim Di„ vus Bernardus Eugenio Pontifici: *Non fortia loquimur, sed „ possibilia: non exhibemus hic quod maximè perfectum est, „ sed tantùm quod possibile.* Ne nobis obblandiamur, ne nos „ ipsos decipiamus, maximum malum, &, velut existimamus, „ magnum crimen Episcopo est, non residere: sed hinc non „ sequitur, laudabile esse validè, quòd resideat. Ita non lau„ datur propterea famulus, quòd semper adsit hero suo, nec „ Gubernator, quòd locum suum non deserat, neque Medi„ cus, quòd ægro suo fideliter assistat. His quidem omnibus „ necessaria est præsentia, ut officio suo fungantur, sed sola „ non sufficit, aliæ insuper conditiones desiderantur, quas asi„ dua illa & exterior præsentia supplere non potest. Dum er„ go optamus, ut residentia stabiliatur tanquam indispensabi„ liter trahens secum obligationem, non requirimus, ut Or„ do Episcopalis primævæ, & antiquæ suæ perfectioni resti„ tatur, quemadmodum dicunt quidam nos velle, sed solum„ modò, ut ab eo maxima & maximè omnium pudenda exulet „ inordinatio: maximè, inquam, omnium pudenda: cùm Pas„ tores infra ipsammet *mercenariorum* conditionem, quæ tamen „ & coram Deo, & coram hominibus adeò contemptibilis est, „ deprimat, deturbetque. Propterea gemens & suspirans, ait „ quidam Ecclesiæ Pater, *damnat Salvator Pastores merce„ narios*, sed utinam Ecclesia hodie & mercenarios haberet, qui „ eam regerent. Mercenarius enim, saltem prout eum nobis ex„ hibet Evangelium, apud gregem suum manet, cùm fugiat dum „ videt lupum venientem, qui certè non fugeret, nisi ovibus ades„ set. Sed hodie Pastores ut gregem suum deserant, non expectant „ donec veniat lupus, quasi ad eos nihil de ovibus pertineat, pro„ pria sponte dimittunt, nihil soliciti, an hostis ille animarum „ eas dispergat, capiat, dilaniet, nec ne. Præveniunt illi inhu-

„ manitate, & negligentia sua, quod mercenarii non nisi timentes „ & periculo tam propinqui exequuntur. Insuper mercenarius, „ ut loquitur Augustinus, etiam dum fugit, apud gregem ma„ net: fugit enim à facie Dei, non à loco in quo est, dum „ innocentiam & veritatem deserit, dum timiditas, qua possi„ detur, linguam alligat, impeditque ne & agat & loquatur „ ut eas defendat. *Fugisti, quia tacuisti*, inquit iste Sanctus, „ *tacuisti & timuisti.* Amoveamus igitur ab Ecclesia tam igno„ miniosum opprobrium. Ne sinamus, ut Episcopi, qui eam „ regunt, infra mercenarios ipsos deprimantur; dicamus sin„ cerè, residentiam & juris divini esse & indispensabilem. La„ chrymas abstergamus Ecclesiæ matris nostræ, quæ undequa„ que filios suos à patribus derelictos circumspicit. Sistamus „ tandem tam horrendam inordinationem & dissolutionem, quæ „ tam multarum aliarum fons est & origo, ne, si adhuc dissimu„ lemus, dum Deus eam in ira sua considerat, dum eam pro„ bi omnes cum gemitu deplorant, dum eam irrident hæreti„ ci, de Ecclesia dicatur, quòd plaga ejus incurabilis facta „ sit & desperata; cùm nec mala sua, nec remedia perferre „ valeat.“ Extat in ejus vita Gallicè conscripta *lib.* 2. *cap.* 11.

XIV. Concludamus ergo cum Patribus Concilii Aquilejensis anno 1596. Tit. *de Resid. Episcoporum*: „ Quod de resi„ dentia Episcoporum à sacro Tridentino Concilio, & sum„ morum Pontificum constitutionibus cautum est, hoc non est „ intelligendum, ut præsentiâ assideant, nihil præterea agant: „ cùm ex Sacris Canonibus residentia sit accipienda in eum „ sensum, ut sit *laboriosa*, *non otiosa.* Id quod duobus præ„ sertim Tridentinæ Synodi verbis egregiè exprimitur, ut *pas„ cant* & *regant*: quorum primum, ad vitæ innocentiam, ad „ salutaris verbi prædicationem, ad Sacramentorum adminis„ trationem, & bonorum operum exemplum pertinet: secun„ dum, ad disciplinam restituendam, ad mores purgandos, & „ juris ecclesiastici ditionem, ad bonorum laudem, & vin„ dictam malorum sustinendam spectat. Utrumque si præstiterint „ Episcopi, satis illa, quæ sunt Episcopalis muneris, videbi„ tur præstitisse & implesse.“

CAPUT VI.

De legitimis causis absentiæ Episcoporum a suis Diœcesibus.

1 *Interdum Episcopus plus potest prodesse absens quam præsens.*
2 *Bonum universalis Ecclesiæ interdum absentiam requirit.*
3 *Synodus Tridentina nonnullas absentiæ causas probat.*
4 *Quinam ex Decreto Concilii Tridentini de causa absentiæ cognoscere debeant.*
5 *Indulgentia absentiæ est quædam species dispensationis.*
6 *Regulæ observandæ in dispensatione, etiam hîc servari debent.*
7 *Notandum hac de re Concilium Toletanum anni* 1566.
8 *Bonum Ecclesiæ universalis non est legitima absentiæ causa, si illud per alium procurari possit.*
9 *Residentes in Curia Romana & Curiis Principum non semper à residentia excusantur.*
10 *Synodus Tridentina permittit Episcopis duorum vel trium mensium per annum absentiam.*
11 *Ut licitè hac licentia Episcopus utatur, debet subesse justa causa, quæ an subsit ejus conscientiæ relinquitur.*
12 *Cavendum, ne in solemnioribus festis ab Ecclesia sua absit.*
13 *Quando corporaliter abesse coguntur, curam tamen gregis sui negligere non possunt.*
14 *Quandonam ob imminentem persecutionem Episcopi Ecclesiam suam deserere possint.*
15 *Quinam spiritualiter fugere censeantur, licèt corporaliter suo gregi assistant.*
16 *Quomodo hodie plures fugiant & deserant spiritualiter gregem suum, & lupis exponant.*

I. EPiscopos aliosque curam animarum habentes, teneri jure divino ad residendum in suis Ecclesiis, sive Diœcesibus, vel Parochiis, ubi injuncto sibi officio defungi queant, in præcedentibus ostendimus; unà quoque probavimus ex mente Ecclesiæ residentiam requiri non merè corporalem & otiosam, sed laboriosam, id est, in Ecclesiæ, & gregis sibi commissi utilitatem, ac profectum.

Si ergo Episcopus, aut Pastor suâ absentiâ interdum queat plus Ovibus suis prodesse, quàm corporali sua præsentia; indubiè intentioni Ecclesiæ requirentis residentiam contrairet, si tali casu localem præsentiam absentiæ corporali præferret.

II. Adhæc, cùm bonum universalis Ecclesiæ nonnunquam præferri debeat commodo particularis Ecclesiæ, contingere quoque potest, ut particularis Ecclesia debeat corporali sui Pastoris præsentia, etiamsi cum aliquo forsan suo incommodo, carere, si id bonum notabile universalis Ecclesiæ exigat.

III. Hinc Synodus Tridentina, postquam omnes quacumque dignitate etiam Cardinalitia fulgentes, Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis præfectos ad residentiam obstrictos dixit, declarat quidem, eos ab Ecclesiis haud posse abesse, sed cum hac clausula: „ Nisi ex „ causis & modis infrascriptis, id est: *cùm Christiana charitas,* „ *urgens necessitas, debita obedientia*, ac *evidens Ecclesiæ* „ *vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulant* „ *& exigunt.*“

IV. Verùm num christiana charitas, urgens necessitas, vel evidens Ecclesiæ, aut Reipublicæ utilitas absentiam requirant, Synodus noluit proprio Episcoporum judicio permittere; sed decernit: „ Has legitimæ absentiæ causas à Beatissimo Roma„ no Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente, Suffra„ ganeo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absen„ tiam probare debebit, in scriptis esse probandas; nisi cùm „ absentia inciderit propter aliquod munus, & Reipublicæ of„ ficium, Episcopatibus adjunctum; cujus quoniam caussæ sunt „ notoriæ interdum repentinæ, nec eas quidem significari Me„ tropolitano necesse erit: ad eundem tamen cum Concilio „ Provinciali spectavit judicare de licentiis à se, vel à Suffra„ ganeis datis, & videre, ne quis eo jure abutatur; & ut pœ„ nis Canonicis errantes puniantur.“

V. Porrò, quia indulgentia absentiæ, quædam est quasi dispensatio in regula, quæ residentiam præscribit; ideo qui causis absentiæ examinandis præsunt, quique iis uti volunt, regulas in materia dispensationum à Patribus & Sacris Canonibus præscriptas & traditas attendere, & observare debent.

VI. Debent itaque ante omnia expendere, num bonum, quod ex absentia proventurum speratur, prævaleat incommodis, quæ Pastoris absentia secum trahere nata est: quam regulam in dispensationibus sequendam post Patres & SS. Canones tradit doctissimus, ac sanctissimus Canonum Collector S. Ivo Carnotensis in suo eruditio Prologo, qui Decreto præfixus est: „ In his, ait, quæ propter rigorem disciplinæ vel „ muniendam salutem posteriorum sanxit diligentia; si hones„ ta vel utilis sequatur compensatio, potest præcedere auctori„ tate Præsidentium diligenter deliberata dispensatio.“ Id est, si incommodum, quod secum trahit Canonum infractio, compensetur per bonum quod ex dispensatione proventurum speratur, honesta, ac utilis sequatur dispensatio.

VII. Sapientissimè proinde Patres Concilii Toletani anno 1566. *Act.* 2. *Decreto* 1. declarant conformiter ad Synodum Tridentinam: „ quòd non quævis causa, quæ vel ad chris„ tianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedien„ tiam, evidentem Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitatem cuiquam „ pertinere videbitur, à residentia excusare debeat; sed ea „ tantùm, quæ Superioribus diligentissimo examine, maturo „ judicio, exactaque censura sic probata fuerit, ut verè seclu„ sâ omni indulgentia, aliqua ex prædictis ratione, dubio pro„ cul justa sit omninò censenda, atque ei utilitati, quæ ipsius „ Pastoris præsentiam exigit, & quæ non potest non esse *pu„ blica*, sit nihilominus præferenda.“

VIII. Ad hæc expendendum, num illud bonum, quod absens Episcopus Ecclesiæ, aut Reipublicæ præstat, per alium Curæ animarum non incumbentem, haberi nequeat.

Si enim bonum Ecclesiæ, aut Reipublicæ, quod ex absentia Episcopi speratur, aliunde haberi non minùs queat, causa sufficiens non erit legitimæ absentiæ: quandoquidem non requiratur absentia Episcopi eo casu, ut bonum illud Ecclesiæ procuretur; cùm supponatur, sine ejus absentia illud haberi per alium posse.

Huic principio insistens Cardinalis Cajetanus, quem refert & sequitur Fagnanus ad *Cap.* EX PARTE ✠ *de Clericis non resid. num* 85. docet, distinctione opus esse, ut resolvatur, an negotium utile Ecclesiæ, aut Reipublicæ sit legitima causa non residentiæ Episcopalis; utrum nimirum, „ negotium universa„ lis Ecclesiæ sit necessariò exigens Episcopum, vel non: „ nam si negotium *necessariò* exigit Episcopum, ut ire ad „ Concilium generale, vel Synodum Provincialem, quæ etiam „ se habet ad Ecclesiam Episcopalem ut totum ad compartem, „ constat, quòd rationabilis est absentia: sed si negotium uni„ versalis Ecclesiæ non *necessariò* exigit Episcopum, puta quia „ persona Episcopi habet officium, quo oportet ipsum univer„ salis Ecclesiæ servitio perpetuo personaliter Romæ deservire, „ v. g. *est Secretarius sedis Apostolicæ*, vel *Auditor Rotæ*, aut „ hujusmodi; non ex hoc excusatur à residentia quoad Deum..... „ Et quia servitia quædam, ut ire ad Synodum, sunt manifes„ tè in articulo necessitatis Ecclesiæ universalis, vel provin„ cialis, servitia autem, quæ Romæ in hujusmodi officiis ex„ hibentur, nulla necessitate communiter exigunt, ut Episco„ pi incumbant talibus officiis, sed sunt tales in Ecclesia Dei, „ velut *monstra in natura*; ideo non excusantur à residentia. „ Et si instetur, quòd residentes in Ecclesia communi, qualis „ est Romana, censetur ubique residere: Respondetur, quòd „ si hoc est verum *fictione juris positivi*, quod Juristis relin-

quo,

„ quo, non tamen est verum *quoad Deum*."

X. Hæc post Cajetanum Fagnanus, qui ad *Cap.* QUALITER & *eod. num.* 13. refert expostulationem Cardinalis de Turrecremata contra Episcopos in Aulis Principum, & Curia Romana perpetuò residentes.

„ Turpe est, ait, ut Episcopi se inserant ad servitia Imperatoris, vel alterius Principis secularis, & deserant cau„ sam subditorum & officia devotionis. Hoc non facerent, si „ mortem spiritualem timerent, & intelligerent, se reddituros „ rationem de ovibus Deo summo Judici. Utinam etiam de „ Curia Romana hoc in parte observaretur, in qua plures Epis„ copi conveniunt non devotionis gratiâ, sed ambitionis spi„ ritu propulsati, ut altiora quærant, aut beneficia addant be„ neficiis, aut honores honoribus, utque officia, & legatio„ nes quærant, quæ curæ animarum sibi commissarum adfe„ runt plurimum impedimenti. Utinam summi Pontifices con„ siderarent, quanta negligentia circa animas committitur ex „ absentia Prælatorum ac Ecclesiis suis."

Eundem de Episcopis à sua Diœcesi absentibus, & in Curia Romana honoribus & beneficiis aucupandis intentis, abusum exagitavit seculo præterito Gentianus Hervetus *Epistola ad Salmeronem S. I.* in qua introducit Episcopum alloquentem Pontificem in hæc verba: „ Quam verò hoc est misserandum, „ & planè deplorandum, quòd cùm in Italia tot sint Diœce„ ses, vix tamen vigessimus quisque Episcopus in sua Eccle„ sia resideat, & populum pascat! Neque verò hoc te fuge„ re potest, Beatissimæ Pater, cùm omnes ferè, qui Romæ „ in Aula tua Magistratus gerunt, & munera obeunt, ex eo„ rum sint numero, & diebus festis in tuo Sacello tantam eo„ rum videre possis multitudinem, ut ferè ex ea justus cons„ cribi possit exercitus."

Cardinalis Bellarminus proponens Clementi VIII. quælam in Ecclesia reformanda, inter cætera residentiam Episcoporum quoque urgebat; præcipuè eorum, qui ad longum tempus à Diœcesibus suis absunt ob Nuntiaturas eis à Pontifice demandatas; vel ob negotia, & munia politica, quibus sunt implicati; aut denique, ob officia, & ministeria in Curia Romana, quæ per alios quàm Episcopos exerceri possunt. Quin tamen ad tempus aliquod ex justa causa Pontifex Episcopos à residentia eximere queat, non dubitabat Bellarminus: „ Fateor quidem, ait, „ aliquos Episcopos à residentia per obedientiam excusari: ne„ que istud inficior summum Pontificem certis de causis, atque „ ad tempus Episcopos aliquos à residentia eximere. Sed nescio, „ an Deo placeat, ut tantus numerus Episcoporum tam longo „ tempore cum tanto animarum detrimento, à propriis Ecclesiis „ absit; quos certè suo muneri satisfacere non posse perspi„ cuum est."

Illud præterea indubitatum est, causam absentiæ eò debere esse majorem, & urgentiorem, quo absentia est diuturnior.

X. „Quoniam autem, qui aliquantisper tantùm absunt, ex „ veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim „ reversuri sunt, Sacrosancta Synodus (Tridentina) vult, illud „ absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive inter„ ruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, „ aut ad summum tres menses excedere; & haberi rationem, ut „ id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento, quod „ an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat „ religiosam, & timoratam fore, cùm Deo corda pateant. Cu„ jus opus non fraudulenter agere, suo periculo tenentur."

XI. Concedit ergo Synodus, conformiter ad veteres Canones, ut Episcopus aliquantisper abesse queat, si nimirum fuerit justa causa, quæ absentiam postulet; idque etiam ad duos vel tres menses; quia & in hac duorum aut trium mensium absentia justam causam requirit Synodus, ita tamen ut ipsorummet Episcoporum conscientiæ relinquat, num justa ac sufficiens subsit causa temporis illius absentiam postulans; ipsique secum expendant, num eam coram summo Pastore, qui de cura suarum Ovium exactam rationem reddere tenebuntur, sufficientem probare poterunt.

XII. „ Interim ipsos admonet, & in Domino hortatur, ne „ per illius temporis spatium *Dominici Adventus*, *Quadragesi*„ *mæ*, *Nativitatis*, *Resurrectionis Domini*, *Pentecostes*, item „ & *Corporis Christi* diebus, quibus refici maximè & in Do„ mino gaudere Pastoris præsentiâ oves debeant, ipsi ab Eccle„ sia sua Cathedrali ullo pacto absint; nisi Episcopalia munia „ in sua Diœcesi eos alio vocent."

XIII. Illud etiam cogitent Episcopi à grege suo justa de causa absentes, ut si corpore adesse nequeant, affectu tamen, & curâ, quantum fieri potest, semper adsint; ad exemplum S. Augustini, qui de sua absentia ita ad Clerum & populum Hipponensem scribit: „ Peto Charitatem vestram, & per Chris„ tum obsecro, ne vos mea contristet absentia corporalis. Nam „ *Spiritu*, & *cordis affectu* puto vos non dubitare nullo modo „ me à vobis posse discedere: quamvis me ampliùs contristet, „ quàm fortè vos ipsos, quòd infirmitas mea sufficere non po„ test omnibus curis, quas de me exigunt membra Christi, qui„ bus me & timor ejus, & charitas servire compellit.

XIV. Hæc Augustinus *Epist.* 122. qui *Epist.* 128. ad Honoratum fusè inquirit, & doctè ac piè resolvit, quando Episcopis, aliisque Pastoribus ob imminentem persecutionem fugere liceat; atque in primis hanc assignat regulam: „ Fugiant „ omninò de civitate in civitatem, quando eorum quisquam *spe„ cialiter* à persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita „ requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria „ conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cùm „ autem omnium, id est, Episcoporum, Clericorum, & Lai„ corum est commune periculum, si qui aliis indigent, *non „ deserantur ab his quibus indigent*. Aut igitur ad loca munita „ omnes transeant aut qui habent remanendi necessitatem, non „ relinquantur ab eis, per quos illorum est Ecclesiastica sup„ plenda necessitas, ut aut pariter vivant aut pariter sufferant, „ quod eos paterfamilias volet perpeti."

Post hæc sermonem vertit ad eos, „ Qui sibi putant indiffe„ renter obtemperandum esse precepto, ubi legunt, *de civita„ te in civitatem esse fugiendum*, & mercenarium non exhor„ rent, qui videt lupum venientem, & fugit, quoniam non „ est ei cura de ovibus. Cur, inquit, non istas duas Domini„ cas verasque sententias, unam scilicèt, ubi fuga sinitur aut „ juvetur, alteram, ubi arguitur atque culpatur, sic intelli„ gere student, ut inter se reperiantur non esse contrariæ, si„ cut non sunt? Et hoc quomodo reperitur, nisi attendatur, „ quod jam superiùs disputavi, tunc de locis in quibus fui„ mus, premente persecutione, fugiendum esse Christi mi„ nistris, quando ibi aut *plebs* Christi non fuerit, cui minis„ tretur, aut etiam fuerit, & potest impleri *per alios* neces„ sarium ministerium, quibus eadem non est causa fugiendi."

Sed fortè quis dicat: „ Ideo debere Dei ministros fugere „ talibus imminentibus malis, ut se pro *utilitate* Ecclesiæ tem„ poribus tranquillioribus servent." Respondet Augustinus: „ Rectè hoc fit à quibusdam, quando non desunt alii *per quos* „ suppleatur Ecclesiasticum ministerium, ne ab omnibus de„ seratur; quod fecisse Athanasium supra diximus.... Sed quan„ do est commune periculum, magisque timendum est, ne „ quisquam id facere credatur, non *consulendi* voluntate, sed „ *timore moriendi*, magisque fugiendi obsit exemplo, quàm „ vivendi prosit officio, nullâ ratione faciendum est."

XV. Hactenus Augustinus; quæ forsan nonnullis videbuntur hodie raro, aut nunquam locum habere, utpotè tyrannorum persecutione haud fervente; at cum eodem Doctore advertamus, Pastorem illum etiam esse mercenarium, & specialiter fugere, qui publicos peccatores, & in grege grassantes arguere timet; „ ne scilicet *perdat quod sectatur, humanarum humanæ amicitiæ commoditatem, & inimicitiarum humanarum incurrat molestiam*, tacet, non corripit. Ecce Lupus „ ovi guttur aprehendit: diabolus fideli adulterium persuasit, „ tu taces, non increpas, ô mercenarie! Lupum venientem vi„ disti, & fugisti. Respondent fortè & dicit: *Ecce hic sum, non fu„ gi.* Fugisti, quia tacuisti: tacuisti quia timuisti. Fuga animi timor „ est. Corpore stetisti, spiritu fugisti." *Tract.* 46. *in Joann. n.* 8.

XVI. Hanc spiritualem fugam, frequenter non minus perniciosam quam corporalem, si seriò expenderimus, facile deprehendemus plurimos hodie mercenarios esse, qui videntes Lupum venientem, imò & in grege suo crudeliter grassantem fugiunt, id est, tacent; idque hoc prætextu, quòd lupis se opponendo, vitia arguendo, peccantes pro merito increpando & puniendo, Magnatum vel Principum indignationem incurrant, atque ita inidoneos se reddant, ut prosint gregi suo.

CAPUT VII.

PRÆCIPUUM MUNUS EPISCOPORUM EST PRÆDICATIO VERBI DEI.

1 *Apostoli arbitrati sunt præcipuum munus suum esse prædicare Verbum* DEI.
2 *Quare Apostoli* per se *officium prædicandi, & per alios officium baptizandi obirent.*
3 *Synodus Tridentina iteratò declarat Episcopos* per se ipsos *teneri ad prædicandum Verbum* DEI.
4 *Idem fortiter inculcat S. Carolus.*
5 *Eandem obligationem urgent Synodi Belgicæ.*
6 *Nulla consuetudo Episcopos ab hac obligatione eximere potest.*
7 *Non sufficit ad satis faciendum huic obligationi, aliquoties per annum publicè concionari.*
8 *Episcopi præcipuè intendere debent, ut populus ritè sit instructus.*
9 *Instructioni Cleri & populi servire possunt instructiones & Epistolæ Pastorales.*
10 *Hoc egregiè præstitit S. Carolus.*
11 *Expenditur Epistola ejus pastoralis pro orationis in communi agendæ instituto, in singulis familiis tempore vespertino instituendæ.*

No-

12 *Notandæ ejus Epistolæ pro tempore Adventus & Quadragesimæ.*

13 *Episcopus nihil omittere potest, quod ad instructionem populi sit necessarium.*

I. PRæcipuum Apostolorum officium esse ministerium verbi, sive prædicationem Evangelii, sat declarârunt Apostoli, dum convocatâ multitudine discipulorum dixerunt: „ Non est æquum nos *derelinquere Verbum* DEI, & ministrare „ mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni tes„ timonii septem, plenos Spiritu sancto, & sapientiâ, quos „ constituamus super hoc opus. Nos verò orationi, & *ministe„ rio verbi*, instantes erimus.“ *Act.* 6.

Et Apostolus Paulus audacter pronuntiat, *non misit me Dominus baptizare, sed* PRÆDICARE. 1. *Corinth.* 1. ℣. 18. Et quid rursus aliud indicat vehemens ejusdem Apostoli ad hoc opus in persona Timothei exhortatio, & adjuratio? *Testificor coram* DEO, *&* JESU *Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus*: PRÆDICA VERBUM, *insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* 2. ad Tim. 4.

II. Hinc S. Thomas advertit: „ Quòd utrumque officium, „ scilicet docendi & baptizandi, Dominus Apostolis injunxit, „ quorum vicem gerunt Episcopi: aliter tamen & aliter. Nam „ officium docendi commisit eis Christus, ut ipsi illud *per se* „ exercerent tanquam *principalissimum*.... Officium autem bap„ tizandi commisit Apostolis, ut *per alios* exercendum.... Et „ hoc ideo, quia in baptizando nihil operatur meritum & sa„ pientia ministri, sicut in docendo.“ 3. *p. q.* 67. *art.* 2. *ad.* 1.

III. Utque infinita propè Patrum & Canonum dicta & decreta, quæ hanc Episcoporum obligationem vehementissimè urgent, sileam, Synodus Tridentina duobus locis iteratò inculcatum voluit: „ Prædicationem Evangelii, sive prædicationis „ munus esse Episcoporum *præcipuum*; eosque teneri *per seip„ sos*, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum sanc„ tum JESU CHRISTI Evangelium.“ *Sess.* 5. *cap.* 2. & *Sess.* 24. *cap.* 4. *de Reform.*

IV. S. Carolus fidelissimus Concilii Tridentini executor in sua prima Provinciali Synodo, *part.* 1. *tit.* 6. ita loquitur: „ Apostoli, in quorum locum Episcopi successerunt, satis nobis „ aperuerunt, Verbi Dei prædicationem esse *præcipuum* illo„ rum munus, qui in Episcopali sede collocantur. Quamobrem „ nos auctoritatem sacrosancti Trid. Conc. & veterum PP. se„ cuti, in Domino Episcopos hortamur, ut toto pectore in „ hanc curam incumbentes, greges sibi commissos ipsimet, præ„ sertim in Ecclesia sua, *Verbo* DEI *pascant*. Quod si levi de „ causa, aut quodam animi languore impediti non fecerint, „ sciant sibi prætermissi necessarii officii, Judici Deo præcipuè „ rationem esse reddendam. Sin autem se interdum verè impedi„ tos cognoverint, per viros idoneos, ex præscripto ejusdem „ Concilii deligendos, hoc munus studiosissimè populo præstent.“

V. Non minus hanc obligationem urgent Patres Synodi P. II. Cameracensis, *tit.* 17. *c.* 2. „ Et quia inter munia Epis„ copalia potissimas partes sibi meritò vindicat prædicatio ver„ bi Dei, & ab Apostolis memoriæ proditum sit, non esse „ æquum ipsos relinquere verbum Dei & ministrare mensis, „ quantum fieri poterit, diligentiam adhibere studebunt Epis„ copi, ut negotiis secularibus sese expediant, etiam regiminis „ Episcopalis maximam partem doctis & prudentibus viris com„ mittendo, & rerum temporalium administrationem Œconomo „ fideli concredendo, ut prædicationis officio sive proprio libe„ riùs vacare possint. Quod si legitimè impediti per seipsos id „ præstare non possint, alios viros doctos tum in suis Ecclesiis „ Cathedralibus, tum in aliis suæ Diœcesis deputent, qui eo„ rundem nomine hoc assiduè præstent, saltem quoad dictas Ca„ thedrales solemnioribus festis & tempore Adventus, & Quadra„ gesimæ, ut minimum ter in septimana; horam autem, cùm „ ipsemet Episcopus concionatur, sibi commodiorem præs„ cribere possit, non obstantibus quibuscunque.“

Et Synodus P. II. Mechliniens. *tit.* 16. *c.* 3. ait: „ Inter cæ„ tera meminerint Episcopi oneris prædicationis Verbi Dei.

VI. Nulla proinde consuetudo, nulla contraria multorum praxis Episcopos ab hoc munere prædicationis eximere potest; sed eadem indispensabili lege, qua salutem subditorum suorum procurare tenentur, eadem hoc prædicationis officium eisdem impendere jubentur: quia, ut ait Concilium Lateranense III. sub Innocentio III. in *c.* 15. ✠ *de Offic. Ordin.* „ inter cætera, „ quæ spectant ad salutem populi christiani, *pabulum Verbi* DEI „ permaximè sibi noscitur esse necessarium; quia sicut corpus „ materiali, sic anima spirituali cibo nutritur.“

Unde Illud S. Ambrosii de semetipso: *Officium docendi nobis imposuit Sacerdotii necessitudo.* Lib. 1. Offic. cap. 1.

Synodus quoque Tridentina, *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* declarat, PRÆCEPTO DIVINO *mandatum esse omnibus, quibus animarum Cura commissa est, oves suas agnoscere.... verbique Divini* PRÆDICATIONE *pascere.*

Nequaquam ergo uti etiam rectè advertit Fagnanus ad *Cap.* INLER CÆTERA ✠ *de Officio Ordinarii, num.* 12. in his Episcopi possunt se excusare in vim contrariæ consuetudinis; quia cum sit contra præceptum divinum, illa consuetudo reputari debet pro corruptela & abusu.

VII. Verùm cùm præcipuus scopus hujus Pastoralis & Episcopalis muneris, sit debita populi instructio, id est, ut de omnibus, quæ ad salutem consequendam scitu sunt necessaria, sit plenè instructus, Episcopus huic suo muneri haud satisfaciet, si v. g. aliquoties per annum publicè ex Cathedra concionetur, sed vel præcipuè in hoc totis viribus incumbere debet, ut populum sibi commissum per se, quantum potest, aliosque instruat.

VIII. Hinc illæ Sanctorum, ac zelosorum Episcoporum non tantùm frequentes ad populum & Clerum publicæ conciones, & exhortationes, sed etiam continuæ per vicos & civitates visitationes & cursationes, ut de populi & Cleri debitâ instructione informarentur, ac mediis opportunis, ubi defectum invenissent, providerent.

IX. Hinc quoque similium Episcoporum epistolæ Pastorales, pietate, doctrinaque refertæ, quibus totam Diœcesim longè, latèque difusam indesinenter quodammodò de præcipuis Religionis Mysteriis, & hominis Christiani Officiis instruebant.

Huc quoque referri possunt instructiones, quas ad Cleri præcipuè directionem emittebant & publicabant; ut hoc modo omnes non uno tantùm tempore, certisque diebus, aut uno loco, sed semper & ubique, quantum possibile erat, instruerent, & normam vivendi præberent.

X. Ex hoc Episcopali & verè Apostolico zelo, quo in suorum salutem ferebatur S. Carolus, prodierunt tot ejus doctissimæ, & piissimæ instructiones & epistolæ pastorales, quas in magna copia exhibent acta Ecclesiæ Mediolanensis, dignæ ut ab omnibus, præsestim Ecclesiasticis, legantur & ruminentur.

XI. Inter has verò valde notanda est, quam pro orationis in communi deinceps agendæ instituto, quæ in singulis familiis serotinis horis fieri poterit, emisit; atque per omnes suæ Diœcesis parochias publicari fecit. Hic verus animarum zelator vivaciter ob oculos ponit orandi necessitatem, atque unà utilitatem præcipuam orationis in communi recitatæ, atque eum in finem mandat: „ in civitate Mediolanensi, mediâ horâ circa noc„ tis initium (id est, circa vesperam) pulsetur campana in Ec„ clesia nostra majori aliisque, & ut in universa Diœcesi idem „ à singulis Pastoribus eâdem horâ observetur.

„ Quomobrem adhortamur, pergit Carolus, paternoque „ animo omnes, & singulos rogamus in Domino, ut eo ipso quo „ campanæ signum pro oratione audierint, quisque domum „ suam devotè se conferat, eâ mente, qua credat non posse se „ nisi ex pietatis christianæ nævo & Religionis injuria ex tot diei „ horis tam pusillum temporis, ut seipsum colligat, & mundi „ hujus negotiis plenè vacuo animo pro sua salute Deum allo„ quatur, non impendere. Patresfamilias, quorum curæ & pe„ riculo non propria modò, sed & domesticorum animæ com„ mittuntur, omnes è sua familia ad hanc orationem convocent, „ ita ut nulli servo, aut ancillæ, filiis, aliisve ab ea abesse „ fas sit.“

Post hæc subjicit materiam circa quam ipsi orantes tempore hujus orationis occupari queant; atque deinde summarium adjungit, quo modus ritusque habendæ hujus orationis latius exponuntur; „ ac inter cætera monet, quòd cùm opi„ ficibus, & officinarum Magistris, eorum famulis, & conduc„ titiis operariis difficile sit, se tum domum suam recipere, „ poterunt in ipsis officinis operumque locis sese pro oratione, „ quam ibi habebunt, coligere, magistrorumque erit subditos „ artifices, tyrones, operariosque in suis ædibus degentes, ut „ hoc quadrantis spatio vacent orationi, præstare.“

Optat quidem, ut communis hæc oratio ab omnibus simul eodemque tempore ad pulsum campanæ observetur; sed tamen si ob domesticum impedimentum haberi eo tempore nequeat, nequaquam tamen omittatur: sed horâ proximè sequenti instituatur, atque ad quadrantem saltem duret.

Hoc pium ac salutare Caroli institutum multum laudans Gregorius XIII. atque desiderans, ut illud etiam extra Diœcesim Mediolanensem longè latèque diffunderetur, plures indulgentias huic orationis exercitio incumbentibus clargitus est; quæ Bulla indulgentiarum unà cum prædicta epistola Pastorali refertur in actis Ecclesiæ Mediolanensis, *part.* 7. *pag.* 906. & sequentibus, edit. Lugdunensis, anni 1683.

Deindè sequuntur *instructiones pro oratione sine intermissione*, non minus piæ ac salutares, ubi inter calamitates quarum causâ hæc oratio habetur, reponit hanc: pro persecu„ tionibus, & damnis, quæ ab hæreticis Gallia & Belgium sus„ tinent, cum tot animarum detrimento, sanctique nominis „ Dei dedecore.“

Quidni ergo jure merito plures civitates, atque præ cæteris hæc Lovaniensis hunc in Patronum assumant; eumque speciali cultu & fiduciâ colant, & invocent, qui etiam vivens Belgii

gii nequaquam oblitus est, & cujus precibus forsan debemus, quòd in Catholica fide conservati simus.

XII. Quia verò tempore Adventus, & Quadragesimæ præcipuè populus debet à suis Pastoribus instrui, & ad pietatis exercitia excitari epistolas Pastorales per universam suam Diœcesim misit, populoque prælegi jussit, quibus mysteria hisce temporibus præcipuè recolenda proponit, variaque christianæ pietatis opera quibus tempora illa utiliter traducantur, præscribit, quæ lectu dignissimæ cum aliis multis instructionibus & epistolis Pastoralibus in citatis Actis referuntur.

XIII. Muneris ergo Episcopalis est, nihil omittere quominus populus sibi commissus sciat ea, quæ necessaria sunt, ut salutem æternam assequi, & pœnas æternas evadere queat: possitque ipse consumatione sui cursus instante dicere ad gregem sibi commissum ad exemplum Apostoli: *Vos scitis, quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publicè & per domus... nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodo consummem cursum meum & ministerium verbi, quod accepi à Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei.*

CAPUT VIII.

Nullus sine auctoritate Episcopi publice prædicare potest.

1 *Olim nullus nisi ex* speciali *commisione Episcopi Verbum Dei populo annuntiare poterat.*
2 *Sicuti cura animarum, ita auctoritas predicandi ab Episcopo in inferiorem Clerum diffunditur.*
3 *Synodus Tridentina supponit neminem posse annuntiare publicè Verbum Dei, nisi auctoritate Episcopi.*
4 *Episcopus legitimè impeditus deputat Concionatorem, qui ejus vices suppleat in Ecclesia Cathedrali; non obstante etiam consuetudine* immemoriali.
5 *Fallit in Ecclesiis Cathedralibus, quæ simul sunt Parochiales.*
6 *Etiam Parochi auctoritate Episcopi Verbum Dei annuntiant.*
7 *Olim auctoritas concionandi in omnibus Presbyteris, erat revocabilis ad voluntatem Episcopi.*
8 *Aliud hodie obtinet respectu Parochorum: & quare.*
9 *Episcopus nequit hodie pro libitu Parochum suspendere à concionibus.*
10 *Parochis legitimè impeditis, aut non sufficientibus, Episcopi est mittere Concionatores.*
11 *Episcopi quoque est mittere Concionatores pro Adventu, & Quadragesima, etiamsi esset contraria consuetudo.*
12 *Consuetudo tamen* immemorialis *potest nominationem Concionatorum ad alios, etiam laicos transferre.*
13 *Quæ de nominatione Concionatorum dicta sunt, probantur per arresta Regia, & notoriam praxim Belgii.*
14 *Jus nominandi Concionatorem est simile juri patronatûs ad Beneficia Ecclesiastica.*
15 *Super aprobatione Regularium magna fuit inter Patres Concilii Tridentini concertatio.*
16 *Distinctio facta est inter Regulares concionantes in* Ecclesiis suorum Ordinum, *& concionantes in Ecclesiis* non suorum Ordinum.
17 *Hæc distinctio non placuit Episcopo Felusano; eique in oratione publica multa opposuit.*
18 *Juxta decreta Synodi Tridentinæ nequeunt Regulares etiam in Ecclesiis* suorum Ordinum *sine tacita saltem Episcopi licentia concionari.*
19 *Praxis S. Caroli circa licentiam concionandi indulgendam Regularibus in Ecclesiis suorum* Ordinum.
20 *Synodus Bituricensis requirit licentiam Episcopi, ut Regulares concionari possint in* Ecclesiis suorum Ordinum.
21 *Facultas concionandi data Secularibus, aut Regularibus non habentibus Beneficia Curata, potest pro arbitrio Episcopi restringi ac etiam revocari.*
22 *Parochi Regulares ad concionandum admittere non possunt nisi exhibita licentia Ordinarii in scriptis.*
23 *Episcoporum est intendere Concionatoribus, nec Judices Regii impedire eos possunt in capienda informatione super doctrina ab illis proposita.*
24 *Propositio, quæ judicibus Regis attribuit potestatem approbandi Concionatores in defectum Episcopi, censurata.*

I. Num primis Ecclesiæ seculis soli Episcopi sermonem ad populum habuerint, à multis in controversiam, & quæstionem revocatum fuit. Illud equidem expeditum est, prædicandi munus pleno jure exercere, tanquam potiorem Apostolici muneris partem, Episcoporum esse proprium; neque illud unquam Presbytero, aut Diacono, aut cuivis de Clero sine Episcopi auctoritate licuisse. Quod observans Balsamon ad *Canonem* 64. *Trullanum* ait: „ Populum Domini docere „ & Divina Decreta interpretari, *solis Antistibus* a Divina „ Spiritûs gratia concessum est, & iis quibus ab his permis„ sum est.“

Et ad *Canonem* 19. *Trullanum* notatum vult: „ Quòd po„ pulum docere solis Episcopis datum est, & magnæ Ecclesiæ „ Doctores Patriarchæ jure docent.“ Hoc est, ex commissione & auctoritate Patriarchæ.

Ita ex commissione Valerii Hipponensis Episcopi S. Augustinum adhuc Presbyterum ad populum sermonem habuisse testis est Possidius in ejus vita *c.* 5. Et de S. Chrysostomo in Ordine Presbyteratûs constituto refert Palladius: „ Agebat *vices* Epis„ copi in prædicatione Verbi Dei, omniumque corda mirabili „ facundiâ Scripturarum dulcedine ornatâ ad se rapiebat.“

II. Quemadmodum enim omnis animarum Cura, & Sacerdotii plenitudo penes Episcopos, atque ab his in inferiorem Clerum diffunditur: ita quoque prædicandi auctoritas, quæ Sacerdotii & Pastoralis officii præcipua portio est, tota & plenariè penes Episcopos est, atque ab his in alios inferiores ministros diffunditur; qui, nisi auctoritate ab Episcopo accepta, id muneris obire non posunt.

Unde Synodus Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap.* 15. ✠ *de Offic. Ordinar.* & renovatur à Synodo Tridentina *Sess.* 5. *c.* 2. *de Reform.* advertens „ Episcopis non sufficere, per seip„ sos ministrare populo Verbum Dei, maximè per amplas Dioe„ ceses, & diffusas, generali constitutione sancivit, ut Epis„ copi viros idoneos ad Sanctæ Prædicationis officium salubriter „ exequendum assumant, potentes in opere, & sermone, qui „ plebes sibi commissas *vice* ipsorum (cum per se iidem nequie„ verint) solicitè visitantes, eas verbo ædificent, & exemplo.“

III. Et Synodus Tridentina, *Sess.* 24. *cap.* 4. *de Reform.* mandat, „ ut in Ecclesia sua ipsi Episcopi per se, aut si legi„ timè impediti fuerint, per eos quos ad *Prædicationis* munus „ assument; in aliis autem Ecclesiis per Parochos, sive iis im„ peditis, per alios ab Episcopis, impensis eorum, qui eas „ præstare vel tenentur, vel solent, deputandos in civitate, aut „ in quacunque parte Diœcesis, censebunt expedire.“

Supposuit ergo Synodus Tridentina Episcoporum proprium esse, Verbum Dei populo annuntiare; neque alios id nisi ex auctoritate, & missione ab Episcopis accepta præstare posse.

IV. Et quidem in Ecclesia sua propria Cathedrali, si Episcopus legitimè impeditus per se prædicationis munere fungi nequeat, ipsius est Concionatorem eligere, & deputare; & ita quidem, ut nec Canonici, sive Capitulum, nec alius quispiam illius deputationi se immiscere queat; tametsi etiam essent in possessione immemoriali, deputandi Concionatorem; quam sustulisse Synodum Tridentinam non semel respondit S. Congregatio, uti refert Fagnanus ad *Cap.* inter cætera ✠ *de Offic. Ordinarii.*

Neque quidquam hac in parte exemptio Capituli juvare potest: atque ita pro Episcopo Cathalaunensi contra Capitulum licèt exemptum judicavit Senatus Parisiensis teste Renato Choppino *Lib.* 1. *de S. Pol. tit.* 5. *n.* 8.

V. Si tamen Cathedralis simul sit Parochialis, atque in ea soleat per Parochum Verbum Dei, quemmadmodum in aliis Ecclesiis Parochialibus annuntiare, exceptis quibusdam diebus solemnioribus Episcopo reservatis, eo casu, circa deputationem Concionatoris observandum, quod Synodus Tridentina circa deputationem Concionatorum in aliis Ecclesiis, quàm Cathedralibus, decrevit.

VI. Vult itaque, ut Episcopi legitimè impediti, aut non sufficientes, ut per se toti suæ Diœcesi Verbum Dei annuntient, id præstent in aliis Ecclesiis distinctis à Cathedrali per Parochos.

Hinc patet, Parochos *vice* quemadmodo & auctoritate Episcopi Verbum Dei annuntiare.

VII. Et sanè si pristinam Ecclesiæ disciplinam attendamus, nemo Presbyterorum concionari sive Verbum Dei populo annuntiare poterat, nisi ex speciali commissione Episcopi; idque dependenter ab ejus voluntate & nutu; adeo ut penes Episcopum esset libera facultas, auctoritatem concionandi, quando ei vissum esset, renovare; at hodie postquam officia & ministeria Ecclesiæ in Beneficia, ac Dignitates transivere, non eadem mansit Episcoporum auctoritas seu libertas.

VIII. Parochi quippe aliique Beneficia Curata possidentes, vi suorum Beneficiorum juxta modernam disciplinam jus quasi ordinarium & perpetum accipiunt; ita ut, titulo sui Beneficii jure *proprio* & *ordinario* exerceant ea omnia, ad quæ vi sui Beneficii obligantur.

Itaque Parochus cæterique Beneficia Curata possidentes, accipiunt quidem etiam secundum hodiernam disciplinam, institutionem Canonicam, atque Curam Animarum ab Episcopo, atque eatenus jus concionandi, quod præcipuè ad curam animarum pertinet, ab Episcopo in ipsos derivatur; at institutione seu cura animarum semel acceptâ jam jure sui Beneficii, quod est jus perpetuum, functiones Beneficio suo annexas persolvunt.

Si-

IX. Sicut ergo Episcopus non potest illum, spectata moderna disciplina pro libitu, nullo juris ordine servato, privare Beneficio; ita nec liberum est Episcopo pro suo arbitrio suspendere aut impedire à functionibus Beneficio suo essentialiter annexis, qualis est Verbum Dei populo annuntiare.

Quod etiam non obscurè innuit Synodus Tridentina, dum vult, ut Episcopi legitimè impediti, in aliis Ecclesiis à Cathedrali distinctis, per *Parochos* Divinam legem annuntient; his autem impeditis per alios ab ipso deputando: sat indicans, Episcopos debere Parochis tanquam *Ordinariis*, sed subalternis Verbi Dei præconibus, permittere ejusdem prædicationem; neque aliis eam posse committere, nisi dum ipsi Parochi legitimè fuerint impediti.

X. Parochis autem legitimè impeditis, Episcopi est deputare, & eligere Concionatores; idque per totam Diœcesim, & quidem impensis eorum, qui eas præstare tenentur vel solent.

Unde etiam hodie ex Decreto Conc. Tridentini, Episcopus habet fundatam intentionem deputandi & mittendi Concionatores qui in civitate aut in quacunque parte Diœcesis annuntient Verbum Dei, Parochiis impeditis aut insufficientibus, ut illud per se pro necesitate populi annuntient.

XI. „ Hinc cùm Episcopus Miletensis providere voluisset, „ (ait Fagnanus loco citato *num.* 25.) de Concionatore in su„ burbio Victoriosæ subditis suis, & Officiales ipsius consulto „ prius magno Magistro Petro de Monte, respondissent, elec„ tionem dicti Concionatoris non *spectare* ad *Episcopum*, sed „ *eos qui eleëmosynam Concionatoribus ex bonis Universitatis* „ *ministrant*, Episcopo super hoc declarationem postulante, „ S. Congregatio censuit: Electionem Concionatoris ad Epis„ copum pertinere ex Decreto Concilii. " *Cap.* 2. *Sess.* 24.

Quin etsi populus, aut alius ex consuetudine *non immemoriali* eligeret Concionatorem, qui certis diebus Verbum Dei annuntiet, posset nihilominus Episcopus non obstante hac consuetudine Concionatorem deputare, uti sæpius resolvit S. Congregatio apud Fagnanum *num.* 27. & 31.

XII. Sed si ex consuetudine *immemoriali* ad populum, Capitulum, Parochum, aliosve hujusmodi electio, sive designatio spectet, ea servanda erit, nec ad Episcopum eo casu deputatio Concionatoris in Ecclesia non Cathedrali spectabit, „ quia, inquit Fagnanus *num.* 28. Concilium Trid. *Sess.* 24. „ *c.* 4. *de Reform.* non sustulit consuetudinem *immemorialem* „ secundum quam facultas nominandi Concionatorem in Eccle„ siis non Cathedralibus alii, quàm Episcopo competeret, ut „ sæpius fuit resolutum."

Refert quoque Carolus Fevret in tractatu suo *de Abusu lib.* 3. *cap.* 4. §. 22. esse plura Regiorum Tribunalium Arresta, quibus declaratum fuit, liberum esse Episcopis mittere Concionatores ad concionandum per Adventum & Quadragesimam in Ecclesiis suarum respectivè Diœcesium, quibus locorum Incolæ obligabuntur dare hospitium & victum.

XIII. Et in specie, cùm circa anno 1655. Episcopus Augustodunensis misisset ad quandam suæ Diœcesis civitatem Concionatorem ex Minimorum Ordine ad concionandum per Adventum: ipseque civitatis Magistratus ipsi hospitium, & alimenta recusaret; Episcopus junctis sibi commissariis Cleri Gallicani recurrit ad Consilium privatum Regium: ubi dictum fuit, ut dictus Magistratus, & Syndicus Cleri Gallicani contestarentur, ac interim per provisionem conformiter ad Arresta die 30. Martii 1635. & 26. Augusti 1639. Concionatores qui mitterentur ad concionandum in dicta civitate, consuetum hospitium & victum acciperent. Cumque Episcopus ulterius pro definitiva urgeret; & ipse Magistratus civitatis affirmaret, se esse in possessione *immemoriali* præsentandi Concionatores pro Adventu & Quadragesima ipsi Episcopo; die 17. Decembris ejusdem anno 1655. decretum fuit, ut Magistratus & Incolæ illius civitatis probarent intra tres menses, se esse in possessione *immemoriali* nominandi, & præsentandi dictos Concionatores Episcopo; salva Episcopo probatione contraria; interim per provisionem & sine præjudicio juris alterutrius in principali declaravit Episcopum esse manutenendum, & defendendum in jure eligendi & mittendi Concionatores, quibus prædicti Incolæ tenebantur hospitium, & victum præbere; nec non permittere solitam quæstuationem. Quæ sententia provisionalis postmodum in definitivam transivit; uti latiùs in Actis Cleri Gallicani refertur *tom.* 1. *tit.* 2. *c.* 8.

Hîc duo, quæ supra diximus, Regio Arresto decisa videmus. Primum, Episcopum de jure habere fundatam intentionem eligendi, ac mittendi Concionatores per totam suam Diœcesim, qui Parochis legitimè impeditis, aut insufficientibus, Verbum Dei annuntient.

Secundum, quòd consuetudo seu possesio immemorialis possit jus Concionatores eligendi, & nominandi transferre non tantùm in Capitula, Parochos aliosve Ecclesiasticos, sed etiam in laicos; quod apertè supponit sententia provisionalis 17. Decembris anno 1655. prolata; atque in terminis pro Æduis judicatum refert Du-Fresne in libro, cui titulus *Journal des Audiences*, *tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 18. & probat notoria Belgii praxis, quæ electionem & nominationem Concionatoris passim ad Parochos, Capitula, Ædituos, aliosve, pro varia locorum consuetudine transtulit.

XIV. Hæc porrò Concionatoris electio, seu nominatio, est instar juris patronatus ad beneficia Curata; quod & laicis competere potest. Unde sicuti præsentatus à Patrono, sive Ecclesiastico sive Laico, se functionibus Pastoralibus immiscere nequit, ni prius ab Episcopo curam animarum acceperit; ita nominatus, seu electus in Concionatorem, debet ab Episcopo concionandi licentiam obtinuisse: neque in vim hujusmodi consuetudinis immemorialis aliud competere potest, sive Ecclesiasticis sive Laicis, quàm eligere Concionatorem unum ex approbatis ab Episcopo, vel sub illa clausula, *modò licentiam obtineat.*

Certum enim est, nec quisquam in dubium vocat, nullum Presbyterum, aut Clericum secularem, nisi Beneficium curatum habeat, sine approbatione & expressa licentia *Ordinari* loci, publicè concionari posse.

XV. Quoad Regulares, ob varia quæ prætendebant sibi à summis Pontificibus indulta in hac materia privilegia, non exigua fuit inter Patres Concilii Tridentini contestatio; de qua videri potest ejusdem Concilii historia à Palavicino conscripta, *lib.* 7. *c.* 4.

XVI. Post hanc concertationem tandem *Sess.* 5. *c.* 2. *de Reform.* quoad licentiam ab Ordinario obtinendam, distinctio aliqua facta est inter facultatem concionandi in Ecclesiis *suorum Ordinum*, & Ecclesiis *non suorum Ordinum*, ut scilicet „ Regulares cujuscunque Ordinis, nisi à Superioribus suis de „ vitâ, moribus & scientia examinati, & approbati fuerint, ac „ de eorum licentia, etiam in Ecclesiis *suorum Ordinum*, præ„ dicare non possint: cum qua licentia *personaliter* se coram „ Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis verò quæ *suo„ rum Ordinum* non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, „ etiam Episcopi licentiam habere teneantur; sine qua in ip„ sis Ecclesiis *non suorum Ordinum* nullo modo prædicare pos„ sint. Ipsam autem licentiam Episcopi gratis concedant."

„ Si verò, (pergit Synodus) quod absit, Prædicator er„ rores aut scandala disseminaverint in populum, etiamsi in „ Monasterio sui vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei „ prædicationem interdicat. Quòd si hæreses prædicaverit, con„ tra eum, secundum juris dispositionem, aut loci consuetu„ dinem procedat; etiamsi prædicator ipse generali vel specia„ li privilegio exemptum se esse prætenderet. Quo casu Epis„ copus auctoritate Apostolica, & tanquam Sedis Apostolicæ „ delegatus procedat."

XVII. Hoc Decretum, in quantum Regularibus permittit prædicare in Ecclesiis *suorum Ordinum* ex sola Superiorum licentia ipsi Episcopo *simpliciter* præsentanda, & *benedictione* ab ipsis petita; & insuper Episcopis prædicationem Regularibus interdicendi potestatem demum facit, dum prædicator errores, aut scandala in populum disseminaverit; nonnullis è Patribus Tridentinis, atque præ cæteris Brachio Martello Episcopo Felusano merè displicuit; ajebatque publicè in cœtu Patrum super discussione hujus Decreti instituto 15. Aprilis an. 1546. „ Acerbè se angi, quòd liberum esset Regularibus, ne„ que *missis*, neque *vocatis*, suis in Cœnobiis per Episcoporum „ Diœceses concionari, *Quod*, exclamavit, *quidnam est aliud,* „ *ò Patres, nisi permittere, ut lupi non per ostium, sed aliun„ de ingressi ovile perturbent*? Deinde eosdem per Deum ac „ Superos obsecrare non destitit, ne id paterentur: si abnue„ rent, se pro sua virili parte causam sustentaturum, provo„ cantem ad cœleste Tribunal, apud quod contestabatur, se „ insontem in eo esse, & super illos populorum crimen, ac „ sanguinem abiturum. " Hæc Palavicinus loco citato *num.* 3.

Deinde in generali Congregatione habita 10. Maji, rursus prolixa oratione coram Patribus, idem vehementissimè urgere perrexit, atque ipsos Regulares de privilegiis suis contra auctoritatem Episcoporum gloriantes alloquens, ait: „ Nolite nos „ ita tardo ingenio existimare, ut ista sophismata sive paralo„ gismata non intelligamus, putemusque vos vestris in Monas„ teriis *non populo nostro*, sed *fratribus vestris* tantùm, aut „ tectis & parietibus esse concionaturos. Nolite adeo inhumani„ ter, ne dicam irreverenter cum sanctissimis Episcopis age„ re, ut nostras plebes docere *sine permissu*, & *consilio* nos„ tro cogitetis."

His contendebat Antistes ille, nec in Monasteriis suorum Ordinum permittendum esse Regularibus *sine licentia* Episcoporum concionari; cùm non minus in Ecclesiis suorum Ordinum, quàm non suorum Ordinum populum Episcoporum curæ commissum doceant.

Post hæc prosequitur Felusanus: „ Additum est nescio „ quid de coërcendis his, qui in concionando à fide aberrave„ rint. Hic ergo jam illud, quod notissimum est, non dispu„ tabo, quàm non sit facile errantem aliquem & perniciosa

„ do-

„ docentem redarguere, propterea, quod non solùm habent „ isti tot latebras tantosque recessus, ut etiam deprehensi fa- „ cilè elabantur; sed veniunt ita sæpe ad sallendum instructi, „ atque artificiosa concionandi ratione, ut vel eruditissimas „ quasque aures, atque attentissimas non magno labore falle- „ re, atque in dicendo præterire possunt. Sed quæro, utrum „ tandem ad ulciscendas oves nostras, an ad custodiendas vo- „ cati sumus. *Pascite*, nobis dictum est, *gregem & custodite*, „ *non vindicate. Mihi* enim *vindicta*, *& ego retribuam*, at- „ que occisarum ovium à nobis, non occidentium luporum „ sanguis requiretur."

Hæc & plura Felusanus Antistes in Oratione coram Patribus Tridentinis pronuntiata, & inserta *tomo* 14. *Concil. Colun.* 1636. sub hoc titulo *Brachii Martelli Florentini Episcopi Felusani sententia, quâ declarat, Regulares sine licentia Episcoporum nec in Monasteriis, nec extra Monasteria debere fungi officio prædicandi.*

XVIII. Et licèt Patribus Tridentinis tunc visum haud fuerit, postulatis hujus Episcopi per omnia consentire; eamque distinctionem inter facultatem concionandi in Ecclesiis *suorum Ordinum* & *non suorum Ordinum* omninò tollere; his tamen aut similibus rationibus indubiè effectum est, ut *Sess.* 24. *cap.* 4. *de Reform.* habita 11. Novemb. 1563. cùm jam numerus Episcoporum esset frequentior, & temporum conditio convenientior, decretum sit, ut „ Nullus Secularis sive Re- „ gularis, etiam in Ecclesiis *suorum Ordinum* contradicente „ Episcopo, prædicare præsumat." Quo Decreto, si cum Decreto priori combinetur, omne in effectu, quod Felusanus obtabat, haberi poterit.

Cùm enim ex Decreto *Sess.* 5. *cap.* 2. *de Refermat.* Regulares priusquam concionari incipiant, etiam in Ecclesiis *suorum Ordinum*, ab Episcopis benedictionem petere debeant; & vi posterioris Decreti non possint in Ecclesiis suorum Ordinum *contradicente* Episcopo prædicare, nonne, in potestate Episcoporum est, efficere, ut nemo Regularium, etiam in Ecclesiis *suorum Ordinum* concionetur, de cujus vita, moribus, doctrina & sufficientia non sint plenè instructi, & quem ad id muneris saltem tacitè non approbaverint?

XIX. Id sanè obtinebunt Episcopi, si ad exemplum S. Caroli statuant: „ Ne patiatur Parochus, cujusvis Ordinis Re- „ gulares in *Ordinis sui* Ecclesiis, intra fines parochiæ suæ si- „ tis, concionem habere, nisi ex scripto testimonio perspe- „ xerit, eos muneris hujusmodi in illis Ecclesiis obeundi cau- „ sâ, se *ad Episcopum* cum concionandi facultate, quam à Su- „ perioribus suis ipsi obtinuerint, contulisse, & *benedictionem*, „ ut Tridentino Concilio cautum est, ab *eodem* petiisse." In Concilio Mediol. III. *cap.* 3.

Hoc quippe pacto fiet quòd nullus Regularis etiam in Ecclesiis *suorum Ordinum* concionetur, de quo non constet, eum se præsentasse Episcopo, & benedictionem ab eodem petiisse; adeoque in Episcopi potestate fuisse ei quoad conciones habendas contradicere, si de ejus moribus & doctrina non satis sit instructus; qua contradictione vi Concilii Tridentini fit, ut nec in Ecclesiis *suorum Ordinum* concionari queat; adeoque si Episcopus benedictionem impertiatur, testimoniumque illius annuat, neque contradicat, an non sat apertè censebitur illum Regularem, saltem tacitè, ad concionandum approbare, & licentiam concedere? Præsertim quia simplex Episcopi contradictio, nullâ expresâ contradictionis causâ, tam in secularibus, quàm Regularibus Beneficium Curatum non habentibus sufficit; eo quod horum concionandi potestas tantùm sit *vicaria* seu delegata, quam ad nutum revocari posse apud omnes in confesso est. Unde sine ulla hæsitatione ait Zypæus in Jure novo *tit.* 1. *num.* 10. „ Episcopo contradicente etiam „ *non dicta causa* (quamvis sine causa id facere non debeat) „ nemo prædicare potest, *quantumvis exemptus*, quovis pri- „ vilegio & appellatione non obstante."

XX. Nullatenus proinde à mente Synodi Tridentinæ aberrase videntur Patres Synodi Bituricensis anni 1584. *tit.* 3. *can.* 4. decernendo, ut „ Regulares cujuscunque sint Ordinis „ prædicare non præsumant, etiam in Ecclesiis *suorum Ordi-* „ *num*, nisi prius examinati, & aprobati à suo Superiore & „ impetratâ ab Episcopo, aut ejus Vicario benedictione & li- „ centia." Tacitâ nimirum *licentiâ*; quæ data intelligitur, dum benedictione impertita, non contradicendo, ad concionandum dimittitur.

XXI. Ulteriùs cùm facultas concionandi seu Regularibus seu secularibus non habentibus Beneficium Curatum concessa, duntaxat sit delegata & vicaria, ea ad libitum revocari, restringi & modificari, adinstar jurisdictionis delegatæ, potest.

XXII. Hac de causa præcipiunt passim Synodi, & frequenter Episcoporum Decretis renovatum fuit, ut Pastores neminem in Ecclesiis suis concionari permittant, nisi de *licentia* Ordinarii in *scriptis* prædocuerit. Synod. Mecl. P. II. *tit.* 11. *cap.* 1. Gand. *tit.* 10. *cap.* 1. Namurcensis, ann. 1659. *tit.* 10. *cap.* 1. &c.

XXIII. Porrò sicuti etiam ad Episcopum sive Ordinarium spectat principaliter munus prædicandi, populumque instruendi; atque inferiores quodammodo tantum *vices* ejus suppleant, eique adjutores sint, & ab ipso missionem ac licentiam accipiant, ipsius quoque est, invigilare atque intendere, num officio in nullo desint, sed diligenter instructioni populi incumbant, eique sincerum & conveniens spirituali Verbi Divini pabulum porrigant; eosque, si in eo delinquant, corrigere & punire.

Quapropter cùm Senatus Burdigalensis interdixisset Episcopo Bagiensi, inquirere in doctrinam inter concionandum propositam, causa ad Consilium privatum Regium devoluta, Rex cassato dicto Burdigalensis, Senatûs Decreto, inhibuit tam prædicto Senatui Burdigalensi, quàm aliis Senatibus & Judicibus laicis, ullo titulo aut prætextu esse impedimento Prælatis in capienda informatione super doctrina in concionibus sive à Secularibus sive Regularibus proposita, ipsam religionem concernente.

Similiter inhibitio Regia facta fuit an. 1657. Parlamento Parisiensi, & cæteris omnibus, cognoscendi de materia doctrinæ, missionibus Concionatorum, approbationibus Confessariorum, & aliis materiis merè spiritualibus, & per sententiam Consilii Sanctioris rursus confirmatum fuit; Referuntur hæc Arresta & Decreta in Actis Cler. Gall. *tom.* 1. *tit.* 10. *cap.* 20. 22. 23. & 24.

XXIV. Et inter propositiones, quas anno 1656. 10. Archiepiscopi cum 73. Episcopis, plurimisque Abbatibus, aliisque Prælatis Conventum generalem Cleri Gallicani constituentes, tanquam temerarias, scandalosas, falsas, erroneas, in hæresim & schisma inducentes, Sedi Apostolicæ, Conciliis tum Œcumenicis, tum Provincialibus, & præcipuè sacro Tridentino, & Ordini Episcoporum Apostolico contrarias & injuriosas, Ecclesiasticæ Hierarchiæ destructivas respectivè damnarunt, erat hæc: „ Regulares Mendicantes petere possunt „ licitè à Judicibus secularibus, ut injungant Episcopis, qua- „ tenus ipsis mandata concedant ad prædicandum in Adventu „ & Quadragesima: quod si renuant facere Episcopi, Decre- „ tum Judicum sæcularium tantundem valet, ac si permissio „ dictis Religiosis concessa fuisset."

Quin tandem interdum Magistratus Regii procedere atque informationes sumere possint contra Concionatores seditiosa, aut scandalosa in populum spargentes, quæ magis ad emotionem, & seditionem, quàm ad pietatem & debitam erga Superiores & Magistratus observantiam plebem excitare possent, non est dubium (z).

Undè cùm quidam Parochus in urbe Parisiensi aliqua admodum seditiosa, quæ populum contra Magistratus incitare, & commovere nata erant, in concione dixisset, per sententiam Senatus Regii decreta fuit dicti Parochi incarceratio, quoadusque aliter per Curiam esset statutum, 11. Junii 1590. Rursuis 8. Martii 1591. injunctum fuit per Senatum Regium ad instantiam Procuratoris Regii omnibus Concionatoribus, ne in suis concionibus utantur discursibus seditiosis, qui populum ad emotionem excitare possent, sub pœnâ, quod adversus contravenientes pro casus exigentia procedetur; injungens una locorum Officialibus ut manum adhibeant, atque in contravenientes secundum rigorem Ordinationum procedant. Quæ omnia aliaque plura latiùs referuntur in probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 29.

CAPUT IX.

EPISCOPORUM EST PRO POPULO ORARE; POPULUM AD ORATIONEM EXCITARE; PRECES PUBLICAS INDICERE; ET DIRIGERE; ET ABUSUS, SI QUI IRREPSERINT, TOLLERE.

1 *Instantiam orationis præcipuum esse suum officium crediderunt Apostoli: & quare.*
2 *Episcopi certam horam orationi destinare debent.*
3 *Episcopo præcipuè incumbit sacrificii incruenti oblatio.*
4 *Quandonam specialiter Episcopus Missæ Sacrificium offerre debeat.*
5 *Episcopus populum ad orandum excitare, modumque orandi docere debet.*
6 *Libellos precum examinare Episcopo incumbit.*
7 *Orationes publicas ex causa publica & communi, Episcopi est indicere, & dirigere.*

Epis-

(z) *Id quidem constat litteris Patentibus, quas Henricus IV. Galliarum Rex dedit* 22. *Sept.* 1595. *quæ in Commentarios Senatûs Provincialis* (de Provence) *relatæ sunt.*

8 *Episcopi est præscribere orationem* Quadraginta horarum, *& quomodo hanc instituerit S. Carolus.*
9 *Non sufficit in hac oratione publicè exponi* Venerabile ; *sed præcipuè incitandus populus ad solidam devotionem.*
10 *Preces publicas indicere ad Episcopum spectare sæpius declarârunt Parlamenta Regia.*
11 *Precibus publicis annumerantur supplicationes seu Processiones ; hasque indicere pertinet ad Episcopum.*
12 *Exemptio non impedit hac in parte auctoritatem Episcopi.*
13 *Episcopi est præscribere quomodo Processiones sint habendæ ; & quæ in iis cavenda aut observanda.*
14 *An Episcopus possit præscribere, ut in Processionibus Venerabile non circumferatur cum Imaginibus aut Reliquiis Sanctorum.*
15 *Episcopi est componere controversias de* præcedentia, *quæ inter personas Ecclesiasticas in Processionibus oriuntur.*
16 *Hæ controversiæ* summariè *absolvi debent.*
17 *Interdum super his controversiis ad Tribunalia Regia recurritur.*
18 *Clerici tam Regulares, quàm Seculares ad publicas processiones vocati accedere debent, & etiam compelli possunt.*
19 *Etiam exempti accedere tenentur.*
20 *Consuetudo nequidem immemorialis eximere potest Capitula Cathedralia ab accessu ad publicas supplicationes.*
21 *Episcopus mutare, aut etiam abrogare potest antiquas supplicationes.*
22 *Precibus publicis, quarum directio est apud Episcopum, annumerandum Officium Canonicum.*
23 *Episcopi est, Breviaria, Missalia, aliosque libros ad divinum Officium pertinentes revidere & emendare.*
24 *Correctio Breviarii Aurelianensis nuper ab Episcopo facta ; & quæ hîc observata.*
25 *Ubi est receptus ritus Romanus, observanda Bulla Pii V. & stylus Curiæ Romanæ.*
26 *Episcopus abusus circa Missæ Sacrificium corrigere debet.*
* *De retentione particularium Breviariorum in variis Galliarum Diœcesibus.*

I. APostoli convocantes multitudinem discipulorum dixerunt : *Non est æquum nos derelinquere Verbum* DEI, *& ministrare mensis. Considerate ergo, Fratres, viros ex vobis bonis testimonii septem, plenos Spiritu Sancto & sapientiâ, quos constituamus super hoc opus. Nos verò* ORATIONI *& ministerio Verbi* INSTANTES *erimus.* Act. 6.

Ministerio ergo Verbi junxerunt Apostoli *instantiam orationis* ; scientes, quàm esse necessarium hanc illi jungere, si prædicationis fructum in populo videre vellent ; juxta illud quod postmodum dixit Apostol. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

Hoc verò incrementum divinum qui suis precibus præcipuè in populum attrahet, nisi is *qui ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis* ; id est, omnis Pontifex sive Episcopus?

Hinc illud Apostoli ad Colossenses 1. *v.* 9. *Non cessamus pro vobis* ORANTES & POSTULANTES *ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni sapientia, & intellectu spirituali.*

II. Cum ergo „ in oratione sanctisque meditationibus eos „ (Episcopos) frequentes esse oporteat (verba sunt S. Caroli „ in Concilio Mediolanensi IV. *part.* 3. *cap.* 1.) certam si„ bi horam quotidie sumant, quam in contemplationum divi„ narum studio, exercitationeque attentissimis religiosæ men„ tis cogitationibus ponant. Qua oratione non sibi ipsis tantùm „ divini luminis illustrationem deposcant, sed etiam pro fide„ libus suæ curæ commissis humiles preces fundant, eorum „ peccata deplorando, pioque gemitu & religiosa supplicatio„ ne Deum orando, ut disjectis peccatorum nubibus, plu„ viam, & rorem suæ divinæ gratiæ ac misericordiæ effundat „ in hæreditatem & agrum Ecclesiæ suæ. "

Et Patres Concilii Tolosani *ann.* 1590. „ Orationibus & „ meditationibus singulo quoque die, certis statisque horis in„ cumbant, quibus in cœlestium rerum contemplatione ver„ santes, divinam sibi, suisque gregibus gratiam summâ & „ veneratione & contritione deprecabuntur. " *Parte* 1. *tit. de Episcopis.*

Idipsum & Concilium Narbonense *ann.* 1609. Episcopis ardentissimè inculcat ; „ ut quod, ait, in Fidelibus sibi commis„ sis confractum, divinâ bonitate alligetur, quod languidum „ est, sanetur, perditum reparetur, & quod bonum est, con„ servetur."

III. Porrò excellentior, & efficacior species orationis, cùm sit Missæ Sacrificium, hujus quoque celebratio præcipuè ad Episcopum spectat. Nec primis Ecclesiæ seculis Presbyteris oblatio hujus Sacrificii concedebatur, nisi absente, aut impedito Episcopo ; imò tam apparuisset insolitum, quòd Episcopus diebus Dominicis festisque conventui Fidelium non præsedisset, verbum Dei non explanasset, aut Sacrificium non obtulisset, quàm si Judex diebus juri dicendo designatis pro tribunali non sedisset.

Quare S. Gregorius volens exprimere magnitudinem dolorum, quos ex podagra patiebatur, scribit, „ se tantis poda„ græ doloribus affligi, ut vix in diebus Festis usque ad hora„ rum trium spatium surgere valeat, Missarumque solemnia ce„ lebrare." *Lib.* 8. *epist.* 35.

Non immeritò proinde dixit Synodus P. I. Mechliniensis: „ Inter cæteras Episcoporum functiones non infimum locum ha„ bet oratio pro Populo & communis Sacrificii oblatio ; de „ quibus, si bonum habeant testimonium, non parum inde eis „ accedet. " *Tit. de Episcopis, cap.* 3.

IV. Rectè ergò Episcopos monuit S. Carolus *in suo Con„ cil. IV. Mediol. loc. cit.* „ Missæ Sacrificium frequentiùs cele„ brare studeant. Dominicis verò festisque diebus, ne id præstare „ omittant. Hoc verò ipsum facere curent crebriùs in Ecclesiis, „ quam in privatis Oratoriis.

„ Præterea Missæ Sacrificium facere studeant illis diebus, „ quibus Ecclesiastica Beneficia conferent, & generalia Cleri„ corum qui initiandi sunt, & Confessariorum examina habe„ bunt, cæterasque denique graviores consultationes, & de„ liberationes inhibunt. "

V. Nec tantùm ipse pro se, populoque suo multum orare debet, sed insuper populum ad orandum incitare, ipsumque orandi modum docere ; necnon preces, tùm privatas, tùm publicas præscribere, ac dirigere.

Quantâ curâ & solicitudine S. Carolus populum sibi commissum ad orationis exercitium quotidianum excitaverit, paternoque affectu monuerit, ipsumque orandi modum docuerit, ejus Litteræ Pastorales ea de re ad universos suæ Diœcesis Fideles missæ ostendunt, quarum compendium suprà *cap.* 7. retulimus.

VI. Quia verò populus ad evitandas distractiones, & ad excitanda in se pia desideria & affectum inflammandum, uti solet certis libellis devotionis aut formulis precationum, Episcoporum atque Pastorum est, invigilare in hujusmodi libellos & precationum formulas, num ad solidam devotionem excitandam & fovendam sint convenientes ; utrum nihil sanæ doctrinæ, aut solidæ pietati contrarium contineant ; utrum nihil superstitionis, aut ad eam inclinans sub specie pietatis misceatur.

„ Libris, quibus preces variæ continentur (ait Synodus Ca„ meracensis P. I. *tit.* 1. *cap.* 3.) plerumque falsis, superstiti„ osisque titulis asperguntur : ea omnia purgari diligenter, & „ ad proportionem reduci Episcoporum sedulitate præcipit „ Sancta Synodus."

VII. Ad Episcopum quoque spectat, preces publicas & communes instituere, ipsique populo præscribere, modumque in illis servandum constituere.

Hujusmodi preces publicas & communes, non tantùm pro calamitatibus & periculis temporalibus Reipublicæ, aut populo imminentibus, se vel præcipuè ut spiritualia animarum pericula & calamitates avertantur, instituere, exemplo S. Caroli, Episcopis incumbit ; vel dum de aliquo negotio, à quo multarum animarum salus dependet, tractatur.

VIII. Et quidem de *Oratione* 40. *Horarum*, quæ una eaque hodie vulgatissima Orationis publicæ species est, dicit S. Carolus in Concilio suo Mediol. II. *tit.* 1. *dec.* 16. „ Ora„ tio quæ *quadraginta horarum* dicitur, ne ulla in Ecclesia „ extra ordinem constituantur sine Episcopi concessu. Isque „ eam ita sanctè geri curet, ut pii illius instituti ratio exigit."

Ut autem hoc assequeretur, plura postmodum statuit in suo Concilio Mediol. IV. *part.* 2. *tit. quæ ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pertinent* ; atque inter alia : „ In „ iis solum Ecclesiis sive secularibus, sive Regularibus fiat ce„ lebreturve, in quibus Sanctissimum Sacramentum asservatur: „ nec verò in iis omnibus, sed in illis tantummodo, quas Epis„ copus statuerit. Fiat autem in conspectu Sanctissimi Sacramen„ ti : quod è tabernaculo expositum, in majori, aliove, si „ Episcopus ita censuerit, altari pro palam collocetur. "

Post hæc vult, ut non minus quàm sex cerei & tres lampades ante Venerabile luceant, nec plures quam decem cerei aut 12. vel 13. lampades, *nisi Episcopus ea causa majorem luminum numerum permittat.*

Deinde orationis initio, cum Sanctissimum Sacramentum palam proponendum est, Clerus omnis ipsius Ecclesiæ superpelliceo indutus Sacerdoti Venerabile exponenti assistat, & si pauciores sint quam sex in illa Ecclesia, aliunde advocentur ut ne eo numero pauciores sint ; idque cum luminibus accensis, tum hominem itidem Parochiæ, in cujus Ecclesia, finibusve oratio exponitur, præsertim Sodalitati sanctissimi Sacramenti adscripti.

Dum illud in Altari propositum est, interdiù duo Clerici superpelliceo induti capite aperto ad Altare semper assistant ; quorum alter Diaconus saltem sit, noctu verò saltem unus, is-

isque in sacro Ordine constitutus.

„ Ad excitandam populi in stata hac oratione versantis pie-
„ tatem, ait, hoc curetur ut aliquando, quo præsertim tem-
„ pore, quave horâ frequens est fidelium ad eam concursus,
„ sermo, isque brevis, ad piæ meditationis studium inflaman-
„ dum apositè habeatur.“

Præterea vult ab Episcopo designari viros aliquos graves, pietatis spiritualisque vitæ amantes, qui in sua quique regione orationis hujus curam gerant, quo tempore illa celebratur. Qui inter cætera curabunt, ut oratio hæc per 40. horas continenter fiat: quem in finem Parochiam, in cujus finibus oratio habetur, in certas classes partientur, singulisque suas horas assignabunt, ut tamen fœminæ noctu ad Ecclesiam non accedant. Et si noctu orantes deessent, Venerabile in tabernaculo reponatur.

IX. Hîc in primis intelligant Episcopi & Pastores, quibus instituendi ac dirigendi in hujusmodi publicas preces officium incumbit, non satis fuisse S. Carolo, uti hodie à nonnullis aprehendi videtur, ut Venerabile Sacramentum publicè in Ecclesia exponatur; sed præcipuè curæ fuisse, ut populus ad solidam, ac sinceram devotionem excitetur, atque preces illæ verò devotionis affectu agantur.

Insuper videmus, non dubitâsse S. Carolum, cæterosque, qui ipsi in celebratione Concilii Provincialis astiterunt, quin publicæ hujus orationis institutio, & directio ad Episcopos spectaret.

Nec mirum, cùm enim similes publicæ orationes populum præcipuè concernant, atque ad populi pietatem, & devotionem excitandam instituantur, quis naturalior earum director esse potest, quàm Episcopus, cui totius populi cura & directio in his, quæ ad pietatem & religionem sunt, incumbunt.

X. Unde cùm Magistratus & Intendentes cujusdam Urbis suâ propriâ auctoritate ordinâsset cantari solemniter *Te Deum laudamus*, ipsosque Ecclesiasticos ad id coegissent, priusquam intervenisset decretum Episcopi Diœcesani: facta insuper inhibitione recipiendi Episcopale mandatum, si quod daretur: Re delata per Episcopum ad Consilium Sanctius, per Arrestum Concilii 14 Decembris 1638. cassata fuit dicti Magistratus ordinatio, ipsique Ecclesiastici exonerati, à mulcta per Magistratum comminata, cum inhibitione facta Magistratui, in posterum quidquam statuendi, quod Ecclesiam concernit, aut turbaret Episcopum in functionibus suæ curæ. Refertur in Actis Cleri Gallicani, *tom.* 1. *titul.* 2. *cap.* 5. *n.* 6. Et *n.* 7. refertur Arrestum ejusdem Consilii Regii, quod 20. Nov. 1643. declaratum fuit, Capitulum Burdigalense non debere recipere mandata pro publica Gratiarum actione, aliisque publicis precibus, quas Rex judicasset esse faciendas in Ecclesia Burdigalensi, ab alio, quam Archiepiscopo, ejusque Vicario generali in ejus absentia.

XI. Et *n.* 8. asseritur, per Senatum Parisiensem 8. Januarii 1647. declaratum, *Processiones generales*, *Te Deum*, aliasque publicas preces, quæ fient ad instantiam Regis, indicendas esse per Episcopum, ejusve Vicarium de quo Capitulum gratiosè monebitur. Particulares verò preces ex communi Episcopi & Capituli resolutione.

His precibus publicis, quarum indictio & directio Episcopo adjudicatur, annumerantur *Processiones*, utpotè quæ & ad populi pietatem promovendam instituuntur.

His consonat resolutio S. Congregationis, quam ex Barbosa recitat Zipæus in Jure novo, *tit. de Majorit. & Obed. n.* 12. nimirum, Episcopum in indicendis Processionibus publicis non debere habere consensum Capituli; & quidem non obstante quasi possessione contraria aut consuetudine.

XII. Neque Prælatum quantumvis exemptum posse impedire Episcopum indicere Processiones in sua Ecclesia, judicavit Consilium privatum pro Episcopo Audomarensi 21. August. 1593. & 25. Septembr. eodem anno contra Abbatem S. Bertini. Habetur sententia in Registro setentiarum Consilii Privati, quod incipit à prima Febr. 1591. fol. 25.

XIII. Nec indicere duntaxat Processiones, seu Supplicationes solemnes ad Episcopum spectat, sed etiam quâ viâ, & quo ducendæ & dirigendæ, item quo ritu & formâ instituendæ, quæque in iis cavenda, aut observanda sint.

Hac ratione mandavit in sua Synodo D. anno 1567. Archiepiscopus Cameracensis Archipresbyteris suis: „ Ut solici-
„ tè perspiciant in Ecclesiarum visitatione, nùm non irrep-
„ serint aliqua superstitiosa, & vana in Processiones. Ubi ve-
„ rò hujusmodi aliquid compertum habuerint, volumus, ait:
„ nobis nostrisque Vicariis quamprimum denuntiari, ut ab om-
„ ni irreverentia repurgatis Ecclesiis in vera pietate fideles om-
„ nes contineamus.

Eadem ferè ratione vetuêre Episcopi Belgii in suis respectivè Synodis: „ Ne in Processionibus, quas *Dedicationum*
„ vocat, Venerabile Sacramentum circumferatur: eò quòd
„ ad hujusmodi Processiones populus magis spectandi, quam
„ orandi causâ accedere soleat.“

Et Synodus Mechliniensis P. II. *tit.* 14. *cap.* 2. & 5. „Imagines sacras seculariter comptas, nec in Templis, nec in
„ Processionibus tolerent Episcopi, & quæ ad ornatum Sup-
„ plicationum proponuntur, ejusmodi sint, quæ oculos spec-
„ tantium non offendant... Nunquam etiam Reliquiæ, vel ima-
„ gines in Processionibus deferantur, nisi per Clericos sacris
„ initiatos, quantum fieri potest, neque tam longi itineris cir-
„ cuitu, ut aut populi devotio languescat, aut compotationi-
„ bus aliisque insolentiis occasio præbeatur.“

XIV. Similiter licèt per se inordinatum non sit, Imagines, aut Reliquias Sanctorum unà cum Venerabili Sacramento in Processionibus circumferrè, *significantes*, ut ait Synodus Coloniensis anno 1549. *illos nunc cum ipso regnare & triumphare in cœlis, qui vestigia ejus hîc in terris secuti sunt*; si tamen Episcopus videat, eam esse populi sui circa aliquas Sanctorum Imagines aut Reliquias inordinatam devotionem, ut ex externo agendi modo sat appareat, honorem SS. Sacramento debitum ad Sactorum Imagines potiùs, quam ad ipsum Venerabile referri, idque etiam non rarò cum summo hæreticorum scandalo, poterit Episcopus præcipere, ne cum ipso Venerabili Sanctorum Imagines aut Reliquiæ circumferantur.

Quod etiam pridem, ob illud indubiè periculum, sæpius decretum fuit. „ In solemni illa Processione, ait S. Carolus,
„ in qua Sanctiss. Domini Corpus per urbem religioso cultu
„ defertur, *ne Reliquiæ ullæ* sed illud solum, ut veteris insti-
„ tuti, Ecclesiæque Romanæ Matris consuetudinis est, pio, re-
„ ligiososque apparatu solemnique celebritate feratur.“ Concil. Med. IV. *part.* 2. *cap.* 4.

Similiter ann. 1639. Synod. Namurc. statuit: „Quando con-
„ tinget Venerabile Sacramentum deferri, nullæ aliæ Reliquiæ
„ vel Imagines Sanctorum deferantur.... in die verò Patroni sola
„ ejus Imago vel Reliquiæ deferantur.“

Quin & an. 51. currentis seculi Maximilianus Henricus Archiep. Coloniensis decrevit: „ quòd tametsi pium & lau-
„ dabile sit, ut in communibus Processionibus & Supplica-
„ tionibus, ac stationibus, deportentur Sanctorum (si quæ in
„ Ecclesiis habentur) Reliquiæ, vel sola Imago Divi loci Ti-
„ tularis, in eis tamen Processionibus & Supplicationibus, ubi
„ SS. Sacramentum circumfertur, nullæ meritò Sanctorum vel
„ Imagines vel statuæ juxta S. Caroli Borromæi præscriptum
„ (nisi pia multorum locorum consuetudo, aliud postulet)
„ deportentur, de qua tamen *consuetudine integrum erit no-*
„ *bis nostrove in spiritualibus Vicario generali, seu Decanis*
„ *ruralibus cognoscere*; *an cum pietate verâ & persuasâ con-*
„ *sistat.*“

Hinc patet, dictum Archiepiscopum desiderâsse quidem, ut juxta S. Caroli præscriptum cum Venerabili Sacramento Sanctorum Imagines non circumferantur, aliquid tamen consuetudini in re de se minimè inordinatâ detulisse; ita tamen ut sibi integrum esse declaraverit, judicare, num hîc & nunc consuetudo illa veram populi devotionem non impediat, nec ejus erga SS. Sacramentum reverentiam potiùs diminuat quàm promoveat.

Et meritò, in his enim quæ interdum devotioni congruere, subinde verò ob temporum circumstantias, & populi conditionem officere possunt, Episcoporum est invigilare, & judicare, quid conveniat; subditorum verò obedire, & judicio Episcopi se submittere, juxta illud Augustini in simili materia indifferenti: *Episcopo tuo in hac re noli resistere, & quod facit ipse, sine ullo scrupulo vel disceptatione sectare.*

XV. Hæc plenam Episcoporum auctoritatem in indicendis dirigendisque Processionibus, utpotè publicis precibus populum spectantibus, abundè evincunt, quam & Synodus Tridentina supposuit, dum *Sess.* 25. *c.* 13. *de Regul.* voluit, ut „ con-
„ troversias omnes de præcedentia, quæ persæpe maximo cum
„ scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tàm Seculares,
„ quàm Regulares, cum in *Processionibus publicis*, tum in iis
„ quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in dese-
„ renda umbellâ & aliis similibus, Episcopus amotâ omni apel-
„ latione, & non obstantibus quibuscunque, componat.“

XVI. Cùm præcipuè in hoc Decreto Synodus intendat obviare scandalis, quæ ex hisce controversiis nata sunt oriri, nî mox & indilatè sistantur, compositio Episcopi eò maximè tendere debet, ut brevi manu, summariè, ac de plano, sine strepitu & figura judicii expediat universa, quemadmodum S. Congregationem declarâsse fertur, quæ similiter declaravit, apellationem hîc amotam duntaxat quoad effectum suspensivum; nequaquam verò quoad effectum devolutivum.

XVII. Quia verò interdum Episcopalis auctoritas hujusmodi controversiis diminuendis, ac sopiendis haud sat potens & efficax est, Regia nonnunquam accedit, quæstionesque super hisce controversiis ad Consilia Regia, præcipuè si de possessorio agatur, frequenter devolvuntur; quod quotidiana praxi notius est, quàm ut probari debeat. Et plura Regia Arresta in hac materia refert Renatus Choppinus *lib.* 2. *Monast. tit. ult. num.* 23.

XVIII. Addit deinde Synodus Tridentina: „ Exempti au-
„ tem omnes, tam Clerici Seculares, quàm Regulares, qui-
„ cun-

„ cunque, etiam Monachi, ad publicas Processiones vocati ac-„ cedere compellantur, iis tantùm exceptis, qui in strictiori „ clausura vivunt."

Vigore hujus Decreti decisum esse testatur Stephan. Gratianus. *decis.* 232. *n.* 15. in Curia Episcopali Papiæ, „ Monachos „ posse compelli ab Episcopo, & censuris adstringi aut saltem „ pœnis pecuniariis, ut vadant ad Processiones publicas."

XIX. Et Erasmus Choquier post Choppinum *de Sacra Politia*, *lib.* 2. *tit.* 6. *n.* 18. refert judicatum, „ quòd omnes, „ quantuncunque exempti, accedere tenentur ad Processiones „ consuetas, aut indictas pro bono publico vel honore." *De Jurisdict. in exemptos*, *part.* 2. *quæst.* 45. *n.* 109.

XX. Fuêre quidem nonnulla Capitula Canonicorum, quæ titulo *immemorialis* consuetudinis & possessionis se prætendebant ab hac accedendi ad Processiones obligatione exemptos; sed observat Aloysius Riccius in *praxi sua Neapol.* hanc consuetudinem in Gallia esse reprobatam tanquam illegitimam & irrationabilem. Et in specie Canonici Metenses, quantumvis exempti, declarati sunt non receptibiles ad prætendendum se non esse obligatos comitari suum Episcopum in publica supplicatione, per sententiam Senatus Parisiensis anno 1583. Similia duo alia Arresta contra Canonicos titulo *antiquæ possessionis* idipsum prætendentes, referuntur per Meynardum *lib.* 1. *notab.* 44. *cap.* 5.

XXI. Hac eadem auctoritate possunt Episcopi Processiones antiquitùs institutas, ac multo tempore observatas, vel in totum abrogare, aut immutare, si in eas abusus irrepsisse viderint, nec tàm ad excitandam devotionem, quàm ad excessus committendos conducere perspexerint.

Hoc motivo Patres Synodi Coloniensis ann. 1536. Processiones, quæ per agros & campos peragebantur, abrogârunt, sive voluerunt, ut hæ Processiones de cætero intra septa Ecclesiarum religiosè fierent, ac ut in templo, loco precationibus peculiariter dedicato, oretur Deus, habeaturque tum pius rei, ac tempori conveniens sermo commonitorius.

Rationem hujus desideratæ mutationis assignant, quòd Processionum harum institutio rationem quidem habeat, nempè quod populus oret, *ut segetes ac fruges terræ á Domino conserventur*: „ Verùm ut alia plurima, inquiunt, ita & hic mos „ hominum malitiâ depravatus est, quòd per occasionem talis „ deambulationis, quæ Deo placando erat instituta, pleraque „ scelera committantur. Quamobrem nobis satiùs videtur, ut hæ „ aliæque supplicationes, ac Processiones, de cætero intra septa „ Ecclesiarum religiosè fiant, ac ut in templo, loco precationi-„ bus peculiariter dedicato, oretur Deus, habeaturque tum pius „ rei ac tempori conveniens ad populum commonitorius sermo."

XXII. Quin inter species orationis publicæ recensendum sit Officium Canonicum, sive Horarum Canonicarum solemnis persolutio, indubitatum est; ut proinde etiam hîc cura Episcopalis invigilare debeat, num omnia ritè, devotè ac recto ordine peragantur, nihilque solidæ devotioni, ac Divini Officii majestati contrarium immisceatur.

XXIII. Quapropter non tantùm in pristinis, sed etiam recentioribus, ac nostræ penè ætatis Synodus frequenter inculcatum Episcopis legitur, ut Breviaria, Missalia, Antiphonalia, aliosque ad Ecclesiasticum Officium spectantes libros, diligenter examinent; (a) & si quod superfluum, aut cultui divino indecens aut minus dignum repererint, tollant.

Concilium Senonense superiori seculo Lutetiæ Parisiorum sub Antonio à Prato S. R. E. Cardinale, necnón Senonensium Archiepiscopo, & Galliarum Primate celebratum, statuit: „ut „ Diœcesani statim post dissolutum præsens Concilium diligen-„ ter visitent Breviaria, Missalia, Antiphonalia, ac Sanctorum „ Legendas. Et quæ deprehenderint in illis superflua, aut non „ satis pro Ecclesiæ dignitate convenientia, ipsi continuò tol-„ lent, & resecabunt, & quæ viderint esse necessaria, ad-„ jicient." *cap.* 1.

Similiter sub idem penè tempus, Patres Concilii Coloniensis attendentes „ nonnulla in Divinum Officium cœco quodam judi-„ cio invecta, judicârunt operæ pretium facturi, si Missalia per-„ inde, atque Breviaria pervideri curarent, ut amputatis tan-„ tùm superfluis & quæ superstitiosius invecta videri possint, ea „ tantùm, quæ dignitati Ecclesiæ & priscis institutis consentanea „ fuerint, relinquantur." An. 1536. *p.* 2. *c.* 11.

Concilium quoque Mechliniense intelligens, quoniam in Divino Officio quandoque „ & potisimum in festis, quæ certis „ Diœcesibus propria sunt, in historiis quæ leguntur, & se-„ quentiis Missarum quædam occurrunt, quæ subinde pios of-„ fendunt, statuit, ut curent Episcopi, & quod in eo officio pur-„ gandum videtur & corrigendum, expurgent, & corrigant, aut „ loco Officii hujusmodi jubeant Officium de communi cantari."

Hisce addi possunt quæ in sua Synodo anno 1570. statuit Episcopus Namurcensis Antonius Havetius, qui Concilio Trid. interfuit, titulo *de sacra Eucharistia & Divini Officii persolutione*, *cap.* 8. „ In Divino Officio, ea tantùm convenit de-„ cantari vel legi, quæ solida sunt, & ad ædificationem faciunt, „ tam proferentium quàm auditorum. Quare Ecclesiarum Rec-„ tores, & Præfecti diligenter advertant, an in suis Ecclesiis ali-„ qua sint immixta Officio Ecclesiastico *falsa*, *incerta*, vel *non* „ *verosimilia*, quæ si deprehenderint, ad nos deferant, ut eo-„ rum loco, *ex scriptura*, *vel veteribus ac probatis scriptoribus* „ *solida substituantur*."

Nullatenus proinde dubitârunt Episcopi, quin Breviariorum, aliorumque librorum ad Divinum Officium spectantium, visitatio atque correctio sibi incumberet.

XXIV. Hac actuoritate usus Episcopus Aurelianensis anno 1693. novam Breviarii Diœcesis suæ editionem & emendationem procuravit.

In hac verò emendatione, seu correctione imprimis observavit, ut „ nihil in *Antiphonis*, nihil in *Versibus & Responsoriis* „ sit insertum, quod ex Scripturis Sacris non sit descriptum, „ ita ut (verba ejus sunt in præfatione Breviario correcto præ-„ fixa) in his omnibus vel Deus ipse nos alloquatur, vel verba „ suppeditet quibus ipsum alloquamur. *Amica enim & familia-„ ris oratio est* (ait S. Cyprianus Martyr & Episcopus *lib. de* „ *Orat. Dom.*) *Deum de suo rogare*."

Ulteriùs in dicta præfatione exponit: „ Optandum quidem „ esse, totam utique Scripturam unâ serie in Officiis Divinis „ singulis annis legi potuisse: sed, ait, cùm plura contineat, „ quàm ut integra hoc temporis spatio legatur; id saltem effeci-„ mus, ut ex Scripturæ lectionibus nulla (paucissimis exceptis) „ unquam omitteretur, & lectiones ipsæ ex iis desumerentur lo-„ cis, quæ & scitu magis essent necessaria, & ad animos re-„ rum cœlestium amore inflamandos magis efficacia.

„ Lectiones ex genuinis & indubitatis SS. Patrum operibus, „ inquit, deprompt.e sunt, quæ Scripturarum locis difficiliori-„ bus lucem afferant, fidei dogmata firmiùs stabiliant, Christi „ præcepta luculentiùs explicent, peccati odium altiùs in ani-„ mis imprimant, ac vitæ æternæ desiderium ferventiùs ex-„ citent."

Psalterium sic disposuit; ut singulis ferè hebdomadis totum recitetur.

Hoc verò vel maximè cordi fuit huic Antistiti, ne quid falsi, aut incerti, vel fabulosi in Officio Divino legeretur; quare omni studio in hoc allaboratum fuisse ait: „ Ut veritati simul „ ac fidelium ædificationi consulentes, falsa ac dubia re-„ moverentur; eaque ex Sanctorum historia proponerentur, „ quæ legentium animos ac Deum amandum, & Sanctos imi-„ tandos suaviùs allicerent."

Denique cum nulli Sacerdotum Canones ignorare permittatur; ideo „ quæ Clericos, & maximè Sacerdotes qui pro alio-„ rum salute invigilant, circa fidem, & mores scire apprimè „ convenit, ex Conciliorum Decretis, & Sanctorum scriptis ex-„ cerpsit & ad calcem Breviari edi curavit: ut singulis diebus ad „ *Primam*, etiam ab iis qui privatum Officium recitant, ali-„ quid inde legatur."

Et quidem pro die 29. Aprilis, qua die hæc scribo, hoc à Canonicis Clericisque notandum Synodi Coloniensis Decretum assignatur: „ Utinam optando, à Deo Optimo Maximo „ consequi possimus, ne quisquam lucri causa divinis interesset, „ alioquin non accessurus sacra; veluti quem nummi magis, „ quàm Dei amor in templum trahit, quæstum pietatem esse pu-„ tans: qui (non dubium) ex numero eorum est, de quibus „ Isaias dixit; *omnes diligunt munera*, *sequuntur retributio-„ nes*." Optandum, ut & Breviarii Romani, quo plerique in Belgio utuntur, aliqua nova correctio fieret; qua præsertim apocripha & dubia tollerentur, atque certa & indubitata substituerentur.

XXV. Sed cùm pleræque Ecclesiæ Belgicæ, præsertim seculares receperint Breviarium & ritum Romanum, attendenda erit circa Librorum Divinorum correctionem Bulla Pii V. quæ Breviario Romano præfici solet; atque stylus Curiæ Romanæ, qui omnia penè ad Ritus spectantia Congregationi, quæ *Rituum* dicitur, commissit, ubi de hac Congregatione agetur, latiùs ostendetur.

XXVI. Denique Synodus Tridentina hanc circa preces publicas Episcopalem auctoritatem expendens, ipsis Episcopis mandavit; ea omnia, quæ à Sacrificii Missæ dignitate aliena sunt, quæque vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio induxit, è medio tollere sedulò curent, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscunque: uti fusiùs dicetur, & abusus è medio tollendi proponentur infrà, *part.* 2. *tit. de Celebratione Missarum.*

* Sed ut ea, quæ de Breviariorum emendatione dicta sunt, planiùs intelligantur, non pigeat excipere quod exeunte XVI. & ineunte XVII. seculo apud Gallos hac de re contigerit.

Tunc temporis in Galia plures Ecclesiæ suum particulare Bre-

(a) *Hoc munus in Hispania privativè incumbit ex speciali commissione Romani Pontificis, & litteris Regiis ad Commis-*

sarium Generalem Sanctæ Cruciatæ.

Breviarium retinendum censuerunt, tametsi Curia Romana frequenter, ac præsertim post Concilium Tridentinum institerit, ut Breviarium Romanum cæteris particularibus Breviariis abjectis, in omnibus ubique Ecclesiis reciperetur.

Ita legitur circa annum 1581. Curiam Romanam fortiter institisse ut Ecclesia Parisiensis, abjecto proprio ritu Divini Officii, reciperet ritum Romanum, uti refertur *inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, cap.* 31. *n.* 3. extatque ibidem resolutio Capituli Parisiensis super retentione & reformatione sui particularis & antiqui Breviarii: ac unà subjunguntur rationes Theologorum Parisiensium, quibus ostendebant nullatenus esse recipiendum ritum Romanum, abjecto Parisiensi; sed potius expedire, ut unaquæque Diœcesis suum retineat ritum, & particularia sua Breviaria.

Porrò inter alia observant dicti Theologi, „ quod Sancti „ Patres tantâ sapientiâ, & prudentiâ illustres, justis de cau„ sis, singulis Diœcesibus singula concesserint & ordinaverint „ Breviaria."

Præterea notant: Quod „ reliqui Episcopi habeant potesta„ tem politiæ, & ordinationis in suis Diœcesibus, ut Roma„ nus in sua. Hoc autem bona ex parte convelleretur."

Et infra addunt: „ Hi Episcopi in suis Diœcesibus (si in„ telligant quod sunt) habent potestatem orationis modum ins„ tituendi, sicut Papa in Romana Diœcesi & Ecclesia (hoc „ enim sonat & significat vocabulum *Pontifex. Heb. cap.* 5. „ & 9.) alioquin fierent Papæ Capellani."

Præterea observarunt, „ quòd ubi Deus Optimus Maximus „ dedit Sanctos; ibi quoque vellit per illos invocari à fidelibus „ populis, sicuti voluit rogari à filiis Israël per Patres illorum „ Abraham, Isaac & Jacob, hac de causa retinenda esse sin„ gularum quoque Diœcesium particularia Breviaria utpote „ Diœcesium *Sanctorum* officia continere consueverunt."

Non prætermittunt insuper liberè edicere, quòd hæc particularium Breviariorum abrogatio, & in locum eorum Romani Breviarii inductio, non tam augmentum Religionis, quàm Romanæ Curiæ amplificationem pro fine habeat: „ Quid enim „ (inquiunt) inde provenit, nisi Romanæ, non dico religionis, „ sed superbiæ & ambitionis auctio."

Hæc Theologorum resolutio integra exhibetur per Pythæos *inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, cap.* 31. *num.* 11. Et ibidem *num.* 12. refertur Arrestum Parlamenti Parisiensis die 27. Feb. 1603. quo ad instantiam Procuratoris Regii cassatur ordinatio Episcopi Andegavensis, quâ voluit per suam Diœcesim recitari Divinum Officium juxta ritum Breviarii & Missalis Romani, abrogato antiquo ritu Ecclesiæ Andegavensis, & injunctum fuit eidem Episcopo, ne ullam circa ritum ecclesiasticum immutationem, aut innovationem induceret absque permissu Regis. Utrumque Monumentum potest videri infrà. (b).

(b) Rationes sacræ Theologiæ Parisiensis contra quorundam propositiones, qui Breviarium secundum correctionem Concilii Tridentini introducere cupiebant, antiquo usu Breviarii Ecclesiæ Parisiensis penitùs abrogato.

Deus Omnipotens Maximus semper gavisus & usus est varietate, ut patet in ipsa creatione, in qua diversitate delectatus est. Hic enim ejus potens, & sapiens providentia patet ex concentu & harmoniâ rerum diversarum atque contrariarum.

Hoc pugnat cum ratione & cum fide per charitatem operante. Nam ratio inferior debet consentire cum ratione æterna, quæ diversitatem in conditione universi posuit à principio, ut sit concordia discors: ut etiam magis excitemur ad virtutem, cùm ejus plura exempla proponuntur: ut Deus magis laudetur in multitudine & varietate mirabilium ipsius.

Hoc minueret Dei Optimi Maximi gloriam, Sanctorum cultum, & Christianorum ædificationem exemplarium.

Hoc valdè minuit Episcoporum & Diœceseon auctoritatem.

Qui hoc promovent, non sunt viri simplices, & devoti seu spirituales, sed astuti politici, qui ex re qualibet, quolibet modo rem suam mundanam conantur facere. Astitit Regina à dextris sponsi circumamicta varietate.

Ut omnis novitas est suspecta, ita talis mutatio magna non potest esse sine detrimento magno.

Hoc foveret Cantorum & Ecclesiæ servitorum inobedientiam atque dissolutionem, cùm omnium Ecclesiarum unum esset & idem officium.

Quot sumptus necessarii essent? Rustici non possent juvare suos Curatos in officio agendo. Hoc autem maximè est necessarium in pagis.

Spirtus S. fecit loqui magnalia Dei omnibus linguis (Act. 11.) *quod est argumentum diversitatis in officio Ecclesiæ, ut in universo & in membris corporis humani cernitur.*

Nobis sapientiâ, prudentiâ, virtute, & donis Sancti Spiritûs excellentiores fuerunt antiqui sancti Patres, qui justis de causis singulis Diœcesibus singula concesserunt & ordinaverunt Breviaria. Miretur ergo Gallia suum Marcellum, dum miratur suum Sylvestrum Roma.

Talis immutatio hæreticos juvaret atque delectaret, quasi in errore aut inscitia fuissent Patres Catholici in re tantâ. Hoc esset scandalum piis Catholicis, qui hoc pacto possent dubitare de ipsa fide & religione, cujus consuetam professionem ita immutatam cernerent. Quid hoc affert utilitatis?

Reliqui Episcopi habent potestatem politiæ & ordinationis suis Diœcesibus, ut Romanus in sua: hoc autem bona ex parte convelleretur.

Ad quid amplexaretur Breviarium Romanum, quod à paucis annis ter immutatum & derelictum vidimus? succedente alio Papâ novum erit forsan Breviarium expectandum.

Hoc est contra libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, quæ si Romanæ in hac professione generali & maximâ se submittat, quid restat, nisi quod etiam ex consequenti sæpè submittet in reliqua omni politia? Nam accessorium sequitur principale.

Semper unaquæque Ecclesia & Provincia gavisa est suis ritibus, juxta illud: Si fueris Romæ, Romano vivito more, Si fueris alibi, vivito sicut ibi: *Ecclesiæ pagorum sæpè non sequuntur ordinationem suæ Cathedralis, & Cathedrales sequerentur Breviarium Romanæ Ecclesiæ?*

Avari & semper ambitiosi Romani sic rem suam facere provident ex impressione, sicut videmus jam factum ex privilegiis multis ad hanc rem spectantibus.

Corrigantur, & tamen valdè prudenter, & non curiosè aut scrupulosè nimis, si quæ indigent correctione in Breviariis Diœceseon, non autem deserantur.

Hic Prædicatores & Curati non tam facilè populum docerent, ignorantes Legendas multorum Sanctorum particularium, particularibus locis magis celebrium & cognitorum.

Ubi Deus Opt. Max. dedit Sanctos, ibi quoque vult per illos invocari à fidelibus populis: sicut voluit rogari à filiis Israël per Patres illorum Abraham, Isaac & Jacob. Retineantur ergo Breviaria singularum Diœceseon.

Si objiceretur cultus particularium Sanctorum, qui sunt in tanto & propè infinito numero, non ita juvaretur per illos Ecclesia. Nam rogati & laudati rogant atque juvant: ideò ordinavit Ecclesia per Spiritum Sanctum illos in locis suis particularibus celebrari.

Cùm adhuc Ecclesia nascens & spiritus doctrinæ fervens in unum locum congregabatur, unusquisque suam particularem devotionem afferebat (1. Cor. 14.) *quantò magis ergo ipsis per universum orbem dispersis, unaquæque Parochia vel saltem Diœcesis suam & devotionem, & præcandi formam retinebit, semper tamen ordinatè? Hic terra diversorum fructuum arbores & semina nutrit.*

Non major est ratio, quòd omnes Sacerdotes ubique dicant unum Breviarium, quàm quòd omnes Laici una tantùm orationem Deo Opt. Max. offerant.

Deus Opt. Max. qui decimis & primitiis vult recognosci, non magis vult talia sibi offerri ex iis, quæ nascuntur in singulis Provinciis, (non enim omnis omnia fert tellus) quàm desiderat coli & laudari ex mirabilibus, quæ contulit & operatus est per singulos & particulares Sanctos singularum & particularium Provinciarum.

Quid inde provenit, nisi Romanæ non dico religionis, sed superbiæ & ambitionis auctio? Non cedat crista Gallica Romano supercilio, non enim hîc de religione, sed de superbia astuta agitur. Ubi enim minùs quàm Romæ Conciliorum Œcumenicorum decreta observantur? An non est hoc in Cleris dominari magis, quàm Ecclesiam ædificare? Dixit antiquitas, quòd major est Orbis urbe: hîc verò urbs Orbem tentat complecti & sibi subjicere.

Hic latet anguis in herbâ, hoc suspecto maximè astuto & malo tempore. Vitentur ergo, qui mutant tempora & leges (Daniel. 8.) *Monet Christus* (Matth. 24.) *eum solum qui usque ad finem perseveraverit, salvum fore. Perseverantia autem non est obstinatio novitatis prophanæ, sed antiquitatis religiosa continuatio.*

Non propter vitandos sumptus temporales admittatur ignominiosa & detrimentosa plaga spiritualis.

In Ecclesia triumphante in cœlo (ad cujus exemplar & similitudinem in terra cuncta debent fieri) ut cordium, ordinum & graduum variæ, ita & diversæ sunt laudum & coronarum formæ.

Non putamus abesse ab impietate, illorum memoriam in terris sepelire, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ & in cœlis gloriosa. Hoc autem fieret, si particularium Diœceseon particularia Breviaria tollerentur. Non enim satis est, eos in scriptis retineri, nisi & honorificè in Ecclesiis recitentur.

Hoc non vult Concilium, nec intendit Papa, sed Papæ adulatores suis propiis utilitatibus cum religionis amplitudinis detrimento inservientes.

Si recipiatur Romanum Breviarium, aut bona pars ejus amit-

TITULUS XVII.

De Visitatione Episcoporum.

CAPUT I.

De necessitate, et scopo Visitaionis.

1 *Cura animarum necessariò requirit Episcoporum Visitationem.*
2 *Canones obligationem visitandi urserunt.*
3 *Synodus Tridentina quotannis Visitationem institui voluit.*
4 *Episcopus non adstringitur ad unicam visitationem annuam.*
6 *Synodus conscientiæ Episcoporum permisit, num plures quàm annuæ Visitationes sint necessariæ.*
6 *Episcopus cessante legitimo impedimento per se visitare tenetur.*
7 *Quid Episcopum agere conveniat, si Diœcesim ob ejus latitudinem convenienter per se visitari nequeat.*
8 *Scopus Visitationis à Synodo Tridentina expressus.*
9 *Visitatio præcipuè versari debet circa interiorem statum Diœcesis.*
10 *Quæ precipuè inquirenda ex mente Synodorum.*
11 *Scopus Visitationum compendiosè à Sancto Carolo expositus.*

Decretum ab Aula datum in audientia, super appellatione abusiva de mutato Breviario Andegavensi, juxta mandata Episcopi ejus loci in Ecclesia Trinitatis sub eodem nomine de mandato ab ipso dato, ut utendum foret Breviario Concilii Tridentini 1603.

Extractus Registrorum majorum Curiarum. Inter Magistros Guillelmus Amis *Canonicum*, Nicolaum Bodin *Pastorem & Canonicum Præbendatum Ecclesiæ Trinitatis*, Joannem Doussart, Joachinum Fradin, Michaëlem Le Boucher, Jacobum Breon, Petrum Viguais, Sebastianum Guillelmum Jamois, Michaëlem Susanne, Franciscum Mosteau, Joannem Bouthelle, Laurentium Fleurs, Bertrandum Lionnei, Lezinum Percher, Renoldum le Vanier, Oliverium Fontaine, Joannem du Bietz, Joannem Garnier, Michaëlem Roustion, *Canonicos & Sacellanos dictæ Ecclesiæ, ex quibus constat maxima & sanissima pars corporis & communitatis illius Ecclesiæ, appellantes quasi ex abusu ab ordinationibus factis à Reverendissimo Domino* Miron *Episcopo sub datis vigesimâ sexta Octobris* 1599. *& vigesimâ sextâ Martii* 1600. *ratione mutationis Breviarii* Andegavensis, *cum injunctione utendi Romano reformato juxta mentem Patrum congregatorum Tridenti, juxta supplicam Magistrorum* Caspari le Lievre, Urbani Hodemont & Joannis Hivet *Cnonicorum*, Francisci Bienbenu & Laurentii Cousteau *Sacellanorum*, Stephani Remos *Diaconi*, & Martini Martineau, *domiciliatorum in dicta Ecclesia Trinitatis. Insuper dictorum Dominorum & compartium, actorum seu postulantium in litteris vigesimâ Julii sequentis anni dicti* 1600. *quarum petitiò hæc est, ut tamquam appellantes à dictis Decretis inhærendo processibus ventilatis juxta executionem dictorum Decretorum, & contrariorum intentatorum aliquibus dictorum Canonicorum & Sacellanorum, ut signarent articulos de mutando Breviario Andegavensi, & mandatum fuisset, ut libri ad usum Ecclesiæ Romanæ emerentur, in quo casu cujuscunque Parochiæ esset assignanda taxa. Pariter ex eo quòd Officialis dicti Episcopi mandaverit, dictum* Guillelmum Jamois *unum ex appellantibus esse incarcerandum ex eo, quòd noluisset servitia celebrare juxta Decretum illius Episcopi, mulctandum ad duos imperiales, & condemnandum ut exiret Andegabo, & iret ad suum Pastoratum* Arcensem *ruri. Ad Vedictos* Bodin, Jamois, Susanne *& alios etiam appellantes, ab hoc, quòd requirente promotore in officialatu Andegavensi, fuerit mandatum scribæ tabellionis regii, qui citationem in altera parte insinuationis fecerat, quasi dicti appellantes abuterentur, citandus foret coram Officiali, ut ibidem declararet à quo fuisset ipsi mandatum ut illam faceret: & de omni litigatione facta in præjudicium dictorum appellantium, quasi abussus fieret, tam contra dictum* Michaëlem Susanne, *quàm alios; & præcipuè dictus* Susanne *appellans quasi ab abusu à Decreto arresti corporalis, contra se emanato ab Officiali dicti Episcopi Andegavensis* 5. *Martii anni* 1602. *ab incarceratione suæ personæ in carceribus* parvæ arcis Parisinæ, *& ab omnibus quæ consequenter contigerunt. Et adhuc dicti* Bodin, Jamois, Susanne *& consortes postulantes exhibita supplicâ, ut assignetur commissio ad informandum de factis & combustionibus Missalium, Breviariorum & aliorum librorum cantui inservientium in dicta Ecclesia Trinitatis, ex mandato dicti Episcopi aut ejus Officialis prælo datorum, à tempore quo Aula habuit in manibus suis dictas appellationes quasi ex abusu, & alia acta quorum fit mentio in præfata supplica, ut etiam circumstantias & dependentias ex una parte: Et dicti* le Livre Hochemon, Hiret, Cousteau, Remois, Martineau, *idem Episcopus Andegavensis, & Magister Christophorus* Ogier *Promotor, citati & contradicentes admissioni dictæ supplicæ, ex altera. Et moniales, Abbatisa, & Conventus beatæ Virginis* Du Rouserai *in dicto Andegavo supplicantes, ut admittantur ad causam, Aula declaravit, ut declarat, Episcopum Andegavensem benè citatum; mandat ut tam in appellatione Procuratoris Regii, quàm in partibus* Robert, *probet: & postquam* Bouchel *qui inducias postulavit, renuit probare, &* Servin *pro Regio generali Procuratore, propter lucrum defectum in suis conclusionibus continuatum, Aula admisit & admittit Procuratorem generalem Regium appellantem quasi ex abusu à litigationibus & decretis Episcopi Andegavensis, ejus Officialis & Promotoris, ipsum habuit & habet ritè absolutum: & ut fiat jus tam in ejus appellatione, quàm à partium oppositione, pronuntiavit & pronuntiat tamquam à Decretis defectuosis contra dictum Episcopum, ejus advocatum, & procuratorem præsentes, & sententialiter asignando commodum illius, dicit in omnibus malè & abusivè dictum Episcopum, ejus Officialem & promotorem fuisse litigatos, malè decrevisse & executioni mandasse: quòd servitium divitium ordinarium in Ecclesia Trinitatis continuabitur, & inhibuit & inhibet dicto Episcopo, ne quidquam in celebratione & exercitio servitii divini in Ecclesiis suæ Diœcesis innovet, & ejus Officiali & Promotori inhibet, ne judicia, jurisdictionem & cognitionem causarum assumant, nisi statutam & assignatam in Constitutionibus. Et ut videant sibi faciendas esse majores inhibitiones; & ut respondeant conclusionibus sumendis & contra ipsos statuendis à Procuratore generali, citantur ut intra mensem compareant personaliter: citatos condemnat ad expensas cum interesse propter incarcerationes & quæ consequenter facta fuerunt; mandat ut si aliqui ex appellantibus adhuc in carceribus detineantur, portæ aperiantur ipsis. Procuratori Generali Regis dabitur commissio, ut se informet ratione factorum quoad libros dictæ Ecclesiæ Trinitatis combustos, quoad scandalosa verba in concionibus prolata, ut desuper statuatur, decernatur & fiat quid juris; & quoad ejus postulata ulteriora dicta Aula videbit & dijudicabit in Consilio. Datum in Parlamento 27. Februarii anni* 1603.

12 *Vetus formula Visitationis multa hisce quoque temporibus utilia continet.*

13 *Episcopus ut faciliùs ac celeriùs cum fructu Visitationem absolvat, debet Ministros inferiores præmittere.*

14 *Hoc etiam provabit S. Carolus.*

15 *Litteræ Pastorales materiam, & scopum Visitationis continentes, præmittendæ: & quid hic fecerit Sanctus Carolus.*

16 *Parochi litteras populo prælegere, eumque ad Visitationem obedienter recipiendam inducere tenentur.*

I. ANimarum curatio ritè peragi nequit, si morbi nesciantur. Hi verò sciri nequeunt, nisi medici ægros visitent, in morbos inquirant, & studiosè examinent. Quapropter nihil adeò à Patribus, & Sacris Canonibus Episcopis inculcatum fuit, quam continua Diœcesium perlustratio, & visitatio: præcipuaque Sanctorum Episcoporum occupatio fuit Diœcesium continua circuitio & perlustratio.

II. Cumque habentibus seculis hæc Episcoporum solicitudo interdum flaccesceret; atque inde sensim dormientibus Pastoribus zizania malæ doctrinæ, aut morum abusus seminarentur, & crescerent; non defuere Concilia & Pontifices qui Episcoporum hac in parte obligationem urgerent, & ob oculos ponerent.

„ Multorum casum (ait Synodus Tarraconensis III. *Can.* 8.) „ experientia Magistrante, reperimus nonnullas Diœcesanas Ec„ clesias esse destitutas; ob quam rem hac Constitutione de„ crevimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & an„ nuis vicibus ab Episcopo Diœcesano visitentur, & si qua for„ tè Basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius re„ paretur.“

Synodus Legionensis in Gallæcia & Portugalia Diœceses multiplicari voluit, „ quia in tota Gallæciæ regione spatiosa „ satis Diœceses ab Episcopis tenentur: ita ut aliquantæ Ec„ clesiæ per singulos annos vix possint à suo Episcopo visitari.“

III. His aliisque infinitis propemodum Canonibus, qui visitationem, tanquam præcipuam ac maxime necessariam Episcoporum functionem, urserunt, insistens Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 3. *de Reform.* decrevit, ut „ Patriarchæ „ Primates, Metropolitani & Episcopi propriam Diœcesim per „ seipsos, aut si legitimè impediti fuerint, per suum gene„ ralem Vicarium aut Visitatorem, si quotannis totam, prop„ ter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem „ ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se vel Visita„ tores suos compleatur, visitare non præmittant.“

IV. Porrò cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, *oves suas agnoscere*, uti loquitur Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* nullatenus ex mente Patrum Concilii est, quòd Episcopi unicâ Diœceseos Visitatione annua aut biennali obligationi suæ semper satisfaciant: quandoquidem fieri possit frequentiores Visitationes requiri, ut oves suas cognoscere, & statum suæ Diœcesis perspectum habere queant.

Et uti rectè advertit Cardinalis de Luca, *dist.* 5. *ad Concilium Tridentinum*: „terminus unius anni vel saltem biennii „ (de quo in Decreto Concilii Tridentini) quamvis ex præ„ cepto statutus videatur, ne id negligi valeat; non tamen „ adeò taxativus est, ut intra breviorem terminum, quando „ Episcopus, seu Ordinarius opportunum vel salubre credat, „ visitare non possit; cùm etiam bis in eodem anno juxta cas„ suum contingentiam ac rerum opportunitatem, id facere va„ leat; dummodo tamen ad bonum finem, bonoque zelo id „ agatur, non autem ut id serviat ad solum prætextum exi„ gendi à Capitulis & Clericis aliisque subditis procurationes, „ ac munera, victualia, sub quorum prætextu magnæ fieri so„ lent extorsiones.“

V. Itaque, Synodus quidem voluit, ut semel saltem quotannis Diœcesim suam visitarent; permittens de cætero Episcoporum conscientiæ, num pro Diœcesis & ovium sibi commissarum notitia frequentiores requirantur; juxta illud Leonis IV. ad Episcopos Britanniæ apud Gratianum 10. *quæst.* 1. *Can.* 4. „ Regenda est unaquæque Parochia sub tuitione & „ provisione Episcopi per Sacerdotes vel cæteros Clericos, „ quos ipse cum Dei timore providerit, cui jure pertinere „ videtur, & circumire, ut sibi necessarium visum fuerit, ec„ clesiastica utilitate cogente.“

VI. Cum enim Episcopus per se curam suæ Diœcesis habere & gerere debeat, meritò quoque injungitur, quòd eam per se lustrare visitareque teneatur; & si vel ob ejus latitudinem aut legitima impedimenta eam toties per se circumire, ac visitare nequeat, ut perfectam illius notitiam accipiat, satagat, ut per inferiores, v. gr. Archidiaconos, Decanos seu Archipresbyteros, aut Visitatores specialiter ab ipso designandos, visitatio ita instituatur, & agatur, ut per ipsos plenam totius Diœcesis, & ovium sibi commissarum notitiam habere queat.

VII. Ita S. Carolus, quantumvis in visitatione suæ Diœcesis indefessus & assiduus, quemadmodum ejus acta, ac vita testantur, cùm nimiam suæ Diœcesis videret extensionem, ac infinita propemodum reformanda comperisset, „ ea ab eo „ inita fuit deliberatio, ut quo diligentiùs & visitatio, & per „ executionis usum perpetuò salutaria Decreta inducantur; Ec„ clesiastici aliquot homines, spectata morum probitate, pru„ dentia, doctrina, disciplinæque ecclesiasticæ usu periti de„ ligerentur, quibus tum visitandi, tum omnem executionem „ procurandi, promovendique munus committeretur.

Hæc in præfatione Instructionum pro Visitatoribus; quæ merito ab Episcopis, aliisque, quibus visitandi obligatio incumbit, leguntur in actis Ecclesiæ Mediolanensis *part.* 4. *pag.* 549. *& seqq. edit.* 1683.

VIII. Synodus Tridentina postquam ostendit, quando Episcopi, Archidiaconi, aliique, quibus jus visitandi competere consuevit, visitationem instituere debeant, subjungit: „ Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, „ sanam, orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus in„ ducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum co„ hortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, in„ nocentiamque accendere; cætera, prout locus, tempus, & „ occasio fert, ex Visitantium prudentia ad fidelium fructum „ constituere.“

IX. Scopum hunc ut assequantur Visitatores, non sufficit informari de iis, quæ externum Ecclesiarum statutum concernunt; sed præcipuè de interiori statu dignoscendo allaborandum est.

Unde in formula Visitationis, quam anno 1579. in generali Conventu proposuit Clerus Gallicanus, non tantùm quid de exteriori statu Ecclesiarum (circa quem plerique hodie Visitatores ocupantur) sed præcipuè, quid de interiori inquirendum sit, proponitur; quemadmodum & in ea, quam S. Carolus in sua Synodo Provinciali quarta exhibuit.

X. Unde Synodus P. I. Cameracensis *Tit. de Visitatione cap.* 2. vult, ut Episcopi in Visitatione „ primùm cognoscant „ de fide, vitæ sanctimonia, ac moribus: sive Visitatio fiat „ in Monasteriis, sive Capitulis tam Cathedralibus, quàm Col„ legiatis, vel etiam aliis Ecclesiis. Quoniam id præcipuè spec„ tandum est, ne doctrinæ sinceritas ullo errore corrumpatur; „ nec præterea vitiis vita maculetur. Cognoscant deinde de re„ gula, ac statutis; an serventur, an negligantur: & singula „ ritè, ac ordinatè constituantur.“

Deinde ex *cap.* 3. „ Externa etiam visitando non negli„ gant: ut sunt habitus, decens Tonsura, & hujusmodi reliqua.“

Post hæc subjungit *cap.* 4. Sed illud præcipuè spectent, „ quàm rectè diligenter Pastores ministeria sua obeant: sive „ docendo, sive Sacramenta ministrando, & Venerabile Sa„ cramentum & Unctiones & Baptisteria honestè conservan„ do. Cognoscant præterea de bonis Ecclesiarum, ac supel„ lectile, de bibliothecis, & aliis hujusmodi, ne quid per ne„ gligentiam pereat. Provideant etiam, ut & fundationes ob„ serventur, & eleëmosynæ liberalitate piorum hominum ins„ titutæ pauperibus nulla fraude distribuantur.“

XI. Hæc aliaque similia passim in Synodis Visitatoribus atque imprimis Episcopis inculcantur, quæ manifestè ostendunt Ecclesiæ mentem esse, ut Episcopi „ diligentiam omnem „ visitando adhibeant (Verba sunt Concilii Mediolanensis IV. „ *parte* 3. *tit. de Visitatione*) non modo in Ecclesiarum cul„ tu, & ornamento tuendo, augendove, sed maximè in om„ ni Cleri & populi pristina christiana disciplina restituenda, „ in utriusque item moribus cognoscendis, iisdemque depra„ vatis corrigendis.“

XII. Vetus formula inquisitionis, juxta quam Episcopi aliique inferiores Prælati olim Visitationem suam dirigere debebant, idem evincit. Nam formula hæc prout tam circa seculum X. evulgavit Regino Abbas Prumiensis in suo opusculo de Ecclesiasticis Disciplinis, in duos libros erat distincta; atque in primo continebantur, quid ab Episcopis circa Ecclesiaticos viros esset inquirendum, in secundo autem, quid circa Laicos.

Plura de hac inquisitionis formula & Opusculo Reginonis observari tractatu Historico-Canonico in Canones *part.* 5. *c.* 1. Neque inutiliter formula inquisitionis unà cum opusculo Reginonis legetur ab iis, quibus visitandi munus incumbit; plurima quippe & hodie utilia, ac modernis temporibus accommodata diligens lector & peritus scrutator reperiet, eamque consuluisse S. Carolum, aut eos, qui instructionibus Visitatorum, quæ in Actis Ecclesiæ Mediolanensis parte 4. prostant, formandis fuere occupati, innuit harum cum prædicta inquisitione in multis consonantia.

Post expositum scopum omnium Visitationum, Synodus Trid. Visitatores instruere pergit; quæque ad scopum illum assequendum conducant, proponit. „ Quæ ut faciliùs feliciusque, „ ait, succedant; monentur prædicti omnes & singuli, ad quos „ Visitatio spectat, ut paternâ charitate, christianoque zelo „ omnes amplectantur: ideoque modesto contenti equitatu famu-

„ mulatuque, studeant celerrimè, debita tamen cum diligentia „ Visitationem ipsam absolvere."

XIII. Ut verò Episcopus celeriùs, debita tamen cum diligentiâ, Visitationem absolvere queat, jam olim decretum fuisse legitur: „ Cùm Episcopus suam Diœcesim circuit, Archidiaconus, vel Archipresbyter eum præire debet uno, aut duobus diebus per Parochias, quas visitaturus est; & plebe convocata, adnuntiare debet proprii Pastoris adventum, & ut omnes ad ejus Synodum die denominatâ imprætermissè occurrant, omnimodis ex auctoritate sanctorum Canonum præcipere, & minaciter denuntiare, quòd si quis absque gravi necessitate defuerit, procul dubio à communione christiana sit repellendus. Deinde ascitis secum Presbyteris, qui illo in loco servitium debent exhibere Episcopo, quidquid de minoribus & levioribus causis corrigere potest, emendare satagat; ut Pontifex veniens nequaquam in facilioribus negotiis fatigetur, aut ibi immorari ampliùs necesse sit, quàm expensa sufficiat." Apud Regionem *lib.* 2. *c.* 1.

XIV. Hoc Rothomagensis Concilii decretum, tanquam visitationi celeriùs, ac fructuosiùs perficiendæ summoperè opportunum, renovavit, ac observari præcepit S. Carolus in suo Concilio IV. Mediolanensi; permittens tamen Episcoporum arbitrio, num Archidiaconum, Archipresbyterum, aut alium Ecclesiasticum hominem præmittere velit.

XV. Insuper zelosissimus hic Pastor, ut majori cum fructu ac minori morâ Visitationem absolverent Episcopi, litteras Pastorales, quæ Visitationis materiam, scopum, atque alia eo spectantia continebant, Visitationi præmittendas censuit: „ Porrò Parochus aliusve Ecclesiæ Rector vel Præfectus, in qua „ Animarum Curam gerit, cùm visitandus erit, Pastorales Episcopi Litteras, Visitationis nomine editas, duobus ante illius „ adventum proximis festis diebus, intra Missarum solemnia, „ cùm populi frequentia adest, de scripto recitet. Itidem Parochus aut Ecclesiæ Rector præstet de Litteris, quas de Confirmationis Sacramento ritè religioseque suscipiendo, Episcopus „ instructionum monitionumve nomine ediderit."

XVI. Deinde monet: „ Ut Parochus Litterarum, edictorumve Episcopalium evulgationem, recitationemve, & sermone, & concione, & monitionibus, & omni alio tùm publico, tùm privato cohortationum officio prosequatur, prout „ expedire animadverterit: quo fidelium animos diligentiùs præparet, atque excitet ad suscipiendum Episcopalis Visitationis officium.

CAPUT II.

Quæ *procurationes* ab Episcopo Visitanti exigi, vel recipi possint; et qui ad eas teneantur.

1 *Proponitur Decretum Synodi Tridentinæ circa* procurationes.
2 *Ratione Visitationis nihil, etiam ultrò oblatum, ab Episcopis exigi permittit.*
3 *Non prohibet peti quæ alio titulo debentur.*
4 *Ratio cur Synodus nihil voluerit ab Episcopis exigi ratione Visitationis.*
5 *Permisit Synodus accipi* victualia.
6 *Quid veniat nomine* victualium.
7 *Synodus Tridentina ita victualia restrinxit, ut omnis luxus excludatur.*
8 *Ex mente Synodi Episcopi deberent esse contenti iis, quæ ipsis apponuntur: quod suo exemplo ostendit S. Carolus.*
9 *Victualia tantùm subministranda pro temporis necessitate.*
10 *Episcopus eodem die Visitans plures Parochias aut Ecclesias debet esse contentus unica procuratione.*
11 *Episcopo visitanti Ecclesias Civitatis suæ Cathedralis non debetur procuratio.*
12 *Synodus Tridentina intendit sublevare Visitandos ab omni gravamine.*
13 *Permisit arbitrio Visitandorum an consuetam procurationem in pecunia continuare velint; an convertere in simplicia victualia.*
14 *Præservat conventiones, & consuetudines de non solvendis etiam victualibus.*
15 *Observandæ circa illas consuetudines.*
16 *Juxta hodiernam Belgii praxim Episcopi visitantes, à laicis procurationes exigere nequeunt.*
17 *Idem servatur in Regno Galliæ, ubi & quæstio de procurationum solutione in Tribunali Regio agitari debet.*
18 *Mores hodierni non patiuntur, ut Episcopus per censuras cogat subditos ad procurationes solvendas.*
19 *Quas pœnas Synodus Tridentina decernat in Visitantes, majores procurationes exigentes.*
20 *Decretum de moderatione procurationum; & pœnæ contra excedentes decretæ, etiam ad Familiares & Ministros Episcoporum extenduntur.*

I. Ut Visitatio à populo, & Clero gratiori animo suscipiatur, vult Synodus Tridentina, „ ut Episcopi Visitantes caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint: neve ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro Visitatione, etiam testamentorum ad pios „ usus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio „ quovis nomine, nec pecuniam, nec manus, quodcunque „ sit, etiam qualitercunque offeratur, accipiant: non obstante „ quacunque consuetudine, etiam immemorabili."

II. His verbis voluit Synodus, ne quidquam causà Visitationis, etiam ultrò oblatum à Visitatoribus recipiatur, nequidem pro Visitatione testamentorum ad pios usus: quæ eatenus Visitationi Episcoporum de jure communi subjacent, ut perspiciat Episcopus, num juxta voluntatem Testatorum executioni mandentur.

III. Quod verò alio quàm Visitationis titulo, ut v. g. ex *relictis piis*, uti loquitur Synodus Tridentina, Episcopo debetur, sublatum non est, ideoque nec *Cathedraticum* Episcopis debitum sublatum esse declaravit S. Congregatio apud Weymsium ad 24. *Constitutiones per Concilium Trid. innovatas*, *Constit.* 17. *num.* 21.

IV. Et meritò Synodus voluit, Episcopos in ipsa Visitatione ab omni vel specie avaritiæ, aut habendi cupiditate esse alienos. Si enim (teste eadem Synodo *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform.*) ad restituendam disciplinam præcipuum sit, quòd fideles Præpositos suos videant, non ea, quæ mundi sunt, sed Animarum salutem ac cœlestem patriam cogitare; idipsum vel maximè in ipsa Visitatione, quæ tota ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam, vitia eradicanda, virtutesque plantandas dirigenda est, Episcopi suo agendi modo ostendere debent; ut dicere confidenter queant cum Apostolo: *Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos.*

V. Exemplo tamen Christi, qui mittens Discipulos suos ad prædicandum Regnum, dixit: *In eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Et in quamcunque civitatem intraveritis, & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.* Lucæ 10. ℣. 8. Hoc, inquam, exemplo, Synodus Tridentina generali prohibitioni, quicquam, etiam ultrò oblatum, ratione visitationis accipiendi, hanc subjecit exceptionem: „ Exceptis tantùm *Victualibus*, quæ sibi ac suis frugaliter moderateque pro „ temporis tantùm necessitate, & non ultra, erunt ministranda."

Hæc *victualia*, sive præstationes comprehenduntur sub nomine *procurationum*, de quibus sæpius in jure canonico mentio occurrit; inde dictæ, quòd *procurari*, sive subministrari debeant ab iis qui visitentur.

VI. Cùm hæ procurationes ex Decreto Conc. Tridentini ad sola *victualia*, hoc est, esculenta & poculenta restringantur: „ traditum est, ait Weymsius ex Zerola, subditos non teneri „ ad medicinam Visitantium, vel alia similia, quæ extra „ communem victum sunt; propterea quod appellatione expensarum victualium veniant ea duntaxat, quæ in victu consistunt, „ non etiam alia, quæ concernunt alias personarum necessitates, „ ne alioquin etiam tandem ad vestitum cogerentur; nec enim „ debentur victualia nisi actu visitantibus, quorum numero haberi vix possunt, qui ægrotant."

VII. Dum autem addidit Synodus victualia *moderatè*, ac *frugaliter* esse ministranda, indubiè omnem luxum conviviorum & epularum abundantiam exclusam voluit, ut scilicet vel in ipso actu Visitationis mores suos ita componant Episcopi aliive Prælati, „ ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac, „ quæ nos tantopere commendat Deo, sacræ humilitatis exempla petere possint: " quemadmodum Synodus Tridentina monet. *Sess.* 25. *cap.* 1. *de Reformat.*

VIII. Imò sat ostendit Synodus per moderationem, ac frugalitatem, quâ victualia subministrari vult, se desiderare, ut Episcopi, aliique Visitatores observent id, quod à Christo Discipulis suis inculcatum est, ut scilicet non soliciti de mensarum instructione, aut victualium apparatu, contenti essent iis, quæ ipsis apponuntur.

Quod apprimè intelligens S. Carolus severè suis inhibebat, ne quid esculenti, ac poculenti secum ferrent, sed contenti essent iis, quæ Visitandi ad manducandum apponerent; quo fiebat, ait Godæus in ejus vita *lib.* 1. *cap.* 13. ut frequenter pro lecto nihil præter stramina aut arborum folia; & pro cibis delicatioribus, nuces, castaneas, aut caseum reperiret; volebatque, ut tam ipse, quàm sui, tum in manducando, tum in cubando, paupertati in montibus habitantium se conformarent.

IX. Ad Synodum Tridentinam revertamur: quæ non moderatè ac frugaliter duntaxat victualia dicit esse ministranda, sed insuper addit; *pro temporum tantùm necessitate, & non ultra.*

X. „ Unde si unâ die Episcopus visitet duas Parochias, debet esse contentus unâ procuratione; etiamsi locus quilibet „ visitatus ab illo sufficeret ad procurationem integram persolvendam: cùm eidem sufficere debeat, ut temporalia metat à „ locis personaliter visitatis, pro diebus quibus eis spiritualia „ subministrat. " *Cap.* 3. *de Censibus*, *in* VI. „ Quo fit, inquit „ Weymsius loco citato, ut si secus faciant Visitatores, vel „ exi-

„ exigendo duplices procurationes ab uno vel duobus locis vi-
„ sitatis eodem die, vel etiam procrastinando suam Visitatio-
„ nem eo fine, ut duplicatas procurationes lucrentur, malè
„ versentur, & ad acceptorum restitutionem teneantur, ipsum
„ Deum habituri ultorem; quia sic proprium suum compen-
„ dium quæsiverint, non quæ JESU Christi sunt."

XI. Eodem fundamento, dum Episcopus visitat Ecclesias civitatis Cathedralis, non potest prætendere procurationem, aut victualia à visitatis: „Quia, inquit Fagnanus ad *Cap.* „ VENERABILI ✠ *de Censibus n.* 15. cessat illa *necessitas tem-* „*poris* quam Concilium hoc præcisè requirit, cùm, visitatio- „ ne expleta, possint domi suæ victum sumere: & hanc sen- „ tentiam jam pridem probavit S. Congregatio ejusdem Con- „ cilii interpres: Nam dubitanti Episcopo Tarenti, an in Vi- „ sitatione posset exigere procurationem à Canonicis Cathe- „ dralis Ecclesiæ, censuit *Cap.* 3. *Sess.* 24. *de Reform.* dum „ de victualibus subministrandis disponit, non habere locum „ in Visitatione Cathedralis Ecclesiæ, sed Diœcesis tantùm, „ ibi, *æquitatis*, ibi, *pro temporis necessitate*, &c. Sed & „ aliàs censuit, nullam deberi procurationem Episcopo visitan- „ ti Clerum civitatis, ubi est Cathedra." Hæc Fagnanus.

XII. Ex his facilè animadverti potest, Synodum Tridentinam exemplo Pontificum, quorum Decreta referuntur in Jure canonico, huic rei potissimum intendisse, ut subditos, quantum posset, à Visitatorum immoderatis & insuetis oneribus sublevaret.

XIII. Quapropter ut visitandi etiam procurationes, quæ in solis moderatis, ac necessariis victualibus consistunt, faciliùs, ac leviùs ferre possent, voluit: „ut sit in optione eorum, qui „ visitantur, si malint, solvere id quod erat ab ipsis antea „ solvi, certâ pecuniâ taxatâ, consuetum; an verò prædicta vic- „ tualia subministrare."

XIV. „(Deinde insuper addit) salvo item jure conven- „ tionum antiquarum cum Monasteriis, aliisve piis locis, aut „ Ecclesiis non Parochialibus inito, quod illæsum permaneat. „ In iis verò locis seu Provinciis, ubi consuetudo est, ut nec „ victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Visitatoribus „ accipiatur, sed omnia gratis fiant, ibi id observetur."

XV. Illud porrò circa hujusmodi consuetudinem negativam, quam Concilium præservat, non solvendi procurationem, advertendum monet Fagnanus loco citato *n.* 29. „quia ad „ hoc, ut de tali consuetudine dicatur constare, ex ipsius Con- „ gregationis sententia, non sufficit, ut visitati nunquam Epis- „ copum procuraverint, sed probari oportet Episcopum pe- „ tiisse procurationem, & visitatos detrectâsse illam solvere, & „ postea Episcopum per longum tempus acquievisse, prout „ requiritur in facultativis."

XVI. Insuper notandum, Episcopos, allosve jus Visitationis habentes, nec in toto nec in parte posse à laicis visitatis procurationem exigere, juxta notoriam harum & vicinarum Provinciarum consuetudinem, in eo fundatam, quod Canones de solis Ecclesiasticis loquantur, quando de procurationibus agunt; uti monet Zypæus in Jure novo *tit. de Censibus*, *n.* 9. Et latiùs Grivellius *decis.* 119. qui Litteras Ducum nostrorum Alberti, & Isabellæ ad Senatum Dolanum, recitat, quibus declaratur, fas non esse Episcopo à laicis exigere procurationes.

XVII. Idem quoad regnum Galliæ testatur Carolus Fevret tract. *de Abusib. lib.* 3. *cap.* 4. qui & ibidem notat, quòd inspectis dispositionibus Juris Canonici, quæstionem de solvendis procurationibus agitandam & decidendam esse coram Judice Ecclesiastico; sed id hodie in Gallia haud observari; futurumque abusum, si Judex Ecclesiasticus prætendisset adjudicare hoc jus pecuniarium procurationis.

XVIII. Notat insuper, quòd si Episcopus, aut Archidiaconus præsumerent excommunicare Parochum, aut Ecclesiam interdicto subjicere ob recusatam procurationem, futurum abusum; & Senatum Regium ita judicâsse contra Episcopum Bajonensem, refert ex Mornacio *ad l.* 3. *Cod. de Apostatis*: „ eò quòd Ecclesiam Harsanam, ob solum Diœcesanæ visita- „ tionis refusum viaticum, interdicto subjecisset."

XIX. Ut verò Synodus Trident. significaret, quàm sibi cordi esset, ut præscriptam in procurationibus moderationem, & frugalitatem Episcopi servarent, decernit: „Quod si quis- „ quam, quod absit, aliquid amplius in supradictis omnibus „ casibus accipere præsumpserit; is, præter dupli restitutio- „ nem intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta cons- „ titutionem Concilii generalis Lugdunensis, quæ incipit, *Exi-* „*git*; necnon & aliis pœnis in Synodo Provinciali arbitrio Sy- „ nodi, absque ulla spe veniæ, mulctetur."

Constitutio Lugdunensis Concilii à Tridentina Synodo hîc innovata refertur in *cap.* 2. *de Censib.* in VI. qua statuitur: „ Ut universi & singuli, qui ob procurationem sibi ratione vi- „ sitationis debitam exigere pecuniam, vel etiam à volente re- „ cipere, vel aliàs Constitutionem ipsam recipiendo munera, „ sive Visitationis officio non impenso procurationem in vic- „ tualibus, aut aliquid aliud procurationis occasione, violare „ præsumpserint, duplum ejus quod receperint, Ecclesiæ, à „ qua id receptum fuerit, intra mensem reddere teneantur. „ Alioquin ex tunc Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, du- „ plum ipsum ultra prædictum tempus restituere differentes, „ ingressum sibi Ecclesiæ sentiant interdictum. Inferiores ve- „ rò ab officio, & beneficio noverint se suspensos, quous- „ que de duplo hujusmodi gravatis Ecclesiis plenariam satis- „ factionem impendant; nulla eis in hoc dantium remissione, „ liberalitate, seu gratia valitura."

XX. Hæc interdicta ipsis Visitatoribus, etiam esse interdicta ipsorum Familiaribus, & Ministris, ne possint causâ Visitationis quidquam pecuniæ aut muneris, etiam ultrò oblati, accipere; & quòd si acceperint iisdem pœnis sint obnoxii, tam constitutio Innocentii IV. in *cap.* 1. quàm constitutio Conc. Lugdunensis in *cap.* 2. *de Censibus* in VI. ac novissimè Synodus Trident. sat patenter insinuant.

CAPUT III.

Quæ loca ab Episcopis visitari debeant, et possint.

1 *Episcopus fundatus est de jure in visitatione totius suæ Diœcesis.*
2 *Episcopus excludi nequit à visitatione Ecclesiarum Parochialium, aut Beneficiorum Curatorum.*
3 *Synodus Tridentina declaravit Beneficia Curata visitationi Episcopali esse subjecta.*
4 *Exemptio visitationem in his non impedit.*
5 *Datio in* commendam *etiam non impedit.*
6 *Ecclesiæ Curatæ unitæ aut incorporatæ Monasteriis aut Capituli exemptis, visitationi subsunt.*
7 *Etiam ubi Prælati habent utramque jurisdictionem.*
8 *Ecclesiæ Parochiales unitæ Ordini S. Joannis Jerosolymitani subjectæ visitationi.*
9 *Variis Regiis Arrestis confirmatum jus visitandi quoad Beneficia unita Monasteriis exemptis.*
10 *Nulla exemptio aut consuetudo dictas Ecclesias à visitatione eximere potest.*
11 *Clerici merito visitationi Episcoporum subjecti.*
12 *Illos generaliter iterato Decreto Episcoporum visitationi subjectos declaravit Synodus Tridentina.*
13 *Capitula Cathedralia etiam exempta, visitationi Episcopi subjecta.*
14 *Potest in visitatione Episcopus solus procedere.*
15 *Quid circa visitationem Monasteriorum remissivè.*
16 *Quod jus competat Episcopis hodie visitandi Hospitalia & alia pia loca remissivè.*

I. QUemadmodum Episcopo totius suæ Diœcesis cura incumbit, omnesque in sua Diœcesi consistentes sunt ejus curæ commissi, etiam totius Diœcesis visitatio Episcopo incumbit; quia sine visitatione curam ovium habere nequit. Unde communiter tradunt Canonistæ, uti notat Fagnanus *ad cap.* EX PARTE, ✠ *de Clericis non residentibus, n.* 39. personalem visitationem Prælatorum esse de jure Divino.

Hinc concluditur, nullâ consuetudine, nullove privilegio Episcopum impediri posse à visitatione, quæ exigitur, ut Animas sibi commissas regere ac dirigere possit.

II. Hoc titulo Episcopus excludi nequit à Visitatione Ecclesiarum, quibus cura Animarum personarum secularium, quæ Episcoporum curæ sunt concreditæ, annexa est; saltem quoad ea quæ curam illam concernunt. Si enim ab hac Visitatione excluderetur, curam Animarum sibi commissarium debitam habere non posset.

III. Unde Synodus Tridentina *Sess.* 7. *cap.* 7. *de Reform.* declaravit: „Beneficia Ecclesiastica *Curata*, quæ Cathedrali- „ bus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis Bene- „ ficiis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscunque perpetuò uni- „ ta & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis sin- „ gulis visitentur."

IV. Et ne Ecclesiarum exemptio hanc necessariam visitationem impediret, *cap.* 8. ulteriùs declaravit: „Locurum Or- „ dinarii Ecclesias quascunque, quomodolibet exemptas, auc- „ toritate Apostolica, singulis annis visitare teneantur, & op- „ portunis juris remediis providere, ut, quæ reparatione in- „ digent, reparentur; & cura animarum, si qua illis immi- „ neat, aliisque debitis obsequiis minimè defraudentur, appel- „ lationibus, privilegiis, consuetudinibus etiam ab immemo- „ rabili tempore præscriptis, Judicum deputationibus, & illo- „ rum inhibitionibus penitùs exclusis."

V. Ulterius cùm titulo *commendationis* prætenderentur Beneficia etiam Curata à Visitatione Episcopi libera, statuit Synodus *Sess.* 21. *cap.* 8. *de Reform.* „Quæcumque in Dioe- „ cesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter cura- „ ri atque iis, ubi oportet, provideri æquum est: propterea „ commendata Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præ- „ posituræ nuncupatæ, in quibus non viget regularis observan- „ tia; necnon Beneficia tan Curata, quàm non Curata, secu- „ la-

„ laria & Regularia, qualitercumque commendata, etiam exemp-
„ ta ab Episcopis, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatis,
„ annis singulis visitentur; curentque iidem Episcopi congruen-
„ tibus remediis, etiam per sequestrationem fructuum, ut quæ
„ renovatione indigent, aut restauratione, reficiantur: & cu-
„ ra animarum, si qua illis vel eorum annexis immineat, alia-
„ que debita obsequia rectè exerceantur; appellationibus qui-
„ buscumque, privilegiis, consuetudinibus, etiam immemora-
„ bili tempore præscriptis, conservatoriis, judicum deputa-
„ tionibus, & eorum inhibitionibus non obstantibus."

Cùm verò nonnulli contra mentem Synodi prætenderent hoc Decretum non pertinere ad Ecclesias nullius Diœcesis (de quibus sub titulo de Exemptionibus agetur) Synodus novo edito Decreto mentem suam clariùs expressit *Sess.* 24. *cap.* 9. *de Reform.* „ Quæ aliàs sub fel. rec. Paulo III. & nu-
„ per sub Beatissimo Domino nostro Pio IV. in hoc eodem
„ Concilio de adhibenda ab Ordinariis diligentia in Beneficio-
„ rum, etiam exemptorum, visitatione constituta sunt; eadem
„ etiam in iis Ecclesiis secularibus observentur, quæ in *nullius*
„ *Diœcesi* esse dicuntur; ut ab Episcopo, cujus Cathedralis
„ Ecclesia est proximior, si id constet, alioquin ab eo qui
„ semel in Concilio Provinciali à Prælato loci illius electus
„ fuerit, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, visitentur, non
„ obstantibus privilegiis & consuetudinibus quibuscunque, etiam
„ immemorabilibus."

VI. Quandoquidem non minus Episcopo cura populi incumbat, ejusque saluti, ac directioni æquè invigilare debeat, sive Regulares, sive seculares tanquam inferiores Ministri ipsi in cura animarum assistant, ac curam populi agant, meritò Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 11. *de Regularib.* edixit: „ In
„ Monasteriis, seu domibus virorum seu mulierum, quibus im-
„ minet animarum cura personarum secularium, præter eas
„ quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia,
„ personæ, tàm regulares quàm seculares, hujusmodi curam
„ exercentes, subsint immediatè in iis quæ ad dictam curam &
„ Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, vi-
„ sitationi, & correctioni Episcopi in cujus Diœcesi sunt sita."

VII. Et quidem declaravit Pius V. die 4. Sept. 1570. ab hoc nullas Ecclesias, quibus cura animarum personarum secularium annexa, excipi: tametsi etiam essent sitæ in Monasteriis quorum Præpositi haberent utranque jurisdictionem temporalem & spiritualem; idemque sacram Congregationem declarasse 7. Aprilis 1592. notatur in Declarationibus ad citatum *Cap.* 11.

VIII. Conformiter ad citatum Synodi Decretum ann. 1629. Edicto Ludovici XIII. Regis Galliarum declaratum fuit: „ Be-
„ neficia Curata, Ecclesias, Capellas dependentes ab Ordine
„ S. Joannis Jerosolymitani, fore subjectas *visitationi*, & correc-
„ tioni Ordinariorum in his quæ concernunt correctionem abu-
„ suum, qui committuntur in administratione Sacramentorum,
„ tàm Matrimonii, quàm aliorum; celebratione Divini Officii,
„ & residentiæ, salvis Ordinis privilegiis in reliquis."

IX. Hinc Episcopus Abrincensis per sententiam magni Consilii Parisiensis fuit manutentus in jure visitandi Ecclesiam Parochialem Montis S. Michaëlis dependentem à Monasterio ejusdem loci, spectantemque ad collationem *pleno jure* Abbatis; uti & visitandi Monasterium, tametsi Congregationi S. Mauri unitum, exceptis tamen locis regularibus, disciplina monastica, & personis Regularibus, quandiu manebit in dicta Congregatione, 3. Febr. 1648. Eodem Arresto decissum fuit, Parochum dictæ Ecclesiæ Parochialis debere assistere Synodo Diœcesanæ: inhibitumque fuit dictis Religiosis excipere confessiones ullius personæ secularis, aut ad eum effectum quemquam committere sine Episcopi approbatione.

Post hæc 18. Junii 1650. rursus intervenit sententia arbitralis inter Episcopum, & dictum Monasterium, qua declaratum fuit, Ecclesiam Parochialem unitam dicto monasterio esse *pleno jure* subjectam Episcopo in omnibus quæ concernunt curam Animarum; tametsi illa etiam exerceretur per Priorem Claustralem dicti Monasterii exempti vigore privilegii Congregationis S. Mauri.

Hæc latiùs referuntur in actis Cleri Gallicani *part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 12. *num.* 19. & 20. Deinde *num.* 21. refertur, Archiepiscopum Viennensem manutentum fuisse in jure visitandi in Ecclesia S. Antonii Ordinis ejusdem Sancti, Fontes baptismales, & Capellam seu Parochialem cum omnibus suis annexis, atque in his exercendi omnia, quæ Curam Animarum spectant, sicut in aliis Beneficiis Curatis suæ Diœcesis 17. Aprilis 1668. Et *n.* 22. idem judicatum fertur pro Episcopo Ambianensi 5. Febr. 1664.

Uno verbo, nulla exemptio, nullaque incorporatio, aut vetusta consuetudo eximere potest loca, seu regularia seu secularia qualiacumque à visitatione aut correctione Episcoporum; ni unà Episcopalis auctoritas, & Hierarchica subordinatio penitus destruatur; quemadmodum latius infrà titulo de Exemptionibus ostendetur.

X. Cùm verò nihil sit, (ut loquitur Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 1. *de Ref.*) „ quod alios magis ad pietatem &
„ DEI cultum assiduè instruat, quàm eorum vita, & exemplum,
„ qui se divino ministerio dedicárunt; sat intelligitur, quanto-
„ pere intersit Episcopi, ut Clerici seu Seculares seu Regulares
„ ita vitam suam coram populo componant; atque ita in omni-
„ bus se exhibeant, ut nihil nisi grave, modestum, ac religio-
„ ne plenum præseferant."

XI. Quapropter, ut id Episcopi facilius assequi possint, Synodus *Sess.* 6. *cap.* 3. *de Reform.* declaravit, quòd „ nemo se-
„ cularis Clericus, cujusvis personalis, vel Regularis extra Mo-
„ nasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii prætextu tutus
„ censeatur, quòminus, si dereliquerit, ab Ordinario loci,
„ tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundum
„ Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat."

Hoc Decretum rursus *Sess.* 14. *cap.* 4. *de Reform.* generaliter omnes Clericos concernere, nulloque prætextu restringi posse, declaravit. „ Omnes Ecclesiarum Prælati, ait, qui ad
„ corrigendos subditorum excessus diligenter intendere debent,
„ & à quibus nullus Clericus per hujus sanctæ Synodi statu-
„ ta, cujusvis privilegii pretextu, tutus censetur, quòminus
„ juxta Canonicas sanctiones visitari, puniri & corrigi possit;
„ si in Ecclesiis suis residerint, quoscunque seculares Cleri-
„ cos, qualitercunque exemptos, qui alias suæ jurisdictioni sub-
„ essent, de eorum excessibus, criminibus & delictis, quo-
„ ties & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, tan-
„ quam ad hoc Apostolicæ Sedis delegati, corrigendi & casti-
„ gandi facultatem habeant: quibuscunque exemptionibus, de-
„ clarationibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, con-
„ cordiis, quæ tantùm suos obligent auctores, ipsis Cleri-
„ cis, ac eorum consanguineis Capellanis, familiaribus, pro-
„ curatoribus, & aliis quibuslibet, ipsorum exemptorum con-
„ templatione & intuitu minimè suffragantibus."

Quin & eodem motivo noluit Synodus vel ipsa Capitula Cathedralia ullo exemptionis aliove titulo à Visitatione Episcopi esse libera.

XIII. „ Capitula Cathedralium & aliarum majorum Eccle-
„ siarum, (ait. *Sess.* 6. *cap.* 4. *de Reform.* illorumque personæ
„ nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramen-
„ tis concordiis, quæ tantùm suos obligent auctores, non etiam
„ successores tueri se possint, quòminus à suis Episcopis, &
„ aliis majoribus Prælatis, per seipsos solos vel illis, quibus
„ sibi videbitur, adjunctis, juxta Canonicas sanctiones, to-
„ ties quoties opus fuerit, visitari, corrigi & emendari, etiam
„ auctoritate Apostolica possint & valeant.

Hoc Decretum tanquam disciplinæ ecclesiasticæ retinendæ ac restituendæ summopere necessarium renovat Synodus *Sess.* 25. *cap.* 6. *de Reform.* declaratque, Episcopum dum visitando procedit, nequaquam observare debere modum procedendi ibidem præscriptum; sed eum duntaxat observandum esse, dum extra visitationem contra Capitula Cathedralia exempta procedit.

XIV. Quapropter refert Fagnanus ad *cap.* UT JUXTA ✠ *de Offic. Ordinarii*, *num.* 38. Sacram Congregationem declarâsse, Episcopum posse visitare Capitulum Cathedrale per seipsum solum, nullis sibi Capitularibus adjunctis, imò posse assumere aliquos extra Capitulum omissis Capitularibus suis, juxta dictum *cap.* 5. *Sess.* 6. *Concil. Trid.* quam resolutionem ibidem pluribus probat.

XV. Quoad visitationem Monasteriorum, tàm virorum, quàm mulierum circa disciplinam regularem interiorem & exteriorem multa statuit Synodus Tridentina, eaque alia circa exempta & non exempta, item diversa circa illa, quæ alicui certæ congregationi subjecta suos particulares Visitatores habent, & illa, quæ nulli congregationi sunt incorporata, nec speciales Visitatores hactenus habent, de quibus infra, ubi de Monasteriis eorumque exemptionibus tractabitur: ibi quoque expendentur casus, quibus hodie etiam Monasteria exempta visitationi Episcoporum subsint, & quæ in visitatione Monasteriorum præsertim Monialium inquirenda sint, & qua forma visitatio instituenda.

XVI. Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 8. *de Reform.* declarat, quòd „ Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostoli-
„ cæ Delegati in casibus à jure concessis omnium piarum dis-
„ positionum, tam in ultima voluntate, quàm inter vivos, sint
„ executores; habeant jus visitandi hospitalia, Collegia quæ-
„ cunque ac confraternitates laicorum, etiam quas Scholas,
„ sive quocunque alio nomine vocant, non tamen quæ sub
„ Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia:
„ eleëmosynas Montis Pietatis, sive charitatis & pia loca om-
„ nia, quomodocunque nuncupentur, etiamsi prædictorum lo-
„ corum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemp-
„ tionis privilegio sint munita; ac omnia, quæ ad Dei cultum
„ aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt,
„ ipsi ex officio suo juxta Sacrorum Canonum statuta cognos-
„ cant, & exequantur, non obstantibus quacunque consuetudi-
„ ne, etiam immemorabili, privilegio, aut statuto."

Ve-

Verùm cùm certum sit, hoc Concilii Tridentini Decretum in tota sua generalitate in Belgio, aliisque vicinis Provinciis non esse receptum, atque circa hanc Episcopi visitationem non esse idem statuendum quoad omnia hospitalia & loca pia, sed varium esse jus Episcoporum pro varietate locorum & Superintendentium; idcirco de jure Visitationis quod Episcopis competit in hæc loca, agetur *part.* 2. sub titulo *de Hospitalibus aliisque piis locis.*

CAPUT IV.

Quomodo in Visitatione procedendum; et quem effectum Decreta in Visitatione habeant.

1 *Episcopi in Visitatione maximè intenti esse debent ad morum reformationem ex Decreto Synodi Tridentinæ.*
2 *In Visitatione non judiciali, sed paterno modo est procedendum.*
3 *Officium Visitatorum non malè comparatur officio Ædilium Romanorum.*
4 *Debent emendare quæ judiciariam indaginem non requirunt.*
5 *In Visitatione imponi non possunt pœnæ ordinariæ.*
6 *Episcopus visitando processum formare non potest super excessibus non notoriis.*
7 *Decreta in Visitatione circa reformationem morum per appellationem non suspenduntur ex Decreto Synodi Tridentinæ.*
8 *Idem obtinet Jure Decretalium.*
9 *Neque in Gallia per appellationem tanquam ab* abusu.
10 *Principes nostri noluerunt Episcopum in Visitatione impedire pretextu Juris Patronatus.*
11 *Jam pridem pro faciliore executione eorum quæ in Visitatione ordinata sunt, Ministri Regii Episcopis adjuncti fuerunt.*
12 *Hæc Ministrorum Regiorum adjunctio non præjudicat Episcoporum auctoritati.*
* *Egregium hac de re Caroli Magni Decretum.*
13 *Nisi Regia auctoritas accedat, frequenter Visitationes reddantur innutiles.*
14 *Interdum ordinata in Visitatione etiam per appellationem suspenduntur.*

I. SYnodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 10. *de Ref.* volens providere ne Prælatorum Visitationes suo frustrarentur effectu, atque unà ut illæ ad mentem Ecclesiæ instituerentur, statuit: „ Episcopi, ut aptiùs, quem regunt populum, possint in officio, atque obedientia continere, in omnibus his, quæ ad visitationem ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus & potestatem habeant, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi & exequendi, juxta Canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac Diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur. Nec in his, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut inhibitio, appellatio, seu querela etiam ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut suspendat."

II. Hoc Concilii Tridentini Decretum planè consonat Decreto Innocentii IV. in *cap.* 1. §. *Sanè de Censibus, in VI.* ubi modum, quem in visitatione Prælati observare debent, ita describit: „ Sanè hujusmodi impensuros officium (visitationis) proposito Verbo Dei quærat de vita & conversatione ministrantium in Ecclesiis & locis aliis divino cultui deputatis ac cæteris, quæ ad officium spectant absque coactione & exactione qualibet juramenti ad ipsorum subditorum emendationem per salubria monita, nunc levia, nunc aspera, juxta datam sibi à Deo prudentiam diligenter intendentes. Quod si de aliquibus orta fuerint infamia, contra eos Ordinariis ipsorum, ut super his solemniter inquirant, denuntiet, si viderit expedire. Notoria verò crimina, quæ examinatione non egent, liberè corrigat pœnam debitam pro illis infligendo."

III. Hinc conficitur, visitationem ad morum correctionem magis, quàm ad judiciarium processum pertinere; ideoque officium Visitatorum non malè conferri cum officio Ædilium Romanorum, quod magis in lustrando & exequendo quàm cognoscendo consistebat. Si quid enim obvium esset quod politiam notoriè offenderet, Ædiles è medio tolli, frangi, emendari jubebant, magis facti, quàm juris tramitem servantes. Et hodie quid simile fieri videmus in visitandis per Magistratus, & Prætores viis & ageribus, qui si quid inveniant, quod notoriè vias publicas, aut aggeres impediat, mox emendant ac corrigunt; vel emendandum aut corrigendum sine ullo judicii strepitu decernunt.

IV. Itaque Episcopi, aliique Visitatores in sua visitatione Diœcesim circumire, ac lustrare debent, & quidquid inordinatum repererint, reforment sine strepitu ac forma ordinaria judicii sed summariè, non pœnas ordinarias imponendo, sed correctiones, neque circa dubia & altiorem indaginem requirentia, sed circa notoria versari potissimum debent, uti benè notat & probat Zypæus in Jure novo, *tit. de Accusat. num.* 9.

V. Idem quoque refert, sacram Congregationem Concil. Tridentini Interpretem respondisse 24. Aprilis 1595. „ Episcopum non posse imponere in visitatione pœnas ordinarias, sed „ tantùm extraordinarias, quæ magis morum emendationem & „ correctionem, quàm delicti vindictam respiciant."

VI. Et teste Fagnano, *cap* DILECTUS, ¤ *de Rescript. num.* 46. Sacra Congregatio 1. Feb. 1607. præcepit Episcopo Tornacensi: „ Ut in visitatione Collegiatæ Ecclesiæ exemptæ „ contineret se intra limites notissimos visitationis, ita ut nec ad „ *specialem inquisitionem* descenderet, nec processus conficeret, „ nec sententias ferret, sed in his, quæ morum correctionem & „ emendationem respiciunt, sine strepitu judicii decerneret."

VII. Dum hos limites visitationis non excedunt Episcopi, ac unicè morum correctionem ac emendationem intendunt, nulla exemptio, nulla appellatio, aut querela executionem eorum, quæ ab ipsis visitando ordinata sunt, impedire potest ex Decreto Concilii; id est, appellatio effectum *suspensivum* in his nullum habet.

VIII. Quod & jam pridem in Concilio Lateranensi sub Innocentio II. statutum fuerat, ut scilicet, *correctionis & reformationis officium liberè valeant exercere.* Cap. 13. ¤ de Offic. Ordin.

IX. Similiter refert Choppinus *lib.* 2. *de Sacra Polit. tit.* 4. *n.* 28. procurationis sive appellationis tanquam *abusûs interjectus* non suspendi Decreta concernentia correctionem morum. „Quod „ supra scriptum est, ait, provocationis interjectu ab executione sententiæ non supersederi in multis causarum generibus, „ id pertinet etiam ad eas fori controversias, quibus morum castigatio reformatioque agitur, Ecclesiasticæ disciplinæ vinculum. Nam hoc casu, ait, edixit Princeps noster, callidum „ appellationis perfugium rei judicatæ executioni impedimento „ esse non debere. Lege judiciaria Francisci I. ann. 1539. & „ Caroli IX. lata 16. Kal. Majas ann. 1571. art. 5. quam Ornatiss. „ Curia solemni more comprobavit 7. Idus Septemb. eodem anno..... Quibus consonat Curiæ Decretum, ad quam in emendationis morum negotio fuerat provocatum, abusus nomine „ 5. Idus Decemb. anno 1550. secundum Cathalaunense summi „ templi Collegium. Eodem vergit Allobrogica Sanctio, ne appellationis obtentu, quæ abusus ergo interposita sit, ecclesiastica morum censura correctioque retardetur."

X. Idipsum quoque, uti monet Zypæus loco citato, Philippus II. Hispaniar. Rex expressit in Ordinationibus Parlamenti Mechliniensis *tit. de Requestis, art. fin.*

„ Sic & Princeps noster (ait Zypæus in Jure novo, *tit. de „ Accusationibus, n.* 9.) interpellatus, ut Patronus Ecclesiæ „ Insulensis, nulla ratione induci potuit, ut Episcopus Tornacensis à visitatione excluderetur, sed si quid ordinando exce„ deret, se querelas auditurum, ante paucos annos respondit."

XI. Cùm verò Episcoporum auctoritas, imò & Ecclesiasticæ censuræ ad emendationem vitiorum, & abusuum præcipuè inveteratorum & longè, lateque grassantium, frequenter non sufficiant, jam pridem in more positum fuit, ut Episcopis Ministri Regii quos media ætas *Missos Dominicos* vocabat, adjungerentur.

Dignum, ac necessarium est, ait Synodus Moguntinensis *an.* 813. *cap.* 20. ut Missi per quæque loca directi, „ simul cum „ Episcopis uniuscujusque Diœcesis perspiciant loca Monasterium, Canonicorum pariter & Monachorum, similiterque „ puellarum, si in apto & congruo loco sint posita, ubi commodum necessarium possit acquiri, quod ad utilitatem pertinet Monasterii, sicut in sancta Regula dicitur." Quod iisdem verbis repetitur in Capitularibus Regum Francorum *lib.* 5. *cap.* 143.

XII. Nec id ad imminutionem, seu depressionem potestatis ecclesiasticæ, aut ejusdem usurpationem fiebat; sed ad faciliorem executionem eorum, quæ Episcopi visitando pro morum correctione ordinanda censebant; protestantibus ipsis Regibus, ad hoc à se *Missos* esse constitutos, ut Episcopi eorum adjutorio munus suum & ministerium facilius implerent, *lib.* 2. *Capitular. cap.* 26. *Ut si quos* (verba sunt Concilii Arelatensis ann. 813. c. 17.) *Sacerdotalis admonitio non flecteret ad justitiam, Regalis potestas ab improbitate reduceret ad pietatem & obedientiam.*

* Hanc in rem notandum Caroli Magni Decretum anni 789. directum ad Episcopos & Prelatos Ecclesiæ. In hoc Decreto in primis monet Episcopos & Prælatos, „ ut vigili curâ, & sedulâ „ admonitione populum Dei ad pascua vitæ æternæ ducere studeant, & errantes oves bonorum operum exemplo, seu ad„ hor-

„ hortatione humeris intra eclesiasticæ firmitatis muros reportare „ satagant, ne lupus insidians aliquem canonicas functiones trans„ gredientem, vel paternas traditiones universalium Concilio„ rum excedentem (quod absit) inveniens devoret."

Ut hoc faciliùs assequerentur, subjungit: „In quo opere, „ & studio sciat certissimè Sanctitas Vestra, nostram vobis co„ operari diligentiam, quapropter & nostros ad vos direximus „ Missos, qui & nostri nominis auctoritate unà vobiscum corri„ gerent quæ corrigenda essent. Extat integrum apud Baluzium „ inter Capitularia Regum Francorum *tom.* 1. *col.* 209."

XIII. Si & hodie aliqui subindè Regii deputati seu Missi Episcopis visitantibus essent juncti, atque eorum, quæ ad morum correctionem, & emendationem Episcopi ordinârunt, executionem Regia auctoritate urgerent, & firmarent, major indubiè esset sæpius visitationum fructus, ordinataque firmiorem ac stabiliorem sortirentur effectum.

Hoc attendens Sebastianus Zamet Episcopus Lingonensis conquerebatur fructum suarum visitationum, & effectum ordinatorum contra Clericos incontinentes non haberi, eò quòd frequenter eluderentur per appellationes *tanquam ab abusu*, aliasque tegnas; ideoque resolvit ad obviandum hujusmodi impedimentis petere à Parlamento Diensi, ut dignaretur assignare unum è Consiliariis Parlamenti, qui visitationibus suis assisteret, & exequi juberet ea, quæ contra Clericos incontinentes ipse in visitatione decerneret, uti refert Carolus Fevretius, *tractatu de Abusu*, *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 7.

XIV. Quamvis summus sit visitationis favor, nequaquam tamen generaliter ac indefinitè recipiendum est, Decreta in visitatione per appellationem non suspendi: quoniam (ut rectè advertit Cardinalis de Luca, *disc.* 5. *ad Concil. Trident.*) „ id „ percutit solùm ea, quæ concernunt correctionem morum, „ aliasque provisiones, quas in forma extrajudiciali potiùs mo„ re prudentis Patrisfamilias promptè dare oporteat, vel con„ gruat, non autem in iis, in quibus more judicis, atque in fi„ gura, seu forma judicii procedi debeat; cùm tunc dispositio „ Canonum, seu juris communis incorrecta remaneat; nihilque „ refert ad effectum appellationis, ac ordinis judiciarii benè ser„ vandi, an de tempore visitationis, vel extra id fiat." (c).

TITULUS XVIII.

De Synodis Diœcesanis, seu Episcopalibus.

CAPUT I.

QUOTIES HÆ SYNODI CELEBRANDÆ, ET QUI INTERVENIANT.

1 *Primis Ecclesiæ seculis frequentissimæ erant hæ Synodi.*
2 *Labentibus seculis bis annuatim haberi cœperunt.*
3 *Synodus Lateranensis annuam celebrationem admisit.*
4 *Mansit tamen consuetudo in aliquibus Ecclesiis annuatim, bis celebrandi has Synodos.*
5 *Synodus Tridentina annua celebratione fuit contenta.*
6 *Decretum Concilii Tridentini hodie non observatur.*
7 *Quinam ex Decreto Concilii Tridentini Synodo interveni re debeant.*
8 *Regulares quantumvis exempti Curam Animarum exercentes, Synodum accedere debent, & ab Episcopo cogi possunt.*
9 *Sufficit quòd Beneficium situm sit in Diœcesi, licèt Beneficiatus habitet extra Diœcesim.*
10 *Quinam Synodo interesse debeant, multùm dependet à consuetudine.*
11 *Probatur ex Synodis Belgicis.*
12 *Quinam Synodo Diœcesanæ S. Caroli intervenerint.*
13 *Sæpe contentiones oriuntur cum exemptis Regularibus, an Synodo intervenire debeant.*
* *Synodo Diœcesanæ interveniant præ cæteris cum Episcopo, qui animarum curam sustinent.*
* *Congregationes Pastorum cum suo Episcopo Synodorum vicem quodammodo supplent.*

I. PRistinis Ecclesiæ seculis frequentissimos fuisse Episcoporum cum suo respectivè Clero, quasi cum suo Senatu; quem *Presbyterium* vocare solebant, Conventus, quos hodie *Synodos Diœcesanas* dicimus, sat constat.

Neque primis seculis hisce Coventibus habendis certa tempora dessignata fuisse legimus: sed quandocunque ardua quæque negotia occurebant, Episcopus Senatum, seu Presbyterium suum convocabat; ut simul super negotiis deliberarent. Hæc ex Epistolis S. Cypriani aliorumque Patrum manifesta sunt.

II. Labentibus verò seculis harum Synodorum celebratio bis in anno haberi cœpit; creditumque fuit duplicem hanc celebrationem sufficere; eò quòd Canones Synodum Provincialem bis in anno celebrari juberent.

Deinde cùm Paulatim invaluisset, ut Synodi Provinciales singulis annis semel duntaxat haberi deberent, unà quoque invaluit, ut Synodi Diœcesanæ semel annuatim haberentur.

III. Et quidem Synodus Lateranensis sub Innocentio III. in *cap.* 25. ℵ *de Accusat.* hanc consuetudinem supposuit, & tacitè saltem approbâsse videtur. Nam jubens singulis annis celebrari Synodum Provincialem unà præcipit, ut „ ea quæ „ statuerint faciant observari; publicaturi ea in Episcopalibus „ Synodis *annuatim* celebrandis."

IV. Post hoc Concilii Lateranensis Decretum videmus in plerisque Conciliis injunctum fuisse, ut conformiter ad hoc Concilii Decretum Synodi Diœcesanæ annuatim haberentur; in aliquibus tamen Ecclesiis consuetudo remansit, ut juxta pristinam disciplinam bis annuatim haberentur; quam expressè supponit & probat Synod. Basiliensis *Sess.* 15. decernens: „ Sy„ nodum Diœcesanam ad minus semel in anno, ubi non est „ consuetudo bis annuatim celebrari."

Ita legimus in Concilio Coloniensi an. 1549. ordinatum fuisse, ut Synodus Diœcesana quotannis bis, pro veteri more celebretur; sed addit: Suffecerit tamen in Diœcesi Leodiensi „ propter ejus latitudinem & multitudinem Prælatorum se„ mel quotannis rectè & studio ferventi celebrari."

V. Synodus Tridentina tametsi frequentiorem Synodorum celebrationem pro reformatione morum desideraret, nihilominus amplexa moderationem Concilii Lateranensis, tantùm annuam hanc Synodorum celebrationem injunxit. *Sess.* 24. *cap.* 2. *de Reform.*

VI. Verùm nec hoc moderatum Concilii Decretum hodie observatur; cùm nullibi annuam hanc Synodorum celebrationem fieri videamus; imò in multis Diœcesibus nec spatio quinquaginta & amplius annorum ullam Synodum celebratam; quæ verò sint causæ, quæ ad hanc Synodorum intermissionem inducendam contribuere potuerint, in decursu notabimus.

VII. Qui his Synodis interesse debeant, verbis subsequentibus indicat Synodus Tridentina: „ Ad quas exempti etiam „ omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, „ nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur, „ ratione tamen Parochialium aut aliarum secularium Eccle„ siarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam „ gerunt, quicunque illi sint, Synodo interesse."

VIII. Vi hujus Decreti regulares omnes, sive sint exempti, sive non, qui vel Capitulis generalibus non subduntur, vel curam animarum exercent, tenentur, & cogi possunt ad Synodum accedere sub pœna privationis vocis activæ & passivæ ipso facto incurrenda, aliisque pœnis arbitrio Episcoporum etiam excommunicationis; adeò ut jus declarandi, & pœnas imponendi ad Episcopos, exemptione non obstante, pertineat, quemadmodum S. Congregatio apud Fagnanum ad *Cap.* QUOD SUPER ℵ *de Majorit. & Obedient. num.* 8. declaravit.

IX. Ut verò quis ratione Beneficii Synodo interesse cogatur, attendendum est, num Beneficium tale habeat in Diœcesi, cujus Synodus agitur, tametsi alibi domicilium habeat; & ita in terminis declaravit S. Carolus in Synodo Mediolanensi V. *part.* 3. *tit. Quæ ad Synodum attinent.*

X. Præter Curam Animarum exercentes, qui Synodo assistere debeant, non ex Canonum sanctionibus duntaxat, sed & varia locorum consuetudine petendum est.

XI. Quare in Synodorum Belgicarum indictione videmus generaliter vocari Capitulum Episcopale, Reverendos Dominos Abbates, Abbatissas, Præpositos, Archipresbyteros, Rurales, Priores, Priorissas, cæterosque omnes, qui de re, vel consuetudine Synodo Diœcesanæ interesse debent.

Hæc ex convocatione Synodi D. Mechliniensis sub Hovio. In formula indictionis Synodi Antuerpiensis sub Miræo, præter expressos in dicta formula Mechliniensi exprimuntur, *Capitula Ecclesiarum Collegiatarum*, *Pastores*, *Parstoratuumque Deservitores.* In convocatione ultimæ Synodi Namurcens. an.

(c) *Gravis quæstio mota olim est, an Episcopi in decursu suarum Visitationum habeant exercitium* Jurisdictionis contentiosæ *Hæc nitidè pertracta reperitur* tom. 7. novorum Commentariorum Cleri Gallicani, col. 252. usque ad 164.

an. 1659. formula Mechliniensis servata est; eo solo excepto, quod Capitula Ecclesiarum Collegiatarum nominatim exprimantur.

Synodus Namurcens. an. 1639. *tit.* 26. *cap.* 1. cùm pro annua Synodi Diœcesanæ celebratione designasset feriam tertiam post Dominicam *Jubilate*, quæ est tertia post Pascha, subjungit: „Ea propter omnes qui jure, vel consuetudine „illi interesse debent, illo die deincepscompareant." Quæ manifestè supponunt, Patres illius Synodi non dubitâsse, quin à consuetudine dependeat, qui Synodo interesse debeant, quod & S. Carolus in sua Synodo V. Mediol. supposuit.

XII. Qui Synodis Diœcesanis sub S. Carolo interfuerint ex ejus ad Clerum oratione in ejus Synodo XI. Diœcesana habita colligere possumus. Ita enim ad Synodum loquitur: „Quid „agimus Fratres? Synodum agimus, & quid Synodi nomen „importat? Congregationem significat, atque conventum. Et „quarum personarum? Nempe adeò excellentium & eminen„tium in S. Ecclesia, Episcopi videlicet, & membrorum „ei conjunctorum, Canonicorum Metropolitanæ hujus Eccle„siæ, tum etiam aliarum, Præpositorum, Parochorum, Sa„cerdotum, Clericorum."

XIII. Nihilominus tamen (uti notat de Luca *disc.* 30. *ad Concilium Tridentinum*) „Super convocatione sive interven„tu in Synodo, controversiæ oriri solent cum Capitulis & „Cleris oppidorum, aliorumque locorum Diœcesis: An sci„licet omnes Presbyteri, & Clerici ad Synodum convoca„ri possint, ut ab aliquibus Episcopis, (& utinam non ad „industriam, & occassione mulctarum & pœnarum, sive ex„torsionum & contributionum) fieri consuevit; ideoque pro„visum est, ut sufficiat interventus Deputatorum Cleri cu„juslibet loci & Parochorum, seu Vicariorum, aut illorum „quibus aliàs exercitium curæ animarum, & administratio„nis Sacramentorum incumberet; licet enim Capituli Ca„thedralis interventus requiratur, attamen id incommodum „non præbet, ex quo in eadem Cathedrali Synodus cele„branda est."

„Majores autem, ac frequentiores esse solent controversiæ „cum exemptis, præsertim Regularibus, an ipsi, eorumque „Prælati in Synodo intervenire debeant; receptaque distinctio „est (ut in Regularium adnotationibus advertitur) ut illi inter„venire debeant, atque cogi valeant, qui curam animarum ha„beant, & administrationem Sacramentorum exerceant; cùm „in hac parte subditi sint, atque à primo Pastore, qualis est „Episcopus, instruendi sint, quomodo in sibi commissarum „ovium cura & regimine se gerere debeant; quod etiam pro„cedit in aliis secularibus exemptis, suum inferiorem Prælatum „habentibus cum ordinaria quasi Episcopali jurisdictione: po„tissimè ubi de illis agitur, qui hanc jurisdictionem habent in „locis intra Diœcesis fines existentibus."

* Ex Decreto Concilii Trident. aliisque superiùs notatis manifestum est ex mente Concilii Tridentini esse, ut Synodo Diœcesanæ hi præ cæteris interveniant cum Episcopo, qui unà cum ipso curam animarum & regimen spirituale Ecclesiæ sustinent.

Nec mirum: quandoquidem in hisce Synodis & Conventibus præcipuè de regimine animarum, & quæ ad illud spectant, tractandum sit, ut propterea Episcopi, quo tempore secundum Canones unà cum suo Clero, cujus præcipua portio erant Presbyteri curam animarum sustinentes, negotia suarum Ecclesiarum absolvebant, in effectu synodaliter regere & causas tractare & examinare dicerentur.

Unde si & hodie Episcopi Archipresbyteros & Parochos saltem annuatim convocarent, & cum illis, quæ ad curam animarum, & regimen spirituale suæ Diœcesis pertinent, sedulò investigarent, & quæ opportuna ex eorum relatione pro salute animarum, & recto regimine Ecclesiæ deprehenderent, in hoc Archipresbyterorum & Pastorum Conventu observanda decernerent, non dubium, quin similes Conventus vicem & effectum Synodi Diœcesanæ aliquatenus supplere possent.

Cùm autem hujusmodi Congregationes sine ulla penè difficultate per Episcopos indici queant, quin & in nonnulis Synodis Belgicis, ut habeantur, Episcopi excitentur (uti suprà *tit.* 6. *cap.* 4. notatum fuit) sat ostendunt Episcopi has Congregationes negligentes, parum sibi curæ esse, ut exactam suarum Diœcesium notitiam, præcipuè eorum, quæ ad animarum curam pertinent, assequantur, quæque pro vitiis extirpandis, & virtutibus plantandis convenienter essent statuenda & decernenda.

CAPUT II.

Quæ in Synodo Diœcesana tractanda.

1 *Vetus formula habendi Synodum Diœcesanam.*
2 *Juxta hanc formulam ad Synodum conveniunt Presbyteri, Diaconi, & aliqui laici.*
3 *Omnes Presbyteri Synodum cum Episcopo conficiunt.*
4 *Presbyteri hic idem sunt quod Parochi.*
5 *In Synodo omnia non contentiosè agenda.*
6 *Controversia laicos inter & Clericos deciduntur.*
7 *Synodi tunc temporis erant quasi tribunalia justitiæ.*
8 *Lites Clericorum aut laicorum in Synodis hodie rarò determinantur.*
9 *In Synodis præcipuè de corrigendis excessibus & reformandis moribus agitur.*
10 *Synodi Diœcesanæ habentur, ut Decreta Conciliorum generalium & Provincialium uniformiter executioni mandentur.*
11 *Probatur ex S. Carolo.*
12 *Item ex Synodo Audomarensi.*
13 *Ut fructum Synodorum assequeretur S. Carolus, per Vicarios inquiri jussit, quæ in Diœcesi essent reformanda.*
14 *Ante Synodum congregationes super reformandis moribus à S. Carolo institutæ.*
15 *Antiquum est institutum, ut quæ Clericalem disciplinam spectant, breviter ab Episcopo in Synodo proponantur.*
16 *Formula istius admonitionis extat apud Reginonem & in Pontificali Romano.*
17 *Convenientes admonitiones Clero proponendas S. Carolus proposuit.*
18 *In Synodo Diœcesana constituendi* Examinatores *vulgò* Synodales.
19 *Item Judices Synodales.*

I. APud Burchardum Wormatiensem reperitur formula habendi Synodum Diœcesanam sub nomine Concilii Salegunstadiensis anni 1022. quod & teste Baronio ab auctore Micrologi *Moguntinum* nuncupatur, eoque nomine meritò appellari in sua historia Moguntina existimat Nicolaus Serarius, eo quod Salegunstadium jam tum Moguntinæ esse Diœcesis.

II. Juxta hanc formulam, Synodus in Ecclesia celebranda est, atque sella in media ponenda, & super eam *Sacræ Reliquiæ.*

Deinde dicitur: „convenientes Presbyteri omnes intrent, „& secundum ordinationis suæ tempus resideant. Post hos in„grediantur Diaconi probabiles, quos ordo poposcerit interes„se. Exinde introducantur laici bonæ conversationis. Tunc in„grediatur Episcopus, si voluerit, vel si necessitas exegerit, „& si non aderit Episcopus, ejus Vicarius eadem faciat."

III. Post hæc Episcopus salutat præsentes, ac varias preces unâ cum præsentibus recitat; quibus expletis jubentur egredi omnes, exceptis Presbyteris & cæteris idoneis Clericis.

IV. Hîc nota, omnes indistinctè Presbyteros ad Synodum admitti. Nec mirum; quia juxta phrasim illius temporis, nomine Presbyterorum veniebant Parochi; adeo ut *admittere presbyteros* ad Synodum idem tunc significaret, quod hodie *admittere Parochos.*

V. Presbyteris ergo, seu Parochis cum cæteris idoneis Clericis consedentibus, necnon lecto Canone Concilii Toletani modum celebrandi Synodum exprimente, admonitio ab Episcopo vel etiam à Diacono legitur.

In hac inter alia monet: „Quod si forsitan aliquis nostrûm, „aliter quàm dicta fuerint, senserit, sine aliquo *scrupulo con„tentionis* in nostrum omnium copulatione ea ipse de quibus du„bitaverit, conferenda reducat, qualiter Deo mediante aut „doceri possit, aut doceat."

VI. Prosequitur post hæc admonitio: „Deinde vos simili „obtestatione conjuro, ut nullus vestrûm in judicando aut per„sonam accipiat, aut quolibet favore aut munere pulsatus à ve„ritate discedat. Sed cum tanta pietate quidquid cœtui se judi„candum intulerit retractare, ut nec discordans contentio ad „subversionem justitiæ inter nos locum inveniat, nec iterum „in perquirenda æquitate rigor nostri ordinis vel solicitudo te„pescat."

VII. En manifestum argumentum Synodos has Diœcesanas æquè ac provinciales fuisse quasi quædam Tribunalia justitiæ, in quibus sine strepitu Judicii, aliisque formalitatibus forensibus, Clericorum, & laicorum quæstiones summariè deciderentur.

Primùm quidem Clericorum, idque primâ die Synodi; ideoque immediatè post expletam admonitionem subjungitur: „Post „hanc exortationem, *quisquis Clericorum* velit, *querelam* „conferat."

Secundâ die Synodi: „Tunc si Clerici querelam non ha„bent conferendam, Laici intromittantur. Quisquis ex Laicis „habet querelam, proferat."

VIII. Hodie verò rarò querelæ, sive lites Clericorum vel Laicorum in Synodis terminantur; sed illæ vel in Tribunalibus Ecclesiasticis coram Officialibus, vel Tribunalibus Laicis pro diversitate materiæ & personarum agitari & terminari consueverunt.

IX. In Synodis verò præcipuè de corrigendis excessibus, & moribus reformandis; præsertim in Clero, diligens cum Dei timore habendus est tractatus, uti loquitur Synodus Lateranensis loco citato.

Hinc juxta præscriptum Pontificalis Romani sub titulo *de Or-*

Ordine ad Synodum, ita præsentes in Synodo Episcopus alloquitur: „ Venerabiles consacerdotes, & fratres nostri charissimi, præmissis Deo precibus, oportet, ut ea quæ de Divinis Officiis, vel sacris Ordinibus, aut etiam de nostris moribus, & necessitatibus Ecclesiasticis, à nobis conferenda sunt, cum charitate & benignitate unusquisque vestrûm suscipiat, summâque reverentiâ, quantum valet, Domino adjuvante, percipiat; vel quæ emendatione digna sunt, omni devotione unusquisque fideliter studeat emendare."

X. Adhæc Synodi Diœcesanæ celebrantur, ut Universalium, atque Provincialium Synodorum Decreta faciliùs executioni mandentur: atque interdum in nonnullis articulis Diœcesi particulari accommodentur; habeaturque uniformis totius Diœcesis pro executione resolutio.

XI. Unde S. Carolus in oratione ad Clerum in Synodo XI. Diœcesana congregatum, inter alia, ob quæ Synodus esset coacta, hæc proponit: „ Hîc propterea applicatio fit magis particularis Conciliorum, tàm Universalium quàm Provinciale: mutuò sese Episcopus cognoscit & Clerus; qui quidem, vel solus aspectus, maximam excitat charitatem animosque conciliat, ad adjuvandum & promovendum unanimiter Dei honorem: Hîc consultantur ea, quæ ad hoc spirituale regimen pertinent, cum his, qui administationis participes sunt, hîc uniformitas deliberatur in executione legum præteritarum; hîc abusus qui vigent in populo disquiruntur, & opportuna eis adhibenda remedia statuuntur; ac quam quisque in hac re diligentiam adhibeat, cognoscitur. Hîc demum præterita tempora cum futuris conferentes, & utriusque Decreta ac Constitutiones jam editas applicantes, culpas quidem præteritas deflemus, emendare verò in posterum deliberamus."

XII. Similiter Episcopus Andomarensis in Synodo Diœcessanâ an. 1583. allegans causam indicendarum annuatim harum Synodorum ait: „ Quædam sunt ita communia mala, ut Diœcesim unam integram obtineant, ne facilè possunt, nisi communi consilio & auxilio eorum omnium qui in Diœcesi præsunt, extirpari. Adhæc congruit, ut eadem una Diœcesis, eodem uno modo, & eisdem unis legibus universa regatur. Quare rectè à Patribus, & nominatim à Tridentinis statutum est, ut præter particulares Ecclesiarum visitationes, quotannis etiam Synodi Diœcesanæ celebrentur, in quibus congregatis totius Diœcesis Capitibus omnibus, statuantur ea quæ pro communi totius Diœcesis bono statuenda videri possint, & cavetur, ne quæ benè constituta sunt, temerentur."

XIII. Hunc Synodorum Diœcesanorum fructum, ut uberiùs assequeretur Sanctissimus Præsul, quem Pastoralis solicitudo gloriosum reddidit, præter ferventes ac instantes preces ad quas populum, Clerumque instante Synodo excitandum voluit, insuper præcipit, „ ut & in civitate ii quibus id curæ Episcopus dederit, & in Diœcesi Vicarii foranei (qui cum nostris hodiernis Decanis Ruralibus penè coincidunt) & Parochi præterea tum urbani tum Diœcesani, ut ipsi Episcopo adjumentum adferant, diligenti aliqua earum rerum indagatione ac relatione, quibus per eum consuli aut provideri in Synodo præsertim oportebit, sedulò videant ac notent: ut ea omnia ad præscriptam ab eo rationem & normam tum litteris, tum coram, constituto tempore deferant.

„ Primò igitur ii omnes pro suorum quique munerum officiorumve ratione & cura dispiciant, quæ Cleri sit in Clericalis vitæ moribus progressio; quæ in vita spirituali disciplina; & quàm solicitum in divinorum Officiorum cultu studium; quàm diligens in Ecclesiasticis functionibus obeundis solicitudo; quæ etiam, & quàm frequens in litterarum exercitationibus cura; qui in earum studiis progressus item.

„ Vicarii autem foranei, & regionarii in civitate præfecti, aliive Ecclesiastici homines, quos ob eam causam Episcopus delegerit, exquirant; qui præterea Parochorum imprimis zelus in animarum salute procuranda; quæ in Sacramentis ministrandis sedula diligentia; quàm frequens in pascendis Verbo Dei fidelibus officium; quæ denique in omnibus Parochialis muneris partibus vigilantia, quæve assiduitas.

„ Deinde ii omnes & singuli pro sui officii munere investigent, quæ populi in christianæ charitatis operibus exercitatio, quàm religiosus festorum dierum cultus, quàm pia in Ecclesiis conversatio, quæ in doctrinæ Christianæ scholis frequentia: tum de aliis piis sodalitatibus disquirant, tum denique de reliqua omni ejusdem populi disciplina, & in via Domini progressu."

Hæc aliaque plura pro instructione Episcopi notari, atque ad Synodum referri voluit; & proponuntur in Concilio V. Provinciali Mediol. parte 3. tit. *Quæ ad Synodum, Congregationesve alias Clericales, & visitationem attinent*; ubi unà exponens, qualiter ipsa Synodus habenda sit, & quàm sanctè se gerere debeant Sacerdotes eo tempore quo Synodus agitur; „ ut cùm eos posuerit Deus in acquisitionem salutis, atque in ædificationem, officii sui memores, ambulent digne Deo, sancteque, sicut decet Ministros mysteriorum Dei, vivant."

XIV. Eadem quoque intelligi possunt ex litteris, quas immediatè ante Synodum mittebat ad Vicarios foraneos, & Parochos, quarum exemplar habetur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *part.* 8. ubi similiter referuntur Congregationes, quas cum Vicariis foraneis & Visitatoribus suis Synodali die appropinquante instituebat; & quæ in illis inquireret; ac deinde fusè describuntur Acta Synodi XI. & ultimæ, quam celebravit sanctissimus hic Archipræsul; in quibus integra forma celebrandæ Synodi Diœcesanæ repræsentatur.

XV. Pervetus illud quoque institutum est, ut quæ Sacerdotalem, Clericalemque disciplinam, officia ac partes ejus maximè attingunt, ea certis monitionibus, iisque brevibus comprehensa ab Episcopo in Synodo Clero proponantur; quò breviùs illa expressa, crebriusque repetita, diligentiùs item non solùm animis, mentibusque imprimantur, sed etiam omni studio inviolatè serventur.

XVI. Extat veteris admonitionis formula sub nomine inquisitionis duobus libris distincta apud Regionem Abbatem Prumiensem; de qua egi in tractatu Historico-Canonico in Canones *part.* 5. *cap.* 1. ibique ostendi, quòd pro assequenda notitia disciplinæ ecclesiasticæ lectio illius non parùm conducere queat: & §. 2. ostendi, quomodo in nonnullis articulis hæc formula differat à formula *admonitionis* quæ in hodierno Pontificali Romano prostat; atque ex illa differentia evincatur, hanc esse recentiorem, aut à recentiori manu immutatam.

XVII. S. Carolus in omnibus Sanctorum Patrum vestigia premens, nihilque quod ad instructionem reformationemque Clericorum conducere posset ommittens, monitiones edidit, in unaquaque Synodo Diœcesana sessione publica universo Clero accuratè legendas, graviterque pronuntiandas, quæ compendiosam, atque accuratam vitæ Clericalis disciplinam atque vivendi rationem continent; unà cum annotatione omnium quæ Clerici præcipuè cavere debent; ita ut in hisce Monitionibus Lector reperturus sit totius Clericalis instituti exactissimum, & perfectissimum compendium.

Publicavit primùm illas Monitiones in Concilio suo Provinciali IV. de Episcoporum suorum Suffraganeorum consilio & assensu, cum hac tamen clausula: „ Quibus (Monitionibus) quisque Episcopus addat, & detrahat, prout Ecclesiæ suæ Clero pro temporum ratione utile esse viderit."

Hanc clausulam utinam notent Episcopi, qui Clero suo in sacris Ordinationibus, aliisque publicis consessibus nihil præter generales, & præscriptas jam pridem formulas prælegunt, non attendentes, quid Clero suo pro temporum ratione utile sit.

Aliter exemplo suo docuit S. Carolus, dum has generales Monitiones in Synodo sua Diœcesana III. uberiores, accomodatioresque ad usum suæ Ecclesiæ Mediolanensis edidit; & ita auctæ, & accomodatæ extant in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *part.* 2. *pag.* 299. edit. anni 1683.

XVIII. Et præscripto Concilii Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 18. *de Reform.* singulis annis in Synodo Diœcesana ab Episcopo vel ejus Vicario ad minus sex examinatores proponendi sunt, qui Synodo satisfaciant, & ab eâ probentur; advenienteque vacatione cujuslibet Ecclesiæ Parochialis tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen in concursu perficiant, indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat.

Hi examinatores, quia in Synodo eligendi, & probandi sunt, vulgò *Synodales* etiam hodie dici solent; tametsi extra Synodum ab Episcopis eligi, & probari, ob intermissam Synodorum celebrationem consueverint, de quibus infra *part.* 2. *tit. de Concursu ad Ecclesias Parochiales*, fusiùs tractabitur.

XIX. Præterea idem Concilium *Sess.* 25. *cap.* 10. *de Reform.* statuit. „ In singulis Conciliis Diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit *Statutum*, & alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam post hæc causæ ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur."

Porrò quemadmodum examinatores Synodales ob intermissas Synodos solent extra Synodum ab Episcopis designari; ita quoque consuetudo invaluit, ut hæc personæ, quas *Judices Synodales* dicimus, ab Episcopis sine Synodo constituantur, de quibus latiùs *parte* 3. agetur.

CAPUT III.

De Testibus Synodalibus.

1 *Synodus Lateranensis vult designari personas in Synodis Provincialibus qui excessus, & abusus inquirant.*

2 *A Canonistis vocantur* Testes Synodales.
3 *Hi jam pridem à Synodis Diœcesanis constituti fuerunt, & Episcopi vigilantiores iis sunt usi.*
4 *Institutum illorum innovavit S. Carolus.*
5 *Quales eligi debeant.*
6 *Testes jurare debent, se officium suum fideliter expleturos.*
7 *Quæ sit formula juramenti.*
8 *Testes sincerè, & liberè officium sunt obire debent.*
9 *Circa quæ Testes inquirere debeant.*
10 *Quo tempore relationem coram Episcopo facere teneantur.*
11 *Clerus Gallicanus officium Testium Synodalium descripsit.*
12 *Franciscus Sonnius Antuerpiensium Episcopus Testium Synodalium necessitatem agnovit, eosque institui mandavit.*
13 *Ex defectu Testium Synodalium natum est contingere, ut exacta Diœcesis notitia non habeatur.*
14 *Defectum Testium Synodalium aliquatenus supplere posset diligentia Archipresbyterorum.*

I. SYnodus Lateranensis sub Innocentio III. postquam SS. Patrum institutum de celebrandis Conciliis Provincialibus renovavit, mandavitque in iis de corrigendis excessibus & reformandis moribus diligenter esse tractandum, subjicit: „ Ut „ autem id valeat efficaciùs adimpleri, per singulas Diœceses „ statuant personas idoneas, providas videlicet & honestas, quæ „ per totum annum simpliciter & de plano absque ulla jurisdic„ tione solicitè investigent, quæ correctione vel reformatione „ sunt digna, & ea fideliter perferant ad Metropolitanum & Suf„ fraganeos & alios in Concilio subsequenti, ut super his & „ aliis (pro utilitati & honestati congruerit) provida delibera„ tione procedant."

II. Hæ personæ communiter à Canonistis dicuntur *Testes Synodales*; eo quod à Synodo sint constitutæ, ut testimonium ferant.

III. An de his Testibus loquatur Canon EPISCOPUS IN SYNODO, *Causa* 35. *quæst.* 6. à Gratiano sub nomine Eutychiani Papæ relatus, sat incertum est; quemadmodum notat Stephanus Baluzius in notis ad Gratianum: illud certius est, jam pridem usitatum fuisse, hujusmodi Testes non tantùm in Synodis Provincialibus, sed & Diœcesanis fuisse nominatos; iisque vigilantiores Episcopos usos fuisse, ut exactiorem totius suæ Diœcesis notitiam accipere possent, atque abusus & excessus in Synodis reformandos & corrigendos faciliùs & exactiùs cognoscere.

IV. Id expendens vigilantissimus Mediolanensium Antistes S. Carolus, ejusque Suffraganei, in Concilio Mediolanensi IV. decreverunt, ut institutum illud nonnullis in locis intermissum restituatur; atque ut non nomine tantùm, sed certis officii partibus rectè per eos geratur, quibus in Synodo, vel Provinciali, vel Diœcesana committetur, plura ordinârunt.

V. Atque in primis, ut „ Viri Ecclesiastici ætate moribus„ que graves, prudentes, ac virtutum Christianarum studiosi, & „ spiritualis vitæ amantes in Concilio Provinciali Metropolitano ex „ unaquaque Diœcesi duo saltem, in Synodo Diœcesana ab Epis„ copo è Diœcesi sua septem, pluresve, prout expedire vide„ rit, *Testes Synodales* deligantur.

VI. „ Qui à Metropolitano delecti & nominati sunt in eo„ dem Provinciali Concilio, qui ab Episcopo in ipsa Diœcesa„ na Synodo jurati, allatis Sanctorum pignoribus, sanctè spon„ deant, ex formula verborum infra præscripta, muneris sui „ partes, infrà constitutas, se executuros esse.

„ Si verò à Concilio Provinciali abest, qui à Metropolitano „ nominatus est, tunc Episcopus, pro cujus civitate, vel Diœ„ cesi ille electus est, unius mensis à fine Concilii spatio, eum „ ad se litteris accersat: eumdemque ex ipsa præscripta for„ mula jurejurando obstringat, ac jurisjurandi præstiti testimo„ nium, publica auctoritate munitum, intra alium mensem, ad „ Metropolitanum omninò mittat."

VII. Post hæc inseritur formula juramenti eadem, quæ habetur apud Gratianum in citato Canone *Episcopus in Synodo*, ut vel hinc appareat, S. Carolum credidisse, Canonem illum de *Testibus Synodalibus* loqui; aut saltem non dubitasse, quin juramentum, quod ibidem à septem ex plebe ipsius Parochiæ de dicenda veritate super abusibus, & excessibus in Synodo exigendum præscribitur, meritò à testibus Synodalibus exigi posset: utpotè qui similiter eliguntur à Synodo, ut de iisdem inquirant, & postmodum in Synodo aut coram Episcopo sincerè, ac veraciter deponant.

VIII. Deinde ipsos Testes monent, ut „ hoc perpetuò „ meminerint, se non amore, non odio, non invidia, non „ spe, non metu, non pœna, non præmio, non cognatione, „ non ulla denique re commoveri, aut impediri debere, quo„ minus liberè, & integrè munus suum pro ratione infrà præs„ cripta præstent."

IX. Post hæc quid agere debeant describunt; atque inter cætera: „ Quo tempore hoc munus gesserint, personas dis„ cretas interrogando simpliciter, & de plano, absque ulla „ jurisdictione solicitè investigent hæc, quæ sequuntur; id„ que singuli, aut in universa civitate & Diœcesi, aut in regio„ ne, unicuique eorum potissimum nominatimque commissa.

„ An Parochi, Canonici, & alii quicunque Ecclesiastici „ homines, quos residere oportet, præsentes in Ecclesiis suis „ adsint; anque rursus si præsentes in Parochialibus vel Cano„ nicalibus, Clericalibusque ædibus habitent.

„ An Parochi præterea, aliique animarum Curatores so„ licitè, ut debent, fidelium sibi commissorum saluti in„ vigilent.

„ An in Sacramentis sanctè ministrandis, in Verbi Dei præ„ dicatione, in salutaribus monitis, in rudium, & puerorum „ ad doctrinam christianam institutione, & in cæteris om„ nibus curæ parochialis officiis, diligentis muneris partes „ præstent.

„ An reliqui, quicunque sint, Ecclesiastici Ordinis ho„ mines Ecclesiæ, si quam obtinent, aut in qua Dignitatem vel „ Canonicatum, vel Capellam, vel Ecclesiasticum aliquod „ munus habent, aut in qua adscripti sunt, oneribus satisfa„ ciant, & præscriptas sibi functiones obeant.

„ An Ecclesiæ sartæ tectæ sint, an ornamentis, & suppel„ lectili Ecclesiastica necessaria & congrua instructæ; an in il„ lis, aut earum cœmeteriis, atriisve aliquid incultum sit, „ quodque sordibus obsolescat, anve aliquid à religioso, cultu, „ & pietate alienum.

„ Videant item, an populus in via Domini ambulet, fre„ quensque adsit Divinis Officiis & sacris concionibus, & in Ec„ clesia piè religioseque versetur, atque dies festos colat.

„ An jejunium Quadragesimæ, quatuor Temporum, statuta„ que reliqua Ecclesiæ jejunia observet.

„ An idem decimas, primitias, aliaque debita emolumenta, „ adjumentave præstare, aut solvere recuset.

„ An in populo sacrilegi, blasphemi, concubinarii, adul„ teri, incestuosi, virginum raptores, an excommunicati, an „ hæresis & magiæ, superstitionumve nomine suspecti sint.

„ An denique aliæ in eodem populo morum corruptelæ, quæ „ correctionem, emendationemve requirant.

„ Dispiciant item, an quæ Romanorum Pontificum consti„ tutionibus, Œcumenicis, Provincialibus, Diœcesanisque Sy„ nodis, Episcoporumque edictis, quovis de genere decreta, „ sancitave sunt, ab iis serventur, quorum interest, sive Ec„ clesiastici, sive Laici homines sint."

X. Ut verò hæc præstent utiliùs, qui à Synodo Provinciali constituti sunt, omnia, quæ reformatione aut emendatione indigere judicaverint, in scriptum redacta tribus mensibus antequam dies Concilio Provinciali præstituta venerit, ad Metropolitanum deferre debebunt; qui verò à Synodo Diœcesana, uno mense ante habendam Synodum Diœcesanam, ad Episcopum. Hæc aliaque habentur in Concilio Mediol. IV. *part.* 3. *tit. de Testibus Synodalibus.*

Hisce addidit in Synodo sua Diœcesana XI. „ Testes Syno„ dales quarto quoque mense, de his quæ pro ratione sui mu„ neris agere debent, ad nos, Vicariumve nostrum generalem, „ cùm absumus, scribant."

XI. Clerus quoque Gallicanus in Conventu Melunensi anno 1579. meminit *Testium Synodalium*; & quæ in Diœcesi aut Parochia sibi ad visitandum commissa inquirere debeant, describit; atque inter alia hoc meritò notandum: Si Opiliones christiane versentur in agris curam pecorum agentes."

Quam enim frequenter illud hominum genus in vitiis abominandis, & crassa fidei, & religionis ignorantia versetur, sat notum est; ut proinde non immeritò Episcopi, & Pastores in illos inquirerent.

XII. Quin & Franciscus Sonnius primus Antuerpiensium Episcopus videns, quia peccandi licentia multùm invaluisset ex eo quòd crimina Superioribus plerumque celentur, hinc in Synodo sua Diœcesana ann. 1576. observari voluit Canonem *Episcopus*, 35. *quæst.* 6. „ Mandantes, ait, Decanis nostris, ut „ in singulis Parochiis constituant duos viros honestos & zelosos „ Testes Synodales, qui concubinarios, adulteros, Clericorum „ invasores ac percussores, usurarios, contractusque illicitos „ exercentes, & quæcunque crimina ad nostram correctionem „ spectantia quotannis coram ipsis Decanis, aut aliis ad hoc à „ nobis deputandis, exponant, ut habita inquisitione possit „ contra eos procedi ad emendationem."

XIII. Hæc sat ostendunt, institutum *Testium Synodalium* aptissimum semper judicatum fuisse, ut Episcopi ad plenam abusuum, & defectuum corrigendorum notitiam pertingant; eorumque intermissioni, & neglectui non immeritò imputari, quòd Episcopi nonnunquam in crassa & multùm noxia Diœcesis suæ ignorantia versentur, neque de vitiorum, atque abusuum grassantium quos ignorant, emendatione & correctione anxii sint.

XIV. Illud tamen haud diffitendum, quòd si Episcopi in Decanos, seu Archipresbyteros Rurales eligerent doctos zelosos, atque in cura animarum exercitatos, qui diligenter, prout

prout officium exigit Parochiarum sibi subditarum statum inquirerent (prout supra *Tit.* 6. *cap.* 2. & 3. exposuimus) magna ex parte per horum vigilantiam & solicitudinem suppletum iri *Testium Synodalium* defectum, quemadmodùm annuæ congregationes Decanorum cum Episcopo supplere aliquatenus possent defectum Synodorum Diœcesanarum, uti *eodem tit. cap.* 3. notatum est.

Non parùm quoque conduceret ad supplendum defectum *Testium Synodalium*, si „Decani habeant aliquot probos, & „ sibi fidos Pastores, à quibus excessus vicinarum Ecclesiarum „ addiscant. Similiter quilibet Pastor habeat viros probos, & „ bonos à sua Parochia, qui sibi defectus Parochiæ referant.“ Quemadmodum præcipit Synodus Namurcensis anni 1639. *tit.* 20. *cap.* 35. Idem habet Synodus Tornacensis anni 1589. *tit.* 23. *cap.* 7.

CAPUT IV.

Qui his Synodis subdantur, et quæ earum auctoritas.

1 *Synodi Diœcesanæ suam auctoritatem mutuant ab Episcopo.*
2 *Multis seculis omnes Clerici indifferenter Synodis subjiciebantur.*
3 *Nulla hac in parte erat differentia inter Clerum Secularem, & Regularem.*
4 *Monachi etiam Synodis subjiciebantur.*
5 *Exemptiones Capitulorum & Monasteriorum quæstiones pepererunt.*
6 *Capitula subjiciuntur Synodis, quandiu plenè non probatur exemptio.*
7 *Subjiciuntur Synodis in materia non exempta.*
8 *Item in his quæ concernunt correctionem morum.*
9 *Regulares etiam exempti Synodis subjiciuntur in materia non exempta.*
10 *Item in his, quibus subjiciuntur Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis.*
11 *Exemptiones præsertim Regularium circa subjectionem Synodorum pariunt multas quæstiones.*
12 *Constitutiones Synodales in Italia edi non possunt, nisi priùs à S. Congregatione examinatæ, & probatæ*
13 *Hodie etiam Laici quæstiones movere solent super observatione Decretorum Synodalium.*
14 *In Belgio ægrè permittitur promulgatio Synodorum sine consensu Regis, & quare.*
* *Litteræ Regiæ ut publicè edantur Decreta Synodi Diœcesanæ.*
15 *Quæ sint causæ, quòd hodie rariùs habeantur Synodi Diœcesanæ.*

I. SYnodos Diœcesanas præcipuam suam auctoritatem, ac vim obligandi mutuare ab Episcopo, qui illis per se aut Vicarium suum præest, illarumque statutis obstringi omnes, qui Episcoporum Decretis, ac mandatis subjecti sunt, indubitatum est, quandoquidem ambigi nequeat, quin ut minùs tantæ sint auctoritatis Synodorum Diœcesanarum Sanctiones, quam Episcoporum Decreta.

II. Porrò constat per undecim & ampliùs secula universum Clerum jurisdictioni, & regimini sui respectivè Episcopi fuisse subjectum; nec unquam per ea tempora in quæstionem venisse, num Clerici Decretis Episcoporum in his, quæ morum, atque disciplinæ reformationem attinebant, essent subjecti, eisque obedire deberent: ideoque nec ambigebatur, quin Clerici omnes etiam Synodorum Episcopalium sanctionibus tenerentur; iisque in omnibus se subjicere juberentur.

III. Neque hac in parte ulla erat Clericos Regulares inter, & seculares distinctio. Hoc ipso enim, quo Monachi, sive Religiosi Clero adscribebantur, mox in omnibus non secus ac alii de Clero subjiciebantur ipsi Episcopo, tanquam totius Cleri suæ Ecclesiæ Capiti & Pastori.

IV. Quinimo multis seculis juxta Canonicas sanctiones præcipuè Concilii Calchedonensis Canonem IV. Monachi Universi Episcoporum jurisdictioni subjecti fuêre; ipsorumque consequenter Episcoporum, ac Synodorum Episcopalium Ordinationibus & Decretis subjecti, uti latiùs infrà, ubi de *exemptionibus Monachorum* agetur, probabitur.

V. At postquam hisce posterioribus Ecclesiæ seculis, non tantùm Monachi, sed etiam Clerici præcipuè Canonici exemptionem à jurisdictione Episcoporum à Romanis Ponificibus prætenderunt, & subinde obtinuerunt, quæstiones frequentes excitari cœperunt circa obedientiam, quam Capitula Canonicorum & Monachorum Monasteria deberent Decretis & Ordinationibus Synodorum Episcopalium.

VI. Illud imprimis indubitatum manet, Capitula Canonicorum aliosque Clericos subjici Synodis Episcopalibus, in omnibus, quæ ipsos concernunt, quandiu plenè non constat de eorum exemptione. Quandiu enim dubia est exemptio, salva manet ordinaria Episcoporum auctoritas juri communi innixa; uti latiùs dicetur loco citato.

VII. Ad hæc certum quoque est, Canonicos etiam exemptos subjici ordinationibus Synodorum Episcopalium in omnibus, quæ concernunt materiam non exemptam; id est, in his, ad quæ exemptio se non extendit; de quibus similiter infrà tractabitur.

VIII. Quinimò cùm ex Decreto Synodi Tridentinæ Clerici in his, quæ correctionem ac reformationem morum & abusuum concernunt, Episcopis subjiciantur, non obstante quacunque exemptione, etiam Synodis Episcopalibus in his subjecti erunt.

Cùm verò Synodi hodie non tàm circa forensium quæstionum decisionem aut judiciarios processus, quam circa reformationem morum & disciplinæ versentur, videtur, quod Capitula Canonicorum quantumvis exempta meritò dici possint Decretis Synodorum esse subjecta; atque ita declarâsse Sacram Congregationem Concilii Tridentini Interpretem testatur Synodus D. Mechliniensis *t.* 24. „Sciant, ait, Capi„ tula exempta, exemptionemque prætendentia, se non tan„ tùm ad Statutum *Synodi Diœcesanæ*, verùm etiam ad De„ cretum Synodi Provincialis, uti à Sacra Congregatione de„ claratum est, observationem teneri.“ Idem repetit Synodus Namurcensis an. 1659. *tit.* 25.

IX. Quoad Regulares *exemptos*, ipsos legibus Synodorum Episcopalium teneri in iis omnibus, quæ materiam non exemptam concernunt; & generaliter in omnibus, in quibus etiam Episcoporum Decretis non obstante exemptione subjiciuntur, ambigi nequit. Unde consequenter, ut intelligi queat, in quibus Regulares exempti Synodis Diœcesanis subdantur, scire oportet, ad quæ exemptio ipsa Regularium se extendat, quod infrà titulo *de Exemptionibus* latiùs dicetur.

X. Quin si Episcoporum jurisdictioni tanquam Sedis Apostolicæ Delegatorum Regulares subdantur, etiam ad Synodum Episcopalem accedere tenebuntur, si ad eam ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato vocentur; ejusque ordinata observare, ut latè probat Fagnanus ad *Cap.* QUANTO, ⁂ *de Offic. Ordin.* & per speciale Breve declaravit Alexander VII. quod ibidem à Fagnano refertur *num.* 64.

XI. Quia autem non satis convenit Episcopos inter & exemptos, quæ sit materia exempta, quæ non exempta; & in quibus obedire teneantur, variæ solent occasione istarum exemptionum oriri quæstiones, & jurgia Episcopos inter & exemptos, præcipuè Regulares.

XII. Hac de causa teste Cardinali de Luca *disc.* 30. *ad Concil. Trid. n.* 9. ob ista jurgia, quæ Synodi Diœcesanæ cum exemptis parere solent, „à Sacra Congregatione in Italia in„ junctum est Episcopis, ut jam editas Synodales Constitu„ tiones eidem examinandas, & confirmandas transmittere de„ beant, *istaque*, ait, *est praxis.*“

XIII. Ulteriùs, quia in Synodis interdum quædam occurrunt, quæ licèt Ecclesiastica officia, aut functiones, vel Ecclesiasticorum, aut Ecclesiarum jura concernere videantur, temporalia tamen etiam attingunt, difficulter Laici hisce Ordinationibus se subjiciunt, nisi auctoritas Regia accedat.

Neque enim credunt, auctoritatem Episcoporum aut Ecclesiasticorum eò se extendere, ut in his, quæ temporalia, sunt, Laicis absque Regio consensu legem ponant: ut sunt v. g. jura sepulturæ, decimarum, oblationum; item quæ hospitalium, aut etiam mensarum S. Spiritûs aut Fabricæ Ecclesiæ administrationem concernunt, aliaque similia.

Hinc videmus, confirmationem Synodos passim Regiam postulâsse; atque ultimam Diœcesanam Namurcensem à Rege tam in Consilio Privato, quàm Brabantiæ examinatam & probatam videmus.

XIV. Quin & ægrè hîc in Belgio permitteretur sine prævio Regis consensu Synodorum publicatio; ne fortè aliquid contra jus Regis, aut Vasallorum contineretur.

Et quidem cum anno 1639. Episcopus Namurcensis Synodalia sua statuta evulgasset sine consensu Regis, Senatus Namurcensis litteris datis ad Consilium privatum exposuit, Episcopum hac publicatione præjudicare auctoritati Regiæ. Habitâ deliberatione Consilium Privatum scripsit Episcopo Namurcensi, quòd excessisset limites suæ potestatis, atque præjudicasset auctoritati Regiæ publicando sua Statuta Synodalia sine consensu Regis; injunxitque ipsi, ut omnia exemplaria dictorum statutorum retraheret, & eorum executionem suspenderet; deinde Consilio Namurcensi scripsit, ut vigilaret, an hæc mandata executionem haberent. Hæc scripta fuêre anno 1644.

* Has litteras Regias ad Episcopum Namurcensem, necnon ejusdem Civitatis Senatum super impressione Synodi, de quibus integras exhibet D. de Laury in sua Arrestorum collectione *Arresto* 122. ibidem adstruens, Synodos sive earum De-

Decreta sine *placito Regio* non posse publicari (d): ne forsan inter hæc Decreta quidpiam contineretur, quod Principis jura, ejusque Vassallorum violaret, vel regimini politico in hisce Provinciis recepto & stabilito officeret. *

Idem judicavit Consilium Privatum anno 1605. circa Synodum Tornacensem similiter sine consensu Regis publicatam: ac iterum occasione alterius Synodi Tornacensis anno 1645. hæc latiùs referuntur in sæpius citato Regesto MS. Archiepiscopatûs Mechliniensis.

XV. Hæ controversiæ & quæstiones, quæ tum ratione exemptionum Regularium, & Capitulorum, tum jurium Laicorum oriri solent inter Episcopos & Exemptos, ac etiam Laicos super executionem Ordinationum Synodalium, non dubium, quin contribuerint ad omissionem Synodorum, quantumvis negari nequeat, quin ex earum omissione magnoperè disciplina Ecclesiæ patiatur, & abussus incrementum accipiat.

TITULUS XIX.

De Metropolitanis.

CAPUT I.

Quando et a quibus Metropolitani instituti.

1 *Antiqua est Metropolitanorum institutio.*
2 *Synodum Nicænam præcessit.*
3 *Metropolitanorum nomen derivatur à Metropoli Civili.*
4 *Episcopus, qui Metropoli præest, dictus est Metropolitanus.*
5 *Metropoles Ecclesiasticæ ad normam Civilium formatæ fuerunt.*
6 *Probatur ex Concilio Nicæno.*
7 *Item ex Concilio Taurinensi.*
8 *Ratio hujus disciplinæ.*
9 *Divisâ per Principem Provinciâ duo constituebantur Metropolitici.*
10 *Posterioribus seculis Metropolis erectio à Metropoli Civili sejuncta fuit.*
11 *Devoluta est erigendi auctoritas ad Romanum Pontificem.*
12 *Intervenire debuit consensus Principis, quod pluribus exemplis probatur.*
13 *Hæc est moderna Ecclesiæ disciplina.*
14 *Archiepiscopus Rhemensis protestatus est contra erectionem Metropolis Cameracensis, quia consensus Regis non intervenerat.*

I. TAmetsi non constet, Metropoliticam dignitatem ab Apostolis esse institutam, vel utrum Apostoli aliquibus Ecclesiis à se fundatis, aut earum Episcopis quædam jura, & privilegia in alias Ecclesias concesserint, eam tamen antiquissimam esse nemo inficiari potest.

II. Synodus Nicæna sub Constantino M. multis locis supponit Metropolitanorum institutionem ab antiquo factam, Canone IV. ait: „ Eorum autem, quæ fiunt, confirmationem „ in unaquaque Provincia à Metropolitano fieri oportet. Item „ Canone VI. Illud autem est omninò manifestum, quòd si „ quis absque *Metropolitani* sententia factus sit Episcopus, eum „ magna Synodus definivit non esse Episcopum.“ Imò Canone VII. annuens Episcopo, qui est in Ælia, sive Episcopo Hierosolymitano, aliquam honoris prærogativam, addit hanc cautionem: *Metropoli propriâ dignitate servatâ*: quæ omnia Metropolitanorum institutionem, non à Synodo Nicæna primùm institutam, sed jam ab antiquo factam, sat patenter supponunt.

III. Unde verò Metropolitanorum institutio originem suam sumpserit, non æquè expeditum. Hoc sat constat, Metropolitanos dici à *Metropoli*. Metropolim verò dici *Urbem matrem*: id est, quasi primam & præcipuam reliquarum veluti matrem. Quoniam verò in unaquaque Provincia urbs est aliqua, quæ inter cæteras eminet, hæc dicta est *Metropolis*; ac ideo Episcopus, qui hujusmodi urbi præest, *Metropolitanus* dictus fuit, qui quibusdam juribus & prærogativis præ cæteris, & in cæteras Ecclesia donatus fuit.

IV. Illud quoque sat compertum est, jam pridem Metropolitanum dictum fuisse Episcopum, qui Metropoli, sive civitati, quæ in certa Provincia prærogativis, & juribus cæteras antecellebat, præsset.

V. Neque illud ambigi potest, quin Metropoles Ecclesiasticæ ad normam Metropoleon civilium formatæ fuerint; sive consuetudine primùm introductum, ac postmodum Conciliorum decretis firmatum fuisse, ut Metropoles civiles, simul essent Metropoles Ecclesiasticæ: seu, ut Episcopus qui præsset civitati, quæ in divisione Imperii esset totius Provinciæ prima seu Metropolis, unde aliæ dependerent, etiam in Hierarchia Ecclesiastica esset Metropolitanus, cæterisque Episcopis ejusdem Provinciæ præesset: imò tota Ecclesiarum distributio ad formam Imperii facta est; Urbesque Metropoles etiam Metropoles fuêre Ecclesiasticæ, atque earum Episcopus factus Metropolitanus; qui & sensim variis juribus, & prærogativis in cæteras Ecclesias ejusdem Provinciæ fuit donatus.

VI. Et quid enim Nicænos Patres impellere potuit, ut potiùs Cæsareæ jus Metropoliticum, quàm Æliæ conferrent, sive conservarent, nisi quòd illa Provinciæ esset Metropolis, non hæc; atque propterea jus Metropoliticum ad illam esset translatum: ideoque Patres Nicæni etiam simpliciter dicunt: *Metropoli propriâ dignitate servatâ*: sat innuentes eam *Metropoli* esse propriam.

VII. In Concilio Taurinensi statutum est, illi totius Provinciæ *Primatum deberi, qui suam civitatem demonstrâsset Metropolim*: quia scilicet non aliunde Metropolitanæ Ecclesia statuitur, quàm ex ipsius urbis Metropolitica civili dignitate.

VIII. Quod apertius expresserunt Patres Antiocheni, qui & rationem illius aliquam addunt *can.* 9. „ Episcopum, qui „ Metropoli præest, etiam curam suscipere oportet totius „ Provinciæ: eò quòd in *Metropolim* undequaque concurrant „ omnes qui habent negotia. Unde visum est, eum quoque, „ honore præcedere, reliquos autem Episcopos nihil magni „ momenti aggredi sine ipso debere.“

Constat ergo Metropoles civiles electas fuisse ut essent Metropoles Ecclesiasticæ: atque Episcopus *Metropolis* foret Metropolitanus, qui totius Provinciæ curam ageret, eò quòd ad Metropolim civitatem undequaque concurrant omnes, qui habent negotia: ideoque conveniens quoque videbatur, ut ad eam civitatem negotia Ecclesiastica potius, quàm ad ullam aliam deferrentur: eoque potiùs, quam alibi, Episcopi, aliique, qui quæstiones haberent, convenirent.

IX. Hinc ulteriùs contingebat, quemadmodum etiam notat Lupus ad Canonem XII. Calchedonensem: „ Ut divisâ per „ Principem Provinciâ, quomodo duos Præsules, seu Civiles „ Rectores, ita duos acciperet Episcopos Metropolitas.“

Unde factum, ut Episcopi Metropolitica jura ambientes Imperatores adirent, à quibus obtentâ Metropoleos in urbis suæ gratiam dignitate, Ecclesiastica etiam Metropolitica jura, & Provinciarum ordinationes invadebant: uti latiùs exposui *ad Canonem* 12. *Calchedonensem*; ubi unâ ostendi, quomodo Synodus Calchedonensis, salva Principum auctoritate in distribuenda una Provincia in plures, hanc Episcoporum ambitionem reprobaverit, & refrænaverit.

X. Labentibus autem seculis Metropoles Ecclesiasticæ paulatim à Metropoli civili disjungi cœperunt; neque urbium evectio ad Metropolim civilem secum traxit Metropolim Ecclesiasticam, sed pro utilitate, ac necessitate Ecclesiæ, quædam Ecclesiæ, quæ opportuniores videbantur, in Metropoles erectæ fuerunt.

XI. Porrò hæc Metropoleon institutio, & evectio jam à seculis aliquot ad Romanum Pontificem devoluta fuit, ita tamen ut consensus Principis interveniat, necnon Suffraganei, aliique interesse habentes audiantur.

XII. Et quidem anno 832. Ludovicus Pius ordinari jussit Ansgarium Amaburgensem Archiepiscopum in quadam Synodo Nationali, obtinuitque pro eo Pallium, & ordinaria Metropolitanorum jura à Pontifice, uti narrat Adamus Chronologista, *lib.* 1. *cap.* 17. his verbis: „ Habito Sacerdotum „ generali Concilio, Pius Cæsar votum Parentis impleri cupiens, Amaburg civitatem Transalvianorum *Metropolim* statuit, eique Cathedræ primum Archiepiscopum ordinare fecit Ansgarium &c. Roborante id Gregorio IV. Apostolica „ auctoritate, & Pallii donatione.“

Eodem seculo Joannes VIII. Ecclesiam Ovetensem in Gallecia in Metropolim erexit ad postulationem Regis Alphonsi: „ Et Ecclesiæ Ovetensi, ait, quam vestro consensu & „ astit. 8. lib. 1. Recop. Indiar. *quòd Provincialia Concilia Supremo earum Senatui, Diœcesana verò particulari Senatui Districtûs ad eorum revisionem & approbationem mittantur.*

(d) *Idem stabilitum est in Regnis Hispaniæ ex argumento textûs* §. 4. leg. 24. tit. 7. lib. 1. Recop. *& quoad dominia Indiarum, Regi Catholico subjecta, præcipitur in* leg. 6.

„ assidua petitione Metropolitanam constituimus, omnes vos „ subditos esse mandamus. Et concedimus etiam prædictæ Se„ di, ea quæ Reges seu fideles justè obtulerunt..... rata, fir„ ma & inconcussa manere in perpetuum."

De erectione Ecclesiæ Beneventanæ in Metropolim scribens ad recenter evectum illius Ecclesiæ Metropolitanum Joannes XIII. ait, se illam Ecclesiam in Metropolim erexisse hortatu Imperatoris, Episcoporum, & Clericorum Ecclesiæ Romanæ in Synodo Romana, & postulante Principe Capuano; uti videri potest in Epistola ipsius Papæ, quæ extat *tom.* 9. *Concil. generalium. col.* 1238.

XIII. Hæcque est moderna Ecclesiæ disciplina, ut & Episcopatuum, & Archiepiscopatuum sive Metropoleon institutio, seu erectio non nisi auctoritate Papæ, interveniente tamen Principis consensu; imò ferè non nisi ad ejus postulationem fiat.

Ita quoque ad postulationem Philippi II. Hispaniarum Regis erectos fuisse novos in Belgio Episcopatus, & Metropoles, significat ipse Pontifex Paulus IV. in Bulla erectionis.

XIV. Quin protestatum fuisse Archiepiscopum Rhemensem in suo Concilio Rhemensi ann. 1565. contra erectionem Ecclesiæ Cameracensis in Metropolim; eò quòd non audito Rege Christianissimo ab Archiepiscopatu Rhemensi divulsa esset ipsa Cameracensis, aliæque, quæ cùm antea essent suffraganeæ Rhemensis Ecclesiæ, jam essent suffraganeæ Cameracensis, testantur Acta Concilii Rhemensis anni 1564.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT I.

De prærogativis, quibus super alios Episcopos fruuntur Metropolitani.

1 *Istæ prærogativæ referri non debent ad Apostolos ut Auctores.*
2 *Derivari possunt ex usu.*
3 *Non tantùm dignitas civilis Urbium Metropoleon, sed etiam adminicula alia sensim erexerunt Metropolitanos super alios Episcopos.*
4 *Inter ea adminicula præcipuum videtur jus consecrandi suæ Provinciæ Episcopos.*
5 *Quod jus primùm fuit libertatis, deinde in necessitatem transiit.*
6 *Episcopi, quos posterior ætas vocavit Archiepiscopos, primitùs dicti fuerunt Metropolitani.*
7 *Nomen Metropolitani fuit ignotum in Africa, sed ejus prærogativis Episcopus senior fruebatur.*
8 *Labentibus seculis jus erigendi Metropoles ad Papam fuit devolutum.*
9 *Erectio Metropoleon Papæ reservata fuit auctoritate falsarum Decretalium.*
10 *Eâdem auctoritate Romanus Pontifex sibi vindicavit jus erigendi Ecclesias Primatiales.*
11 *Quo tempore in Italia cœperunt multiplicari Metropoles.*

* I. PRætenditur à nonnullis, Metropolitanos corumque super alios Episcopos prærogativas, ab Apostolis originem accepisse, atque propterea dici posse instituti Apostolici.

Verùm Decreta Nicænæ Synodi id non evincunt. Probant quidem hæc Decreta Metropolitanorum institutionem, necnon quasdam eorum prærogativas super alios Episcopos præcessisse hanc Synodum; sed nequaquam evincunt speciali aliquo Decreto Apostolorum, hanc institutionem fuisse factam, sive Apostolos instituisse in quibusdam civitatibus, puta *Metropolibus*, Episcopos cum aliqua superioritate vel prærogativa subordinationis super aliquos ejusdem Provinciæ Episcopos.

II. Imò Synodus Nicæna sat appertè supponit jura Metropolitanorum potiùs ex consuetudine, & moribus, quàm ex Apostolorum instituto esse petenda & definienda. Si quidem Canone VI. firmans privilegia trium principalium Ecclesiarum, Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ, illa petit ex consuetudine & moribus, decernens: „ *Ut antiqui mores* serventur, „ qui sunt in Ægypto, Lybia & Pentapoli, ut Alexandrinus „ Episcopus horum omnium habeat potestatem; quandoquidem „ & Episcopo Romano, *hoc est consuetum*, sive, ut vertunt „ Dionysius & Isidorum, *parilis mos est.*"

Deinde eodem Canone prosequitur: „ Similiter & in An„ tiochia, & in aliis Provinciis sua privilegia, ac suæ dignitates „ & auctoritates Ecclesiis serventur."

Nequaquam obscurum est, Synodum Nicænam privilegia, & jura illarum Ecclesiarum ex consuetudine & moribus petivisse, atque decrevisse, ea debere manere firma, quæ probantur antiquis moribus, & consuetudine, nullâ Decreti Apostolorum factâ mentione.

III. Probatum est à dignitate civili Urbium Metropoleon etiam in Episcopos earum Civitatum aliquid dignitatis derivâsse, atque à nomine Urbis nomen Metropolitani mutuatum esse.

Hæc tamen solà eminentia Metropoleon civilium non videtur fuisse sufficiens, ut Episcopis civitatibus illis Metropoliticis perfectis in alios Episcopos auctoritatem sive superioritatem aliquam conferret, sed alia nonnulla concurrisse videntur adminicula, quæ sensim hos Episcopos super alios Episcopos elevârunt; quin & tandem Metropolitanis subjecerunt.

IV. Inter hæc adminicula præcipuum fuisse videtur ordinatio, seù consecratio Episcoporum, quæ sensim Episcopo Metropoli Præfecto delata fuit.

Cùm enim antiquitùs moris esset, ut Episcopi à vicinis, sive ejusdem Provinciæ Episcopis ordinarentur, facilè contingit, ut, ubi paulatim ex civitatum splendore Episcoporum dignitas incrementum accipiebat, & frequentior ad Urbes Metropoles, ob varia incidentia negotia erat aliorum Episcoporum accessus, cœperint in ipsa Urbe Metropoli ordinationes fieri; atque per Episcopum Metropoli Præfectum, certis Provinciæ Episcopis assistentibus, peragi.

V. Hoc, cùm ab initio forsan fuisset libertatis, tandem in necessitatem transivit, atque ita consuetudine potiùs, quàm positivo aliquo Decreto, jus ordinandi Episcopos Provinciales primitùs Metropolitanis assertum, postmodum Synodus Nicæna per suos Canones firmavit, & integrum eis conservatum voluit.

Porrò existimatum fuit, Episcopos Ordinatori suo quamdam debere reverentiam, & subjectionem. Hinc sensim Jura Metropolitanorum, in Episcopos ad suam ordinationem spectantes, fluxisse verisimile est.

Et reverà veteris disciplinæ fuisse observat Petrus de Marca, *lib.* 1. *de Concord. Sacerd. & Imp. c.* 7. *n.* 3. ut Synodis se sisterent Episcopi apud eum, cujus arbitratu ordinati erant: „ Unde (ait) profectum est, ut pertinere ad alicujus Concilium, „ vel ad consecrationem promiscuè & passim dicantur Episco„ pi, qui à Primatibus suis pendent."

Quapropter olim nulli Episcopi accedere jubebantur ad *limina Apostolorum*, sive, quod idem erat, ad Synodum Romanam, nisi qui ad Episcopi Romani ordinationem spectabant, uti suprà *tit.* 15. *c.* 2. ostendimus ex S. Leone.

VI. Postquam verò sensim Jura illa Metropolitanorum firmata fuerunt, primùm Canone Nicæno, ac deinde aliis Canonibus, cœperunt & ipsi vocari Archiepiscopi, quo nomine nec ævo S. Leonis, id est, seculo V. fuisse appellatos, saltem apud Latinos, observavit vir eruditus Paschasius Quenellius in notis ad *Epistolam* 9. S. Leonis, monetque ibidem, quòd qui hanc Epistolam authenticum esse volunt S. Leonis fœtum, unà sustineant vocem *Archiepiscopi* per oscitantiam exscriptoris pro nomine *Episcopi* irrepsisse.

Ita dubium non est, quin Episcopi, quos posterior ætas vocavit Archiepiscopos, primitùs dicti fuerint simpliciter *Metropolitani*, mutuato nomine à civitate Metropoli.

Probat id ipsum Ecclesiæ Africanæ praxis: cùm enim dignitas, & jura Episcoporum non peterentur à dignitate civitatum quibus erant præfecti, sed à prioritate ordinationis, ita ut hic juribus, & prærogativis Metropolitani gauderet, qui inter Episcopos Provinciales erat *ordinatione* senior.

VII. Nomen Metropolitani etiam in Africa ignotum fuit; sed *senior* Episcopus juribus & prærogativis Metropolitani gaudebat & utebatur, uti observat, & pluribus probat Petrus de Marca *dissertatione de Primatu Lugdunensi*, quæ integra extat tomo 10. Concil. General. pag. 520. observatque ibidem, quòd in Africa Episcopus *senior* ordinatione etiam dictus fuerit *Primas*, quasi primum locum obtinens inter reliquos Episcopos, sed nomen *Metropolitani* illi datum non legitur.

VIII. At & hoc observatum labentibus seculis, hanc dependentiam à Metropoli civili desiisse, atque sensim cœpisse independenter à Jure Metropolis civilis, quasdam civitates, vel Sedes Episcopales in Metropoles auctoritate Ecclesiastica erigi: quin & tandem hoc Jus erigendi Metropoles ad Sedem Apostolicam fuisse devolutum.

Admodum autem verosimile est, hoc Jus sibi cœpisse vindicare Pontifices Romanos circa seculum X. post inductas falsas Decretales.

Et quidem legitur, quòd & Joannes IX. sub initium seculi X. ordinaverit, sive instituerit Metropolitanum, & tres novos Episcopos in terris Sclavorum, qui à sua ad Christianam fidem conversione subjecti fuerant Episcopo Pataviensi. De hac autem nova institutione, tanquam sanctis Canonibus contrariâ, & Episcoporum auctoritati derogante, altè conquesti sunt Pheotmarus Juvavensis Ecclesiæ Archiepiscopus, aliique Episcopi in epistola ad dictum Pontificem, quæ legitur tomo 9. Concil. General. *col.* 498.

Hæc querela Episcoporum de hac per Romanum Pontificem facta erectione sat ostendit, nondum eo tempore generaliter agnitam fuisse auctoritatem erigendi Ecclesias Metropoliticas aut Cathedrales, ad Romanum Pontificem contra pristina Canonum

num instituta & Ecclesiæ consuetudinem, esse devolutam.

IX. Itaque verosimile est erectionem Metropoleon non secùs ac Episcopatuum erectionem sibi vindicásse Romanos Pontifices auctoritate falsarum Decretalium; ac signanter Clementis I. ad Jacobum fratrem Domini, cujus fragmentum extat apud Gratianum *dist.* 80. *can.* 2. necnon secundæ epistolæ Anacleti Papæ, *cap.* 4. cujus verba retulit quoque Gratianus *dist.* 99. *cap.* 1. In his etiam mentio fit, non solùm Metropolitanorum, sed & Archiepiscoporum, Primatum & Patriarcharum, quin & Archiflaminum, quos à S. Petro & Clemente per Provincias constitutos fuisse asseritur.

Et licèt omnibus hodiè falsitas harum Decretalium sat sit perspecta, sciaturque nomen *Patriarcharum* & *Primatum*, quin & *Archiepiscoporum*, sed vel maxime *Archiflaminum*, ævo dictorum Pontificum Petri, & Clementis, in Ecclesia fuisse ignotum, nihilominus & id scitur seculo X. & sequentibus has Decretales in auctoritatem fuisse receptas, præsertim post earum in Decretum Gratiani relationem.

Unde vir Clarissimus Claudius Fleury asserere non dubitat auctoritatem instituendi novos Metropolitanos, sive civitates erigendi in Metropoles Ecclesiasticas, ad Sedem Apostolicam devolutam ope dictarum Decretalium.

X. Similiter auctoritate harum Decretalium Romanos Pontifices sibi asseruisse potestatem erigendi particulares Ecclesias in Ecclesias *Primatiales*, cum prærogativa & jurisdictione supra Metropolitanos, observat Petrus de Marca in dissertatione de *Primatu Lugdunensi*, unà observans ante confictas & receptas has Decretales nullam fuisse Ecclesiam *Primatialem* cum superioritate & jurisdictione in alias Ecclesias Metropolitanas: neque nomen *Primatum* ante receptas has Decretales datum fuisse nisi Metropolitanis, aut iis, qui jure Metropolitani gaudebant, qualis erat in Africa *senior* ordinatione inter Episcopos Provinciæ.

Id ipsum post de Marca observavit Dominus Fleury in sua Historia Ecclesiastica *lib.* 62. *cap.* 61. & sat patenter intelligitur ex litteris Gregorii VII. quibus Ecclesiam Lugdunensem in Primatialem erigit, eique subjicit tres Metropolitanos, scilicet Rothomagensem, Turonensem, & Senonensem, expressè profitendo in hac erectione, *antiqua SS. Patrum vestigia* se imitari desiderare.

Nequaquam obscurum est, Gregorium VII. in his verbis reflexisse ad falsam Decretalem Clementis I. cujus fragmentum refert Gratianus *dist.* 80. *can.* 2. quod & manifestius patet ex ejusdem epistola ad prædictos tres Metropolitanos, in qua pro firmando jure Sedis Apostolicæ erigendi Ecclesias Primitiales impendit fragmentum prædictæ supposititicæ Decretalis Anacleti I. Papæ, relatum apud Gratianum *dist.* 99. quod & ad dictum Canonem Correctores Romani notârunt his verbis: „Hoc ca„put integrum repetitur à Gregorio VII. *Lib.* 6. *Regesti*, „Epistola 35. Rothomagensi, Turonensi, atque Senonensi Ar„chiepiscopis scripta, ex qua & originali nonnulla sunt res„tituta.“

Ex his nequaquam obscurum est per falsas Isidorianas Decretales originem sumpsisse hunc novum ordinem Primatum sive Ecclesiarum Primatialium, ad quos à judicio Metropolitanorum gradatim esset appellandum: cujus appellationis ante invectas has Decretales nulla memoria occurrit, neque reservationis juris instituendi novos Metropolitanos Romano Pontifici.

XI. Interim postquam auctoritas erigendi novas Metropoles Ecclesiasticas ad Romanum Pontificem fuit devoluta, cœperunt notanter in Italia Metropoles multiplicari, visumque est, quòd Pontifices nonnunquam civitates aliquas in Metropoles erexerint, ut eas hoc titulo decorarent, uti notavit Dominus Fleury in sua Historia, loco citato, notatque primitùs Metropoles multò fuisse diffusiores, pluresque sub se complectentes Episcopos Suffraganeos; ac propterea Synodos Provinciales ex majori numero Episcoporum coaluisse. Proinde mirum non est, quòd legatur antiquitùs has Synodos subinde dictas fuisse *plenarias* & *perfectas* Synodos.

CAPUT II.

Quam obedientiam Episcopi Suffraganei debeant suis Metropolitanis.

1 *Canones Apostolorum Episcopos suis subjiciunt Metropolitanis.*
2 *Canonis Apostolici meminit Synodus Antiochena.*
3 *Synodus Nicæna Episcopos suis Metropolitanis subjicit.*
4 *Eandem auctoritatem agnovit Innocentius III.*
5 *Episcopum non obedientem suo Metropolitano increpavit sanctus Gregorius.*
6 *Episcopi jam pridem juramentum fidelitatis præstiterunt suo Metropolitano.*
7 *Refertur formula ex Pontificali Romano.*
8 *Juramentum illud simile est illi, quod hodie exhibetur Pontifici Romano.*
9 *Unde hodie imminuta Metropolitanorum auctoritas.*

I. METropolitanorum auctoritatem in suos Suffraganeos, sive Episcopos suæ Provinciæ, jam pridem Canones Conciliorum, & Pontificum Decreta amplissimè astruxerunt.

„Episcopos (ait Canon 33. Apostolorum) uniuscujusque „gentis nosse oportet eum, qui in eis est *primus*, & existimare „ut *Caput*; & nihil facere, quod sit arduum aut magni mo„menti, præter illius sententiam: illa autem facere unumquem„que, quæ ad suam Parochiam pertinent, & pagos qui ei sub„sunt. Sed nec ille absque omnium sententia aliquid agat,“ (in aliquorum versione additur: *aliquid in eorum Parochiis*). „Sic enim erit concordia, & glorificatur Deus per D. N. JE„SUM CHRISTUM.“

II. Ad hunc Canonem sat apertè alludunt, eumque innovant Patres Concilii Antiocheni *can.* 9. „Episcopos qui sunt in „unaquaque Provincia, scire oportet, Episcopum, qui præest „Metropoli, etiam curam suscipere totius Provinciæ, eò quod „in Metropolim undequaque concurrunt omnes qui habent ne„gotia. Unde visum est eum quoque honore præcedere: reli„quos autem Episcopos nihil magni momenti aggredi sine ip„so, ut vult, qui ab initio obtinuit, *Patrum Canon.*“

III. Quid plura? „Decreta Nicæna (inquiunt Patres Afri„cani in Epistola ad Cælestinum Papam) sive inferioris gradus „Clericos, sive ipsos Episcopos suos Metropolitanis aper„tissimè commisserunt.“ Habetur tom. 2. Concil Generalium. *col.* 1674.

Hinc compertum est, Episcopis quidem semper liberum fuisse Diœcesium suarum regimen, seu directionem; neque Metropolitanis fas fuisse in hoc regimine Episcopos turbare; nihilominus Episcopos debuisse agnoscere Metropolitanum tanquam *Caput*, & Superiorem, qui juxta regulas sibi ab Ecclesia præscriptas, vel solus, vel unà cum cæteris Provinciæ Coëpiscopis ipsos delinquentes vel à Canonum præscripto in suæ Diœcesis regimine deflectentes, corrigere & interdum punire posset; eoque sensu Metropolitanus, jam pridem habitus fuit ordinarius admonitor, corrector, & judex suorum Suffraganeorum.

IV. Innocentius III. ad Suffraganeos Arelatensis Metropolitani scribens, ipsum Suffraganeorum *Prælatum* vocat; „quatenus ipsi tanquam *Patri*, inquit, & *Episcopo* animarum ves„trarum devotè studeatis & humiliter *obedire*: ad vocationem „ipsius, nisi evidens necessitas contradicat, secundum tradi„tionem Canonicam sine difficultate qualibet accedentes.“ *Lib.* 1. *Ep.* 466. Et ad Suffraganeos Acheruntinæ (e) scribit: „Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque „præcipimus, quatenus ad eum (Archiepiscopum Acheruntinum) sicut *Patrem* & *Pastorem* pium geratis devotionis res„pectum.“ *Lib.* 2. *Epist.* 159.

V. Indubitatum ergo fuit, quòd Episcopi ad reverentiam, ac obedientiam tenerentur. Unde si Gregorius Felicem in Sardinia Episcopum graviter objurgavit, quòd suo Metropolitano obediens non esset, vindictamque ei, nî obediat, comminatur: „Contristamur, ait, quia superbiæ de te manifestè præbes in„dicium..... hortamur, ut mentis tumore deposito, *Ordinatori* „tuo antedicto Fratri & Coëpiscopo nostro humilem te exhibe„re, ac parere non desinas.“ *Lib.* 4. *Epist.* 10.

VI. Sed nihil est, quod luculentiùs exprimat obedientiam & subjectionem, quàm suis Metropolitanis jam pridem debuêre Episcopi, quàm juramentum, quod in Ordinatione sua præstare debebant, & cujus formula etiamnum in hodierno Pontificali conservatur sub titulo *De scrutinio serotino.*

VII. Sub hoc titulo describitur, quo ritu perageretur examen Episcopi ejusque consecratio à Metropolitano, dum ipsa Episcoporum electio esset penes Canonicos Cathedrales, & confirmatio, & consecratio fiebat à Metropolitano: atque inter alia refertur juramentum ab Ordinario præstandum ipsi Metropolitano sub hac formula. „Ego N. Ecclesiæ N. vocatus Episcopus, „promitto in conspectu omnipotentis Dei, atque totius Eccle„siæ, quòd ab hac hora in antea fidelis & obediens ero perpe„tuo more prædecessorum meorum beato N. sanctæque Eccle„siæ N. *nominando Ecclesiam Metropolitanam*, & vobis D. „meo N. Dei gratia ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo, vestris„que successoribus canonicè intrantibus, prout est à SS. Pa„tribus institutum, & Ecclesiastica ac Rom. Pontificum commen„dat auctoritas. Non ero in consilio, aut consensu, vel in facto „ut vitam perdatis, aut membrum, aut capiamini mala captio„ne. Consilium, quod mihi per vos, aut per litteras, vel per „nuntium credituri estis, ad damnum vestrum, me sciente, „nulli pandam. Vocatus ad Synodum veniam nisi præpeditus „fuero canonica præpeditione. Vos quoque & nuntios vestros, „ac Ecclesiæ N. *nominando Ecclesiam Metropolitanam*, quos cer-

(e) *D' Acerenza dans le Roy aume de Naples.*
Van Espen jur. Eccles. Pars I.

„ certos esse cognovero, in eundo, stando & redeundo, ho-
„ norificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo: posses-
„ siones verò ad mensam mei Episcopatus pertinentes non ven-
„ dam, neque donabo, neque de novo infeudabo, vel ali-
„ quo modo contra jus vel consuetudinem Ecclesiæ meæ alie-
„ nabo, vobis, vel vestris successoribus inconsultis.“

„ *Deinde librum Evangeliorum, quem Metropolitanus coram*
„ *eo apertum super genibus tenebat, Electus ambabus ma-*
„ *nibus supra scripturam tangebat, dicens*:

„ Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.“

VIII. Hanc formulam si quis conferat cum formula juramenti quod Romano Pontifici præstant Episcopi, apparebit, Episcopos eandem penè obedientiam jurâsse Metropolitanis, quam hodie promittunt ipsi Romano Pontifici: atque verissimum esse, quod notavit antiquus Glossographus Juris Canonici, juramentum fidelitatis tantùm præstitum fuisse Romano Pontifici ab Episcopis immediatè Romano Pontifici subjectis, sive qui ad ejus ordinationem spectabant; reliquos verò illud suis Metropolitanis tanquam suis Ordinatoribus præstitisse; uti suprà *Tit.* 15. *c.* 2. observavimus.

IX. Cùm verò circa seculum XIV. confirmatio & consecratio Episcoporum ad Romanum Pontificem cœpit devolvi, atque Romanus Pontifex exclusis Metropolitanis, ordinarius Episcoporum Consecrator constitutus fuit, etiam ipsi soli juramentum obedientiæ, & fidelitatis præstitum est, atque exinde unà cœpit Metropolitanorum in Episcopos Suffraganeos auctoritas nonnihil diminui; eamque hodie non parùm imminutam esse rectè notavit Zypæus in Jure Novo *tit. de Officio Ordinarii n.* 15. & ex infrà dicendis patebit.

CAPUT III.

In quibus causis Metropolitanus sit Judex Ordinarius Episcoporum.

1 *Querelæ Episcoporum juxta Canonum Decreta ad Metropolitanum deferendæ.*
2 *Id etiam locum habebat in prima instantia.*
3 *Etiam per Censuras contra Episcopos procedere possunt Metropolitani.*
4 *Metropolitanus est judex Ordinarius suorum Suffraganeorum.*
5 *Metropolitanorum auctoritatem in causis Episcoporum imminuit Synodus Tridentina.*
6 *Causæ criminales, ubi Episcopi personaliter comparere debent, coram Pontifice celebrandæ.*
7 *Majores causæ criminales Episcoporum à solo Pontifice decidendæ.*
8 *Quando hæ causæ Sedi Apostolicæ sint reservatæ, incertum, fuerunt tamen ante Synodum Tridentinam.*
9 *Quædam circa hæc Decreta Concilii Tridentini à Belgicis Magistratibus in publicatione Concilii observata.*
10 *Mores Belgii non patiuntur, ut Episcopi extra suas Provincias judicentur.*
11 *Debent dari judices* in partibus.
12 *Jus illud est admodùm antiquum.*
13 *Metropolitani in causis civilibus manent judices suorum Suffraganeorum.*
14 *Quid in Belgio obtineat.*
15 *Hodie Episcopi vix in Civilibus coram Metropolitanis conveniuntur.*

I. IN Concilio Carthaginensi III. *Can.* 8. & apud Gratianum 4. *q.* 5. *can.* 1. legitur: „ Quisquis Episcoporum „ accusatur ad *Primatem* Provinciæ ipsius causam deferat ac- „ cusator, nec â communione suspendatur cui crimen inten- „ ditur, nisi ad causam suam dicendam die statuta, Prima- „ tis Litteris evocatus minimè occurrerit.“

Ad intellectum hujus Canonis notandum in Africa *Primates* Provinciarum eosdem fuisse, qui hodie dicuntur *Metropolitani*; adeoque Episcopos accusari apud *Primatem Provinciæ*, est accusari apud *Metropolitanum* Provinciæ.

Indubitatum ergo est apud Africanos, Primates seu Metropolitanos actus judiciarios in Episcopos exercuisse.

Et ex Concilio Toletano III. refertur apud Gratianum 10. *q.* 3. *can.* 6. „ Ut Clerici tam locales, quam Diœcesani, qui „ se ab Episcopo gravari cognoverint, querelas suas ad *Me-* „ *tropolitanum* deferre non differant, & Metropolitanus non „ moretur ejusmodi præsumptiones coërcere.“

II. Patet hîc non de appellationibus sermonem esse, sed de excessibus Episcoporum; quos per modum simplicis querelæ læsi deferant contra Episcopum lædentem ad Metropolitanum tanquam Judicem primarium & ordinarium Episcoporum.

Quod & apertè decidit Concilium Matisconense II. ubi *Can.* 9. habetur: „ Si aliquid contentionis adversus Episco- „ pum potentior persona habuerit, pergat ad Metropolitanum „ Episcopum, & ei causas alleget, & ipsius sit potestatis ho- „ norabiliter Episcopum, de quo agitur, evocare, ut in ejus „ præsentia accusatori respondeat; & oppositas sibi actiones „ extricet. Quòd si talis fuerit immanitas causæ, ut eam so- „ lus Metropolitanus definire non valeat, advocet secum unum, „ vel duos Coëpiscopos. Quòd si & ipsis dubietas fuerit Con- „ ciliabulum definito die, vel tempore instituant, in quo „ universa ritè fraternitas collecta, Coëpiscopi sui causas dis- „ cutiat, & pro merito, aut justificet, aut culpet.“

III. Utque pristina Conciliorum de hac Metropolitanorum in Episcopos ordinaria & judiciali auctoritate Decreta plura omittant, ipse Honorius III. *in Cap.* 52. ¤ *de sent. excom.* Cænomanensem Episcopum à sententia excommunicationis in ipsum per Turonensem Archiepiscopum tanquam suum Metropolitanum latâ ad cautelam tantùm absolvit, ipso Episcopo in præsentia Procuratoris dicti Archiepiscopi præstante corporaliter juramentum, quòd parebit mandatis quæ idem Archiepiscopus sibi propter hoc fecerit; si constiterit ipsum in eo, pro quo fuit lata sententia prædicta, culpabilem esse.

Agnovit proinde Honorius III. in Metropolitano potestatem excommunicandi Episcopum Suffraganeum; quam & in Archiepiscopo Remensi respectu suorum Episcoporum Suffraganeorum supposuit Innocentius IV. in *Cap.* 1. §. *fin. de Offic. Ordin.* in VI.

IV. Hinc uno consensu tradunt Canonistæ de jure communi Metropolitanum esse judicem ordinarium suorum Suffraganeorum; & contra illos per solam querelam, etiam sine appellatione, posse coram Metropolitano induci accusationes; ipsosque Metropolitanos posse quibusque censuris in Suffraganeos ex justa causa agere, apertissimè concedunt. Vide Stephanum Quarantam in summa Bullarii, verbo: *Archiepiscopi auctoritas*, & Panormitanum aliosque veteres Interpretes *ad Cap.* Pastoralis ¤ *de Officio Ordin.*

V. Hanc Metropolitanorum in suos Suffraganeos judiciariam potestatem per Concilium Tridentinum in aliquibus causis, præsertim criminalibus, imminutam, ac immutatam esse rectè advertit Zypæus *loco supra citato.*

VI. Et quidem *Sess.* 13. *cap.* 8. *de Reform.* decretum est: „ Causæ Episcoporum, cùm pro criminis objecti qua- „ litate comparere debeant, *coram Pontifice Maximo* refe- „ rantur, ac per ipsum terminentur.“

VII. Rursus *Sess.* 24. *cap.* 5. *de Reform.* „ Causæ cri- „ minales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quod „ absit, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, ab ipso „ tantùm summo Romano Pontifice cognoscantur & terminen- „ tur. Quod si ejusmodi sit causa, quæ necessario extra Ro- „ manam Curiam sit committenda, nemini prorsus ea com- „ mittatur, nisi Metropolitanis aut Episcopis à Beatissimo Pa- „ pa eligendis. Hæc verò commissio, & specialis sit, & ma- „ nu ipsius Sanctiss. Pontificis signata, nec unquam plus tri- „ buat, quam ut solam facti instructionem summant, pro- „ cessumque conficiant; quem statim ad Romanum Pontifi- „ cem transmittant, reservatâ eidem Sanctissimo sententiâ de- „ finitiva. Cætera aliàs sub fel. rec. Julio III. super his De- „ creta, necnon & constitutio sub Innocentio III. in Con- „ cilio generali, quæ incipit: *Qualiter & quando*: quam sanc- „ ta Synodus in præsenti innovat, ab omnibus observetur. „ Minores verò criminales causæ Episcoporum in Concilio tan- „ tùm Provinciali cognoscantur, & terminentur, vel à de- „ putandis per Concilium Provinciale.“

Hoc itaque Decreto causæ criminales contra Episcopum, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, soli Romano Pontifici, saltem quoad *sententiam definitivam* reservantur; adeò ut in his causis Metropolitani judices Ordinarii Episcoporum non sint.

VIII. Quandonam hæ causæ Sedi Apostolicæ fuerint reservatæ, incertum est; illud satis constat, Episcoporum *depositionem* uti & translationem inter *majores causas* jam dudum ante Synodum Tridentinam fuisse computatas; atque ut tales Sedi Apostolicæ reservatas; uti suprà de translatione Episcoporum ex Innocentio III. ostendimus *tit.* 15. *cap.* 4. & in causa Hæresis contra Episcopum etiam tempore Bonifacii VIII. reservatam fuisse in tantum, ut Inquisitores hæreticæ pravitatis à Sede Apostolica generaliter deputati, non possent de crimine hæresis contra Episcopos inquirere, aut eo pretextu contra eos agere; nisi in litteris commissionis Apostolicæ, quòd hoc possint, contineretur expressè: sed si quos sciverint hoc crimine infectos, aut de illo diffamatos, tenerentur Sedi Apostolicæ nuntiare, colligitur ex *Cap.* 16. *de Hæreticis in VI.*

IX. Cæterum circa hæc Concilii Tridentini Decreta observandum quòd cum præviè ante Concilii publicationem Decreta reformationis missa essent ad Concilia Regia, ut super iis judicium suum „ depromerent, ad *Cap.* 8. *Sess.* 13. spe- „ ciatim Brabantinos observâsse, hac ratione subditos extra pa- „ triam fore trahendos, quod directò adversatur Indulto sum- „ morum Pontificum, Leonis & Clementis, & Constitutionibus

„ suæ

„ suæ Majestatis & Illustrissimorum ejus Prædecessorum, qui „ non sine gravi ac prægnanti causa id concesserunt. Et ad „ *Cap.* 5. *Sess.* 24. Brabantini, Flandri, aliique monuerunt, „ posse Regem inhærere veteri juri & auctoritati suæ, ad „ conservandam securitatem, & tranquilitatem Reipublicæ, & „ subditorum.

X. Neque Belgii Leges, ac privilegia, quæ in promulgatione Concilii Tridentini salva voluit Rex Catholicus, patiuntur, ut subditi præsertim Brabantini, extra Provinciam in jus vocentur, & judicentur: de quo usu sic loquitur Renatus Choppinus de S. P. *lib.* 2. *tit.* 4. *num.* 8. „ In Belgicis Hispa„ ni Regis ditionibus usu receptum est absque pacto convento „ inter Regem & Pontificem, ne causæ Ecclesiasticæ alibi, „ quàm in patriis litigatorum finibus, dirimantur."

XI. De hisce Belgii moribus similiter testatur Guicciardinus in *generali descriptione Belgii* sub finem his verbis: „ Pon„ tifex nullius omnino prætensionis, vel correctionis prætex„ tu, quemquam hominem, sive Ecclesiasticus sit, sive Lai„ cus, evocare potest extra Provinciam. Unde si quid fortè „ occurrat, oportet, ut mittat, vel hic deputet Commissa„ rios, qui de prætensa causa cognoscant."

XII. Profert quoque Antonius Anselmo Jurisconsultus Antuerpiensis in appendice ad suum Commentarium in Edictum perpetuum Principum nostrorum Alberti, & Isabellæ, declarationem Senatus Brabantiæ datam ad instantiam Procuratoris Regii confirmativam hujus privilegii, atque anullativam cujusdam prætensæ citationis factæ de persona Archiepiscopi Mechliniensis & Episcopi Gandensis ad Curiam Romanam.

XIII. Hæc quidem quoad causas criminales: quoad civiles autem nihil à Synodo Tridentina immutatum apparet; adeoque in his juxta jura communia Episcopi suos respectivè Metropolitanos tanquam Judices Ordinarios agnoscere tenentur; nisi privilegio exemptionis suffulti, immediatè Sedi Apostolicæ sint subjecti.

XIV. Porrò in Concordatis initis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem an. 1541. *tit.* 3. *art.* 7. conventum est, „ Abbates, Abbatissæ, & alii de Statibus Brabantiæ exis„ tentes, juri stabunt activè & passivè coram judicibus illis, „ coram quibus, de antiqua consuetudine, stare juri consue„ verunt." scilicet (uti monet Zypæus in Jure novo *tit. de Foro competenti n.* 2.) coram Duce seu ejus „ Consilio Bra„ bantiæ qui in hoc Ducatu est supremus Senatus: prout pas„ sim praxis induxit, ut Prælati, ac Collegia Ecclesiastica co„ ram Principum Consiliis conveniantur, & alios eò trahant." Hæc Zypæus *loco citato.*

XV. Et tametsi ea jurisdictio Regia non sit privativa, & exclusiva jurisdictionis ecclesiasticæ, quemadmodum monet Zypæus, rarissimè tamen videmus Episcopos in Belgio coram alio, quàm Regiis Senatibus in causis civilibus juri stare: adeò ut Metropolitanorum jurisdictio in his causis respecto Episcoporum Suffraganeorum penè nulla sit.

CAPUT IV.

Quam auctoritatem Metropolitani hodie habeant in Diœcesi suorum Suffraganeorum.

1 *Episcopi habent liberam suæ Diœcesis administrationem.*
2 *Metropolitanus nullam habent immediatam jurisdictionem in subditos suorum Sffraganeorum.*
3 *Quâ ratione Metropolitanus sit Judex totius Provinciæ.*
4 *Metropolitani auctoritas se non extendit à Diœceses Suffraganeorum, nisi in ipsorum defectu.*
5 *Metropolitani de jure communi Diœceses suorum Suffraganeorum visitare possunt.*
6 *Hæc auctoritas per Synodum Trid. restricta.*
7 *Hodie Metropolitani non visitant Diœceses Suffraganeorum, & quare.*
8 *Suffraganei ad Ecclesiam Metropolitanam accedere debebant; sed Synodus Trid. necessitatem illam limitavit.*
9 *Quomodo intelligendum Decretum Concilii Trid.*
10 *Metropolitani etiam hodie manent Superiores suorum Suffraganeorum.*
11 *Causæ à Suffraganeis per appellationem devolvuntur ad Metropolitanum tanquam Superiorem.*
12 *Ex sola negligentia Suffraganeorum etiam ad Metropolitanum transeunt.*
13 *Auctoritatem Metropolitanorum in Diœceses Suffraganeorum rectè explicat Gratianus.*
14 *Auctoritatem Metropolitanorum in supplendis defectibus Suffraganeorum agnovit Synodus Tridentina.*
15 *Super defectu in officio Episcopali Suffraganeos suos monere debent Metropolitani; eosque corrigere.*

I. EPiscopis singulis suam esse attributam Diœcesim, ut illam pleno jure regant, supra *tit.* 15. *cap.* 3. ostendimus ita ut nullus Prælatus sine ejus consensu actum aliquem vel minimum jurisdictionis præcipuè in ejus subditos exercere, aut Pontificalibus in ejus Diœcesi uti queat. Nam, ut ait Canon IX. Antiochenus: „ Unumquemque Episcopum opor„ tet habere suæ Diœcesis potestatem, & administrare pro „ unicuique conveniente religione, & totius regionis curam age„ re, quæ suæ urbi subest."

II. Et licèt Metropolitanus seu Archiepiscopus aliquam in Suffraganeos jurisdictionem & superioritatem habeat, nullam tamen *immediatam* in subditos Suffraganeorum ejusque Diœcesim habere, expeditum est.

III. Hinc communiter tradunt Canonistæ, quòd Metropolitanus quidem sit Judex totius Provinciæ tanquam habens jurisdictionem Archiepiscopalem; non tamen tanquam habens jurisdictionem Episcopalem seu ordinariam in totam Provinciam, seu singulas ejus Diœceses.

Jurisdictio verò Archiepiscopalis tantummodò se extendit ad ipsos Suffraganeos Episcopos, nequaquam autem in eorum subditos, nisi *mediatè*; quatenus nimirum Suffraganeorum negligentia sive defectus esset supplendus, aut eorum procedendi modus corrigendus.

IV. Quapropter Metropolitanorum auctoritas in Diœceses Suffraganeorum se non extendit, nisi ipsi Episcopi à Sacris Canonibus deflectant, aut in eorum executione sint defectuosi; adeo ut de Metropolitanis dici queat, quod de Sede Apostolica dixit S. Gregorius *Lib.* 7. *Epist.* 64. *ind.* 4. „ Si qua culpa in „ Episcopis invenitur, nescio quis Sedi Apostolicæ Episcopus „ subjectus non sit: cùm verò culpa non exigit, omnes secun„ dum rationem humilitatis æquales sunt."

Itaque Metropolitanus nullam quidem ordinariam & Episcopalem auctoritatem habet, aut exercere potest in Diœcesibus suorum Suffraganeorum; attamen Archiepiscopalem eatenus obtinet, ut in Suffraganeorum defectus inquirere, eosque corrigere ac supplere possit.

V. Hac de causa Metropolitanus jure communi potest per totam Provinciam, vel ejus partem visitationis officium „ exer„ cere, Civitates, Diœceses, Suffraganeos suos & eorum sub„ ditos Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum Capitula & Mo„ nasteria, Ecclesias, & alia religiosa & pia loca, Cleros & „ populos liberè visitando, ac procurationes à locis tantùm „ recipere visitatis." Prout latè describitur *in cap.* 1. *de Censibus in* VI.

VI. At Synodus Tridentina etiam in hoc articulo Metropolitanorum auctoritate nonnihil limitavit, decernendo *Sess.* 24. *cap.* 3. *de Reform.* ut à Metropolitanis, etiam post plenè visitatam propriam Diœcesim, non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque Diœceses suorum Comprovincialium *nisi causâ cognitâ & probata in Concilio Provinciali.*

VII. Cùm verò hodie rarissimè habeantur Concilia Provincialia, ac insuper illa ex pluribus Episcopis Comprovincialibus, (qui visitationem suarum Diœcesium à Metropolitano fieri haud optant) & uno duntaxat Metropolitano constent, etiam Metropolitanorum hæc visitatio in desuetudinem abiit, nec facilè stante hoc Decreto obtinebitur: neque hodie videmus per Metropolitanos visitationem Provinciæ fieri.

VIII. Insuper Metropolitani tanquam Superiores Suffraganeorum poterant ad se vocare suos Suffraganeos; atque in multis Ecclesiis consuetudine invaluerat, quòd Suffraganei ad suos Metropolitanos statutis temporibus accedere tenerentur: at hîc rursus Tridentina Episcopis subvenit statuens: „ Ne Episcopi „ Comprovinciales prætextu cujuslibet consuetudinis ad Metro„ politanam Ecclesiam imposterum accedere inviti compellan„ tur." *Sess.* 24. *cap.* 2. *de Ref.*

IX. Hîc de personali duntaxat accessu sermonem esse, aliquando censuerat S. Congregatio Concilii Tridentini interpres, at postmodum de eadem re maturiùs deliberans, censuit, Concilium liberâsse suffraganeos etiam ab onere mittendi procuratorem, non obstante contrariâ consuetudine etiam immemoriali. Ita Fagnanus ad cap. QUONIAM ✠ *de Constit. n.* 57. qui insuper *ad cap.* SI ARCHIEPISCOPUS, *de temp. ord.* credit, Concilium non exemisse Episcopos Comprovinciales ab obligatione accedendi ad Ecclesiam Metropolitanam, quæ ex jure communi profluit; sed tantùm ab ea, quæ ex particularibus consuetudinibus, quibus Episcopi nimiùm gravabantur, profluebat; quas tanquam abusus & corruptelas Concilium sustulisse, sacram Congregationem declarâsse testatur; adeoque ex sententia Sacræ Congregationis de subjectione Episcoporum Comprovincialium respectu Metropolitani Synodus Tridentina hoc suo Decreto nihil detraxit, quod jure communi erat introductum aut probatum.

Si tamen Palavicino *Lib.* 23. *hist. Conc. Trid. lib.* 10. *n.* 2. credimus, sententia Patrum fuit, ut Episcopi Suffraganei solverentur ab obligatione adeundi Metropolitanorum Sedes, exceptâ Synodi convocatione.

X. Quidquid sit de hujus Decreti sensu, hoc imprimis constat, eam ad Ecclesiam Metropolitanam accedendi consuetudinem, de qua Synodus, passim in desuetudinem abiisse.

Ad

Ad hæc certum similiter est, Metropolitanos etiamnum hodiè post Synodum Tridentinam esse Suffraganeorum suorum Superiores; eisque Suffraganeos esse subjectos, nisi probent se particulari jure, aut privilegio esse exemptos.

XI. Hoc ex capite per legitimam appellationem etiamnum hodie causæ totius Provinciæ immediatè à suffraganeis aut eorum Officialibus devolvuntur ad Metropolitanum tanquam *immediatum* Superiorem: de quo Jure latiùs *part. 3. tit. de Appellationibus.*

XII. Eodem ex capite non tantùm per appellationem, sed etiam ex sola negligentia Episcoporum, causæ Subditorum totius Provinciæ ad Metropolitanum devolvuntur, ut ipse tanquam Superior negligentiam eorum suppleat; juxta illud Hilarii Papæ jam pridem ad Ascanium Metropolitanum: „Tuæ solicitu„dinis est, Frater charissime, omnia debita tibi auctoritate „tueri; & illicitis non modò non præbere assensum, sed etiam „cuncta, quæ contra regulam facta reperis, coërcere:" scilicèt per totam Provinciam, ubi Episcopi muneri suo deessent; de quo apertè ipsa Epistola loquitur, quæ extat tomo 4. Conciliorum generalium, *col.* 1037.

XIII. Auctoritatem hanc Metropolitanorum optimè explicat Gratianus, postquam enim aliquot collegit Canones, quibus Metropolitanus monetur, ne se ingerat in regimine Ecclesiarum suorum suffraganeorum, subjungit; „Sed aliud est, quod ex „temeritate præsumitur assumptionis: aliud, quod ex necessita„te geritur charitatis. Cùm Suffraganei Archiepiscoporum sub„ditis suis ad malum favere cœperint, atque circa eorum cor„rectiones negligentes extiterint, tunc licet Metropolitanis præ„ter illorum voluntatem, & ligandos damnare, & reconcilian„dos absolvere. Cùm verò Episcopi zelo divinæ charitatis ac„censi, bonos verbo & exemplo ædificant, & malorum vitia „asperâ increpatione redarguunt, absque talium consilio non li„cet Metropolitanis in eorum Parochia, aliquid agere, vel dis„ponere. Unde in fine capituli Martini Papæ non simpliciter „dictum est (*nihil agat*) sed cum determinatione (*nihil præ„sumptivè assumat absque eorum consilio*) ut vitium præsump„tionis videatur improbatum, non officium charitatis. Sic & „Apostolus, quia Corinthios videt negligentes circa correctio„nem fornicatoris, suâ auctoritate illum damnavit. Joannes ve„rò, quia Episcopum Ephesiorum vidit paratum ad corrigen„da vitia subditorum, sine ejus auctoritate illos corrigere no„luit; sed illum tantùm de eorum correctione admonuit." *Caus. 9. quæst. 3.* in fine.

XIV. Hanc auctoritatem in Metropolitanis agnoscens Synodus Tridentina voluit, ut „si Cathedralium, & aliarum majo„rum Ecclesiarum Prælati in Seminarii erectione, ejusque con„tributione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere de„trectaverint; Episcopum Archiepiscopus, Archiepiscopum & „Superiores Synodus Provincialis acriter corripere & ad supra„dicta cogere debeat." *Sess. 23. cap. 18. de Reform.*

XV. Manent ergo Metropolitani Suffraganeorum Superiores, atque per totam Provinciam Metropoliticam auctoritatem retinent, ut Suffraganeorum defectus suppleant, eosque officii sui admoneant, atque etiam ad ea, quæ sui muneris sunt, exequenda cogant. Quare etiamnum hodiè si Metropolitani videant Suffraganeos negligentes in instructione populi, etiam ipsos non tantùm monere, sed cogere possunt, & debent, juxta illud Concilii Toletani XI. *Can. 2.* „Insistendum ergo semper erit „majoribus, ut quos sub regiminis sui cura tuentur, fame Ver„bi Dei perire non sinant. Sic Metropolitanis in confinitimos, „cæterosque Ecclesiasticis ordinibus dedi[illegible]s; sic confinitimis „in commisso sibi religiosorum numero vigilandum est, qualiter „nescientia talium divinæ legis traditionibus imbuatur."

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT IV.

Auctoritas metropolitanorum in diœcesi suorum Suffraganeorum adhuc perpenditur.

1 *Quomodo Episcopus Romanus in Ecclesiis suburbicariis jus Metropoliticum exercuit.*
2 *Qua occasione auctoritas supplendi defectus Episcoporum ad Metropolitanos devoluta.*
3 *Jus Metropolitani in Episcopos Suffraganeos videtur profluxisse ex officio charitatis.*

* I. SUperiore capite num. III. observatum est Metropolitanos non posse ullam immediatam Episcopalem jurisdictionem exercere in Diœcesibus suorum Suffraganeorum. Et id quidem jam pridem adeò religiosè servatum fuit, ut nec Romanus Episcopus, licèt non tantùm jure Metropolitico, & Patriarchali, sed & jure Primatûs gauderet, nequaquam tamen primis ut minùs octo seculis jurisdictionem Episcopalem exercere prætendebat in Ecclesiis jure Metropolitico, sive Exarchico sibi subjectis: nec eam exercuisse legitur, sed singulis Episcopis juxta Canones præsertim Antiochenos, integrum atque in solidum Ecclesiarum regimen permittebat, & conservabat. Probat & id liber Diurnus, quem edidit Joannes Garnerius, in quo nihil occurrit eorum, quæ in Ecclesiis suburbicariis Episcopus Romanus exerceret præter jura Metropolitica, qualia etiam cæteri Metropolitani in suis respectivè Ecclesiis sibi jure Metropolitico subjectis juxta Canones exercebant.

II. Quantumvis à primis Ecclesiæ seculis singulis Episcopis sua fuerit assignata Diœcesis, sive portio Dominici gregis, quam singuli regant & gubernent, nihilominus omnes & singulos tanquam membra unius universalis Ecclesiæ, & operarios in vinea Domini etiam reliquis Ecclesiis, ubi necessitas vel charitas exegerit, succurere debere, suprà in nota *ad cap. 3. tit. 16. de Cura Episcopali*, pluribus ostendimus, atque hoc titulo sanctissimos quosque, & zelosissimos Episcopos eam curam aliis Ecclesiis impendisse notavimus.

Verùm nec hoc negari potest, quin hoc charitatis officium Episcopi, quin locorum vicinitatem arctiori sibi vinculo uniuntur, etiam sibi mutuo hoc speciali titulo meritò impendant.

Insuper & hoc scitur, quod error, aut abusus, ob vicinitatem locorum facilè propagetur, atque idcircò Episcopi meritò soliciti sint, ut error aut abusus in vicina Ecclesia exortus, aut in eam irrepens supprimatur.

Hoc indubiè fundamento primùm consuetudine inductum, ac dein sanctis Canonibus firmatum fuit, ut divisis Provinciis, Episcopi ejusdem Provinciæ super singulos Episcopos Provinciæ specialiter invigilarent, eorumque negligentiam supplerent, & corrigerent, quin & eorum graviores excessus etiam punirent.

Ut autem hæc exactius, ac majore auctoritate peragerentur, primùm consuetudine invaluit, ac dein Canonibus firmatum, ut Episcopi singularum Provinciarum certis temporibus convenirent, atque in communi de excessibus Episcoporum, & aliis ad rectum Ecclesiarum regimen spectantibus tractarent.

Hanc Synodorum Provincialium auctoritatem in corrigendis Episcoporum excessibus, & defectibus patenter agnovit Synodus Nicæna; quæ & eum in finem bis in anno has habendas decrevit, uti latiùs titulo sequenti ostendetur.

Verùm, quemadmodum labentibus seculis ob difficultatem toties in Synodum conveniendi, confirmatio & ordinatio Episcoporum ad solum Metropolitanum ut Synodi Caput devoluta est; ita eâdem ratione sensim ad Metropolitanum devolvi cœpit auctoritas defectus Episcoporum Suffraganeorum supplendi & corrigendi: atque inde natum jus appellandi ab Episcopo ad Metropolitanum.

III. Itaque jus Metropolitani in Episcopos Suffraganeos, ejusque superioritas primitùs videtur profluxisse ex officio charitatis, quòd omnes & singuli Episcopi, tanquam unius corporis membra, & Sacerdotii Christi participes, ex quodam charitatis officio omnibus Ecclesiæ membris & partibus impendere jubentur; sed ad confusionem vitandam, & ordinem debitum servandum, primùm ad Episcopos singularum Provinciarum Synodum Provincialem componentes, ac demum ad ipsos Metropolitanos, tanquam Synodorum Præsides, & Provinciarum Primates, devolutum fuit.

Igitur, sicuti hoc charitatis officium ab Episcopis minimè erat aliis Ecclesiis impendendum, sed integrè & in solidum permittendum erat singulis Episcopis suam respectivè Ecclesiam regere, nisi à fide, aut sanctis Canonibus, & Ecclesiæ institutis reperirentur deviare; ita quoque omne jus Metropolitanorum, ac Primatum in suos Episcopos Suffraganeos cessat, omnesque in regimine suarum Ecclesiarum æquales reputandi sunt; nullusque inter eos superior cum auctoritate impetrandi aut præcipiendi reperitur, ubi ipsi in Ecclesiastico regimine defectuosi non reperiuntur, vel ut tales non deferuntur; ut consequenter illud S. Gregorii relatum hîc applicari queat. „Si quæ culpa in Episcopis invenitur, nescio „quis Sedi Apostolicæ Episcopus subjectus non sit, cùm ve„rò culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis „æquales sunt."

CAPUT V.

De pallio et Cruce Archiepiscopali.

1 *Inter ornamenta Pontificalia* Pallium *proprium est Metropolitanis.*
2 *Ejus antiquitas non sufficienter astruitur ex Decreto* Donationis *Constantini: neque ex libro Pontificali.*
3 *Tempore S. Gregorii & Justiniani Imp. notus usus Pallii.*
4 *Multa circa Pallium apud antiquos obscura.*
5 *Forma Pallii ex Innocentio III.*
6 *Quid huic formæ additum.*
7 *Ex qua lana conficiantur Pallia; & quomodo agni ad hoc specialiter offerantur.*

Quo-

8 *Quomodo Pallia benedicantur.*
9 *Quare dicantur sumpta de* corpore Beati Petri.
10 *A solo Pontifice hodie dantur.*
11 *Quomodo peti debeant.*
12 *Qua forma petentibus dentur.*
13 *Etiam ad absentes mittuntur ; & quomodo eis imponantur.*
14 *Qua ratione per Pallium dicatur dari Pontificalis officii plenitudo.*
15 *Quæ restrictio quoad loca & tempora in datione Pallii addi soleat.*
16 *Pallium est merè personale.*
17 *Ademptio Pallii est signum exauctorationis.*
18 *De Cruce Archiepiscopali.*

I. PRæter ornamenta Pontificalia omnibus Episcopis communia, est unum admodum famosum ipsis Metropolitanis, sive Archiepiscopis proprium ; nec ullis Episcopis, saltem in Ecclesia Latina juxta modernam disciplinam commune, nisi speciali privilegio Sedis Apostolicæ eis indultum sit; dicitur ornamentum illud apud Latinos *Pallium* ; de cujus usu & auctoritate specialis habetur titulus in Decretalibus Gregorii IX.

Quando, & quomodò usus illius ornamenti incœperit, sat obscurum est, sive Græcam, sive Latinam Ecclesiam spectemus.

II. Si Decretum illud *Donationis* vulgò Constantini, cujus fragmentum refertur à Gratiano *dist.* 96. *Can.* 14. fide certâ subsisteret, facilè probaretur à Constantini dono ornamentum illud initium accepisse ; at cum eruditis hodie sufficienter persuasum sit, Decretum illud posteriori ætate fabricatum esse, frustra initia illius ex illo astruere pretenderemus.

Meminit quoque ornamenti hujus liber Pontificalis, qui sub nomine Damasi circumfertur, in quo de *Pallii usu* vivente adhuc Constantino M. sermo est ; ita enim de S. Marco Papa loquitur. „ Hic constituit, ut Episcopus Ostiensis, qui „ consecrat Episcopos Urbis, tunc *Pallio* uteretur, & ab eo„ dem Urbis Episcopo consecraretur.“

Sed quam parva huic libro fides danda sit pariter eruditis notum ; ut proinde nec hujus testimonio certa de vetustate Pallii fides haberi queat.

III. Illud equidem certum, tempore S. Gregorii, & Justiniani Imperatoris, tam in Ecclesia Latina quàm Græca usum Pallii fuisse ; uti ex illius epistolis (quarum plura fragmenta extant apud Gratianum *dist.* 100.) atque hujus novellis Constitutionibus est manifestum.

IV. A quibus verò antiquitùs sive in Ecclesia Latina sive Græca tradita fuerunt, quibus concessa, quæ eorum forma, materia & usus, multùm obscurum est, eaque pluribus discutit Ludovicus Thomassinus in opere suo de *Disciplina Ecclesiastica* : quem curiosus Lector consulere poterit : nobis sufficiet breviter modernam disciplinam proponere.

V. Formam *Pallii* ita describit Innocentius III. *Lib.* 1. *Myster. Missæ*, *cap.* 63. „ Pallium fit, ait, de candida lanâ „ contextum, habet desuper circulum humeros constringen„ tem, & duas lineas sive fascias ex eodem panno ab utraque „ parte dependentes : quatuor autem Cruces purpureas, antè „ & retrò, à dextris & sinistris : sed à sinistris Pallium est „ duplex, simplex à dextris ; cui in tres partes conciso tres „ acus infiguntur (spinas vocant alii) quibus consuitur.

VI. „ Atque ex his Innocentii verbis habemus (inquit Ni„ colaus De Bralion Præsbyter Oratorii in sua particulari de „ *Pallio* Dissertatione *cap.* 3.) fidelem & exactam formæ sacri „ Pallii delineationem, etiam ut nunc est, hoc excepto, quòd „ habet nunc sex cruces ex serico insertas (additis duabus, „ paucis, ut opinor, adhinc annis) quatuor scilicet in circulo, „ nempè antè, & retro, à dextris, & à sinistris : & præterea „ unam in medio utriusque lineæ, & quòd cruces intextas „ quas dicit esse purpureas, recentiores quidam Canonistæ scri„ bant esse nigras, & re verà nigræ apparent, non solùm in „ Palliis quibus nunc utuntur Archiepiscopi, sed in illo anti„ quissimo quo utebatur Stephanus III. Papa, qui sedebat an„ no septingentesimo quinquagesimo, quodque ipse reliquit „ apud D. Dionysii Basilicam, Mausoleis Regum Christianissi„ morum celebrem, ubi adhuc ostenditur.“

Porrò juxta modernum usum, Pallia conficiuntur ex lana agnorum, prius in Missa solemni in Ecclesia Sanctæ Agnetis extra muros Urbis, die ejus cultui dicato, oblatorum.

VII. Quâ autem formâ hi agni offerantur, & eum in finem à Pontifice benedicantur, ac postmodum educantur, describit De Bralion.

Subdiaconi Apostolici, seu Ministri Ecclesiastici Papæ, qui quidem quinque numero sunt, procurant, ut die Festo Sanctæ Agnetis, qui est 21. Januarii, habeantur duo candidissimi agni, qui ponuntur supra equum hinc inde in duobus cistellis, in ejus Ecclesiam portandi. Consuetudo autem est, ut conductor primùm cum his transeat per plateam Sancti Petri ante Palatium Vaticanum Papæ, qui à fenestra, manu eos benedicit. De hinc verò per mediam urbem eos defert ad præfatam Ecclesiam Sanctæ Agnetis, in qua ejus sanctum corpus religiosè asservatur, & collitur, ubi in Missa solemni, cum perventum est ad *Agnus* Dei, offeruntur à Religiosis hujus Ecclesiæ, qui nunc sunt Canonici Regulares Congregationis Sancti Salvatoris, deinde traduntur duobus Canonicis Basilicæ Lateranensis Sancti Joannis, quæ est Cathedralis Papæ, à quibus eorum cura committitur dictis Subdiaconis Apostolicis, qui primùm eos in pascuis quibusdam particularibus ad tempus servant, deinde eorum lanam à certis Monialibus in filum duci curant, ex quo filo, adhibito tamen alio ex ordinaria lana, cùm ista non sufficiat, vel ipsi, vel illæ Moniales fasciolas, eas lanas intertexendo, conficiunt, & ex iis Pallia, postea benedicenda apud Sanctum Petrum.

Hæc Benedictio Palliorum non fit singulis annis, sed rariùs prout necessitas mittendorum Palliorum exigit : & fit non in Altari majori Sancti Petri, quod cernitur in medio superioris partis Ecclesiæ, sed in alio inferioris partis, quod est sub isto, & ideò sepulturæ S. Petri viciniori. Facta demum benedictione, relinquuntur Pallia unâ nocte super altare sepulturæ S. Petri ; deinde reconduntur in capsula, seu arcula parva, quæ ponitur & asservatur supra Cathedram S. Petri, in qua primùm Romæ sedit.

IX. Hîc intelligitur, cur dicat Paschalis II. in *cap.* 4. ✠ *de Elect.* scribens Panormitano Archiepiscopo, & loquens de Pallio : insignia hæc dignitatis *à Beati Petri tantùm* CORPORE *assumi* : quia scilicet, „ Pallium benedicitur & consecratur à „ Papa super altare Beati Petri, & ibi ponitur (uti notat Glos„ sa) & ille, qui debet uti Pallio, recipit ipsum de altari, si „ est præsens, vel alius pro ipso, si est absens, & sic assu„ mitur de *Corpore* B. Petri.“

X. Cùm Pallium de Corpore B. Petri assumi debeat, etiam à solo Rom. Pontifice dari potest.

Scribit Will. Tyrius *lib.* 15. *cap.* 13. Radulphum Patriarcham Antiochenum, Romanæ Ecclesiæ subjacere dedignantem, quòd diceret, utramque *Petri* esse Cathedram, suamque quasi primogenitæ insignem prærogativâ, Pallium de Altari *Antiochenæ* Ecclesiæ suâ sibi sumpsisse auctoritate : sed postmodum eo resignato, aliud ei sumptum de Corpore Beati Petri more solemni per priorem Diaconorum traditum. Ita refert Du Cange in Glossario, verbo *Pallium.*

Et quidem ita propria fuit seculo XIII. Pontifice Romano concessio Pallii, ut illud Patriarchæ Constantinopolitano Innocentius III. dederit ; atque insuper potestatem ei fecerit, illud auctoritate Apostolica Metropolitanis sibi subjectis concedendi. Extat charta concessionis in Actis dicti Pontificis editis à Bosqueto *pag.* 102. quod postmodum privilegium datum fuit omnibus quatuor Patriarchis ab eodem Pontifice, & refertur in *Cap.* 23. ✠ *de Privilegiis.*

Possunt itaque hodie Patriarchæ quidem concedere Pallium Metropolitanis ; modo tamen ipsi priùs illud à Pontifice Romano acceperint.

XI. Itaque verum est juxta modernum stylum, illud à solo Romano Pontifice proficisci ; illudque peti debet cum *instantia* juxta illud S. Gregorii apud Gratianum *dist.* 100. *Can.* 2. „ Prisca consuetudo obtinuit, ut honor Pallii, nisi „ exigentibus meritis & *fortiter postulantibus* dari non de„ beat.“

Quapropter Archiepiscopi Romæ præsentes per seipsos, vel etiam procuratores absentium petunt à Summo Pontifice in Consistorio suum Pallium, idque juxta formam petitionis *instanter*, *instantius*, & *instantissimè*. Papa autem petitioni annuens committit priori Diaconorum Cardinalium ut illud det, quod fit sequenti modo.

Statutâ die Prælatus Pallium recepturus, si est præsens, vel ejus procurator in ejus absentia, cum speciali mandato venit ad locum destinatum, qui sæpe est Capella Palatii ipsius Cardinalis Diaconi : aliquando tamen datur Pallium in ipsa Ecclesia Principis Apostolorum Sancti Petri, & ad altare majus. Adest ipse Cardinalis cum suis Capellanis, ac etiam unus ex Subdiaconis Apostolicis, quibus, ut diximus, cura Palliorum committitur, qui Pallium extendit in medio Altaris, & Prælatus indutus planeta super Rochetum, genuflexus ante Cardinalem, qui stat in cornu dextro Altaris, scilicet à parte in qua legitur Evangelium in Missa, petit sacrum Pallium hac formula.

„ Ego N. Electus Ecclesiæ N. instanter, instantiùs, & „ instantissimè peto mihi tradi & assignari Pallium de corpore „ Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis Officii.“

XII. Quâ autem formâ tradatur, sive præsenti sive procuratori absentis, his verbis describit De Bralion *in citata dissertatione*, *cap.* 12. „ Tum Cardinalis, ait, accipit Pallium de „ altari, & imponit illud super humeros Prælati genuflexi „ dicens.“

„ Ad honorem Omnipotentis Dei, & B. Mariæ semper Vir„ ginis, atque BB. Apostolorum Petri, & Pauli, nec non Ec„ cle-

„ clesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de corpore „ B. Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii, „ cum Patriarchalis, vel Archiepiscopalis nominis appellatione, „ ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis."

XIII. Olim quidem nonnisi Romam & ad Limina Apostolorum venientibus Pallium dari solebat; idque auctoritate Pontificum suorum Antecessorum decretum fuisse scribit ad Brunonem Episcopum Veronensem Gregorius VII. „ Quam uti„ que dilectionem tuam in his, quæ à nobis expostulasti, id „ est, in Pallii concessione, ad præsens non recompensamus, „ quia Antecessorum nostrorum decrevit auctoritas, nisi præ„ senti personæ Pallium non esse concedendum. Unde si Fra„ ternitas tua Apostolicæ Sedis privilegiis munita ad nos vene„ rit, honorem, quem Romani Pontifices Antecessoribus tuis „ contulerunt, nos tibi, Deo concedente, conferemus."

Circa idem tempus Lanfranco electo Archiepiscopo Cataariensi Hildebrandus Archidiaconus Romanus scripsit, quòd ipsi missum fuisset Pallium, si vel uno exemplo ostendi potuisset, quòd absenti Pallium fuisset missum: *Si alicui Archiepiscoporum vestris temporibus hoc concessum fuisse vidissemus.* Ep. 6. inter Epistolas Lanfranci.

Eandem disciplinam asserit Petrus Damiani *lib.* 7. *ep.* 4. ubi tamen admittit, Pallium à Romanis Pontificibus ad plurima loca sæpè per Nuntios fuisse transmissum; sed respondet: quia tunc temporibus Legati Romanæ Ecclesiæ vice Papæ fungebantur, per Provincias constituti: illi igitur eos, qui ad Episcopatus apicem promovebantur, examinabant, sicque Pallium ab Apostolica Sede per Nuntios accipiebant. Quod nonnullis ibidem ex S. Gregorio adductis exemplis astruit, ac deinde adducit Decretalem quandam sub nomine Damasi Papæ, quæ privat Metropolitanos sua dignitate, qui ultra tres menses post ordinationem suam Romano Pontifici fidem suam exponere, & Pallium flagitare distulerint: quam Decretalem sub nomine Pelagii retulit Gratianus *dist.* 100. *canon.* 1. Eam verò nequaquam Damasi esse, aut Pelagii, sed unam ex fœtidis mercibus Isidori Mercatoris, jam nôrunt Eruditi. Ex hac tamen Decretali originem sumpsisse disciplinam non mittendi Pallium ad absentes, valdè verisimile est, uti notat Ludovicus Thomassinus *de Discipl. Eccles. part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 38. ut proinde mirum non sit, disciplinam tam infirmo nixam fundamento in desuetudinem jam pridem abiisse; maximè accedente difficultate accedendi personaliter ad Limina Apostolorum, quare nec in Decretalibus Gregorii IX. ullum reperitur hujus disciplinæ vestigium. Hodie per Procuratores peti consuevit, & ad Provincias mittitur, atque alicui Episcopo sive Pontifici illud Metropolitano imponendi cura mandatur. Hic verò ex præscripto Pontificalis Romani statuta die cum Electo convenit in Ecclesia sua, si commodè fieri potest, vel alia Ecclesia suæ Diœcesis, vel Provinciæ magis commoda, in qua Missarum solemnia peraguntur. Et facta communione per celebrantem, Pallium reponitur supra medium Altaris extensum, & serico in quo involutum portatum fuit, coopertum: deinde peractis Missarum solemniis, ac per Electum fidelitatis „ *Juramento* „ *præstito*, (de quo infrà) *Pontifex* (sive Episcopus) *surgit* „ *cum mitra, & Pallium de Altari accipit, & illud super* „ *humeros Electi adhuc ante se genuflexi imponit, dicens*:

„ Ad honorem Omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ sem„ per virginis, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, Do„ mini nostri N. Papæ N. & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nec„ non Ecclesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de „ corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Ponti„ ficalis officii, cum Patriarchalis (*vel* Archiepiscopalis) no„ minis appellatione, ut utaris eo intra Ecclesiam tuam cer„ tis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica „ Sede concessis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sanc„ ti. Amen.

XIV. Quod autem dicitur, in *Pallio* contineri *plenitudinem Pontificalis officii cum Archiepiscopalis nominis appellatione*, reperitur quoque in *cap.* 3. ✠ *de Usu & auctor. Pallii.* Id tamen nequaquam hoc sensu accipiendum est, quasi ipsum Pallium aliquam revera Ordinis potestatem ipsi Consecrato tribueret, cùm sit merum externum aliquod ornamentum, sed quod ante illius receptionem ex jure merè positivo, seu consuetudine jam recepta, Metropolitani, nec suas functiones obire, nec nomen Archiepiscopi assumere queant: quæ disciplina, quo præcisè tempore invaluerit, incertum est, videtur autem tempore Concilii VIII. Œcumenici saltem in Oriente fuisse nota & ex Oriente ad Latinam Ecclesiam transiisse. Quidquid sit, certum est, quod hodie Metropolitani ante receptum Pallium, nec Synodos celebrare, nec Episcopos consecrare valeant; quin imo neque sacros Ordines conferre, neque Chrisma conficere, nec dedicare Basilicas, quamvis ea Episcopi consecrati sine Pallio possint: *Cum* (ait Innocentius III. *in cap.* 28. ✠ *de Elect.*) *id non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videatur.*

XV. Cùm verò Pallium designet *plenitudinem Pontificalis Officii*, atque inter Pontificalia ornamenta præcipuum sit, facile hinc deducitur, quòd illo in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii uti non possit, cùm nec hîc Pontificalibus uti ei permissum sit: at ipsius Pallii usus restrictior est quàm Pontificalium. Nam in ipsa datione Pallii dicitur: *Tradimus tibi Pallium, ut eo intra Ecclesiam tuam utaris.* Quod „ ita „ intelligitur (ait Pontifex in *cap.* 1. ✠ *de Auctoritate & usu* „ *Pallii*) videlicet intra quamlibet Ecclesiam Provinciæ tibi „ commissæ. Si verò sacris indutum vestibus Ecclesiam pro„ cessionaliter, vel alio modo exire contigerit, tunc tuo Pal„ lio minimè uti debes."

In hoc igitur restrictior est usus Pallii, quàm Pontificalium, quòd his etiam extra suam Ecclesiam materialem uti queat, non autem Pallio.

Quod verò permittatur intra quamlibet Ecclesiam Provinciæ sibi commissæ Pallio uti, id nequaquam usum Pallii extensiorem facit, quàm Pontificalium: quia ante Concilium Tridentinum, etiam usus Pontificalium Metropolitano intra quamlibet Ecclesiam Provinciæ sibi commissæ licitus erat. Synodus verò Tridentina usum Pontificalium in aliena Diœcesi sine consensu Ordinarii inhibens, etiam usum Pallii inhibuisse censenda est.

Adhæc non tantùm quoad loca, sed & tempora usus Pallii, juxta jus commune & hodiernum restringitur: asseritque Innocentius III. in *cap.* 4. ✠ *de Auctoritate & usu Pallii*, quòd solus Romanus Pontifex in Missarum solemnis Pallio semper utatur & ubique. „ Quoniam, ait, assumptus est in ple„ nitudinem ecclesiasticæ potestatis, quæ per Pallium signi„ ficatur. Alii autem eo, nec semper, nec ubique, sed in „ Ecclesia sua, in qua jurisdictionem ecclesiasticam accepe„ runt, certis debent uti diebus. Quoniam vocati sunt in par„ tem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis."

Qui autem sint illi dies & tempora, quibus aliis Metropolitanis, aut Episcopis, quibus ex speciali privilegio usus Pallii est indultus, Pallio uti liceat, annotat Glossa *ad citat. capitulum* 4. & latiùs exprimit modernum Pontificale Romanum.

Et quidem hanc limitationem ad certa tempora etiam apud Græcos seculo IX. receptam fuisse, colligitur ex Concilio VIII. Œcumenico, ubi *can.* 14. ex editione Græca legitur: „ San„ cimus, ut designati ad *superhumeralia* gestanda Episcopi „ *certis statisque temporibus*, temporibus illis ea & locis ges„ tent, nec hujusmodi cultu per fastum, & superbiam abu„ tantur, aut quovis tempore divini Sacrificii, & quacunque „ ecclesiastica functione ferant.

Anastasius Bibliothecarius per *superhumeralia* hîc Pallia intelligi nequaquam dubitavit: ita enim vertit ex Græco: *Quibus concessus est* Palliis *uti.* In hac Anastasii editione hic Canon numeratur 27. atque ex illo Canone præterea elicitur eo saltem tempore non omnibus Episcopis usum Pallii etiam in Ecclesia Græca concessum fuisse, quamvis hodie omnes illo utantur, uti observat Goartius in notis ad Rituale Græcorum, *pag.* 312.

XVI. Denique notandum, Pallium esse ornamentum adeo personale, ut Cœlestinus III. in *cap.* 3. ✠ *de Auctoritate & usu Pallii*, responderit cuidam ipsum interroganti, quòd non videatur esse conveniens „ ut Pallium tuum alicui commodes: „ cùm Pallium *in personam non transeat*, sed quisque debeat „ cum eo (sicut tua novit discretio) *sepeliri.*"

Imò si Archiepiscopus de una Ecclesia Metropolitana ad aliam transferatur, Pallio, quod acceperat, uti non potest, multò minus Predecessoris defuncti seu translati, sed debet de novo aliud petere & obtinere; & interim ab omnibus functionibus, quæ sine Pallio exerceri nequeunt, abstinere, ut præscribit Pontificale Romanum.

Juramentum, quod hodie exigitur in traditione Pallii penè incidit cum Juramento, quod ab omnibus Episcopis in consecratione exigitur, illudque in datione Pallii circa seculum XI. exigi cœpisse, ostendimus. *Tit.* 15. *cap.* 2.

XVII. Denique sicut traditio Pallii perficit Archiepiscopum & plenitudinem Pontificalis officii confert, ita & ademptio Pallii jam pridem signum fuit exauctorationis & depositionis, vel abdicationis sive renuntiationis.

Liberatus Diaconus in Breviario cap. 21. ait: *Anthimus videns se Sede pulsum*, Pallium *quod habuit, Imperatoribus tradidit.* Et *cap.* 23. de Paulo Alexandrino Patriarcha: *Auferentes Paulo* Pallium *deposuerunt.* Anastasius in vita Sylverii: „ Joannes Subdiaconus tulit Pallium de collo ejus, & „ expolians eum induit veste monachica." Item apud Flodoardum *lib.* 4. *cap.* 45. ita loquitur Artaldus Remensis Episcopus: „ Qui postquam me in potestate sua conspiciunt, quæ„ rere cœperunt, ut eis Pallium à Sede Romana mihi colla„ tum traderem, & Sacerdotali me ministerio penitus ab„ dicarem."

XVIII. Insigne quoque particulare Archiepiscoporum seu Metropolitanorum est *Crux*, quam ante se elevatam in signum

num jurisdictionis, & potestatis deferri faciunt.

Hoc insigne primùm Legatis Apostolicis à Sede Apostolica concessum, ac deinde Patriarchis ac Primatibus indultum fuisse, multis ostendit Ludovicus Thomassinus *de Disciplina Eccles. part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 39. Ac demum cùm variis Metropolitanis per speciale privilegium à Sede Apostolica esset indultum, tandem insigne omnibus Archiepiscopis commune factum est; illudque sat apertè supposuit Concilium Viennense V. in *Clementina* 2. *de Privilegiis*: „ Archiepiscopo „ per quævis loca exempta suæ Provinciæ facienti transitum, „ aut ad ea forsan declinanti, ut Crucem ante se liberè portare faciat..... sacro probante Concilio præsentis constitutionis serie duximus concedendum.“

Hanc Clementinam recepit & probavit Clerus Gallicanus anno 1635. nihilominus eam restringendam ad terminos Concilii Tridentini *Sess.* 6. *cap.* 5. *de Reform.* benè advertit Zypæus ad tit. *de Officio Ordinarii, num.* 18. & notatum fuit suprà *Tit.* 16. *cap.* 2. ubi quoque *num.* 13. observavimus, Archiepiscopos non posse incedere *Cruce elevatâ* extra limites suæ jurisdictionis.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT V.

PALLII ORIGO, PRÆROGATIVÆ, ET EARUM PROGRESSUS OBSERVANTUR.

1 *Pallium primitùs fuit ornamentum Imperiale.*
2 *E benignitate Imperatorum profectum est.*
3 *Non sine eorum consensu olim à summo Pontifice conferebatur.*
4 *Quo tempore Imperatores Pallium Romano Pontifici, & Patriarchis Orientalibus communicârint, compertum non est.*
5 *Incertum quoque est, qua occassione fuerit proprium Metropolitanis.*
6 *Pallium primitùs à Pontificibus datum videntur in signum vicariatûs Sedis Apostolicæ.*
7 *Per concessionem censebatur dari iste vicariatus cum potestate ei annexa.*
8 *VII. & VIII. seculo inter Metropolitas Gallos soli Archiepiscopo Arelatensi conferebatur Pallium.*
9 *Synodus Mouguntina, cui præfuit Bonifacius Archiepiscopus, decrevit ut omnes Metropolitæ Galli Pallium peterent.*
10 *Ratio cur isti Præsules huic Decreto noluerint primùm obtemperare.*
11 *Tandem instigante Bonifacio, Pallium petierunt.*
12 *Hodierna Pallii forma à pristina diversa est.*
13 *Quomodo facta est illa mutatio.*
14 *Necessitas petendi Pallium à Romano Pontifice Patriarchis Orientalibus quando imposita.*
15 *Conditiones in concessione Pallii Metropolitanis impositæ.*
16 *Quo tempore & qua occassione impositæ fuerint, conjiciunt tantùm Historici, & Canonistæ.*
17 *Gregorius VII. acriter redarguit Archiepiscopum Rothomagensem, quod ante obtentum Pallium Clericos ordinaverit.*
18 *Pontifex Romanus omni tempore, & omni loco potest uti Pallio, non ita Metropolitani; ratio istius discriminis.*
19 *Inquiritur Auctor cujusdam Canonis à Gratiano relati, ubi illud discrimen primò refertur.*

* I. QUamvis non omninò sit compertum, in quo constiterit primitùs ornamentum illud Pontificale, quod hodie *Pallium* dicitur, id nihilominus sat constare videtur ornamentum hoc primitûs fuisse ornamentum *Imperiale*; hoeque primùm per Imperatores Patriarchis, ac deinde per hos Metropolitanis, ac demùm per Metropolitanos aliis Episcopis communicatum; saltem apud Orientales & in Ecclesia Græca, uti post Petrum de Marca, aliosque probat Ludovicus Thomassinus *de Discipl. Eccles. part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 24. qui & *n.* 9. observat: „ Hoc autem penè indubitatum esse ali„ quot saltem seculis non sine voluntate Imperatoris in Oriente „ Pallium, sicut & in Occidente concessum fuisse.“

II. „ Cùm enim (ait) vestimenti id genus initio *Regium* „ fuisset, eoque voluissent Imperatores, quæ eximia eorum erat „ & singularis pietas, Regale Christi decorare Sacerdotium; „ hanc vicissim per aliquot secula pietatem, gratitudinemque „ rependit Ecclesia, ut illo, præter eorum assensum, induere„ tur nemo.“

Refert Liberatus Diaconus in Breviario *cap.* 21. „ Anthimus „ Patriarcha Constantinopolitanus videns se Sede pulsum, Pal„ lium, quod habuit, Imperatoribus reddiderat.“

Argumentum nequaquam obscurum, Anthimum Pallium, ut ornamentum Imperiale, & ab horum liberalitate, & pietate profectum reputâsse: atque idcircò & Imperatoribus reddendum.

Ipsos quoque Romanos Pontifices hoc ornamentum pluribus seculis reputâsse ornamentum Imperiale, & ex Imperatorum pietate, & munificentia profectum; ac propterea nec sine eorum assensu aliis communicandum, etiam seculo VI. ex epistolis S. Gregorii manifestum est.

III. Scribit hic *lib.* 9. *Epist.* 11. Brunichildæ Reginæ Francorum „ Syagrio (Episcopo Augustodunensi) Pallium dirigere „ secundum postulationem vestram voluimus.“ Deinde subjungit: „ Propter quod & *Serenissimi Domini Imperatoris*, quantum „ nobis Diaconus noster, qui apud eum responsa Ecclesiæ fa„ ciebat, innotuit, prona voluntas est, & concedi omnino „ desiderat.“

Ex hac itaque Epistola constat, citra consensum Imperatoris Pallium non fuisse concessum; ut & ad hanc epistolam notârunt eruditi Monachi Benedictini Operum S. Gregorii revisores *litt. M.*

Proindè cùm expeditum sit, hoc ornamentum fuisse Patriarchis primitùs, ut ornamentum Imperiale donatum, non sine fundamento redarguit Baronium Edmundus Richerius Doctor Parisiensis in Historia Concilii VIII. quòd privilegium à Valentiniano Imperatore Ecclesiæ Ravennatensi datum, quo eam erigit in Metropolim, eo titulo in suspicionem falsi adducat; quia eidem Episcopo conceditur, ut honore Palii utatur: „ Quo„ niam (ait Baronius) Romanorum est Pontificum, non Impe„ ratoris, dare Pallium Episcopis.“

Uti enim rectè reflectit Richerius, frustrà in auctoritatem adducit Baronius, quæ seculis subsequentibus à „ Pontificibus in „ concessione Pallii acta fuêre: Quandoquidem hîc non quæ„ rendum esset, utrum à Pontificibus, labentibus seculis, auc„ toritas assumpta fuerit in concessione Pallii, sed à quo pri„ mitùs, ac signanter ævo Valentiniani Imperatoris, usus Pallii „ indultus fuerit.“

IV. Quo autem tempore, & à quo Imperatore ornamentum Patriarchis Orientalibus, ac Romano Pontifici ut Occidentis Patriarchæ communicatum fuerit, hactenus compertum non est.

Ex facto Anthimi reddentes Pallium Imperatoribus (de quo suprà) constat, tempore Justiniani, Constantinopolitanum Patriarcham (qualis erat Anthimus) illud ab Imperatoribus accepisse.

Quin seculo IX. & sequentibus à pluribus creditum fuit, inter cætera ornamenta Imperialia, hoc quoque ornamentum *superhumerale* per Constantinum Magnum donatum Silvestro Papæ, ejusque successoribus, idque auctoritate privilegii, quod vulgò vocatur: *Donatio Constantini*, quæ unà cum falsis Decretalibus in auctoritatem recepta fuit, & hodie paris cum his Decretalibus fidei reputatur.

V. Superiùs dictum est, inter ornamenta Pontificalia unum hodie proprium esse Metropolitanis, scilicet Pallium. Quo verò tempore & quâ occasione hoc *Imperiale* indumentum Metropolitanis, & Episcopis fuerit communicatum sat incertum: illud sat constat, citiùs fuisse communicatum Metropolitanis Græcis, quàm Latinis: cùm enim in Orientalibus Ecclesiis etiam primitùs usitatum fuerit, quòd Metropolitani à suis respectivè Patriarchis ordinarentur, videtur hoc ornamentum per Patriarchas omnibus Metropolitanis in ordinatione fuisse indultum.

Quòd autem in Ecclesia Latina seriùs Metropolitanis à Romano Pontifice tanquam Occidentis Patriarcha communicatum legatur, inde contigisse verisimile est, quòd pluribus seculis multi fuerint per Occidentem Metropolitani, quorum ordinatio erat independens à Romano Pontifice.

Et quidem observat Petrus de Marca, *De Concord. Sacerd. & Imp. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 3. „ quòd ævo Divi Gregorii inva„ luiset, ut Romanus Pontifex Pallio ornaret præcipuos Me„ tropolitanos, qui ad ejus consecrationem pertinebant; aut „ eos, quibus vices suas in Provinciis committebat. Primi ge„ neris Episcopi Ravennates in Italia, Syracusani in Sicilia, „ Calaritani in Sardinia.

Secundi verò generis Archiepiscopus Thessalonicensis, & „ Justinianeæ Primas, sive Bulgariæ Metropolita, & in Galliis „ Arelatensis. Leandrum insuper Episcopum Hispalensem in „ Hispania Gregorius pallio ornavit, rogante Recaredo Rege.

„ Quod non ita accipi velim (ait de Marca) ut eâ ratione „ Gregorius Leandri ordinationem confirmasse dicatur, cùm „ hæc ante multos annos peracta fuerit; sed ut suam & Sedis „ Apostolicæ in eum benevolentiam illi ostenderet, novo hoc „ honore tributo. Ob eandem quoque causam eodem honore „ prosecutus est Syragrium Augustodunensem Episcopum, qui „ præcipuâ apud Reges Francorum gratiâ vigebat.“

VI. Non sine fundamento quidquam eruditi arbitrantur, Pallium primitùs à Pontificibus datum in signum collati Vicariatûs Sedis Apostolicæ, & ab eo dependentis potestatis Apostolicæ.

Cùm enim solis Patriarchis hoc Pallii ornamento uti permissum videretur, Metropolitani, qui eo utebantur, per hanc vestem exteriorem repræsentare non incongruè videbantur vi-

ces Romani Pontificis, cui tanquam *Patriarchæ* Occidentis ornamentum hoc proprium videbatur.

Idipsum non obscurè significat Vigilius Papa in epistola ad Auxanium Episcopum Arelatensem, scribens: „ Quia dignâ „ credimus ratione compleri, ut agenti vices nostras Pallii non „ desit ornatus, usum tibi ejus, sicut Decessori tuo Prædeces„ sor noster sanctæ recordationis Symmachus legitur contulisse, „ Beato Petri auctoritate concedimus."

Ex his non obscurum est, ideò Pallium Episcopo Arelatensi concessum fuisse, quòd esset Sedis Apostolicæ Vicarius, ut, sicut ipse Pontifex hoc ornatu à reliquis distinguitur, ita quoque ejus Vicarius hoc caractere repræsentativo ab aliis Metropolitanis secerneretur.

VII. Imò per concessionem Pallii unâ censebatur dari Vicariatus Sedis Apostolicæ cum potestate ei annexâ; atque inde eveniebat, quòd Metropolitani, qui hoc ornamentum à Sede Apostolica impetrârunt, cæteris Metropolitanis, tanquam Vicarii Sedis Apostolicæ, eamque repræsentantes præminerent; ut proinde mirum non sit, Pallium, & ei annexum Vicariatum Sedis Apostolicæ ab Arelatensibus Episcopis fuisse expetitum & magnopere desideratum.

Porrò concessionem Pallii indicium fuisse concessi Vicariatûs Sedis Apostolicæ, etiam significare videtur S. Gregorius *lib.* 2. *epist.* 64. *ult. edit. Benedictorum*, scribens Augustino, suo apud Anglos Legato, & Vicario, in responso ad nonam interrogationem: „ In Galliarum Episcopos nullam tibi auctori„ tatem tribuimus, quia ab antiquis prædecessorum meorum „ temporibus Pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem nos „ privare auctoritate percepta minimè debemus: Si ergo con„ tingat, ut fraternitas tua ad Galliarum provincias transeat, & „ aliquid ex auctoritate agendum fuerit, cum prædicto Arela„ tensi Episcopo agatur."

Tametsi enim nihil de Vicariatu hîc dicat Gregorius, neque de auctoritate Apostolica Episcopo Arelatensi, ut Sedis Apostolicæ Vicario collatâ, id tamen sat significatum existimat, ubi Augustino indicavit, Arelatensi Episcopum Pallium esse donatum.

Hinc patescit, nequaquam concludi posse, à Sancto Gregorio quibusdam Metropolitanis donatum fuisse Pallium absque Vicariatu Sedis Apostolicæ; eò quòd in concessione Palli, nulla concessi Vicariatûs mentio fiat, quia ipsa Pallii concessio Vicariatum secum trahebat.

Itaque verisimilius videtur, Sanctum Gregorium non aliis Metropolitanis usum Pallii indulsisse, nisi qui ad ejus ordinationem pertinebant, vel quos Vicariatu Sedis Apostolicæ ornare volebat.

VIII. Cùm verò Metropolitani per Gallias constituti à suis respectivè Episcopis Suffraganeis ævo S. Gregorii ordinarentur; nullasque in horum ordinatione sibi partes assumeret Romanus Pontifex, etiam nec eos Pallium petivisse, ne accepisse legitur, nisi solùm Archiepiscopum Arelatensem, qui Pallium non in qualitate Metropolitani, sed in qualitate Vicarii Sedis Apostolicæ à S. Gregorio ejusque prædecessoribus accepisse legitur.

Credit autem de Marca loco citato *num.* 4. Galliarum Metropolitanos in qualitate Metropolitani nec postulâsse Pallium à Romano Pontifice ante seculum VIII.

At sub hoc tempus (uti arbitratur de Marca) videntur Metropolitani Galliarum cœpisse Pallium postulare à Romano Pontifice: idque eos ad hoc inducente Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, qui eo tempore vices Sedis Apostolicæ per Germaniam & Gallias agebat.

Quidquid sit de hac opinione Petri de Marca, hoc constat, quòd Bonifacius anno 742. Synodum plurimorum Episcoporum Germaniæ celebraverit, in qua inter cætera statutum fuit: „ ut „ omne deinceps viverent in unitate, & subjectione Ecclesiæ „ Romanæ, & Vicarii B. Petri, & Metropolitani à Sede Ro„ mana Pallium quærerent, & per omnia canonicè obsequeren„ tur præceptis B. Petri (ait) decrevimus."

IX. Hujus Synodalis Decreti meminit ipse Bonifacius *Epist.* 105. ad Zachariam Papam scribens, „ In nostro Syno„ dali conventu, & confessi sumus fidem Catholicam, & uni„ tatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ fide tenuimus ser„ vare S. Petro & Vicario ejus vel subjici; Metropolitanos Pal„ lia ab illa Sede quærere, & per omnia, præcepta Sancti Pe„ tri canonicè sequi."

Nequaquam obscurum est, uti etiam notat de Marca, scopum Bonifacii fuisse, Metropolitanos Galliarum hâc Palliorum à Sede Apostolica postulatione, arctiori vinculo Apostolicæ Sedi obstringere, & ab ea dependentes facere.

Interim conformiter ad hoc Decretum, Bonifacius adstipulante Carolomanno, tria Pallia à Zacharia Papa impetravit pro tribus Metropolitanis, nimirum Rothomagensi, Senonensi, & Rhemensi, uti habetur ex *Epist.* 5. Zachariæ Papæ ad Bonifacium.

X. Verùm Metropolitani Galliarum suborantes se per hanc Palliorum petitionem reddi Sedi Apostolicæ magis obnoxios; & veriti, ne per hanc novitatem adigerentur ad insolitam quandam subjectionem Sedi Apostolicæ; quin & sensim per eam excíderent ab ea auctoritate, quam Canones tribuunt Metropolitanis, dubii & anxii hæserunt, num Decreto Bonifacii, de *petendis Palliis à Sede Apostolica*, se subjicere vellent; quapropter & à petitione Palliorum tempore aliquo cessâsse videntur.

De hac cessatione & mora conquestus est Zacharias Papa in præcitata Epistola ad Bonifacium, atque non obscurè fatetur Bonifacius in responso ad hanc Epistolam scribens: „ De eo „ quod jam præterito tempore de Archiepiscopis & de Palliis à „ Romana Ecclesia petendis, juxta promissa Francorum Sancti„ tati Vestræ notum feci, indulgentiam Apostolicæ Sedis flagito: „ *Quia, quod promiserunt, tardantes non impleverunt, &* „ *ventitatur, & quid inde perficere velint, ignoratur.*"

XI. Ex his verbis Bonifacii habetur Metropolitanos super postulatione Palliorum à Sede Apostolica hæsitâsse, & quid agendum esset, deliberâsse. Sed & hoc constat, quòd sensim tum instigante & promovente Bonifacio, tum verò non nihil stimulante quâdam æmulatione honoris & præeminentiæ, quæ per Pallii acceptionem & usum videbantur Metropolitanis accedere, tandem Metropolitanos generatim huic necessitati postulandi Pallium se subjecisse.

XII. Hodiernam Pallii formam, de qua superiùs esse plane diversam à pristina hujus ornamenti forma, eruditis hodiè sat persuasum est, neque enim moderna hæc forma ullatenus ornamento seu Chlamydi Imperiali congruit.

Cùm igitur ornamentum Pontificale, quod hodie *Pallium* nuncupatur, in sua origine fuerit ornamentum Imperiale (uti suprà probatum est) admodum verisimile est Pallium primitùs fuisse vestem *talarem* in modum Chlamydis, totum quasi corpus contegentis, ut ita vestem Imperialem præferret; hodiernæ verò laneæ fasciolæ hodierna Pallia conficientes, nullatenus Chlamydem Imperialem repræsentare idonæ sunt, uti rectè observat Petrus de Marca *lib.* 6. *de Concord. Sacerd. & Imp. cap.* 6. ibidemque ait: „ Forma porrò ejus, ut indicare videntur ve„ terum Pontificum imagines, prorsùs referebant indumenta il„ la, quæ nunc *Cappas* aut *Pluvialia* vocamus."

XIII. Admodum verisimile est veterem Pallii formam, ornamentum Imperiale præferentem, sensim in aliam formam, ac tandem in modernam transiisse, postquam Romani Pontifices Pallium independenter à consensu & benignitate Imperatorum suâ auctoritate, tanquam ornamentum Pontificale, Metropolitanis; & Episcopis communicare cœperunt.

Neque enim congruum apparebat ornamentum, quod à solius Pontificis Romani auctoritate, & munificentiâ communicari prætendebatur, formam Chlamydis Imperialis præferret: sed convenientius visum fuit, ut vestis sacræ formam exhiberet; atque ita componeretur, ut ab omnibus tanquam in Pontificale ornamentum reputaretur.

Ut autem hoc ornamentum evidentiùs præferret ornamentum sacrum & Pontificale, cœperunt hisce fasciolis laneis imprimi cruces; quin & instar cæterarum sacrarum vestium seu indumentorum, quibusdam adhibitis precibus, & ritibus solemniter benedici, prout suprà expositum est: quorum omnium apud veteres auctores de hoc ornamento tractantes nihil occurrit.

XIV. Observatum est *num.* 10. *cap. præcedentis* Innocentium III. concessise Pallium Patriarchis Orientalibus, cum auctoritate illud respectivè suis Metropolitanis concedendi.

Porrò constat primitùs auctoritatem illud aliis comunicandi non minus Patriarchis Orientalibus, quàm Romano Pontifici tanquam Patriarchæ Occidentis competiisse.

Neque legitur, quòd ante Innocentium III. necessitas impetrandi hoc ornamentum à Romano Pontifice aut auctoritatem illud aliis communicandi Patriarchis Orientalibus fuerit imposita. Id & observat Ludov. Thomassinus de *Discip. Eccles. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 6. „ Postquam enim (ait) sub Innocen„ tio III. Constantinopolitanam Urbem & Orientale Imperium subjecere Latini, hic Pontifex statuit in Concil. Lateranensi, ut Patriarchæ Orientales reciperent Pallium à Papa & suis Metro„ politanis communicarent, postquam à Romano Pontifice illud „ receperint. Ante enim hoc Decretum Patriarchæ Græci non „ accipiebant Pallium nisi à suis consecratoribus; vel illa acci„ piebant à solo Imperatore."

Id ad hanc Decretalem Innocentii III. reflectens Edmundus Richerius *in historia Concilii VIII. num.* 13. dicere non veretur: „ Certè sequentibus seculis hoc ritu deferendi Pallium Pontifi„ ces Romani, non modo omnes Ecclesias Occidentales, sed „ etiam Orientales monarchicè subdere voluisse perspicuum „ redditur."

XV. Observat autem Petrus de Marca, quòd posteaquam Metropolitani necessitatem obtinendi Pallia à Romano Pontifice sibi passi sunt imponi, Pontifices adjicerent in ipsa datione Pallii plures conditiones Metropolitanis admodum graves; & quæ ipsos in suis functionibus à Romano Pontifice dependere facerent; atque inter alias, quòd ante receptionem, Pallii nullas

Pon-

tificales functiones obire possent : cùm mox à consecratione sua independenter à consensu Romani Pontificis, suas functiones liberè exercerent.

Similiter & Ludovicus Thomassinus de *Discip. Eccles. part. 2. cap. 25. num. 10.* notat, non reperiri, quòd primitùs Metropolitani, obtentâ consecratione impedirentur obire functiones, quoad usque recepissent Pallium.

XVI. Quo autem tempore, & quâ occasione similes conditiones in datione Pallii adjici, & Metropolitanis imponi cœperint, incertum est.

Admodum verisimile est, id primum cœpisse post invectas, & receptas falsas merces seu Decretales Pseudo-Isidorianas; ipsosque Romanos Pontifices potissimum impendisse auctoritatem epistolæ Decretalis Pelagio I. per Isidorum suppositæ, & cujus fragmentum in suum Decretum postmodum transtulit Gratianus dist. 100. Can. 1. Hîc inter alia dicitur : *Placuit, ut quisquis Metropolitanus ultra* TRES MENSES *consecrationis suæ ad fidem suam exponendam,* PALLIUMQUE *suscipiendum ad Apostolicam Sedem non miserit, commissâ sibi careat dignitate, sitque Metropolitanis aliis licentia, post secundam & tertiam commonitionem, viduatis Ecclesiis, cum consilio Romani Pontificis,* ORDINANDO EPISCOPOS *subministrare, &c.*

Et quidem videmus, quòd Concilium Ravennatense anno 877. sub Joanne VIII. celebratum Can. 1. verbis citatæ hujus Decretalis eam necessitatem emittendi professionem fidei coram Sede Apostolica, & ab ea postulandi Pallium Metropolitanis imponat. Verba canonis sunt : *Quisquis Metropolitanus intra tres menses consecrationis suæ ad fidem suam exponendam,* PALLIUMQUE *suscipiendum ab Apostolica Sede, nullâ necessitate inevitabili imminente non miserit, commissa sibi careat dignitate, &c.*

Verùm quòd auctoritatem harum Decretalium nonnulli Galliarum Episcopi, & Metropolitani recognoscere detrectarent, recusarentque à receptis hactenus moribus recedere, etiam seculo XI. Archiepiscopum Rothomagensem ante postulatum & obtentum à Romano Pontifice Pallium Clericos ordinâsse, Ecclesias consecrâsse, aliasque sacras functiones peregisse, constat ex Epistola Gregorii VII. ad ipsum Metropolitanum Rothomagensem; habeturque inter epistolas hujus Pontificis *Lib. 9. epist. 1.*

XVII. Acriter ipsum redarguit Gregorius, quòd & Pallium à Sede Apostolica postulare neglexerit, & functiones has ante obtentum Pallium obire præsumpserit : ac deinde præcipiendo concludit, „Proinde Apostolicâ tibi præcipimus auctoritate, „ ut quia SS. Patrum statuta parvi pendisti, nullum deinceps „ Episcopum, vel Sacerdotem ordinare, seu Ecclesias præ„ sumas consecrare, donec honoris tui *supplementum*, Pallii vi„ delicet usum ab hac Sede impetraveris."

Ex toto hujus epistolæ contextu nequaquam obscurum est, Gregorium quoque respexisse ad citatum suppositîtium Decretum Pelagii Papæ.

Proinde non sine fundamento inter puncta recentioris disciplinæ per falsas Insidorianas inducta, & hoc reponitur, quòd auctoritas Metropolitanorum, quoad præcipuas functiones suspendatur à receptione hujus meri cæremonialis ornamenti.

Quod ipsum deplorat Edmundus Richerius in *historia Concilii VIII. n. 12.* reflectens ad juramentum in receptione Pallii præstandum, atque ad hanc dependentiam in obeundis sacris functionibus, ab hac Pallii acceptione, his verbis : „Quod „ primitùs in honoris ac dignitatis indicium & notam tribueba„ tur, tum demum in onus gravissimum transiit, ita, ut Cu„ ria Romana prohibeat Archiepiscopis ea obire munia, ad quæ „ jure divino tenentur, antequam Pallium acquisierint, quod „ tamen est res purè cæremonialis nihil ad potestatem Episco„ porum conferens."

XVIII. Non erit superfluum paulo fusiùs pertractare ea, quæ *n. 15. cap. præcedentis*, breviter diximus de Decretali Innocentii III. in *cap. 4. de usu Pallii*, quòd solus Romanus Pontifex Pallio *ubique & semper* utatur; alii autem *nec semper, nec ubique*, hâc subjectâ ratione : Quoniam hic (Romanus Pontifex) assumptus est in *plenitudinem* Ecclesiasticæ Potestatis, quæ per Pallium significatur, alii autem eo nec semper, nec ubique. Quoniam vocati sunt in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Hanc rationem adductam fuisse ante Innocentium III. pro adstruenda auctoritate in Romano Pontifice utendi Pallio ubique & semper, & ejus usum restringendi in cæteris Metropolitanis, aut Episcopis ad determinata loca & tempora, non legitur.

Illud autem ex contextu Decretalis perspicuum est, Innocentium hâc formula loquendi significare voluisse pastoralem solicitudinem & plenitudinem ecclesiasticæ potestatis ad omnes orbis Ecclesias se extendere, eamque Pontificem posse ubique per se fidelibus impendere, sed quia ubique præsens esse non potest, ut eam personaliter impendat, idcirco hujus *solicitudinis* PARTEM aliis Episcopis per varias regiones & Ecclesias constitutis, ipse communicat; ipsâ tamen plenitudine potestatis, sive solicitudinis formaliter, & jure proprio in Romano Pontifice remanente.

Id ipsum evidentioribus terminis expressit hic Pontifex *lib. 1. Epist. 350.* in verbis : „Apostolica Sedes inter Fratres, & „ Episcopos nostros Pastoralis dispensavit oneris gravitatem, sic „ eos in creditæ sibi solicitudinis partem assumpsit, ut nihil „ sibi subtraheret de plenitudine potestatis."

Eam Romanos Pontifices sibi plenitudinem potestatis, aut pastoralis solicitudinis asseruisse primis, ut minus septem seculis non legimus; sed pastoralem, & Episcopalem solicitudinem intra suam particularem Ecclesiam, sive uti hodie loquimur, Diœcesim juxta Canones continebant; nec Metropoliticam ultra regiones & Ecclesias Suburbicarias prætendebant, uti in hoc opere ostendimus, notanter auctoritate libri Diurni Romanorum Pontificum per Joannem Garnerium evulgati, & notis illustrati.

Interim certum est, plura, tum per Pseudo-Isidorum in suam collectionem esse relata, tum postmodum per Gratianum assumpta, quæ hanc in Pontifice Romano plenitudinem potestatis, & pastoralis officii supponunt, & iisdem penè verbis proponunt, quibus eam Innocentius III. expressit.

XIX. Imprimis occurrit ex Isidoriana collectione assumptum & relatum *Caus. 2. q. 6. Can. 12.* fragmentum Epistolæ sub nomine Vigilii Papæ in hæc verba. „Qui se scit alliis esse præpositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse prælatum : ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem vocatæ sint solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Monent ad hunc Canonem Correctores Romani; „Resti„ tutum est hoc caput Vigilio antiquorum exemplarium auc„ toritate : antea verò tribuebatur Julio."

Monet & vir clarissimus Stephanus Baluzius in notis ad hunc Canonem : Multifariam multisque modis inscriptum est hoc caput in antiquis Gratiani exemplaribus & editionibus. „Indubiè „ hæc varia hujus Canonis inscriptio non exiguum præbet sup„ positionis, & fictionis argumentum.

Fatetur quidem Baluzius extare epistolam Vigilii per Correctores Romanos indicatam, non quidem ad *Eutherium*, sed ad *Profuturum* Episcopum Bracarensem, quod latiùs prosequitur in sua nova Conciliorum Collectione *pag. 1417.* sed unà ibidem monens, caput ultimum hujus epistolæ Vigilii ad Profuturum de *Primatu Romani Pontificis* (quod conficit prædictum Canonem apud Gratianum) in optimo codice Bibliothecæ Colbertinæ non reperiri, à nobis (ait) *propterea omissum.* „Et „ sanè (pergit Baluzius) cùm cætera capita referantur integra „ in *Codice* 408. Colbertino & Lugdunensi, idem tamen non „ habent, quæ de primatu Romanæ Ecclesiæ adduntur in Col„ lectione, quæ præfert nomen Isidori."

Hinc idem Baluzius in Additionibus ad librum 5. Petri de Marca *cap. 26. n. 9.* reflectens ad prædicta verba Canonis sub nomine Vigilii, dicere non dubitat: „Postremum caput Epis„ tolæ, quæ circumfertur sub nomine Vigilii Papæ ad Eu„ therium, esse *additamentum illius impostoris*, qui nomine „ Isidori abusus est in vulgandis falsis veterum Pontificum Ro„ manorum Epistolis."

Similiter hoc fragmentum conficiens prædictum Canonem recentiori manu huic Epistolæ additum notavit Ludovicus du-Pin, in sua Bibliotheca Ecclesiastica *tom. 5. pag. 71.* editionis 1691. sumptumque ipsi apparet ex suppositîtia Decretali Julii Papæ ad Orientales.

Refertur & apud Gratianum *eadem caus. 2. q. 6. Can. 11.* sub nomine Gregorii fragmentum, quo hæc plenitudo potestatis simili forma exprimitur in verbis. „Quæ (Ecclesia Ro„ mana) vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem „ sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis."

Quis sit hic Gregorius, cui hæc Epistola attribuenda sit, titulus Canonis non indicat. Monent autem Correctores Romani hæc verba, „ut *honoretur*, usque ad verbum *auctoritas* addita esse ex epistola, quæ extat in Bibliotheca Do„ minicana & videtur esse Gregorii IV. Extatque sub no„ mine hujus Pontificis inserta *tom. 7. Concil. Gener. pag. 157.*"

At cùm hic Pontifex sederit demum circa medium seculi IX. post evulgatam Pseudo Isidori collectionem, quidni Pontifex Gregorius auctoritatem hujus collectionis secutus hanc clausulam de plenitudine potestatis sumpsisse potuit ex suppositîtia epistola Julii Papæ, prout in Isidoriana collectione continebatur?

Insuper ex epistola, prout extat apud Gratianum, & *tom. 7. Conciliorum* est inserta, habetur, eam scriptam esse in causa Aldrici Episcopi Cenomanensis. Cùm autem nulla illius, mentio habeatur in gestis hujus Episcopi, & multa in ea contineantur absurda, non invitus in eorum sententiam transeo, qui putant eam esse suppositîtiam, ait Baluzius in additionibus ad Petrum de Marca *lib. 5. cap. 26. num. 9.*

Legitur quoque apud Gratianum fragmentum epistolæ sancti Leonis ad Episcopum Thessalonicensem, *Caus. 3. q. 6. Can. 8.*

quo hæc plenitudo potestatis in Rom. Pontifice similiter asseri videtur; verùm si integer contextus epistolæ Leonis attendatur, nec non de qua potestate hîc agat sanctus Leo, manifestum erit sanctum Leonem nequaquam de hac plenitudine, de qua Innocentius III. locutum fuisse, uti ostenditur ad *tit.* 21. *cap.* 2. *n.* 8. & fusius ostendit Baluzius loco ibidem citato.

Quod verò Innocentius III. ob eam *plenitudinem potestatis* asserit, Pontificem *Pallio semper uti & ubique*, nullam è Pontificibus ante Innocentium asseruisse legimus, neque scitur, quòd primis seculis majori libertate Episcopus Romanus hoc ornamento usus fuerit, quàm cæteri Patriarchæ Orientales (f).

TITULUS XX.

De Synodis Provincialibus.

CAPUT I.

Quoties Synodus Provincialis celebranda, et qui illi interveniant.

1 *Synodos Provinciales indicere est Metropolitani.*
2 *Illo impedito Comprovincialis senioris.*
3 *Olim Synodus Provincialis bis singulis annis haberi debebat.*
4 *Labente tempore semel in anno haberi cœpit.*
5 *Hæc moderatio primùm licèt ægrè, tamen admissa fuit ab Ecclesia Græca.*
6 *Eam etiam toleravit Ecclesia Latina.*
7 *Seculo XIII. summus fuit in celebrandis his Synodis defectus.*
8 *Hic defectus effecit ut tandem ad Triennium protracta sit celebratio Concilii.*
9 *Synodus Trident. tantùm singulis trienniis jubet celebrare Synodum.*
10 *Optat Synodus Tridentina frequentiorem Synodorum celebrationem.*
11 *Collapsio disciplinæ imputanda pro magna parte defectui Synodorum.*
12 *Synodo interesse debent omnes Provinciæ Episcopi.*
13 *Quid de Episcopis nulli Archiepiscopo subjectis.*
14 *Qui præter Episcopos Synodo interesse debeant, pendet à consuetudine.*
15 *Qui primæ Synodo Provinciali Cameracensi interfuerint.*
16 *Soli Episcopi suffragium habent* decisivum, *alii tantùm* consultivum.
17 *Quod si Episcopi dissentiant à Metropolitano, Episcoporum suffragia prævalent.*
18 *Metropolitanus solus Synodum dissolvere, aut aliquid in ea faciendum mandare non potest.*

COncilium Provinciale dicitur, ad quod unà cum suo Metropolitano conveniunt totius Provinciæ Episcopi.

I. Concilium à Metropolitano convocandum esse adeò verum est, ut Episcopi Provinciæ convenire sine ejus consensu nequeant, quemadmodum conceptis verbis definivit Concilium Antiochenum *Can.* 20. Postquam enim conformiter ad Canonem V. Nicænum statuit, bis in anno celebrandas esse Synodos Parochiales, subjungit: „ Nullis verò liceat apud se „ Synodos per se facere sine iis, quibus sunt creditæ Me„ tropoles, nimirum Provinciales; de quibus unicè in hoc & „ aliis istius Synodi Canonibus actum fuit.“

Imò illud Concilium *perfectum* dicitur à Patribus Antiochenis, cui Metropolitanus interest. „Sit autem, inquiunt, illa *per„fecta* Synodus, cui unà quoque adest Metropolitanus.“ *Can.* 16.

II. Metropolitano verò legitimè impedito Coëpiscopus antiquior ex Decreto Synodi Tridentinæ, *Sess.* 24. *cap.* 2. *de Reform.* Synodum Provincialem convocat. Idemque esse, Sede Metropolitana vacante, docet post alios Fagnanus ad *cap.* Cum olim ✠ *de Accusationibus*, *num.* 17.

III. Synodus hæc secundum pristinas Patrum regulas bis in anno celebranda erat. „ Synodi autem fiant (nimirum Pro„ vinciales) una quidem ait Synodus Nicæna *Can.* 5. ante „ Quadragesimam, ut omnibus animi sordibus sublatis, pu„ rum munus Deo offeratur: secunda autem autumni tempore.“

Hunc Canonem renovantes Patres Concilii Antiocheni ann. 341. *Can.* 20. statuerunt, ut „ propter usus Ecclesias„ ticos, & pro componendis controversiis, Synodi Episco„ porum in unaquaque Provincia fiant bis in anno.“

Patres Synodi Calchedonensis intelligentes quòd in Provincia constituta Episcoporum Concilia minimè celebrarentur, statuêre „ secundum regulas Patrum *bis* in anno in unum con„ venire Episcopos, ubi singula, quæ emerserint, corrigan„ tur.“ *Can.* 19.

Hos aliosque plures pristinos Patrum Canones binas per annum Synodos præscribentes, refert Gratianus *dist.* 18.

IV. At labente tempore cùm difficile videretur ac incommodum, toties Episcopos convenire, paulatim ad annum celebratio Synodorum Provincialium protrahit cœpit.

V. Et quidem Justinianus Imperator, de his Synodis loquens ait: „ Quando autem quod in Canonibus cautum est de „ Synodis Sanctissimorum Episcoporum per singulas Provin„ cias congregandis, hucusque observatum minimè est, illud „ in primis corrigere necessarium est.“ Deindè adducto Canone 36. Apostolorum, quo jubetur, ut bis in anno Synodi Provinciales congregentur, concludit: „ nos autem inveniens„ tes, quòd ex hujusmodi negligentia multi diversis peccatis „ impliciti sunt, jubemus omnibus modis unam Synodum fie„ ri singulis annis in singulis Provinciis, mense vel Junio, vel „ Septembri.“ *Novell.* 137. *cap.* 4.

Synodus Quini-Sexta seu Trullana volens omnia, quæ à Sanctis Patribus decreta fuerunt, rata ac firma esse, Canonem quoque renovat, qui jubet uniuscujusque Provinciæ binas quotannis Synodos fieri, ubi Metropolitanus Episcopus satius esse duxerit. „ Quoniam autem propter Barbarorum incursiones, „ inquit, & quasdam alias incidentes causas non possunt, qui „ Ecclesiis præsident, Synodus *bis* in anno facere, visum „ est, ut ominò *semel* in anno propter ecclesiasticas quæstio„ nes, ut consentaneum est, emergentes, fiat dictorum Epis„ coporum Synodus â S. Paschæ festo, & usque ad Octobris „ mensis complementum singulis annis, in loco, quem, ut „ prædictum est, Metropolitanus Episcopus aptiorem judi„ caverit.“

Hîc patet, Synodum hanc optasse quidem, ut Canon duas quotannis Synodos requirens, fuisset servatus, nec eum abrogatum existimârit; sed nonnisi ob necessitatem permississe, ut semel tantùm in anno congregaretur, quod & Synodus VII. *can.* 6. similiter permissit.

VI. Similem Canonum moderationem quoad celebrationem Synodorum Ecclesia Latina ægrè quidem, sed necessitate coacta paulatim admisit, uti constat ex Concilio Toletano III. *can.* 18. S. Gregorio *lib.* 7. *epist.* 3. Concilio Parisiensi VI. *cap.* 26. quæ tamen unâ innuunt, Canones Patrum *binam* in anno Synodum requirentes in suo robore manere.

Hæc interim moderatio ob solam necessitatem admissa, adeo tandem invaluit, scilicèt unam tantùm esse Synodum annuè celebrandam, ut obliteratâ Patrum disciplinâ de bina Synodorum annuatim celebratione, hanc moderationem quasi à Sanctis Patribus promanantem Innocentius III. in Concilio Lateranensi observari voluerit in *cap.* sicut olim ✠ *de Accusationibus.* „ Sicut olim, inquit, *à Sanctis Patribus* noscitur „ institutum, Metropolitani *singulis* annis cum suis Suffraga„ neis Provincialia non omittant Concilia celebrare.

VII. Verùm nec hoc Decretum tantâ moderatione conceptum, potuit vel annuam Synodorum Provincialium congregationem efficaciter persuadere; adeo ut Gregorius XI. scribat ad Archiepiscopum Narbonensem ann. 1275. „ quòd cele„ bratio Conciliorum ubique ferè terrarum, quod, inquit, „ dolenter referimus, longis temporibus esset negligenter omis„ sa: propter quod idem Clerus ab honestate sui primævi sta„ tus non modicum excidit, multipliciter in devium decli„ navit, &c.

VIII. Hæc negligentia in convocandis Conciliis Provincialibus cùm continuò magis magisque cresceret, ac tandem omnis penè eorum usus penitùs cessaret, cum summa in doctrina ac disciplina deformatione, Patres Basilienses attendentes ab una parte necessitatem Conciliorum, & ab altera quàm difficulter etiam annuam celebrationem reducerent, decreverunt, ut *ad minus semel de triennio ad triennium Concilium Provinciale celebretur*, quam moderationem Concilia quædam particularia, necnon Leo X. in Synodo sua Lateranensi admiserunt.

IX. Ipsa tandem Synodus Tridentina hanc moderationem ad-

(f) *Qui plura de* Pallio *voluerit, legat eruditam Dissertationem, quam de eodem adornavit doctissimus Benedictin. Thierri Ruinart. Quæ reperitur* in tom. 3. operum posth. *DD. Mabillon, & Ruinart.*

admittens, statuit, ut „ Metropolitani per seipsos, seu, illis „ legitimè impeditis, Coëpiscopus antiquior intra annum ad „ minus à fine præsentis Concilii, & deinde quolibet *saltem* „ *triennio* post octavam Paschæ Resurrectionis Domini N. J. C. „ seu alio commodiori tempore pro more Provinciæ non præ„ termittat Synodum in Provincia sua cogere.“ *Sess.* 24. *cap.* 2. *de Reform.*

X. Ex verbis Decretis nequaquam obscurum est, Patres Tridentinos non quidem pristinos Ecclesiæ Canones frequentiorem Synodorum celebrationem præscribentes abrogâsse; sed duntaxat præscripsisse ut *saltem* singulis *trienniis* Synodus Provincialis cogeretur: ut consequenter voto Patrum Synodi Tridentinæ obsequerentur Episcopi, qui frequentiùs, quàm singulis trienniis Synodos celebrarent.

XI. Sed prò dolor! ea est temporum nostrorum miseria, ac iniquitas, ut nec singulis trienniis, imò nec vicenniis Synodus Provincialis habeatur; imò jam anni sunt ferè nonaginta quod Belgium nostrum Synodum Provincialem congregatam non viderit.

Examinent ipsi Metropolitani aliive, qui ut Synodi cogantur curare debent, quomodò Deo & Ecclesiæ (quæ per multiplices pœnas, quas negligentibus minatur, enixam suam voluntatem sufficienter expressit) respondeant. Hoc sat constat, per hunc Synodorum neglectum, Ecclesiæ disciplinam ita esse collapsam, ut vix vestigium supersit, vitiaque omnia ubique ita invaluisse, & abundare, ut pro nihilo reputentur, & populus iniquitatem quasi aquam bibere videatur.

XII. Synodo Provinciali interesse debere, atque ad eam esse vocandos omnes totius Provinciæ Episcopos indubitatum est; & Canones suprà citati exprimunt. Imò si „ quis Episco„ porum commonitus à Metropolitano, (verba sunt Concilii „ Tarraconensis *can.* 6.) ad Synodum, nullâ gravi intercc„ dente necessitate, corporaliter venire contempserit, (sicut „ Patrum Statuta sanxerunt) usque ad futurum Concilium „ cunctorum Episcoporum charitatis communione privetur.“ *Dist.* 18. *can.* 14.

XIII. Si verò sint „ Episcopi, qui nulli Archiepiscopo sub„ jiciunt, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, in „ cujus Synodo Provinciali, (ait Synodus Tridentina loco ci„ tato) cum aliis interesse debeant; & quæ ibi ordinata fuerint, „ observent, ac observari faciant.“

XIV. Qui verò præter Episcopos ad Synodum Provincialem vocandi sint, non è jure scripto duntaxat, sed vel maximè à consuetudine desumi debet; quod & Synodus Tridentina innuit, dum monet Metropolitanum Synodum in sua Provincia cogere, „ quo Episcopi omnes, & alii, qui de jure „ vel *de consuetudine* interesse debent, convenire omninò te„ neantur.“

XV. Synodo Provinciali Cameracensi anno 1565. præter Episcopos Suffraganeos interfuere, atque eidem subscripserunt primo loco Capitulorum Cathedralium Deputati; post hos, variorum Ordinum Abbates, alii nomine proprio, alii per procuratores, deinde Abbatissæ quoque per suos procuratores.

Hos sequuntur Ecclesiarum Collegiatarum Deputati, quos excipiunt nonnulli Præpositi, Priores & una Priorissa. Denique subscribunt Archiepresbyteri, seu Decani Christianitatis Diœcesis Cameracensis, tam suis, quàm Curatorum suorum Decanatuum respectivè nominibus.

XVI. Quicunque verò præter Episcopos sive de jure sive de consuetudine Synodo Provinciali intersunt, votum *consultivum* duntaxat habere communiter receptum est, refertque Fagnanus *ad cap.* ET SI MEMBRA ✠ *de his quæ fiunt à Prælato &c. num.* 53. „ Abbates Commendatarios & Capitulorum „ Deputatos vocem duntaxat *consultivam* in Concilio Provin„ ciali habere. Episcoporum verò procuratores posse habere „ etiam *decisivam*, si Concilio Provinciali placuerit.“

Ita quoque responsum fuit à Pontifice auditâ priùs relatione Congregationis Concilii, occasione difficultatum quas ad Sedem Apostolicam remiserant Patres Concilii Rothomagensis anno 1581. & habentur responsa unà cum difficultatibus propositis, tomo 15. Conciliorum Generalium, *col.* 871.

XVII. Soli itaque Episcopi Comprovinciales cum Metropolitano vocem decisivam obtinent, unaque cum Metropolitano judicant; „ Si igitur Metropolitanus est unius sententiæ, „ & Suffraganei alterius, S. D. N. dixit, inquit Fagnanus, „ sententiam prævalere Suffraganeorum, & hoc quia habent „ votum decisivum, & sunt conjudices.“ *Ad cap.* SICUT OLIM ✠ *de Accusat. n.* 104.

XVIII. Eodem fundamento, „ Archiepiscopus non potest „ dissolvere Synodum, nisi de consilio, & assensu Coëpis„ coporum, nec nisi de eorundem consilio & assensu cuiquam „ silentium indicere, vel jubere aliquod scriptum, aut libel„ lum legi aut non legi, ait Fagnanus loco citato.“

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT I.

USUS, ET UTILITAS CONCILIORUM PROVINCIALIUM: CAUSA CUR EORUM CELEBRATIO FUERIT INTERRUPTA.

1 *Quid S. Leo V. seculo censuerit de celebrandis Conciliis Provincialibus.*
2 *Olim Romani Pontifices vix aliquid gravioris momenti extra Synodum decreverunt.*
3 *Decreta Romanorum Pontificum in majoribus negotiis non reputabantur olim Canonica, nisi essent Synodalia.*
4 *Romani Pontifices fideles Canonum custodes & executores.*
5 *Sensim periit consuetudo celebrandi quotannis Synodos Provinciales.*
6 *Duravit ille mos in Ecclesia Latina quandiu duravit Conciliorum Provincialium suprema auctoritas in judicandis Presbyterorum causis.*
7 *Harum Synodorum celebratio & auctoritas Decretalibus potissimum enervatæ sunt.*
8 *Illarum tamen celebrationem Ecclesia sæpiùs commendavit.*

* I. UT sætimetur certiùs, quàm frequens extiterit Conciliorum Provincialium celebratio, videndum est, quid Ecclesia de eorum utilitate olim senserit. Ad Nicænos Canones evidenter reflexit sanctus Leo scribens *epist.* 6. *cap.* 7. universis Episcopis per Siciliam constitutis: „ Quare illud pri„ mitùs pro custodia concordissimæ unitatis exigimus, ut, quia „ saluberrimè à sanctis Patribus constitutum est, binos in an„ nis singulis Episcoporum debere esse conventus, terni sem„ per ex vobis ad diem 3. Kalendas Octobris Romam *frater„ no Concilio* sociandi indissimulanter occurrant: quoniam ad„ juvante gratiâ Dei faciliùs poterit provideri, ut in Eccle„ siis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cùm „ coram beatissimo Apostolo Petro id semper in *Communi* „ tractandum fuerit, ut omnia ipsius Constituta, Canonum„ que Decreta, apud omnes Domini Sacerdotes inviolata per„ maneant.“

Evidens, Leonem hîc urgere observantiam Canonis V. Nicæni, quo statutum erat bis in anno Synodum Provincialem celebrari.

Unde & hîc loquitur sanctus Leo de solis Conciliis Episcoporum, qui Rom. Pontifici tanquam Metropolitani erant subjecti.

Constat enim, quòd jus Metropoliticum Episcopi Romani etiam tempore Concilii Nicæni, ad plures Provincias, sive Ecclesias plurimarum Provinciarum (quæ *Suburvicariæ* dicebantur) se extenderet: quodque etiam Sicilia sub hisce Regionibus suburvicariis ætate Leonis contineretur; ut proinde mirum videri non debeat, si ad Concilium ab Episcopo Romano tanquam Metropolitano evocarentur Episcopi per Siciliam constituti, ut hi cum ipso Episcopo Romano tanquam Metropolitano Concilium Provinciale, juxta Canonem Nicænum *bis* in anno celebrarent.

Quapropter & eosdem Episcopos per Siciliam constitutos redarguens in citata epistola, *cap.* 1. quòd Baptismus solemniùs, & frequentiùs apud ipsos conferretur in die Epiphaniæ, quàm in Dominica Resurrectionis, ait: „ Quam in culpam „ nullo modo potuissetis incidere, si *unde Consecrationem ho„ noris* accipitis, inde legem totius observantiæ sumeritis, & „ beati Petri Apostoli Sedes, quæ vobis sacerdotalis est mater „ dignitatis, esset ecclesiasticæ magistra rationis.“

Quo rursus evidenter stabilitur jus Metropoliticum Episcopi Romani per Siciliam, tanquam inter regiones suburbicarias constitutam.

Scitur enim, ordinationes Episcoporum juxta Canones Nicænos, quorum observantiam Leo mirum in modum urgebat, ad Metropolitanos spectâsse.

Quare juxta phrasim istius ætatis, Episcopos ad ordinationem alicujus Episcopi spectare, idem erat, atque illi Episcopo tanquam Metropolitæ subjici.

II. Insuper ex his evidens est, Sanctum Leonem nequaquam dubitâsse, Canones, notanter Nicænos, præcipientes bis in anno Synodos Provinciales celebrari, ipsam Ecclesiam Romanam, non secùs ac alias Ecclesias spectâsse: hinc & indubiè contigit primis seculis frequentissima fuisse Concilia Romana, ipsosque Romanos Pontifices, vix aliquid gravioris momenti extra Synodum decrevisse aut statuisse.

Hoc ipsum notavit Cardinalis Bellarminus *lib.* 1. *de Clericis*, *cap.* 16. inquirens enim, quâ ratione primitùs Episcopi non Cardinales præcederent, majorisque dignitatis æstimarentur, quam Cardinales Presbyteri aut Diaconi, eam inter alias assignat rationem, quòd eo tempore Episcopi non Cardinales ope-

operâ & consilio in regimine Ecclesiæ, Romano Pontifici solerent assistere, ejusque Consiliari essent, non autem soli Cardinales: „ Siquidem (ait) primis sexcentis, vel octingen„ tis annis summi Pontifices ad graviora negotia dijudicanda „ cogebant Concilia Nationalia Episcoporum Italiæ, quibus „ Conciliis intererant quidem Cardinales Presbyteri, sed tamen „ primus locus Episcoporum erat."

Igitur Bellarmino fatente primis sexcentis vel octingentis annis frequentissima celebrabant Romani Pontifices Episcoporum Concilia, eaque ad graviora negotia Ecclesiæ dijudicanda cogebant.

Notavit idipsum vir eruditus Lucas Holstenius in notis ad Concilium Romanum sub Bonifacio II. anno 531. celebratum monens, quòd dum Pontifices consulerentur de negotiis majoris momenti „ Synodos Episcoporum cogerunt, ut de ne„ gotiis his tractaretur & resolutio formaretur."

III. Imò Decreta Romanorum Pontificum in majoribus negotiis non fuisse reputata ut *Canonica*, nisi essent *synodaliter* probata & edita, neque ut talia à successoribus eorum reputata, probat professio fidei, quam novus Pontifex electus ante suam ordinationem emittebat, extatque in Libro Diurno Romanorum Pontificum, *cap.* 2. *tit.* 8. in hac enim profitetur Constituta & Decreta à Romanis Pontificibus prædecessoribus suis observare, sed cum hac restrictione, quæ *synodaliter* statuerunt.

IV. Hoc agendi modo ostenderunt Romani Pontifices, se esse fideles Canonum executores, & custodes: nihil enim adeo sacri Canones urgent, quàm eam frequentem Conciliorum celebrationem, ut ita majora negotia non unius Metropolitani judicio quasi monarchicè, sed in *communi* tractarentur, & deciderentur, quo possent se de assistentia Spiritus Sancti reddere securiores juxta illud Christi: *Ubi duo, aut tres fuerint congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.* Matth. cap. 18. Addit Bellarminus, quòd, eo tempore Episcopi non Cardinales operâ & consilio in regimine Ecclesiæ Romano Pontifici solerent assistere, ejusque Consiliarii essent. Si per hæc significare voluerit Bellarminus Episcopos hisce Conciliis duntaxat intervenisse tanquam Romani Pontificis *Consiliarios*, non autem ut *Judices*, quemadmodum cæteris Synodis Provincialibus Episcopi cum Metropolitano suo olim intervenerunt & hodie interveniunt, à vero aberravit Bellarminus.

Certum quippè est, Romanos Pontifices convocâsse bis in anno Episcopos ad celebrandas Synodos conformiter ad Canones Nicænos. Porrò evidens est, quòd Patres Nicæni, dum Synodos Provinciales celebrari præceperunt, voluerint, ut de majoribus negotiis Episcopi unà cum Metropolitano tractarent, & judicarent: idque ad exemplum Apostolorum, qui convenientes super quæstiones de observantia Legalium in *communi* deliberârunt, & quid tenendum & fidelibus proponendum esset, pariter deciderunt: Decretumque non sub unius Petri, sed omnium nomine conceptum fuit in verbis: *Visum est* NOBIS *& Spiritui Sancto, &c.* Actor. cap. 15. vers. 28.

V. Sensim labentibus seculis celebrationem Synodorum Provincialium quasi interiisse: sed quo tempore signanter in Ecclesia Latina flacessere cœperit, incertum est.

VI. Porrò notat Petrus de Marca de *Concord. Sacerd. & Imp. lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 3. celebrandorum Conciliorum Provincialium morem in Ecclesia Latina perdurâsse, quandiu perduravit horum Conciliorum *suprema auctoritas* in dijudicandis causis Presbyterorum, Monachorum, aliorumque Clericorum: notatque hanc supremam auctoritatem hisce Conciliis sartam tectam in Occidente conservatam fuisse, etiam ævo Caroli Magni, uti habetur ex Concilio Francofordiensi anno 794. celebrato, ubi *can.* 6. legitur: „ Statutum est à „ Domino Rege & sancta Synodo, ut Episcopi justitias fa„ ciant in suis Parochiis, si non obedierit aliqua persona Epis„ copo suo de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdia„ conibus, Monachis & cæteris Clericis, vel etiam aliis in „ ejus Parochia, veniant ad Metropolitanum suum, & ille „ dijudicet causam *cum suis Suffraganeis*: Comites quoque „ nostri veniant ad judicium Episcoporum, & si aliquid est, „ quod Episcopus Metropolitanus non possit corrigere, vel „ pacificare, tum tandem veniant accusatores cum accusato, „ cum litteris Metropolitani, ut sciamus veritatem rei."

Nec sanè obscurum est, hoc Canone Conciliorum Provincialium supremam auctoritatem in dijudicandis Clericorum causis & stabiliri, & recognosci, nullamque admitti appellationem à judicio Metropolitani cum suis Suffraganeis, sive Concilii Provincialis; hoc solum permittente Canone condemnatis, ut si post sententiam Concilii supersit adhuc aliqua controversia, accusans, & accusatus adeant Principem cum litteris Metropolitani, ut Rex *extrajudicialem* causæ cognitionem suscipiat auctoritatemque suam tribuat pro executione rei judicatæ, aut suam protectionem subditis, si contingeret eos opprimi in injuriam Legum, & Canonum, impartiatur, uti loquitur de Marca citato libro, *cap.* 14. *num.* 6.

Cùm verò in his Conciliis non tantùm causæ Clericorum sed & Laicorum, præsertim, quas hi habebant contra Clericos, agitarentur, & definirentur, non mirum, si & hisce Conciliis juberentur interesse Comites, ut & hi sua auctoritate similes causas secundum Leges definirent.

Quapropter Canone XXXV. hujus Concilii Francofordiensis edicitur: „ Si fortè inter Clericum, & Laicum fuerit or„ ta altercatio, Episcopus & Comes simul conveniant, & una„ nimiter inter eos causam definiant secundum rectitudinem."

VII. Indubitatum est harum Synodorum celebrationem multùm fuisse interruptam, & neglectam, postquam seculo IX. & sequentibus auctoritate falsarum Decretalium admitti cœperunt Clericorum appellationes ab his Synodis ad Romanum Pontificem, atque suprema auctoritas in hisce causis decidendis enervata fuit.

Et ex Epistola Hincmari Remensis nomine Caroli Calvi Imperatoris sub medium seculi IX. ad Joannem Papam VIII. missâ habemus, Episcopos Gallicanos contra has appellationes tanquam sanctis Canonibus, notanter Nicænis & Africanis, necnon inveteratis moribus contrarias insurrexisse, atque inter alia non veritos significare Pontifici, quòd si similes appellationes ulteriùs admittantur, à Synodis Episcoporum celebrandis abstinebunt.

Et sanè in hac epistola, signanter *cap.* 19. sat benè probatur, per has appellationes Synodorum judicata contra accusatos Presbyteros, cæterosque Clericos, & Monachos, etiam attrocium criminum reos, & de his plenè convictos omninò reddi inefficacia, ipsosque Episcopos multis molestiis, & gravibus incommodis exponi, si causas per appellationes Romam delatas ibidem prosequi juberentur. Integra Epistola extat inter Opera Hincmari Remensis.

Quantumvis dubium non sit, quin per admissas has ad Romanum Pontificem appellationes, & enervatam Synodorum in dijudicandis Clericorum causis auctoritatem, earum celebrationem contigerit intermitti, nihilominus & hoc certum est, modernum Synodorum Provincialium neglectum eo titulo, seu prætextu justificari non posse.

Certum quippè est hanc Synodorum celebrationem vel præcipuè commendatam & præceptam, ut in his de conservanda, vel restauranda disciplina in communi tractaretur: & quod recto spirituali regimini cujusque Provinciæ magis necessarium & opportunum esset, expenderetur, & ab abusus tollendos statueretur.

VIII. Quare harum Synodorum frequentiorem celebrationem urgere, & Episcopis præcipere non intermisit Ecclesia, etiam post erecta & recepta Ecclesiastica Tribunalia iisque præpositos Judices, quos hodie *Officiales* dicimus, coram quibus causæ Clericorum, seu criminales seu civiles, judicialiter, & juxta stylum forensem instruuntur, & deciduntur, uti *parte* 3. latiùs est expositum.

Unde fatendum est, deplorandam, quam hodie videmus disciplinæ ecclesiasticæ collapsionem, necnon abusuum, & vitiorum inundationem, neglectui harum Synodorum magna ex parte adscribendam esse.

CAPUT II.

Quæ in Concilio Provinciali tractanda.

1 *Synodus Nicæna vult Synodos haberi, ut excommunicationes ab Episcopis inflictæ examinentur.*
2 *Qui se læsos ab Episcopi existimant, in Synodis audiendi.*
3 *Accusationes etiam contra Metropolitanum in Synodo discutiendæ.*
4 *Causæ etiam criminales Episcoporum indistinctè olim in Synodis terminabantur.*
5 *Hodie distinctio adhibenda.*
6 *In Synodis vitia corrigenda, & mores reformandi.*
7 *Quis modus servandus in vitiis corrigendis.*
8 *Quæ ratio ineunda in reformatione morum.*
9 *Patrum disciplinam Episcopi sibi ob oculos ponere debent.*
10 *Zelus Mathiæ Hovii Archiepiscopi Mechliniensis in restituenda integrâ disciplinâ.*
11 *Ad integram reformationem suos animabat Metropolita Cameracensis.*
12 *Decretum S. Caroli pro assequendo feliciori Synodorum effectu.*
13 *Testes Synodales convenientes pro facilitando Synodorum optato exitu.*
14 *Ut perfecta morum, ac disciplinæ reformatio obtineatur conveniens est crebra Synodorum celebratio.*
15 *Id expertus fuit S. Carolus.*
16 *Quare in Synodis Belgicis immediatè post Synodum Tridentinam habitis, non sit expressa perfecta morum disciplina.*

I. SYnodus Nicæna postquam declaravit, ut obtineat sententia secundum Canonem, qui pronuntiat eos, qui ab aliis ejecti sunt, non esse ab aliis admittendos, subjicit: „ Exa-

„ Examinetur autem numquid vel pusillanimitate, vel contentione, vel aliqua hujusmodi Episcopi acerbitate, congregatione pulsi sint. Ut hoc ergo convenientem examinationem accipiat, rectè visum est, ut *singulis* annis in unaquaque Provincia *bis* in anno Synodi fiant.“ *Can.* 5.

Hîc manifestum est Synodum Nicænam indictas voluisse Synodos Provinciarum, ut examinetur, num Episcopi in excommunicatione ferenda rectè processerint.

II. „Propter utilitates Ecclesiasticas, & absolutiones earum rerum, quæ dubitationem controversiamque recipiunt, optimè placuit (ait Concilium Antiochenum *can.* 20.) ut per singulas quasque Provincias bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur.... In ipsis autem Conciliis adsint Presbyteri, & Diaconi, & omnes qui se *læsos* existimant, & Synodi experiantur judicium.“

Plura uno verbo complectens Synodus Chalchedonensis vult, „ut bis in anno eumdem in locum conveniant cujusque Provinciæ Episcopi, ut Metropolitanus meliùs esse perspexerit, & singula emergentina corrigant.“ *Can.* 9.

III. Primo itaque loco in Synodo Provinciali discutiendæ controversiæ seu quæstiones à quibuscunque ad Synodum delatæ. „Quapropter, inquit Fagnanus loco citato *num.* 41. expostulantium querelæ & accusationes non modo contra inferioris Ordinis Clericos, sed potissimùm contra *Episcopos*, ipsumque *Metropolitanum* æquis auribus excipientur, & prout justitia suaserit, terminabuntur.“

IV. Et sane negari non potest, quin controversiæ, atque querelæ Ecclesiasticorum, & Laicorum contra Episcopos in Synodis Provincialibus olim terminari solerent, imò & accusationes quascunque etiam in causis criminalibus, quæ depositione mulctandæ erant, in Synodis institui, & terminari solitas fuisse expeditum est.

V. Nihilominus quoad causas criminales Episcoporum hodie distinctio est adhibenda ex præscripto Synodi Tridentinæ, ut graviores quidem, quæ *depositione*, aut *privatione* dignæ sunt, ab ipso tantùm Summo Pontifice cognoscantur, & terminentur, uti suprà monui; minores verò in Concilio tantum Provinciali cognoscantur, & terminentur; quæ si pleniores probationes & cognitionem postulent, quàm ut brevi illo tempore, quo Synodus Provincialis est congregata, expedire possint, judicibus à Synodo Deputati cognoscendæ committentur ad præscriptum Synodi Tridentinæ, *Sess.* 24. *cap.* 5. *de Reformat.*

VI. Præter controversiarum ac querelarum decisionem, Synodis Provincialibus allaborandum est, ut vitia, abususque corrigantur, ac mores ad optimam sacrisque Canonibus conformem disciplinam revocentur. „Sicut olim à sanctis Patribus nostitutum, ait Concilium Lateranense sub Innocentio III. Metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis Provincialia non ommittant celebrare Concilia: in quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, præsertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum.“ *Cap.* 25. *de Accusationibus.*

VII. „In delictis corrigendis“ (inquiebat S. Carolus ad Patres in primo Mediolanensi Provinciali Concilio congregatos) „illa nobis ineunda ratio est, ut pro vi & modo morborum, ægrotorumque natura, medicinam accommodemus, nunc levibus admonitionis & objurgationis remediis errata castigantes, nunc acriori curatione utentes; denique exulceratis partibus ferrum & ignem admoventes, quemadmodum mali ratio, & contagionis periculum postulabit, memores semper nos esse Patres, non Dominos.“

VIII. „Morum autem disciplinam, pergit zelosissimus Antistes, facilè restituemus, si qua ratione, quibusve factis primùm constituta, diuque conservata est, eandem nos in restituenda adhibebimus, illorum vestigia persequentes, qui hanc bonorum amplitudinem nobis, Deo auctore, sua virtute pepererunt. Proponamus nobis quæso, Patres, illorum vitæ sanctitatem, & in administratione sui officii sapientiam. Erant integri, casti, simplices, modesti, humiles, benè morati, in oratione & lectione assidui, sui despicientes, in alienæ salutis cura & cogitatione defixi, consilio & operâ benigni, hospitales, in domestico cultu & victu parci, in alios beneficii & liberales. Erant vigilantes super gregibus suis, vineam Domini summa diligentiâ & labore colentes & custodientes. Pascebant assiduè oves sibi commissas triplici salutis cibo, verbo, exemplo, & Sacramentis; memores quoque, & imitatores summi Pastoris Christi, qui pro universo grege suo sanguinem & vitam profudit, ipsi pro suarum ovium incolumitate quemvis excipere laborem, subire omnes casus, omnem vim atque injuriam perferre, denique ut bonus ille Pastor Evangelicus, animam suam pro ovibus ponere non dubitabant, nullum inde hujus vitæ fructus expectantes, ut maximos cœlestis retributionis fructus consequerentur. Hæc si, ut debemus, Patres, ante oculos habebimus, facilè intelligemus, quid in restitutione ecclesiasticæ disciplinæ nobis sit hoc tempore agendum. In quo illud etiam animadvertendum erit, ut quemadmodum in conformanda, & constituenda ecclesiastica ratione Christus Dominus ab ipsis Apostolis, quos christianæ vitæ magistros esse voluerat, initium fecit, sic nos à nobis ipsis Pastoribus, quos vivendi exempla, & præcepta aliis tradere oportet, in conformanda restituendaque morum disciplina exordiamur.“

IX. Quam verò morum disciplinam restaurare, aut ut minus præ oculis habere debeant Episcopi ab ipso rursus Sanctissimo Metropolita accipiamus. „Non adumbratam quandam (ait ad Patres in secundo Provinciali Concilio congregatos) sed expressam illam disciplinæ christianæ formam, afflante Spiritu Sancto, Decretis nostris restituere curemus, quam pascente Ecclesia instituit *vivus sermo Dei & efficax penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.* Nam si vitiorum semina non funditùs tollere studemus, sed satis id esse putamus, ut externa quædam tantùm, quæ oculis offensionem in vulgus præbent, quasi levi manu emendemus, id nobis eveniet quod agriculis, qui dum herbas inutiles radicitùs evellere negligunt, quæque solum è terra extant, amputant, ne agrum quidem à stirpibus noxis purgant, sed etiam quod planè nolunt, id sanè efficiunt, ut uberiores paucis post diebus emanent. Nec verò est, cur à muneris nostri ratione deterreamur, vel quia his pastoralibus nostris studiis actionibusque animos eorum exulcerari videamus, qui filii sunt perditionis, vel quia populares illæ, quibus quasi ficus foliis deformes, pravique mores contegi solent, voces audiantur: Non ferunt hæc tempora veterum Canonum severitatem: sic jamdiù viximus, sic vixerunt, ita egerunt qui ætate antecesserunt, vitæ institutum nihil est quod mutemus. At nos hæc, atque adeo alia ejusmodi contemnamus, proponamusque nobis ob oculos libertatem illam spiritus, & virtutem, quâ armati patres nostri Apostoli, qua muniti Martyres, qua instructi nostri ordinis sanctissimi homines, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius, hujus Ecclesiæ antistes; quâ affecti alii religiosi viri, Apostolico quodam animorum ardore flagrantes, nullis non minis, non hominum clamoribus, non furoribus quasi tribunitiis fracti, nec debilitati, pro Dei gloria, pro gregis commissa salute, forti constantique animo adhibuerunt illam quasi censoriam virtutem, acerrimam peccatorum vindicem. Eorum ferè exemplo adducti nos quoque Apostolica illa constantia, & Evangelicâ virtute, quâ una nihil est in Ecclesiasticis Pastoribus illustrius, nihil magis necessarium, sine metu, & constanter certè agamus, atque adeo perficiamus, quod Evangelium docet, quod Christus jubet, quod ratio præcipit, quod gregis salus, quod Ecclesiæ auctoritas dignitasque postulat.“

X. Eodem spiritu suos animabat magnus ille Mechliniensis provinciæ Metropolita Matthias Hovius: „Evellamus, inquit, quæ in agro Dominico deprehenderimus succrevisse zizania, quæque in atriis Domini subnata virgulta: destruamus malè fabricata per præteritorum temporum nimiam licentiam: plantemus è diverso salutarium legum sanctarumque constitutionum surculos, unde piorum operum, & vitæ verè ecclesiasticæ fructus proveniant.“ In Oratione habita in Synodo Provinciali.

XI. Et Cameracensis Metropolita Ludovicus Berlaymontius, postquam exposuisset, quomodo in Synodo summa animorum concordia, ac benignitate, & mansuetudine ad emendationem defectuum & morum reformationem esset procedendum, concludit: „Atque ita totius hujus convocationis scopum fuisse cognoscetis, ut mecum pro reformanda Ecclesia nostra consideretis solicitè, quæ deesse & deficere nostris & ejus rebus videantur, quin etiam quæ impedire possint fructus, & effectus nostrarum constitutionum, & quibus præcipuè remediis & medicamentis languentes tantopere hujus Provinciæ Ecclesias sublevare, sanare & in pristinam status sui valetudinem restaurare, Deo cooperante, possimus, judicetis.“

XII. Ut hic Synodorum fructus haberi commodiùs possit saluberrimum est S. Caroli in Synodo sua IV. evulgatum Decretum, nimirum: „Eo religiosiùs & frequentiùs Episcopus unusquisque in oratione, & precibus, & Sanctissimis Sacrificiis, illo præsertim tempore, quo diem habendæ Synodi instare cognoverit, versari studebit; quo planiùs se ad rerum gravium consultationem & deliberationem vocatum esse videt.

„Quo autem instructior ad Synodalium rerum tractationem conveniat, perquirat primò, quæ Tridentina, & Provincialia Decreta executus sit, quæ non item. Videat præterea, quæ ab aliis, quorum interest, præstita non sint, quæve non serventur.

„Hæc verò accuratè investiget in primis, an qui vel jure, vel consuetudine, vel alia quavis ratione residere debent, ipsi resideant, atque residentiæ munera per eosdem præstentur.

„An Regulares exequantur, quæ Tridentinâ constitutione de eis sancita, in defectum Capitulorum generalium in Provin-

„ vinciali Concilio supplenda, providendave sunt, ejusdem „ Concilii Tridentini decreto.

„ Diligentissimè quoque indaget, si quæ superiorum Pro„ vincialium Synodorum Decreta sunt, quæ in sua Diœcesi exe„ cutionem non habuerint.

„ Id denique omni christianæ disciplinæ studio perspiciat, „ si quæ sunt, quæ pro corrigendis moribus, pro abusibus tol„ lendis, pro controversiis componendis, aut alia pro universæ „ Provinciæ ecclesiasticâ & christianâ morum gubernatione sanc„ tè instituenda vel restituenda tractari aut decerni in Conci„ lio oportet.

„ Quo studiosius autem id omne præstet, paucis antè die„ bus, quam Synodi Provincialis stata, & indicta dies vene„ rit, urbis, Diœcesisque suæ sacerdotes aliquod pietatis ze„ lo flagrantes, rerumque Ecclesiasticarum peritiâ atque usu „ præditos, ut expedire videbitur, convocet; quibuscum agat „ de iis singulis Conciliarium rerum tractationibus, ac præ„ sertim, quæ ad vitæ christianæ & ad clericalis disciplinæ „ instituta interesse possunt."

XIII. Præterea ad assequendum Synodorum præcipuum scopum, nimirùm vitiorum extirpationem, & morum reformationem, non parum efficax erit exacta observatio Decreti Concilii Lateranensis sub Innocentio III. *in Cap.* 25. ✠ *de Accusat.* ut Episcopi „per singulas Diœceses statuant perso„ nas idoneas, providas videlicet, & honestas, quæ per to„ tum annum simpliciter & de plano absque ulla jurisdic„ tione solicitè investigent, quæ correctione, vel reforma„ tione sunt digna, & ea fideliter perferant ad Metropolita„ num & suffraganeos & alios in Concilio subsequenti, ut „ super his & aliis (prout utilitati & honestati congruerit) „ providâ deliberatione procedant."

Hæ personæ vulgò dicuntur Testes Synodales, de quibus supra fusius actum est.

XIV. Hanc perfectam, ac integram pristinæ disciplinæ normam, quam Episcopi tanquam formam sibi præscriptam continuò intueri debent, quia temporum, ac personarum conditio restituendi interdum non patitur, prudenter Ecclesia instituit, ut Synodorum celebratio nunquam intermitteretur; quo fieret, ut quòd primò obtineri haud potuit, sequentibus sensim obtineatur; atque ad integram reformationem & perfectam quandam morum disciplinam gradatim, & suaviter populus ducatur.

XV. Id expertus fuit S. Carolus, quemadmodum in sua ad Patres Concilii sui II. oratione aperuit, unà vel hoc titulo Coëpiscopis suis persuadere studens, quàm necessaria esset frequens Synodorum celebratio. „ Quo tempore, inquit, „ huc primò in Concilium convenimus; populis nostris, tan„ quam parvulis, aut certè infirmioribus, si præter lac escam „ dedimus, at solidiorem cibum tùm præbere vix potuimus; id„ que Christo Domino Magistro, qui multa cùm haberet, quæ „ Apostolis diceret, non omnia tamen uno tempore eos do„ cuit, propterea quod ad ea portanda tunc sanè essent mi„ nus idonei. Et quemadmodum is longo temporis progressu, „ tum excitatis Sanctorum Patrum mentibus, tum Sacrosanc„ tis habitis Conciliis, Ecclesiam suam doctrinæ splendore „ indies magis atque magis illustrare voluit, cum vel momento „ temporis id ipsum præstare potuisset, sic nobis, qui Matrem „ Ecclesiam colimus, atque observamus, illud ab ejus be„ nignitate sperandum est, ut & nunc, & in posterum, „ prout temporum ratio requiret, ea patefaciat, atque ape„ riat, quæcunque superioris nostri Concilii temporibus non „ opportuna ipsius Dei Spiritus non suggessit, ut illa fidelibus „ nostris tunc traderemus."

XVI. Quid igitur mirum, si in Belgicis Synodis sub finem præteriti, vel initium præsentis seculi celebratis, quæ summa erat in Clero deformatio, & totius penè disciplinæ conculcatio, ac rerum civilium summa perturbatio, integram morum disciplinam restitutam non videamus? Sed illud dolendum, quòd qui Ecclesiæ pro Patribus nati sunt filii, tanquam providi Architecti, super fundamento à patribus posito superædificare non perrexerint, ipsumque opus ad perfectum perducere non studuerint.

Ad hæc consideret quisque (verba sunt Mathiæ Hovii in oratione Synodali) nullum agrum, nullum hortum tam benè excultum, qui non subinde indigeat expurgatione, & rastro: Nullam quoque tam exactè ædificatam domum, quæ non aliquando restaurationem requirat. Quocirca & mirâ providentiâ Spiritus Sanctus Ecclesiam suam regens, per Sacrum Concilium Tridentinum mandavit, in omni Provincia Concilium singulis trienniis, in omni Diœcesi singulis annis cogendum.

CAPUT III.

Qui Decreti Synodorum Provincialium sint subjecti, et de confirmatione Sedis Apostolicæ super his Synodis.

1 *Qui Episcopis subjiciuntur quocunque titulo, etiam his Synodis subjiciuntur.*
2 *Exhortatio Archiepiscopi Mechliniensis pro obedientia Decretis Synodorum exhibendâ.*
3 *Quare postremis temporibus pro confirmatione recursum fuerit ad Sedem Apostolicam.*
4 *Synodus Provincialis Mechliniensis prima petiit confirmationem à Sede Apostolica.*
5 *Nonnulli articuli reformationis istius Synodi missi fuerunt ad Archiepiscopum Mechliniensem.*
6 *Exemplar litterarum, cum quibus dicti articuli missi fuerunt.*
7 *Reformationes seu annotationes editæ non fuerunt, nec Decreta Synodi immutata.*
8 *Refertur quædam illarum annotationum, ex quodam manuscripto; & primùm ad titulum De* Sponsalibus.
9 *Annotatio ad Titulum De* Jejuniis.
10 *Ad Titulum De* Sigillis.
11 *Ad Titulum De* Ministris Ecclesiæ.
12 *Ad Titulum De* Decanis.
13 *Ad Titulum De* Seminariis.
14 *Ad Titulum De* Unionibus.
15 *Synodus Provincialis Mechliniensis II. conformationem Sedis Apostolicæ petiit & obtinuit.*
16 *Aliqua in ea fuerunt mutata, sed quæ, ignoratur.*
17 *Plures Synodi Provinciales similiter in Gallia cofirmatæ fuerunt.*
18 *Synodi Mediolanenses S. Caroli per speciale Breve confirmationem Sedis Apostolicæ obtinuerunt.*

I. QUin exempti in omni materia non exempta, & omnibus iis casibus, quibus vel ex speciali Sedis Apostolicæ vel Concilii Tridentini Decreto Episcopis subjiciuntur etiam statutis, ac ordinationibus Conciliorum Provincialium obedire teneantur, dubitari nequit: cùm in hasce ordinationes non unius duntaxat Episcopi, sed omnium Episcoporum totius Provinciæ auctoritas concurrat, & influat.

Hinc teste Fagnano ad *Cap.* Et si membra ✠ *De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli, n.* 51. & 52. declaravit Sacra Congregatio, „ ad observationem Concilii Provin„ cialis omnes esse obligatos, qui jurisdictioni Episcoporum „ subjiciuntur: exemptos etiam in casibus, in quibus à ju„ re communi, & Concilii Tridentini Decretis, specialiter „ Episcopis aut Concilio Provinciali in ipsos potestas tributa „ est, & contra inobedientes esse procedendum."

II. Optandum sanè esset, ut „ nemo contra id quod ve„ rum, justum & sanctum est, quod Canonibus veteribus, „ quod denique novo juri Sacrosancti Concilii Tridentini con„ forme, sui Capituli, sui Monasterii, suæ Ecclesiæ consue„ tudines alleget (verba sunt Matthiæ Hovii Archiepiscopi „ Mechl. in citata oratione) sed evelli obedienter patiatur, „ quod per inolitam consuetudinem malè succrevit, ut me„ liori plantæ locus fiat: nemo hîc jus acquisitum contra „ jus in Sacris Canonibus, aut sancto Concil. Trident. sanci„ tum alleget: nemo privilegia contra intentionem dantis ex„ tendat, aut abrogata obtendat: nemo denique se à Dei le„ ge, aut Apostolicæ Sedis Delegatis, exemptum putet. Hor„ tor autem vos paucis, cum Apostolo dicente: *Obedite Præ„ positis vestris, & subjacete eis; ipsi enim pervigilant tan„ quam rationem redituri pro animabus vestris.* Seriò consi„ deret quisque, nullum agrum, nullum hortum tam benè „ excultum, qui non subinde indigeat expurgatione, & ras„ tro: nullam quoque tàm exactè ædificatam domum, quæ „ non aliquando restaurationem requirat. Quocirca & mira pro„ videntiâ Spiritus S. Ecclesiam suam regens, per sacrum Con„ cilium Trident. mandavit, in omni Provincia Concilium sin„ gulis triennis, in omni Diœcesi singulis annis cogendum. „ Quod totum dubiè frustraneum, & illusorium erit, nisi ad„ sit, ut antè diximus, vera obedientia; quæ ubi deesse solet „ & Conciliorum celebratio, & ipsa quoque religio tandem „ perire solet."

III. Quia his postremis temporibus frequenter ipsi Exempti, præsertim Regulares, prætextu suarum exemptionum se subjicere renuebant Decretis Synodorum Provincialium, etiam in materia non exempta, aut quoad Decreta totius Provinciæ regimen concernentia; indeque Decretorum optata executio impediretur, quin & in contemptum & vilipendium populi adducerentur, dum illa à Regularibus neglegi aut etiam contemni videbat, Episcopis visum fuit, à Sedem Apostolicam recur-

re-

rere, ut ab ea Decretorum Synodalium approbatione & confirmatione obtentâ facilior, promptior, atque efficacior Decretorum haberetur executio, atque omnis subtraheretur iis obloquendi, aut ea carpendi occasio; quando ea à Sede Apostolica probata & confirmata intelligerent illi præsertim, qui privilegia sua unicè Sedi Apostolicæ accepta referre debent: & cui illa interpretandi auctoritas competit.

Et quidem plerasque Synodos Provinciales post Synodum Tridentinam habitas, Sedis Apostolicæ confirmationem seu aprobationem postulâsse, & obtinuisse, ex eorum Actis liquet.

IV. Synodi Provincialis Mechliniensis, habitæ sub Cardinali Granvellano primo Mechliniensium Metropolita Decreta Sedi Apostolicæ fuisse præsentata: innuit hæc finalis Synodi clausula: „Submittens se suaque omnia *beneplacito* Sanctæ Sedis Apostolicæ, quam humiliter rogat, ut eadem, quo „meliorem habeant progressum, suâ auctoritate roborare dig„netur.“

V. Nihil quidem impressa Synodi hujus exemplaria de hac Sedis Apostolicæ roboratione, aut judicio ejusdem Sedis de Synodalibus hisce Decretis habent; at in quodam libro, quem Bibliothecæ Collegii Mechliniensis in Academia Lovaniensi domo dedit Claudius Verrydt Archipresbyter Rothnacensis, habetur manu ejus propiâ exaratum exemplar articulorum reformationis dicti Concilii Mechliniensis, quod post petitam ejusdem Concilii à Sede Apostolica confirmationem cum litteris clausis missum fuit à Deputatis ex ordine Interpretum Concilii Tridentini ad Cardinalem Granvellanum Archi-Episcopum Mechliniensem.

VI. Litteræ erant directæ ad Cardinalem Granvellanum Archiepiscopum Mechliniensem in hæc verba, „Illustrissime & „Reverendissime Domine noster colendissime. Cum Amplis„simorum Patrum sacri Concilii Trident. Interpretum Ordo „Provincialem Synodum Mechliniensem nobis seorsim tribus „inspeciendam atque discutiendam dederit, ea cura, ut si „quid in eo nobis notatione dignum videretur, id ad Ordinem „ipsum referremus. Cùmque nos injuncto nobis muneri sanè & „accurate, quantum in nobis fuit, satisfecerimus; nonnullaque „notaverimus, quæ attentiùs consideranda, atque etiam refor„manda duximus: Visum nobis est pro ea quæ amplitu„dini tuæ Illustrissim. à nobis debetur observantia, ea priùs „diligenter præscripta cum his ad eam litteris mittere, una„que illi rationem, qua moti fuimus, explicare. Proinde Am„plitudinem tuam Illustriss. rogamus, ut cum primum per „arduas, atque immensas occupationes licuerit, quid & ipsa „sentiat, quidque nobis faciendum judicet, planè nobis aper„teque significet. Nos interim illi omnia fausta plenè felicia „cupimus & precamur. Romæ die 25. Maji 1571. subscrip„tum, Stanislaus Cardinalis Warmiensis: J. L. Cardinalis Ur„sinus: Claudius de Aqua viva. Et superscriptum: Illustris„simo & Reverendissimo Domino Cardinali Granvellano Do„mino nostro observantissimo.“

In eodem libro eadem manu exaratæ sunt annotationes ad plura ejusdem Synodi Decreta; de quibus in dictis litteris trium Cardinalium, quibus à Congregatione super interpretatione Concilii Trident. examen Concilii Provincialis Mechliniensis demandatum fuerat.

VII. Quid tandem à Granvellano responsum sit, nescio; id constat, Decreta illius Synodi nullam ex dictis annotationibus mutationem accepisse; sed edita esse, hodieque extare quemadmodum Romam missa fuerant; uti ex collatione Decretorum cum dictis annotationibus, quarum præcipuas hîc ex dicto M. S. subjicio, poterit videri.

VIII. Titulo de *Sponsalibus* & *Matrimonio*, ad *cap.* 4. & 5. hæc erat observatio: „Non est permittendum, ut à vo„lentibus contrahere Matrimonium, aliquid *exigatur*: ideo lo„co illorum verborum: *Decani autem* &c. opponatur, pro„hibitio: *Decani autem & Pastores, ratione hujus examinis „nihil recipiant.*“ Et in capite sequenti „ibi: *Atque Episcopi,* „ab illo verbo deleantur: & ibi, *litterarum*, dicatur, *quæ „gratis dentur.*“

Ad *Cap.* 7. *ibid.* „Non expedit pecuniariam legi pœnam „apponere; quæ pro modo culpæ quandoque augenda, quan„doque minuenda est. Satius esset simpliciter manere præcep„tum, delendo illud, *sub pœna.*“

IX. Titulo *De Jejuniis*, ad *Cap.* 1. „Exprimantur vigi„liæ aliorum Apostolorum præter Joannis Evangelistæ, Philip„pi & Jacobi, juxta *Cap.* 2. *de Observat. jejun.* nam commu„nis sententia excludit contrariam sententiam.“

X. Titulo *De Sigillis* ad *Cap.* 2. & 6. „Quoad prius con„sulenda est Sacra Congregatio, an quoad illa locum habeat Con„cil. Trid. *Sess.* 21. *cap.* 1. *pro litteris*: & juxta illud sit li„mitandum. Et ex *Cap.* 6. delendum est quod dicitur, *de ap„plicando fabricæ & seminario*, ne contra mentem Concilii „*cap.* 10. *Sess.* 21. ex hujusmodi proventibus, indirectè com„modum aliquod proveniat. Et *Cap.* 5. ibid. delendum est.“

XI. Titulo de *Ministris Ecclesiæ*, ad *cap.* 7. Consulenda „est Congregatio, an sit bonum declarare absolutionem nul„lam. Et consideretur *Cap.* 15. *Sess.* 13. *Concilii Trid.* Eo„dem capite, considerandum est, an melius sit omittere *sal„tem mortalia*, an potius dicere licet: *mortalia tantùm de „necessitate confiteri teneantur*; quia tamen periculosum est „discernere venialia à mortalibus, doceantur omnes.“

XII. Titulo de *Decanis*, ad *cap.* 6. „Ante verbum *dispo„sitionem* dicatur: *formam traditam à Concilio Tridentino:* „& inferiùs post verbum *necessaria* deleantur illa: *Locorum „Episcopis auctoritate ejusdem Concilii committit*, sed dica„tur: *servatis tamen quæ idem Concilium super hoc salu„briter statuit.* Nam est caput 18. *Sess.* 24. quod quam Epis„copis, & Provinciali Synodi det facultatem addendi, vel „minuendi circa formam examinis, non tamen omnia circa „examen eorum voluntati remittit, ut etiam omisso examine „valeat collatio; quod verba Synodi inferre videntur.“

XIII. Titulo de *Seminariis* ad *Cap.* 2. „Deleatur verbum, „*Seminaria*, & addatur post verbum *cura*, *Seminario.* Con„sulenda tamen est Congregatio, an quæcunque jam institu„ta Seminaria, an verò destinata tantùm, credat quod ad alen„dos pueros Seminario sint applicanda.“

XIV. Titulo de *Unionibus* ad *cap.* 2. „ibi: *ad proportio„nem*, deleantur verba illa, *quatuor* usque ad finem. Ibidem in fine deleantur verba: *Infra dictam taxam*: & dicatur: „*ad proportionem aliquam prout attentis circumstantiis, judi„caverint expedire, reduci posse.*“

Ad *cap.* 3. ibid. „Deleatur illud *juxta taxam præscrip„tam*: & addatur: *non admittantur nisi de competenti eleë„mosyna arbitrio Ordinarii Sacerdotibus provisum fuerit.* Ab„sonum est in lege inveniri quasi præscriptum pretium Mis„sæ Sacrificio.“

XV. Decreta Synodi Mechliniensis sub Hovio an. 1607. habitæ, per Dyonisium Chrystophori Canonicum, & Scholasticum Ecclesiæ Brugensis de mandato Episcoporum Romam fuisse delata pro obtinenda confirmatione, constat ex Brevi Pauli V. super confirmatione dictæ Synodi, quod ad calcem Synodi extat. Ex quo insuper constat, eadem Decreta recognita fuisse à Cardinalibus Interpretibus Sacri Concilii Tridentini; atque *nonnullis mutatis*, auctoritate Apostolica fuisse aprobata, hortaturque, atque auctoritate Apostolica, quam à „Dei benignitate licèt immeriti accepimus, inquit, jubemus, „ut ejus Synodi Decreta omnia, quæ ad Sacrorum Canonum „præscriptum omnes istius Provinciæ Episcopos, omnesque, „eorum Diœcesanos obstringunt, ab omnibus quàm diligen„tissimè ac inviolatè serventur.“

XVI. Quæ sint *mutata* illa, de quibus in Brevi Apostolico, hactenus mihi sciri non licuit: sicuti nec quæ fuerint *protestationes*, quas Cardinalis Pamphilius in suis secundis litteris ad Archiepiscopum Mechliniensem, in Synodo habitas, ac in ipsa Synodi calce descriptas, atque in ipsa Congregatione perlectas, expensas, ac ponderatas fuisse, asserit.

XVII. Synodi quoque Provinciales sub idem tempus in Regno Galliæ habitæ, Decreta sua Sedi Apostolicæ submiserunt; eaque à Sacra Congregatione examinata, & in nonnulis plerumque emendata, seu mutata receperunt; uti ex Actis illarum videre licet.

XVIII. Testatur quoque Fagnanus, „Concilia Provincia„lia Mediolanensia aprobari consuevisse à Summo Pontifice per „litteras in forma *Brevis*: cùm tamen alia Provincialia Conci„lia non confirmentur, sed tantummodo recognoscantur, & „emendentur à S. Congregatione Concilii, ad præscriptum „Sixti V. super institutione ejusdem Congregationis.“ *Ad Cap.* FIRMITER *de summa Trinitate*, *num.* 48.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT III.

EXPONITUR MOS POSTULANDI A SEDE APOSTOLICA CONFIRMATIONE SYNODORUM PROVINCIALIUM.

1 *Mos ille ante promulgatas Decretales Epistolas non obtinebat.*

2 *Post receptum Gratiani Decretum invalescere cœpit.*

3 *Tunc ratum non habebatur Concilium, nisi auctoritas Sedis Apostol. accederet.*

4 *In Decreto Tridentino præcipitur, ut singulis triennis Synodus Episcoporum in singulis Provinciis cogatur, sed nihil occurrit de confirmatione à summo Pontifice petenda.*

5 *Hanc tamen confirmationem esse necessariam declaravit Congregatio Concilii Tridentini Interpres.*

6 *Declarationes hujus Congregationis vim legis non obtinent, neque in Belgio, neque in Gallia.*

7 *Quædam in Decretis Synodorum Belgicarum mutârunt revi-*

sores Romani, sed nulla harum immutationum ratio habita est.

* I. Mos ab aliquod seculis invaluit, ut à Sede Apostolica Synodorum Provincialium confirmatio & approbatio peteretur; atque etiam post Tridentinum Synodum, & in Gallia & in Belgio postulata per Episcopos aliquando fuit.

Observat autem Vir clarissimus Petrus Pithæus in commentario ad libertates Eclesiæ Gallicanæ *cap.* 10. „ Non reperiri, „ quòd ulla Synodus Gallicana octo primis seculis ullam à Sede „ Apostolica Decretorum suorum confirmationem postulaverit."

II. At post publicatas falsas Decretales primis Romanis Pontificibus suppositas, ac notanter post editum & receptum Decretum Gratiani invalescere cœpit opinio, præsertim apud Romanos, nullam Synodum cogi, aut ejus Decreta rata esse posse, nisi Sedis Apostolicæ accesserit assensus.

In supposititia enim Epistola Marcelli Papæ ad Magentium, apud Gratianum *dist.* 17. *can.* 1. legitur: „ Synodum Episco- „ porùm *absque hujus sanctæ Sedis auctoritate* (quanquam quos- „ dam Episcopos congregare possitis) non potestis regulariter „ facere."

III. Et ipse Gratianus referens *dist.* 17. *can.* 3. fragmentum suposititicæ Decretalis sub nomine Julii Primi ad Orientales, Canoni hoc summarium præfixit: *Non est ratum Concilium, quod auctoritate Romanæ Ecclesiæ suffultum non sit.*

Horum itaque auctoritate tandem invaluit opinio, Concilia Episcoporum rata non esse, nisi auctoritas Sedis Apostolicæ intervenerit, quod & notavit Vir clarissimus Claudius Fleury in sua Historia Ecclesiastica, & notanter in quarto Discursu historico *numer.* 2. unà ibidem observans, ob hanc persuasionem indubiè factum, ut nulla penè Synodus à seculo XII. legatur celebrata, cui non interfuerit & præsederit Legatus Romani Pontificis.

Hanc fuisse Romanorum persuasionem tempore Concilii Tridentini, testatur Franciscus de Vargas in Epistola, quam Tridentino scripsit 26. Novembris anno 1551. ad Episcopum Attrebatensem, Cardinalem Granvellanum.

Scribit, enim quòd inter articulos instructionis per Carolum V. Imperatorem missos, ut Patribus Concilii Tridentini proponerentur, *Sess.* 14. *sub Titulo* 3. fuerit articulus de *cogendis Synodis Episcoporum*, quodque hic articulus Patribus propositus multùm conturbaverit Legatum Pontificis.

Post hæc scribit suam opinionem fuisse, articulum non proponendum; eo quòd ipse jam novisset prætensiones Papæ, ejusque Ministrorum: quodque tot jam esset de celebrandis his Conciliis edita Decreta, ut superfluum videretur, novum rursus ea de re Decretum publicare. Addit denique, „ quòd „ Pontifices efficiant, ut Synodi Provinciales restitui nequeant, „ nisi eo, quo ipsis placuerit, modo; eaque conditione, quòd „ hisce Synodis semper intersint Legati, sive Præsides, qui „ *vice sua* iisdem præsideant; atque hoc pacto fiat, quòd Cu- „ ria Romana integrum Ecclesiæ Corpus sibi ita subjectum te- „ nebit, ut tandem nullus particularis audeat, vel in minimo „ resistere."

IV. Porrò hâc decimâ quartâ sessione sub Julio III. habita, nihil de cogendis Episcoporum Synodis Decretum legitur forsan, quia Cæsaris Oratores id urgere conveniens tunc non judicabant. At nec in Decreto *Sessionis* 24. *cap.* 2. quo præcipitur singulis triennis Synodum Episcoporum cogendam, nihil occurrit de assistentia, aut præsidentia Legati Apostolici, vel confirmatione aut approbatione postulanda aut obtinenda à Sede Apostolica.

Verùm cùm in Curia Romana ea esset recepta opinio auctoritate Gratiani, Decreta Synodorum non posse suum plenum habere effectum, & firmitatem, nisi postquam per Sedem Apostolicam essent probata, Decretum Concilii Tridentini in Curia Romana ita receptum fuit, ut quidem conformiter ad hoc Decretum, de triennio in triennium deberet haberi Concilium Provinciale in singulis Provinciis, sed tamen statuta plenum non haberent effectum, & executionem, antequam per Sedem Apostolicam essent revisa & probata.

V. Cum hâc moderatione Decretum Concilii Tridentini in Curia Romana receptum, & intellectum fuisse, evincit declaratio sacræ Congregationis Cardinalium super interpretatione Concilii Tridentini die sexta Aprilis 1596. relata inter declarationes Cardinalium ad calcem dicti *capitis* 2. *Sess.* 24. *de Reformatione* his verbis: *Quæ in Conciliis Provincialibus conduntur, publicari non debent inconsulto Pontifice.*

Hujus declarationis meminit & Petrus de Marca, *lib.* 6. *de concord. Sacerd. & imp. cap.* 4. *num.* 12. sub finem addens: „ Dissimulandum non esse, Cardinales per hanc declarationem „ auctoritatem Synodorum Provincialium limitibus quibusdam „ circumscripsisse, *vim apertam* inferendo verbis Tridentinæ „ Synodi."

VI. Monet & ibidem de Marca: *Declarationes illæ vim legis non obtinent in Gallia.*

Neque in Belgio has declarationes vim legis habere notorium est, & non semel in hoc opere notavimus: ac notanter hanc declarationem in Belgio agnitam non fuisse, neque creditum Decretorum Synodalium auctoritatem à confirmatione Romana dependere certum est.

VII. Scitur quidem, Synodorum Provincialium, quæ post Concilium Tridentinum in Provincia Mechliniensi sub Cardinale Granvellano anno 1570. & sub Matthia Hovio anno 1570. celebratæ fuêre, confirmationem à Sede Apostolica fuisse postulatam, eumque in finem, etiam Decreta Romam transmissa, atque nonnulla ex illis Decretis per Romanos Revisores fuisse immutata. Verùm & hoc scitur, in Belgio nullam harum immutationum rationem habitam fuisse; sed Decreta Synodalia, prout per Episcopos fuerant edita, & à Principe probata vim suam habuisse & juxta illa hactenus observata fuisse, uti hoc Capite item Parte prima *tit.* 30. *cap.* 4. *num.* 16. notatum fuit.

CAPUT IV.

Quæ Principum circa Synodos Episcopales auctoritas.

1 *Synodi interdum per Principes convocatæ sunt.*
2 *Probatur ex Actis Synodorum.*
3 *Synodi olim vix sine licentia Principis fiebant.*
4 *Hodie ægrè permitteretur Synodus congregari sine Principis licentia.*
5 *Nulla hic penè Synodus, in cujus indictione mentio licentiæ Principis non occurrat.*
6 *Ex Synodo Turonensi probatur necessitas hujus licentiæ.*
7 *Synodus Rhemensis de licentia Regis indicta.*
8 *Cameracensis similiter meminit obtentæ licentiæ.*
9 *Archiepiscopus Mechliniensis in indictione suæ Synodi mentionem quoque illius fecit.*
10 *Quare Principum licentia requiratur.*
11 *Principes non attribunt sibi auctoritatem dicendi in Synodis.*
12 *Pro faciliore executione aderat interdum Minister Regius.*
* *Quas partes Principes, vel eorum Legati in Synodis habuerint.*
13 *Difficilis est Decretorum Synodalium sine Regia auctoritate executio; ac ideo petitur confirmatio Regia.*
14 *Id olim solitum fuisse probatur.*
15 *Synodus Cameracensis II. non fuit publicata, nisi obtentâ confirmatione Regiâ.*
16 *Nec Synodus Mechliniensis sub Hovio.*
17 *Corollarium ex hactenus dictis.*

I. SYnodos jam pridem nonnunquam jussione Regum, ac Principum convocatas fuisse ipsa Acta Synodalia atque temporum historiæ dubitare non sinunt.

II. Patres Concilii Aurelianensis I. anno 511. scribunt Chlodovæo Regi in hæc verba; „ Domino suo Catholicæ Ecclesiæ „ filio Chotovecho gloriosissimo Regi, omnes Sacerdotes, quos „ ad *Concilium* venire *jussistis*. Quia tanta ad Religionis Catho- „ licæ cultum gloriosæ fidei cura Vos excitat, ut Sacerdotalis „ mentis affectu Sacerdotes de rebus necessariis tractaturos *in* „ *unum colligi jusseritis* secundum voluntatis vestræ consultatio- „ nem, & titulos, quos dedistis, ea, quæ nobis visum est „ definitione respondimus, ita ut si ea, quæ nos statuimus „ etiam vestro recta esse judicio comprobantur, tanti *consensus* „ *Regis* ac Domini majori auctoritate servandam tantorum fir- „ met sententiam Sacerdotum."

Et in præfatione ejusdem Concilii legitur: „ Cum Auctore „ Deo ex *vocatione* gloriosissimi Regis Clothovechi in Aurelia- „ nensi urbe fuisset Concilium congregatum summorum An- „ tistitum." &c.

Rursus in præfatione Synodi Aurelianensis II. anno 533. Patres dicunt: „ Cum *ex præceptione gloriosissimorum Regum* „ in Aurelianensem urbem, de observatione legis catholicæ trac- „ taturi, Deo auxiliante convenissemus" &c.

Præfatio quoque Synodi Aurelianensis V. anno. 549. Childebertum Regem Synodum congregâsse testatur: „ Ad divinam „ gratiam referendum est, quando vota Principum concordant „ animis Sacerdotum, ut dum fit Pontificale Concilium, nor- „ mam vivendi teneat recapitulatio antiqua Canonum, vel ut „ locus tempusque est, in quibuscunque titulis veteribus adhæ- „ rens nova Constitutio sanctionum. Igitur cum Clementissimus „ Princeps triumphorum titulis invictissimus Dominus Childeber- „ tus Rex pro amore sacræ fidei, & statu Religionis in Aurelia- „ nensi urbe *congregâsset* in unum Domini Sacerdotes, cupiens „ ex ore Patrum audire quod sacrum est &c."

Infinita penè sunt hanc in rem veterum Synodorum testimonia, quæ evincunt Regum, ac Principum auctoritate, & præcepto Synodos congregatas fuisse.

III. Quin si Synodorum, atque præteritorum temporum monumenta evolvamus, reperiemus, vix sine licentia Regum, ac Principum Episcopos, & Prælatos in unum Synodaliter convenisse.

Pos-

„ Poscendum (inquiebant Patres Concilii Tullensis apud Sa-
„ ponarias anno 859.) à Christianissimis, & Piissimis Principi-
„ bus nostris, ut *Concilia Episcoporum juxta antiquam Eccle-*
„ *siæ observantiam*, & studium Catholicorum Principum, tam
„ Patrum suorum, quàm etiam meorum qui ante illos extiterunt,
„ *nullatenus omittantur*: Sed per singulas quasque Provincias
„ saltem semel per annos singulos cum *eorum favore & pia ex*
„ *oratione celebrentur*. In eorum quoque Palatiis saltem semel
„ intra biennium generalis Episcoporum Conventus agatur."

Hîc non obscurè Synodi illius Patres innunt, celebrationem Conciliorum ægrè sperari posse, nî Principum auctoritas, aut saltem licentia accedat.

IV. Quinimò sicuti in Italia, teste Cardinale de Luca, *disc.* 30. *ad Concilium Tridentinum*, prohibita fuit convocatio Synodi Provincialis inconsulta Sacra Congregatione, ita quoque hisce in Provinciis ægrè permitteretur Synodorum Congregatio sine prævia Regis licentia.

V. Hinc nullam penè in hisce Provinciis convocatam Synodum videmus, nî unà in ipsis litteris convocationis Principis, aut Regis licentia, aut assensus mentio fiat.

VI. Patres Synodi Turonensis anno 1583. in prœmio Synodi ita loquuntur: „ Imprimis Deo optimo hæc Synodus gratias
„ referendas censuit, prout refert, quod divini ejus Spiritus
„ aflatu Christianissimus Rex noster, Ecclesiæ Dei statum, ac
„ ordinem modis omnibus roborare disponens, Conciliorum
„ Provincialium in universo Galliæ regno celebrationem gratam
„ non solùm habuerit, sed eam etiam indici procuraverit."

VII. In litteris indictionis Concilii Rhemensis anno 1583. hæc leguntur. „ Nos igitur divino favore freti, Sanctorum Pa-
„ trum exemplo adducti, grassantibus Ecclesiarum nostrarum
„ morbis pro virili mederi cupientes, huc etiam accedente Sanc-
„ tæ Sedis Apostolicæ auctoritate, necnon Christianissimi Re-
„ gis nostri Henrici *consensu* simul & hortatu, Concilium Pro-
„ vinciale in Ecclesia nostra Rhemensi, Dominica 1. post Fes-
„ tum Epiphaniæ celebrare decrevimus, & statuimus."

VIII. Et Maximilianus à Bergis Archiepiscopus Cameracensis indicendo Synodum suam Provincialem anno 1565. se ad hanc indictionem potissimùm animatum fuisse dicit, quòd intelligeret Regem celebrationem Synodi probare. Postquam enim multis exposuisset miserum Ecclesiæ Belgicæ statum, atque periculum quod Belgio immineret, nisi remedium oportunum adhiberetur, subjicit: „ Quare cùm sæpiùs inter nos de periculo,
„ quod maximum Ecclesiis impendit, depellendo quæreremus:
„ hæc una in cæteris, sacra nobis anchora visa est, si maturè
„ Conciliorum provinciæ Cameracensis haberetur, in quo cum
„ de restauranda disciplina, tum verò de doctrina christiana
„ conservanda inter Patres ageretur. Huic autem indictioni ad-
„ didit animum invictissimi, atque Religiosissimi Principis Phi-
„ lippi Regis Catholici omnium optimi & maximi *Pietas* (in
„ cujus ditiones tota penè nostra provincia patet) qui cùm id
„ sibi vehementer placere, ac probari pro suo erga rem chris-
„ tianam studio declarasset: tum nihil potiùs habuimus, quàm
„ ut diem indiceremus ejus ineundi Concilii."

IX. Matthias Hovius Archiepiscopus Mechliniensis suam convocans Synodum anno septimo currentis seculi, non omisit quoque in ipsis convocationis litteris significare, ipsam Synodi indictionem & quoad tempus & locum Principi placere. „ Synodi Provincialis convocationem existimavimus, inquit,
„ non dutiùs differendam; sed eam proxima hac æstate, Deo
„ opitulante celebrandam, *idque prout etiam Serenissimæ suæ*
„ *Celsitudini visum est*, in civitate Mechliniensi Ecclesiaque
„ nostra Metropolitana."

X. Ex his cognoscitur convocationem atque indictionem Synodorum Provincialium semper mansisse penès Metropolitanos, sed tamen hanc convocationem nequaquam fieri solitam esse ni Principis, in cujus ditione Synodus convocanda est, consensus accedat: tum quia Principis interest scire, qui Conventus, præcipuè tam illustres & numerosi in suis ditionibus cogantur: tum etiam quod Metropolitanorum auctoritas ordinariè esset insuficiens, ut omnes qui ad Synodum accedere tenentur, in unum convenire cogeret, nisi Regia, aut Principalis auctoritas accederet.

XI. Adhæc tametsi videamus frequenter Reges & Principes, tanquam Sacrorum Canonum executores, & disciplinæ Ecclesiasticæ defensores ac protectores, Episcopos ad Synodum celebrandam convocâsse; atque eorum auctoritate se convenisse Episcopi frequenter professi fuerint, omnis tamen decernendi, atque statuendi auctoritas penes Metropolitanum, atque Episcopos inviolata remansit; uti ex supra allatis Synodorum præfationibus (quibus probatum fuit Regiâ auctoritate Synodos nonnunquam convocatas fuisse) patet.

XII. Aderat quidem nonnunquam in ipsa Synodo Minister Regius, sed nequaquam ut decideret, sed ut sua auctoritate Synodum tueretur, turbantes coërceret atque inobedientes, ac rebelles in ordinem redigeret, uti rectè notat Archiepiscopus Turonensis anno 1583. in Epistola ad Henricum III. Regem Galliarum, in qua imprimis advertit, „ quod ad Con-
„ cilia Episcoporum olim etiam Imperatores, Reges, Principes,
„ pro sua Episcoporum virtute, fiducia ac fide, non solum
„ Clericorum, sed etiam Laicorum, potentium, divitum, ju-
„ dicumque graviores causas referrent judicandas." Deinde adjungit: „ Quin etiam ut ne quid ex Regia decerperetur auc-
„ toritate & dignitate, aderat ibi Regius Procurator (quem
„ appellant *executorem*) qui in exequendis contra seculares
„ Ecclesiæ Decretis operam naverent strenuam & efficacem."

* Tametsi Principes, eorumve *Missi* Synodis Episcopalibus assistentes, nequaquam, ut *judices* super Decretis judicium ferrent, nihilominus officii sui esse duxerunt, suggerere, & proponere, super quibus à Patribus videbatur esse deliberandum & statuendum, uti inter alia fidem facit Concilium Suessionense II. in Monasterio Sancti Menardi apud Suessiones, præsente Carolo Calvo Rege, à quinque Provinciarum Episcopis celebratum anno Christi 853.

Imprimis enim in Præfatione profitentur Patres, quòd ipsis Synodum celebrare volentibus annuerit Carolus Rex; ipsosque ad Urbem Suessionum in Monasterio S. Menardi, & S. Sebastiani 10. Kalendas Maias convenire præceperit.

Insuper, quòd ipsemet „ Rex dignatus fuerit Synodo in-
„ teresse, ut se (inquiunt) non solum devotione Ecclesiæ fi-
„ lium esse ostenderet, verum etiam, sicubi opus esset, Protectio-
„ nem Regiam auctoritate mostraret."

Post hæc, *can.* 1. subjungunt: „ Cum itaque Præsules di-
„ versarum Ecclesiarum pro Rege *multa humiliter & pruden-*
„ *ter* PROPONENTE, tractassent potius quædam, quàm definivis-
„ sent VI. Kalenda Maji, præsidentibus Synodo Hincmaro Re-
„ morum, &c."

Articuli per Regem Patribus exhibiti referuntur ad calcem Concilii tom. 8. Concil. General. *columna* 92. sub hoc titulo: *Capitula à Domino Carolo Rege in eadem Synodo apud Suessionis Civitatem in Monasterio S. Menardi* proposita anno Incarnationis Dominicæ 853. in mense Aprili.

Nec tantùm in Synodis Provincialibus, sed & in Conciliis Generalibus soliti fuêre Principes Patribus exponere, & suggerere, quæ ipsis pro reformanda disciplina aptiora & magis necessaria videbantur; quod & in novissima Tridentina Synodo per Imperatores & Reges factum fuisse, Acta hujus Synodi testantur, & in discursu hujus Operis ostenditur, quòd articulorum à Principibus, Patribus Tridentinis propositorum ratio habita fuerit.

XIII. Et sanè quàm difficilis, imò, & inefficax sit futura Synodalium Statutorum executio, nisi executioni suffragetur & accedat Regis vel Principis auctoritas, semper per experientiam plus quàm notorium fuit.

Hinc etiam jam pridem observatum, ut quæ in Synodo Episcopi statuerant & decreverant, Principi præsentarentur, ejusque auctoritate & aprobatione confirmari, atque roborari peterentur.

XIV. Archiepiscopum Turonensem in citata Epistola ad Henricum III. Galliarum Regem pro confirmatione Decretorum Synodalium, suo & Coëpiscoporum suorum nomine supplicantem audiamus: „ Offerimus tibi libellum exemplo Patrum
„ Concilii Cabilonensis II. (anno 813.) qui Imperatori Ca-
„ rolo Magno sua Decreta duxerunt offerenda, ut sacratissi-
„ mo ipsius judicio, quæ ab ipsis rectè erant sancita, *confir-*
„ *marentur*: & sic ubi forsan esset ommissum quidpiam ejus pru-
„ dentia suppleretur. Quod quidem & ita fecisse Concilii Tu-
„ ronensis III. (anno 813.) Patres, ex ipsius fine haud dubiè
„ colligitur. Neque enim dum offerimus, ignoramus, quan-
„ tum Ecclesiæ Ministris tribuas, quàm religiosius sis in trac-
„ tandis Ecclesiæ Decretis, quàm diligenter in mentem tuam
„ introspicias & percuncteris teipsum, antequam de Ministro-
„ rum Dei statutis aliquid existimes immutandum. Grato igi-
„ tur animo accipe, optime Princeps, tuorum humilium ora-
„ torum Canones, *eosque observari* per totam Provinciam *ju-*
„ *beto*." Habetur tomo 15. Conciliorum General. *col.* 1064.

XV. Patrum ergo exemplo excitati, & executionis difficultatem prævidentes Episcopi Belgii, suarum respectivè Synodorum Decreta Principibus obtulerunt, nec earum obtenta approbatione promulgare voluerunt.

Et quidem Ludovicus de Berlaymont Archiepiscopus Cameracensis, cùm Synodum suam Provincialem celebrâsset, & concludisset 23. Octobris anno 1586. ejusdemque publicationem in diem 25. Septembris anni sequentis distulisset, rationem hujus dilationis in litteris publicationis his verbis expressit. „ Ea (Decreta Synodalia) ne in lucem venirent ci-
„ tiùs ex eo accidit, quod pro feliciore eorumdem executio-
„ ne Regiam Majestatem Catholicam multis de causis implo-
„ randam duximus; quæ dum maturo Senatorum suorum con-
„ silio modum expendit, quò minore negotio & majore cum
„ fructu per totam Provinciam hæc executio decernatur, su-
„ pervenientibus interim undequaque gravissimis aliis rei bel-
„ licæ negotiis tempus elapsum est, sed ut speramus non si-

„ ne fructu. Cùm enim dicta sua Majestas pro sua in Deum „ pietate, in Catholicam religionem zelo, ecclesiasticum sta„ tum studio, publico edicto ea, pro quibus maximè Re„ gia ipsius auctoritas necessaria visa fuerat, à vobis omnibus „ juxta mentem Patrum dicti Concilii inviolabiliter observa„ ri caverit; confidimus Deo benè juvante futurum, ut dum „ concordes inter se, in vos autem, communemque ves„ tram salutem propensissimas intelligetis superiorum vestro„ rum tàm spiritualium quàm temporalium voluntates, con„ junctis etiam animis in hoc unum incumbatis, aut piissimis „ eorum desideriis & conceptæ de vobis expectationi modis „ omnibus respondeatis.“

Manifestum ergo est, quòd publicationem Decretorum Synodalium, sine prævio Principis consensu haud convenire judicaverit Metropolita Cameracensis; atque spem optatæ executionis magna ex parte, in Edicto Regio super executione ipsius Synodi collocaverit.

XVI. Similiter Matthias Hovius concludens Synodum suam Provincialem 20. Julii anno 1607. de his Patres monuit, quòd de *plerisque rebus in Synodo actis, sint consulendæ Serenissimæ Celsitudines, quarum protectione*, ait, *speramus faciliorem executionem.*

Post hæc ipsa Decreta Synodalia, tam ipsius Archiepiscopi, quàm Episcoporum Comprovincialium nomine, Serenissimis Celsitudinibus Alberto & Isabellæ oblata fuerunt; atque ab his transmissa ad Consilium privatum Regium & Senatum Brabantiæ examinanda; quo examine facto, edictum Principum super ejusdem Synodi executione constans 30. articulis ultima Augusti an. 1608. prodiit. Quod edictum uti & edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem (de quo suprà) hodie hîc in Belgio pro lege servantur, uti suprà titulo V. *de Ædituis Ecclesiarum*, notavimus, & in decursu hujus operis sæpiùs adhuc notandum erit.

XVII. Quòd ergo Episcopi agnoverint, quòd auctoritas etiam Regia in executione Decretorum Synodalium concurrere debeat, atque sine hac auctoritate vix eorum sperandam esse optatam executionem, sat manifestum: illud optandum, ut Ministri Regii, quos Ecclesia Canonum suorum vindices & protectores agnoscit, etiam allaborarent, ut juxta toties iteratas Conciliorum, ac signanter novissimi Œcumenici Concilii Tridentini sacrosanctas Sanctiones, frequentior esse Synodorum celebratio; quarum intermissioni magna ex parte disciplinæ ecclesiasticæ collapsio, & abusuum, vitiorumque multiplicatio adscribenda (g).

TITULUS XXI.

De Legatis, & Nuntiis Apostolicis.

CAPUT I.

De variis Legatorum speciebus.

1 *Tres Legatorum especies.*
2 *Quid Legati à* Latere.
3 *Qiud Legati* Missi.
4 *Legati Missi interdum mittuntur cum potestate Legati à* Latere.
5 *Quid Legati Nati.*
6 *Variæ Legatorum species ex illis, quæ olim gesta, originem sumpserunt.*
7 *Frequentes olim fuêre Legationes Pontificiæ ad Imperatores pro particularibus negotiis Ecclesiæ.*
8 *Huic Legatorum generi correspondent hodierni Legati à* Latere.
9 *Jam pridem fuêre Legati Pontificum, qui in Comitatu Principum moras traherent pro quibuscunque negotiis emergentibus.*
10 *Ex simili delegatione originem sumpsit consuetudo mittendi* Responsales: *& quod horum officium.*
11 *Hi dicti fuêre* Apocrisiarii; *quorum frequens apud Veteres memoria.*
12 *Ex his originem habuêre Legati* Missi.
13 *Hi subinde vocantur* Nuntii, *interdum* Internuntii.
14 *Olim Pontifices Legatos suos constituebant illustrium Ecclesiarum Episcopos.*
15 *Hinc profluêre Legati* Nati.
16 *Si Quesnellio credatur, Julianus sæculo V. fuit Apocrisiarius S. Leonis.*

I. INnocentius IV. in *Cap.* 1. *de Offic. Legati in VI.* statuit: „ ut Ecclesiæ Romanæ Legati quantumcun„ que plenam legationem obtineant, sive à nobis missi fue„ rint, sive suarum prætextu Ecclesiarum *Legationis* sibi vin„ dicent dignitatem: ex ipsius Legationis munere conferen„ di Beneficia nullam habeant potestatem, nisi hoc alicui spe„ cialiter duxerimus indulgendum. Quod in fratribus nostris Le„ gatione fungentibus nolumus observari: quia sicut honoris „ prærogativâ lætantur, sic eos auctoritate fungi volumus „ ampliori.“

Ex hac Pontificis decisione notârunt Canonistæ post Glossam ad citatum Capitulum, tres esse Legatorum species; nimirum Legatos *à Latere*, Legatos *Missos*, & Legatos *Natos*.

II. Legati *à Latere*, vocantur Legati Cardinales: „ & hoc „ ideo, ait Glossa, quia assumuntur de *Latere* Papæ. Nam si„ cut Imperator, & Patricii, sive Consiliarii faciunt unum „ corpus, cujus Imperator est caput, & Consiliarii, qui sibi „ assistunt in secretis, dicuntur esse membra, ita similiter Pa„ pa & Cardinales faciunt unum corpus, cujus Papa est ca„ put, & Cardinales sunt membra. Ideo quando aliquis assu„ mitur de Cardinalibus, ut mittatur Legatus, dicitur sumptus „ de *Latere*; & appellatur *Legatus de Latere*.“

III. Legati *Missi* sunt, qui mittuntur ad aliquam Provinciam, sed non sunt Cardinales: & hujus generis esse solent hodierni *Nuntii* & *Internuntii*, apud Reges, & Principes tanquam Legati Pontificis residentes.

IV. Notandum tamen, quòd Legatus non Cardinalis, qui *Nuntius* dici consuevit, mittatur interdum abjectâ in ejus Facultatibus hac clausulâ, *cum potestate Legati à Latere*, quæ de stylo Curiæ Romanæ consuevit adjici mandatis Legatorum, qui fimbriam vestimenti Papæ tetigerunt, seu qui ab eo vivæ vocis oraculo mandatum acceperunt; uti post alios monet Barbosa *Lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 5.

V. Legati *Nati* vocantur, qui dignitati suæ ecclesiasticæ officium, & munus Legati Apostolici annexum habent. Qui ideo *Nati* dicuntur, quia per ipsam dignitatis adeptionem, sine nova ulla Sedis Apostolicæ, vel Pontificis commissione Legati Apostolici constituuntur, sive *nascuntur*.

VI. Tametsi hæc Legatorum Sedis Apostolicæ distinctio, præcipuè sub his nominibus, & cum ea distinctione, quæ juxta modernum Jus canonicum inter ipsos intercedit, veteribus cognita non fuerit, nihilominus variæ reperiuntur jam pridem Legatorum à Romanis Pontificibus ad Reges, & Principes destinatæ Legationes, variique missi Legati, qui si attentè considerentur, videbitur has tres Legatorum species ex usitato jam olim vario *delegandi* modo sensim profluxisse.

VII. Præter Legatos enim, quos Pontifices Romani ad Concilia Œcumenica jam olim mittere consueverant, & quorum in Conciliorum actis frequens mentio occurrit, non erant infrequentes eorumdem Legationes ad Imperatores Christianos pro negotiis Ecclesiæ procurandis.

Hujus generis Legatos ad Constantium Liberius destinavit, ut Concilium Aquilejæ cogendum impetraret, ubi de novo adversus S. Athanasium objecto crimine Majestatis, & de veræ fidei restitutione tractari posset. Missi fuêre ad Constantium Vincentius Capuensis Episcopus, cum Marcello æquè ex Campania Episcopo; qui Arelatem accedentes, Athanasii damnationi minis Constantii inflexi subscripserunt, uti patet ex fragmento Epistolæ Liberii ad Osium Cordubensem Episcopum, & pluribus narrat Baronius *ad annum* 353. Quare fidem Nicænam in causa Athanasii valdè periclitari cernens, secunda legatione Constantium adivit, misso Lucifero Calaritano Episcopo, Pancratio Presbytero, & Hilario Diacono, ut Concilium impetraret: „ Ad exorandam igitur mansuetudinem tuam „ (inquit in litteris ad Constantium) ut benevolo animo alle„ gationes nostras audire digneris, fratrem & Coëpiscopum „ meum sanctum virum Luciferum cum Pancratio Compres„ bytero meo, & Hilario Diacono placuit proficisci: quos „ credimus de Clementia tua ad pacem omnium Ecclesiarum „ Catholicarum *non difficulter posse Concilium* impetrare. Dei „ omnipotentis clementia te nobis custodiat.“

Eu-

(g) *Quod si in Galliis Canones Conciliorum nationalium istis muniti sint conditionibus, tunc ad auctoritatem legis, quæ nationem Gallorum obliget, assurgunt. Statuta verò, quæ in Concilio Provinciali facta sunt, obligant ejus Provinciam, modo etiam auctoritate Regia fuerint confirmata.*

Eusebium Vercellensem in Gallia Episcopum litteris quoque suis hortatus est Liberius, ut se Legatis suis adjungeret. „Quia scio, inquit, sanctum fidei tuæ calorem cum ejus (Lu„ciferi Calaritani) animo concordare."

VIII. Huic Legatorum generi, quidni respondeant extraordinarii illi moderni Sedis Apostolicæ Legati, „qui juxta „modernam praxim (ait Cardinalis de Luca) nonnisi constitu„ti in dignitate Cardinalitia deputari solent, & qui *de Late„re* dicuntur, apud Reges & Principes pro bellis componen„dis, vel pro fœdere adversus infideles, vel hæreticos, si„milibusque gravioribus negotiis." In relat. Roman. Curiæ *disc.* 4. *num.* 11.

IX. Aliæ itidem fuêre jam pridem Romanorum Pontificum Legationes, quæ longiores moras in Comitatu, sive Curia aut Urbe Regia trahebant; quæque non alicui negotio specialiter adstrictæ, ad quascunque causarum emergentium figuras porrigebantur.

Istius legationis exemplum videre est in persona Juliani Coënsis Episcopi, cui mox post solutam Chalcedonensem Synodum S. Leo hanc specialiter curam commendavit, ut prospiceret solerter, ne hæresis Nestoriana, vel Eutychiana invalesceret; quæ suggerenda Principibus forent, vice Pontificis insinuaret; de rebus ambiguis Pontificem consuleret, eumque de statu Ecclesiarum Orientis creberrimis relationibus admoneret. „Studeat ergò Dilectio tua (inquit *Epist.* 86. ad Julia„num) piam & necessariam curam solicitudini Apostolicæ Se„dis impendere, quæ tibi apud se nutrito, Catholicam con„tra Nestorianos, & Eutychianos hæreticos actionem mater„no jure commendat, ut divino fultus auxilio speculari de „Constantinopolitanæ urbis opportunitate non desinas; ne „prædictorum dogmatum impius usquam turbo consurgat."

X. Ex hac delegatione, ait Petrus de Marca *lib.* 5. *cap.* 16. *De Concord. Sac. & Imp.* „Occasio profecta est mittendorum „ad Urbem Regiam *Responsalium* Apostolicæ Sedis; præci„puè post Justiniani tempora, qui felicibus armis triumpho „de Gothis acto, Italiam imperio consolidavit. Tunc enim „erant assidui in Comitatu Diaconi *Responsales*, qui & cau„sas proprias Ecclesiæ Romanæ apud Principem prosequen„bantur, & pro negotiis fidei, & disciplinæ excubabant; si„mulque veluti fidei publicæ obsides in Comitatu degebant, ob„sequii Principibus debiti fidei jussionem præstantes."

XI. Legati dicti sunt *Responsales*, sive *Apocrisiarii* ab illius temporis Scriptoribus, quod responsa, seu mandata exequerentur eorum, à quibus missi erant.

Ita Agapetus Papa apud Imperatorem, Apocrisiarium Ecclesiæ suæ Pelagium Diaconum suum constituit, uti refert Liberatus *in Breviario cap.* 22. Et Gregorium M. dum adhuc esset Diaconus, nomine Pelagii II. Apocrisiarii seu Legati munere apud Imperatorem functum fuisse testatur ipsemet *lib.* 3. *Dial. cap.* 23. his verbis: „Tempore quo exhibendis res„ponsis ad Principem ipse transmissus sum." Et *Apocrisiariorum* meminit Justinianus in *Novella* 6. *cap.* 2. vetans, ne Episcopi ad Comitatum accedant, seu negotia sua ibidem per Apocrisiarios agant.

XII. Huic Legatorum, seu Apocrisiariorum generi respondent hodierni Sedis Apostolicæ Legati, quos Canonistæ *Legatos Missos* vocant, vulgò verò *Nuntii*, & *Internuntii* dicuntur.

XIII. Qui enim nomine Pontificis assistunt apud Imperatorem, ac Reges, aliosque supremos Principes, hodie *Nuntii* Apostolici dicuntur. „In iis verò Regnis & Principatibus, in „quibus ipse Princeps non residet, sed ejus Vicarius vel al„ter supremus Magistratus, Papa deputat (inquit Card. de Lu„ca) Officiales sub nomine Collectorum, *Internuntiorum*, seu „Residentium, qui quandam Nuntiorum imaginem habent, iis„que Facultates majores vel minores communicari solent juxta „diversos stylos."

XIV. Denique Pontifices Romani intelligentes, quanti momenti esset ad firmandam auctoritatem suam apud gentes gratia & favor Episcoporum principalium, & illustrissimarum Ecclesiarum, quibus ob prærogativam urbium præstò quoque erat Principum favor, illos dignitate Vicariorum Sedis Apostolicæ jam pridem honorârunt.

Et ita Patroclo Arelatensi Episcopo propter summam Urbis celebritatem, quam *Gallicam Romam* vocat Ausonius, vices suas commissit Zosimus Papa; Hilarius rursus Leontio; Gelasius I. Æonio; Symmachus Cæsario Arelatensi; Vigilius Auxomio.

XV. Unde cùm per plurium seriem Pontificum Arelatensibus Episcopis continuata fuisset legatio Pontificia per plures annos, generali tandem concessione Pontificum jus *perpetuæ* legationis ipsi Sedi & Ecclesiæ Arelatensi fuit tributum & assignatum. Quàm in rem notandæ sunt Epistolæ S. Gregorii *lib.* 4. *Epist.* 50. 52. & 54. Item ejusdem responsum 9. ad Augustinum Anglorum Episcopum, relatum à Gratiano 25. *q.* 2. *Can.* 3.

Similia legationis privilegia à Pontificibus illustrioribus Ecclesiis concessa, tum antiqua, tum recentiora ecclesiastica monumenta plura suppeditant: quemadmodum videre est apud Interpretes ad titulum Decretalium *de Officio Legati*: dicunturque, qui hujusmodi legationis privilegio sunt insigniti, *Legati Nati*: eo quòd statim, ut Ecclesiis suis præficiuntur & Præsules creantur, id muneris & officii Legati Apostolici nanciscantur; uti superiùs notatum est.

* XVI. Diximus suprà *num.* 9. Julianum Coënsem Episcopum fuisse S. Leonis Papæ Legatum; credit tamen Paschasium Quenellius, nota 6. ad Epistolam 84. Sancti Leonis Marciano Augusto inscriptam, *Apocrisiarios*, quos hodiè *Nuntios* vocamus, in comitatu Principis vices Romani Pontificis agentes, primum fuisse institutos in persona hujus Juliani.

Quin & ibidem observat, hinc originem habuisse Vicarios, seù, ut nunc loqui consuevimus, Nuntios Sedis Apostolicæ.

Observat insuper, hos Vicarios, à viris doctis non malè comparari cum Apocrisiariis Patriarcharum Orientalium; licèt discrimina nonnulla inter eos intercessisse, observet.

Quo motivo inductus fuerit Sanctus Leo, ut ad Urbem regiam destinaret Vicarium, qui ibidem intenderet iis, quæ agebantur, præsertim ab Episcopo Constantinopolitano, latiùs exponit ibidem Quenellius; notans quodque, quare præ cæteris in suum Vicarium elegerit Sanctus Leo hunc Julianum Episcopum.

De origine autem Apocrisiariorum eorumque apud Imperatores residentia & officiis, fusiùs tractat Petrus de Marca *lib.* 5. *de Concord. Sacerd. & Imp. cap.* 16. 17. & 18. observatque *cap.* 16. *num.* 4. ex *Novella* 6. Justiniani *cap.* 3. quòd ævo hujus Imperatoris, soli Patriarchæ suos haberent in Aula Imperatoris residentes Apocrisiarios, hosque distinctos fuisse à Clericis & Œconomis cæterorum Episcoporum, qui ad Palatium mittebantur.

Notat insuper *cap.* 17. *n.* 3. quòd Apocrisiarii sive Responsales nullam jurisdictionis partem attingerent, nisi ex delegatione speciali, quæ aut à Principe fiebat, aut aliquando à summo Pontifice, quod tamen rarò contingebat, uti ibidem monet Petrus de Marca.

Quoad hunc articulum hodierni Nuntii sive Internuntii Apostolici cum pristinis illis Patriarcharum Apocrisiariis ferè conveniunt. Scitur enim in plerisque Regnis, ac notanter in Gallia & Belgio, hodiernos Nuntios, nullum jurisdictionis actum exercere posse, imò nec facultatibus suis uti posse, nisi per Principem, ejusve superna Auditoria recognitæ & admissæ fuerint, uti in hoc opere probatum est.

CAPUT II.

De Auctoritate, et Dignitate Legatorum.

1 *Legati in Comitatu Principis pro custodia fidei, & disciplinæ observantia excubabant.*
2 *Episcopo Thesalonicensi à tempore Damasi Papæ Legatio Sedis Apostolicæ facta fuit.*
3 *Custodia Regularum seu Canonum per omnes Ecclesias Legationi suæ subjectas ipsi incumbebat.*
4 *Curam omnium illarum Ecclesiarum habere debebat, & ordinationi Clericorum intendere.*
5 *Ipso inconsulto Episcopi ordinari non poterant; Metropolitanos ipse ordinare debebat.*
6 *Habebat jus convocandi Synodum.*
7 *Majores causæ Pontifici reservantur.*
8 *Ob non reservatas majores causas Sedi Apostolicæ redarguitur Legatus.*
9 *Metropolitanis sua jura servantur.*
10 *Quomodo in habendis Conciliis se gerere debeat.*
11 *De servanda moderatione in evocandis Episcopis ad Concilia.*
12 *Corollarium ex præcedentibus.*
13 *Major primis septem seculis fuit auctoritas Legatorum, quos hodie dicimus* Natos, *quàm* Missorum.
14 *Cur sequentibus seculis illorum diminuta, horum aucta.*
15 *Alexander II. necessitatem mittendorum Legatorum desumit ex cura omnium Ecclesiarum Pontifici incumbente.*
16 *Eandem multùm ursit, & magnificis verbis expressit Innocentius III.*
17 *Hoc posito fundamento omnia penè negotia ad Legatos Missos devoluta sunt.*
18 *Legati reputantur* Ordinarii; *& eorum potestas* ordinaria.
19 *Statuta eorum morte non extinguuntur.*
20 *Poterant de causis in prima instantia cognoscere.*
21 *Legatorum officium morte Pontificis non exspirat.*
22 *Legatis etiam procurationes, seu necessarii sumptus tandem subministrari debuerunt.*
23 *Excessus Legatorum in harum exactione; & quæ adhibita moderatio.*

Le-

24 *Legati reputati fuerunt tanquam* Proconsules *Romani.*
25 *Ad horum exemplum* insigniis *Legationis utebantur etiam extra loca suæ legationis.*
26 *Ne quidem Patriarcha præsente Legato potest jubere sibi præferri crucem; nec Episcopus actum jurisdictionis ordinariæ exercere.*
27 *Præsente Legato* à Latere *aliorum Legatorum auctoritas cessat.*
28 *Legati* à Latere *jurisdictionem saltem* voluntariam *extra fines suæ Legationis exercent.*
29 *Potest Legatus* à Latere *conferre Beneficia Juris Patronatûs Ecclesiastici.*
30 *Aliqua semper Pontifici sunt reservata.*
31 *Ex his plura vel pauciora pro arbitrio Pontificum Legatis committuntur.*
32 *Non parùm obscurum est determinare ex Jure, quæ Legatis competant: & quare.*
33 *Prudenter Pontifices in instructionibus, quas Legatis concedunt, exprimunt ea, quæ eorum curæ concredunt.*

I. SAnctus Leo scribens ad Pulcheriam Augustam, Juliani Coënsis Episcopi, atque sui ad Urbem Regiam Legati munus eleganter expressit his verbis: „Cùm in *causa fidei*, „cui gloria vestra famulatur, *vicem* ipsi meam aliquatenus *de*„*legaverim*, ut ab ea, quæ vobis debetur, observantia non „recedens, pietati me vestræ præsentare non desinat: exequens „in *custodia fidei*, & in *Ecclesiasticis disciplinis* per omnia „solicitudinem meam, & *opportunis suggestionibus*, quod „*universali* Ecclesiæ prosit, *insinuans*: ut in ipso, nec Ca„tholicis vestrum præsidium, quibus volumus subveniri, nec „meum vobis desit obsequium." *Epist.* 85. *cap.* 2. editionis Quenellii.

II. Quanta autem esset eo tempore eorum auctoritas, quos hodie Legatos *Natos* dicimus, facilè possumus cognoscere ex litteris S. Leonis ad Anastasium Thesalonicensem Episcopum.

Pro quo notandum Episcopo Thesalonicensi jam à temporibus Damasi Papæ vices Sedis Apostolicæ fuisse per Illyricum delegatas; uti sat manifestum est ex epistola Innocentii I. qui non ita multò post Damasum in Cathedra Petri sedit. Hic enim ad Anysium Thesalonicensem Episcopum scribens, ait, se ipsi eandem potestatem committere, quam à Damaso, Siricio, & Anastasio antè acceperat. „Cui etiam (id „est Anysio) tanti, ac tales viri prædecessores mei Episcopi, „id est, sanctæ memoriæ Damasus, Siricius, atque suprà me„moratus vir (id est, Anastasius) ita detulerunt, ut omnia, „quæ in illis partibus gererentur, Sanctitati tuæ, quæ plena „justitiæ est, traderent cognoscenda."

Et in epistola ad Ruffum Thesalonicensem similiter Episcopum Anysii successorem, qua ei vices suas per Illyricum delegat; non primitùs hæc ista statuentes, sed Prædecessores nostros Apostolicos imitati, qui beatissimis Acholio, & Anysio injungi pro eorum meritis ita voluerunt. Habentur hæ litteræ Innocentii in Actis Synodi Romanæ sub Bonifacio II. anno 531. *tom.* 4. *Conc. col.* 1601.

Successores Innocentii prædecessorum vestigia prementes, vices suas Episcopo Thessalonicensi demandare perrexerunt quemadmodum fusè deducit Stephanus Baluzius in appendice ad librum V. Petri de Marca *de Concordia Sacerdotii & Imperii, cap.* 34. & 35.

III. Quæ autem fuerit Episcopi illius in qualitate Vicarii, seu Legati Sedis Apostolicæ per Illyricum auctoritas tempore S. Leonis, ex ejus litteris facilè cognosci potest.

Anastasius Thessalonicensis Episcopus à Sixto II. prædecessore Leonis, Vicariatu Sedis Apostolicæ fuerat ornatus, eumque per multos annos gesserat; atque eundem sibi à Leone Sixti successore continuari petit, quod Leo concessit, ad illum scribens in hæc verba: „Postquam itaque petitio tuæ di„lectionis innotuit per filium nostrum Nicolaum Presbyterum, „ut tibi quoque à nobis, sicut decessoribus tuis, per Illyri„cum cum nostra vice propter custodiam Regularum *auctori*„*tas* præstaretur, præbentes assensum, nostra adhortatione „compellimus, ut nulla dissimulatio, negligentia nulla pro„veniat circa Ecclesiarum regimen per Illyricum positarum, „quas dilectioni tuæ *vice nostra* committimus, beatæ recor„dationis Siricii exemplum secuti, qui sanctæ memoriæ Any„sio prædecessori tuo benè de Apostolica Sede tunc merito, „& rebus post sequentibus approbato, certa tum primùm ra„tione commisit; ut per illam Provinciam positis, quas ad „disciplinam teneri voluit, Ecclesiis subveniret. Et infrà: Imi„tatorem te tam prædecessoris tui, quàm decessoris tui, qui „pari modo huc & meruisse & egisse cognoscitur, esse vo„lumus; ut de profectu Ecclesiarum, quas tibi vice nostra „committimus, gaudeamus." *Epistol.* 4. edit. Quenellii.

IV. Post narrationem illam, exhortationem subjicit: „Cre„dita itaque tibi, Frater charissime, gubernacula pervigil te„ne, & mentis tuæ oculos, per omnia, quæ curæ tuæ vi„deas injuncta, circumfer, in mercedem tuam profutura cus„todiens, & his qui disciplinam Canonum labefactare nitun„tur, obsistens; Divinæ legis sanctio veneranda, & Canonum „specialiùs Decreta serventur. Per commissas tibi Provincias „tales Domino Sacerdotes, quibus sola vitæ & Clericalis Or„dinis suffragentur merita, consecrentur. Nihil gratiæ perso„nali, nihil ambitioni, nihil redemptis permittas licere suf„fragiis. Examinentur diligentiùs, & per longum vitæ trami„tem disciplinis ecclesiasticis, qui ordinandi fuerint, imbuan„tur. Si tamen illis omnia, quæ à SS. Patribus sunt constituta, „conveniant, & quæ Beatum Apostolum Paulum de talibus „legimus præcepisse, custodierint; ut unius uxoris vir sit, & „hanc virginem, ut auctoritas divinæ legis cavet, acceperit."

V. Docet deinde bigamum verè esse, qui nondum Christianus habuerit uxorem, & eâ mortuâ aliam duxit in uxorem. Post hæc pergit in dandis mandatis: „Nullus te inconsulto, „per illas Ecclesias ordinetur Antistes; ita enim fiet, ut sint „de eligendis matura judicia, dum tuæ dilectionis examinatio „formidetur. Quisquis verò à Metropolitanis Episcopus con„tra nostram præceptionem præter tuam notitiam fuerit or„dinatus, nullam sibi apud nos status sui esse noverit firmita„tem, eosque usurpationis suæ rationem, qui hoc præsump„serint, reddituros. Singulis autem Metropolitanis, sicut po„testas ista committitur, ut in suis Provinciis jus habeant or„dinandi, ita eos Metropolitanos à te volumus ordinari, ma„turo tamen & decocto judicio. Quamvis enim omnes An„tistites probatos, & Deo placitos deceat consecrati, hos ta„men præceliere volumus, quos præfuturos his, qui ad se „pertinent, Consacerdotibus, noverimus. Quod dilectionem „tuam solicitiùs agere præmonemus & cautiùs, ut illud Apos„tolicum custodire, quod scriptum est, approberis: *Manus „cito nemini imposueris.*"

Duo hîc Vicario suo tribuit Leo. Primum, ut nullus Episcopus à suo ordinetur Metropolitano, nisi cum notitia ipsius Vicarii. Secundum, quod Metropolitani non modò consulto prius Vicario Apostolico, sed ab ipso Vicario per omnes Illyrici Provincias ordinentur.

VI. Ulteriùs in dandis mandatis prosequitur: „Ad Sy„nodum quisquis Fratrum fuerit evocatus, occurrat, nec „Sanctæ Congregationi se deneget; in qua maximè constituen„dum esse noverit, quod ad disciplinam poterit ecclesiasticam „pertinere. Meliùs enim culpa vitabitur, si inter Sacerdotes „Domini collatio frequentior habeatur: & emendationi pa„riter & charitati plurimùm præstat adunata societas. Illic, si „quæ causæ natæ fuerint, præstante Domino ita poterunt ter„minari, ut contentio nulla resideat; sed solida inter Fratres „charitas coalescat."

His verbis factam esse auctoritatem Episcopo Thessalonicensi evocandi quoscunque Episcopos Illyrianos ad Synodum, evidens est; hocque jam pridem ab Innocentio I. Thessalonicensi Episcopo tanquam vices Sedis Apostolicæ gerenti datum fuisse privilegium, colligitur ex litteris Innocentii ad Ruffum Thessalonicensem Episcopum: „Licitum autem & Apostoli„cæ Sedis favore permissum tuæ Fraternitati cognosce, ut cùm „aliqua ecclesiastica ratio, vel in tua, vel in memoratis Pro„vinciis agitanda, cognoscendaque fuerit, *quos velis Episco„porum socios quibuscunque de Ecclesiis assumas tecum*, quo„rum & fide, & moderatione quidquid necessitas, causave „flagitaverit, optimus dirigas arbiter, & præcipuus, quippe à „nobis lectus definias intercessor."

VII. Huic mandato hanc adjungi Leo cautionem: „Si qua „verò causa *major* evenerit, quæ à tua Fraternitate illic præsi„dente non potuerit definiri, relatio tua missa hos consulat, „ut revelante Domino, cujus misericordiæ profitemur esse quod „possumus, quòd ipse nobis aspiraverit, rescribamus: ut cog„nitioni nostræ pro traditione veteris instituti & debita Apos„tolicæ Sedis revarentia, nostro examine vindicemus: ut „enim auctoritatem nostram vice nostra exercere te volumus, „ita nobis quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem „appellationis emiserit, reservamus."

Hic agnoscimus vestigia illius disciplinæ, qua *causæ majores* Sedi Apostolicæ reservantur; neque sub generalibus mandati seu instructionibus Legatorum comprehensæ censeantur, uti inferiùs latiùs dicetur.

VIII. Unde cùm postea Anastasius Thessalonicensis Episcopus, cui hic suas vices & mandata dederat Leo, Atticum veteris Epiri Metropolitanum aspere nimis tractasset, deque ea re idem Atticus quærelas suas ad Leonem retulisset, ipse ad Anastasium rescribens de indignissimo modo quo Atticum tractasset (quemadmodum disertè & latè describit Leo in *Epist.* 12. edit. Quenellianæ) in memoriam ei revocat illa mandata, eum redarguens quòd ea non servâsset. „Nam cum *majora* negotia „& *difficiliores* causarum exitus liberum tibi esset, sub nostræ „expectationis sententia expendere, nec ratio tibi nec necessi„tas fuit in id, quod mensuram tuam excederet, deviandi."

Et

Et inferiùs eandem causam repetit, pronuntians Anastasium non debuisse causam Attici, qui Metropolitanus Episcopus erat, judicare, donec ad ejus consulta Leo rescripsisset. „ Præ„ sertim, ait, cùm etiam si tale aliquid mereretur, exspec„ tandum fuerat quid ad tua consulta rescriberem.“ Et paucis interjectis: „Sed etiamsi quid grave intolerandumque committe„ ret, nostra erat expectanda censura, ut nihil priùs ipse de„ cerneres, quàm quid nobis placeret agnosceres. Vices enim „ nostras ita tuæ credidimus charitati, ut in partem sis vocatus „ solicitudinis, non in plenitudinem potestatis.“ *Epist.* 12.

Sic castigo increpatoque Anastasio ob transgressos suæ auctoritatis limites, nova dat mandata, sumpta partim ex veteribus, quæ hîc vel explicantur, vel illustrantur, partim de novo addita, atque ex his præcipuè notanda sequentia.

IX. Primum quod his verbis exprimitur: „ Secundum SS. „ PP. Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reve„ rentiâ consecratos, Metropolitanos singularum Provinciarum „ Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cu„ ra prætenditur, jus traditæ sibi antiquitùs dignitatis inte„ meratum habere decernimus, ita ut à regulis præstitutis nul„ lâ, aut negligentiâ, aut præsumptione discedant.“ Apud Gratianum 25. *q.* 2. *Can.* 5.

X. Septimum pertinens ad gravissimum disciplinæ punctum, quod versatur in causarum judicio. „ De Concilis au„ tem Episcopalibus, *ait*, non aliud indicimus, quam Sanc„ ti Patres salubriter ordinarunt, ut scilicet bini Conventus „ per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus que„ relis, quæ inter diversos Ecclesiæ ordines nasci adsolent, „ judicetur. Ac si forte inter ipsos qui præsunt de majoribus „ quod absit, peccatis causa nascitur, quæ Provinciali nequeat „ examine definiri; fraternitatem tuam de totius negotii qua„ litate Metropolitanus curabit instruere, ut si coram positis fra„ tribus, nec tuo fuerit res sopita judicio, ad nostram cog„ nitionem, quidquid illud est, transferatur.“

XI. Decimum caput præscribit modum, quo Legatus se gerere debeat, in evocandis Episcopis ad generalem Synodum totius Illyrici. „ In evocandis ad te Episcopis modera„ tissimum esse te volumus, ne per majoris diligentiæ speciem, „ fraternis videatis gloriari injuriis. Unde si causa major exti„ terit, ob quam rationabile, ac necessarium sit fraternum ad„ vocare conventum, binos de singulis Provinciis Episcopos, „ quos Metropolitani crediderint esse mittendos, ad frater„ nitatem tuam venire sufficiat, ita ut prestituto tempore non „ ultra 15. dies, qui convenerint, retardentur.“

XII. Ex his patet, jam tum tempore S. Leonis non exiguam fuisse Vicariorum Sedis Apostolicæ auctoritatem; ita tamen moderatam, ut Synodorum Provincialium & Metropolitanorum jura illibata esse vellet Leo, nec non graviores, ac dificiliores causas, quæ sine multis contentionibus in Provinciis terminari non poterant, ad Sedem Apostolicam per Vicarium esse referendas.

XIII. Adhæc notandum, eam auctoritatem potissimum creditam fuisse Episcopis amplissimarum civitatum; qui uti suprâ monui, successu temporis titulo suæ dignitatis *Legatos* Sedis Apostolicæ se dixerunt; atque inde vocati *Legati Nati.*

Hos verò, qui ad Principes, aut Reges à Sede Apostolica mittebantur, nusquam legimus primis seculis tanta auctoritate instructos; imò plerumque Diaconi duntaxat erant, *Responsales*, sive *Apocrisiarii* dicti; nulla jurisdictione instructi, solis negotiis Sedis Apostolicæ gerendis apud Principes occupati: ideoque primitus auctoritas eorum, qui hodie Legati *Nati* vocantur, amplior fuit, quàm eorum qui pro certis negotiis ad Provincias mittebantur, vel apud Principes nomine Prontificis residebant: quos hodie *Nuntios* dicimus.

XIV. At cùm lapsu temporis jus perpetuæ legationis esset quibusdam Ecclesiis annexum; viderentque Pontifices personarum, quæ illis præficiebantur Ecclesiis, delectum nequaquam à libero suo pendere arbitrio, cœperunt horum Legatorum auctoritatem imminuere; aliorum verò, qui ab ipsorum libera dependebant nominatione, augere; quæ auctoritas circa seculum XI. summum incrementum accepit.

XV. Legatorum mittendorum necessitatem Alexander II. circa annum 1062. ex eo capite accersit, quòd *cura universalis* Ecclesiæ eum cogat mittere ad vicem suam personas, quæ visitent Ecclesias, cùm id ipse per se facere non possit, atque hinc sumit occasionem mittendi in Gallias Petrum Damiani Cardinalem & Episcopum Ostiensem, qui illic personam Pontificis repræsentaret. Epistola hæc scripta est ad Archiepiscopos Galliæ, & extat tomo 9. Concil. Generalium *col.* 1131.

Altiùs hoc jus repetit Gregorius VII. qui Legatum in Gallias mittens Amatum Episcopum Oloromensem, dicit; „se „ id facere quod Romana Ecclesia hanc consuetudinem ha„ buit *ab ipsis suæ fundationis primordiis*, ut ad omnes par„ tes quæ christianæ religionis titulo prænotantur, suos Le„ gatos mitteret, quatenus ea, quæ gubernator & Rector ejus„ dem Ecclesiæ per suam præsentiam expedire non præva„ let, vice suâ Legatis concessâ, monita salutis & morum ho„ nestatem per eos cunctis per orbem terrarum constitutis „ Ecclesiis nuntiaret, eaque Apostolica doctrina in omnibus, „ quæ Sacræ Religioni conveniunt, diligenter instrueret.“

XVI. Eandem veterem consuetudinem & rationem allegârunt passim sequentes Pontificis, ut Legatorum mittendorum necessitatem, & eorum auctoritatem astruerent; sed præ reliquis Innocentius III. magnificis verbis elocutus est, quod Prædecessores sui simplici sermone dixerant. Primum igitur scribit, Dominum J. Christum Sedem Apostolicam instituisse totius christiani orbis caput, & magistram, à qua panis intellectus, & vitæ ad alias procedat Ecclesias. Pontificem Romanum portare onera gravia, cum plenitudine potestatis. Verùm quia ipse cuncta per se facere nón potest, multos sibi operarios & coadjutores adjungere, ac per eos exequi, quod per se non potest personaliter adimplere, sic vices suas aliis committendo, ut intelligatur ipsemet facere, quod per alios fieri decernit. Cùm autem necessitas Ecclesiæ Constantinopolitanæ postulet, illuc mitti Legatum *à latere*, destinâsse se in eam rem Pelagium Episcopum Albanensem: „ cui nos vices nostras com„ missimus, inquit, ut juxta verbum Propheticum evellat, & „ destruat, ædificet, & plantet, quæ secundum Deum evellenda „ & destruenda, nec non ædificanda cognoverit & plantanda.“

Hæc Epistola scripta ad Imperatorem Constantinopolitanum extat *Lib.* 16. *epist.* 104.

XVII. Hoc posito fundamento, Legatorum Sedis Apostolicæ ita crevit posterioribus seculis auctoritas & dignitas, ut cuncta omninò Provinciarum negotia ad eos deferrentur, sive de judiciis ageretur, sive de confirmationibus privilegiorum; tum de aliis quibuscunque negotiis tractaretur, uti ex actis illorum temporum manifestum est.

Et quidem seculo XI. ad Regem Anglorum scribebat Paschalis II. „ Universum siquidem terrarum orbem Dominus & „ Magister suis discipulis dispertivit; sed Europæ fines Pe„ tro singulariter commissit, & Paulo. Nec per eorum tan„ tum, sed per Succesorum Discipulos ac Legatos Europæ „ universitas conversa est, & confirmata. Unde usque ad nos „ (licet indignos) eorum Vicarios hæc consuetudo pervenit; „ ut per *nostræ Sedis Vicarios* graviora Ecclesiarum per Pro„ vincias negotia pertractarentur, seu retractarentur.“

XVIII. Quin & licèt Legati vices agerent Pontificis, ac ob id Sedis Apostolicæ Vicarii dicerentur; atque propterea *delegatam* duntaxat auctoritatem vi suæ legationis viderentur obtinere; nihilominus Clemens IV. cuidam Presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato scribit: „ Legatos quibus in „ certis Provinciis committitur Legationis officium, ut ibidem „ evellant, & dissipent, ædificent atque plantent. Provinciarum „ sibi commissarum ad instar Præconsulum, cæterorumque „ Præsidum, quibus certæ sunt decretæ Provinciæ moderandæ, „ *Ordinarios* reputantes &c.“

Hoc Clementis responsum refertur in *cap.* 2. *de Officio Legati in VI.* atque ejus auctoritate uno consensu tradunt Canonistæ Legatos Sedis Apostolicæ habere ordinariam auctoritatem, atque Ordinarios per omnes suæ Legationis Provincias reputari.

XIX. Unde sicuti Ordinariorum est, auctoritate ordinariâ statuta perpetuò duratura edere; ita & Legatorum statuta perpetua esse declarârunt Pontifices. „ Nemini dubium esse volu„ mus, inquit Gregorius IX. quin Legatorum Sedis Aposto„ licæ *Statuta* edita in Provincia sibi commissa, durent *tan„ quam perpetua*, licèt eandem postmodum sint egressi.“ *Cap.* 20. ✠ *de Offic. Legati.*

XX. Ulteriùs, quia Ordinarii reputabantur; atque tanquam Ordinarii in Provincia constituti, qui vice Sedis Apostolicæ *evellant* & *dissipent*, *ædificent*, *atque plantent*, idcirco jure delegationis non tantùm poterant causas per appellationem ad se delatas cognoscere & decidere; sed etiam quæ per *simplicem querimoniam* pervenirent ad ipsorum audientiam, uti respondit Alexander III. in *cap.* 1. ✠ *de Officio Legati.*

XXI. Eodem fundamento declarârunt, legationis officium non expirare morte Pontificis, à quo missi fuere, *Cap.* 2. *de Officio Legati, in VI.*

XXII. Adhæc cum Legati haberentur tanquam Ordinarii, qui vice Sedis Apostolicæ curam Provinciarum in spiritualibus agerent, tandem quoque invaluit, ut ipsis tanquam operariis & ministris Ecclesiæ necesarii sumptus suppeditarentur. Et quidem Gregorius VII. in formula juramenti, quam à Metropolitanis in traditione Pallii exegit, & quæ sucessu temporis ad omnes Episcopos extensa est, addit clausulam de *procurationibus Legatorum*, quam hoc verborum tenore expressit: *Legatum Romanum eundo & redeundo honorifice tractabo & in* NECESSITATIBUS *suis adjuvabo.*

XXIII Stabilita verò semel necessitate suppeditandorum sumptuum, præscriptus ab iis est ordo solutionis, coactique Provinciales immensas nonnunquam auri argentique moles pende-

dere, quæ adeò publica erant ævo Sancti Bernardi, ut scribens ad Eugenium III. eum moneat, ut tales in Cardinales eligat, qui cum legatione Sedis Apostolicæ ornati fuerint „ *Ecclesias non spolient, sed emendent; qui marsupia non* „ *exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant*, qui „ cum ad Apostolicam redierint, *redeant fatigati*, quidem, „ sed non suffarcinati: simul & gloriantes, non quod curio„ sa, seu pretiosa quæque terrarum attulerint, sed quod relin„ querint pacem regnis, legem barbaris, quietem Monasteriis, „ Ecclesiis Ordinem, Clericis disciplinam, Deo populum ac„ ceptabilem, sectatorem bonorum operum."

Hinc frequentes Pontificum, atque Conciliorum sanctiones, quæ Legatorum in exigendis procurationibus excessum non semel castigârunt, atque intra moderatos necessitatis limites concluserunt, ut *nulla Ecclesia, vel Prælatus se indebitè pregravari rationabiliter conqueratur.* Cap. 17. & 23. ✠ de Censibus.

XXIV. Constat ergo, Legatos Sedis Apostolicæ tanquam *Ordinarios* per omnia reputatos fuisse; quin eorum, præcipuè Legatorum *à latere*, ea fuit auctoritas & dignitas, ut instar Proconsulum cæterorumque Præsidum, ad regendas Provincias mitti dicerentur, *Cap. 2. de Officio Legati.*

XXV. Et quidem, sicuti Proconsules Romani, euntes & redeuntes à Provinciis sibi concreditis utebantur insignis suæ dignitatis, ita quoque Legati utuntur insigniis Apostolicæ dignitatis, puta, vestibus rubeis, palafredo albo, freno & calcaribus deauratis, uti post Hostiensem ad *Cap.* ANTIQUA ✠ *de Privilegiis*, notant communiter Canonistæ; idque mox ut ex Urbe recesserint.

XXVI. Quin ea erat dignitas Legatorum, ut nec Archiepiscopi, imo nec Patriarchæ possent Dominicæ Crucis vexillum sibi jubere præferri, ubicunque præsens esset Summi Pontificis Legatus utens insigniis Apostolicæ dignitatis, *Cap.* ANTIQUA, ✠ *De Privilegiis*; quia in præsentia majoris deponitur potestas reverentialis minoris, inquit Barbosa *lib. juris Eccles. cap. 5. num. 21.*

Unde, uti ibidem observat Barbosa, Episcopus in civitate & Diœcesi, cui præest, non potest præsente Legato *de latere* benedicere populum, & deferre vestes, scilicet Mozzetam significantem jurisdictionem illius ordinariam.

XXVII. Simili ratione scripsit Gregorius IX. Patriarchæ Hierosolymitano: „ Fraternitati tuæ Legationis officium in Pro„ vincia tua duximus committendum, ita tamen quòd si Lega„ tus ad partes illas *de latere* nostro contigerit destinari, exe„ cutionem ipsius officii, quandiu Legatus ipse ibi fuerit, pro „ Sedis Apostolicæ reverentia omninò dimittas." *Cap. 8. ✠ de Officio Legati.*

XXVIII. Potestas, & dignitas Legatorum *à latere*, & in hoc supra aliorum Legatorum dignitate eminet, quòd ipsi quoque ad instar Romanorum Proconsulum aliquam jurisdictionem, saltem voluntariam, exerceant extra fines Provinciæ sibi commissæ, v. g. absolvendo aliquem ab excommunicatione pro injectione manum violenta in Clericum; quemadmodum ad *Cap. 9. ✠ de Offic. Legati* post Glossam notant Canonistæ.

XXIX. Potest quoque Legatus *à latere* conferre Beneficia in Provincia sibi credita, licèt sint Juris Patronatûs Ecclesiastici; *cum plus juris habeat in concessione Prælatus*, ait Innocentius III. *quàm in præsentatione Patronatus, nec præjudicetur Prelato, si quando per Apostolicæ Sedis Legatum eo inconsulto Ecclesia concedatur.* Cap. 6. ✠ de Officio Legati.

XXX. Verùm, licèt amplissima fuerit posterioribus seculis Legatorum, præsertim *à latere*, auctoritas, ac potestas, nihilominus tamen plura in signum suæ supremæ potestatis Pontifices reservârunt, quæ eorum Legatis *à latere* non competunt, nisi specialiter, & nominatim in eorum facultatibus, & mandatis à Pontifice sint expressa; qualia sunt transferre Episcopos, aut Archiepiscopos; unire duos Episcopatus, aut alteram Sedem Episcopalem alteri subjicere; aliaque quædam similia, quæ ad *Cap. 4. ✠ de Offic. Legati* annotavit Glossographus.

XXXI. Ex his verò causis Pontifici specialiter reservatis, Pontifices solent suis Legatis, vel plures vel pauciores committere, quatenus gratia, vel auctoritate apud Pontificem prævalent; easque exprimere solent in mandatis, & facultatibus, quas Legatis suis tradere consueverunt.

XXXII. Ex varia hac Pontificum delegatione nunc ampliore, nunc restrictiore factum est, ut verissimè annotârit Panormitanus in *cap.* FIN. ✠ *de Confirmat. utili*, adeò perfusoriè & generaliter de Officio Legati in Jure canonico tractari, ut vix constitui possint ea, quæ jure Legationis propriè ad Legatum pertinent.

XXXIII. Hinc & prudenter hodie Pontifices solent mandatis, sive facultatibus Legatorum, seu Nuntiorum inserere ea omnia, quæ Legatis committenda esse censent. Unde etiam monet Cardinalis de Luca *disc. 23. ad Concilium Tridentin. n. 21.* quoad jura Legatorum certam Regulam statui non posse, *cum totum pendeat à tenore facultatum.* Facultates, quas habuit Decius Caraffa Nuntius Apostolicus in Belgio sub Alberto & Isabella, exhibet Zypæus tit. *de Officio Legati*; notatque eas esse, quales plerumque Nuntii habere solent.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT II.

De quibusdam Legatorum prærogatis, de earum origine et abusu.

1 *Causæ majores ævo Sancti Leonis Sedi Apostolicæ nondum erant reservatæ.*
2 *Causas majores aliquas ad consultationem magis, quàm ad judicium evocat Sanctus Leo.*
3 *S. Leo non commisit vices suas Episcopo Thessalonicensi, nisi sub aliqua moderatione.*
4 *In Epist. ad hunc Præsulem S. Leo cogitat tantùm de potestate, quæ Sedi Apostolicæ competebat in Provinciis Illyricianis.*
5 *In Romano Pontifice distinguendæ sunt dignitates Episcopi, Metropolitani, Patriarchæ & Primatus, ut tollatur obscuritas.*
6 *Sensim Legati Sedis Apostolicæ sibi vindicârunt jura Metropolitanorum.*
7 *Primatus Archiepiscopo Senonensis.*
8 *Adversus eum reclamârunt Episcopi.*
9 *Sensim Primates, ac præcipuè Legati ad se traxerunt jura Metropolitanorum.*
10 *Legati sensim enervaverunt Metropolitanorum auctoritatem.*
11 *Plura Legatis indulta fuere ad eorum dignitatem extollendam.*
11 *Legati sua abutuntur auctoritate.*
13 *Immensa Legatorum jura vix nota ante finem XII. seculi.*
14 *Circa hæc tempora Domus summi Pontificis dicta est Curia Romana.*
15 *Displicuit tunc nonnullis ista nuncupatio.*

* I. EX Epistola Sancti Leonis num. 7. capitis immediatè præcedentis descripta, credi forsan posset, etiam tempore hujus Pontificis, id est, seculo V. causas *majores* Sedi Apostolicæ fuisse reservatas.

Verùm si pressiùs textus hujus Epistolæ attendatur, apparebit Sanctum Leonem voluisse duntaxat, *si quæ Majores inter Episcopos causæ sunt, quæ in Provinciis suis nequeant terminari, ad ejus (Vicarii) notitiam* referantur, easque non tàm à suo Vicario tanquam *Judice* discuti, finirique mandat, quàm ab eodem *ut* ARBITRIO *sub divini timore Judicii componantur*, uti loquitur Epistol. 13. cap. 1.

II. Undè rectè notat Paschasius Quenellius, in notis ad dictam Epistolam, *nota primâ*, hinc elici *majorum causarum judicia majores ad Sedes referri non ex* DEFECTU POTESTATIS *in Metropoliticis Episcopis, sed ex difficultate incurrentium quæstionum; quæ dum sæpius, à pluribus examinantur, tandem ex sapientiorum consilio componuntur.* „ Et revera (ait Quenel„ lius) saltem aliquas illarum ad consultationem magis, quàm „ ad judicium evocat Sanctus Leo, ut ex his verbis Epist. 4. „ ad Anastasium *cap. 5.* fit manifestum: Si qua (inquit) causa „ *major* evenerit quæ fraternitate tua illic præsidente non po„ tuerit definiri, relatio tua missa nos *consulat*, ut revelante „ Domino, cujus misericordia profitemur esse quod possumus, „ quod ipse nobis aspiraverit, rescribamus."

Ex verbis Sancti Leonis in citata *Epist. 13. cap. 2.* insuper habemus causas illas *majores*, maximasque, quæ in Provinciis terminari nequibant, non ex solius Vicari nutu pependisse, sed easdem in *Concilio Episcoporum* è diversis Provinciis evocatorum discussas, finitasque fuisse.

Licèt ergo hîc videamus Sanctum Leonem *majores* causas sibi reservare, sive sibi referri voluisse, nequaquam ex his concludi potest, ævo Sancti Leonis *majores* causas fuisse Sedi Apostolicæ reservatas ejus solius judicio terminandas: quandoquidem ex verbis Sancti Leonis evidens sit duntaxat ipsum suo mandâsse Vicario, ut si *major* emergeret causa, quæ *ibidem terminari non posset*, ipse eam suo proprio arbitrio & judicio non terminaret, sed ejus decisionem suspenderet, donec Leonis sententiam intellexisset: quod & habetur, ex verbis ejusdem Leonis in *Epist. 12. cap. præced. num. 8.*

III. Ex his sat compertum est Leonem per illa verba finalia, „ Vices enim nostras ita tuæ credidimus Charitati, ut in *partem* „ *sis vocatus solicitudinis, non in plenitudinem potestatis*" aliud non voluisse significare Episcopo Thessalonicensi, nisi quod ipsum designando suum per Illyricum Vicarium, vices suas ei commisserit sub ea moderatione, ut in arduis negotiis, quæ in Provinciis non possent facilè decidi, deberet consulere Pontificem; ejusque super eis sententiam exspectare, uti in numero præcedenti ostendimus.

Præterea ex toto contextu Epistolæ manifestum est, Sanctum Leo-

Leonem hîc non loqui de *plenitudine potestatis*, quam Christus dederit Petro, & successoribus ejus Romanis Pontificibus, quasi solus plenitudinem istam habeat, cæteri verò Episcopi vocati tantùm ab eo sint in partem solicitudinis; sed de potestate patriarchali, quam eo tempore, id est, ætate Leonis Romanus Pontifex per Illyricum obtinebat, uti & observat, & fusiùs probat Stephanus Baluzius in *appendice ad lib. 5. Petri de Marca, de Concord. Sac. & Imp. cap. 26.*

IV. Monet ibidem Baluzius *num. 5.* quòd occasione hujus Epistolæ Sancti Leonis, explicare intendat effatum illud ultimo„ rum temporum, nimirùm, cæteros Episcopos vocatos esse „ in *partem solicitudinis*, sed solum Romanum habere *pleni„ tudinem potestatis*: ostendamque (ait) Leonem non cogitâsse „ hoc loco de suprema auctoritate Romanæ Sedis in Universum, „ sed tantùm de potestate, quæ Sedi Apostolicæ competebat in „ Provinciis Illyricanis, in cujus potestatis exercitio vices suas „ Anastasio tribuerat, ita tamen, ut ab eo vocatus fuerit in *par„ tem solicitudinis*, non in *plenitudinem potestatis*; illius ni„ mirùm Exarchicæ, vel Patriarchalis, quæ speciali jure vel „ consuetudine, ævo Sancti Leonis per Illyricum competebat „ Romano Episcopo, non titulo Primatiæ, sive sui Primatûs, „ qui se ad omnes Ecclesias protendit, sed titulo Exarchatus vel „ Patriarchatus intra fines, & terminos conclusi, uti ibidem „ ostendit Baluzius.“

V. Hîc rursus patescit, sedulò in Romano Pontifice distinguendam qualitatem specialis Episcopi Romani: item Metropolitani, nec non Patriarchæ ac ejusdem Primatus, ne gesta sub una earum qualitatum credantur sub alia qualitate, ac signanter titulo *Primâtus*, Romanos Pontifices sibi etiam primis Ecclesiæ seculis vindicâsse.

VI. Ex Epistola S. Leonis *num. 6. cap. præc.* relata, intelligimus Sanctum Leonem, enixè injunxisse suis Legatis, sive Vicariis, ut ita Vicarii functiones obirent, ut tamen conformiter ad Sanctos Canones, notanter Nicænos, jura Metropolitanorum intacta servarent.

Verùm huic saluberrimo, justissimoque monito Vicarii seu Legati Apostolici non per omnia obsequentes; quin & ipsi Romani Pontifices notanter seculo nono & sequentibus post evulgatas & receptas falsas Decretales, jura & privilegia suorum Vicariorum in præjudicium Metropolitanorum sensim protendentes, varias horum querelas, & oppositiones excitârunt.

VII. Inter alia legimus, quòd Joannes VIII. constituens Ansegisum Archiepiscopum Senonensem, suum per Gallias & Germaniam Vicarium, ei dedit auctoritatem, „ quoties uti„ litas Ecclesiastica dictaverit, sive in evocanda Synodo, sive in „ aliis negotiis exercendis, per Gallias & Germanias Apostolica „ vice fungatur, & Decreta Sedis Apostolicæ per ipsum Epis„ copis manifesta efficiantur, & rursus, quæ gesta fuerint, ejus „ relatione, si necesse fuerit, Apostolicæ Sedi pandantur, & „ *majora* negotia, ac difficiliora quæque suggestione ipsius à „ Sede Apostolica disponenda & enucleanda quærantur:“ uti habet Epistola Joannis VIII. quâ Ansegiso Vicariatum committit, quæque conscripta est ad Episcopos Galliæ & Germaniæ.

VIII. Nequaquam obscurum est, hac commissione jura Metropolitanorum in convocandis Episcoporum Conciliis & majoribus negotiis terminandis labefactari. Quapropter cum hæc Epistola in Concilio præsente Rege Francorum Carolo Calvo legeretur; atque peteretur nomine Caroli ab Episcopis ibidem præsentibus, quod de his jussis Apostolicis responderent, responsio eorum fuit: „ Ut *servato singulis Metropolitanis jure* pri„ vilegii, secundum sanctos Canones, & juxta Decreta Sedis „ Romanæ Pontificum ex ejusdem Canonibus promulgata, Do„ mini Joannis Papæ Apostolici mandatis obedirent.“

„ Et cùm Imperator & Legatus Apostolicus satagerent, ut „ *absolute & simpliciter* Episcopi responderent, se obedituros „ de Primatu Ansegisi, sicut Apostolicus scripsit, aliud, ni„ si quod prædictum est, responsum ab iis extorquere non po„ tuerunt.“

Imperator autem volens exequi, quod Pontifex Ansegiso concesserat, illum jussit sedere ante omnes Episcopos in qualitate Primatus, seu Vicarii Apostolici, etiam ipsa ordinatione anteriores, Rhemorum Archiepiscopo reclamante, audientibus omnibus, hoc factum sacris regulis obviare. Referuntur hæc *tomo 9. Concil. General. column. 281.*

Ex hac Metropolitanorum, & Episcoporum resistentiâ, & reclamatione noscitur, rectè notâsse virum eruditum Franciscum Florentem in Commentario ad *tit. de oficio Legati*: „ No„ vas hujusmodi Legationes Metropolitanis, & Episcopis Galliæ „ exosas fuisse, tanquam adversus antiqua privilegia Metropo„ litanorum, quam in rem notanda quoque Epistola, quam præ„ dictus Rhemorum Archiepiscopus nomine *Hincmarus*, scrip„ sit adversus novam illam Ansegisi Senonensis Archiepiscopi „ Legationem.“

IX. Et sanè sensim labentibus seculis Vicarios, sive Legates Sedis Apostolicæ, omnia penè jura Metropolitanorum ad se traxisse clariùs constabit ex dicendis. *Num. 16. cap. præcedent.*

notavimus Pontifices seculo XI. & sequentibus necessitatem mittendi Legatos per varias Provincias cœpise adstruere ex *plenitudine* pastoralis officii in ipso Romano Pontifice residente, quam & præ cæteris magnificis verbis expresit Innocentius III. Porrò hanc Pastoralis Officii *plenitudinem* à nullo Pontifice in fundamentum mittendi suos Legatos per Provincias assumptam legimus ante seculum X. vel XI. eamque auctoritate falsarum Decretalium Romanos Pontifices sibi asseruisse, suprà ostendimus ad *titulum 19. cap. 5. num. 15.*

X. Notavit autem Dominus Fleury in sua Historia ac signanter in suo quarto Discursu historico, quòd postquam Pontifices auctoritate falsarum Decretalium, & Decreti Gratiani asseruerunt sibi eam officii pastoralis plenitudinem, coacti fuerint aliis hanc auctoritatem delegare: nam imposibile erat, ut ipsi Pontifices omnes *personaliter* adirent, vel ut adessent, omnes evocarent; atque hinc frequentes esse cœperunt Pontificum legationes à seculo XI.

Præterea ibidem monet, „ Quod & sub idem tempus, Le„ gati omnia negotia cœperint sua auctoritate tractare, & ab„ solvere: atque indè contigerit, ut omnis penè Metropolitano„ rum auctoritas evanuerit, nihilque Metropolitanis supra re„ liquos Episcopos superesset, nisi prærogativa consessûs, no„ men Metropolitani, & ornamentum Pallii.“

De hac amplificata Legatorum potestate ex hoc facto fundamento necessitatis mittendorum Legatorum, nec non de diminutis Metropolitanorum, & Episcoporum juribus fusiùs agit clarissimus Baluzius in appendice ad Librum V. Petri de Marca *de Concord. Sacerd. & Imper. capit.* 47. observatque *numer. 6.* quòd Legati tametsi omnia pro suo arbitrio gererent, ut plurimùm tamen cuncta peragerent in Conciliis; ut quæ ipsi statuebant, etiam Episcoporum auctoritate tenerent. Hoc insuper notans, quòd postremis temporibus, postquam solidata fuit suprema illorum potestas, vix habuerint rationem aliquam Episcoporum, satis dignitati illorum prospectum putantes, si coram illis Decreta conderentur.

Undè nonnunquam Decreta in Conciliis Episcoporum, quibus ipsi præsederant, edita suo duntaxat nomine Legati publicabant; & ab omnibus Episcopis observari mandabant; uti à Gerardo Episcopo Sabinensi, & Apostolicæ Sedis per Siciliam Legato, in publicatione Decretorum in Concilio generali apud Melphiam anno 1284. conditorum, factum fuisse ibidem notat Baluzius; ut proinde omnis penè Episcoporum auctoritas in solis Legatis Apostolicis residere videretur.

XI. Quanta esset Legatorum ambitio, quantoque fastu, & pompa Provincias ingrederentur, & se supra Metropolitanos, & Episcopos efferre ambirent, atque in Conciliis Generalibus Episcoporum præsidere, & suffragii prærogativa gaudere, pluribus deducit Baluzius in dicta appendice ab librum 5. Petri de Marca *de Concord. Sacerd. & Imper. cap. 25.* ibidem unà observans *num. 15.* Insignia Pontificia, de quibus loquitur Innocentius III. in *cap.* ANTIQUA ✠ *de Privil.* fuisse indumenta Pontificalia; atque hinc concludit, indumenta Romanorum Pontificum, quæ rubea erant, communicata fuisse cum Legatis, sicut olim Pallium; conaturque ostendere vestes Romanorum Pontificum olim fuisse purpureas.

Indubiè hæc ornamenta Legatis suis communicavêre Romani Pontifices, ut hoc ornatu ipsam personam Pontificis manifestiùs exhiberent; & ita honor, & reverentia, quæ Romano Pontifici debetur, Legatis personam ejus repræsentantibus exhiberetur.

XII. Ad hæc *cap. 53.* ostendit Baluzius, quòd tantus quondam fuerit Legatorum excessus, & insolentia, ac nimiæ auctoritatis suæ abusus, ut etiam ipsos Romanos Pontifices ad eos revocandos commoverint, ipsosque pœnituerit, tantam auctoritatis amplitudinem suis Legatis dedisse: quia uti rectè reflectit Baluzius ibidem *num. 1.* „ Ea est Romanæ Ecclesiæ consuetudo, „ quemadmodum observat Ivo Carnotensis Episcopus, ut ne„ que soleat, neque velit Decretis suis *patenter* obviare; tole„ randa aliqua fuerunt, ne, si statim quorumlibet Legatorum „ facta in quæstionem adducerentur, bona Romanæ Ecclesiæ „ fama periclitaretur, quam Sedi illi valde necessariam esse ait „ idem Ivo.

„ Itaque cùm Legati gradûs & ordinis sui immemores, po„ testatem, quam acceperant, in assertam licentiam vertebant, „ tum verò fremere, & indignari Romanos Pontifices, & si de„ cens fuisset, facta Legatorum mittere in irritum: Verùm quia „ periculum erat, ne infamis Apostolicæ Sedis inconstantia no„ taretur, & quoniam (ut ait Baronius) *prudentiâ carnis, non „ spiritus* perperam facta à Ministris defendi solent ab eorum „ Dominis, Romani Pontifices, non palam quidem rescindebant, „ quæ acta à Legatis essent in Provinciis, sed tamen interdum „ eos pœnituit, quòd amplissimam potestatem Legatis concesis„ sent: hæc Baluzius.“

Ex his intelligitur, quàm ægrè Romani Pontifices perperam gesta, etiam à suis Legatis & Ministris palam improbare, & in irritum mittere, sive emendare jam pridem soliti fuerint; quod

meritò Cardinalis Baronius *non spiritûs* sed carnis prudentiæ adscribit.

XIII. Si quis conferre voluerit ea, quæ in Decretalibus Gregorii IX. sub titulo *de Officio Legati*, nec non sub titulo *de Censibus, & Exactionibus & Procurationibus*; & *in Sexto Decretalium* sub eisdem titulis referuntur, de auctoritate, dignitate, ac juribus Legatorum, cum iis, quæ Vicariis & Apocrisiariis Romanorum Pontificum à tempore Sancti Leonis, & aliquot seculis sequentibus competebant, facilè intelligit pleraque, quæ de eorum dignitate, auctoritate, & juribus à Canonistis conformiter ad jus Decretalium dicuntur, sapere tempora illa, quibus dignitas & auctoritas, nec non jura Legatorum in immensum execreverant; & quando Romani Pontifices Legatos ad Aulas Principum mittere cœperant ad modum Imperatorum, & Regum, quod circa seculum XII. post tempora Gregorii VII. sua initia, & incrementa accepisse ex Scriptoribus, & Historicis illius temporis compertum est; apud quos de Legatorum & Ecclesiæ Romanæ in hac missione excessibus querelæ leguntur.

Unde in Decretalibus Gregorii IX. sub titulo de *Officio Legati*, nulla occurrit Decretalis antiquior Decretali Alexandri III. qui sub finem seculi XII. demum sedit: ut ea, quæ de juribus ac dignitate, & prærogativis Legatorum in libris Juris Canonici dicuntur, nota vix fuisse videantur.

XIV. Circa hæc quoque tempora videtur invaluisse, ut Ecclesia Romana dici cœperit *Curia Romana*, cùm hucusque instar aliarum Ecclesiarum dici soleret simpliciter *Ecclesia Romana*.

XV. In hanc enim nominis mutationem, quasi recenter inductam, invehitur Gerchus Præpositus Recherspergensis, Sancto Bernardo coævus, in expositione in *Psalmum* 64. sive *libro de corrupto Ecclesiæ statu* ad Eugenium III. Papam, ubi Ecclesiæ Romanæ maculas describere satagens, ait: „Neque vel „hoc ipsum carere maculâ videtur, quod nunc dicitur *Cu-* „*ria Romana*, quæ antehac dicebatur *Ecclesia Romana*, nam „si revolvantur antiqua Romanorum Pontificum scripta, nus- „quam in eis reperitur hoc nomen, quod est *Curia* in desig- „natione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ rectiùs *Ecclesia*, „quàm *Curia* nominatur: quia nomen *Curiæ*, ut ante nos dic- „tum est, à *curare* derivatur, sive à *curis*, ut ait quidam: „*quia curarum Genitrix, Nutrixque malorum injustos justis,* „*inhonestos æquat honestis*. Extat hic liber tomo 5. Miscella- „neorum Stephani Baluzii *pagin.* 63.

Cæterum nec hodiè in Belgio, aut Gallia pluribusque aliis Provinciis, & Regnis nota & recepta sunt ea omnia, quæ in Decretalibus Legatis, sive Nuntiis Apostolicis attribuntur, ac signanter quæ de jure *Procurationum* dicuntur, uti sparsim in hoc opere notatum est.

CAPUT III.

Quid moribus hodiernis, præsertim Galliæ et Belgii circa Legatos, et Nuntios Apostolicos obtineat.

1 *Legati & Nuntii Ordinarios in sua jurisdictione turbare non possunt.*
2 *Olim multùm soliciti fuêre Pontifices, ne per Legatos Ordinariorum jurisdictio & auctoritas impediretur.*
3 *Soliciti quoque erant, ut essent grati Principi, ad quem mittebantur.*
4 *A multis seculis obtinuit, ut sine prævio Principis consensu non mittantur.*
5 *In Gallia id in usu erat tempore Bonifacii VIII.*
6 *Consuetudo Angliæ de non mittendis Legatis sine prævio Regis consensu probata a Callisto II.*
7 *Legati debent Bullas suæ Legationis Regi exhibere.*
8 *In Gallia Facultatibus Nuntiorum, & Legatorum modificationes addi solent.*
9 *Idem observatur in Hispania & Belgio.*
10 *Modificationis Facultatum Legatorum* à Latere *annotantur in Registris Curiæ; & ad quid.*
11 *Referuntur articuli modificationum in Gallia apponi soliti.*
12 *Legati etiam* à Latere *debent Legationem exercere per se.*
13 *Legatorum potestas hodie non censetur* Ordinaria.
14 *Legati non possunt exercere suam Legationem, nisi quandiu Regi placuerit.*
15 *Legatus discedens debet Legationis acta reponere ad manus alicujus à Curia Regia designati.*
16 *Articuli modificationum in Gallia apponi consueti multùm moribus Belgicis consonant.*
17 *In quibus potissimùm hodie versetur Nuntiorum officium.*
18 *Legati, & Nuntii plurimùm Ecclesiæ prodesse possunt, si debitis dotibus sint instructi: quæ ibidem referuntur.*

I. Synodus Tridentina, *Sess.* 24. *cap.* 20. *de Reform.* statuit: „Legati quoque etiam *de Latere*, Nuntii, Gu- „bernatores Ecclesiastici, aut alii, quarumcumque facultatum „vigore, non solùm Episcopos in prædictis causis impedire aut „aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere aut turbare „non præsumant: sed nec etiam contra Clericos, aliasve per- „sonas Ecclesiasticas, nisi Episcopo priùs requisito, eoque ne- „gligente, procedant; aliàs eorum processus ordinationesve „nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem partibus „illati teneantur."

Hîc patet, Synodum Tridentinam in nullo velle auctoritatem & jurisdictionem Ordinariorum per Legatos, aut Nuntios perturbari aut impediri: unde etiam notat Zypæus in Jure novo titulo *de Officio Legati*, quòd generatim Nuntiis præscribatur, ut procedant sine præjudicio Ordinariorum; quod & Rex in litteris *Placeti* addere solet, ut infrâ patebit.

II. Quam soliciti jam pridem fuerint Pontifices, ne Legati jurisdictioni & auctoritati Episcoporum in aliqua detraherent, liquet ex verbis S. Leonis Legationi Juliani Episcopi Coënsis, de quibus capite præcedenti subjunctis. „Consulenti „autem dilectioni tuæ de his, in quibus putaveris ambigen- „dum, non deerit relationibus tuis meæ responsionis instruc- „tio: ut sequestratâ earum actione causarum, quæ in quibus- „que Ecclesiis Præsulum suorum debent cognitione firmari, „hanc specialem curam vice meâ functus assumas, hæresis „vel Nestoriana vel Euthychiana in aliqua parte revirescat, &c."

III. Neque minus soliciti erant, ut Legati, præcipuè qui eum in finem ablegabantur, ut in comitatu Principis morarentur, Principi grati essent; ejusque patrocinio foverentur. Unde nec facilè suos ad Principes Legatos mittebant, nî unâ benevolentiam Principis solicitarent, omnemque Legatorum erga Principem observantiam sponderent, quemadmodum in epistolis S. Leonis ad Martianum, & Pulcherium; nec non variis epistolis S. Gregorii videre licet.

IV. Imò à multis seculis apud plerasque gentes invaluit, ut Legati Pontificii ad Provincias, sine prævio Principis consensu non admittatur; quemadmodum nec Principum Legati à Pontifice, nisi ejus consensu recipiuntur.

* Quo tempore, & quâ occasione eum consensum Principes requirere cœperint, non certò scitur. Verisimile est, non ubique eodem tempore, eâdem occasione inductum.

Extat hac de re notanda Epistola Friderici Imperatoris sub medium seculi XII. data ad Adrianum IV. Pontificem, qua respondit querelæ hujus Pontificis, quòd Cardinalibus à se ad Imperatorem destinatis, non tantùm Ecclesias, sed & portas civitatis occludi fecisset, respondet Imperator: „Cardi- „nalibus utique vestris clausæ sunt Ecclesiæ & non patent „civitates; quia non videmus eos Prædicatores sed Præda- „tores, non pacis corroboratores, sed pecuniæ raptores, non „orbis Reparatores, sed auri insatiabiles corasores: cum au- „tem viderimus eos, quales requirit Ecclesia, portantes pacem, „illuminantes patriam, assistentes causæ humilium in æquitate, „necessariis stipendiis & commeatu eos sustentare non diffe- „remus." Habentur hæ litteræ apud Goldast. *tom.* 1. *Constit. Imper. edit.* 1607. *pagin.* 58.

Similiter narrat Hector Boetius *lib.* 13. *Historiæ Scotorum fol.* 282. quòd cùm Romani Pontifices frequenter à suo corpore mitterent Legatos in Scotiam, qui Scotiam raptarent sub umbra legationis, rem eo deductam esse anno 1221. ut, cum illuc missus esset ab Honorio Papa Legatus, Alexander Rex consulendos suos ratus, Concilium convocaverit; ibi Præsul quidam Præfatus de avaritia & pravis moribus Legatorum, demum huc flexit, ut censeret, non modo hunc non admittendum reclamante populo, ac regno exhausto, sed in ne posterum quidem hunc aliumve.

Addit autem Hector Boetius, ea liberrima Præsulis illius oratione permotos qui in Conventu aderant, Legatum censuisse in Regnum admittendum non esse. Quæ cum summo Regis (inquit) & assidentium assensu probata essent, Legatus in Regnum admissus non est.

Tandem cæteri quoque Principes in suas provincias Nuntios, aut Legatos sine sua licentia recipere noluerunt, uti de Regno Galliæ, & ditionibus Belgii observatum est, ibidemque notatum, per Principem ejusque suprema Auditoria, eorum instructiones sive facultates examinari, plerisque modificationes adjici. Sed præ cæteris soliciti sunt Ministri Regii, ne quid jurisdictionem sapiens Nuntii sibi attribuant.

V. Illud in Regno Galliæ tempore Bonifacii VIII. & Philippi Pulchri Galliarum Regis obtinuisse, sat manifestum est ex articulo, quem inter alios Bonifacius per suum Lagatum Philippo proponi voluit, ipsiusque Philippi dato responso. Articulus proponendus hic erat, „Item ad denuntiandum vel „declarandum eidem Regi, quòd Romanus Pontifex Legatos „*de latere* ac Nuntios liberè mittere potest ad quævis Im- „peria, Regna & loca, *prout vult absque petitione* cujuslibet, „vel consensu, usu, vel consuetudine contrariis nequaquam „obstantibus." Huic articulo respondit Rex: „quòd non impe- „divit, nec impedire intendit Legatos Nuntios, vel alias quas- „cunque personas, quo minus ingredi valeant Regnum suum, „ni-

„ nisi *sibi & Regno sint legitimâ ratione suspecti*, vel aliàs „ habeat justam causam (h).

VI. A Calixto Papa II. concessum fuisse Henrico I. Angliarum Regi, ut vetustæ Regni sui consuetudines firmæ manerent; atque inter alias hæc, ut nullus Legatus in Regnum ejus mitteretur, nisi à Rege postularetur, refert Rogerius de Hovedem in priore parte Annalium: verba ejus sunt: „Rex „ à Papa impetravit, ut omnes consuetudines, quas Pater suus „ in Anglia & in Normannia habuerat, sibi concederet, & ma„ ximè ut neminem *Legati* officio in Anglia fungi permit„ teret, si non ipse (aliqua præcipua querelâ exigente, quæ „ ab Episcopis regni terminari non posset) *hoc fieri à Pa„ pa postularet.*"

Hæc praxis non admittendi Legatos, sed Nuntios Apostolicos sine Regio consensu usque ad hæc nostra tempora, non in Galia, aut Anglia duntaxat, sed & in Hispania, ac Belgio constantissimè servatur.

VII. Imò quemadmodum olim Proconsules Romani (quibus Legati Apostolici, præsertim *à Latere*, comparantur) secum ferebant facultatum, seu mandatorum suorum articulos in Provincia sibi demandata exhibendos, ut juxta illos suam auctoritatem ac jurisdictionem exercerent; ita quoque moribus obtinuit, ut Legati, sive Nuntii Apostolici facultates suas habere debeant, easque Regi ejusve Parlamento exhibere; ut iis visis & examinatis expendatur, num nihil in illis contineatur juribus Regis, aut Regni, vel subditorum contrarium.

VIII. „ Legati de *Latere* (ait Franciscus Marcus *decis. „ Delphin part.* 2. *decis.* 14.) apud Gallos nusquam fungun„ tur Legationis officio, nisi in eorum ingressu insinuaverint „ suæ potestatis litteras supremæ Curiæ Parlamenti." Et Renatus Choppinus de P. S. *lib.* 2. *tit.* 4. „Sacri Legati potes„ tas initium sumit apud Gallos, ex quo primùm *Curia co„ dicillos Pontificios approbaverit.*

„ Patiuntur Romani Pontifices (inquit Mornacius ad *leg.* 1. „ *Cod. de summa Trinit.*) Legatos suos, quos mittunt in Gal„ liam, Lugduni semper, atque in hunc diem gradum siste„ re, donec *singula legationis capita temperentur à Senatu „ Francico*, qui indicit, & cancellat liberè, si imminutum „ in aliquo jus in re profana, seu temporali regium viderit."

IX. Quod de Gallia uno consensu Practici testantur, & notoria praxis evincit, idem de Hispania & Belgio refert tanquam indubitatum, & Caroli V. edicto firmatum, Didacus Covarruvias *Pract. qq. c.* 35. §. 4.

„ Sicuti apud Hispanos, ait, potestas Legatorum, seu „ Nuntiorum Apostolicæ Sedis examinatur, ut admoneri pos„ sint à summo Regis prætorio, quibus uti conveniat dispen„ sationibus, & commissionibus, ne quid fiat in Reipublicæ „ dispendium (i): cùm plerumque Nuntii Apostolici exteri „ sint, nec satis noverint, quæ sint omninò præcavenda, ne „ falsis precibus, & suggestionibus decipiantur: ita & idem „ fieri solet apud Gallos teste Carolo Molin. in Reg. Cancel„ lariæ *de infirmis resignantibus*, *num.* 139. Ita enim, inquit, „ de Regno Franciæ: in quo nec Legatus quidem Papæ, sive „ Lateralis sive Missus quidquam auctoritate Papali exequi po„ test in regno, nisi priùs permissionem expressam à Rege ob„ tinuerit homologatam à supremo Tribunali Regio, in quo „ Legatus aliquid exequi, nec in terris Regni, quæ nuper „ adhuc erant in possessione Regis Franciæ sine consensu Co„ mitis Flandriæ, ut vidi per programma Caroli V. Imperato„ ris, qui ibi idem jus conservat, cujus programmatis exemplar „ habeo sub data 13. die Maji anno 1531. Hactenus Molinæus. „ Ex quo apparet, non tantùm in Hispania, sed & in Flan„ dria & apud Gallos hoc ipsum frequentissimè fieri." Hæc Covarruvias.

X. Ob reverentiam quidem Legatorum *à Latere* solet Curia Regia, teste Fevretio *lib.* 3. *de Abusu*, *cap.* 2. ipsis reddere Bullas legationis nulla facta mentione restrictionum sive modificationum, quæ in registris Curiæ duntaxat annotantur, ut ad illas, cùm opus fuerit, recurri possit. Si tamen Legatus his contraveniat, sive voluntariam sive contentiosam jurisdictionem concernant, abusus judicatur, atque ab illo actu *tamquam ab abusu* ad Curiam Regiam appellatur (k).

XI. Jacobus Thuanus *lib.* 3. *Historiæ suæ ad annum* 1547. in unum redigit, & per ordinem retulit modificationes, quæ in verificatione, ut ajunt, facultatum sive Bullarum Legatorum *à latere* per Curiam Regiam diversis temporibus appositæ fuerunt, quemadmodum ex litteris ipsis verificationum relatis *tom.* 2. *Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ c.* 23. videri potest.

Cùm verò ex dictis articulis elucescat, quæ sit moderna circa auctoritatem, & facultates Legatorum & Nuntiorum disciplina & praxis, non inutile fore credidi dictos articulos eo ordine, quo à Thuano recitantur, referre.

Ut Legatus „ mandatorum vi nullam jurisdictionem in Re„ gis subditos, ne ipsis quidem consentientibus, exerceat, nec „ etiam in eos è Sacro Ordine, qui jurisdictioni ordinariæ exemp„ ti sunt, & directè ad S. S. pertinent; quibus si opus sit, „ judices in partibus delegatos dare tenebitur, qui de appel„ lationibus eorum cognoscant, & finem liti imponant: na„ talium restitutionis beneficium spuriis non impertiatur, nisi „ ut ad Sacros Ordines admitti, & Sacerdotia obtinere pos„ sint, modò ne eo beneficio, privilegiis, immunitatibus, ac „ juribus Sacrorum Collegiorum, quæ spurios nullo casu ad„ mittunt, derogetur; non autem beneficium ad id porriga„ tur, ut spurii ad successiones & Magistratus civiles, ac hu„ jusmodi publica munia admittantur: nullam Sacerdotiorum „ unionem sanciat; tantùm rescripto judices deleget juxta Sy„ nodi Constantiensis statutum: iis qui ob gradus prærogati„ vam ad Sacerdotia per nominationem jus habent, studiorum „ curriculi gratiam non faciat: nulla pensione Sacerdotia, etiam „ consentientibus, qui ea obtinent, oneret, nisi commodo „ eorum, qui ea ejerabunt, aut litigii componendi causâ; ne„ que patiatur, ut qui ea ejerabunt, pensionis loco omnes „ fructus retineant, concedatve, ut qui ea tenent, bona so„ li ulla de causa, aut quovis contractu alienare possint; „ etiamsi ea Sacerdotia nulli regni jurisdictioni subjaceant, & „ nullo medio ad Sanctitatem Suam pertineant: tantùm eo ca„ su judices in regno deleget, qui causa cognitâ juxta ju„ ris præscriptum auctoritatem Decreto interponant: Cœno„ bia Religiosorum utriusvis sexus, nulli, vita durante, aut ad „ tempus, cum titulo attribuere, aut commendare queat, ci„ tra Regis nominationem, juxta pacta cum Leone X. inita; „ neque Sacerdotiorum vacantium gratiam ulli faciat in in„ dulti à P. P. Parisiensis Senatus assessoribus à Rege nomi„ nandis concessi præjudicium: nullam inter Regis subditos „ jurisdictionem exerceat de falso, usuris, separatione con„ jungatorum, quoad petitionem dotis, & bonorum per con„ tractus illicitos ablatorum restitutionem: de crimine item „ novæ sectæ, quæ quietem publicam turbet cùm de facto „ tantùm quæretur, non cognoscat, quippe cùm eorum om„ nium cognitio ad Regem ejusque judices pertineat; neque „ Regis subditos in iis causis absolvat, nisi quoad conscien„ tiam & pœnitentiam: testandi contra Provinciarum consue„ tudines, jura Regni, ac constitutiones in Curia promulga„ tas, ullis Sacerdotia in Regno tenentibus, aut in Cœno„ biis monasticam professis gratiam non faciat: in diplomati„ bus suis patronorum, aut aliorum Ordinariorum juribus non „ deroget contra statuta, & laudabiles primariarum Ecclesia„ rum, aut Collegialium consuetudines, ac privilegia Regis „ postulatu à Pontificibus concessa gratiam nulli faciat: plu„ ra Sacerdotia uni sub eodem tecto non conferat; executo„ ribus testamentorum tempus à lege præstitutum non proro„ get: legata pia in alios usus, quàm quos testator voluit, „ non convertat; nisi eo casu, quo voluntas defuncti planè „ impleri non possit, & dummodo commutatio in rem fiat, „ quæ testationi ejus ultimæ æquipolleat: regulæ *de verisimi„ li notitia*, & *publicandis resignationibus* non deroget: de „ fructibus perceptis cum iis non paciscatur, qui in Sacer„ dotiorum possessionem se verè intruserint, aut eos ipsis om„ ninò remittat; cùm scilicet in usum, & utilitatem ipsarum „ Ecclesiarum, à quibus profecti sunt, resarciri debeant: in „ conferendis Sacerdotis, quæ ejerata fuerint, non statuat, ut „ fides diplomatibus suis abhibeatur, etiam non exhibitis pro„ curationibus, quarum vi ea Sacerdotia ejerata fuerint. In di„ plomatibus suis clausula, *anteferri*, aut simili, in præjudi„ cium juris jam alteri quæsiti, non utatur. Causas ecclesias„ ticas ad se evocare, aut de iis cognoscat contra caput *de „ causis*, aut rei sequestratione uti non possit: de criminibus, „ quæ verè Ecclesiastica non sunt, etiamsi mixta fuerint, con„ tra purè Laicos non cognoscat, sed tantùm contra Eccle„ siasticos, neque in criminibus purè Ecclesiasticis mulctas pe„ cuniarias Laicis irroget; ei tamen contra Ecclesiasticos hu„ jusmodi mulctis uti jus sit, secundum sanctiones Canonicas, „ dum ne derogetur Sacris Conciliorum Decretis in Censura „ Canonica comprehensis: restitutiones in integrum, aut con„ tractuum inter Laicos factorum rescissiones non concedat: de „ actionibus in rem, etiamsi contrahentes Sacris addicti fue„ rint, aut de contractibus inter quascumque personas Laicas, „ aut Ecclesiasticas factis, qui obligationes in personam con„ tineant, si à Notariis Regis publica auctoritate confirmati „ fuerint, non cognoscat: personas Laicas infamiâ notatas fa„ mæ & dignitati non restituat, sed tantùm Clericos, quoad „ Sacros Ordines & Sacerdotales dignitates: non permittat iis, „ qui

(h) *Summi Pontifices non posunt in Gallias mittere Legatum à latere, quin antea Rex aut eum postulaverit, aut explicitè consenserit Papæ desideranti ad Gallos Legatum dirigere.* Mem. du Clerge, edit. 1719. tom. 7. col. 1424.

(i) Vide Acta concordata 2. 3. & 4. lib. 1. tit. 8. Recop.

(k) *Idem expresis verbis comprobat* l. 59. lib. 2. tit. 4. Recopil. cui adde totum tit. 8. lib. 1. & Act. acord. 4. lib. 4. tit. 1. Recopil.

„ qui Sacerdotia ejerando pensiones retinuerint, eas in alium „ transferre; Sacerdotia Regni, quæ conferre ei, quandiu in „ regno erit, jus est, cùm extra regnum erit, conferendi fa„ cultatem non habeat; & cùm è regno discedet, in cujus„ dam viri spectatæ fidei manus acta legationis suæ consignare „ teneatur: nihil postremò faciat, quod deroget, aut præju„ dicet sacris Decretis, pactis inter Reges & Pontifices initis, „ Conciliis Œcumenicis, juribus, immunitatibus, libertati„ bus Ecclesiæ Gallicanæ, Academiis, & publicis regni scholis, „ idque scripto manu propria idoneè subsignato promittat. (1)"

XII. Ulteriùs quia in Legatione electa est industria personæ, ideo in verificatione Facultatum, seu Bullarum injungitur, ut Legationem suam exerceat per se, non per alios. Unde Curia Regia anno 1519. admisit quidem Legationem Cardinalis Ambrosii, ut tamen ipse nequeat dare in sua absentia, aut alio quocumque prætextu aliquem Vicarium, aut substitutum cum pari auctoritate, aut facultate: sed posset committere, aut delegare duntaxat aliquem Regentem Cancellariæ suæ, & alios Officiarios pro legationis suæ exercitio. Habentur hæ litteræ verificationis *tom.* 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, *cap.* 23. *num.* 27.

XIII. Legatorum præsertim *à latere* potestatem jure communi *Ordinariam* reputari suprà notatum fuit; „ At in terra „ Gallica, ait Renatus Choppinus *Lib.* 4. *De Sacra politia,* „ *tit.* 4. *num.* 4. quæ unius Regis profanùm hactenus domina„ tum experta est, Legati functionem nos *alienam* potiùs in„ terpretamur, delatamque à Pontifice, quàm illius *propriam,* „ ac *ordinariam.*"

XIV. Monet quoque ibidem Choppinus *num.* 3. „ adje„ tum fuisse Senatus Consulto, Legatum tandiu potestate usu„ rum, quandiu ageret in Provincia duntaxat (non si Regno „ Francico semel exisset (aut quousque placuisset Principi"

Tom. 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 23. *num.* 30. referuntur litteræ Archiepiscopi Barensis Nuntii Sedis Apostolicæ ad Curiam Regiam; in quibus hæc habentur: „ Per has „ præsentes promttimus, & juramus per Ordines Sacros, quos „ ab Ecclesia recepimus, præfato Christianissimo (Regi Fran„ ciæ) quod jam dicta Legatione non utemur in regno suo, „ terris & Dominis sibi subditis, nisi quandiu suæ libuerit „ voluntati: adeò ut cùm primùm certiores efficiemur, quòd „ suæ voluntatis est, ut amplius illa non utamur, statim ces„ sabimus, & desistemus illa uti."

Idem scripto promisit Antonius de Prato Cardinalis tituli S. Anastasiæ, & Archiepiscopus Senonensis Legatus *à latere* anno 1529. & extat promissio dicto *cap.* 23. *num.* 39.

XV. Denique notat Choppinus loco citato: „ Gallicis au„ tem finibus abscessuro Legato injunctum est, omnia suæ Le„ gationis acta, & commentaria dimittere penes Curiæ Præ„ sidem, aut Consiliarium, quemcumque ei idcirco Senatus „ designasset, quorum omnium syngrapham tesseramque asser„ toriam Legatus Regi præberet, Curiæ Regestis postea ins„ cribendam, sicuti hæc omnia Senatorio Decreto expressa „ sunt 17. Kalend. Januar. anno 1551."

In formula juramenti Cardinalis Mauroceni Legati *à latere,* præstiti Henrico III. Francorum Regi anno 1576. ibidem *num.* 60. habentur sequentia: „ Juro, & promitto in verbo „ Cardinalis per Sacros Ordines meos manibus ad pectus po„ sitis Christianissimo Regi, me Legati munere non functu„ rum, nec Facultatibus mihi à S. Sede concessis usurum, ni„ si quandiu in Regno ero, & suæ Majestati Christianissimæ „ placuerit, adeò ut certior factus de illius voluntate, illi con„ venienter Legati nomen, & jus continuò sim depositurus: „ simulque omnium, quæ geruntur à me, legatione finita, co„ dicillos relicturum in manibus ejus, quem voluerit sua „ Christianissima Majestas: item leges, & statuta, & consue„ tudines Regni servaturum, nec ullo modo auctoritati, & „ Jurisdictioni Regiæ, juribus, libertatibus, & Privilegiis Ec„ clesiæ Gallicanæ & Universitatum derogaturum."

XVI. Prædicti articuli modificationum & reliqua usum Regni Galliæ exponentia, si attendantur, & conferantur cum moderna Belgii nostri Praxi, apparebit, in multis, mores Belgicos hac in parte Gallorum moribus consentire.

Et quidem Philippus II. Hispaniarum Rex in litteris *Placeti* super Legatione Caroli Caraffæ in has Provincias, datis Bruxellis 18. Decembris 1557. postquam declaravit, „ quòd „ dictus Caraffa sibi exposuisset, se nolle in hisce Provinciis „ uti facultatibus, seu Bullis suæ Legationis sine notitia & „ consensu Regis, quem postulari fecit, dicit: se consensisse, „ atque per præsentes consentire, ut Legatus suis Facultatibus „ & Bullis utatur; ita tamen, quòd non poterit præjudicare „ indultis, aut Privilegiis Regiis nominandi ad Monasteria, „ Dignitates, ac Beneficia in his Provinciis; neque etiam or„ dinationibus, aut edictis publicis harum Provinciarum: quòd „ non derogabit Juri Patronatus Laicorum; neque ulli funda„ tioni quovis prætextu; quòd non utetur præventione in „ præjudicium Ordinariorum Collatorum Beneficiorum; non „ poterit quoque dispensare super retentione duorum Bene„ ficiorum in eadem Ecclesia: quodque hi, qui ab eodem „ Legato obtinebunt quamcunque gratiam, provisionem aut „ Bullam, iis uti non poterunt sine præviis litteris *Placeti* „ *Regii*, quemadmodum, ait, observare solemus in omnibus „ provisionibus & Bullis Apostolicis." Hebentur hæ litteræ in quodam libello continente Privilegia nominationum Lovaniensium; necnon diversa alia indulta nominandi ad Beneficia & Dignitates Principibus Belgii indulta, impresso Leodii apud Matthiam Hovium anno 1663. *pag.* 137.

XVII. Auctoritas itaque Nuntiorum Apostolicorum in Gallia, ac Belgio ferè in his consistit.

Primò in concedendis rescriptis, quibus designantur Judices Synodales in partibus, qui de causis per appellationem, aut alium quemcumque titulum ad Sedem Apostolicam devolutis, cognoscant & judicent (m).

Secundò, in concedendis dispensationibus, vel conferendis Beneficiis, aliisve gratis elargiendis, quæ privativè ad Sedem Apostolicam spectant, prout scilicet Sedes Apostolica eas per Legationis Bullas seu Facultates ipsis Legatis seu Nuntiis censuerit communicandas (n).

Tertiò, ipsi Nuntii etiamnum hodie vice Pontificis in Provinciis pro fidei integritate & conservatione, necnon Canonum custodia excusare debent; atque apud Reges & Principes tanquam Ministri Pontificii negotia Pontificis procurare. Solent quoque Pontifices per Nuntios tanquam suos Ministros apud Principes, & Reges in Provinciis agere, omniaque per manus ipsorum transire solent. Ipsi quoque omnia majoris momenti Romano Pontifici atque Curiæ Romanæ referunt; quæque agenda sint, à Pontifice exspectant, atque de singulis Pontificem, ac Curiam Romanam informant. Quare à verò aberrare non videntur, qui Nuntios Apostolicos, pristinis Apocrisiariis & Responsalibus (de quibus capite præcedenti) comparari posse credunt.

XVIII. Indubitatum quoque est, non exiguam etiam hodie esse Nuntiorum apud Principes, & Ecclesiæ Prælatos auctoritatem, propter reverentiam, & eminentiam Sedis Apostolicæ, cujus ipsi vices gerunt, & pro qua Legatione funguntur; quodque plurimùm Ecclesiæ sua auctoritate prodesse possint, præsertim si tales sint, quales S. Bernardus *lib.* 4. *De Considerat. ad Eugenium cap.* 4. describit: „ Qui missi post „ aurum non eant, sed Christum sequantur. Qui quæstum Le„ gationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum. „ Qui regibus Joannem exhibeant, Ægyptis Moysem, for„ nicantibus Phinees, Heliam idololatris, Helisæum avaris, „ Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotianti„ bus Christum. Qui vulgus non spernant, sed doceant: di„ vites non palpent, sed terreant: pauperes non gravent, sed „ foveant: minas Principum non paveant, sed contemnant. „ Qui non cum turba intrent, nec cum ira exeant: qui Ec„ clesias non spolient, sed emendent. Qui marsupia non ex„ hauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant: famæ „ pro-

(1) *Clara sunt quæ à Jacobo Thuano de jurisdictione à Legatis exercita in Galliis dicta sunt; attamen non pigeat consulere D. Pithœum in suo opere* de Libertatibus Gallicanis.

(m) *Hodie in Hispania hac facultas Nuntiis sublata est virtute Concordati inter Sanctam Sedem & Regem nostrum Carolum III, uti videre est in Bulla expedita die* 26. *Martii anno* 1771.

(n) *Nescio, utrum quæ in eo numero dicta sunt de auctoritate Nuntiorum, possint conciliari cum iis, quæ noster Auctor statuit cap.* 1. *hujus tit. num.* 16. *ubi docet in Belgio, in Gallia, & in plerisque Regnis, nullum jurisdictionis actum posse a Nuntiis exerceri; eo loci excludit tum contentiosam, tunc voluntariam jurisdictionem, undè sequitur, quòd Nuntii concedere nequeant dispensationes, nec rescripta, quibus designantur Judices Synodales in* partibus, *&c. sicut asseruit num.* 17. *cap.* 4. *facultas enim concedendi dispensationes, & designandi Judices supponit auctoritatem jurisdictionis. Quod autem non solùm in Galliis, sed etiam in Hispaniis, Nuntii nullius jurisdictionis actum independenter à Regibus possint exercere, constat ex Bobadilla Auctore Hispano, lib.* 2. *cap.* 2. de la Jurisdiccion Real y mixto fuero. *Addit non tantùm Hispanias, sed Comitatum Burgundiæ, & integrum Belgium nullam in Nuntiis Apostolicis agnoscere, jurisdictionem* si, *inquit*, primero no tienen licencia Real para ello. *Quapropter in iis Provinciis, sicut in Galliis non possunt cognoscere, & ferre judicium de secularizatione Monasteriorum, de unione Beneficiorum, de informationibus, quæ vocari solent* de commodo & incommodo, *& de actis cæteris, quæ supponunt potestatem jurisdictionis, unde nec Tribunal erigere audent, nec Assessores ad jus dicendum in Galliis, & in Hispaniis sibi vindicant.*

„ provideant suæ, nec invideant alienæ. Qui orandi studium „ gerant, & usum habeant, ac de omni re orationi plus fi- „ dant, quàm suæ industriæ vel labori. Quorum ingressus pa- „ cificus, non molestus exitus sit. Quorum sermo ædificatio, „ quorum vita justitia, quorum præsentia grata, quorum me- „ moria in benedictione. Qui se amabiles præbeant non ver- „ bo, sed opere: reverendos exhibeant, sed actu, non fastu. „ Qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocen- „ tes, duros durè redarguant, malignantes coërceant, reddant „ retributionem superbis. Qui non de dote viduæ, & patrimo- „ nio crucifixi se vel suos ditare festinent, gratis dantes, quod „ gratis acceperunt, gratis facientes judicium injuriam patienti- „ bus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. Qui „ de tuo denique spiritu, illorum instar septuaginta Moysi ac- „ cepisse cernantur, per quem sive absentes, sive præsentes „ contendant, placere tibi, placere Deo."

TITULUS XXII.

De Congregationibus Cardinalium.

CAPUT I.

DE ORIGINE, ET DIGNITATE, ET OFFICIO CARDINALIUM.

1 *Qui dicti olim fuerint, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi* Cardinales.
2 *Unde olim dicerentur* Cardinales.
3 *Quomodo Episcopi, Presbyteri, & Diaconi* Cardinales *distinguerentur à* non Cardinalibus.
4 *Episcopum proprium Ecclesiæ Sanctus Gregorius vocat* Cardinalem.
5 *Eodem sensu dicit Presbyterum* Cardinalem.
6 *Diaconum* Cardinalem *eodem sensu accepit.*
7 *Olim non tantùm in Ecclesia Romana, sed etiam in aliis erant Presbyteri & Diaconi* Cardinales.
8 *Etiam seculo XI. Presbyteri Ecclesiarum Parochialium dicti sunt* Cardinales.
9 *Quæ primitùs fuerint* Diaconiæ *in Urbe Roma.*
10 *Quomodo paulatim transierint in titulos* Cardinalium.
11 *Quatuordecim primùm fuêre Diaconorum Cardinalium tituli, quibus quatuor alii additi.*
12 *Primus Leo X. octodecim titulis Diaconorum* Cardinalium *novum addidit.*
13 *Olim fuêre XXVIII. tituli Presbyterorum* Cardinalium; *& quandiu numerus ille manserit immutatus.*
14 *Episcopi* Cardinales *Romæ multis seculis ignoti fuêre; & quomodo initium habuerint.*
15 *Quomodo numerus Cardinalium subinde diminutus, & subinde nimium auctus fuerit.*
16 *Synodus Basiliensis limitavit ad viginti quatuor.*
17 *Sixtus IV. numerum primus valdè ampliavit.*
18 *Hodie ad septuaginta redactus.*
19 *Antiquitùs Cardinales Ecclesiæ Romanæ erant ipse Clerus illius Ecclesiæ; quem* Presbyterium *dicebat.*
20 *Presbyteri aut Diaconi Cardinales olim supra reliquum Clerum non eminebant.*
21 *Multis seculis Episcopi prælati fuêre Cardinalibus.*
22 *Dignitas Cardinalitia cum dignitate Romani Pontificis sensim crevit.*
23 *Circa seculum XII. cœperunt* Cardinales Episcopi.
24 *Pileus rubeus aliaque insignia Cardinalibus data.*
25 *Quando Cardinales dicti sint* Eminentissimi.
26 *Cardinales nullo alio titulo, quàm* Cardinalitio *uti possunt.*
27 *Cardinalitia dignitas omnem aliam suo splendore absorvere videtur.*
28 *Cardinales nonnumquam Episcopos indignè tractârunt.*
29 *Bartholomæus de Martyribus conqueritur Episcopalem dignitatem per Cardinalitiam in vilipendium venisse.*
30 *Præcipuum officium Cardinalium olim fuit intendere Ecclesiis suorum respectivè titulorum.*
31 *Hodie præcipuum ipsorum officium est, assistere Pontifici, ratione cujus postmodum suum nomen mutuârunt.*
32 *Cardinales hodie cum Pontifice majora Ecclesiæ negotia agunt.*
33 *Quæ qualitates in Cardinalibus requirantur.*
34 *Institutæ sunt Cardinalium Congregationes pro negotiis dirigendis.*
35 *Variæ harum Congregationum species.*
36 *Quarum Congregationum notitiam habere hic conveniat?*

I. A Multis retrò seculis notissimum fuit *Cardinalium* in Ecclesia nomen; sed à modernis Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus planè diversorum.

Episcopus quippe *Cardinalis* antiquitùs dictus fuit, omnis ille Episcopus, qui Ecclesiæ alicui Cathedrali erat intitulatus sive *incardinatus*; hoc est, proprius illius Ecclesiæ Episcopus.

Similiter Presbyter aut Diaconus *Cardinalis* vocatus est, qui alicui Ecclesiæ, aut loco pio tanquam *ordinarius* & proprius Presbyter, aut Diaconus erat intitulatus, sive *incardinatus.*

II. Hujusmodi Episcopi, Presbyteri & Diaconi vocabantur *Cardinales*: quia, sicut *cardo* fixus, & immobilis, ac circa illum valvæ voluntur; ita quoque circa illos Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos, tanquam *fixos* & proprios Ecclesiarum *cardines*, populus eorum curæ commissus in Ecclesiastico regimine, & animarum cura quodammodo volveretur.

III. Verbo Episcopi, Presbyteri & Diaconi *Cardinales* in hoc unicè ab aliis non *Cardinalibus* differebant, quod illi tanquam *proprii* & quasi *fixi* ac *immobiles* Ministri, Ecclesiis suis essent intitulati: hi verò tanquam *adventitii* & *subsidiarii* alicui Ecclesiæ essent assignati; atque ita juxta veterem *Cardinalium* nomenclaturam hodierni Parochi verè dicerentur Presbyteri *Cardinales*; Vice-Pastores verò *non Cardinales.*

Hoc sensus Gelasius I. in litteris ad Cœlestium Episcopum apud Gratianum *dist.* 24. *can.* 4. Pontificem *Cardinalem* opponit Pontifici seu Episcopo *Visitatori*; qui scilicet duntaxat ad tempus alicui Ecclesiæ tanquam *Visitator* invigilat.

* Notant passim eruditiores, ante hunc Pontificem, nomen Cardinalis non legi tributum Episcopis, Presbyteris, aut Diaconis. Occurrit quidem in quadam Synodo, quæ habita dicitur sub Sylvestro Papa seculo IV. sed hanc Synodum ejusque acta demum ævo Caroli Magni conficta Sylvestro Papa supposita esse, plura in ea occurrentia evidenter evincunt, & hodie passim eruditis sat est persuasum.

IV. Meminit quoque hujusmodi Episcoporum, Presbyterorum, ac Diaconorum *Cardinalium* non semel S. Gregorius.

Et quidem, cùm Isauriæ Episcopus, ob imminentes hostes refugium habuisset in insulam Corcyram, atque ad Ecclesiam quandam istius insulæ se cum sua plebe recepisset; velletque in illa non tantùm corpus S. Donati, quod secum attulerat, collocare & consecrare; sed insuper *Pontificalia* exercere, atque ea de causa lis inter Episcopum Isauriæ & Episcopum hujus insulæ orta esset, rescribit huic S. Gregorius *lib.* 12. *Epist.* 2. Sacerdotes vel Clerum Isauriæ civitatis ab illa Ecclesia non esse repellendos, „ sic tamen, in- „ quit, ut Dilectioni tuæ, in cujus Parochia (id est, Diœce- „ si) castrum ipsum est positum, emissa procuretur cautio- „ ne monitio, per quam promittat Episcopus Isauriæ, nullam „ sibi in eo potestatem; nullum privilegium fore, nullam ju- „ risdictionem, nullam tanquam *Cardinalis* Episcopus ulterius „ auctoritatem defendere: sed post pacem Deo propitio red- „ ditam ablato venerabili S. Donati, si maluerint, corpore ad „ propria se modis omnibus reversuros."

Hîc Gregorium per Episcopum *Cardinalem* intelligere *proprium fixum*, & *ordinarium* Episcopum perquam manifestum est; quapropter vir eruditus Petrus Gussanvillæus in notis ad citatam Epistolam, verbo *Cardinalis Episcopus*, sine ulla hæsitatione hanc notam apposuit: *id est*, TITULARIS sive PRINCIPALIS, *ut in Epistola sequenti*; sive PROPRIUS, *ut in ep.* 8.

V. Presbyterorum *Cardinalium* & *non Cardinalium* in eodem sensu frequens quoque apud S. Gregorium est memoria.

Et quidem rescribens Castorio Episcopo Ariminensi, ut postulante Timothea illustri fœmina Oratorium pro ejus devotione in honorem S. Crucis absque Missis publicis solemniter consecret, hanc cautionem apponit: „ ita ut in eodem „ loco nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec „ Presbyterum constitutas *Cardinalem.*" *Lib.* 2. *indict.* 10. *ep.* 9.

Similiter scribit Episcopo Firmano, ut cuidam suo Diœcesano Oratorium pro sua devotione extruat; eâdem rursus additâ conditione, ut consecretur absque Missis publicis: & ut in eodem loco nec futuris temporibus Baptisterium construatur, nec Presbyterum *Cardinalem* constituat.

Hîc videmus, Gregorium nolle ordinari Presbyterum *Cardinalem*: at verò scribens eidem Episcopo pro consecratione Ecclesiæ, quam quidam ejus Diœcesis Comes in suo Castro suoque sumptu constituere & dotare volebat, vult, Presbyterum ibi constitui *Cardinalem Lib.* 10. *indict.* 5. *epist.* 12.

Ra-

Ratio verò, cur hîc Presbyterum *Cardinalem* constitui præcipiat, & alibi inhibeat, hæc est; quòd Oratoria, de quibus in prioribus epistolis, solummodo construerentur & dedicarentur ad alicujus privatam devotionem; nequaquam verò ad publicas synaxes, seu publicos populi conventus. Quare & absque *publicis* Missis consecrari debeant. Per Missas *publicas* enim intelligit Gregorius juxta phrasim illius temporis, Missas, ad quas unà cum suo Pastore plebs convenire debebat.

Oratorium autem de quo in postrema citatâ epistola, non pro privata Comitis devotione destinabatur, sed insuper, ut ad illud populus convenire posset. Sic enim scribit Gregorius: „Presbyterum quoque te illic constituere volumus *Car-*„*dinalem*, ut quoties præfatus Conditor fieri sibi Missas for-„tasse voluerit, vel *Fidelium concursus exegerit*, nihil sit, „quod ad Missarum sacra exhibenda solemnia valeat impedire.“

In hoc ergo Presbyterum *Cardinalem*, id est, *proprium* & *fixum*; quem hodie *Curatum* sive *Plebanum* diceremus, constitui vult pro populi ibidem convenientis directione; at in illis Presbyterum non *Cardinalem*, sive uti hodiè diceremus, *Capellanum*, sive Presbyterum non fixum; ab Episcopo tamen postulandum, si Fundator Oratorii ibi Missas celebrari velit: uti expresse monet S. Gregorius.

VI. De Gratiano Diacono ad Metropolitanum Episcopum ita scribit idem Pontifex *lib.* 5. *indict.* 14. *Epist.* 11. refertur à Gratiano *dist.* 75. *can.* 5. „Fraternitatem tuam no-„bis petiisse recolimus, Ecclesiæ Benafranæ Diaconum tuæ „concederemus Ecclesiæ *Cardinandum*. Et quoniam nec Epis-„copum, cui obsecundare, nec *propriam* habet Ecclesiam, „hoste scilicet prohibente, quò suum debeat ministerium ex-„hibere; petitionem tuam non prævidimus differendam. Id-„circò scriptis tibi præsentibus eum necessariò duximus con-„cedendum habituro licentiam Diaconum illum, nostrâ in-„terveniente auctoritate, Ecclesiæ tuæ Deo propitio consti-„tuere *Cardinalem*.“

Itaque ætate S. Gregorii, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi *Cardinales* propriè erant, Episcopi, Presbyteri ac Diaconi qui Ecclesiis erant intitulati seu *incardinati*, tanquam fixi ac proprii illarum Ecclesiarum Pastores, & Ministri.

VII. Hinc non tantùm in Ecclesia Romana, sed in omnibus passim Ecclesiis erant Presbyteri, ac Diaconi *Cardinales*, præter *Cardinalem*, hoc est, *proprium* Episcopum. Et quidem usque ad seculum undecimum, Curiones Ecclesiarum Parochialium in Ecclesiis Gallicanis dictos fuisse *Presbyteros Cardinales*, ostendit ex illius temporis monumentis auctor tractatus Gallici *de origine Cardinalium pag.* 16. *edit.* 1670.

VIII. Atque hoc sensu intelliguntur Sacerdotes *Cardinales in cap.* 2. ✠ *de Officio Archipresyteri*, quos etiam antiquus Glossographus vocat *principales*; & in Corpore Juris canonici correcto editionis Antuerpiensis anni 1648. ad marginem notatur ex Antonio Augustino: „*Cardinales* Sacerdo-„tes hoc loco non Urbis tantùm Romæ, sed aliarum etiam „Civitatum *primos* interpretamur, quibus tituli, id est, *Pa-*„*rochiæ* committuntur.“

Auctor dictæ Decretalis dicitur Leo Papa: absque expressione ulteriori; sed Antonius Augustinus monet, Leonem IX. appellari à quibusdam ex veteribus libris: quæ inscriptio si vera sit, vel ex hac Decretali habemus, etiam ætate Leonis IX. id est, circa medium seculi XI. Parochialium Ecclesiarum Curiones fuisse dictos Sacerdotes *Cardinales*.

Itaque *Cardinales* Ecclesiæ Romanæ, quemadmodum aliarum Ecclesiarum, erant Presbyteri, & Diaconi, qui Ecclesiis, & titulis Presbyterorum, aut Diaconorum erant intitulati seu incardinati, tanquam fixi, ac proprii Ministri.

IX. Porrò Diaconiæ erant loca, in quibus per Diaconos Regionarios pauperes, viduæ, pupilli, senes, cujusque Regionis alebantur; habebantque hæc loca, quæ quasi publicæ domus hospitales erant, Oratoria seu sacella adjuncta. Qui igitur hisce locis tanquam proprius Diaconus ad ministrandum dictis personis, & loca illa regenda præficiebatur, Diaconus *Cardinalis* appellabatur, erantque hujusmodi Diaconiæ sive domus hospitales in singulis Urbis Regionibus; atque ideo Diaconi illi etiam dicti fuêre *Regionarii*.

X. At usu harum hospitalium domorum paulatim exolescente, ipsisque ædibus dirutis, solis sacellis ac oratoriis nomen *Diaconiæ* adhæsit, à quibus tandem *Diaconi Urbis Romæ* dicti fuêre.

Porrò hæ Diaconiæ per quatordecim Regiones Urbis distributæ erant; atque hinc primitùs Diaconi hisce præfecti dicti sunt *Cardinales* primæ, secundæ, &c. Regionis; scilicet à Regione in qua titulus ipsius situs erat. At successu temporis antiquata hac appellatione, dici cœperunt, ad exemplum Cardinalium Presbyterorum, *Diaconus Cardinalis* hujus vel illius Diaconiæ v. g. *S. Theodori*, *S. Adriani*, &c. nimirùm à titulo Diaconiæ.

XI. His quatuordecim Diaconiis, sive titulis Cardinalium Diaconorum additi jam pridem fuerunt (ait Onuphrius Panvinius in libro *de Episcopatibus, Titulis & Diaconiis Cardinalium*, *pag.* 25.) „quatuor alii Diaconi Cardinales, quo-„rum munus tantùm erat, Lateranensi Basilicæ, vel Ponti-„fici Romano, ibidem celebranti ministrare, quos & *Altaris La-*„*teranensis ministros* appellatos fuisse legi, sicque XVIII. „numerus expletus.“

XII. Hæc Onuphrius, qui ibidem *pag.* 27. enumeratis hisce octodecim Diaconiis sive Titulis Cardinalium addit: „Por-„rò autem has Diaconias semper fuisse legi, & nunquam vel „additis novis, vel antiquis sublatis mutatas, usque ad Leo-„nis X. Pontificatum, qui primus omnium Romanorum Pon-„tificum, Diaconiam unam novam adjungit, quæ fuit Dia-„conia *S. Onuphrii in Vaticano*, quam Joanni Cardinali Lo-„tharingio à se creato tradidit.“

XIII. Titulos *Cardinalium Presbyterorum* viginti octo, qui ante millessimum & centesimum abhinc annum extiterunt, *pag.* 8. enumerat Onuphrius; quorum aliquos circa tempora Gregorii I. mutatos fuisse monet: ita tamen ut numerus viginti octo Presbyterorum Cardinalium integer permanserit, ut habetur ex Pandulpho Pisano in vita Gregorii II. usque ad Honorii Papæ II. tempora, annumque Christi 1125. quo id observari desitum, uti latius exponit Onuphrius *pag.* 17.

XIV. Quoad *Cardinales Episcopos*, cùm antiquitùs Episcopus Cardinalis alius non esset, nisi proprius, & intitulatus Ecclesiæ cujusque Episcopus; nullus in Urbe Roma præter Episcopum Romanum, sive Pontificem dici potuit Ecclesiæ Romanæ Episcopus *Cardinalis*. Unde & multis seculis ignoti fuêre alii Episcopi Cardinales Ecclesiæ Romanæ; atque admodum verisimile est, nonnisi circa seculum XI. & XII. contigisse, quod narrat Onuphrius *pagin.* 13. nimirum quòd „Ecclesiæ Latera-„nensi, quæ est specialis Sedes Romani Pontificis, propter „suam, & Romani Episcopi excellentiam septem Episcopi ex „circumvicinis civitatibus assignati sint, qui suis statis solemni-„busque diebus singulis coram Romano Pontifice in eadem Ba-„silica celebrarent divina mysteria, vel Pontifici celebranti ad-„sistentes essent, atque ob eam causam postea Episcopi & *Car-*„*dinales*, id est, *Principales*, quòd huic Ecclesiæ & Ro-„mani Pontificis ministerio adscripti essent, appellari cœperunt.“

XV. Hi septem Cardinales Episcopi, si jungantur cum 28. Cardinalibus Presbyteris, & 18. Diaconis, conficiunt 53. Cardinales; qui numerus tantùm circa tempora Honorii II., id est, circa initium seculi XII. minui cœpit, & ad incertum numerum sensim delabi. Imò teste Onuphrio *pag.* 18. ad eam paucitatem redacti sunt, ut non essent, nisi septem Cardinales viventes, videlicet tres Presbyteri & quatuor Diaconi, quando creatur fuit Nicolaus III. anno 1277. qui ibidem notat, post tempora Nicolai III. rursus cœpisse augeri numerum Cardinalium; qui ut nec graves Ecclesiæ essent, nec superflua numerositate vilescerent, quòd numerum 24. excedere non possent, in Concilio Basil. cautum est.

XVI. „Primus Papa Sixtus IV. nullâ habitâ ratione De-„creti Concilii Basiliensis, supra omnes Prædecessores suos (si „Onuphrio *pag.* 18. credimus) Cardinalium numerum maximè „ampliavit; cujus exemplum optimè secutus est Alexander Pa-„pa VI. Nullus tamen horum Pontificum antiquum 53. nu-„merum excessit, ut essent videlicet plures quàm 53. cùm nec „eum numerum attigerint; sed omnium Romanorum Pontifi-„cum primus fuit Leo X. qui antiqui Statuti ratione non habitâ, „in magna illa 31. Cardinalium creatione, veterem & antiquum „atque à nullo unquam Romanorum Pontificum excesum nu-„merumque longè superârit. Nam sub Leone X. plus minus 65. „Cardinales simul viventes fuerunt, quod nunquam aliàs con-„tigerat post fundatam Romanam Ecclesiam. Ejus exemplum „secuti sunt Paulus III. & qui nunc vivit Paulus IV. Prior enim „ad 63. numerum Cardinales auxit, sequens ad 70. quem quo-„que numerum nunquam fuisse, satis constat.“ Hæc ille.

XVII. Hunc numerum tanquam respondentem septuaginta viris, quos de Senioribus in suum adjutorium ex mandato Domini assumpsit Moyses, & septuaginta Discipulis, quos binos ante faciem suam missit Christus, retinendum decrevit Sixtus V. in sua Constitutione, quæ incipit, „*Postquam verum ille*, de-„cernens, ut imposterum connumeratis omnibus cujuscunque „ordinis Episcopis, Presbyteris & Diaconis Cardinalibus, qui „nunc sunt, quique in futurum creabuntur, cuncti simul nu-„merum *septuaginta* nullo unquam tempore excedant, ac ta-„lis numerus quovis prætextu, occasione vel causâ etiam ur-„gentissimâ minimè augeatur. Declarans insuper electionem ac „nominationem alicujus ultra dictum numerum nullam, irri-„tam ac inanem.“

XVIII. Hic est ergo modernus Cardinalium numerus, quorum titulos, & à quibus Pontificibus novi erecti fuerint in citato libro enumerat Onuphrius, hoc unà monens, hodie duntaxat esse sex Episcopos Cardinales, eò quòd Ecclesiæ Episcopalis SS. Ruffinæ & Secundæ, aliàs Sylvæ Candidæ, à Calixto II. unita fuerit Episcopatui Portuensi.

Quemadmodum circa numerum Cardinalium varia pro tempo-

porum varietate intercessit disciplina, ita nec minor circa Cardinalium eminentiam, ac dignitatem intervenit mutatio.

XIX. Antiquitùs enim Cardinales Romanæ Ecclesiæ alii non erant, ut ex jam dictis facilè est colligere, quàm ipse Romanæ Ecclesiæ ordinarius Clerus constans ex Presbyteris & Diaconis. Unde *Presbyterium*, de quo S. Cornelius Papa ad S. Cyprianum, idem fuisse quoad officium, & functiones cum hodierno Cardinalium Collegio, notat Pamelius in notis ad citatam epistolam Cornelii: „Presbyterium, ait, intelligit tum hîc, „ tùm paulo post, Collegium, sive Senatum (ut loquitur D. „ Hieronimus epistolâ ad Rusticum) Cleri Romani, utpotè si„ ne quorum consilio arduum nihil soleat agere Romanus Ponti„ fex. Atque adeò, tum hinc, tùm ex Epistolis Cypriani ad „ Clerum Romanum constat, Presbyteros, & Diaconos Ec„ clesiæ Romanæ, in eadem auctoritate jam olim fuisse, qua „ nunc pollent, eodem etiam munere functos, quo nunc Car„ dinales; nempè ut essent Consiliarii, & Assessores Episcopi „ Romani. Quod planè perspicuum fit ex verbis illius epis„ tolæ 55. ad Cornelium: *florentissimo illic Clero tecum præsi„ denti.* Erant tamen illis Episcopi tùm temporis superiores." Hæc Pamelius.

XX. Cùm ergo Cardinales R. E. non essent nisi Presbyteri. ac Diaconi, suis respectivè Ecclesiis, aut Titulis *incardinati*, ipsum Clerum Eclesiæ Romanæ eo modo constituentes, quo aliarum particularium Ecclesiarum Presbyteri, ac Diaconi suæ respectivè Ecclesiæ Clerum conficiebant, nulla quoque supra reliquos prærogativa in illa qualitate eminebant: quemadmodum sex, aut septem illi Episcopi Romæ adjacentes, etiam postquam R. E. Cardinales creati fuêre, ob eam causam (uti monet Onuphrius *pag.* 30.) „neque Patriarchis, neque Metropolitanis vel „ Archiepiscopis, neque etiam Episcopis aliarum Civitatum, „ licèt Cardinales non essent, ante se tamen consecratis, dig„ niores erant, nec etiam eos præcedebant: sed eorum præce„ dentia erat ratione temporis, quo Episcopi creati fuerant: et„ enim Episcopus *Cardinalis* Ostiensis, si post Episcopum Ve„ ronensem, qui non erat Cardinalis, vel post alium quemque „ creatus fuisset, superiorem eo locum, neque in consessu, „ neque in procedendo habebat, eos tantùm Episcopos præce„ debat, qui post eum creati fuerant: quæ omnia idcircò di„ co, *quòd nihil dignitatis*, aut *præeminentiæ illis dabat an„ tiquitùs, esse Cardinales.*" Hæc ille, unà observans, quòd usque ad tempora Gregorii VII. & Urbani II. id religiosè observatum fuerit.

XXI. Et si Zerolæ in praxi Episcopali, verbo *Episcopus*, aliisque Canonistis credimus, Episcopi usque ad Clementem V. & Joannem XXII. erant in dignitate supra Cardinales: quin imò, uti post alios Canonistas asserit Barbosa *lib.* 1. *Jur. Eccles. cap.* 3. *num.* 17. „usque ad tempora Bonifacii VIII. nullus erat „ Episcopus, qui vellet fieri *Presbyter Cardinalis*, quia puta„ bant non licere descendere à majore dignitate ad minorem."

Et Ludovicus Gomesius in prœemio ad regulas Cancellariæ: „ Episcopi usque ad tempora Clementis V. & Joannis XXII. in „ Ecclesia Dei, ita in excelso honoris & existimationis fastigio „ possiti fuerunt, ut dignitate deprimi ac gradu minui arbitra„ rentur, si ex Episcopis ad Cardinalatus officium assumerentur."

XXII. Quo verò tempore crescere cœperit Cardinalium R. E. dignitas, nequit precisè determinari, illud sat constat, sensim atque gradatim ad eam, in qua modo conspiciuntur, eminentiam pervenisse.

Et quidem Cardinalium dignitatem cum Ecclesiæ & Romani Pontificis dignitate semper crevisse, monet Onuphrius *pag.* 34. unà advertens, dignitatem Pontificis Romani maximam fuisse tempore Alexandri III. „Sub quo, ait, Romana Ecclesia ad „ maximum in terris fastigium evecta fuit, Imperatore potentis„ simo Frederico Ahenobardo, eoque Ecclesiæ Romanæ in„ festissimo hoste, conculcato, victo, pacemque ab Eccle„ sia petere coacto."

XXIII. Tunc ergo, teste Onuphrio, primùm ex Episcopis Cardinales fieri cœpti, hac tamen moderatione, „ ut quo„ ties accederet aliquos creari Cardinales, qui Episcopi vel Ar„ chiepiscopi essent, singulis una ex Cardinalibus Ecclesiis „ (Episcopalibus) tradebatur, quòd tunc incongruum vide„ retur, ex Episcopo Presbyter fieri, sed minus inconveniens „ ex Episcopo vel Archiepiscopo fieri Episcopus *Cardinalis.*"

XXIV. Succedentes Pontifices Cardinalium eminentiam, ac dignitatem continuò magis magisque elevârunt, pluraque eminentiæ, atque dignitatis ornamenta, & argumenta addiderunt. „ Innocentium IV. ipsis Cardinalibus, cùm à Summo Pon„ tifice ad terras Ecclesiæ regendas mitterentur, *rubeum pileum* „ tradidisse circa annum Domini 1244." ex relatis Canonistis refert Barbosa *loco citato*, *n.* 8. additque: „ Quòd postea vel „ per consuetudinem, aut expressam concessionem omnibus „ Cardinalibus datum est.

Paulus II. publico decreto mandavit, „ propositâ pœnâ „ (teste Ciaconio in ejus vita) ne quisquam *birretam coccineam* „ præter Cardinales ferret. Quibus etiam primo Pontificatûs sui „ anno, *pannum* ejusdem coloris dono dedit, quo equos, & „ mulas sternerent, dum equitarent.

Hæc Cardinalitia insignia cùm tantùm Cardinalibus è Clero seculari assumptis, essent data, Gregorius XIV. etiam Regularibus *rubrum pileum* concessit, & aliquibus tunc præsentibus propria manu imposuit, uti videre est in ejus Constitutione, quæ incipit *Sanctissimus*, estque nona inter ejus Constitutiones in Bullario Romano.

XXV. Post hæc sub Urbano VIII. decretum fuit, ut jam non *Illustrissimi* vocarentur, prout hactenus, sed *Eminentissimi*, huncque titulum non esse communicandum nisi solis Electoribus Ecclesiasticis Imperii, & vetitum Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Prælatis sub pœna anathematis titulum illum assumere.

XXVI. Denique Innocentius X. anno 1645. confirmavit Decretum Congregationis Sacrorum Rituum, quo præcipitur omnibus Cardinalibus, etiam quacunque natalium, seu præcellentium aliarum dignitatum prærogativa insignitis, ut solo nomine *Cardinalis* contenti, non aliis titulis nuncupentur, nec uti inter eos possint, quàm *Eminentissimi* ac *Reverendissimi*: necnon *Eminentiæ Reverendissimæ*. Insuper jubentur omnes Cardinales è propriis sigillis, & signis quibuscunque, vulgò *armis* nuncupatis, amovere „ coronas, signa, ac omnes notas secu„ lares, præter eas, quibus intra scutum armorum, eorum fa„ miliæ tanquam de essentia, & integritate eorundem armorum „ utuntur, & ut in posterum ab illorum usu abstineant, *solo pi„ leo, de pretioso Christi sanguine rubente insigniti*, ac deco„ rati; ac ulterius sanctissimus Dominus noster inhibuit sub ex„ communicationis latæ sententiæ, ac aliis arbitrii sui pœnis, „ sculptoribus, pictoribus, ac aliis quibuscunque, ne præ„ dictas notas seculares in sigillis, & armis, aliisque insignibus „ S. R. Ecclesiæ Cardinalium sculpere, ac pingere, aut sculpi „ vel pingi mandare audeant."

* Si ex gravitate pœnæ comminatæ, scilicet *Excommunicationis latæ sententiæ* judicandum esset de enormitate criminis, indubiè Pictores, aut Scultores hujus Decreti transgressores judicandi essent *enormis* criminis rei, sed scitur, similem censurarum comminationem ex consueto, sed nequaquam probando hodierno Curiæ Romanæ stylo, omnibus passim Decretis apponi.

Undè nec mirum, similes censurarum comminationes ut meri styli passim reputari & in judiciis pro talibus haberi.

Optandum, ut Curia Romana in censuris infligendis seriò attenderet ad Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 3. *de Reform.* in verbis: „ Quamvis *Excommunicationis* gladius, ner„ vus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio „ populos valdè salutaris, sobriè tamen magnaque *circumspectio„ ne* exerendus est, cùm experientia doceat, si temerè aut le„ vibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, „ & perniciem potiùs parere, quam salutem.

XXVII. Censura Innocentii X. & Decretum Congregationis Rituum satis demonstrant, Cardinalitiam dignitatem tunc tanti fastigii reputatam, ut reliquæ dignitates seu seculares, seu ecclesiasticæ illius splendore tanquam ad majus lumen, offuscari viderentur. Neque aliam de Cardinalitia excellentia ideam tempore Eugenii IV. habitam fuisse, manifestum est ex litteris ejus ad Enricum Archiepiscopum Cantuariensiem relatis in Bullario Romano *tom.* 1. *pagin.* 351. in quibus asserit, tantæ esse dignitatis Cardinalatum, ut quasi absorveat aliam quancumque dignitatem; hoc utens argumento: „ Cardinales licèt cer„ tarum Ecclesiarum, dum ad Cardinalatum assumuntur, Epis„ copi sint, nihilominus eos *non Episcopos*, sed *Presbyteros „ S. R. Ecclesiæ Cardinales*, Sedes Apostolica appellat; qui„ nimò si eis suas priores Ecclesias in titulum dimittat, non am„ pliùs sub *nomine Ecclesiarum*, sed *tituli Cardinalatus* scribit, „ quasi ad majorem dignitatem, & jurisdictionem assumpserit, „ alioquin non ascendisse, sed descendisse, non honorari, sed „ dehonorari, viderentur."

XXVIII. Imò in tantùm videbatur aliquibus supra Episcopalem dignitatem Cardinalitia dignitas eminere, ut nonnulli, Episcoporum ministerio ad vilia quæque munia uti non verererentur; quemadmodum refert, & reprobat Leo X. in Bulla reformationis Curiæ edita in Concilio Lateranensi *Sess.* 9. statuitque: „ Eos, quos vel nunc habent, vel in posterum sunt ha„ bituri, *honorificè*, *ut fratres*, ac juxta eorum statûs conde„ centiam tractent."

XXIX. In hanc quoque Episcopalis auctoritas dejectionem, & vilipendium, vehementiùs in ipso Concilio Tridentino invectus scribitur nominatissimus ille Bracarensium Archiepiscopus Bartholomæus *de Martyribus*, qui dum durante Concilio unà cum Cardinale Lotharingiæ Romam ivisset, atque ibidem intelligeret, invaluisse consuetudinem, uti in Congregatione, aut Conventu coram Pontifice, Cardinales sederent tectis capitibus, Episcopi verò, & Archiepiscopi essent erecti detectis capitibus, tantâ vehementiâ, torque argumentis indignitatem illius consuetudinis Pontifici exposuit, ut præter omnium ex-

pec-

pectationem Pontifex resolverit, hunc morem tanquam abusum, Episcopali characteri nimiùm derogantem abrogare, uti & reipsa abrogavit, mandans in Congregatione eodem die habita, ut Episcopi æquè ac ipsi Cardinales sederent tectis capitibus. Historiam, ac totum ejus coram Pontifice discursum refert scriptor Gallicus ipsius vitæ *lib.* 2. *cap.* 22.

XXX. Si officium Cardinalium expendamus, atque hodiernum cum pristino conferamus, etiam hîc mutationem non modicam intervenisse videbimus.

Cùm enim pristini Romanæ Ecclesiæ Cardinales essent Presbyteri, ac Diaconi, suis respectivè Ecclesiis & titulis tanquam Ordinarii atque fixi ministri adscripti, etiam præcipuum officium eorum erat, illarum Ecclesiarum, vel titulorum curam gerere, muniaque Presbyteri seu Parochi, aut Diaconi obire, iisque se totos impendere: quamvis & ipsi tunc etiam Presbyterium constituerent, cujus consilio & opera Rom. Episcopus uteretur, uti suprâ notavimus.

XXXI. At si disciplinam à sex circiter seculis stabilitam expendamus, videbimus, præcipuum Cardinalium R. E. officium esse, Romano Pontifici in negotiis gerendis consilio & operâ assistere, atque ex hoc capite Cardinalium eminentiam, atque dignitatem præcipuè, ne dicam unicè, fuisse desumptam, & consideratam.

Et quidem Leo IX. scribens ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum, cùm dixisset, quòd sicut cardine totum regitur ostium, ita in Petro & ejus Successoribus totius Ecclesiæ disponatur emolumentum, mox ut consequens infert: „ Un„ de & Clerici ejus *Cardinales* dicuntur, Cardini, utique illi, quo cætera moventur, viciniùs adhærentes.“

Itaque jam non ab intitulatione, aut incardinatione alicujus Ecclesiæ, *Cardinales* vocantur, sed à majori adhærentia Pontifici Romano. Hinc & sub idem tempus *laterales* Pontificis dici cœperunt.

* Petrus de Marca *lib.* 1. *de Concordia Sacerd. & Imp. cap.* 9. *n.* 7. observat jam pridem Pontifices jurâsse in sua inauguratione, se Ministerium suum cum consilio Cardinalium gesturos. Imò non tantùm cum consilio Cardinalium, seu sui Cleri consuevisse jam pridem causas *majores* decidere, aut quæstiones ad se delatas resolvere, sed convocatis Episcoporum Synodis, uti monet de Marca, & supra latiùs ostendimus.

Sed „ Hodie (ait de Marca ibidem *n.* 8.) eo jure utitur Ro„ manus Pontifex, ut eos quidem in consilium exhibeat, sed „ eorum assensu non indigeat.“

Quo tempore eo jure uti cœperint Pontifices, & quasi monarchicè Ecclesiam regere, incertum est. Interim illud notat ibidem de Marca, quòd etiam ævo Petri Damiani, id est, anno 1061. Episcopi Cardinales eum locum tenebant, ut de illis Damianus dixerat: „ Patriarcharum & Primatum jura transcen„ dunt; & supra ipsos quoque Pontifices authenticam præva„ lent proferre censuram.“ Quin & ætate sancti Bernardi, imò & pluribus sequentibus seculis Cardinales eam sibi vindicâsse auctoritatem ibidem ostendit de Marca.

XXXII. Hac de causa ad Cardinales R. E. seculo XII. scribens S. Bernardus ait: „ Nulli dubium quin ad vos specia„ liter spectet de Regno Dei surgentes succidere spinas, se„ dare querelas.... Agite pro loco, quem tenetis, pro dignita„ te quâ polletis, pro potestate quam accepistis.“ *Ep.* 89.

Hîc Bernardum reputare, & agnoscere Cardinales tanquam superintendentes *Regno* DEI, id est, *Ecclesiæ*, atque unà cum Pontifice illius curam agentes, manifestum est. Unde ad Eugenium III. dicit: „ Veniamus ad *collaterales* & coadjutores „ tuos. Hi seduli tibi, hi intimi sunt..... An non eligendi de „ toto orbe, *orbem judicaturi*?“

XXXIII. Quin & inspiciantur citatæ litteræ Eugenii IV. aliorumque Bullæ, quibus dignitas Cardinalium adstruitur, videbitur, argumenta quibus adstruitur, in hoc unum refundi, quòd ipsorum consilio & operâ negotia non tantùm Ecclesiæ Romanæ, sed universalis, expediantur, ipsique præcipuas in hisce partes habeant; atque ideo tot quoque eximias dotes in Cardinalibus, tametsi duntaxat Diaconis, posteriora Concilia, & Pontifices desideraverint; quemadmodum in Concilio Basiliensi *Sess.* 23. & Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform.* Ubi „ ea omnia, & singula, quæ de Episcoporum præficiendo„ rum vita, ætate, doctrina & cæteris qualitatibus aliàs in eâ„ dem Synodo constituta sunt, eadem etiam in creatione sanc„ tæ Romanæ Ecclesiæ *Cardinalium*, etiamsi *Diaconi* sint, exi„ genda, quos Sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus „ Christianitatis nationibus, quantum commodè fieri prout ido„ neos repererit, assumet.“

* Legitur, quòd Decreta hujus sessionis ante eorum promulgationem communicata fuerint Oratoribus Regis Christianissimi; quòd hi responderint, quòd „ Quantum attinet ad „ Cardinales nihil aliud in hac parte placere nobis potest, quàm „ quòd de illis aliquando optimè constitutum est, scilicet ut „ non plures sint *viginti quatuor*, nec aliquis posthac creetur, „ aut in demortui locum subrogetur, antequam totus ordo ad „ illum numerum redierit. Item etiam, ut ex omnibus chris„ tiani orbis regnis, & provinciis assumantur, sic tamen, ut „ ex eadem urbe aut Diœcesi duo eligi non possint: illi au„ tem, qui eligendi sunt, moribus, pietate & conditione præs„ tent; neque fratres sint, aut nepotes ex fratre, aut sorore „ Romani Pontificis, aut alicujus Cardinalis viventis, nullo „ etiam Archiepiscopatûs officio, Beneficio Ecclesiastico, aut „ aliâ quavis causâ à perpetua illa assistendi Romano Pontifici „ solicitudine, quæ eis incumbit, revocentur. Denique provi„ dendum, ut quorum eadem est par dignitas, eorum quoque „ æqualis sit omninò redditus.“

Hujus suggesti articuli reformationis meminere Regis Christianissimi Oratores in suis observationibus ad Decreta reformationis in dicta *Sess.* 24. publicata, quas misserunt ad Regem, monetque se obtinere non potuisse, ut ab eis suggesta Decreto insererentur, eo quod *persuasum esset*, *nemini licere prescribere Romano Pontifici*, quid in eligendis sibi Cardinalibus spectare aut sequi debeat. Habentur hæ notæ in libello, cui Titulus: *Memoires sur le Concile de Trente*, *page* 576.

Ex hac persuassione Curiæ Romanæ, necnon Episcoporum notanter Italiæ huic Curiæ præ cæteris obnoxiorum, scilicet quòd Romano Pontifici in eligendis Ministris, & regimine Ecclesiæ à nemine legis præfigi possent, summum in reformandis abusibus præsertim Curiæ Romanæ, obstaculum objectum fuisse, & historia, & acta hujus Concilii abundè probant.

XXXIV. His obiter dictis, revertamur ad Cardinalium munus, quod in dirigendis negotiis maximè hodie elucet ex Congregationibus Cardinalitiis, quæ quidem antiquitùs ignotæ, sed hodie admodum frequentes sunt.

Hæc Congregationes sunt quidam cœtus sive Collegia quodammodo Cardinalium per Pontifices instituta ad certa aliqua negotia dirigenda, discutienda, quin & terminanda; atque de illis etiam ad judicium ferendum speciem aliquam tribunalis referentia: ideoque & suos Officiales & inferiores Ministros singulæ habere solent.

XXXV. Harum Congregationum quædam sunt jam pridem à Pontificibus erectæ, atque stabilem statum habentes, dicunturque *Ordinariæ*: aliæ verò *Extraordinariæ*, quæ scilicet extra ordinem per Pontificem particulariter pro aliquibus negotiis ordinari solent, cessantque negotiis illis absolutis.

Inter Congregationes autem ordinarias & stabiles quædam sunt, quæ explent ea omnia, quæ Pontificem non ut caput Ecclesiæ universalis, aut regimen Ecclesiæ universalis spectant; sed quæ Pontifici tanquam Episcopo particulari urbis ejusque districtûs incumbunt: qualis v. g. est congregatio *Visitationis Apostolicæ*, uti ostendit Cardinalis de Luca in *relatione Romanæ Curiæ*, *disc.* 24.

Aliæ sunt, quæ concernunt regimen temporale Statûs Ecclesiastici, quales sunt Congregatio *super consultatione negotiorum Statûs Ecclesistici*, quæ vulgò *Consulta* dicitur: item Congregatio *boni regiminis*, aliæque, de quibus Cardinalis de Luca *in cit. relatione*, *disc.* 25. 26. & 27.

Aliæ denique Congregationes, illæque præcipuæ sunt, quæ versantur circa regimen universalis Ecclesiæ, sive quæ dirigunt, atque expediunt ea negotia, quæ ad Pontificem, & Curiam Romanam ex omnibus Provinciis undique deferuntur.

XXXVI. Cumque hîc in Belgio videamus multa Decreta, ac Resolutiones sub nomine harum Congregationum, & signanter Congregationum *Inquisitionis*, sive *S. Officii*, *Indicis*, *Interpretum Concilii Tridentini*, *Sacrorum Rituum*, *& super negotiis Episcoporum & Regularium* circumferri, atque interdum etiam publicari, non inutile judicavi, si haruum Congregationum notitia haberetur: cumque omnes Episcoporum & nonnullæ quoque Abbatiarum Belgicarum provisiones *consistorialiter* expediantur, etiam aliquid de *Consistorio* Papæ dicere non importunum credidi (o).

CAPUT II.

De Consistorio Cardinalium.

1 *Quid generaliter Consistorium.*
2 *Unde Congressus Cardinalium dicatur Consistorium.*
3 *Duplex est Cardinalium Consistorium.*
4 *Tempore Innocentii III. tertio per hebdomadam habebatur.*
5 *Hodie rariùs ad beneplacitum Pontificis habetur.*
6 *Quo ritu ad Consistorium conveniant Cardinales.*
7 *Quomodo in Consistorio procedatur.*
8 *Olim in Consistorio minores causæ etiam judicialiter examinabantur.*

Ho-

(o) *De origine & objecto istarum Congregationum legatur vita Sixti V. Summi Pontificis à Gregorio Leti elaborata. Legatur quoque Sixti V. Constitutio, quæ incipit*: Immensa æterna Dei, 72. *in Bullario Romano.*

9 *Hodie nulla negotia in Consistorio judicialiter & contentiosè tractantur.*

10 *Inter negotia Consistorialia creatio Cardinalium est primaria.*

11 *Provisio Ecclesiarum Metropolitanarum & Cathedralium Consistorialiter fit.*

12 *Etiam aliquibus Abbatiis consistorialiter providetur.*

13 *Alia negotia Consistorialia enumerantur.*

14 *Congregatio vulgò Consistorialis instituta est tanquam Consistorii consultrix.*

* *Consistoria, vel Congregationes Cardinalium non sunt paris auctoritatis cum Synodis, quas Rom. Pontifex olim celebrabat cum Episcopis.*

* *Confutatur Bellarminus circa præeminentiam Cardinalium qui non sunt Episcopi.*

I. COnsistorium generaliter accipiendo, est quivis locus ubi *consistitur*. Ita jam pridem Tertullianus *de Resurrectione mortuorum cap.* 20. terram, in qua homines consistimus *Consistorium* dixit. Interdum verò in strictiori appellatione *Consistorium* Veteres dixêre locum in quo Princeps de rebus publicis consultat, ac deliberat cum suis Consistorianis, uti multis probat Gothofredus in notis ad *l.* 3. *Cod. de Officio omnium Judicum lib.* 1. *tit.* 10.

II. Hinc postmodum invaluit ut Cardinalium consessus coram Pontifice in ejus palatio per modum Senatûs, dictus sit *Consistorium*: atque in ea appellatione hodie sumitur, dum de *Consistorio* Papæ, atque de Beneficiis, ac negotiis Consistorialibus sermo incidit.

III. Duplex autem hodie est Consistorium. Aliud scilicet *extraordinarium*, magisque solemne, cui præter Cardinales intersunt alii quoque Prælati, Ministri, ac Principum Oratores, & Magistratus, qui Papæ præsidenti assistant, quod & *publicum* dicitur.

Alia species Consistorii est, quod *ordinarium* vocatur, fitque in forma minus solemni cum solo interventu Cardinalium pro negotiis pertractandis, soletque *secretum* dici.

IV. Ter in hebdomada Consistorium solemne haberi tempore Innocentii III. solitum fuisse probant ejusdem Pontificis acta, quæ *pag.* 28. ex editione Bosqueti hæc habent: „Ter in hebdomada *solemne Consistorium*, quod in consuetudinem jam devenerat, publicè celebrat, in quo auditis querimoniis singulorum, minores causas examinabat per se tam subtiliter, & prudenter, ut omnes super ipsius subtilitate, & prudentia mirarentur."

V Hodie verò illud rariùs habetur ad Papæ beneplacitum, prout negotiorum urgentia (inquit Cardinalis de Luca in *relatione Curiæ Romanæ disc.* 5. *num.* 6.) exigit. Pro frequentiore tamen praxi, bis in mense, atque ordinaria dies est feriæ secundæ de mane, quamvis aliquando alia etiam die habeatur, quia hoc à Pontificis dependet arbitrio.

VI. Resoluta ergo à Pontifice Consistorii in certum diem, horam & locum indictione, & Cardinalibus in Curia præsentibus die præcedente insinuatâ, „singuli Cardinales cum „solemni comitatu & obsequio ad illud accedunt, more Regio; adeo ut in hac functione (uti notat de Luca) magis „quàm in aliis, Romanæ Curiæ majestas videatur elucere; „atque ita verificari id, quod antiqui Scriptores de prophanæ triumphantis Romanæ Reipublicæ Senatoribus dicere solent, ut scilicet tot Reges reputari mereantur."

VII. Congregatis Cardinalibus Papa, in Sede aliquantulum elevata sedente, atque adhuc januis apertis, patenteque omnibus Nobilibus, qualificatis viris, ac Prælatis aditu, singulis Cardinalibus petentibus præstatur à Papa privata auricularis audientia super propriis, vel Principum, aut amicorum vel familiarium precibus aliisque negotiis.

Hac privata audientia, pro Papæ beneplacito absolutâ omnes à loco Consistorii ejiciuntur, solis Cardinalibus cum Papa remanentibus, atque tunc negotia Consistorialia tractari incipiunt.

VIII. Tempore Innocentii III. causas minores in Consistorio, auditis utrimque partibus, per Pontificem decisas fuisse, acta hujus Pontificis supra relata evincunt, notatque de Luca non ita pridem, „Consistorium haberi solitum fuisse „pro brevioribus causis in forma *contentiosa*, etiam cum interventu Procuratorum & Advocatorum utriusque partis decidendis per Pontificem cum voto Cardinalium; atque ex „hujusmodi decisionibus aliqua pars Canonum registratorum „in quinque libris Decretalium est desumpta."

IX. Negotia verò, quæ hodie in Consistorio explicantur, teste de Luca, forensem & contentiosam formam ampliùs non habent: sed solùm *gratiosam* vel *politicam*, ut Principis supremum Senatum decet.

X. Inter negotia Consistorialia hodierna, primaria est novorum Cardinalium creatio; atque juxta stylum consuetum (ait de Luca citato *n.* 9.) „Papa, vel in Consistorii initio aut frequentiùs in fine, dicit Cardinalibus, quòd habent fratres, atque nominando illos, quos in Collegium cooptare vult, eos interrogat, quid ipsis videatur: eisque „approbantibus vel laudantibus fit Decretum promotionis, quæ „illicò publicatur extra Consistorium per Curiam; quandoque „tamen non exprimendo numerum eorum, qui promoveantur, aliquorum nomina publicare non solet, sed ea ut dicitur, *reservat in pectore*. Et quamvis illa quandocunque „etiam extra actum Consistorii aperire valeat; quinimò ex „integro Cardinalium promotionem ita facere, cùm omnia pendeant à jure, & à formalitate positiva, dum, ut præcedenti discurso advertitur, Cardinalium interventus, & consensus est voluntarius, & consultivus; attamen observantia hucusque dedit, quòd tam promotio quàm publicatio jam promotorum, non nisi in consistosio fierit consuevit."

XI. Altera Consistorialis functio est, provisio Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & Cathedralium vacantium. Hæc provisio, quâ formâ expediatur in duplici consistorio, describit de Luca *loco citato*, & à nobis suprà *titulo* 14. *cap.* 4. expositum est; hoc tamen monet de Luca, optimum quidem nimiumque commendabile esse Institutum, quòd scilicet dictæ provisiones non fiant nisi in Consistorio, & quidem iteratò ex voto Cardinalium: „sed desiderandam „videri aliquam meliorem ejus praxim; quoniam ait, ut quando fert fama, sive vera, sive falsa, citra Papæ rectam „intentionem sequuntur ejusmodi electiones in personis parum „dignis, quarum mali mores, vel alii defectus innotescant. Et „tamen ex quodam usu, vel ex alia causa, nemo loquitur, adeò „ut istud optimum, nimiumque proficuum Institutum quando „practicaretur ad formalitatem redactum videatur."

Quòd verò Cardinales in Consistorio videantur detegere crimina, & defectus promovendorum, ostendit Cardinalis Palæotus de *sacri Consistorii consultationibus*, *part.* 4 *quæst.* 2.

XII. Consistorialiter quoque providetur nonnullis Monasteriis Regularibus; quæ propter ea communiter *consistorialia* nuncupantur.

Pontifices enim (uti refert Perardus Castel in tractatu de usu & praxi Curiæ Romanæ *pag.* 35. *edit.* 1693.) jam pridem convenerunt cum Cardinalibus, provisiones de certis Monasteriis non daturos, nisi de eorum consilio & consistorialiter; prout in litteris provisionis exprimitur: „De Persona tua nobis & fratribus nostris accepta, Ecclesiæ N. de „*fratum eorum consilio* Apostolica auctoritate providemus."

Quæ porrò Monasteria sint Consistorialia, præsertim in Belgio, & Provinciis vicinis, videbitur infrà ubi de Abbatibus eorumque electione & confirmatione agetur. Illud quoque advertendum, quòd Monasteria, quæ ex se sunt Consistorialia, interdum expediantur extra Consistorium & non consistorialiter, sed per Datariam; cujus rationem sub titulo de *Dataria* videbimus.

XIII. Coadjutoriæ cum futura successione, tàm Cathedralium & Metropolitanarum Ecclesiarum, quàm Monasteriorum consistorialium similiter consistorialiter expediuntur.

Dimissio quoque sive libera, sive per translationem alicujus Ecclesiæ vel Monasterii Consistorialis pariter in Consistorio admittenda est: prout etiam novæ erectiones Cathedralium aut Metropolitanarum cum dismembratione territorii novæ Ecclesiæ assignandi; sive earundem Ecclesiarum uniones vel divisiones in Consistorio fiunt, dicunturque causæ *consistoriales*.

XIV. Quia verò in plerisque illis actibus consistorialibus solent fieri oppositiones; debeatque consequenter auditis hinc inde partibus examen institui, quod speciem disputationis aut discussionis contentiosæ habet; quæ, ob majorem Consistorii majestatem, uti loquitur de Luca, ab eo exulavit, ideò erecta fuit particularis congregatio, dictorum negotiorum consistorialium præparatrix, seu Consistorii consultrix, quæ proinde *consistorialis* nuncupatur, constituta ex aliquo competenti numero Cardinalium, ac etiam peritorum Prælatorum cum proprio Secretario, qui juxta hodiernam observantiam non est Prælatus sed peritus togatus; atque in ista Congregatione priùs formiter examinantur materiæ, partibus opponentibus auditis in forma merè contentiosa, proporcionata tamen stylo Congregationum Cardinalitiarum circa formalitatem telæ judiciariæ. Hæc de Luca.

Verbo, hæc Congregatio *consistorialis* est ipsius Consistoriis pars & quasi Assessor; adeò ut non nisi de ejus voto negotia, quæ controversiam pati possunt, expediantur.

* Quamvis negotia consistorialia, ut est promotio Cardinalium, proponantur Cardinalibus consistorialiter congregatis, eorumque suffragia per Papam ibidem præsentem exquirantur, nihilominus illorum omnium decisio dependet à solo Pontifice, votaque Cardinalium, duntaxat reputantur *consultiva*; quod in negotiis ad alias Congregationes Cardinalium spectantibus, & à Pontifice ad eas remissis obtinere indubitatum reputatur in Curia Romana (quamvis jam pridem aliter obtinuerit, uti suprà notatum est) utpote quæ omnem auctori-

ritatem & jurisdictionem in solo Romano Pontifice retinet, ejusque regimen esse planè Monarchicum existimat.

Nequaquam proinde hæc Consistoria, vel Cardinalium Congregationes paris auctoritatis reputanda sunt cum pristinis Synodis, quas in negotiis majoris momenti, Romani Pontifices convocare consueverant: in his enim unà cum Romano Pontifice interveniebant Episcopi, non tanquam Pontificis simplices Consiliarii, sed ut veri Judices & suffragio decisivo cum ipso Pontifice gaudentes: ideoque in hisce Synodis decreta & decisa dicebantur *synodaliter* decreta & decisa, & tanquam Synodorum decreta evulgabantur.

Interim ex his, quæ tum hoc capite de Consistorio, necnon in sequentibus de officio Cardinalium in hisce Congregationibus observata sunt, verissimum esse constat, quod notavit Cardinalis Bellarminus, hodiernum officium Cardinalium esse Pontifici perpetuò assistere, eumque in regenda Universa Ecclesia consilio, & industriâ adjuvare.

At perperam concludit Bellarminus, quòd Cardinalis non Episcopus, sed duntaxat *Presbyter* aut *Diaconus* dignitate emineat supra Episcopum, propterea quod simplices Episcopi non Cardinales, nunquam adhibeantur ad regimen Universæ Ecclesiæ, nisi rarissimè, id est, cùm ad Generale Concilium convocantur; at Cardinales ferè quotidie præstò sunt Pontifici, neque ullum negotium majoris momenti sine eorum consilio peragitur.

Si enim hinc vel in speciem peti posset Cardinalium præeminentia supra Episcopos, quidni eadem consequentiâ concludi posset Presbyteros, Diaconos, cæterosque Clericos, è quibus pluribus seculis constitit Presbyterium & Senatus Romanæ Ecclesiæ, sive quorum consilio Romani Pontifices in negotiis præsertim alicujus momenti utebantur (quemadmodum & reliqui Episcopi suo Presbyterio, sive Senatu) supra Episcopos reliquos dignitate excelluisse? Quod nemo unquam hactenus prætendisse, aut asseruisse legitur.

Scimus quidem, Diaconos Romanæ Ecclesiæ jam pridem se voluisse Presbyteris ejusdem Ecclesiæ anteferre; sed eorum superbiam & supercilium acerrimo stylo in hoc perstrinxisse sanctos Patres, & signanter S. Hyeronimum passim notum est, de quo videri possunt, quæ observavi ad *Canonem* 18. Nicænum, in quo Canone ejus temporis Diaconorum insolentia reprimitur, quemadmodum & in *Canone* 7. Concilii Trullani.

CAPUT III.

De Congregatione S. Officii sive Inquisitionis, atque una de origine Inquisitionis.

1 *Episcopi vi Officii sui jubentur invigilare in hæreses.*
2 *Per 12. secula nulli fuêre Fidei Inquisitores præter Episcopos.*
3 *Innocentius III. seculo XIII. primùm aliquos Monachos Fidei Inquisitores constituit.*
4 *Episcopi eos aversabantur; sed Pontifex eos sustinebat.*
5 *Multas difficultates tum ab Episcopis, tum à Magistratibus illi Monachi patiebantur; contra quas illos animat Pontifex, eisque auctoritatem magnam impartitur.*
6 *Prædictis Monachis unà cum Episcopo Oxomensi jungitur S. Dominicus.*
7 *Dominicus socios aliquos sibi in adjutorium assumit; & Ordinis sui fundamenta Tolosæ fecit.*
8 *Dominicus ejusque socii tanquam Fidei Inquisitores in hæreticos insurgunt.*
9 *Primùm in Concilio Tolosano sub Gregorio IX. specialis modus contra hæreticos procedendi præscriptus fuit, sed totam auctoritatem procedendi contra hæreticos Episcopis committit.*
10 *Postmodum Gregorius IX. Officium Inquisitionis Fratribus Dominicanis commisit.*
11 *Hi nimio suo rigore populum contra se excitârunt.*
12 *Ipsis adjunxit Fratres Minores, qui ipsorum rigorem temperarent.*
13 *Fredericus Imperator leges in favorem Inquisitionis evulgavit.*
14 *Has Innocentius IV. confirmavit.*
15 *Officium Inquisitionis commissit Dominicanis & Minoritis unà cum Ordinariis locorum.*
16 *Plures post hac Inquisitiones per Italiam erectæ sunt, nullæ tamen hactenus in Urbe Romana.*
17 *Primus anno 1542. Paulus III. Congregationem Inquisitionis instituit.*
18 *Eandem Confirmavit Pius IV. declarans, acta per majorem partem Cardinalium habenda esse pro actis Congregationis.*
19 *Pius V. declaravit, gesta per majorem partem Cardinalium præsentium esse reputanda ac si ab omnibus essent acta, licèt etiam duo duntaxat fuissent præsentes.*
20 *Auctoritatem Cardinalium hujus Congregationis latiùs exposuit Sixtus V.*
21 *Præter Cardinales, plures Officiales ad hanc Congregationem spectant.*
22 *Qui sint* Consultores.
23 *Consultores cum aliis Officialibus conveniunt feriâ secundâ.*
24 *Quæ in hac Congregatione expediantur.*
25 *Congregatio Cardinalium S. Officii habetur feriâ IV. cujus forma describitur.*
26 *Acta in hac Congregatione per Assessorem S. Officii Pontifici referuntur.*
27 *Qui sint* Qualificatores.
28 *Formula Decretorum quæ ab hac Congregatione emanavit.*
29 *Feria V. habetur Congregatio eorum Cardinalium coram Pontifice, quæ proprie est Congregatio S. Officii sive Inquisitionis.*
30 *Quid in hac Congregatione tractetur; & quâ forma habeatur.*
31 *Decreta hujus Congregationis eduntur sub nomine Pontificis.*
32 *Hæc Decreta tamen sunt revera Decreta Congregationis.*
33 *Decreta Congregationis quibus potissimum adscribenda.*
34 *De quibus potissimum hæc Congregatio cognoscat.*
35 *Licentia legendi libros prohibitos ab hac Congregatione postulanda.*
36 *An Inquisitionis auctoritas hîc in Belgio obtineat.*
* *Ejus Decreta Galli non admittunt.*

I. Episcopos vi sui muneris Episcopalis obligari, ut populum sibi commissum à periculo aut infectione hæresis præservent, atque Ecclesiam sibi commissam ab omni fermento hæreticæ pravitatis immaculatam custodiant, iudubitatum est; ideoque & Episcopos esse naturales Inquisitores Fidei, sive ipsis jure quodammodo naturali ex Episcopali & pastorali cura profluente; competere jus inquirendi in hæreticos, aut de hæresi suspectos.

II. Quapropter per duodecim circiter secula, nullos Ecclesia Fidei Inquisitores præter Episcopos, & Pastores noverat, neque ullum præter Episcopale notum erat Inquisitionis tribunal, aut speciale officium; sed pari cura eademque auctoritate Episcopi invigilabant, & procedebant contra hæresim, sicuti contra alia, non minùs subinde perniciosa, vitia; necnon contra hæreticos, atque alios homines sceleratos.

III. Primus sub initio seculi XIII. Innocentius III. contra hæresim Albigensium in Provinciam Tolosanam, eique adjacentes misit Arnaldum Abbatem Cisterciensem Petrum de Castro novo, & Radulphum Monachos Cistercienses, idque plena auctoritate procedendi contra hæreticos, ut patet ex litteris ad ipsos datis 29. Maii anno 1204. in quibus plenam ac omnimodam potestatem eis concessam explicat his verbis. „Ut autem injunctæ vobis non tam nostræ, quam divinæ legationis imperio officium possitis meliùs & liberiùs exercere, plenam vobis in Aquensi, Arelatensi & Narbonensi Provinciis & vicinis etiam Diœcesibus, si quæ sunt hæreticorum labe polluta, concedimus *facultatem destruendi, disperdendi*, & *evellendi*, quæ destruenda, disperdenda & evellenda noveritis; & ædificandi & plantandi, quæ ædificanda fuerint & plantanda: illos qui contra prohibitionem vestram venire præsumpserit, canonicè puniturі: si quis verò pro violenta manuum impositione in latæ sententiæ Canonem incidерit auctoritate nostra suffulti, ei absolutionis beneficium impendatis, injungentes eidem, ut contra hæreticos accingatur."

IV. Episcopis autem aversantibus Legatos in causa fidei, Petrus de Castro-novo litteris Innocentii III. scriptis missionem petiit; cui Pontifex rescribens, eum ad fortiter, ac viriliter progrediendum animat, ac tandem ita concludit: „Devotionem tuam monemus & exhortamur in Domino per hæc scripta Apostolica mandantes, quatenus opportunè, importunè instans, arguens & obsecrans in operando in omni patientia & doctrina opus Evangelistæ, ac ministerium tibi commissum studeas adimplere: firmiter sperans in Domino Jesu Christo, quòd ipse, qui affectum tibi præstitit laborandi, ne tuus labor inutilis habeatur, effectum tribuet & affectum."

V. Hæc aliaque, è quibus intelligitur, quas difficultates & oppositiones Legati illi, tùm ab Episcopis, tùm secularibus Magistratibus passi sint, videri possunt apud Bollandum in Actis Sanctorum ad diem 5. Martii in commentario historico de *vita & gestis B. Petri de Castro novo*; ubi quoque fit mentio litterarum Innocentii III. ad Archiepiscopum Narbonensem, quibus ipsum reprehendit ob auxilium dictis Legatis negatum. Item litterarum ejusdem Pontificis ad Episcopum Agathensem, & Abbatem S. Pontii; in quibus inter alia scribit Pontifex, quòd Bitterrensis Episcopus requi-

quisitus à dictis Petro de Castro-novo & Radulpho, cùm iis ire noluerit ad commovendum super hoc negotio auctoritate Apostolica Comitem Tolosanum, nimirùm Raymundum, qui impensè Albigensibus hæreticis favebat: deinde, quòd idem Episcopus rogatus ab ipsis Legatis, ut Consules civitatis Biterrensis ad abjurandam hæresim, atque contra hæreticos Ecclesiam defendendam commoneret, non solùm non obedierit, sed etiam id fieri penitùs impedierit: cumque dicti Legati auctoritate Apostolica convocato Clero injunxissent Episcopo, ut nisi infra præfixum diem Consules hæresim abjurarent, ipsos non differret excommunicationis vinculo innodare, nihil tamen præstitisset; atque ideò Petrus & Radulphus ipsum ab administratione necnon & Episcopali officio suspenderint, donec se Pontificis conspectui præsentaret; Clero Biterrensi, ne interim ei obedierint in aliquo, in virtute obedientiæ, & sub excommunicationis pœna districtiùs inhibentes.

Verùm tametsi hæc sat ostendant, quanta esset Monachorum illorum tanquam Sedis Apostolicæ Legatorum auctoritas; nihilque ab Innocentio III. prætermissum fuerit, quominus suis hisce Legatis in hoc negotio sua auctoritate assisteret, nihilominus parum, aut nihil prædicando contra hæreticos proficiebant; adeo ut præ tædio injunctæ sibi legationi renuntiare intenderent, eo quod jam biennio prædicationi insistentes, nihil aut parum se profecisse viderent, uti testatur Petrus Monachus Cœnobii Vallum Gernay, in historia Albigensium, *cap.* 3.

VI. Ac cùm de his Petrus de Castro-novo & Radulphus deliberarent, contingit, quòd Didacus Episcopus Oxomensis unà cum S. Dominico tunc ejusdem Ecclesiæ Canonico ad Curiam Romanam venerint. Hos idem Pontifex an. 1206. in Provinciam Tolosanam pari auctoritate contra hæreticos misit, qui apud Montem Pessulanum dictis Monachis se junxerunt, animosque fortiter, ac viriliter in hoc prædicationis munere pergendi ipsis addiderunt.

VII. Porrò transacto biennio, cùm Episcopus ad Ecclesiam suam coactus fuisset reverti, Dominicus, ut faciliùs & efficatiùs operi huic incumbere posset, aliquot sibi Presbyteros sæculares laicos & coadjutores adscivit, quibus tandem circa annum 1215. ab Episcopo Tolosano concessa fuit Ecclesia S. Romani in civitate Tolosana cum omnibus proventibus, & juribus, ad quam Dominicus cum sociis illis presbyteris migravit, primaque sui Ordinis fundamenta jecit, quem anno sequenti Honorius III. confirmavit.

VIII. Hi itaque Fidei Inquisitores quaquaversum per Provincias discurrentes, tum prædicatione, tum exhortatione hæreticis se opponebant, quin & subinde ipsos Magistratus & Principes contra hæreticos incitabant; imò & populum concitabant, ut sub nomine Cruce-Signatorum in hæreticos armarentur, indulgentias promittentes iis, qui arma contra hæreticos sumerent.

IX. Nihil tamen hactenus speciale constitutum erat circa modum contra hæreticos procedendi, nullumque certum Tribunal Inquisitionis erectum.

Gregorius IX. summo contra hæresim zelo animatus Romanum Sancti Angeli Diaconum Cardinalem Legatum suum ad Provincias illas Albigensium hæresi infectas misit, qui anno 1229. celeberrimum Concilium celebravit Tolosæ in quo de consilio Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum & Baronum, & Militum edidit 16 Decreta, quibus modus inquirendi, ac puniendi hæreticos præscribitur, quæ legi possunt tomo XI. Conciliorum generalium, *col.* 427. Hoc unum notandum, quòd Concilium illud totam auctoritatem inquirendi, & puniendi Episcopis, tanquam naturalibus Fidei Inquisitoribus, attribuat.

X. Verùm idem Gregorius IX. vehementi in hæreticos zelo succensus, existimans Episcopos flaccidiùs forsan, quàm oportet, in hæreticos armari, anno 1231. hoc Inquisitionis officium solis Fratribus Dominicanis, qui ad id officii obeundum præcipuè erant instituti, commisit per litteras ad Priorem Fratrum Ordinis Prædicatorum in Lombardia, quæ extant tomo XI. Concil. Generalium, *col.* 35.

XI. Hi ergo quasi defectum, aut negligentiam Episcoporum suo zelo supplere volentes, tanto rigore processerunt contra illos quos hæresi infectos, aut de ea suspectos, aut hæreticorum fautores existimabant, ut Comes & populus Tolosanus è civitate sua omnes illos Fidei Inquisitores, necnon totum Dominicanorum Ordinem unà cum Episcopo Tolosano, qui erat ejusdem Ordinis, atque illis enixè favebat, expulerint.

XII. Ipsos quidem postmodum auctoritate Apostolicâ restituit Joannes Viennensis Archiepiscopus, & Inquisitionem exerceri jussit, adjuncto tamen Collegâ ex Ordine Fratrum Minorum, qui Prædicatorum *rigorem sua mansuetudine temperaret*, inquit Guillelmus de Podio-Laurentii in chronico *cap.* 8. de quo vide etiam Spondanum ad annum 1234. *n.* 3.

XIII. Ad hæc Fredericus II. Imperator circa ann. 1244. Constitutiones acerbissimas contra hæreticos, eorumque fautores evulgavit, ipsosque Fidei Inquisitores sub sua ac Magistratuum protectione esse voluit, ac insuper, ut Magistratus illos, quos ipsi Inquisitores illis ostendissent hæreticos, diligenti custodia detinerent, *ut post Ecclesiasticæ damnationis judicium*, ait, *pœnam subeant, quam merentur.* Hæ Constitutiones habentur apud Goldastum in *Constitutionibus Imperialibus*, tomo 1. pag. 76. 77. & 78.

XIV. Has Frederici leges anno 1251. confirmavit Pontifex Innocentius IV. pluraque pro stabiliendo Inquisitionis Tribunali adjecit per Constitutionem quæ incipit: *Ad extirpandas*, quæ dirigitur *Dilectis filiis, Potestatibus, sive Rectoribus, Consiliis, & Communitatibus civitatum, aliorumque locorum per Lombardiam, Romaniolam, & Marchiam Tervisinam constitutis*, in qua per 38. capitula expressit, quæ à Magistratibus contra hæreticos eorumque fautores observanda sunt.

XV. Inquisitionis officium Fratribus Prædicatoribus & Minoribus cum Episcopis commisit, uti patet ex Constitutionibus ipsius, partim Fratribus Prædicatoribus, partim Fratribus Minoribus Fidei Inquisitoribus inscriptis, quæ omnes extant inter Constitutiones dicti Pontificis in tomo 1. Bullarii Romani.

XVI. Itaque jam Inquisitionis Tribunali formato, plures, præsertim in Italia & terris Pontifici Romano temporaliter subjectis, Inquisitiones fuêre erectæ; ipsique Inquisitores præcipuè ex Ordine Prædicatorum designati fuere. At in Urbe & Curia Romana (uti notat Cardinalis de Luca in relatione Romanæ Curiæ, *disc.* 14. *num.* 3.) Inquisitionis Tribunal, per ipsummet Pontificem cum iis Ministris & adjutoribus, quos juxta opportunitates assumere in tempore videbatur, regebatur.

XVII. Primus anno 1542. Paulus III. sex Cardinales constituit, & deputavit suos & Apostolicæ Sedis „ in omnibus & „ singulis Reipublicæ Christianæ civitatibus, oppidis, terris, & „ locis, tam citra, quàm ultra Montes ubilibet etiam in Italia „ consistentibus, ac in Romana Curia super negotio Fidei „ Commissarios & Inquisitores generales & generalissimos.“ Constit. quæ incipit, *Licet ab initio* 34. *in Bullar. Rom.*

XVIII. Pauli III. vestigia premens Pius IV. octo Cardinales ad idem negotium deputavit, addens, & declarans, „ ut „ quidquid per majorem partem S. R. E. Cardinalium, qui in „ Congregatione pro dicto officio convenerint, dictum, gestum, statutum, decretum, terminatum, seu sententiatum „ extiterit, sit validum & firmum, ita & taliter, quòd nullo „ modo impugnari possit, perindè ac si omnes & singuli Cardinales prædicti in dicta Congregatione convenissent, & major pars consensisset.“ Constitutione quæ incipit: *Cum Nos*, 79. *in Bullar. Rom.*

XIX. Declarationes Pii IV. confirmans, & renovans ejus successor Pius V. declaravit, gesta per majorem partem præsentium esse reputanda, ac si ab omnibus essent ordinata, tametsi tantùm *duo* fuissent præsentes. Constit. quæ incipit: *Cum felicis*, 23. *in Bullar. Rom.*

XX. Denique Sixtus V. per Constitutionem, quæ incipit, *Immensa æterna Dei* 22. *in Bull. R.* quindecim erigens Cardinalium Congregationes, primo loco Congregationem pro Inquisitione hæreticæ pravitatis, quæ & *Sancti Officii* dici consuevit, instituit, sive institutam confirmavit his verbis, quibus Cardinalium ad eam Congregationem pertinentium auctoritatem, & officium expressit. „ Nos quoque confirmamus, & „ corroboramus, illiusque omnia instituta, omnesque & singulas „ facultates à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris Cardinalibus ad eam Congregationem pro tempore delectis concessas, omnemque auctoritatem, & potestatem eis communicatam, scilicet inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi, & diffiniendi in omnibus causis, tam hæresim manifestam quàm schismata, apostasiam à fide, magiam, sortilegia, divinationes, Sacramentorum abusus, & quæcumque „ alia, quæ etiam præsumptam hæresim sapere videntur, concernentibus, non solùm in Urbe, & Statu temporali, nobis „ & huic Sanctæ Sedi subjecto, sed etiam in universo terrarum Orbe, ubi Christiana viget Religio, super omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & alios inferiores, ac „ Inquisitores, quocunque privilegio illi suffulti sint, quorum, „ ac aliorum prædictorum series his nostris litteris ad verbum expressa censeatur, confirmamus.

XXI. Præter Cardinales, qui hanc congregationem propriè constituunt, ac propterea dicitur Congregatio *Cardinalium* Sancti Officii, ad illam quoque pertinent alii Ordinarii & inferiores Officiales, qui hoc Inquisitionis Tribunal regunt & administrant in actuali Jurisdictionis exercitio, ac processuum, formatione reorumque examine.

Horum unus, qui judiciis Ordinarii partes subit, dicitur *Commissarius Sancti Officii*, de Ordine S. Dominici ex Lombardia.

Hic in Consiliarum, sive Assessorem habet Prælatum vel Clericum secularem, qui vocatur *Assessor Sancti Officii.* Alii item sunt ministri, v. g. Fiscalis & Notarius.

XXII. Deinde ad hanc Congregationem quoque spectant Theologi & Canonum periti, qui *Consultores Sancti Officii* vocantur, atque ex diversis Religionibus pro Papæ beneplacito soliti assumi; quamvis interdum etiam è Clero seculari assumantur.

Inter Regulares tamen (uti loco citato monet Cardinalis de Luca) fixum locum occupant duo Ordinis S. Dominici Professores, nimirùm Magister generalis dicti Ordinis, & Magister sacri Palatii; ac etiam alter Professor Ordinis Minorum Conventualium, cui tanquam fixo & invariabili congruit singulariter nuncupatio Consultoris S. Officii, habens hoc munus magis peculiariter, illudque præ cæteris consultoribus exercet.

XXIII. Hi consultores cum Patre Commissario, Assessore, Fiscali, & Notario Sancti Officii conveniunt singulis feriis secundis in Palatio Sancti Officii propè Basilicam Vaticanam.

XXIV. In hac Congregatione (quæ à Consultoribus, qui præcipuam ejus partem constituunt, *Consulta* dicitur) leguntur processus criminales, ac etiam Episcoporum atque localium Inquisitorum litteræ, aut relationes aliaque etiam gravioris momenti negotia, quæ Cardinales Consultoribus committunt; idque pro majore instructione Assessoris, ait de Luca, qui ea relaturus est in alia Congregatione, ad quam conveniunt Cardinales.

XXV. Hæc Cardinalium Congregatio habetur singulis feriis quartis in Conventu Patrum Prædicatorum prope Ecclesiam B. Mariæ *super Minervam*. Congregatis Cardinalibus, primùm habetur Congregatio *secreta*, in qua soli Cardinales cum Commissario, & Assessore interveniunt, & deliberatur de negotiis, quæ Consultoribus commissa non fuerunt, majusque secretum requirere videntur.

Postquam verò super his sufficiens discussio facta est, advocantur Consultores, eorumque consilium, seu votum expetitur.

XXVI. Eorum verò, quæ in hac Cardinalitia Congregatione decreta aut resoluta sunt, eodem die post meridiem per Assessorem Sancti Officii fit relatio ad Sanctissimum, qui huic Congregationi non intervenit.

Hac de causa, hujus Congregationis Decreta prodeunt sub nomine Cardinalium Sancti Officii, facta tamen mentione relationis ad Sanctissimum, ac etiam votorum Theologorum, si ad hoc negotium specialiter deputati fuerint.

XXVII. Notandum enim, quòd subindè examen librorum, aut propositionum committatur quibusdam Theologis, qui examine facto, referant Congregationi, an aliquam, & qualem censuram libri aut propositiones mereantur, qui *Qualificatores* à qualificatione censuræ dici solent, nec unquam Congregationi intersunt, nisi cùm relationem negotii ipsis commissi sunt facturi.

XXVIII. Formula ergo Decretorum hujus Congregationis ita concipi solet: „ Feria IV. Sacra Congregatio Eminentissi„ morum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium in tota „ Republica christiana contra hæreticam pravitatem Generalium „ Inquisitorum habita in conventu S. Mariæ super Minervam post „ examen Theologorum specialiter ad hoc deputatorum, facta „ relatione ad Sanctissimum, præsenti Decreto declarat, &c.

XXIX. Feriâ V. habetur alia Congregatio eorundem Cardinalium, idque coram Sanctissimo in Palatio Apostolico: hæcque videtur propriè esse Congregatio Inquisitionis sive Sancti Officii, de qua in citata Constitutione Sixti V. *cui*, inquit, *ob summam rei gravitatem, Romanus Pontifex præsidere solet.*

XXX. In hac Congregatione præcipuè tractatur casus seu negotium, quod ex omnibus illa hebdomada relatis præcipuum videtur, quodque præ cæteris coram sua Sanctitate discuti meretur.

Postquam casus propositus coram Pontifice maturè discussus fuerit, atque Theologi, si negotium ipsorum examini commissum fuerit, relationem suam absolverunt, omnes dimittuntur exceptis solis Cardinalibus. Hi coram solo Pontifice vota sua depromunt, atque ex eorum suffragiis ipse concludere solet. Quo facto & signo dato, rursus intrat Assessor Sancti Officii cum Patre Commissario, quibus resolutionem Congregationis significat sua Sanctitas.

XXXI. Tametsi resolutiones, quæ hîc accipiuntur, & Decreta, quæ eduntur, revera sint resolutiones, & decreta Congregationis Inquisitionis, & ob id à Notario Congregations signentur; tamen quia ipsi Congregationi Papa præsidet, & concludit, idcirco in Decretis hujus Congregationis, non ipsi Cardinales, sed ipse Papa tanquam decernens & resolvens introducitur, hac ferè formula: „ Feria V. die... mensis... anni... in „ generali Congregatione S. Romanæ & universalis Inquisitio„ nis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis“ (vel aliàs, *apud S. Petrum*, si ibi Pontifex resideat) „ coram Sanctissimo „ D. N. ac Eminentissimis & Reverendissimis Dominis S. R. E. „ Cardinalibus in tota Republica christiana contra hæreticam „ pravitatem generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica spe„ cialiter deputatis: Sanctissimus Pater prædictus auditis votis „ eorundem Dominorum Cardinalium“ (si negotium commissum fuerit examini Theologorum additur, *& Theologorum votis*) „ statuit & decrevit.“

XXXII. Porrò notandum, quòd licèt Decreta hæc non secus ac Congregationis Feriæ IV. sint reverà Decreta Congregationis Sancti Officii, hæc tamen Pontifici potiori jure adscribi posse videantur, quàm Decreta Congregationis Feriæ IV. In illa enim, quæ Feria V. ipso præsente habetur, ipsemet vota Cardinalium, & Theologorum, eorumque rationes audit, & expendit, ubi Decreta Congregationis Feriæ IV. tantùm per Assessorem S. Officii ipsi Pontifici referuntur, ac compendiosè vota Cardinalium & Theologorum exponuntur: inter quæ quantoperè intersit, nemo non videt.

XXXIII. Ad hæc ex prædictis facilè intelligitur, quòd Decreta, & resolutiones tametsi in Congregatione coram Pontifice sint facta, potissimum tamen Cardinalibus sint adscribenda: utpotè è quorum votis & suffragiis Pontifex concludere consuevit.

Quinimò in negotiis, quæ Theologorum examini committuntur, præcipuè ipsis Theologis decisiones, & resolutiones, quæ super illis accipiuntur, adscribendæ, quia ipsi Cardinales consueverunt sine novo examine se votis Theologorum conformare. Si tamen inter Theologos super resolutione negotii non conveniat, iteratò examen Theologis committitur; aut si res magni momenti sit, v. g. si agatur de proscriptione alicujus libri, qui auctorem habet in magna dignitate, & auctoritate constitutum, subinde aliqui Cardinales librum illum per se legunt & examinant, quin & votum suum cum rationibus in scriptis exponunt, & aliis Cardinalibus communicant.

XXXIV. Hæc Congregatio præcipuè cognoscit de causis Fidei, omnibusque eo spectantibus; ideoque & libris invigilat, eosque examinat, & censurâ dignos proscribit, neque hac in parte auctoritas hujus Congregationis per Congregationem Indicis vel in minimo læsa est, aut imminuta: uti capite sequenti notabitur.

XXXV. Ad hæc Gregorius XV. generatim revocavit omnes licentias legendi quoscumque libros prohibitos à quibuscunque concessas: vetuitque deinceps eas concedi, nisi à Congregatione S. Officii, quæ singulis hebdomadis coram nobis, ait, haberi solet. Constitut. quæ incipit: *Apostolatus Officium*, 40. *in Bull. Rom.* Atque in conformitatem hujus Constitutionis, vidimus passim licentias legendi libros prohibitos à Cardinalibus hujus Congregationis signatas.

XXXVI. Tametsi Belgium non agnoscat tribunal ullum Inquisitionis (p), ut coram illo Belgæ de hæresi accusati, aut suspecti judicialiter conveniri queant, ut infrà Parte III. latiùs ostendetur; nihilominus Decreta hujus Congregationis super prohibitione librorum, aut propositionum aliquarum censurâ hîc recipi & promulgari solent.

* Verùm in Gallia Ministri Regii nullam volunt permittere horum Decretorum publicationem sub nomine hujus Congregationis, ne sensim inquisitio Romana auctoritatem suam in Regnum Galliæ prætendere videretur.

Hac de re discursum prolixum coram Senatu Regio habuit Advocatus Regius Talonius anno 1647. occasione Decreti hujus Congregationis, quo condemnabatur hæc propositio: *Petrus & Paulus sunt duo Ecclesiæ capita, unum caput constituentes.*

Hoc Decretum Nuntius Apostolicus miserat ad Archiepiscopos & Episcopos, cum mandato illud per suas respectivè Diœceses publicandi; ipsumque Decretum cum annexo hoc Nuntii Apostolici mandato, sine prævia Regis licentia fuerat impressum & publicè venum expositum.

Cùm autem contenderetur, hoc suo mandato Nuntium Apostolicum auctoritatem suam excessisse, & contra Regiam auctoritatem attentâsse, jussum fuit Officium Fiscale contra hanc impressionem, & mandatum Nuntii Apostolici coram consilio Regio, ad ejus cassationem agere.

Inter cætera igitur primo loco huic Decreto opposuit Procurator Regius, quòd in Gallia publicatum esset Decretum emanatum à Congregatione Inquisitionis, quam vocant *sancti Officii*, sub hoc titulo, *Decretum sanctissimi Domini nostri Innocentii diviná providentiá Papæ X.* eo prætextu, quòd Papa fuerit præsens in confectione hujus Decreti.

Post hæc exponit officium Fiscale, quòd Regnum Galliæ recognoscat quidem, quemadmodum & omnes Catholici, auctoritatem & potestatem Romani Pontificis ut *Capitis* Ecclesiæ, omnium Christianorum Patris, eoque tituli ipsi exhibendam omnem reverentiam & obedientiam, sed Gallos nequaquam recognoscere *auctoritatem*, aut jurisdictionem Congregationum, quæ Romæ habentur, quæ pro arbitrio Pontificis instituí possunt: neque Decreta harum Congregationum in hoc Reg-

(p) *Fundatio hujus Tribunalis in Hispania sat omnibus manifesta est, ejus extensio ad Dominia Indica, & tamen quo tempore, constat* ex leg. 1. tit. 19. lib. 1. Recop. Indiarum.

Regno executionem, aut auctoritatem obtinere.

Undè ulteriùs observat, quòd, quotiescunque aliquod Decretum in materia contentiosa ab aliqua Congregatione Romana emanatum in Consilis Regiis fuerit exhibitum, puta in materia dispensationis, nullitatis votorum, translationis Religiosorum, Curia declaravit Breve seu Decretum ab hac Congregatione emanatum nullum & abusivum: remittens impetrantes pro obtinenda alia provisione recurrere ad Cancellariam, in qua acta expediantur sub nomine Pontificis, in quo residet legitima auctoritas.

Monebat quoque, quòd, si Decreta ab hac Congregatione *sancti Officii* evulgata passim in Regno reciperentur, & executione mandari permitterentur, esset introducere auctoritatem *Inquisitionis*: quandoquidem hæc Congregatio Romana assumat hunc titulum: *Generalis & Universalis Inquisitio in* UNIVERSA *Republica Christiana adversus Hæreticam pravitatem*: atque ita tandem prætenderet processum instituere contra subditos Regis, quemadmodum sibi attribuit auctoritatem procedendi contra quoscunque libros pro suo arbitrio

Meritò & Ministri Principum nostrorum circa hæc Decreta eodem motivo attenderent; quandoquidem non magis in Belgio quàm in Gallia Tribunal Inquisitionis receptum sit, aut recipi possit, sine multorum incommodorum sequela, neque Belgium Tribunal Inquisitionis Romanæ unquam agnoverit.

CAPUT IV.

De Congregatione Indicis.

1 *Synodus Romana anno* 494. *catalogum librorum confecit, quos legere vel non legere liceret.*
2 *Hic tantùm actum fuit de lectione publica.*
3 *Non erat hic Index librorum prohibitorum, prout hodie accipitur.*
4 *Hic Index tantùm seculo præterito confici cœpit.*
5 *Facultas Theologica Lovaniensis rogatu Caroli V. Indicem confecit.*
6 *Paulus IV. primus è Romanis Pontificibus Indicem confici jussit.*
7 *Hic Index Pauli IV. in quatuor classes erat distinctus.*
8 *Quid in hoc Pauli Indice à quibusdam reprehensum.*
9 *Variæ fuerunt in Synodo Trid. Patrum sententiæ circa Indicem formandum.*
10 *Tandem delecti fuêre Patres, qui Indicem conficerent.*
11 *Resolutio Patrum decreto firmata.*
12 *Synodus complementum confectionis Indicis tandem ad Pontificem remisit.*
13 *Pius IV. Indicem probat & evulgat.*
14 *Confectio Regularum Indicis à Synodo Patribus delectis commissa non fuit: & quare eas composuerint.*
15 *Indicem unà cum regulis per speciale* Breve *probavit Pius IV.*
16 *Forma ipsius Indicis.*
17 *Hic index in multis consentit cum Indice Pauli IV.*
18 *Quot sint regulæ Indicis, & quid præcipuè contineant.*
19 *In prohibitione librorum fit relatio ad pœnas in his regulis præscriptas.*
20 *Qua ratione hic Index dici possit* Tridentinus.
21 *Regulæ Indicis non possunt pari ratione Synodo Tridentinæ adscribi.*
22 *De Instructione postmodum Indici & Regulis adjectâ.*
23 *Libri aliqui interdum una in Provincia rectè vetantur, licèt non in altera, idque variis titulis.*
24 *Ad Episcopos ac Fidei Inquisitores præcipuè spectat librorum examen & censura.*
25 *Qua de causa instituta Congregatio Indicis.*
26 *Qui hanc Congregationem constituant.*
27 *Quid hodie circa librorum examen competat* Magistro S. Palatii.
28 *Habet etiam hæc Congregatio* Consultores.
29 *Soli Cardinales propriè Congregationem constituunt: & quod eorum præcipuum officium.*
30 *Ob quosvis errores libri non passim prohibendi.*
31 *Huic Congregationi Pontifex non assistit.*
32 *Per hanc Congregationem non est derogatum auctoritati Congregationis S. Officii circa prohibitionem librorum.*
33 *Interdum liber relatus in Indicem postmodum speciali decreto Congregationis S. Officii ulteriùs proscribitur.*
34 *Episcoporum ac Inquisitorum auctoritati detractum non est.*
35 *His in partibus Index Romanus in omni suo rigore non est receptus.*

I. SUB nomine Concilii Romani habiti tempore Gelasii I. Papæ anno 494. extat Decretum, quo declaratur, qui libri ab Ecclesia Romana recipiantur, & qui non recipiantur; & qui legi & qui non legi debeant.

II. Verùm ut ex verbis Decreti manifestum est, hîc duntaxat agitur de lectione *publica*, sive de lectione in Ecclesia tempore Divini Officii, ad instructionem, & ædificationem populi.

Postquam enim acta Martyrum multis encomiis Synodus extulisset, utpote qui multiplicibus tormentorum cruciatibus & mirabilibus confessionum triumphis irradiant; asseruitque nec quemquam Catholicorum dubitare, & majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed gratiâ Dei & adjutorio universa tolerâsse, subjicit: „Sed ideo secundum antiquam „consuetudinem singulari cautelâ in Sancta Romana Ecclesia „non leguntur, quia & eorum qui conscripsêre, nomina pe„nitùs ignorantur, & ab infidelibus aut idiotis superflua, aut „minùs apta, quàm rei ordo fuerit, scripta esse putantur.“

Hæc satis ostendunt, hoc unum voluisse Synodum, à publica lectione & Divino Officio amovere, quidquid vel speciem falsitatis, aut aliquam fabulæ mixturam habere videbatur; quod adhuc manifestiùs circa finem Decreti indicatur his verbis: „Cæterùm qui libri in *Ecclesiasticis Officiis* per anni cir„culum à nonnullis legantur pro fidelium ædificatione, adno„tandum censuimus.“

III. Itaque Catalogus, sive Index ille librorum nequaquam dici potest *Index librorum prohibitorum*, juxta usitatam modernam phrasim; nimirum, Index inhibens libros omnibus, tàm *privatim*, quàm publicè legi prohibitos: qualis librorum Index ante proximè elapsum seculum extitisse non reperitur.

IV. Circa medium verò elapsi seculi, cùm invalescentibus Lutheranâ & Calvinianâ hæresi, libri plurimi mentito nomine auctoris, ac hæretico fermento conspersi ederentur, qui nec facilè à libris Catholicis discerni possent; atque hinc multi simplices incautâ horum librorum lectione seducerentur, varii cœperunt à Theologis confici catalogi seu Indices librorum, in quibus ipsi notabant libros, quos vel ab hæreticis confectos, vel hæresi conspersos credebant.

V. Et quidem rogatu & mandato Caroli V. Facultas Theologica Lovaniensis Indicem librorum hæreticorum, & de hæresi suspectorum, quorum lectionem *pro eo saltem tempore*, uti loquitur, *populo haud convenire judicabat*, confecit, qui & auctoritate ejusdem Cæsaris an. 1546. publicatus fuit.

Cumque continuò plures hæreticorum libri prodirent, pluresque hæresi respersi notarentur, rursus alium fusiorem librorum illorum Indicem eadem Sacra Facultas concinnavit, quem addito speciali edicto, publicari idem Carolus mandavit anno 1556. Hi librorum Indices unà cum Cæsareis edictis referuntur in prima parte edictorum Flandriæ *lib.* 1. *Rub.* 7.

VI. Theologorum, atque Cæsaris exemplo excitatus Paulus IV. Pontifex anno 1557. præcepit iis, qui Inquisitioni contra hæreticam pravitatem erant Romæ præpositi, ut & ipsi Indicem librorum prohibitorum conficerent; qui anno 1559. absolutus, auctoritate Pontificis publicatus fuit.

VII. Hic Index in tres clases erat distinctus. Prima classis exhibebat nomina eorum, quorum omnia opera cujuscunque argumenti, etsi profani, omninò vetantur: inter quos & quorundam nomina Catholicorum occurrunt.

Secundâ classe continebantur libri singulatim damnati; dum alii eorum auctorum libri non vetabantur.

Tertia classis complectebatur scripta quædam annonyma abjectâ clausulâ generali vetante libros omnes annonymos editos ab anno 1519. Denique adjiciebatur catalogus LX. typographorum, quorum omnium libri, quos typis suis evulgârunt, prohibentur à quocunque demum auctore, aut idiomate prodiisent.

VIII. Similem antehac librorum prohibitorum Indicem â Rom. Pontificibus evulgatum fuisse haud reperitur: unde de hoc Pontifice dicere non dubitat Spondanus, „quòd primus „extiterit, qui universalem omnium perniciosorum librorum, „cujuscunque argumenti, etiamque profani, à quibuscunque, „etiamque religione Catholicis scriptorum, vel etiam à suspec„tis typographis de quacunque arte editorum Indicem con„texere studuerit; cùm ad eum usque diem, librorum pro„hibitiones, tam à Pontificibus, quam Imperatoribus factæ, „nunquam excessissent terminos *librorum hæreticorum*; aliive „pestilentes legi prohibiti fuissent, nisi quorum auctores etiam „damnati extitissent.“ Hæc ille ad annum 1557. §. 5. ibidem addens. „Illud in hoc indice Pauli rigidius visum, quòd „pœna legentibus libros eo catalogo comprehensos, ac pro„hibitos denuntiata erat excomunicatio latæ sententiæ Ponti„fici reservata, privatio, ac incapacitas quoruncunque mu„nerum ac Sacerdotiorum, perpetua infamia, cum aliis pœ„nis arbitrariis. Quo factum est, ut Pius IV. Pauli Succes„sor, rigorem hunc temperans, totum illud librorum negotium ad Concilium Trident. retulerit.“ Hactenus Spondanus.

IX. Quod ad Concilium Tridentinum attinet, cùm post suspensionem 10. circiter annorum, rursus sub Pio IV. omni suspensione sublatâ, ejus resumptio in sessione habita 18. Januarii anno 1562. communi Patrum assensu declarata esset, habita

fuit

fuit Congregatio 26. ejusdem mensis, in qua à Præsidibus Concilii inter alia propositum fuit: „ut libri à diversis auctori„bus post hæreses natas editi, unà cum Catholicorum con„tra eos censuris examinarentur, quò Synodus, qui super „illis habeant decernendum, statuat.“

Super hoc articulo varias fuisse Patrum sententias ex actis Concilii constat. Et quidem inter alios Archiepiscopus Granatensis „ab ea occupatione Patres dehortatus fuit, quippe „longissimâ, & quæ Synodum abstraheret ab altioribus negotiis, magisque indigentibus ipsius proximâ cura.“ Bartholomæus de Martyribus Archiepisc. Bracarensis adjecit, *posse id committi Academiis.*

Petrus Cantarenus Paphensis Episcopus „non mediocri af„fectus benevolentia“ (uti monet Palavicinus *lib.* 15. *hist. Con„cilii Tridentini cap.* 19. *numer.* 10.) „erga Paulum IV. cui „familiaris intimus fuerat ante Pontificatum, & à quo pos„tea thiaram acceperat, suadebat, ut nulla fieret in Indice „Pauli mutatio: esse verius recentium ingeniorum intempe„rantiam, quàm religionis studium, velle decessorum ope„ra reformare, non quo illa meliora redderentur, sed quo „ipsi præstantiores ostentarentur. Caverent, ne Sanctiones Ma„jorum illi revocantes, posteros stimularent ad eorum exem„pla sequenda in eorundem Decretis abolendis.“

E contra Daniel Barbarus Adjutor Patriarchæ Aquilejensis monuit Indicem Pauli IV. correctione plurima indigere, cum eodem modo proscriberet opus licentiæ juvenilis, & opus hæreticæ pravitatis. Cristophorus Patavinus existimavit, novum ab initio Indicem construendum non esse, sed Indicem Pauli reformandum. Deinde monebat, „quosdam etiam „ex libris esse, qui inter bona plurima mali aliquid conti„nebant, & hos emendandos quidem esse, non omninò re„fellendos; cùm ea sit terrenarum rerum conditio, ut is, qui „mallet omne bonum, quod purum non est illiminare, & „non potiùs illi defæcando studere, genus humanum omni „bono privaret.“

X. Inter has Patrum dissensiones & disputationes, tandem plerisque consentientibus, ut aliquibus conficiendi Indicis cura demandarentur; ac rogatis Patribus, ut librorum Censores, qui eam curam susciperent, designarent, communi suffragio Præsidibus Concilii horum electio delata fuit: à quibus designati fuêre Georgius Drascovitius Episcopus Quinqueecclesiensis, Orator Cæsarius pro regno Hungariæ, Joannes Trivisanus Patriarcha Venetus, 4. Archiepiscopi, 9. Episcopi, Abbas unus Cassinensis, & duo Generales, scilicet Minorum de Observantia, & Eremitarum S. Augustini: „Sed ita ut non ante finem Concilii Index pu„blicaretur, uti refert Spondanus ad annum 1562. §. 17.

XI. Hanc Patrum resolutionem edito Decreto Synodus Tridentina publicavit *Sess.* 18. declaravitque, Synodum censuisse, „ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de cen„suris, librisque, quid facto opus esset, diligenter conside„rarent, atque etiam ad eandem S. Synodum suo tempore „referrent; quò faciliùs ipsa possit varias, & peregrinas doc„trinas tanquam zizania à Christianæ veritatis tritico separa„re, deque his commodius deliberare, & statuere, quæ ad „scrupulum est complurium animis eximendum, & tollendas „multarum querelarum causas magis opportuna videbuntur.“

XII. Post hunc Patrum delectum, & publicatum hoc Decretum, nihil de hoc Indicis negotio in Concilio ulterius actum legitur usque ad illum diem, quo finis Concilio impositus fuit; quando inter alia, etiam Decretum Patribus prælectum, & ab ipsis probatum fuit, in quo priùs relatis quæ Sessione XVIII. decreta erant, subditur: „audiens nunc (Sy„nodus) huic operi ab iis (quibus opus conficiendi Indicis „fuerat demandatum) extremam manum impositam esse, nec „tamen ob librorum varietatem & multitudinem possit dis„tincte, & commodè à S. Synodo dijudicari, præcipit, ut „quidquid ab illis præstitutum est, Sanctissimo Rom. Pon„tifici exhibeatur, ut ejus judicio, & auctoritate terminetur „& evulgetur.“

Duo igitur in Trid. Synodo circa Indicem librorum acta sunt. Primum, cura illius conficiendi demandata fuit quibusdam delectis Patribus cum relatione ad Synodum, quo ipsa tum commodius deliberare, ac statuere posset. Secundum, omnium eorum, quæ à delectis illis Patribus acta erant, relatio facta ad Sanctissimum, ut ejus judicio opus illud determinaretur & evulgaretur.

XIII. Conformiter ad hoc Decretum Concilii, Index à Patribus delectis confectus Pio IV. tunc Pontifici oblatus fuit ut ipse testatur in Brevi quod incipit, *Dominici Gregis*; additque, quod eum doctissimis, probatissimisque Prælatis accuratissimè legendum, examinandumque tradiderit; ipseque etiam legerit.

XIV. Porrò licet in Synodo Tridentina solummodo actum esset de conficiendo Indice librorum hæreticorum, vel de hæresi suspectorum, aut aliàs perniciosorum, nec aliud delectis Patribus commissum legatur: quo scilicet faciliùs ipsa Synodus *possit varias & peregrinas doctrinas tanquam Zizania, à christianæ veritatis tritico separare*, ipsi tamen Prælati ad hoc opus deputati animadvertentes, in Indice Romæ jam pridem confecto, „nonnulla parum explicatè posita, quæ interpretatione indigerent, re multum diuque deliberationibus agi„tata, ac viris etiam ex omni natione, Theologicæ Facul„tatis scientissimis, in consilium adhibitis subjectas regulas „componendas judicarunt, ut quod jure fieri posset, dicto„rum hominum commodis & studiis, salvâ veritate ac re„ligione prospiceretur.“ Hæc ex prædicatione P. Francisci Forerii Ord. Prædicat. Deputationis Tridentinæ ad conficiendum Indicem Secretarii.

Hæ sunt Regulæ, quæ vulgò dicuntur Regulæ Indicis, ipsique Indici præponi solent; quas non ex mandato, aut præscripto Concilii Tridentini compositas esse, ex verbis mox relatis sufficienter constat.

XV. Prædictum ergo Indicem cum Regulis subjectis, tandem litteris in forma *Brevis*, quæ incipiunt, *Dominici Gregis* 24. Martii an. 1564. adeoque tribus à soluta Synodo mensibus, probavit, & ab omnibus observari mandavit Pius IV.

XVI. In hoc Indice unaquæque bene alphabeti littera tres clases habet ad exemplum Indicis Pauli IV.

In prima classe non tam libri, quam librorum Scriptores continentur, qui, aut hæretici, aut nota hæresis suspecti fuerunt: „horum enim (ait P. Franciscus Forerius in „citata præfatione) catalogum fieri oportuit, ut omnes intel„ligant, eorum scripta, non edita solùm, sed edenda etiam „prohibita esse.“

Illud insuper monet Forerius, non in omnes hujusmodi auctores à Patribus inquisitum fuisse, *sed iis pene contenti fuere*, ait, *qui in Romano catalogo descripti sunt.*

In secunda classe referuntur libri „qui propter doctri„nam non sanam, aut suspectam, aut quæ offensionem etiam „in moribus fidelibus afferre potest, rejiciuntur; etiamsi „auctores à quibus prodiere, ab Ecclesia nunquam desci„verint.“ (q)

Tertia „eos libros complectitur, qui sine scriptoris no„mine exierunt in vulgus, & doctrinam continent, quam Ec„clesia Romana tanquam Catholicæ fidei, aut morum inte„gritati contrariam, refutandam ac refellendam esse decer„nit. Non enim omnes libros, qui nomen auctoris non præ„ferunt, damnandos putârunt, quandoquidem sæpe viros doc„tos ac sanctos novimus, ut Respublica quidem Christiana „ex eorum vigiliis fructum caperet, ipsi verò inanem glo„riam evitarent, libros optimos sine nomine edidisse.“ Hæc ex prefatione Patris Francisci Forerii Tridentinæ deputationis ad confectionem Indicis Secretarii.

XVII. Hæc si conferantur cum his, quæ de Indice Pauli IV. dicta sunt, facile apparebit, Patres ad Indicem concinnandum delectos non quidem Indicem Pauli in omnibus probâsse, ejus tamen in multis normam tenuisse.

XVIII. Regulæ à Patribus hisce concinnatæ, quæque Indici hodie præmitti, atque vulgò *Regulæ Indicis* vocari solent, sunt decem numero, multaque continent ab Episcopis, Inquisitoribus, Typographis aliisque circa librorum lectionem expurgationem, venditionemque observanda; ac tandem edicitur: „Ne quis audeat contra harum Regularum præscriptum, „aut ejus Indicis prohibitionem libros aliquos legere, aut ha„bere. Quod si quis libros hæreticorum, vel cujusvis auc„toris scripta ob hæreseos vel falsi dogmatis suspicionem dam„nata, atque prohibita legerit sive habuerit, statim in excom„municationis sententiam incurrat. Qui verò libros alio no„mine interdictos legerit aut habuerit, præter peccati mor„talis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severè „puniatur.“

XIX. Ad has pœnas in hodierna Romana librorum prohibitione fit allusio dum dicitur; *sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis.*

Sed quia pœnæ variæ sunt pro varietate librorum prohibitorum, neque juxta hodiernum Congregationis stylum solet exprimi, quo ex capite liber proscribatur, incerta quoque manet pœna, quam contravenientes incurrunt.

XX. Porrò cùm ex antedictis constet, Synodum Tridentinam nullum Indicem librorum prohibitorum composuisse, sed duntaxat Patribus quibusdam ejus curam demandâsse; & quidem expressè, *cum relatione ad Synodum*, ut facta relatione, ipsa demum commodius deliberare & statuere posset; atque tandem instante Synodi conclusione, opus à Patribus delectis confectum ad Romanum Pontificem remiserit, eò quòd *ob librorum varietatem, & multitudinem non posset*

(q) *Regulæ, quæ ante librorum prohibitionem à sancto Inquisitionis Officio in Hisp. observari debent, præscribun-*

tur in Leg. 38. 1. 7. lib. 1. Recop.

set distinctè, & commodè à Sancta Synodo dijudicari, evidens est, hunc Indicem non alio ex capite posse dici *Tridentinum*, nisi quòd Synodus quibusdam Patribus ejus conficiendi curam demandaverit; atque hi durante Concilio, huic operi ultimam manum apposuissent, aut saltem, (ut loquitur Clemens VIII. in Bulla quæ incipit *Sacrosanctum*) *in negotio illo non parum essent progressi*; aut denique, quia totum illud negotium à Synodo ad Pontificem remissum fuit.

XXI. De regulis vero Indicis non idem per omnia dici potest. Cum enim, uti suprà monui, Synodus Patribus ad Indicem delectis, nullam de componendis hisce Regulis curam dederit; atque de solo Indice librorum perniciosorum in Synodo actum fuerit, patet, non posse has Regulas hoc ex capite *Tridentinas* nuncupari; sed eas solis illis delectis Patribus, qui illas citra ullum Synodi mandatum, composuerunt, esse adscribendas.

Unde S. Carolus in Synodo sua V. Indicem librorum prohibitorum vocat quidem Indicem *jussu* Tridentini confectum, aut in prima sua Synodo loquens de his Regulis ait, *Regulas Indicis de libris vetitis* AB IIS *qui illi negotio à Sacrosancta Synodo Tridentina præfecti fuerunt, ex auctoritate Sanctissimi D. N. Pii IV. editas, &c.* ita eas simpliciter dictis Patribus attribuens.

XXII. His Regulis subjicitur insuper *instructio eorum, qui libris, tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis, diligentem, ac fidelem* (*ut par est*) *operam sunt daturi*, non à Synodo Tridentina ad concinnandum Indicem confecta, sed postmodum adjecta.

In hac instructione inter cætera sub titulo *de Prohibitione librorum* §. 5. præscribitur; „ Episcopi, & Inquisitores, seu „ ab iisdem subdelegati, & deputati, tàm in Italia, quàm extra, penes se habeant singularum Nationum Indices, ut librorum, qui apud illas damnati, ac prohibiti sunt, cognitionem habentes, faciliùs prospicere possint, an etiam à suæ „ jurisdictionis terris, eosdem recognitos arcere, vel retinere „ debeant.“

XXIII. Hæc patenter supponunt, interdum libros aliquos in certa Provincia, aut Natione prohiberi, quæ in aliis Provinciis non similiter prohiberi, aut non eodem rigore debeant; quod non uno ex capite contingere potest.

Certum imprimis est, expressiones aliquas posse esse nocivas apud populum minus in fide Catholica, aut Religione instructum, aut hæreticis permixtum, quæ nequaquam offenderent populum melius instructum, vel nullam cum hæreticis communionem habentem; adeoque librum aliquem ob hujusmodi expressiones, esse uno in loco prohibendum, & non alio: idem esto de tempore judicium.

Ad hæc contingere subinde potest, ut liber aliquis in certa Provincia aut Diœcesi à Pastoribus & animarum Directoribus tanquam pius & instructioni populi conveniens fuerit commendatus, & vicissim à Populo avidè receptus, & sine offensione lectus, vel etiam à viris spectatæ doctrinæ & magnæ apud populum auctoritatis probatus. Quis porrò ambigat, quin hujusmodi circumstantiis concurrentibus fieri subinde posset, ut libri illius in tali loco prohibitio non conveniret, tametsi alio in loco non esset improbanda?

Quid enim, si liber ille reverà quidem obscuriores quasdam contineat expressiones, aut etiam leviores aliquos errores, ita ut ex ejus lectione aliquod erroris periculum populo imminere possit, ideoque sepositis particularibus circumstantiis meritò prohiberetur; sed si periculum ex hujusmodi obscurioribus expressionibus, aut levioribus erroribus populo imminens conferatur cum scandalo, quod ob particulares circumstantias concurrentes, ex libri illius prohibitione in tali loco imminet, fieri potest, ut periculum ex lectione istius libri imminens, nullatenus æquiparari queat scandalo ex prohibitione ejusdem orituro: ideoque convenientiùs foret à prohibitione supersedere, ipsorumque Pastorum curæ permittere, ut obscuriores expressiones populò clariùs exponant.

Facilè quippè contigeret, ut ob libri hujusmodi prohibitionem populus de Pastorum, aut Prædicatorum, qui librum illum commendàrunt, sinceritate vacillare inciperet; atque suspecta habere, quæ de articulis fidei, aut morum præceptis à Pastoribus audivit; quod malum multò gravius, atque populo nocentius esse posse, quàm periculum erroris, quod ex lectione illius populo esset metuendum, dubitari nequit.

Cæterùm tota prædicta instructio eò præcipuè tendit, ut ostendat, qualiter Episcopi, Inquisitores & Universitates in prohibendis & corrigendis libris, procedere, quasque regulas tenere debeant.

XXIV. Ad Episcopos quippè atque Fidei Inquisitores præcipuè pertinet invigilare, ne populus ex librorum lectione hæresi, aut aliis perniciosis in fide, aut moribus erroribus inficiatur; quare & erecta in Urbe Congregatio *Inquisitionis* sive *Sancti Officii* invigilare cœpit prohibitioni, & correctioni hujusmodi librorum.

XXV. Cùm autem hac Congregatione in gravioribus actualibus negotiis fidei magis occupata (uti loquitur de Luca *in relatione R. Curiæ disc.* 19.) ista materia revisionis & prohibitionis librorum forsan non adeo diligenter & accuratè ageretur, Sixtus V. hanc Congregationem *Indicis* tanquam dictæ Congregationis Sancti Officii vicariam & adjutricem erexit, eâdem primæva potestate penes ipsam matrem adhuc remanente.

XXVI. Congregatio autem hæc constituitur ex competenti numero Cardinalium Pro Papæ beneplacito. Habet præterea Secretarium ex Ordine S. Dominici, qui unà cum Cardinale Præfecto Decreta Congregationis signat.

XXVII. Præterea habet perpetuum & fixum Consultorem, Magistrum Sacri Palatii similiter ex Ordine S. Dominici, qui primitùs apparet assumptus, ut quasi Theologus in rebus fidei in privatis occurrentiis (ait Cardinalis de Luca in citata relatione *disc.* 8.) Papam informaret, antequam sub Paulo III. erigeretur Congregatio Inquisitionis; quin & ante erectionem dictæ Congregationis Inquisitionis, ac Indicis, ipsi pene soli librorum revisio, expurgatio, ac impressio concredita erat.

Hinc etiamnum hodie, impressio librorum in Urbe ejusque districtu sine ejus licentia inhibita est. Retinet quoque facultatem, quam fortè solus ante erectionem istarum Congregationum exercebat, ait de Luca, revidendi, si velit libros alibi impressos, qui in urbe ejusque districtu vendantur seu legantur: ut proinde mirum non sit, ipsum tanquam perpetuum ac fixum Consultorem Congregationibus interesse.

XXVIII. Ad hanc insuper Congregationem pertinet magnus numerus Theologiæ aliarumque litterarum Professorum, qui, inquit de Luca, frequentiùs omnes vel pro majori parte sunt Religiosi diversarum Religionum, sub nomine seu vocabulo *Consultorum*.

Partes horum sunt, revidendi vel examinandi libros, qui tanquam suspecti denuntiantur, juxta distributionem, quæ per Secretarium eis fieri solet; cum obligatione referendi & examinandi in plena Congregatione, quæ diem certum non habet; ubi tum determinatur, an liber prohiberi aut expurgari, vel suspendi debeat, vel absolutè permitti possit: solentque ut plurimum Cardinales se judicio Consultorum, qui librum reviderunt, & examinârunt, conformare.

XXIX. Soli tamen Cardinales votum decisivum obtinent, quibus à Sixto V. in erectione hujus Congregationis injunctum est, ut libros „ qui post Indicem Concilii Tridentini jussu edi„ tum prodierunt, Catholicæ doctrinæ, Christianorumque mo„ rum disciplinæ repugnantes, expendant & recognoscant, ac „ ubi nobis retulerint, nostra auctoritate rejiciant, hominum ve„ rò injuria & dolo depravatos emendent, eos libros, qui pau„ cis erroribus rejectis, alioquin utiles studiosis esse possent, „ expurgandi, atque corrigendi modum ineant, indicesque ex„ purgatorios conficiant, novos præterea libros approbandi, & „ imprimendi rationem præscribant.“

XXX. Hîc obiter notandum, mentem Pontificis nequaquam fuisse, ut libri studiosis alioquin utiles, ob leviores aliquos errores, aut duriora aliqua dicta absolutè proscribantur. Et sanè (ut rectè monet de Luca citato *disc.* 19. *num.* 15.) „ id „ apud omnes commendabile reputatur, ut quo magis fieri po„ test, parcè, ac circumspectè in hac prohibitione procedatur, „ ne facilitas vel frequentia vilipendium causet, aliaque produ„ cat inconvenientia eo modo, quo in Ecclesiasticis censuris, „ Canones atque Concilia docent, ac monent.

XXXI. Huic Congregationi Pontifex non assistit; unde etiam duntaxat sub nomine Cardinalium Congregationis Indicis, nulla Pontificis facta mentione, Decreta edi solent.

Decreta quidem jam formata, priusquam imprimantur, per Secretarium Congregationis Pontifici exhiberi & ostendi consueverunt; sed quia Pontifex nec librum legit, nec Consultorum, qui illum examinârunt & reviderunt, vel relationem audit, sed Decreto formato simpliciter annuit, nulla ejus in Decreto mentio injicitur, sed sub solius Congregationis nomine publicatur.

XXXII. Cùm verò hæc Congregatio tantùm sit quasi Vicaria & adjutrix Congregationis Inquisitionis, per ejus erectionem auctoritas Congregationis Inquisitionis proscribendi libros, nec in minimo diminuta est.

XXXIII. Quin & nonnunquam contingit, ut liber aliquis per Decretum hujus Congregationis in Indicem relatus, postmodum etiam per speciale Decretum Congregationis Inquisitionis proscribatur: quemadmodum contigit circa librum Amadæi Guimenii, qui 5. Aprilis anno 1666. à Congregatione Indicis prohibitus, & in Indicem librorum prohibitorum relatus, rursus die 12. Septembris an. 1675. à Congregatione Inquisitionis prohibitus fuit; uti refertur in Brevi Innocentii XI. die 16. Septembris anno 1680. quo eundem librum iterato proscribit: eò quòd non obstante iteratâ illa per Congregationem Indicis & Inquisitionis prohibitione, *nonnulli propriæ salutis immemores eundem legere & retinere damnabili lectione, usu & praxi præsumerent*.

Epis-

XXXIV. Episcopis, ac Fidei Inquisitoribus salvam manere in suis respectivè Diœcesibus, & districtibus facultatem libros proscribendi, & expurgandi & corrigendi, quotidianâ praxi manifestum est: quin imò Inquisitio Hispanica (si fides sit Francisco Salgado in Supplicatione ad Sanctissimum *part. 2. cap. 33. num.* 145.) nec in Sicilia „ permittit expurgationem & prohi- „ bitionem emanatam à Congregatione de Indice Romæ exis- „ tente publicari, nisi priùs per Consilium ipsum supremum „ Sanctæ Inquisitionis Hispaniæ illi libri prohibiti, expurgati „ noviter, & accuratè examinentur & expurgentur, ita ut si „ quid prohibitionis aut expurgationis dignum reperiat sub cen- „ sura duntaxat suâ, non attentâ, quæ à Congregatione de „ Indice emittitur, publicentur. Super quo, ait, plurima exem- „ plaria præ manibus habui ex Registris hujus supremi Consilii, „ quæ facilè hîc potuissem inserere, nisi defessus calamus tam „ ingentem laborem recusaret." Hæc ille.

XXXV. Sed neque hisce in Provinciis Indicem librorum prohibitorum in omnibus receptum esse notoria Belgii praxis evincit.

Quis enim inter Juris-Consultos, aut Juris studiosos scrupulo angitur, aut cui scrupulus movetur, dum passim legunt Commentaria Joannis Schnelduini ad Institutiones Justiniani; Commentaria Francisci de Amaya in tres posteriores libros Codicis; Commentaria Donelli Enucleati; opera Andreæ Corvini, Matthæi Wesembeccii; aliosque libros quamplurimos Decreto Romano in Indicem librorum prohibitorum relatos.

Imò licèt nomen Caroli Molinæi esset relatum in primam classem Indicis Romani, quo indicabantur, omnia ejus scripta, non edita solùm, sed edenda etiam, prohibita esse, nequaquam tamen crediderunt Viri auctoritate Philippi II. atque Albani Ducis consilio anno 1571. delecti ad Indicem expurgatorium pro Belgio concinnandum, omnia generatim Molinæi opera hîc in Belgio vi illius relationis in Indicem esse proscripta, sed ejus opera, de novo examinanda censuerunt, atque post examen institutum quædam illorum, priùs facta aliquali majori, vel minori expurgatione, aliqua verò nullâ purgatione aut correctione adhibita, legi posse judicârunt. Et quidem de ejus ad consuetudines Parisienses Comentario, hoc testimonium reddunt: *In hoc opere nihil est, quod hæresim sapiat, quapropter illud admittatur.* Scribit idem novum intellectum quinque legum. *Nihil* inquiunt de illo Expurgatores, *continet, quod repurgari debeat, quapropter admittatur.* Idem etiam scripsit novum & analyticum intellectum quatuor & aliarum plurium legum, de quo hoc proferunt judicium: *Nihil repurgatione dignum habet, quapropter admittatur.*

SUPPLEMENTUM
AD CAPUT IV.

ULTERIUS QUÆRITUR, QUID HISPANI, QUID GALLI, QUID BELGÆ SENTIANT DE AUCTORITATE INDICIS LIBRORUM PROHIBITORUM.

1 *Decreta Congregationis Indicis in Hispania non recipiuntur sine novo examine, & quare.*
2 *Horum Decretorum promulgatio plurima secum trahit incommoda.*
3 *Quædam enumerantur à D. Talonio coram Senatu Parisiensi.*
4 *Auctor sat notus alia prosequitur incommoda.*
5 *Omnia latius exponuntur in tractatu de publicatione Legum.... part. 4.*
6 *Opera Molinæi in primam clasem Indicis relata.*
7 *Non idem omnium de ejus operibus judicium.*
8 *Indicis expurgatorii regulæ.*
9 *Edicta Philippi II. Hispan. Regis ad recipiandum Indicem, discutiuntur.*
10 *Prædictus Index cum moderatione in Belgio receptus fuit.*

* I. SUperiori capite observatum est, quòd nec in Hispaniis, nec in Sicilia permittantur publicari Decreta à Congregatione Indicis emanata, nisi fuerint revisa per Inquisitionem, teste Francisco Salgado, qui insuper monet num. 144. reflectendum: „ Quod assiduè practicari videamus circa libros „ Catholicorum Auctorum horum Regnorum tractantes, & „ fundantes Regis Catholici jurisdictionem, aut Regalias (r) „ maximè in rebus Ecclesiasticis, sibi competentes, aut de ju- „ re, aut indultis Apostolicis, sive etiam immemorabili consuetudine à Sede Apostolica diù toleratâ, qui ob id solum „ solent integraliter in Romana Curia prohiberi, & vetari, & „ ad hoc Brevia Apostolica transmitti ad Inquisitionem supre- „ mam Hispaniæ publicanda."

II. Adjungit autem, quòd Rex Catholicus „ Omni conatu, cultu tamen reverenti, huic violentiæ suis juribus Re- „ galibus & sibi ipsi illatæ occurrat, agnoscens hanc prohibi- „ tionem duntaxat tendere ad infringenda sua jura, necnon in „ grave, & intolerabile præjudicium suum, ac proindè impe- „ diens talis Brevis executionem ad evitanda scandala, penes se „ illud retineat, interim quod per supplicationem de damnis „ & inconvenientiis consulat Sedem Apostolicam, ut de reme- „ dio paternali clementer provideat."

III. Similem querelam de prohibitione librorum & Scriptorum jura Regia fundantium coram Senatu Regio deposuisse legimus Regis Christianssimi Advocatum Fiscalem Tolonium in discursu super non admissione Decretorum à Congregatione Inquisitionis Romanæ emanatorum, de quo in nota præcedenti inter alia enim inconvenientia ex publicatione horum Decretorum timenda hoc proponit: „ Quòd per hanc Con- „ gregationem proscripta quondam fuerint Arresta Parlamenti „ prolata contra Joannem Castel, Opera Præsidis Thuani, Li- „ bertates Ecclesiæ Gallicanæ, aliique Libri concernentes per- „ sonam Regis, Regiamve jurisdictionem (s)."

IV. Nec minùs rectè, ac verè advertit eruditus atque sat notus auctor difficultatum propositarum Doctori Martino Steyaert. *part. 9. difficult. 93.* quòd Theologi Romanæ Curiæ quasdam sibi adoptaverint opiniones, quas ab omnibus quasi pro Catholicis veritatibus haberi vellent, licèt sciant eas à plurimis Theologis, imò integris Ecclesiis, impugnari: puta, quòd Papæ possint deponere Reges; quòd sint infallibiles; quòd sint supra Consilia generalia; quòd Episcoporum jurisdictio immediatâ A JESU Christo; quòd solus Pontifex possit de materia fidei judicare, &c.

Sed cùm asserere non audeant, errorem esse oppositum sentire, aliud medium impendunt, ut opiniones stabiliant; necnon Theologos à propugnandis opinionibus oppositis deterreant, nimirum prohibendo libros, in quibus oppositæ opiniones reperiuntur, aut stabiliuntur. Quis enim ambigat, quin metu imminentis censuræ, seu prohibitionis plures deterreantur se pro opposita sententia declarare super his materiis: probè scientes, quantoperè per hanc Romanam prohibitionem, apud plerosque Ultramontanis opinionibus imbutos & sibi & scriptis suis præjudicium immineat.

Et quidem in regulis à Confectoribus Indicis expurgatorii observandis præscribitur regula septima, *Expungendæ sunt etiam propositiones, quæ sunt contra libertatem, immunitatem & jurisdictionem ecclesiasticam.*

Cùm autem jura, quibus passim Principes supremi, eorumque Auditoria utuntur in materiis ecclesiasticis, à Curialibus Romanis reputentur contraria libertati, & immunitati, ac jurisdictioni Ecclesiasticæ, non mirum, si libros & scripta, in quibus hæc jura Principibus asseruntur, & vindicantur, in Indicem librorum prohibitorum relata videamus.

V. De his latiùs egi in tractatu *de Publicatione legum & Placito regio part.* 4. ubi fusiùs expositum est, quomodò, & quibus motivis ad proscriptionem librorum in Curia Romana procedatur, & ex quo capite frequenter contigere possit, hanc librorum proscriptionem sub & obreptitiè impetrari; & quibus ex causis similia Decreta possint in publica commoda impingere, quibus præcavendis meritò suspendatur & interdicatur eorum publicatio, saltem donec placitum Regium acceserit.

VI. Capite IV. observatum fuit, quòd tametsi opera Molinæi in primam classem indicis Romani essent relata, nihilominus à viris ad conficiendum Indicem expurgatorium in Belgio auctoritate regiâ deputatis, plura ejus opera simpliciter, alia modicâ adhibitâ expurgatione fuerunt declarata ab omni censura aut prohibitione exempta.

VII. Et sanè non soli Galli, sed exteri quicunque Jurisperiti agnoscunt plurima admodum utilia, atque summâ eruditione ab hoc auctore, tàm in civili, quàm canonico Jure esse scripta.

Inter cæteros nominatissimus Jurisconsultus & Episcopus Segoviensis, qui & Concilio Tridentino interfuit, Didacus Covarruvias pluribus locis suorum operum laudat Molinæum; atque signanter *lib. 3. variarum resolut. cap. 1. num. 4.* notat Molinæum eleganter interpretatum in Commentario ad consuetudines Parisienses *capit. 1. ✠ de feudis*, atque lectorem ad eum remittit.

Ad

(r) Cui adde Actum Acordatum 14. tit. 7. lib. 1. Recopilat.

(s) *Francorum Rex non permittit Librum fieri juris publici, nisi post hujus Operis examen factum à viris, quos Gallorum Cancellarius, aut sigillorum Regiorum Custos designavit. Tandem supremi Senatus vetare solent, ne vendantur libri, qui possunt aliquod inferre incommodum vel damnum tranquilitati publicæ, juribus Regis, Libertatibus Gallicanis, & bonis moribus. In Hispania verò diversitas materiarum & tractatuum diversam licentiam prærequirit, uti videre est in* leg. 23. 24. 27. 29. 32. & 33. tit. 7. lib. 1. & leg. 48. lib. 2. tit. 4. Recop. *Quibus adde Acta Acordata* 13. 15. 17. 22. 26. 30. 32. tit. 7. lib. 1. Recopil.

Ad hanc Covarruviæ citationem reflectens Franciscus Pinsonius in nota ad observationem Molinæi ad tit. Decretalium *de feudis*. „ Non minimum esse à viro laudatissimo Hispano „ & Catholico Segoviensis Ecclesiæ Præsule laudatum fuisse (Mo„ linæum) *non inverso vel immutato nomine, sed proprio*; ut fe„ cêre Romani & Itali, qui tractatum ejusdem Molinæi *de Usu„ ris*, cujus doctrinâ indigebant, imprimi curârunt, tùm lati„ nè, tùm Italicè sub *ementito nomine Caballini*, ut nomen „ ipsius tacerent.

Bullam Clementis VIII. contra opera Molinæi, nec hîc, nec in Gallia receptam esse, ostendi in præcitato Tractatu *de promulgatione legum, part.* 4. *cap.* 2. §. 4.

Ex his, quæ circa opera Caroli Molinæi aliaque opera, quæ à confectoribus Indicis expurgatorii declarata sunt à prohibitione & censura exempta, sat constat Indicem librorum prohibitorum per Pium IV. evulgatum hîc in Belgio non fuisse simpliciter receptum, uti in citato tractatu fusiùs ostendimus.

Similiter idem ille Index expurgatorius per speciale edictum Philippi II. Regis Catholici anno 1571. probatus, & recipi jussus, probat nequidem Regulas Indicis per Pium IV. indici Romano adjectas, hîc simpliciter admissas esse.

VIII. Confectores quippe hujus Indicis expurgatorii quatuor duntaxat regulas, ex decem regulis per Pium IV. indici Romano subjectis, sub initium sui Indicis expresserunt, reliquarum sex regularum nullâ facta mentione.

Indicium non obscurum, visum fuisse hisce Indicis expurgatorii confectoribus has quatuor regulas, quæ penè unicè spectant libros hæreticorum vel hæresim continentes, aut res lubricas seu obscœnas tractantes præ cæteris in Belgio recipiendas.

Cùm autem Philippus II. per suum edictum voluerit, hunc Indicem expurgatorium, prout ab his viris deputatis erat confectus, per omnia recipi; neque sciatur aut legatur aliud Principis edictum aut placitum super publicatione vel receptione Indicis Romani, aut regularum eidem subjectarum post emanâsse, aut datum fuisse, concludendum est, nec Indicem Romanum, nec regulas eidem adjectas, hactenus in Belgio receptas, nisi conformiter ad præscriptum hujus Indicis expurgatorii.

IX. Pro quo ulteriùs notandum examen hoc per Collegium Censorum auctoritate Regiâ inchoatum fuisse, & absolutum demum anno 1570. mense Julio, adeoque ab edita Bulla Pii IV. sex circiter annis, necnon post editum edictum Philippi II. die 15. Februarii 1569. Quo præcipiebatur, Indicem Romanum prout per Pium IV. fuerat publicatus observari & recipi, ipsumque edictum ad omnia consilia Regia transmitti, ut eorum auctoritate per provincias more solito publicaretur, atque de hoc edicto loquitur Haræus in Annalibus Belgicis ad annum 1570. atque ipsum secuti plures alii scribere non dubitârunt, Indicem Romanum hîc in Belgio promulgatum & auctoritate Regiâ simpliciter receptum fuisse.

Verùm admodum verisimile est, Consilia Regia recepto hoc edicto advertisse, nullatenus convenire, ut hic Index Romanus simpliciter promulgaretur, ob multifaria incommoda, quæ ex hac promulgatione in hisce Provinciis obventura prævidebant, & quæ subsequenti edicto Rex ipse expressit.

Hinc & indubiè contigit, ut censuerint à publicatione illius prioris edicti esse supersedendum, & interim monendum, atque de iis incommodis instruendum Ducem Albanum, ejusque Ministros, qui re maturè examinatâ judicârunt expedire, ut quemadmodum super Decretis Concilii Tridentini factum fuerat, ita etiam circa hunc Indicem fieret, nimirùm, ut Index in hisce provinciis publicaretur eâ moderatione, ut & populus ab iis, qui in libris hoc Indice prohibitis continebantur, erroribus conservaretur, & nihilominus ocurreretur incommodis, quæ ex simplici & generali illius Indicis promulgatione secutura prævidebantur.

Itaque hunc in finem auctoritate Ducis Albani tunc Belgii Gubernatoris institutum fuit prædictum Collegium Censorum, & confectus præmemoratus Index expurgatorius eo modo, quo supra exposuimus; & in consequentiam illius prodiit edictum Philippi II. anni 1571. cujus supra meminimus.

X. Porrò hoc Regio edicto prædictus Index Romanus cum adjunctis regulis non simpliciter, sed magna cum moderatione, conformiter ad *Indicem expurgatorium*, auctoritate regiâ tandem receptus fuit, prout in capite præcedenti nec non in tractatu de promulgatione Legum exposuimus.

Cùm autem post editum hoc posterius edictum non legatur super prædicto Indice Romano aut regulis eidem annexis illud examen auctoritate Regiâ institutum fuisse, aut super iis prodiisse aliud aliquod speciale edictum, imò nec speciale aliquod *Placitum Regium* postulatum, multò minus concesum: concludendum est hunc Indicem Romanum, atque regulas eidem annexas hîc in Belgio non esse ritè publicata, & recepta, nisi cum ea moderatione, quam Collegium Censorum adhibitam voluit, & quam supra indicatis locis latiùs exposuimus.

CAPUT V.

De Congregatione pro executione et Interpretatione Concilii Tridentini.

1 *Qua ratione Synodus Tridentinâ voluerit difficultates occasione suorum Decretorum emergentes, resolvi.*
2 *Pius IV. generaliter inhibuit omnibus Decreta Synodi Tridentinæ interpretari.*
3 *Interpretationem Sedi Apostolicæ reservavit.*
4 *Congregationem Cardinalium pro executione Concilii Tridentini instituit.*
5 *Huic Congregationi non erat auctoritas interpretandi Decreta Synodi, sed tantùm exequendi.*
6 *Aliquando dubitavit hæc Congregatio, an propter decisos casus ad Interpretationem Concilii Tridentini spectantes, non incidisset in censuram.*
7 *Sixtus V. interpretandi potestatem huic Congregationi atribuit; & dicitur*: Congregatio pro interpretatione Concilii Tridentini.
8 *Præcipuè versatur hæc Congregatio circa Interpretationem Synodi Tridentinæ.*
9 *Quæ executionem Concilii Tridentini spectant, interdum etiam ad alias Congregationes mittuntur.*
10 *Hæc Congregatio curat, ut Synodi locales juxta præscriptum Synodi Tridentinæ habeantur; & Decreta Synodorum Provincialium ab ipsa revidentur.*
11 *Audit quoque postulata Episcoporum visitantium Limina Apostolorum.*
12 *In hac Congregatione nulla adest mixtura Prælatorum, præter Secretarium: & inter Cardinales unus dicitur*, Cardinalis Præfectus.
13 *Resolutionibus nisi debitè munitis non creditur.*
14 *Declarationes ab hac Congregatione frequenter dantur super particularibus casibus.*
15 *Declarationes datæ pro casu particulari rarò alteri casui applicari possunt.*
16 *Declarationes hujus Congregationis rarò publicantur.*
17 *Non habent vim Legis.*
18 *Interdum Congregatio à Declaratione data recedit; & contrariam dat.*

I. SYnodus Tridentina Sess. 25. in fine *De recipiendis & observandis decretis Concilii*, declaravit: „ Quod si in „ his recipiendis aliqua difficultas oriatur; aut aliqua incide„ rint, quæ declarationem, quod non credit, aut definitionem „ postulant, præter alia remedia in hoc Concilio instituta, con„ fidit Sancta Synodus, Beatissimum Romanum Pontificem cu„ raturum, ut vel evocatis ex illis præsertim Provinciis, unde „ difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando vi„ derit expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, si „ necessarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratio„ ne ei visum fuerit, Provinciarum necessitatibus pro Dei glo„ ria, & Ecclesiæ tranquilitate consulatur.“

II. Porrò nullum Concilium generale posthac celebratum est, neque evocationes ex Provinciis frequentatæ; sed Pius IV. in Bulla confirmationis ipsius Concilii, quæ incipit: *Benedictus Deus*, „ Apostolicâ auctoritate inhibuit omnibus, tam ec„ clesiasticis personis, cujuscunque sint ordinis, conditionis, & „ gradus, quam laicis, quocunque honore, ac potestate præ„ ditis; Prælatis quidem sub interdicti ingressus Ecclesiæ, aliis „ verò, quicunque fuerint, sub excommunicationis latæ sen„ tentiæ pœnis, ne quis sine auctoritate nostra audeat ullos „ commendatarios, glossas, annotationes, scholia, ullumque „ omninò interpretationis genus super illius Concilii Decretis „ quocumque modo edere; aut quidquam quocunque nomine, „ etiam sub prætextu majoris Decretorum corroborationis, aut „ executionis, aliove quæsito colore statuere.“

III. Deinde subjicit: „ Si cui verò in eis aliquid obscuriùs „ dictum, & statutum fuisse, eamque ob causam interpreta„ tione, aut decisione aliquâ egere, visum fuerit, ascendat ad „ locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Aposto„ licam, omnium fidelium magistram, cujus auctoritatem etiam „ ipsa sancta Synodus tam reverenter agnovit. Nos enim diffi„ cultates, & controversias, si quæ ex eis Decretis ortæ fue„ rint, nobis declarandas, & decidendas, quemadmodum ip„ sa quoque sancta Synodus decrevit, reservamus, parati, si„ cut ea de nobis meritò confisa est, omnium Provinciarum „ necessitatibus ea ratione, quæ commodior nobis visa fuerit, „ providere, decernentes nihilominus irritum & inane, si secus „ super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoran„ ter contigerit attentari.“

IV. Mensibus aliquot post Concilii Tridentini confirmationem, & hanc interpretandi Decreta Sedi Apostolicæ factam reservationem, erecta fuit ab eodem Pontifice aliquorum Car-

dinalium (illorum præsertim, qui in Concilio interfuerant, quique de mente Concilii magis credebantur instructi) Congregatio per Constitutionem, quæ incipit : *Alias nonnullas*, 18. *in Bull. Rom.*

V. Hæc Congregatio tametsi non esset instituta pro *Interpretatione* dubiorum, quæ oriri possent circa Decreta Concilii Tridentini, quæ omnia vult Pontifex ad se referri, sed pro executione & observantia illorum Decretorum ; tamen eo etiam tempore, uti observat Cardinalis de Luca, aliquâ oriente dubietate, istæ partes interpretandi assumebantur ; atque aliquæ licèt pauciores declarationes prodierunt, quæ majoris vel eo titulo auctoritatis reputandæ sunt, uti monet de Luca, „quòd plures tunc in ea Congregatione sedebant Car„ dinales, qui vel tanquam Præsidentes & Legati, vel tanquam „ Prælati postmodum ad Purpuram assumpti, in ipso Concilio „ intervenerant ; ideoque tanquam Sessionum, ac disputationum „ conscii, melius Patrum sensum callebant.“ In annotat. ad Concil. Trid. *Disc.* 1.

VI. Quin & refert Fagnanus, hanc Congregationem aliquando dubitâsse, an ipsa incidisset in censuram, de qua in citata Constitutione, *Benedictus Deus*, „ decidendo multos casus propositos ad interpretationem Concilii pertinentes abs„ que eo quòd ullam relationem Sanctissimo fecerit. Et cùm „ Congregatio hac de re consuluisset Pium V. Sanctitas sua „ dixit, se non credere Congregationem incidisse in hujusmo„ di censuras quoniam opinabatur, hanc prohibitionem eos tan„ tùm comprehendere, qui proprio ausu interpretari præsump„ sissent, ut indicant illa verba, *audeant Interpretari* ; ta„ men pro futuro, dixit, se tribuere facultatem Congrega„ tioni, ut absque alia delegatione posset decidere casus quos „ Congregatio tanquam claros putaret decidendos ; quos ve„ rò tanquam dubios putaret referendos Sanctitatis suæ refer„ ret, prout postea fecit, ut disertis verbis est adnotatum in „ libris publicis S. Congregationis manu Cardinalis Caraffæ.“ *Ad cap.* 12. *de Judiciis.*

VII. Postmodum Sixtus V. in sua Constitutione, quæ incipit : *Immensa* 74. *in Bull. Rom.* inter cæteras Congregationes, hujus quoque Congregationis meminit, eique clariùs, non tantùm exequendi, sed etiam interpretandi Concilii Tridentini Decreta, scilicet *reformationis* (eorum quæ ad fidei dogmata pertinent interpretatione sibi reservatâ) facultatem impartitur ; ideoque Congregatio, quæ in citata constitutione Pii IV. dicebatur Congregatio *super* EXECUTIONE & OBSERVANTIA *Sacri Concilii Tridentini*, in hac Sixtinâ Constitutione vocatur *Congregatio pro executione &* INTERPRETATIONE *Concilii Tridentini* ; quanquam & ante hanc Sixtinam constitutionem, quæ edita est anno 1588. Cardinales eidem Congregationi præfecti dici cœperunt *Concilii Tridentini Interpretes* ; & Congregatio *Interpretum* Concilii Tridentini: ut constat ex litteris super confirmatione primæ Synodi Mechliniensis, de quibus *tit.* 20. *cap.* 3. *num.* 6.

VIII. Et quidem, uti monet de Luca, „ hujus Congre„ gationis principale institutum versatur in hac parte inter„ prætandi, atque præstandi oracula in abstracto super dubiis, „ quæ proponuntur, & super hac parte interpretativa aliæ Con„ gregationes se non intromittunt, unde propterea hæc fa„ cultas est privativa : “ Hoc est, privativè ad hanc Congregationem spectat.

IX. Quæ verò executionem ejusdem Concilii attinent, quamvis frequenter etiam ad hanc Congregationem remittantur ; atque propterea Congregatio hæc non rarò etiam particulares casus in forma contentiosa agitandos, & decidendos assumat, nihilominus subinde hujusmodi casus, licèt circa Decreta Concilii Tridentini versentur, ad aliam Congregationem, v. g. Regularium & Episcoporum mittuntur seu referuntur.

X. Ulteriùs voluit Sixtus V. in dicta Constitutione, ut hæc Congregatio provideat, Synodos Provinciales & Diœcesanas, prout à Synodo Tridentina ordinatum est, celebrari: „ Provincialium verò, ait, ubivis terrarum illæ celebrentur, „ Decreta ad se mitti præcipiat, eaque singula expendet & „ cognoscet.“ Hinc stylus invaluit, quòd Decreta Synodorum Provincialium, dum pro confirmatione Romam mittuntur, ab hac Congregatione tantummodo recognoscantur & emendentur; uti ex Fagnano suprà *titulo* 2. *cap.* 3 *num.* 18. notatum fuit.

XI. Huic quoque Congregationi incumbit, audire postulata Episcoporum *Limina Apostolorum* ad præscriptum sui juramenti visitantium, eisque congrua responsa dare, cæteraque materiam hujus visitationis spectantia expedire ; de quibus actum est *titulo* 15. *cap.* 2.

XII. In hac Congregatione, quemadmodum monet de Luca, nulla adest mixtura Prælatorum, uno excepto, qui Secretarii munus gerit.

Inter Cardinales verò hujus Congregationis unus habet præfecturam pro subscriptione Litterarum & Decretorum, ipsiusque Congregationis cura & directione, diciturque *Cardinalis Præfectus.*

XIII. Subscriptione hujus Cardinalis Præfecti, & Secretarii, necnon sigillo ipsius Congregationis, resolutiones ab hac Congregatione emanantes muniri debent ; adeo ut declaraverit hæc Congregatio, probante Urbano VIII. 2. Augusti anno 1632. declarationibus, seu impressis, seu imprumendis, ac etiam manuscriptis, nullam fidem in judicio vel extra habendam, nisi in authentica forma, solito sigillo, & subscriptione Cardinalis Præfecti, & Secretarii ejusdem Congregationis fuerint munitæ.

XIV. Declarationes in hac Congregatione frequenter dari occasione casuum particularium, qui ad hanc Congregationem deferuntur supra notatum fuit ; „ Quapropter erroneum „ est (uti monet Cardinalis de Luca) in particularibus de„ clarationibus cum consueta cæca fide vim constituere ; cùm „ illæ, quo singulos, vel particulares concernunt casus, ex „ eorum particulari qualitate & circumstantiis manere soleant; „ ideoque alteri diversas circumstantias habenti, non semper „ sunt applicabiles, cùm diversimodè ob diversam facti qua„ litatem, sæpiùs decernere congruat.“ Hæc ille in *Annotat. ad Concil. Trid. disc.* 1. *n.* 11.

XV. Ut ergo declaratio ab hac Congregatione emanata, alicui casui particulari aplicetur, expendendum, ac inquirendum, nùm forsam hujusmodi declaratio non emanaverit occasione alicujus particularis casus quibusdam singularibus circumstantiis vestiti ; aut certè non cum iisdem, quæ casum occurrentem circumstant.

XVI. Declarationes ab hac Congregatione emanantes per modum Legis, aut Constitutionis publicari non consueverunt, sed per litteras sigillo Congregationis, necnon subscriptione Cardinalis Prefecti, & Secretarii munitas consulentibus solent intimari; nisi publicationem casu Pontifex fieri mandet; quemadmodum quoad Decretum circa communionem quotidianam ab hac Congregatione 12. Februarii 1679. emanatum, contigit.

XVII. Hinc facilè intelligitur, declarationes has, non ut Leges generales esse habendas, neque pro hujusmodi Concilii Tridentini interpretatione, à qua recedi nunquam liceret, quemadmodum plurimis relatis auctoritatibus latiùs deducit Berthrandus Loth in Resolutionibus Belgicis, *Tract.* 2. *art.* 10.

XVIII. Et quidem ipsa Congregatio, nonnunquam ab interpretatione alicujus Decreti Concilii Tridentini data, postmodum re maturiùs discussa recessit, uti notat Fagnanus contigisse circa intellectum *cap.* 2. *Sess.* 24. *de Reform.* „ Nam „ cùm ante censuisset, Decretum, quo ibidem disponitur, „ ne imposterum Episcopi Comprovinciales ad Metropolita„ nam Ecclesiam accedere inviti compellantur, intelligendum „ esse de *Personali* accessu ipsorum Episcoporum, non au„ tem de *Procuratore mittendo* : postea tamen die 17. Ju„ lii 1578. de eâdem re maturiùs deliberans censuit Conci„ lium liberâsse Suffraganeos etiam ab onere mittendi Procu„ ratorem, non obstante consuetudine etiam immemorabili. „ Sed quia priùs diversum senserat, dixit referendum Sanctis„ simo, qui probavit sententiam posteriorem Congregationis, „ jussitque dari litteras ad Episcopos, præsertim regni Neapoli„ tani quibus eis significaretur, etsi aliàs Sacra Congregatio aliud „ censuisset, tamen postea perpensis aliis rationibus, & fac„ ta relatione sanctitati suæ ita fuisse decretum. Et iterum cùm „ anteâ declarâsset in Parochialibus juris patronatus mixti Lai„ corum, & Ecclesiasticorum, requiri formam examinis per „ concursum ; tamen postea animadvertens in mixto prævale„ re qualitatem, quæ magis favet Patronatui, facta relatione „ Sanctissimo, ac de ejus mandato iterum articulo discusso re„ cessit à prima declaratione.“

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT V.

DE QUIBUSDAM MOMENTIS, QUÆ SPECTANT CONCREGATIONEM CONCILII TRIDENTINI INTERPRETEM.

1 *Quid prævidit Concilium circa difficilem suorum Decretorum receptionem.*
2 *Æquitas medii, quod proposuit ad illam difficultatem explanandam.*
3 *In plurimis extra Italiam Provinciis Declarationes prædictæ Congregationis non audiuntur.*
4 *Rationes exponuntur.*
5 *In Belgio istæ Declarationes habentur ad summum, ut resolutiones Doctrinales.*
6 *Sixtus V. declaravit petendam esse ab ea Congregatione confirmationem Conciliorum Provincialium.*
7 *Quomodo fit illa confirmatio.*
8 *Fit quandoque, ut Decreta per Congregationem Interpretem reformata non possint executioni mandari.*

* I. NOn ignorabant Patres Concilii Tridentini vix esse possibile, Decreta reformationis exteriorem Ecclesiæ disciplinam spectantia ita concipi, & efformari posset ut om-

omnium passim Provinciarum receptis moribus, & populorum ingenio conveniant: quapropter decreverunt, ut si quæ super his Decretis dubietas oriatur, Romanus Pontifex evocatis è singulis provinciis, præsertim ex illis, unde difficultas orta est, viris intelligentibus, remedium afferet.

II. Quis ambigat, quin per hos è singulis Provinciis, præsertim ex illa, unde difficultas orta est, viros intelligentes faciliùs, & certiùs intelligi posset, quâ ratione, & interdum aliquâ moderatione vel modificatione Decreti executio esset urgenda, attentis Provinciæ illius moribus, & populi genio, quàm ex Cardinalibus, & Prælatis hujus Congregationis plerumque Italis & Curiæ Romanæ opinionibus, & unicè indutis, & assuetis.

III. Ut proinde nec mirum Decreta seu declarationes hujus Congregationis in plerisque extra Italiam, ac signanter in his Belgicis Provinciis, non recipi; neque Decreta Concilii Tridentini conformiter ad has declarationes executioni mandari, seu recipi, uti in hoc opere sæpiùs notatum est; & signanter in feriùs *num.* 4.

Constitutio Pii IV. reservans interpretationem Decretorum Concilii Tridentini privativè soli Cardinalium Congregationi, nec in Belgio, nec in plerisque aliis Provinciis recepta est; passimque Doctores in casuum resolutione Concilii Tridentini Decreta interpretantur, quemadmodum & plures, tum ex professo, tum incidenter in suis editis operibus Decreta commentantur, & interpretantur nos secus atque aliorum Conciliorum Decreta.

IV. Cùm hæc Congregatio super interpretatione Concilii Tridentini ex solis Cardinalibus plerumque Italis constet; interpretatio Decretorum Concilii Tridentini consuevit ab hac Congregatione fieri conformiter ad praxim & opiniones in Curia Romana receptas, quæ cùm frequenter à Provinciarum exterarum moribus, & inveteratis privilegiis dissentiant, non mirum, quòd interpretationes, & declarationes ab hac Congregatione emanantes Provinciarum moribus & institutis nonnunquam adversentur; quin & ipsa Decreta in eum sensum inflectantur, qui stylo, & opinionibus in Curia Romana receptis consonat, tametsi ipsa Decreti verba alium sensum non obscurè præferant, & Patribus Tridentinis aliud placuisse ex tenore Decreti appareat.

Quod & advertens Franciscus Zypæus *Consult.* 1. *de Elect. num.* 6. monet, Concilium Tridentinum in his ditionibus receptum esse, prout sonat, *non ut quotidianæ interpretationes, Decreta aut Constitutiones Româ adferri possint.*

V. Certum quoque est, nec in Belgio, nec in plerisque aliis Provinciis hasce declarationes & interpretationes super intellectu Decretorum Concilii Tridentini recipi tanquam decisiones Juris, quibus in judicio standum sit; sed ut summum tanquam resolutiones doctrinales reputari. Unde & Petrus de Marca de *Concord. Sacerd. & Imper. lib.* 6. *cap.* 24. *num.* 12. de hisce declarationibus ait: *Declarationes illæ vim legis non obtinent in Gallia*, uti & suprà *num.* 17. ex Bertrando Loth, notatum fuit de Belgio.

VI. Juxta Constitutionem Sixti V. omnium Conciliorum Provincialium Decreta, & ordinationes ex judicio & arbitrio hujus Congregationis pendere, manifestum est.

VII. Cùm autem hæc Congregatio Cardinalium solicitè attendat, ut omnia sint conformia constitutionibus summorum Pontificum, & praxi atque opinionibus in Curia Romana receptis, mirum videri non debet, per hanc Congregationem, Decreta Conciliorum Provincialium, tametsi spectatis Provinciarum institutis, moribus, necnon populi genio admodum convenientia, reformari, ut Constitutionibus summorum Pontificum (quantumvis in Provinciis non sint receptæ) nec non praxi, & prætentionibus Curiæ Romanæ in omnibus conformia reddantur.

VIII. Hinc ulteriùs contingit, ut nonnulla Conciliorum Provincialium Decreta per hanc Congregationem reformata, in Provinciis nec observari, nec executioni mandari permittantur; eo quòd sic reformata attentis Provinciarum institutis & moribus, nonnunquam plus obessent quam prodessent. Exemplum illius habetur in reformatione Decreti Concilii Provincialis Mechliniensis anni 1607. super observantia Clausuræ Monialium, de quo vide, quæ notata sunt ex Zypeo *ad tit.* 30. *cap.* 4. *num.* 16. Imò, ut suprà ad *tit.* 20. *in supplemento ad cap.* 3. *num.* 6. notatum est, credunt Belgæ Decreta Synodorum Provincialium independenter à confirmatione Sedis Apostolicæ plenam suam firmitatem, & auctoritatem habere.

CAPUT VI.

De Congregatione super negotiis Episcoporum, et Regularium.

1 *Hodiernæ quæstiones inter Regulares olim penè erant ignotæ.*
2 *Quæ hodie quæstiones pariunt, olim erant ignota.*
3 *Unde & quando quæstiones originem sumpserint.*
4 *His controversiis decidendis erecta est hæc Congregatio.*
5 *Hodie unica est Congregatio super negotiis Episcoporum, & Regularium.*
6 *Hæc Congregatio habet majorem numerum Cardinalium; & quare.*
7 *Ob multitudinem negotiorum dicitur* occupatissima.
* *Quare dicatur occupatissima.*
8 *Est merè Cardinalitia, & feria VI. habetur.*
9 *Quas causas Regularium audiat.*
10 *Quis Congregationis stylus, dum quæstio est cum Episcopis.*
11 *Quis item dum quæstio est inter ipsos Regulares.*
12 *Pleræque quæstiones inter Regulares, & Episcopos, aut Parochos moribus hodiernis deciduntur in* Partibus.

I. PLerasque quæstiones, quæ hodiè inter ipsos Regulares, vel etiam inter Regulares & Episcopos aliosve de Clero agitantur, pluribus seculis ignotas fuisse, nec nisi ex mutata monastica, ac Regulari disciplina variisque successu temporis impetratis privilegiis originem sumpsisse, manifestum est.

II. Nam uti rectè advertit Cardinalis de Luca *disc.* 1. *de Regularibus*: „ Certum est, atque apud omnes Scriptores con„ corde, quòd antiqui, sive Monachi, sive Anachoritæ, alii„ que Regulares, qui (à Monachis discreti *Mendicantes* di„ cuntur) non erant Clerici; quinimo Clericari prohibiti erant, „ ideoque more reliqui populi secularis sub Parocho vivebant, „ à quo Sacramenta, aliaque divina recipiebant; indeque pro„ diit, quòd decimas, reliqui populi more, solvebant; ac „ etiam ejusdem populi, & Clerici secularis more subjacebant „ loci Ordinario, seu Diœcesano, ob adhuc non introductum „ usum privilegiorum super illa exemptione quam hodie praxis „ docet.

„ Hinc proinde sequebatur, quòd nulla aderat controver„ siarum occasio inter Regulares & Ordinarios, vel Parochos, „ aliosque Clericos seculares, quoniam si more reliqui populi „ Ordinario, & Parocho respectivè in omnibus subjacebant, „ atque non se ingerebant in Divinorum & Sacramentorum ad„ ministratione, minusque in funeribus, & anniversariis, uti„ que nulla suberat controversiarum occasio.

„ Prout ferè nulla suberat occasio controversiarum, sive „ inter diversarum Religionum Professores, super præcedentiis, „ aliisque præeminentiis, ut hodierna praxis docet, aut inter „ ipsosmet Religiosos ejusdem Ordinis, vel Instituti; tum quia, „ cùm non intervenirent in processionibus, aliisque ecclesiasti„ cis functionibus, deerat præcedentiæ occasio, tum etiam quia „ attento eo primævo statu, ejusdem Ordinis, vel Instituti „ Professores, ac Monasteria, non constituebant illam univer„ sitatem, quam penè omnes Religiones hodie constituunt sub „ uno Prælato Generali aliisque Officialibus, ac Prælatis, qui sub „ Diffinitorum, vel Assistentium, seu Consultorum, ac Provin„ cialium, & Visitatorum, seu alio vocabulo nuncupantur, cum „ formalibus comitiis generalibus, ac Provincialibus, quæ statutis „ temporibus celebrari solent: unde propterea manant inter eos„ dem Religiosos pro hujusmodi Prælaturis, aliisque muneribus „ contentiones, ac factionariæ æmulationes & divisiones, cùm „ solùm aliqua rara dissensio pro electione Abbatis, ac Prælati „ localis inter singulorum Monasteriorum alumnos antiquitùs au„ diri solita esset, dum quodlibet Monasterium de per se, ac „ independenter regebatur."

III. Postquam verò per exemptiones Monasteria pene omnia, præsertim Mendicantium, à jurisdictione & subjectione Episcoporum subtrahi cœperunt; atque Ordinum regimen ad formam Reipublicæ, vel universitatis redactum est; nec non Regularibus concessa fuerunt indulta se clericandi, sacrosque Ordines suscipiendi, ac etiam Sacramenta, aliaque divina ministrandi; factum est, ut frequentissimæ essent Regularium quæstiones, & difficultates, vel inter ipsos Religiosos in eâdem Religione; vel inter diversarum Religionum Professores; vel cum locorum Ordinariis, aut cum Parochis, & cum Capitulis Canonicorum aliisque Clericis secularibus.

IV. Porrò cùm etiam ex Juris communis dispositione, Religiosorum causæ, non per juris apices, neque cum tela judiciaria, sed summariè, ac potiùs in forma extrajudiciali tractari debeant, Sixtus V. inter plures à se erectas Congregationes, hanc quoque erexit, super negotiis Regularium, eam conjungendo cum altera super negotiis Episcoporum, „ Ita ut (ait „ de Luca *dict. disc. num.* 15.) unam eamdemque constituant; „ & meritò, ob hujusmodi negotiorum frequentem connexio„ nem, ut ita more Principis, absque strepitu, & figura ju„ dicii, & absque processu vel tela judiciaria, *summariè*, so„ lâ facti veritate inspectâ, & quandoque, imò frequentiùs, „ etiam per solas extrajudiciales, ac secretas informationes, con„ troversias terminet, prudentiales regulas sæpius adhibendo po„ tiùs, quàm rigores legales."

V. Unica ergo est hodiè Congregatio super negotiis Episcoporum, & Regularium; cùm tamen in ipsa Sixti V. Constitutione duplex sit Congregatio: una nimirum quæ dicitur, *pro consultationibus Regularium*; altera verò, *pro consultatio-*

nibus Episcoporum , & aliorum Prælatorum.

VI. Cùm ergo duplex hæc Congregatio in unam redacta sit, rectè monet Cardinalis de Luca , *disc.* 16. *in Relatione Romanæ Curiæ* , quòd hæc Congregatio duo peragat negotiorum genera , scilicèt Episcoporum , & Regularium ; „ quæ propterea , ait idem , quoad negotia Curialia fori ecclesiastici, quæ „ non concernunt fidem , sed ad Christianæ Reipublicæ regimen spirituale pertineant , videtur omnium major , ideoque „ majorem habere solet numerum Cardinalium , ob majorem „ negotiorum multiplicitatem.“

VII. Quin & eodem Cardinale teste , „ Hæc Congregatio „ dicitur *occupatissima* ; atque in negotiorum multitudine omnium major ob faciles recursus , querelas , & contentiones „ Regularium.“

* Nequaquam obscurum est , hanc negotiorum , & difficultatum multitudinem , quæ ad hanc Congregationem deferuntur , pro majori parte oriri ex exemptionibus , aliisque privilegiis per Romanos Pontifices seculis posterioribus Regularibus notanter Ordinum Mendicantium indultis.

Ob has multiplices difficultates quotidie exorientes , integram horum privilegiorum revocationem urgere non destiterunt zelosiores Ecclesiarum Prælati , uti in hujus operis decursu non semel notatum est, ac unà , qua de causa Curia Romana his Prælatorum postulatis obstiterit , nec ad horum privilegiorum revocationem inclinari potuerit , ac notanter in hoc Supplemento ad Part. 2. *tit.* 6. & ad Part. 3. *tit.* 12.

VIII. Congregatio merè *Cardinalitia* vocatur ; quia nullos, præter Cardinales , alios inferiores Prælatos habet , nisi unum, qui Secretarii officium exercet , à quo litteræ , & decreta Congregationis scribuntur & signantur ; unà cum subscriptione unius è Cardinalibus , qui *Cardinalis Præfectus* appellatur.

Hæc Congregatio haberi consuevit feriâ VI. cujuslibet hebdomadæ in Palatio Apostolico.

IX. „ Causas Regularium non solùm publicas , sive super „ regimine Religionis in universum , sive inter unam Religionem , & alteram , sed etiam privatas inter Religiosos super „ electionibus , officiis & Prælaturis , aut super præcedentiis, „ aliisque præeminentiis , cæterisque occurrentiis generaliter, „ inquit de Luca , hæc S. Congregatio cognoscit , & determinat summariè , & de plano , sola facti veritate inspectâ, „ quandoque cum extrajudicialibus probationibus , vel cum sufficientibus probationibus , per Scripturas , nullo tamen adhibito formali processu , cum Notario , & cum tela judiciaria.“

X. Stylus autem hujus Congregationis est , ut si quis exhibito libello conqueratur , se à suo v. gr. Episcopo gravatum , scribatur epistola familiaris nomine Congregationis signata per Cardinalem Præfectum , & Secretarium cum incluso libello supplici ad Episcopum , vel alium Superiorem , ut super expositis in libello supplici Congregationem informet ; quâ informatione habitâ , si Congregatio videat , quòd circa facta conveniatur , totaque difficultas ad punctum juris reducatur , tunc negotium in Congregatione discutitur , & resolvitur ; ipsaque resolutio rursus per litteras ut ante signatas intimatur.

Si verò informatio accepta ipsi Congregationi non appareat sufficiens , aut super factis non conveniat , cùm libello supplice , tunc Congregatio interdum per alias litteras libellum supplicem pro ulteriori informatione mittit ad Metropolitanum , aut viciniorem Episcopum , vel etiam aliam personam in dignitate constitutam.

XI. Idem est Congregationis stylus , quando quæstio , seu controversia agitur inter ipsos Regulares ; hoc uno excepto, quòd hoc casu litteræ pro informatione inscribantur Procuratori Ordinis , qui in Curia semper assistit ; quandoque tamen & ipsi Generali Ordinis ; à quibus accepta informatio (si Congregationi insufficiens , aut minùs sincera appareat , nec in factis conveniatur) capiuntur aliæ informationes eâ viâ , quæ Congregationi videtur opportunior.

In hac Congregatione , quemadmodum nec in aliis Congregationibus Cardinalitiis , non admittuntur recusationes ex causa suspicionis , sive suspectationes , uti monet De Luca *disc.* 16. *num.* 6.

XII. Moribus hodiernis , præsertim Belgicis , controversiæ inter Regulares , & Episcopos aut Parochos ferè solent in possessorio tractari coram Tribunalibus Regiis , & in petitorio apud judices Ecclesiasticos ordinarios , aut Delegatos in Partibus.

CAPUT VII.

De Sacra Congregatione Rituum.

1 *In quem finem hæc Congregatio instituta.*
2 *Qui huic Congregationi interveniant.*
3 *Præcipuè circa ritus Ecclesiasticos occupatur.*
4 *Aliæ subinde quæstiones ad illam mittuntur.*
5 *Hæ quæstiones etiam ad alias Congregationes interdum mittuntur.*
6 *Stylus hujus Congregationis.*
7 *Congregatio super Canonizatione Sanctorum hodie ab hac nonnihil diversa ; & qui hanc constituant.*
8 *Describitur compendiosè modernus ritus Canonizationis.*
9 *Canonizatio Sanctorum hodie privativè ad Sedem Apostolicam spectat.*
10 *Olim sola Episcoporum auctoritate aliquis ut* Sanctus *publicè coli poterat.*
11 *Id sine multis ceremoniis peragebatur.*
12 *Sedes Apostolica canonizare renuebat sine assensu* plenariæ *Synodi.*
13 *Primus cum suo Consistorio canonizavit Eugenius III. quem sequentes Pontifices sunt imitati.*
14 *Seculo XII. Pontifices Canonizationem Sanctorum sibi privativè reservare cœperunt.*
15 *Etiam Beatificatio Sedi Apostolicæ reservata.*
16 *Belgium* publicum *Sanctorum cultum à* privato *aliquando distinxit.*
17 *Hic privatus cultus Decreto Urbani VIII. sublatus videtur.*
18 *De ritibus ecclesiasticis jam pridem Episcopi judicârunt.*
19 *Pius V. vetuit aliquid immutari circa Breviarium Romanum inconsulta Sede Apostolica.*
20 *Ecclesiæ , quæ receperunt Breviarium Romanum , nihil circa Breviarium mutare possunt sine approbatione Sedis Apostolicæ.*
21 *Auctoritas mutandi , aut corrigendi Breviaria mansit integra penes Ecclesias , quæ non receperunt Breviarium Romanum.*
* *Unde apocripha in Divinum Officium irrepant.*

I. HAnc Congregationem unà cum pluribus aliis primum instituit Sixtus V. in Constitutione 74. in Bullario Romano , eique quinque Cardinales præfecit ; „ quibus , ait, hæc „ præcipuè cura incumbere debeat , ut veteres ritus sacri ubivis „ locorum , in omnibus Urbis Orbisque Ecclesiis , etiam in Capella nostra Pontificia , in Missis , divinis Officiis , Sacramentorum administratione , cæterisque ad divinum cultum per„ tinentibus , à quibusvis personis diligenter observentur ; cæ„ remoniæ si exoleverint , restituantur , si depravatæ fuerint, „ reformentur ; libros de sacris ritibus , & cæremoniis , in primis Pontificale , Rituale , Cæremoniale , prout opus fuerit, „ reforment , & emendent ; Officia divina de Sanctis Patronis „ examinent , & nobis priùs consultis , concedant. Diligentem „ quoque curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebritatem , ut omnia ritè , & rectè , & „ ex Patrum traditione fiant.“

II. Ex his colligitur , quòd si primævam hujus Congregationis erectionem attendamus , soli quinque Cardinales eam constituant ; at hodie præter Cardinales , quorum numerus dependet à beneplacito Papæ interveniunt huic Congregationi plures Prælati , quorum unus est Secretarius (inquit Cardinalis de Luca *in Relatione Romanæ Curiæ discursu* 18.) ac etiam aliqui Religiosi Theologiæ Professores , & præ cæteris Magister Sacri Palatii , & Sacrista Papæ ; ac etiam unus aut plures Magistri cæremoniarum Papæ.

III. Ulteriùs ex citatis verbis Constitutionis colligitur , quòd primarius finis institutæ hujus Congregationis sit , ut omnia in divinis officiis , Sacramentorum administratione , atque Dei cultu ritè & religiosè , prout dignitas , ac majestas tanti operis exigit , peragantur ; nihilque in ritibus , aut cæremoniis irreligiosum , aut indecens occurrat : ac per consequens , Cardinales, aliosque ad hanc Congregationem spectantes , oportere multùm esse versatos circa verum , ac genuinum Ecclesiæ sensum in ritibus , ac cæremoniis præscribendis ; nec non in discernendis ritibus , quos Ecclesia jam pridem probavit , & ad populi devotionem excitandam , ipsiusque divini operis majestatem imprimendam induxit , ab illis , quos posterioribus seculis , vel irreverentia , vel superstitio , vel avaritia , vel Prælatorum , & Pastorum incuria aut ignorantia invexit.

IV. Præter quæstiones , quæ ritus , cæremoniasque concernunt , quæque primariò ad hanc Congregationem spectant, plures aliæ etiam quæstiones ad ipsam referri solent , ut v. g. præcedentiarum , aliarumque præeminentiarum in processionibus aliisque publicis functionibus ; aut etiam super jure funerandi , vel celebrandi Officium funebre aliisque quæ divinum Officium turbare possent : quæque eo pertinent , ut ritè & recto ordine omnia in Ecclesia peragantur.

V. Hæ tamen quæstiones , præsertim si inter Regulares incidant , non rarò ad Congregationem super negotiis Episcoporum , & Regularium imittuntur , atque ab ea deciduntur ; adeo ut privativa singularis cognitio hujus Congregationis Rituum, (quemadmodum monet de Luca in *Relat. Curiæ R. disc.* 18. *n.* 24.) versetur in præscribendis ritibus in divinis Officiis , ac etiam super canonizatione Sanctorum.

VI. Stylus hujus Congregationis circa examen controversiarum , earumque decisionem , nec non scriptionem litterarum, pla-

planè conformis est stylo, quem observat Congregatio super negotiis Episcoporum & Regularium, qui capite præcedenti scriptus est.

VII. Juxta Constitutionem Sixti V. eadem Congregatio, quæ de ritibus & cæremoniis ecclesiasticis cognoscit & statuit, curam quoque habere debet circa canonizationem Sanctorum. Inspecta nihilominus hodiernâ praxi Curiæ Romanæ, Congregatio super canonizatione Sanctorum, vel eorum beatificatione, nonnihil ab hac diversa est; eamque Cardinalis de Luca *extraordinariam* vocat; eò quòd in ea ultra Cardinales, & Prælatos ad Congregationes *Rituum* spectantes, quasi extra ordinem adjungantur alii Prælati; nimirùm Promotor fidei, tres seniores Auditores Rotæ, qui tanquam periti Canonistæ munus Assessorum gerere videntur. Unus quoque ex Protonotariis participantibus. Adhibentur quoque alii Theologi, qui *Consultores*, vel respectivè *Qualificatores* dicuntur. Quin & pro consilio adhiberi solent Medici & Philosophi, aliique Professores, qui judicent, an operationes quæ miraculis adscribuntur, revera dici debeant supernaturales, an verò proveniri nequeant à causa aliqua naturali.

VIII. Postquam verò probationes maturè in pluribus Congregationibus discussæ fuerunt, atque negotium canonizationis jam præparatum est, tunc habetur Congregatio magis solemnis coram ipso Pontifice, qui audito voto Congregationis interponit quidem decretum super beatificatione, aut concessione cultûs particularis in aliqua Ecclesia aut Ordine; sed canonizationem seu absolutam adscriptionem in catalogum Sanctorum non decernit.

Sed hoc examine peracto in hac solemni Congregatione coram Papa, aliud instituitur in pleno Consistorio secreto; ac denique habetur Consistorium solemnius, & publicum, ad quod conveniunt omnes Archiepiscopi, & Episcopi, qui in Curia præsentes sunt, quorum omnium etiam votum exquiritur, per quandam Concilii (cui pridem Sanctorum canonizatio deferebatur) imaginem.

In hoc Consistorio præmissis precibus aliisque cæremoniis, quæ in cæremoniali Romano *lib.* 1. *sect.* 9. latè describuntur, instante Procuratore causæ, Pontifex alta voce sedens cum mitra pronuntiat in hunc modum: „Ad honorem Sanctæ Indivi„ duæ Trinitatis & exaltationem fidei Catholicæ, & Christia„ næ religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei Omnipo„ tentis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, & Beatorum Apos„ tolorum Petri, & Pauli & nostra, de Fratrum nostrorum „ consilio decernimus, & definimus, bonæ memoriæ N. Sanc„ tum esse & Sanctorum catalogo abscribendum, ipsumque ca„ talogo hujusmodi adscribimus.“

IX. Si modernam Ecclesiæ disciplinam spectemus, hoc canonizationis negotium privativè ad hanc Congregationem spectat. Nullus enim hodie tanquam Sanctus de novo coli & honorari publicè potest, nisi per Pontificem ritu jam descripto in catalogum Sanctorum relatus, seu ut vulgò dicitur, canonizatus fuerit.

X. Multis quidem seculis auctoritate Episcopali hæc canonizatio sive relatio in Sanctorum catalogum facta fuit; idque sine ullo exteriori penè ritu seu cæremonia.

XI. Cùm enim Episcopis de sanctitate vitæ alicujus defuncti sufficienter constaret, facultas dabatur populo eum publicè tanquam Sanctum colendi; ejusque reliquiæ publicè populi venerationi exponebantur; atque hoc simplici ritu Sanctorum catalogo adscriptus censebatur.

Unde Baldericus Tornacensis Episcopus libro 1. Chronici sui Cameracensis & Atrebatensis Ecclesiæ capitulo 35. describens canonizationem Hadulfi Episcopi Atrebatensis per Engranum Episcopum Cameracensem, simpliciter dicit: *Sanctum corpus levavit*, id est, publicè exposuit. *In qua elevatione, ad declaranda Sancti Viri merita, mulier quædam ad immundo spiritu mirificè liberata est. Unde Episcopus lætus, verbo facto ad populum, Beati Hadulfi solemnia in numero Sanctorum notificavit.*

Et de Oberto Lodiensi Episcopo scribit ad annum X. seculi XII. Sigebertus Gemblacensis: „Sanctus Guibertus Fun„ dator Gemblacensis monasterii, quem Deus multis miraculis „ per annos 12. clarificaverat, assensu generalis Synodi ab „ Oberto Legiensi Episcopo *elevatur*, cum mirabili concursu, „ & gaudio populorum.“

XII. Circa seculum XI. hæc canonizatio à Sede Apostolica postulari à nonnullis cœpta fuit; sed eam non nisi comprobante generali Synodo annui consuevisse, respondebant Pontifices. Benedicto Rempeflegiensi Abbati, Guolgosium Antecessorem suum canonizari postulanti, facilè concedi non posse, respondit Urbanus II. hanc addens rationem: Non „ enim Sanc„ torum quisque debet Canonibus admisceri, nisi & testes ad„ sint, qui ejus miracula visa suis oculis attestentur, & plena„ riæ Synodi firmentur assensu.“

Similiter Ulricus Constantiensis in Germania Episcopus, Sanctum Conradum Antecessorem suum canonizari supplicans, ad crebras suas litteras hoc immutabilis sententiæ responsum accepit à Romana Ecclesia, vitam ejus in Concilio recitandam, & comprobandam fore generali. Hæc ex Chronico Ecclesiæ Constantiensis recitat Christianus Lupus, *tom. 3. Scholiorum, pag.* 569.

XIII. Notat autem ibidem, quòd primus fuerit Eugenius III. qui sine Concilio solus in suo Consistorio canonizavit Sanctum Henricum de potestatis plenitudine, usus hoc fundamento, quòd *Romanæ Ecclesiæ auctoritas sit omnium Conciliorum firmamentum*; tametsi una fateretur, *quòd hujusmodi petitio* Canonizationis, *nisi in generalibus Conciliis admitti non soleat.* Extat diploma Canonizationis tom. 1. Bullæ Romanæ pag. 61. „Quem (Eugenium) ait Lupus, in Sancto Eduardo, „ & Sancto Thoma Cantuariensi Alexander III. & in aliis Sanc„ tis canonizandis alii Pontifices sunt deinceps imitari.“

XIV. Quin & circa idem tempus, Pontifices sibi auctoritatem canonizandi privativè cœperunt reservare; eaque reservatio generaliter & ab omnibus tandem Ecclesiis recepta fuit potissimum auctoritate cujusdam Decretalis Alexander III. relatæ in Decretales Gregorii IX. in *Cap.* 1. ✠ *de Reliquiis & veneratione Sanctorum*, asserentis, & edicentis: *etiam si per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari.*

Et de eodem Pontifice Alexandro scribitur: „Hic Papa „ constituit, ut nullus novus Sanctus in veneratione haberetur, „ nisi ex auctoritate Apostolica, & nisi sit canonizatus à Pa„ pa. Tamen antè quilibet Episcopus suum Sanctum solemniter „ canonizavit,“ Hæc Lupus ex incogniti Scriptoris historica compilatione.

XV. Neque tantùm canonizatio, sive relatio alicujus in catalogum Sanctorum, qua tanquam Sanctus toti Ecclesiæ proponitur, permittiturque, ut publico cultu ubique & per universalem Ecclesiam, ceu Sanctus colatur, hodie Sedi Apostolicæ reservata est; sed etiam *Beatificatio*, qua permittitur non quidem ubique & ab omnibus tanquam Sanctus coli: at particulari duntaxat Ordini, Provinciæ, aut Ecclesiæ.

XVI. Publicum Sanctorum cultum à privato olim Belgium nostrum palam distinxisse, advertimus ex Molano in Natalibus Sanctorum Belgii ad 5. Januarii in Sancto Gerlaco, quòd inter decantandas Litanias tùm Sancti Canonizati sonora voce invocarentur; non Canonizati sine cantu rogarentur, quasi privatâ cujusque prece. Molanus enim de Beato Gerlaco Eremita in Territorio Falckenburgensi agens, ait: „Commemo„ ratio ejus fit in vigilia Epiphaniæ Domini; sed quia non est „ canonizatus, Missæ sacrificium peragitur de æterna sapientia, „ & dum Litaniæ canuntur, submissa voce interseritur, *Sanc„ te Gerlace ora pro nobis.*“

XVII. Verùm Urbanus VIII. plura circa canonizationem Sanctorum servanda præscribens, Constitutione editâ 3. Octobr. 1625. inter cætera vetuit, ne cujusquam cum sanctitatis aut martyrii fama quacunque defuncti imagines, aut quidquid venerationem aut cultum præ se ferat, in Ecclesiis, Oratoriis, locis publicis seu privatis, ante Apostolicam Beatificationem, seu Canonizationem ponantur. Vide latiùs Zypæum *Consult. 2. de Reliq. & Venerat. Sanct.*

Hoc Urbani Decreto sublatum quoque esse prædictum privatum cultum olim Sanctis non canonizatis impendi solitum, obscurum non est; quandoquidem dubitari nequeat, per illum aliquam venerationem impendi illi, quem populus, licèt voce submissiore, tanquam *Sanctum* invocat: unde nec ulli novo Sancto non canonizato, aut ut minùs Beatificato, hodie impendi similem cultum videmus, vel audimus.

Privativè ergo ad Sedem Apostolicam hodie spectat Sanctorum Canonizatio, & Beatificatio; eamque per hanc Congregationem, juxta ritum jam descriptum, expedire solet: neque aliæ Congregationes huic materiæ se immiscent.

XVIII. Quoad ritus verò divinorum Officiorum, de his Episcopos in sua respectivè Diœcesi potuisse liberè statuere, & judicare, etiam usque proximè elapsum seculum inclusivè, constat ex Synodis, quas supra *tit.* 16. *c.* 9. allegavimus.

XIX. At Pius V. Breviarium Romanum correctum evulgans statuit, „Breviarium ipsum nullo unquam tempore vel „ totum, vel parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel „ omninò detrahendum.“

Hanc proinde constitutione factum, ut si quid Breviario Romano judicaretur addendum, vel demendum, aut ex parte mutandum, id à Sede Apostolica esset postulandum: quæ pro hujusmodi quæstionibus aut causis decidendis, Congregationem Rituum instituit.

XX. Quapropter Ecclesiæ, quæ Breviarium Romanum receperunt (uti penè omnes Ecclesiæ seculares Belgicæ) nulla nova Officia Breviario addere, vel vetera detrahere, aut lectiones, aliave in Breviario præscripta mutare, propria auctoritate possunt; sed ea à Congregatione Rituum & Sede Apostolica postulare, & exspectare tenentur & solent.

XXI. Ecclesiæ verò seculares, vel Ordines Regulares, in qui-

quibus usus Breviarii Romani non est receptus, etiam auctoritatem pristinam sua Breviaria revidendi, corrigendi, & mutandi retinent, eaque pacificè utuntur; & plura, tum Episcoporum, tum Prælatorum Regularium auctoritate Breviaria correcta, & in aliam planè formam redacta, hoc seculo edita, & evulgata vidimus.

Neque Ecclesiæ illæ, aut Ordines, nova Sanctorum Officia, quæ hodie sub ritu duplici aut semiduplici à Congregatione Rituum frequentiùs prodeunt, passim recipiunt; sed præscripta Breviariorum suorum sequuntur.

* Finis primarius Congregationis Rituum est, ut illa invigilet, ne quid in Divina Officia irreligiosum, aut horum Officiorum Majestati contrarium irrepat; cùm verò illa constet viris eruditis, mirum sanè est, quòd nec postquam Eruditorum operâ, & communi omnium consensu plurima in hodierno Breviario Romano apocrypha, & fabulosa fuêre reperta, & recognita (uti & nonnullis adductis exemplis notavi in Dissertationibus de *Horis Canonicis cap.* 4. §. 2.) quæ & propterea è Breviariis particularium Ecclesiarum, maximè in Gallia, institutâ revisione, fuerunt expuncta, nulla Breviarii revisio, aut reformatio instituatur ab hac Congregatione.

Illud ampliùs mirandum etiam hodie ab hac Congregatione Officia Sanctorum probari Breviario Romano jungenda, incertis historiis & divinâ Majestate indignis referta.

Admodum verisimile est, id contingere è nimia facili Divinorum Officiorum approbatione: ad unius enim *Cardinalis relationem permittuntur seu approbantur*, ait Pater Daniel Papebrochius *in Conatu Chronico Historico ad vitam Sancti Cleti Papæ*, ididem arguens illos, qui ex his, quæ similibus Officiis inserta reperiunt suis opinionibus faventia, magni ponderis argumentum reperisse arbitrantur.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT VII.

RITUS SANCTOS CANONIZANDI ITERUM EXPONITUR.

1 *Veritas miraculorum faciliùs & solidiùs in locis, in quibus patrata dicuntur, haberi potest.*
2 *Ad aliquem canonizandum præter miracula, requiritur eminens sanctitas quam Ecclesia Rom. approbet.*
3 *Veritas Canonizationis fandatur in factis non revelatis.*
4 *Hodie solâ auctoritate Sum. Pontificis Canonizatio perficitur.*
5 *Canonizandi auctoritas Sedi Apostolicæ sensim reservata.*
6 *Circa finem seculi X. creditur cœpisse morem extra Italiam recurrendi ad Summum Pontificem per Canonizatione Sanctorum.*
7 *Putat Mabilonius antiquum morem fuisse adhuc XI. & XII. seculo servatum à plurimis Metropolitanis.*
8 *Hæc libertas sanctos Canonizandi mansit usque ad Gregorii XI. id est, seculo XIII.*
9 *Observat tamen Bailletius seculo XIII. & XIV. quosdam Episcopos antiqua libertate usos fuisse.*
10 *Pompa Canonizationis.*
11 *Interdum vir defunctus, per simplicem sui nominis insertionem in Breviario Rom. censetur Canonizatus. Illud quoque fit per Breve Pontificis vel per Decretum Cardinalium.*

* I. NUmero septimo Capitis præcedentis observatum est ex Constitutione Sixti V. etiam negotium canonizationis Sanctorum ad hanc Congregationem pertinere; at unà notatum est ex Cardinale de Luca, quòd juxta modernum stylum Curiæ Romanæ pro negotio canonizationis Sanctorum præter Congregationem *Rituum*, habeatur alia Congregatio *extraordinaria*; qui ultra Cardinales, & Prælatos ad Congregationem hanc spectantes, plures intersunt personæ, ut acta gestaque, ac signanter miracula in probationem sanctitatis canonizandi adducta examinent & discutiant.

Si igitur in hac Congregatione acta & gesta canonizandi, nec non miracula, quæ per Canonizandum sive in vita, sive post mortem patrata & facta esse pretenduntur, examinari & discuti debeant; quis ambigat, quin horum veritas faciliùs & certiùs haberi potuerit, dum juxta veterem disciplinam & stylum adscriptio in catalogum Sanctorum fiebat auctoritate Episcoporum, qui per se in locis, in quibus canonizandus, sive in catalogum Sanctorum referendus, vitam peregerat ipsaque miracula perpetrata dicebantur, super his inquirere, omniaque accuratè examinare, & discutere poterant; atque ita per hanc informationem assequi possent de omnibus accuratiorem & solidiorem notitiam, quam ex relatione aliorum Romanus Pontifex accipere queat: ut proinde nec mirum sit, hunc stylum per novem aut decem secula constanter servatum esse.

II. Quantumvis certum sit, etiam ex moderno stylo præcipuum argumentum pro sanctitate canonicandi peti ex miraculis, quæ per canonizandum seu in vita, sed ad ejus invocationem post mortem perpetrata probantur, rectè tamen monet Christianus Lupus tomo 3. Schol. in Can. pag. 571. *quòd non quævis, licèt miraculis illustrata, justitia ad canonizationem sufficit: esse debet eminens, & ab omni etiam* FAMÆ NÆVO *immaculata.* In probationem hujus sui asserti adducit Constantinum magnum, quem (ait) *ob summa in Rempublicam, ac Ecclesiam merita Romanus Senatus receptum in cœlos variis post mortem picturis est protestatus, quem item in solemnes Sanctorum tabulas accepit omnis Orientalis Ecclesia: hunc inquam Constantinum in laudatas tabulas nunquam admissit* LATINA ECCLESIA, *quod his sub vitæ finem vafris Eusebianæ criminationis artibus circumductus, licèt nullo pacto orthodoxam finem, ejus tamen defensorem sanctum Athanasium malè tractâsset.*

Post hæc pergit Lupus: „ Aurelii Cartaginensis Archie„ piscopi in Africanam Ecclesiam singularissima merita vitam„ que verè Episcopalem quis ignoret? Ipsum tamen, quod „ adversum Romanas appellationes, & Sardicenses Canones „ pertinaciter, quasi pro suæ Diœceseos juribus, litigâsset, „ Sanctorum numero Apostolica Sedes nunquam adscripsit.“

Deinde exemplum adducit Roberti Episcopi Lincolniensis, de quo hæc scribit: „ Adversum Romanæ Ecclesiæ exac„ tiones, & Apostolicas ecclesiasticorum Beneficiorum reser„ vationes durè olim recalcitravit: etenim excommunicatus In„ nocentium IV. Pontificem appellavit, ac evocavit ad di„ vinum Tribunal; evocatioque à quibusdam dicitur accepis„ se effectum. Quidquid sit, scribit Henricus Cnyghtonus lib. 2. „ cap. 16. *Hac de causa quamvis Robertus perspicuis ef„ fulgeret miraculis, non est permissus canonizari.* Quod ip„ sum latè exponit Matthæus Parisiensis, addens, etiam Sev„ valum Eboracensem Archiepiscopum fuisse eadem de cau„ sa excommunicatum ab Alexandro IV. appellâsse item ad „ divinum judicium, & tanquam Martyrem in ipso mortis „ lecto miraculis coruscasse. Hæc Lupus.“

Ad exempla per Lupum adducta reflectens vir eruditus A. Bailletius in præfatione ad vitas Sanctorum, *num.* 90. monet nonnumquam contingere, ut in catalogum Sanctorum Roma non referat, quantumvis & meritis & miraculis fulgentes, qui Curiæ Romanæ molestiam causârunt, aut scandalum dederunt Ecclesiæ facto vel scripto: *Ceux qui ont donné quelque chagrin à la Cour de Rome, ou quelque scandale à l' Eglise, soit par leur conduite, soit par leurs écrits.*

III. Quandoquidem veritas & notitia sanctitatis ex actis, & miraculis canonizandi hauriri debeat, uti ex discursu Cardinalis de Luca, de quo *num.* 7. intelligitur, mirum videri non debet, quòd jam pridem Romani Pontifices, priusquam judicium canonizationis proferrent, hanc permitterent protestationem: *Antequam ad pronuntiationem veniamus, protestamur publicè apud vos omnes hîc præsentes, quòd per hunc actum canonizationis non intendimus aliquid facere*, quod sit contra fidem, aut Ecclesiam Catholicam, seu honorem Dei.

Hanc protestationis formulam descripsit Christianus Lupus ex opere Ecclesiasticorum rituum Christophori Marcelli *sectione* 6. *cap.* 6. ad quam reflectens tom 3. Schol. in Canones pag. 574. ait: *quæ protestatio palam supponit errandi possibilitatem.*

Eandem errandi possibilitatem supponunt, quæ in Ordine Romano XIV. apud Joannem Mabillonium tom. 2. Musæi Italici (cujus auctorem esse credit, & probat Jacobum Cajetanum Cardinalem, qui floruit seculo XIV.) in hoc Ordinario, Rubrica 115. describitur modus, qui servari consuevit circa canonizationem alicujus Sancti, atque inter cætera dicitur: *finito verò sermone* Dominus Papa prædicet *se oraturum, & hortatur alios, ut orent, ut supra, scilicet quòd Deus non permittat eum errare in hoc negotio.*

Et sanè, cùm hic actus super pluribus particularibus factis, & testium depositionibus fundetur, in quibus etiam Ecclesiam Universalem errare posse, communi consensu docent Doctores, non mirum, si & ipsi Romani Pontifices, se in hoc actu canonizationis errori obnoxios esse professi fuerint.

Quapropter & communiter Canonistæ secuti Glossam in *cap. unic. de reliquis & venerat. sanct. in VI.* verbo *Sedi Apostolicæ*, docuerunt, accidere posse, ut Ecclesia in canonizatione Sanctorum erraret. Rectè tamen monet ibidem Glossographus, „ quòd preces in honorem talis acceptæ, & gra„ tæ sint, *per fidem enim Christi* (ait) *omnia purgantur*, & „ *sic quod veritas canonizationis deficiat, non deficiat fides.*“

Similiter Pater Veronius in doctissima sua fidei regula ab illustrissimis Fratribus Wallemburgicis laudata & approbata *cap.* 2. §. 7. advertens, „ Sanctos maximè canonizari ex mi„ raculis factis post tempora Apostolorum, quorum miracu„ lorum plenæ sunt vitæ Sanctorum, tum in vita, tum post „ mortem ab eis editorum, & nullum talium miraculorum „ esse revelatum in verbo Dei, proinde nullum esse de fide „di-

„ divina, quomodo ergo (concludit Veronius) canonizatio „ ex illis facta, seu judicium Ecclesiæ, quod sint Sancti, esset „ fide divinâ credendum?

„ Ex quo (pergit) rursus dicimus, ne quidem infallibi„ lem esse in his canonizationibus Papam aut Concilia etiam „ Generalia. Quam suam assertionem, & conclusionem ibi„ dem pluribus probat Veronius."

IV. Num. IX. cap. præcedent. observatum est, quòd juxta modernam Ecclesiæ disciplinam penes solum Pontificem sit auctoritas per solemnem canonizationem aliquem referendi in catalogum Sanctorum. Licèt enim, antequam ad ultimum actum hujus canonizationis procedat, & super eo pronuntiet, habeatur consistorium solemne, & publicum, ad quod conveniunt omnes Archiepiscopi, & Episcopi, qui in Curia præsentes sunt, quorum omnium etiam votum exquiritur, uti de Cardinale de Luca *n.* 8. notatum est; quia tamen Episcopi ad hoc Consistorium convenientes, nec examini, nec discussioni factorum & allegatorum intervenerunt, nec in hoc solemni Consistorio acta illa Episcopis, cæterisque ibidem præsentibus Prælatis exhibeantur examinanda, & discutienda, nequaquam judices esse possunt, sed si quod eorum votum exquiritur, ad meram actûs solemnitatem contingit: ut proinde meritò notaverit Cardinalis de Luca, in hoc Consistorio Episcoporum votum exquiri per quandam *Concilii imaginem.*

Primitùs autem, dum per Pontifices, aut Metropolitanos relatio in Sanctorum catalogum auctoritate Synodorum decernebatur, omnis discussio & examen meritorum & miraculorum coram Synodo peragebatur; ipsumque Decretum canonizationis omnium, qui Synodo assistebant, auctoritate & nomine edebatur, omnesque *judicis* partes in hoc actu obtinebant. Et quidem in ipso Conventu Lateranensi, in quo ab Episcopo Augustano confirmatio sive approbatio canonizationis Udalrici Episcopi Augustani postulata fuit, gesta ipsius Udalrici, atque miracula, quæ per ipsum patrata ferebantur, in ipso Conventu prælecta, & exposita fuêre, cunctorumque præsentium judicium expetitum fuit, videmusque non tantum Pontificem, sed & Episcopos aliosque Synodo præsentes eâdem formula cum ipso Pontifice Decreto canonizationis Decreto subscripsisse.

Licèt igitur coram Pontifice perageretur actus canonizationis, non tamen à solius Pontificis judicio fides canonizationis dependebat, sed omnium Episcoporum ipsi in hoc actu assistentium.

At verò hodie existimatur, quòd fides canonizationis à solius Pontificis judicio dependeat, quodque consistoria, aliaque in hoc actu canonizationis juxta præscriptum Romanæ Curiæ stylum intervenire solita, non ad substantiam, sed solummodo ad solemnitatem actûs pertineant.

Unde infrà ad num. XI. notavimus ex Bailletio, quòd omissis omnibus actûs hujus solemnitatibus per simplex Breve Pontificis, & Decretum Congregationis relatio in Sanctorum catalogum fiat.

Quin & jam pridem Gregorium VII. non existimâsse solemnem hunc canonizationis ritum, aut actus illos quasi judiciales, & prævias informationes requiri, ut quis per Romanum Pontificem ut *Sanctus* publico cultu honorari permittatur, probant, quæ de hoc Pontifice referuntur, atque inter alios de ipso scribit Christianus Lupus tom. 3. Schol. in Canones pag. 573. *omnium usque ad Siricium antiquorum Pontificum festa Romano Breviario inseruit, adeoque ipsos canonizavit.*

V. Superiori cap. *num.* 10. probatum fuit, auctoritate Episcoporum pluribus seculis relationem in catalogum Sanctorum peractam fuisse; fateturque Bellarminus, ante secul. VIII. pro canonizatione Sanctorum ad Romanum Pontificem non fuisse recursum. Imò credit vir eruditus Joannes Mabillonius in præfatione ad seculum V. Benedictinorum *num.* 101. demum seculo X. id fieri cœpisse; nec ullum extare authenticum, & indubitatæ fidei monumentum de solemni per Romanum Pontificem facta canonizatione, antiquius diplomate Joannes XV. (qui sedit seculo X.) Hic in frequenti Episcoporum Conventu, ad preces Luvitolfi Episcopi Augustani Udalricum ejusdem Ecclesiæ Episcopum in Sanctorum album retulit anno 995. extant integræ hæ litteræ Joannis XV. super hac canonizatione apud præfatum Mabillonium ad calcem vitæ hujus Udalrici in prædictis actis *pag.* 471.

Mabillonio consentit Daniel Papebrochius in *Dissertatione* 20. ad calcem vitæ Joannis XV. in *suo conatu chronico historico*, similiter credens nullum antiquius extare exemplum canonizationis ab extero à Pontifice postulatæ: unà tamen monens, quòd Episcopi suburbicarii ad specialem ordinationem Romani Episcopi spectantes, auctoritate referendi aliquem in numerum Sanctorum per elevationem corporis defuncti non uterentur sine licentia Episcopi Romani: putatque per Episcopum Romanum tunc temporis hanc in Sanctorum catalogum relationem, in Synodis Romanis, quæ quotannis Romæ habebantur, factam fuisse.

Credit propterea Papebrochius, admodum verisimile esse Episcopos suburbicarios, qui ordinationi Episcopi Romani suberant pro corporis alicujus tanquam sancti elevatione sive, ut hodie loquimur canonizatione, recurrisse ad Romanum Pontificem, quemadmodum aliarum Provinciarum Episcopi pro eadem solemnitate peragendâ ad suos Metropolitanos, aut Primates recurrere consueverant; ut, quemadmodum in Synodis Provincialibus, aut Metropolitanis visitantibus Provincias, vel etiam ad comittatum Regium accedentibus, & ibidem pluribus Episcopis Comprovincialibus convenientibus hæc solemnitas in Provinciis peragebatur, ita quoque in Synodis Romanis, Præsidente Pontifice, & Episcopis suburbicariis convenientibus absolveretur: atque hunc morem durâsse, quoad usque magis, magisque invaluit usus, etiam apud exteras Nationes recurrendi in his, aliisque majoribus causis ad Sedem Romanam.

VI. Arbitratur autem ibidem Papebrochius cum Mabilonio, quòd id demum circa finem seculi X. cœperit; ac per consequens, quòd ad illud usque tempus idem fuerit Ecclesiæ Romanæ mos canonizationis, qui in aliis Provinciis ab Episcopis servabatur: quòd consequenter nec creditum fuerit prioribus illis seculis ampliorem esse effectum canonizationis factæ in Synodis Romanis per Episcopum Romanum cum Episcopis suburbicariis, quam esset similis cononizationis per alios Primates, sive Metropolitanos in suis respectivè Synodis Provincialibus peractæ; sed eam persuasionem demùm sub finem seculi X. invalescere cœpisse, ac propterea tunc à quibusdam pro obtinenda, aut confirmanda canonizatione ad Romanum Pontificem cœpisse recurri.

Quin ex dictis etiam verisimile est, dum Pontifices ac signanter Urbanus II. responderunt, similes relationes in Sanctorum catalogum fieri non posse nisi in Concilio Generali (uti notavimus *num.* 12. *cap. præced.*) per Concilium Generale non intellexerint Concilium Universale sive Œcumenicum, sed duntaxat Synodum ex pluribus Episcopis, & Prælatis constantem; uti reflexit vir eruditus Bailletius *in præfatione ad tom.* 1. *de Vitis Sanctorum*, *num.* 97.

VII. Monet autem suprà citatus Mabillonius, quòd licèt circa hæc tempora, scilicet seculum X. & XI. nonnulli Episcopi pro obtinenda canonizatione recurrerent ad Sedem Apostolicam, nihilominus Episcopi præsertim Metropolitani, in pluribus locis antequam hac in re facultatem retinerent, eâque uterentur, uti manifestum est ex canonizatione S. Guiberti per Obertum Leodiensem Episcopum factâ seculo XII. de qua dixi *num.* 11. *cap. præced.*

VIII. Verisimile est, hanc Episcopis libertatem remansisse, donec auctoritate Gregorii IX. fragmentum Epistolæ sub nomine Alexandi III. in Collectionem Decretalium relatum fuit in *cap.* 1. ✠ *de Reliquis* & *veneratione Sanctorum*, & pro jure communi à Canonistis, & Theologis sensim haberi cœpit.

Verumtamen liber hic Decretalium non statim ubique receptus fuit; neque Decretales in eo contentæ tantæ apud omnes auctoritatis fuerunt, ut Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati crederent, se jure, & auctoritate, quibus hactenus gavisi fuerant, vigore harum Decretalium esse spoliatos.

IX. Unde notat Bailletius, quòd etiam post tempora Innocentii III. quidam Episcopi adhuc usi fuerint auctoritate declarandi Sanctum pro districtu suæ Diœcesis. Nam legitur de Episcopo Mindensi (Minden) in Westphalia, qui ann. 1373. (id est, centum & amplius annis post evulgatas Decretales Gregorii IX.) instituit festum Episcopi Feliciani per totam suam Diœcesim, mox ut ejus sanctitas per miracula cœpit se manifestare.

Evidens est, quòd hæc Feliciani Episcopi in catalogum Sanctorum relatio esset duntaxat particularis, ultra eam Episcopi Diœcesim se non extendens.

Notat autem Mabillonius, quòd particularis canonizatio usque ad seculum X. in usu fuerit, quæ tamen, accedente totius Ecclesiæ consensu & approbatione, Generalis evadebat.

X. Quemadmodum posterioribus seculis relatio in Sanctorum numerum, quæ hodie Canonizatio dicitur, Sedi Apostolicæ fuit reservata, ita quoque peragi cœpit non tantum cum majoribus cæremoniis, sed & actibus quasi judicialibus.

Quin & ipsi actus canonizationis tanto cum fastu, & exteriori apparatu absolvi consuevit, ut sine ingentibus sumptibus fieri nequeat.

De hoc fastu, & apparatu, sumptibusque ad eum necessariis, aliquando graviter conquestum fuisse Adrianum VI. in ejus vita testatur Blasius Ortizius, & in canonizatione sanctorum Antonini & Benonos illos fieri vetuisse. Verba hujus auctoris sunt: „ Quamvis summa pecuniarum non exigua in ejusmodi actu, „ tum in Pontificia familia toganda, tum in aliis impendiis soleat „ insumi, circumspectissimus tamen Papa tales sumptus, quasi „ alienos à sanctimonia & puritate canonizationis, fieri vetuit."

Et licèt hujus Pontificis pio desiderio non fuerit per omnia satisfactum, soleantque etiamnum hodie ingentes sumptus fieri in hoc actu canonizationis, nihilominus subinde Pontifices pepercisse leguntur.

XI. Et quidem monet vir eruditus Bailletius *in præfatione ad vitas Sanctorum num.* 99. quòd interdum per simplicem inser-

tio-

tionem nominis alicujus defuncti in Breviario Romano censeatur canonizatus, vel etiam per speciale Breve Pontificis, & Decretum Congregationis Cardinalium, uti patuit (ait) nostrâ ætate in Joanne de Mattha, & Felice Valesio, quorum Ordines parcere voluerunt sumptibus canonizationis, quia fieri debuisset ex ærario captivorum.

TITULUS XXIII.

De Officialibus Curiæ Romanæ.

CAPUT I.

De Vice-Cancellario, et Cancellaria Romana.

1 Cancellarii *olim unde dicti, & eorum dignitas.*
2 Cancellaria *quid significet.*
3 *In Ecclesiis Cathedralibus jam pridem erat* Cancellarius.
4 *A quo tempore creverit auctoritas Cancellarii Romani.*
5 *Quare vocetur* Vice-Cancellarius.
6 *Vice-Cancellarius habet fixum titulum Cardinalitium.*
7 *Graviora negotia in Cancellaria expediuntur.*
8 *Primus Officialis Cancellariæ post Vice-Cancellarium, est* Regens *Cancellariæ; & quod hujus officium.*
9 *Qui sint Præsidentes de* majore *vel* minore *Parco.*
10 *Præsidentes de* majore Parco *etiam dicuntur Abbreviatores, à conficiendis* abbreviaturis.
11 *Quâ formâ* abbreviaturæ *expediantur.*
12 *Præsidentes de* majore Parco *dubia plura per modum Collegii decidunt.*
13 *Præsidentes de* minore Parco *quid agant.*
14 *Quomodo ex abbreviatura fiat* Bulla.
15 *Plures enumerantur inferiores Cancellariæ Officiales, qui omnes sua habent emolumenta, quæ dicuntur* taxæ Cancellariæ Apostolicæ.
16 *In harum exactione excessus repressus per Gregorium XV.*
17 *Habet Cancellaria suas regulas; quæ* Regulæ Cancellariæ *dicuntur.*
18 *Hæ regulæ pro directione Cancellariæ primitùs fuêre editæ.*
29 *Hæ regulæ perpetuæ non sunt; sed à singulis Pontificibus ne novo publicantur.*
20 *Hodie etiam quædam ex his regulis extra Cancellariam se extendunt, & earum usus quoque in Belgio obtinet.*

I. CAncellarii olim dicti potissimum fuêre, qui ad *cancellos forenses*, seu judicium stabant. Papias: *Cancellarius, qui in cancellis primus est.* Hi supplicantes introducebant ad judicem, uti legitur apud Cassiodorum *lib.* 12. *epist.* 1. ex quo satis colligitur, *Cancellarios* dictos, quòd ad cancellos judicum starent, eorumque jussa, ac mandata exequerentur; patetque non exiguam fuisse eorum auctoritatem & dignitatem; uti ostendit Gothofredus ad *lib.* 3. *Cod. Theod. de Assessoribus.*

II. „ Cancellaria, vox barbara, inquit Budæus *ad Pan-* „ *dectas*, usurpata pro loco, ubi publicæ litteræ à Scribis Prin- „ cipum & magistratuum conficiuntur. Hinc Cancellarius dici- „ tur, cujus eæ primæ sunt partes, videre, ut nulla Principis „ constitutio, nulla sanctio, nullum rescriptum, nulli codicilli „ Regii, non è Republica, atque etiam à dignitate Reipublicæ „ principalique exeant.“ Hæc ille.

III. Legitur quoque in Ecclesiis Cathedralibus jam pridem munus Cancellarii fuisse, sigilla ad causas, & negotia conferre, litteras Capituli facere, & consignare, ubi habetur in Statutis Leicheveldensis Ecclesiæ, in Monastico Anglicano *tom.* 3. *pag.* 24.

IV. Quando verò Cancellarii munus ad eam pervenerit eminentiam, & prærogativam, in qua hodie in Romana Curia conspicitur, non omninò constat.

„ Qui hujus eminentissimæ dignitatis originem ex antiquis his- „ toriarum monumentis disquisierunt (ait Joannes à Chokier) „ tradunt illam demum post tempora Innocentii III. inventam, „ & erectam fuisse, eamque etiam exercuisse privatæ sortis ho- „ mines, sed probitate, & eruditione spectatissimos: postea „ sub Bonifacio VIII. dignitatem hanc uni ex Illustriss. Cardina- „ libus tributam; idque ex congruentia „ rationis, & quoniam „ justitiæ regimen penes Vice-Cancellarium residebat, par erat „ munus illud commendare personis illustribus, in quibus maxi- „ mè excellunt, familiamque ducunt Illustriss. Cardinales.“

V. At illud quæritur, cur hodie, etiam Cardinale eo munere fungente, non dicatur *Cancellarius*, sed *Vice-Cancellarius*, quasi vices duntaxat ageret Cancellarii. Varii varia commenti sunt, uti refert Cardinalis de Luca *in Relatione Romanæ Curiæ disc.* 10. qui verisimiliùs credit, Vice-Cancellarium dici cœpisse, cùm dignitas Cardinalitia ad tantum fastigium elevata est, ut non videretur huic dignitati Cardinalitiæ congruere, assumere officium inferius sive Prælativum; quod tamen *provisionaliter*, seu jure cujusdam commendationis per Cardinalem administrari non sit incongruum; quemadmodum & in munere *Datarii* praxis docet. Si enim Cardinalis eo munere fungatur, non vocatur *Datarius*, sed *Prodatarius.* Ergo illud adjectum *vice*, quod partes vicarias denotat, non statum inferiorem, sed potiùs digniorem hic significat.

VI. Vice-Cancellarius habet fixum titulum Cardinalitium, eumque admodum conspicuum, & illustrem, scilicet Ecclesiæ Collegiatæ S. Laurentii in Damaso: hicque commodam & amplam habitationem in insigni vereque Regio Palatio, quod *Cancellariæ* dicitur: id quo ipsa Cancellaria tanquam per speciem magni Tribunalis statutis diebus tenetur, aliæque functiones publicæ peraguntur.

VII. Primaria & graviora Sedis Apostolicæ negotia publica, & solemnia, qualia sunt consistorialia, aliaque plurima per ejus manus transeunt; adeò ut cum quadam proportione dicendus sit *Cancellarius* Papæ, eo modo, quo in singulis Diœcesibus quilibet Episcopus habet Notarium, & Cancellarium majorem, qui acta Synodalia, & judicialia, ac etiam Pontificalia conscribit & authentizat; uti notat Cardinalis de Luca loco citato *num.* 5.

Plures habet Vice-Cancellarius Officiales, quorum aliqui sunt majores Prælati, Prælaturam annexam habentes.

VIII. Primarius post Vice-Cancellarium est ille, qui dicitur *Cancellariæ Regens.* Hujus non exigua est auctoritas, quæ ad longum describitur in ultima Regula Cancellariæ, quæ inscribitur *de potestate Reverendiss. D. Vice-Cancellarii, & Cancellariam* Regentis. Imprimis esse revidet Bullas expeditas & promulgatas, & si quis error irrepserit, eum corrigit; ac ad calcem Bullæ reformatæ manu sua scribit: *Correcta prout jacet.*

IX. Præterea inter Officiales Cancellariæ, qui Prælaturam habent, sunt Præsidentes de *majori* vel *minori Parco*; ita dicti à loco Cancellariæ in quem conveniunt, qui vulgò *Parcus* dicitur.

X. Hi de *majori Parco* nominantur etiam *Abbreviatores*, à conficiendis litterarum Apostolicarum *breviaturis* sive minutis; quas ex signatura Cardinalis Vice-Cancellarii ejusdemque *contra-cedula*, tanquam matrice conficiunt.

XI. Pro quo notandum, quòd factâ in consistorio provisione per Pontificem de Ecclesia Cathedrali, Cardinalis Vice-Cancellarius accipiat decretum provisionis Papalis, illudque in libro materiarum consistorialium consignet sub hac formula: *Romæ apud Sanctam Mariam Majorem.*

Cardinalis Vice-Cancellarius accipit decretum Provisionis Papalis, quod consignat in libro materiarum consistorialium sub hac formula: *Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die...mensis...anno...fuit Consistorium, in quo Sanctissimus Dominus noster, referente Cardinale N. providit Ecclesiæ N. per obitum N. vacanti de persona N. cum retentione compatibili, absolutione, clausulis &c.* Post hæc Cardinalis Proponens conficit scedam sive scedulam, quæ dicitur *scedula Consistorialis Proponentis*, per quam significat Cardinali Vice-Cancellario Pontificem in Consistorio providisse tali personæ de Ecclesia Cathedrali; quâ receptâ Vice-Cancellarius conficit aliam scedulam, quæ vocatur *contra-scedula*, in qua summariè narrat, qualiter Pontifex in Consistorio providerit Ecclesiæ N. de Episcopo, & Pastore; eamque scedulam Secretarii sui subscriptione, proprii sigilli impressione, & manus suæ subscriptione munit.

XII. Ulterius Prælati de *majori Parco* quoddam quasi Tribunal constituunt, in quo collegialiter convenientes decidunt dubia, quæ oriri contigit super litterarum formula, vel clausulis, & decretis in eis adjiciendis, ac etiam super emolumentorum solutionibus aliisque contingentiis.

XIII. Prælati de *minori Parco* (ait Petrus Gastelius in sua praxi Curiæ Romanæ pag. 24. edit. 1693.) propriè sunt *Officiales otiosi*, exiguam habentes jurisdictionem; in id unum intendentes ut Bullæ ferantur & tradantur Prælatis de *majori Parco.*

XIV. Factâ minutâ per Prælatum seu *Abbreviatorem* de *majori Parco*, qui est in turno, mittitur deinde ad alium Abbreviatorem ut eam revideat; quæ revisa traditur Scriptori Bullarum.

Tum

Tum „ per Apostolicos Scriptores, ait de Luca, juxta eo„ rum formulas efformantur litteræ, qui *Bullæ* dicuntur, sub „ plumbo, in ejusdem Vice-Cancellarii aula, seu palatio, „ quod *Cancellariæ* nomen, seu vocabulum habet; eodem „ modo quo per ejusdem Cancellariæ Scriptores, & Officiales „ aliæ efformantur litteræ super provisionibus aliorum Benefi„ ciorum, nec non super Apostolicis dispensationibus, aliis„ que gratiis & concessionibus, quæ fiant extra Consistorium „ per organum Datarii."

XV. Plures sunt Cancellariæ Officiales qui Bullis illius revidendis, transcribendis, plumbandis, registrandis occupantur; quorum „ alii, inquit de Luca, vocantur *Summistæ*, alii „ *Secretarii*, alii *Plumbatores*, alii *Equites*, alii *Cubicularii*, „ *& Scutiferi*, alii *Prothonotarii*, alii *Subdiaconi*, & alii sub „ diversis vocabulis nuncupantur."

Hi omnes participant vel in annatis, vel in emolumentis quæ pro litterarum expeditionibus solvuntur; atque jura hæc communiter dicuntur *taxæ Cancellariæ Apostolicæ*.

* Inter Extravagantes Joannis XXII. legitur sub *titulo* 13. Extravagans, quæ incipit, *cum ad Sacrosancta*, in qua designantur & taxantur jura Abbreviatoribus, & scriptoribus litterarum & gratiarum solvenda. Hinc communiter existimatur, hunc Pontificem fuisse eorum emolumentorum, quæ hodie Taxæ Cancellariæ Apostolicæ dicuntur, primum auctorem.

Quidquid sit, hoc habetur ex Joannis XXII. Constitutione, quòd eo tempore Scriptores & Abbreviatores, aliique expediendis in Cancellaria Romanis litteris præpositi, in exigendis Juribus multùm excederent; atque eorum excessus excitâsse multorum murmura, quasi nihil gratis Romæ obtineretur.

Ulteriùs ex eadem Constitutione habetur, quòd ad obviandum his excessibus Joannes XXII. taxaverit, quid his ministris pro singulis litteris esset solvendum.

Cùm igitur hæc Jura per hunc Pontificem fuerint pro singulis litteris determinata, & taxata, non mirum, quòd ab eo tempore *taxæ* Cancellariæ hæc Jura fuerint vocata; & hic Pontifex creditus primus earum auctor, tametsi antea quædam Jura exigerentur.

Cùm autem plurimi essent in Curia Romana ministri & officiales Bullis, & litteris scribendis, revidendis, & plumbandis, signandis, ac registrandis præpositi; ac insuper hæ taxæ essent non tantùm proportionatæ labori & operæ in conficiendis his litteris impendendis, sed insuper majores, vel minores pro ratione gratiarum vel provisionum, super quibus Bullæ, vel litteræ expediendæ erant, non mirum has taxas multorum querelas excitâsse, & tanquam simoniacas, ut saltem de ea admodum suspectas fuisse reputatas.

Accedebat quòd litteræ seu Bullæ non relaxarentur, nisi his taxis solutis; summâ autem facilitate, imò vix negarentur his taxis solutis.

Inter alios seculo XV. scribens Paulus Angelus Decretorum Doctor in suo *Speculo aureo*, in has taxas invehitur; atque ex illo habetur, quod eo tempore accepissent suam stabilitatem, & pro ratione gratiarum & provisionum essent taxatæ: uti retuli in nota *ad part.* 2. *tit.* 30. *cap.* 3. *n.* 10.

Quo autem tempore hæ *taxæ*, sive Jura ad commoditatem ministrorum litteris Cancellariæ expediendis præpositorum typis mandatæ & evulgatæ fuerint, incertum est.

Hoc scitur, quòd anno 1514. sedente Leone X. Romæ apud Marcellum Silber in Campo Floræ expressus fuerit libellus sub hoc titulo: *Taxæ Cancellariæ Apostolicæ, & taxæ Sanctæ Pœnitentiariæ*, in quo per ordinem designatur quantitas taxæ solvendæ pro quibuscunque litteris dispensationum, absolutionum, &c. in Cancellaria, & Pœnitentiaria Romana obtinendis.

Hujus libelli meminit vir eruditione, & pietate clarissimus Claudius Espencæus Doctor Theologus Parisiensis in Commentario Epistolæ Apostoli ad Titum *c.* 1. qui ibidem describens abominandam Curiæ Romanæ avaritiam, & pecuniæ cupiditatem, in ejus probationem inter cætera adducit hunc libellum dicens: „ *Prostat & in quæstu pro meretrice sedet.* Li„ ber palam ac publicè hîc impressus, hodieque, ut olim ve„ nalis *taxæ Cameræ seu Cancellariæ Apostolicæ* inscriptus, „ in quo plus scelerum discas licet, quàm in omnibus omnium „ vitiorum summistis, & summariis, & plurimis quidem licen„ tia, omnibus autem absolutio empturientibus proposita."

Quidquid sit de hac Espencæi durissima in hunc libellum redargutione, nec non de Curiæ Romanæ pecuniarum aviditate, & gratiarum, absolutionum, atque dispensationum venalitate, per hunc auctorem descriptâ, illud sanè optandum esset, ut tandem Curia Romana suo agendi modo, hunc libellum adeò scandalosum improbaret, omnibusque notum faceret, Rom. Pontifices tanquam fideles dispensatores mysteriorum Dei in mitigandis Canonibus, delictisque condonandis solam ædificationem Ecclesiæ, & fidelium salutem præ oculis habere, atque ab ipsis tanquam Christi Vicariis præ cæteris observari, quod à Christo omnibus mandatum fuit, *gratis accepistis, gratis date*, atque ita palam probarent, falsum esse, quod de Curia Romana vulgò dicitur, quòd in relaxandis Canonibus, seu decretis positivis, tam diversa sit in Curia Romana divitis, atque pauperis conditio, ut vix quidquam prohibeatur, quàm ut ne quis gratis contraveniat, & quod vetatur, numeratâ pecuniâ statim dispensetur, quasi nullum sit peccatum majus, quàm nummis carere, uti fusiùs describit præcitatus Espencæus.

XVI. In taxarum exactione cùm plures excederent, Gregorius XV. hanc regulam Cancellariæ proposuit: Item idem „ D. N. exactionibus, quas Sanctitas sua non sine displicentia „ plerumque fieri intellexit per Officiales Romanæ Curiæ, qui „ constitutis sibi emolumentis pro exercitio officiorum, quæ „ obtinent, non contenti, ultrà à prosequentibus negotiorum „ quorundam expeditionem in eâdem exigere non verentur, „ obviare volens, districtè præcipiendo inhibuit omnibus & „ singulis quævis officia in eadem Curia obtinentibus, ne de „ cætero quicquam prætextu officiorum, quæ obtinent, quo„ vis colore, etiam celerioris expeditionis ultra emolumenta „ ejusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eo„ rum, quæ eis incumbunt, malitiosè differre; sub excommu„ nicationis, & præter illam suspensionis à perceptione emo„ lumentorum hujusmodi pro prima ad semestre, & pro se„ cunda ad annum, & pro tertia vicibus, quibus sic excede„ rent, privationis officiorum per eos obtentorum, in quibus „ sic excesserint, pœnis; ac voluit, quòd S. R. E. Vice„ Cancellarius, & Camerarius excedentes ipsos respectivè, „ prout eis subsunt, per subtractionem emolumentorum eo„ rundem, ac aliàs, ut præmittitur, compellant ab hujusmodi „ illicitis exactionibus abstinere, & contra eos per prædictas „ pœnas, & alias, prout meliùs expedire viderint, procedant."

XVII. Habet Vice-Cancellarius, seu Cancellaria quasdam à Pontificibus regulas, juxta quas ipse Vice-Cancellarius ejusque Officiales negotia ad Cancellariam spectantia, nec non litteras necessarias gerere, & expedire debent; quæ propterea *Regulæ Cancellariæ* vocantur.

XVIII. Unde Ludovicus Gomesius in procœmio ad regulas Cancellariæ *quæst.* 2. notat, quòd „ Regulæ Cancellariæ „ ab initio introductæ fuerint, ut Officiales Cancellariæ per „ eas in litteris expediendis instruerentur, ut patet, ait, ex „ Regulis Joannis XII. & Benedicti ac aliorum. Et licèt à „ tempore Nicolai V. aliquid plus ad eas circa judicia addi„ tum fuit, illud tamen respicit actum in Curia gerendum."

XIX. Hæ regulæ perpetuæ non sunt, sed morte Pontificis extinguntur; quod in earum procœmio indicatur his verbis: *Et suo tempore duraturas.* Quare singuli Pontifices altero suæ assumptionis die eas de novo evulgant, atque in Cancellaria per Vice-Cancellarium publicari jubent; idque nonnunquam novis regulis additis, vel antiquis immutatis, vel etiam subinde aliquibus expunctis & omissis.

XX. Itaque si ipsam harum regularum originem primumque instituendi finem attendamus, duntaxat regimen, ac directionem Cancellariæ Romanæ spectare videntur; at hodie inter has regulas non paucæ reperiuntur, quæ etiam collationes Beneficiorum aliasque materias concernunt; & quarum usus se extra Cancellariam Romanam quoque extendit; pluresque in Belgio, & Provinciis vicinis receptæ sunt; de quibus in materia Beneficiorum Parte 2. hujus Operis singillatim tractabitur; ostendetur in quibus recentiores regulæ à veteribus discrepent; & quomodo in hisce Provinciis receptæ sint.

CAPUT II.

De Datario, et Dataria.

1 Datarii *officium olim ignotum.*
2 *Quæ hodie per Datariam expediuntur, olim penè incognitæ fuerunt.*
3 *Quomodo reservationes Beneficiorum, & pensionum circa seculum* 14. *invaluerint.*
4 *Ex illis aliisque reservationibus originem habuit Dataria.*
5 *Quare Cardinalis assumptus ad officium Datarii dicatur* Pro-Datarius.
6 *Quod sit officium Subdatarii.*
7 *De officiali Datariæ qui dicitur* Concessum; *& qua formâ hic signet libellos.*
8 *Subdatarius subinde mittit libellos ad aliquam Congregationem Cardinalium; & quâ formâ remittantur.*
9 *De Summario libelli à Subdatario conficiendo: debet esse libello conforme.*
10 *Datarius unà cum Subdatario & Officiali qui dicitur* Per obitum, *discutiunt libellos Papæ offerendos.*
11 *Quâ formâ Papa signet.*
12 *Libelli Supplices hodie dupliciter signari solent.*
13 *Tres dicuntur partes Signaturæ; quæ describuntur: & quid sit* Signatura.

14 *Cur tertia pars Signaturæ apponatur.*
15 *Subdatarius Supplicam signatam mittit ad Revisorem ; & quid officium* Revisorum.
16 *Revisor mittit Signaturam ad Officialem* parvæ Datæ ; *& unde dicatur* parva Data.
17 *Ad hoc Officiali Signaturæ transit ad secundum Revisorem.*
18 *Frequenter mittitur deinde ad Officialem, qui vocatur* Componendæ.
19 *Post hæc ponitur* magna Data : *& quid hæc sit.*
20 *Tum mittitur ad Officialem , qui dicitur , de* Missis.
21 *Ab hoc mittitur ad* Registratores , *& quis Registrationis effectus.*
22 *Post Registrationem mittitur ad Cancellariam , ut expediantur* Bullæ *necessariæ.*
23 *De differentia inter modum , quo Litteræ sunt per Papam signatæ.*
24 *Quid circa parvas Datas obtineat in Gallia.*

I. OFficium *Datarii*, prout hodie accipitur in Curia Romana, antiquum dici haud posse probat Cardinalis de Luca in sæpiùs citata *Relatione Romanæ Curiæ disc.* 9.

II. „ Antiquitùs enim (ait de Luca loco citato *n.* 6.) Pa„ pa fortè nihil vel parum se ingerebat in illis negotiis , circa „ quæ penè totum Datari munus hodie versatur ; ut nempè „ sunt collationes Beneficiorum reservatorum vel affectorum, „ necnon reservationes pensionum super iisdem , ac dispensa„ tiones matrimoniales , aliæve dispensationes puta super na„ talibus , vel super irregularitate , aut super bigamia , vel su„ per ætate , & similes : ac etiam sunt Apostolica beneplacita „ super alienationibus bonorum Ecclesiæ , vel concessiones of„ ficiorum venalium , & similia , quæ omnia moderna sunt, „ dictis antiquis temporibus incongrua.“

III. Hæc Cardinalis de Luca , qui deinde ibidem *n.* 12. & 13. deducit , qua ratione circa seculum 14. introductæ sint reservationes Beneficiorum ; atque ex his deinde originem sumpserint frequentiores pensionum ecclesiasticarum reservationes.

IV. „ Cùm itaque (pergit de Luca *num.* 14.) hujusmodi „ provisiones non publicè in Consistorio , sed privatim in Au„ la per supplices libellos , aut per supplicationes manu Pa„ pæ signatas fierent , casus autem præberet , quod idem Pa„ pa ex negotiorum multiplicitate non valens omnia memoria „ retinere , eadem Beneficia pluribus personis conferret ; un„ de propterea continua oriebantur jurgia , super temporis „ anterioritate , quæ etiam in beneficialibus , atque in gratia„ rum concessionibus attendenda est , quod scilicet gratia an„ terior posteriori præfertur , *Buratt. & add. dec.* 421. & „ *passim.* Idcirco quemdam privatum potiùs , seu fiduciarium „ ministrum , tanquam per speciem Secretarii , ad id deputa„ re congrum fuit , qui curam hujusmodi supplicationum , & „ expeditionum haberet , atque postquam Papa per ejus signa„ turam gratiam perfecit , ipse adnotaret tempus seu diem , ut „ ita dignosceretur , quænam essent gratiæ anteriores , & quæ „ posteriores , ac etiam (& fortiùs) ut ita convinci posset , an „ congruo tempore gratia petita , & respectivè concessa esset, „ eò quia absque verisimili notitia mortis , Beneficia adhuc non „ vacantia , quando recens vacatio sperabatur , extorqueri so„ lebant , ut etiam hodierna praxis quandoque docet.

„ Idemque minister , vel Officialis , qui hanc habebat cu„ ram , adnotandi scilicet *datam* temporis , tanquam rerum „ beneficialium peritus , gerebat quoque munus Consiliarii , vel „ Auditoris Papæ , ad effectum inspiciendi , idemque consulen„ di , an ea vacatio caderet , necne , sub ejus reservationibus, „ ac provisione ; seu quomodo pro Beneficiorum qualitate pro„ visio facienda esset ; aut an Oratores , qui supplicationes „ porrigebant , essent digni , ac idonei , necne.

„ Exinde propterea prodit hoc Datarii nomen , seu voca„ bulum , non quidem à verbo *dare* , quoniam non ipse , sed „ Papa dat Beneficia , aliasque gratias , sed ab alio barbaro, „ ac linguæ latinæ professoribus ignoto vocabulo *Datare* , quia „ scilicet adnotabat *datam* (t) , quæ in Principum legibus, „ ac provisionibus , & gratiis , ab antiquo tempore adhiberi „ consuevit , ut docet tenor plurium Imperialium constitutio„ num in Codice , ac etiam docent Apostolicæ Constitutio„ nes , aliaque diplomata etiam antiqua.“

V. Porrò Datarii officium juxta modernum Curiæ Romanæ stylum , inter præcipua munia reputatur ; adeò ut subinde etiam Cardinales ad id assumantur : ea tamen differentia , quòd si Cardinalis sit , tunc non *Datarius* , sed *Prodatarius* dicatur : „ Fortè (ait de Luca) quia non congruat eximiæ Cardina„ litiæ dignitati , assumere officium inferius , ac Prælatitium, „ quod ita provisionaliter , seu jure cujusdam commendationis „ per Cardinalem administrari non congruat.“

VI. Habet Dataria præter Datarium plures Officiales & adjutores ipsius Datarii ; ex quibus duo primi seu majores , alter *Subdatarius* , & alter *Per obitum* dicitur.

Subdatarius propriè loquendo est substitutus Datarii , nequaquam tamen à Datario dependens ; sed à Papa immediatè constituitur , & Prælatis Curiæ annumeratur.

Ipsius est revidere omnes libellos supplices , qui Papæ offerri postulantur , exceptis illis , qui sunt pro impetrandis Beneficiis vacantibus per mortem in terris *Obedientiæ* , qui revideri debent per Officialem , qui dicitur *Per obitum.* Subdatarius visis libellis , eos pro varietate materiæ distribuit.

VII. Et quidem si in libellis agatur de aliqua ex materiis ordinariis , v. gr. de resignatione simplici Beneficiorum , quæ à Papa signari non debent , remittuntur ad Officialem qui vocatur , *Concessum* , qui signat libellos supplices sibi à Subdatario transmissos , cum hac nota ad marginem libelli apposita, *ad Ord.* quæ significat *ad Ordinarium.* Hic Officialis signat libellos hac forma : *Concessum ut petitur in præsentia Sanctissimi Domini nostri Papæ* ; & hoc si fuerit factum in præsentia Papæ , alioquin signat simpliciter , *Concessum* : deinde apponit nomen suum.

VIII. Si Subdatarius videat ex ipsa materia libelli , quòd Papa petitioni non annuet , nisi prævio judicio Congregationis Cardinalium , ad quam illa materia pertinet , tunc Subdatarius libellum ad illam Congregationem remittit , cum hac apostilla : *Ad Congregationem Rituum* , aut aliam. Secretarius autem Congregationis solet respondere per chartulam , quam ipsi libello inferiùs annectit hac ferè formâ : *Sacra Congregatio Rituum* , vel alia , *censuit gratiam hanc concedendam , si Sanctissimo D. N. placuerit.*

IX. Quod attinet ad libellos supplices pro gratiis , quæ à solo Papæ arbitrio dependent ; illos *Subditarius* aut aliquis ejus substitutus examinat , atque ad calcem illorum apponit summarium libelli supplicis.

Hoc verò summarium debet esse conforme ipsi libello, quia Pontifex priusquam gratiam annuat , vel neget , non solet integrum libellum supplicem , sed tantùm hoc *summarium* legere.

X. Datarius antequam accedat Papam pro signatura , vocare solet *Subdatarium* & *Per obitum* , ut sciat quos libellos Papæ offerre debeat. Ipsi verò inter se discutiunt illos , qui aliquam difficultatem habere videntur , ad informandum Papam. Post hæc plures simul libellos Papæ offerunt signandos , cui tunc Datarius unà cum Subdatario assistit ; Officialis verò *Per obitum* nonnisi Subdatario infirmo.

XI. Hi exponunt Pontifici rationes ob quas gratia sit concedenda vel neganda , iisque auditis , si Papa renuat , Subdatarius scribit , *Nihil* , vel *Non placet Sanctissimo* : si verò annuat , signare solet hac formula : *Fiat ut petitur* , & apponit primam litteram sui nominis , non quidem Pontificatus, sed baptismatis : v. gr. modernus Pontifex Innocentius XII. ponit litteram A. quia ante Pontificatum vocabatur *Antonius.*

XII. Hodie ferè , ait Rebuffus , omnes signaturæ solent dupliciter signari , atque primum *fiat* collocatur inter partis petionem & concessionem , secundum verò *fiat* in margine clausularum seu dispositionis conscribitur.

XIII. Pro quo notandum , supplicam conscribi solere in medio folio chartæ. In summitate exprimitur Diœcesis in qua Beneficium est situm , si de Beneficio agatur ; sin verò quæstio sit de gratia Beneficium non concernente , exprimitur Diœcesis supplicantis , v. g. *Mechlin. Antuerp.* &c. Ad latus autem dextrum supplicæ exprimitur gratia petita , ut *Provisio* , *Resignatio simplex* , *Dispensatio in* 3. & 4. *gradu consanguinitatis* &c. Deinde supplica incipit , *Beatisime Pater* , &c. Ac tum sequitur nomen Oratoris sive supplicantis , gratia quæ petitur, ac reliqua necessariò exprimenda pro impetratione similis gratiæ , diciturque hæc prima pars signaturæ , eamque vocant Pragmatici Romani , *Corpus Signaturæ.* Tum relinquitur aliquod spatium vacuum pro Signatura Papæ , à qua Papæ signatura , hæc charta dicitur *Signatura* , uti observat Rebuffus. Post hæc , Supplica concluditur sub hac solita verborum formula : *Et cum absolutione à censuris ad effectum duntaxat*, &c. cum omnibus decretis , restrictionibus & clausulis , quibus gratiæ hujusmodi concedi consueverunt : unde , uti monet Rebuffus , hæc tertia pars Signaturæ , est dispositio , & Papæ concessio ; & quod ipse simpliciter concessit , dicendo , *fiat ut petitur* , hic singillatim exprimitur.

XIV. Itaque hæc tertia pars apponitur , quia supponitur, quòd Papa in spatio illo vacuo , apponet ordinariam signaturam , quam Rebuffus vocat secundam partem Signaturæ. In Pra-

(t) *Origo hujus vocis* (*Data unde Datarius*) *inde manavit , quod Imperatorum Constitutionibus , quæ Præfectis Prætorio , aut aliis Magistratibus in Provincias mittebantur, dies quo* Datæ *essent , iis , à quibus perferebantur , annotaretur, sicut dies quò acciperentur seu reciperentur. Hinc crebrò in Constitutionibus iisdem hæc verba leguntur* , Data *tali die* , accepta *tali die. Mabillonium vide lib.* 2. *de Re diplomatica, cap.* 25. 26. *&c.*

Praxi Benefic. tit. *de Forma Signaturæ simplicis provisionis*, agens de hac secunda parte Signaturæ inquirit, quid intersit, num signetur per *Fiat*, an verò per *Concessum*.

XV. Postquam supplica fuerit signata, Subdatarius eam mittit ad primum *Revisorem*. Porrò duo sunt in Dataria *Revisores*, quibus incumbit revidere omnes supplicas signatas (exceptis Matrimonialibus pro quibus est specialis Revisor) utrum nimirum *summarium* ad calcem supplicæ adjectum, & cui Papa gratiam annuendo se conformat, uti suprà monuimus, sincerè exprimat totum contentum supplicæ.

Si primus Revisor deprehendat aliquid contineri in supplica non expressum in summario, subinde ipse illud è supplica eradit, subinde verò eam supprimit: interdum verò Datarium aut Subdatarium adit, atque cum illis super defectu supplicæ tractat: Et quidem hi judicant, utrum non obstante illo defectu expediri queat: quia primarii hi Officiales censendi sunt *Organum Papæ*; & quia quotidie cum Papa agunt, judicantur scire intentionem Papæ. Dum ergo in casu dubio hi significant primo Revisori ut pergat, hic signat ponendo primam litteram sui nominis ad initium summarii.

XVI. Hic Revisor pro ulteriore expeditione mittit Signaturam ad Officialem *parvæ Datæ*, qui in calce ipsius summarii ponit *parvam Datam*, quæ propterea dicitur *parva*, quia paucis verbis inscribitur, scil. *S. M. M. Kalendis Martii anno* 4. eaque postmodum per Datarium extenditur, cujus proprium officium est, supplicas *Datare*; imò ipsa *parva Data* (uti observat Pyrrhus Corradus in praxi Dispensationum *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 30.) tantùm inservit in signum memoriæ super gratia concessa vel concedenda, ut ad datam illius temporis retrotrahatur.

XVII. Post positam *parvam Datam*, transit Signatura ad secundum Revisorem, qui revidet rursus quod à primo jam revisum est, & si nullum defectum reperiat, ipsamque Signaturam admittendam judicet, illam signat apponendo suum infra nomen primi Revisoris, exprimendo primam nominis sui litteram.

XVIII. Si materia supplicæ sit subjecta juribus *Componendæ*, ut sunt Prioratus titulares, Abbatiæ, Coadjutoriæ, Indulta &c. tunc ab Officiali *parvæ Datæ* Signatura transit per manus illius, qui *Componendæ* Officialis vel Administrator est: eoque casu unus Revisorum ponit litteram C. vel *Comp.* quo insinuatur, esse *componendum* antequam Datarius ponat magnam *Datam*. Si autem materia non sit subjecta *Componendæ*, & requirantur Bullæ, tunc ponitur, *Expediantur litteræ*.

In variis materiis jura non adeo fixa sunt, quin frequenter super iis cum Officiali *Componendæ* & Datario componendum sit; quod in his materiis spiritualibus, quàm malè nonnunquam oleat, nemo non videt.

XIX. Quando Officiali *componendæ* est satisfactum, ponit super Supplicam Signaturæ inferiùs, *Solvit*: atque ab hoc Officiali transit supplica rursus ad Subdatarium, qui nomine seu vice ipsius Datarii ponit magnam datam, v. g. *datum apud S. Mariam Majorem Kalendis Julii anno* 4. *Pontificatus Innocentii Divinâ Providentiâ Papæ XII.*

XX. Hæc *Data* expedita, transit Signatura ad Officialem qui dicitur *Missis*; eò quòd *mittat* Signaturas ad registra.

XXI. Unus ex Registratoribus supplicam registrat, atque in dorso Signaturæ notat librum, & folium registri, ac deinde cum ipso registro fert ad unum è quatuor Magistris registrorum, ad *auscultandum*, ut ajunt, *supplicam*; hoc est, videndum, num supplica planè conformis sit registro. Quo facto, hic Magister registri ponit in dorso supplicæ magnum *R.* & in superiore parte istius litteræ ponit primam litteram sui prænominis, & in calce suum cognomen integrum. Hæc verò littera *R.* significat *Registrata*.

„ Per hunc registrationis actum, ait de Luca, sequi dicitur „ omnimoda gratiæ perfectio, adeò ut jus quæsitum esse dica„ tur Gratiato, non autem priùs."

XXII. Notandum denique, quòd secuto hoc registrationis actu, supplica sive Signatura dimittatur à Dataria, & consignatur Expeditoribus, ut per Officiales Cancellariæ expediantur litteræ, quæ pro gratiæ executione necessaria sunt, & sine quibus supplicationes, quamvis perfectæ & registratæ, non suffragantur impetrantibus, ob regulam Cancellariæ 26. *De non judicando juxta formam supplicationum, sed litterarum expeditarum.*

Observat tamen Joannes à Choquier ad regulam 31. Cancellariæ, dictam regulam non obstare nec procedere, quando Supplicatio producitur pro declaratione litterarum, & ad probandum circumstantias, & qualitates gratiæ, & an illa sit per *Fiat*, an per *Concessum*.

XXIII. Multum quippe refert, num uno, an alio modo signatura sit expedita, quod tamen ex Bulla dignosci nequit, quia Bulla eodem modo expeditur, sive uno, sive alio modo signatura facta sit.

Si enim unus habeat signaturam per *Fiat*, & alter eodem die habuerit per *Concessum*, illa huic præferetur juxta regulam Cancellariæ, quæ est 34. Innocentii X. & hoc tenore exprimitur: „ Item voluit D. N. quod concurrentibus eadem die super „ quocunque Beneficio per *Fiat* & *Concessum*, signaturis, ex iis, „ per *fiat* etiam *ut petitur*, habens, alteri per *Concessum*, etiam „ motu proprio habenti præferatur, etiamsi in illa per *Concessum*, „ prægnantiores, & quantumlibet privilegiatæ essent clausulæ." Ideoque bonum est (inquit Rebuffus loco cit. num. 13.) „ pro„ ducere signaturam, alioqui ex Bullæ tenore dignosci non po„ test. Unde quis cautus esse debet, ut tam Bullam, quàm sig„ naturam conspiciat, & ex illis veritatem elicere poterit."

XXIV. Notandum quòd circa *parvas Datas* sit speciale Gallorum privilegium. Mox enim ut Cursor è Gallia attulit supplicas in materia Beneficiali, Bancquarius Romanus supplicam præsentat Officiali *parvæ Datæ*, qui datam ejus diei, quo Cursor advenit apponit, modò ante mediam noctem illius diei supplica exhibeatur, aliàs diei sequentis; & licèt signatura multo post tempore expediatur, semper tamen manet eadem data, scilicet quæ posita fuit eo die quo Cursor è Gallia advenit; hoc est particulare Gallis privilegium. Aliæ enim Nationes accipiunt signaturas datâ currente. Vide latiùs Perardum Castel in praxi Curiæ Romanæ.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT II.

De tempore, quo erecta est Dataria, et de compositione super fructus male perceptos.

1 *Quis auctor Datariæ.*
2 *Compositio super fructus malè perceptos.*
3 *Pontifex interdum concedit absolutionem à crimine, nec tamen censetur* rehabilitare *ad Beneficium.*
4 *Cui restitui debeant fructus ex Beneficio malè percepti, quæritur.*
5 *Praxis, quam in his restituendis Galli observant.*
6 *Tribus modis in Curia Romana litteræ, quæ Beneficiorum provisionem spectant, expediuntur.*
7 *Ratio, cur provisiones in* Dataria *potius quàm in* Cancellaria *expediuntur.*

I. COmmunis opinio est, reservationes Beneficiorum potissimum à temporibus Joannis XXII. frequentari cœpisse, atque per has reservationes factum esse, ut necesse fuerit per Pontificem institui Officialem, qui *Datarius* dictus est; admodum quoque verisimile est, totam hanc praxim Datariæ cum omnibus suis ministris, nec non taxis, quas vocant *Cancellariæ*, à temporibus hujus Pontificis Curiam Romanam intrâsse, aut saltem suum accepisse incrementum, ut vel inde pateat, quàm funestam sequelam habuerint odiosæ illæ Beneficiorum reservationes, & quàm perniciosa fuerit Ecclesiæ ea Jurisperitorum persuasio, Pontificem esse *Dominum* omnium Beneficiorum, ac per consequens Pontifici liberum esse, omnia Beneficia suæ dispositioni reservare, atque de iis pro libitu disponere.

II. Superiùs notatum fuit super his materiis non esse fixa & determinata Jura; sed super his esse pro varietate casuum & circumstantiarum componendum cum Officiali Datariæ, qui ab hac compositione dicitur *componendæ*.

De hoc Officiali scribens Perardus Castellus in sua praxi Curiæ Romanæ gallicè conscripta sub hoc titulo: *Usage & Pratique de la Cour de Rome*, *page* 27. editionis 1693. observat, hunc Officialem præferre quandam speciem *Thesaurarii*, seu Receptoris dependentis à Datario, cui incumbit recipere Jura solvenda in materia subjecta *Componendæ*; uti sunt (ait Castellus) *causæ matrimoniales*; *pensiones sine causa*, & quæ proveniunt ex *fructibus malè perceptis*, quales sunt confidentiarii simoniaci, & cæteri, qui fructus Beneficiorum perceperunt sine titulo, consequenter supponuntur fructus suos facere non potuisse.

Similiter pro obtinenda dispensatione, absolutione, & nova provisione ob commissam simoniam, vel vitium, quod provisionem reddidit invalidam, quæ solent passim in omnibus casibus concedi.

III. Hoc notari meretur ex stylo Curiæ Romanæ, ut ibidem monet Castellus, per Pontificem quidem interdum concedi absolutionem à crimine, puta simoniæ, confidentiæ, &c. sed non propterea Pontificem per hanc absolutionem rehabilitare ad Beneficium, super quo (ait) nova provisio impetranda, id est, non solet Pontifex dispensando super simonia, aut alio vitio reddente provisionem invalidam, ipsam provisionem per datam dispensationem reddere validam; sed vult, ut post hanc impetratam super vitio dispensationem & absolutionem, impetretur nova ejusdem Beneficii, & quidem in Curia Romana provisio; & litteræ provisionis solutis Juribus, seu taxis leventur.

IV. Cùm autem (ait Castellus) fructus malè percepti sint frequenter restitutionis incertæ, sive incertum sit, cui debeant res-

restitui, aliquibus sustinentibus, restitui debere Ecclesiæ, aliis successori, nonnullis sustinentibus eos elargiendos esse pauperibus, tandem quæstio hæc decisa fuit in *favorem Cameræ Apostolicæ*, sub obtentu, quòd omnium proventuum Ecclesiasticorum dispensatio, & administratio ad nullum in particulari spectantium censeantur pertinere ad Pontificem.

Itaque hoc titulo Officiales Curiæ Romanæ sustinent hos fructos malè perceptos pertinere ad Cameram Apostolicam; & consequenter cum hac Camera super his fructibus esse *componendum*, priusquam litteræ novæ provisionis aut rehabilitationis expediantur.

V. Verùm uti ad hunc locum Castelli notat Guillelmus Noyer: „Hæc Curialium prætentio super fructibus malè percep„tis in Gallia nec probata nec recepta fuit, nam (ait) Pontifici „Jus non est applicandi Cameræ Apostolicæ fructus Beneficio„rum Regni Galliæ, neque permittitur, ut intrusi, simoniaci, „aliique, qui gavisi sunt fructibus Beneficiorum absque legiti„mo titulo, componant super fructibus malè perceptis in præ„judicium Ecclesiarum, quibus sunt restituendi, in usum or„namentorum aut eorum reparationem. De hac praxi Regni „Galliæ etiam consuli poterit commentarius Pytheorum ad „*artic.* 51. libertatum Ecclesiæ Gallicanæ."

VI. Monet & hîc Castellus, provisiones Beneficiorum Consistorialium, ut sunt Abbatiæ, frequenter ad hunc Officialem, qui dicitur *componendæ*, remitti, priusquam litteræ expediri queant, eò quòd per Cancellariam super his provisionibus litteræ non expediantur, si requiratur aliqua dispensatio, vel alia specialis difficultas occurrat, quæ Pontificiam dispensationem aut declarationem requirat.

Pro faciliori horum notitia, observandum, in Curia Romana tribus diversis modis litteras Apostolicas, super provisione Beneficiorum expediri.

Primus modus est per speciale Breve Apostolicum, qui rarior est, nec nisi in favorem sublimium Principum, & dum gratis Pontifex alicui providere intendit, impendi consuevit.

Alius modus est, qui observatur in provisione Beneficiorum Consistorialium per *Cancellariæ* viam, sive *consistorialem*: dum nimirùm in provisione omnia sunt sine difficultate; ita ut nulla specialis dispensatio, aut declaratio Pontificis requiratur.

Tertius denique modus est per *Datariam*, sive Cameram Apostolicam, qui est modus frequentior; eò quòd per hanc expediri debeant omnes provisiones Beneficiorum non Consistorialium; imò & Consistorialium, quandocunque in horum provisione defectus, dubietas, aut difficultas per Pontificiam dispensationem, aut declarationem tollenda occurrit.

VII. Nec mirum, Curiales solicitos esse, ut provisiones potiùs in Dataria, vel Camera Apostolica debeant expedire, quàm in Cancellaria, quia in Dataria majora Jura, quàm in Cancellaria solvenda sunt.

Et quidem si provisio Beneficiorum Consistorialium expediatur per Cameram, aut Datariam cum *derogatione consistorialitatis*, ultra taxam Cancellariæ, debet in Dataria solvi præterea *tertia pars istius taxæ*: uti hic monet Guillelmus Noyer in Curia Romana quondam Banquarius expeditionarius.

CAPUT III.

De Pœnitentiario, et Pœnitentiaria.

1 *Sicuti Episcopi habuêre Pœnitentiarium, ita & Ponifex.*
2 *Pleraque negotia olim tàm pro foro externo, quàm interno per Pœnitentiarium expediebantur.*
3 *Quomodo erecta Pœnitentiaria.*
* *Absolutio obtenta in Pœnitentiaria.*
4 *Auctoritatem Pœnitentiarii primus restringere cœpit Pius IV.*
5 *Novam planè Pœnitentiariæ formam induxit Pius V.*
6 *Numerum Officialium diminuit.*
7 *Officia Pœnitentiariæ non sunt venalia.*
8 *Primus Minister Pœnitentiariæ est* Major Pœnitentiarius.
9 *Sunt insuper Pœnitentiarii Minores ex diversis Ordinibus Religionum assumpti.*
10 *Hi in Communi vivunt subjecti Pœnitentiario Majori in his quæ Penitentiariam spectant.*
11 *Præter hos plures sunt Pœnitentiariæ Officiales, quorum primus est* Regens *Pœnitentiariæ.*
12 *Quod* Regentis *officium.*
13 *De Datario Pœnitentiariæ; & quâ formâ ponat* Datum.
14 *De Procuratoribus Pœnitentiariæ, & quod horum munus.*
15 *Consultores Pœnitentiariæ.*
16 *De* Sigillatore *Pœnitentiariæ.*
17 *Quis* Corrector *sive Revisor.*
18 *De Scriptoribus Pœnitentiariæ.*
19 *Juramentum Officialium Pœnitentiariæ.*
20 *Major Pœnitentiarius quolibet mense Officiales convocat, ad casus occurrentes decidendos.*
21 *Interdum Papam consulit.*
22 *Negotia ad Pœnitentiariam spectantia.*
23 *Litteræ expediuntur sub nomine Pœnitentiariæ Majoris vel Pœnitentiariæ, in forma commissaria.*
24 *Quibus hæ litteræ dirigi soleant.*
25 *De qualitate Doctoris seu Magistri in Commissario requisita.*
26 *De qualitate Confessarii requisita.*
27 *Quâ formâ concipiatur supplicatio, & commissio.*
28 *Non nisi super* occultis *impedimentis matrimonialibus in Pœnitentiaria dispensatur.*
29 *Absolutiones à censuris, etiam* non occultis *conceduntur; & quâ formâ expediantur.*
30 *Formula litterarum, quibus absolutio à censuris committitur.*
31 *Omnia* gratis *in Pœnitentiaria expedienda.*

I. QUemadmodum Episcopi jampridem habuerunt Pœnitentiarium generalem, ad quem tanquam ad ipsum Episcopum pro absolutione gravium criminum recursus haberetur, & quem in perplexis atque difficilioribus casibus inferiores Confessarii consulerent (uti suprà *tit.* 12. *cap.* 3. ostensum fuit) ita & Romanus Pontifex jam pridem Pœnitentiarium suum habuit. (u).

Cumque habentibus seculis plurium criminum ac censurarum absolutiones, necnon votorum atque irregularitatum dispensationes, atque canonicorum impedimentorum relaxationes ad Sedem Apostolicam devolutæ sunt, etiam major & frequentior pro is obtinendis fuit ad Sedem Apostolicam accedendi necessitas.

II. His verò solus Pontifex examinandis & decidendis insufficiens ea omnia Pœnitentiario suo plenè commissit; idque primitùs, uti notat Cardinalis de Luca, tam in foro externo, quam interno; adeo ut pleraque negotia, quæ hodie per Datariam & Secretariam Brevium expediuntur, concederentur per organum Pœnitentiariæ; ita ut tunc temporis non esset necesse super dispensatione v. gr. Matrimoniali, pro foro interno recurrere ad Pœnitentiariam, & pro foro externo ad Datariam, quemadmodum hodie fieri debet.

III. Verùm cùm tractatu temporis plura continuò negotia ad Pœnitentiariam Apostolicam devolverentur, tandem necesse fuit, alios Officiales ei adjungere, qui unum quasi cum ipso Pœnitentiario tribunal constituunt, quod *Pœnitentiaria* dicitur.

* Pristina illa praxis, quam jam pridem in Ecclesia Romana viguisse monet de Luca, quòd nimirum, tam in foro externo, quam interno valeret dispensatio vel absolutio obtenta à Pœnitentiario, sive in Pœnitentiaria; nec esse pro foro externo recurrendum ad Datariam, & pro foro interno ad Pœnitentiariam, indubitanter conformior erat pristinæ Ecclesiæ disciplinæ, quæ forum internum ab externo non distinguebat. Hinc videmus Curiam Romanam continuò magis à pristina disciplina deflexisse, dum non tantùm in materiis contentiosis, sed in voluntariis & gratiosis, puta in dispensationibus, absolutionibus, & similibus, forum externum ab interno separari cœpit; atque utriusque diversum esse effectum voluit.

IV. Duravit hæc summa Pœnitentiarii auctoritas usque ad tempora Pii IV. qui anno 1562 Bullam reformationis Pœnitentiariæ Apostolicæ edidit, quæ incipit: *In sublimi*, 53. in Bullar. Rom.

In hac Bulla præfatur Pontifex, quòd ad Pœnitentiariæ Apostolicæ officium considerationis oculis directis attenderit, in Pœnitentiariæ officio, in quo *morum censura & animarum salus præcipuè vertitur*, plures & diversos abusus, propter superiorum temporum licentiam & injuriam irrepsisse, ideoque hanc præsentem reformationem decrevisse, qua plurimas facultates Pœnitentiario, & ejus Officialibus adimit.

V. Ulterius progressus Pius V. novam planè formam ipsius Pœnitentiariæ, priore in totum renovata, & abolita, induxit per Bullam quæ incipit *In omnibus*, 83. in Bullario Rom. „Qua, ait, ipsum Pœnitentiariæ officium certis qui„busdam facultatibus, quæ aliis magis convenerunt, exone„ratum atque expeditum, dehinc ea quæ animarum salutem „præcipuè concernunt, attentiore studio prosequatur.

Func-

(u) *V. seculo ex Presbyteris Ecclesiæ Romanæ quosdam constituit Simplicius Papa, ut auctor est Anastasius Bibliothecarius, super pœnitentes, ut iis præessent, & eorum exomologeses, seu confessiones audirent. De eorum Officiis pluribus egit Octavianus Vestrius*, lib. 1. de Judiciis Aulæ Romanæ *wil Brito* lib. 12. de Pœnitentiario Ecclesiæ Romanæ, *his verbis cecinit.*

„Dic Jacobo, Papæ vice qui delicta reorum.
„Audit, & absolvit confessor ritè reatus.

VI. Functionibus Pœnitentiarii imminutis, consequens erat, ut & Officialium, & Ministrorum quoque numerus diminueretur. Unde in citata Constitutione supresso, & abolito magno numero officialium, & Ministrorum, certos ac paucos qui hoc Tribunal regant, negotiaque ad illud pertinentia expediant, Pontifex designavit.

VII. „ Illorum autem omnium officiorum in ipso Pœni„ tentiariæ officio constitutorum (ait Pius V.) venditionem, „ aut quamvis aliam voluntariam, tacitam vel expressam ea „ dimittentium dispositionem expressè prohibemus, sed illa „ omnia probis, & peritis gratis omninò, & sine aliqua di„ mittentium, aut aliorum quorumcunque acceptione conce„ dantur, quod si secus factum fuerit, quæcunque conces„ siones de illis pro tempore factæ, nullius sint roboris, vel „ momenti.“

Opotandum esset, ut id ad omnia ubique officia, præsertim quæ circa spiritualia versantur, extenderetur, ut scilicet nulla essent venalia: notum quippe est illud vulgare: *Qui emit, vendere debet.*

VIII. Primus Pœnitentiariæ minister est Pœnitentiarius Apostolicus, qui *Pœnitentiarius Major* dicitur, isque juxta Constitutionem Pii V. officium suum per seipsum exercere debet, *quare*, ait, *sit Presbyter magister in Theologia, seu Decretorum Doctor.*

IX. Præter Pœnitentiarium majorem sunt insuper in tribus Patriarchalibus Ecclesiis Urbis *Pœnitentiarii minores*, qui ex diversis Religionibus assumuntur. In Lateranensi Basilica religiosi Ordinis Minorum Observantium reformatorum. In Vaticana, Societatis Jesu. In Liberiana, sive S. Mariæ Majoris, Ordinis Prædicatorum. Illi omnes confessiones excipientes, in signum majoris potestatis, *virgam* in manibus tenent, quibus pœnitentes tangere consueverunt.

X. Hi respectivè in domo Basilicæ propinqua sub obedientia unius eorum, qui superior deputatur, regulari modo, tanquam in claustro vivunt, „ atque in pertinentibus ad „ hoc munus, ait Cardinalis de Luca, sunt subjecti Pœni„ tentiario, ejusque visitationi, & correctioni, in iis verò quæ „ concernunt disciplinam regularem, sunt subjecti Prælato pro„ priæ Religionis.“

Hîc obiter nota notabilem regulam in materia exemptionis, nimirùm quòd concurrente diversa qualitate in eandem personam, illa persona possit esse exempta in una, & subjecta in alia qualitate.

Ad hos minores Pœnitentiarios à majori Pœnitentiario mitti solent absolvendi, aut à voto vel impedimento relaxandi qui in Curia præsentes absolutionis aut relaxationis gratiam mereri judicantur.

XI. Alia species Officialium est illorum, qui regunt Pœnitentiariam per quamdam speciem tribunalis, audiendo scilicet Supplicationes super petitis absolutionibus & dispensationibus, præcipuè absentium ab Urbe, pro quibus expediendæ sunt litteræ in forma.

Juxta hodiernum Curiæ stylum, & prætactam reformationem Pii V. primus post Pœnitentiarium Officialis est ille, qui vocatur *Regens Pœnitentiariæ*, teneturque ex Constitutione Pii V. esse *Magister in Theologia, vel Decretorum Doctor, vir eximiâ doctrinâ præstans, casuumque conscientiæ peritus*: uti & alter Officialis, qui *Datarius* vocatur.

XII. Regens vices majoris Pœnitentiarii gerit, habens etiam facultatem plures absolutiones & dispensationes, quæ nimirum negari non solent, non consulto majori Pœnitentiario, concedendi. Has ipse quoque signat, idque per *Fiat*, quemadmodum ipse Pœnitentiarius, sed aliter quàm Papa. Hic enim signat hac forma: *Fiat ut petitur*: Pœnitentiarius verò aut ejus Regens: *Fiat de speciali* vel *Fiat de expresso*; si nimirum facto prius verbo cum Sanctissimo, concedatur gratis; uti observat Marcus Leo in praxi Pœnitentiariæ, *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 8.

XIII. Datarius Pœnitentiariæ in calce supplicationum scribit datam diei mensis, & anni Pontificatus Papæ viventis, in hunc modum: *Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub sigillo Pœnitentiariæ*, si Pontifex in Palatio Vaticano resideat; si verò in monte Quirinali, ponitur: *Apud S. Mariam Majorem, quinto Idus Julii, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Innocentii Papæ Duodecimi anno quarto.*

XIV. Adsunt præterea in hoc tribunali, uti asserunt Marcus Leo, & de Luca, tres Procuratores (quamvis duo duntaxat assignentur à Pio V.) seu Secretarii in hac materia benè periti, qui per turnum, ait de Luca, inter se distribuunt libellos, qui porriguntur sine nomine, sub aliquo signo vel cifris, ut dignoscantur ab iis, qui negotia gerunt; ipsique Procuratores desuper efformant supplicationes juxta stylum Tribunalis, quas in Congregratione (de qua mox dicetur, proponunt.

XV. Præterea habet Pœnitentiaria duos Consultores, unum scilicet Theologiæ Magistrum, qui *Theologus Pœnitentiarii* vocatur, & alterum Doctorem in Decretis.

XVI. Habet insuper sunt sigillatorem. „ Hic (ait Mar„ cus Leo loc cit. *n.* 14.) publicum sigillum Sacræ Pœni„ tentiariæ apud se retinet, litteras Majoris Pœnitentiariæ nomi„ ne expediendas, *intus* & *extra*, Bullas verò *intus* subscri„ bit tantùm post Correctorem, subsequenti forma: *Gratis „ubique J. Rospigliosus.*“ Hæc ille, cujus tempore Sigillator erat Julius Rospigliosus.

XVII. Corrector, seu Revisor est Officialis, qui supplicationes à Procuratoribus Pœnitentiariæ confectas perlegit, & cùm necessitas exposcit, corrigit; & pro adimpleti sui muneris signo notulam peculiarem imprimit in extremis Supplicationum paginis: litteras demum omnes in forma Brevis, ac Bullas secundum præscriptam supplicationis formam expediendas, & expeditas subscribit.

XVIII. Demùm in hoc Tribunali sunt tres Scriptores, qui postquam Supplicatio signata est, de commissione Procuratorum, litteras vel Brevia juxta formam supplicationis scribunt, ut postmodum subscribantur & claudantur, ac sigillentur, Oratoribus, vel eorum agentibus consignanda.

XIX. Omnes hi Pœnitentiariæ Officiales juramento interposito promittunt, „ quòd officium suum fideliter exercebunt, „ ejusque ratione nihil ab aliquibus etiam sponte oblatum, vel „ donatum accipient, præterquam salarium sibi constitutum; Se„ creta Sacræ Pœnitentiariæ, & occultos casus, ac perso„ nas, de quibus in ea tractabitur, nunquam cuiquam extra „ officium revelabunt.

XX. „ Major Pœnitentiarius (inquit Marcus Leo *cap.* 2. „ *num.* 1.) semel quolibet mense & sæpius si necessitas pos„ cat, suos convocat Officiales, unà cum Procuratoribus, „ seu Secretariis, per Capellanum ejusdem Pœnitentiariæ: quæ „ convocatio appellatur *Signatura Pœnitentiariæ*, eò quòd „ spectantibus Majori Pœnitentiario, prædictisque Officialibus, „ Memorialia signentur à D. Regente; illorumque interventu „ graviores casus à prædictis Procuratoribus de mandato ip„ sius Domini Regentis propositos discutit, & cum eorum vo„ to gratias concedit vel negat.“

XXI. Interdum tamen, ut monet de Luca, ubi dubitatur de potestate dispensandi, ipsemet Pœnitentiarius, vel quandoque Regens Papam adit, atque ab eo tam oraculum, quam auctoritatem recipit.

XXII. Negotia, quæ cum Brevibus, sive litteris in forma Brevis expeditis in Pœnitentiaria explicantur, sunt dispensationes super occultis irregularitatibus ex causa homicidii vel illigitimorum natalium, aut alterius defectus; ac etiam revalidationes matrimoniorum contractorum cum impedimento dirimente, sed planè occulto: item revalidationes simoniacarum provisionum, modò simonia sit occulta.

Item absolutiones à censuris, præsertim ab excommunicatione ob percussionem Clerici; hocque casu in hoc Tribunali conceditur absolutio, tametsi negotium sit publicum atque excommunicatio judicialiter declarata sit.

XXIII. Porrò litteræ ab hoc tribunali emanantes, semper prodeunt sub nomine *Pœnitentiarii Majoris*, aut Sacræ Pœnitentiariæ, idque frequentiùs in forma commissoria; id est, committendo aliquem in partibus, qui super irregularitate vel impedimento dispenset, & à crimine absolvat.

XXIV. Diriguntur autem alicui Confessario sub hac formula: *Discreto Viro Confessori Magistro in Theologia vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario per latorem præsertium ad infrascripta specialiter eligendo, salutem in Domino.*

Hæc formula communis omnibus hisce dispositionibus, exprimit qualitates personæ, cui earum executio comittitur; sive cui auctoritas dispensandi à Pœnitentiario auctoritate Apostolica specialiter munita, committitur.

Duplex autem in Delegato qualitas exprimitur & requiritur.

XXV. Primò ut sit *Doctor* Decretorum vel *Magister* in Theologia, quod est idem (uti bene monet Sanchez de Matrimonio *lib.* 8. *disp.* 34. *n.* 5.) quod in Theologia *Doctor.*

Hinc consequens, has litteras illos exequi non posse, qui in aliqua Universitate publicè Theologiam, vel Jus Canonicum prælegunt, & docent, si revera ad Doctoris gradum non sint promoti, nec enim Pœnitentiarius has dispensationes committit, nisi illis, qui revera hoc gradu sunt insigniti, quia, ait Sanchez loco citato, *publicum Academiæ testimonium suæ peritiæ habent.*

Hîc rursus obiter nota, quomodo Ecclesiæ pernitiosè imponant, qui hos gradus inidoneis annuunt.

Ulteriùs infertur, non posse dispensationes has expediri per Regulares, qui juxta suorum Ordinum instituta quibusdam Magistrorum privilegiis fruuntur, atque in ipso Ordine *Magistri* creantur & vocantur, nisi ipsi verè ad Magisterii gradum in aliqua Academia promoti sint; eò quòd ad hos litteræ dirigantur ob publicum Academiæ testimonium.

XXVI. Secunda qualitas in Delegato requisita, est aproba-

batio ab Ordinario, id est, ut ultra gradum Doctoratus sit approbatus ab Ordinario, ut possit excipere confessiones hujus personæ, cum qua est dispensandum. Unde approbatus ad excipiendas confessiones certarum duntaxat personarum, potest exequi has litteras, si lator earum non sit de numero illarum personarum.

XXVII. Post hæc exprimitur in litteris ipsa supplicatio Oratoris, quæ pro varietate ejus, quod petitur, varia est.

Subsequitur deindè ipsa commissio dispensandi quæ pariter diversimodè nonnihil concipitur pro diversitate materiæ, adhibitâ semper cautione: *Audita priùs ejus Sacramentali confesione... In foro conscientiæ &, in ipso actu Sacramentalis confessionis* TANTUM, *& non aliter*, „ neque ullo alio modo: „ ita quod hujusmodi absolutio & dispensatio in foro judicia„ rio nullatenus suffragentur, nullis super his adhibitis testibus „ aut litteris datis, seu processibus confectis, sed præsentibus la„ niatis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ la„ niare tenearis, ita ut nullum illarum exemplum extet, ne„ que eas latori restituas; quòd si eas restitueris, nihil ipsi „ præsentes litteræ suffragentur."

Hæc ostendunt, quàm solicitè caveatur, ne dispensationes præsertim matrimoniales in hoc Tribunali expeditæ ad forum externum extendantur, ut ita frequentiùs ad Datariam recursus habeatur.

XXVIII. Additur præterea clausula: *Dummodo impedimentum ex præmissis proveniens sit* OCCULTUM: eò quòd super solis occultis in Pœnitentiaria, super aliis verò in Dataria dispensationes concedantur: sed de his plura Parte secunda, ubi de Dispensationibus Matrimonialibus ex professo agetur.

XXIX. Illud hîc, observandum, quòd licèt dispensationes, præcipuè matrimoniales, non nisi super occultis in Pœnitentiaria concedantur, tamen absolutio à censuris, etiam publicis in Pœnitentiaria sæpiùs expediatur.

Et quidem si innodatus censurâ ob percussionem v. gr. Clerici, personaliter ad Curiam Romanam accedat, se primò præsentat Pœnitentiario majori, vel ejus Regenti, atque ab altero eorum absolvitur; vel juxta stylum consuetum ab eis petit facultatem, ut ab aliquo ex ejus minoribus Pœnitentiariis possit absolvi; quâ facultate obtentâ, Pœnitentiarium minorem addit, à quo absolvi petit. Absolutione obtentâ, adire debet unum ex tribus Procuratoribus Pœnitentiariæ, qui conficiat litteras in forma Brevis ad Ordinarium ipsius absoluti dirigendas, quibus Ordinario intimatur, illum in forma Ecclesiæ consueta á censura esse absolutum, eumque ut talem recipiendum.

XXX. Formulam hanc litterarum, uti & illarum quibus absolutio à censuris comittitur Ordinario, eò quòd ipse Orator ad Urbem personaliter accedere nequeat, refert & exponit Marcus Leo *part.* 3. Hoc unum notandum, quòd in litteris, quæ Ordinario diriguntur, Pœnitentiarius major titulos Episcoporum aut Archiepiscoporum præmittat suo nomini, hâc similive formula: *Venerabili in Christo Patri Episcopo, vel Archiepiscopo* N. *Leander Coloredo*, &c. *salutem in Domino.*

XXXI „ Illud autem (inquit Pius V. in cit. Constitutio„ ne) sanctè & inviolatè apud Officium præ dictum (Pœni„ tiariæ) volumus observari, ut nihil prorsus pro litterarum „ confectione, & expeditione, nec aliàs etiam pro charta, „ atramento, cera, capsula, cordulis, aliisque rebus ad ip„ sam expeditionem pertinentibus, exsolvatur."

Unde monet de Luca, omnes expeditiones in Pœnitentiaria concedi *gratis*, absque solutione, ne quidem mercedis Procuratorum & Scriptorum; ideoque aliud solvendum non est, nisi aliquid modicum ipsi corresponsali; „ & ad „ quod adverti debet (ait de Luca) ne ab antiquis Curiali„ bus crumenarum tortoribus, qui furibus vel grassatoribus „ assimilari debent, decipiantur, cum assertione quòd expen„ sas pro hujusmodi expeditionibus facere oportuerit."

CAPUT IV.

De Secretario Brevium, et de differentia inter Brevia, et Bullas.

1 *Olim in Curia Romana nulli erant Secretarii, & quare.*
2 *Primus Secretariorum est Secretarius* Statûs.
3 *Quis dicatur Secretarius* Brevium.
4 *Quid sit* Breve Apostolicum.
5 *Jam pridem Pontifices in signandis litteris* privatis *usi sunt annulo Piscatoris.*
6 *Quid sit* Bulla *juxta stylum Curiæ Romanæ.*
7 *Quando incœperint Pontifices litteras* plumbo *obsignare.*
8 *Prima differentia inter Bullam, & Breve, ex diversitate sigilli.*
9 *Secunda ex diversitate membranarum.*
10 *Tertia ex diversitate characteris.*
11 *Litteræ Pœnitentiariæ, quæ* Brevia *dicuntur, aliam ab his* Brevibus *Pontificiis formam habent.*
12 *Quæ negotia per* Brevia *expediri soleant.*
* *Forma litterarum nulla specialis olim in Curia Romana.*
13 *Quæ cautio adhibeatur, ne falsitas circa Brevia fieri contingat.*
* *De reservatione eorum, quæ creduntur in Curia Romana minoris esse momenti.*

I. ANntiquo tempore, quemadmodum observat Cardinalis de Luca in *Relatione Curiæ Romanæ. discurs.* 7. nulli erant in Curia *Secretarii*; quia quæ hodie per Secretarios expediuntur, expediebantur per Vicecancellarium, qui erat Secretarius Papæ. At postremis hisce temporibus, excrescentibus negotiis, plures fuêre constituti Secretarii; iique varii pro diversitate negotiorum, & litterarum per ipsos expediendarum.

II. Primus inter illos est, qui vocatur *Secretarius Statûs.* Hic licèt non sit in Ordine Hierachico Officialium, aut Magistratuum Papæ, est tamen summæ confidentiæ, & auctoritatis. „ Atque de facto, ait de Luca, secundum locum occupare vi„ detur in iis, quæ concernunt politicam, ac etiam in parte „ civilem utriusque status administrationem, dum graviora ne„ gotia majoris confidentiæ cum Regibus & Principibus, ac etiam „ cum Legatis & Nuntiis Apostolicis, per hoc organum junc„ tum cum altero Cardinalis Nepotis pertractantur, & quando„ que etiam in civilibus, & Ecclesiasticis negotiis, Ordinariis „ Locorum, vel Gubernatoribus, aliisque Officialibus & Ma„ gistratibus Statûs Ecclesiastici, oracula & mandata Papæ „ explicantur."

III. Secretarius *Brevium* dicitur, per cujus organum expediuntur litteræ Apostolicæ, quæ dicuntur in forma *Brevis.* Quædam enim negotia expediuntur per litteras, quæ *Brevia* Apostolica vocantur, alia verò per *Bullas.*

IV. Breve Apostolicum ita definit Rebuffus: „ Scriptura „ modica in parvis concessa negotiis, in papyro frequenter scri„ bi solita, rubeâ cerâ *annuloque Piscatoris* sigillata, ac signo „ Secretarii subscripta." In Praxi de Benef. tit. *de Brevi Apostolico.*

V. Jam pridem Pontifices in signandis *privatis* litteris usos fuisse *Annulo Piscatoris*, probat Epistola Clementis IV. ad Petrum Grossum nepotem suum data anno 1265. cujus hæc est finalis clausula: Non scribimus tibi nec familiaribus sub Bulla, „ sed sub *Piscatoris annulo*, quo Romani Pontifices in secre„ tis utuntur. (x)"

VI. Bulla verò juxta stylum Curiæ Romanæ sumitur pro litteris Pontificum plumbeo sigillo notatis, eorum Decreta continentibus.

VII. Originem hujus moris iuvestigans Polydorus Virgilius *lib.* 8. *de Invent. Rerum*, *cap.* 2. ait, satis constare Agatonem in cera annulo impressisse sigilla: „ Verùm, ait, posteà cùm „ Rom. Pontifex multa irrogaret privilegia, & diplomata diu„ turniora forent, placuit Stephano III. ac deinde Hadriano I. „ tabulas Apostolicas plumbo obsignari. Fuit is annus salutis 772. „ cùm ipse Hadrianus factus est Pontifex: nam antiquiùs non „ reperitur sigillum *plumbeum*; quemadmodum constat, ante „ Carolum M. Imperatorem, litteras auro obsignâsse Principum „ Romanorum neminem."

Vetustiora tamen diplomata Pontificum *plumbo* obsignata reperiri, asserit Dominicus Raynaldus, Bibliothecæ Baticanæ custos, apud D. Du Cange in Glossario suo, verbo, *Bulla plumbea.* Et quidem Bullam plumbeam Sylvestri Papæ asservari in Archivo Aretino asserit; uti & Leonis I. Gregorii Magni, ac Sergii, vetustissima diplomata in papyro, ex frutice confecta, plumbo obsignata in Archivo Castri S. Angeli.

Observat quoque idem Raynaldus in plumbo diplomatum vetustissimorum Pontificum non impressas fuisse imagines Petri, & Pauli, sed tantùm illius Pontificis nomen, cujus litteræ obsignabantur. Vetustiorem quippe usque ad huc Bullam cum imaginibus Petri & Pauli non se reperisse, ait, quàm sub Adriano IV. qui 1153. vixit.

VIII. Quidquid sit de antiquitate ritûs hodierni obsignandi litteras Pontificias, quas hodie *Bullas* dicimus, illud constat, *Bullas* à litteris in forma *Brevis* in hoc à se mutuò differre, quòd Bulla sigillo *plumbeo* pendente quidem ex *chordis sericeis*, si sit Bulla *gratiosa*; si verò sit *justitiæ*, ex *filo cannabis*; Breve verò sub Annulo Piscatoris expediatur.

Cir-

(x) *Ex his constat ante annum* 1265. Annulum Piscatoris *jam notum fuisse, imò posset supponi ea ætate antiquior; quod observandum est adversus continuatores* Glossarii *Du Cange, qui asserebant anno* 1731. *hanc vocem ante* 400. *annos minimè fuisse notam.* Annulus autem Piscatoris *dicitur, quòd illo S. Petrus, qui Piscator erat, primus usus fuisse à vulgò existimetur; at reverà quòd ejusdem Divi Piscatoris imaginem insculptam habeat.*

IX. Circa membranas quoque & characteres differentia est. Pro Brevibus enim in usu sunt membranæ subtiles & albæ, pro Bullis autem membranæ magis nigræ, & grossæ.

X. Brevia scribuntur in charactere latino, nitido & eleganti ac intelligibilis: „ in Bullis autem (ait de Luca) retinetur „ antiquus stylus characteris gallici, eò quia in Gallia de tempore, quo Sedes Apostolica residentiam habebat in Civitate Avenionensi, magis practicari cœperunt reservationes, & affectiones Apostolicæ Beneficiorum, cum expeditione Bullarum, „ & cum solutione Annatarum aliorumque emolumentorum.“

XI. Adhibetur etiam in Curia vocabulum *Brevium* in illis expeditionibus, ait de Luca, quas concedit Tribunal Pœnitentiariæ, sed aliam omninò formam habent, diversumque sigillum, uti suprà notabimus.

XII. Quæ provisiones & gratiæ expediantur per *Bullas* in Cancellaria Apostolica, quæ verò per *Brevia* per Secretarium Brevium, enumerat Cardinalis de Luca, & fusiùs Rebuffus in Praxi titulo *de Brevi Apostolico*; notatque de Luca, in summa omnia per *Breve* expediri, „ quæ per Papam concessa, „ ex Regulis Cancellariæ vel ex stylo non exigunt necessitatem „ Litterarum sub plumbo per viam Cancellariæ.“ Rebuffus verò monet, „ quòd Breve in parvis materiis concedatur, & „ ubi non est multa pecunia exponenda: sic in casibus cons„ cientiæ & in absolutionibus dari potest & pauperibus ac „ viduis.“

Ulteriùs monet ibidem Rebuffus, „ quòd per *Breve* con„ cedi potest, ubicunque in signatura est expressum, ut in for„ ma *Brevis* expediri possit. Ex hoc solet, inquit, à cautis „ Pragmaticis Curiæ Romanæ in Signatura poni quòd hoc ex„ pediatur per *Breve*, vel quòd sola Signatura sufficiat, & ma„ ximè in modicis, ut expensæ vetentur.“

* Has expediendi formulas in Curia Romana hodie usitatas, an antiquiores sint, quàm taxæ Cancellariæ, nescio. Hoc sat certum est, plurimis seculis Episcopum Romanum in scribendis litteris, simplici formulâ, ac aliis Episcopis communi usum esse, uti probant litteræ pristinorum Pontificum, quæ nobis hodie supersunt; nec alias præter communem litterarum scribendarum formam præferunt.

Imò eas expediendi formulas in forma *Brevis*, & per *Bullas*, nec seculo XIII. notas fuisse, vel inde habetur, quòd nec inter Innocentius III. litteras hæc distinctio observetur, videturque indicare Cardinalis de Luca verbis n. 10. relatis, eam diversam formam præcipuè invaluisse seculo XIV. unà cum Beneficiorum reservationibus & Annatarum solutionibus.

XIII. Porrò quia Brevia aliud non habet signum authenticum nisi subscriptionem Secretarii, & impressionem *Annuli Piscatoris* in rubea cera facilè delebili, & amovibili, hinc pro certitudine expeditionis, non tantùm registrantur in libris, seu regestis sub fidei custodia, sed insuper minutæ, seu matrices manu ipsius Papæ subscriptæ, per Secretarium pro sua indemnitate conservantur, ac etiam pro verificatione gratiæ concessæ in Archivo Apostolico diligenter custodiuntur, „ illis forsàm gratiis vel Brevibus exceptis, quæ concedantur „ super rebus *consuetis*, modicique momenti, adeò, ut penè „ nemini negentur, unde propterea generalis commissio, seu „ probata fides Secretarii, ac impressio dicti annuli Piscato„ ris sufficientes videntur, ut ex. gr. sunt Brevia super dis„ pensatione Interstitiorum pro suscipiendis sacris Ordinibus „ in tribus diebus festivis; aut super dispensatione ætatis 13. „ mensium ad suscipiendum Ordines sacros, sive quædam spe„ cies Indulgentiarum, quæ sub certa forma omnibus con„ ceduntur: putà pro Altari Privilegiato in una die hebdo„ madæ, & in Octava Mortuorum, pro Indulgentia Plena„ ria in una tantùm solemnitate totius anni alicujus Ecclesiæ, „ cum similibus gratiis, quæ sub certa & generali forma inal„ terabili, cuique petenti conceduntur; quoniam cùm frau„ dis vel falsitatis timor desuper verisimiliter non cadat, id„ circò superfluæ videntur dictæ majores diligentiæ; potissimè „ ob hujusmodi expeditionum multiplicitatem, magnamque „ copiam; unde propterea quando desideratur aliquid specia„ le, & alterativum formulæ consuetæ, tum dictæ diligentiæ „ intrant, pro diversa negotiorum qualitate, diversisque stylis, „ quibus in his materiis deferendum est.“

* Observatum est Numeris superioribus, in Curia Romana concedi plures gratias ac dispensationes, quæ MODICI MOMENTI dicuntur. Quod si parvi æstimari debeant, cur tot edita fuisse Decreta Conciliorum, quibus allaboratum fuit, ut disciplina, quæ per has dispensationes, & concessiones evertitur, stabiliretur, vel collapsa restauraretur, uti & in novissima Synodo œcumenica Tridentina quoque factum fuit?

Præterea, si hæc adeò sint exigui momenti, ut omnibus *indifferenter* concedantur, quid necesse fuit, ut Episcopis, quibus tanquam Apostolorum Succesoribus plena auctoritas dispensandi, necnon ligandi, & solvendi, vigore clavium, de jure competit, & per novem ut minùs secula integra permansit, auferri debuerit, & Romano Pontifici reservari; necnon ipsos fideles ad Romanam Curiam pro illis obtinendis remitti, ac impensis gravari oportuerit?

TITULUS XXIV.

De Instituto Regularium, & eorum Admissione.

CAPUT I.

DE PRIMÆVO MONACHORUM INSTITUTO, EORUM REGULIS, ET CONSTITUTIONIBUS.

1 *Vita monastica è vita primorum fidelium originem accepit.*
2 *Probatur ex Cassiano.*
3 *Primi monachismi Auctores privatâ sua electione, & instinctu vitam illam assumpserunt.*
4 *Vita monastica principaliter tantùm spectat* privatam *Monachorum salutem.*
5 *Probatur auctoritate SS. Basilii, & Hieronymi.*
6 *Superiorum ex tempore data præcepta erant primitùs Monachis pro* Regula.
7 *Probatur ex S. Augustino.*
8 *Veteres Patrum Regulæ tantùm sunt privatæ Institutiones Monachis ex tempore datæ.*
9 *Etiam Regula S. Augustini non nisi privata instructio primitùs fuisse videtur.*
10 *Primis seculis vix ullæ Regulæ litteris fuêre consignatæ.*
11 *Antiquitus regularum frequens mutatio; & plures frequenter in eodem Monasterio receptæ.*
12 *Primus S. Benedictus Regulas mutandi licentiam tantisper castigavit; & qua occasione id factum.*
13 *Multis seculis nulla aut Episcoporum, aut Sedis Apostolicæ approbatio Regulæ Monasticæ necessaria fuit.*
14 *Primus approbationem Sedis Apostolicæ requisivit Innocentius III.*
* *Quædam observantur circa approbationem Sedis Apostolicæ.*
15 *Non dicitur hodie vera* Religio Monastica, *quæ non profitetur* Regulam *ex* approbatis.
16 *Olim nota non erant discrimina inter* Regulas *Monachorum, & Ordinis* Constitutiones.
17 *Primum discrimen quod hodie inter* Regulam *& Constitutiones intercedere dicitur.*
18 *Secundum discrimen.*
* *Quâ occasione creditum est solum Pontificem posse derogare Regulæ.*
19 *Tertium discrimen cum quadam reflexione.*

I. VItam monasticam, præcipuè Cœnobitarum sive in communi viventium, originem sumpsisse è vita primorum fidelium, de quibus in Actibus Apostolorum legitur: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia*, notavit & pluribus expressit Cassianus.

II. Postquam enim tria Monachorum genera annotavit, *Collat.* 18. *cap.* 4. deinde *cap.* 5. Cœnobitarum originem ita describit; „ Cœnobitarum itaque disciplina, à tempore prædi„ cationis Apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis extitit in „ Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in Acti„ bus Apostolorum ita scribitur: Multitudinis credentium erat „ cor unum & anima una, nec quidquam eorum quæ posside„ bat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia com„ munia: possessiones & substantias vendebant, & dividebant „ ea omnibus, prout cuique opus erat. Et iterum: Neque enim „ quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores „ agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia „ eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolo„ rum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. „ Talis, inquam, erat tunc omnis Ecclesia, quales nunc per „ paucos in Cœnobiis invenire difficile est. Sed cùm post Apos„ tolorum excessum tepescere cœpisset credentium multitudo,

ea

„ ea vel maximè, quæ ad fidem Christi de alienigenis ac diver-
„ sis gentibus confluebat, à quibus Apostoli pro ipsis fidei ru-
„ dimentis, ac inveterata gentilitatis consuetudine, nihil am-
„ plius expetebant, nisi ut ab immolatitiis idolorum, & for-
„ nicatione, & suffocatis, & sanguine temperarent: atque ista
„ libertas, quæ gentibus propter infirmitatem primæ credulita-
„ tis indulta est, etiam illius Ecclesiæ, quæ Jerosolymis consis-
„ tebat, perfectionem paulatim contaminare cœpisset, & cres-
„ cente quotidiè vel indigenarum numero vel advenarum, pri-
„ mæ illius fidei refrigesceret fervor, non solùm hi, qui ad fi-
„ dem Christi confluxerant, verùm etiam illi, qui erant Eccle-
„ siæ Principes, ab illa districtione laxati sunt. Nonnulli enim
„ existimantes id, quod videbant gentibus pro infirmitate con-
„ cessum, sibi etiam licitum, nihil se detrimenti perpeti cre-
„ diderunt, si cum substantiis, ac facultatibus suis fidem Chris-
„ ti confessionemque sequerentur. Hi autem, quibus adhuc
„ Apostolicus inerat fervor, memores illius pristinæ perfectionis,
„ discedentes à civitatibus suis, illorumque consortio, qui sibi
„ vel Ecclesiæ Dei remissioris vitæ negligentiam licitam esse cre-
„ debant, in locis suburbanis, ac secretioribus commanere, &
„ ea, quæ ab Apostolis per universum corpus Ecclesiæ genera-
„ liter meminerant instituta, privatim ac peculiariter exercere
„ cœperunt, atque ita coaluit ista, quam diximus discipulorum,
„ qui se ab illorum contagio sequestraverant, disciplina. Qui
„ paulatim tempore procedente segregati à credentium turbis,
„ ab eo quod à conjugiis abstinerent, & à parentum se consor-
„ tio mundique istius conversatione secernerent, *Monachi*, si-
„ ve *Monazontes* singularis, ac solitariæ vitæ districtione nomi-
„ nati sunt. Unde consequens fuit, ut ex communione consor-
„ tii *Cœnobitæ*, cellæque, ac diversoria eorum *Cœnobia* vo-
„ carentur."

III. Ex hoc Cassiani discursu non obscurum est, quòd non-nulli salutis suæ securiùs, faciliùsque agendæ desiderio succensi, privatâ, ac propriâ electione & instinctu secesserint, & quod hodie vocatur *Monachale* Institutum, assumpserint, eique originem dederint.

IV. Patet insuper, hanc secessionem monasticam non publicum, & commune Ecclesiæ bonum (nisi in quantum privatorum virtutes, & vitæ sanctitas, totam Ecclesiam exornant, & juvant) sed privatum ipsorum recedentium, seu eam vivendi normam amplectentium, commodum & emolumentum, sive salutem propriam principaliter spectâsse: eumque in finem à primis illis Monachis fuisse arreptam: quod & manifestum est ex iis, quæ passim à Patribus de Monachis, & eorum vivendi instituto dicuntur.

V. Basilius enim ait: „ Monachorum vitæ ratio, unum si-
„ bi tantummodo propositum habet, *animæ salutem*, & quid-
„ quid prodesse ad eum finem potest."

S. Hieronimus de se & Vincentio Monachis loquens idem asserit: „ Ob id enim & ego Antiochiam, & ille Constantino-
„ polim, urbes celeberrimas reliquimus, non ut te in populo
„ prædicantem (alloquitur Joannem Constantinopolitanum) lau-
„ daremus; sed ut in agris, & in solitudine adolescentiæ pec-
„ cata deflentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus." Et rursus libro adversus Vigilantium hæc de Monachis habet: „ Monachus non *Doctoris*, sed *plangentis* habet officium; qui
„ vel *se*, vel *mundum* lugeat, & Domini pavidus præstoletur
„ adventum; qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile,
„ quod portat, timet offendere, ne impingat, corruat, atque
„ frangatur; unde & mulierum maximè adolescentularum vitat
„ aspectum; & in tantum castigator sui est, ut etiam quæ tuta
„ sunt, pertimescat." Verbo, perlegantur omnes omninò Patrum Regulæ Monasticæ, videbitur, in hoc unum directas, ut Monachi propriam suam salutem, & profectum faciliùs securiùsque, juxta normam Evangelicam, operari queant.

VI. Hinc quidquid pro temporum, locorum, & personarum circumstantiis, in eum finem utilius, atque opportunius videbatur, id à Præpositis, & Superioribus statuebatur. Voluntas Superiorum eis pro regula erat, atque Superioribus obedire prima Monachorum virtus, & monasticæ disciplinæ fundamentum.

Neque enim primis seculis Monachi certam, fixamque Regulam profitebantur, aut promittebant; sed quidquid ad profectum Monachorum videbatur hîc & nunc conveniens, à Superioribus ordinabatur, idque Monachis pro regula erat.

VII. De Patribus Cœnobitarum seu Monachorum in communi viventium scribit Augustinus *lib.* 1. *de Moribus Ecclesiæ, cap.* 31. „ Hi Patres non solùm sanctissimi moribus, sed etiam
„ divinâ doctrinâ excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nul-
„ lâ superbiâ consulunt iis, quos filios vocant, *magnâ suâ*
„ *in jubendo auctoritate, magnâ illorum in obtemperando volun-*
„ *tate.* Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisque
„ habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum illum Pa-
„ trem, & conveniunt ad singulos Patres terna, ut minimùm,
„ hominum millia: nam etiam multò numerosiores sub uno
„ agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio,
„ affectiones animorum suorum, prout eos populerit disserentis
„ oratio, vel gemitu, vel fletu, vel modesto, & omni cla-
„ more vacuo gaudio significantes."

VIII. Si quis, seu Orientalium, seu Occidentalium antiquitas Monachorum Regulas, quas Lucas Holstenius nuper sub titulo *Codicis Regularum* evulgavit, attentus expenderit, non difficulter intelliget, plerasque earum non esse, nisi particulares aliquibus Monachis ex tempore, aut datâ occasione datas vivendi formulas, sive privatas instructiones, successu temporis aliis communicatas, & à pluribus tanquam disciplinæ monasticæ utiles & convenientes Regulas receptas; quod etiam ipse Holstenius in præfatione ad dictum Codicem, *cap.* 3. notavit.

Loquens quippe de antiquis Regulis in suo Codice contentis ait: „ Illæ à singulis, ut præsens usus poscebat, Patribus
„ scriptæ, aliorum similia cupientium studiis descriptæ in com-
„ muni proponebantur, ut ex his quique pro locorum & na-
„ tionum differentia vitam uniformi, quoad præcipua, disciplinâ temperarent. Primaria sanè & quasi fundamentalis Monacho-
„ rum regula Evangelium erat: illa, inquam, Christi consilia,
„ quæ castrare se ipsum propter regnum cœlorum, quæ abne-
„ gare se, & crucem tollere, quæ patrem, & matrem, uxo-
„ rem, agros propter Christum relinquere, quæ vendere patri-
„ monia, & dare pauperibus, sicque nudos Christum sequi
„ suadebant. Regulæ particulares nihil nisi ejus primæ, ac uni-
„ versalis regulæ applicationes, aut declarationes locis & perso-
„ nis plerumque aptatæ habebantur."

IX. Quin & S. Augustini Regulam nunc toto orbe per tot Religiosorum virorum, ac fœminarum cœtus diffusam, non nisi planè extemporaneam fuisse, quamvis in se dignissimam, scriptionem, ad unius solius Parthenionis usum, in quo ipsa sancti Doctoris soror præposita fuerat, observat R. P. Papebrochius ad vitam sancti Alberti 8. Aprilis. „ Etenim, ait, ne-
„ que Possidius, qui vitam Magistri sui scripsit, neque ipse
„ S. Doctor, ex cujus scriptis plurima pars rerum ab eo gesta-
„ rum nobis innotescit, uspiam mentionem fecêre curæ impen-
„ sæ sanctimonialibus per regulæ scriptionem, & ipsa regula
„ nusquam inter Augustini scripta numeratur: licèt Possidius
„ post vitam catalogum texuerit omnium, quorum potuit noti-
„ tiam consequi, etiam singularium epistolarum, adeò ut videa-
„ tur planè extemporanea, quamvis in se dignissima, fuisse
„ scriptio; cujus, tanquam alium deinceps usum non habituræ,
„ exemplar servare S. Doctor neglexerit, & tamen ex illis ali-
„ quando producta angustiis quantam approbationem non re-
„ tulit!"

* Verùm P. Sebastianus à S. Paulo Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo in *exhibitione errorum*, quos in Actis Sanctorum per Papebrochium evulgatis se reperisse contendit, inter alios exhibet & hunc *art.* 13. „ Papebrochius cum Erasmo Ro-
„ terodamensi sancti Augustini regulam negat esse scriptam
„ viris."

Huic *errorum exhibitioni* responsionem apologeticam reponens Papebrochius ostendit in responso ad dictum *art.* 13. non solùm Erasmum Roterodamensem (uti prætendere videbatur P. Sebastianus) sed & plures alios viros doctissimos id asseruisse; quod & pluribus ibidem relatis eorum textibus evincit, unà notans, S. Augustini Regulam *viris* demum aptatam fuisse per S. Benedictum Abbatem Monasteri Anianensis, qui seculo IX. *Concordiam Regularum* compilavit, & plures alias regulas seu instructiones primitùs solis fœminis datas, viris adaptavit, uti observat Papebrochius.

X. Itaque rectè observabit Haeftenus *disquisit. monast. lib.* 1. *tract.* 1. *disquis.* 2. quòd „ primis seculis vix ullæ litteris
„ consignatæ fuerint Regulæ, & ipsemet Regularum Condito-
„ res, ait, antequam eas scriberent, communi tantùm tradi-
„ tione, consuetudine & usu suos regebant, eratque iis *Supe-*
„ *rioris imperium instar vivæ cujusdam Regulæ*, sicut Regula
„ mutus quidam Superior."

XI. Hinc antiquitùs mutatæ passim Regulæ, & plures etiam in eodem Monasterio non rarò servatæ, uti de Athanensi testatur Gregorius Turonensis *lib.* 10. *histor. cap.* 29. in quo, ait, servatas *fuisse Regulas S. Basilii, Cassiani, & reliquorum Abbatum*, detractis scilicet & usurpatis iis, quæ pro locorum, ac temporum conditione intempestiva, aut opportuna videbantur.

XII. Si viro erudito Joanni Mabillonio credimus, vagam illam Regulas mutandi licentiam primus tantisper castigavit S. Benedictus, cujus discipulis susceptam semel regulam abdicare nunquam fas fuit. „ Id verò inde processit, ait Mabillonius,
„ quòd cùm sanctissimus Legislator primus, aut certè inter pri-
„ mos, solemnis professionis formam, modumque præscrip-
„ serit, intra professionis terminos incluserit Regulæ suæ obser-
„ vationem; à qua deinceps recedere non liceat." In præfatione ad primam partem seculi IV. Benedictinorum, *num.* 53.

Observat verò Holstenius in citata præfatione, quòd nec ipse S. Benedictus „ Regulam universalem suis ubique omni-
„ bus promulgârit, sed peculiarem duntaxat Cassinensi Cœ-
„ no-

„ nobio cui præerat; quæ inde privatâ diligentiâ descripta,
„ & imitandi studio publicata est.

* Quandoquidem admodum varius sit hominum genius, atque pro varietate temporum & locorum, plurima conveniant uni populo & non alteri, pro climatis & morum diversitate, non sine fundamento ambigi posset, num disciplina, quæ inter primos Monachos viguit, nimirum Regulam & normam vivendi pro cujusque Monasterii, & temporum & locorum conditione moderandi & præscribendi, non foret convenientior, quàm hodierna quæ sub una generali Regula universum Ordinem, per dissitas inter se Provincias diffusum immutabiliter vigore ejusdem professionis obstringit, signanter quoad ea, quæ vitæ monasticæ, & trium votorum solemnium substantiam non attingunt.

XIII. Quia ergò Monachorum Regulæ à Præpositorum voluntate primitùs dependebant, mirum non est, si in antiquis Patrum Regulis, nec Episcoporum, nec Sedis Apostolicæ approbatio, vel confirmatio appareat (y).

XIV. Primus Innocentius III. in Concilio Lateranensi in *cap. fin.* ✠ *de Religiosis domibus*, decrevit, ut, *qui voluerit religiosam domum de novo fundare*, REGULAM *& institutionem accipiat de* APPROBATIS.

Hoc Decreto vetitum creditur, sine auctoritate seu approbatione Sedis Apostolicæ novam Religionis Regulam concedere: diceturque ipse Innocentius III. Beato Dominico Ordinis sui confirmationem petenti respondisse, ut Regulam aliquam *approbatam* eligeret, quam & elegit, nimirum Regulam S. Augustini, quæ tum totius Ecclesiæ consensu recepta & probata erat.

* Verum circa hanc receptam opinionem duo sunt observanda. Primum ad veram Religionem nec hodie requiri, ut ipsa Religio, sive institutum cum omnibus suis constitutionibus per Sedem Apostolicam sit approbata, vel confirmata, ut reputetur vera Religio, & in ea professi veri Religiosi, vel religiosæ, etiam ad effectum dirimendi matrimonium, post emissum in ea votum castitatis; sed sufficere, quòd emittant professionem juxta *Regulam* per Sedem Apostolicam expressè vel tacitè approbatam, puta SS. Augustini, Basilii, Benedicti, Francisci & similibus, sub quibus passim omnes licèt instituti admodum diversi, Ordines tam virorum, quàm mulierum militant, & pro veris Religiosis reputantur, tametsi aliquorum institutum nunquam per Sedem Apostolicam sciatur probatum.

Secundò notandum, quòd ea Sedis Apostolicæ approbatio sive confirmatio, quæ hodie necessaria reputatur, ut vera sit Religio, & in ea professi habeantur veri Religiosi, nequaquam extulerit hodiernum Monachorum, sive Regularium institutum vel professionem supra pristinos Monachos, quorum Regulæ neque auctoritate Sedis Apostolicæ, aut etiam Episcoporum non erant approbatæ; nec ista approbatio modernos Religiosos in aliam Monachorum sive Regularium speciem mutaverit.

Hæc enim vel Pontificia vel Episcopalis approbatio Regulæ vel Instituti Monachalis nihil ipsi Regulæ vel Instituto addit, sed duntaxat eum in finem posterioribus seculis requiri cœpit, ut provideretur, ne sub prætextu novæ Religionis improba conventicula in Ecclesiam irreperent.

Hinc tandem & Principes noluerunt ad suas ditiones sine sua licentia admitti novos Ordines aut Monasteria, ne sub titulo Religionis intrarent hominum conventicula Reipublicæ suæ minùs convenientia, uti infra ostendemus.

Itaque hodierni Religiosi Regulam approbatam per Sedem Apostolicam professi manent nihilominus in ordine laicorum non minus quàm veteres Monachi.

Similiter nec hodie per solam religiosam professionem Monachi ad Ordinem Hierarchichum magis pertinere noscuntur, quam pristini illi Monachi, qui se in simplici laicorum statu consistere existimabant, donec ab Episcopis per ordinem Clericalem & Hierarchicum ordinati essent, credebantque, se per eam ordinationem in alium statum, & ordinem translatos, & se tunc Monachatum exuisse censebant, uti in decursu hujus operis non semel annotatum est.

XV. Quim si quæ mulierum, aut virorum hodie congregatio sit, quæ privatam sibi vivendi Regulam præscripserit, atque illam professi, vitam solitariam etiam cum emissione trium votorum agant, nequaquam dicetur Religio; neque *vota* in illa emissa dicentur vota *solemnia* Religionis; eo quod Regulæ & Religionis approbatio desit.

XVI. Adhæc quandiu Monachis præcepta & ordinationes superiorum pro Regula fuerunt, quidquid pro bono disciplinæ & vitæ monasticæ observantia à præpositis ordinabatur, vice *Regulæ* erat: neque nota erant discrimina inter *Regulam* Monasticam & inter Constitutiones Ordinis, quæ postrema ætas invexit; quorum hæc præcipua à recentioribus allegantur.

XVII. Primum desumitur à diversitate auctorum. Regulæ enim dicuntur, quæ à SS. Patribus Ordinum Fundatoribus, aut aliquibus Episcopis, jam pridem præscriptæ sunt, & ipsi professionis formulæ solent sub nomine *Regulæ* includi. Constitutiones verò dicuntur, quæ à Capitulis Generalibus, aut Ordinum Congregationibus, diversis temporibus emanârunt.

* Quòd soli Pontifici credatur esse auctoritas derogandi Regulæ, aut super ea dispensandi, uti ex S. Antonino notatum est, id verisimiliter invaluit, postquam creditum fuit, nullam esse propriè dictam Religionem, nisi in qua emittitur professio juxta Regulam à Sede Apost. approbatam.

Postquam enim receptum fuit, Regulam debere esse à Sede Apostolica approbatam, ut vera sit Religio, neque verus sit Monachus vel Religiosus, qui juxta Regulam sic approbatam professionem non emisit, consequens visum fuit, neminem præter Pontificem in Regula sic approbata posse dispensare. Ut proindè hæc inter Regulam & Constitutiones Ordinis differentia quoad perpetuitatem (de qua suprà) demum circa seculum XIII. invaluisse videatur, una scilicet cum opinione eam Sedis Apost. confirmationem requirente, ut vera & propriè dicta Religio habeatur, atque eam professi reputentur veri, & propriè dicti Religiosi.

XVIII. Secundum discrimen desumitur â duratione, vel perpetuitate. Regula enim vix aut ne vix quidem mutari solet; Constitutiones verò pro temporum, & locorum varietate non rarò mutantur. Unde S. Antoninus *part.* 1. *tit.* 16. *cap.* 1. §. 4. ex Joanne Andræa scribit, quòd Regulæ mutari non possint, nisi à Summo Pontifice; Constitutiones verò mutari queant per Prælatos Religionum, qui tantæ sunt auctoritatis, quantæ fuerunt eas instituentes. Hanc S. Antonini sententiam veram esse, moderna Religiosorum praxis evincere videtur. Passim enim Religiosi Ordines potestate mutandi suas Constitutiones, sive statuta utuntur; Regulam vero mutandi nequaquam.

XIX. Tertium discrimen nonnulli constituunt inter Regulam & Constitutiones; quòd illa arctiùs & sub graviori culpa obliget, quàm hæ. Et quidem apud Patres Discalceatos declaratum est, (uti ex eorum Statutis refert Haeftenus loco citato *disquisit.* 3.) Regulam, exceptis votis & Officio divino, ad culpam tantùm venialem obligare. Constitutiones autem non ad culpam, sed ad pœnam impositam vel a Superiore imponendam, nisi contemptus adsit, aut contrarium ejus quod statuitur, ex natura sua, aut aliunde culpa sit.

Quidquid sit circa hoc Regulam inter & Constitutiones discrimen, illud indubitatum, neque hoc, neque præcedentia discrimina inter Regulam, & Constitutiones antiquitùs nota fuisse; nullumque in Canonibus aut Patrum scriptis illorum discriminum esse vestigium; sed jam pridem ipsis Monachis omnia Superiorum Statuta in pari fuisse veneratione.

CAPUT II.

MULTIS SECULIS ORDINUM MONASTICORUM IGNOTA DIVERSITAS; QUOMODO POSTMODUM INDUCTA; ET QUOMODO RESTRICTA NOVORUM INSTITUTIO.

1 *Varietas circa exteriorem disciplinam diversitatem Ordinum primitùs non faciebat.*
2 *Una erat Monachorum societas; & facilis de uno Monasterio in aliud transitus.*
3 *Uniformitatem Monachorum durâsse usque ad seculum XI. observârunt Lucas Holstenius, & Christianus Lupus.*
4 *Primus Benedictinos ab aliorum Ordinum Monachis discrevit Trithemius; optandumque, ut hodie super hac discretione quæstiones cessarent.*
5 *Diversitas Ordinum à S. Odone incœpisse videtur.*
6 *Secul. XI. & sequenti multum invaluit.*
7 *Concilium Lateranense sub Innocentio III. novum ordinem institui vetuit; & quare.*
8 *Hoc Decretum non observatum.*
9 *Prædictum Decretum renovavit Concilium Lugdunense sub Gregorio X.*
10 *Etiam post hoc Concilium nimia Religionum excrescentia.*
11 *Primi approbationem sui Ordinis à Sede Apostolica petierunt SS. Dominicus & Franciscus.*
12 *Quare requiratur approbatio Sedis Apostolicæ.*
13 *Aprobatio novæ Religionis hodie Sedi Apostolicæ est reservata.*
14 *Quis hodiè hujus approbationis effectus.*

1. QUamquam olim etiam inter Monachos pro temporum & locorum varietate, varia esset exterior aliquantulùm disciplina, prout hanc illamve Monasteriorum Præpositi Monachis magis convenire judicabant, nullam tamen hæc

(y) *Constat tamen ineunte seculo IX. Regulam Canonicorum Regularium non fuisse positam in voluntate Præpositorum: approbata illa fuit in Comitiis Imperii Generalibus, anno* 816. *Aquisgrani habitis: his adfuerant Imperator, Præsules, & Proceres omnium Ordinum. Et in celebri illo Conventu fuit injuncta istius Regulæ observatio.*
Van Espen Jur. Eccles. Pars I.

hæc exterior disciplinæ varietas Ordinum diversitatem inducebat; ita nimirum, ut ob eam diversi ac distincti Monachorum Ordines haberentur, sic ut in uno professi liberè ad alium transire non possent.

II. „Una quippè erat eorum societas (ait Mabillonius in „præfatione ad primam partem seculi IV. Benedictinorum „*n.* 52.) facilis & promiscuus in alia Monasteria Monachorum „invicem cum Præfectorum licentia commeatus: tametsi omnia „separata erant; sed unâ charitatis lege confœderata. Prima„ria vitæ monasticæ Regula erat abdicatio rerum omnium, „tum propriorum studiorum, qualis in Evangelio præscribi„tur. Ad hæc secessio à seculi tumultu, Officia divina statis „horis, obedientia summa, juge silentium, labor manualis, „ciborum tenuitas & delectus, corporis castigatio, delicto„rum etiam levium pœnæ graves; in summa, propriæ salu„tis una fere & maxima cura, pro aliena continentes ac so„licitæ preces; pro Ecclesia etiam suscepti labores, ubi pos„tulabat charitas, aut necessitas. Legum-latorum omnium re„gulæ eò spectabant, & quæ ad id magis conducere videba„tur, eam suscipiebant Monachi cujusque Monasterii pro Rec„torum arbitrio, & voluntate apud Occidentales seu Latinos."

III. Hanc Monachorum uniformitatem usque ad seculum XI. perdurâsse observavit quoque Vir eruditus Lucas Holstenius in præfatione ad Codicem Regularum; asseritque diversitatis Ordinum, qualis hodie inter varios Ordines præsertim Mendicantium cernitur, ne vestigia quidem sibi ante annos sexcentos apparere: „Qui, quocunque intueor, inquit, uniformem ubi„que Monachatus rationem, & facilem ac promiscuum invi„cem transitum, mutuumque commeatum professionum & „Cœnobiorum cerno. Orientales Monachi quando in Occiden„tem venerant, cum ibi profitentibus religiosam vitam sine „discrimine censebantur; vicissim Occidentales in Oriente; „quod cùm innumeris exemplis demonstrari possit, unum „tantùm hic afferant Cassiani & Germani Gallorum Monacho„rum, qui Ægypti Monasteria peragrârunt, Instituti Monas„tici cognoscendi causâ, & animo in patriam referendi haus„tam inde notitiam disciplinæ, in suum & popularium suorum „usum, unde satis apparet existimâsse ipsos unum esse in com„mune omnium ubique Monachorum modum, & usum Re„ligionis profitendæ."

Nullos fuisse diversos Monachorum Ordines tempore Gregorii VII. id est, sub finem seculi XI. annotavit quoque Christianus Lupus *tomo* 5. *Schol. pag.* 279.

IV. Et Mabillonius in citata præfatione *n.* 50. asserit, neminem Antiquorum, qui de Monachis scripsere, Benedictinos ab aliis usquam discrevisse ante Trithemii ætatem; id est, ante finem seculi XV.

Optandum, ut & hodie cessarent inutiles illæ altercationes, quæ de Sanctis certo Ordini vindicandis præter modum excitari, ac progredi solent: vigeretque charitas veterum Monachorum, quibus unus Ordo erat, sicque eadem societas, atque omnes invicem æquali charitate complecterentur.

V. Circa seculum X. per Sanctum Odonem Abbatem Cluniacensem, quem Flodoardus in Chronico ad ann. 942. *multorum restauratorem Monasteriorum, sanctæque Regulæ reparatorem* appellat, erecta fuit Cluniacensis Congregatio, propriis Ritibus adstricta Regulæ S. Benedicti. Tunc quæ priscos ritus retinebant Monasteria, alterius Ordinis dici cœperunt, tametsi ejusdem Regulæ unione confœderata; sed exigua erat hæc diversitas.

VI. At seculo XI. Carthusiensi, Camaldulensi, Vallumbrosa, Grandimontensi, ac Cisterciensi familiis exortis, major facta Monachorum discretio, ob varias vestes aut Regulas, variosque ritus, quibus singuli utebantur. *Nigros* appellabant veteres Benedictinos; Cistercienses primùm *griseos*, tùm *albos*, seu *candidos*. Hinc S. Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem: *Unum Ordinem professione teneo, cæteros charitate.*

Hoc verò seculo ac sequenti ita multiplicari Religiones, totque novæ continuò exurgere cœperunt, ut ex earum multitudine & varietate confusio in Ecclesia timeretur, quin & subindè ne sub specie virtutis, ac religionis superstitio, imò & hæresis, ac impietas nonnunquam se intermiscerent; quemadmodum in illis, qui se *Humiliatos*, aut *Pauperes de Lugduno* vocabant, compertum fuit; quos Lucius III. in *c.* 9. *de Hæreticis*, In *Integra*, tanquam hæreticos damnavit.

VII. Itaque his providere volens Ecclesia, sub initium seculi XIII. in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. statuit: „Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei „*confusionem* inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cæ„tero novam Religionem inveniat: sed quicunque ad Religio„nem converti voluerit, unam de approbatis assumat." Refertur in *cap.* 9. *fin.* ✠ *de religiosis Domibus.*

Meminit hujus Decreti Matthæus Parisiensis ad annum 1246. scribens: „In quo Concilio (Lateranensi) post Ordines *Præ„dicatorum & Minorum* initiatos & authorizatos, irrefragabi„liter sancitum, & statutum fuit, assensum Fratribus Cardi„nalibus, cum tota sacri Concilii Universitate præbentibus, ne „ex tunc ampliùs novi Ordines adinvenirentur, vel adinven„ti admitterentur, ne scilicet authentici ac jam recepti Ordi„nes vilescerent, spreti & similiter damnificati."

VIII. Verùm non obstante hoc Conciliari Decreto, variæ nihilominus ac novæ quotidie „Religiones exoriebantur, „admirantibus, imò obstupentibus (ait Matthæus Parisiensis lo„co citato) viris sapientibus & discretis, super tot novis Or„dinibus quotidie exorientibus, & emergentibus, quod spre„tis Beatissimi Benedicti pleni spiritu omnium Sanctorum, & „magnifici Augustini disciplinis, contra Statutum Concilii sub „gloriosæ memoriæ Domino Papa Innocentio III. celebrati, „tot viri litterati ad inauditos, ac noviter inventos Ordines „subitò convolârunt.

IX. „Cùm igitur contra Decretum Concilii Lateranensis „non solùm importuna petentium inhiatio Religionum multi„plicationem extorsisset (uti loquitur Concilium Lugdunense „sub Gregorio X.) verùm etiam præsumptuosa temeritas di„versorum Ordinum præcipuè Mendicantium (quorum non„dum approbationis meruere principium) effrænatam quasi „multitudinem adinvenisset: repetita Constitutione idem Con„cilium districtiùs inhibuit, ne aliquis de cætero novum Or„dinem, aut Religionem adinveniat, vel habitum novæ Re„ligionis assumat. Cunctas affatim Religiones & Ordines men„dicantes post dictum Concilium adinventos, qui nullam con„firmationem Sedis Apostol. meruerunt, perpetuæ prohibi„tioni, ait, subjicimus, & quatenus processerant, revoca„mus." Refertur in *cap. uniço de Religiosis domibus, in VI.*

X. Ingentem numerum Religionum Mendicantium per hoc Decretum reduxisse Concilium, notat Fagnanus, cùm „tamen, „ait, ab eo tempore usque adeò excreverint, ut à multis vi„ris piis Apostolicæ Sedes provisio hac in re desideretur." Ad *cap.* CUM SIT ARS, ✠ *de Ætate & qualit. Ordinand. num.* 15.

XI. Monet Cardinalis Bellarminus *lib.* 2. *de Monachis, cap.* 4. ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. Ordinis, seu Religionis novæ institutionem non indiguisse approbatione seu confirmatione Sedis Apostolicæ; primosque fuisse SS. Dominicum & Franciscum, qui sui Ordinis confirmationem petierunt; unâ monens, Innocentium III. ad edendum jam dictum Decretum, permotum fuisse, ob periculum Ecclesiæ imminens superstitionum, ac rituum à Catholica & solida pietate alienorum, si cuilibet privato novam Religionem instituere liceret.

XII. Si ergo Bellarmino credimus Sedis Apostolicæ approbatio requiritur vice testimonii, quo constet, ex judicio Sedis Apostolicæ, novum hoc Institutum nihil à doctrina Evangelii, aut Ecclesiæ dissentaneum continere.

XIII. Quidquid sit, id certum est, nullam hodie Religionem de novo institui, aut admitti posse sine Sedis Apostolicæ prævia approbatione seu confirmatione; atque admissionem, & institutionem novæ Religionis numerari inter causas Sedi Apostolicæ reservatas.

XIV. Declaravit insuper Bonifacius VIII. in *cap. unico, de voto, in VI.* votum Religionis demum esse solemne, atque ad dirimendum matrimonium contractum efficax, *per professionem tacitam vel expressam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.*

„Ergo, ait Glossa, si profiteretur Religionem non appro„batam, si postea contrahat, tenet matrimonium: quod ve„rum puto (pergit Glossa) etiamsi, quando profitebatur, cre„debat illam approbatam."

Neque juxta modernam disciplinam, *Regulares* sive *Religiosi* dicuntur, tametsi incommuni vivant, & tria vota Religionis emittant, si ea non emittant in Religione approbatam; uti observat Zypæus ad *tit. de Regularib.* Elenchum Ordinum approbatorum habemus, apud Miræum ad calcem Codicis Regularum.

CAPUT III.

De nova constructione Monasteriorum.

1 *Nova Monasteria sine consensu Episcopi loci extrui non possunt.*
2 *Hæc disciplina hodie magis quàm olim necessaria.*
3 *Eam innovavit Synodus Tridentina.*
4 *Causâ cognitâ & auditis interesse habentibus, consensum dare debent Episcopi.*
5 *Regulares aliorum Ordinum eodem loco existentes audiendi*
6 *Locorum Incolæ audiendi.*
7 *Hæc conformia moribus Belgicis.*
8 *Expendendum num Incolæ sufficientes sint novis & antiquis intertinendis.*
9 *Ecclesiarum Parochialium Æditui & Pastores audiri debent.*

Mul-

10 *Multiplicatio Monasteriorum nocere potest Ecclesiis Parochialibus, & quo ex capite.*
11 *Jam pridem Principis consensus expetitus.*
12 *Hic etiam hodie necessarius est.*
13 *Moribus nostris in admissione novi Conventûs adjici solent variæ modificationes.*
14 *Modificatio adjecta admissioni PP. Societatis in Galliam & Belgium, de non præjudicandis juribus Ordinariorum & Parochorum.*
15 *Hæc clausula solet in omni passim admissione addi.*
16 *Variæ modificationes adjectæ admissioni PP. Oratorii ad Urbem Rothomagensem.*
17 *Variæ conditiones adjectæ per Concordata inter Parochum & Regulares in admissione Conventûs, quoad jura Parochialia, & celebrationem Divini Officii.*
18 *Interdum modus adjicitur facultati quæstuandi, & numerus admittendorum Fratrum limitatur.*
19 *Restringitur facultas recipiendi temporalia eorum, qui Monasterium ingrediuntur.*
20 *In omni passim Regularium admissione hujusmodi modificationes & restrictiones adjectæ fuerunt.*
21 *In admissione novi Conventûs meritò examinatur, num disciplina regularis in Ordine illo vigeat.*
22 *Sacra Congregatio interdum suspendit recentiorem Novitiorum ob collapsam disciplinam.*
23 *Rex Galliæ aliquando institit ut non admitterentur Novitii, nisi pristina disciplina esset restituta.*

I. „ PLacuit (ait Synodus Chalcedonensis *Can.* 4.) nullum „ quidem usquam ædificare, aut construere Monas„ terium vel Oratorii domum, præter *conscientiam civitatis* „ *Episcopi.*“

„ Est antiquus (inquit Lupus ad dictum Canonem) atque „ apud Orientales in dessuetudinem abierat Canon. Etenim hac „ Synodo dudum prior S. Agustinus nullum in Africa Mo„ nasterium constituit, nisi de licentia Episcoporum..... Cau„ sam scribit S. Ivo Carnot. Episcopus in litteris ad Goffre„ dum Abbatem Vindocinensem: *Omnis traditio Religionis* „ *novitate, ac raritate viget, & floret; antiquitate, & uni„ versitate, nisi districtè ligetur & servetur, frigescit ac vi„ lescit.* Gentis multiplicatio lætitiæ magnificationem quando„ que subnervat. Quocirca nonnisi sub Episcopali oculo & „ examine congruit Monasteria multiplicari (z).“

II. Hæc disciplina hisce nostris temporibus magis necessaria est eo titulo, quòd Monachi sive Religiosi præsertim Ordinum Mendicantium, hodie ampliùs, quàm olim hierarchicis functionibus applicentur; imò tanquam Episcoporum, & Pastorum copiæ auxiliares reputentur. „ Ordinariorum quippè est „ (uti bene advertit Zypæus *Tit. de Regul. n.* 35.) in ea sta„ tione quemque collocare, quam non admittendorum commo„ ditas, qui non sibi, sed ovibus pascendis opportuna quæ„ situri veniunt, sed salus populi ab eo requirit.“

III. Quapropter canonicam hanc disciplinam injuriâ temporum collapsam renovare haud dubitavit Synodus Trid. *Sess.* 25. *de Regular. c.* 3. statuens. „ Ne de cætero ulla Mo„ nasteria seu virorum seu mulierum erigantur sine Episcopi, „ in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentiâ prius obtenta.“

IV. Hujus saluberrimi Decreti executionem plures Romani Pontifices editis Constitutionibus urserunt; atque inter cæteros Clemens VIII. in Constitutione quæ incipit, *Quoniam ab institutum*, 99. *in Bull. Rom.* Atque insuper addit: „ Lo„ corum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus „ cujusque Ordinis Mendicantium, in civitatibus, & locis or„ dinariæ eorum jurisdictioni subjectis erigendos impertiri, ni„ si *vocatis* & *auditis* aliorum in iisdem civitatibus & locis „ existentium Conventuum *Prioribus* seu Procuratoribus, & „ aliis interesse habentibus; & causâ servatis servandis cog„ nitâ constiterit, in iisdem civitatibus & locis novos hujusmo„ di erigendos Conventus, sine aliorum detrimento commodè „ sustentari posse.

V. „ Ut ita, ait Zypæus, novis admissionibus gratificatio „ fieret, ut veteribus, penuriam, egestatem & famem non „ ingereret.“

Hanc Clementis Constitutionem Paulus V. anno 1618. observari injunxit Episcopis Belgii, litteris ad eos datis, ait Zypæus *Tit. de Regular. n.* 35. eamque innovans Gregorius XV. per Bullam quæ incipit *Cùm alias*, 31. *in Bull. R.* addit; „ Ne „ de cætero ullum Monasterium, aut domus cujuscunque Or„ dinis, aut Instituti de novo erigatur, nisi in eo *duodecim* „ saltem Fratres, aut Monachi seu Religiosi inhabitare, ac „ ex redditibus, & consuetis eleëmosynis sustentari valeant, „ ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, non „ solùm in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia pas„ sum circumvicinis locis, ad id vocati & auditi fuerint, ac „ tali erectioni consenserint; vel aliàs Ordinariis locorum cons„ titerit, Religiosos Monasterii vel Conventûs sic erigendi, „ absque detrimento Religiosorum in Monasteriis seu Conven„ tibus anteà in civitatibus seu locis hujusmodi erectis degen„ tium; ibi in numero duodecim commodè & congruè ma„ nuteneri & ali posse.

VI. „ Si verò novi Conventus, Domus, Congregatio vel „ Societas hujusmodi instituendæ erunt, nullique alii Regula„ res inibi reperiantur, Ordinarii locorum (pergit Grego„ rius XV.) nihilominus diligenter inquirant, an locorum In„ colæ & habitatores, quorum & consensum requirant, ac „ adhibeant, hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, „ ut præmittitur, instituendos, *commodè* alere & manutenere „ valeant.“

* Constitutionem Gregorii XIV. de non construendis novis Monasteriis sine consensu Ordinarii renovavit Urbanus VIII. per Bullam quæ incipit *Romanus Pontifex*, quæ & in Belgio placetata habetur integra *parte* 3. *Edit. Fland. lib.* 1. *Rub.* 4. In hac Bulla Pontifex revocat quascumque licentias à Romanis Pontificibus quocunque modo obtentas citra consensum Ordinarii; necnon formam ibidem præscripsit juxta quam nova Monasteria ædificanda sunt.

Insinuat insuper Urbanus, idcircò censuisse revocandas licentias à suis prædecessoribus indultas, eò quòd per has indulgentias Decreta Concilii Tridentini, necnon Prædecessorum Decreta enervarentur; imò quodammodo inutilia, & sine effectu redderentur.

Si seriò expenderentur licentiæ & indulta, quæ passim per Pontifices conceduntur, seu potiùs per sub & obreptionem, vel nimiam etiam importunitatem extorquentur, apparet per ea frequenter Decreta Conciliorum, & Romanorum Pontificum enervari & quodammodo inutilia reddi.

VII. Hæc omnia & Belgicis, vicinarumque Provinciarum moribus consona sunt. Neque enim novi Conventus aut Domus Religiosorum, præcipuè Mendicantium solent admitti, nisi priùs auditis Conventuum, Domorum, & Congregationum Regularium, signanter Mendicantium præexistentium Superioribus, aut Procuratoribus: atque insuper Incolis loci, in quo de novo Conventus aut Domus constituenda est.

VIII. „ Expendere debemus (ait Carolus Fevret. *Tract. de* „ *Abusu lib.* 2. *cap.* 1. §. 10.) num Conventus, quorum no„ va constructio prætenditur, sint dotati, & utrum civitates „ sint amplæ, & abundantes, ut queant & novis & antiquis „ Conventibus sufficere. Nam in parvis civitatibus recipere „ multitudinem Conventuum Fratrum Mendicantium, est ex„ trahere panem è manibus pauperum, & suffocare avitam „ pietatem per novam: oportet sanguinis extractionem attem„ perare viribus ægri, efficereque ne pietas in quandam de„ generet inhumanitatem, mendico suum auferendo panem, „ ut alteri detur.“

IX. Præter locorum Magistratum & Incolas, qui in *Corpore*, ut ajunt, congregati, novi Conventûs, seu Domûs exstructioni consentire debent, insuper audiendi omnes interesse habentes; uti loquitur Clemens VIII. in præcitatâ Constitutione.

His imprimis accersendi sunt Parochialium Ecclesiarum Rectores, & Magistri.

Ecclesiæ Parochiales sunt pristinæ, & primitùs constructæ Ecclesiæ, ac per consequens, ait Carolus Fevret *loco citato*, §. 11. præcipuè earum interest; quia populus inescatus novitate, facilè abstrahitur ab ea assidua frequentatione, quam Ecclesiæ Parochiali tanquam matri, quæ eos per Baptismum genuit, debent. Tantum autem Parochiali Ecclesiæ decrescit, quantum diminuto concursu accedit aliis. Quapropter, cessante necessitatis causâ, non debent novæ Ecclesiæ, & Monasteria in præjudicium Ecclesiarum Parochialium ædificari; uti post Glossam *in cap.* 1. ✠ *de Novi operis nunt.* tradit Panormitanus ad *cap.* 1. ✠ *de Ædificand. Eccles.*

X. Quantum Parochialibus Ecclesiæ, quæ olim maximè floruerunt; & in quibus extruendis, ac dotandis Fidelium avita pietas eluxit, Fratrum Mendicantium similiumque Religiosorum multiplicatio detraxerit, Parochiæ ubique pene dejectæ, ac colapsæ sat superque testantur.

Porrò hanc Parochialium Ecclesiarum collapsionem, atque egestatem provenire à neglectu frequentationis; atque ex eo quòd populus ad alias Ecclesias, & Oratoria divertat, jam pri-

(z) *Carolus Magnus jussit, ut illud Decretum executioni mandaretur, ut constat art.* 22. *Primi Capitularis, quod dedit anno* 789.

Ante Caroli Magni ætatem, Concilium Agathense ann. 506. *celebratum, statuerat his verbis Can.* 27. „ *Monasterium no„ vum nisi Episcopo aut permittente, aut probante nullus inci„ pere, aut fundare præsumat.* “ *Ea lex observata semper fuit in Gallis; ùt fusiùs probatur in novis Cleri Gallicani Commentariis Tom.* 4. *tit.* 1. des Ministres de l' Eglisse qui son Reguliers, *cap.* 4.

pridem advertit S. Carolus; qui ut populum ad frequentationem Ecclesiarum Parochialium incitaret, incommoda ex neglectu frequentationis profluentia recensens, inter alia dicit: „Hinc „Ecclesiis Parochialibus, quæ à Majoribus tanto pietatis stu„dio exædificatæ sunt, instaurandis, ornandis, sartis tectisque „habendis cura multis ex partibus neglecta, in illisque nulla „penè aut exigua ecclesiastica, ad divina Officia obeunda, „supellex."

XI. Principis quoque consensum jam pridem expetitum fuisse, probat Epistola Pipini Regis Francorum ad S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum; in qua loquens de quodam Monasterio, quod Bonifacius de novo construi jusserat in solitudine Buconia juxta flumen Fuldæ, hæc habet: „Sicut ex „auctoritate sancti Petri Principis Apostolorum pro quo legatio„ne fungeris, privilegio Sedis Apostolicæ sublimatum constat „esse Monasterium, à te noviter constructum, ita etiam *nos„træ auctoritatis præcepto*, quod actum est, roborari convenit.

XII. Si modernam Belgii, & vicinarum Provinciarum disciplinam spectemus, nullus novus Ordo admitti, aut novum Monasterium construi sine Principis licentia potest.

Ludovicus XIII. Rex Galliæ, edicto die 21. Novembris 1629. & 13. Decembris sequenti, per Parlamentum Parisiense probato, vetuit, ne quodcunque Monasterium, domus aut Conventus Regularium, sive virorum, sive mulierum in quocunque loco, aut civitate sui Regni, etiam Ordinis jam ante recepti & admissi, construatur, sine *expressa licentia Regis*, per litteras ab uno è Secretariis Statûs signatas, & majori Regis sigillo munitas; ut Rex judicare queat de prædicta constructione, & juxta circumstantias decernere, quibus in locis, & civitatibus talis nova constructio admittenda sit pro fidei, & Religionis Catholicæ augmento (a).

Et Carolus V. in ordinatione die 19. *Octob.* 1520. vetuit, in Brabantia novas Ecclesias, aut Capellas ædificari, sub pœna ædificatori infligenda, & demolitionis.

* Edictum illud deinde per plura recentiora Edicta renovatum, ac nominatim, ne nisi præviis litteris Regiis nova Monasteria aut Conventus extrui queant, quæ habentur *part.* 3. *Edict. Brabantiæ*, *lib.* 2. *tit.* 10. atque inter alia *cap.* 7. referuntur litteræ recentes quibus significatur, quòd cùm litteræ Placiti Regii fuerint negatæ Monialibus Cœlestinis, intentio Regis sit, ut eas jubeant recedere; bonaque ab eis acquisita in manus secularium transferantur.

Insuper scribitur, mentem Regis esse ut *filiæ de Pœnitentia*, vulgò dictæ *Repentines*, non recipiantur in modum Congregationis, aut Conventûs Religiosi, nec ulla bona habeant in communi.

Similis quoque lex jam pridem nota fuit apud plerasque gentes: legiturque, quòd anno 1337. Respublica Veneta hanc stabiliverit legem: *Ne vel Ecclesiæ, Monasteria, Hospitalia, vel aliud quidquam Venetiis ipsis sine Magistratus licentia & consensu fabricaretur*; eamque legem tum 1515. tum. 1561. confirmâsse.

Cùm autem postmodum hæc Respublica animadverteret, talem provisionem, non tantùm ipsi civitati Metropoli, sed etiam cæteris suæ Ditionis Civitatibus ad mare & alibi sitis necessariam fore, earundem Rectoribus mandavit, ut nec Religiosis nec Laicis erectionem Ecclesiarum, Monasteriorum, aut Hospitalium sine Superiorum consensu permitterent; sed illud omne sub pœna excommunicationis, & confiscationis tum erectorum ædificiorum, tum etiam ipsius fundi prohiberent.

Hæc fusiùs enarrat Paulus Venetus in Tractatu, cui titulus: *Considerationes Censurarum Pauli V. Pontificis contra Serenissimam Rempublicam Venetam*, in quo solidis rationibus & auctoritatibus ostenditur, per hanc à Republica latam legem, nec libertati ecclesiasticæ, nec auctoritati Pontificiæ ullum præjudicium generari: neque condere talem legem, esse (prout voluit Pontifex Paulus V. in litteris ad Rempublicam Venetorum.) „Exercere potestatem supra Ecclesiam, sed dominari super „fundum, aream, aut superficiem, super qua ædificium illud „erigitur, quod etiam nemo negare potest, purum & merum „seculare esse. Neque sanè (ut rectè notat hic auctor) ullus „privatus, qui Ecclesiastico fabricaturam alicujus Ecclesiæ su„per suo ipsius fundo recusat, dici potest, quòd Ecclesiæ, „vel Ecclesiastico aliquid præscribat; sed quòd in proprio fun„do, prout placet, disponat, & tantum prohibeat, ad quod „à legibus non obligatur. Non enim illud Ecclesiæ dici potest, „quod fabricari potest, sed quod jam ædificatum & dedica„tum est. Et habet privatus quilibet dominium super fundum „suum proprium. Principes verò super omnes fundos simul to„tius seu dominii habent potestatem majorem.

Hinc Auctor hic concludit: „Quemadmodum itaque ini„quum est ædificare Ecclesiam super fundum cujusdam priva„ti, absque illius permissu; ita etiam æquum esse non po„test, in loco Principis, ubicunque libuerit, contra ipsius „voluntatem talem quid moliri."

Quod argumentum ibidem fusiùs prosequitur, ostenditque non minus Principi, quàm cuilibet privato liberum esse suum territorium, sive fundos certis ædificiis ædificandis, etiam ad rem sacram, vel cultum divinum dicandis negare. Extat hic Tractatus apud Melchiorem Goldastum *tomo* 3. *Monarchiæ pag.* 286. cum aliis pluribus Tractatibus hujus legis æquitatem & Justitiam adstruentibus; atque inter alios, Tractatus Antonii Quirini Patritii & Senatoris Veneti, qui inter alia rectè advertit quòd finis hujusmodi legis sit „Publica pax, & tranqui„litas, quæ occasione novorum Monasteriorum facilè turba„retur: siquidem novi hominum cœtus hoc modo sæpè sunt „introducti, & cum iis etiam plerumque novi mores, per „quos simpliciores, nobiles & ignobiles sub vario prætextu Re„ligionis non rarò seducuntur, ut huic vel illi parti, cum in„genti publicæ libertatis præjudicio, & summo dissensionum „periculo adhæreant. Et quis quæso Princeps (pergit Quirini) „æquo animo ferret, ut cœtus quilibet sibi antea nec vissus, „nec notus pro suo libitu in quocunque loco suæ Ditionis vel„let pedem figere? Nonne priùs de ejusdem conditione, propter quid scilicet venerit, & quid rerum agat, inquireret, „aut num sibi ipsi, suisque subditis periculum vel detrimen„tum aliquod afferre posset, bono jure investigaret? Sæpè enim „sub pallio & tegumento Religionis res aliæ occultantur, uti „benè hic Auctor reflectit, & ostendit."

Cùm verò objiceretur, mentem Pontificis non esse loqui de omnibus Monasteriis in Republica Veneta ædificandis, sed de illis solùm ædificiis, seu Monasteriis licentiam à Pontifice factam esse, quæ in locis non periculosis, aut suspectis eriguntur, respondet idem Auctor: „Necessarium esse, ut illa distinctio „loci, temporis, & aliarum circumstantiarum alicui sit nota, „quæ tamen cognitio nulli alii debetur, quàm Domino fundi, „utpotè de cujus periculo, & securitate agitur, quæ nullius „alterius præjudicio debet submitti; ex quo consequitur, pe„nes ipsum solummodo esse, permittere, aut non permittere, „& licentiam dare, vel denegare, hæc vel illa ædificandi, „quod unicum est legis nostræ (ait) argumentum."

XIII. Illud quoque notoriâ praxi & moribus nostris receptum est, quòd Senatus Regii in expeditione litterarum, quibus novas Religiones, aut Conventus admittunt, solent adjicere varias conditiones, & modificationes, prout, auditis quorum interest, & expensis privilegiis, ac legibus Patriæ, Ecclesiæ, & Reipublicæ expedire judicaverint (b).

XIV. Parlamentum Parisiense admittens Bullas & Institutiones Patrum Societatis, quæ priùs communicatæ fuerant Episcopo Parisiensi, Decano & Facultati Theologicæ, aliisque quorum intererat, decrevit, ut dictæ Bullæ in libris Parlamenti registrarentur, & Patres Societatis illis uti possent, iis exceptis, in quibus Bullæ illæ contrariari aut præjudicare possent legibus Regni, libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, Concordatis inter Pontificem & Regem, juribus Episcopalibus, & Parochialibus, in quorum præjudicium nullis Bullis, Indultis, aut privilegiis uti possent. Hæc clariùs cum modificationibus, ac conditionibus admissioni adjectis videri possunt relata in Actis Cleri Gallicani *Tom.* 1. *tit.* 2. *cap.* 14.

Similiter Philippus II. admittens dictos Patres Societatis in hisce Belgicis Provinciis, litteris admissionis hanc clausulam adjecit, quòd Socii illius Societatis se non poterunt ingerere exercitio illius rei spectantis ad Officium Pastorale, sine scitu, consensu, & beneplacito tam Curatorum, quàm Episcoporum & aliorum Ordinariorum, quibus auctoritas competit.

XV. Quin & monet Carolus Fevretius *lib.* 1. *de Abusu cap.* 1. *num.* 12. prædictam clausulam admissioni Patrum Societatis adjectam, adjici generaliter omnium Regularium utriusque sexus admissioni.

XVI. Tom. 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 32. *num.* 8. refertur admissio Patrum Oratorii ad civitatem Rothomagensem anno 1616. cui per Senatum Regium præter dictam clausulam generaliter, adjectum fuit, quòd dicti Patres nullam publicam functionem facient in suo Conventu, aut Ecclesia diebus Dominicis, & Festis solemnibus, illis horis, quibus divinum Officium in Ecclesiis Parochialibus celebratur, ne Parochiani à solita Officiorum illorum Parochialium frequentatione abstrahantur. Deinde quòd non administrabunt Sacramenta etiam Pœnitentiariæ ulli illorum Parochianorum, nisi de consensu Ordinarii, vel licentia Parochorum; neque ulla Parochorum jura occupabunt. Quodque nullus hujus Congregationis poterit disponere de suis bonis mobilibus, aut immobilibus in favorem Con-

(a) *Id renovatum est Edicto, quod Mense Augusto* 1749. *dedit Rex Ludovicus XV.*

(b) *Circa eandem materiam vide* Auctum acordatum 4. tit. 1. lib. 4. Recopilat. & Conditionem 45. *vulgò* de Escrituras de Millones. *Cui adde quoad Dominia Indiarum, Regi Catholico subjectarum*, leg. 2. & 46. tit. 6. & 1. tit 3. lib. 1. Recopilat. Indiar.

Congregationis, sive per testamentum; sive inter vivos de ampliore portione, quàm uni ipsorum hæredi cedere posset, idque sub pœna nullitatis.

XVII. Anno 1664. cùm ageretur de admisione Patrum Recollectorum S. Francisci ad oppidum territorium de Eecloo Diœcesis Brugensis, initum fuit concordatum inter Pastorem, Clerum, & juratos Ecclesiæ Parochialis Rectores ex una, & Patrem Povincialem nomine sui Ordinis ex altera, partibus: desuper etiam prævie auditis & interpellatis Dominis Ballivo, Burgimagistris & Scabinis præfati oppidi; conclusumque concordatum in palatio Episcopi Brugensis 19. Januarii 1664.

In hoc Concordato inter cætera articulis 7. 8. 9. habetur: „Similiter non licebit prædictis Patribus Recollectis celebrare Missam, vel quodcunque aliud officium, nec concionari, aut Sodalitatem habere eo tempore quo in Ecclesia Parochiali fiet vel Matutina vel Summa Missa, Concio, Professio, Officium Vesperarum vel Laudis, uti nec Missam cantare Dominicis & Festis, nisi finitâ Concione seu Cathechismo, qui pro tempore fiet in dicta Ecclesia Parochiali, neque ante horam undecimam auditam, ad quam tamen ad quadrantem antea poterunt pulsare. Concionari etiam non poterunt in sua Ecclesia tempore matutino Dominicis, & Festis nisi fortè in Festis S. Francisci, Portiunculæ, & Patroni. Quandocunque ab hora octava usque ad undecimam contigeret per peregrinos, aut adventantes Patres celebrari aliquam Missam in Ecclesia PP. Recollectorum, non poterit ad eandem Missam prævie pulsari. Non poterunt etiam in Ecclesiam PP. Recollectorum (omissa Parochiali) celebrari solemniter Missæ Confraternitatum, Opificum & aliæ ordinariè in Parochiali celebrari consuetæ.“

Item art. 13. „Nullo modo populum directè, vel indirectè divertere poterunt à supradicta Ecclesia Parochiali, sed hortabuntur ut illam diligenter frequentet, Missæ solemni, aliisque officiis, & Concionibus, ac Cathechismo ibidem intersit, proprio Pastori debitum honorem, reverentiam ac obedientiam impendat, illique ad minus semel in anno, idque circa Festum Paschæ confiteatur; si qui tamen Patribus Recollectis etiam tunc confiteri voluerint, audiri ab illis poterunt & absolvi dato aliquo signo, per quod Pastori de illorum Confessione constare possit.“

Denique art. 17. 18. „Præterea quia ratione Communionis Paschalis sæpe oritur contentio inter Pastores & Clerum Regularem: Rustici etiam alii imperiti decipiuntur, dum putant se præcepto Ecclesiæ apud Regulares satisfacere posse, non licebit Patribus Recollectis intra quindenam Paschalem Venerabile publicè in sua Ecclesia exponere, nec etiam privatim Sacram Synaxim administrare, nisi illis, quos constabit prævie in Parochia satisfecisse. Sicut nec ægrotis privatim, & in occulto, neque publicè nisi de consensu Pastoris, & eo impedito Sacram Synaxim deferre poterunt.“

Eodem Concordato plura continentur, quibus jura Parochialia tam circa sepulturas Parochianorum, & Officia, & jura funeralia, quàm Processiones conservantur, de quibus suo loco dicetur.

Cumque super observantia hujus Concordati quæstio orta esset inter Pastorem dictæ civitatis, & Patres Minores Recollectas, per sententiam Vicariatus Brugensis, vacante Sede Episcopali, 6. Octob. 1683. mandatum & in unctum fuit dictis Patribus, ut præcisè & punctualiter præfatum ipsorum Concordatum, & contractum admisionis observent: necnon virtute illius inhibitum ipsis, ne Missam celebrent diebus Dominicis & Festis ab octava usque ad undecimam, etiamsi in Ecclesia Parochiali nullum Officium fiat; nisi casu peregrini aut adventantes eò venirent, cùm ii absque prævio pulsu tum excipiantur.

XVIII. Frequens quoque modificatio adjicitur, præsertim admisioni Ordinum Mendicantium, circa numerum Fratrum recipiendorum, vel etiam modum, & limites quæstuandi, item quantitatem bonorum acquirendorum.

Sic Parlamentum Rothomagense admittens Fratres Minores, vulgò *Recollectas* Cæsortii, quæstuandi facultatem restrinxit ad ipsam civitatem ejusque suburbium, Fevret. *Tract. de abusu*, *l.* 2. *c.* 1.

In admissione PP. Minorum S. Francisci ad civitatem & territorium Turnhautanum, Diœcesis Antuerpiensis, cautum fuit, ut numerus eorum tantum 8. aut 9. esset; quodque tantùm esset eorum Conventus quasi quoddam refugium, cui duntaxat præesset Vicarius à Guardiano Herentalensi omninò dependens; ipsique Fratres nullatenus essent oneri ipsi Communitati; neque Ecclesiæ Parochiali in aliquo præjudicarent; quin & sua Officia peragere deberent in Ecclesia Parochiali, neque ipsi Capellam, multo minus Ecclesiam habere possent; sed ad summum, altare *portatile* usque ad revocationem. Uti latiùs exprimunt Acta admissionis die 23. Januarii 1652.

Senatus Burgundiæ anno 1610. in conformitatem litterarum Regis, consensus Episcopi Cathalaunensis & Magistratûs ac incolarum Civitatis admissit Fratres Montis Carmeli ad Civitatem Cathaulonensem sub expressa conditione, quod *quæstuare non possent*: ut refert Fevretius loco citato.

XIX. Parlamentum Divionense admittens litteras Regias obtentas per Ursilinas Cabilonenses in Martio anno 1620. & ut in conformitatem earum construeretur Conventus Ursilinarum in dicta civitate ad instructionem & eruditionem puellarum, has conditiones adjecit; quòd Conventus construi non posset in veteri civitatis parte, neque ipsæ Ursilinæ mendicare posent; quòd priùs quàm domicilium figerent, ostenderent ipsi Magistratui Civitatis, quod haberent in capitalibus quinque millia librarum Gallicarum. Non possent recipere in suum Conventum puellas habentes patrem & matrem sine horum consensu; neque puellas parentibus orbatas, sine consensu Tutorum, vel Curatorum. Quodque nulla harum puellarum habentium liberam rerum suarum dispositionem, si habeat 12. millia librarum, posset dare Conventui plus quàm tria millia; & si minùs quàm 12. millia librarum Gallicarum in bonis habeat, nequeat dare ultra quartam partem idque duntaxat quousque dictus Conventus fuerit constructus, & dotatus usque ad 4. millia florenorum; quo casu nihil poterunt à puellis accipere præter pensionem aliquam vitalitiam morte earum extinguendam.

Ita refert Carolus Fevretius loco citato; qui testatur in particularibus casibus conformiter ad jam dictum Arrestum non semel judicatum fuisse.

XX. Si quis Regularium utriusque sexus admisiones scrutari velit, reperiet, tum in litteris Regiis, tum etiam in Concordatis cum Capitulis, Magistratibus, & Parochialium Ecclesiarum Curatis & Magistris initis, similes passim conditiones, & modificationes fuisse additas; at illud experientia docet, lapsu temporis conditiones, & modificationes negligi; atque ex illo neglectu incommoda, quibus per illas restrictiones occurri posse credebatur, plura indies oriri in grave sæpe populi atque Ecclesiarum, præsertim Parochialium, gravamen & nocumentum; adeo ut non rarò satius esset, novorum Conventum extructionem non admittere, quàm hujusmodi modificationibus, & conditionibus, concordatisque, futuris incommodis velle occurrere.

XXI. Adhæc in admissione novorum Conventuum meritò attenditur, num in ordine illo regularis disciplina sit integra; an verò non ita collapsa, ut nisi prius in suum primævum statum restituatur, potiùs expediret numerum Conventuum, atque Religiosorum diminui, quàm multiplicari.

XXII. Ita sacra Congregatio sub Urbano 8. die 14. Junii 1628. & die sequenti Fratrum Minorum de observantia S. Fracisci Familiæ Cismontanæ consultationibus præposita, volens, quantum potest in Domino, ipsorum postulatis satisfacere circa novitios ad habitum, & professionem admittendos, Sanctitate sua approbante, censuit, tunc demum esse illis permittendum, ut Novitios recipiant, cùm constiterit ex ipsorum Conventibus eos sustulisse *abusus omnes*, qui Regulæ S. Francisci observantiæ adversantur. Fagnanus ad *cap.* NIMIS PRAVA, *de Excess. Prælat. num.* 55. subjicions ibidem abusus, quos S. Congregatio emendatos volebat.

Meminit rursus ejusdem resolutionis ibidem Fagnanus ad *cap.* CUM VIRUM ✠ *de Regularib. num* 50. Additque, ab eadem Congregatione decretum fuisse, „ut Fratribus ad certum numerum decedentibus, illorum Conventus traderentur „Fratribus *Reformatis* seu *strictioris* observantiæ ejusdem Ordinis, à quibus tantùm reciperentur Novitii.“ Et in hujusmodi prohibitione multos annos perduratum est. „Et utinam; „ait Fagnanus, paulò diutiùs perseveratum fuisset: nam ubi numerus Fratrum reformationis multùm excrevisset, pauci in familia superstites deposità jam spe vestiendi Novitios, & majores dignitates assequendi, facilè ad reformationem transiissent. Atque ita nulla esset in Religione divisio, vel scissura, sed tota ad primum institutum, & regulæ puritatem redacta fuisset. Verùm fratribus reformationem pollicentibus tandem oportuit illis ad vestiendos Novitios aditum aperire. „Docuerunt enim Ordinariorum attestationibus, se adimplevisse conditiones sibi præscriptas, & legatis annuis in Curiis Episcopalibus solemniter renuntiasse. Et sic tributa fuit illis licentia vestiendi usque ad certum numerum in singulis Provinciis præfinitum. Nobis tamen, quantum per modestia licuit „semper reluctantibus.

„Memini etiam, pergit ibidem Fagnanus, Regem Christianissimum superioribus annis supplicasse S. D. N. ut in Regno Galliæ de cætero non vestirentur Novitii, nisi in Religionibus, in quibus verè servatur regularis disciplina juxta primævum institutum: quod tamen etsi sanctissimum foret, nihilominus magnopere hæsitatum est, ne prohibitio tam generalis magnos motus excitaret, ita ut diu postea sustineri „non posset; cùm tamen satiùs sit legem non condere, quàm conditam protinus abrogare. Multò securius, & fructuosius hæc „præstari possent in generali Concilio; quemadmodum factum „legimus in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. ut patet „ex *cap.* UNICO, *de Relig. Domibus*, *lib.* 6. *Decretalium.*“

TI-

TITULUS XXV.

De Admissione ad Religionem, & de Novitiatu.

CAPUT I.

Qualiter probandus admittendus ad Religionem.

1 *Multum nocet disciplinæ regulari præceps, & inconsiderata admissio ad Religionem.*
2 *Nec tantùm Religioni, sed & ipsis intrantibus est nociva.*
3 *Quam probationem requirat Regula Benedictina.*
4 *Similem requirit Clemens VIII.*
5 *Quanto tempore, & circa quæ postulans examinari debeat, priusquam ei ingressus annuatur.*
6 *Postulans aliquo tempore in Cella Hospitum probandus.*
7 *Hi probandi modi an semper adhibendi.*
8 *Semper diligenter probandus.*

I. QUi collabentis, collapsæque monasticæ disciplinæ causas propriùs attenderit, haut difficulter intelliget, unam è præcipuis esse præcipitem, ac improvidam ad Religionem admissionem.

Hinc quippè contingit, ut inepti, atque Religionis monasticæ spiritu vacui, imò mundi adhuc spiritu turgidi in Monasteria irrepant, qui tum reliquos inficiant, sensimque omnem monasticam disciplinam enervent; quin & evertant.

II. Neque ipsi Ordini duntaxat nocet hæc indiscreta, & præceps ad Religionem receptio; sed ipsis quoque ita admissis periculosa, & plurimum nociva esse solet.

Dum enim sine serio examine, discussioneque admittuntur, fit, ut sibi ipsis haud sat cogniti neque de vita religiosa satis instructi, eam vivendi institutionem amplectantur, ad quam posteà experiuntur, se revera à Deo vocatos non fuisse; neque eas animi, corporisque dotes, & qualitates habere, quæ huic vitæ instituto ritè obeundo sunt necessariæ, dum interim votorum suorum vinculis ad eam vivendi rationem constricti, in eo vitæ instituto, non rarò maximo cum renisu, ac salutis periculo continuare tenentur. Quæ inde anxietates, gemitus, & pejora ex illis resultantia incommoda sequantur, quotidiana experientia nimium probat.

Mirum ergo videri nequaquam debet, si prima Patrum cura semper fuerit, ut super vocatione, moribus, animi, corporisque dotibus, ad Religionem admitti postulantium serium examen institueretur.

III „ Noviter veniens quis ad Religionem (ait S. Bene„ dictus *cap.* 58. *suæ Regulæ*) non ei facile tribuatur ingressus, „ sed, sicut ait Apostolus: *Probate spiritum, si ex Deo est*, id est, utrum spiritus, quo vitam religiosam amplectendam ducitur, verè ex Deo sit: utrum ad Religionem impellatur, ut Deo liberiùs serviat, suamque salutem securiùs operetur; an non potiùs alicujus temporalis commodi adipiscendi, aut incommodi evitandi motivo impellatur, nihilque humani respectûs sese immisceat.

IV. Sancti Benedicti tot Monachorum Patris vestigia premens Clemens VIII. in Decretis pro Novitiorum receptione §. 23. mandat, ut „ Superiores diligenter inquirant, quo spi„ ritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus ele„ gerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris „ frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberiûs famulari pos„ sint, an potiùs levitate, vel humano aliquo affectu, aut in„ ordinato animi motu ducantur.“ In Bullario Rom. *parte* 3. *pag.* 128. dixerat jam ante §. 19. ipse Clemens, compertum esse „ nihil ad gravem illam ac laudatissimam priscorum Pa„ trum vivendi rationem relaxandam, majorem vim habuisse, „ quam vel nimiam in recipiendis Novitiis facilitatem supra „ numerum quem capere, atque alere Monasteria ipsa possent; „ vel negligentiam in probando, & examinando eorum spiri„ tu, an verè esset ex Deo, atque ex præcipuo desiderio il„ li inserviendi; vel denique incuriam in eis educandis, atque „ instituendis.“

De modo, tempore, quo hoc examen institui debeat, non una fuit omnium Patrum, & temporum disciplina.

V. Sanctus Benedictus post citata verba modum & tempus probationis subjungens, ait: „ Ergo si veniens perseverave„ rit pulsans, & illatas sibi injurias, & difficultates ingressûs, „ post quatuor, aut quinque dies visus fuerit patienter por„ tare, & persistere petitioni suæ, annuatur ei ingressus.“

Primum ergo examen institui vult S. Benedictus super vocatione postulantis ingressum per illius humilitatem; ut ex illa appareat, num aliquousque in spiritu humilitatis profecerit; ac se ut reum seu pœnitentem & vilem tractari & despici sustinere possit: quæ dispositio ad statum monasticum, qui status est humiliationis, & pœnitentiæ, cum primis necessaria est. Unde & in omium Patrum regulis, super hoc spiritu humilitatis primum examen institui mandatur.

VI. Post hoc examen annuitur quidem ei, ex præscripto Regulæ Benedictini, ingressus: *nequaquam ad cellam Novitiorum, sed*, ait Regula, *sit in cella hospitum paucis diebus.*

Hîc erat quasi secundum postulantium examen. Quid verò facere deberet noviter veniens in cella hospitum, S. Benedictus non declarat; sed id ex aliorum Regulis facilè eruitur.

Auctor Regulæ Tarnatensis habet: „ Ubi de Senioribus de„ putatus tam diù jubeatur advenientibus deservire, quous„ que devotio ejus fuerit, patientiâ teste, monstrata.“ Et S. Fructuosus *cap.* 21. „ Hospitibus, sive peregrinis stramina „ comportabit, aquam pedibus lavandis calefaciens.“

Hæc ergo in cellâ hospitum mora instituta videtur, ut interim in mores & actiones ipsius noviter venientis adverteretur; atque hinc major de ejus spiritu ac vocatione certitudo haberi posset. Unde S. Isidorus *cap.* 4. *Regulæ* ait: „ Vi„ tam enim uniuscujusque in hospitalitatis servitio tribus men„ sibus considerari oportet: quibus peractis ad cœtum sanctæ „ Congregationis accedere. Neque enim suscipi intus quem„ quam convenit, nisi priùs foris positus ejus humilitas sive „ patientia probetur.“

Verbo, hujus ac præcedentis examinis probationis scopus est, ut noviter venientium spiritus, ac vita aliquousque sit perspecta, priusquam ad Congregationem, ac intra Monasterium cum Novitiis admittantur.

VII. Proinde non sine fundamento jam pridem sustinuit Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, S. Benedictum hoc suæ Regulæ præscripto, solam præcipitem ac temerariam postulantium admissionem improbare: neque vetare alicujus ad Religionem, sine hujus ritûs observantia, admissionem, si modo sat de ejus vocatione constet, & admissionem saluti ejus conducere sat appareat, *lib.* 1. *epist.* 28.

VIII. Quare S. Basilius multa circa examen recipiendorum disserens, omnia ad unum hoc reducit; quòd oporteat inquirere de præterita vita, & conversatione: *ne fortè simulatâ quis mente, & fallaci animo ad Religionem accedat.* In Regulis fus. disp. *interrog.* 10.

His consonant Patrum Eremitarum S. Augustini Constitutiones *part.* 2. *c.* 2. „ Si quis in Ordine nostro recipi petie„ rit, non statim annuatur ei quicunque sit ille, sed probe„ tur spiritus ejus si ex Deo est, quia desideria dilatione cres„ cunt: & in privatis colloquiis voluntas, mens, & intentio „ ipsius à priore Conventûs, vel à Magistro Novitiorum, seu „ ab alio perfectè exploretur; quòd si perseveraverit in propo„ sito, Prior eum faciat diligenter examinari à duobus exa„ minatoribus ad hoc munus deputatis.“

CAPUT II.

De Novitiatu.

1 *Postulans ad Religionem satis probatus, admittitur ad cellam Novitiorum.*
2 *Hujus Cellæ frequens mentio in Regulis Patrum.*
3 *Erat separata à reliquorum Religiosorum habitaculo; & quare.*
4 *Separationem Novitiorum à reliquis Fratribus Professis multùm urget Clemens VIII.*
5 *Novitiis præficiendus aliquis Senior, qui hodie dicitur* Magister Novitiorum.
6 *Qualis eligendus in Magistrum Novitiorum? Et circa quæ præcipuè debeat esse solicitus.*
7 *Quid circa Magistrum Novitiorum statuerit Clemens VIII.*
8 *Novitio diligentur exponenda Regula, & obligationes Monasticæ.*
9 *Idipsum enixè commendant Synodi Belgicæ.*
10 *Ex Decreto Clementis VIII. etiam Fratres* Conversi *de omnibus ritè instruendi.*
11 *Novitiis persuadendum, esse vivendum secundum Regulam, non autem juxta normam vivendi multorum.*
12 *Quid eum in finem statuerit Innocentius XII.*
13 *Tempus Novitiatûs non ubique fuit uniforme.*
14 *Jure Decretalium poterant Abbates tempus Novitiatui præfixum ex causa abbreviare.*

15 *Ob excessus in hac abbreviatione commissos multis Decretis opus fuit ; quibus Fratres Mendicantes illudebant.*

16 *Contra præcipitem Novitiorum Mendicantium admissionem plures editæ Decretales ; & efficacissimè illi occurrit Synodus Tridentina.*

17 *Synodus Tridentina sequuta Regulam Benedictinam, tempus Novitiatus esse voluit* annale.

18 *Professionem ante tempus Novitiatûs expletum declaraverit absolutè nullam ; substulitque Decisionem* Cap. 2. & 3. De Regularibus, in VI.

19 *Nec renuntiatio Novitii, nec consensus Monasterii professionem anticipatam reddere possunt validam.*

20 *Annus Novitiatûs debet esse integer.*

21 *Requiritur annus continuus.*

22 *Quæ interruptio anni Novitiatûs reddat professionem nullam, incertum apparet.*

23 *An qui extra Monasterium aliquâ parte anni mansit de licentia Superioris, possit validè profiteri sine novo Novitiatu.*

24 *Si ex speciali Statuto Ordinis prolixiùs quàm annale tempus pro Novitiatu requiratur, huic Synodus Tridentina non derogavit ; facta tamen ante tempus ex Statuto præscriptum professio, est invalida.*

25 *Qui anno Novitiatûs expleto Monasterium deserit, reversus validè sine novo Novitiatu profiteri potest.*

I. POstquam postulans ritè examinatus, ac discussus, sufficientia signa vocationis dedit, ad Novitiatum, juxta S. Benedicti, aliorumque Patrum Regulam recipiendus est. „ Postea autem sit, inquit Benedictus, in cella Novitiorum, „ ubi meditetur, & manducet, & dormiat.“

II. Hujus cellæ Novitiorum meminère & aliæ Patrum regulæ. Ferreoli Regula *cap.* 5. de tempore probationis seu Novitiatûs tractans, ait : „ Vicinam tamen Monasterio cellulam, „ dum prænotatum tempus observat, accipiat. Victumque quo„ tidianum à Monasterio, si inter reliquos operetur, expectet, „ lectioni ante omnia & orationi dans operam.“

Sanctus Fructuosus *cap.* 21. *Regulæ*, hæc habet : „ Neque „ interna Fratrum diversoria accedet, sed delegata in exterio„ re curte cellâ perfructur.“

III. Manifestum ergo est, jam pridem præscripto Regularum, Novitios ab aliis Fratribus fuisse separatos ; „ Ne (ait „ Hugo Menardus *ad cap.* 65. §. 1. *Concord. Regul.*) quæ in „ Monasterio geruntur in eorum notitiam venirent, & discedentes ea secularibus revelarent. Id etiam eorum tranquilitati „ maximè congruum erat ; ut ab omni consortio sejuncti, fa„ cilius contemplationi, & vitiorum exstirpationi studerent.“

IV. Hanc Novitiorum à cæteris Fratribus separationem multùm urget, & observari præcipit Clemens VIII. in citatis Decretis §. 26. „ Quòd verò ad loci qualitatem uniuscujusque „ Novitiatûs spectat, ait, locus hujusmodi propriâ clausurâ ab „ ea parte Conventûs, & Monasterii in qua degunt professi, „ segregatus sit, atque distinctus : habeatque tot ad dormien„ dum cellulas separatas, quo erunt numero Novitii, vel dor„ mitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commodè „ sterni possint ; in quo etiam cellula, vel certus, ac deter„ minatus locus pro Magistro, ejusque socio reperiatur. In eo „ etiam præter alias communes commoditates, aptus locus ad„ sit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac „ lectiones, instructionesque Magistri audiendas, & in quem „ hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant. „ Oratorium insuper, seu Capella, si commodè fieri poterit, „ ad Novitios in spiritualibus, præsertim in cæremoniis, Ec„ clesiasticisque functionibus exercendos. Hortus quoque pecu„ liaris ad honestam recreationem, benè conclusus, atque mu„ nitus adsit ; sin minus, hortum cæteris Fratribus communem „ recreationis tempore ingrediantur. Ipsis verò Novitiis ibi „ commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris aucto„ ritate, (si opus fuerit) ne in eundem quisquam alius ingre„ diatur. Ad hujusmodi locum Novitiatûs nemini, ejusdem vel „ alterius Ordinis Regulari, etiam Conventûs & Monasterii Offi„ ciali, ullo unquam tempore sub quovis prætextu aditus pa„ teat, præterquam Magistro, ejusque Socio, ac etiam Mo„ nasterii, aut Conventûs Superiori, si quandocunque ingre„ diendum sibi necessariò existimaverit ; quo tamen casu ali„ quem semper ex senioribus Conventûs, vel Monasterii Patri„ bus socium assumat. Hujus loci clausuræ clavis apud Magis„ trum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantùm „ causa ingressum illuc alicui permittere ; si quis autem Novi„ tiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præsente, & „ non aliter alloquatur.“

V. Subjicit deinde S. Benedictus : „ Et Senior ei talis de„ putetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum „ curiosè omninò intendat, & solicitus sit, si revera Deum „ quærit, si solicitus sit ad opus Dei, ab obedientiam, ad op„ probria.“

Senior, cujus hîc meminit Benedictus, est ille, qui hodie appellatur *Magister Novitiorum.* An autem singulis Novitiis Seniores dandi sint, non expressit Benedictus. „ Nec puto, ait „ Menardus, hanc esse mentem S. Benedicti, qui ferè sequi„ tur Ægyptiorum Monachorum normam, juxta quam uni Se„ niori *decem* juniores dantur instituendi, ut constat ex Cassia„ no *lib.* 4. *de Instit. cap.* 7.“ Quod & modernæ disciplinæ Monasticæ est conforme, quæ uni plerumque Magistro plures Novitios committit.

VI. Requirit Benedictus, ut pro Novitiis instituendis eligatur Senior aliquis, id est, in exercitiis Monasticis bene exercitatus, qui verbo & exemplo Novitium instruere sit idoneus ; qui insuper *aptus sit ad lucrandas animas* : hoc est, aptus ad imprimendum Novitio contemptum mundi, & rerum temporalium, eique inspirandum amorem rerum cœlestium ; necnon magnam ideam eorum, quæ mundus despicere solet.

Post hæc, qui *curiosè omnino intendat, & solicitus sit, si Novitius revera Deum quærat* : id est, num in exercitiis Religionis, ac ipsa vitæ Monasticæ electione unicè Deum quærat : utrum nulla humana consideratio se immisceat, quæ ipsum ad hoc vitæ genus eligendum impellat. Denique solicitè attendat, num ita Novitius in omnibus se gerat, ut meritò ac cum fundamento judicari possit, ipsum ad Religionem à Deo esse vocatum. Quæ sat ostendunt, quanta prudentia non carnis, sed spiritus in Magistro Novitiorum opus sit.

Meritò ergo Patres Eremitæ S. Augustini decreverunt, „ in „ Magistrum Novitiorum eligi Fratrem honestum, ac proba„ tum, & sui Ordinis præcipuum zelatorem, provectæque „ ætatis, quantum fieri poterit, à quo ad Dei laudem & Or„ dinis decorem cum omni sanctimonia, & bona doctrina dili„ genter erudiantur & instruantur.

VII. Clemens VIII. in Constitutione sua de *recipiendis Novitiis*, hæc de Magistro Novitiorum & ejus Socio habet §. 27. „ Ipse Magister Sacerdotali Ordine sit initiatus, ac in „ quinto saltem supra trigesimum ætatis suæ anno constitutus, „ & per decennium à professione emissa in Religione perstiterit. „ Socius verò trigesimum annum excedat ; sintque ambo doc„ trinâ, & quantùm per Superiorum diligentiam & vires fieri „ poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præstantes, orationis „ præterea & mortificationis operibus addicti, prudentiâ chari„ tateque referti, non sine affabilitate graves, zelum Dei cum „ mansuetudine præ se ferentes, ab omni cordis & animi pertur„ batione, irâ præsertim & indignatione, quæ in se & erga alios „ charitatem impedire consueverunt, quàm longissimè alieni ; „ & tales demùm, qui *in omnibus seipsos bonorum operum exem„ plum* præbeant, ut ii, qui eorum curæ subsunt, illos non „ tam metuant quàm revereantur ; nec illis unquam detrahere „ quidquam possint.

VIII. Prosequitur Regula Benedictina citato *cap.* 58. „ Præ„ dicentur ei omnia dura & aspera, per quæ itur ad Deum. „ Si promiserit de stabilitatis suæ perseverantia, post duorum „ mensium circulum legatur ei hæc *Regula* per ordinem, & di„ catur ei : Ecce lex sub qua militare vis : si potes observare, „ ingredere ; si verò non potes, liber discede. Si adhuc ste„ terit, tunc ducatur in supradictam cellam Novitiorum, & „ iterum *probetur in omni patientia.* Et post sex mensium cir„ culum legatur ei Regula ; ut sciat ad quod ingreditur. Et si „ adhuc stat, post quatuor menses iterum relegatur ei eadem „ Regula. Et si habita secum deliberatione promiserit omnia „ custodire, & cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur „ in Congregationem, scient se jam sub lege Regulæ constitu„ tum, quòd ei ex illo die non liceat egredi de Monasterio, „ nec collum excutere de sub jugo Regulæ, quam sub tam mo„ rosa deliberatione licuit, aut recusare, aut suscipere.“

Unicus in his omnibus scopus S. Benedicti fuit, ut Novitius exactè de Regula reliquisque vitæ Monasticæ exercitiis, & obligationibus instruatur ; nihilque leviter, ac inconsideratè arripiat, ejusque animi, ac spiritus in his omnibus constantia bene probetur.

Et quia ab hoc puncto totius disciplinæ regularis recta observantia, atque ipsorum etiam Novitiorum salus plerumque dependet, ideo observantiam illius non tantùm priscorum Patrum Regulæ, sed & recentiorum Ordinum Constitutiones, & Synodorum Decreta urserunt.

IX. Synodus Cameracensis P. I. *t. de Monasteriis, cap.* 14. „ Mandat omnibus Monasteriorum Superioribus, ut Regulæ „ ac Statutorum Monasterii, in quo juvenes cupiunt profiteri, „ lectio & explicatio eisdem Novitiis fiat : ne imprudentiùs vo„ veant, si ipsis minùs constet, ad quid se per professio„ nem obligent.

„ Novitiorum diligens institutio fiat (inquit Synodus Audo„ marensis) neque solum Ecclesiæ officium, sed & professio„ nem ipsam ac Religionis vota & Regulam, nec non Monas„ terii Statuta doceantur, probeque ea intelligant, ac in eis „ exerceantur, priusquam ea profiteri, aut vovere sinantur.“ *tit.* 17. *cap.* 4. Idem mandat Synodus Mechl. *D. tit.* 22. *cap.* 5.

X. Quin præcipit Clemens VIII. in jam sæpius citata Constitutione, „ ut omnes etiam *Conversi* recipiendi de omnibus præ„ dictis, priusquam ad habitum regularem admittantur, ab iis, „ quibus munus illud incumbit, diligenter instruantur.“

XI. Verùm frustranea erit, quòd & passim experientia docet, Regulæ Statutorumque prælectio, atque rigida etiam votorum explanatio, ni unà persuadeatur Novitiis, vivendum esse juxta præscriptum Regulæ & Statutorum prout sonant; tametsi forsitan vita multorum non sit conformis: neque ipsis attendendum esse, quid passim alicujus Ordinis aut Monasterii Religiosi faciant, sed quid Regula Statutaque præscribant; & ad quid ipsa religiosa professio Religiosos obliget. Ni enim hæc Novitiis fortiter imprimantur, facilè fiet, ut quantumvis, aspera ac difficilia in Regula, ac Statutis contineri audiant, illa credant tamen cum commoda, ac mundana vita componi posse; dum videt Religiosos eandem Regulam, ac Statuta professos similem vitam ducere.

XII. Ut verò Novitii, ac recenter Professi haberent ob oculos exactæ regularis disciplinæ exemplar, quo ipsi efficaciùs ad illam incitarentur, modernus Pontifex Innocentius XII. ex sententia Congregationis Cardinalium specialiter super reformatione Regularium institutæ, edito Decreto 18. Julii 1695. præcepit singulorum Ordinum Regularium Superioribus „ ut in una„ quaque Provincia per Italiam & Insulas adjacentes, quam„ primùm deputent aliquos Conventus, quos magis aptos cen„ suerint, vel unum saltem, ibique auctoritate Apostolica sta„ tuant omnimodam observantiam Regulæ, Constitutionum „ uniuscujusque Ordinis, & Decretorum Apostolicorum, præ„ cipuè verò exactæ Vitæ communis ad formam eorumdem De„ cretorum, ab omnibus Religiosis, qui in Conventibus, ubi „ recipiendi Novitii, & Professi educandi sunt, morabuntur, „ omninò servandæ.“

Quæ omnia, quo faciliùs, efficaciùs, & durabiliùs ad praxim deduci valeant, in virtute S. Obedientiæ eisdem Superioribus præcipitur, „ut in supradictis Conventibus non collocent, ni„ si Religiosos graves, devotos, exemplares, regularis obser„ vantiæ & puritatis regulæ studiosos, orationi præsertim, ac „ mortificationi, sine quibus non potest religiosa vita consistere, „ addictos, quique consentiant exactè servare Vitam Commu„ nem, atque indè amoveant eos omnes, qui tam Sanctæ Ordi„ nationi contradicere, seu verbis, aut factis quoquomodo se„ se opponere audeant.“

* Notandum tamen, quòd ex hac separatione Novitiorum à cæteris Religiosis professis natum sit contingere, quòd Novitiis nimiùm occultentur, tum Monasticæ disciplinæ collapsio, tum multorum Religiosorum à Regulæ observantia deflexio; quæ si Novitiis apprimè essent cognitæ, non rarò intelligerent, quàm difficilè ipsis postmodum erit, in tantæ disciplinæ Monasticæ deformitate, ac collapsione, & inter tam defectuosos fratres, veram atque integram vitæ Monasticæ disciplinam observare & emissis votis per omnia satisfacere.

Ex his quoque parentes, necnon adolescentium directores intelligere possunt, sui muneris & officii esse, eos, quos sciunt ingressum in Monasterium meditari, subinde de hac disciplinæ & Regulæ collapsione præmonere, & instruere, difficultatesque exponere, quas ob hanc deformationem sint habituri, si vitam verè religiosam in his Monasteriis ducere, & votis suis per omnia satisfacere intendant.

XIII. Anno integro Novitium probandum esse, Regula Benedictina supponit. Antiquorum Monachorum, præsertim Ægyptiorum Regulæ ad triennium Novitiatum passim produxerunt; quas secutus Imperator Justinianus sancivit, ut accedentes ad vitam Monasticam per triennium in veste laica maneant, divina addiscentes eloquia; & ut reverendissimi eorum Abbates requirant eos, undè eis desiderium vitæ singularis accesserit: & discentes ab eis, quòd nulla maligna occasio ad hoc eos adduxit, habeant eos inter eos, qui adhuc docentur, & monentur: & experimento percipiant eorum tolerantiam & honestatem: *Non enim facilis est vitæ mutatio*, inquit, *sed cum animæ fit labore*, Novellâ 5. cap. 2.

* Utriusque temporis pro Novitiatu conficiendo meminit Gratianus. Et quidem *causa* 17. *quæst.* 2. *can.* 1. refert sub nomine Alexandri Papæ II. quòd tum S. Benedicti, tum S. Gregorii Papæ constitutio Canonica interdicat, *Monachum ante unius anni probationem effici.*

Deinde *can.* 3. sub nomine Decreti Bonifacii (sed quod re ipsa desumptum est ex Novellis Justiniani, ut notant Correctores Romani) refert: „ Si quis incognitus Monasterium ingredi „ voluerit, ante *triennium* Monachi habitus ei non præstetur.“

Ut autem has auctoritates conciliet Gratianus ad calcem Canonis 2. subjungit: „ Auctoritas illa Alexandri secuta est insti„ tutionem B. Gregorii, & B. Benedicti, quæ probandis an„ num indulget, sed tantùm notis, ignotis verò triennium „ concedit.“

Absona planè restrictio, cujus nulla aut in regula S. Benedicti aut apud S. Gregorium mentio habetur.

Similiter nec apud Justinianum ullum inter notos & ignotos discrimen constituitur: sed simpliciter triennium probationis præscribitur. Neque in Novellis Justiniani legitur, quemadmodum hîc apud Gratianum in prætenso Decreto Bonifacii, *si quis* INCOGNITUS, sed indefinitè: *Si quis autem ad monasticam vitam venire voluerit.*

Si Gratianus loca & tempora distinxisset, obvia fuisset conciliandi ratio: scitur enim nec ubique, nec semper eandem fuisse circa tempus probationis disciplinam.

XIV. Verùm cùm tempus illud annuum, aut triennale unicè spectare videretur, ut Novitii ritè de vita Monastica essent instructi, & Monasterium de Novitio cœpisset experimentum, nullatenus ad substantiam professionis pertinere visum fuit; quod multis jam pridem probavit Petrus Venerabilis Cluniacensium Abbas *lib.* 1. *Epist.* 28. & evidenter supposuit Innocentius III. in *cap.* 16. ✠ *de Regularibus*, annalem probationem asserens esse Patrum Institutum, Novitii pariter & Monasterii gratiâ inductum; cui tamen utriusque consensu renuntiari posse asserit, ideoque professionem ante expletum probationis annum factam validam esse: *Quia*, ait, *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Post hæc subjungit: „ Prohibendum est autem Abbatibus, ne passim ante tempus „ probationis quoslibet ad professionem admittant.“

XV. Quia tamen in potestate Abbatum manebat tempus probationis abbreviare, eam abbreviationem, vel importunis precibus victi, aut aliquo humano respectu impulsi sæpius annuebant; atque inde rursus fiebat, non sat probatos ad professionèm admitti; ut propterea iteratis Decretis ad hunc abusum coërcendum opus fuerit.

Sed cùm „ hi Canones spectare viderentur ad solum S. Be„ nedicti Ordinem (inquit Christianus Lupus *tom.* 3. *Schol.* „ *pag.* 627.) novelli tum Fratres Prædicatores & Minores perge„ bant sine probationis anno ad professionem admittere. Admitte„ bant etiam inhabiles personas, atque ita suos Ecclesiæ utilis„ simos Ordines gravabant, ac vitiabant.“

XVI. Plura quidem tam ab Innocentio IV. quàm Bonifacio VIII. contra hanc præcipitem Fratrum Mendicantium ad professionem admissionem edita fuêre Decreta, quæ in Sexto Decretalium sub titulo *de Regularibus* referuntur; sed eorum vel non observantiam, vel inefficaciam advertentes Patres Tridentini decreverunt *Sess.* 25. *cap.* 15. *de Regularibus*: „ Ne „ in quacunque Religione tàm virorum quàm mulierum, qui „ minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum „ in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio „ autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem „ ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observatio„ nem, aut ad alios quoscunque effectus.“

XVII. Secuta est ergo Synodus Benedictinam Regulam, annuam probationem præscribentem. Quam Regulam S. Benedicti, uti rectè notat Lupus loco citato, *esse omnium Regularum Dominam semper censuit Apostolica Sedes.*

XVIII. Omnimodam tamen illam professionis nullitatem, ad robur & firmitatem sui Decreti superaddidit Benedictinæ Regulæ Synodus: quo etiam sublatam esse Decisionem *cap.* 2. & 3. *de Regularib. in VI.* ex resolutione S. Congregationis annotavit Fagnanus ad *cap.* PERLATUM, *De his quæ vi metusve causa*, *num.* 29. & 30. quatenus ibi declarabatur, quòd professio facta durante anno probationis non obligaret quidem ad individuam religionem, quam esset professus, sed tamen professum astringeret ad aliquam religionem in genere: ita ut professo integrum non esset ad seculum reverti. At juxta Decretum Tridentinum, professio ante expletum annum Novitiatûs emissa, est nulla *nullitate absoluta*; ut ipsi professo liberum sit, non obstante illa professione, ad seculum redire.

XIX. Neque ipsius Novitii renuntiatio validam reddere potest professionem: quia annus ille probationis, ut recte notat Zypæus in *Jure novo tit. de Regularib.* non in illius privati favorem, sed publicæ politiæ causa inductus est: quæ etiam ex indiscreta & præcipiti ad professionem admissione non exigua incommoda sæpius experitur.

XX. Anuum Novitiatûs debere esse integrum, ut etiam defectus unius horæ professionem redderet nullam, latè docet Fagnanus ad *Cap.* AD NOSTRAM ✠ *de Regularib.*

XXI. Annum probationis ex mente Synodi Tridentinæ debere esse continuum seu nullatenus interruptum, post alios resolvit Zypæus *Consul.* 18. *de Regularibus.* In tantum ut si Novitius vel die uno religionem deseruerit, reversus teneatur rursus integrum annum probationis, sub pœna nullitatis professionis, absolvere. Et duarum horarum interruptionem reddere novitiatum nullum, resolvit S. Congreg. apud Fagn. ad *Cap.* AD NOSTRAM *de Regularibus*, *num.* 27.

XXII. Contrarium tamen innuunt Constitutiones PP. Eremitarum S. Augustini *parte* 2. *cap.* 3. ubi statuunt: „ Si aliquis „ Novitius infra assignatum sibi tempus probationis, aspexerit „ retrò, si postmodum transactâ die eâdem suæ egressionis re„ dire voluerit, non recipiatur, nisi eâ conditione & modo, ut „ ite-

„ iterum per annum & diem debeat in probatione manere, nisi „ ejus vita & conversatio talis fuerit, quòd videatur discre- „ tioni Prioris Provincialis *misericorditer esse dispensandum.*“ Hæc dispensandi facultas data Provinciali videtur indicare, non credidisse Statuti illius conditores, ex mente Synodi Tridentinæ annum probationis debere ita esse continuum, ut vel modica illius interruptio novitiatum inchoatum omninò reddat invalidum. Suppositâ enim illâ nullitate per Concilium inductâ, non posset Provincialis super novo novitiatu dispensare.

At videntur Patres illi supposuisse, modici temporis interruptionem pro interruptione non esse considerandam, nec impedire, quo minus id obtineatur, ob quod requiratur annus novitiatus continuus, sive *non interruptus*; nimirum, ut Novitius vitæ Monasticæ austeritates omnes experiatur, quæ uno anni tempore majores esse possent, quàm alio; & difficilius est, vitæ alicujus molestias per annum continuum, quam per interrupta intervalla substinere; quæ ratio tunc duntaxat obtinere videtur dum notabilis esset interruptio. Unde in prædicto Statuto additur: „ Non tamen cum eo, qui ultra men- „ sem extra ordinem permanserit, ullo modo dispensare debet.“

Nihilominus, si Fagnano credimus „ Procuratori genera- „ li Ordinis Minimorum quærenti, an Novitius, qui à Monas- „ terio ut aliam Religionem ingrederetur, abierat, ac *duas* „ *tantùm horas* in alio Conventu moram traxerat, moxque „ facti pœnitens reversus fuerat, teneretur incipere novum annum „ probationis: Responsum est, teneri ab eo die quo rediit.“ Ad *cap.* INSINUANTE ✠ *Qui Clerici vel Voventes, &c. num.* 26.

Incertum ergo aliquousque apparet, quæ interruptio novitiatum vitiet, ipsumque Novitium ad novum novitiatum peragendum obstringat, sub pœna nullitatis Professionis secuturæ; uti etiam apparet ex auctoribus in utramque partem adductis per Barbosam in Jure Ecclesiastico, *lib.* 1. *cap.* 42. *n.* 124.

XXIII. Illud certius esse videtur, quòd si aliquam partem novitiatûs Novitius in Monasterio peregerit, atque durante novitiatu de mandato superioris exiverit, ac sub illius obedientia, & ex rationabili causa residuo anni tempore extra Monasterium manserit; si expleto anno professionem sine alio novitiatu emiserit, professionem valere, quemadmodum resolvisse S. Congregationem testatur Fagnanus loco citato *num.* 38. eamque resolutionem multis argumentis adstruens; unà tamen monens *num.* 41. id hodiè non procedere in eo, qui extra Monasterium habitum regularem assumpsisset; nec unquam per anni circulum Monasterium esset ingressus.

XXIV. Cùm verò Synodus Tridentina annum probationis requirat, ut & Novitius plenè sit instructus de his quæ professio secum trahit, & Monasterium de capacitate & spiritu ipsius Novitii; nequaquam Synodus reprobare intendit Statuta, aut consuetudines Religionum, quæ prolixius probationis tempus requirunt; sed illa integra ac inviolata permittit: ita tamen, ut si anno probationis expleto, at nondum evoluto ulteriori tempore per Statuta, aut consuetudinem requisito, ad professionem admittatur Novitius, professio propterea non sit invalida: eò quòd Statuta tempus illud requirere non soleant sub pœna nullitatis: & ita quoad Novitios in Societate Jesu expressè docet Barbosa loco citato *num* 133.

XXV. Si autem integro anno Novitiatûs absoluto ante emissam professionem Monasterium deseruerit, reversus poterit sine novo Novitiatûs anno ad professionem admittit, quia verum est, annum integrum ac continuum in probatione fuisse: & ita respondit S. Congregatio apud Fagnanum ad *Cap.* PRESBYTERUM ✠ *de Pœnit. & remiss. num.* 116. nisi Religionis aut personæ conditio sit immutata; idque Superiores Religionis diligenter animadvertere debere.

CAPUT III.

DE LIBERTATE NOVITII DESERENDI RELIGIONEM ANTE PROFESSIONEM, ET AD EAM SPECTANTIBUS.

1 *Ante emissam professionem manet Novitio integra libertas redeundi ad seculum.*
2 *Novitii olim probabantur in veste* laicali.
3 *Hæc disciplina seculo XII. adhuc erat in Ordine Cisterciensi.*
4 *Hinc originem sumpsisse videtur* tacita *professio.*
5 *Quomodo hæc disciplina mutata.*
6 *Quare distinctus habitus Novitiorum ab habitu Professorum.*
7 *Non mutabatur habitus Novitii, ut major maneret libertas egrediendi.*
8 *Eundem in finem capilli puellarum ante professionem non abscinauntur.*
9 *Pueri à parentibus oblati hac oblatione hodie non astringuntur; secus olim.*
10 *Jure communi, & ex moderna disciplina nemo ex oblatione parentum Religioni astringitur.*
11 *Æquum est, ut meditantes ingressum Religionis consulant parentes; professio tamen facta invitis parentibus est valida.*
12 *Interdum auctoritate Regia filiifamilias jubentur extra Monasterium collocari, ut parentibus detur ad ipso liber accessus.*
13 *Neque id à jure dissonum est.*
14 *Nulla renuntiatio aut obligatio à Novitio fieri potest, nisi sub certis conditionibus, ut major maneat Novitio libertas.*
15 *Etiam procedit in eo, qui meditatur ingressum.*
16 *Decretum Concilii Tridentini loquitur de omni renuntiatione, modò appareat factam esse animo ingrediendi Religionem.*
17 *Renuntiatio facta à Novitio post* 10. *menses probationis valet; licèt professio ultra annum protrahatur.*
18 *Decretum Synodi Tridentinæ vetans donari ex bonis Novitii ipsi Monasterio.*
19 *Synodus loquitur de* gratuita & ultronea *donatione.*
20 *Synodus non dicit aliquid posse* exigi *pro expensis Novitiatûs.*
21 *Nullatenus probat praxim Monasteriorum etiam opulentorum* exigendi *expensas Novitiatûs.*
22 *Hæc praxis à multis improbatur.*
23 *Est contra mentem Fundatorum.*
24 *Decretum habet locum in bonis parentum.*
25 *Etiam in Novitio qui est sui juris.*
26 *Etiam facta donatio sub cautione de restituendo.*

I. DUrante Novitiatu, vel etiam eo finito, necdum tamen omissâ professione, integra manet Novitio libertas Monasterium deserendi, & ad seculum redeundi *Cap.* 23. ✠ *de Regularibus.* Et in *Cap.* 2. *eodem in VI.* Fratribus Minoribus & Prædicatoribus in virtute obedientiæ & sub pœna excommunicationis districtiùs inhibetur, ne aliquem intra annum probationis constitutum ante emissam professionem tacitam vel expressam impedire præsumant, ne ad seculum rediret.

II. Olim Novitii probabantur in veste *laicali*; neque ante emissam professionem vestem mutabant; uti colligitur ex Regula Benedictina *cap.* 58. ubi præcipitur, ut post Novitiatum expletum & emissam professionem „ suscipiendus Fra- „ ter in Oratorio exuatur rebus propriis, quibus vestitus est, „ & induatur rebus Monasterii.“

Conformiter ad hanc ejus temporis disciplinam scribit S. Gregorius apud Gratianum *Dist.* 53. *Can.* LEGEM, milites ad Religionem divertentes „ juxta normam regularem debere in suo „ habitu per triennium probari & tunc *monachicum* habitum „ Deo auctore suscipere.“

Et in Conventibus Regum Francorum de suscipiendo ad Religionem præcipitur: „ Ipse verò nec *tondeatur*, nec *pris-* „ *tina vestimenta* immutet, *priusquam* obedientiam promittat.“

III. Hanc disciplinam tempore S. Bernardi apud Cistercienses in usu fuisse sat aperte innuit S. Bernardus Epistola 1. ad Robertum, eundem obsecrans, ut meminerit, quòd demum anno Novitiatûs transacto, post annum sponte professus, *tunc primùm seculari veste relicta habitum Religionis susceperit.*

IV. Hinc forsam successu temporis originem sumpsit *tacita* professio per habitûs monastici susceptionem, cujus frequens in Decretalibus Gregorii IX. mentio occurrit. Cùm enim ante professionem habitus monasticus suscipi non soleret, qui eum suscipiebat, profiteri censebatur.

V. Cùm verò uti supra notavimus, circa seculum XII. & XIII. in pluribus Religionibus annus Novitiatus negligeretur, etiam mox à receptione habitum monasticum induere cœperunt. Hoc autem ritu sic introducto; quòd scilicèt habitus monasticus mox à receptione ad Religionem traderetur, quia Novitiatus tùm prætermittebatur; cùm posteà Pontifices & Concilia Novitiatum urserunt, nec ante illum expletum professionem emitti voluerunt, remansit consuetudo tradendi habitum monasticum in ipsa receptione; atque ita introducta disciplina ipsum Novitiatum in habitu monastico peragendi, quæ hodie apud omnes Regulares servatur; neque Novitiatus ante habitum susceptum inchoatus reputatur.

VI. Porrò quia eo tempore adhuc vigebat tacita professio per susceptionem habitûs Professorum; ne ex susceptione vestis monasticæ in ipso Novitiatu dubium oriretur, num professionem emisisset, decrevit Gregorius IX. *Cap. penult.* ✠ *de Regularibus*: „ Quod cùm in locis Religiosis Novi- „ tiorum habitus non distinguatur ab habitu Professorum: „ professionis tempore benedicantur vestes, quæ Professionibus „ conceduntur, ut Novitiorum habitus à Professorum habitu „ discernatur.“

VII. Quidquid sit de origine mutatæ hujus disciplinæ, cau-

sam Statuti sui (id est, ut Novitiatus in veste laicali fieret) eam S. Benedictum habuisse „crediderim (ait Haëftenius *Disq.* „ *Monast. lib.* 5. *tract.* 2. *disq.* 2.) ut libertati Novitiorum „ consuleretur: eoque minori cum infamia Monasterio egredi „ possent, quòd nunquam monasticum habitum detulissent."

* Et sanè non dubium, quin major esset libertas Novitiis ad seculum revertendi, si Novitiatus in veste laicali etiamnum hodie perageretur. Scitur enim vulgò non nihil ignominiosum reputari, si semel susceptus Religionis habitus exuatur; eò quod per exteriorem vestis religiosæ gestationem, quasi jam Monachi seu Religiosi reputati, redeuntes ad seculum Monachum exuisse videantur, & existimentur. Interim nec dubitandum, quin durante modernâ disciplinâ monastica peragendi Novitiatum in habitu monastico, & à laicali planè distincto minor quasi videatur Novitio egrediendi libertas, adeoque major & exactior in recipiendis ad Novitiatum cura, & morum, & spiritûs discussio, & inquisitio meritò requiratur.

VIII. Eodem spiritu Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 24. *cap.* 7. libertati professionis Virginum Deo dicandarum consulens, renovansque omnia statuta, ac consuetudines huic libertati contraria, inter alia prohibet: *Ne quarumcumque virginum* CAPILLI *ante professionem resecentur.*

IX. Ob eandem libertatem, tandem posterioribus seculis data est facultas integrâ illis, qui ante pubertatem, id est, masculi ante 14. & puellæ ante 12. ætatis annum à parentibus Religioni erant oblati, dum ad pubertatem venerint, relictâ Religione ad seculum redeundi; contra veterem disciplinam, quæ pueros à parentibus ante pubertatis annos oblatos ipsi Religioni ita obstringebat, ac si ipsi per se professionem emisissent; juxta illud Concilii Tolet. IV. *Can.* 48. apud Gratianum *Caus.* 20. *quæst.* 1. *Can.* 3. „ Monachum aut *pater-* „ *na devotio*, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit, „ *alligatum* tenebit." Plures in hujus disciplinæ probationem Canones citat Gratianus, ac tandem concludit: „ Ex his auc- „ toritatibus colligitur, quòd paterna professio pueros tenet „ obligatos, nec licebit eis à proposito discedere, quod pa- „ terna devotione in puerilibus annuis susceperunt." De hac puerorum oblatione ejusque ritu & effectu latè tract. Haëftenius *Disq. Monast. l.* 5. *tract.* 1.

X. At juxta responsum Cœlestini III. datum anno 1191. & relatum in *Cap.* 14. ✠ *de Regularibus*, mutata veteri disciplinâ, puer in minore ætate à parentibus oblatus, postquam ad annos pubertatis, sive discretionis pervenit, si monachalem habitum retinere noluerit, non est ullatenus compellendus: quia tunc liberum sibi erit eum dimittere, & „ bona paterna, quæ „ ipsi ex successione proveniunt postulare."

Cui responso moderna monastica disciplina est conformis; maximè cùm nec ante 16. ætatis annum ullam sive virorum, sive mulierum professionem admittat; uti infrà dicetur.

XI. Quamvis justum sit, ac obedientiæ & reverentiæ parentibus debitæ planè consonum, ut liberi inconsultis ac reluctantibus parentibus statum facilè non assumant, nequaquam tamen ipsa professionis validitas à parentum dependet consensu; licitumque subinde esse potest, invitis ac reclamantibus parentibus Monasterium ingredi, & professionem emittere. Unde est illud apud Gratian. *caus.* 20. *quæst.* 2. *Can.* 2. „ Si ve- „ rò in fortiori ætate (id est, ultra annos pubertatis) adoles- „ centula, vel adolescens servire Deo elegerit, non est po- „ testas parentibus prohibendi."

XII. Si tamen ex circumstantiis, & conjecturis sit non infundata suspicio, quòd per fraudes, aut minas, vel alia nonnulla humana motiva ad Religionem, insciis parentibus juvenes, aut puellæ fuerint invitati & allecti, nonnunquam officio judicis, petentibus parentibus aut etiam tutoribus, Superiores compelluntur illos parentibus vel curatoribus reddere; aut saltem eos in loco aliquo à Monasterio separato collocare, ut ibidem à parentibus examinentur, atque eorum voluntas, num libera sit & recta ac firma, discutiatur; quemadmodum frequenter auctoritate Senatûs Regi factum fuisse refertur *Tom.* 2. *Libert. Eccles. Gall. cap.* 33. & nuper à Consilio Sanctiori Bruxelis ordinatum fuit in causa Josephi Vande Walle, Novitii apud PP. Societatis.

XIII. Neque id dissonum est à jure communi, quo statuitur, pueros ante annos pubertatis non posse invitis parentibus, aut tutoribus Religionem ingredi; & si contra fecerint, posse repelli, & Religiosos officio judicis compelli ad reddendum. *Cap.* 8. & 11. ✠ *de Regularib.*

XIV. Ad eandem libertatem Monasterium deserendi, Novitio conservandam, Synodus Tridentina, *Sess.* 25. *cap.* 16. *de Regularibus*, decrevit: „ Nulla renuntiatio, aut obligatio „ ante professionem facta, etiam cum juramento, vel in favo- „ rem cujuscunque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Epis- „ copi, sive ejus Vicarii, fiat intra duos menses proximos an- „ te professionem; ac non aliàs intelligatur effectum suum sor- „ tiri, nisi secutâ professione: aliter verò facta, etiamsi cum „ hujus favoris expressâ renuntiatione, etiam juratâ, sit *irrita*, „ & *nullius effectus*."

Renuntiatio, de qua in Decreto, non tantùm complectitur renuntiationem rerum, aut jurium temporalium, sed etiam renuntiationem Beneficii, quod ante ingressum ipse Novitius possidebat; adeò ut Beneficium illud nequeat validè conferri, nisi renuntiatio juxta formam hujus Decreti facta sit.

Verba enim imprimis generalia sunt, omnem renuntiationem complectentia. Ipse quoque scopus Concilii, ne scilicet per similem renuntiationem adimatatur libertas Novitiis Religionem deserendi, in hac renuntiatione militat; quandoquidem dubium non sit, quin per ejusmodi renuntiationem, Novitius mediis vivendi destitutus, cogeretur quodammodò invitus in Religione perseverare; quapropter & S. Congregationem sæpius illa resolvisse refert Fagnanus ad *cap.* STATUIMUS, ✠ *de Regul. num.* 19. ac per consequens derogatum esse cap. 4. *de Regul. in* VI. in quantum ibidem Episcopo permitti videtur, conferre Beneficium ejus, qui Religionem ingreditur, intra annum probationis, *si ad id ipsius Novitii accesserit consensus.*

XV. Insuper Decretum Concilii Tridentini procedere, quando renuntiatio fit quidem ante ingressum Religionis, sed tamen *intuitu ingressionis* in Monasterium, declaravit S. Congregatio referente Azorio *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 20. *quæst.* 6. quia alias fraus fieret Decreto.

XVI. Insuper Decretum intelligi de quacunque renuntiatione, aut alienatione factâ ante ingressum, modo appareat, eam intuitu & animo ingrediendi factam, sustinet post Navarrum & alios Zypæus in Jure novo *tit. de Regul. num.* 29. creditque Declarationem Cardinalium, quâ contrarium declaratum dicitur, esse accipiendam de casu, quo renuntiatio facta est in seculo, absque intuitu, aut intentione ingrediendi; „ alioquin, ait, non id satis cum intentione Concilii & indis- „ tinctis verbis conveniet; adeoque an declaratio authentica „ esset, dubitandum esset."

XVII. Porrò renuntiationem, sive obligationem factam à Novitio, qui decem mensibus in novitatu fuisset, futuram validam, si eum consensu Episcopi ejusve Vicarii facta sit, tametsi Superior ex juxta causa professionem ultra annum distulerit, notat ibidem Zypæus: eò quod facta sit infra duos menses proximos tempori, quo professio legitimè emitti potuisset; atque ita resolvisse S. Congregationem.

XVIII. Adhæc pro asserenda libertate Novitii deserendi religionem, decrevit Synodus Tridentina, *Sess.* 25. *cap.* 16. *de Regular.* „ Sed neque ante professionem, excepto victu & „ vestitu Novitii vel Novitiæ illius temporis, quo in proba- „ tione est, quocunque prætextu, à parentibus, vel propin- „ quis, aut curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejus- „ dem tribuatur: ne hac occasione discedere nequeat, quòd „ totam vel majorem partem substantiæ suæ Monasterium pos- „ sideat; nec facilè, si discesserit, id recuperare possit."

XIX. Hoc Decreto imprimis decernitur, nihil à parentibus vel propinquis aut curatoribus ex bonis Novitii Monasterio ante emissam professionem quocunque prætextu tribui posse, etiam liberaliter seu ultroneè, citra ullum pactum aut conventionem cum Monasterio; excepto victu, & vestitu illius temporis, quo in probatione est.

XX. Nullatenus ergo ex hoc Decreto elici potest, mentem Concilii fuisse, Monasterium posse exigere atque pacisci cum ingrediente ejusve parentibus super expensis & vestitu Novitii; nam duntaxat declarat Synodus, quòd parentes nihil queant tribuere Monasterio ex bonis Novitii, excepto victu & vestitu Novitii vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est: quod Suarcsius aliique recentiores quoque annotârunt. Verum est, (ait Suaresius *lib.* 4. *de Simonia*, *cap.* 17. *num.* 19.) „ Concilium Tridentinum non loqui de pacto, „ nec de modo recipiendi, id est, an possit Monasterium ita „ sustentationem petere, ut sine illa nolit Novitium recipere."

XXI. Hinc ulteriùs infertur, nec in speciem, Tridentinum hoc loco favere hodiernæ multorum Monasteriorum, etiam admodum opulentorum, praxi exigendi ab ingredientibus eorumve parentibus ea, quæ pro victu, & vestitu Novitii, aut Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, necessaria creduntur.

XXII. Unde prædicta praxis à non paucis, etiam post Concilium Tridentinum reprobata fuit. Et quidem Directorium ecclesiasticæ disciplinæ, Coloniensi præsertim Ecclesiæ acommodatum, sub initium hujus seculi evulgatum auctoritate Episcopi Tricaricensis Sedis Apostolicæ per Germaniam inferiorem & Belgarum Provincias Nuntii, & à Facultate Theologica Lovaniensi probatum, relato hoc Concilii Tridentini Decreto, ait: „ Quin nec pro ipso victu, & vestitu Novitii aliquid *ex* „ *pacto* detur. Cùm enim Novitiatus res sit spiritualis, cui an- „ nexum est jus ad victum & vestitum, à Simonia abesse non „ potest, de his pacisci, vel pro jure Novitiatûs acquirendo „ ad victum, & vestitum contribuere. Si quis autem jure No- „ vi-

„ vitiatûs acquisito, sumptus liberaliter refundere velit, licite id facere potest, modò nullum intercedat pactum, conventio, spes, aut mutuus intellectus."

Sententiam hanc ex professo propugnat, & pluribus adstruere conatur Petrus à S. Audomaro, aliàs *Wallon-Capelle* Prior Monasterii Montis D. Guinoci, cujus verba retuli in dissertatione *de Peculiaritate & Simonia circa ingressum Religionis*, *part.* 2. *cap.* 5. §. 3.

XXIII. Quidquid sit de Simonia, illud indubitatum est, improbandum esse, Monasteria aliundè fundata, ab ingredientibus Religionem exigere expensas pro victu, & vestitu, etiam frequenter non sine magno, ac notabili Parentum incommodo ac fidelium scandalo; quia, uti bene advertit Zypæus in Jure novo, *tit. de Regular. num.* 26. Monasteriorum fundationes tàm pro Novitiis, quàm pro professis institutæ sunt.

Omnium quippe Fundatorum mens fuit, quam in testamento suo expressit Fundator Cluniacensis Monasterii his verbis: „ Ut illis essent Monasteria ad perpetuum refugium, qui „ pauperes de seculo egressi, nihil secum præter bonam voluntatem attulerunt, *ut nostrum*, ait, *supplementum sit abundantia illorum.*"

Latiùs de hac Fundatorum intentione consule S. Augustinum *Conc.* 3. *in Psal.* 103. Vide citatam Dissertationem *part.* 2. *cap.* 5. §. 4.

XXIV. Ut rursus ad Decretum Concilii, à quo nonnihil defleximus, redeamus, notandum, quòd Decretum quidem tantùm loquatur verbis expressis de bonis Novitii, aut Novitiæ; sed quia bona parentum quodammodo sunt bona liberorum, & Novitii libertas ad redeundum ad seculum non parum læderetur, si bona parentum alienam sciret, nec facilè recuperari posse, meritò S. Congregatio resolvit apud Fagnanum loco citato *n.* 55. Decretum Concilii habere locum etiamsi aliquid tribuatur non ex puellæ propriis bonis, sed parentum vel consanguineorum.

XXV. „ Et rursus oborto dubio pergit Fagnanus, an si „ Novitius sit sui juris, & non habeat parentes, possit in „ Religionis ingressu, præter victum aliquid donare Religioni amore Dei, censuit non posse, ex verbis expressis" *dict. cap.* 16.

XXVI. Denique, teste Fagnano, resolvit eadem Congregatio, Decretum obtinere, etiamsi aliquid ex bonis Novitii, aut Novitiæ à Monasterio recipiatur sub nomine depositi, seu sub cautione de restituendo, professione non secuta.

CAPUT IV.

Quomodo Novitii de bonis suis disponere possint, et debeant.

1 *Novitii liberè possunt de bonis suis per testamentum disponere.*
2 *In hac dispositione Novitius meritò attendit ad verba Christi*: Vade & vende omnia, & da pauperibus.
3 *Id inculcant Regulæ monasticæ.*
4 *Regulæ Patrum nequaquam interdicunt Novitiis aliquod ex suis bonis Monasterio dare.*
5 *Quâ ratione datum Monasterio censeatur datum pauperibus.*
6 *Cavendum Religiosis, ne quem intuitu rerum temporalium ad Religionem admittant.*
7 *In receptione rerum temporalium Novitii cautè procedendum, ne scandalum detur.*
8 *Malebat S. Theresia, ut pauperes, quàm divites se offerrent; & quare.*
9 *Quid in dispositione rerum temporalium Novitiorum observari voluerit S. Franciscus.*
10 *Aliqui nihil à Novitiis recipi voluerunt.*
11 *Cavere debent Religiosi, ne à Novitiis dispositionem in favorem Monasterii extorqueant.*
12 *Odiosæ ac suspectæ sunt donationes factæ à Novitiis ipsis Monasteriis.*
13 *Quid in Gallia circa illas obtineat.*
14 *Quid in Belgio.*

I. NOvitium ante emissam professionem liberè posse per testamentum de bonis suis disponere, jam pridem expressit Justinianus in *Novella* 5. *cap.* 4. neque id per Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 16. *de Regularibus*, mutatum esse, omnes consentiunt, & quotidiana praxi notorium est.

II. Porrò in hac temporalium dispositione, oportet, ut Novitius specialiter meminerit hujus sententiæ Evangelicæ: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Hæc enim tanquam speciatim dicta ad illos, qui vitam monasticam amplecti volunt, Novitiis proponi Monachorum Patres desiderârunt; ut nimirum ex illis normam disponendi de rebus suis temporalibus assumerent.

III. „ Si dives est, ait Regula Patrum, habens multas „ divitias, & converti voluerit, debet primò Dei voluntatem „ implere, & consequi præceptum illius, præcipuè quod „ Adolescenti diviti dicitur: *Vende omnia tua, & da pauperibus, & tolle crucem tuam, & sequere me.*"

Et S. Fructuosus in Regula *cap.* 4. „ Qui ingredi petunt, „ acriùs percunctentur, si fecerint illud, quod dives quondam „ adolescens, qui omnia, quæ lege præcepta sunt, se implêsse jactabat, ad quem Dominus ait: *Si vis perfectus esse vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: & veni, sequere me, & habebis thesaurum in Cœlo.*"

Auctor Regulæ, qui vulgò *Magister* dicitur, quemque non multò post tempora Gregorii M. vixisse credit Hugo Menardus, qui & de ejus Regula dicere non dubitat: „ Hæc Regula magnâ cum simplicitate, fervore, & regularis observantiæ curâ procedit." Hic, *inquam*, cùm ostendit Religionem ingredienti convenire, ut ante omnia, rebus secularibus se privet, mox recipi postulantem alloquens, ait: „ Ideoque constituimus salubre consilium, ut audias vocem Domini tibi dicentem: *Vade, vende omnia, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Quam ergo si sequi vis vocem, vade, & vende, quæ habes, & omne pretium huc ante me defer, „ ut te præsente à me *pauperibus* erogetur." Rationem deinde suggesti consilii subjicit: „ Hanc ideo voluntatem Abbas ingredientibus tribuit, ut non ab introentibus judicetur, potiùs res hominum desiderare, quàm animas."

IV. Sed petet quis, num ergo Ingredientes Monasterium ita res suas pauperibus dare debent, ut nunquam in favorem Monasterii disponere possint? Nequaquam: nam S. Benedictus in sua Regula expressis verbis recipiendo ad Religionem optionem dat, si quidem sit ætate major, ut res, si quas habet, aut eroget pauperibus, aut conferat Monasterio.

V. Nec mirum, quia juxta mentem Patrum, qui res suas offert Monasterio, eas etiam *pauperibus* tribuit: ut nimirum vel pauperes de seculo egressi, & nihil præter bonam voluntatem afferentes, ex iis sustententur; aut certè per ipsos Monasterii Præfectos pauperum usibus impendantur, juxta naturam ac conditionem proventuum Monachalium; nec aliâ intentione Monasteria sibi ab Ingredientibus oblata recipere possunt. Unde citatus *Magister* postquam loco suprà allegato dixisset, Novitium, si noluerit sua vendere & dare pauperibus, posse ea Monasterio offerre, monendo adjungit: „ Jam de ipsis rebus Ingressi, Abbas, in sua potestate mutatis, quidquid necessariæ utilitati Monasterii abundare viderit, pro „ anima fratris ipsius *propter præceptum supradictum sequendi „ Dominum per eleëmosynam, distractâ illâ re supervacuâ, pretium ejus pauperibus tribuat*: ut quod ille imperitus frater „ non meruit facere, pro illo iste quasi doctus Magister valeat implere."

Ad hæc *Magistri* verba reflectens Hugo Menardus. „ Notanda, inquit, hominis integritas, sinceritas, simul & charitas. Quàm longè abest à quorundam avaritia, aut curiositate, qui aut bona Novitiorum in arca recondunt, aut ea „ insanis substractionum molibus erigendis, similibusque vanitatibus, impendunt, Christo in suis membris algente & „ esuriente."

Nequaquam ergo Patrum Regulæ interdicunt Novitio, aliquid Monasterio hac intentione offerre; neque illicitum Religiosis ea recipere modo tamen caveant;

VI. Primò, ne quem recipiant amore pecuniæ, ita quòd si possent illam pecuniam habere sine personâ ista, non reciperent personam, sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt: & hoc penitus impurum est, & simoniacum, ait S. Bonaventura: „ Quia ibi pecunia causa est receptionis personæ, „ non è converso. Et hoc plerique (pergit Doctor Seraphicus) „ etiam ex mera inopia faciunt, optantes aliquem venire cum „ pecunia, quem reciperent, ut eorum inopia repararetur, vel „ debita contracta solverentur, vel bona concupita emerentur, „ vel ædificia construerentur."

VII. Secundò, monet idem Doctor, illicitum quidem non esse, personam recipere non pro pecunia, sed cum pecunia, ita ut si nihil afferret, tamen reciperetur pro Deo; *sed*, ait, *cautè agendum coram hominibus, ne detur eis occasio scandali, & ne sit ibi affectus avaritiæ ex spe lucri.*

VIII. Hæc omnia expendens Seraphica Mater Theresia, intelligensque quàm facilè ac quasi insensibiliter aliquid ex jam dictis interveniat, dum persona, à qua temporalia præsertim notabilia, sperantur, Religioni se præsentat, ad Confessarium suum scribit: „ Pater quoties filias nihil secum in Conventum „ adferentes ex solo Dei amore suscipio, inexplicabile mihi gaudium esse pro certo habeas." *Epist.* 16.

IX. Et S. Franciscus *cap* 2. *suæ Regulæ*, vult, „ Ingressuris dicant Ministri Provinciales verbum Sancti Evangelii, „ quòd *vadant, & vendant omnia sua, & ea studeant pauperibus erogare.* Quod si facere non potuerint, sufficit eis „ bona voluntas. Et caveant Fratres, & eorum Ministri ne soliciti sint de rebus temporalibus; ut liberè faciant de rebus „ suis

„ suis, quidquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium „ requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad ali- „ quos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus „ distribuant."

Hæc Franciscus, ut omnem inordinatum affectum ac sinistram suspicionem in receptione rerum temporalium è Fratribus amoliretur.

X. Quin ut occasionem malorum, quæ tum ipsis offerentibus, tum recipientibus Fratribus imminent, efficaciùs removeret S. Fructuosus Episcopus Bracensis *cap.* 18. *Regulæ*, statuit: „ Ut nihil de facultatibus Ingredientis in eundem locum, „ ubi ingredi se petit Monasterium, vel ad *unum nummum* re- „ cipiatur: sed & ipse manu suâ cuncta *pauperibus* eroget"

XI. Tertiò, summoperè cavendum Religiosis, ne dum gratanter, & ex mera offerentium liberalitate superficie tenus recipere videntur, blandimentis, variisque persuasionibus, aut falsis subinde adductis motivis, ab Introeuntibus temporalia extorqueant; quo contingat, ut coactè potiùs extorta, quàm voluntariè oblata accipiant; quod jam pridem Synodus Cabilonensis secunda acriter perstrinxit: „ Constituit sanè sacer iste Con- „ ventus, ut Episcopi, sive Abbates, qui non in fructum ani- „ marum, sed in avaritiam, & turpe lucrum inhiantes, quosli- „ bet homines illectos circumveniendo totonderunt, & res eo- „ rum tali persuasione non solùm acceperunt, sed potiùs sub- „ ripuerunt, pœnitentiæ Canonicæ, sive Regulari, ut puta „ turpis lucri sectatores subjaceant."

XII. Et licèt non semper ex parte Religiosorum similes inductiones interveniant, fatendum tamen, rarò donationes & oblationes, quæ fiunt à Novitiis in favorem Monasterii, procedere à libera omninò, ac spontanea voluntate, sed frequenter ex timore ut minùs reverentiali, atque zelo non satis discreto & prudenti; atque hâc præcipua ratione jam pridem suspectæ admodum & odiosæ fuêre hujusmodi donationes & oblationes, uti latè ostendit Ludovicus Servin Advocatus in Parlamento Parisiensi. *Plaidoyé* 21.

XIII. Et quidem in Gallia (uti testatur Julianus Brodeau in Notis ad Louëtium *Litt. C. num.* 8.) regula generalis est, quòd Religiosus Novitius, neque professione instante, neque ante quidquam possit directè aut indirectè donare aut legare Monasterio, in quo professionem est emissurus, in præjudicium suorum hæredum, sive ex propriis bonis, sive acquisitis, aut etiam mobilibus, tam quoad proprietatem quàm usumfructum; atque ita decisum esse Edicti Aurelianensis, *art.* 19. & expressiùs *art.* 28. Edicti Blesensis: quemadmodum, ait, per alias Ordinationes Regias cautum est, quòd pupilus nec directè, nec indirectè aliquid possit dare suo tutori, pædagogo, aut alteri suo curatori; æger durante suo morbo medico, apothecario, chirurgo, aut suo custodi; discipulus suo pædagogo; famulus aut famula suo hero aut heræ: eò quòd præsumatur, hujusmodi donationes nunquam procedere à voluntate omni ex parte planè libera, sed ex aliquo affectu reverentiali ut minùs, cum quadam violentia & metu, vel ex aliquo zelo immoderato, & liberalitate indiscreta, non conditâ sale prudentiæ: & uti rectè notat Balsamon in Notis ad Can. 40. Epistolæ Canonicæ S. Basilii: *Eorum qui in potestate sunt, consensus infirmi sunt.*

Senatus Regius, pergit Brodeau, conformiter ad citata Edicta sæpius judicavit, idque tam quoad donationes inter vivos, quàm testamentarias factas in favorem Monasteriorum; idque tam in patria juris scripti, id est, quæ jure civili utitur & regitur, quàm patria consuetudinaria, quæ scilicet proprio jure consuetudinario regitur, quicunque prætextus aut favor donationem comitaretur.

Plura Curiæ Regiæ Arresta ibidem notat & refert Brodæus; atque inter illa occurrunt nonnulla cum specialibus circumstantiis; quæ ostendunt, ægrè admodum admitti donationes factas à Novitiis in favorem Monasteriorum ad exclusionem consanguineorum hæredum ab intestato.

Ulteriùs refert, quòd anno 1635. 11. Jan. editum fuerit celebre regulamentum, per quod ad instantiam Advocati Regii, vetitum fuit generaliter Superioribus Monasteriorum Monialium, recipere, aut permittere, ut recipiantur ullæ pecuniæ pro admissione alicujus ad Religionem vel professionem; sed duntaxat recipere possint aliquam pensionem vitalitiam moderatam, & quæ respectu ditiorum excedere nequeat summam quingentarum librarum Parisiensium; idque sub pœna nullitatis, & restitutionis ulterioris summæ; quod & aliis pluribus sententiis postmodum confirmatum fuisse testatur.

Ac rursus ann. 1667. ad instantiam Advocati Regii, generalior inhibitio facta fuit per Arrestum in modum Regulamenti emanatum à Parlamento Parisiensi, relatum in Libro, cui titulus: *Journal du Palais, part.* 2. *pag.* 169.

XIV. Similiter cùm quædam nobilis puella ingressa Monasterium Urselinarum in Urbe Bruxellensi dedisset tum donatione inter vivos, tum per testamentum Monasterio quantitatem suorum bonorum ascendentem circiter ad 36. millia florenorum, fratribus puellæ se opponentibus huic dispositioni, quæstio coram judicibus Regiis dudum agitata, tandem 24. Decembris 1682. per sententiam Parlamenti Mechliniensis limitata & taxata fuit tam ipsa pensio Novitiatûs, quàm ipsa dos dictæ puellæ, & quæ inde dependent, ad summam octo millium florenorum; tametsi hi ipsi Fratres puellæ consensissent, & judicâssent, quòd Rex posset illi, non obstante sua minorennitate, dare veniam ætatis, ad disponendum *liberè* de suis bonis, quam etiam veniam à Rege obtinuerat.

Rursus cùm altera soror supra nominatæ puellæ ingressa esset Monasterium Urselinarum in civitate Gandensi; ac ejus mater tam pro expensis Novitiatûs, quàm dote promisisset quatuor millia florenorum; ac postmodum ante professionem matre mortuâ dicta puella Monasterio donâsset bona sua, quæ ascendebant circiter ad 20. millia florenorum, rursus fratres puellæ hanc donationem impugnârunt coram Concilio Flandriæ, à quo 7. Maji an. 1688. declaratum fuit, quòd Moniales Urselinæ deberent esse contentæ dictis quatuor millibus florenorum; omnem ulteriorem donationem & dispositionem in favorem Monasterii indebitè & nulliter factam. A qua sententia cùm esset appellatum ad Parlamentum Mechliniense, declaravit 2. Septembris 1690. mallè appellatum, & benè fuisse à Concilio Flandriæ judicatum.

Hinc apparet: non tantùm in Gallia, sed & Belgio hujusmodi donationes & dispositiones Novitiorum aut Novitiarum in favorem Monasterii, præsertim excessivas, esse odiosas, & multis titulis suspectas, & rescissioni, ac annullationi obnoxias.

CAPUT V.

De Examine Puellarum ante habitus susceptiomem, et Professionem.

1 *Decretum Synodi Tridentinæ circa hoc examen.*
2 *Decretum Tridentinum quando duplex examen requirat.*
3 *An hodie duplex requiratur.*
4 *Episcopus ejusve Vicarius vocari debet ad examen Puellarum etiam in Monasteriis* exemptis.
5 *Primò examen institui vult Synodus Trid. super voluntate, & intentione Puellarum; & ideo* solæ *examinandæ.*
6 *Potest etiam examen institui extra septa Monasterii.*
7 *Inquiri debet, quo motivo inducatur ad Religionem.*
8 *Inquirendum, num satis deliberavit priusquam resolverit ingredi Religionem.*
9 *Quærendum utrum nullus metus, aut violentia interveniat.*
10 *Interroganda Puella super his, quæ ad vitam religiosam spectant.*
11 *Examinator tenetur Puellæ explicare, quid vota Religionis contineant, & ad quæ vita religiosa obstringat.*
12 *Quid de hac re decreverit S. Carolus.*
13 *Episcopi soliciti sunt, ut doctos & prudentes Commissarios huic examini deputent.*
14 *Debet inquiri circa conditiones Puellæ.*
15 *Item utrum Monasterium sit idoneum.*
16 *Unde desumenda idoneitas, & quomodo hîc subinde monenda Puella.*
17 *S. Congregatio aliquando prohibuit recipi Puellas ad professionem ob relaxationem disciplinæ regularis.*
18 *Quid inquirendum circa Directores Monialium.*

I. SYnodus Tridentina libertati professionis Virginum Deo dicandarum prospicere volens, statuit atque decrevit: „ Ut si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, ma- „ jor duodecim annis sit, non ante cum suscipiat, nec postea „ ipsa vel alia professionem emittat, quàm exploraverit Epis- „ copus, vel eo absente vel impedito, ejus Vicarius, aut ali- „ quis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem „ diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat: & „ si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque con- „ ditiones requisitas juxta Monasterii illius & Ordinis Regulam, „ necnon Monasterium fuerit idoneum; liberè ei profiteri liceat, „ cujus professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur „ Præfecta Monasterio eum ante mensem certiorem facere: quòd „ si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Epis- „ copo videbitur, ab officio suspensa sit."

II. Ex verbis Decreti sat manifestum est, non tantùm ante professionem, sed etiam ante habitûs susceptionem, puellam majorem annis duodecim ab Episcopo ejusve Commissario examinandam esse; & ita sæpiùs à Sacra Congregatione decisum esse refert post Plasecium, Zerolam aliosque Fagnanus ad *Cap.* CUM VIRUM *de Regularib.* Et ita mandat fieri Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 24. *cap.* 7. Unde & duplex extat formula examinis, juxta quam in hac Mechliniensi Diœcesi Commissarius Episcopi puellam, tum ante susceptionem habitûs, tum ante professionem interrogare debet.

III. Credit quidem Diana, uti refert Zypæus, „ consue- „ tudine obtentum, ut unicum in professione examen sufficiat, „ non

„ non tamen, ait Zypæus, illa est ubique uniformis: sed ma-
„ gis reverentes Canonum Sacrorum utrumque examen obser-
„ vant.“ In Jure novo *Tit. de Regularibus.*

IV. Utrumque examen etiam requirit Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 20. *cap.* 20. additque: *Etiamsi Monasterium sit exemptum*; quod non tantùm S. Congregatio sæpiùs declaravit, sed etiam quotidiana & notoria praxis confirmat, juxta quam Commissarius Episcopi solet vocari ad examinandas puellas Professuras in Monasteriis etiam *exemptis*, & quæ Regularium directioni, & jurisdictioni subsunt.

Examen circa tria potissimum institui vult Synodus Tridentina.

V. Primùm quidem circa libertatem, ac piam voluntatem puellæ habitum suscepturæ, aut professionem emissuræ.

Hunc in finem vult Synodus P. II. Mechliniensis, ut Episcopus ejusve Commissarius, non aliter puellas examinet, *quàm eas solas esse certò cognoscat*: ut hoc pacto major sit puellæ omnia, quæ in corde habet, eloquendi libertas.

VI. Quin addit S. Carolus in Synodo P. Mediolanensi V. „Quòd si causa sit probabilisve Episcopi judicio suspi-
„ cio, quamobrem potius esse censuerit, ut etiam à septis
„ Monasterii puella egrediatur, & ut alia loco ejus voluntas
„ perquiratur, tunc vel in Ecclesiam Monasterii exteriorem,
„ vel in aliam proximam, prout commodius, decentiusve fie-
„ ri viderit, illam perduci jubeat.“

Itaque Episcopi judicio permissum credidit S. Carolus, ut eo loco puellam examinet, quo pro indaganda, ac assequenda ejus sincera voluntate, ac intentione opportuniùs judicaverit.

VII. Pro assequenda faciliùs recta, ac pia puellæ in assumenda vita religiosa intentione & voluntate, meritò ante omnia examen instituitur circa motivum quo inducta fuit ad hunc statum; ubi prudens ac sagax Commissarius per interrogationes ac responsiones facilè deprehendet, num humana consideratio sese non nimis immisceat.

VIII. Deinde inquiret, à quo tempore ceperit hanc resolutionem; exponendo, quam periculosum sit, hujusmodi statum stabilem, ac perpetuum præcipiti resolutione arripere; ideoque ulterius seriò interrogabit, an saltem super negotio tanti momenti maturè deliberaverit, & consilium cum proprio Confessario, aut alia persona gravi cœperit. Hìc meritò advertet Commissarius, num Confessarius, aut persona, cui consilium communicavit, non habeat interesse, ut persona Religionem ingrediatur; aut sit satis doctus & prudens, qui sanum consilium det; de quo indubiè per Commissarium puella monenda, ac instituenda est.

IX. Diligenter ac summa cum sagacitate exploranda, num nullus metus saltem reverentialis ex parte parentum, aut consanguineorum, ut minùs indirectè vel obliquè interveniat: quod eò diligentius inquirendum, quò circumstantiæ magis, aut minùs metum hunc insinuant: v. gr. quòd sit familia quidem illustris, aut juxta vulgi existimationem notabilis, sed multis prolibus gravata, nec sufficiens, quæ omnibus prolibus honestè, secundum mundi existimationem in statu matrimoniali provideat.

X. Ulterius interroganda puella, an sciat, quid agat, & ad quæ per Religionis professionem sit obliganda; an Regulam & statuta, ac austeritates Religionis expenderit. An expenderit, quid sit vovere perpetuam castitatem, paupertatem, obedientiam, clausuram, &c.

XI. Hæc sunt præcipua puncta præscripta in formula examinandi Novitias ante professionem, & susceptionem habitûs regularis in hac Provincia Mechliniensi, quæ tamen parum ad dignoscendam voluntatem ac vocationem Novitiæ valebunt, nisi ipse Commissarius non tantùm probè sciat, quid contineant, & ad quid obligent tria vota Religionis juxta mentem Patrum & Regulæ, sed etiam sciat ea breviter, & perspicuè Novitiæ explicare, atque ostendere, quòd non sufficiat, vota, ac Regulam, quam vovere intendit, observare, prout in nonnullis relaxatis Monasteriis observatur; sed votâ esse exolvenda, prout verè coram Deo sonant, & Regula præscribit.

XII. Hinc S. Carolus in prima sua Synodo Provinciali vult, ut Commissarius Episcopi „ Novitiæ demonstret, quàm
„ gravis ea res sit, quamve multas res tria illa Religionis vo-
„ ta requirant, ut vinculi vim intelligant, quo se obstringi vult.“

XIII. Ex quibus patet, quam Episcopi soliciti esse debeant, ut prudentes ac experti doctique Commissarii ad hoc examen deputentur; ne alias saluberrimum hoc Concilii Tridentini Decretum inane planè reddatur; nihilque exinde proveniat, nisi aliquis nummus aut munusculum in commodum Archipresyterorum, aut aliorum Commissariorum.

XIV. Secundò, inquiri vult Synodus Tridentina, num puella *habeat conditiones requisitas juxta Monasterii illius & Ordinis Regulam*: quod indubiè tam de conditionibus corporis, quàm animæ intelligendum est: idque non tantum ut sustineat Regulam, prout forsan in Monasterio à relaxatis aliquibus servatur, sed prout ea juxta normam professionis servanda est.

XV. Tertiò, ex præscripto Synodi Tridentinæ inquirendum à Commissario Episcopi, an *Monasterium sit idoneum*: hoc est, tale sit, in quo ea sit regularis disciplina, ut meritò sperari queat, quòd in illo ipsa puella vota sua exactè exolvere, & vitam Religiosam sine salutis discrimine agere queat.

XVI. Quid enim si Episcopus ejusve Commissarius intelligat, omnes, aut plerasque Moniales in illo Monasterio peculia possidere, atque vitio proprietatis infici, aliave vitia & regularis disciplinæ relaxationes ibidem inolevisse; nonne meritò judicabit, Monasterium illud esse *inidoneum*, in quo ipsa puella securè vota sua exolvat, & vitam religiosam agat? Adeoque puellam jure meritò monebit, ut attendat, an inter Moniales & Sorores à Regula sua recedentes poterit ipsa Regulam inviolatam observare.

XVII. Sic legimus apud Fagnanum ad *Cap.* Monachi ii *de Statu Monach.* quòd S. Congregatio Cardinalium in pluribus Monasteriis Monialium, in quibus ex relatione Episcoporum intellexerat non servari vitam communem, inhibuerit receptionem puellarum ad professionem; periculosum existimans profiteri in Monasterio, in quo Moniales omnes essent proprietariæ.

Quidni quoque Episcopus ejusve Commissarius præsertim in Monasteriis *exemptis* attendat ad Confessarios & Directores spirituales ipsius Monasterii? Quis enim nescit, quòd ab idoneitate aut inidoneitate illorum pro magna parte dependeat bonum vel regimen Monialium; quodque graves molestias experiantur, si malos aut saltem parùm idoneos Directores sortiantur: ut meritò etiam de hoc puncto puella moneatur; ubi seriò expendat, num difficultates, quæ hoc ex capite non rarò oriuntur, sustinere poterit, ac sufficienter ponderaverit.

TITULUS XXVI.

De Simonia circa ingressum Religionis.

CAPUT I.

EST SIMONIA ALIQUID EXIGERE PRO SUSTENTATIONE PROFESSURI, DUM MONASTERIUM EST SUFFICIENS.

1 *Disciplinam monasticam multùm enervat temeraria & præceps ad Religionem admissio.*
2 *Ne hoc fiat, cavenda est omnis temporalis lucri ex admissione cupiditas.*
3 *Connexio hujus materiæ cum præcedenti.*
4 *Aliquem admittere ad Religionem* amore pecuniæ, *Simoniacum est.*
5 *Pro admissione ad Religionem pecuniam accipere est æquè Simoniacum, ac eam exigere ad Canononicatum.*
6 *Simoniacum est exigere pecuniam pro sustentatione Professuri, quando Monasterium est sufficiens.*
7 *Eâdem ratione quâ illicitum est vendere Præbendam annexam Canonicatui, etiam illicitum est vendere jus sustentationis, quando Monasterium est sufficiens.*
8 *Jus sustentationis annexum est admissioni ad professionem.*
9 *Primò, ex intentione Fundatorum.*
10 *Secundò, ex mente Ecclesiæ.*
11 *Admissus ad professionem etiam consequitur jus ad sustentationem.*
12 *Nihil potest accipi pro jure sustentationis, quin uxâ censeatur acceptum pro admissione ad professionem.*
13 *Probatur ex Gratiano.*
14 *Dum quis* gratis *admissus est ad Religionem, nihil potest accipi titulo sustentationis.*
15 *Proponitur novus titulus, quo aliqui exactiones dotium à Simonia vindicare volunt.*

Pri-

16 *Primum argumentum, quo tituli illius infirmitas ostenditur.*
17 *Secundum argumentum.*
18 *Tertium argumentum.*
19 *Quartum argumentum.*

I. Nihil esse, quod ipsam disciplinam Monasticam ipsamque Religionem ita natum sit enervare, imò pessumdare ac totaliter corrumpere, quàm indiscretam ad præcipitem ad Religionem non satis probatorum admissionem, titulo præcedenti notatum fuit: ac unà ostensum, nihil adeò à Monachorum Patribus, & Ecclesiæ Prælatis inculcatum, quàm postulantium, atque Novitiorum sedulam probationem, & diligens circa mores & vocationem illorum examen.

II. Ut verò justum de vocatione, & idoneitate postulantium ac Novitiorum formetur judicium, summoperè cavendum, ne judicium per spem aliquam lucri, vel commodi temporalis ex admissione postulantis, aut Novitii consequendi corrumpatur; atque hinc contingat, ut non tam morum integritas, ac vocationis signa in ipso postulante expendantur, quàm commodum temporale, quod ex ejus admissione speratur: Nam, uti in simili notat S. Gregorius, amor pecuniæ facit, ut nulla de actu probatio, nulla solicitudo de moribus, nulla de vita discussio; sed solummodo dignus, qui dare pretium suffecerit, æstimetur, *lib. 7. Epist.* 111.

III. Priusquam ergo de ipsa religiosa professione agant, priùs de Simonia ex ipsa pecuniæ cupiditate seu avaritia profluente, agendum credidi; quàm vel eo titulo studiosè cavendum in admissione ad Religionem, & Ecclesiæ Canones & Monachorum Regulæ, ac constitutiones inculcant, quòd per eam contingat, ineptiores non rarò ad Religionem admitti, & capaciores excludi.

IV. Amore pecuniæ alicui Religionis ingressum annuere, cui ille negatus fuisset, si pecunia sine illa persona haberi potuisset; ita ut consequenter persona ad Religionem admittatur *propter pecuniam*, Simoniacum esse cum S. Bonaventura, tradunt Theologi, & Canonistæ.

„ Frequenter contingit (ait S. Bonavent. in Libello *Apol. quæst.* 18.) ut personam recipiant amore pecuniæ, ita quòd „ si possent illam pecuniam haberé sine persona istâ, non re„ ciperent personam; sed ut habeant pecuniam, personam re„ cipiunt, & hoc penitùs impurum est & *Simoniacum*, quia „ ibi pecunia causa est receptionis personæ, & non è con„ verso. Ubi ergo recipitur *persona propter pecuniam*, Simo„ nia est, quia ibi venditur spirituale, id est, consortium „ spiritualis societatis pro temporali, scilicet pro pecunia."

V. Imò si pro ingressu Religionis, seu admissione ad consortium spiritualis Societatis, sive vitæ Monasticæ pecunia exigatur, æquè expeditum est apud omnes, Simoniam committi à Religiosis exigentibus; non secus atque à Canonicis exigentibus pecuniam pro admissione alicujus ad Canonicatum sive consortium spiritualis Societatis canonicalis.

VI. Illud quoque expeditum est, quòd sicuti Patronus, aut Collator Canonicatûs est Simoniacus, atque ipsum Canonicatum vendere censeatur, si pecuniam non quidem directè, & principaliter exigat pro Canonicatu, sed pro Præbenda temporali, seu jure recipiendi temporalia emolumenta Canonicatui annexa, ita quoque Simoniam committi à Monasteriis opulentis seu sufficienter dotatis, si à postulantibus admitti ad religionem exigant pecuniam, non quidem directè & principaliter pro ipso ingressu, sed pro *sustentatione*, sive alimentatione, quam ei post professionem, tanquam uni de communitate Monasterium subministrare tenebitur.

VII. Ratio enim, ob quam Patronus, sive Collator Canonicatûs per hujusmodi exactionem fiat Simoniacus, hæc est, quòd Præbenda, seu jus percipiendi temporalia sit ita annexum Canonicatui, ut Canonicatu obtento necessario illud sequatur, adeoque Canonicatu *gratis* obtento, etiam unà obtineatur jus percipiendi temporalia, tanquam ipsi Canonicatui inseparabiliter ex constitutione Ecclesiæ & mente Fundatorum annexum: ita ut de similibus sibi mutuò eo modo anexis, & se concomitantibus, rectè dixerit S. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 4. *Rebus istis venditis, etiam spiritualia venditioni subjici.* Quia, teste Paschali II. in Can. 7. caus. 1. quæst. 3. *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

VIII. Porrò jus ad sustentationem non minùs annexum esse admissioni ad Religionem sive Professionem Religiosam non minùs tribuere jus ad alimentationem ex proventibus Monasterii ipsi professo, quàm admissio ad Canonicatum tribuit jus ad Præbendam temporalem Canonicatui annexam, ipsa conditio proventuum monasticorum, sive mens Fundatorum, sive ipsius Ecclesiæ præscripta attendatur, evincit.

IX. Ea enim est, & semper fuit Fundatorum, ac dotantium Monasteria intentio, illudque desiderium, ut ex rebus eorum temporalibus alerentur ii, qui omnibus renuntiantes, tanquam pauperes in hoc seculo Christo unicè vivere volunt, quemadmodum piè ac doctè exponit S. Augustinus in *Psal.* 103. & ex omnium penè Fundatorum, atque dotationum antiquis monumentis est manifestum; eamque præ cæteris fusiùs, ac luculentiùs in suo testamento expressit piisimus Cluniacensium Fundator Guillelmus Dux Aquitaniæ: qui postquam diutiùs secum deliberâsset, quâ ratione per temporales sibi datas divitias æternas mercari posset, dicit: „Hoc nullâ specie vel „ modo fieri posse videtur, nisi ut juxta Domini præceptum „ amicos mihi faciam pauperes ejus: utque hujusmodi actio „ non ad tempus, sed continuè peragatur, Monastica profes„ sione cogregatos ex propriis sumptibus sustentem. Ea siqui„ dem fide, ea spe, ut quamvis ipse cuncta contemnere ne„ queam, tamen dum mundi contemptores, quos justos credo, „ susceperim, justorum mercedem accipiam... Præcipimus si„ quidem, ut maximè illis sit hæc nostra donatio ad perpe„ tuum refugium, qui pauperes de seculo egressi, nihil secum „ *præter bonam voluntatem attulerint, ut nostrum supplemen„ tum sit abundantia illorum.*"

E quibus perspicuum est, intentionem pii Fundatoris fuisse, ut his bona sua essent in sustentationem & supplementum qui pauperes de seculo egressi non pecuniam, aut aliud quidpiam temporale, sed bonam sulummodò voluntatem secum attulerunt.

X. De hac Fundatorum mente persuassus S. Gregorius scribit ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum: „ Alicui „ Monasterio nec tu, nec Presbyteri tui præter diligentiam „ disciplinæ aliquid molestiæ inferatis. Aut si quid illic pro „ diversorum devotione accesserit, vobis vindicare æstimetis: „ *Cùm Monachis* ibi *servientibus debeat proficere, quidquid à „ fidelibus taliter offerri contingit.*" Refertur in *Cap.* 1. ✠ *de Statu Monach.*

Deinde quidquid ex labore aut industria aliove titulo Religiosis obvenit, non ipsis Monachis in particulari, sed ipsi Monasterio, seu communitati acquiritur; ut in omnium, qui de Communitate sunt necessitates cedat; juxta illud Canonistarum vulgare axioma: *Quidquid Monachus accquirit, Monasterio acquirit.*

XI. Quæ ostendunt rectè jam pridem notâsse Dionysium Carthusianum, *Lib. 1. de Simonia art.* 11. „quòd (Regulares) „ recipiendo ad Ordinem seu vitam Monasticam, recipiant „ eum ad vitam communem, & eorum quæ habent, faciant „ eum participem secundum institutionem & intentionem SS. „ Patrum, qui Ordines fundaverunt.

XII. Cùm ergo Monachi vi suæ professionis, & admissionis ad Societatem monasticam, consequantur jus vivendi ex bonis Monasterii, æquè ac Canonicus vi suæ admissionis adipiscitur jus ad Præbendam, consequens est, quòd, si quid pro jure alimentationis seu sustentationis ab ingrediente exigatur nec ipsum quoque ingressum *gratis* dari; atque hîc quoque applicari posset illud dictum Paschalis II. suprà relatum: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

XIII. Neque hîc illud applicare jam pridem dubitavit Gratianus noster: „ Sed adhuc objicitur, ait, quòd qui ingressu„ ri Monasterium pecunias tribuunt, *non propositum Religio„ nis*, sed *participationem stipendiorum Ecclesiæ emunt tempo„ ralia*, ergo non spiritualia ementes, nequaquam Simonia„ ci habendi sunt. His itaque respondetur, non solùm qui spi„ ritualia, sed etiam qui *temporalia eis annexa pretio accipiunt „ vel tribuunt, Simoniaci judicantur.*" Hæc Gratianus *caus.* 1. *q.* 3. qui in suæ dictionis confirmationem, inter cæteras Patrum & Canonum auctoritates, jam allegatum Paschalis II. dictum adducit.

XIV. „ Itaque spiritualibus (scilicet admissione ad Ordi„ nem & professionem) primò gratis exhibitis, non possunt „ Religiosi (ait Dionysius Carthusianus *Lib. 2. de Simonia, „ art.* 4.) à recepto aliquid temporale exigere per modum „ debiti persolvendum aut exhibendum, nec tamquam pre„ tium Religionis, nec *tanquam sustentaculum vitæ*, ad quod „ exhibendum jam seipsos obligaverunt."

XV. Sunt nonnulli qui Simoniam committi fatentur, si vel pro Religionis ingressu, vel pro sustentatione ingressi post professionem temporale quidquam exigatur; sed secus, inquiunt, *si ut Monasterio provideatur de mediis unde sustentare Professum poterit, & liberetur ab incommodis ex alimentatione Professuri secuturis.*

XVI. Sed nonne, dum aliquid exigitur à Professuro, ut Monasterio provideatur de mediis unde sustentare Professurum poterit, reipsa exigitur pro sustentatione vel alimentatione, ipsi Professuro tanquam uni de Communitate ex proventibus Monasterii subministranda?

XVII. Num quisquam credat, Simoniam non in verbis duntaxat consistere, si dicamus, Simoniam committi, dum ab ingrediente aliquid exigitur pro sustentatione, nequaquam verò committi, si exigatur *ut Monasterio provideatur de mediis unde sustentare Professurum poterit?*

In-

XVIII. Insuper si hoc colore exigere liceat ; atque simili formatione intentionis , & verborum adornatione & expressione , exactiones rerum temporalium à labe simoniaca eximi possint ; nonne non inutilia duntaxat , sed & redicula reputanda tot Ecclesiæ decreta , & Monachorum statuta , quibus cavetur , ne ab iis qui ad Religionem transire volunt , aliqua pecunia exigatur ? Quibus itidem districtè inhibetur Religiosis universis , nec volentibus ingredi eorum Monasteria , nec ante nec post receptionem , pecunias aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum , seu quemvis pium usum deputatas , vel deputandas , directè vel indirectè petere vel exigere quoquo modo præsumant ; quemadmodum loquitur Extravagans , *Sanè in vinea , de Simonia* , necnon alia Decreta inferiùs citanda.

XIX. An dicemus , Monasteria illa gratis ad Religionem postulantes admittere , eo quòd Religiosi sciant suam formare intentionem , quòd non exigant pro admissione ad Religionem, aut sustentatione Professuri , sed ut *Monasterio provideatur de mediis undè sustentare Professurum poterit*?

XX. Denique quid opus erat tot iteratis Decretis ad eliminandam hanc Simoniam , si Ecclesia credidisset Monasteriorum Superiores , & Regulares exigentes , & stipulantes pecuniam , seu dotem ab Ingressuris , à simonia immunes ; modò intentionem suam formarent , se pecuniam non exigere pro receptione ad Religionem , aut sustentatione Ingressuri post professiones , at solùm ut Monasterio provideatur de mediis undè sustentare Professum poterunt , & liberetur Monasterium ab incommodis ex alimentatione Professuri secuturis ? Quid enim movere potuisset Regulares , ut ac formatione intentionis à simonia non abstinuissent ? Cùm nihil minus pecuniæ aut commodi temporalis , quod unicè intenditur , habuissent.

Utinam illi, qui hujusmodi verborum formulis , & intentionum restrictionibus , sacris Canonibus , & Ordinum suorum statutis illudunt , attendant ad illud Apostoli : *Deus non irridetur*. Galat. cap. 6. v. 7.

CAPUT II.

An titulus paupertatis exactiones dotium justificet.

1 *A multis seculis Regulares palliare voluerunt exactiones Simoniacas titulo paupertatis.*
2 *Frequenter prætexitur paupertas Monasterii , quæ reverà non subest.*
3 *Plura Monasteria videntur insufficientia , quia proventus malè ; impendunt.*
4 *Falsò creditur quòd supellectilem , mensam , aliaque liceat augere auctis proventibus.*
5 *Undè proveniat , quòd Monasteria quædam quò ditiora , eò majorem dotem requirant.*
6 *Exigere aliqua ultra necessaria ad sustentationem Professuri in commodum Monasterii est simoniacum ; etiamsi Monasterium sit* pauper.
7 *Fœda simonia est exigere pecuniam pro extruendis conviviis in die vestitionis , aut professionis.*
8 *Non excusantur à Simonia Monasteria , si exigant pecuniam in communes Monasterii necessitates.*
9 *Monasteria etiam insufficientia incurrunt simoniam , quia personam recipiunt propter pecuniam.*
10 *Ostenditur quòd Ecclesia potuerit generaliter inhibere omnem temporalium exactionem.*
11 *Quòd titulum paupertatis excluserit , probatur ex generalitate Canonum.*
12 *Probatur ex Extravagante* Sanè in vinea.
13 *Hæc Extravagans clarissimè titulum paupertatis excludit.*
14 *Plures Pontifices illam innovârunt.*
15 *Extravagans illa in plurium Ordinum Constitutionibus observari præcipitur.*
16 *Probatur quòd Concilium Lateranense sub Innocentio III. titulum paupertatis excluserit.*
17 *Idem probatur ex Constitutionibus Patrum Eremitarum S. Augustini.*

I. PLures è Regularibus præsertim mulieribus sub prætextu *paupertatis* simoniacas exactiones in receptione ad Religionem jam pridem exercuisse testatur Synodus Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap.* 40. *de Simonia* , his verbis: „ Quoniam simoniaca labes adeo plerasque Moniales infecit , ut „ vix aliquas sine pretio recipiant in Sorores , *prætextu paupertatis* volentes hujusmodi vitium palliare , &c.“

Num hi verus an falsus fuerit paupertatis prætextus , parum refert : hoc constat , Moniales illo prætextu simoniacas suas exactiones , teste ipsa Synodo , voluisse palliare.

Et circa idem tempus de Monialibus sui temporis scribit Jacobus à Vitriaco Cardinalis Historiæ Occidentalis *cap.* 15. „quæ „ passim & publicè pro miserabili Cœnobiorum ingressu pecu„ niam exigebant , allegantes *suam paupertatem* , & de Simoniæ „ pessimo crimine non curantes , domum orationis in forum ne„ gotiationis convertebant.“

Multis autem titulis contingit falsum , atque infundatum esse paupertatis prætextum.

II. Primò , quòd paupertatem , ac insufficientiam Monasterii prætexant , quæ reverà non subest , eo quod multa prætendant esse necessaria , quæ necessaria non sunt.

„ Religiosi , ait Dionysius Carthusianus , si sub *paupertatis colore* aliquid volunt à recipiendis aut receptis personis exi„ gere , imprimis considerent , quæ , ut ait Dominus Antisio„ dorensis in Summa sua , *parcitas* seu tenuitas victûs atque ves„ titûs voto paupertatis indispensabiliter est annexa : imò & se„ cundum Philosophos , natura paucis minimisque contenta est. „ Et sicut ad abstinentiam , prout est virtus naturalis & acquisi„ ta , pertinet , non plus de cibo ac potu accipere , quàm ex„ pedit homini ad usum rationis expeditum , & convenientem „ naturæ sustentationem , ita ad abstinentiam (ut est virtus in„ fusa) spectat etiam aliquid necessariorum naturæ subtrahere, „ ut pro peccatis aliqua recompensatio fiat , & Passioni Christi „ conformet se Christianus per quotidianam quandam sanguinis „ sui minorationem , ac sui ipsius salubrem mortificationem. „ Hinc juxta Apostolum , *Qui sunt Christi , carnem suam cru„ cifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*. Certumque est illud „ ad Religiosos potissimùm pertinere. Antequam ergo sub pau„ pertatis prætextu aliquid exigere audeant , diligenter se ipsos „ examinent , an ante omnia prætacta jam ritè observent , ne „ superfluitatem judicent necessitatem , & ne sufficientiam judi„ cent indigentiam : ne delicatioribus , abundantioribus , pretio„ sioribus cibis ac potibus , vestimentis ac cæteris utensilibus, „ atque ad corpus pertinentibus utantur , quàm Regula ins„ truit , præcipit seu permittit , & ne dispositione utantur ni„ mis laxâ.“

III. Indubiè si proventus Monasteriorum juxta religiosam paupertatem , & modestiam impenderentur , plurima Monasteria , quæ indigentiam , ac insufficientiam prætendunt , eoque titulo dote ab ingredientibus exigunt , convenienti numero Religiosorum intertinendo plusquam sufficientia deprehenderentur.

IV. Et unde tot Monasteria abundè fundata , & dotata insufficientiam , & paupertatem hodie prætendunt? nisi quòd persuasum videatur multis Monasteriorum Superioribus , licitum esse pro modo & abundantia proventuum , Monasterii supellectilem , necnon mensam Religiosorum , ac hospitum augere , & splendidiùs , lautiùsque instruere ; adeo ut in Monasteriis quibusdam opulentioribus , quæ vulgò *Abbatiæ* vocantur , supellex etiam argentea , quin & deaurata conveniens , ac quasi necessaria credatur ; cœnacula Abbatum , ac hospitum aulæis , tapetibusque , non secus ac Principum Aulæ decorata esse oportere : Religiosorum ac Hospitum mensam pro ratione proventuum , ferculorum varietate instructam esse debere supponant. Iis denique Abbatum famulitium , atque externum apparatum conformem esse oportere existiment.

Hoc agendi modo , quis miretur , si Monasteria , etiam abundè fundata , & dotata , *paupertatem* & *insufficientiam* prætexant ?

Quid enim facilius , quàm ita redditus Monasterii impendendo , debitis aliquibus gravari , aut aliis , quin & sibi etiam persuadere , redditus annuos Monasterii non esse sufficientes oneribus ferendis , & impensis quotidianis sustinendis , dum jam semel persuasum sibi habent , eam debere esse vivendi rationem.

V. Ex hac quoque perversa Regularium quorundam persuasione , originem cœpisse videtur abusus , quem suo tempore communem esse dicebat S. Antoninus in Summa *Lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 5. *num.* 18. & nostro tempore deploravit Joann. Wiggers , nimirum : *Quanto Monasterium est abundantius , tanto volunt majores dotes*. Cùm enim supellex , mensa , totaque Monasterii instructio proventibus Monasterii abundantioribus commensuretur , etiam majores prætendi posse dotes existimant ; ut ita data respondeant aliqualiter recipiendis.

VI. Adhæc si Monasterium sit revera pauper, ac insufficiens, ut ingressum intertineat , paupertatis titulus ipsos Religiosos temporalia à Professuris exigentes à simonia totaliter non eximet; si non contenti iis , quæ alimentationi professuri , sufficium plura in commodum ipsius Monasterii extorqueant ; uti post alios etiam ipse Navarrus *tract. de Redditibus Eccles.* tanquam indubitatum tradit. „ Illud pro certo habeant , & animadvertant , ait, „ ex pacto aliud accipere ultra id, *quod necessarium sustentationi „ Monialis* judicio cordatorum censeatur , esse simoniacum: „ nam ex pacto nihil aliud possunt accipere præter illud , quod „ *alendæ Moniali sit necessarium* , eò quòd ei Monasterium „ præ inopia non potest tribuere. Si ergo aliquid ultra acce„ perint , vel si dotem exegerint , quando Monasterium posset „ eam alere , illicitè recipiunt.

VII. Post hæc subjungit Navarrus. „ Quòd si hæc vera „ sunt , quid , quæso , dicemus ad prodigas illas expensas , & „ profanos apparatus fieri solitos ex pacto tacito , vel expres-

„se

„so, dum vel ingrediuntur Monasterium, vel professionem „emittunt? Quid aliud moderatius, quàm ut hæc vehementer „interdicantur, & culpentur, ac puniantur illæ, quæ talia „faciunt? Et simul etiam doceantur, quanto honestior appa„reret cunctis hæc inspicientibus modesta quædam humilisque „temperantia spirituali conjuncta contemplationi, quàm pom„posa intemperantia mundana cuidam admixta voluptati in *fu„neralibus ejus, quæ per professionem moritur mundo, & nas„citur vel excrescit Deo.*"

Hunc abusum in Cap. 19. ✠ *de Simonia*; necnon in *Extrav.* SANE, *de Simonia*, aliisque Conciliorum ac Pontificum Decretis frequenter reprobatum, deplorante Christiano Lupo: *Belgica infirmitas etiamnum hodie* AD SÆVA DISCIPLINÆ DAMNA RETENTA. Utinam Superiores remedium efficax adhibeant!

VIII. Quin & Monasteria etiam verè insufficientia ultra necessaria ad alimentationem Ingressuri exigentia, Simoniam non evadant, si Joanni Wigerio credamus, tametsi per illa quæ exigunt, intendant communibus Monasterii necessitatibus occurrere: „Nam, inquit, non magis potest Monas„terium quæstum facere ex admissione, aut receptione ad „Novitiatum, aut Professionem, quàm Montes Pietatis pos„sunt facere quæstum ullum ex mutuo, quantumvis essent „indigentes & in posterioribus; eaque fundantur, pergit idem „Auctor, *non in probatione humana, sed in jure Divino.*"

IX. Ulterius prætextu paupertatis in Monasteriis verè insufficientibus, ac inopiâ laborantibus, committitur simonia; quia „frequenter contingit, ut personam recipiant (inquit S. Bo„naventura loco supra citato) amore pecuniæ, ita ut si pos„sent pecuniam habere sine persona ista, non reciperent per„sonam; sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt; & „hoc penitus impurum est & Simoniacum... Et hoc faciunt „plerique etiam ex mera innopia optantes aliquem venire cum „pecunia, quem reciperent, ut eorum inopia repararetur, vel „debita contracta solverentur. De talibus dicit Ecclesiasticus: „*Propter inopiam multi deliquerunt.*"

X. Cum ergo titulus paupertatis non rarò falsus sit, & infundatus, merumque pallium ad regendas simoniacas exactiones; aut certè plures eo abutantur, atque in simoniacas pactiones ejus occasione incidant, satis apparet, quòd meritò Ecclesia potuerit prætextum hunc Religiosis eripere; atque ut ab omni pactione, & exactione simoniaca ejusque periculo, & suspicione sint remotiores & tuti, præcipere, ut nullam, etiam titulo paupertatis in admissione ad Religionem pactionem stipulationemve interponant; tametsi casu aliquo per se & ex natura sua posset esse licitum, ut Monasterium verè insufficiens ab ingressuro peteret, ut necessaria suæ alimentationi subministraret; diceretque se non aliter admittere posse, eò quod Monasterium reverà destituatur mediis temporalibus alimentationi ejus necesariis: quæ si adessent, libenter gratis admitterent; nec quidquam ex ejus velint admissione lucrari.

Si tamen quis attendat, quàm facilè in simoniacas, suspectas ac scandalosas exactiones Monasteria incidant, si titulus paupertatis admittatur; non difficulter intelliget, quàm meritò Ecclesia omnem in admissione ad Religionem pactionem, atque exactionem prohibuerit, neque titulum paupertatis in ullo suo Decreto tanquam sufficientem ad justificationem hujusmodi exactionis admisserit, quod & reverâ fecisse multis argumentis probari potest.

XI. Omnia in primis Decreta has exactiones proscribentia generaliter ac indistinctè loquuntur, nulla inter opulenta & non opulenta Monasteria factâ distinctione.

In primis Synodus Nicæna II. *Can.* 19. deplorat tantam execrabilem avaritiam Ecclesiarum Præfectos invasisse, ut nonnulli eorum virorum, ac mulierum, qui pii ac religiosi dicuntur, Domini mandati obliti fallantur, & eos qui ad vitam monasticam accedunt, pecuniâ admittant; ac deinde indistinctè in eos advertens, decernit: „Si quis inventus fue„rit hoc facere, si quidem sit Monasterii Præfectus, ex Sa„cerdotali Ordine deponatur; sin autem Præfecta, à Monas„terio extrudatur, & alii Monasterio tradatur ad subjectionem."

Concilium Turonense anno 1163. sub Alexandro III. in *cap.* 8. ✠ *de Simonia*, rursus generaliter, ac indefinitè ita loquitur: „Non satis utiliter in populo avaritia redarguitur, „si ab his, qui in Clero constituti videntur, & præcipuè „qui contempto seculo religiosum nomen profitentur & regu„lam, modis omnibus non cavetur. Prohibemus igitur, in„quit, ne ab iis qui ad religionem transire volunt, aliqua „pecunia requiratur."

Et in Concilio Lateranensi III. sub eodem Pontifice in *cap.* 2. ✠ *de Statu Monach.* indistinctè iterum dicitur: *Monachi non pretio recipiantur in Monasterio.*

XII. His generalibus Conciliorum Decretis insistens Urbanus V. in *Extravag.* NE IN VINEA, *de Simonia*, *in Communib.* Universis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis, & Magistris, necnon Abbatissis, & Priorissis, aliisque Prælatis, quovis nomine nuncupatis, & eorum Officialibus quarumcunque etiam Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Domorum & locorum quorumlibet Religionum, Ordinum etiam Militarium, tam exemptorum, quàm non exemptorum, quocunque nomine censeantur, ac Capitulis & Conventibus & singularibus eorum, tenore præsentium auctoritate Apostolica (*quamvis*, ait, *sit eis à jure inhibitum*) districtius inhibet, „ne „tàm à maribus, quàm à mulieribus volentibus ingredi eo„rum Religionem, Ecclesias, Monasteria, Prioratus, domus „seu loca, in earundem personarum receptione, aut ante, aut „post illam quoscumque pastus, prandia seu cœnas pecunias, „jocalia aut res alias etiam ad usum ecclesiasticum, seu quem„vis pium usum alium deputata, vel deputanda, directè vel „indirectè petere vel exigere quoquo modo præsumant. Sed „eas potiùs cum omnimoda pietate recipiant, ac in victu & „vestitu sicut alias personas suarum Ecclesiarum, Monaste„riorum, Prioratuum, Domorum & locorum sincera charita„te pertractent: illa duntaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes „purè & spontè, & plenâ liberalitate, omnique pactione „cessante, dare vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, „Domibus, & locis hujusmodi voluerint, cum gratiarum ac„tione licitè recepturi."

XIII. Quomodo clariùs, & expresiùs omnem quemcunque pretextum, aut titulum excludere potuisset Pontifex. Undè Dionysius Carthus. *lib.* 1. *de Simonia*, *art.* 14. de hac Urbani Constitutione agens dicit, eam tam evidenter excludere titulum *paupertatis*, ut verba *nullam recipiant occasionem aut palliationem.*

Et *lib.* 1. *art.* 10. ait, quòd Urbanus V. tam evidenter, imò clarissimè, omnifariè, & rigorosè prohibuit om„nem hujusmodi exactionem directè, indirectève factam, si„ve sub ratione pretii, sive colore *indigentiæ & sustenta„culi vitæ*, ut Constitutio illa nullam prorsus recipiat *inflexio„nem*, *retorquentiam*, *epikizationem*, *seu interpretationem ad „oppositum*, quemadmodum luce clarius ex verbis ipsius est „demonstratum.

XIV. „Quam etiam Urbani Constitutionem, pergit præ„dictus Doctor, confirmavit successor ejus Gregorius abs„que exceptione, & interpretatione. Ideò dato, inquit (No„ta Benè) quòd Thomas, Raymundus, Joannes & qui an„te Urbanum V. fuerunt, intenderint dicere, quòd aliquid „*per modum sustentaculi vitæ* exigi possit à persona reci„pienda, seu recepta, & quòd hoc non sit simoniacum ex „sua natura, attamen omnia illorum scripta, & dicta cessant, „atque solvuntur per hoc quòd Dominus Apostolicus, post „eos determinavit & jussit oppositum, per cujus diffinitio„nem & prohibitionem omnis talis exactio, quæ per verba „Doctorum jam prædictorum à quibusdam licita probatur, „ac reputatur, absolutè prohibetur, imò & *simoniaca* esse cen„setur; itaque simoniaca est ad minus de *jure positivo*, ut „puta, *quia prohibita.*"

XV. Hanc Constitutionem Urbani amplexi Canonici Regulares Capituli Windesemensis statuerunt: „A Novitiis „nec vestis, nec aliud aliquid exigatur, ne exigens, quod ab„sit, illius Extravagantis Domini Urbani, quæ incipit, NE IN „VINEA, pœnam incurrat." *part.* 3. *cap.* 1.

Canonici Præmostratenses anno 30. hujus seculi decernunt: „Ut si supplicantes admitti ad Ordinem, examinati, & pro„bati, fini Ordinis convenire putentur, exclussâ omni simo„nia & Constitutione Urbani Papæ, quæ incipit, NE IN VI„NEA DOMINI, &c. integrè observata admittantur."

Hæc Extravagans tàm dilucidè, & specificè omnem prætextum aliquid ab ingredientibus exigendi excludit, ut Dionysius Carthusianus (uti dictum est) de ea loquens dicere non vereatur, verba adeò clara & plana esse, ut *nullam recipiant evasionem aut palliationem.*

XVI. Quidquod si Concil. Lateran. in *cap.* 40. ✠ *de Simonia*, titulum paupertatis sufficientem existimâsset, ut Moniales ab ingredientibus dotem, sive pecuniam pro alimentatione exigere, atque de ea stipulari citra simoniam possent, quomodò omnes illas Moniales tam dantes, quàm recipientes sine ulla distinctione aut inquisitione, num Monasterium reverà essent *insufficiens*, potuisset Concilium tamquam *simoniacas* damnare, & gravissimis pœnis subjectas declarare, cùm omnes illæ Moniales exactiones illas *prætextu paupertatis* vellent palliare; hoc est, non secùs ac hodie titulum *paupertatis* in justificationem harum exactionum allegarent. Neque dubium videtur, si Synodus credidisset, titulum veræ paupertatis sufficientem, ut actiones illas ab omni labe simoniæ purgaret, quin plures è Monialibus illis se à culpa potuissent probare immunes. Quis enim dubitet, etiam eo tempore Monasteria aliqua fuisse æquè ac hodie indigentia, & insufficientia & quæ consequenter exactiones suas justificare potuissent, si titulus *paupertatis* tanquam legitimus agnitus fuisset.

XVII. Similiter non apparet dubitari posse, quin sub initium currentis seculi, in Ordine PP. Eremitar. S. August. fuerint Conventus non minùs quàm hodie paupertate gravati,

vati, & tamen sine ulla distinctione inter opulenta & insufficientia sive indigentia, anno 25. hujus seculi, „ generaliter omnibus & singulis Prioribus & quibuscunque Superioribus, ac „ aliis Fratribus nostræ Religionis, inquiunt, strictè præcipimus & mandamus, *ut nullus ex eis fratrem aliquem ad Ordinem recipiat, vel recipi faciat, vel ut recipiatur, consentiat vel permittat*, RE ALIQUA ACCEPTA VEL DETENTA „ VEL PACTIONE ALIQUA INTERVENIENTE TACITA VEL EXPRESSA: quòd si quis immemor suæ salutis contra fecerit, „ si officium habuerit cum cura animarum, ipso facto sit tali „ officio privatus, & ad aliquod officium cum prædicta cura „ in nostro Ordine nullatenus assumatur, nisi super hoc secum per Capitulum Generale fuerit dispensatum, & per „ quinquennium voce activâ, & passivâ careat. Quicunque verò Frater subditus inveniatur simoniam in eodem casu commisisse, eidem pœnæ subjaceat, & pœnam gravioris culpæ „ per mensem sustinere cogatur."

CAPUT III.

MEDIA CONVENIENTIA AD EXTIRPANDAS PACTIONES SIMONIACAS.

1 *Convenit, ut amputetur prætextus* paupertatis.
2 *Non facilè admittenda Monasteria non sufficienter dotata.*
3 *Sententia S. Caroli super hoc articulo.*
4 *Votum Christiani Lupi de eodem articulo.*
5 *Non admittendi plures ad Religionem, quàm à Monasterio ali possunt.*
6 *Quid circa hoc decreverit Synodus Tridentina.*
7 *Synodus suo Decreto omnia Monasteria, etiam Mendicantium, complectitur.*
8 *Quid sint* consuetæ eleemosynæ *ex mente Synodi.*
9 *Synodus per suum Decretum palam exclusit titulum* insufficientiæ.
10 *Probatur ex Synodis particularibus post Synodum Tridentinam celebratis.*
11 *Pontifices Decretum Synodi Tridentinæ sæpiùs innovarunt.*
12 *Primum incommodum quod ex his exactionibus provenit.*
13 *Secundum incommodum.*
14 *Tertium incommodum.*
15 *Quartum incommodum.*
16 *Ostenditur æquitas Decreti Tridentini de non admittendis pluribus, quàm ali possunt è proventibus Monasterii.*
17 *Non semper utile est Religioni multiplicari numerum Religiosorum.*
18 *Canones exactiones dotium vetantes*, perpetuam *rationem habent.*
19 *An per consuetudinem dici possint abrogati.*
20 *Quid de dotibus Monialium senserit S. Carolus.*

I. UNicum penè prætextum exigendi dotes ab ingredientibus Religionem esse, aut prætendi Monasterii *paupertatem*, aut insufficientiam ad alendum ingressurum ex communibus Monasterii obventionibus, suprà ostensum est. Quapropter præcipuum adversus Simoniacas hasce exactiones remedium est, auferre, sive amputare hunc paupertatis prætextum.

II. Hunc in finem conveniet, ut Episcopi aliique, ad quos novi Conventûs admissio spectat, nullos novos, præsertim Monialium, admittat, nisi constet, convenientem Monialium numerum vel ex redditibus Monasterii, vel consuetis eleemosynis posse sustentari.

III. Sanctus Carolus tantoperè hanc in Monasteriis sufficientiam judicavit necessariam, ut in primo ejus Concilio Provinciali decretum sit: „ Monasteria, in quibus duodecim non „ sunt, quæ Professæ velo utantur, quæque eum numerum „ propriis fructibus, aut consuetis eleemosynis alere non pos„ sunt, transferre, & cum aliis Monasteriis ejusdem aut alte„ rius Ordinis unire studeat Episcopus diligenter, vocatis ad „ id Superioribus Regularibus, si modò res agatur ejus Mo„ nasterii, cujus cura ad illos pertineat. Si verò ejusmodi unio „ minimè expedire videatur, eum numerum Monialium tem„ pore interire, & ad nihilum redigi sinat, adempta omninò „ illis Monialibus facultate recipiendi Novitias. "

IV. Christianus Lupus, quamvis pacta super dote danda cum ingredientibus, aut eorum parentibus interdum licita esse crederet titulo *transactionis super futura hæreditate* per professionem ingredientis ad Monasterium devolvendâ (cujus tituli insufficientiam latè probavi in *Dissertatione canonica de Simonia circa ingressum Religionis*) tamen pro animi sui candore fatebatur, pacta illa esse de fœdo isto ulcere (Simoniæ) graviter suspecta, frequenterque infecta, esse semper sordida, statui Monastico dedecorosa, imò & graviter perniciosa, ideoque eliminanda. Quid enim, ait, possit esse fœdius, aut perniciosius, quàm stipulatâ pecuniâ solos opulentos ad Monasteria admittere? „ Quare ob inopiam patientibus, & necessa„ rium fratrum, & sororum numerum alere non valentibus „ Monasteriis, servanda est antiqua, quam Regulæ suæ S. Be„ nedictus inseruit, Patrum lex, ut spontè oblatum accepte„ tur, & nihil penitus exigatur. Quam legem diversæ genera„ les Synodi innovârunt, & usque ad paucos abhinc annos Bel„ gium nostrum observavit sanctissimè. Reducenda omninò est „ illa animi castitas, rogandique Episcopi nostri, ut novis, „ & superfluis, à quibus nobis oriuntur tantæ sordes, præ„ sertim Monialium Monasteriis, non sinant suas Ecclesias „ gravari."

Hæc illæ in responsione ad quæstionem: *Num licita pacta de dote danda ab ingredientibus Monasterium*, cujus responsionis seu resolutionis originale servatur in Monasteria Carmelitessarum in civitate Alostana; ejusque copiam mihi submisit D. Papebrochius Ecclesiæ Collegiatæ B. Martini ibidem Præpositus.

V. Alterum remedium eodem collimans subministravit Concilium Arelatense relatum in *cap.* 1. ℵ *de Instit.* ut non ampliùs in Monasterio Canonicorum atque Monachorum suscipiantur, seu etiam puellarum, nisi quantum ratio permittit, & in eodem Monasterio *absque necessariorum penuria* degere possunt.

Hæc Canonica disciplina manifestè titulum paupertatis sive insufficientiæ, in justificationem dotalitii pacti adduci solitum, excludit; cùm prohibeat admitti plures, quàm ex proventibus Monasterii ali possunt.

VI. Hanc disciplinam innovans Synodus Tridentina, postquam omnibus Monasteriis utriusque sexus, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum, qui *Minorum de Observantia* vocantur, indulsit, ut bona immobilia in communi possidere eis liceret, subjicitur: „ In prædictis autem „ Monateriis, & domibus tam virorum, quàm mulierum bona „ immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantùm „ numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui ex „ redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemo„ synis, commodè possit sustentari: nec de cætero similia lo„ ca erigantur sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, „ licentiâ prius obtentâ. " *Sess.* 25. *cap.* 3. *de Regular.*

VIII. Ex contextu verborum sat patet, Synodum voluisse suo Decreto generaliter complecti omnia Monasteria, etiam Ordinum Mendicantium, tametsi immobilia possidere nequeant, sed ex *solis eleemosynis* vivant. „ Neque obstat (ait Fagnanus „ ad citatum *cap.* 1. *num.* 13.) impossibilitas taxationis, quo„ niam in Monasteriis non possidentibus bonæ stabilia, fieri „ potuit *taxatio secundum* CONSUETAS *eleemosynas.*"

VIII. Ulteriùs contextum Decreti expendenti obscurum non erit, per *consuetas eleemosynas* ibidem designari eleemosynas, quas Fratres Ordinum Mendicantium à populo petere & accipere consueverunt, & è quibus pene solis vivunt illi, qui bona stabilia in communi non possident.

Unde Pius V. in Constitutione, quæ incipit: *Cura Pastorali*, 8. *in Bullario Rom.* dicit, *consuetas eleemosynas*, quarum inspecta quantitate, numerus Monialium, juxta præscriptum Concilii Trindentini, figendus est, per conversas Sorores extra Monasterii claustra commorantes, colligendas esse, aut si eo modo necessitatibus Monialium provideri nequeat, Ordinarii locorum, aut earum Superiores provideant de aliis personiis piis & Deo devotis, quæ fidelium *eleemosynas* colligant. Ex quibus satis intelligitur, Pium V. per *consuetas eleemosynas*, de quibus in Decreto Tridentino, intellexisse eleemosynas, quæ *ostiatim* à Fidelibus petuntur, & colliguntur.

Dicimus ergo cum Joanne Wiggerio de Jure & Justitia *tract.* 7. *cap.* 4. *dub.* 10. „ quòd nullam habeat probabilitatis „ speciem commentarius ille, quem aliqui faciunt super ver„ bis Concilii, quòd dum dicitur, vel *ex consuetis eleemosy„ nis*, ibi sub *consuetis eleemosynis* comprehendi dotes, quas „ vocant, inferendas à Novitiis.

„ Quomodo enim illæ sunt *eleemosynæ*, ut rectè advertit „ dictus Auctor, quæ ad tam certam summam solemni stipu„ latione seu pactione determinantur, & quomodo illæ pos„ sunt dici *consuetæ eleemosynæ*, cùm per accidens, & quasi „ extra ordinem accedant."

IX. Cùm ergo Synodus Tridentina velit generaliter in omnibus Monasteriis eum tantùm numerum Religiosorum conservari, qui ex redditibus Monasterii vel *consuetis* eleemosynis, hoc est, eleemosynis quæ à Fidelibus colliguntur, commodè possit sustentari, consequens est, Synodum omnem paupertatis, aut insufficientiæ prætextum exclusisse. Si enim numerus, qui ex prædictis commodè sustentari potest, expletus est, jam vetante Concilio plures recipere fas non est.

X. De hac Synodi sententia haud dubitâsse videntur Patres Synodi Cameracensis P. I. quorum plures Concilio Tridentino interfuerant eo tempore, quo prædictum Decretum confectum & evulgatum fuit. Cùm enim declarâssent, se velle

omnem etiam speciem detestabilis simoniæ à Religionis ingressu amovere, tum seriò præcipiunt sacros Canones insecuti, „ Ne Monachi, vel Moniales aliquem vel aliquam ad profes„ sionem recipiant, mediante alicujus pecuniæ aut muneris „ pacto, ne ea quidem ex causa, inquiunt, quòd plures alere „ non possint sine aliquo subsidio; cùm Tridentina Synodus „ *cap. 3. de Regularibus*, apertè velit, ne plures recipiantur in „ Monasterium, quàm ex propriis Monasteriorum redditibus, „ vel ex consuetis eleemosynis commodè ali possint."

Plura in eandem rem Synodorum Decreta retuli in *citata dissertatione Canonica part. 2. cap. 4. §. 9.* Et §. 10. judicium Joannis Hesselii, qui Synodo Tridentinæ tempore formati allegati Decreti interfuit, atque tanquam indubitatum supponit, quod Decretum illud à Synodo editum sit, ut omnem simoniæ committendæ prætextu *paupertatis* occasionem Monasteriis adimeret.

XI. Ostendi insuper in *citata dissertatione*, *eod. capite*, §. 7. quòd varii Pontifices Decretum hoc Tridentini Concilii innovârint, & ejus executionem urserint; quodque inter alios Innocentius X. in Constitutione, quæ incipit: *Inter cætera*, 23. *in Bullario Rom.* dixerit: „ Inter cætera, quæ ad regula„ rem disciplinam instaurandam conservandamque sacrosancta „ Trident. Synodus salubriter decrevit, illud semper præcipuum „ & maximi momenti habitum est, quo injungitur, ut in sin„ gulis Monasteriis, & domibus is *tantùm* numerus constitua„ tur, & in posterum conservetur, qui vel ex *redditibus pro„ priis* Monasteriorum, vel *consuetis* eleemosynis commodè „ sustentari possit."

Ulterius, ut Monasteria ab his exactionibus pactionibusque caveant, admodum utile erit expendere incommoda, quæ exactiones pactionesque illæ parere solent.

XII. In primis per similes pactiones *Decori Ecclesiasticæ, & immaculatæ religionis detrahitur, & in multorum mentibus fidelium scandalum generatur*, Extrav. SANE. de Simonia, inter Commun.

Notorium enim est, quomodo per hujusmodi pactiones, & contractus super dotibus ingredientium passim notam avaritiæ, quin & simoniæ Monasteria incurrant; atque seculares de ipsis Religiosis eam concipiant ideam, quòd etiam in ipsa ad Religionem admissione lucrum quærant, & augmento rerum temporalium studeant, tametsi verbo paupertatem profiteantur: atque hinc contingit, ut minus illis afficiantur, quin & ipsam Religionem despicere incipiant.

XIII. Deindè cùm hominibus secularibus passim Monasteriorum paupertas non innotescat, imò in Ecclesiarum, ædificiorum, supellectilis, aliorumque exteriorum apparatu ipsa sæpè Monasterii paupertas non appareat, imò frequenter illorum apparatus contrarium innuat, etiam nonnunquam ob scandalum fidelium ab exactione dotis esset abstinendum, etiamsi daretur, eo seposito, dotem licitè peti posse, quemadmodum latè ostendit Dionysius Carthusianus *lib. 1. de Simonia*, *art. 6.* Locum integrum retuli in Dissertatione citata, *cap. 4. §. 11.*

XIV. Nec tantûm Seculares, sed etiam Religiosi aliorum Monasteriorum opulentorum offenduntur. Dum enim intelligunt hæc, aliave Monasteria sine scrupulo dotes exigere, facilè sibi persuadent, se æquè ac illa indigere; atque ita fit, inquit Joannes Wiggers, „ ut Monasteria satis dotata idem imitentur, „ etiamsi possint quoque numerum longè majorem, quàm ha„ beant, commodè alere." *De Jure & Justit. tract. 7. cap. 4. dub. 10. num. 57.*

XV. Præterea teste Pontifice in citata Extravagante SANE, per hujusmodi pactiones & exactiones contingit, ut *quam plures tàm execratione hujusmodi criminis, quàm expensarum onere à sacræ Religionis proposito retrahantur.*

„ Nec dubium (uti rectè advertit Dionysius Carthusianus, „ *lib. 2. de Simonia*, *art. 2.*) quin exactio, pactio, seu tempo„ ralium exhibitio ita gravat, & à Religione impedit pauperes, „ dum fit pro *sustentaculo* vitæ ipsorum, sicut si fiat pro spiri„ tualium exhibitione. Et proh dolor! exclamat idem Doctor, „ quàm multæ bonæ pauperculæ quotidie clamant, conquerun„ tur & dicunt se esse paratas ad Religionis, & vitæ reclusæ in„ gressum, sed non posse acquirere locum, eo quod jam undi„ que temporalia exigantur. Similiter quædam puellæ, & fœ„ minæ divites, Deum timentes, Religionemque ingredi cu„ pientes, paratæ quoque ad comportandum pro se sufficientiam „ temporalem, ex consideratione usitatæ exactionis, & pac„ tionis Religiosarum quarundam, retrahuntur ab ingressu „ ad eas."

Dum verò pauperes defectu temporalium rejiciuntur, & aliæ timoratæ conscientiæ, & verò Religionis spiritu plenæ horrore hujusmodi pactionum, ut minus de labe simoniæ suspectarum, à Monasteriis hujusmodi retrahuntur, quid inde natum evenire, nisi quòd minus idoneæ, & spiritum Religionis non habentes ad Religionem admittantur, cum maximo regularis disciplinæ nocumento. Nam, uti benè advertunt Patres Synodi Burdigalensis anno 1583. *tit. 25.* „ Experientia docet, dis„ ciplinam religiosam eorum vitio ex parte collapsam esse, qui „ in religiosas familias intrusi, aut aliqua quavis ratione humana „ inducti potiùs, quàm à Spiritu Santo vocati fuerunt."

XVI. Qui hæc, aliaque incommoda, quæ hasce stipulationes, contractusque super dotibus Ingredientium sequuntur, seriò expenderit, haud difficulter percipiet, quàm meritò Synodus, ut omnem eorum prætextum præscinderet, præceperit: „ Ut is tantùm numerus constituatur, ac in posterum con„ servetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel „ ex *consuetis* eleemosynis comodè possit sustentari."

XVII. Nec obstat, quòd ex hac Decreti exacta observantia numerus Regularium subindè minor solito esset; nam rectè dixit citata Synodus Burdigalensis: „ Sancta & religiosa pauco„ rum congregatio, quantumvis magnâ ineptorum hominum „ multitudine, Deo & hominibus acceptior est, & Ecclesiæ „ utilior."

Quin advertit Cardinalis Bellarminus; quòd postquam Regulares cœperunt multiplicari sine numero, multi non à Deo vocati ad statum perfectionis, sed aliis rationibus adducti, Monasteria repleverint: „ & impletum est, ait, illud Isaiæ: *Mul„ tiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Inde nata sunt „ scandala gravia & multiplicia omnibus nota, quæ materiam „ uberem præbent columbæ gemendi & plangendi relaxationem, „ ne dicam corruptionem Ordinum Religiosorum." *Lib. 2. de Gemitu columbæ, cap. 6.*

XVIII. Si quis incommoda, quæ exactiones, & stipulationes dotium, tametsi titulo paupertatis vestitas comitantur, expenderit, haud difficulter quoque intelliget, Canones dictas exactiones generaliter vetantes, rationem quandam *perpetuam* habere; ideoque hisce meritò applicari illud S. Thom. „ Si ma„ neat ratio eadem, propter quam lex primò utilis erat, non „ consuetudo Legem, sed lex consuetudinem vincit: nisi fortè „ propter hoc solum inutilis lex videatur, quoniam non est pos„ sibilis secundum consuetudinem patriæ, quæ erat una de con„ ditionibus legis." 1. 2. *quæst. 79. art. 3. ad 2.*

XIX. Hinc consequens est, periculosè hisce Canonibus contrariam consuetudinem opponi; præsertim, quia si quid humani ac positivi juris in Canonibus illis occurrat, illud tale est, ut sine illius exacta observantia admodum difficulter caveatur, quod jure etiam naturali vetitum omnes agnoscunt, uti suprà *cap. 3.* ostendimus.

Ad hæc (uti rectè advertunt Doctores Lovanienses in resolutione casûs, quam in Dissertatione Canonica *part. 2. cap. 4. §. 10.* exhibui) „ consuetudo hæc stipulandi dotes non est universalis, „ & sic ubi sit, non est attendenda; ubi adeò enixa est adver„ sus præfatas exactiones Pontificum voluntas, & tam seria, „ solicita, & expressa totiesque repetita Canonum prohibitio, „ prout est in præsenti materia."

XX. His, quæ hucusque dicta fuerunt, opponi solet Decretum Concilii Mediolanensis II. sub S. Carolo, his verbis expressum: „ Episcopus præterea tùm impensas æstimet, quæ & „ in Religionis ingressu, & tempore professionis fieri solent „ pro vestitu, aut pro aliis rebus, ad ipsius puellæ, vel Mo„ nasterii usum, commoditatemve pertinentibus; tùm pecuniæ „ etiam summam præscribat, quam puella alimentorum nomine „ Monasterio det; nisi census, aut alia bona immobilia, quo„ rum annui fructus, ejusdem judicio, ad ea alimenta satis „ sint, Monasterio attribuantur. Ea autem omnis pecuniæ „ summa, eo nomine ab Episcopo decreta, reipsa apud cer„ tum hominem, & virum bonum deponatur, qui professio„ ne confectâ, illam statim Monasterio tradat."

Advertendum hîc nullatenus probari, quòd Moniales ab Ingressuris aliquam dotem exigant; aut de ea cum Ingressura ejusve parentibus stipulentur vel contrahant: sed Episcopo duntaxat injungitur, ut is consideratis, in singularibus casibus, omnibus circumstantiis, tum ex parte Ingressuræ, tum ex parte Monasterii determinet, an æquum ac justum sit aliquid dari Monasterio.

Quin enim frequenter justum esse possit, ut Parentes suas proles Monasterio offerentes, aliquid in earum alimentationem offerant, dubium non est; imò nonnunquam contingere posset, ut etiam ob avaritiam ac tenacitatem parentum, qui proles suas in Monasteria intrudere volunt, ut alias proles ditare & secundum seculum extollere possint, à Monasterio proles repellantur.

Itaque quidquid ex hoc Concilio haberi potest, illud est, ut Episcopus in *singulis* casibus determinet & judicet, quid hîc & nunc Monasterio ex bonis Ingressuræ sit attribuendum: nequaquam Monialibus, quæ ex proprio interesse hîc sæpiùs procedunt, permittat dotes exigere, aut stipulari; sed hæ recipiant Novitias, prout Episcopus hîc & nunc spectatis omnibus circumstantiis judicaverit, qui indubiè spectatis circumstantiis sæpiùs judicare debebit, nihil ab ingressura ejusve parentibus petendum esse.

TI-

TITULUS XXVII.

De Professione, & ejus effectu.

CAPUT I.

De Professione solemni, ejusque ritu; et an *tacita* hodie obtineat.

1 *Quam vim habeat solemnis Monachorum benedictio antiquitùs ignota?*
2 *Ritus professionis à S. Benedicto præscriptus.*
3 *Regula Benedictina requirit, ut professus petitionem suam signet, quod modernæ disciplinæ est conforme.*
4 *Ritus externi in Regulis, & Constitutionibus præscripti non sunt de essentia professionis.*
5 *Jure Decretalium professiones* tacitæ *admittuntur: neque per Synodum Tridentinam omninò sunt sublatæ.*
6 *Moribus Galliæ & Belgii professio non nisi per* scripturam *probari potest.*
7 *Professio* tacita *hodiernis moribus non admittitur.*
8 *Puella quæ* 30. *annis post Novitiatum, habitum professarum gestaverat, & tanquam professam se gesserat, admissa fuit ad hæreditatem paternam, tanquam* non professa.
9 *Carthusiani in suis Constitutionibus excludunt* tacitas *professiones.*

I. SOlemnem, ac publicam monasticam benedictionem variis ritibus, ac cæremoniis vestitam in professione adhiberi solitam, aliam vim non habere, quàm habet super populum Sacerdotis oratio, visum jam pridem fuit S. Ivoni Carnotensi. Eam S. Antonio, ac aliis antiquis fuisse ignotam: multiplicatis verò postmodum Monachorum gregibus inductam ex quadam cautela, tanquam Religionis vinculum humanæ infirmitati provissum. „Ut monasticus ordo, inquit, quantò firmiùs in „conspectu Dei & hominum, & solemniùs ligaretur, tantò „robustiùs ac devotiùs Monachis servaretur; & qui vellent ab „hoc proposito recedere, testimoniis pluribus convincerentur, „& tanquam jurati in Christi Sacramenta tyrones ad propositum „suum reverti cogerentur. Quibus liquet, traditiones hujus„modi nihil esse aliud quàm quædam Religionis vincula, hu„manæ instabilitati provisa." *Epist.* 41.

Hanc S. Ivonis reflexionem probans Christianus Lupus ad *Canonem* 40. *Trullanum*, rectè consequenter notat, „Dionysium illum, qui nobis Monachorum benedictiones producit, „non esse *Areopagitam* Apostoli discipulum, sed S. Antonio, „ac primis ejus discipulis posteriorem."

Quo tempore hæ Monachales benedictiones, ac professionis ritus primùm invaluerint, incertum est.

II. Extat ritus professionis in Regula S. Benedicti non absimilis ei, quem omnes passim Religiones observant; si quasdam orationes ac preces, quas posterior ætas addidit, excipias. „Suscipiendus in Oratorio coram omnibus (ait Regula Be„nedictina *cap.* 58.) promittat de stabilitate sua, & conversio„ne morum suorum, & obedientia, coram Deo & Sanctis „ejus: ut si aliquando aliter fecerit ab eo se damnandum sciat, „quem irridet. De qua promissione sua faciat petitionem ad no„men Sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præ„sentis. Quam petitionem manu sua scribat, aut certè si non „scit litteras, alter ab eo rogatus scribat. Et ille Novitius sig„num faciat & manu sua eam super altare ponat. Quam dum „posuerit, incipiat ipse Novitius mox hunc versum: *Suscipe „me Domine secundum eloquium tuum, & vivam; & non con„fundas me ab exspectatione mea.* Quem versum omnis Con„gregatio tertiò respondeat adjungentes: *Gloria Patri*, &c. „Tunc ille Frater Novitius prosternatur singulorum pedibus, „ut orent pro eo, & jam ex illa die in Congregatione re„putetur."

III. Quod Regula requirit, ut petitionem suam profitens *manu suat scribat*, aut certè ab alio scriptam *signo Crucis* signet ad majorem cautelam in casu, quo professio negaretur, meritò in omnibus passim Monachorum Congregationibus receptum est: quin & in Constitutionibus Fratrum Eremitarum S. Augustini legitur, „ut quandocunque fit aliqua professio, „præsens semper sit *publicus Notarius*, qui eadem die de om„nibus, quæ viderit, & audierit, publicum conficiat instru„mentum, in quo *distinctè* notetur, professum liberè & spon„tè, & non vi vel metu spopondisse; idque verbo pro„tulisse."

IV. Verùm hæc scriptura, uti & reliqui ritus in Regulis, Constitutionibusve Religiosorum quovis modo præscripti essentiam professionis attingere non solent.

V. Ideoque jure Decretalium, etiam professiones sine ulla solemnitate, imò sine verbis, solo aliquo facto exteriori validè declarantur, easque sine verborum formula, & non expressè factas Canonistæ *tacitas* professiones appellant, quarum species occurrit in *cap.* 22. ℣ *de Regularib.* & fusiùs exponitur in *cap.* 1. *eod. in VI.* creditque Fagnanus ad *cap.* AD NOSTRAM ℣ *eod.* nec per Concilium Tridentinum professionem *tacitam* sublatam, quæ de jure communi censebatur emissa & facta per susceptionem *habitûs* professorum, modò hæc nunc fiat completo probationis, & expleto 16. ætatis anno.

VI. Apud Gallos ex Constitutione Molinensi *art.* 551. cautum est, professionem monachalem non nisi per scripturam probari posse. Similiter apud nos Edicto perpetuo Alberti & Isabellæ *art.* 21. est statutum, ut professio religiosa fiat per litteras, & non per testes, nisi allegaretur registra esse deperdita, quo casu probatio per testes recipi posset. Qui verò deperdita registra allegat, ei probationis onus incumbit, uti monet Antonius Anselmo ad Edictum perpetuum *art.* 17.

VII. Cùm igitur neque in Gallia, neque in Belgio nostro ulla professionis quàm per Scripturam probatio admittatur, facilè colligere est, non professiones tacitas, quæ ex solis quibusdam factis, aut modo agendi colliguntur, & de quibus per nullum authenticum, scriptumque instrumentum constat; sed solas professiones *expressas*, de quibus per scripturam constare potest, in judiciis admitti posse.

VIII. Unde non ita pridem certam puellam, quæ post annum probationis per 30. circiter annos habitum Monialium professarum gestaverat, & cum aliis Monialibus tanquam professa Capitulo, & deliberationibus intervenerat, ad hæreditatem paternam tanquam *non professam* admittendam judicavit Senatus Parisiensis, eò quòd de *expressa* professione non constaret; uti refert D. Du Fresne, *part.* 2. *du Journal des Audiences.*

IX. Refert quoque Wamesius in additione ad *consilium* 454. ex secunda parte novæ collectionis statutorum Ordinis Carthusiensis, *cap.* 18. *Professionem tacitam in nostro Ordine non habemus, neque permittimus, sed omnes volumus expressè & publicè professos.*

CAPUT II.

De ætate Profitentium.

1 *Sanctus Basilius ætatem* 16. *aut* 17. *annorum requisivit.*
2 *Hoc tempus Synodus Trullana ad* 10. *annorum ætatem contraxit, & quare.*
3 *Tempore S. Ambrosii eadem ætas ad professionem monasticam sufficiebat, quæ ad matrimonium requirebatur.*
4 *Hæc disciplina Juri Decretalium videtur conformis.*
5 *Nonnulli Ordines ob disciplinæ asperitatem maturiorem ætatem requisierunt.*
6 *Ne aliquis immaturæ ætatis ad Religionem admitteretur, ætas* 20. *aut* 18. *annorum requisita.*
7 *A Patribus Tridentinis exaratus Canon requirens ætatem* 18. *annorum, & quare ab eo recessum.*
8 *Perniciosa vulgi opinio, quòd Professurum oporteat* mundum novisse.
9 *Decretum Synodi Tridentinæ requirens annum* 16. *completum.*
10 *Synodus non improbat statuta majorem ætatem requirentia.*
11 *Professio facta completo anno* 16. *ætatis, sed ante ætatem per statuta requisitam, est valida.*

VAria jam pridem fuit disciplina circa ætatem in recipiendis ad vitam Monasticam requisitam.

I. Sanctus Basilius in Epistola sua Canonica, *Can.* 18. professiones Virginum validas non reputabat, quæ ante 16. aut 17. annum fiebant. „Professiones, inquit, ab eo tempore „judicamus, quo ætas rationis complementum habuerit. Non „enim pueriles voces omninò in his ratas esse existimare „oportet, sed eam quæ suprà *sexdecim* vel *septendecim* an„nos nata fuerit, rationisque compos; & diu examinata, pro„bataque perseveraverit."

II. Synodus Trullana ætatem à Basilio requisitam ad ætatem 10. annorum contraxit; volens ut qui Monachicum jugum est subditurus, non sit minor quàm decem annorum natus; ejus quoque rei examinatione in Prætulis arbitrio sitâ an-

an augeri tempus conducibilius existimet ad introductionem, & constitutionem in vita Monastica. Post hæc Patres illius Synodi rationem allegant, ob quam à Regula S. Basilii nonnihil recedendum crediderint: de qua vide notas nostras ad *can.* 40. *Trullanum.*

III. Si S. Ambrosio credimus, *lib.* 3. *de Virginibus*, ætas sufficiens ad matrimonium carnale, etiam ad matrimonium spirituale per professionem sufficere debet; adeo ut ætas 12. annorum in puellis, & 14. in adolescentibus sufficiens judicaretur.

IV. Hanc disciplinam Ecclesia Latina tandem recepisse videtur; eamque, si jus commune seu Decretalium spectemus, firmavit, uti colligere est ex *cap.* 8. 11. & 12. ✠ *de Regularibus*; addita tamen hac exceptione desumpta ex *Epist.* 48. *lib.* 1. S. Gregorii, „Quia dura est in insulis Congregatio „Monachorum, etiam pueros in iisdem Monasteriis ante 18. „annum suscipi prohibemus." *Cap.* 6. ✠ *eod.*

V. Et hac consideratione ex vitæ austeritate deprompta, aliqui Monachorum Patres, & superiores ætatem nonnihil majorem, quàm jure communi statuebatur, requisierunt.

Et quidem Carthusiani, ut ipsorum pristina Ordinis statuta indicant, ante 20. annum nullum ad suum Ordinem recipiebant; haud idoneum judicantes militiæ adeo laboriosæ ante eam ætatem sustinendæ. „Pueros, sive adolescentes non „recipimus, inquiunt, sed viros, qui juxta præceptum Do„mini per manum Moysi, viginti ad minùs annorum, ad bel„la sacra possint procedere."

VI. Inter statuta Congregationis Cluniacensis à Petro Venerabili seculo XII. collecta, habetur: „Statutum est, ut nul„lus etiam ex concessione futurus Monachus, Regularibus us„que ad 20. annos vestibus induatur.

„Causa hujus instituti fuit (inquit Petrus Venerabilis) *im„matura, nimisque celer infantium susceptio*, qui, antequam „aliquid rationabilis intelligentiæ habere possent, sacræ Re„ligionis vestibus induebantur, & admixti aliis, puerilibus „ineptiis omnes perturbabant." *Bibliot. Cluniacens. pag.* 1364. *Statuto* 36.

Anno 1238. Otto Sedis Apostolicæ in Anglia Legatus convocatis totius Regni Abbatibus Ordinis S. Benedicti quædam Statuta eis proposuit, quorum primum erat: ut nullus ante 20. annum completum ad professionem, & ante 19. ad probationem in Monasterium de cætero admittatur. Apud Matthæum Parisiens. ad annum 1238.

Synodus Parisiens. sub initium seculi XIII. vetuerat quemquam ante 18. annum in Monasterium recipi; quod & sub idem tempus Synodus Oxoniensis decreverat.

VII. Si Cardinali Palavicino credimus, Patribus Concilii Tridentini paratus fuit Canon, quo statuebatur, fas non esse regularem professionem emitti ante annum *decimum octa„vum.* Sed Archiepiscopus Pragensis, (Bartholomæus de Marty„ribus) vir claustri peritus, ait Pallavicinus, prævalidè de„hortatus est Patres ab eo consilio, affirmans, deteriorem „fructum reddi plerumque cœnobiis ab iis qui à teneris an„nis illic sati non fuerint, adeoque adhuc illæsi à vitiis la„xioris libertatis: satius esse, sancire, ut probationis tem„pus ad duos annos produceretur; ita tamen ut fas esset, pro„fessionem emitti anno decimo sexto." *Libro* 24. *cap.* 6.

* Verum esse solet, quod notavit Bartholomæus de Martyribus; attamen in tenera ætate frequenter occurrit, ut non ea sit adolescentium, aut puellarum maturitas, ut sufficienter cognoscant, ad quæ per professionem monasticam se obstringant, & quas difficultates secum trahat integra votorum persolutio, præsertim in Monasteriis, in quibus disciplina sensim relaxata, & à præscripto Regulæ, quàm profitetur, receditur.

Vix dubium, quin ob hanc judicii imbecillitatem, plures etiam sanctissimi Ordinum fundatores, in admittendis ad professionem majorem & maturiorem ætatem requisierint: quod nec Synodus Tridentina improbavit, quæ licèt permittat emitti professionem anno decimo sexto, nequaquam tamen improbat statuta Ordinum, majorem in profitentibus ætatem exigentia: uti nec prolixiorem, quàm annalem novitiatum, si eum Regula aut Statuta requirant.

VIII. Hîc obitèr nota, quàm longe abesset magnus ille Præsul ab ea vulgi opinione, quòd priusquam monasticam vitam quis profiteatur, eum oporteat mundum novisse; hoc est, ejusdem vulgi sensu vitiis & voluptatibus mundi nonnihil fuisse immersum, quod quàm ipsis adolescentibus perniciosum, multis ostendit Petro à S. Audomaro, vulgò *Wallon Capelle*, Prior Monasterii S. Wignoci, *lib.* 3. *Instit. Monast. cap.* 24. exclamatque: „O utinam nulli Religiosorum unquam audis„sent, vidissent, & gustâssent quidquam secularium, non „sanè adeò multi perditè viverent in suis Cœnobis, nec tot „Apostatæ essent, jugumque Christi suave detractarent."

IX. Hac Archiepiscopi Pragensis aliisque rationibus inducti Patres Tridentini tandem decreverunt, „in quacunque Re„ligione, tam virorum quam mulierum, professio non fiat „ante *decimum sextum annum expletum*.. professio autem an„tea facta sit *nulla nullamque* inducat obligationem ad alicu„jus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut „alios quouscunque effectus." *Sess.* 25. *de Regularib. cap.* 15.

X. Si quis verba hujus Decreti attendat, facilè intelliget, mentem Patrum quidem fuisse, ut ante 16. annum facta professio esset nulla, & invalida; ideoque noluerit in minori ætate ad professionem nullum seu virum seu mulierem admitti posse: sed tamen nequaquam improbâsse particulares Ordinum quorundam Constitutiones, majorem ætatem requirentes; quod & Sacram Congregationem aliquando declarâsse testatur Fagnanus ad *cap.* NULLUS ✠ *de Regularib. num* 15. „Quippe „quod Concilium non ponit, inquit, ut professio fiat anno „decimo sexto, sed non possit fieri antè, sed post." Qui & ibidem num. 13. observat in Religione Fratrum Capucinorum S. Francisci, ex statutis Ordinis, Novitios non recipi ad habitum ante 17 annum completum, si Clerici sint, & ante 19. si laici; & per consequens, non admitti Clericos ad Professionem, nisi exacto 18. & laicos 20. anno. Et in Religione Minorum Conventualium S. Francisci, Novitii Clerici prohibentur ad professionem admitti ante annum 19. & laici ante 25. completum, ex Constitutione Pii V. quæ incipit: *Illa nos.* Hæc Fagnanus, qui insuper *n.* 16. monet generaliter à Clemente VIII. in decretis super receptione & educatione Novitiorum, prohiberi Conversos recipi ad habitum Regularem ante annum ætatis vigesimum; & consequenter ad prfessionem non ante annum vigesimum primum.

Quousque hoc Decretum extendatur, ac receptum sit, ex usu & consuetudine ipsi Superiores Ordinum intelligere possunt.

XI. Si tamen anno ætatis 16. expleto professio fuerit facta, non expectato anno ætatis ulteriore per statuta Ordinis requisito, non videtur propterea professio futura invalida: eò quòd statuta, dum majorem ætatem requirunt, invaliditatem aut nullitatem professionis adjunctam habere non soleant: quemadmodum supra de longiori quàm annuali Novitiatûs tempore in aliquibus Ordinibus præscripto notatum est (c).

CAPUT III.

De Formula Professionis, et quid contineat.

1 *Pristina Professionis formula nullum particulare votum exprimebat.*
2 *Qui vitam monasticam profitetur, omnia ejus essentialia promittere censetur.*
3 *Olim formula professionis nullam determinatam Regulam exprimebat*
4 *S. Benedictus primus formulæ professionis observantiam suæ Regulæ inclusit.*
5 *Quæ hodiernæ formulæ professionis Benedictinæ expressè includantur.*
6 *Paupertatis & castitatis vota* tacitè *censentur comprehensa.*
7 *Quoad tria vulgaria Religionis vota formula Benedictina reipsa convenit cum recentioribus.*
8 *Etiam votum* stabilitatis *tacitè continetur in formulis recentioribus.*
9 Stabilitas *loci in formula Benedictina expressa, quid significet.*

I. SI pristinas Monachorum Regulas actaque revolvamus, nullam reperiemus professionis formulam, quæ aliquod particulare votum alicujus virtutis aut actionis exprimat sed simplicem duntaxat monasticæ vitæ professionem.

II. Noverant enim pristini Monachi, eum, qui se dedicat monachatui, vovetque vitam, ac professionem Monachalem, *virtualiter* vovere omnia quæ sunt *substantialia* monachatui; uti sunt vera morum conversio, cœlibatus sive continentia, voluntaria paupertas, obedientia, loci stabilitas, aliaque eò pertinentia.

III. Imò per quinque circiter secula adeò indeterminata, ac generalis erat Monachorum professio, ut ne quidem certam, determinatamque Regulam profiterentur; sed eam, quæ ad observantiam vitæ Monasticæ magis conducere videbatur, judicio Superiorum suscipiebant Monachi; ad eamque servandam vi suæ professionis se adstrictos credebant.

IV. Hinc mutatæ passim Regulæ, & plures in uno eodemque Monasterio servatæ, uti monet vir eruditus Joan. Mabilonius in præfatione ad *part.* 1. *seculi IV. SS. Benedictino-*

(c) *In Hispania in Ordine Religiosorum SS. Trinitatis nemo profiteri potest, nisi annum* 20. *suæ ætatis attingerit, ut constat ex Regia Schedula data die* 28. *Septembris anni* 1769.

norum; & addit, quòd „ Sanctissimus Legislator Benedictus, „ primus aut certè inter primos, solemnis professionis formam, „ modumque præscripserit, atque intra professionis terminos „ incluserit Regulæ suæ observationem, à qua deinceps recedere non liceat."

V. Juxta formulam à S. Benedicto præscriptam, prout hodie extat & à Benedictinis usurpatur, tria explicitè promittuntur; nimirùm *stabilitas loci*, *conversio morum*, atque *obedientia* secundum Regulam à S. Benedicto conscriptam. „ Quanquam (uti monet Mabilonius in citata præfatione *n.* 59.) „ in veteri Benedictinæ professionis formula apud Theodema- „ rum, & duabus aliis in appendice nostra, ait, relatis, at- „ que in Regula Magistri, *cap.* 89. (quæ Regula non tam „ spcialis est, quam commentatio Benedictinæ) nulla etiam oc- „ currat mentio *conversionis morum*: nimirum quia *obedientiæ* „ *secundum Regulam voto* satis contineri videbatur."

VI. Verùm sicuti ipsa *morum conversio*, tametsi in formula professionis non expressa, satis videbatur comprehensa, eò quod observantia Regulæ promitteretur, ita quoque voluntariæ paupertatis, ac cœlibatus seu castitatis vota inclusa censebatur; quia etiam illa tanquam vitæ Monasticæ *essentialia* Regula præcipit, & complectitur.

VII. Quapropter formula Benedictina, reipsa quoad tria illa vitæ monasticæ ordinaria vota, non differt à recentioribus quorumdam Ordinum formulis, quibus tria illa vota *explicitè* continentur: v. g. in formula Fratrum Minorum S. Francisci, quâ promittit profitens, toto tempore vitæ suæ servare Regulam Fratrum Minorum per Dominum Honorium Papam confirmatam: vivendo in *obedientia*, *sine proprio*, *& in castitate*. Sic quod recentiores formulæ explicitè promitti volunt, id Benedictina, ac pristina Monachorum professio virtualiter semper continebat, & modo continet; & hanc profitentes eadem quoque vovent, quæ illæ complectuntur.

VIII. Similiter loci *stabilitas*, quam exprimit professio Benedictina, etiam in recentioribus professionis formulis *virtualiter* continetur, tametsi explicitè de ea mentio non fiat.

IX. Si enim Benedictina Regula ritè expendatur, notum erit, voto *stabilitatis* Monachos ita obstringi, ut nunquam vitam monasticam deserere, aut sine licentia Superioris Monasterio egredi possit, uti rectè advertit Cardinalis à Turre-Cremata in commentario ad Regulam S. Benedicti, *tract.* 127.

Postquam enim Novitius anno integro probatus fuit, Regulamque tertiò sibi prælectam seriò expendit, „ si habitâ se- „ cum deliberatione, ait Regula, *promiserit*, se omnia cus- „ todire, & cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in „ Congregatione, sciens se sub lege Regulæ constitutum, quòd „ ei ex illa die *non liceat egredi de Monasterio*, *nec collum ex-* „ *cutere de sub jugo Regulæ*, quam sub tam morosa delibera- „ tione licuit aut excusare, aut suscipere."

Ecce ipsi Monacho clarissimè proponitur, ad quid factâ professione voto suo sit constringendus; nimirum, posthac liberum ipsi nequaquam futurum de Monasterio egredi, ne jugum Regulæ excutere, quod omnibus professionibus monasticis, ac religiosis commune esse nemo negaverit.

CAPUT IV.

Professio religiosa an professum astringat stabiliter monasterio. Et quid ab exeunte monacho observandum.

1 *Regula Benedictina Monachis solitudinem commendat.*
2 *Eadem passim in Regulis, & Canonibus commendata.*
3 *Votum stabilitatis Monachos ad perpetuam clausuram non adstringit.*
4 *Multa circa egredientes Fratres præscripsit S. Benedictus à moderna disciplina monastica non dissona.*
5 *Egressuri debent se Superioris & Fratrum orationi commendare: hinc hodierna* benedictionis *postulatio.*
6 *Benedictina Regula non sinit Monachum* solum *egredi.*
7 *Regula Orientalium non permittebat Monachum* solum *cum extraneo colloqui.*
8 *Etiam posteriores Regularium, præsertim Mendicantium Constitutiones præcipiunt, egredienti socium adjungi.*
9 *Monachi ad Monasterium revertentes orationem propter excessus petere debent.*
10 *Monachi mensas laicorum declinare debent, dum egrediuntur.*
11 *Quid de hoc articulo recentiores Ordinum Constitutiones.*
12 *Decretum Synodi Tridentinæ circa Regulares sine licentia à suis Conventibus recedentes.*
13 *Quid circa illas habeant Ordinum Constitutiones.*
14 *Non facilè admittenda Regularium evagatio.*

I. PRæcitata Regulæ Benedictinæ verba sat insinuant, mentem sancti Patris esse, Regulamque, quam profitentur, exigere, quòd Monachis suo arbitrio & propriâ voluntate de Monasterio exire non liceat, Quod ipsum clariùs expressit *cap.* 66. suæ Regulæ, ubi ait: „ Monasterium (si fieri „ potest) ita construi debet, ut omnia necessaria, id est, aqua, „ molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diversæ intra „ Monasterium exerceantur: *ut non sit necessitas*, ait, *Mo-* „ *nachis vagandi foras*; quia omninò non expedit animabus „ eorum."

II. Neque soli Benedicto hic solitudinis amor insedit, sed omnibus Monachorum Patribus fuit communis, & passim in omnibus Regulis solitudo inculcata, atque ecclesiasticis decretis præcepta tanquam perfectionis monasticæ assequendæ & conservandæ primarium instrumentum: uti videre est in *Can.* 4. *Chalcedonensi*, & 46. *Trullano*. Hinc illud sub nomine Eugenii Papæ apud Gratianum 16. *q.* 1. *can.* 8. „ Monachus claus- „ tro sit contentus: quia sicut piscis sine aqua caret vitâ, ita „ sine Monasterio Monachus. Sedeat itaque solitarius, & ta- „ ceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit."

III. Nequaquam tamen hinc quis concludat, ex sancti Benedicti aut Ecclesiæ intentione Monachos seu Religiosos voto stabilitatis obstrictos, vi illius perpetuâ clausurâ esse Monasterio conclusos, quia & ipse Benedictus in sua Regula non semel supponit, Monachos è Monasterio causâ necessitatis, aut utilitatis cum licentia Superioris egredi posse.

IV. Et quidem *cap.* 67. de Fratribus itinerantibus agens expressit quæ in exitu, quæ in reditu ipsis agenda sint; quæ nec ab hodierna Religiosorum, etiam recentiorum disciplina aliena sunt.

V. Ac in primis vult, ut „ dirigendi Fratres in via, *omnium Fratrum, vel Abbatis se orationi commendent*."

Ad idem collimat, quod in sua Regula *cap.* 8. habet S. Fructuosus: „ Nemo Monachus uspiam sine *benedictione* sui „ senioris progrediatur."

Ad quæ verba reflectens Hugo Menardus ad *cap.* 61. §. 9. *Concord. Reg.* ait: „ Antiquus, & laudabilis in Monasteriis mos „ invaluit, ut nunquam Monachus *sine benedictione* vel oratio- „ ne sui Rectoris foras progrediatur, ut hac veluti circumval- „ latus mundi pericula, & demonum tela declinare possit."

Hujus porrò disciplinæ non tantùm in Can. LXIV. Trullano, sed etiam in hodiernis, ac recentioribus Religiosorum Constitutionibus mentio passim occurrit, nec praxis dissonat.

„ Fratres (inquiunt Constitutiones Fratrum Eremitarum „ S. Augustini *p.* 2. *c.* 17.) antequam domum exeant, *genu-* „ *flexo benedictionem petant à superiore*, dicentes, *Benedicite* „ *Pater*: Superior verò det illam tanquam *deprecans Deum*: „ quòd eundo, stando, redeundo, eos ab omnibus animæ, & „ corporis periculis servare dignetur."

VI. Observat insuper Vir eruditus Hugo Menardus quòd S. Benedictus loquatur in plurali, *Dirigendi Fratres*: „ Quia, „ ait, nunquam solus Monachus, sed duo vel tres in via di- „ rigendi sunt, ob mutuam custodiam animi præsertim."

VII. Quin & ex Regula Orientali notat idem Menardus, „ disciplinam antiquam illorum Patrum non permisisse Mona- „ cho *soli* cum extraneo colloqui, sed dedisse comitem, & „ sermonum testem, non quemvis de trivio, sed probatum „ moribus, ne daretur occasio maligno."

VIII. Ab hac provida Patrum disciplina nec recentiores Monachorum, ac Religiosorum Regulæ Constitutionesque receserunt.

„ Statuimus, ut nullus Frater nostri Ordinis, sive con- „ ventualis sit, sive hospes (verba sunt Constitutionum Eremi- „ tarum S. Augustini) cujuscunque dignitatis vel gradûs, va- „ dat ad civitatem vel oppidum *absque socio Fratre* Ordinis „ nostri Clerico, vel laico, seu converso à Priore assignando, „ neque aliquem Prior *solum* mittat, nisi ob gravem & urgen- „ tem necessitatem.... Sed nec ipse Prior *solus* vadat, nisi „ pro inevitabili necessitate."

Similia in aliorum Ordinum constitutionibus, & statutis passim occurrunt, refertque Petrus Martyr in compendio constitutionum Ordinis FF. Prædicatorum *part.* 2. *c.* 74. statutum: „ Cùm discursus inutilis, & vagus Fratrum turbationem, & „ scandalum pariat, & ex defectu *combinationis* Fratrum, dis- „ solutiones, & insolentiæ crescant; ideo neque sine licentia, „ neque sine socio itinera conficiant Fratres, & combinati nul- „ lo modo se separent ab invicem, quin se videre possint, & „ valeant mutuò testimonium perhibere, in quocunque sint lo- „ co, vel negotio, & transgressores acriùs puniantur."

IX. Pergit ulteriùs Benedictus: „ Revertentes autem de „ via Fratres, ipso die, quo redeunt, per omnes Horas Ca- „ nonicas, dum expletur opus Dei, prostrati solo Oratorii, ab „ omnibus petant orationem propter excessus; ne quid for- „ san subripuerit in via visus, aut auditus malæ rei, aut otiosi „ sermonis."

Laudabilis planè praxis, ut nimirum per hanc humiliationem, atque Fratrum communes preces mundentur regredientes de via ab infectione, si quam à mundana conversatione contraxerint.

Ad

Ad idem tendit, quæ in plerisque religionibus servatur, & præscripta est disciplina, ut Fratres ad Monasteria revertentes *benedictionem* à Superiore petant & accipiant.

Addunt Constitutiones Eremitarum S. Augustini *part.* 2. *c.* 17. „ Cum Fratres debent aliquò ire, eâdem die non reversuri, in exeundo, & redeundo ante majus Altare dicant „ *Psalmum cum precibus, & orationibus*, prout in Officiis „ nostri Ordinis continentur."

X. Præterea S. Benedictus *cap.* 51. *Regulæ* habet: „ Frater qui pro quovis responso dirigitur, & ea die speratur reverti ad Monasterium, non præsumat *foris manducare*, etiamsi omninò rogetur à quovis nisi fortè ei ab Abbate suo præcipiatur.

„ Hæc est (ait Hugo Menardus ad *cap.* 58. §. 1. *Concord. Reg.*) antiqua Monachorum disciplina nobis sane imitanda, „ ut *mensas laicorum*, præsertim nobilium, & divitum, quantum in nobis situm erit, declinemus."

Hactenus ille, qui ibidem latiùs exponit pericula Monachis ex hisce laicorum conviviis imminentia.

XI. Eodem indubiè collimat, quod in plerisque, præsertim Fratrum Mendicantium, Constitutionibus, seriò inculcatur, ut extra Monasteria in civitatibus *non bibant, nec manducent.*

Et quidem inter novissima Decreta anno 1678. instante Patre Christiano Lupo tunc Ordinis Eremitarum S. Augustini in Belgio Provinciali, per Cardinalem Protectorem, probante S. Congregatione Cardinalium, edita decimum quartum est: „ Omnibus cujuscumque conditionis, aut præeminentiæ Patribus, ac Fratribus in salutaris obedientiæ merito præceptum „ sit, ne quis extra Conventum in civitate, vel oppido, aut „ suburbiis intra ejusdem civitatis aut oppidi muros comprehensis audeat *comedere, vel bibere*, sine expressa, & in „ scriptis habita licentia Patris Provincialis."

XII. Novissimè decrevit Synodus Tridentina *Sess.* 25. *c.* 4. *de Reg.* „ Nec liceat Regularibus à suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi nisi ab eis„ dem missi, aut vocati fuerit. Qui verò sine prædicto man„ dato *in scriptis* obtento repertus fuerit, ab Ordinariis loco„ rum tanquam desertor sui instituti puniatur (d)."

Hoc Superiorum mandatum vulgò dicitur hodie *obedientia.* Unde in Constitutionibus PP. Eremitarum S. Augustini *par.* 2. *cap.* 17. ubi de licentia exeundi data à Priore agitur, ad marginem notatur: *Quando* OBEDIENTIA *in scriptis debet dari.*

XIII. Et ibidem præcipitur: „ Si autem Frater aliquis ex„ tra Provinciam propriam sine litteris *testimonialibus* sui Pro„ vincialis exiverit, veniens ad Conventum aliquem nostri Or„ dinis ab ostiario intromittatur, & postquam prædictas litte„ ras non ostenderit, Prior eum in carcerem includi faciat, „ nec inde extrahatur, donec Provincialis providerit quid de „ eo sit agendum. Idem sit omninò judicium de Fratribus ejus„ dem Provinciæ sine litteris testimonialibus venientibus."

In aliorum Ordinum Constitutionibus graves quoque pœnæ intentantur iis, qui sine hujusmodi litteris à suis Conventibus recedunt.

XIV. Ex hactenus dictis facilè colligi potest, quòd licèt nec votum stabilitatis, nec professio monastica astringat profitentem ad perpetuam clausuram, nihilominus Patres Monachorum judicaverint, evagationem Monachorum, ac frequentem cum secularibus conversationem monasticæ professioni esse contrariam, & religiosæ perfectioni conservandæ periculosam; unde non nisi ex causa, & multis adhibitis cautionibus egressum è Monasterio concedendum esse præceperunt.

Evitentur quoad fieri poterit (inquiunt Constitutiones Ere„ mitarum S. Augustini *part.* 2. *cap.* 17.) Fratrum discursus „ per civitates & oppida; nec enim Religionis opinio, ac de„ votio apud seculares ex eo augetur, imò indies magis ac ma„ gis minuitur."

Et in compendio Constitutionum PP. Prædicatorum *part.* 2. *cap.* 71. refert Petrus Martyr: „ Licentiæ autem hujusmodi „ difficulter à Prælato concedi debent. Unde Romæ 1601. or„ dinatur, & præcipitur Conventuum Præsidentibus sub pœ„ na absolutionis ab officio, ne facilè facultatem præbeant, „ etiam de consilio Patrum, Fratribus vagandi extra conven„ tum, vel eundi ad alios conventus, seu oppida, etiam præ„ textu alicujus necessitatis, nisi vera sit & urgentissima, cùm „ constet hujusmodi discursus magna parere incommoda, & „ scandala. Idem confirmatur Romæ 1608. (e)"

(d) *Adde quod cautum est in* leg. 13. tit. 4. lib. 1. Recop. Indiar. *scilicet non licere cuicunque Regulari ad unum Monasterium destinato, suo nutu ad alium transire. Et si vagari incipiat, præcipitur in* leg. 4. tit. 7. & *in* leg. 13. 14. 16. & 28. tit. 14. lib. 1. Recop. Ind. *ut ab eisdem Dominiis ejiciatur.*

(e) *Ferdinandus VI. Hisp. Rex suo decreto dato die* 28. *Novembris anni* 1750. *declaravit & præcipit, quòd licentiæ concessæ Regularibus standi extra sua Monasteria inutiles seu nullius vigoris fore, etiam si à Summo Rom. Pontifice ejusve in Hispaniis Nuntio indultæ fuerint. Quod iterum renovavit Rex noster Carolus III. suis Schedulis datis die* 11. *Septembris anni* 1764. & 4. *Augusti* 1767, *his temporibus tantùm exceptis, in quibus in adjutorium Parochorum credantur necessarii, obtentâ priùs in scriptis licentia suorum Superiorum.*

CAPUT V.

An professio religiosa permittat transitum de una Religione ad aliam.

1 *Primitùs liber erat & frequens Monachorum de uno ad aliud Monasterium transitus.*
2 *Quid circa peregrinos Monachos statuerit S. Benedictus.*
3 *Rarior cœpit esse Monachorum transitus; & quare.*
4 *Rationes, quæ rariorem transitum suadent.*
5 *Legitima causa transitûs Monachorum.*
6 *Aliquando Monachus tenetur ad aliud Monasterium aut Ordinem transire.*
7 *Suspectus aliquando visus fuit crebrior Monachorum transitus; & quis transitus hîc intelligatur.*
8 *Ex decreto Tridentino nullus potest transire ad laxiorem Religionem, etiam prætextu privilegii.*
9 *Nulla Regularis Superioris licentia ad hoc sufficit; & à quo licentia transeundi peti debeat.*
10 *Qualiter transitus Regularium Mendicantium prohibitus.*
11 *Qua de causa concedatur transitus ad laxiorem Religionem.*
12 *Ad strictiorem Religionem qualiter permissus transitus.*
13 *Unde judicandum de* rigore *aut* laxitate *Religionis.*
14 *Non facilè ob relaxationem disciplinæ in aliquo Monasterio transeundum ad diversum planè Ordinem.*
15 *Quid si dubitetur, num Religio sit arctior.*
16 *Monachus meditans transitum tenetur consulere suum Superiorem.*
17 *Quid si Superior consensum transeundi neget.*
18 *In Italia transitus etiam ad strictiorem non fit, nisi de licentia S. Congregationis.*
19 *Transiens ad aliam Religionem, an novum Novitiatum absolvere debeat.*
20 *Monachus transitum postulans exactè probandus, antequam ad professionem admittatur.*

I. PRimitùs dum una quasi erat omnium Monachorum Congregatio, unumque institutum, facilior, ac frequentior quàm hodie erat Monachorum de uno Monasterio ad aliud transitus.

II. Hinc in Regula S. Benedicti extat caput integrum 61. de *Monachis peregrinis qualiter suscipiantur*; vultque Benedictus, ut „ Si quis Monachus peregrinus de longinquis Provin„ ciis supervenerit, si pro hospite voluerit habitare in Mo„ nasterio, & contentus est consuetudine loci, quam invene„ rit; & non fortè superfluitate sua perturbat Monasterium, sed „ simpliciter contentus sit, quod invenerit, suscipiatur quan„ to tempore cupit.

„ Si verò postea, pergit Regula, voluerit *stabilitatem* suam „ firmare, *non renuatur* ei talis voluntas: & maximè, quia „ tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci. Quòd si su„ perfluus aut vitiosus inventus fuerit tempore hospitalitatis, „ non solùm non debet sociari corpori Monasterii, verùm „ etiam dicatur ei honestè, ut discedat, ne ejus miseriâ etiam „ alii vitientur. Quòd si non fuerit talis, qui mereatur proji„ ci, non solùm, si petierit, suscipiatur Congregationi so„ ciandus, verùm etiam suadeatur, ut stet, ut ejus exemplo „ alii erudiantur; quia in omni loco uni Domino servitur, & „ uni Regi militatur."

III. Et quamvis Benedictus loqui videatur de Monachis, qui nullam loci stabilitatem, aut determinatam Regulam fuerunt professi; nihilominus, etiam postquam Monachi loci stabilitatem, certamque Regulam vovere cœperunt, ipsis licitum fuit, non tantùm Monasterium, sed & Ordinem mutare; id tamen rariùs contigit, nec nisi ferè urgentibus ex causis. Illa enim Monasterii, Ordinisque semel suscepti mutandi prurigo tanquam levis animi nota suspecta habita est à Patribus, multisque titulis improbata.

IV. Et quidem S. Bernardus *lib. de præcepto & dispens. c.* 16. multis de causis hanc mutationem improbat. „ Primò, „ propter scandalum ipsorum, quos deserit. Deinde, quia cer„ ta pro dubiis relinquere tutum non est, forsan enim hæc „ tenere potest. Tertiò, suspectam habeo, ait, levitatem, quâ „ id, quòd facilè volumus, antequam probemus, experti jam „ nolimus, uno propè momento id ipsum & cupientes & res„ puentes tam leviter, quàm & irrationabiliter."

Ber-

V. Bernardo consonans S. Anselmus pluribus idem argumentum prosequitur, ac tandem concludit : „ Quapropter, „ quicunque Cœnobitarum fortè propositum aggreditur, expedit ei, ut in quocunque Monasterio professus fuerit, nisi tale fuerit, ut ibi *malum invitus facere cogatur*, tota mentis „ intentione, amoris radicibus ibi radicare studeat, atque aliorum mores, aut loci consuetudines, si contra divina præcepta non sunt, etiamsi inutiles videantur, dijudicare refugiat.“ *Lib.* 1. *Epist.* 29.

Legitimam proinde causam mutationis aliam agnoscere non videtur Anselmus, nisi *peccandi necessitatem*, quam quis sibi imminere videt, si in Monasterio manere cogatur. Quam rationem S. Bernardus his verbis expressit : „ Nam si hæc (conversio morum & obedientia) ibidem pro improbitate nimirum, „ atque irreligiositate cohabitantium obtineri fortè nequierint, „ duce spiritu libertatis indubitanter suadeo transire ad alium locum, ubi non impediatur homo reddere Deo vota sua, quæ „ distinxerunt labia sua.“ Et rursus *Epist.* 7. *ad Adamum Monachum*, reddens rationem, ob quam in suo Monasterio recipere Monachos propria Monasteria deserentes, ait : „ Hac ratione illos suscipimus, quoniam non putamus esse malum, si „ vota labiorum suorum, quæ in locis suis potuerunt quidem „ promittere, sed nequaquam persolvere Deo, qui ubique est, „ ubicunque reddant.“

VI. Si itaque Religiosus, seu Monachus videat Communitatem suam adeò deformatam, ut nulla videat nec in Fratribus, nec Superioribus observantiæ regularis exempla, sed è contrario continuas transgressiones, atque ad prævaricandum Regulam, quam vovit, incitamenta ; ita ut spectatâ sua fragilitate videat sibi moraliter impossibile esse, in tali Communitate posse vota labiorum suorum Deo dignè persolvere, vitamque verè religiosam agere, indubiè duce spiritu libertatis poterit, imò debet se à tali Communitate, si fieri potest, separare, tutioremque locum quærere.

VII. Ex dictis satis apparet, quòd suspecta, ac multis incommodis obnoxia jam pridem visa fuerit Monachorum, qui *loci stabilitatem* promiserunt, & certam Regulam vivendi voverunt, mutatio, sive translatio ad aliud Monasterium, sive Religionem, eo nimirum sensu, ut desinant esse Monachi Monasterii, vel Congregationis, cui semel per professionem solemnem erat incorporati ; atque unà à Regula, cui se astrinxerunt, absolvantur, & alteri Monasterio incorporentur, alterique Regulæ & Religioni alligentur.

VIII. Juxta disciplinam modernam per Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 9. de Regular. „ *Nemo Regularis cujuscunque facultatis vigore transferri potest ad* LAXIOREM *Religionem.*“

IX. Quin nec Superioris cujuscunque Regularis licentia, sed sola Pontificis ex juxta causa dispensatio sufficit, quod & in praxi servari notat Fagnanus ad *cap.* CUM DILECTI ✠ *de Renunt.* „ Et hujusmodi licentiæ, ait, transeundi ad *laxiorem* „ Religionem, etiam legitimis subsistentibus causis, consueverunt concedi a Papa in signatura gratiæ, & à Sacra Pœnitentiaria, a qua conceduntur plerumque ad supplicationem „ Generalis, vel Procuratoris Ordinis, & de utriusque Religionis consensu S. Pœnitentiariæ exhibito, ut sæpissimè vidi „ observatum, ait Fagnanus ; atque ita ipsimet Superiores Regulares agnoscunt, se non habere potestatem super hoc dispensandi, cum pro ea obtinenda recurrant ad Sedem Apostolicam.“ Hæc ille *num.* 18.

X. Ulteriùs cùm experientiâ constaret, nonnullos è Religiosis Mendicantibus ad alios Ordines, præsertim Monasticos convolare, fucatis quidem coloribus, asserentes id fieri ob frugem melioris vitæ aut arctioris observantiæ, sed reverà, ut liberiùs degerent, Dignitatesque & Beneficia monastica consequi valerent, & ex certis aliis causis honestati non consonis (uti loquitur Pontifex in *Extravag.* 1. *de Regularib. in Commun.*) generaliter prohibitus fuit Fratribus Mendicantibus transitus ad alium quemcumque Ordinem non Mendicantium, excepto solo Ordine Carthusianorum, sine licentia Papæ ; idque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & soli Papæ reservatæ. *Dicta Extrav.*

XI. Dispensat autem sacra Pœnitentiaria super transitu ab Ordine strictiori ad laxiorem ob ægritudinem, aut infirmitatem; quam esse solam justam causam dispensandi credit Fagnanus, additque : Quinimò bonæ memoriæ Antonius Cardinalis Carafa olim Signaturæ Sanctissimi Præfectus in sua *Glossa manuscripta ad cap.* 19. *Sess.* 25. *de Regularib.* testatur, se nunquam vidisse in Signatura gratiæ concedi transitum ab arctiore ad laxiorem Religionem, nisi ob infirmitatem, vel debilitatem provenientem ex observantia ipsius Regulæ arctioris, cùm non possit ipsius Statuta servare.

Verùm, ut etiam hæc causa sit justa, videtur expendendum esse, num incommoda, quæ sequerentur in Religione, à qua transitus petitur, ex relaxatione aliquali Statutorum, aut Regulæ in gratiam illius, qui illa in omni rigore ob corporis infirmitatem servari non potest, tanta sint, ut præponderent incommodis, quæ sequi solent ex translatione Regularis ad aliam Religionem, præsertim laxiorem.

XII. Si quis autem inspirante Spiritu Sancto desideret, non fictè, sed sincerè ad frugem melioris vitæ transmigrare, eumque in finem Religionem arctiorem amplecti, nequaquam prohibendus, etiam sub prætextu, quòd quibusdam Monachis, & Canonicis, nec non Hospitalariis, aut Templariis à Sede Apostolica sit indultum, ne postquam aliquis fuerit professus apud eos, ad alium locum ipsis invitis, arctioris etiam Religionis obtentu transire valeat : quia *ubi Spiritus Dei est*, ait Pontifex in cap. 18. ✠ de Regularib. *ibi libertas* : & *qui Dei Spiritu aguntur, non sunt sub lege, quia lex non est posita justo.*

XIII. Porrò ut hoc ex capite fiat transitus, ad sensum hujus Decretalis nequaquam est attendendum, uti observat Fagnanus, an Monasterium, ubi primo quis fecit professionem, à principio suæ fundationis fuerit strictioris Regulæ, quàm Monasterium ad quod fit transitus, sed an secundum Monasterium modo sit arctioris observantiæ. Itaque sive laxior vita oriatur ex transgressione Regulæ, sive ex inobservantia Constitutionum, à Religione, in qua remissiùs vivitur, potest quis licitè transire ad minorem meliùs observatam.

Idem observat Cardinalis de Luca *Discursu* 38. *de Regularibus*, aitque rectè adverti à Canonistis, „ quod *strictius* est „ Monasterium Religionis laxioris, in quo servatur Regula, quàm „ illud strictioris Religionis, in quo Regula non servatur. Ne„ que refert, ait, quòd Regula sit stricta, si vita est larga, „ neque perfectio consistit in Instituto, sed in observantia.“

XIV. Quia tamen Monacho certam Regulam professo manendum est in ejusdem Regulæ, & Religionis observantia, nî notabilis causa avocet, non immeritò post Joannem Andræam monet Fagnanus, transitum ad aliam Religionem, sive Ordinem, ob disciplinæ collapsionem, fieri non posse, nisi totus Ordo sit collapsus, nec subsit spes reformationis. Unde si Monasterium v. g. S. Benedicti sine spe reformationis sit collapsum, nihilominus si plura Monasteria ejusdem Ordinis, saltem in patria, vel provincia reperiantur non collapsa, tunc minimè licebit ad aliam Religionem transmigrare. Hæc ille ad *cap.* SANE ✠ *de Regularibus*, qui & ad *cap.* LICET ✠ *eod. n.* 21. juxta prædicta, ait, quempiam posse transire de arctiore Religione, in qua remissiùs vivitur, ad minorem Religionem meliùs observatam ; uti docet S. Thomas 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. ubi refert in collationibus Patrum, Abbatem Joannem dicere de se ipso, quod à vita solitaria, in qua professus fuerat, transiit ad minorem, scilicet eorum qui vivunt in societate, propter hoc, quod vita Eremitica cœperat declinare, & laxiùs observare.

XV. Si verò dubitetur, num secunda Religio sit arctior, necessarium videtur judicium Superioris, uti post alios Canonistas notat ibidem Fagnanus.

XVI. Adhæc ne zelo sanctioris vitæ Monachus decipiatur, atque Angelus Sathanæ se transformet in Angelum Lucis, tenetur Monachus transire volens petere licentiam Superioris, eique causam transitus exponere, qui eam sedulò expendat, perspiciatque utrum reverà ex zelo sanctioris vitæ hunc transitum meditetur, nihilque sit quod hîc & nunc eum transitum impediat.

XVII. Si Superior licentiam transeundi neget ; poterit quidem juxta juris communis dispositionem, movente Spiritu Sancto, transire ; sed meritò hic prudentum, atque expertorum judicium expetet, ne aliàs seipsum Monachus fallat, vel etiam zelo præcipiti magna in Religione scandala, & contentiones excitet.

XVIII. Quare notat Cardinalis de Luca, „ neque à laxiore ad strictiorem transeundi licentiam concedi sine licentia sacræ Congregationis Regularium, quæ audito Superiore primæ Religionis, id concedere solet, certas præscribendo Regiones, in quibus benevoli receptores inveniantur, pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis.“ *Disc.* 41. *ad Concil. Trid.* Quod an extra Italiam obtineat, dubito. Quod hîc dicitur, sacram Congregationem hanc licentiam non annuere, nisi *audito Superiore primæ Religionis*, conforme est regulæ Benedictinæ, quæ ait : „ Caveat autem Abbas, ne aliquando de alio noto Monasterio monachum ad habitandum susci„ cipiat, sine consensu Abbatis ejus aut litteris commendatitiis; „ quia scriptum est : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*“ *cap.* 61.

XIX. Cùm verò per veram translationem Monachus à Monasterio, sive Religione, in qua professionem emisit, absolvatur, & alteri Monasterio, vel Religioni per professionem incorporetur, vitamque suam juxta normam vivendi in hac Religione, aut Monasterio observatam instituere debeat ; ipsaque Religio cum pro sua facta professione debeat agnoscere, etiam novum Novitiatum, seu annum probationis præmittendum esse, benè probat Fagnanus ad *cap.* AD APOSTOLICAM ✠ *de Regularib.* & post ipsum Cardinalis de Luca *Disc.* 38. *de Regularibus*, qui tamen ibidem monet, „ quòd S. Congregatio passim dispensare soleat, aliquo brevi termino contenta, quo„ ties

„ ties præsertim non agitur de transitu ad strictiorem magisque „ asperam vitam : quoniam rigor integri , & continui anni , qui „ regulariter dispensari non solet , procedit , ubi agitur de im- „ primendo statum regularem in genere , cum formali , ac om- „ nimoda mutatione statûs irretractabilis , de seculari in regula- „ rem , ac de libero in servum , seu de vivo in mortuum. Se- „ cùs autem ubi , isto statu jam impresso, agitur tantùm de „ accidentali mutatione vitæ potiùs sub una quàm sub altera „ Regula."

XX. Monet nihilominus seculi nostri monasticæ disciplinæ zelosus instaurator Abbas Trappensis , majorem exactioremque probationem meritò exigi in receptione Monachi transeuntis , quam in receptionis alicujus de seculo : „ Et sa- „ nè , qui per experientiam noverunt , inquit , difficilius es- „ se reformare , seu potius totaliter immutare aliquem ve- „ nientem ex aliquo Monasterio , quàm si è medio seculo ve- „ niret non dubitabunt , quin novus Novitiatus sit necessarius „ non tantùm , uti loquitur quidam Pontifex , ob bonum Pos- „ tulantis qui se obligat , sed etiam in securitatem Congrega- „ tionis quæ eum recipit. Qui de seculo immediatè egredi- „ tur , est quasi tabula rasa cui quidquid libuerit , insculpi- „ tur & imprimitur ; essetque res insolita , ut is adeo esset „ præsumptuosus , ut non reciperet cum submissione , & do- „ cilitate instructiones & præcepta in re , cujus ipse hactenus „ nullam notitiam habet. At non idem dici potest de Mona- „ chis : hi veniunt ab observantiis suis Monasticis pleni prin- „ cipiis , præventionibus & imaginationibus falsis , habitibus ibi- „ dem contractis ferè in perpetuum addicti , ad ea contradi- „ cenda , atque carpenda , quæ nec suis judiciis , ne ideis „ de Religionis statu præconceptis conformia sunt promptis- „ simi. Tandem tam multa in eis priùs sunt evertenda , quàm „ fiant capaces eorum , quibus & mente & corde imbuendi „ sunt , ut tempus Novitiatus , & probationis non tam contra- „ hendum sit quàm protrahendum. Equidem ex hujusmodi „ translationibus tàm rarus est profectus , ut antiqua Institu- „ ta , quæ Ordini , Regularitati , ac paci studuerunt , iis adi- „ tum præcluserint , aut saltem eas , nisi quàm maximè præ- „ consultè non admittant.

„ Antiquis majorem admittendi facilitatem conferre potuit „ integra , & non impedita libertas , pacem Congregationis tur- „ bantes dimittendi ; sed jam cùm non adsit ampliùs æqualis „ potestas , & etiam ab invitis Religiosi morum non integro- „ rum , quantumcunque sese efferat eorum depravatio , reti- „ neri debeant , nulla cura , nullum studium quo deceptio in „ ejusmodi institutis evitetur , non est subeundum. Et dici po- „ test , S. Benedictum , si nostris viveret diebus , perspexis- „ setque quàm rarò in fines expectatos mutationes hujusmodi „ deveniant , non tantùm tempus probationi Religiosorum ex- „ traneorum destinatum ad unam diem diminuturum non fuis- „ se , sed potius eorum novitiatum in annos duos protracturum." Hæc ille *ad cap.* 61. *Reg. Benedict.*

CAPUT VI.

Quid observandum a Regulari prætendenti professionem suam fuisse invalidam.

1 *Olim liberum fuit omni tempore allegare & probare nullitatem professionis.*
2 *Decretum Synodi Tridentinæ circa licentiam allegandi dictam nullitatem.*
3 *Nullitas professionis hodie proponi debet intra quinquennium à die professionis.*
4 *Id etiam procedit tametsi nullitas prætendatur ex impedimento* perpetuo.
5 *Per lapsum quinquennii non inducitur tacita professio.*
6 *Reclamatio post quinquennium admittitur , si impedimentum sit* notorii *facti permanentis.*
7 *Contra lapsum quinquenii non admittitur excusatio ignorantiæ.*
8 *Metus , aut vis tametsi perpetua non admittitur contra lapsum quinquennii.*
9 *De Stylo Curiæ Romanæ datur restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii ; & quâ formâ expediatur.*
10 *In Gallia restitutio illa non admittitur.*
11 *Causa nullitatis debet tractari coram Ordinario , & Superiore Regulari.*
12 *Quis hîc dicatur Superior Regularis , & quis Ordinarius.*
13 *Synodus Tridentina Superiori Regulari adjungens Ordinarium , non recedit à jure communi.*
14 *Conventus prætendens nullitatem alicujus professionis , eam coram Ordinarios idque intra quinquennium allegare debet.*
15 *In Gallia deduci debet coram delegatis per Rescriptum Apostolicum judicibus* in partibus.
16 *Qui sponte habitum Religiosum dimisit causam nullitatis allegans , non auditur , antequam habitum resumpserit.*
17 *Neque hîc attenditur , num justa causa fuerit habitum dimittendi.*
18 *Edictum Caroli V. contra Religiosos abjicentes habitum Religiosum.*

I. OLim , uti notant Canonistæ ad *cap.* 1. ✠ *de his quæ vi metusve causa fiunt* , si Professus , qui è Monasterio exiverat , justam causam timoris , seu nullitatis suæ professionis prætendebat , & allegabat , ad suum Monasterium redire non compellebatur , nisi causâ prius deducta atque decisâ.

II. At cùm similis à Monasterio recessus , atque indefinita , ac illimitata contra professionem semel emissam reclamandi licentia , varia secum traheret incommoda , Synodus Tridentina hisce obviare volens , statuit *Sess.* 25. *cap.* 19. *de Regularibus* : „ Quicunque Regularis prætendat se per vim, „ & metum ingressum esse Religionem : aut etiam dicat , an- „ te ætatem debitam professum fuisse , aut quid simile ; ve- „ litque habitum dimittere quacunque de causa , aut etiam „ cum habitu discedere sine licentia Superiorum ; non audia- „ tur , *nisi intra qninquennium tantùm à die professionis* ; & „ tunc non aliter , nisi causas , quas prætenderit , deduxerit „ coram Speriore suo , & Ordinario. Quod si anteà habitum „ sponte dimiserit , nullatenus ad allegandum quamcunque cau- „ sam admittatur ; sed ad Monasterium redire cogatur , & „ tanquam apostata puniatur ; interim verò nullo privilegio suæ „ Religionis juvetur."

III. Tria hîc statuit Synodus. Primò ut Regularis prætendens professionem suam esse nullam ob vim , metumve illatum , aut defectum ætatis , aut quid simile , debeat causas nullitatis allegare , & deducere intra quinquennium à die professionis , alias non audiendus.

IV. Cùm verò Synodus nullam causam nullitatis excipiat, sed duabus expressis generaliter dicat, aut quid simile ; id est , similiter inducens nullitatem professionis , non videtur distinctio facta à Synodo , inter impedimenta temporalia , & perpetua , uti benè probat Fagnanus ad *cap.* 1. ✠ *de his quæ vi metusve causâ fiunt* ; asseritque sententiam asserentem , invaliditatem professionis ex impedimento perpetuo , etiam lapso quinquennio , posse proponi , semper à S. Congregatione Regularium fuisse reprobatam ; ac discusso articulo respondisse , quòd etsi impedimentum sit perpetuum , illud tamen deducendum fuisse infra legitima tempora.

Insuper refert , Gregorium XIII. ex sententia S. Congregationis declarâsse , Regularem elapso quinquennio non esse audiendum , tametsi professus alleget , vim & metum semper durâsse.

V. Hinc ulteriùs refert Fagnanus , Synodi mentem haud fuisse , ut per lapsum quinquennii inducatur tacita professio, sed tantùm , ut post tanti temporis silentium *audientia* negetur. Neque enim absurdum est , ut qui tamdiu tacuit , deinceps non audiatur.

VI. Si tamen impedimentum sit notorium facti permanentis , adeò ut nulla super ejus existentia , aut non existentia quæstio moveri queat , sed ad oculum pateat , tunc post quinquennium proponi poterit ; non quia *perpetuum* est , sed ob notorietatem *facti permanentis* : Ut v. g. si vir in habitu muliebri professionem emiserit in Monasterio Monialium ; quo item casu , quemadmodum monet ibidem Fagnanus , non obstat quinquennium Concilii , propter periculum scandali ; & peccati.

VII. Quinquennium autem ex verbis Synodi currit à die professionis ; ideoque lapso quinquennio à die professionis viâ ordinariâ , & juxta decretum Synodi , Regularis causas nullitatis deducere volens , non est audiendus ; tametsi ignorantiam nullitatis , aut impedimenti prætendat , aut fuisset aliunde impeditus , quominus ipsam causam nullitatis deducere potuerit. Quod & ipsa Synodus non obscurè innuit, cum dicit: *audiendum non esse , nisi intra quinquennium* TANTUM *à die professionis.*

VIII. Huic conforme est , quod dicitur Gregorium XIII. ex sententia Congregationis Concilii declarâsse , nempè eos, qui per vim & metum se Religionem professos prætenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint , eo lapso non esse audiendos , tametsi allegarent vim & metum semper durâsse.

IX. Hunc tamen quinquennii lapsum non impedire , quin ex juxta causa detur restitutio in integrum , plures Canonistæ contendunt ; eamque opinionem confirmat praxis Curiæ Romanæ , uti notat Cardinalis de Luca *Discurs.* 41. *de Regularibus* ; monens ibidem , „ non pertinere ad Judices de hu- „ jus restitutionis in integrum concessione cognoscere vel ju- „ dicare , cùm id *privativè* pertineat ad Papam ; qui eandem „ restitutionem concedere non solet , ait , nisi prævia consul- „ tatione sacræ Congregationis Concilii , cui frequentiùs com- „ missiones super hujusmodi restitutionis petitione dirigi solent, „ licèt quandoque , sed nimirum rarò , etiam huic Congregationi „ Regularium directæ fuerint ; ac propterea in una vel altera „ Congregatione assumitur formalis disputatio , an constet nec-

„ ne

„ ne de sufficienti causâ dictæ restitutionis; istâque consulta-
„ tione accedente, signatur commissio directa præfatis judici-
„ bus à Concilio demandatis."

„ X. Et hæc quidem juxta praxim Romanam; at in Gallia, ubi decretum Concilii Tridentini quoad hanc quinquennii præfixionem etiam Regio Decreto firmatum est, restitutio in integrum contra hunc quinquenii lapsum recipi non solet; neque executio rescripti Pontificii cum clausula hujusmodi restitutionis admitti, nisi in casu admodum extraordinario, uti docet Brodeau in notis ad Luët. *lit. C. num.* 8. ibidem referens plura Parlamentorum judicata, quibus hujusmodi restitutiones abusivæ declaratæ fuêre: & latiùs prosequitur Carolus Fevret. *Tract. de abusu L. 5. c. 3.* Et admodum notandum exemplum refertur in libro, cui titulus: *Journal du Palais*, tom. 7. p. 65.

Monet insuper Fevretius ibidem, *num.* 26. non sufficere, intra quinquennium fuisse reclamatum, sed constare debere de reclamatione per instrumentum authenticum in scriptis; quemadmodum professio ipsa religiosa per scriptum, non autem per testes probari debet; uti supra monuimus.

XI. Secundò juxta Decretum Concilii Trident. debet Regularis causas nullitatis, quas prætendit, deducere coram Superiore suo & Ordinario.

XII. Superior de quo in Decreto, intelligitur Superior localis, id est, illius Monasterii, in quo professionem emiserit, seu ubi à Superioribus collocatus fuerit: cùm sub nomine Superioris Regularis inquit de Luca *Disc.* 41. *ad Concil. Trid.* veniat ille, qui est Prælatus illius Monasterii, vel Conventûs, non autem totius Ordinis.

Huic convenit arrestum Parlamenti Parisiensis, quo declaratum fuit, Provincialem Minimorum abusivè processisse propria sua auctoritate ad declarationem nullitatis professionis alicujus sui Religiosi. Fevret, *dicto loco.*

Similiter Ordinarius habetur ad mentem Synodi, qui est Ordinarius loci, in quo situm est Monasterium Regularis nullitatem deducentis.

XIII. Porrò Synodus ad majorem cautelam Superiori Regulari adjungens Ordinarium, non planè corrigit jus commune, uti benè observat Fagnanus ad *cap.* NULLUS *de Regularibus*; „ quoniam de jure veteri, ait, Monasteria subjec-
„ ta erant Episcopo Diœcesano, *can. Monasteria*, 18. *quæst.* 2,
„ & ad eum spectabat cura, & solicitudo Monachorum: un-
„ de poterat nulliter professos ejicere, sicut poterat il-
„ los ad Religionem admittere." Hæc Fagnanus; ex his ulteriùs concludens, Concilium Tridentinum, dum jubet adhiberi Episcopum in judicio nullitatis professionis, esse favorabile, & latè interpretandum; cùm per illud reditus fiat ad jus commune.

XIV. Quamvis ergo Synodus Tridentina verbis expressis duntaxat loquatur de Regulari subdito volente nullitatem professionis deducere, nihilominus prætendit Fagnanus, juxta naturam correlativorum, quòd si Religio ipsa, seu Conventus contendat nullitatem professionis, eadem quoque deducenda sit coram Ordinario: quin & ex eadem ratione correlativorum, ac insuper ex eo quòd sit professio quidam contractus ultro citroque obligatorius inter professum & Monasterium, in quo consequenter utrinque æqualitas servanda est, conjicit, Monasterium seu Religionem teneri intra quinquennium causas nullitatis deducere; eoque elapso non amplius audiendum; quod & S. Congregationem censuisse testatur.

XV. Refert autem Fevret loco citato, *num.* 28. In terris Ecclesiæ & quibusdam Provinciis, quas *Obedientiæ* vocant, causam hanc ad præscriptum Synodi Trid. peragi; at in Gallia usu receptum esse, ut professionis nullitatem prætendens, recurrere teneatur ad Pontificem, à quo obtineat rescriptum, quo causa delegetur judicibus *in partibus*; si aliter fiat processum tanquam abusivum rescindi.

XVI. Tertiò, mandat Synodus, ut, si Regularis antequam causam nullitatis coram Superiore suo & Ordinario deduxerit, habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur; interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur.

XVII. Porrò ut ad Monasterium redire, habitumque assumere cogatur, donec causa integrè deducta, & finita sit, non attenditur, num justa causa dimittendi habitum fuerit, vel non, ut monet de Luca citato *disc.* 41. *de Regularib.* Mandat enim Synodus simpliciter, ut Regularis, qui sponte habitum dimisit, priusquam causa legitimè deducta fuit, restituatur, ac si nunquam habitum dimisisset; ne aliàs, ait, „ ita
„ Religioso sub hoc prætextu concedatur licentia vivendi ex-
„ tra claustra durante lite; quæ ita in longum protrahi pos-
„ set, quamvis agnosceretur, quòd litis eventus futurus esset
„ malus, dum ita obtineretur intentum vivendi interim in seculo."

XVIII. His consonat, quod Carolus V. Edicto anno 1635. Bruxelis edito, declarat: „ Ne quis Apostatas Religiosos, aut
„ sine licentia exeuntes recipiat, aut hospitetur, vel assistat;
„ sed denuntiet Officiario loci, qui apprehensos restituat Mo-
„ nasteriorum præfectis, unde fugeretur: & si super dispen-
„ satione, aut professione litigandum sit, Judex in habitu eos
„ manere, & in aliquo loco Religioso interim degere jube-
„ bit." Zypæus in Jure novo, *Tit. de Apostatis*, *num.* 9.

CAPUT VII.

An Monachi contumaces, et rebelles possint post professionem e Monasterio ejici; et a Religione abscindi.

1 *Olim licitum fuit, Monachum rebellem, & incorrigibilem è Monasterio ejicere.*
2 *Tentanda omnia pro ejus emendatione priusquam ejiciatur.*
3 *Monachus ejiciendus induebatur veste seculari, & abscindebatur absolutè à Religione, & à Superiorum Regularium cura, & regimine solvebatur, & Episcopo subdebatur.*
4 *Hæc disciplina etiam seculo IX. quin & XIII. obtinuit.*
5 *Hæc tamen disciplina paulatim mutari cœpit; & quare.*
6 *Jus Decretalium non admitti ejectionem absolutam è Monasterio vel Ordine.*
7 *Jus Decretalium repugnat antiquis Monachorum Regulis.*
8 *Aliquando acriter disputatum, num jus Decretalium hac in parte esset in usu; & an conveniret in usum deduci.*
9 *Decretum Urbani VIII. circa ejectionem incorrigibilium, aliquousque veterem disciplinam renovans.*
10 *Num moribus nostris hoc Decretum sit receptum.*
11 *Circa Monachos Apostatas hodierna disciplina à pristinis Monachorum Regulis recedit.*
12 *Magna cura adhibenda à Superioribus, ut rebelles ad meliorem frugen reducant.*
13 *Veteres Monachorum Patres soliciti fuerunt, ne ovis morbida alias inficeret.*
14 *Meritò exactius examen hodie circa recipiendos ad professionem, quàm olim præmittitur.*

I. MOnachos incorrigibiles olim potuisse ejici è Monasterio, ex Monachorum Regulis manifestum est.

Et quidem S. Benedictus, *cap.* 28. *Regulæ*, præscribens modum, quem Superior in correctione Monachi inobedientis servare debet, si omnibus adhibitis nihil profecerit, vult, ut à Congregatione abscidatur. „ Si quis Frater frequenter
„ correptus pro qualibet culpa, inquit, si etiam excommu-
„ nicatus non emendaverit, acrior ei accedat correptio, id
„ est, ut verberum vindicta in eum procedat. Quòd si nec
„ ita correxerit, aut fortè, quod absit, in superbiam elatus,
„ etiam defendere voluerit opera sua, tunc Abbas faciat, quod
„ sapiens Medicus. Si exhibuit fomenta, si unguenta adhor-
„ tationum, si medicamina Scripturarum Divinarum, si ad ul-
„ timum ustionem excommunicationis, vel plagarum virgas,
„ etiam si viderit nihil suam prævalere industriam, adhibeat
„ etiam, quod majus est, suam & omnium Fratrum pro eo
„ orationem, ut Dominus, qui omnia potens est, operetur
„ salutem circa infirmum Fratrem. Quod si nec isto medio sa-
„ natus fuerit, tunc jam utatur Abbas ferro abscissionis, ut
„ ait Apostolus: *Auferte malum ex vobis*: Et iterum: *In-*
„ *fidelis si discedit, discedat*: ne una ovis morbida omnem
„ gregem contaminet."

II. Vult ergo Benedictus, ut quidem nihil à Superiore omittatur, quo Monachus ad obedientiam, & meliorem frugem, ac præcipuè ad humilitatem reducatur; sed si pertinax atque rebellis perseveret, ne modicum fermentum totam massam corrumpat, eum ex Congregatione, & Monasterio ejici præcipit.

S. Isidorus vult Monachum inobedientem priùs ergastulo coarctari, eoque ad obedientiam reduci: „ Quòd si tum in
„ malo perseverans perduraverit, & prona voluntate pœni-
„ tentiam agere noluerit, & sæpè, ac sæpè contumax mur-
„ murator patulè contra seniores vel Fratres in facie persti-
„ terit, & cum propinquis se vindicare maluerit, in conla-
„ tione deductus exuatur Monasterii *vestibus*, & induatur, quas
„ olim adduxerat, *secularibus*, & cum confusionis nota à Mo-
„ nasterio expellatur; ut cæteri emendentur, dum fortassis
„ solus tali correptione ille delinquens corrigitur." *Apud Menardum ad cap.* 37. *Conc. Reg.* §. 4.

III. Hinc elucet, Monachos rebelles, & incorrigibiles è Monasterio non tantùm fuisse ejectos, sed etiam veste Monachali exutos, & seculari indutos à Monastica disciplina, & Abbatum ac Superiorum cura & regimine solutos; atque ita cum reliquis Laicis Episcoporum, ac Pastorum solicitudini concreditos.

IV. Quod & seculo IX. obtinuisset sat apertè declarant Patres Concilii Meldensis anno 845. decernentes *Canone* 59. „Ut Monachus de Monasterio, sine consultu vel præsentia „Episcopi aut Vicarii ejus ad hoc regulariter deductus non „ejiciatur, cujus dispositione, & auctoritate de cætero vita & „conversatio ejecti, ne perditus perpetuò fiat, si aliquo mo„do salvari potest, ordinari debet atque decerni."

Quin & seculo XIII. scripsit S. Thomas, *Quodlib.* 12. *q. fin.* „Quandoquidem Apostolus velit, ut auferatur malum de „Communitatibus nostris, ne modicum fermentum totam mas„sam corrumpat, justum est, ut abscindamus ac ejiciamus Mo„nachum incorrigibilem, & insolentem."

Nequaquam igitur repugnat professioni monasticæ, quo minus Monachi post emissam professionem propter inobedientiam & rebellionem è Monasteriis ejiciantur, ne contagio ipsorum reliqui inficiantur.

V. Verùm cùm experientiâ compertum fuerit, quòd nonnulli Prælati ad ejiciendos suos Monachos essent proniores, atque exinde vagandi occasionem acciperent Monachi cum evidenti salutis suæ detrimento, necnon publico Fidelium scandalo, hinc disciplina circa hanc ejectionem mutari cœpit.

Et quidem Gregorius IX. in *cap. fin.* ✠ *de Regularib.* „Ut „Præsidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilii „Generalis, seu Patres Abbates, seu Priores fugitivos suos, „& ejectos de Ordine suo solicitè requirant annuatim. Qui „si in Monasteriis suis recipi possunt secundum Ordinem Re„gularem, Abbates, seu Priores eorum, monitione prævia „per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem „illorum, salvâ Ordinis disciplinâ. Quòd si hoc Regularis Or„do non patitur, auctoritate nostrâ provideant, ut apud ea„dem Monasteria in locis competentibus, si absque gravi „scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosis domibus ejus„dem Ordinis ad agendum ibi pœnitentiam, talibus vitæ ne„cessaria ministrentur."

VI. Hæc Decretalis, dum mandat ejectos annuatim perquiri, necessariò supponit (ut rectè post alios Canonistas advertit Fagnanus ad dictum *cap. fin. num.* 37. & 38.) „de cæ„tero illos ejici non posse, ita ut extra loca ipsorum vagen„tur, sed tantùm ne stent cum aliis Religiosis, alioquin inu„tilis esset circuitus, ut cogendi essent Superiores Regulares „ad recipiendos ejectos incorregibiles, si statim iterum pos„sent illos Monasterio ejicere.... Præcipit ergo Gregorius, ut „expulsi de cætero ita recipiantur, ut ampliùs ab Ordine ex„pelli non possint, sed in locis competentibus intra idem vel „aliud Monasterium detineantur ad agendam pœnitentiam; quod „clariùs probatur communi intelligentia ad *cap.* CUM IN EC„CLESIIS ✠ *de Majoritate & obedientia*; in verbis: *Alioquin „de Fratrum consortio penitùs excludatur*; non enim dixit, *in„corrigibiles excludi debere à Monasterio*, sed *à consortio*, „ita ut non stent cum aliis, sed recludantur in locis compe„tentibus, ut hîc præcipitur ad agendam pœnitentiam." Hactenus Fagnanus; qui & ibidem plures refert famosos Canonistas, qui notârunt, per hanc Decretalem expulsionem incorrigibilium è Monasterio vel Ordine esse sublatam; eamque sententiam probatam esse à S. Congregatione sub Pio IV. edito decreto, & Procuratoribus Ordinum intimato, quo prohibetur, ne quis Regularium imposterùm ejiciatur è Monasterio, etiamsi sit incorrigibilis, sed peccantes à Superioribus ignominia & carcere castigentur, & acriùs etiam, si opus fuerit, pro modo delictorum puniantur.

VII. Non diffitetur equidem Fagnanus huic Decreto, ac Decretali contrariari non tantùm S. Benedicti, sed & Augustini, aliorumque Patrum Regulas, quæ satis clarè permittunt omnimodam expulsionem incorrigibilium ex Religione.

VIII. Neque pariter dissimulat, acriter disputatum fuisse sub initium hujus seculi tempore Urbani VIII. num hæc Decretalis, necnon prædictum Congregationis Decretum usu recepta essent, conveniretque in usum deduci; prægnantesque rationes à Regularibus fuisse adductas, quibus suadebatur, expulsionem è Monasterio esse permittendam; quas ibidem etiam proponit; sed nec rationes deerant, quæ hujus Decretalis, & Decreti observantiam postulare viderentur.

IX. Omnibus perpensis, S. Congregatio probante Urbano VIII. inter cætera decreta de Regularibus Apostatis, & ejectis, statuit sequentia: „Adhæc, ut imposterum nullus le„gitimè professus ejici possit, nisi *sit verè incorrigibilis*; ve„rè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solùm con„currant ea omnia, quæ ad hoc ex juris dispositione requi„runtur sublatis in hac parte statutis, & Constitutionibus cu„jusque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica ap„probatis & confirmatis; verum etiam *unius anni spatio in „jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus*; proindeque „Religio privatos habeat carceres in qualibet saltem Provin„cia. Elapso autem anno si nihilominus non resipuerit, sed „animo indurato in sua pervicacia perduraverit, ne contа„gione pestiferâ plurimos perdat, tanquam pecus morbidum, „ac membrum putre *tandem ejici possit*, sed ab ipsomet Ge„nerali tantùm, ex consilio, & assensu sex Patrum ex gra„vioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Con„gregationibus Generalibus; tumque non nisi instructo secun„dum eorum stylum, & constitutiones processu, & plenè pro„batis causis expulsionis ad SS. Canonum præscriptum."

X. Juxta hujus Decreti tenorem revocata aliquatenus videtur pristina Monachorum, circa incorrigibilium, & rebellium Monachorum expulsionem disciplina; sed multum dubito, non moribus nostris hæc congruant, hancque etiam cum tanta moderatione expulsionem patiatur.

Et quidem teste Zypæo in jure novo, *Tit. de Apostatis*, mandavit S. Congregatio Nuntio Belgii 29. Februar. 1608. ut Decretalem Gregorii IX. de qua suprà, in his regionibus juberet, efficeretque observari per Superiores Regularium.

Neque in Gallia hujusmodi expulsionem permitti, sat indicat Renatus Choppinus in suo Monastico, *lib.* 1. *tit.* 3. atque in contradictorio judicio declaratum fuisse, fas non esse Superiori Monachum è Monasterio ejicere, aut ad triremes condemnare, refert Bonifac. *lib.* 2. *tit.* 31. *cap.* 4.

XI. Quoad Apostatas jam notavimus, Edicto Caroli V. cautum fuisse, ne quis Apostatas Religiosos, aut sine licentia exeuntes recipiat, aut hospitetur, vel assistat; sed denuntiet Officiario loci, qui apprehensos restituat Monasteriorum Præfectis, unde fugerunt.

Sat apertè significat Edictum, Religiosos Apostatas etiam invitos, ac rebelles Monasteriorum Præfectis esse restituendos, ac in Monasterium retrudendos; quo rursum à pristinâ monasticâ disciplinâ nonnihil receditur.

Pristina enim disciplina nonnisi pœnitentes, & emendationem promittentes, qui à Monasterio propria voluntate se subtraxerant, readmittebat; atque illos, quos in sua Apostasia obstinatos videbat, à Monasterio repellebat.

„Frater (ait Regula Benedictina *c.* 29.) qui proprio vitio „egreditur de Monasterio, si reverti voluerit, spondeat priùs „omnem emendationem vitii, pro quo egressus est; & sic in „ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas compro„betur. Quod si denuò exierit, usque tertiò ita recipiatur; „jam postea sciens *omnem sibi reversionis aditum denegari*."

XII. Interim ex illa Patrum disciplina quisque sat intelligere potest, quam curam, & solicitudinem, ac prudentiam desideraverint ac requisierint Patres in Monasteriorum Præfectis, quo subditos suos ad obedientiam, ac meliorem frugem quacumque viâ reducerent.

XIII. Discere quoque poterunt Monasteriorum Moderatores, ac Monasticæ disciplinæ Zelatores, quàm soliciti fuerint Monachorum Patres, ut morbidas, atque putridas ac penè desperatas oves à suis gregibus separarent, scientes quàm facilè vel ab una infecta ove totus grex inficiatur.

XIV. Denique cùm moderna disciplina non permittat, Monachos rebelles, ipsamque Religionem quantumcunque turbantes expellere, & à Congregatione omninò dimittere, major meritò hodie in recipiendis ad Monasticam professionem cura diligentiusque atque exactius examen, & probatio adhibenda sunt, quàm olim, dum similes è Monasterio ejicere licebat, uti rectè advertit & monet zelosissimus Monasticæ disciplinæ Abbas Trappensis in commentario ad *cap.* 61. Regulæ Benedictinæ; cujus verba suprà *cap.* 5. retulimus.

TITULUS XXVIII.

De Voto Obedientiæ.

CAPUT I.

QUALIS DEBEAT ESSE OBEDIENTIA.

1 *Præcipua virtus Monachorum est* Obedientia.
2 *De ea Magister Novitios præcipuè instruere debet.*
3 *Qua ratione* Obedientia *dicatur primus gradus humilitatis.*
4 *Obedientia debet esse generalis.*
5 *Obedientia requirit plenam à voluntate Superioris dependentiam.*
6 *Debet esse sine mora.*

Re-

7 *Requiritur, ut sit fervens, non tepida.*
8 *Debet exhiberi hilari, ac prompto animo.*
9 *Debet verus* Obediens *renuntiare propriæ voluntati.*
10 *Tenetur etiam renuntiare proprio judicio.*

I. DE Monachis sui temporis loquens S. Hieronymus *Epist.* 22. ad *Eustochium*, ait: „ Prima apud eos „ confœderatio est, *obedire* majoribus, & quidquid jusserint, „ facere.“ Similiter Sulpitius Severus *Dialogi* 1. *cap.* 11. „ Præ„ cipua, inquit, ibi virtus, & prima est *obedientia*.“

II. Et Cassianus Magistri Novitiorum officium describens *lib.* 4. *Instit. cap.* 8. ait: „ Hæc erit ejus solicitudo & eruditio „ principalis, ut doceat juniorem primitùs suas vincere voluntа„ tes; quem studiose in his, ac diligenter exercens, hæc illi „ semper imperare de industria procurabit, quæ senserit animo „ ejus esse contraria. Multis siquidem experimentis edocti tra„ dunt, Monachum, & maximè juniores, ne voluptatem qui„ dem concupiscentiæ suæ refrænare posse, nisi priùs mortifica„ re per obedientiam suas didicerint voluntates.“

III. *Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora*, ait S. Benedictus in Regula *cap.* 5. Non quidem ordine, sed utilitate, uti notat Smaragdus *cap.* 13. *Diadematis Monachorum*: „ Obedientia, ait, salus est omnium fidelium, obedientia ge„ nitrix est omnium virtutum, obedientia regni cœlorum in„ ventrix est, cœlum aperiens, hominem de terra elevans, „ obedientia cohabitatrix est Angelorum, obedientia Sancto„ rum omnium cibus est; ex hac enim ablactati sunt, & per „ hanc ad perfectionem venerunt.“

Cui convenit illud S. Ferreoli Ucetiensis Episcopi in Regula *cap.* 1. „ Primùm ut Monachus, quem propriè manet multas „ in se virtutes ædificare, *obedientiæ* in se collocet fundamen„ tum,“ Ut verò Obedientia Religiosa vera sit ac perfecta, requiritur:

IV. Primò, *Præceptis Abbatis in omnibus* (uti loquitur S. Benedictus cap. 4.) *obedire, etiamsi aliter, quod absit, agat.* Vel ut *cap.* 7. dixit: „ Pro Dei amore cum omni obedientia se „ subdere Majori.“

„ Nihil itaque recusandum est (inquit S. Columbanus in Re„ gula *cap.* 1.) obedientibus veris Christi discipulis quamvis du„ rum & arduum sit: sed cum fervore, cum lætitia arripien„ dum est. Quia si talis non fuerit obedientia, non erit accep„ tabilis Deo, qui ait: *Et qui non accipit crucem suam, & se„ quitur me, non est me dignus.* „ Et S. Benedictus *cap.* 68. „ Si cui Fratri aliqua fortè gravia, aut imposibilia injunguntur, „ suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine, „ & obedientia. Quod si omninò virium suarum mensuram vi„ derit pondus excedere, impossibilitatis suæ causas ei, qui si„ bi præest, patienter, & opportunè suggerat, non superbien„ do, aut resistendo, vel contradicendo. Quod si post sugges„ tionem suam in sua sententia Prioris imperium perduraverit, „ sciat junior ita sibi expedire, & ex charitate confidens de ad„ jutorio Dei obediat.“

V. Secundò, perfecta Monachi obedientia exigit, ut Monachus in omnibus à voluntate Superioris dependeat; nihilque sine ejus agat consensu. Hinc S. Benedictus *cap.* 49. *suæ Regulæ.* loquens de operibus supererogationis, vult, ut „ hoc ipsum, „ quod unusquisque offert, priùs Abbati suo suggerat, & cum „ ejus fiat oratione, & voluntate: quia quod sine permissione „ Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur & vanæ glo„ riæ, non mercedi.“ Ergo, ait, cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt. Et *cap.* 67. vindictæ regulari vult subjacere eum, „qui præsumpserit quidpiam, etiam parvum, sine Abba„ tis jussione facere.“

VI. Tertiò, debet esse Obedientia *sine mora.* Hanc conditionem exponens S. Benedictus *cap.* 5. ait de veris obedientibus. „ Mox ut aliquid imperatum à Majore fuerit, ac si *divi„ nitùs* imperetur, moram pati nesciunt in faciendo; de quibus „ Dominus dicit: *in auditu auris obedient mihi.* Et idem di„ cit Doctoribus: *Qui vos audit, me audit.* Ergo hi tales re„ linquentes statim quæ sua sunt, & voluntatem propriam de„ serentes mox ex occupatis manibus, & quod agebant imper„ fectum relinquentes vicino obedientiæ pede jubentis vocem „ factis insequuntur; & veluti uno momento prædicta magistri „ jussio, & perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei, „ ambæ res communiter citiùs explicantur.“

Benedicto congruens S. Columbanus ait: „ Ad primum ver„ bum Senioris *omnes* ad obediendum audientes surgere oportet. „ Quia obedientia Deo exhibetur, dicente Domino nostro Jesu „ Christo: *Qui vos audit, me audit.*“

Et S. Bonaventura: „ Obediens non est, sed negligens, qui „ *secundum expectat mandatum.* Ut obedientia Religiosi Deo „ sit acceptabilis, debet esse prompta sine dilatione.“

VII. Quartò, obediendum *non tepidè*, monet Regula Benedictina *cap.* 5. sed ferventer, solicitè, & diligenter: & hoc est ex charitate obedire. Charitas enim excitat fervorem, & solicitudinem. Unde *cap.* 71. dicitur: „ Omnes juniores Priori„ bus suis *omni charitate*, & solicitudine obediant.“

VIII. Quintò, obedientia exhibeatur *hilariter*, sive ut Regula Benedictina exponit: *cum bono animo*; „ quia HILAREM „ *datorem diligit Deus.* Nam cum malo animo si obedit disci„ pulus, & non solùm ore, sed etiam in corde si murmura„ verit, etiamsi impleat jussionem, tamen acceptum jam non „ erit Deo, qui cor respicit murmurantis.“ *Dicto cap.* 5.

IX. Porrò talis nequaquam erit religiosa obedientia, nisi priùs propriæ renuntietur voluntati. Unde & S. Benedictus veros obedientes dicit, *voluntatem propriam deserentes.* Et inter instrumenta bonorum operum reponit, *voluntatem propriam odisse.* Et *cap.* 7. suæ Regulæ vult, ut *quis propriam non amans voluntatem desideria sua non delectetur implere.*

Nec tantùm propriæ voluntati renuntiare, atque Superiorum se voluntati subjicere tenetur obediens Religiosus, sed etiam proprio judicio renuntiando alienum sequi; juxta illud de veris obedientiæ Filiis dictum S. Benedicti citato *cap.* 5. „ Non *suo ar„ bitrio* viventes, vel desideriis suis, & voluptatibus obedien„ tes, sed ambulantes *alieno judicio*, & imperio in cœnobiis „ degentes, Abbatem sibi præesse desiderant.“ Vel, ut ait *cap.* 72. „ non quod sibi utile judicat, sequatur, sed quod ma„ gis alii.“ Atque hæc est illa priscis, recentioribusque toties commendata OBEDIENTIA CÆCA; de qua latiùs capite sequenti.

CAPUT II.

De Obedientia cæca.

1 *Veri obedientes alieno judicio vivunt; & hinc obedientia* cæca.
2 *Obedientia an exigat, ut in omnibus obediatur Superioribus.*
3 *Interdum magnâ in obediendo discretione opus est.*
3 *Non semper Monachum excusat præceptum, aut licentia Prælati.*
5 *Qua ratione obedientia dicitur* cæca.
6 *In quibus obedientia debeat esse cæca.*
7 *In aliquibus cum magna discretione, & discussione obediendum est.*
8 *Valde perversum est obedire Superioribus contra legem Dei aliquid præcipientibus.*
9 *Aliquorum obedientia meritò dicenda inobedientia.*
10 *Quandonam voluntas Prælati suscipienda ut voluntas Dei.*
11 *Obedientia fiduciam conciliat Monacho in agendis, si Prælatus sit talis, qualis esse debet.*
12 *Subinde major difficultas, majusque meritum in refragando, quàm Obediendo Prælatis.*

I. SAnctus Benedictus de veris obedientibus ait: *Non suo arbitrio viventes, & desideriis suis & voluptatibus obedientes, sed ambulantes* ALIENO JUDICIO, *& imperio.* Cap. 5. *Reg.*

Cui congruit illud S. Gregorii in 1. *Regum*, *cap.* 14. „ Vera obedientia nec Præpositi interiora discutit, nec præ„ cepta discernit: quia qui omne vitæ suæ judicium Majori sub„ didit, hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operetur: „ *Nescit enim judicare, quisquis perfectè didicerit obedire:* „ quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat.“

Et Joannes Climacus *Gradu* 4. „ Obedientia est inexami„ natus, atque indiscussus motus, spontanea mors..... Obe„ dientia est sepulchrum voluntatis, & excitatio humilitatis: „ nihil resistit, nihilque discernit, mortua in malis & in bonis „ apparentibus.“ Ita legit editio Veneta.

Hinc illa à Patribus, aliisque vitæ monasticæ Magistris tot encomiis celebrata *obedientia cæca.*

II. Quid igitur, obediendumne indifferenter ac generaliter Superiorum mandatis, nullumque subditis periculum obediendo imminere potest: adeò ut sine discussione, aut examine, *cæcâ obedientiâ* in omnibus Prælatorum præceptis obtemperantes in suis actionibus sint omninò securi, quòd nihil Dei voluntati contrarium faciant? Nequaquam sanè.

III. „ Admonendi sunt subditi (ait S. Gregorius apud Gra„ tianum 2. *q. Can.* 57.) ne plus *quàm expedit*, sint subjecti, „ ne cùm student plus quàm necesse est hominibus subjici, „ compellantur vitia eorum venerari.“

IV. Cui consonat, quod Adamo Monacho, se ob præceptum Superioris, quod secutus fuerat, excusare volenti respondit S. Bernardus.

„ Sed quid ad me, inquiebat Monachus? ille viderit, cui „ mihi contradicere fas non erat. Non est discipulus super Ma„ gistrum. Docendus, non docturus, ejus lateri adhærebam. „ Sequi debui, non præire præceptorum auditor.“ Ad hæc exclamabat Doctor melifluus: „ O Monachum obedientissimum, „ cui ex quibuslibet Seniorum verbulis ne unum quidem jota „ prætervolet! Non attendit quale sit quod præcipitur, hoc so„ lo contentus, quia præcipitur. Et hæc est obedientia sine „mo-

„ mora. Si ita oportet, sine causa legitur in Ecclesia, *Omnia „ probate, quod bonum est tenete.* Si ita oportet, deleamus „ jam de libro Evangelii, *Estote prudentes sicut serpentes*, suf- „ ficienter quippe quod sequitur, *Et simplices sicut columbæ.* „ Ne dico à subditis mandata Præpositorum esse dijudicanda, „ ubi nihil juberi deprehenditur divinis contrarium institutis, „ sed necessarium asseró, & prudentiam, quâ advertatur, si „ quid adversatur, & libertatem, quâ & ingenuè contemnatur.“

Prudentia ergò christiana etiam in obediendo necessaria est Monacho.

Et sanè quia omnis Superior homo est, isque peccatis & ignorantiis obnoxius, quidnî & in præcipiendo à lege Dei incommutabili recedere possit? Quod si contingerit, *indubitanter*, uti loquitur Bernardus, *peragendum in Petri sententiam*: Quia *oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.*

V. Qua ratione ergo *cæca* obedientia? Respondeo, *cæca* est ad ea quæ cupiditas seu amor proprius suggerit. Vera enim, ac perfecta obedientia non solet discurrere, aut inquirere, quæ contra Superiorum mandata amor proprius sive cupiditas suggerit, ut se à mandatis eximere possit; ut puta, quòd naturæ nimium dura, & aspera, imò quodammodo *impossibilia*; quòd alteri potiùs quàm sibi id injungendum esset; quòd importuno præcipiatur tempore; quòd ultra regulam; quod indiscretè; imò malo & averso animo, aliaque similia: Ad ista, inquam, cæca est perfecta obedientia, nihilque eorum solicita attendere, aut discutere, Prælatorum judicio, tanquam Dei Ordinationi se subjiciens.

VI. De his intelligi oportet illud Bernardi, tractatu de præcepto & dispensatione *cap.* 10. „ Porrò imperfecti cordis & in- „ firmæ prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum stu- „ diosiùs discutere; *hærere* ad singula quæ injunguntur; *exi- „ gere* de quibusque rationem; & malè suspicari de omni præ- „ cepto cujus causa latuerit; nec unquam libenter obedire, ni- „ si cùm audire contigerit, quod fortè libuerit: aut quòd non „ aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio, vel „ indubitata auctoritas. Delicata satis imò, nimis molesta est hu- „ juscemodi obedientia. Non planè hæc illa est quæ ex Regula „ traditur, *obedientia sine mora.*“

VII. At cum de transgressione legis divinæ agitur, nequaquam vera obedientia *cæca* est, sed tota luminosa, & undequaque prospiciens & attendens; utpotè ex luminosa Dei charitate Superioribus tanquam Deo obediens, solicitè cavet, ne Superioribus obediens, Deo inveniatur inobediens.

VIII. Sciunt hi quod ad Adamum Monachum dicebat S. Bernardus in citata *Epist.* 7. „ Valdè autem perversum est pro- „ fiteri te obedientem, in quo nosceris superiorem propter in- „ feriorem, id est, divinam propter humanam solvere obe- „ dientiam. Quid enim? quod jubet homo, prohibet Deus, „ & ego audiam hominem, surdus Deo? Non sic Apostoli. „ Clamant quippè dicentes: *Melius est obedire Deo, quàm „ hominibus.* Igitur facere malum quolibet etiam jubente, cons- „ tat non esse obedientiam, sed potiùs inobedientiam.“

IX. Illa ergò obedientia, qua nonnulli se in omnibus sine ulla discussione Superiorum voluntati subjiciunt; præsertim in his quæ corruptæ naturæ, & concupiscentiis magis favent, & ad Regulæ ac disciplinæ monasticæ relaxationem tendunt; idque non rarò ut sibi Abbatum, aut Superiorum gratiam & favorem concilient, sepiùs potiùs *inobedientia*, quàm obedientia dicenda erit; atque hîc meritò applicari potest, quod Adamo Monacho similem obedientiam obtendenti respondit S. Bernardus: „ Vanissimam præsumptionem, turpissimam levitatem, „ crudelissimam dissensionem, obedientiæ, modestiæ, mansue- „ tudinis nominibus velas, & velatis sordibus sacra illa voca- „ bula maculas.“

X. Itaque dicamus cum S. Basilio in *Regulis breviter disputatis*, *quæst.* 114. „ Quòd si quid nobis imperatum sit, quod „ idem sit cum mandato Domini, adjuvetque, illud tanquam „ voluntas Dei studiosiùs, diligentiusque à nobis suspici debet, „ idque servari convenit, quod dictum est: *supportantes invi- „ cem in charitate Christi.* Quoties verò aliquid, quod manda- „ to Domini, aut repugnat, aut aliqua ex parte vitiet conta- „ minetve, facere ab aliquo jussi fuerimus, tunc commode il- „ lud usurpabimus, *Oportet obedire Deo magis, quàm ho- „ minibus.*“

XI. Illud equidem indubitatum est, per obedientiam religiosam conciliari fiduciam ac pacem internam, si Monachi nacti fuerint Superiorem, qui rectum iter ad Deum volentibus pergere (uti loquitur S. Basilius) sciat commonstrare, „qui orna- „ tus virtutibus sit, cujus universæ totius ipsius vitæ actiones „ testimonio sint, charitatem in eo erga Deum inesse, qui di- „ vinarum litterarum scientiam habeat, virum integrum, nec „ ulli distractioni indulgentem, ab avaritia abhorrentem, mi- „ nimè libenter gerendis se negotiis admiscentem, quietum, „ amantem Deum, egentium studiosum, minimè iracundum, „ injuriarum immemorem, naturâ propensum ad eos docendos, „ qui ad ipsum accedant, quem gloria inanis non inflet, su- „ perbia non extollat, adulatio non frangat, severum, atque „ constantem, cui denique nihil sit præstantius honore Dei.“ Tunc Monacho rectè dicetur: „ Voluntatem tuam exuito, ac „ foras projicito: atque ubi hoc feceris, dede te illi, ut since- „ rissimum veluti vas quoddam existas, qui quæ in te infundan- „ tur virtutes, ad laudem, Deique gloriamque ab omni vitio „ castas conserves.“

XII. At è contrario si Superior scientiâ convenienti appareat destitutus, plus habens de mundi quàm Religionis spiritu, magis ad relaxationem quàm religiosam observantiam inclinatus; tunc indubiè non tantùm prudentiâ, ac discretione magna in obediendo, sed etiam non rarò magna virtute, & constantia opus erit, ut Superiorum voluntati, & inclinationi non pareatur: quin & subinde difficilius erit in Monasteriis, quibus similes Superiores præsunt, Deo fideliter servire, & vota sua exactè persolvere, quàm in Monasteris reformatis ardua quæque ac aspera vitæ monasticæ exercitia cum plena, ac perfecta obedientia subire.

CAPUT III.

An obediendum Superiori aliquid contra vel supra regulam præcipienti.

1 *Quod antè professionem erat libertatis, post professionem fit necessitatis.*
2 *Superiori obediendum est juxta Regulam.*
3 *Promissio obedientiæ fit*, salvâ professione, *sive* secundum Regulam.
4 *Abbas non potest suo arbitrio Regulam infringere.*
5 *Differentia eorum, quæ in Regula occurrunt.*
6 *In his, quæ ad substantiam Regulæ pertinent, Superior dispensare nequit.*
7 *Vitam communem relaxare Superior non potest.*
8 *Superioribus eam auctoritatem sibi asserentibus credendum non esse, declaravit Clemens VIII.*
9 *Quædam in Regula præcipiuntur, quæ ad substantiam Regulæ non spectant.*
10 *Quomodo in his Superiores interdum dispensare possint.*
11 *Obedire Superiori relaxanti aliquid de Regula, plus meriti habet, quàm exteriori Regulæ observantiæ insistere.*
12 *Superiori fas non est arctiorem vivendi normam suis præscribere, quàm Regulâ continetur.*
13 *Potest aliquando Superior aliquid subdito imponere, quod Regula non præscribit.*
14 *Id permittit S. Benedictus.*
15 *His non refragatur. S. Bernardus.*
16 *Non facilè recusanda obedientia, dum aliquid imponitur, quod supra Regulam videtur.*

I. QUod de Regula S. Benedicti dixit S. Bernardus, id universim de omnium Ordinum Regulis dicendum, nimirum quòd illa „ omni homini proponitur, impo- „ nitur nulli: prodest, si devotè suscipitur, & tenetur: non „ tamen, si non suscipitur, obest. Quod autem in voluntate „ est suscipientis, non in potestate proponentis, voluntarium „ meritò dixerim, non necessarium. Attamen hoc ipsum, quod „ dico voluntarium, si quis ex propria voluntate semel admi- „ serit, & promiserit deinceps tenendum, profectò in neces- „ sarium sibi ipse convertit; nec jam liberum habet dimittere, „ quod ante tamen non suscipere liberum habuit. Ideoque quod „ ante voluntate suscepit, ex necessitate jam tenebit: quia om- „ ninò necesse est eum reddere vota sua, quæ distinxerunt la- „ bia sua, & ex ore suo aut condemnari jam aut justificari.“

Uno verbo, quæ in Regula continentur, nec tamen à Deo, aut Ecclesia præcepta sunt, non profitentibus quidem libera sunt, nec eos gravant non observata: cùm tamen Profitentibus, ait ibidem Bernardus, *in præcepta prævaricantibus, in crimina fiant.*

II. Quemadmodum ergo non sufficit Religioso velle Superiori obedire, nî unà & Deo obediat; quia, ut ait Bernardus loco citato *cap.* 14. „ ut interior oculus verè simplex sit, duo „ illi arbitror esse necessaria, *charitatem* in intentione, & in „ electione *veritatem*, “ ita nec Superiori obediendum, nisi secundum Regulam imperet. Regulam enim, quam professus est, tenetur Religiosus servare; & consequenter obedientiam ita exhibere Superiori, ut Regulæ votique non inveniatur prævaricator.

III. Quod & in ipsa professionis formula indicatum voluit Benedictus, cùm obedientiam exigit, non simpliciter, sed *secundum Regulam.*

Hoc advertens S. Bernardus ait: „ Hic qui profitetur spon- „ det quidem obedientiam, sed *non omnimodam*, sed *determi- „ natè secundum Regulam.*“ Et alibi: „ Dico ergò, Abbati „ per omnia obtemperandum, sed *salvâ professione.*“ *Epist.* 7.

IV. Nequaquam ergo Abbati, aut Superiori obedientia exhi-

hibenda, si obediendo constitueretur Regulæ transgressor. Neque enim Abbatis est Regulam invertere, aut ab ea suo recedere arbitrio. „ Notum est, (ait Bernardus *Epist.* 7.) solemniter, „ ac regulariter profiteri quemque in præsemia Abbatis. In *præ-* „ *senti.a* ergò tantum, non etiam *ad nutum* ipsius fit cujusque „ professio. *Testis proinde* adhibetur Abbas, non *dictator* pro- „ fessionis; *adjutor*, non *fraudator* adimpletionis; *vindex*, „ non *auctor* prævaricationis. Quod igitur? Ponam in manu „ Abbatis, quod absque ulla exceptione coram Deo, & Sanctis „ ejus propria manu, & ore firmavi, audiens ex Regula, si „ quando aliter fecero, à Deo me esse damnandum, quem ir- „ rideo? Si Abbas meus, aut etiam Angelus de cœlo contraria „ jusserit, liberè recusabo hujusmodi obedientiam, quæ me „ transgressorem voti proprii, & pejerare faciat nomen Dei.... „ Viderit denique Abbas meus quid sibi faciendum putet de eo „ quod ex Regula ad ipsum specialiter dirigitur, ut *præsentem* „ *Regulam in omnibus conservet*; & item quod universaliter „ præcipitur, & nemo excipitur: ut omnes scilicet *per omnia* „ *magistram sequantur Regulam*; *nec ab ea temerè devietur* „ *a quoquam*. Ego sic ipsum sequi decrevi semper, & ubique „ magistrum, ut nequaquam à Regulæ, quam teste ipso juravi „ & statui custodire, deviem magisterio."

V. Sed nunquid Abbas, aliusve Regularis Superior in Regula dispensare potest, eique dispensanti à Subditis obedientia exhibenda: Pro hujus quæstionis elucidatione, & resolutione prænotandum, quædam in Regula esse, quæ etiam inviolabili, & immobili lege Dei præcepta sunt; ut v. g. quidquid de amore Dei & proximi, de humilitate, mansuetudine, cæterisque virtutibus Regula præscribit. Alia sunt, quæ quidem præcepto divino omnibus non sunt imposita, sed tamen talia sunt, ut sine illis professio religiosa, sed vota emissa nequaquam servari queant.

VI. Quoad hæc nulla est Superiori dispensandi auctoritas; quia ipse non destructor professionis, sed vindex professionis constituitur: nec Regulam ipse destruere, sed conservare jubetur. Unde inter monita, quæ Abbati proponit S. Benedictus, illud est præcipuum, *ut præsertim Regulam in omnibus conservet*. „ Neque enim, ait Bernardus, Abbas suprà Re- „ gulam est, cui semel & ipse spontanea se professione sub- „ misit."

VII. Si ergo Abbatis alteriusve Prælati jussio servari nequeat sine manifesta relaxatione, vel infractione votorum, aut vitæ communis, quæ ut ait Synodus Tridentina *Sess.* 25. *de Regularibus*, *cap.* 1. „ ad substantiam regularis vitæ pertinent; „ & bases sunt & fundamenta totius regularis disciplinæ, qui- „ bus non exactè conservatis, totum corruat ædificium neces- „ se est," nequaquam ei obediendum erit; sed dicere poterit subditus, quod in simili dixit Bernardus: „ Libere recusabo hu- „ jusmodi obedientiam, quæ me transgressorem voti proprii cons- „ tituit; & pejerare faciat nomen Dei mei."

VIII. Hisce principiis insistens Clemens VIII. in Constitutione, quæ incipit: *Nullus omninò*, propositâ vitâ communi, ad quam vi suæ professionis Regulares obligantur, pœnisque in non observantes decretis, monet universos, se à dictis pœnis nequaquam futuros immunes ob Superiorum quamcunque indultam licentiam: etiamsi ait, „ Superiores asseve- „ rent se ejusmodi dispensationes, aut licentias dare posse; „ quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus."

IX. Tertii denique generis præcepta in Regulis monasticis occurrunt, quæ quidem ad legis divinæ, ipsiusque professionis monasticæ observantiam plurimum conducunt, atque pro facilitanda votorum impletione ordinatissimè præscripta fuêre, nequaquam tamen ita necessaria sunt, quin interdum sine illis non tantùm lex divina, sed etiam ipsa religiosa professionis exactè observari queat; imò si ad litteram Regulæ semper deberent observari, nonnunquam legis divinæ aut professio monasticæ impletioni plus obessent, quàm prodessent, cujus generis sunt jejunia, vigiliæ, aliæque corporales exercitationes.

X. Hæc, quia, & per ipsam Regulam, cui & Abbas subjectus est, ordinata sunt, quamdiu charitati (cui augendæ, & fovendæ unicè Regula subservit) militant, immobiliter fixa sunt, inquit S. Bernardus, immutarique omninò ne ab ipsis quidem Præpositis sine offensa possunt. At si contraria aliquando charitati visa fuerint, his duntaxat, quibus hoc posse videre datum est, & providere creditum est, nonne justissimum esse liquet, ut quæ pro charitate inventa fuerunt, pro charitate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur? Hæc Bernardus *Tractatu de Præcepto & Dispensatione*, *cap.* 2. qui ibidem *cap.* 4. fusè ostendit, neque hæc in Abbatis ita voluntate sita esse, ut ejus serviant voluntati, sed magis charitati. „ Esto proinde (pergit Bernardus) ut inter- „ dum Regulæ littera cedat pro tempore charitati, cùm ra- „ tio *necessitatis* vel *charitatis* exegerit, absit tamen ut ho- „ minis cujuspiam subdatur voluntati... Arbitror namque sanc- „ tas illas observantias Prælatorum prudentiæ, & fidei cre- „ ditas, non subditas voluntati."

Licèt ergo Prælati ne in his externis atque corporalibus observantiis Regulam abolere, aut mutare queant, possunt tamen pro temporum ac personarum circumstantiis in illis ex justa causa dispensare, ut charitati subserviant. Neque in hoc Regulæ repugnant, sed obsequuntur; quæ hæc non quidem Prælatorum voluntati, sed providæ dispensationi relinquit.

XI. Poinde obedientia religiosa, tametsi à Regula recedere non debeat, nec Prælatus Regulæ prævaricationem sequi, tamen Prælato pro tempore, aut personis ex rationabili causa in hisce dispensanti obsequi tenetur; imò & in hisce subinde locum habere potest *cæca* obedientia: ac interdum plus meriti erit in obediendo, quàm in arctiori ipsius Regulæ exteriore, & litterali observantia.

XII. Porrò sicuti prælato fas non est, Regulam pro suo arbitrio relaxare, subditosque ab ejus observantia generaliter & in perpetuum eximere; ita nec illi fas est, ejus rigorem augere; atque Subditos arctiori Regulæ subjicere.

„ Is qui profitetur, (verbis loquor S. Bernardi) spondet „ quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed deter- „ minatè secundum Regulam... ut oporteat eum, qui præest, „ non fræna suæ laxare voluntati super Subditos; sed præfi- „ xam ex Regula sibi scire mensuram.... Ergo Prælati jussio „ vel prohibitio non prætereat terminos professionis. Nec ul- „ tra extendi potest, nec contrahi citrà. Nil me Prælatus pro- „ hibeat horum, quæ promissi, nec plus exigat quam pro- „ misi. Vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat „ sine certa necessitate... Ponant ergo præpositi metam obe- „ dientiæ subjectorum ex votis labiorum ipsorum, non suo- „ rum desideriorum: monentes eos, non cogentes ad cel- „ siora, condescendentes eis cùm necesse fuere ad remissiora, „ non cadentes cum eis." *De Præcept. & disp. c.* 4. & 5.

XIII. Verùm hinc nullatenus consequens, Abbatem aliumve Superiorem non posse subinde in certis circumstantiis, & justis de causis, vel in pœnam delinquentis, vel pro exercitio virtutis huic illive Religioso injungere aliquod opus magis arduum, v. g. jejunium prolixius, quàm Regula præscribit.

XIV. In his rursus ipsa religiosa obedientia elucere debet, quod & non obscurè supponit S. Benedictus *cap.* 68. *suæ Regulæ*, præcipiens, ut Monachus etiam obediat, si aliqua fortè *gravia* aut *impossibilia* injungantur; apertè satis innuens, illa à Prælato ultra Regulam imponi subinde posse.

XV. Dicta igitur S. Bernardi nequaquam accipienda sunt de Præpositis, qui justa de causa in casu aliquo particulari aliquid ultra Regulam imponunt; sed de his, qui *generaliter* atque pro *omni* tempore, subditis suis duriorem, arctioremque vivendi normam, quàm per Regulam præscripta est, imponere vellent; atque ita quodammodo alia ipsis Regula præscriberetur: quo casu locum habere illud Bernardi: *Solum id à me exigi posse arbitror, quod promisi.*

XVI. Quoad ea verò, quæ in particulari casu atque certis de causis ultra Regulam subinde injunguntur, verificatur illud ejusdem Doctoris immediatè subjunctum: „ Perfecta obe- „ dientia legem nescit, terminis non arctatur: neque con- „ tenta angustiis professionis, largiore voluntate fertur in lati- „ tudinem charitatis.... Quamquam nec istam Regula ipsa ta- „ cuerit, ubi monet, si fratri impossibilia injunguntur, *ut* „ *confidens de adjutorio Dei, obediat ex charitate.* In eâdem „ denique Regula tertius humilitatis describitur gradus *ut om-* „ *ni obedientia Monachus se subdat majori.* Dicens quippè „ *omni*, non vult nos in obediendo mensurâ esse contentos „ professionis, non attendere promissi debitum, non de pac- „ to sumere modum; sed transire alacriter etiam votum, & „ obedire in omnibus."

CAPUT IV.

An Regularibus a præcepto Superiorum appellare liceat.

1 *Quid agendum Religioso, qui credit sibi aliquid durius, aut supra vires à superiore imponi.*
2 *Quomodo dura, & quasi impossibilia subinde acceptare debeat Religiosus.*
3 *Olim incognita erat à præceptis Superiorum appellatio.*
4 *Alexander III. scribit non admittendas appellationes à correctione Regulari, & quare.*
5 *Concilii Lateranensis sub Innocentio III. decretum contra similes appellationes.*
6 *Appellatio à correctione Prælatorum de Jure communi non datur quoad effectum suspensivum.*
7 *Facultas appellandi impedit fructum correctionis Monasticæ.*
8 *Nonnulli Ordines contra has appellationes specialibus Pontificum Bullis sibi providerunt.*

Or-

9 *Ordo Cisterciensis speciali privilegio munitus est contra appellationes ad Sedem Apostolicam.*
10 *Aliquando per statuta Ordinum prohibita fuit appellatio à correctione sub pœna excommunicationis.*
11 *Senatus Regius similia statuta subinde in contradictorio judicio provabit.*
12 *Innocentius IV. concessisse dicitur Ordini S. Benedicti, quòd Superiores appellationi deferre non debeant.*
13 *In aliquibus casibus particularibus Parlamenta Regia solent Regularium appellationes admittere.*
14 *Moribus nostris à correctione regulari appellatio ordinariè non admittitur.*

I. COntingit, ut Religiosus credat, sibi à Prælato aliquid ultra vires, aut extra Regulam impositum: quid hic tum agere debeat, docet S. Benedictus *cap.* 68. *Regulæ* „ Quod si omninò virium suarum mensuram viderit pondus „ excedere, imposibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, pa„ tienter, & oportunè suggerat, non superbiendo aut resis„ tendo, vel contradicendo."

Admittit igitur in duris, ac penè impossibilibus excusationem subditi; sed quæ fiat patienter, opportunè, non superbiendo, non resistendo, non contradicendo; suggeratque potiùs, quàm multâ exaggeratione sibi displicere ostendat.

II. Post hæc subjungit Benedictus: „ Quòd si post sug„ gestionem suam in sua sententia Prioris imperium perdura„ verit, sciat Junior ità sibi expedire, & ex charitate con„ fidens de adjutorio Dei, obediat.

Divino enim adjutorio (ait Haëftenus *Disq. Monast. lib.* 7. *tract.* 2. *disq.* 7.) per obedientiam fit nonnunquam „ possibile, „ quod erat impossibile per naturam, faciat namque gratia quod „ abhorret natura; adimplebit charitas, quod abhorret infirmitas."

III. Procul ergo abest à mente Patrum, ut Religiosis ubi credunt sibi durius aliquid, quàm oportet, à suis Prælatis impositum, aut imperatum, non tamen contradicendi, sed & judicio Prælatorum appellandi sit indulta facultas, cujus, vigente avitâ Monachorum simplicitate, nec vestigium occurrit: Imò ubi illa appellandi potestas à Monachis etiam usurpari cœpit, mox illa reprobata fuit, tanquam malum præsentissimum, quo discoli atque inobedientes Monachi se à correctione Prælatorum subtrahere, malitiamque suam liberius exercere possent.

IV. Et quidem seculo XI. Abbati S. Petri scribit Alexander III. „ Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quòd si „ quando subditos tuos vis pro suis excesibus secundum Re„ gulam S. Benedicti, & institutionem tui Ordinis corrigere „ & castigare, ipsi ut *malitiam suam liberius valeant exerce„ re, ad remedium appellationis confugiunt.* Quia verò re„ medium appellationis non ideo est inventum, ut alicui à Re„ ligionis, & Ordinis observantia exorbitanti debeat in sua „ nequitia patrocinium exibere, mandamus quatenus, si quan„ do quilibet subditorum tuorum ad remedium *appellationis* „ convolaverit, non ideo minus eum juxta tenorem manda„ ti quod in prædicta Regula continetur, & institutionem cor„ rigas & castiges."

Hoc Alexandri responsum relatum in *cap.* 3. *de Appellat.* jus commune constituit.

V. Similiter Consilium Lateranense sub eodem Pontifice celebratum advertens, quòd nonnulli, „ dum Superioris sen„ tentiam & disciplinam canonicam reformidant, sine ullo gra„ vamine appellationem objiciunt, & ad defensionem iniqui„ tatis usurpant, quod ad præsidium innocentum dignosci„ tur institutum, voluit observari, ne Religiosi, cùm pro aliquo „ excessu fuerint corrigendi, contra Regularem, (sive ut alii „ legunt *Regulam*) Prælati sui, & capituli sui disciplinam *ap„ pellare* præsumant, sed humiliter, ac devotè suscipiant, quod „ pro salute sua fuerit eisdem injunctum." *Cap.* 26. ✠ *de Appellat.*

VI. Ex his aliisque juris textibus statuunt Canonistæ, à correctione Prælati Regularis non dari appellationem, saltem quoad effectum suspensivum, si limites correctionis non excedat, neque tela judiciaria procedat in puniendo; uti latiùs exponit Fagnanus ad citatum *Capitulum* 3.

VII. Et sanè quis non videat, omnem disciplinam regularem pessumdari, omnemque correctionis fructum impediri, si Subditis licitum sit passim à superiorum correctione appellare, atque per appellationem correctionis executionem suspendere?

VIII. Quapropter nonnulli Ordinum Superiores, ut se contra has appellationes firmiùs & efficaciùs munirent, etiam specialibus Bullis & declarationibus à Sede Apostolica sibi proviserunt; uti videre est apud Renatum Choppinum in Monastico *lib.* 1. *tit.* 3. *num.* 16. & Carolum Fevretium in tractatu de abusu *lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 8.

IX. Refertur inter alia monumenta Bulla Alexandri III. quâ auctoritate Apostolica conceditur & indulgetur Ordini Cisterciensi, „ ut Abbates hujus Ordinis, qui de aliquo cri„ mine convicti, à Patribus Abbatibus secundum formam Or„ dinis depositi, suæ prælationi cedere noluerint, appellandi „ ad Sedem Apostolicam, facultatem non habeant; districtiùs „ etiam inhibemus, ait Pontifex, ne Religiosus, aut Monia„ lis prætextu cujuslibet quæstionis vel difficultatis in Ordine „ emergentis extra ipsum appellare præsumant, decernentes „ eos qui sic egerint, si sint Abbates, sive Monachi sive Con„ versi, vigori dicti Ordinis inibi introducto, omni appellatio„ ne cessante subjacere."

Bonifacius VIII. anno 1296. eadem confirmavit his verbis: „ Auctoritate vobis Apostolicâ indulgemus, ut ad cor„ rectiones, & punitiones Monachorum, & Monialium delin„ quentium infligendas, Prælati Ordinis vestri, ad quos ea spec„ tare noscuntur, liberè providere valeant, secundum gene„ ralia facta, & facienda dicti Ordinis Instituta: ita ut non li„ ceat Monachis, Monialibus, & Sororibus ab eisdem appellare."

X. Conformiter ad has aliasque Pontificum declarationes, necnon Patrum regulas & jus commune, sæpius per ejusdem Ordinis constitutiones, & deliberationes cautum fuit sub pœnis gravissimis, ne quis, præsertim in materia correctionis & disciplinæ appellare audeat. Notanter in Capitulo generali anno 1223. dictum fuit: „ Statuimus atque præcipimus in vir„ tute obedientiæ, ne quis de cætero in Ordine nostro vo„ cem *appellationis* emittat; excommunicamus, etiam & ana„ thematizamus omnes tam Conventum, quàm personam, quæ „ contra Ordinis Instituta, seu contra obedientiam taliter ap„ pellaverit, sciatque se statim in Canonem latæ sententiæ in„ cidisse. Denique quicunque contra præsentem Constitutio„ nem appellare præsumpserit, si sit Abbas, sciat se esse de„ positum; si Monachus, aut Conversus, pœnam conspira„ torum sustineat."

XI. Cumque hæc admodùm conducant, imò penè necessaria sint disciplinæ, quietique monasticæ conservandæ, nequaquam facilè eis derogari permittendum.

Unde cùm Generalis hujus Ordinis contra quandam sui Ordinis Abatissam mandâsset inquiri, ac ad pœnam condignam procedi; hæcque ad Sedem Apostolicam appellâsset, & ab ea Rescriptum ad Judices in Patribus obtinuisset, qui de causa appellationis, seu conjunctim seu separatim cognoscerent, & judicarent; à Promotore dicti Ordinis interjectâ appellatione *tanquam ab abusu*, tam ab executione Rescripti Apostolici, quàm commissione uni è judicibus factâ, Parlamentum Regium Diense 4. Febr. 1551. declaravit, benè appellatum, malè & injustè impetratum, & fulminatum fuisse prædictum Rescriptum per Abbatissam; atque Judicem delegatum vi illius malè processisse; uti refert Fevretius *loco citato.*

XII. Scribitur quoque, Innocentium IV. dedisse Bullam Ordini Benedictinorum anno 1252. in hæc verba: „ Quia Mo„ nachi refugi disciplinæ frequenter obstaculum interponunt; „ sicque hujusmodi appellationis obtentu, remanent talium ex„ cessus impuniti, mandâmus quatenus illarum appellationum „ obtentu non obstante, Superiores Officii sui debitum exequi „ non omittant."

XIII. Similiter Parlamentum Parisiense advertens, frequentes appellationes Monachorum ad Judices Regios plurimum nocere correctioni morum, atque discolorum & indisciplinatorum audaciam fovere, solemni Arresto 19. Octobris 1543. inhibuit universis Regularibus sub pœna arbitraria recurrere ad Judices Regios *subalternos* per viam appellationis; sed solùm per viam requisitionis ac implorationis brachii secularis, idque duntaxat in casum seditionis, tumultûs, aut gravis scandali; permittens nihilominùs idem Supremus Senatus recursum ad suum Tribunal casu quo esset clarus, & notorius abusus, infractio Legum & Ordinationum Regni, Arrestorum Curiæ, Statutorum Ordinis per Regem probatorum, Canonum, & decretorum Conciliorum: quo casu & non alio permittitur Regularibus habere recursum ad Senatum Supremum, idque vel via appellationis tanquam *ab abusu*, aut implorationis brachii secularis. Et si quando pro alio casu ad Curiam recursum haberent, Curia permitteret Superioribus cogere subditos ad obedientiam; atque contra rebelles ea correctione regulari uti, quæ ipsis oportuna videretur.

XIV. Itaque sive spectemus pristinam monasticam disciplinam, sive jus Decretalium, sive mores nostros, dicere possumus cum Renato Choppin. in Monastico, *lib.* 1. *tit.* 3. *n.* 16. Sublatum est meritò omnis appellationis ad Superiorem Judicem perfugium ab indicta pœnali Cœnobitæ vitiorum emendatione, ne impunitatis spe irrita fierent Monasticæ Religionis præcepta, neglectisque iis Regulares pœnæ dictæ forent inutiles.

TITULUS XXIX.

De Voto Paupertatis.

CAPUT I.

ABDICATIO OMNIS PROPRIETATIS EST ESSENTIALIS STATUI RELIGIOSO.

1 *In omni professione religiosa includitur votum paupertatis.*
2 *Abdicatio* proprii *est essentialis monasticæ professioni.*
3 *Professio monastica includit observantiam Consilii Evangelici de abdicatione rerum temporalium.*
4 *Quam rerum abdicationem Consilium Evangelicum exigat.*
5 *Monachus omnibus rebus temporalibus se nudare debet.*
6 *Monachus nihil vel minimi sibi appropriare potest.*
7 *Succedendi incapacitas omnes generaliter veros Religiosos complectitur.*
8 *Non habet locum in obstrictis voto paupertatis, sed non Religiosis.*
9 *Quid circa Patres Societatis obtineat.*
10 *Dispensatio Papæ an Religiosum reddat successionis capacem?*
11 *Ob penuriam Monasteriorum aliquando Parentes tenentur Monacho alimenta subministrare.*

I. TAmetsi formula professionis religiosæ usitata nullam paupertatis aut propii abdicationis expressam mentionem faciat, votum tamen *paupertatis* in omni professione religiosa includi, ipsumque paupertatis votum esse unum è tribus substantialibus votis Religionis, nemo dubitat.

II. Imò ipsa abdicatio proprietatis adeò annexa censetur Regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere, uti respondit Innocentius III. in „ *cap.* 6. „ ✠ *de Stat. Monach.* Proprii carentia (inquit Lupus *tom.* 4. „ *Schol.* pag. 55.) est Evangelicæ perfectionis, ac monasticæ „ professionis portio essentialis, ideoque clarum est, quòd nec „ Summus Pontifex possit in ipsa dispensare.“

Unde jam pridem ad Monachos dixit S. Basilius: *Si quis* PROPRIUM *esse dicit, absque dubio alienum se facit ab Electis Dei.* In Regulis brevioribus *cap.* 27.

III. Nemo enim unquam dubitavit, quin monachalis professio includeret Evangelicorum consiliorum observantiam; atque illud præsertim, quod Christus tanquam assequendæ Evangelicæ perfectioni opportunissimum expressit his verbis: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Matt. 19. ℣. 21.

IV. Quibus verbis Christus eam rerum terrenarum abdicationem ab hujus consilii Evangelici observatione requisivit, qualis est illius, qui simpliciter res suas omnes venderet, ac earum pretium titulo simplicis, & absolutæ donationis in pauperes effunderet, atque ita omnimodè se rebus omnibus terrenis plenè exuens nihil sibi proprium retineret.

V. Hinc illud Cassiani in Regula *cap.* 27. „ Qui convertitur, præ omnibus erudiri debet, ut nihil ei peculiare liceat „ possidere, sed ita se nudatum ex omni parte cognoscat, ut „ præter tunicam, pallium, calciarium, vel matulam suam nihil ampliùs habeat.“

Et S. Benedictus: „ Ne quis præsumat aliquid habere proprium, nullam omninò rem, neque codicem, neque tabulas neque graphium, sed nihil *omninò*“ Cap. 33. Reg.

VI. Itaque vi voti paupertatis Religiosus imprimis nihil sibi proprii, etiam vel minimi vendicare potest, neque rem quamcunque tametsi victui suo subservientem ita habere, ut de illa independenter à voluntate Superioris disponere prætendat. Unde illud S. Isidori in sua Regula *cap.* 5. „ Monachi neque in suis cellulis, quidpiam quod *ad victum*, vel ad quamlibet rem aliam pertineat, sine regulari dispensatione habere, vel possidere præsumant (f).

CAPUT II.

RELIGIOSI PRIVATI SUNT OMNI JURE SUCCESSIONIS.

1 *Jure Justineanæo Monachi vi suæ professionis à successione parentum non excluduntur.*
2 *Leges Justinianææ de Monachorum jure ad hæreditatem parentum jam pridem hîc abrogatæ.*
3 *De immemoriali consuetudine Regni Galliæ excludente Monachos à jure succedendi, testatur Guillielmus Benedictus.*
4 *Ejusdem consuetudinis testis est Rebuffus.*
5 *De simili Belgii consuetudine testantur Petrus Gudelinus & Franciscus Zypæus.*
6 *Hanc Belgii consuetudinem speciali Edicto firmavit Carolus V.*

I. INspecto Jure Justinianæo, si parentes testamentum faciant, eandem portionem hæreditati, sive legitimam relinquere tenetur suo filio Monasterium ingresso, & professo, quam illi assîgnare debuisset, si in seculo mansisset. Si verò sine testamento Parentes decesserint, ipse eo modo Parentibus succedit, quo successisset, si Monachus factus non esset: *Nullo eis* (ait Justinianus in *L.* 56. *Cod. de Episcopis & Clericis*) *impedimento ex sanctimoniali conversatione generando, sive soli, sive cum aliis ad successionem vocantur.*

II. Hæ Justinianææ Sanctiones an unquam in Gallia, aut hisce in Provinciis receptæ fuerint, non constat. Illud certum est, jam pridem, sive per contrarias Leges, sive per contrariam consuetudinem omninò fuisse abrogatas, ipsosque Monachos quoad successionem in bona parentum reputatos fuisse *civiliter* mortuos.

III. Hujus inveteratæ consuetudinis apud Gallos testis est Guilielmus Benedictus, qui à duobus circiter seculis scribit, hanc tunc fuisse consuetudinem *immemorabilem*, quòd Religiosi Parentibus non succedant. Ad *cap.* RAYNUTIUS ✠ *de Testam. cap.* 220. & *seq.*

Verba ejus sunt: „ Et idem quod in Cordigeris (g) & „ Mendicantibus, ut Parentibus succedere non possint, ser„ vatur in præsenti Regno Franciæ ex ipsius generali consue„ tudine, de quolibet alio Religioso, etiam non Mendicante „ cujuscumque Ordinis existat: in quo Regno fuit *immemora„ biliter* observatum, quòd Religiosi nunquam suis *ab intestato* „ successerunt Parentibus Patri nec matri; & minùs cæteris „ eorum consanguineis; nec jura *suitatis* profitendo retinuerunt, „ & per consequens non succedunt.

„ Nec pariter servatur lex *fin. Cod. de Episcop. & Cler.* „ nec quod ibi dicunt Doctores, maximè Joannes Faber, quòd „ Monachus jure suitatis transmittat in Monasterium hæreditatem paternam, sicut filius in potestate patris tempore mortis „ constitutum illam transmittit in quoscunque hæredes: quoniam hæc omnia juris communis Statuta in Regno Franciæ „ non servantur *quoad Religiosos*; quia non subest Imperato„ ri, qui tales leges condidit. In quo Regno etiam Monaste„ ria nunquam successerunt, nec succedunt: nec visum fuit „ unquam Monasteria succedere, nec successiones petere ex „ personis professorum viventium, aut mortuorum, saltem „ quam obtinuerunt: nec etiam jure proprio tanquam loco fi„ liorum existunt. Cùm etiam verè Monasterium loco filii „ non sit, ut clarè decidit Panormit. 15. *Const.* Felinus magis „ plenè 18. *col. in C. In præsentia* ✠ *de Probationib.* Imò „ notoriè eis & quibuscumque Religiosis partagium ab intesta„ to petentibus à suis fratribus vel aliis parentibus, in Cancellaria Regia litteræ denegantur, obstante eis generali Regni „ consuetudine.“

IV. De eadem consuetudine testatur Rebuffus dicens: „ Nullus Religiosus professus, quamvis filius vel propinquior „ cognatus sit, ex consuetudine Regni Franciæ potest succedere Parentibus vel consanguineis, nec Monasterium pro „ eo..... Ratio hujus consuetudinis esse potest, quia Religiosi „ pro mortuis habentur. Ideò non tenetur Pater in hoc Reg„ no de consuetudine observata filium suum Religiosum hæredem instituere; vel aliquam ei ficto mortuo legitimam re„ linquere.“ In procemio ad *Const. Reg. Glossâ* 5. *n.* 22. & 24.

Moribus Galliæ in hoc articulo planè conformes esse Belgii nostri mores, & consuetudines, & quotidiana praxis ostendit, & Practici nostrates uno consensu testantur.

V. Et quidem Petrus Gudelinus in suo tractatu *de Jure novissimo, lib.* 6. *cap.* 10. variis propositis quæstionibus pro elucidatione Juris Justinianæi, deinde jus consuetudinarium more suo subjiciens, ait: „ Magna pars superiorum quæstio„ num cessat moribus seu legibus harum Regionum, & Reg„ ni Franciæ, ut potè quibus is, qui professus est Religionem, „ adeo

(f) *Id fusius pertractavit Eruditus Choppin in suo Monast.* lib. 2. tit. 3. edit. 1624.

(g) *Cordigeri*, Porteurs de cordes, ou Cordeliers, *sic dicti à Sancto Ludovico Francorum Rege, propter Cordam, seu Restem, quâ cincti sunt.*

„ adeo pro mortuo, adeo ex numero hominum, civiumque „ per omnia sublatus habetur, ut sit deinceps omnis hæredi- „ tatis expers, atque incapax, nec legitima portio liberorum „ ipsi debeatur, omnemque testamenti factionem etiam inter „ liberos amittat; ac succedant ei mox propinqui ipsius ab in- „ testato, non secùs quàm si è vita migrâsset, nihilque prorsus „ rerum ejus Monasterio, quod intrat, acquiratur, absque ex- „ pressa dedicatione seu donatione."

Franciscus Zypæus in Notitia Juris Belgici *Tit. de Episcop. & Cleric. n.* 10. de hac Belgica consuetudine testatur his verbis: „ Professus Religionem adeo *pro mortuo* est apud nos „ *ut omnis hæreditatis* sit *incapax*, legitima liberorum ei non „ debeatur, testamenti factionem etiam inter liberos non ha- „ beat, succedant ei propinqui ab intestato tanquam mortuo, „ nihil Monasterio cedat, nisi quod expressè donavit, legavit."

VI. Hanc Belgicam inveteratam consuetudinem speciali Edicto firmavit Carolus V. 21. Februarii anno 1588. ordinans & statuens, „Ut nulli Religiosi professi, neque ulla Monaste- „ria, aut claustra pro eis, se poterunt dicere hæredes in „ aliqua domo mortuaria, neque titulo successionis habere, „ aut capere aliqua bona."

VII. Hæc verò succedendi incapacitas, & omnimoda exclusio omnes Religiosos voto paupertatis obstrictos comprehendit, quocunque etiam Sedis Apostolicæ privilegio vel indulto munitos; etiam Fratres, & Sorores tertii Ordinis Sancti Francisci vulgò *de Pœnitentia*, si claustraliter, & instar Religiosorum in unum claustrum congregati vivant: quemadmodum judicatum fuisse Fevretius loco citato refert, & tradit Choppinus de *S. P. lib.* 2. *Tit.* 8.

VIII. Monet tamen ibidem Choppinus eos non excludi à Parentum successione, si certis votis, aut regulis vivant extra claustrum in domo Parentum, aut inter seculares.

Eadem distinctio adhibenda circa Eremitas & Hospitalarios, ut videri potest apud Fevretium, & ab ipso citatos *lib.* 4. *de Abusu, cap.* 7. *num.* 15.

IX. In admissione PP. Societ. in Regno Galliæ addita fuit clausula, quòd Sodales hujus Societatis, tam hi, qui tantùm vota *simplicia* emiserunt, quàm alii, non poterunt acquirere in hoc Regno quæcunque bona immobilia quocumque titulo, sine Regis licentia: Item quòd non poterunt Sodales ejusdem Societatis capere ullam successionem, sive directam, sive lateralem, non magis quàm cæteri Religiosi: in casum tamen quo è Societate dimitterentur, in suum jus reintrarent sicut ante.

Itaque juxta hanc declarationem, post emissionem votorum simplicium Patres Societatis omnis successionis sunt incapaces; ea tamen limitatione, quæ in aliorum Ordinum Religiosis non obtinet, quòd si post emissa Religionis vota dimittantur, rursus successionis capaces reddantur; & ita aliquo tempore post dictam declarationem observatum fuisse refert Carolus Fevretius *lib.* 4. *de Abusu, cap.* 7. *num.* 14. ibidem unà monens, quòd cùm per experientiam constaret, multas familias turbari, & in multa graviaque incommoda incidere, dum paternorum bonorum factâ divisione, & bonis nonnunquam distractis, ipsaque familiâ juxta statum bonorum institutâ, tandem aliquis de eorum familia per plures annos in Societate professus post emissionem votorum simplicium dimittitur, & cum aliis ad successionem admitti prætendit; ac ipsam consequenter hæreditatis divisionem, & bonorum applicationem invertere, tandem, ait Fevretius, hæc moderatio adhibita fuit, ut si quis è Societate dimittatur ante elapsum quinquenium ab emissione votorum simplicium, is admittatur ad petendam successionem; secùs verò si admittatur elapso quinquennio à die professionis: idque, inquit Fevretius, hodiè ubique observatur, ita ut de eo ampliùs non dubitetur; annotatis pluribus Parlamentorum Regiorum Arrestis, quæ idipsum confirmârunt. Quin & judicatum est anno 1631. Jesuitas demissos è Societate, qui absoluto biennali Novitiatu emisserunt vota simplicia, non posse, exemplo aliorum Religiosorum, succedere; uti refertur apud Le Prestre *Centur.* 1. *cap.* 28. in Annotationibus (h).

X. Tanta est Religiosorum moribus nostris succedendi incapacitas, ut teste Masuero in sua Praxi *tit.* 32. *num.* 18. per consuetudinem Regni Franciæ, Papa non possit dispensare, ut Monachus succedat, etiam dato, quòd factus sit Episcopus, & maximè in his, in quibus non habet jurisdictionem temporalem. Quapropter Rescripta Apostolica Religiosos à voto absolventia cum facultate *succedendi*, in Gallia nequaquam admittuntur. „ Quinimo (ait Durant. *q.* 13.) licet ab executio- „ ne hujusmodi dispensationis appellare ad Senatum tanquam „ *ab abusu.*" Videri potest Julianus Brodeau in notis ad Louë-

(h) *Legatur Declaratio, quam Ludovicus XIV. dedit* 16. *Julii* 1715. *Decernit Jurisprudentiam, quæ hâc de re in Gallis observari debet circa Ex-Jesuitas.*

(i) *Itaque cùm in Galliis vir Religiosus ad Episcopatum evectus in bona Parentum non potest succedere; oportunum quo-* tium *litt. C. num.* 8. ubi allegat plura Arresta, quibus declaratum fuit, Milites Ordinis S. Joannis Hierosolymitani excludi à successione in hæreditatem, eò quòd essent veri Religiosi.

Neque promotionem Monachi ad Episcopatum, illum reddere capacem successionis in bona Parentum, non semel judicatum esse refertur in recentioribus Additionibus ad *Cap.* 27. *Cent.* 1. Claudii Le Prestre (i).

XI. Si tamen Monasterium per injuriam temporis, aliove infortunio destrui, aut in ruinam cadere contingat, impotensque fiat Monachis necessaria subministrandi, æquitas sanè hoc suadet, ut hi, ad quos Monachi notabilis hæreditas devoluta est, eo casu illis in necessariis subveniant; atque ita in certis casibus & circumstantiis judicatum fuisse refert Tornet *litt. P. num.* 85. condemnatosque hæredes Monachi ad aliquam annuam & alimentariam portionem Monacho subministrandam; attenta & paupertate Monasterii, & quantitate bonorum ad hæredes per professionem Monachi devolutâ.

CAPUT III.

Paupertas religiosa permittit bonorum etiam immobilium possessionem in communi; hodie necessaria *amortizatio.*

1 *Monachi olim in Ægypto ex quotidiano manuali opere victitârunt.*
2 *Opus manuale semper, & ubique Monachis commendatum.*
3 *An prætextu orationis Monachus ab opere manuali excusandus sententia S. Augustini.*
4 *S. Benedictus opus* manuum *suis discipulis commendat.*
5 *Monachus non tantùm sibi, sed etiam aliis opere manuum succurrere studeat: neque prætextu lectionis ab eo excusandus.*
6 *Varia Monachorum opera, quorum præcipuum aliquando fuit describere libros.*
7 *Seculo XII. S. Albertus in Regula opus* manuum *commendabat, & seculo XIII. S. Franciscus.*
8 *Aliqua etiam olim fuere Monasteria, in quibus non è solo opere manuum Monachi victitabant.*
9 *Sanctus Benedictus supponit aliqua esse Monasteria, in quibus è solo opere manuum Monachi vivere non deberent.*
10 *Idipsum indicat S. Augustinus.*
11 *Fideles multa offerebant Monasteriis in sustentationem Monachorum.*
12 *Tanta divitiarum copia ad Monasteria sensim devoluta est, ut etiam quædam deberent* militiam *Regibus præstare.*
13 *Seculo* 11. *summa fuit Fidelium ad fundanda & dotanda Monasteria propensio.*
14 *Collapsionem disciplinæ in Ordine Cisterciensi ex abundantia divitiarum deplorat Alexander III.*
15 *Prohibita rerum immobilium in Monasteria, & alia corpora vulgò* manus mortuæ, *translatio.*
16 *De prima hujus prohibitionis lege.*
17 *Constitutio Philippi Pulchri.*
18 *Edictum Caroli V.*
19 *Abbates se huic Edicto opposuerunt.*
20 *Edictum alterum Caroli V. quod hodie est in usu.*
21 *Quid Carolum ad hoc edendum moverit.*
22 *Quod hîc statuit Carolus, etiam primis seculis ab Imperatoribus decretum fuit.*
23 *Quid intelligatur in Edicto Carolino per* manum mortuam.
24 *Ut aliquid censeatur relictum* manui mortuæ, *debet esse relictum Corpori* ut *Corpori.*
25 *Quid propriè sit* amortizatio.
26 *In Gallia solus Rex amortizat.*
27 *Quæ bona in Brabantia censeantur amortizata ex Concordato inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem.*
28 *Amortizatio denegari non solet, quando Pastoribus, aut Monasteriis de competentia non est provisum.*
29 *Quomodo incommodis ex translatione bonorum in manus mortuas orituris occurratur.*

I. Cœnobitarum, seu Monachorum suo tempore per Ægyptum in communi viventium Institutum describens S. Augustinus *de Moribus Ecclesiæ, lib.* 1. *cap.* 31. ait: „ Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onero- „ sus est. Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci pos- „ sit, & à Deo mens impediri non possit.... Sanè quidquid ne- „ cessario victui redundat (nam redundat plurimum ex operi- „ bus manuum, & epularum restrictione) tantâ curâ egenti- „ bus *que videtur, ut ejus parentes in ejus peculium non succedant, sed bona ipsius addici deberent pauperibus Diœceseos, cujus erat Episcopus; nihilominus Arresta vigent, quibus Episcopi, qui fuerat Religiosus, succesio parentibus ejus ad judicata est.*

„ bus distribuitur quantâ non ab ipsis, qui distribuunt, com-
„ paratum est. Nullo modo namque satagunt, ut hæc sibi
„ abundent, sed omni modo agunt, ut non apud se remaneat,
„ quod abundaverit, usque adeò ut oneratas etiam naves in ea
„ locâ mittant, quæ inopes incolunt.“

Et Theodoretus scribit: „ In Ægypto ferunt quædam esse
„ Monasteria, quæ virorum habeant quinque millia *opus facien-*
„ *tium*, Deumque interea laudantium, qui opificio suo non so-
„ lùm victum parant necessarium, sed peregrinis etiam egen-
„ tibus subveniunt.“

Hæc non obscurè evincunt, Monachos Ægyptios nihil præter quotidianum opus manuum suarum, unde victitarent, habuisse; unde & quidam Solitarius apud Socratem, *lib.* 4. *hist. cap.* 23. dixisse fertur: *Monachum, qui opus non faceret, non secus ac alieni cupidum, judicatum iri.*

II. Sanè *opus manuum* universis Monachis, tam per Occidentem, quàm Orientem summopere commendatum fuisse, tùm ex scriptis & historiis pristinis, tùm Monachorum Regulis notum est.

III. Et quidem „ cùm Carthagine cœpissent esse Monasteria „ (ait Hugo Menardus in Concord. Regul. *cap.* 55. §. 1.) or-
„ tâ inter Monachos contentione, an è re monastica magis esset,
„ aut animum duntaxat ad orationem, & contemplationem ap-
„ pellare, & priorum Christianorum oblationibus vitam susten-
„ tare, juxta illud Evangelii; *Nolite soliciti esse, quid man-*
„ *ducetis, aut bibatis*: aut juxta Apostolum: *Qui non laborat,*
„ *non manducet*, labori manuum victum sibi comparare: Au-
„ relius Carthaginensis Antistes totam litem S. Augustini arbitrio
„ permisit, qui obtemperans librum illum præstantissimum *de*
„ *Opere Monachorum* composuit, atque ita, qui laborem ma-
„ nuum à Monachorum disciplina removendum esse contende-
„ bant, lite ceciderunt, ut ipse testatur, *cap.* 1. *ejusdem li-*
„ *bri*, & *libr.* 2. *Retractationum*, *cap.* 21.“

IV. Utque veterum Orientalium regulas omittam, S. Benedictus in Regula sua *cap.* 48. ait: „ Otiositas inimica est animæ.
„ Et ideò certis temporibus occupari debent Fratres in *labore*
„ *manuum*, certis iterum horis in lectione divina.... Si autem ne-
„ cessitas loci, aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas
„ per se occupentur, non contristentur, quia tunc verè Mo-
„ nachi sunt, si *labore manuum* vivunt, sicut Patres nostri &
„ Apostoli.“

V. Sanctus Isidorus Regulæ suæ *cap.* 6. „ Monachus semper
„ *operetur manibus suis*, ita ut quibuslibet variis opificum artibus
„ laboribusque studium suum impendat, sequens loquentem Apos-
„ tolum, qui dicit: *Neque panem gratis manducavimus*; *sed*
„ *in labore & fatigatione, nocte & die laborantes.* Et iterum:
„ *Qui non vult operari, non manducet.*“ Deinde adducto exemplo Patriarcharum, Apostolorum, aliorumque multorum summæ auctoritatis virorum, qui corporale opus fecerunt, unde vitam corporis sustentabant, subjicit: „ Si igitur tantæ aucto-
„ ritatis homines laboribus, & operibus, etiam rusticanis in-
„ servierunt, quantò magis Monachi, quos oportet non solùm
„ vitæ necessaria propriis manibus exhibere, sed etiam indigen-
„ tiam aliorum laboribus suis reficere.... Qui sic volunt vacare
„ lectioni, ut non operentur, ipsi lectioni contumaces exis-
„ tunt, quia non faciunt, quod ibi legunt. Ibi enim scriptum
„ est: *Operantes suum panem manducent.* Et iterum: *Ipsi enim*
„ *scitis, quomodo oportet imitari nos: quia non inquieti fuimus*
„ *apud vos, neque panem gratis ab aliquo manducavimus, sed*
„ *in labore, & fatigatione die & nocte operantes, ne quem ves-*
„ *trum gravaremus.* Qui per infirmitatem corporis operari non
„ possunt, humaniùs, clementiùsque tractandi sunt: nec con-
„ tra eos murmurandum est ab eis, qui vires laborandi habent;
„ sed magis consulendum est eis, quos sciunt corpore infirmos.
„ Ipsi autem, qui non possunt, eos qui laborant & possunt,
„ meliores sibi, felicioresque fateantur. Qui verò languidus est,
„ & laborem operum corporalium sustinere non potest, con-
„ sulendum est illi, & ejus infirmitas obtemperanda est. Qui
„ verò sani sunt, & fallunt, procul dubio dolendi, atque lu-
„ gendi sunt, quia non corpore, sed (quod pejus est) mente
„ ægroti sunt; quinque, etsi humanis oculis convinci non pos-
„ sunt, Deum tamen non fallunt. Tales igitur ferendi sunt, si
„ ægritudo latet; aut distringendi, si sanitas pateat. Monachi
„ operantes meditari, aut psallere debent, ut carminis, ver-
„ bique Dei delectatione consolentur ipsum laborem. Si enim
„ seculares opifices inter ipsos labores suorum operum amatoria,
„ turpiaque cantare non desinunt, atque ita horam suam in
„ cantibus, & fabulis implicant, ut ab opere manus non subs-
„ trahant; quantò magis servus Christi sic manibus operari de-
„ bet, ut semper laudem Dei in ore habeat, & lingua ejus psal-
„ mis, atque hymnis inserviat. Laborandum est ergo corpore,
„ animi fixa in Deum intentione: sicque manus in opere impli-
„ canda est, ut mens non avertatur à Deo. Propriis autem tem-
„ poralibus oportet operari Monachum, & propriis & orationi,
„ lectioni incumbere.“

VI. Aliæ Patrum Occidentalium Regulæ idem passim inculcant, discernitque S. Ferreolus Episcopus, Regulæ *cap.* 28. Monachum absque certis solemnitatibus, vel manifesta ægritudine diem sine operatione transigentem à convivio excludendum, jubente Beato Apostolo: *Qui non laborat, non manducet.* Hic deindè varia Monachorum illius temporis opera recenset; atque inter cætera, *scribere* esse præcipuum opus. Nec sanè dubium, antiquum, & usitatissimum Monachorum opus fuisse, libros scribere.

Id abundè testatur veteres Bibliothecæ Monasteriorum multis adhuc codicibus MSS. refertæ, in quibus scribendis Monachi desudantes doctrinam posteritati conservaverant.

VII. Ex hactenus allegatis habemus, Monachis ubique commendatum fuisse *opus manuale*, illudque & S. Albertus seculo XIII. Fratribus Montis Carmeli in Regula multùm commendans exemplo S. Pauli, concludit his verbis: *Hæc via sancta & bona: ambulate in ea.* Et S. Franciscus idem inculcat, ut capite sequenti videbimus.

Insuper nequaquam obscurum est, plurimos Monachos ex opere manuum suarum victitâsse.

VIII. Sed illud quoque constat, nonnulla etiam antiquitùs fuisse Monasteriorum Clausura, in quibus non è solis Monachorum laboribus quotidianis Monachi sustentarentur, sed vel ex oblationibus parentum eorum, qui ingrediebantur, vel etiam ex bonis Fidelium in sustentationem Monachorum ipsis Monasteriis donatis.

IX. Regula enim S. Benedicti, uti ex allegatis verbis patescit, Monachos ad colligendas per se fruges obstringit, sub hac expressa conditione: *Si necessitas loci, aut paupertas exegerit*, non obscurè supponens, non semper loci necessitatem, aut paupertatem opus illud manuale à monachis exigere.

Et *capite* 58. vult, ut Novitius ante professionem, „ res
„ si quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut factâ solem-
„ niter donatione, conferat Monasterio, nihil sibi reservans
„ ex omnibus.“ Et S. Isidorus *cap.* 4. „ Qui relicto seculo ad
„ militiam Christi piâ, & salubri humilitate convertuntur, om-
„ nia sua primùm aut indigentibus dividant, aut Monasterio
„ conferant... Qui aliquid habentes in seculo convertuntur, non
„ extollantur, si de suis facultatibus quodcunque Monasterio
„ contulerunt, sed potius timeant, ne per hæc in superbiam
„ labantur, & pereant, quibus melius esset, si divitiis cum hu-
„ militate in seculo perfruerentur, quàm ut jam pauperes ef-
„ fecti, de earum distributione elatione superbiæ extollerentur.“

X. Quin duobus ut minus seculis ante hos scribit S. Augustinus: „ Quæ aliquid habebant in seculo, quando ingressæ
„ sunt Monasterium, libenter velim esse commune. *Epist.* 109.
„ *cap.* 4.

Non tantùm ergo ex labore manuum, sed etiam ex oblationibus eorum, qui Monasterium ingressi sua Monasterio obtulerant, monachi vivebant.

XI. Nec ingredientes duntaxat in sustentationem eorum, qui pauperes è seculo ad Monasteria divertebant, de suis rebus offerebant; sed vel præcipuè ipsi Fideles Laici Monasteria ex bonis suis fundantes, vel fundata dotantes.

Sanctus Augustinus explicans *Psalm.* 103. dicit per *Cedros Libani* posse intelligi nobiles seculi, excelsi genere, opibus, & honoribus; per *Passeres* verò minutos, & parvos ac humiles hujus seculi, „ id est, ait, sunt quidam servi Dei audientes in
„ Evangelio, dimitte omnia tua, vel, vende omnia tua, &
„ da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & veni, & se-
„ quere me.“

Quomodo hi pauperes tanquam Passeres nidificent in Cedris Libani, subjicit: „ Etenim & Cedri Libani, nobiles, & di-
„ vites, & excelsi hujus seculi: quoniam cum timore audiunt,
„ *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem*, atten-
„ dunt res suas, villas suas, & omnes superfluas copias, qui-
„ bus videntur excelsi, & præbent illas servis Dei, dant agros,
„ dant hortos, ædificant Ecclesias, *Monasteria*, colligunt Pas-
„ seres, ut in Cedris Libani nidificent Passeres. Ergo satiantur
„ Cedris Libani, quas plantavit Dominus, & illic passeres ni-
„ dificabunt. Attendite totam terram si non ita est.“

XII. Quanta fundorum, ac divitiarum copia, tum per oblationes ingredientium, atque effusam fundatorum, aliorumque fidelium liberalitatem ad Monasteria sensim devoluta fuerit, notius est, quàm probari debeat: in tantum, ut seculo IX. legamus Abbatias plures ad eas divitias pervenisse, ut etiam ipsis Regibus dona annua, & *militiam* suppeditare deberent: uti videre est apud Labbeum *tom.* 7. *Conciliorum generalium col.* 1513. ubi refertur constitutio Ludovici Pii edita circa annum 817. seu notitia de Monasteriis, „ quæ in Regno, vel
„ Imperio suo *dona*, & *militiam* facere possunt, quæ sola do-
„ na sine militia, quæ verò nec dona nec militiam sed solas ora-
„ tiones pro salute Imperatoris, vel filiorum ejus, & stabilita-
„ te Imperii.“

XIII. Quæ fuerit seculo XI. Laicorum in Monachos liberalitas, & ad fundanda dotandaque Monasteria propensio, ex iis solis, quæ sub initio Ordinis Cisterciensis acta sunt, colligi potest.

Vix enim primum hujus Ordinis Monasterium, scilicet Molismense, fundatum erat à S. Roberto Ordinis hujus Auctore, quin ex iis, uti narrat historia, à Principibus in vicina viris, ad nova eorum fundis constituenda cœnobia, petiti sint. Quin & adhuc vivente Molismi primo Fundatore S. Roberto, ad tantas divitias ascendit, ut brevi sancta Molismi initia collapsa sint, & ex nimia temporalium felicitate, & abundantia remissior facta disciplina, tanta paulatim eam remissionem subsequente morum corruptela, ut quantumcumque S. Robertus exemplo, & monitis anniteretur, revocari Monachi non possent ad pristinam integritatem. Vide Papebrochium in commentario prævio ad vitam S. Roberti 29. Aprilis §. 1. n. 7.

XIV. Quin & unius seculi spatio Ordo ille tanta divitiarum affluentia auctus fuit; atque in illa affluentia à pristina vitæ sanctitate & disciplinæ monasticæ integritate adeo decidit, ut de illo hæc seculo XII. scribat Alexander III. „Recolentes qualiter hæc plantatio sancta, hæc vitis fructifera, hæc denique vinea Domini Sabaoth sub primis Ordinis patribus pullulavit; & palmites longe, lateque producens ad mortifera circumquaque venena pellenda protulit flores & odores effudit; pervigili custodia custodiatis eorum in omnibus inhærere vestigiis, per quos cooperante Domino in deserto hujus mundi flos hujuscemodi plantatus est honestatis. Hi enim monasticæ frugalitatis contentissimi, optimum ponentes in paupertate principium, totius sufficientiæ assecuti sunt complementum, Ecclesiæ cari Episcopis & Prælatis accepti, atque in conspectu Regum ac Principum famâ & merito gloriosi. Nunc autem, quod dolentes dicimus, & si non ab omnibus, neque in omnibus, à plerisque tamen, & in pluribus, ab illa sancta institutione dicitur declinatum, in tantum, ut aliqui ex vobis primæ institutionis obliti penitùs, vel ignorantes contra ordinis vestri Regulam, villas, molendina, Ecclesias, & altaria possident, fidelitates, & homagia suscipiunt, justitiarios, & tributarios tenent, & omne studium adhibent, ut termini eorum dilatentur in terris, quorum conversatio debet esse in cœlis. Læditur hinc ordo penitùs, & vitiatur, (nec est mutatio dexteræ excelsi), quin imò potius de dextera transeunt in sinistram; qui cùm relicto seculo sub paupertatis habitu Deo militare decreverunt, in negotiis denuo secularibus implicantur. Inde est quòd vobis ab iis, qui foris sunt, contentiones, & litigia suscitantur & Abbatibus in causis forensibus occupatis, plurimum in commissis domibus & tepor ordinis, & dissolutio nascitur charitatis, maximè quia charitas in paupertate plus proficit, & cupiditatis dedignata consortium, nisi illa restringatur, hæc tepescit. Ideo sanctum, ac venerabile collegium vestrum precibus, & monitis, quibus possumus, exhortamur; quatenus domus illæ, quæ à prima sui origine in ordine ipso sunt fundatæ, constitutis, & ordinatis terminis sint contentæ; nec velint inordinatè ad ea manus extendere, quæ sine laboribus, & periculis multis, & demum sine criminibus, & magna confusione non poterunt retinere." *Cap. 3. de Senatu Monach.*

XV. Cùm verò continuò magis ad Monasteria, aliaque Corpora Ecclesiastica, bona devolverentur, idque non sine gravamine Principum & laicorum; eo quòd bona sic ad Corpora illa devoluta eximerentur à variis oneribus quibus Respublica sublevari, & Principes ærarium conflari debet; tantum Principes huic ad Corpora Ecclesiastica bonorum devolutioni modum ponere debuerunt.

Et quidem Principes nostri edixerunt, ne res immobiles cujuscunque naturæ & conditionis in Monasteria, Capitula, aliaque corpora, quæ vulgò *Manus mortuæ* dicuntur, quovis titulo transferri possent.

XVI. „Primum in Belgio Edictum prohibitorium, ait „Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *c.* 50. §. 6. „(quod ad manus meas pervenit) est Guidonis Comitis Flandriæ de anno 1293. Verùm illud promulgatum pro Flandris solis, & non pro Brabantinis." Hæc illæ; qui §. 7. dicit, „primò Religiosis & Monasteriis bona stabilia in Brabantina acquirere vetitum est in tabulis Ducis Joannis de anno 1312. *art.* 12." Extat *Volumine* 1. Edictorum Brabantiæ, *lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 1. Loquiturque generaliter de personis Ecclesiasticis.

XVII. Huic prohibitioni accessit deinde Constitutio Philippi Pulcri de 20. *Sept.* 1451. extans in citato volumine Edictorum, *lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 4. vetaturque Ecclesiasticis Brabantinis titulo emptionis acquirere bona immobilia sita in Brabantia, nisi sub conditione, quòd venditor aut ejus hæredes ea semper poterunt redimere.

XVIII. Cùm verò uti loco §. 8. notat Anselmus, hæc Constitutio usu recepta non esset, nova prohibitio de non adquirendo Ecclesiasticis facta est *art.* 14. in additione novi Introitus Caroli V. 26. Aprilis 1515. extatque in dicto volumine, *lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 17. quo cavetur, nulla bona seu allodialia, seu feudalia, seu emphyteuticaria, vel censualia posse vendi, transferri, aut cedi quacumquè ex causa vel titulo in Monasteria, Hospitalia, Capitula, Collegia, aut alias Manus-mortuas; nisi hujusmodi translatio fieret de unanimi Principis & Magistratûs Metropolis Civitatis, sub qua bona illa sita sunt, consensu.

XIX. Sed neque hæc Constitutio statim suum habuit effectum. Nam Abbates sive Status Ecclesiasticus Ordinum Brabantiæ, Libello supplice exposuerunt Consilio Brabantiæ, dictam Constitutionem à Civitatibus Brabantinis subreptitiè, ipsis inauditis, fuisse exortam: super quo libello ordinatum fuit, ut partes hinc inde sumariè coram Commissariis audirentur; ac interim executio istius Constitutionis esset in suspenso, 26. April. 1616. Habentur litteræ in allegato volumine Edictorum, *lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 2.

XX. Verùm cùm Abbates & Prælati eorumque Mandatarii causam non prosequerentur, tandem ad instantiam Fiscalium suspensio sublata fuit, prodiitque Constitutio Caroli V. per formam Edicti Perpetui 19. Octobris 1520. relata in citato volumine Edictorum, *lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 4. quâ statuitur, quòd nemo quocunque titulo prætextu, vel colore; neque quacunque de causa, ratione, aut occasione poterit quamcunque rem immobilem sitam in Brabantia vendere, aut quocunque modo alienare in usum aut favorem alicujus Monasterii, Ecclesiæ, Collegii, Conventûs, Hospitalis, vel personarum Ecclesiasticarum, seu in *Manus mortuas*, sine expresso consensu Principis, Vassallorum, & Magistratûs civitatis Metropolis, sub cujus districtu bona erunt sita: quodque nulli Prætores, Viri Feudales, Scabini, Magistratus, aut alii Judices & Officiales intervenient, aut patiantur hujusmodi venditiones, cessiones vel permutationes in *Manus mortuas* fieri; neque dicta Corpora Ecclesiastica in bona illa inhæredari.

Declarans insuper omnem hujusmodi translationem bonorum immobilium dictas manus mortuas, nullam & sine effectu.

Deinde decernit, ut nulla bona immobilia per particularem & generalem successionem, vel testamentum, ordinationem, donationem, vel ab intestato, devolvantur, vel cedant quibuscunque Monasteriis, Collegiis, Capitulis vel aliis Manibus mortuis, declarans quidquid in contrarium forsan statueretur à quocunque, & quacunque ex causa, nullum ac nullius effectûs; utque in perpetuum tanquam nullum reputetur, & habeatur.

XXI. In narrativa ipsius Constitutionis declarat, se ad hanc Constitutionem edendam impulsum fuisse, quòd expendisset, tantam jam bonorum, tàm feudalium, quàm allodialium aliorum, copiam penes Corpora Ecclesiastica possideri, ut ex illis se honestè ac sufficienter intertinere possint. Attenta quoque magnâ Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, Conventuum, Capellaniarum & fundationum multitudine, per quam suos subditos & Vassallos multum gravari asserit.

Neque ergo in odium Ecclesiasticæ immunitatis aut libertatis hæc constituit Carolus V. aliique ante ipsum Principes nostri, sed ne cives & incolæ suis facultatibus exhauriretur.

XXII. De hac Carolina constitutione ita loquitur Tuldenus noster in codice *tit. de Sacrosanctis Ecclesiis*, *n.* 4. „Vetuit Edicto suo Carolus V. bona immobilia Ecclesiis aliisque piis locis ultrà acquiri absque consensu Principis, quod „providentissimus Imperator neque sine magna ratione, neque „sine exemplo constituit. Idem enim Imperator Nicephorus „Phocas dixerat, Zonar. *tom.* 2. *Annal.* aliique Christiani „Imperatores *lib.* 20. & 27. *Cod. Theod. de Episcopis & „Cleric.* Etiam D. Hieronymo laudante, *lib.* 2. *Epist.* 12. „*Non de lege*, inquit, *conqueror*, *sed de causa*, *qua hanc „legem meruimus.* Namque in sacri Officii reverentiam congestæ majorum pietate opes penè causam reverentiæ imminuerat, quorundam (ante salubrem Concilii Trid. medellam) fastu, luxu, desidiâ. Nam, ut ait Salvianus lib. 2. „ad Eccles. Cathol. *Nimia profusione opum non suffulcitur „religio*, *sed evertitur.*"

XXIII. Pro intellectu hujus Carolinæ qua hodie utimur, notandum, *Manum mortuam* in hac materia appellari, „Ecclesiam civitatem, Collegium (ait Pecquius Tractatu de Amortizatione *cap.* 2.) sive illud quodcunque Corpus, vel Ecclesiasticum, vel seculare, quod bonorum capax est. Ideò „verò *Manus mortua* hujusmodi Corpus appellatur, quod „quemadmodum, ait Pecquius, morientis hominis manus, id „quod comprehendit, formissimè conclusum tenet, neque facilè remittit: sic etiam, quidquid Ecclesia, seu Corpus istiusmodi semel acquirit, & in manum, hoc est, potestatem „suam semel accipit, non nisi magna cum difficultate & solemnitate in commune hominum commercium deindè remittit, sed accumulando conservat."

XXIV. Ut ergo aliquid censeatur relictum *Manui mortuæ*, debet illud esse relictum Corpori ut *Corpori*: nam si singulis de Corpore sit relictum, non censetur relictum *Manu mortuæ*.

Hoc

Hoc ex capite, si quis pauperes certæ urbis vel Parochiæ instituit hæredes, vel cognationi suæ annua cibaria reliquerit in sumptus studiorum instituta fundatione in Collegio Academico, defendi probabiliter potest, (ait Stokmannius *Decis. Brabantina* 4.) non *Manum mortuam*, seu Corpus aliquod vel Collegium esse vocatum, sed singulas personas esse vocatas certo ordine, inter quæ multum interessè ostendit L. Cum Senatus, 20. *ff. de rebus dubiis*, in verbis: *Nisi singulis legetur, hi enim non quasi Collegium, sed quasi certi homines admittentur ad legatum.* Hæc Stokmannius, qui, & addit: Unde res immobiles sic relinqui posse „ non improbabiliter audivi sustineri in lite quapiam, (k)"

XXV. Amortizatio juxta hodiernum loquendi usum, nihil aliud est, quàm indulgentia, dispensatio, & concessio facta iis, quos *manus mortuas* vocamus, bona immobilia acquirendi & possidendi.

XXVI. Hanc hodie in Gallia solus Rex indulget, uti testatur Paponius in suis Arrestis *lib.* 1. *tit.* 14. *Arresto* 1. In his Regionibus Carolus V. in sua Constitutione cavit, Amortizationem non concedendam, nisi de expresso, unanimi & communi Assensu ipsius Principis, & Magistratûs urbis Metropoliticæ, sub qua bona Amortizanda sita sunt.

XXVII. In Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem initis 10. Mart. 1541. *tit.* 3. *num.* 1. dicitur: „ Illa bona tantum censeri debent *amortizata*, quæ à juris„ dictione seculari per Principem sunt exempta, in litteris „ desuper ritè expeditis, vel quæ à 70. aut 80. annis tan„ quam amortizata per Ecclesiam possessa sunt."

XXVIII. „ Diploma Amortizationis (ait Anselmo in suo „ Triboniano Belgico *cap.* 87. §. 2.) vix negari solet, quan„ do Principi cæterisque constat, Pastoribus, seu Monaste„ riis non esse provisum de competentia.

XXIX. „ Quia verò (pergit Anselmo) per hujusmodi „ concessionem Regi, vel Dominis loci damnum infertur prop„ ter laudimia (l) & publicationes, seu confirmationes, & „ per eas bona immobilia subducuntur è potestate seculari, „ adeoque impositionibus gravari non possunt, sicut cætera bo„ na in manibus laicorum existentia: hinc pro obtinendo ju„ re morticinii (m) solent supplicantes Regi pro jure confis„ cationis offerre censum aliquem irredimibilem, & cum Do„ mino loci ratione laudimiorum componere; & denique bo„ na amortizanda subjicere, & obnoxia reddere impositionibus, „ talliis, contributionibus, precariis, aliisque oneribus, per„ inde ac si essent in potestate seculari. Hoc modo cessant „ incommoda, seu rationes, ob quas prohibitum est Eccle„ siasticis & Monasteriis acquirere."

Si quis plura scire desideret de hac amortizationis materia, consulat Pecquium in tractatu *de Amortizatione bonorum*; & Zypæum in Jure novo, *tit. de Foro competenti*, & alios ab aliis citatos (n).

SUPPLEMENTUM
AD CAPUT III.

De Amortizatione iterum disseritur.

1 *Inquiritur origo Amortizationis.*
2 *Quid Reges Hispani & Galli hac de re sanxerint.*
3 *Dissidium hac de re inter Sedem Apostolicam, & Rempubl. Venetam.*
4 *Hanc interdicto subjecit Paulus V.*
5 *Causa Reipubl. à Paulo Veneto propugnatur.*
6 *Probatur quòd Respublica in sua lege de rebus Ecclesiæ non disposuerit.*
7 *Juramentum in alienatione bonorum immobilium.*

* I. Capitis præced. num. XXVI. dictum est acquisitionem bonorum immobilium fieri non posse à Communitatibus, quæ *Manus-mortuæ* nuncupantur, nisi Principis consensus accesserit: „ Necessarius ille fuit ex quo sub „ finem secundæ stirpis Regum Francorum adventitia feudo„ rum jura in mutationibus introduci cœperunt, ait Du Can„ ge dicto verbo *Amortizatio*: Nam ante ea tempora fundos „ liberè acquirebant Ecclesiæ, acceptis tantùm à Regibus lit„ ris *Emunitatis*, soluto censu annuo, redditisque Domino „ feudali debitis servitiis pro quibuscunque possessionibus suis „ obnoxiis, præter mansum integrum, qui ab omni reddi„ bitione immunis erat: *sancitum est*, inquit Carolus Mag„ nus *ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque ullo* „ *servitio attribuatur.*"

Mansus Ecclesiasticus dicitur ea agri portio, quæ ipsi Ecclesiæ in dotem assignari solebat, vel Presbytero Ecclesiæ deservienti cum aliquot mancipiis, quæ quidem portio ab omnibus oneribus immunis erat. Quo precisè tempore quolibet Ecclesiæ bonum immobile fuerit *amortizationi* obnoxium, assignari non potest.

II. Hispani & Galli Reges diversis temporibus prohibuerunt bona *immobilia* transferri in Monasteria, aliaque corpora Ecclesiastica, sive, ut vocant, *Manus-mortuas*, nisi obtentis litteris amortizationis.

Non desunt, qui ausu temerario scribere, & docere tentârunt Principes seculares similem legem ferendo suam excedere potestatem, eamque legem tanquam immunitati, & libertati Ecclesiasticæ contrariam omninò esse reprobandam.

III. Et quidem legitur, quòd cum Respublica Veneta sub initium præcedentis seculi similem legem edidisset, eam Paulus V. declaraverit per specialem Bullam, ut libertati & immunitati contrariam, atque per Rempublicam revocari mandaverit.

IV. Cùm verò Respublica mandato Pontificis non parendum, editamque hanc legem nullatenus libertati, aut immunitati adversam arbitraretur, imò eam conversationi Reipublicæ planè necessariam; tandem idem Pontifex Rempublicam Ecclesiastico interdicto subjecit, cui interdicto tanquam subvel-obreptitiè à Pontifice extorto nullatenus obtemperandum censuit Respulica, omnibusque subditis tam laicis, quàm Ecclesiasticis, seu secularibus, seu regularibus vetuit sub gravissimis pœnis huic interdicto obtemperare, sed illud voluit, ut nullum atque invalidum ab omnibus haberi, & ut tale publico edicto declaravit.

Hac occasione plures singulares tractatus editi leguntur, quibus æquitas, & justitia hujus legis solidissimè astruitur, & Principum auctoritas in ferenda simili lege vindicatur.

V. Plures ex his tractatibus inserti leguntur tom. 3. Monarchiæ Imperii per Melchiorem Goldastum, atque inter alios doctissimus tractatus Pauli Veneti sub hoc titulo: *Considerationes censurarum Pauli V. Pontificis contra Serenissimam Rempublicam Venetam*, ubi advertit, quòd lex, quæ prohibet, ne quis laicorum *immobilia* sua bona ad Ecclesiasticos transferat, „ nihil Ecclesiasticis præcipiat, sed laicis solummodo „ & secularibus legem imponat, & quam injuriam facere Prin„ ceps eo potest, dum subditis, ne cum hoc vel illo cer„ to hominum genere contractus ineant, prohibet? In omnibus „ enim Regnis usitatissimum est, ut prohibeatur, ne om„ nis generis merces, aut exportentur, aut etiam sine discrimi„ ne inferantur, hoc itaque fiet in offensionem exterorum? Non „ credo, quemquam in hanc consequentiam assensurum; idque „ tantò magis, quando privati talem legem de suis ipsorum bo„ nis statuunt, & in contractibus has conditiones inserunt, ne „ is, quicunque ipsis in societate est, commodum suum Ec„ clesiis vendere, aut alio quovis modo ad easdem alienare pos„ sit. Quemadmodum etiam nonnulli, ut bona ab iis parta in„ ter suos maneant, in testamentis præcavent, ne quid ad „ Ecclesias transferatur: & ita sanè omnes leges de fideicom„ missis libertati Ecclesiæ repugnarent, dum scilicèt bona in „ Ecclesiis relinquere prohibent."

VI. Post hæc probat, in hac lege Principem non disponere de rebus Ecclesiæ, sive ad Ecclesiam jam spectantibus, sed de rebus suæ jurisdictioni planè subjectis, & eatenus sibi propriis disponere; ac propterea posse statuere, ne ad Ecclesiasticos, sive *Manus-mortuas* bona illa transferantur, præsertim quòd per eam translationem quodammodo ejus jurisdictioni subtrahantur, nec jura Principis salva, & integra esse possint.

Quapropter sicut privatus quisque potest præcavere ne sua bona ad Ecclesiam transferantur citra violationem libertatis Ecclesiasticæ, non dubium, quin idem liceat Principi, si ex ea translatione sua jura inverti prævideat.

VII. Non obstantibus iteratis, iisque admodum rigorosis Principum nostrorum edictis, vetantibus omnem bonorum *immobilium* quocunque titulo alienationem & translationem in corpora ecclesiastica, sive *Manus-mortuas*, nihilominus deprehensum fuit, plurima hujusmodi suppositis aliorum privatorum hominum nominibus in Monasteria, aliasque *Manus-mortuas* cum non exiguo Reipublicæ detrimento transferri. Quare ad obviandum hisce fraudibus, necessaria visa est nova rursus Principis ordinatio, quæ prodiit 3. Decembr. anni 1638. re-

la-

(k) *Hoc legatum existimabatur factum Manui-mortuæ, quia addicitur Collegio, quod est Communitas.*

(l) *Laudimium dicitur præmium, quod præstatur pro revocatione Emphiteutica.* In Longomb. legit. lib. 4. cod.

(m) Morticinii *nomine intelligitur Tributum, quod Dominus post sui Vassalli mortem exigebat ab hæredibus defuncti.*

(n) *Quibus adde elegantem eruditumque Tractatum* de la Regalía de la Amortizacion, *ab Illmo. D. D. Petro Rodriguez Campomanes hodie Consilii & Cameræ Castellæ Fisci Patrono, ellaboratum, & anno* 1765. *publicatum; in quo omnia ad hanc materiam concernentia enarrantur & illustrantur.*

latâ *part.* 1. *Edict. Brabant. lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 9. quâ inter cætera ad præveniendas fraudes, per quas nonnulli nomen suum supponebant in alienatione bonorum immobilium, quasi in ipsos bona illa immobilia transferrentur, cùm tamen reverà hæc alienatio esset in commodum *Manus-mortuæ*, injungitur tam venditoribus, quàm emptoribus dictorum bonorum immobilium, ut in venditione & exemptione, eorumque inhæredatione declarent sub juramento, hanc alienationem non fieri *directè*, seu *indirectè* in commodum alicujus *Manus-mortuæ*: utque in ipsa acta inhæredationis fiat expressa mentio factæ hujus declarationis.

Dolendum sanè, quòd Ecclesiasticorum, & Religiosorum quorundam nimia aviditas copulandi agrum agro, Principes coëgerit, subditis suis simile juramentum imponere, eos periculo perjurii sæpiùs exponendo; ita ut hîc meritò applicaretur, quod occasione similis legis suo tempore dixit S. Ambrosius; *legem non reprehendo, sed doleo, quod talem legem meriti fuerimus.*

CAPUT IV.

Qui Ordines Mendicantes, et eorum specialis paupertas, ac quæ religiosa mendicitas.

1 *Qui Religiosi dicantur* Mendicantes.
2 *Ordines Mendicantes olim redditus habere non poterant.*
3 *Aliqui sunt mendicantes ex* Regula; *alii ex* Constitutionibus.
4 *Soli Franciscani sunt Mendicantes ex* Regula.
5 *Meritò S. Franciscus dicitur primus* Mendicantium *auctor.*
6 *Ordo S. Dominici in sua fundatione redditus in communi possedit.*
7 *Similiter Ordo Eremitarum S. Augustini.*
8 *Ordo Carmelitarum dici non potest Mendicantium ex* Regula.
9 *Tempore editi libri Decretalium non videntur Ordines Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum fuisse Ordines Mendicantes.*
10 *Hi Ordines videntur sensim Ordinibus Mendicantium fuisse annumerati.*
11 *Circa medium seculi XIII. videtur Ordo Carmelitarum Ordinum Mendicantium institutum cœpisse arripere.*
12 *Similiter circa idem tempus Ordo Eremitarum S. Augustini eam vitæ normam cœpisse imitari.*
13 *Ex decreto Concilii Lugdunensis sub finem seculi XIII. constat, hos Ordines necdum tanquam Ordines Mendicantes fuisse approbatos.*
14 *Decretum Concilii Lugdunensis mutilatum tempore Bonifacii XIII.*
15 *Ex illa mutilatione colligitur Ordines illos tunc fuisse tanquam* Mendicantes *probatos.*
16 *Ordo Minimorum Ordinibus Mendicantibus annumeratus.*
17 *Ordo Societatis Jesu declaratur esse verè de Ordinibus Mendicantibus: & quo titulo.*
18 *Similiter Ordo Discalceatorum Ordo Mendicantium declaratur.*
19 *Ordines Mendicantes olim renuntiârunt possessioni bonorum etiam in* communi.
20 *Creditum fuit hanc paupertatem Ordinibus illis maximè convenire: & quare.*
21 *Experientia postmodum docuit, quòd multiplicato Religiosorum, & Monasteriorum numero, difficile esset sine multis incommodis hanc paupertatem servare.*
22 *Imbecilliores & imperfecti difficulter molestias ex hac paupertate provenientes substinere possunt.*
23 *Hi ut molestias & incommoda evadant, pro vitæ subsidiis ad media inordinata recurrere cœperunt.*
24 *Id evincitur ex Epistolis S. Bonaventuræ.*
25 *Plures Ordines Mendicantes cœperunt etiam ante Concilium Tridentinum redditus in* communi *possidere.*
26 *Synodus Tridentina id omnibus concessit, exceptis Minoribus de Observantia, & Capucinis.*
27 *Synodus non vult plures recipi quàm ex redditibus Monasterii, & consuetis eleemosynis sustentari possunt.*
28 *Cur Minores de Observantia, & Capucini in Decreto Tridentino excepti.*
29 *Quid in publicatione Concilii Tridentini in Belgio circa prædictum Decretum fuerit notatum.*
30 *Licèt Ordinibus Mendicantibus concessum sit possidere redditus in* communi, *non tantum desierunt dici* Mendicantes à mendicitate.
31 *Quod S. Franciscus de Mendicitate dixit, id meritò pro norma religiosæ mendicitatis accipitur.*
32 *S. Franciscus noluit, ut Fratres mendicarent, nisi deficientibus aliunde vitæ subsidiis.*
33 *Ut Fratres à solicitudine anxia vitæ necessariis acquirendis liberaret, voluit, ut non erubercerent, in necessitate eleemosynas* ostiatim *petere.*
34 *Petere aut accipere eleemosynas extra necessitatem & ultra necessitatem speciem* furti *reputavit S. Franciscus.*
35 *S. Franciscus tantùm voluit Fratres mendicare, dum ex labore manuum vivere non possunt.*
36 *Nicolaus III. declaravit à labore manuum exemptos, qui studiis aut Ecclesiasticis ministeriis obeundis vacant.*
37 *S. Thomas docet tribus titulis Religiosos posse ex eleemosynis vivere.*
38 *Hodie penè solo titulo ministerii populo impensi, Religiosi ad eleemosynas petendas admittuntur.*
39 *Sine consensu civilis Magistratus ægrè hîc admittitur collectio eleemmosynarum.*
40 *Viventes eleemosynis debent tanquam pauperes* paucis *esse contenti.*
41 *Non debent Ordines otiosis & non laborantibus gravari.*
42 *Cavere debent in eleemosynarum collectione speciem avaritiæ, & turpis quæstus.*
43 *Solicitè cavere debent vitia & abusus* Quæstorum.

I. „ HI dicuntur Mendicantes (ait Glossographus ad *cap.* „ *unic. de Excessibus Prælat. in VI.* in verbo „ *Menaicantes*) quibus victum tribuit incerta mendicitas: & „ qui redditus, aut possessiones ex Regula, vel Constitutio„ nibus habere non possunt.“ Quæ definitio accepta ex *cap. unic.* §. CONFIRMATOS, *de Religios. domibus, in VI.* in quo dicitur, Ordines, aliquos per Sedem Apostolicam confirmatos, & post Concilium Lateranen. sub Innocentio III. institutos, „ quibus ad congruam sustentationem redditus aut possessiones „ habere professio, sive Regula quælibet interdicunt, sed per „ quæstum publicum tribuere victum solet incerta *mendicitas.*“

II. Si igitur jus commune inspiciamus, Religiosi, quos *Mendicantes* dicimus, nec *in communi* redditus, aut possessiones ad congruam sustentationem habere possunt; victumque tanquam pauperes ex eleemosynis etiam, si opus fuerit, nec ultrò offerantur, *ostiatim* emendicatis accipere debent.

III. Duo verò, ut ex allegatis intelligitur, sunt hujusmodi Ordinum Mendicantium genera. Alii enim sunt tales ex *Regula*, alii verò ex *Constitutionibus* ipsi Regulæ, quam profitentur, postmodum adjectis.

IV. Prioris generis sunt soli Franciscani, quorum Regula à S. Francisco dictata, & ab Honorio III. probata in Constitutione, quæ incipit: *Solet annuere*, 5. *in Bullar. Romano, cap.* 6. hæc habet: „ Fratres nihil sibi approprient, nec do„ mum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregri„ ni & advenæ in hoc seculo, in paupertate, & humilitate „ Domino famulantes, *vadant pro eleemosyna* confidenter: non „ oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit „ pauperem in hoc mundo. Hæc est illa altissimæ paupertatis, „ quæ vos charissimos fratres meos, hæredes, & reges regni „ Cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublima„ vit. Hæc est porro vera, quæ perducit in terram viventium, „ cui dilectissimi Fratres totaliter inhærentes, nihil aliud pro „ nomine Domini nostri in perpetuum sub cœlo habere velitis.“

Et rursus in suo Testamento, quod in Bullario Romano ipsi Constitutioni Pontificiæ subjicitur, de hac paupertatis professione ita loquitur: „ Et ego manibus meis laborabam & vo„ lo laborare, & omnes alii fratres mei firmiter volo, quòd „ laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem. Et qui „ nesciunt, dicant, non propter cupiditatem accipiendi pre„ tium laboris, sed propter bonum exemplum, & ad repel„ lendam otiositatem. Et *quando non daretur nobis pretium la„ boris, recurramus ad mensam Domini, pretendo eleemosy„ nas* OSTIATIM.“

V. Nullæ aliæ Monachorum Regulæ hujus abdicationis redditum, ac possessionum etiam in *communi*, aut *mendicitatis* ullibi meminere; ut meritò S. Franciscus primum hujus instituti fundamentum posuisse dicatur; atque primus Ordinum Mendicantium Fundator, eò titulo jure meritò dici queant.

Tametsi enim aliorum Ordinum, qui hodie Mendicantes dicuntur, institutio Ordinem S. Francisci præcessisse potuerit, nonnisi tamen post institutum Ordinem sancti Francisci, atque ab eo exaratam hanc Regulam, hoc vivendi institutum acceperunt: ac propterea *Mendicantes* non ex Regula, sed ex Constitutionibus dicuntur.

VI. Et quidem Dominicani Regulam S. Augustini à suo Fundatore acceperunt; nec aliam hucusque receperunt, quæ de hac abdicatione reddituum, aut mendicitate loquatur.

Unde & Ordinem Dominicanorum in suo exordio redditus, ac fundos, quin & decimas, & Ecclesias cum suis proventibus *in communi* possedisse, evidens est ex Bulla Honorii III. hujus Ordinis confirmatoria, quæ incipit: *Religiosam vitam.* Quin imò nonnisi quadriennio post Ordinis confirmationem in generali Conventu Bononiæ coacto, à Beato Dominico aliisque Ordinis Fratribus omnium bonorum abdicatio facta est; ne in posterum habere liceat, Constitutione edita sanxerunt, atque tunc

ex

ex eleemosynis, etiam mendicatò acquirendis, vivere cœperunt, idque ad exemplum & imitationem, ut dicitur, Sancti Francisci.

VII. Similiter Eremitas S. Augustini eandem cum Dominicanis Regulam sancti Augustini profitentes, nequaquam mendicantes *ex Regula* dici posse compertum est.

VIII. Nec Ordo Montis Carmeli, sive Carmelitarum talis dici potest. Regula enim S. Basilii, sive Regula Albertina Regulæ Basilianæ conformis, quam hi primitùs acceperunt & nunc profitentur, reddituum, & bonorum immobilium *in communi* possessionem non prohibet: Imò ex ipsa regula Albertina *cap.* 7. sat constat, Fratres Montis Carmeli primitùs bona *in communi* possedisse.

IX. Quo verò tempore hi duo Ordines, nimirum Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum, fuerint Ordinibus Mendicantibus annumerati, & tanquam tales à Rom. Pontificibus recogniti, ac probati, non satis constat.

Illud sat constare videtur, tempore Gregorii IX. neutrum illorum Ordinum *Mendicantibus* fuisse annumeratum: quia uti observat Azorius *Institution. Moral. part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 23. in toto libro Decretalium jussu hujus Pontificis collecto, solummodo referuntur duo Ordines Mendicantes, *Prædicatorum*, scilicet & *Minorum*.

X. Verisimile est, hos Ordines sensim & citra ullam specialem, & expressam Pontificiam constitutionem Ordinibus Mendicantibus fuisse annumeratos.

XI. Siquidem Innocentius IV. in Bulla, quâ Regulam à S. Alberto Fratribus Eremitis de Monte Carmelo traditam declaravit, & in aliquibus mitigavit, quæ incipit: *Quæ honorem*, 6. in Bullar. Rom. *cap.* 13. testatur, Fratres Ordinis illius mendicare consuevisse: „ Ab esu carnium abstineatis, nisi pro infir„ mitatis, vel debilitatis remedio sumantur. Et quia, ait, opor„ tet vos frequenter *mendicare* itinerantes, ne sitis hospitibus „ onerosi, extra domos vestras sumere poteritis pulmenta coac„ ta cum carnibus.“

Plura in eadem Regulæ mitigatione contineri, quæ innuunt, jam tunc Carmelitas, (qui primùm more Eremitico vixerant, atque adhuc *Eremitæ de Monte Carmelo* in Bulla Honorii III. regulæ Albertinæ confirmatoria dicebantur) ad vitam cœnobiticam, atque ad normam aliorum Mendicantium cœpisse regulari, uti ex collatione Regulæ Albertinæ, quemadmodum in Bulla Honorii III. continetur, cum eadem Regula per Innocentium IV. mitigata & mutata, facilè videri potest.

XII. Alexander IV. immediatus Innocenti IV. successor in Bulla, qua diversas Eremitarum Congregationes, quarum quædam *S. Guillelmi*, quædam *S. Augustini* Ordinum, nonnullæ autem Fratris *Joannis Boni*, aliquæ verò *de Fabali*, aliæ verò *de Britinis* censebantur, univit in unam Congregationem sub denominatione *Fratrum Eremitarum sancti Augustini*, ejusdem Regulâ, ac uniformis habitûs delatione, ibidem §. 6. hæc habet: „ Vos universos, & successores vestros à baculis, & „ ferulis deportandis, & quòd non cogamini ad *recipiendas „ possessiones aliquas*, *vel habendas*, decernens perpetuò li„ beros, & exemptos.“ Incipit Bulla: *Licet Ecclesiæ*, 6. in Bullar. Rom.

Refert insuper Azorius *Institutionum Moralium parte* 1. *lib.* 12. *cap.* 23. ex S. Antonino, quòd Innocentius IV. immediatus Prædecessor Alexandri IV. decrevisset jam dictos Eremitas sub variis nominibus, & Ordinibus viventes in unum corpus redigere, ut more Prædicatorum, & Minorum *cibo mendicato* viverent, ad populum conciones haberent, pœnitentium confessiones exciperent, & cæteras functiones Ecclesiæ obirent; sed cum morte præventus perficere non potuerit, Alexander IV. ejus successor perfecit.

Ex his non obscurum est, circa hoc tempus, scilicet sub medium seculi XIII. hos Ordines incœpisse redditus, ac possessiones etiam in *communi* abdicare; atque ad exemplum Fratrum Minorum, & Prædicatorum ex *eleemosynis* vivere, ac in cæteris quoque Mendicantium Institutum arripere.

XIII. Hos tamen Ordines inter Ordines Mendicantes specialiter nec eo tempore fuisse relatos, neque pro talibus à Sede Apostolica recognitos, indicat Gregorius X. in Concilio Lugdunensi anno 1247. celebrato; ubi Ordinum præcipuè Mendicantium multiplicationem nimiam redarguens, ipsosque Ordines Mendicantes post Concilium Lateranense subinductos, & S. A. approbationem necdum commeritos, censens supprimendos; atque una declarans, quòd ad *Prædicatorum* & *Minorum* Ordines (quos evidens ex eis utilitas Ecclesiæ universali proveniens perhibet *approbatos*) præsentem non patiatur Constitutionem extendi: de Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum Ordinibus ita loquitur: „ Cæterum *Carmelitarum* & *Eremitarum* „ Ordines, quorum institutio dictum Concilium generale præ„ cessit, in *suo statu manere concedimus*, DONEC de ipsis aliter „ fuerit ordinatum. Intendimus siquidem tam de illis, quàm de „ reliquis, etiam non Mendicantibus Ordinibus, prout anima„ rum saluti, & eorum statui expedire viderimus, providere.“

Ita habet Decretum à Gregorio X. in Concilio Lugdunensi editum, extatque tomo 11. Conciliorum General. *col.* 986. Ex quo non obscurum est, Gregorium X. concessisse quidem, ut hi Ordines in suo statu, prout tunc erant, permanerent, donec de ipsis aliter provideretur, se nequaquam *positivè* probâsse, aut positivè probatos credidisse.

XIV. Scio quidem in *cap. unic.* §. SANE *de Religiosis domibus*, *in* VI. ubi hoc Decretum refertur, pro his verbis, in *suo statu*, legi in *solido statu*, sed scio quoque jam pridem Glossographum ad citatum Capitulum *In solido*, notâsse: *aliàs solito*: „ Et hoc, ait, detrahit Bonifacius (scilicet VIII. Sixti „ Decretalium Auctor) de Concilio Gregorii: sic enim dice„ bat littera, in *suo statu* volumus permanere, donec de ip„ sis fuerit ordinatum. Intendimus siquidem, &c.“ prout supra ex Concilio relatum est. Subjungit deinde Glossographus: „ Et dicebatur quòd Gregorius nolebat aliquem de Mendicanti„ bus dimittere, nisi Prædicatores, & Minores. De non Men„ dicantibus tres, Cisterciensem, Ordinem Nigrorum, & „ de Templariis & Hospitalariis unum Ordinem facere.“ Hæc Glossa.

XV. Interim ex illa textûs mutatione, & mutilatione non obscurum est advertere, tempore Bonifacii VIII. id est, sub finem seculi XIII. aut initium XIV. Ordines Carmelitarum & Eremitarum S. Augustini Ordinibus Mendicantibus fuisse *stabiliter* annumeratos, atque ut tales agnitos, ac receptos: ideoque & ab eo tempore pasim quatuor famosi Ordines Mendicantium recensiti fuere; scilicet, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini & Carmelitarum, de quibus loquens Synodus Coloniensis 1536. *par.* 4. *cap.* 7. ait: „ Aliquot retrò se„ culis in Ecclesiam recepti sunt quatuor Mendicantium Fra„ trum Ordines, quo Parochorum in verbi ministerio cooperari „ forent.“

XVI. His quatuor Ordinibus successu temporis plures accesserunt, atque inter Ordines Mendicantes recensiti. Ordinem S. Francisci de Paula, vulgò *Minimorum*, inter Ordines Mendicantes comprehendi, speciali Bulla declaravit Pius V. quæ incipit: *Apostolicæ Sedis*, 49. *in Bullario Romano.*

XVII. Idem Pontifex per Bullam, quæ incipit: *Dum indefessæ*, 131. *in Bullar. Roman.* Religionem Clericorum Regularium Societatis Jesu esse verè *de Ordinibus Mendicantibus* declaravit: „ Tum quia, ait, ipsa Societas MENDICANS exis„ tit, quippe quæ ex ejus Instituto, & Constitutionibus à Se„ de Apostolica confirmatis, *bona stabilia* possidere nequit, „ sed incertis eleemosynis, fideliumque largitionibus, & sub„ ventionibus vivit; tùm quia non minus quàm cæteri Mendi„ cantes in excolenda vinea Domini assiduè laborat.“ (o)

XVIII. Carmelitarum Discalceatorum Ordinem esse unum è quatuor Ordinibus Mendicantibus, scilicet Ordinem Carmelitarum, cujus Religiosi Regulam ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano habitantibus in Monte Carmelo traditam, & ab Innocentio IV. confirmatam, profitentur & observant, declaratur in Bulla Clementis VIII. quæ incipit: *Romanum Pontificem*, 101. *in Bullar. Rom.*

XIX. Ex hactenus dictis habemus, Ordines Mendicantes, partim ex Regula, uti sancti Francisci, partim ex Constitutionibus, & consuetudine jam pridem renuntiâsse redditibus & possessionibus non tantùm in particulari, sed etiam in communi; ita ut nec ipsa *Communitas* redditus & possessiones, è quibus singuli sua necessaria acciperent, habere posset.

XX. Hanc paupertatem Ordinibus, sive Religionibus Mendicantibus, quæ non tantùm ad contemplandum, sed etiam ad contemplata aliis tradendum ordinantur, magis convenire docuit S. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 7. „ Quia, inquit, il„ lis Religionibus, quæ ordinantur ad contemplata aliis tra„ denda, competit vitam habere maximè ab exterioribus so„ licitudinibus expeditam. Quod quidem fit, dum modica, quæ „ sunt necessaria vitæ, congruo tempore procurata conser„ vantur.“

Non dubium, quin, si vitæ necessaria suo tempore subministrarentur iis, qui ad contemplandum, ac contemplata per prædicationem aliis tradendum sunt ordinati, sine minore solicitudine, ac consequenter sine minore impedimento suis functionibus insistere possent: Nam, „ ut ait idem Doctor, posessio„ nes communes multas solicitudines ingerunt de ipsis conser-

(o) *Eidem Societati primò facultatem sibi condendi Statuta seu Constitutiones concessit Paulus III. quinto Kalendas Octobris anni* 1540. *Posteà, ut suprà dictum est, declaravit Pius V. sua Bulla, quæ incipit*: Dum indefessæ, *verè esse de Ordinibus Mendicantibus. Sed ultimò ad petitionem Regum Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ & utriusque Siciliæ, prius ab eis à suis Ditionibus ejusdem Societatis sociis expulsis, Clemens Papa XIV. suis litteris datis die* 21. *mensis Julii anni* 1772. *hunc* ORDINEM EXTINXIT.

„ servandis , & custodiendis , & excolendis.“

XXI. Verùm vix Ordinibus hisce exortis , & nonnihil multiplicatis , visum fuit , quàm difficile , quamque molestum sit , tantum Religiosorum numerum Fidelium eleemosynis sustentari ; adeò ut ex Matthæo Parisiensi ad annum 1258. in suo Monastico referat Dadinus Alteserra *lib.* 1. *cap.* 11. „ Univer„ sitas insuper Parisiaca per Prædicatores & Minores non me„ diocriter est perturbata ; tot autem Ordines exorti sunt, „ quod hi hos & è converso supplantant : nec sufficit , ut con„ suevit populus , eos plebeiis eleemosynis sustentare.“

XXII. Insuper altissima illa paupertas , quæ nec *in communi* redditus , possessionesque admittit , sed jubet vitæ necessaria à Fidelium mera liberalitate , quasi *mendicato* expectare , frequenter non exigua secum trahit incommoda , ac molestias, quibus ferendis penè non sufficiunt etiam illi , qui ad vitæ monasticæ perfectionem jam aliquatenus pervenerunt.

Unde S. Thomas in Opusculo 15. *cap.* 16. expressè fatetur, quòd expediat propter eos , qui non sunt *summæ* perfectionis capaces , communes possessiones possideri.

Hinc plurimæ inordinationes , & ipsa quoque regularis disciplinæ collapsio tandem in multis Monasteriis secutæ sunt.

XXIII. Cùm enim multiplicatis Ordinum Mendicantium Fratribus , cœpissent & imbecilliores , minusque perfecti inter ipsos reperiri , qui molestias , & incommoda , ex summa illa & utilissima paupertate provenientia , animo christiano ferre non possent , compertum fuit , quòd multi , ut se à molestiis, ac indigentiis eximerent , recurrens ad media ab Instituto suo, & mente Patrum aliena , ac ipsius Religionis disciplinam enervantia , imò quæ ipsi populo , ac Clero hos Ordines odiosos redderent.

XXIV. Et quod mirum , eodem seculo quo primùm exorti fuerunt Mendicantes , ad Provinciales , & Custodes sui Ordinis scribit Seraphicus Doctor Bonaventura tunc Ordinis Minorum Minister Generalis electus : „ Perquirenti mihi causas, „ cur splendor nostri Ordinis quodammodò obscuratur , Ordo „ exteriùs inficitur , & nitor conscientiarum interiùs defædatur; „ occurrit negotiorum multiplicitas , quâ pecunia nostri Or„ dinis paupertati super omnia inimica avidè petitur , incautè „ recipitur , & incautiùs contrectatur. Occurrit quorumdam „ Fratrum otiositas , quæ sentina est omnium vitiorum ; quâ „ plurimi consopiti , monstruosum quemdam statum inter con„ templativum & activum eligentes , non tam carnaliter , quàm „ crudeliter sanguinem comedunt animarum. Occurrit evagatio „ plurimorum , qui propter solatium suorum corporum , gra„ vando eos , per quos transeunt , non exempla post se relin„ quunt vitæ , sed scandala potiùs animarum. Occurrit impor„ tuna petitio , quâ omnes transeuntes per terras adeo abhor„ rent Fratrum occursum , ut eis timeant , quasi prædonibus „ obviare. Occurrit ædificiorum constructio sumptuosa & cu„ riosa , quæ pacem Fratrum inquietat , amicos gravat , & ho„ minum perversis judiciis multipliciter nos exponit. Occurrit „ multiplicatio familiaritatum , quam Regula nostra prohibet; „ ex qua suspiciones , infamationes , & scandala plurima oriun„ tur. Occurrit improvida commissio officiorum , quâ Fratri„ bus nondum usquequaque probatis , nec carne maceratis , nec „ spiritu roboratis , imponuntur officia vix portanda. Occurrit „ etiam sepulturarum , & testamentorum avida quædam in„ vasio , non sine magna turbationi Cleri , & maximè Sa„ cerdotum.“

Similia deploravit idem sanctus Doctor in alia Epistola ad eosdem Provinciales , & custodes Ordinis sui iteratò data, & in Ordinis Annalibus , ac temporis illius historiis latiùs relatâ.

Neque alii Mendicantium Ordines ab iis incommodis immunes fuisse , eorum chronica , & antiqua monumenta , & iis eliminandis opposita Statuta , abundè evincunt.

XXV. Prudentiores autem propriùs expendentes , aucto Religiosorum numero , necnon ipsius primo Religionis fervore , & Laicorum in eos affectu defervescente , difficulter posse sine magnis incommodis , absque communibus redditibus , & possessionibus , Ordinem ejusque disciplinam in sua puritate stare, consultius credidêre , ut illi saltem Ordines , quibus non ex Regula , sed solùm ex Constitutionibus vetitum erat *in communi* redditus , & possessiones habere , ab his Constitutionibus nonnihil recederent ; atque ad Regulam , quæ redditus , & possessiones *in communi* possidendas permittebat , redirent.

XXVI. Quod cum jam pluribus in Religionibus esset per licentiam Sedis Apostolicæ , vel Ordinis contrarias Constitutiones inductum , tandem Synodus Tridentina probavit , „ con„ cedendo omnibus Monasteriis , & domibus , tam virorum „ quàm mulierum , & Mendicantium , exceptis domibus Fra„ trum S. Francisci *Capucinorum* & eorum qui Minorum *de* „ *Observantia* vocantur , etiam quibus ex Constitutionibus suis „ erat prohibitum , aut ex privilegio Apostolico non erat con„ cessum , ut deinceps bona IMMOBILIA possidere liceat.“ *Sess.* 25. *de Regularibus* , *cap.* 3 (p).

XXVII. Utque Synodus efficaciùs occurreret incommodis, quæ ex nimia Monasteriorum egestate , & necessariorum ad vitæ sustentationem carentia , nata sunt oriri , eodem Decreto sancivit : „ In prædictis autem Monasteriis tam virorum quàm „ mulierum bona immobilia possidentibus , is tantùm numerus „ constituatur , ac imposterum conservetur , qui vel ex reddi„ tibus propriis Monasteriorum , vel ex consuetis eleëmosynis „ commodè possit sustentari.“

XXVIII. Ab hoc Decreto circa possessionem bonorum immobilium excipi voluêre Capucini , & Minores de Observantia; eò quòd non tantùm eorum Constitutiones , sed ipsa S. Francisci Regula , quam profitentur , hujusmodi bonorum possessionem interdicat , eosque ad altissimam illam paupertatem adstringat.

XXIX. Circa decretum Tridentinum bonorum immobilium possessionem Monasteriis Ordinum Mendicantium permittens, prævie ad publicationem ipsius Concilii in Belgio , id notârunt Regia Concilia , non aliter admitti posse , ut Monasteria illa bona immobilia deinceps possideat , quàm si ex *consensu Principis bona amortizentur*. Brabanti addiderunt , si id aliter accipiatur , fore contra articulos inaugurationis , seu læti Introitûs suæ Provinciæ , quibus custodiendis Regia Majestas jure jurando adstringitur. Ita refert Antonius Anselmo in suo Tribeniano Belgico *cap.* 32. §. 43.

XXX. Quantumvis verò Monasteriis Ordinum Mendicantium , exceptis Capucinis , & Minoribus de Observantia S. Francisci , facta sit licentia possidendi bona immobilia *in communi*; atque ea facultate pleraque hodie utantur ; nequaquam tamen propterea desierunt esse , & vocari Ordines *Mendicantes*.

Mendicantes quippe præcipuè dicti sunt à *Mendicitate*, quam etiam hodie cùm bonorum immobilium , & reddituum *in communi* possessione tanquam partiale medium , quo sibi vitæ subsidium procurare queant , adhuc retinent.

XXXI. Porrò sicut nulla Monachorum Regula ante Sanctum Franciscum vetuit bonorum , reddituumque in communi possessionem ; ita primus ipse Franciscus in sua Regula , *Mendicitatis* , seu conquirendi eleëmosynas ostiatim mentionem fecit ; occasionemque nomenclaturæ *Mendicantium Fratrum* dedit.

Quidnî igitur , quod S. Franciscus de hac mendicitate dixit, pro norma Religiosæ Mendicitatis habeatur ac reputetur ?

XXXII. Voluit S. Franciscus in sua Regula , ut Fratres, quibus dedit Dominus gratiam *laborandi* , laborent fideliter & devotè , ita tamen , ut per laborem sanctæ orationis & devotionis spiritum non extinguant , cui debent cætera temporalia deservire.

Insuper vult , „ ut de mercede laboris , pro se , & suis Fra„ tribus necessaria corporis recipiant , & hoc humiliter , sicut „ decet servos Dei , & paupertatis sanctissimæ sectatores.“

Hæc *cap.* 5. ac tum *cap.* 6. subjungit : „ Fratres nihil sibi „ approprient , nec domum , nec locum , nec aliquam rem, „ sed tanquam peregrini & advenæ in hoc seculo , in paupertа„ te , & humilitate Deo famulantes , *vadant pro eleemosyna.*“ Quasi diceret , si merces laboris vitæ necessariis non sufficiat, tunc Fratres tamquam peregrini , & advenæ in hoc seculo *vadant pro eleemosyna.* Quod apertius indicat in suo Testamento.

Hîc enim rursus non verbis duntaxat , sed suo exemplo Fratres ad laborandum excitans dicit : „ Et ego manibus meis *labo„ rabam* , *& volo laborare* , & omnes alii Fratres mei firmiter „ volo , quòd laborent de laboritio , quod pertinet ad honesta„ tem. Et qui nesciunt , discant ; non propter cupiditatem re„ cipiendi pretium laboris , sed propter bonum exemplum , & „ ad repellendam otiositatem.“

XXXIII. Ut verò ampliùs Fratres à cupiditate & solicitudine lucri ex laboritio suo acquirendi avocaret , §. sequenti subdit : „ Et quando non daretur nobis pretium laboris , re„ curramus ad mensam Domini , petendo elemosynas ostiatim.

Quasi diceret , laboremus strenuè manibus nostris ; sed sine anxietate , & cupiditate lucri. Si enim contingat nobis non dari pretium laboris , tunc non erubescamus , ut tanquam peregrini , & advenæ in hoc seculo in paupertate , & humilitate Domino famulantes , *vadamus pro eleemosyna confidenter* , sive re-

(p) *His Religionibus* , *quibus à Concilio Tridentino declaratum est posse bona immobilia possidere* , *prohibitum est* leg. 6. lib. 1. tit. 9. Recop. *quæstuationem* , *etiam titulo publicationis indulgentiarum* ; *quo titulo etiam denegatum est Religionibus supra exceptis* : *pro cujus confirmatione non parum conducit dispositio generalis circa stabilimentum Calculatoriæ* , *vulgò* de Proprios y Arbitrios del Reyno. *Nota tamen* , *quòd Religiosis Augustinianis Recoletis* , *seu Discalceatis expeciali privilegio concessum fuisset à supremo Hispania Senatu licentiam quæstuandi* , *pro tempore quinque annorum* , *sua Regia Schedula data die* 17. *Augusti anno* 1770.

recurramus *ad mensam Domini*, petendo eleemosynas ostiatim. Quare nequaquam obscurum est, S. Franciscum noluisse, Fratres recurrere ad mensam Domini prætendo eleëmosynas ostiatim, nisi dum jam omnibus rebus, & facultatibus etiam in communi abdicatis, ipsoque laboris pretio deficiente, necessariis vitæ subsidiis destituuntur.

XXXIV. Hinc illud ejusdem Patris legitur apophthegma 41. „ Fratres quantoties hortabatur, ut inanes discursus, & ni„ mias solicitudines in acquirendis, vel colligendis eleëmo„ synis vitarent, & omninò quæstus superfluos abhorrerent, „ dicens: Fratres, petite tantùm victui, & vestitui necessa„ ria. Ego de me fateor, & gratias ago Deo, quòd nunquam „ fui fur, aut latro eleëmosynarum; semper enim minùs ac„ cepi, quàm me contingeret, ne alii pauperes suâ sorte frau„ derentur; quia contrarium facere semper furtum reputavi.“ Nihil ergo superflui quæstûs ex eleëmosynis conquiri voluit S. Franciscus, ipsius mendicitatis religiosæ, atque altissimæ illius paupertatis primus inter Monachorum Patres institutor; quin & *furtum* eleëmosynarum aliis pauperibus debitarum esse reputavit, si quid præter victui, & vestitui necessaria acciperetur.

XXXV. Ad hæc manifestum est, S. Franciscum enixè commendâsse Fratribus, ut *manibus laborarent*: & casu quo ex laboritio pretium sufficiens victui, & vestitui non acciperent, tunc in subsidium, tanquam pauperes, & advenæ in hoc seculo *ad mensam Domini recurrerent, petendo eleëmosynam ostiatim.*

XXXVI. Verùm Nicolaus III. in *cap.* Exiit, *de Verbor. Signif. in VI.* elucidans nonnulla dubia circa Regulam S. Francisci, quam ipse aliquando professus fuerat, & exponens verba illa Regulæ quibus Fratribus labor MANUUM præcipitur, declarat: „ Quòd consideratis verbis prædictis, & „ formâ, seu modo loquendi, sub quibus Fratres ad hu„ jusmodi exercitium inducuntur, non videatur ea fuisse ins„ tituentis intentio, quòd *vacantes studio* vel *Divinis Offi„ ciis* & *Ministeriis* exequendis, manuali labori, seu opera„ tione subjicere, vel ab hoc illos arctaret.“

XXXVII. Et ante Nicolaum III. S. Thomas docuit Religiosos posse ex eleëmosynis vivere: primò propter *necessitatem*, quæ provenit, vel ex corporis infirmitate, ex qua contingit, quòd non possint sibi labore manuum victum quærere, vel si illud, quod ex opere manuum conquirunt, eis ad victum non sufficiat.

Secundò, possunt juxta S. Thomam Religiosi ex eleëmosynis vivere, si prædicent auctoritate Prælatorum, aut altari ministrent & Sacramenta administrent; vel etiam si studio Sacræ Scripturæ ad *communem* utilitatem totius Ecclesiæ insistant.

Post hæc subdit S. Thomas, „ Si verò aliqui sint Reli„ giosi, qui absque necessitate, & utilitate, quam afferant, ve„ lint otiosi de eleëmosynis, quæ dantur pauperibus, vive„ re, hoc est iis illicitum. Unde S. Augustinus dicit in libro „ *de Opere Monachorum*: Plerumque ad hanc professionem ser„ vitutis Dei, & ex conditione servili aliqui veniunt; & ex „ vita rusticana, & ex opificum exercitatione, & plebejo la„ bore, de quibus non apparet, utrum ex proposito servitu„ tis Dei venerint, an vitam inopem, & laboriosam fugientes „ vacui pasci atque vestiri voluerint, & insuper honorari ab „ eis, à quibus contemni conterique consueverant. Tales er„ go se, quò minùs operentur, de infirmitate corporis excu„ sare non possunt: præteritæ quippe vitæ consuetudine con„ vincuntur.“ Et postea subdit: „ Si noluerint operari, non „ manducent. Neque enim propterea ad pietatem divites hu„ miliantur, ut pauperes ad superbiam extollantur. Nullo enim „ modo decet, ut in ea vita, ubi Senatores fiunt laboriosi, ibi „ fiant opifices otiosi, & quo veniunt, relictis deliciis suis, „ qui fuerant prædiorum domini, ibi sint rustici delicati.“ Hactenus Thomas 2. 2. *q.* 187. *art.* 4. *in C.* qui ibidem cùm sibi objecisset in argumento 5. quòd „ Apostolus nolebat vi„ vere de sumptibus Fidelium, ut occassionem auferret pseu„ do Apostolis, & ne scandalum poneretur infirmis, ergo „ videtur, quòd propter easdem causas Religiosi se debeant „ abstinere, ne de eleëmosynis vivant.“ Respondet: „ Quòd „ quando apparet *manfesta* necessitas, & utilitas, propter „ quam aliqui Religiosi de eleëmosynis vivant absque opere „ manuali, non scandalizantur ex hoc infirmi, sed malitiosi, „ more Pharisæorum, quorum scandalum contemnendum Do„ minus docet *Matth.* 5. Sed si non esset *evidens* necessi„ tas, & utilitas, posset exinde generari scandalum infirmis, „ quod esset vitandum.“

Igitur juxta S. Thomam, cui S. Bonaventura variis in locis consentit, Religiosi ex eleëmosynis vivere possunt, tametsi manibus non laborent, si pro Ecclesia spiritualiter ac utiliter laborent; atque hoc fere unico titulo hodie Fratres Mendicantes ad colligendas eleëmosynas admittuntur.

XXXVIII. Moribus siquidem Belgii, vicinarumque Provinciarum passim obtinuit, ut Religiosi ad civitates cum Facultate eleëmosynas ostiatim petendi, sive *quæstuandi*, ut ajunt, admittantur, modo veniant tanquam Parochialium Ecclesiarum, & Ordinariorum Sacerdotum, ac Ministrorum, coadjutores, & subsidiarii, & cum onere inserviendi populo in spiritualibus, ubi id necessitas postulârit.

Neque extra civitates alii è Religiosis ad quæstuandum, sive ad eleëmosynas quærendas admitti solent, nisi qui iis in locis stationes habentes, certis diebus ibidem Parochis in prædicatione aut Sacramentorum administratione assistunt.

XXXIX. Pro hoc notandum quòd hodie in hisce aliisque Provinciis ægrè permitteretur, ut Religiosi etiam ex Ordine Mendicantium aliquo in loco eleëmosynas colligerent, vel peterent, nisi consentiente Magistratu loci. Neque licitum esse, sine consensu Regis, collectam aliquam publicam, etiam pro pauperibus, aut Religiosis, tametsi Bullâ Pontificiâ munitis instituere in Gallia aliisque Regnis, ostendit Carolus Fevretius *lib.* 3. *de Abusu*, *cap.* 1. *num.* 18. quod & in Belgio ægrè permitteretur, præsertim si de notabili collecta ageretur.

XL. Porrò quocunque titulo hæc religiosa mendicitas, sive quæstuatio instituatur, semper in illa observanda est moderatio & modestia, quam ipsi Ordinum fundatores, & ipsæ Regulæ Religiosæ paupertatis & modestiæ requirunt.

Atque imprimis in hac eleëmosynarum collectione ipsi Religiosi ex iis viventes, meritò attendere debent, se tanquam *pauperes* & *advenas* in hoc seculo vivere; hancque esse præ cæteris Religionibus, Fratrum Mendicantium professionem; atque eo titulo *paucis*, tam in victu, quàm vestitu debere esse contentos.

Quod evidenter supponit S. Thomas 2. 2. *q.* 188. *art.* 7. *in C.* probans Religionibus institutis ad contemplandum, & contemplata aliis tradenda, convenire, non habere possessiones *in communi*; quia minorem adfert solicitudinem, dum *modica*, inquit, quæ sunt necessaria, vitæ congruo tempore procurata conservantur; non obscurè supponens, quòd Religiones hujusmodi *modicis* debeant esse contentæ.

Ad quæ reflectens S. Thomæ Commentator Cardinalis Cajetanus, ait, unam ex causis, ob quas, experientiâ teste hodie plus solicitudinis adferat, vivere ex eleëmosynis, quàm ex moderatis possessionibus, esse *nimios* Religiosorum sumptus. „ Nam, inquit, quod triginta Religiosi hodie exigunt, paulò an„ te *centum* fortè sufficiebat.“

XLI. Ulteriùs cùm hodie penè solo titulo *laboris spiritualis* eleëmosynæ è populo petantur; easque eo intuitu populus det, meritò quoque Ordines illi attendunt, ne populus nimium gravetur sustentatione eorum, qui ad spiritualem hunc laborem impendendum nullatenus conducunt. Quare, ut ait Cajetanus loco citato, „ non deberent omnes ad harum Reli„ gionum professionem recipi, sed soli idonei ad officium prædi„ candi, & confessiones audiendi, & ministri eorum necessarii.“

Hac de causa Magistratus locorum in admissione Ordinum Mendicantium nonnunquam numerum admittendorum ad hunc Conventum limitant, ne aliàs excessivus eorum numerus administrandis populo spiritualibus haud necessarius, nimium oneri sit, uti suprà notavimus.

XLII. Solicitè insuper adlaborare debent, ut ita in hac eleëmosynarum collectione se exhibeant, ut notam cupiditatis, & avaritiæ non incurrant, ipsique populo suadeatur, prædicationem cæteraque spiritualia officia quæstûs causâ non institui.

Hac de re laudabile est Ordinis PP. Prædicatorum statutum: „ Cùm Prædicatores se tanquam veros Religiosos, & „ viros Apostolicos exhibere debeant, & nulli materiam scan„ dali præbere, & ab omni specie mali abstinere, idcircò „ nullo modo debent permittere, ut dum actu prædicant, col„ ligantur pecuniæ, sive pro domo, sive pro quacunque per„ sona, ne notam cupiditatis, vel avaritiæ incurrant, & præ„ dicationis officium in vilipendium veniat. Et ob id sub pœ„ na excommunicationis mandatur omnibus fratribus, ne de cæ„ tero prætextu cujuscunque extranei quæstus & indulgentiæ „ prædicandæ quovis modo discurrant, pretium, aut salarium, „ pro hujusmodi prædicationibus accipiant, vel ad hoc fra„ trem aliquem inducant. Et nihilominus tales divini verbi cor„ ruptores, qui labe cupiditatis & quæstuaria illusione splen„ dorem nostræ Religionis offuscant, officio prædicationis, & „ bonis ad usum concessis, sint ipso facto privati, & per an„ nuum ad carceres deputentur. Poterunt tamen Prædicatores, „ & fratres Conventum commendare, & populo paupertatem „ & necessitatem exponere, ut suo tempore eis eleëmosy„ nas conferat, & ad hoc adhortari.“ Hæc ex Summario Cons„ titutionum, declarationum & ordinationum pro regimine Sa„ cri Ordinis Prædicatorum *part.* 2. *cap.* 59.“

XLIII. Deinde in hac quæstuatione se ita exibere debent, ut suo modesto & religioso agendi modo ab odioso illo *quæstorum* hominum genere à Concilio Tridentino abolito se planè distinguant; non minis, aut fraudibus inducant Fideles ad eleëmosynas, non petant tanquam debitum, aut solitum, neque

que ulla arte, etiam prætextu dicendi aliquas orationes aut lucrandi certas indulgentias (q), aut aliter extorqueant pecunias aut alia bona, sed *simpliciter, piè, & modèste* petendo eleëmosynam pro sustentatione Fratrum, accipiant tantùm, quod sibi spontè offertur, nec super iis eleëmosynis nullam quovis nomine conventionem faciat, etiam in utilitatem ipsorum Monasteriorum, quemadmodum Pius V. & Gregorius XIII. ex sententia S. Congregationis Concilii Tridentini in simili quoad collectionem eleemosynarum ac intertentionem Hospitalium responderunt; uti refert Fagnanus ad *cap.* CUM EX EO *de pœnit. & remiss. n.* 21. 22. & 23.

CAPUT V.

OMNIA UNDECUNQUE RELIGIOSIS OBVENIENTIA IN COMMUNES USUS FRATRUM SUNT DISPENSANDA.

1 *Norma dispensandi Monasteriorum proventus rectè desumitur è norma primorum Christianorum.*
2 *Inter primos Christianos omnia erant communia.*
3 *Erant communia, ut in singulorum usus pro cujusque necessitate distribuerentur.*
4 *Eandem dispensandi normam inculcat Regula S. Augustini, estque basis totius vitæ monasticæ.*
5 *Augustino consonat S. Benedictus.*
6 *Quidquid à parentibus datur Religioso, debet dari Prælato, ut in communes usus distribuatur.*
7 *S. Benedictus voluit, ut res alicui Religioso à parentibus donata, potiùs uni alteri per Abbatem detur: & quare.*
8 *Hanc proventum in communes usus dispensandorum normam probat Synodus Tridentina.*
9 *Mentem Synodi Tridentinæ exposuit Clemens VIII.*
10 *Hanc Clementis declarationem, & constitutionem innovavit Urbanus VIII. ac novissimè Innocentius XII.*
11 *Synodus P. I. Cameracensis secuta mentem Concilii Tridentini declaravit omnia undecunque Religiosis obvenientia, ut* communia *esse dispensanda.*

I. BOna ac proventus Religiosorum in *communi* viventium, quos *Cœnobitas* dicimus, quomodo sint dispensanda, ostendit ipsa dispensationis norma, quam servârunt primi Christiani Hierosolymis in communi viventes, qui ipsam Cœnobitarum vivendi rationem prælineârunt. Hanc Sacer Textus his verbis expressit: *Multitudinis autem Credentium erat cor unum & anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis* OMNIA COMMUNIA. *Act.* 4. *v.* 32.

II. Asserit Sacer Textus, quòd nemo istius multitudinis aliquid *suum* esse diceret, id est, nihil sibi appropiaret, sed illis omnia essent *communia*; nimirum ut in communem multitudinis usum, non tanquam uni magis quàm alteri propria, sed tanquam omnibus indifferenter *communia* dispensarentur, quemadmodum Scriptura in sequentibus exponit: *Quotquot enim,* ait, *possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem* SINGULIS, *prout* CUIQUE *opus erat.*

Et alio loco: *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia* COMMUNIA. Ad quid erant communia? Mox exponit sacer textus dicens: *Possessiones, & substantias vendebant, & dividebant ea omnibus, prout* CUIQUE OPUS *erat Act.* 2. *v.* 44. & 45.

III. Erant ergo omnia illis communia, ut multitudini sive congregationi illorum Fidelium seu Credentium in *communem* usum, sine respectu, à quo plura vel pauciora obvenissent, distribuerentur; imò singulis indifferenter, prout cuique opus erat.

IV. Hæc est illa dispensandi norma, quam Patres tanquam vitæ cœnobiticæ primarium fundamentum, & totius disciplinæ regularis basim in suis Regulis fortissimè inculcârunt.

In Regula, quæ *S. Augustini* dicitur, quamque hodie tum Canonici Præmonstratenses, & qui vulgò simpliciter *Canonici Regulares* dicuntur, tum Eremitæ S. Augustini, item Dominicani, pluresque alii utriusque sexûs Ordines profitentur, hæc habentur *cap.* 1. „ Primum propter quod in unum congregati estis, ut unanimes habitetis in domo, & sit vobis anima „ una & cor unum in Deo, & non dicatis aliquid *proprium*, „ sed sint in vobis *omnia communia*, & distribuatur unicuique „ vestrûm à Præposito vestro victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potiùs „ unicuique, sicut opus fuerit. Sic enim legitur in Actis Apostolorum: *Quia erant ipsis omnia communia.*“

Ecce Augustinus voluit, ut nullus aliquid haberet proprium, sed omnia essent communia; ita scilicet *commune* opponens *proprio*: Sed quare omnia communia? Ut distribuatur unicuique de Congregatione, prout opus est; sive ut in *communem omnium usum* pro cujuscumque necessitate omnia indifferenter dispensarentur.

Audiamus id Augustinum clariùs capite 8. suæ Regulæ exponentem: „ Etiam cùm quis suis filiis aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus in Monasterio constitutis, aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit *in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necesse fuerit, præbeatur.*“

Augustinus ergo communia esse omnia voluit, etiam à parentibus, aut consanguineis alicui particulari de Congregatione oblata, ut *cui necesse fuerit præbeantur*, id est, indifferenter dispensentur, tanquam toti Congregationi, sive omnibus communia, nulli autem peculiaria.

V. S. Benedictum etiam audiamus: „ Ne quis, inquit, præsumat aliquid habere *proprium*, nullam omnino rem neque „ codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino: quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates suas licet habere in propria potestate: omnia verò necessaria à Patre sperare Monasterii: nec quidquam licet habere, quod Abbas non dederit aut permiserit. *Omniaque omnibus sint communia*, ut sicut scriptum est: *Ne quisquam suum aliquid dicat vel præsumat.*

Nulli aliquid proprii esse vult Benedictus, sed omnia communia; ut scilicet ex illis quisque omnia necessaria à Patre Monasterii speret, sive accipiat.

VI. Utque hanc communionem ampliùs persuaderet, mandat: „ ut si à Parentibus Religioso quidquam directum fuerit, „ non præsumat suscipere illud, nisi priùs indicatum fuerit Abbati, quod si jusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, cui illud „ jubeat dari. Et non contristetur Frater, cui fortè directum „ fuerit, ut non detur occasio diabolo.“ *Cap.* 54. *Regulæ.*

Ergo etiam filiis à parentibus directa sive oblata, ita voluit esse communia, ut in potestate Abbatis, sit cui voluerit illa jubere dari.

VII. Et ne occasio diabolo detur, persuadendi scilicet filio Religioso, rem sibi à parentibus directam magis sibi, quàm alteri esse debitam, neque omnibus planè communem, voluisse S. Benedictum potiùs alteri dari, quàm filio, cui erat directa, non obscurè citata verba Regulæ inuunt: & jampridem observavit Dionysius Carthusianus, dum citatis hisce Regulæ verbis subjicit: „ Rursus ex hoc, quòd rem alicui Monacho „ missam voluit S. Benedictus *potius alteri* datam, quàm *illi*, „ concluditur quàm seriosè, & integrè volebat omnem à suis „ proprietatem, peculiumque excludi.“ *In Tract. de Refor. Claust. art.* 14.

VIII. Hanc rerum omnium perfectam communionem in omnium Patrum Regulis, & Ordinum Constitutionibus expressam, & enixè commendatam, Synodus Tridentina tanquam fundamentum, ac basim totius regularis disciplinæ ab omnibus Superioribus observari præcipit, eamque inter substantialia regularis vitæ reponere non dubitavit: mandatque Superioribus, ut omnis cura, diligentiaque ab iis adhibeatur, ut ab illa non recedatur: „ Cùm compertum sit, ab eis non posse ea, quæ „ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari: si enim „ illa, quæ bases sunt & fundamenta totius regularis disciplinæ exactè non fuerint conservata, totum corruat ædificium „ necesse est.“ *Sess.* 25. *de Regularib. cap.* 1.

Post hæc subjicit tanquam ex priori Decreto consequens: „ Nemini ergo Regularium, tam virorum quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscunque qualitatis „ fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere: sed „ statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. „ Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui Regulari „ concedere etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam (r).

Quasi diceret, vita Regularis requirit, ut *omnia* sint *communia*, id est, in usum communem totius communitatis sive Fratrum dispensentur: igitur nemini Regularium quocunque prætextu licet aliqua bona tanquam propria, aut etiam nomine Conventûs possidere & tenere; sed ea Conventui incorporanda sunt, tanquam bona ipsius Conventûs sive Congregationis, in usum Conventûs & Congregationis dispensanda.

(q) *Vide citatam leg.* 6. *tit.* 9. *lib.* 1. *Recop. & dispensationem generalem circa stabilimentum, vulgò* de Propios y Arbitrios, *citatam pag. antecedenti.*

(r) *Hoc Concilii Tridentini decretum receptum est à Clero Gallicano; simùlque confirmatum in ejus Comitiis Generalibus* Hunc *Meloduni habitis ann.* 1579. tit. 23. cap. de Reformatione Regularium. *Sed in Hispania non solùm hoc decretum, sed omnia à dicto Concilio reformata seu stabilita, à Rege nostro Philippo II. ut executioni mandarentur, præceptum fuit sua Regia Schedula* 12. *Julii ann.* 1564.

IX. Hunc Synodi Tridentinæ sensum clariùs exposuit Clemens VIII. in Constitutione edita pro reformatione Regularium, quæ incipit : *Nullus omninò*, &c. in *Bull. Rom.* ubi §. 2. de hoc Concilii decreto ita loquitur : „ Quo Tridentini Concilii Decreta de paupertatis voto custodiendo, fideliùs observentur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus etiamsi Superior sit, bona immobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleëmosynas sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quàm ubicumque celebrandis, aliove ipsorum justo labore, & causa, & quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conventûs possidere possit; sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit. "

Manifestum est ex sententia Pontificis, *Conventui bona incorporari*, idem esse, atque omnia undecunque Religiosis obvenientia cum cæteris Monasterii, seu Conventûs bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundi, quo communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit; sive ut verbo dicatur : ut omnia inter Regulares sint communia, & dividatur *singulis prout cuique opus erit*.

X. Citatam Clementis Constitutionem innovavit Urbanus VIII. in Constitutione, quæ incipit : *Sacra Congregatio*, 28. in *Bull. Rom.* ac novissimè modernus Pontifex Innocentius XII. in decreto edito 18. Julii 1695. in quo enixè mandat, vitam communem juxta Decreta suorum Prædecessorum in Monasteriis observari; atque certos Conventus designari ad Novitios educandos, in quibus vita communis exactè observetur, uti suprà *Tit.* 25. *cap.* 2. *num.* 12. annotavimus.

XI. Biennio post absolutam Synodum Tridentinam habita Synodus Provincialis Cameracensis, cui & plures, qui Synodo Tridentinæ interfuerant, astiterunt, decrevit : „ Ut omnis illa „ pecunia vel res, quam Monachus vel Monialis acquirere labore sive industriâ, sive amicorum liberalitate, seu denique „ aliâ quâlibet occasione possit, Superiori tradatur, ita ut ad „ nutum ejus *tanquam res communis* expendatur. " *Tit.* 8. *cap.* 10.

Nequaquam ergo dubitârunt hujus Synodi Patres, quin mens Synodi Tridentinæ esset, ut res omnes Religiosis undecunque obvenientes, Superiori essent tradendæ eum in finem, ut tanquam *res communes* expenderentur.

CAPUT VI.

Peculia Monachorum contrariantur voto paupertatis, et vitæ communi.

1 *Describitur peculium servorum, cum quo peculium Monachorum in multis convenit.*
2 *Ostenditur quomodo hæc duo peculia conveniant.*
3 *Peculium Monachorum est separatum à proventibus Monasterii, sicuti peculium servorum à rationibus Dominorum.*
4 *Ubi habentur peculia, non possunt esse* omnia *communia.*
5 *Quæmadmodum peculium servi rectè dicitur* patrimonium *servi; ita & peculium Monachi, ejus* patrimonium *bene dicitur.*
6 *Peculium Monachi rectè asserit spectare ad Monachum, licèt proprietas* civilis *esset penes Monasterium.*
7 *Peculium &* proprium *in Monacho sunt synonyma.*
8 *Monachi peculia habentes reputantur* proprietarii.
9 *Reservationes redditum vitalitiorum, aut cujuscumque alterius rei in particulares usus, voto paupertatis adversantur.*
10 *Rerum reservationes in particulares usus adversantur vitæ communi, quam Religiosi profitentur.*
11 *Sententia Christiani Lupi de similibus reservationibus.*
12 *Superiorum dissimulatio, aut dispensatio has reservationes licitas reddere nequit.*
13 *Reservationes illæ diametraliter professioni religiosæ opponuntur.*
14 *Subditi credere non debent Superioribus asserentibus se posse in vita communi dispensare.*
15 *Non eximuntur à vitio proprietatis, qui peculia tenent* dependenter *à voluntate Superiorum.*
16 *Licentia Superiorum facit subinde Religiosos liberiùs peccare.*

I. Peculium Monachorum, cujus frequenter in Regulis Monachorum, & Canonibus Conciliorum mentio occurrit, in multis cum peculio servorum (de quo in Jure Romano multa dicuntur) convenit : imò ex hoc originem sumpsisse non difficilè ex utriusque descriptione apparebit.

Peculium servorum ita definiri potest : „ Patrimonium pusillum, quod servus Domini permissu *separatum* à rationibus dominicis habet. " *L.* 5. *ff. de Peculio.*

„ Peculium (ait Florentinus in *l.* 39. *ff. eodem*) & ex eo „ consistit, quod *parcimoniâ* suâ quis paravit, vel officio meruit à quolibet sibi donari : idque velut *proprium* patrimonium servum suum habere quis voluit. "

II. Hæc quomodo conveniant peculio Monachorum, nequaquam obscurum est videre.

Quid enim aliud est peculium Monachorum, nisi aliqua pusilla pecunia, aut pusillus redditus, aliudve simile, quod Monachus parcimoniâ, vel proprio labore, aut parentum, consanguineorum, sive amicorum liberalitate sibi acquisivit, atque à rationibus Conventûs permissu Superioris *separatum*, servat sive retinet in suos usus *particulares*, & non in *communes* totius Conventûs sive Fratrum, tanquam rem omnibus ad usum communem expendendam?

III. Sicuti ergo peculium servi est separatum à rationibus, seu proventibus dominicis, eò quòd permissu Domini in particulares usus servi sit concessum ; ita & peculium Monachi à rationibus, sive proventibus Monasterii verè dicitur separatum; eò quòd reservetur in usus, non totius Conventûs, quemadmodum reliqui proventus ipsius Conventûs, sed in *singulares* hujus Monachi.

Hinc non dificulter intelligitur, qua ratione peculia Monachorum vitam communem, quam Religiosa professio requirat, labefactent.

IV. Neque enim possibile est, inter illos Religiosos omnia esse communia, ut *dividatur singulis prout cuique opus erit*; sive ut ex illis tanquam ex rebus communibus victus & vestitus, aliaque necessaria indifferenter subministrentur, ubi aliqua reservantur ad usus particulares hujus illiusve Monachi, & consequenter nec Conventui incorporantur, sive cum cæteris Monasterii redditibus, ac proventibus confunduntur, ut in omnium usus indifferenter, prout cuique opus erit, dispensentur.

Id rectè advertit pius ac eruditus Petrus Wallon Cappelle, Prior Monasterii S. Winoci, dicens : „ Quod alicui certo præfixum servâtur, *commune* dici non potest. "

V. Ulteriùs quemadmodum peculium servi rectè vocatur *patrimonium*; imò proprium patrimonium servi, tametsi proprietas civilis (cujus servus Jure Romano est incapax) sit penes Dominum, quia tota utilitas & plenus usus est apud servum : ita quoque peculium Monachi rectè dicitur pusillum, imò & *proprium patrimonium* Monachi, tametsi ipsa civilis & nuda proprietas sit apud Monasterium : eo quòd peculii, sive redditus vitalitii, aliarumque rerum plenus usus Monacho sit reservatus.

VI. Cùm enim rerum temporalium utilitas unicè fere in earum usu consistat, quidni res aliqua dicatur *propria*, sive appropriata illi, cui ejus usus est appropriatus, seu reservatus?

Neque rerum temporalium nuda proprietas, vel possessio multùm prodest, aut nocet, sed earum usus. Quod jam pridem in Monachis notandum duxit Dionysius Carthusianus dicens : „ Magis nocet Religioso habere usum peculii sine proprietate civili, quàm habere proprietatem sine usu. Proprietas namque in se non est peccatum, nec ad peccandum in„ ducit, nisi per usum rei.... Imò quantum ad progressum de „ malo in malum, parum, aut nihil refert, an habetur usus sine proprietate, an cum proprietate. " *Tract. de Reformat. Claust. art.* 16.

VII. Meritò ergo *peculium* & *proprium*, pro synonymis accipiuntur à Glosographo, qui in nota marginali ad *cap.* MONACHI ✠ *de Statu Monachi*, ad verbum *peculium* apposuit hanc notam, *id est*, PROPRIUM.

Idipsum præterito seculo in Conventu Canonicorum Regularium congregationis Windelemensis quidam ejusdem Congregationis Canonicus in sua contra *proprietarios* oratione notavit, & expressit : „ Quamvis, ait, secundum proprietatem „ vocum aliud sit *peculium*, aliud *proprium*, in præsenti tamen „ materia, *proprium* SEMPER *pro peculio* sumitur. " Habetur hæc oratio ad calcem libri cui titulus : *Regula S. Augustini cum Constitutionibus Canonicorum Regularium Capituli Windesemensis*, &c. impressi Ultrajecti an. 1553. in qua fortissimè ipsa Religiosorum peculia retunduntur, omnesque prætextus præscinduntur.

Vidimus quoque capite præcedenti, quòd Augustino omne id sit *proprium*, quod non est *commune*, ad hoc ut singulis de Congregatione ex eo distribuatur prout cuique opus erit, ideoque quodcunque reservatur in unius particulares usus, Augustino *proprium* dici.

VIII. Mon mirum proinde si passim proprietarii, & vitam communem infringentibus annumerentur Religiosi, qui redditus vitalitios, aut pecunias aliasve res propria industria, labore, aut parentum vel amicorum liberalitate partas in suos particulares usus reservant.

„ Proprietarii (inquit Directorium Coloniense) similiter „ consecrantur, & contra vitam *communem* agere Religiosi, „ qui in *proprios* ac *particulares* usus, redditum aliquem sibi „ emunt, aut exemptum retinent.“ Directorium hoc Ecclesiasticæ disciplinæ Coloniensi præsertim acommodatum, editum est à Domino Octavio Frangipano Mirtho Episcopo Tricaricensi, Apostolicæ Sedis per inferiorem Germaniam, & Belgarum Provintias Nuntio; & à Sacra Facultate Theologica Lovaniensi probatum.

IX. Synodus P. I. Mechliniensis volens vota Religionis exactè observari, inter alia præcipit: „ Pensiones autem vitales, aut „ redditus perpetuos nulli permittantur recipere, neque liceat „ eis ratione officiorum, vel ministeriorum pecuniam corradere, „ aut conservare, etiamsi in pios usus convertere velint, sed om„ nia in communem usum convertantur.“ *Tit. de Regularib. cap.* 2.

Nequaquam obscurum est, Synodum hanc supposuisse, voto paupertatis esse contrarium, rem quamcunque in usus particulares reservare, nec in *communem* usum convertere.

Similiter Synodus P. I. Cameracensis, ut „ huic pestifero „ vitio (proprietatis) obviam eatur, omnibus omnium Or„ dinum Superioribus mandat, ut rescindant, & aboleant pror„ sus universa illa emolumenta, & jura, quæ antiquo more qui„ busdam Monasteriorum Officialibus concedi solebant. Bre„ viter, pergit Synodus, omnis illa pecunia, vel res, quam „ Monachus vel Monialis acquirere, sive labore, sive industriâ, „ sive amicorum liberalitate, seu denique quâlibet aliâ occasio„ ne possit, Superiori mox tradatur; ita ut ad nutum ejus tan„ quam *res communis*, expendatur.“ *Tit. de Monasteriis, c.* 10.

Judicavit hæc Synodus, vitio proprietatis haud obviam iri, nisi omnis pecunia Monacho quocunque titulo obveniens Superiori mox tradatur, ut ad ejus nutum tanquam *res communis* expendatur; argumento haud obscuro, Synodum judicâsse, reservationes pecuniarum aliarumque rerum ad usus particulares hujus illiusve Religiosi, voto paupertatis & vitæ communi esse contrarias.

X. Viderunt id quoque Patres Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui advertentes, quòd *radix*, *& fomes omnium ferè malorum sit* PROPRIETAS, injungunt Ordinis Generali, ut eam omninò eradicare procuret, „ nulloque modo in nostra Reli„ gione, inquiunt, tolerari permittat, sed quòd juxta SS. Apos„ tolorum morem & D. P. N. Augustini Regulam *communis* „ *omnibus* vita, ac *omnium* rerum temporalium inter ipsos Fra„ tres sit beata *communitas*, unde omnia bona profluenter pros„ pereque succedant.“ *Part.* 3. *cap.* 4.

Patenter supponunt hi Patres, nullatenus vitium *proprietatis* eradicari posse, nisi *communis* omnibus vita, & omnium rerum temporalium inter Fratres beata *communitas*, rerum reservationi ad usus particulares hujus, illiusve Religiosi è diametro repugnans, stabiliatur.

XI. Quapropter Christianus Lupus ejusdem Ordinis Professus, & quondam Prior Provincialis, tertiæ classis proprietarios (de quibus Cassianus *Monast. Inst. lib.* 7. *cap.* 14.) ait esse illos, qui omnia quidem sua Monasterio dant, aut pauperibus, sed sibi aliquam reservant pensionem aut censum. „ Ip„ sorum, ait, exordium est omninò vitiosum: Monastica quip„ pe professio non est aliud quàm omnium temporalium abre„ nuntiatio, atque ita adversum illos rectè dixit in tertia colla„ tione Abbas Paphnutius: *Necdum Evangelicum implet man„ datum, qui omninò sibi adhuc ex facultatibus aliquid* RESER„ VAT.“ Et adjungit: „ *Sicut nonnulli tepidorum faciunt.* „ Utroque pede claudicant, nec Monachum induunt, nec se„ cularem deponunt.“ Hæc Lupus *tomo* 4. *Schol. ad Can.* 6. *Tholosanum*; qui deinde relatis variis vitiis ex hac pensionum, aut censuum reservatione profluentibus, quæ ipsa Cœnobia pedetentim ad universam formam omnis monasticæ disciplinæ expertem transvertunt, infert: „ Quare qualiscunque professioni „ adjecta pensionis reservatio est adversa communi substantiæ, „ aut certè fœda conditio, ideoque habenda pro non apposita. „ Eam Præfecti obligantur circumducere, & in communem „ substantiam evocare. Nulla hîc dotalis eleëmosyna, nec si„ milis quis humanæ infirmitatis palpo fucus valeat patrocinari.“

XII. Si ergo hujusmodi peculiorum, vel pensionum reservationes adversæ sint professioni religiosæ, utpotè voto paupertatis, & vitæ communi contrariæ, sequitur, quòd eas nec Superiorum dispensatio, vel indulgentia licitas reddere queat: „ Cùm compertum sit, ait Synodus Tridentina, ab eis (Supe„ rioribus) non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ per„ tinent, relaxari.“ *Sess.* 25. *de Regularib. cap.* 1.

XIII. Unde Synodus Audomarensis habita præterito seculo sub Joanne Six, in hac Universitate quondam Majoris Collegii Theologorum Præside, deplorans, ex quo in oblivionem abiit exemplum initio nascentis Ecclesiæ in Ananiam & Saphiram editum, invasisse pleraque Monasteria exitiosam rerum proprietatem, ex diametro Monasticæ professioni contrariam; præcipit, ut Præfecti, & Præfectæ vigilent, si suæ, suorumque saluti consultum velint, ut exterminetur hæc pestis, curentque, ut ablatis ab omnibus iis omnibus rebus, quas, ut proprias possident, victus & vestitus, cæteraque vitæ necessaria, æqualiter omnibus, pro indigentiæ uniuscujusque necessitate, & Monasterii facultate, placidè, ac benignè ex communi thesauro ac penu subministrentur, non pecuniis æstimata ac compensata, sed ipsis rerum speciebus præsentia. Id enim, inquiunt, eis in virtute sanctæ obedientiæ Dei loco præcipimus: nec aliud præcipimus, quàm id, quod Superiores quidem ex officio prorsus curare tenentur, *nullâ ipsis relictâ dispensandi facultate*, Religiosi verò, ex ea quam Deo fecerunt sponsione, observare. Deinde postquam ostenderunt ex *cap.* CUM AD MONASTERIUM ✠ *de Statu Monach.* quòd nec Summus Pontifex possit super proprietate habenda cum Monacho dispensare, tanquam ex præcedentibus subjiciunt consequens: „Quare aboleatur ea consue„ tudo, quâ consueverunt Superiores Religiosis singulis annuam „ numerare, aut permittere pensionem atque ita redimere neces„ saria vitæ eorum: nec alicui pecunia permittatur, nisi pro in„ juncta à Prælato administratione; sed *prorsus omnia in com„ munem* usum convertantur; ita ut impleatur à Religiosis, „ quod sibi imitandum sumpserunt, & ad quod Religione sem„ piternâ se obligârunt (non potest res ista inculcari satis) illud „ primitivæ Ecclesiæ: *Multitudinis credentium erat cor, & „ anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid „ suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, divideba„ tur singulis, prout cuique opus erat.*“

XIV. Et ne Religiosi crederent se Superiorum auctoritate, aut indulgentiâ posse reddi securos; aut temerè Superioribus dispensandi facultatem sibi asserentibus fidem haberent, Clemens VIII. in citata Constitutione, postquam declaravit, ac præcepit, ut res omnes undecunque, & quacunque ex causa Religiosis obvenientes cum cæteris Conventûs redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis victus, & vestitus omnibus suppedditari possit, addit: „ Nulla quo„ rumcunque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum „ ad bona mobilia, vel immobilia fratres excusare possit, quo „ minus culpæ, & pœnæ ab ejusdem Concilii decreto impositæ, „ & ipso facto incurrendæ, obnoxii sint: etiamsi Superiores as„ severent, se ejusmodi dispensationes, aut licentias conce„ dere posse; quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.“

Ad quæ verba reflectens Fagnanus ait: „ His verbis impro„ bantur opiniones illorum, qui asserunt Regulares excusari à „ proprietate, cum habent peculium de licentia Superioris, & „ dependenter ab eorum voluntate & nutu: jam enim patet non „ pendere *à voluntate & dispensatione Superiorum*, pergit Fag„ nanus, *quin omnia sint confundenda cum cæteris bonis Mo„ nasterii pro communibus necessitatibus.*“

Non ineptè proinde Religiosis peculia, ac pensiones suas vitalitias auctoritate Superiorum vindicantibus respondit Petrus à Wallon-Cappelle Prior Monasterii S. Winoci: „ Utinam non „ ex consensu eorum & indulgentia fieret! Siquidem minus in „ Deum peccaretur. Nam per crudelem hanc dispensationem & „ conniventiam fit, ut sine ullo conscientiæ scrupulo, ac pro„ inde sine ullo pœnitentiæ remedio peccetur. (s).“

(s) *Bonorum proprietatem in singulis Religiosis esse vitium immane, demonstrant duo monumenta, quæ pro majori studiosorum commoditate hîc apponuntur.* PRIMUM: Decretum Episcopi Tornacensis contra vitium Proprietatis, cujus verba hæc sunt: = *Gilbert de Choiseul du Plessis-Praslain par la Providence de Dieu Evêque de Tournay, à nos très cheres Filles en Jesus-Christ, la Prieure & les Religieuses de l' Hospital de N. Ordre de S. Augustin, en nôtre Diocése, Salut & Bénédiction.* = *Sur ce qui nous à été representé de l' état de votre Monastere, & que nous en avons reconnu par nous-mêmes, Nous avons statué & statuons, ordonné & ordonnons, q' à chaque Chapitre que vous tiendrez, vous ne manquerez jamais de lire quelque partie de la Regle de S. Augustin que vous professez, en sorte que vous la lisez de suite, & que vous en recommenciez perpetuellement & sans discontinuation la lecture, lorsque vous l' aurez achevée, en sorte qu'elle vous soit toûjours presente à l' esprit, à là mémoire & au cœur; & comme nous ne voulons y ajoûter aucune chose, quelque douce qu'elle soit, Nous entendons aussi que vous la gardiez exactement & sans aucun relâchement; & ce faisant, Nous vous enjoignons tres-expressèment de rètrancher toute proprieté, & tout ce qui en pourroit avoir même la moindre apparence, non seulement parce que votre vœu vous y oblige, mais encore parce que rien n'est plus exprés dans ladite Regle que ce rétranchement & cette desapprobation. C'est pourquoi Nous vous défendons, sous peine d'en courrir l' indignation de Dieu, qui ne veut pas qu'on se mocque de lui, en lui promettant ce qu'on ne lui veut pas tenir, d' avoir aucune chose en particulier, soit qu'il provienne de votre travail manuel, ou d' autre part: Et si quelques unes de vous ont quelque pension, dons, gratifications de leur parens ou au-*

CAPUT VII.

Omnibus ex communi Monasterii substantia necessaria subministranda, et quæ in horum usu observanda.

1 *Vitio proprietatis occasionem dant Superiores vitæ necessaria non subministrantes.*
2 *Sanctus Benedictus omnibus vult necessaria dari, ut vitium proprietatis extirpetur.*
3 *Idem solicitè inculcat S. Augustinus.*
4 *Palmare fundamentum communitatis monachalis est subministratio necessariorum.*
5 *Quid Synodi Tridentinæ & Synodorum Belgicarum de hac obligatione Superiorum Decreta?*
6 *Unica via eliminandi vitium proprietatis est necessariorum placida subministratio.*
7 *Ut huic obligationi satisfacere queant Superiores, voluit Synodus Tridentina, ut non plures quàm ex obventionibus ali possunt, recipiantur.*
8 *Hunc fuisse scopum Synodi ostenditur ex Bellarmino.*
9 *Multum conducit ad observantiam regularem observantia dicti decreti Tridentini.*
10 *Religiosi cavere debent, ne quidquam eorum, quæ ad usum conceduntur, possideant ut proprium.*
11 *Qui eo affectu possidet, coram Deo est proprietarius.*
12 *Ut veteres Monachi se ab eo affectu immunes ostenderent dicere non poterant tunicam* meam, *tabulas* meas, *&c.*
13 *Quid ad præcavendam hunc affectum in Religionis fecerit S. Theresia.*
14 *Quando meritò eodem, quo usu est, remedio utantur Superiores Religiosorum.*
15 *Cavere debet insuper Religiosus, ne concessis ad usum utatur ut propriis.*
16 *Hoc præcipuè cavendum in his qui extra Monasteria morantur.*
17 *Prudentissimum circa hoc Canonicorum Præmonstratensium decretum.*

I. EXperientiâ semper expertum fuit, nullo ex capite vitium proprietatis tantum in Monasteriis sumere incrementum, quàm ex negligentia & duritia Superiorum Subditis placidè ac benignè vitæ necessaria, ex communi Monasterii substantia non subministrantium.

Hinc nihil tantopere in Patrum atque Conciliorum regulis comendatum Superioribus, quam ut quique prout opus est, ex communi Monasterii penu placide ac benignè suppeditent, tanquam efficacissimum vitio proprietatis arcendo, ac extirpando remedium.

II. „ Ut hoc vitium *peculiare* radicitùs amputetur (ait S. „ Benedictus in Regula *cap.* 55.) dentur ab Abbate omnia, „ quæ sunt necessaria; id est, cuculla, tunica, pedules, ca„ ligæ, braciie, cultellus, graphium, acus, mappula, tabu„ la," *ut omnis auferatur necessitatis excusatio.*

III. Quàm solicitè inculcet S. Augustinus, ut Prælati omnibus, non quidem æqualiter, sed pro cujusque necessitate, victus & vestitus ex communi Monasterii substantia suppeditent, tota ejus Regula clamat.

IV. Synodus Tolosana anni 1056. jussu Victoris II. Pontificis convocata, assistentibus tribus Archiepiscopis Arelatensi, Aquensi, & Narbonesi, aliisque Coëpiscopis, Canone VI. decrevit, „ ut Abbates curam Monachorum, & Monasterio„ rum exerceant, & eis victum & vestitum secundum Regu„ lam S. Benedicti præbeant, & hoc agentes *proprium* eos ha„ bere nullatenus permittant."

Ad hunc Canonem notas suas apponens P. Lupus: „ Ad „ eradicandam plenè *proprietatis* lepram, Canon, inquit, rec„ tè addit: *eis victum & vestitum præbeant.* Hoc enim est pri„ mum & palmare Monachalis communitatis fundamentum."

V. Synodus similiter Tridentina, postquam vitium proprietatis è Monasteriis eradicandam esse monuit; mox etiam Superioribus præcipit, ut *nihil subditis, quod sit necessarium, denegetur.*

Quamque hac in parte Synodi nostræ Belgicæ solicitè monuerint Monasteriorum Prælatos, hæc bina earum Dereta ostendunt.

Synodus Cameracensis apprimè intelligens, omnia à se decreta ad eliminandum proprietatis vitium fore inutilia, & inefficacia, nî ex communi Monasterii proventu necessaria Religiosis suppeditentur, hæc suo Decreto adjicere voluit: „ Tan„ dem quo ea omnia faciliùs, diligentiùs, necnon absque tæ„ dio queant observari, præcipit Sancta Synodus cunctis cunc„ torum Monasteriorum sexus utriusque Superioribus, quate„ nus secundum Regulam, ac Majorum Instituta benignè, „ necnon placidè subministrent omnia in universum, quæ suis „ subditis necessaria fuerint, & convenientia, ne inferioribus „ præbeant ansam detrimenti voto paupertatis valdè gravidi; in „ qua quidem re, si negligentiores extiterint, admoniti à suo „ Superiore omninò compellantur."

Eodem motivo Synodus P. I. Mechliniensis, cùm pestiferum hoc proprietatis vitium penitùs eliminandum censuisset, tanquam consequens præcipit, „ ut victus, vestitus, cætera„ que vitæ subsidia singulis ex *communi* pro necessitate indi„ gentiæ, & Monasterii facultatibus subministrentur." *Tit. de Regularib. cap.* 2.

VI. Non sine fundamento proinde suprà nominatus Canonicus Regularis in Oratione coram Congregatione Canonicorum Regularium Windesemensi, volens Prælatis ostende-

autres, Nous leur ordonnons sous les peines portées par les Saint Canons contre les proprietaires, de le mettre dans le dépôt commun, sans qu' elles puissent être à couvert desdittes peines, en laissant les choses susdites entre les mains de la Prieure dans les boëtes, coffres, ou autrement, avec des marques qui se rapportent à elles en particulier: Ainsi Nous entendons que tout soit dans la masse commune, sans que rien soit affecté à aucune plus qu' aux autres. Nous chargeons particulierment la Prieure de tenir la main à l' exécution de notre presente Ordonnace, sous peine d' en répondre aut redoutable Jugement de Dieu, qui demandera compte aux Supérieurs du salut des ames qui sont commises à leur conduite: Et nous enjoignons aussi aux Confesseurs ordinaires & extraordinaires de faire connitre à toutes celles qui se confesseront à eux, l' obligation de conscience qu' elles ont d' obéir à notre presente Ordonnance, ou plûtôt à celle de Dieu & de l' Eglise, sans quoi elles ne pourroient être à l' avenir aucunement excusées de péchè contre leur Vœu expres & solemnel, ni en état de recevoir l' absolution. Et néanmoins Nous ordonons tres expressement à la Prieure de pourvoir abondament, autant que le revenu de la Maison le pourra permettre, à toutes les Sœurs, de ce dont elles auront besoin, selon l' état, les forces, & les offices & fonctions de chacune d' icelles: la quelle Prieure rendra compte touts les ans de son administration, pardevant Nous ou nos Delegues. Ordonnons de surplus, que tout se fasse avec tant d' amour & de charité, que chacune n' ayant rien en particulier, toutes néanmoins possedent tout, selon les termes de S. Paul, & que conformement à la Regle de S. Augustin, qui est celle des Apotres, vous n' ayez toutes qu' un cœur & qu' une ame. Donnons charge expresse à notre Promoteur de tenir la main à l' execution des presentes, de vous les notifier, & de tout nous en rendre un fidéle compte. = Locus ✠ Sigilli. Donné à Tournay le 18. Juillet 1676. = *Et etoit signé* Gilbert, Evèque de Tournay. *Et plus-bas*, par mondit Signeur, Deschamps, Secret.

Van Espen Jur. Eccl. Pars I.

de-

Secundum Monumentum: Statutum Capituli Generalis Cisterciensis contra vitium Proprietatis, anni 1683. quod ita se habet: *Cùm ad audientiam Capituli Generalis clamosa relatione pervenerit pessimum ac detestabile Proprietatis vitium, quod ipsamet Religionis fundamenta evertit, in Provincia Vasconiæ quodammodo impunè regnare in perditionem animarum manifestum: hoc malum radicitùs extirpare cupiens Capitulum Generale, injungit, ac mandat Rever. admodum Abbati de Claravalle, ut omni morâ postposita ad dictam Provinciam Vasconiæ personaliter accedat, eamdemque visitando inter cæteros abusus dictum proprietatis vitium singulariter damnet, inhibeat, ac proscribat sub pœnis in jure, ac Ordinis Statutis contentis. Et ut hæc damnatio ipsius, inhibitio, ac proscribitio efficaciorem sortiatur effectum, idem Reverendus admodum Dominus de Claravalle in Capitulis singulorum Monasteriorum residens, peculiares omnium personarum Regularium pecunias ad se deferri jubeat, easque in commune confusas Cellerariis tradat in commune servaturas: similiter faciat de blado, vino, aliisque rebus tam mobilibus, quàm immobilibus. Insuper strictissimè præcipit idem Capitulum Generale Vicario Generali aliisque Superioribus Monasteriorum aliorumque locorum Regularium supradictæ Provinciæ Vasconiæ, ut ordinationes à dicto Rever. admodum Domino Abbate de Claravalle faciendas, manuteneant, ac executioni mandent sub pœna depositionis, & inhabilitatis ad quæcunque officia consequenda. Et ut omnibus terror salutaris injiciatur, præcipit etiam Capitulum Generale, ut si quæ persona Regularis Ordinis nostri in hoc detestabili proprietatis vitio obsordescens è vita decesserit, in sterquilinio unà cum suæ libertatis substantiâ projiciatur. Quas omnes supradictas ordinationes, inhibitiones & pœnas præsens Capitulum Generale extendit ad omnes Regulares personas Ordinis universi. Mandatur etiam Abbatibus, Prioribus & Abbatissis sub pœna standi extra stallum & locum præsidentiæ suæ, & aliis arbitrio Visitatoris infligendis, ut Religiosis necessaria administrent, ne occasio eis detur ad habendam proprietatem.*

dere excellentiorem, & breviorem viam ad obviandum vitio *proprietatis*, hanc ostendit: „ut faciatis quæ fecit Do„minus & discipuli ejus. Cùm enim vidisset Jesus turbas „esurientes, nec haberent quod manducarent, noluit ut irent „in villas & vicos, & procurarent sibi; nec etiam voluit „eos dimittere jejunos in domos proprias, ne dificerent in „via; sed ait Discipulis suis: vos date illis quod edant. Ita, „Venerandi Patres, vos date subditis vestris necessaria, ne „opus habeant ab amicis quidquam emendicare. Si vestes, si „cultellos, si devotos libellos, aut simile quid desideraverint, vos (si tamen superflua non quæsierint) in charita„te emite illis; sic occasionem *proprietatis* amputabitis, & „ex domibus vestris eliminabitis.

„Sed reperiuntur proh dolor! Prælati parum curantes „quid subditi faciant, aut unde sibi quæ desiderant, acqui„rant: dummodo ipsi sua marsupia resolvere non cogantur, „pecunias plus diligentes, quam Fratrum animas Christi San„guine redemptas. Hinc est, quòd Fratres sibi ipsis provi„deant. Hinc proprietas incrementum capit. Quæ ubi ingres„sa semel fuerit, multas secum trahit pedissequas, inobedien„tiam, intemperantiam, ebrietatem, & id genus pestes alias."

VII. Ne verò Superioribus detur prætextus negandi Subditis necessaria, eò quòd Monasterii proventus communes omnibus non sufficiant; meritò conformiter ad anteriores Canones, & Jus commune in *cap.* 1. ✠ *de Institut.* præcepit Synodus Tridentina, „ut in Monasteriis, & domibus, tam vi„rorum, quam mulierum, bona immobilia possidentibus, „vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac „imposterùm conservetur, qui vel ex redditibus propriis Mo„nasteriorum, vel ex consuetis eleëmosynis commodè pos„sit sustentari." *Sess.* 25. *de Regularib. cap.* 3.

VIII. Quin etiam in formando hoc Decreto fuerit is Patrum Tridentinorum scopus, haud dubitavit Cardinalis Bellarminus, dum inter media extirpandi vitium proprietatis reponit hujus Decreti maximè necessarii observantiam: „Tunc „enim Præpositi, ait, jure cogere poterunt ad omnem pro„prietatem fugiendam, & execrandam, si Ordo ipse sin„gulis ea præbeat omnia, quæ singulis necessaria sunt." *De gemitu columbæ, lib.* 3. *cap.* 6.

IX. Ob hæc aliaque, quæ exacta illius Decreti custodia à Monasteriis incommoda avertere posset, dixit Innocentius X. in Bulla quæ incipit: *Inter cætera*, 23. *in Bull. Rom.* quòd „inter cætera, quæ ad regularem disciplinam instaurandam con„servandamque Sacrosancta Tridentina Synodus salubriter de„crevit, illud semper præcipuum, & maximi momenti ha„bitum est, quo injungitur ut in singulis Monasteriis, & do„mibus Regularibus is tantum numerus constituatur, & im„posterum conservetur, qui vel redditibus propriis Monas„teriorum, vel consuetis eleëmosynis commodè possint „sustentari."

Quantopere Pontifices allaboraverint, quotque decreta iterato edita fuerint, ut hoc Concilii Tridentini decretum exactè observaretur, colligi potest ex illis quæ de hac re recitat Fagnanus ad *cap.* Relatum ✠ *Ne Clerici vel Monachi secular. negot. se immisc.*

X. Sed ne in ipso necessariorum usu vitium proprietatis se immisceat, duo à Religioso observanda sunt, quæ Clemens VIII. in sæpius citata Constitutione his verbis expressit: „Neque eorum, quæ ad necessitatem concessa erunt, ullus „quidquam possideat ut proprium, neque ut proprio utatur."

Primum igitur in his, quæ ad *necessitatem* Religioso conceduntur, cavendum est, ne quidquam eorum possideat ut proprium; id est, eo loco habeat, quasi in illud aliquid juris præ aliis de Conventu prætenderet; illudque ad nutum Superioris sibi auferri, atque alteri applicari posse haud crederet.

XI. Quin Religiosus, qui hoc animo res sibi ad necessitatem concessas possidet, affectu *proprietarius* sit, nemo ambigit. Hinc illud S. Augustini in sua Regul. *cap.* 8. „Si fie„ri potest, non ad vos pertinet, quod vobis indumentum pro „temporum congruentia proferatur; utrum hoc recipiat unus„quisque, *quod deposuerat*, *an aliud*, *quod alter habuerat*: „dum tamen unicuique, prout cuique opus est, non negetur."

XII. Imò ut ab hoc affectu Monachi se ostenderent planè exemptos, jam pridem vitio vertebatur Monachis, si vel verbo dixissent, *tunicam* meam, *tabulas* meas, *graphium* meum; uti videre est in Concordia Regularum edita per Hugonem Menardum *cap.* 42. qui ibidem ad §. 18. ait: „Non mini„ma hæc hominis infirmitas, ut qui in mundo multas opes, „& pretiosa quæque reliquerit, in claustro ad nescio quas „gerras, & quisquilias animum adjungat, quæ sanè nos à „Deo separant, cùm illis affectu serviamus, non Deo; nobis„que illæ dominentur, non Deus. Quamobrem, ait, anti„qui illi Patres id unum maximè studebant, ut animum dis„cipulorum ab ejusmodi rerum affectu averterent: quemad„modum fecit S. Dorotheus, qui discipulum suum Dosi„theum elegantis cujusdam culcelli usu prohibuit, quod ani„mum ejus erga ejusmodi reculam propensum videret. Ut ip„se Dorotheus in ejus vita refert."

XIII. Patrum spiritu plena S. Theresia in suis Constitutionibus *cap.* 53. habet, „ut si quam Sororum adverterit „Priorissa cuipiam, sive cellæ, sive cuilibet alteri rei cum „affectu tenaciùs adhærere, magna solicitudine curet ab illa „Sorore rem illam auferri: idque in omnibus Monasteriis, si„ve ea proprios habeant proventus, sive non, exactè & cum „rigore observetur. Hoc ipsa Superior solicitè exequatur, nec „patiatur ab aliis contra iri; quod si factum fuerit, ipsa „a Provinciali servere puniatur."

XIV. Hoc saluberrimo remedio merito utentur Ordinum quorumcunque Prælati & Superiores, dum ex modo agendi aut loquendi advertunt, aut non infundatè metuunt, ne quis subditorum rem aliquam sibi ad usum concessam, affectu *proprietatis* sive ut *propriam* detineat; quemadmodum suprà citatum Directorium Coloniense monet; ac de hoc præ cæteris esse suspectos, qui aliqua pretiosiora aut elegantiora in usum suum habent, quam reliqui de Communitate, quæ non sine murmure resignare vellent; monetque, vel eo solo titulo res hujusmodi Religiosis esse auferendas, *quia erga res minimas potest esse inordinatissimus affectus, qui sit peccatum mortale.*

XV. Alterum in his, quæ ad necessitatem conceduntur, à Religiosis sollcitè cavendum est, ne concessis utantur ut *propriis*, sive ne utantur rebus suo usui, & ad necessitatem concreditis, tanquam *proprietarii.* Quod tunc facere censebuntur, si rebus istis utantur non tanquam *alienis* & ad necessitatem sibi concessis, sed de illis tanquam Domini, & *proprietarii* liberè disponant.

XVI. Hoc verò præcipuè metuendum in his qui extra Monasterium morantur, quorum conditio non permittit, ut necessaria sua quotidie à Superiore accipiant, sed requirit, ut aliqua pecuniæ summa eis credatur, quam in conquirendis sibi necessariis suo tempore expendant; qua occasione contingit, ut illâ pecuniâ non tanquam pauperes & nihil proprii habentes, sed tanquam pleni domini, & proprietarii in quoscunque usus etiam non necessarios, nec à Superiore intentos, utantur.

XVII. Prudentissimè ergo Canonici Præmonstratenses in suis Constitutionibus *Distinct.* 2. *cap.* 23. „monuerunt sui Ordi„nis Parochos, eorumque Capellanos & quosvis alios foris „aliquod Beneficium, vel officium obtinentes, ut memores sint „se Religiosos esse, & *tanquam pauperes nihil possidere.*" Cui Decreto tanquam consequens præcipiendo subnectunt, ut nulla notabilia dona sive Parentibus, sive quibuscunque absque suorum Prælatorum consensu largiantur: aliaque nonnulla adjungentes, quæ pro usus illius restrictione servire possunt; quo fiat ut nec ipsi, utpote voto paupertatis obstricti, rebus ad usum concessis ut *propriis* utantur.

CAPUT VIII.

Quomodo bona Monasterii a Superioribus dispensanda.

1 *Modum dispensandi præscribit norma Apostolica in actibus Apostolorum descripta.*
2 *Hanc à Superioribus servari volunt Regulæ monasticæ.*
3 *Superior singulorum necessitates sine personarum acceptione attendere debet.*
4 *Ægrorum solicitam curam habere debet.*
5 *Præcipua radix* peculiorum *est neglecta cura infirmorum.*
6 *Providendum infirmis de necesariis, etiamsi exinde Monasterium debita aliqua contrahere deberet.*
7 *Ita dispensandæ res Monachis à parentibus, aut aliunde obvenientes: ne videantur hi plus juris habere quam reliqui de Communitate.*
8 *Periculum hujus persuasionis erit, si Superiores rerum illorum usum passim illis concedant, quibus illæ obveniunt.*
9 *Statutum Canonicorum Regularium, quo huic periculo occurritur.*
10 *Ut necessitatibus singulorum ex communi Monasterii substantia queat provideri, congruit, ut necessaria statuit paupertatis sint commensurata.*
11 *Religiosi vi suæ professionis debent omnem in vestibus & supelectile fastum vitare.*
12 *Decretorum Canonicorum Præmonstratensium de servanda modestia & paupertate religiosa.*
13 *Difficile est in magna divitiarum affluentia paupertatem servare.*
14 *Collapsio disciplinæ, & observantiæ Monasticæ ex affluentia divitiarum profluit.*

I. MOdum quæ in dispensandis bonis communibus inter primos Fideles (qui normam vivendi Cœnobitarum sive Religiosorum in communi viventium delineaverunt) Sacer

cer Textus paucis his verbis expressit: *Distribuebatur singulis, prout cuique opus erat*; hoc est, secundum uniuscujusque indigentiam.

II. Hanc dispensationis normam ut Prælati & Superiores servent, solicitè Monachorum Regulæ inculcant. *Est ejus*, ait S. Basilius, *penes quem dispensandi munus est, illud exequi diligenter*: DISTRIBUEBATUR SINGULIS PROUT CUIQUE OPUS ERAT. In *Regulis breviorib. Resp.* 131.

„ Victus, & tegumentum (inquit S. Augustinus in Regu-„ la *cap.* 8.) non æqualiter omnibus distribuatur, quia non æqua-„ liter valetis omnes, sed potiùs unicuique, sicut cuique opus „ fuerit: sic enim legitur in Actibus Apostolorum: *Quia erant „ eis omnia communia, & distribuebatur unicuique*, PROUT „ CUIQUE OPUS ERAT.“

Quibus consonat illud S. Benedicti in Regula *c.* 34. „ Si-„ cut scriptum est: *dividebatur singulis, prout cuique opus „ erat*. Ubi non dicimus ut personarum, quod absit, accep-„ tio sit, sed infirmitatum consideratio. Ubi qui minus indiget, „ agat Deo gratias, & non contristetur; qui verò plus indiget, „ humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericor-„ dia; & ita omnia membra erunt in pace.“

III. Igitur Superior, ut justam, rectamque dispensandi normam teneat, debet singulorum conditiones, & infirmitates considerare, atque ita singulis sine personarum acceptione ex communibus Monasterii proventibus, ad quos nullus præ alio plus juris habet, distribuere, prout cuique opus fuerit. „ Non „ ab eo (uti loquitur de Abbate S. Benedictus *cap.* 2.) perso-„ na in Monasterio discernatur, non unus plus ametur, nisi „ quem in bonis actibus & obedientia invenerit meliorem; æqua-„ lis sit ab eo omnibus charitas; una præbeatur omnibus se-„ cundum merita disciplina.“

IV. Illud verò solicitè in hac temporalium dispensatione attendere debent Superiores, ut ægrorum & infirmorum curam habeant, providentes ut nihil necessarii ipsis desit.

„ Infirmorum (ait S. Benedictus *cap.* 36.) cura ante omnia, „ & super omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo, ita eis „ serviatur, quia ipse dicturus est: *Infirmus fui, & visitastis „ me*. Et, *Quod fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis*. „ Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam pa-„ tiantur. Quibus Fratribus infirmis sit cella super se deputa-„ ta, & servitor timens Deum, & diligens, ac solicitus.... Cu-„ ram autem maximam habeat Abbas, ne à Cellariis, aut ser-„ vitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit, quid-„ quid à discipulis delinquitur.“

De Monachis sub Regula S. Pachomii viventibus scribit in præfatione ejusdem Regulæ S. Hieronymus: *Ægrotantes ministrorum sustentantur obsequiis, & ad omnem copiam præparatis cibis.*

„ Ægrotantium cura, sive post ægritudinem reficiendorum, „ sive aliquâ imbecillitate etiam sine febribus laborantium uni „ alicui debet injungi (ait S. Augustinus in Regula) ut ipse de „ Cellario petat, quod cuique opus esse prospexerit.“

Sanctus Fructuosus in sua Regula *cap.* 7. vult, ut infirmi „ tanto ministerio foveantur, ut nec propinquorum affectus, „ nec urbium delicias requirant; sed quod necesse habuerint, „ Cellarius, & Præpositus provideant.“

V. Et quid mirum, in omnium Ordinum Regulis, & Constitutionibus adeò enixè commendari curam infirmorum! Experientiâ enim manifestum est, nullam esse Religiosis majorem tentationem, privata peculia sibi corradendi, & conservandi, quàm si videant, ex communi Monasterii penu infirmis necessaria non subministrari.

Unde citatum Directorium Coloniense deplorans, „ quòd „ procul à voluntaria paupertate abessent, qui ut in lecto ægri-„ tudinis suæ non egeant, & penuriam aliaque paupertatis in-„ commoda non sentiant, pecuniam corradunt atque seponunt, „ vel redditus vitales, aut perpetuos habent, unde tempore „ ægritudinis, & necessitatis suæ consolationem habeant, & se „ a molestiis paupertatis tueantur, atque defendant.“ Causam horum abusuum in ipsos Prælatos refundere non dubitat. „ Quorum, ait, immisericordiâ huic irreligiosæ solicitudini, & „ nefariis ausibus occasionem dedit, & januam aperuit; ut „ qui famulus Dei, qui omnia propter Christum dereliquerunt, dum ægrotabant ita derelinquisse visi sunt, ac si eo-„ rum cura tum ad eos non pertineret.“

VI. Meritò proinde Patres Eremitæ S. Augustini in suis Constitutionibus *parte* 2. *cap.* 14. volunt, ut solicitè inten-„ dat Prior, ne aliquid desit *infirmario*, quod necessitati ex-„ pediat infirmorum, etiamsi ob remedium eorum opus esset „ apud creditores magna debita contrahere, vel etiam bona „ Conventus distrahere & vendere; quando aliter medicari „ non possent.“

VII. Attendere quoque tenentur Superiores, ut res, quæ Religiosi, vel suâ propriâ industriâ, vel labore, aut Parentum sive amicorum liberalitate acquirunt, ita in ipsorum Fratrum necessitates dispensentur, ne ex modo dispensandi ipsis Religiosis ingeratur opinio, quasi plus juris ad harum usum haberent ipsi, quorum industriâ & labore sunt acquisitæ, vel in quorum gratiam à Parentibus datæ sunt, quam cæteri de Communitate.

VIII. Hujus verò persuasionis periculum erit, si advertant Superiores haud difficulter usum earum rerum concedere his, quorum labore partæ sunt, aut in quorum gratiam à parentibus oblatæ fuerunt, tametsi aliundè sciatur, Religiosos illos præ cæteris illarum rerum usu non indigere; imò esse interdum non paucos in Communitate, quibus usus earum rerum magis conveniret, quin & subinde esset necessarius.

IX. Hoc periculum ut præveniant Superiores, admodum est conveniens, ut sæpiùs observent, quod in Constitutionibus Canonicorum Congregationis Windesemensis legitur *part.* 2. *c.* 7. „ Quod si alicui nostrûm, vestis, aut cultellus, aut aliud „ quid missum fuerit, ad Priorem deferatur, *& ex bona con-„ suetudine non* EI CUI *missum est, sed* ALII *potius detur*.“

X. Ut autem omnium necessitatibus providere possit ex *communibus* Monasterii proventibus, multum juvare poterit, si necessaria dispensentur secundum quod ipsa professio Religiosæ paupertatis requirit.

„ Mobilium verò usum (ait Synodus Tridentina) ita Su-„ periores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, „ quam professi sunt, conveniat; nihilque superflui in ea sit.“ *Sess.* 25. *c.* 2. *de Regular.*

XI. Si omnibus in Christo baptizatis rectè dixerit Augustinus: *Quid sibi cum pompis seculi, quibus renuntiasti*? Nonne potiore ratione id Religiosis dicitur, qui præ reliquis Christi Fidelibus specialiter paupertatem, & mundi contemptum profitentur; ita ut diametraliter eorum professioni videatur opponi, quidquid in eorum suppellectile, aut Monasterii divitias, aut mundi fastum præfert? Quod intelligens S. Benedictus in Regula *c.* 7. ait: „ Sextus humilitatis gradus est, si omni vilitate „ vel extremitate contentus sit Monachus.“

Vilitate, ait Hugo Menardus, *in cibo & potu, vestimento, calceario, & quocunque opere injuncto.* Ad Concord. Regul. *c.* 16. §. 1.

Et *cap.* 55. loquens S. Benedictus de vestibus Monachorum, post varias earum designatas species, ait: „ De quarum rerum „ omnium colore & grossitudine non causentur Monachi, sed „ quales inveniri possunt in Provincia, in quâ habitant, aut „ quod vilius comparari potest.“

Si S. Thomas rectè resolvat, vilitatem vestium Religiosis convenire, *quia Religio est status pœnitentiæ &* CONTEMPTUS MUNDANÆ GLORIÆ; quidni eâdem consequentia inferatur, vilem suppellectilem, humilia ædificia, cæteraque, quæ mundanæ gloriæ contemptum exhibent, Religiosis convenire?

Unde jam pridem S. Bonaventura sui Ordinis Provinciales monuit, „ ut sumptuositatem ædificiorum, librorum, ac cibo-„ rum ita statuant amputare, ut à *professionis excellentia vi-„ tæ observantia non discordet.*“

Et ante S. Bonaventuram, dixerat S. Bernardus de Ordine Cisterciensi: *Ordo noster abjectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est.* Epist. 142.

XII. Utque Patrum, ac veterum de hac paupertate, & moderatione in suppellectile, ac toto vitæ genere exhibenda omittam, unum hîc è novissimis Canonicorum Præmonstratensium statutis adducam. Monent ipsi Ordinis sui Prælatos, „ ut „ memores suæ professionis, ac SS. Patrum vestigiis inhærentes, „ modestâ suppellectili, & mensâ, ac frugali victu semper „ utantur. In reliquo etiam vitæ genere, ac in tota sua domo „ caveant, ne quid appareat, quod à sancto *paupertatis* insti-„ tuto sit alienum, vel quod non simplicitatem, Dei zelum, ac „ contemptum vanitatum præ se ferat.“ *Dist.* 2. *c.* 4. §. 1. & 2.

XIII. Scio quidem difficile esse Religiosis, & Abbatibus in magnâ illâ divitiarum abundantiâ, quæ hodie in pluribus Abbatiis habetur, paupertatem in omni vitæ genere conservare; nihilque vel in supellectili, vel mensa, aut domo, vel comitatu habere, quod non paupertatem & mundanæ gloriæ contemptum præferat: Sed nec illud ignoro, quod in ipsam divitiarum copiam, religiosæ disciplinæ, & perfectionis casum, & collapsionem plures veri Religiosi refuderint.

XIV. „ Posteaquam census Monachi habere cœperunt & „ reditus (inquit Thrithemius *homil.* 7.) pristina mox humilita-„ tis studia defecerunt, crevitque paulatim cum divitiis rerum „ temporalium superbia. Quandiu fuerunt pauperes Monachi „ Deum in veritate coluerunt, posteà verò quando divitiis „ abundâsse cœperunt, simplicitatem fugavit duplicitas: Inte-„ gritas namque observantiæ regularis abundantiam peperit re-„ rum temporalium; sed paulatim divitiæ Monachorum puri-„ tatem Ordinis funditùs extinxerunt.“

Item *Sermone* 2. ad Monachos, cùm dixisset, Ordinem Benedictinum mirum in modum orbem illustrâsse, à suoque splendore tandem sensim decidisse, causam illius casûs assignans, ait: „ Contulit Monachis Religio sancta divitias, do-„ nec matrem filia suffocavit. Nam ut Scriptura dicit: *Omnes „ qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes diaboli*: increas-

„ sa-

„ satus est dilectus, & recalcitravit; impinguatus, & dilatatus „ terrenis possessionibus, dereliquit institutionis primæ sancta „ studia; abiit post vanitates falsas, quem copia rerum tempo- „ ralium divitiis spiritualibus inopem & miserum fecit.“

Sed de his latiùs infrà ubi de causis collapsiónis disciplinæ Monasticæ agetur.

CAPUT IX.

Titulus administrationis in simplici Monacho est pallium (t) *proprietatis.*

1 *An in* Cap. 2. ✠ De Statu Monach. *permittatur Monacho peculium de licentia Abbatis titulo administrationis.*
2 *Sententia Glossæ.*
3 *Veteres Canonistæ docuerunt administrationem tantùm posse concedi* Officialibus.
4 *Decretum Synodi Tridentinæ Veterum Canonistarum expositioni conforme.*
5 *Superiores non possunt bonorum* stabilium *administrationem simplici Monacho committere.*
6 *Synodus etiam vetat administrationem concedi* simplici *Monacho cum* dependentia *à voluntate Superioris.*
7 *Licentia Superiorum non reddit Monachum immunem à vitio* proprietatis; *nec fidem adhibere debet Superiori asserenti se talem licentiam dare posse.*
8 *Ostenditur, Synodum Tridentinam non permittere, ut concedatur administratio* simplici *Monacho, tametsi ad nutum Superioris revocabilis.*
9 *Nulla ex causa, nec uno casu administratio* simplici *Monacho dari potest.*
10 *Dum conceditur* simplici *Monacho, constituitur in effectu usufructuarius.*
11 *Tametsi concedatur tantùm* dependenter *à nutu Superioris.*
12 *Administratio concessa Officiali illum non facit proprietarium: & quare?*
13 *Officialis potest constitui* proprietarius, *si proventus expendat in usus* proprios.
14 *Proprietarii erunt, si emolumenta seu jura recipiant & reservent in usus proprios.*
15 *Decretum Synodi Cameracensis contra jura Officialium.*
16 *Titulus administrationis pallium proprietatis aliquando erit, tametsi administratio committatur Officialibus Monasterii.*

I. CRedunt nonnulli, Monachis permissa esse peculia titulo administrationis de consensu Abbatis aut Superioris, juxta illud quod ex Concilio Lateranensi refertur in *c. 2. de Statu Monach.* „ Qui verò peculium habuerit; nisi ab Ab- „ bate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, com- „ munione removeatur Altaris.“

Ergo, inquiunt, Monacho peculium habere licet, si ei ab Abbate injuncta fuerit administratio, atque ipso peculio utatur de licentia Abbatis, & dependenter ab ejus voluntate.

II. Verùm, uti rectè notat Glossa ad *citatum Capitulum*, Monachus potest habere peculium de licentia Abbatis, sed *causâ administrationis*, id est, (uti advertit Fagnanus ad dictum Capitulum *num.* 42.) propter officium administrandi, quia Officialis est Monasterii. Et Innocentius famosus, & antiquus Canonista exemplicat in Officialibus, puta *Vestiariis*, vel *Eleemosynariis.*

III. Et Hostiensis in Commentario ad hunc textum expressè dicit, non comprehendi nisi Officiales pro administratione temporalium deputatos. „ Puta, ait, quia est Vestiarius vel „ Eleëmosynarius, vel Cellarius, vel alius quicunque certum „ habens officium, ratione cujus habet recipere, & expendere „ in usus Monasterii, sive monachorum temporalia, sive sint „ pecuniæ vel quæcunque alia.“

Idem asserit Joannes Andreas, additque: „ Monachum non „ posse etiam de licentia Abbatis habere peculium, si ejus offi- „ cium tantùm versetur circa spiritualia; ut si sit Prior Claustra- „ lis, Sacrista, vel quis alius audiens confessiones, vel tantùm „ vacans observantiæ Regulari.“

Verbo, juxta mentem Glossographi & veterum illorum Canonistarum, permittitur Monacho habere peculium, si ab Abbate sit constitutus Officialis Monasterii, qui vi sui officii administrationem habeat peculii in utilitatem Monasterii, nequaquam verò in utilitatem propriam.

IV. Hanc Doctorum responsionem tanquam menti Concilii Lateranensis consonam amplexa Synodus Tridentina, *Sess. 25. cap. 2. de Regularibus*, statuit: „ Nec deinceps liceat Superio- „ rioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad „ usumfructum, vel usum, administrationem aut commendam. „ Administratio autem bonorum Monasteriorum, aut Conven- „ tuum ad solos Officiales eorundem, ad nutum Superioris „ amovibiles, pertineat.“

V. Nulli ergo Regularium bonorum stabilium administrationem concedi à superioribus posse declarat Synodus, sed solis Officialibus; idque dependenter & ad nutum Superiorum, id est, quòd etiam illam administrationem possint illis Officialibus semper auferre.

VI. „ Unde (ut monet Fagnanus loco citato *num.* 49.) val „ de inepta est illorum interpretatio, qui asserunt Concilium „ hoc loco non prohibere administrationem, quam habent Re- „ gulares dependenter à voluntate suorum Superiorum. Siqui- „ dem verba Concilii non diriguntur in Subditos, sed in Supe- „ riores tantùm, ibi: *nec deinceps liceat Superioribus*; unde „ cùm improbetur administratio illa, quæ conceditur à Supe- „ rioribus, sequitur evidenter ut propriè improbetur adminis- „ tratio, quam habent Regulares dependenter à voluntate „ eorundem Superiorum, nam si Superioribus non licet con- „ cedere alicui administrationem stabilium, ergo non pendet „ ab eorum voluntate efficere administrationem licitam, vel illi- „ citam: sicuti videmus usum superfluum bonorum non fieri li- „ citum ex eo, quòd Regularis dicat: *Ego teneo immobilia su- „ perflua dependenter à voluntate meorum Superiorum, & ad „ eorum nutum*, quia Superiores non habent super hoc dispen- „ sandi facultatem.“

VII. Testatur quoque ibidem *num.* 51. quòd „ consulta „ S. Congregatio, an propter talem dispensationem seu licen- „ tiam Superiorum possidentes vel tenentes bona immobilia, vel „ mobilia superflua, à culpa vel pœna excusentur, responderit, „ non excusari neque à culpa, neque à pœna ipso facto incur- „ renda; ac insuper, Superioribus asseverantibus hujusmodi se „ licentias posse concedere, fidem non esse adhibendam.“

VIII. Præterea cùm Concilium Tridentinum primò constituat regulam negativam per hæc verba: *Non liceat deinceps Superioribus*, &c. ac deinde subjiciat exceptionem à regula dicens: *Administratio autem ad* solos *Officiales ad* nutum amovibiles *pertineat*, si Concilium in dicta regula (ait Fagnanus loco citato *num.* 52.) „ non prohibuisset simplici Mo- „ nacho administrationem ad nutum, regula non differret ab „ exceptione, quia eodem modo esset permissa administratio „ ad nutum simplici Monacho, atque Officiali Monasterii, quod „ esset absurdum; quia de natura exceptionis est, ut sit contra „ regulam, & etiam vitiet in casibus exceptis.“

IX. Ex his aliisque argumentis ex ipso decreto Tridentino desumptis concludit tandem Fagnanus *num.* 59. „ Administra- „ tionem bonorum stabilium, seu peculium, ex nulla causa & „ nullo casu Regularibus esse permissam, solis Officialibus dun- „ taxat exceptis.“

Ratio verò diversitatis inter simplicem Monachum, & Officialem quoad administrationem rerum temporalium nequaquam obscura est.

X. Dum enim simplici Monacho conceditur administratio, ea conceditur, ut proventus in suos particulares usus convertat; atque ita „ in effectu potest dici usufructuarius bonorum, (ait „ Fagn. *num.* 42.) nam cùm possit de fructibus disponere, di- „ citur habere jus utendi, & fruendi, & sic usumfructum. Nec „ refert, quòd non possit de illis disponere nisi in honestos „ usus; nam nec Clerici seculares possunt erogare fructus su- „ perfluos Beneficiorum suorum, nisi in usus pios, & tamen in „ vita dicuntur usufructuarii.

XI. „ Et similiter, pergit Fagnanus, nihil refert quòd ad- „ ministratio possit eidem auferri ad nutum Abbatis; siquidem „ hoc non tollit, quin durante administratione habeat jus uten- „ di & fruendi. Unde propriè dici potest usufructuarius *ad be- „ neplacitum.*

„ Quapropter, infert idem, titulus *administrationis* nihil „ est aliud, quàm *palliamentum* quoddam ad cohonestandum „ *proprium*; verè enim usufructuarius est Dominus fructuum.“

XII. At secus est in Officiali Monasterii, quia is constituitur administrator in utilitatem Monasterii, sive Communitatis; adeoque de proventibus nequaquam disponere potest in usus proprios; sed omnia convertere ac dispensare debet in usus Monasterii, sive illos ad quos ejus officium seu administratio illum adstringit; alioquin si in privatos suos usus impendat, nec furti, nec *proprietatis* crimen evadet.

XIII. „ Solicitè etiam observabit Procurator (inquiunt „ Constitutiones Canonicorum Regularium Capituli Windese- „ mensis *part.* 2.) ut concreditas sibi pecunias in nullos quam „ officii sui usus expendat, exactè ad id Prioris sui ordinatio- „ nem, & voluntatem exequendo, ne alioquin *furti* judicio, & „ tanquam *proprietarius* condemnetur.“

XIV. Quin nec Officiales immunes erunt à vitio proprietatis, si ipsi ratione suæ administrationis, seu officii aliqua jura accipiant, eaque non in communes, sed privatos suos usus reservent impendenda: cùm non minus illa, quàm alia quæcunque

(t) *Pallium in eo loco significat prætextum, seu simulationem.*

que Religiosis quocunque titulo obvenientia debeant Conventui incorporari, ut in communes usus expendantur.

XV. Hinc Synodus P. I. Cameracensis *Tit. de Regul. cap.* 10. volens pestifero proprietatis vitio obviare inter alia mandat. „ Rescindant insuper Superiores, & aboleant prorsus „ universa illa emolumenta, & jura, quæ antiquo more qui„ busdam Monasteriorum Officialibus concedi solebant."

„ XVI. Si ergo Officialibus ad nutum Superiorum etiam amovilibus tantùm possit concedi bonorum stabilium administratio, ut proventus in usus communes, tanquam Communitatis Officiales administrent, facilè est videre, quòd titulus administrationis non desinit esse merum *palliamentum* ad cohonestandum proprium, si v. g. administratio reddituum vitalitiorum Officialibus quidem Monasteriorum committitur, non in communem Monasterii, sed in privatam illius, in cujus favorem sunt reservati, utilitatem.

TITULUS XXX.

De Voto Castitatis.

CAPUT I.

PROFESSIO RELIGIOSA INCLUDIT VOTUM CASTITATIS SALTEM IMPLICITE; ET AD QUID OBLIGET.

1 *In pristinis Monachorum formulis professionis nulla occurrit expressa voti Castitatis mentio.*
2 *Etiam plures recentiores illius expressam mentionem non faciunt.*
3 *Primus illius expressam mentionem fieri voluit sanctus Franciscus.*
4 *Hodierna Franciscanorum formula votum castitatis expressè continet.*
5 *Exemplo S. Francisci nonnulli Ordines cœperunt votum castitatis in formula professionis exprimere.*
6 *Formula professionis Eremitarum S. Augustini hodie exprimit votum castitatis.*
7 *Similiter formula Carmelitarum, licèt Regula id non exprimeret; quare, & quando exprimere cœperit.*
8 *Etiam Monachi, in quorum professionis formula votu castitatis non exprimitur, voto castitatis obstringuntur; & quomodo.*
9 *Votum Castitatis duo includit.*
10 *Monachi matrimonium contrahentes olim excommunicabantur.*
11 *An votum Castitatis olim dirimeret matrimonium, incertum; at hodie certum est.*
12 *Ut votum Religionis dirimat matrimonium debet emitti in Religione per Sedem Apostolicam approbatâ.*
13 *Solemnitas voti, uti & efficacia ad* dirimendum, *pendit à jure positivo.*
14 *Ipsa professio non dat voto illam efficaciam, sed positiva Constitutio ei accedens.*
15 *Primum votum, quod emittunt Scholares Societatis* JESU, *quodam sensu rectè dicitur* solemne.

I. IN nullis Veterum Monachorum Regulis, quin nec in Benedictina, ulla expressa, & specialis professio sive promissio servandæ castitatis, sive continentiæ occurrit: imò nec in hodierna Benedictinorum professionis formula castitatis servandæ ulla mentio habetur.

II. De suo similiter Carthusiensium, aliisque Ordinibus testatur Petrus Dorlandus: „ Nos Carthusienses, sed & Clu„ niacenses, & Camaldunenses, & Cistercienses, & Cano„ nici Regulares, nec paupertatis, nec *castitatis* votum pa„ lam emittimus."

Neque in primigenia Carmelitici Ordinis Regula à S. Alberto exarata ulla *castitatis* professio continetur; sed *cap.* 1. dicitur duntaxat, quòd Priori *obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate servare.*

III. Primus, qui castitatis, & paupertatis expressam mentionem promissionis formulæ adjecit, videtur fuisse S. Franciscus; qui *cap.* 1. suæ Regulæ habet: „ Regula, & Vita Fra„ trum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri JESU Christi „ sanctum Evangelium observare, *vivendo in obedientia, sine „ proprio, & in* CASTITATE."

Deinde *cap.* 2. ait: „ Finito verò anno probationis, reci„ piantur ad obedientiam, promittentes vitam istam, & Re„ gulam istam semper observare."

Ex quibus sat manifestè habetur, quòd juxta Regulam S. Francisci Professuri promittere deberent, idque verbis expressis, vivere in *obedientia, sine proprio*, & in CASTITATE.

IV. His consonat hodierna formula professionis Fratrum Minorum, quæ hoc tenore exprimitur. „ Ego frater N. voveo, „ & promitto Deo, & Beatæ Mariæ Virgini & B. Francisco, „ ac omnibus Sanctis, & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ „ servare Regulam Fratrum Minorum per Dominum Honorium „ Papam confirmatam, vivendo *in obedientia, sine proprio, & „ in* CASTITATE."

V. Ordinis Minorum formulam tanquam clariùs, & expressiùs tria illa vota exprimentem, nonnulli alii Ordines postmodum imitati sunt; atque tria illa, vivere *in obedientia, sine proprio, & in Castitate*, in formula suæ professionis exprimere cœperunt.

IV. Ita Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini expressè vovent obedientiam, & *vivere sine propio, & in Castitate* secundum Regulam Patris Augustini usque ad mortem: quanquam ipsa Regula Augustini nullam professionem expressam *Castitatis* præscribat: quam nec Ordo Prædicatorum, nec Canonicorum Regularium, tametsi Regulam Augustini profiteantur, in suæ professionis formula exprimunt.

VII. Professioni quoque Carmelitarum per Innocentium IV. in Constitutione, quâ Regulam Albertinam declarat & mitigat, addita fuêre hæc verba: *cum Castitate & abdicatione proprietatis.* „ Verebantur enim (ait R. P. Papebrochius in com„ mentario prævio ad vitam S. Alberti 8. April. *cap.* 11. *n.* 115.) „ ne absque *explicita* trium Religiosorum votorum professione, „ negarent alii pro verè Religiosis habendos Carmelitas, ex vulgi „ scilicet imperiti sensu: Nam explicita trium votorum profes„ sio usitata non fuit in Monachatu veteri." Additque, „ quod „ ante Mendicantium tempora nunquam fuit tam clarè expressa „ trium votorum Religiosorum distinctio."

VIII. Num igitur veteres Monachi, atque etiam moderni, qui in suæ professionis formula *Castitatis* mentionem non faciunt, CASTITATIS voto non obstringuntur? Omninò. Nam qui se Deo per susceptionem vitæ monachalis dedicat, vovetque, is se obstringit vivere secundum eam vivendi normam, quam vovet.

Porrò vita monastica includit, ac semper inclusit *essentialiter* cælibatum, sive custodiam continentiæ, seu obligationem vivendi *in Castitate*; ita ut si cælibatum destruas, ipsum Monachatum destruas.

Qui ergo Regulam, ac vitam Monasticam olim vovebat, quique hodie eam vovet, etiam consequenter vovet vivere in *Castitate*; tametsi formula professionis votum Castitatis explicitè non contineat; eo quod Regula, & vitæ norma, quam professus est, obligationem vivendi in Castitate *essentialiter* includit; juxta illud Innocentii III. in *cap.* CUM AD MONASTERIUM ✠ *de Statu Monach.* „ Abdicatio proprietatis & *custo„ dia Castitatis* adeò est annexa Regulæ monachali, ut con„ tra eam nec summus Pontifex possit dispensare."

IX. Duo verò includit votum *Castitatis* in Religione emissum. Primum, vivere in *Castitate* extra Matrimonium; sive omnia peccata seu interna seu externa contra Castitatem vitare; idque etiam ex voto: adeò ut, si Religiosus peccet contra Castitatem, non tantùm committat simplex peccatum carnis, sed etiam contra votum; & votifragus sit.

Secundum, quod includit votum *Castitatis*, est abstinere à conjugio & ab omni actu conjugali.

X. Unde jam pridem in Concilio Calchedonensi *Can.* XVI. decretum legitur: „ Virginem, quæ se Domino Deo dedica„ vit, similiter & Monachos non licere matrimonio conjungi. „ Sin autem hoc fecisse inventi fuerint, sint excommunicati. „ Ostendendæ autem in eos humanitatis auctoritatem habere sta„ tuimus Episcopum ejus loci." Gratianus *Caus.* 27. *quæst.* 1. *Can.* 22.

XI. Num professio monachalis, ipsumque votum Castitatis, implicitè saltem in professione monastica contentum, etiam olim matrimonium contractum dirimeret, nullumque redderet, non æquè expeditum est.

Illud expeditum est, votum Castitatis, sive explicitè, sive implicitè in Religione approbata emissum, hodie matrimonium contractum dirimere; atque tale votum ponere impedimentum dirimens; uti expressum est in *Cap. unic. de Voto, in* VI.

XII. Hoc quoque ex eadem Decretali habetur, hodie illud votum duntaxat dici „ solemne, ac ad matrimonium dirimen„ dum efficax; quod solemnizatum fuerit per susceptionem sa„ cri

„ cri Ordinis, aut professionem expressam vel tacitam factam „ alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.“

XIII. Constat insuper, hanc efficaciam votorum dirimendi matrimonium contrahendum, esse ex mero jure possitivo.

Si enim præveniendo jus possitivum votum castitatis à Monacho emissum efficaciam habuerit dirimendi matrimonium postea contractum, indubiè etiam illam efficaciam habuit votum castitatis emissum in Religione per Sedem Apostolicam non approbata.

Certum quippe est, ante seculum XIII. nequaquam receptum fuisse, ut nova Monachorum institutio à Sede Apostolica approbationem vel confirmationem habere deberet, uti suprà *tit.* 24. *cap.* 2. notavimus.

Cùm verò hodie hæc efficacia solis votis in Religione per Sedem Apostolicam approbata emissus tribuatur, manifestum est, hoc totum à jure possitivo dependere. Unde illud Glossæ ad citatum capitulum unicum; „Non est ipsum votum „ quod matrimonium dirimit; sed est ipsa Constitutio Ecclesiæ.“

XIV. Hinc quoque elicitur, non esse ipsam externam formam professionis, seu emissionis, quæ faciat votum *solemne* ad hunc effectum dirimendi matrimonium; sed ipsa Constitutio possitiva dans hanc efficaciam alicui voto, unà illud reddit *solemne* ad hunc effectum; atque ita juxta modernam phrasim, vota dicuntur *solemnia*, quibus jus possitivum similem vim attribuit: & hoc titulo rectè dicitur in allegato Capitulo unico, quòd *voti solemnitas ex sola Constitutione Ecclesiæ est.*

XV. Hinc consequens, quòd propriè loquendo, votum primum in Societate, postquam à Gregorio XIII. in Bulla quæ incipit, *Ascendente Domino*, efficax factum est ad dirimendum matrimonium, non incongruè *solemne* dici possit, quamvis adhuc *simplex* vulgò dicatur: ideo forsan, quod non *stabiliter* statui alicui adstringat, eo quòd post emissionem hujusmodi voti, possit adhuc è Societate dimitti, & à voto absolvi.

CAPUT II.

Mulierum ad Claustrum, et Oratoria Monachorum ingressus quomodo vetitus

1 *Antiqua Patrum Regula omnem mulierum conversationem Monachis severè interdixit.*
2 *Quarumcunque mulierum ingressus in Monasteria Monachorum vetitus.*
3 *Ægerrimè tulit S. Gregorius mulierum in Monasteria ingressum; & vetuit Monachis habere Commatres.*
4 *Abbas permittens mulierum ingredi Monasterium festivitates videndi causâ, pœnitentiæ subjicitur.*
5 *Interdum etiam excommunicandus dicitur.*
6 *Nonnullæ mulieres illustriores obtinuerunt licentiam intrandi Monasteriorum septa; at eas revocavit Pius V.*
7 *Gregorius XIII. Constitutionem Pii V. renovavit, & declaravit in illa omnes generaliter mulieres comprehendi.*
8 *Decretum Eremitarum S. Agustini contra ingressum mulierum in Monasteria.*
9 *Olim etiam ad Ecclesias Monachorum mulieribus non patebat accessus.*
10 *Ea disciplina fuit seculo VII. in Monasterio Laubiensi.*
11 *Etiam seculo X. in Monasterio S. Bertini.*
12 *Ut Mulieres à suis Oratoriis Monachi arcerent, Missas* publicas *in is fieri noluerunt: Quid Missæ publicæ?*
13 *Hæc disciplina etiam usque seculum XIII. durâsse videtur.*
14 *Hæc disciplina etiam hodie & populo & Monachis sæpè esset conveniens & utilis.*
15 *Dum mulieres ad Ecclesias Religiosorum admittuntur, curandum, ut à Religiosis sint sejunctæ.*
16 *Laudabile quoad hoc PP. Prædicatorum decretum.*
17 *Etiamsi juxta modernam disciplinam liberior sit mulierum ad Ecclesias, & Monasteria Religiosorum accesus, omnis tamen familiarior conversatio vitanda.*
18 *Salubre in hoc Eremitarum S. Augustini decretum.*

I. Mulierum conversationem Monachis in Castitate vivere desiderantibus, & ad ea servandam vi suæ professionis adstrictis admodum periculosam existimantes Patres, omne, quantum possibile est, comercium mulierum Monachis interdixerunt.

„ Familiaritatem omnium mulierum (ait vetus Patrum Re„ gula quam Lucas Holstenius *tertiam* vocat) tam parentum „ quam extraneorum pro custodienda vita, vel cavendis la„ queis Diaboli, ab omnibus Monasteriis vel culturis Mona„ chorum, seu frequentationem Monachorum à Monasteriis „ puellarum, sicut Regula docet, prohibere censemus. Ne„ que ulla mulier in interius atrium Monasterii ingredi au„ deat. Quod si cum consilio vel voluntate Abbatis, Mo„ nasterium, vel cellulas Monachorum quædam fuerit ingres„ sa, merito ipse Abbas, & nomen Abbatis deponat, & in„ feriorem se omnibus Presbyteris recognoscat, quia talis sanc„ to gregi præponi debet, qui eos immaculatos Deo offere „ procuret; non per quaslibet familiaritates diabolo sociare „ festinet.“

II. Regula S. Cæsarei Episcopi Arelatensis *cap.* 11. „ Mu„ lieres in Monasterio nunquam ingrediantur.“ Et fortiùs alius Arelatensis Episcopus S. Aurelianus in Regula *cap.* 15. „ Mu„ lieres verò, nec religiosæ, nec seculares, nullæ omninò, „ nec Abbatis, nec cujuscunque Monachi mater, aut quæli„ bet propinqua, aut nota ad salutandum, aut ad oratio„ nem ingredi permittatur.“

III. Quàm ægrè tulerit S. Gregorius mulierum in Monachorum domos ingressum, colligi potest ex Epistola ejus ad Valentinum Abbatem, *Lib.* 3. *Epist.* 40. in qua scribit: „ Pervenit ad nos, quòd in Monasterio tuo passim mulieres „ ascendant, & quod adhuc est gravius, Monachos tuos sibi „ commatres facere, & ex hoc incautam cum eis commu„ nionem habere. Ne ergo hac occasione humani generis ini„ micus sua eos, quod absit, calliditate decipiat: ideo hu„ jus te præcepti seriò commonemus, ut neque mulieres in „ Monasterio tuo deinceps qualibet occasione permittas as„ cendere, neque Monachos tuos eas commatres sibi face„ re. Nam si hoc denuò ad aures nostras quocunque modo „ pervenerit, sic te severissimæ noveris ultioni subdendum, „ ut emendationis tuæ qualitate cæteri sine dubio corrigantur.“

IV. Quin & jam pridem Antissiodorensi Concilio decretum fuit: „ Si quis Abbas mulierem in suo Monasterio in„ gredi permisserit, aut festivitates aliquas ibi spectare præ„ ceperit, tribus mensibus in alio Monasterio retrudatur, pa„ ne & aqua contentus.“ *Can.* 26.

V. Et Concilium Turonense I. *Can.* 15. „ Ut mulier in„ tra septa Monasterii nullatenus introire permittatur. Si Ab„ bas in hac parte, aut Præpositus negligens apparuerit, qui „ eam viderit, & non statim ejecerit, excommunicetur.“

Plures in hanc rem Canones refert Gratianus *caus.* 18. *quæst.* 12.

VI. Cumque nonnullæ mulieres, præcipuè illustrium fa„ miliarum à Romanis Pontificibus licentiam contra hanc canonicam institutionem accepissent; atque hac licentiâ prætenderent sibi liberum in ipsa Monasteriorum etiam virorum septa patere introitum, Pius V. expendens periculum ex hujusmodi mulierum ingressu & conversatione Religiosis imminens, Constitutionem in forma *Brevis* edidit, quâ omnes hujusmodi licentias quocunque titulo, & quibuscunque mulieribus concessas revocavit, & anullavit, „ districtè prohi„ bentes, ait, mulieribus quidem prædictas facultates & li„ centias prætendentibus, sub excommunicationis latæ senten„ tiæ pœna, postquam harum litterarum notitiam habuerint, à „ qua non possint nisi à nobis, aut Romano Pontifice, qui „ pro tempore fuerit, absolvi, præterquam in mortis arti„ culo, ne dictas domos & Monasteria ingredi audeant.

„ Ipsis verò Monasteriorum, & Conventuum Abbatibus „ Præpositis, Prioribus, & aliis Præsidentibus quocunque no„ mine vocentur, & eorum Monachis, Canonicis, & Fra„ tribus, sive mendicantibus, sive non mendicantibus, sub pri„ vationis officiorum quæ in præsentia obtinent, & inhabili„ tatis imposterum ad illa & alia omnia, & suspensionis à „ divinis ipso facto, sine alia declaratione, incurrendis pœ„ nis, ne eas introducere, admittereve præsumant.“

VII. Hanc Constitutionem rursus renovavit Gregorius XII. in Consist. quæ incipit, *Ubi gratiæ*, 28 in Bullar. Rom.

Cumque postmodum dubitaretur, num hoc decreto tantùm comprehendere voluisset mulieres hujusmodi licentias habentes, respondit idem Pontifex, mentem suam fuisse comprehendere *omnes & quascunque mulieres alias, tam in genere, quàm in specie.* Habetur hæc declaratio in Bullario Roman. ad calcem citatæ Constitutionis.

Disciplinam hanc Patrum regulis, atque Conciliorum & Pontificum decretis expressam & firmatam, passim Ordinum Constitutiones inculcant; serioque, ac solicitè conservari præcipiunt.

VIII. Et Constitutiones Eremitarum S. Augustini *part.* 2. *c.* 13. de hac disciplina ita loquuntur: „ Strictè prohibemus, „ ne aliquis Frater, Prælatus vel subditus, mulierem cujus„ cunque statûs, gradûs, Ordinis, conditionisve sit, quacun„ que etiam dignitate ac præeminentiâ præditam, etiam Co„ mitissam, Marchionissam, aut Ducissam in Monasteria fra„ trum Ordinis nostri introducere vel admittere præsumat, *sub „ privationis officiorum, quæ in præsentia obtinuerint, & „ inhabilitatis in posterum ad illa & alia omnia, ac suspen„ sionis à divinis ipso facto* sine alia declaratione, pœnis in„ currendis, præterquam in casibus sequentibus. Videlicet, quan„ do fiunt processiones, vel mortui sepeliuntur, ac etiam „ pro iis suffragia fiunt: tunc namque ad illa loca, in quibus „ dicta pia opera exercerentur, accedere mulieribus licitum,

„ est

„ est, ita tamen, quòd porta, qua intratur ab Ecclesia in „ claustrum, non claudatur ullo modo, quandiu mulieres in„ tra steterint, quæ eo finito propter quod intraverunt, exire „ compellantur."

IX. Non tantùm ingressus mulierum in interiora ipsorum Monasteriorum septa olim vetitus erat; sed etiam ab ipsis Ecclesiis sive Oratoriis Monachorum mulieres passim arcebantur; neque ad ea ipsis patebat ingressus.

X. Referuntur à Fulcino in libro *de gestis Abbatum Laubiensium cap.* 1. de S. Ursmaro Abbate Laubiensi, & Episcopo in *functoria* tantùm prædicatione sacrato (de quo Episcoporum genere vide Mabillonium in præfatione ad partem I. seculi III. Benedictinorum *n.* 33. 34. & 35.) quod cùm Ecclesiam Monasterii dedicâsset an. 697. nolens „ pollui cadaveribus mor„ tuorum, fecerit aliam in honorem B. Mariæ in montis verti„ ce, cui subjacet prædictum Monasterium, ubi cœmeterium „ esset Fidelium, & ad quem confluëret populus. Nam illi„ citus, ut nunc quoque nisi certo tempore, apud aliam (Mo„ nasterii Ecclesiam) erat fœminarum accessus." Extat apud Mabillonium in Actis Benedictinorum seculo III. *part.* 1. *pag* 247.

XI. In *lib.* 2. *de miraculis S. Bertini Abbatis Sithiensis* narratur: „ Adala nobilissima conjux Arnulfi Comitis, cùm „ sæpiissimè magis infirmitatibus esset aggravata, cœpit desi„ derare, ut in hoc Monasterio (S. Bertini) ei licentiam mo„ nachi darent intrare, ut coram Altari S. Bertini pro salute „ sua deprecatura liceret se prosternere. Hujus igitur rei causa, „ ait auctor, advocatis veneralibus Episcopis Wicfrido Tar„ vennensis Ecclesiæ Episcopo, & Folberto Cameracensis, de„ nudavit eis desiderium suum, acceptâ etiam licentia à Mo„ nachis anno Nativitatis Domini 938. annoque quinto Ludo„ vici Regis feriâ secunda Paschæ introduxerunt eam præfati „ Episcopi in eodem Monasterio, non sine tremore maximo: „ quoniam hoc illa prima facere præsumpserat, quod ante Re„ ginarum nulla concupiscere vel audebat." Apud Mabillonium loco citato. *pag.* 138.

En seculo X. quanta cum difficultate, & Episcoporum auctoritate huic Comitissæ ad Altare S. Bertini datus est accessus!

XII. Quid plura? cùm notorium sit, plurimis seculis in more positum fuisse; imò & vice privilegii, interdum in fundatione cautum, ut Missæ *publicæ*, id est, ad quas populus conveniret, in Monachorum Ecclesiis non fierent; „ ne scilicet „ (ut ait S. Gregorius *lib.* 4. *Epist.* 43.) in servorum Dei se„ cessibus occasio præbeatur popularibus conventibus, & sim„ pliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scanda„ lum trahat, frequentior etiam introitus mulierum arceatur."

XIII. Hancque disciplinam, Missas *publicas*, sive ad quas esset publicus populi conventus, in Monasteriorum Ecclesiis non celebrandi usque ad tempora S. Bernardi permansisse, ex Philippo Abbate Bonæ spei *Lib. de Continentia Clericorum cap.* 83. observat Cardinalis Bona *Lib.* 1. *Rerum Liturg. cap.* 13. *n.* 3. quin & Innocentium III. Veterum vestigiis insistentem prohibuisse, ne Diœcesis Episcopus in Monasterio Carroffensi, cujus privilegia confirmabat, Missas *publicas* ageret.

XIV. Scio quidem contrariam disciplinam hodie præsertim post exortos Ordines Mendicantes invaluisse; atque in Ecclesiis sive Oratoriis Monachorum *publicas* Missas, à conventu populi adstantis & offerentis ita dictas, passim celebrari: at illud scio, quòd non rarò magis cautum esset, & populo & Monachis, si juxta disciplinam Patrum suorum, à suis Ecclesiis præcipuè hi, qui ad instructionem populi specialiter non sunt vocati, publicum populi conventum arcerent. Populo quidem, ut in matrice seu Parochiali Ecclesia à suis nutrirentur Pastoribus; Monachis verò, ne secularium contagione polluerentur, aut in sua devotione saltem distraherentur.

XV. Similiter, quamvis horum temporum disciplina Mulieres ad plerasque Religiosorum Ecclesias admittat, illud tamen solicitè cavendum, ut quantum fieri potest, Religiosi à mulieribus sint sejuncti, neque psallentium choris intermisceantur.

XVI. Qua de re prudenter in suis Constitutionibus caverunt PP. Prædicatores: „ Mulieres Claustrum vel Oratorium, „ vel alias officinas nostras non ingrediantur, nisi in die con„ secrationis Ecclesiæ, & tunc licebit eis ingredi Chorum & „ Claustrum. In Parasceve verò tantùm *Chorum* intrare pote„ runt usque ad officium."

Quin ut Chorus à secularium conventu magis esset liber, decreverunt sequentia: „ In Ecclesiis nostris debent esse in„ termedia, quæ dividunt Chorum à secularibus, & debent „ ubique ita esse disposita, ut Fratres Chorum ingredientes „ non possint à secularibus videri, nec ipsi seculares videre. „ Poterunt tamen aliquæ fenestræ aptari, ut tempore elevatio„ nis Dominici Corporis aperiantur, & Sacramentum à secula„ ribus adoretur." In Constitutionibus editis per Petrum Martyrem *part.* 1. *c.* 16.

XVII. Insuper quæcunque disciplinæ intervenerit pro temporum varietate immutatio, illud tamen invariatum manet, omnem Religiosis, non minus ac Clericis, familiariorem, & non necessariam cum mulieribus conversationem esse interdictam: ipsisque Superioribus solicitè esse invigilandum, ut omnem similem conversationem rescindant, & occasionem præveniant.

XVIII. Qua in re notandæ Constitutiones Eremitarum S. Augustini, quæ *part.* 2. *c.* 13. hæc habent: „ In Ecclesia „ seu ad ostium Conventûs nullus Frater cum mulieribus lo„ quatur sine licentia Prioris, & socio à Priore assignato, qui „ audiat, & videat, nisi talis cum matre vel sorore carnali, seu „ alia muliere maximè sibi consanguinitate, vel affinitate con„ juncta loqueretur. In quo casu sufficit, quòd socius videat, „ licèt non audiat: excipimus tamen viros graviores & ætate „ maturiores. Omnia tamen supradicta quoad omnes Fratres „ serventur, quoties contigerit aliquem extra Monasterium „ egredi, ut cum mulieribus loquatur.

„ Caveat autem Prior, ne nimis frequenter eidem Fratri „ licentiam concedat cum eadem, vel eisdem mulieribus col„ loquendi, vel eas ad proprias domos visitandi, nisi fortè ta„ lis persona esset tantæ scilicet auctoritatis & tam claræ famæ, „ quod ex ejus collocutione potiùs Religioni nostræ honor, „ quàm dedecus accederet.

„ Fratres verò foras missi pro necessariis domui petendis „ loqui poterunt cum mulieribus etiam alter sine altero, si „ tunc necessitas sic loqui exigit, intrare tamen domum ad se„ dendum, vel confabulandum non licebit.

„ Procurator & fratres alii cùm ad procurandum necessa„ ria Fratribus vadunt, poterunt præsente socio suo, & vi„ dente de hujusmodi cum muliere sola loqui, ita tamen quòd „ cum una eademque muliere frequens non sit talis collocutio."

CAPUT III.

De Clausura Monialium vetante egressum Monialium.

1 *Ab initio Ecclesiæ fuerunt nonnullæ mulieres in perpetua castitate viventes.*
2 *Pro conservanda castitate convenit secularium personarum fuga.*
3 *Egressus è Monasterio Monialibus jam pridem interdictus.*
4 *Quæ cura olim haberetur ut castitati Virginum extra Monasteria habitantium consuleretur.*
5 *Seculo V. Clausura Monialium nota fuit.*
6 *Fixa & generalis non fuit circa Monialium clausuram disciplina ante seculum XIII.*
7 *Constitutio Bonifacii VIII. circa clausuram Monialium.*
8 *Decretum Concilii Tridentini eandem Constitutionem innovans.*
9 *Pius V. declaravit omnes quascunque Moniales decreto Tridentino comprehendi.*
10 *Idem Pontifex egrediendi licentiam nonnisi ex tribus causis concedi posse edixit.*
11 *Vigore Concilii Tridentini Episcopus habet auctoritatem in omnia generatim Monasteria Monialium in his, quæ Clausuram concernunt.*
12 *Episcopus potest visitare Monasteria Monialium etiam Regularibus subjecta, quoad ea, quæ* Clausuram *spectant.*
13 *Primus effectus Clausuræ est prohibitus egressus Monialium è Monasterio.*
14 *Quæ sit justa causa dandi licentiam egrediendi, non determinavit Tridentinum: tres expressit Pius V.*
15 *Prima causa est*, magnum incendium; *& quid per illud intelligatur.*
16 *Quæ sit* infirmitas, *ratione cujus egressus sit permittendus?*
17 *Causæ à Pio V. expressæ etiam in Synodis fuerunt probatæ.*
18 *An aliquando liceat indulgere egressum ob rationes à Pio V. non expressas.*

I. AB ipso Ecclesiæ exordio fuisse mulieres virginitatem servantes, etiam ipsa Acta Apostolorum testantur *cap.* 21. *v.* 9. ubi de Philippo refertur: *Huic autem erant quatuor filiæ* VIRGINES *prophetantes.*

Idem confirmant Patrum de Virginibus multiplicia scripta; quibus suam erga illas specialem curam ac solicitudinem expresserunt.

„ Nunc nobis (ait S. Cyprianus *de Disciplina, & habitu „ Virginum*) ad Virgines sermo est, quarum quo sublimior „ gloria est, major & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germi„ nis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, „ laudis & honoris opus integrum atque incorruptum; Dei „ imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio „ gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret „ Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas: quantoque plus copio„ sa virginitas numero suo addit, tantò plus gaudium matris „ augescit. Ad has loquimur, has adhortamur affectione potiùs, „ quam potestate: non quòd extremi & minimi & humili„ tatis nostræ admodum conscii, aliquid ad censuram licen„ tiæ vindicemus; sed quòd ad solicitudinem magis cauti, „ plus

„ plus de diaboli infestatione timeamus. "

II. Inter cætera autem, quæ pro custodia Virginitatis Patres suggessêre, fuit hominum sæcularium, atque præcipuè alterius sexûs fuga, atque ab omni mundana & externa hominum conversatione sequestratio.

III. Et quidem, dum circa seculum IV. formari cœperunt Virginum Monasteria, cœpit quoque eis egressus è Monasterio, si non totaliter, saltem extra necessitatis casus & citra Superioris licentiam interdici.

S. Basilius de Institutione Monachorum inter alia præcepta seu regulas habet: „ Egredi verò extra Monasterium, præter„ quam ubi statutis temporibus necessitas postulaverit, nemini „ licitum esto."

Ne verò crederetur quæ ab eo tradita sunt ad solos Monachos spectare, monet ea non tantùm in Virorum, sed & Virginum Monasteriis esse servanda; atque in his eo accuratius, quanto in his majus est periculum. „ Verùm, ait, quoniam „ non Virorum modo Conventus sunt, sed etiam *Virginum*, „ cætera quidem omnia, quæ hactenus præcepta tradidimus, „ æquè utriusque communia sunto. Unum tamen illud scire „ convenit, longè accuratiorem, majoremque in fœminarum „ vita quàm in virorum, disciplinam requiri, veluti voluntariæ „ paupertatis virtutem, quietem atque silentium, obedientiam, „ studium in sorores, cautionem in publicum prodeundi, di„ ligentem quibuscum colloquium sit, animadversionem, pa„ rem inter ipsas mutuò benevolentiam, & illud, quòd nulla „ seorsim apud eas conventicula sint. In his enim omnibus in „ virginum vita accurandis, majore quodam multo opus est „ studio." Hæc Basilius *de Inst. Monach.*

Hinc lucet, quàm solicitè Basilius Virginibus clausuram Monasterii commendaverit.

De Monasterio Virginum in Thebaide, in quo seculo IV. vixit S. Euphrasia legitur in hujus vita: „ Nulla earum januas „ exhibat. Erat autem janitrix per quam responsa omnia fiebant „ matura." Apud Bollandum ad 13. Martii.

IV. Eodem seculo in Concilio Carthaginensi III. *Can.* 33. decernitur: „ Ut Virgines sacræ, cùm parentibus, à quibus „ custodiebantur, privatæ fuerint, Episcopi, vel Presbyteri, „ ubi Episcopus absens est, providentiâ, gravioribus fœminis „ commendentur, aut simul habitantes invicem custodiant; ne „ passim vagando, Ecclesiæ lædant existimationem."

V. S. Cæsarius in Regula ad Virgines *cap.* 1. „ Si qua re„ lictis parentibus suis seculo renuntiare, & sanctum ovile vo„ luerit introire, ut spiritualium luporum fauces Deo adjuvan„ te possit evadere, usque ad mortem suam de Monasterio non „ egrediatur, nec de Basilica, ubi ostium esse videtur."

VI. Quâ solicitudine Virginibus clausura omnibus seculis inculcata fuerit, speciali tractatu novissimè ostendit Joannes Baptista Thiers, qui tamen rectè advertit, non semper nec ubique eandem fuisse circa clausuram sacrarum Virginum disciplinam; neque fuisse aliquam generalem Ecclesiæ legem, omnibus indifferenter Monialibus clausuram perpetuam imponentem ante Bonifacium VIII. qui sub finem seculi XIII. & initium XIV. Pontificatum gessit.

VII. Hic edita Constitutione, quæ refertur in *Cap.* PERICULOSO, *de Statu Regul. in* VI. generaliter omnibus Monialibus perpetuam clausuram imposuit. „ Periculoso, & detestabili „ quarundam Monialium statui (quæ honestatis laxatis habenis, „ & monachali molestiâ, sexusque verecundia impudenter ab„ jectis, extra sua Monasteria nonnunquam per habitacula se„ cularium personarum discurrunt, & frequenter intra eadem „ Monasteria personas suspectas admittunt, in illius, cui suam „ integritatem voluntate spontanea devoverunt, gravem of„ fensam, religionis oprobrium & scandalum plurimorum) pro„ videre salubriter cupientes, præsenti Constitutione perpetuò „ irrefragabiliter valitura, sancimus, universas & singulas Mo„ niales præsentes atque futuras, cujuscunque Religionis sint „ vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub „ perpetua in suis Monasteriis debere de cætero permanere „ clausura: ita quòd nulli earum Religionem tacitè vel expres„ sè professæ, sit vel esse valeat quacunque ratione vel causa „ (nisi fortè tanto & tali morbo evident.r earum aliquam labo„ rare constaret, quòd non posset cum aliis absque gravi pe„ riculo, seu scandalo commorari) Monasteria ipsa deinceps „ egrediendi facultas."

VIII. Hanc Bonifacii Constitutionem innovavit Synodus Tridentina *Sess.* 25. *de Regularibus cap.* 5. „ atque universis „ Episcopis, sub obtentatione divini judicii, & interminatio„ ne maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus Monaste„ riis sibi subjectis, ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ „ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, „ diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè „ procurent: inobedientes atque contradictores per censuras „ Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione post„ positâ, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fue„ rit, auxilio brachii secularis. Quod auxilium ut præbeatur, om„ nes Christianos Principes hortatur S. Synodus, & sub excom„ municationis pœna ipso facto incurrenda, omnibus Magistra„ tibus secularibus injungit. Nemini autem Sanctimonialium li„ ceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breve „ tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima cau„ sa, ab Episcopo approbanda: indultis quibuscunque & pri„ vilegiis non obstantibus."

IX. Pontifices Romani, signanter Pius V. & Greg. XIII. dictam Bonifacianam constitutionem, necnon hoc Concilii decretum suis respectivè Bullis non tantùm particulatim approbârunt, ac denuò innovârunt, sed aliquatenus etiam adauxerunt.

Etenim cùm dubitari potuisset, num Synodus Trident. suo Decreto comprehenderet Monasteria Monialium, in quibus clausura nunquam fuit recepta, & quæ ex sua Regula aut Institutione ad clausuram non adstringuntur, Pius V. declaravit, „ universas, & singulas Moniales, præsentes, atque futuras, „ cujuscunque Religionis, Ordinis vel Militiarum, etiam Hie„ rosolymitanæ sint, quæ vel jam receptæ sint, vel in poste„ rum in quibusdam Monasteriis, sive domibus recipientur, & „ tacitè vel expressè Religionem professæ, etiamsi *conversæ*, „ aut quocunque alio nomine appellentur, etiam si ex institu„ tis, vel fundationibus earum Regulæ ad clausuram non te„ neantur, nec unquam in earum Monasteriis, seu domibus, „ etiam ab immemorabili tempore ea servata fuerit, sub „ perpetua in suis Monasteriis, seu domibus debere de cæ„ tero permanere clausura, juxta formam dictæ Constitutio„ nis felic. recordat. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, „ quæ incipit: *Periculoso*, in sacro Concilio Trident. appro„ batam, & innovatam, quam nos auctoritate præfata etiam ap„ probamus & innovamus, in omnibus & per omnia, ac illam „ districtè observari mandamus."

Insuper cùm Synodus causam legitimam egrediendi Monasterium Episcopi judicio permisisset, Pius V. indeterminationem, ac generalitatem restringens, nulla occassione, nullove alio prætextu licentiam indulget, „ *nisi ex causa magni in„ cendii, vel infirmitatis læpræ, aut epidemiæ*, quæ tamen in„ firmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Mo„ nasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium „ loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcopo„ rum, & Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, „ cognita & expressè in scriptis approbata sit, à Monasteriis „ præfatis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi „ ad necessarium tempus stare liceret." (u)

X. Si ergo Bonifacianam constitutionem, atque decretum Synodi Tridentinæ, una cum Bulla Pii V. spectemus, in omnibus Monialium Monasteriis indistinctè clausura erit servanda; atque per Episcopos partim ordinariâ, partim delegatâ auctoritate, ubi recepta non fuit, aut violata, introducenda aut reducenda erit, & ubi hactenus inviolata mansit, solicitè conservanda.

XI. „ Ex quo manifestè fundata dignoscitur (ait Stephanus „ Weyms) Episcoporum & Ordinariorum quoad clausuram „ hanc aliaque eò spectantia, jurisdictio in cujusvis Ordinis „ Moniales, etiam eas, quæ à Regularibus reguntur, & alias „ sunt exemptæ." Hæc ille ad Constitutiones 24. per Tridentinum innovatas, *constit.* 15. *num.* 11. quod & clarè expressit Pius in citata Bulla *Cura Pastoralis*, & manifestè supponit §. 10. ejusdem Bullæ, qui ita habet: „ Per hoc autem in Mo„ nasteriis exemptis, Ordinarii locorum *quoad alia* nullam cre„ dant sibi jurisdictionem vel potestatem aliquatenus attributam."

XII. Unde fertur declaratum à S. Congregatione Concilii 17. Julii 1597. „ Episcopus posse Moniales Regularibus subjec„ tas, in iis, quæ clausuram concernunt, toties visitare, quo„ ties verè cognoverint expedire."

Et Concilium Aquense anni 1585. *Tit. de Visitatione*, ait: „ Monialium Monasteria Regularium juri curæve subjecta, Epis„ copi, quoad *clausuram* attinet, accuratè visitent. Loca ipsa „ introspectent, atque è superiori etiam parte circumlustrent, „ & caute, solerterque inspiciant prospectus omnes, additus, „ & cætera deinde omnia, quæ ad clausuram rectè tuendam „ ullo quovis modo pertinent."

Atque ita in contradictorio judicio in Consilio privato Regio Parisiensi pro Episcopo Podiensi contra Moniales S. Claræ judicatum fuisse 26. Augusti 1563. refert Claudius Henrys in suis Decisionibus sive Arrestis, *tom.* 2. *lib.* 1. *quæst.* 1.

XIII. Porrò hujus clausuræ modus, & effectus est, uti ex citatis Pontificum Bullis, & Decreto Concilii Tridentini constat, primò, ut Monialibus post professionem egredi non liceat Monasterii sui claustra sive interiora septa, etiam ad *breve* tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda, indultis quibuscunque & privilegiis

(u) *Id quoque in Galliis & quidem clarius & strictius constat declar...tione, quam Rex Galliæ Ludovicus XV. dedit* 10. *Februari* 1742. *articulo* 2.

giis non obstantibus, uti loquitur Tridentinum.

XIV. Quæ autem censenda sit *justa causa*, Synodus Tridentina non expressit; eamque judicio Episcopi permisisse videtur: at Pius V. nullâ occasione aut prætextu egressum permitit, *nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ aut epidemiæ.*

XV. „Nomine *magni incendii*, ait Barbosa, intelligitur „incendium ita magnum & evidens, ut certum sit, aut saltem „probabile multum esse videatur, quòd nisi Moniales omnes „statim à Monasterio exeant, omnes simul sint morituræ ac „consumendæ præ nimia exustione ignis.

XVI. Sub nomine verò *infirmitatis lepræ*, ait idem, intel„ligitur infirmitas quædam adeò contagiosa, quòd si ipsius ra„dix, & origo foras non ejiciatur (hoc est, Monialis eo mor„bo infecta) citò omnes ejusdem Monasterii Sorores inficeret... „Sub nomine deinde *epidemiæ*, quantum ad præsens attinet „propositum, intelligitur morbus quidem *pestiferus*, simi„liter ac eadem ratione contagiosus Communitati præjudicia„lis.“ Hæc Barbosa *lib.* 1. *juris Eccles. cap.* 44. post plures alios ibidem *num.* 73. relatos.

XVII. Et longo tempore ante Pium V. Synodus Moguntina ann. 1549. cap. 79. egressum non permittit, nisi fuerint inevitabili necessitate compulsæ, *aut tali morbo infectæ, unde ex contagione aliis periculum immineat.*

Synodus quoque Cameracensis D. ann. 1550. inter causas concedendi egressum reponit *morbum, quo cum aliis absque gravi periculo commorari non posset.*

XVIII. Credit nihilominus idem Barbosa post alios ab ipso citatos, quòd non obstante restrictione Pii V. Moniales possint exire è Monasterio ex aliis causis similibus aut urgentioribus in Bulla Pii V. nominatim non expressis, v. g. tempore belli cùm periculum imminet invasionis à militibus, multaque incommoda sustinendi, nisi se in locum tutum recipiant.

Synodus Tridentina causam exitûs ab Episcopi approbandam statuit; Pius V. verò vult, „ut *infirmitas* ratione cujus egres„sus permittitur, præter alios Ordinum Superiores, quibus cu„ra Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum seu „alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Epis„coporum & Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiun„tur, cognita & expressè in *scriptis* approbata sit.“ Additque: „Sed nec in prædictis casibus extra illa Monasteria, nisi ad ne„cessarium tempus stare liceat.“

CAPUT IV.

De Clausura vetante ingressum in Monasteria: quæ sit circa clausuram Belgica disciplina.

1 *Per clausuram Monialium vetitus personarum extranearum in Monasteria ingressus.*
2 *Nullus Monasteria Monialium intrare potest sine licentia* in scriptis *obtentâ; nec illa dari potest nisi in casibus necessariis.*
3 *Quando Episcopi, aliive Superiores ingredi possint; & quid ab illis observandum.*
4 *Casus necessarii, quibus ingressus annui potest, intelligi debent respectu Monasterii, non respectu* Ingredientis.
5 *Synodus Cameracensis non permittit Episcopum ingredi nisi causa visitationis, aut necessitatis.*
6 *Non licet Sacellanis ingredi chorum Monialium, prætextu ibi celebrandi aut concionandi.*
7 *Neque in Vestitione, aut professione licitus est ingressus; nec personis necessariis nisi cum magna cautela.*
8 *Per frequentiora ad cancellos colloquia violari clausura potest.*
9 *Ad Episcopum spectat hujusmodi colloquiis modum ponere, etiam in Monasteriis curæ Regularium subjectis.*
10 *Episcopus punire potest Regularem etiam exemptum ob colloquium cum Moniali.*
11 *Multum conducit ad conservationem clausuræ prohibitio colloquendi cum Monialibus.*
12 *Episcopis Belgii volentibus introducere clausuram multæ difficultates oppositæ.*
13 *Synodus Cameracensis rationes Monialium* clausuram *recusantium censet Pontifici exponendas.*
14 *Proponuntur rationes, quæ potuerunt introductioni clausuræ opponi.*
15 *Clausura non in omnibus Belgicis Monialium Monasteriis recepta.*
16 *Concilium Tridentinum quoad clausuram in Belgio in omni suo rigore non est receptum; uti nec Constitutio Pii V.*
17 *Multæ in Belgio sunt Moniales, quarum institutum rigorem clausuræ non compatitur.*
18 *Non dubium per clausuram multis periculis occurri.*
19 *Allaborare debent Superiores, ut in Monasteriis exteriori clausuræ rigori non subjectis finis clausuræ habeatur.*
20 *Vetitus secularium personarum in Monasteria clausuræ non subjecta ingressus.*
21 *Omnis periculosa, & suspecta conversatio generaliter Monialibus interdicenda.*
22 *Vetita institutio conviviorum, quibus intersint personæ extraneæ in Monasteriis Monialium etiam clausuræ non subjectis.*
23 *Egressus è Monasterio Monialibus quamvis clausuræ non adstrictis, concedi debet cum magna moderatione.*
24 *Septa Monasterii facta sunt, ut Moniales sejunctæ à seculo vivant.*
25 *Circumspecti esse debent Superiores, dum egressum permittunt, Decretum Synodi Cameracensis circa egressum Monialium ægris ministrantium.*
26 *Simile decretum Archiepiscopi Mechliniensis pro* nigris *Sororibus.*
27 *Olim in plerisque Xenodochiis erant utriusque sexus Religiosi ad serviendum utrique sexui infirmo.*
28 *Laudabile hoc institutum, modò caveantur incommoda ex simultanea cohabitatione timenda.*
29 *Meritò advocantur viri, ut sexui virili ministrent.*
30 *Decretum Trident. de transferendis Monasteriis Monialium ad urbes.*
31 *Hoc decretum hic effectum habere non potuit.*

I. SEcundus effectus clausuræ Monialium est, prohibitus quarumcumque personarum extranearum ad Moniales accessus, quem hisce verbis expressit Bonif. VIII. „Nullique „aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ (nisi ra„tionabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem „pertinuerit, speciali licentia) ingressus, vel accessus pateat „ad easdem: ut sic à publicis, & mundanis conspectibus se„paratæ, omnino servire Deo valeant liberiùs, & (lascivendi „opportunitate subblatâ) eidem corda sua & corpora in omni „sanctimonia diligentiùs custodire.

II. Synodus verò Tridentina vetat, quemquam „ingredi intra „septa Monasterii, cujuscunque generis, sexûs, vel ætatis „fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis ob„tentâ, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. „Dare autem tantùm Episcopus, aut Superior licentiam debet, „ait Synodus, in casibus necessariis, neque alius ullo modo „possit, etiam vigore cujuscunque facultatis, vel indulti hacte„nus concessi, vel imposterum concedendi.

III. Hæc autem *necessitas* ingrediendi à Tridentino requisita, sic accepta & intellecta est, ut etiam ipsi Prælati tam seculares quàm regulares, quibus cura & regimen Monasteriorum incumbit, ita demum auctoritate sibi ex officio tributa ingrediendi Monasteria Monialium uti possint, si id faciant in casibus necessariis, & à paucis iisque *senioribus*, ac religiosis personis comitati, quemadmodum declaravit Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Dubiis*, edita pro majore declaratione alterius Bullæ ejusdem Pontificis, quæ incipit, *Ubi sacræ*, 28. *in Bull. Rom.* per quam revocatis quibuscunque licentiis, seu indultis etiam à Romanis Pontificibus concessis, ingrediendi Monialium Monasteria, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibet ac interdicit „om„nibus & quibuscunque personis Ecclesiasticis, & Secularibus, ac etiam Ordinum quorumcunque etiam Mendicatium „Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis vel Su„perioribus, quibus illas concedendi in casibus necessariis tan„tùm ex Decreto Concilii Tridentini tribuitur, ne Monaste„ria ipsa Monialium pro libitu, sed necessitatibus urgenti„bus duntaxat ingredi, neve Moniales sub eisdem pœnis il„los aliter admittere præsumant.“

IV. Casus necessarii quibus Episcopis licet ingressum personarum secularium permittere, intelliguntur *respectu Monasterii*, non autem respectu ingredientis, sive necessitas debet se tenere ex parte Monasterii, uti sæpius declarâsse S. Congregationem testatur Fagnanus ad *cap.* Cum virum ✠ *de Regularib. num.* 20.

V. Ad citatam Gregorii XIII. Constitutionem respexisse apparet Synodus P. II. Cameracensis anno 1586. *tit. de Regularibus, cap.* 14. ubi habet: „Sed nec ipsi Episcopi, aut „eorum Vicarii, aut alii Superiores Monialium unquam ingre„diantur septa clausuræ, nisi *visitationis*, aut alia *necessaria* „causâ sub pœnis contra ingredientes à jure decretis.“

VI. Præcedenti verò capite de Præfecto Monialium ita loquitur: „Præfectus quoque ejusmodi Monialium, seu ejus „Capellanus aut alius Sacerdos eam Ecclesiæ partem, ubi ip„sæ psallunt, ne quidem prætextu ibidem celebrandi vel con„cionandi ingrediatur. Quòd si quis ibi celebrare aut con„cionari ausus fuerit, suspensionis à divinis, Præfecta, quæ „eum admisserit, excomunicationis pœnam ipso facto incurrant.“

VII. Similiter *cap.* 12. vult, „ut ad eas (Moniales) nullus „omninò, aut viris, aut mulieribus etiam illustribus, etiam

„ in *vestitionum* aut *professionum* solemnitatibus pateat ac-
„ cesus, sed per cancellos, cum necessitas ait, colloquantur,
„ exceptis tamen personis necessariis, utpote Confessario (cùm
„ ad ægrotantium Monialium quæ ad confessionale accedere
„ non possunt, confessiones audiendas, aut sanctissimum Eu-
„ charistiæ, vel extremæ Unctionis Sacramentum ipsis defe-
„ renda, & similia charitatis officia iisdem ægrotis imper-
„ tienda, erit admittendus) Medico, Chirurgo, bajulo vi-
„ ni, aut ceverisiæ, fabris & similibus personis, quibus ta-
„ men non nisi in necessitate ingressus pateat; quos duo an-
„ tiquiores Sanctimoniales comittentur.

VIII. Quod verò Synodus Cameracensis citato *cap.* 12. nonnisi cum *necessitas* habuerit, etiam ad cancellos colloquia Monialium cum viris aut mulieribus permittat, omninò ad finem clausuræ obtinendum conducit.

Quis enim nesciat ex hujusmodi colloquiis non tantum quietem, atque tranquilitatem Monialium turbari, sed & corde earum humano, & mundano pulveri conspurcari; quin & nonnunquam castitati earum periculum imminere, earum integritatem violari.

IX. Hinc consequens est per illa colloquia clausuram aliquatenus violari, & consequenter ad Episcopum pertinere, hujusmodi colloqutionibus modum ponere, etiam in Monasteriis regimini Regularium subjectis.

„ Ideoque cùm Episcopus Bollunensis olim retulisset S.
„ Congregationi Concilii nonnullos abusus circa facultatem allo-
„ quendi Moniales Regularibus subjectas, S. Congregatio res-
„ pondit, hoc caput, quod clausuram, ejus conservationem,
„ ac restitutionem respicit, ad jurisdictionem Episcopi tan-
„ quam Sedis Apostolicæ Delegati, pertinere.“ Hæc Fagnanus *ad cap.* QUANTO ✠ *de Privilegiis*, *n.* 13.

X. Cumque Gregorius XV. in Constitutione sua, quæ incipit, *Inscrutabili*, 18. *in Bull. Rom.* declaraverit Episcopum punire posse Regulares etiam exemptos delinquentes circa clausuram, ex consequenti resolutum fuit (uti asserit idem Fagnanus loco citato *num.* 9.) Regularem accedentem sine legitima licentia ad Monasterium Regularibus subjectum, ubique in loco colloquiis destinato cum Moniali colloquentem, ab Episcopo puniri posse.

XI. „ Experientia enim docet (ait Fagnanus ad *cap.* QUAN-
„ TO ✠ *de Privilegiis*, *n.* 11.) ad clausuræ conservationem mag-
„ nopere pertinere, ut Regulares ad Monasteria Monialium non
„ accedant, nec cum Monialibus colloquantur absque legiti-
„ ma licentia: idcircò enim tot prohibitiones sub gravibus pœ-
„ nis hac in re à Sede Apostolica emanârunt; ergo Episco-
„ pus potest illos arcere, & contra facientes punire. Et reverâ
„ maximè absurdum videtur, ut Episcopi gravissimo illo De-
„ creto præcipiantur clausuram inviolatam custodire, & ta-
„ men nequeant ab illa arcere quos expedire judicaverint.“

Hactenus Fagnanus, qui & ibidem docet, Episcopum posse prohibere, ne quis sine sua, aut Commissarii sui licentia ad Monasteria Monialium etiam colloquendî causâ accedat (quemadmodum decrevit S. Carolus in sua Syn. P. IV. *tit. de Monialibus*) atque eo Decreto Regulares quantumvis exemptos ligari, & contravenientes puniri ab Episcopo posse.

XII. Episcopos Belgii non parum solicitos fuisse, ut conformiter ad sacros Canones, necnon Concilii Trident. Decretum & Apostolicas Bullas, clausura Monialium, vel violata restitueretur, vel inviolata conservaretur, ex citatis Synodis, & pluribus eorum Decretis manifestum est; at & illud constat, nec paucas, nec leves ipsis oppositas difficultates, dum Moniales, quæ hactenus clausuram non erant professæ, neque ex sua Regula ad illius rigorem astringebantur, ad rigorosam illam clausuram juxta decretum Tridentinum, & Pontificias Constitutiones constringere voluerunt, quod vel ex ipsa Synodo Cameracensi, quæ multa circa clausuram Monialium decrevit, manifestum est.

XIII. Immediatè post Decreta de clausura subdit *cap.* 16.
„ Quia verò non paucæ neque leves in plerisque Monasteriis
„ claudendis difficultates suboriuntur, supplex totius Synodi
„ nomine libellus conficiatur, qui expressis omnibus, & sin-
„ gulis incommodis, difficultatibusque, necnon Monialium clau-
„ suram recusantium rationibus, & argumentis diligenter expo-
„ sitis Sanctissimo Domino nostro offeratur, rogeturque illius
„ Sanctitas, ut hujus Provinciæ necessitatibus, & incommo-
„ dis pro sua paterna charitate peculiari aliqua ratione pro-
„ videre ac succurrere dignetur: habito autem ab illius Sanc-
„ titate responso, & cum Reverendissimis Dominis Episcopis
„ per litteras communicato; quæcunque ad hanc materiam per-
„ tinebunt, certiùs explicari poterunt.“

XIV. Quæ fuerint rationes & argumenta ex parte Moniallum propositæ, atque ex Decreto Synodi per libellum supplicem Pontifici exhibita, aut quid ad libellum responderit Pontifex, hactenus mihi assequi non licuit.

Verisimile verò est, rationes Monialium potissimum fuisse, quòd in Belgio haud ita militare videantur ea, quæ alibi clausuræ hujus rigorem exigunt, ut etiam propterea Moniales clausuram non professæ, neque vi Regulæ suæ ad eam obstrictæ, nihilominus ad eam suscipiendam constringi deberent; tanquam medium conservandæ castitati, atque virginali integritati promissæ penè necessarium.

Si enim Belgici climatis constitutio, genius populi, & mores gentis attendantur, non apparet eum clausuræ rigorem esse adeò necessarium, ut etiam Moniales ad clausuram non professæ, neque ad eam vi suæ Regulæ constrictæ, invitæ, ac reluctantes per censuras & pœnas essent cogendæ; præsertim ubi etiam quædam ex sua fundatione ad ægrorum curam agendam destinantur, quæ cum rigorosa, & arcta clausura nequaquam consistit.

Accedit quòd, hîc in Belgio laudatæ matronæ intaminatæque Virgines plateas, ac templum publicè passim frequentent sine ullius offensa, aut scandalo populi, ita quidem, ut si quæ hîc clausura Italica teneretur, proxima videretur infamiæ, & censuræ. Videmus Insuper tot millia Beginarum ab aliquot jam seculis in Belgio sine ullo clausuræ rigore castè, & religiosè viventium, quæ simplici voto castitatis adstrictæ sunt: tot item Virgines, quas Filias *devotas* vulgò vocant, in ædibus paternis, aut simul commorantes absque ulla clausura sine periculo, scandalo, aut opprobrio à Bonifacio indicatis, castè & devotè viventes.

Hæc, aliaque videntur Moniales nonnullæ contra introductionem rigorosæ clausuræ ursisse.

XV. Quidquid sit, certum & indubitatum est nequaquam in omnibus Monasteriis Monialium hîc in Belgio clausuram in omni suo rigore, qui in Constitutione Bonifacii, & decreto Concili Tridentini expressus est, esse receptam, multaque Monialium Monasteria partim sub regimine Regularium, ut Cisterciensium, partim sub regimine Episcoporum sine clausura tolerari & vivere.

XVI. Unde Tridentinum quoad clausuræ rigorem hîc in Belgio universaliter receptum negat Zypæus *consult.* 9. *de Regularibus*, multò minùs Constitutionem Pii V. notatque, quidem in Synodo P. II. Mechliniensis *tit. de Regularibus cap.* 3. haberi, quòd „ Sanctimoniales, etiam *exemptæ*, scire debeant,
„ sibi non licere post professionem, etiam ad breve tempus,
„ Monasterium egredi, nisi ob aliquam ex tribus causis ex-
„ pressis in Constitutione sanctæ memoriæ Pii V. ac de re
„ edita, quæ *inviolabiliter est observanda*;“ sed observat, quòd Synodus cum Principi probanda offerretur, in iis articulis, qui Principi fuerunt exhibiti, haberet, *Episcoporum conscientiæ committeretur observantia clausuræ, qui eam urgerent, prout promptitudo vel perviçacia Monialium permitteret.* Verùm Romani substituerunt, *ne Sanctimoniales egrederentur, nisi tribus ex causis in Piana expressis, eaque* INVIOLAVILITER *observaretur.* Hæc Zypæus, qui & inde refert non constare, Constitutionem Pianam hîc esse debitè placitatam & publicatam.

XVII. Et reverà si Bulla Pii V. hîc esset ritè publicata, & recepta, etiam clausuræ obstringerentur Moniales illæ, quarum fundatio cum clausura non consistit: nam dicta Bulla absolutissimas habet derogationes, etiam *fundationum*, & tamen, uti observat Zypæus in jure Novo *tit. de Regularib. n.* 4.
„ In infinitis per Belgium Xenodochiis mulierum *Grisearum*,
„ & *Nigrarum*, ut vocant, Sororum Monasteriis, etiam re-
„ formatissimis, & sub Episcopis religiosissimis, æquè ut doc-
„ tissimis, videmus, clausuram eam non observari, quòd ea-
„ rum fundatio, & institutum cum ea incompatibile sit.“

Hæc licèt in Belgio ita tolerentur, neque Monialibus, quæ hactenus strictam clausuram non receperunt, scrupulus moveri debeat ex dictis Pontificiis Constitutionibus, „ fatendum ta-
„ men est, uti rectè advertit Zypæus loco citato, pericu-
„ la multa per clausuram submoveri. Perire solet, qui amat
„ periculum. Et quamvis de more gentis majus id minusve
„ sit, meritò tamen & ibi vigilatur, ubi non est summum.“

XVIII. Quapropter & in Monasteriis strictæ, ac rigorosæ clausuræ non subjectis, invigilare solicitè debent eorum Superiores, ut eatenus clausura servetur, atque secularium conversatio cum Monialibus ita limitetur, ut ipsæ Moniales sine offensa Religionis opprobrio, & scandalo populi vivere à publicis, ac mundanis conspectibus separatæ omninò Deo liberiùs servire, eidem corda sua, & corpora in omni sanctitate custodire valeant.

XIX. Hinc Synodus P. II. Cameracensis in dicto *cap.* 16. quo declaravit aliqua Monasteria sine clausura permittenda, donec Sanctissimus fuerit consultus, ait: „ Interea verò in
„ dictis Monasteriis, quæ clausuram non admittunt, observa-
„ ri curent Episcopi, ut nec viris, nec mulieribus intra lo-
„ ca regularia dictorum Monasteriorum pateat accessus.“

XX. Sanctus Augustinus *lib.* 1. *de Moribus Eccless. c.* 31. de Sanctimonialibus in Ægypto sine rigore clausuræ suo tempore viventibus loquitur, „ quæ habitaculis segregatæ, ac re-
„ motæ à viris quàm longissimè decet, piâ tantùm charitate il-

„ illis junguntur, & imitatione virtutis: ad quas juvenum nul-
„ lus accessus est, neque ipsorum, quamvis gravissimorum,
„ & probatissimorum senum, nisi usque ad vestibulum ne-
„ cessaria præbendi, quibus indigent, gratiâ."

Itaque Episcopi aliique Monasteriorum strictam clausuram non habentium merito impediunt omnem quamcunque periculosam ac familiariorem Monialium cum secularibus, aliisve etiam viris Religiosis conversationem, atque congressum.

XXI. Cùm verò non parùm periculosus, multisque incommodis obnoxius sit congressus Monialium cum secularibus in conviviis, merito Alphonsus Archiepiscopus Mechliniensis decreto suo 19. Novembris 1679. inhibuit omnibus Monasteriis Monialium, sive clausuræ subjectis, sive non subjectis, institui convivium in die professionis vel vestitionis Monialium, aut occasione jubilæi aut medii jubilæi alicujus Monialis, vel die Regalium, aut Patroni vel Patronæ, cum invitatione, aut congressu personarum extranearum sive Laicarum sive Ecclesiasticarum, tametsi etiam consanguinitate conjunctæ fuerint.

XXII. Quoad egressum, is sanè etiam in Monasteriis clausuræ non sujectis cum magna cautela, & moderatione permittendus erit.

Si ad Eustochium Virginem nullo claustro inclusam scribit S. Hieronymus; Rarus sit egressus in publicum. Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo. Nunquam causa deerit procedendi, si semper, quando necesse est, processura sis. Sorores tuæ cursitent, & quærant quomodo Christum hospitem suscipiant. Tu semel, seculi onere projecto sede ad pedes Domini, & dic: *Inveni eum, quem quærebat anima mea tenebo eum, nec dimittam....* Semper te cubiculi tui secreta custodiant, semper tecum Sponsus laudat intrinsecus.... Cave, ne domum exeas, & velis videre filias regionis alienæ: quamvis fratres habeas Patriarchas, & Israel parente læteris, *Dina egressa corrumpitur.* Genes. cap. 34.

Si hæc Hieronymus ad Eustochium in domo parentum commorante scribat pro custodia castitatis, quidni potiori ratione ad Moniales dicta censeantur, quæ non tantùm voto castitatis solemni obstrictæ, sed etiam vi sui status, & professionis specialiter à mundana conversatione sejunctæ sunt, nec nisi violentè quodammodo, & Ecclesia dissimulante, ab omnimoda ac absoluta clausura eximuntur.

XXIII „ Ad hoc enim septa Monasterii vobis facta sunt
„ (scribebat seculo XI. S. Ivo Carnotensis ad Sanctimoniales
„ Dunenses) ne mundi amatores intra clausura mundum fu-
„ gientium recipiatis, ne ad publicum prodeatis, ac de cor-
„ porali mundi visione tractis introrsum fœdis imaginibus, at-
„ que expugnatâ intus virginitate, corpus quoque corruptio-
„ ni subjici permittatis."

XXIV. Valdè ergo circumspecti, & parci esse debent Monasteriorum Directores, ut Monialibus egressum concedant, & si illum necessitate urgente concedant, eam adhibeant cautelam, quæ periculum, aut scandalum ejusmodi egresui conjunctum præveniat.

XXV. Eam circa Moniales infirmis curandis ex fundatione, aut instituto deputatas observatam cupientes Patres Synodi P. II. Cameracensis statuunt: „ Religiosæ verò etiam
„ Mendicantes, quæ ægrotum ab immemorabili tempore, at-
„ que adeo ex fundatione agunt, solæ nunquam emittantur
„ ad ægrotos, nec juniores quantum fieri potest, sed eæ quæ
„ Matris, seu Præfectæ judicio probabuntur." *Tit. de Regularibus, cap.* 17.

XXVI. Hæc cautio in omnibus passim Nigrarum, atque Grisearum, similiumque Monialium Constitutionibus occurrit.

Et signanter in Constitutionibus *Nigrarum* Sororum hujus Mechliniensis Diœcesis à Jacobo Boonem Archiepiscopo Mechliniensi præscriptis habetur: „ Mater nunquam permittet ali-
„ quam Sororum *solam* ire ad infirmos, quæcunque sit, sed
„ *duas* simul; quæ nunquam se mutuò possunt dimittere, sive
„ vadant ad templum, sive forum, sive alio quocunque, &
„ quando una Sororum in cubiculo infirmorum dormiet, tunc
„ altera pro servitio infirmi vigilabit."

Quàm ejus exacta observantia optanda sit, nemo non intelliget, qui expenderit pericula imminentia hisce Monialibus, dum solæ inter seculares in domo seculari versantur.

XXVII. Quæ pericula augentur in Junioribus præcipuè, dum etiam alteri sexui inservire debent; ut propterea non sine magno fundamento majores nostri Xenodochia ac domos leprosarias fundantes, voluerint esse instituti religiosi utriusque sexus, ut utrique sexui ægroto ministrarent. Tales sunt (ait Zypæus Jure Novo, *tit. de Regularib. num.* 41.) fundationes Xenodochii Antuerpiensis, Lirani, & aliorum.

Fundatio etiam *Leprosariæ* extra mœnia hujus oppidi Lovaniensis, vulgò *Ter Banck*, primitùs fuit pro novem mulieribus, & novem viris, qui utrique sexui lepra infecto servirent; uti patet ex Bulla Honorii III. qua domum illam directioni Abbatis Villariensis subjicit; & inter monumenta hujus domus asservatur.

XXVIII. Indubiè laudabile esset institutum, ut utrique sexui infirmo sui respective sexûs personæ assisterent; modò tamen ipsi inservientes mulieres, & viri ita essent separati, & à se mutuò sejuncti, ut ex mutua cohabitatione nullum periculum, nullumque scandalum esset metuendum.

XXIX. Ex iis enim facile est intelligere, laudabiliter, ac prudenter nonnullos Collegiorum Academicorum Moderatores advocare potiùs viros aliquos Religiosos, quàm mulieres, qui infirmis studiosis assistant.

XXX. „ Et quia Monasteria Sanctimonialium extra mœnia
„ urbis vel oppidi constituta, malorum hominum prædæ, &
„ aliis facinoribus sine ulla sæpe custodia sunt exposita; curent
„ Episcopi, & alii Superiores, si ita videbitur expedire, ut
„ Sanctimoniales ex iis ad nova, vel antiqua Monasteria inter
„ urbes, vel oppida frequentia reducantur, invocato etiam
„ auxilio, si opus fuerit, brachii secularis. Impedientes verò,
„ vel non obedientes, per censuras Ecclesiasticas parere compel-
„ lant." Synod. Trid. *Sess.* 25. *de Regularib. cap.* 5.

XXXI. Verùm cùm de publicatione Concilii Tridentini in Belgio tractaretur, eumque in finem ad Consilia Regia ejus Decreta reformationis examinanda essent transmissa, circa hoc Decretum notatum fuit in litteris responsoriis ad Gubernatricem Belgii Margaritam Parmensem: *Negant Consilia id in Belgio ad effectum perduci posse, ob sumptus ingentes, aliaque incommoda.* Ita refert Antonius Anselmo, in suo Triboniano Belgico, *cap.* 32. §. 45.

Unde etiam videmus plurima etiamnum hodie Sanctimonialium Monasteria extra mœnia urbis, & oppidi; prudenter tamen invigilant superiores, ut tempore bellorum tempestivè ad urbes transferantur; ut hoc pacto saltem ab incommodis, & periculis, de quibus Synodus Tridentina, eximantur.

TITULUS XXXI.

De Monasteriorum Superioribus.

CAPUT I.

QUID ABBATES ET ABBATISSÆ, ET VARIA EORUM DISTINCTIO.

1 *Præfectis Monachorum & Canonicorum in* communi *viventium nomen* Abbatis *generaliter datum.*
2 *In aliquibus Ecclesiis secularium Canonicorum nomen* Abbatis *mansit.*
3 *Quid propriè significet* Abbas.
4 *Qua ratione nomen illud congruat Monasteriorum Præfectis.*
5 *Abbas semper meminisse debet, quid nomen illud significet.*
6 *Idem qui dicitur Abbas, etiam aliquando vocatur* Major.
7 *Etiam olim* Prælatus *dicebatur, uti & hodie, sed alia ratione, quàm olim.*
8 *Dictus quoque* Præsul: *& qua de causa.*
9 *Quid hodie nomen* Præsulis *indicare soleat.*
10 *Olim iidem qui dicebantur & erant Abbates, etiam vocabantur* Priores.
11 *Olim omnium Monasteriorum Præfecti dicti sunt* Abbates.
12 *Quare recentiores Ordines nomen* Abbatis *rejecerint.*
13 *Præfectæ Monialium dictæ* Abbatissæ.
14 *Sicut nomen* Abbatis *ita &* Abbatissæ *in quibusdam Religionibus rejectum.*
15 *Olim Monasteriorum Præfecti omnes erant perpetui.*
16 *Aliqui Ordines qui perpetuos habuerant, posterioribus seculis maluerunt temporales, uti & Ordines Mendicantes, & quare.*
27 *Abbates alii* perpetui, *alii* triennales.
18 *Olim Abbates, & Monachorum Præfecti, uni tantùm Monasterio erant Præfecti, neque alteri Superiori Regulari subjecti.*
19 *Seculo X. cœperunt constitui Abbates* Generales.

Quid

20 *Quid* Pater Abbas, *& quæ ejus auctoritas.*
21 *Recens est Abbatum* Commendatariorum *exordium.*

I. COEnobii Præfectum, atque monasticæ congregationis Caput, veteres Monachi, & ipse S. Benedictus *Abbatem* nominârunt. Similiter Præfectis Canonicorum, dum in communi vivebant, atque monasticam disciplinam aliquatenus tenebant, nomen *Abbatis* tributum legimus. Concilium Turonense II. *can.* 24. „ Simili modo & *Abbates* Monasterio„ rum, in quibus canonica vita antiquitùs fuit, vel nunc vide„ tur esse, solicitè suis provideant Canonicis.“ Et Parisiense VI. *can.* 37. „ Decet, imò necesse est, ut *Abbates Cano„ nicorum* attendant, ut quid *Abbates* vocentur.“

II. Atque hinc factum, ut etiam postquam Canonici ad vitam singularem transierunt, in aliquibus Ecclesiis adhuc nomen *Abbatis* penes eorum primarium Præfectum manserit, uti ostendit Molanus *lib.* 2. *de Canonicis*, *cap.* 5. observatque, non rectè colligi, Ecclesiam Canonicorum olim fuisse *Monachalem*, eò quòd nomen *Abbatis* Præfecto Canonicorum tribuitur.

III. Porrò Præfectus, seu Superior Congregationis Monasticæ, sive Monasterii dictus fuit *Abbas* ab officio, quod singulari ratione inter Monachos debet esse paternum. Abbas enim linguâ Hebraicâ & Siriacâ idem sonat quod latinè *Pater*. Hieronymus in *epist. ad Galatas cap.* 4. „ Abba Pater; *Abba* Hebrai„ cum est, idipsum significans quod & *Pater*; & hanc consuetu„ dinem in pluribus locis Scriptura conservat, ut Hebraicum „ verbum cum interpretatione sua ponat.“

IV. Itaque jam pridem Monachorum Præfecti, *Abbates*, sive *Patres* appellabantur, ut etiam ipsâ expresione nominis, officii sui admonerentur. Nam ut ait Tertullian. lib. de Oratione, cap. 2. *Appellatio ista & pietatis est & potestatis. Pietatis*, quia Superiores instar parentum debent subditos tanquam filios diligere. *Potestatis*, quia eosdem peccantes corrigere, & castigare debent.

Hinc S. Benedictus Abbatem monet, *ut miscens terroribus blandimenta, dirum Magistri, pium Patris ostendat affectum.* In Reg. *cap.* 2.

V. Hanc nomenclaturam inculcat, & urget idem sanctus Legislator dicens: „ Meminisse semper debet Abbas quod „ est, meminisse quod dicitur.“ In Reg. *cap.* 2. quod caput ita exorditur: „ Abbas, qui præesse dignus est Monasterio, „ semper meminisse debet, quod dicitur, & nomen Majoris „ factis implere. Christi enim agere vices creditur in Monaste„ rio, quando ipsius prænomine vocatur, dicente Apostolo: „ *Accepisti Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus* AB„ BA PATER.“ *Rom. cap.* 8. *v.* 15.

VI. Interdum Abbas etiam *Major* dictus fuit, sumendo nomen illud substantivè; adeo ut ipsam dignitatem, & præeminentiam Abbatis denotet, atque ita accipitur in Regula Benedictina *cap.* 5. „ Mox ut aliquid imperatum à *Majore* fue„ rit, ac si divinitùs imperetur, moram pati nesciunt in fa„ ciendo.“

In Regula Pachomii: „ Ægrotantem absque concessu *Ma„ joris* nullus audeat visitare.“ Et in Regula Magistri: „ Nam „ non venia *Majoris* ad ipsos pertineat, nisi pœnitentiæ similis „ satisfactio ab eis æqualiter fuerit operata.“ In his nomen *Majoris* pro Abbate sumi sat apertum est; unde etiam hodie apud Camaldulenses Eremitas, Monasterii Præfectus dicitur *Major*.

VII. Abbas quoque communiter vocatur *Prælatus*, quòd subditis suis præferatur. Unde de Præposito dicit Regula Benedictina: „ Quantò *Prælatus* est cæteris, tantò eum oporteat „ solicitiùs observare præcepta Regulæ.“ *Cap.* 65.

Hodie Abbates dicuntur *Prælati*, & Prælatis annumerantur, tanquam quandam præeminentiam, & dignitatem obtinentes, uti communiter observant Canonistæ ad *cap.* 2. ✠ *de Judicis*, quos citat Ascanius Tamburinus *de Jure Abbatum*, *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 3.

VIII. Abbates etiam vocati sunt *Præsules*. „ Dicitur autem „ *Præsul* (inquit Haeftenus *lib.* 3. *tract.* 5. *disp.* 2.) quasi „ *præsultor*, qui in sacris præsiliebat: nam in omnibus pompis, „ ludisque Circensibus juvenes ibant in numerum saltantes, & „ subsilientes, qui *Ludii*, & *Ludiones* dicebantur, ut anno„ tat Turnebus. *Præsul* dicebatur, qui primus erat inter Sa„ lios, id est, Martis Sacerdotes, à saliendo dictus. Onomas„ ticum: *Præsul*, χορο-άτης, id est qui chorum instituit, & „ ei cantu, vel saltu præit. Unde non ineleganti metaphora „ *Præsul* vocatur, qui cæteris in officio, aut munere, pre„ sertim Ecclesiastico præest.“

IX. Moribus hodiernis *Præsul* nomen dignitatis sonat, & Abbatibus tanquam in dignitate constitutis tribuitur; quanquam non immeritò Abbates attendant, qua de causa eis hoc nomen primitùs datum sit, atque opere complere satagant, quod nomine præferunt.

X. Abbates subinde quoque *Priores* olim dicti fuere, sive Priores iidem fuere quod Abbates. Ita in Regula Benedictina, aliisque nonnullis, *Priores* pro Abbate sumptos esse multis ostendit Haeftenus *lib.* 3. *tract.* 6. *disp.* 2. quasi *Prior* sive *primus* inter suos.

XI. Distinctio enim hodierna, ut in quibusdam Religionibus, Monasteriorum, atque Congregationum primi Præfecti dicantur *Abbates*, *Prælati*, &c. in aliis verò vocentur *Priores*, *Guardiani*, *Rectores*, &c. recentioris est disciplinæ. Ante enim recentiores Ordines seculo XI. & sequentibus exortos, omnium Monasteriorum Præfecti, sive Capita dicebantur *Abbates* sive *Patres*; quæ voces officium Superioris in subditos convenienter exprimunt.

XII. Quòd verò recentiorum Ordinum Fundatores nomen *Abbatis* Monasteriorum Præfectis datum noluerit, inde contigisse apparet. Cùm, disciplina monasticâ sensim collabente, & unà Monachorum humilitate, & pietate imminutâ, cœpissent Monasteriorum Præfecti, *Abbates* dicti, ad non exiguum tum in Ecclesia, tum Republicâ eminentiæ gradum elevari, nomen quoque *Abbatis* dignitatem, & gradum eminentiorem sonare cœpit; atque ita Abbates reputari pro personis in dignitate constitutis. Itaque recentiorum Ordinum sanctissimi Fundatores, omnem suis filiis superbiæ, ac fastûs occasionem eripere volentes, aliud eis nomen humilius, & mundo abjectius inditum voluêre.

XIII. Quemadmodum Monachorum summi Præfecti, *Abbates*, seu *Patres* jam pridem dicti fuêre, eadem ratione Monacharum, seu Monialium Præfectæ *Abbatissæ* dictæ sunt: eò quòd & ipsæ tanquam *Matres* erga sibi subditas sese exhibere debeant. Unde Abbatissa in Concilio Parisiense VI. Can. 39. *Mater spiritualis* dicitur.

XIV. Abbatissæ autem ad exemplum Abbatum cœperunt quoque sensim aliquam sibi dignitatis, & eminentiæ secularis speciem arrogare, adeo ut *Abbatissæ* nomen aliquid mundanæ excellentiæ præferre cœperit, atque hinc contigisse apparet, ut posteriores Monialium Ordines, humilitatis causa nomen *Abbatissæ* declinaverint, ipsasque Præfectas potiùs *Priorissas Matres* aliove simili nomine appellandas censuerint.

XV. Antiquitùs Monasteriorum Præfecti, sive Abbates perpetui, sive ad vitam fuisse videntur; neque ulla veteri Monastica Regula, aut constitutione, de Abbatibus aut Abbatissis triennalibus mentio fit.

XVI. Verùm postremis hisce temporibus plures Congregationes & Ordines, qui hucusque perpetuos habuerant, maluerunt habere temporales; & quidem Congregationi Cassinensi Eugenius IV. & Alexander VI. concesserunt facultatem uniendi sub eadem Congregatione omnia ejus Monasteria, & Abbates in eis *ad tempus* creandi, juxta determinationem Capituli Generalis, & Diffinitorum; quorum Bullæ extant apud Tamburinum in appendice ad tomum I. de Jure Abbatum, qui ibidem *disp.* 1. *quæst.* 3. notat idcircò hoc factum fuisse, quia omnes ferè Abbatiæ, & Prælaturæ Regulares excedentes valorem 200. florenorum auri de Camera, Clericis secularibus commendabantur; ad quod evitandum Congregationes Regulares nisæ sunt, illas *manuales* efficere mediante indulto Apostolico, quia tunc „ Summus Pontifex non solet de illis providere, cùm „ enim collatio debeat esse de sua natura perpetua, Papa non „ solet providere de manualibus ad evitandum absurdum, quòd „ provisus ab illo possit ab inferiori removeri.“

Hac, aliisque rationibus moti Mendicantium Ordinum & eorum qui sub iis comprehenduntur Moderatores, suorum Ordinum Prælatos & Superiores ad tempus duntaxat constitui voluerunt, atque plerumque triennales constituerunt.

XVII. Itaque juxta hodiernam disciplinam, Abbates, Priores, aliique Monasteriorum Præfecti, alii dicuntur *perpetui*, alii verò *temporales*, seu etiam *triennales*.

Et quidem ex Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *Exposcit*, Abbatissæ nonnisi ad *triennium* eligi possunt; at in Belgio quoad hoc punctum Constitutio hæc recepta non est, sed passim eliguntur Abbatissæ perpetuæ. Triennales verò & perpetuos quoad dignitatem, ac privilegia inter se non differre, multis astruit Tamburinus loco citato; ita ut Abbates triennales, aut ad tempus gaudeant iisdem privilegiis quibus Abbates perpetui: nihilominus quoad jus nominationis Regiæ, & electionis, inter hos esse differentiam infrà ostendetur.

XVIII. Ad hæc olim omnes Abbates erant *locales*, sive uni duntaxat Monasterio præpositi: atque unumquodque Monasterium suum duntaxat Abbatem ut Superiorem agnoscebat, ac illi tantùm, & non alteri subjiciebatur & obtemperabat: „ Nec „ unus Abbas (ait Tamburinus de Jure Abbatum *tom.* 1. *disp.* 3. „ *quæst.* 1.) alteri Abbati, sed omnes Episcopis locorum sub„ diti erant juxta *Can.* ABBATES & *Can.* MONASTERIA, 18. „ *quæst.* 2. atque ita observatum fuisse tempore SS. Basilii, Au„ gustini, & Benedicti ex eorum Regulis arguitur.“

XIX. Hæc disciplina penè intacta mansit usque ad seculum X. quando primùm per S. Odonem Abbatem Cluniacensem, ejusque Successores, infinita propemodum Monasteria sub unius Abbatis regimine se unierunt; & *Principi* Monasterio Clu-

Cluniacensi subjecerunt; ex quo originem traxit Congregatio Cluniacensis; cujus Monasteriorum Abbates *locales* Abbati Cluniacensi, tanquam Abbati *generali*, ab eo tempore subjecti fuerunt.

Hanc Cluniacensem Congregationem seculo XI. & sequente secutæ Camaldulensis Congregatio auctore S. Romualdo, Vallumbrosana auctore S. Joanne Gualberto, Cisterciensis auctore S. Roberto Abbate Molismensi, aliæque quamplures omnes unum Generalem constituerunt, cui singulorum Monasteriorum Abbates subjicerentur.

Atque ita tandem Abbatum *localium* & *generalium* distinctio primitùs ignota invaluit.

XX. Abbatibus Generalibus aliquomodo similes sunt, quos hodie vocamus *Patres Abbates*. Dicitur enim *Pater Abbas*, domûs illius Abbas quæ alteram genuit, sive Monasterii à quo aliud Monasterium ortum habuit, qui *Abbas Majoris Ecclesiæ* dicitur apud Cistercienses in charta vulgò *Charitatis*, *cap.* 5. Qui quidem Abbas jus superioritatis, & visitationis habebat in Monasteriis, quæ genuerat, ut habent Institutiones Capituli generalis ejusdem Ordinis.

XXI. Recentior est Abbatum Titularium, & Commendatariorum distinctio, atque ipsius disciplinæ monasticæ declinantis surculus, uti infra, ubi ex professo de Abbatibus Commendatariis, quorum in Gallia & Italia frequens usus est, ex professo tractabitur.

CAPUT II.

De Priore Claustrali, Obedientiario, et Conventuali, eorumque differentia.

1 *Qui olim dicebatur* Præpositus, *hodie dicitur* Prior.
2 *Hodie primus post Abbatem solet vocari* Prior.
3 *Priores alii hodie* Claustrales, *alii* Conventuales
4 Claustralis *quis & unde dicatur*, *& quis hodie* Supprior.
5 *Claustrali non absimiles Priores* Obedientiarii: *& hi unde dicti.*
6 *Quæ olim dictæ* Obedientiæ.
7 Cellæ *Obedientiariæ unde originem sumpserint.*
8 *Ab his Cellis originem habuerunt Prioratus* forenses.
9 *His Prioratibus præesse debet unus Prior.*
10 *Hujusmodi Prioratus uni soli Monacho tradi non potest.*
11 *Prioratus hi per Clericos seculares deserviri debent, si plures Monachi poni nequeant.*
12 *Priores horum Prioratuum dicti* Obedientiarii *&* forenses, *& debent esse amovibiles.*
13 *Prioratus illi ad* firmam *dari vetantur*, *& quid sit* firma.
14 *Abbates Monachis Prioratus dantes ad* firmam, *Simoniam committebant*, *& proprietatem fovebant.*
15 *Litteræ Pontificiæ, quibus conceditur Monachis facultas hujusmodi Prioratus in perpetuam possidendi, subreptitiæ judicantur.*
16 *Synodus Tridentina improbat dari Prioratus in perpetuum possidendos.*
17 *Priores Claustrales & Obedientiarii semper sunt ad nutum Abbatum amovibiles, tametsi non consueverunt revocari.*
18 *Priores Conventuales etiamsi sint tantùm triennales, non possunt amoveri, nisi ex causa, & servato juris ordine.*
19 *Minor causa requiritur, ut amoveatur Prior Conventualis, quàm ut amoveatur Clericus à suo Beneficio.*
20 *Prior Claustralis sub Abbate Commendatario ad hujus nutum amoveri non potest.*
21 *Provinciales, & Generales non sunt ad nutum amovibiles.*
22 *Priores Conventuales censentur in* dignitate *constituti.*
23 *Prior Conventualis potest delegari* Judex *à Sede Apostolica, secus Claustralis.*

I. QUI olim apud Monachos *Præpositi* dicebantur, posterioribus seculis *Priores* dicti fuêre.

Præpositus enim antiquitùs dicebatur in Regulis Monachorum, qui curam Monasterii gerebat post Abbatem, atque ita accipitur in Regula S. Benedicti *cap.* 65. ubi præcipitur: „ Ut Præpositus illa agat cum reverentia, quæ ab Abbate suo „ ei injuncta fuerunt, nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens."

Sicuti ergo qui primam post Abbatem curam Monachorum agebat, olim *Præpositus* vocatus fuit, ita posterior ætas eum vocavit *Priorem*: Hinc illud in Statutis Lanfranci *cap.* 3. „ Servatâ Abbati in omnibus reverentia, Prior, qui & *Præpositus* „ in Regula nominatur, honorabilior est reliquis Ministris Dei „ mus Dei."

II. Hac notione à tempore Petri Damiani *Priorem* dictum esse, constat ex ejus opusculo 13. *cap.* 19. ubi ordine describens officia Monasterii, immediatè post Abbatem subjicit Priorem, nulla facta mentione Præpositi: „ quod postea quoque (ait „ Haeftenus *lib.* 3. *tract.* 6. *disq.* 2.) servatum videri potest in „ usu Cisterciensi, ceremoniali Bursfeldensi constitutionibus „ Vallisoletanis." (x) Quin & generaliter usus obtinuit, ut in Monasteriis Abbatialibus prima post Abbatem persona dicatur *Prior*.

III. Cùm verò, uti supra notavimus, in quibusdam Ordinibus, & Congregationibus usus obtinuerit, ut primarius Monasterii Præfectus non dicatur *Abbas*, sed *Prior*, hinc etiam tandem invaluit, ut quidam Priores dicti fuerunt *Claustrales*, quidam *Conventuales*.

IV. Prior *Claustralis* dicitur, qui curam Monasterii, & Monachorum gerit sub Abbate, ita ut ipsi Abbati subsit.

Claustralis dictus fuit hujusmodi Prior, tanquam ipsius claustri continuam curam agens: „ Cùm enim (ait Haeftenus „ loco citato) in aliqua parte claustri, sive peristylii, aut ambitus, Monachi communiter ad lectionem resident, nec sine „ licentia claustrum egrederentur; constitutus est, qui ex officio illis intenderet, dictusque *Prior claustri*, vel *claustralis* " Hinc Lanfrancus in Statutis *cap.* 3. „ Prior *claustri* quocunque „ Major Prior eat, si fieri potest, in claustro semper aut circa „ claustrum debet semper esse, & ordinem claustri in omni solicitudine servare."

Notandum hîc dici Priorem *majorem*, qui Monasterio tanquam caput, & primarius Prælatus præest, quem hodie Priorem *Conventualem* dicimus: Priorem verò *claustri* dici illum, qui Priori illi Majori subest, & sub illo curam claustri agit, quem hodie *Supprioremdicere solemus. Nec enim juxta hodiernum disciplinam, & modum loquendi Prior *Claustralis*, sive *Claustri* dici consuevit, nisi in Monasteriis quibus præest Abbas *Regularis*; in Monasteriis verò quibus præest Prior Conventualis, ille, qui sub tali Priore Monasterio præest, *Supprior* appellari solet.

V. Prioribus Claustralibus non absimiles sunt Priores *Obedientiarii*, sive etiam *Forenses*, ita dicti, quòd in *obedientiis* sive *cellis* à principalibus Monasteriis dependentibus (quas etiam *Prioratus* recentior ætas vocavit) curam haberent Monachorum extra Monasterium, sive *foris*, sub ipso tamen Abbate principalis Monasterii.

VI. „ *Obedientiæ* dictæ fuerunt *Cellæ*, *Præposituræ*, & „ *Grangiæ* (ait D. Du Cange in Glossario mediæ & infimæ latinitatis, verbo *obedientia*) à Monasteriis dependentes, quòd „ Monachi ab Abbate illuc mitterentur vi ejusdem Obedientiæ, „ ut earum curam agerent, aut eas deservirent."

Cellæ verò dicebantur Monasteriola, seu ut eas olim vocabant, *Abbatiolæ*, quæ majoribus Abbatiis suberant.

VII. Cùm enim Monachi variis in locis prædia possiderent, eò interdum aliquot è suis mittebant, qui fruges colligerent, vel redditus reciperent, & ad Monasterium suo tempore deferrent; unde nonnunquam *Grangiæ* dictæ. Subinde verò ad eas destinati Monachi, ut vitam solitariam agerent; vel denique Cellæ subinde ædificatæ propter nimium Monachorum numerum, ut ex Monasteriis eo mitterentur Monachi, aliisque identidem *pulsantibus* locum darent, uti notat Du Cange in citato Glossario, verbo *Cellæ*.

VIII. Ab istis cellis Obedientiariis originem duxêre *Prioratus* rurales, seu forenses. Cùm enim interdum plures ad eandem Obedientiam, sive Cellam mitti necesse esset: „ Monachi „ Obedientiarii subinde capellas, & Ecclesiolas ibi construxere, „ quo in iis sacrum peragerent officium, & monastica munia „ obirent, quibus præerat, qui *Prior* dicebatur." Liber Ordinis S. Victoris Parisiensis *cap.* 51. „ Fratres, qui ad Obe„ dientias commorantur singulis locis tres, si fieri potest, aut „ duo ad minus esse debent. In victu, & vestitu & tonsura à „ communi institutione non recedant: ad mensam silentium te„ neant: in Ecclesia non loquantur: Completorium & in æs„ tate, & hyeme tempestivè dicant: per vicos non discur„ rant, &c. In quocunque loco ubi duo vel plures simul ha„ bitant, unus eorum, cui Abbas hoc injunxerit, inter eos „ Prioris officium agat, & cæteri obediant ei."

IX. Et in Concilio apud Montem Pesulanum à Petro Beneventano Legato Sedis Apostolicæ, à quinque Archiepiscopis & 28. Episcopis, anno 1214. celebrato, statuitur *Can.* 30. „ Ut „ si talis fuerit Prioratus in quo tres Fratres valeant commorari, „ tres ad minus Fratres ibidem ponantur, & unus ex iis Prior „ fiat, qui curam omnium habeat."

X. De his Obedientiis, seu Prioratibus loquitur Concilium Lateranense in *cap.* 3. ✠ *de Capellis Monachor.* „ Prioratus „ quoque, seu Obedientiæ pretii donatione nulli tradantur." Et in *cap.* 3. ✠ *de Capellis Monach.* litteræ, quibus concessum dicebatur à Sede Apostolica Monachis quibusdam, ut in singulis ipsorum Prioratibus singuli Monachi commorentur, si pluribus non suppetunt facultates eorundem, judicantur ab Apostolica Sede non emanâsse: quia obviant Concilio Lateranensi, vetanti Monachos *singulos* extra Monasterium in Ecclesiis commorari,

(x) *Valladolid, Ciudad de España en la Provincia de Castilla la Vieja.*

ri, nulla factâ ipsius Concilii Lateranensis mentione.

XI. Archiepiscopo Burdigalensi rescripsit Honorius III. „ Cùm ad audientiam nostram pervenit, quòd nonnulli Monachi „ lege tibi Diœcesana subjecti, in quibusdam Prioratibus habi„ tant solitarii, contra statutum generalis Concilii. Ideoque man„ damus, quatenus ipsorum Abbates, seu Priores, ut vel ip„ sos ad claustrum revocent, facientes in ipsis Ecclesiis deservi„ ri per Clericos seculares; vel alios Monachos eisdem asso„ cient, cum quibus vitam possint ducere regularem, monitio„ ne præmissa, per Censuram Ecclesiasticam compellas." Refertur in *cap.* 5. ✠ *de Capellis Monach.*

XII. Priores ergo in hisce Cellis seu Obedientiis constituti, dicti fuere *Obedientiarii* seu *Forenses*; erantque Claustralibus in hoc similes, quod similiter ut hi, ab Abbate constituerentur, & ad nutum Abbatis essent amovibiles, sive revocari possent; imò nec ad vitam constitui poterant juxta decretum Innocentii III. in *cap.* 6. ✠ *de Statu Monach.* ubi dicitur: „ Nec ali„ cui committatur aliqua Obedientia *perpetuò* possidenda, tan„ quam in sua sibi vita locetur, sed cùm oportuerit amoveri, „ sine contradictione revocetur."

XIII. Circa idem tempus Synodus Oxoniensis ait: „ Mo„ nachus Ecclesiam vel Monasterium, vel quodlibet prædium „ Ecclesiæ suæ non audeat retinere *ad firmam.*"

„ Firma (ait D. Du Cange in citato Glossario, verbo *firma*) „ est prædium seu villa alteri elocata ad certum tempus, sub „ præstatione annua, vel annonaria, vel rerum ad victum ne„ cessariarum, vel denique pecuniaria. Hinc *datio ad firmam* „ pro contractu, quo sub annuo redditu fundi ad aliquot annos „ possidendi dantur.

XIV. „ Vacuas Cellas, seu Præposituras Abbates eloca„ bant suis Monachis, atque ita simoniam comittebant (ait „ Christianus Lupus) fovebantque proprietatem ac inobedien„ tiam. Conductor enim Monachus gerebat se, non ut *manua„ lem*, sed ut *firmum* ac *immobilem*, & tam quoad administra„ tionem quàm ejus resignationem dependere nolebat à voluntа„ te Abbatis." Hæc Lupus in Scholiis ad *Can.* 6. Concilii Tolosani, *tom.* 4. *pag.* 77.

XV. Deinde addit: „ Et Monachi, & Regulares Clerici „ quòd Cellas, aut Præposituras à suis Abbatibus aut Episcopis „ deinceps conducere, & ad vitæ finem *firmi* retinere non pos„ sent, firmitatem illam ab Apostolica Sede flagrabant, & quan„ doque impetrabant: & quidem suæ professionis qualitate sup„ pressa. Omnes hujusmodi gratias esse subreptitias, commu„ nis vitæ professioni ac paupertatis voto sustantialiter adver„ sas, ideoque nullas, declarat Pontifex & ab omnibus exsuf„ flandas, *in cap.* 5. & 6. ✠ *de Confirmatione utili vel inutili.*

XVI. His consonat Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 2. *de Regularib.* in verbis: „ Nec deinceps liceat Superioribus bo„ na stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, „ vel usum, administrationem, aut commendam. Administra„ tio autem bonorum Monasteriorum, seu Conventuum ad so„ los Officiales eorundem, ad nutum Superiorum amovibiles „ pertineat."

XVII. Ex his unanimi consensu concludunt Canonistæ Priores Minores, quales sunt Claustrales, & Obedientiarii, aliosque Monasteriorum Officiales ad nutum & beneplacitum Abbatum esse amovibiles, & revocabiles (y), quemadmodum videre est apud Fagnanum ad *cap.* CUM AD MONASTERIUM ✠ *de Statu Monach. num.* 23. & *sequentib.* ampliatque *num.* 37. conclusionem, ut „ locum habeat non obstante quod Priores ma„ nuales non consueverint revocari: quia cùm sit in facultate „ Abbatis, si non sit usus tali facultate, consuetudo non intro„ ducitur, cùm in actibus *merè facultativis* non inducatur „ consuetudo."

XVIII. Priores autem Conventuales, qui ut suprà dictum est, sunt Monasteriorum primarii Præfecti, & Capita, quique à Capitulo, sive Congregatione eligi, & per Superiorem confirmari solent, nequaquam sunt ad nutum amovibiles. Et quamvis in pluribus Religionibus præsertim Mendicantium sint triennales, tamen (ait Fagnanus ad *cap.* PER TUAS ✠ *de Simonia num.* 8.) durante triennio removeri non possunt, nisi ex justa causa, & juris ordine servato. Textus est clarus in *cap.* MONACHI ✠ *de Statu Monach.* cujus hæc sunt verba. *Priores autem, cùm in Ecclesiis* CONVENTUALIBUS *per electionem Capitulorum suorum fuerint canonicè instituti, nisi pro manifesta & rationabili causa non mutentur.*

XIX. Notat tamen ibidem Fagnanus ex *cap.* QUALITER ✠ *de Accusationib.* in mutatione Priorum & Prælatorum Regularium, causam non requiri adeo gravem, sicuti exigitur ad privandum Clericos seculares suis dignitatibus, & Beneficiis; sed quod ex levioribus causis ab administratione removeri possint.

(y) *Illud non est accuratè verum quoad Priores Canonicorum Regularium Congregationis Gallicanæ. Prior enim S. Genovefæ Parisiensis est* Claustralis, *nec tamen est amovibilis ad nutum Abbatis. Siquidem igitur à Capitulo Generali ejusdem Congregationis, ut per triennium curam domus gerat sub Abbate Regulari; durante triennio, Prior ab Abbate removeri non potest ad nutum, sed tantùm justa de causa, & juris ordine servato.*

XX. Et quamvis in Monasteriis habentibus Abbatem Commendatarium ex usu Regni Galliæ Prior intendens regulari disciplinæ dicatur *Claustralis*, quia tamen quoad disciplinam est Caput Monasterii; neque in his quæ disciplinam regularem concernunt ab Abbate Commendatario dependeat, etiam ab Abbate amoveri non potest; & ita non semel judicatum fuisse pro Priore Claustrali contra Abbatem Commendatarium refert Joannes Tornet in sua Collectione Arrestorum, *litt. A, cap.* 9.

XXI. Quod de Prioribus *Conventualibus* docuêre communiter Canonistæ, idem obtinet in *Provincialibus*, qui à Capitulo Provinciali, & *Generalibus*, qui à Capitulo generali eliguntur; ut nimirùm durante termino sui regiminis sine causa, & ordine judicii amoveri nequeant.

XXII. Cùm Priores Conventuales sint non secùs ac ipsi Abbates Conventuum suorum quasi Prælati, & Capita: quin & vi suæ electionis, seu institutionis *perpetui*, nisi ex speciali statuto, aut præscripto Regulæ duntaxat eligantur, etiam & ipsi in dignitate constituti intelliguntur; secùs verò Priores Claustrales & Obedientiarii.

XXIII. Quapropter cùm ex Constitutione Bonifacii VIII. in *cap.* STATUTUM *de Rescriptis*, *in VI.* nullis nisi dignitate præditis, aut Personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, causæ auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel legatorum ejusdem committi possent, dictum est in *Clementina* 2. *de Rescriptis*, causas à Sede Apostolica delegari posse Priori Conventuali, non autem Claustrali; idque non alia de causa, nisi quod Conventuales in dignitate constituti intelligantur, secùs Claustrales, uti ad dictam Clementinam notant Canonistæ.

CAPUT III.

De auctoritate Prælatorum regendi et corrigendi Subditos.

1 *Abbates, & Priores Conventuales sunt Monasteriorum Pastores.*
2 *Curam animarum habent.*
3 *In deligendis Prioribus Conventualibus maturè procedendum.*
4 *Abbates, & Priores debent subditos verbo & exemplo instruere.*
5 *Debent eâ esse doctrinâ instructi, ut omnibus prodesse possint.*
6 *Præcepto divino illis mandatum est: Oves suas agnoscere & eas pascere.*
7 *Debent habere exactam subditorum notitiam, & quare.*
8 *Quomodo se diversimodè ad omnes pro varietate dispositionis ipsorum habere debeant.*
9 *Debent continuò suis invigilare, ut notitiam habere queant.*
10 *Quid de hac Prælatorum vigilantia senserint Canonici Præmonstratenses.*
11 *Penes Abbates est corrigendi, ac puniendi auctoritas.*
12 *Multa mala timenda, si hâc auctoritate Superiores abutantur.*
13 *Prudentia hîc præcipuè in Superiore exigitur.*
14 *Primò expendere debet qualitatem personarum; & qui durius increpandi.*
15 *Qui obsecrandi, & qui arguendi.*
16 *Correctio fit* verbis, *aut* verberibus: *& quibus hæc illave impendenda.*
17 *Superiores in correctione considerare debent causam.*
18 *Tempus quoque attendendum est.*
19 *Superior modum in puniendo servare debet.*
20 *Superiori cavendum, ne nimis culpas Subditorum dissimulet.*
21 *Variæ sunt pœnæ Monasticæ.*
22 *Etiam pœnæ corporales inter Monachos usitatæ.*
23 *Etiam carceris pœna olim nota, sed hodie usitatior.*
24 *Excommunicatio usitata apud Monachos.*
25 *Qui ex regula Benedictina excommunicationi subjecti.*
26 *Effectus excommunicationis Monasticæ.*
27 *Colloquens aut conversans cum excommunicato, incidit in excommunicationem.*
28 *Quam curam circa excommunicatos habere debeat Abbas.*
29 *Quomodo excommunicati reconciliatio fiat.*
30 *Etiam pro levioribus delictis excommunicatio inflicta.*
31 *Excommunicatio non accipitur hic pro censura Ecclesiastica.*
32 *Quid cum Monacho incorrigibili agendum, remissivè; & quare hodie frequentior incarcerationis usus.*

I. ABbatibus Regularibus, uti & Prioribus Conventualibus incumbere curam animarum, sive eos esse non tantùm Patres, sed & quasi Pastores Religiosorum, quibus

præsunt, non tantùm veteri disciplinæ, sed etiam modernæ conforme est. Hinc etiam Abbatiæ & Prioratus à Canonistis, Beneficiis & dignitatibus *curam animarum* annexam habentibus annumerantur in *cap.* CUM IN CUNCTIS ✠ *de Elect.*

II. „ Semper cogitet (Abbas) ait Sanctus Benedictus, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem rediturus „ est.... Sciatque, quia qui suscipit *animas regendas*, præ„ paret se ad rationem reddendam, & quantum sub cura sua „ fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, „ quia in die judicii ipsarum omnium animarum est redditu„ rus Domino rationem.“ *cap.* 2. *Regulæ.*

III. Ad institutionem Priorum Conventualium maturâ deliberatione procedendum esse monent Constitutiones PP. Eremitarum S. Augustini hac addita ratione: „ Nam licèt om„ nia maturè debeant Pater Præsidens, & alii Difinitorii Pa„ tres determinare, specialem nihilominus ac præcipuam di„ ligentiam debent adhibere in institutione Priorum, quibus ex „ officio incumbit cura animarum, quæ est *ars artium*, & „ *scientia scientiarum*, scientes nihil esse quod Religioni ma„ gis officiat, quàm quòd ad curam animarum assumantur „ indigni: necesse est enim, ut tales sint familiæ, quales ea„ rum existunt Priores.“ *Parte* 3. *cap.* 7.

IV. Imprimis ergo Abbates, & Priores tanquam Pastores & animarum sibi creditarum Directores, debent exemplo suos instruere, & ad ipsam observantiam Regulæ & professionis Monasticæ incitare & urgere.

V. Unde S. Benedictus postquam dixisset, Abbatem magnum onus, scilicet curam animarum in se suscipere, mox tanquam consequens infert: „ Oportet ergo eum esse *doc„ tum lege divinâ*, ut sciat, & sit, unde proferat nova & „ vetera.“ *cap.* 64. *Reg.*

Et *cap.* 2. suæ Regulæ idem ex eodem fundamento latiùs adstruit: dicens: „ Ergo cùm aliquis suscipit nomen Ab„ batis, duplici debet doctrinâ suis præesse discipulis, id est, „ omnia bona & sancta, factis ampliùs quàm verbis ostendant: „ ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat; du„ ris verò corde & simplicioribus, factis suis divina præcep„ ta demonstret. Omnia verò, quæ discipulis docuerit es„ se contraria in suis factis indicet non agenda; ne aliis præ„ dicans ipse reprobus inveniatur.“

S. Isidorus *cap.* 2. *Regulæ*, ita de Abbate loquitur: „Iste „ *se imitandum* in cunctis operum exemplis exhibebit... Sin„ gulos autem ornamentis mutuis excitabat alloquens cunctos, „ exhortans, vel ædificans in eis, si quid eorum vitæ pro „ uniuscujusque gradu prodesse perspexerit.“

VI. Quid plura? Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* supponit, & declarat præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura ommissa est, oves suas agnoscere, Verbi divini prædicatione ac bonorum omnium operum exemplo pascere.

Ad hoc decretum reflectentes Canonici Præmonstratenses anno hujus seculi XXX. edixerunt, „ ut omnes Prælati (pro„ ut sibi à Domino mandatum atque commissum est) subdi„ tis suis, tum verbis, tum factis (si enim absint opera, pa„ rum efficient verba) vera dogmata, & vitæ perfectæ nor„ mam tradant.“ *Dist.* 2. *cap.* 2. §. 7. Et rursus eadem *dist. cap.* 3. §. 1. Prælatos monent, „ ut ante omnia anxiè ca„ veant, ne vel scandalosa, vel aliqua statum suum minus „ decentia perpetrent, considerantes, quòd tot moribus dig„ ni sint quot ad subditos perditionis exempla transmittunt; sed „ econtra sic virtutibus studeant, ut eorum vitam quicunque „ intueantur, omnium virtutum exemplar ante oculos propo„ situm habeant.“

VII. Ut Abbates aliique Monasteriorum Superiores *boni Pastoris* partes ritè expleant, necesse est, ut subditorum suorum exactam notitiam habere satagant. Nec enim oves rectè pasci poterunt, nisi Pastor exactam earum notitiam habeat; alia enim & alia pascua & alimenta spiritualia conveniunt, aliter & aliter dispositis.

„ Non una eademque cunctis exhortatio congruit (ait S. „ Gregorius in *prologo* 3. *Partis*, *de cura Past.*) quia non „ cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe namque aliis of„ ficiunt, quæ aliis prosunt: quia & plerumque herbæ, quæ „ hæc alia animalia nutriunt, alia occidunt: & lenis sibilus equos „ mitigat, catulos irritat. Et mendicamentum quod hunc mor„ bum imminuit alteri vires jungit, & panis, qui vitam fortitum „ roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium for„ mari debet sermo Doctorum, ut ad sua singulis congruat, & „ tamen à communis ædificationis arte nunquam recedat.“

VIII. Quæ ad Pastores generaliter dixit S. Gregorius, jam dixerat ad Abbates S. Benedictus, *cap.* 2.

„ Sciat Abbas quàm difficilem & arduam rem suscepit, re„ gere animas, & multorum servire moribus.... Et alium qui„ dem blandimentis, alium verò increpationibus, alium sua„ sionibus: & secundum uniuscujusque qualitatem vel intel„ ligentiam, ita se omnibus conformet, & aptet, ut non so„ lùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verùm: „ in augmentatione boni gregis gaudeat.“ Et paulo supra: „ Tantundem erit liber (Abbas) ut si inquieto, vel inobe„ dienti gregi Pastoris fuerit omnis diligentia atributa, & mor„ bidis earum actibus universa fuerit cura exhibita.“

IX. Porrò hæc omnia nullatenus præstare superior poterit, nisi assidue tanquam vigilans Pastor, omnibus suis attendat, ut per continuam vigilantiam non exteriora tantùm, sed vel præcipuè interiora, id est, affectus, ad animi motus ovium suarum exquirat; sicque oves suas agnoscat, quod præcepto quidem divino, declarante Concilio Trid. mandatum est omnibus, quibus cura animarum commissa est.

X. Quid de memorata indefessa solicitudine, ac continua super gregem vigilantia Prælatis incumbente senserint anno 30. hujus seculi Canonici Præmonstratenses, ex Statutis illo anno conceptis, & evulgatis cognoscere licet. „ Qui Ab„ batialem functionem suscipiunt, inquiunt, quæ suarum sunt „ partium, agnoscere studeant; & intelligant, se non ad „ propria commoda, ad divitias, & luxum, sed ad labo„ res, & solicitudines pro Dei gloria vocatos; & se obs„ trictos esse, ut attendant sibi, & gregi sibi commisso; ac „ proinde obligatos juxta Apostolum, *ut vigilent, in omnibus „ laborent, ac ministerium suum impleant.*“ Tim. cap. 4. v. 5.

„ Omnes Prælati prout omni jure obligantur, strictè re„ sideant, ut suo gregi, cujus sanguis à Supremo Pastore de „ ipsorum manibus aliquando requiretur, vigilanter intende„ re queant.

„ Rarissimè autem absint, nisi aliud oficii eorum ratio pos„ tulet; quo in casu domui suæ benè prospiciant, ac assiduè „ curent, ne subditi per eorum absentiam aliquod detrimen„ tum patiantur: scientes quòd non sit admittenda Pastoris „ excusatio, si oves lupus comedit, & ipse earum custo„ diæ minimè incumbens nescit.“

„ Habeant cum Priore, aliisque Superioribus, de suorum „ moribus, profectu, atque defectu, frequentes inquisitiones, „ & collationes.“

„ Sepe Filios suos visitent, vel ad se vocent, eosque tan„ quam veri Patres, in spiritu lenitatis instruant, moneant, „ consolentur, ac dum opus est, corripiant, objurgent at„ que castigent.“

„ Vultum pecoris sui agnoscere studeant, & omnia in„ teriora penetrare nitantur, quò faciliùs & interiorum vi„ tia extirpare, & virtutes inserere queant.“

Hisce non contenti ulteriùs adjiciunt: „ Pro sua, ac sub„ ditorum salute, necessitatibus, atque profectu (prout sunt „ obligati) ardentes, ac nunquam intermissas fundant preces.“

XI. Penes Abbates, & Priores Conventuales, qui sunt Monasteriorum Capita, & Pastores, esse auctoritatem Subditorum excessus corrigendi & puniendi, indubitatum est; atque omnes Regulæ monasticæ illam auctoritatem Abbatibus jam pridem attribuerunt.

XII. Non minima sanè officii Abbatis aliusve cujuscunque Superioris pars est, hac auctoritate ritè defungi. Ut enim correptio Subditorum cum fructu fiat, magnâ opus est prudentia, & dexteritate; imò & discretione, & charitate erga subditos.

Si enim hæc in Superiore desint, fortitudo, quæ Superiori inesse debet, degeneravit in asperitatem, suavitas in remissionem, zelus in furorem; compassio vertetur in noxiam conniventiam; patientia sine discretione audaciam, & consuetudinem gignet peccandi.

XIII. Monet Abbatem S. Benedictus cap. 54. Regulæ: *Oderit vitia, diligat fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat.*

Prudentia hæc requirit, ut Abbas in correctione hæc quatuor seriò expendat, & diligenter distinguat.

XIV. Primò personarum, quibus correctio impendenda, qualitatem & conditionem consideret. Quam considerationem charissimè explicat S. Benedictus.

Apostolicam enim illam sententiam. 2. ad Timoth. 4. *Argue, obsecra, increpa*, tribus hominum generibus ab Abbate vult explicari, *cap.* 2. *suæ Regulæ.*

Indisciplinatos & inquietos, ait, *debet Abbas* DURIUS *arguere.*

Indisciplinati propriè dicuntur, qui disciplinam recipere nolunt, sive qui nullatenus corrigi volunt.

Inquieti verò dici possunt, qui nullo loco quodammodo consistentes, continuò per Monasterium vagantur & cursitant de uno loco ad alium. Hi quia suo exemplo, & modo agendi alios provocant ad relaxationem, & ordinem perturbant, duriùs argui debent: uti latiùs exponit Hæftenus *lib.* 8. *tract.* 8. *disq.* 5.

XV. Ad alterum genus personarum pergens Benedictus ait: *Obedientes autem & mittes, & patientes, ut in melius proficiant, obsecrare debet Abbas.*

Hi sunt, qui cùm deliquerunt, mox aut intus moti à Spi-

ritu, aut foris correpti ab homine, ad pœnitentiæ remedium confugiunt.

De tertio hominum genere sic loquitur Benedictus: *Negligentes, & contemnentes, ut increpet, & corripiat.*

XVI. Cùm verò correptio vitiosorum *verbis* fieri possit & *verberibus*, quibus hæc illave impendenda sit, subjicit: „ Honestiores quidem, atque intelligibiles animos primâ vel secundâ admonitione verbis corripiat: improbos autem, & duros, ac superbos, vel inobedientes, verborum & corporis „ castigatione ipso initio peccati coërceat."

XVII. Secundò prudentia Superioris attendere debet causam, sive gravitatem culpæ: Nam ut ait S. Benedictus *cap.* 23. *Secundum modum culpæ excommunicationis, vel disciplinæ debet extendi mensura.*

Spectandum igitur quale peccatum sit quod reprehenditur; an Communitati valde noxium, an relaxationi viam sternat; an malo exemplo, & contagio alios inficiat; an ex consuetudine sæpiùs perpetratum, an verò rariùs & ex infirmitate.

Culparum distinctio in leviores, & graviores in Regulis monasticis notissima est; & quæ leviores, quæ graviores reputandæ sint, passim indicatur.

XVIII. Tertiò consideret prudens Superior, *quando* corripiendum. Hoc intendit Benedictus cùm Abbatem monuit *miscere temporibus tempora.* Quod explanans S. Bernardus *serm.* 2. *de Resurr.* ait: „ Habeat mens nostra spiritum discretionis, ut „ miscens aptè temporibus tempora opportunè æmulari, & nihilominus ignoscere sciat. Samaritanus sit custodiens & observans, quando vinum misericordiæ, quando vinum fervoris exhibeat."

XIX. Denique prudens Superior in corripiendo, & puniendo modum servare debet juxta illud Benedicti *cap.* 64. „ In „ ipsa correptione prudenter agat (Abbas) & nequid nimis: „ Ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas: suamque fragilitatem semper suspectus sit: memineritque *calamum quassatum non conterendum.* Isai. cap. 42. Math. 12. In „ quibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia; sed prudenter, & cum charitate ea amputet, ut viderit cuique expedire, sicut jam diximus; & studeat plus amari, quàm timeri. „ Non sit turbulentus, & anxius: non sit nimius, & obstinatus: „ non sit zelotypus, & nimis suspiciosus, quia nunquam requiescet."

XX. Sed dum timet Superior in correctione excedere, cavendum, ne in alterum extremum labatur, nimiâque remissione sive indulgentiâ delinquat. Quare monet Abbatem S. Benedictus *cap.* 2. „ Neque dissimulet peccata delinquentium, sed „ mox ut cœperint oriri, radicitùs ea, ut prævalet, amputet; „ memor periculi Heli Sacerdotis de Silo.

Hæc omnia evincunt, quàm verè dixit Benedictus: *Sciat* (Abbas) *quàm difficilem, & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum servire moribus.*

XXI. Quemadmodum in Regulis monasticis defectuum leviorum, & graviorum varia distinctio occurrit, ita quoque magna pœnarum varietas passim legitur.

XXII. Et quidem præter pœnas leviores, quæ ad humiliationem, sive confusionem Monachorum potissimùm spectabant, vel ad aliquam mortificationem, & pœnitentiam pertinebant, ut dierum aliquot jejunium, aut abstinentia à certo potu vel cibo; etiam corporales pœnæ usitatæ erant. Nihil enim usitatius in Regulis monasticis quàm virgarum inflictio.

In Regula Pachomii *art.* 87. de eo, qui fratres ad peccandum solicitat, & simpliciorum animos pervertit: *Separabunt*, ait, *eum extra Monasterium &* VERBERABUNT *eum ante fores triginta novem*, id est, triginta novem plagis, idque juxta morem Judæorum, qui in flagellatione non excedebant numerum 39. plagarum; uti notat Menardus ad *Concord. Regular. cap.* 30. 4.

Apud S. Isidorum in Regula cap. 17. *Gravior culpa diuturnâ excommunicatione purgatur, &* FLAGELLIS *emendatur.*

In Regula Benedictina crebra hujus pœnæ fit mentio; Et quidem *cap.* 28. vocat *acriorem correctionem, id est,* VERBERUM *vindictam* & PLAGAS VIRGARUM: & *cap.* 23. vocat *vindictam* CORPORALEM.

XXIII. Subinde etiam carcere includebantur; & quidem vinculis nonnunquam constricti, uti legitur in Regula S. Fructuosi *cap.* 16. VINCULISQUE *arctatus ferreis*, CARCERALI *sex mensibus angusta maceretur.*

In recentioribus tamen Ordinum Constitutionibus frequentior quàm in pristinis Monachorum Regulis Incarcerationis mentio occurrit, cujus ratio infrà notabitur.

XXIV. Præter has pœnas corporales, frequens & in Regula præsertim Benedictina notissima erat *excommunicatio*; de qua multis capitibus suæ Regulæ disseruit Benedictus.

XXV. „ Si quis frater contumax, aut inobediens, aut su„ pervus, aut murmurans, aut in aliquo contrarius existens „ sanctæ Regulæ, & præceptis Seniorum suorum contemptor „ repertus fuerit (ait Benedictus *cap.* 23.) hic secundum Do„ mini nostri præceptum admoneatur semel & secundò secretè „ à Senioribus suis. Si non emendaverit, objurgetur publicè co„ ram omnibus. Si verò neque sic correxerit, si intelligit, qua„ lis pœna sit, *excommunicationi* subjaceat."

XXVI. Deinde *cap.* 25. ait; „ Si autem Fratrem, qui gra„ vioris culpæ noxâ tenetur, suspendatur à mensa simul & ab „ Oratorio, nullus ei Fratrum in ullo jungatur consortio, ne„ que in colloquio. Solus sit ad opus sibi injunctum, persistens „ in pœnitentiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli senten„ tiam, dicentis, I. Cor. cap. 5. v. 5. *Traditum hujusmodi ho„ minem sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in „ die Domini.* Cibi autem refectionem solus percipiat, men„ sura, vel horâ, qua præviderit ei Abbas competere. Nec à „ quoquam benedicatur transeunte, nec cibus qui ei datur."

Sanctus Fructuosus loquens de Monacho excommunicato *cap.* 14. decernit, „ Ut in solo pane, & aqua in vespera post „ cœnam Fratrum medium accipiat praximatium, & non ad „ satietatem aquam, & hoc ab Abbate *exsufflatum, non sanc„ tificatum.* Nimirum hoc est, quod Benedictus dixit: *Neque „ benedicatur cibus, qui ei datur.*"

Praximatium, cujus hîc fit mentio, videtur fuisse panis bis coctus & siccus; de quo consule Menardum ad *Concord. Regul. cap.* 31. §. 17.

XXVII. In tantum Fratrum separationem ab excommunicatis ursit S. Benedictus, ut *cap.* 26. decernat: „ Si quis Fra„ ter præsumpserit sine jussione Abbatis fratri excommunicato „ quolibet modo se jungere, aut loqui cum eo, vel mandatum „ ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam."

XXVIII. Porrò quia omnis hæc pœna tendit unicè in emendationem, ac correctionem excommunicati, declarat S. Benedictus *cap.* 27. quàm solicitus esse debeat Abbas circa excommunicatos, ex quo discere possunt Superiores, quam curam, & affectum erga delinquentes, & infirmiores Fratres exhibere debeant. „ Omni solicitudine curam gerat Abbas, in„ quit, circa delinquentes fratres; quia *non est opus sanis me„ dicus, sed malè habentibus.* Matt. *c.* 9. *v.* 12. Et ideò uti de„ bet omnimodo, ut sapiens medicus immitere synpæctas, id „ est, seniores sapientes fratres, qui quasi secretè consolentur „ fratrem fluctuantem, & provocent ad humilitatis satisfactio„ nem; & consulentur eum ne abundantiori tristitia absorbea„ tur; sed sicut ait Apostolus: *Confirmetur in eo charitas, & „ oretur pro eo ab omnibus.* Magnopere enim debet solicitudi„ nem gerere Abbas, & omni sagacitate, & industriâ curare, „ ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. Noverit enim se „ infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas ty„ rannidem: & metuat Profetæ Ezech. *c.* 34. *v.* 3. & 4. commi„ nationem, per quem dicit Deus: *Quod crassum videbatis* (z) „ *assumebatis*; *& quod debile erat projiciebatis.* Et pastoris „ boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem „ ovibus in montibus, abiit unam ovem, quæ erraverat, quæ„ rere, cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam in „ sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad „ gregem." *Matt. cap.* 18.

XXIX. Quomodo tandem excommunicatus, si se emendaverit, reconciliandus esset exponitur *cap.* 44. Regulæ Benedictinæ: „ Qui pro gravioribus culpis ab Oratorio, & à men„ sa excommunicatur, horâ, qua opus Dei in Oratorio celebra„ tur, ante fores Oratorii prostratus jaceat, nihil dicens, nisi „ tantùm posito in terra capite stratus pronus omnium de Ora„ torio exeuntium pedibus se projiciat. Et hoc tandiù faciat, „ usque dum Abbas judicaverit satisfactum esse. Qui dum jus„ sus ab Abbate venerit, volvat se ipsius Abbatis, deinde om„ nium vestigiis, ut orent pro ipsos. Et tunc si jusserit Ab„ bas, recipiatur in Choro vel in ordine, quo Abbas decreverit, „ ita sanè, ut Psalmum, & lectionem, vel aliud quid non „ præsumat in Oratorio imponere, nisi iterum Abbas jubeat. „ Et omnibus horis, dum completur opus Dei, projiciat se in „ terra in loco, in quo stat: & sic satisfaciat, usque dum ei „ jubeat iterum Abbas, ut quiescat jam ab hac satisfactione."

Hic notandum, quòd excommunicatus paulatim & per partes communioni, & officiis restituatur; in quantum nimirum viderit Abbas illum sensim magis humiliatum & pœnitentem.

XXX. Subjicit deinde S. Benedictus: „ Qui verò pro *levi„ bus* culpis excommunicantur tantùm à mensa, in Oratorio „ satisfaciant usque ad jussionem Abbatis: & tandiu hoc perfi„ ciant, usque dum benedicat, & dicat; *sufficit.*"

XXXI. Porrò cum Benedictus etiam pro levioribus culpis *excommunicationem* infligendam supponat, admodum verisimile est, neque apud Benedictum, neque alios pristinos Monachorum Patres excommunicationem sumptam esse pro Censura Ecclesiastica, sive propriè dicta excommunicatione *majori*, qua Monachus ab ipso *corpore* Ecclesiæ abscissus censeretur;

(z) *In vulgata editione legitur*: Quod crassum erat occi- quam debatis.... Quod infirmum fuit, non consolidastis.

quam nonnisi pro gravissimis criminibus infligi posse in confesso est; & infrà, *parte* 3. *Titulo de Censuris* latiùs ostendetur.

Accedit quòd *cap.* 24. mensuram excommunicationis velit extendi juxta modum culpæ, quod excommunicationi propriè dictæ applicari nequit; quæ simpliciter excommunicatum à corpore Ecclesiæ rescindit.

Adhæc cùm Abbates olim essent *laici*, non apparet qua ratione Censuras Ecclesiasticas à potestate Clavium dependentes infligere potuissent.

Verisimilius proinde est, hujusmodi *excommunicationes* tantùm fuisse aliquas pœnas regulares Monachis inflictas ad propriam & aliorum emendationem & præcautionem.

Nihilominus quia per illas Monachi separabantur à reliquorum consortio, & oratione, pro magna sanè habebatur pœna; & qui illa mulctabantur, sathanæ tradi videbantur: eò quod jam reliquorum oratione & consolatione destituti, viderentur sathanæ insidiis magis expositi. Uti latiùs exponit & ostendit Josephus Mege in Commentario ad *cap.* 25. *Regulæ Benedictinæ.*

Quòd tamen hodie Abbates aliive Monasteriorum Prælati excommunicationem *majorem*, quæ sit Censura Ecclesiastica, ferre possint, ostendemus, dum de Censuris Ecclesiasticis agemus, ubi unà regulas observandas notabimus.

XXXII. Si Frater excommunicatus, neque excommunicatione, neque corporali correctione, emendetur, potest Abbas juxta præscriptum Regulæ Benedictinæ & aliarum Regularum, è Monasterio illum ejicere & abscindere, quemadmodum suprà *Tit.* 27. *cap.* 7. probavimus; ubi tamen una observavimus, hanc disciplinam moribus hodiernis esse mutatam; neque posse Superiores hodie Monachos incorrigibiles à Monasterio rescindere; sed esse ergastulis coërcendos, uti & apostatas, si ad Monasteria redducantur; quemadmodum rectè observâsse Boërium observo, cujus verba hîc addo: „ Oportet supplere hodie ubi„ cunque invenitur in Regula, *Monachus projiciatur* vel *expel„ latur à Monasterio*, id est, *retrudatur in ergastulum*, sive „ in carcerem, sive in aliud Monasterium ad agendam pœniten„ tiam transmittatur."

Hinc non obscurum est, cur in posterioribus Regulis frequentior *incarcerationis* mentio fiat, quàm in antiquis: dum olim rebelles, & incorrigibiles è Monasterio expelli, & à Religione abscindi poterant.

CAPUT IV.

Quandonam Superior debeat petere consilium vel consensum Capituli; et qui Capitulum constituant.

1 *Regimen Abbatis ex præscripto Sancti Benedicti est* Monarchicum.
2 *Abbati opus est* consilio.
3 *Consiliarios ab Abbate adhiberi vult S. Benedictus.*
4 *In rebus arduis totam Congregationem consuli vult Benedictus.*
5 *Ad Congregationem spectant tam Laici, quàm Clerici.*
6 *Ex Regulis monasticis tam Laici, quàm Clerici in Capitulis suffragium habent; quod & nunc in Ordine S. Francisci obtinet.*
7 *Seculo XIV. admitti cœperunt ad Capitulum soli, qui in Ordine* Subdiaconatûs *sunt.*
8 *Ratio hujus Decreti.*
9 *Aliquando Regulares ad Ordines suscipiendos cogi debuerunt.*
10 *In quibus Ordinibus id præcipuè contigerit.*
11 *Hodie nimius in Regularibus ad Ordines suscipiendos pruritus; & unde hæc mutatio.*
12 *Hodie in omnibus penè Monasteriis Fratres Laici, & Clerici sacro Ordine non insigniti, suffragio etiam* consultivo *privati sunt.*
13 *In Monasteriis Monialium solæ Moniales* Choristæ, *exclusis* Conversis, *Capitulum constituere solent.*
14 *Sorores Conversæ in Ordine S. Francisci manutentæ in electione Abbatissæ: & unde distinctio Sororum* Conversarum, & Choristarum.
15 *Quando requiritur consilium, aut consensus Capituli, debet* Capitulariter *dari.*
16 *Abbatis est, negotium Congregationi proponere: & quo modo proponendum.*
17 *Quomodo consilium Fratrum Abbas excipere debeat.*
18 *Quid Abbati faciendum audito Fratrum consilio.*
19 *Abbas cavere debet præformare suam opinionem.*
20 *Abbas consilium audire, non sequi tenetur.*
21 *Tenetur Abbas in omnibus sequi Regulam.*
22 *In causis levioribus vult S. Benedictus adhiberi consilium Seniorum.*
23 *Qui nomine* Seniorum *intelligantur.*
24 *Hodie in plerisque Ordinibus regimen Superiorum est pro parte* Aristrocraticum.
25 *Quæ sint negotia* graviora, *quæ expedire nequeunt sine consensu Capituli, sive Congregationis.*
* *An solus Abbas possit admittere ad professionem sine consensu Communitatis.*
26 *Abbas etiam hodie non tenetur habere consensum Capituli, nisi in casibus specialiter designatis.*
27 *Dum consensus Congregationis exigitur, non requiritur omnium.*
28 *Actus est nullus, si Abbas consilium non petierit, si petere teneretur; etiamsi sequi non deberet.*

I. REgimen Monarchicum instituisse S. Benedictum manifestum est ex *cap.*. 65. suæ Regulæ.

Cùm enim advertisset per ordinationem Præpositi, qui quasi secundus Abbas esse prætendebat, „ scandala gravia in Monas„ teriis oriri, dum sunt aliqui, ait, maligno spiritu superbiæ „ inflacti, existimantes se *secundos Abbates* esse, assumentes „ tyranidem, scandala nutriunt, & dissensiones in Congrega„ tionibus faciunt."

Deinde ut his, aliisque incommodis obviet, subjicit; „ Ideo„ que nos prævidemus expedire propter pacis, charitatisque „ custodiam, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monas„ terii sui: " ita ut alii omnes, quocunque etiam officio fungantur, illi subditi, non æquales sint, aut parem cum eo magistratum gerentes.

II. Sed cùm arduam, & difficilem rem susceperit, scilicet *regere animas*, opus ipsi est consilio, ut videat, quæ ei agenda sint. Nam ut ait Sapiens Proverb. 13. *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapienttiâ.*

III. Quapropter S. Benedictus postquam Abbati oneris sibi impositi gravitatem & agendorum difficultatem fusè & distinctè proposuit *cap.* 2. suæ Regulæ, capite sequenti subjungit de ejus *Consiliariis*, sive quos in consilium adhibere debeat; & quæ in expetendo consilio ab Abbate, & quæ à Consiliariis sint observanda.

„ Quoties aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, in„ quit, convocet Abbas omnem Congregationem, & dicat ip„ se unde agatur. Et audiens consilium Fratrum, tractet apud „ se; & quod utilius judicaverit, faciet."

IV. Imprimis vult S. Benedictus in rebus præcipuis tractandis per Abbatem convocari omnem Congregationem, id est, omnes qui sunt de Congregatione, sive Monasterio: etiam juniores: *quia*, ait, *sæpè juniori Dominus revelat, quod melius est.*

V. Cùm ergo omnes tàm laici, quàm Clerici ad Congregationem pertineant; imò tempore S. Benedicti nulli, aut pauci essent in Monasterio Clerici, manifestum est ex præscripto Regulæ, tam Laicos, sive ut hodie loquuntur, *Fratres conversos*, quàm Clericos, seu *ad Chorum* profesos, Congregationem, sive Capitulum (quod in causis arduis congregari & consuli debet) constituisse; atque æquale suffragium habuisse.

VI. Neque in antiquis Monachorum Regulis, neque recentioribus, ut S. Francisci, ulla hujus distinctionis inter Fratres Laicos, & Clericos mentio fit.

* Tametsi pristinis Monachorum Regulis non occurrat distinctio illa Monachorum *ad Chorum* professorum, & illorum, quos hodie *Fratres Conversos* dicimus, qui ad opera manualia, & externa obeunda recipiuntur, nihilominus quidam è Monachis olim *Conversi* dicebantur; nimirum hi, qui ad provectam usque ætatem secularem vitam duxerant, & postmodum vitam monasticam amplectebantur; & morum conversionem profitentes, ab ea *conversi* appellati: iique distinguebantur hac appellatione ab iis, qui ab infantia in Monasteriis enutriti, eadem vitam amplexati erant; atque inde *nutriti*, sive *oblati*, propter oblationem parentum de ipsis factam dicebantur, uti observat Du Cange in *Glossario mediæ & infirmæ latinitatis*, verbo *Conversi*; atque de his *nutritis* & *conversis* agi apud S. Anselmum in libro *de similitudinibus cap.* 78. ex ipso contextu manifestum est: quapropter rectè notavit dictus Auctor, errâsse Haeftenum, qui credit, ibidem agi de his, quos hodie fratres *conversos* dicimus, qui & *laici* dicuntur; & à Monachis *ad Chorum* professis distinguuntur; quos nonnisi circa seculum XII. ortum habuisse observat Claudius Fleury in historia sua Eccles. *lib.* 63. *n.* 58. qui occassionem hujus distinctionis inde ortam credit, quòd *laici* litteras non discerent, & lingua latina vulgaris esse desiisset; atque ita *laici* idioma latinum non callentes, officio divino, quod latinè peragebatur, inidonei essent.

Quidquid sit de origine, indubitatum est, distinctionem modernam inter *Laicos* sive *Conversos*, & professos *ad Chorum*, prout hæc in plerisque Monasteriis est in usu, recentioris disciplinæ esse: quodque in ratione Monachatûs non distinguantur, sed omnes eodem vinculo, iisdemque votis Religioni sint adstricti. *

Unde etiamnùm hodie in Ordine Fratrum Minorum Fratres *laici* concurrunt, & suffragium habent cum aliis Clericis in electione *Discreti*; modo tamen à quinque annis professionem emiserint; cùm illi, qui Ordine Sacro sunt insigniti, suffragio gaudeant, tametsi duobus tantùm annis sint professi. *Cap.* 7. §. 3. *Const.*

VII. Hæc disciplina, quæ omnes indifferenter ad Congregationem, sive Capitulum admittebat, primùm mutari cœpit seculo XIV. quando sub nomine Concilii Viennensis in *Clementina* UT, *tit.* 11. *de Ætate & qualit. Ordinand.* decretum fuit: „ Ut nullus de cætero in hujusmodi Ecclesiis (Cathedralibus, „ vel Collegiatis, Secularibus, vel Regularibus) vocem in Ca„ pitulo habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis liberè concedatur, ni„ si saltem in Subdiaconatûs ordine fuerit constitutus."

VIII. Ratio Decreti in præfatione exprimitur: „ Ut ii, qui „ divinis in Cathedralibus, vel Collegiatis, Secularibus vel Re„ gularibus sunt mancipati officiis, vel mancipabuntur impos„ terum, ad suscipiendos Sacros Ordines *propensius inducantur*."

IX. Hic obiter notandum, eo tempore in quibusdam Ecclesiis Regularibus Religiosos ita fuisse morosos in suscipiendis Sacris Ordinibus, ut etiam pœnis ad id adigi deberent; quod & indicat aliud sub nomine ejusdem Concilii decretum in *Clementina* NE IN AGRO, *de Statu Monach.* quo decernitur: „ Ad „ ampliationem autem cultûs divini statuimus, quod Monachi „ quilibet ad monitionem Abbatis se faciant ad omnes Ordines „ Sacros (excusatione cessante legitimâ) promoveri."

X. Nomen *Abbatis* insinuat, hoc Decretum potissimùm Monachos *Abbatiales* spectâsse: utpotè qui aliunde divitiis abundantes, nihil è susceptione Ordinis Sacri lucri, aut commodi sperarent, malebant otii delicias, quàm Ordine Sacro initiati Divinis Officiis peragendis vacare. Unde ad hoc Decretum reflectens Christianus Lupus ait: „ Post ablatum per divitias opus „ manuum, cœperunt Monachi ab otio invadi, ideoque sacro „ saltem ministerio adversus illud muniendos Pontifex judica„ vit." Ad *Can. VI. Chalced.*

XI. Hodie verò postquam ex susceptione Ordinis Sacri aliquod emolumentum, uti ex celebratione Missarum apud Mendicantes, vel aliqua Prærogativa haberi cœpit, tantus est ad Sacros Ordines pruritus, ut nullus penè nisi ætate destitutus ad eos non ascendat; imò ascendere ambiat, idque ferè nullâ capacitatis habitâ ratione; ut meritò hodie desiderarentur decreta, quibus à Sacris Ordinibus suscipiendis arcerentur; uti infra *part.* 2. *tit. de Sacramento Ordinis*, ostendetur.

XII. Itaque post hoc Viennensis Concilii decretum, ac præsertim secutam ejusdem innovationem per Synodum Tridentinum *Sess.* 22. *cap.* 4. *de Reformat.* cœperunt in plerisque Religionibus Fratres *Laici*, aliique Sacro Subdiaconatûs Ordine non insigniti, à Congregationibus Capitularibus excludi, & suffragio activo etiam *consultivo* privari.

XIII. Cùm verò in Monasteriis virorum Fratres *Laici* seu *Conversi* à Congregationibus Capitularibus essent exclusi, soliqueClerici seu *ad Chorum*, ut ajunt, *professi*, Congregationem, sive Capitulum conficerent, horum exemplo in Monialium Monasteriis sub eisdem Regulis militantibus, sensim etiam primò recepta fuit distinctio Sororum *Laicarum* seu *Conversarum*, & Sororum *Choristarum* sive ad *Chorum* professarum; ac dein Sorores illæ *Laicæ* à Congregationibus Capitularibus excludi cœperunt, prout hodie in plerisque Monasteriis excluduntur.

XIV. Quia tamen omnes Moniales, seu Laicæ, seu Choristæ, verè sunt de Congregatione, seu Conventu, nec ullum Ecclesiæ decretum sit hanc exclusionem probans, meritò Senatus Parisiensis anno 1642. per sententiam manutenuit Sorores Laicas, seu Conversas Ordinis S. Claræ, sive Urbanistas, in possessione dandi suum suffragium in electione Abbatissæ, uti refertur in appendice ad Opera *Claudi Le-Preste*, *pag.* 86. narraturque discursus Advocati Regii in favorem Sororum *Conversarum*; qui inter alia notabat, primitùs nullam fuisse inter Sorores eandem Regulam professas differentiam, sed successu temporis eam distinctionem esse inductam potiùs ex necessitate divitiarum, quàm meritorum, aut alia rationabili consideratione; ut nimirum solæ pauperes admittantur tanquam *Conversæ*, divites verò *ad Chorum*: tametsi subinde illæ capaciores sint præ his ut Divinis Officiis occuparentur, & hæ manualibus operibus exercerentur. Hi qui Monasteriis intendunt, expendere poterunt, quid in hisce fieri conveniat.

Ut ad Regulam Benedictinam, à qua nonnihil defleximus, redeamus, dicit, *ab Abbate convocandam Congregationem.*

XV. Pro quo notandum, quòd si negotium aliquod sit *Capitulariter* tractandum; sive ut consilium Capituli audiatur, sive consensus obtineatur, tunc debeant omnes *Capitulariter* congregati audiri, & consilium, aut consensum suum dare; neque sufficiat, si singuli audiantur, & suffragium suum singuli privatim depromant; imò actus sic expeditus ob defectum non *congregati Capituli* esset nullus; uti communiter docent Canonistæ relati à Tamburino de Jure Abbatum, *tomo.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 2. *num.* 25.

XVI. Deinde ait Benedictus: *Dicat ipse, unde agatu* Hoc est, negotium ipse Abbas proponat, idque juxta modernam disciplinam Præsidenti Congregationi competere solet.

Ita autem proponat, ut meri proponentis partes agat, & suam propriam celet sententiam, ait Haeftenus *lib.* 3. *tract.* 5. *disq.* 6. „ Ne fortè assentatores ei placere studentes, ejus po„ tiùs sequantur voluntatem, quàm rei utilitatem: aut ne ti„ midiores metu displicendi, verum dicere vereantur. Vitabit „ proinde, ne quis in unam, quàm alteram partem propensum „ ejus animum percipiat."

XVII. Pergit Benedictus: *Audiat consilium Fratrum*: scilicet *omnium*, qui Congregationem constituunt. „ Audiendi „ autem benignè, patienter, sine molesta interruptione, con„ cesso loquendi spatio & libertate, nec verbo, aut signo alienio„ rem à quoquam animum ostendat," ait Haeftenus.

XVIII. Audito omnium consilio, *tractet apud se*, ait Benedictus, id est, singulorum sententias, & rationum monumenta expendat, examinet, & ponderet, nec enim semper quod plures sentiunt, hoc melius. Proinde ubi negotium non dependet à pluritate suffragiorum, quæ numeranda sunt, Abbas non tam numeret sententias, quàm æquâ lance appendat. Ac præcipuè attendat illud monitum Tobiæ ad filium suum: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia* CONSILIA *tua in ipso permaneant.* Tob. 4.

XIX. Ut verò æquâ lance consilia Fratrum appendat Abbas, necesse est, ne uni potiùs quàm alteri opinioni ex humana aliqua ratione adhæreat, quousque Fratrum consilia audiverit; quod rectè expressit S. Dorotheus *Doct.* 7. his verbis: *Nihil decretum, & præfixum in mente, vel sensu habeat.* Si enim antequam consilium petit, aliquam animo agglutinatam opinionem habeat, vix unquam ullo Fratrum consilio, quamvis salubri, ab ea deducetur.

XX. Post expensa Fratrum consilia, *quod utilius judicaverit*, ait Benedictus, *faciat Abbas.*

Hæc manifestè supponunt, ex præscripto Regulæ Benedictinæ non competere Monachis in rebus tractandis, nisi solum votum *consultivum*; ultimam verò decisionem pendere à solo Abbate: adeoque regimen Abbatis, ut suprà monuimus, à S. Benedicto fuisse institutum *monarchicum.*

Quod ulteriùs in verbis sequentibus inculcat dicens: „ Sic „ autem dent Fratres consilium cum omni humilitatis subjectio„ ne, ut non præsumant procaciter defendere, quod eis vi„ sum fuerit; sed magis in Abbatis pendeat *arbitrio*, ut quod „ salubrius judicaverit, ei cuncti obediant."

XXI. Ne tamen Abbas hac sua auctoritate abutatur, & subditis graviora quàm professio eorum exigit, imponat, addit: „ In omnibus igitur omnes magistram sequantur *Regulam*, ne„ que temerè ab ea declinetur à quoquam."

Et ne quis ambigat, num sub hac generali expressione comprehendatur ipse Abbas, mox subjungit: „ Ipse tamen Abbas „ cum timore Dei, & observatione *Regulæ* omnia faciat, sciens, „ se procul dubio de omnibus judiciis suis æquissimo judici Deo „ rationem redditurum."

XXII. Totius Congregationis consilium expeti vult S. Benedictus; si præcipua agenda sint in Monasterio, hoc est, in causis gravioribus: „ Si qua verò, ait, minora agenda sunt in „ Monasterii utilitatibus, Seniorum tantùm utatur consilio, si„ cut scriptum est: *Omnia fac cùm consilio, & post factum non „ pœnitebis.*" Ecclesiast. cap. 32. v. 24.

XXIII. Qui hîc per *Seniores* intelligantur, non determinat Benedictus, Cardinalis à Turrecremata *Tract.* 15. *in cap.* 3. *Regulæ*, ait: „ *Senior* hoc loco non semper videtur notare se„ nectutem ætatis, aut prioritatem conversionis: quia quando„ que in multis hujusmodi nec abundat consilii maturitas, nec „ rerum experientia. Sed *Seniores* credimus hîc prudentiores, „ & magis expertos, appellandos, secundum illud Tobiæ: „ *Consilium à Sapiente require.*" Verùm quia invidiosum sæpe est, relictis professione senioribus, designare alios tanquam prudentiores, & magis discretos, hinc apud quosdam in usu est, consulere seniores secundum Ordinem professionis.

In aliis nonnullis Ordinibus eliguntur *Assistentes*, aut *Discreti*; quorum consilio vel assensu Superiores omnia agant; de quorum electione, & auctoritate singulorum Ordinum Constitutiones consulendæ, & sequendæ sunt.

XXIV. Illud semper ex omnium penè Ordinum, & Congregationum Constitutionibus, etiam eorum qui sub Regula Benedictina militant, intelligi potest, hodie ob depravatos hominum mores, ac naturæ humanæ corruptionem, & quia (ut ait Ascanius Tamburinus loco citato *quæsto* 2. *num.* 2. & 3.) non omnes, qui regunt, esse possunt Augustini, aut Benedicti, nec subditi Posidii, factum esse, ut Religiones loco Monarchiæ absolutæ, cum ea simul Aristocratiam amplexatæ sint: imo ferè omnes Religiones tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, regimen Aristocraticum elegerunt, relicto Monarchico, ait Tamburinus; qui ibidem relatis variorum Ordinum Constitutionibus ostendit, eorum regimen esse Aristocraticum.

At-

XXV. Atque inter alia recitat ex Joanne Trithemio aliqua quæ Abbas non tantùm sine consilio, sed nec sine consensu Monachorum exequi potest: ut sunt v. g. „ Res Monasterii immo„ biles, agros, prata, & alia hujusmodi vendere. Secundò di„ cit, quòd non potest recipere ad professionem Monachum si„ ne consensu Conventûs. Tertiò, quòd non potest Monas„ terium gravare pignoribus, & aliis cautionibus, magnam „ summam recipiens pecuniarum super bona Monasterii, abs„ que evidenti necessitate, & Fratrum suorum consensu. Quar„ tò, quòd non licet Abbati dimittere Monachum ad aliud „ Monasterium ejusdem Ordinis sine prædicto consensu. Quin„ tò, non potest aliqua statuta ipsis imponere, quæ se ul„ tra Regulam extendant, nisi consentiant Monachi. Sextò, „ non potest aliquem ad Confraternitatem spiritualem totius „ Monasterii accipere, nisi concurrant Monachi subditi. Sep„ timò, non potest præbendarios perpetuos recipere ad Mo„ nasterium sine voluntate Conventûs. Deinde subdit hæc ver„ ba: Sunt & aliis casus, in quibus, si non est semper ne„ cessarium, est tamen honestum, ut sine Fratrum suorum „ Abbas assensu, eorum nihil attentet. In disciplina autem con„ servanda potest Abbas, sine ipsorum consensu, vel voluntа„ te, si tamen expedit, limites Regulæ non omittens, age„ re, prout sibi meliùs visum fuerit expedire.“

Quæ hîc asserit Trithemius sine consensu Monachorum à solo Abbate expediri non posse, etiam hodie in plerisque Religionibus cum consensu totius Congregationis expediri consueverunt.

* Inter ea, quæ per Abbatem de consensu Congregationis expedienda sunt, in textu ex Ascanio Tamburino notata refertur receptio & admissio Novitii ad professionem.

Verùm, si inspiciantur sola verba Regulæ Benedictinæ, videtur, quòd admisio ad professionem soli Abbati competat de consilio Congregationis: quod & supponere videtur Josephus Meige in Comentario ad hanc Regulam; unâ tamen asserens quòd Jus commune hac in parte Regulæ Benedictinæ derogaverit, & auctoritatem Abbatis restrinxerit: ita ut hodie non tantûm consilium, sed & consensum Congregationis habere debeat; atque non tantùm ex Constitutionibus totius Ordinis, prout existimâsse videtur Trithemius, & post eum Ascanius Tamburinus, sed etiam ex jure communi receptio & admissio Novitii ad professionem esset una ex causis gravioribus, quæ sine consensu Congregationis per solum Abbatem absolvi non possent: quâ in re Ordinum, & Monasteriorum constitutiones, & continuata praxis maximè sunt attendenda.

Contingere enim potest, ut alicujus Congregationis, aut Provinciæ Monasteria pressiùs, & constantiùs Regulæ Benedictinæ adhæserint, atque conformiter ad Regulam Abbatibus hac in re pristina auctoritas fuerit conservata.

Quidquid sit de hac Abbatum auctoritate, hoc certum est, quòd Abbas, tanquam Pater suorum Monachorum, non nisi summa cum prudentia hac sua auctoritate, in admittendis Novitiis ad professionem sine consensu sui Capituli, uti debeat, quandoquidem similis admissio ad professionem vix fieri queat, sine charitatis, & unionis inter fratres detrimento; ac notanter si ex parte Abbatis carnalem aliquem erga Novitium affectum in hac ad professionem admissione concurrere circumstantiæ ostendant.

XXVI. Quia tamen ex sua institutione Abbatum regimen est monarchicum, nec nisi consilium etiam in rebus arduis expetere debet ex præscripto Regulæ, dicendum, quòd consensus Capituli, sive Congregationis ad validitatem actûs non exigatur, nisi in casibus à Jure, vel Constitutionibus Ordinis *specialiter* expressis; quemadmodum Episcopus consensum sui Capituli habere non debet, nisi in casibus à jure designatis; uti suprà *tit.* 8. *cap.* 4. *num.* 5. notavimus.

XXVII. Illud insuper notandum, quòd dum consensus Congregationis requiritur, non omnium de Congregatione requiratur; sed ordinariè sufficiat major pars totius Congregationis; aut etiam interdum sufficiat, præsertim in electionibus, major pars comparata ad alias partes, quæ alios elegerunt, nisi aliquo statuto aliud fuerit expressum.

XXVIII. Denique licèt Abbas, aliusve Superior in casibus, in quibus tantùm debet requirere consilium, non teneatur consilium datum sequi; tamen actus esset nihilominus nullus, si à Capitulo, aut Congregatione debitè convocato consilium non expetiisset; uti docent communiter Canonistæ, quos citat Ascanius Tamburinus loco citato *quæsito* 8. *num.* 1.

CAPUT V.

De Cura temporalium Abbatibus incumbente, et Officialibus ab ipsis constituendis.

1 *Cura temporalium primariò Superioribus Monasteriorum incumbit.*
2 *Superior dispensare debet sine acceptione personarum in usus Communitatis*
3 *Superiores tantùm sunt* Dispensatores, *& finem à fundatoribus præfixum attendere debent.*
4 *Monitum Synodi Cameracensis.*
5 *Quibus debeantur bona Monasterii quæ necessitatibus Religiosorum supersunt.*
6 *Prælati utentes rebus Monasterii, ut* propriis, *censendi sunt* proprietarii.
7 *Alienatio rerum Monasterii soli Abbati vetita, etiamsi sint annexæ* mensæ *Abbatiali.*
8 *Superiores tenentur reddere computum suæ administrationis.*
9 *An Episcopus interveniat computui.*
10 *Superiores ita circa temporalia versentur, ut spiritualia non negligant.*
11 *Superiores temporalibus curandis deputant Officiales.*
12 *Præcipuus inter hos Cellerarius, sive Procurator, & qualis eligendus.*
13 *Cavendum, ne Procurator ita circa temporalia versetur ut exercitia spiritualia omittat.*
14 *Periculosum est in Procuratorem constitui, qui in virtute non est multùm exercitatus, & quare.*
15 *Convenit, ut negotia Monasterii, multum distrahentia committantur secularibus.*
16 *Officiales in administratione temporalium dependent à Superiore Monasterii.*
17 *Potest Abbas eorum auctoritatem restringere, vel ampliare.*
18 *Cavenda in administratione temporalium species avaritiæ.*

I. PRæcipuam rerum temporalium inspectionem, & superintendentiam esse penes Abbates, aliosque Monasteriorum primarios Præfectos, eosque esse præcipuos rerum suarum dispensatores, tam ex Sacris Canonibus, quàm Regulis Monasticis constat.

Universam (ait Gelasius Papa in *can.* Nullam, *caus.* 18. *q.* 2.) quæ vel ad divini cultûs reverentiam, vel ad utilitatem Monasterii pertinent, Abbatis solicitudo, ad quem potestas tota pertinere convenit, debeat adimplere.

Regula Benedictina pluribus locis, ac signanter *cap.* 2. 32. 33. 54. & 57. hanc in dispensandis rebus temporalibus auctoritatem in Abbate manifestè supponit, quam etiam regula S. Augustini non obscurè expressit, ubi ait: „ Non di„ catis vos aliquid habere proprium, sed sint vobis omnia „ communia, & distribuatur unicuique vestrûm à Præposito „ vestro.“

Circa hanc Abbatum, aliorumque Superiorum dispensandi, ac regendi res temporales potestatem, plura observanda sunt.

II. Imprimis Superiores in rebus communibus dispensandis tenere debent normam sibi in Actis Apostolicis, his verbis præformatam: *Dividevatur autem* singulis *prout* cuique *opus erat*: hoc est, ut sine personarum acceptione singulis Religiosis distribuatur prout cuique opus erit; de qua dispensandi norma egimus *tit.* 29. *cap.* 5. *v.* 7. atque insuper in hac dispensatione eam tenere moderationem, ut ea, quæ Religiosis ad necessitatem dantur, limites paupertatis religiosæ non excedant; uti eodem titulo *cap.* 8. ostendimus.

III. Cùm verò rerum, proventuumque Monasterii sola dispensatio Abbatibus concredita sit, non autem eorum ipsis data sit proprietas, tenentur ipsi Abbates se tanquam fideles dispensatores & Administratores, nequaquam verò ut *proprietarios*, aut rerum dominos exhibere; ac per consequens in rebus illis dispensandis semper præfixum habere finem, quem ipsi Fundatores, qui hanc eis dispensationem crediderunt, intenderunt.

IV. De hoc puncto seriò monet Abbates, & Abbatissas Synodus P. I. Cameracensis titulo *de Monasteriis*, *cap.* 16. „ Ceterùm monet S. Synodus Abbates, Abbatissas, & alios „ Monasteriorum Præfectos, & Præfectas, ut sui meminerint „ officii, seque non esse dominos bonorum Monasterii, imò „ ne fructum quidem; sed tantùm dispensatores & adminis„ tratores: neque se pro libitu dispensare posse, sed secun„ dum intentionem Ecclessiæ, & priorum Fundatorum. Proin„ de valdè reprehensibile esse eorum factum, qui ex bonis, „ vel etiam fructibus Monasterii sui ditant propinquos, vel „ amicos suos. Itemque eorum, qui superfluum, nimis fas„ tuosum habent famulitium, & comitatum, nimium equo„ rum numerum, quique nimiùm splendidè & sumptuosè ædi„ ficant, præsertim ædificia non sacra.“

V. Hoc decretum innovans ejusdem Provinciæ Cameracensis Synodus Diœcesana Audomarensis sub Joanne Six anno 1585. addit: „ Id quod necessariis usibus superfluit, de„ betur Pastoribus, quibus tenuiùs quàm oportet provisum est, „ debetur alendis pauperibus, ædificandis Dei templis, augen„ dæ, ornandæque christianæ Reipublicæ, & similibus finibus.“

Deinde monet Prælatos, ut meminerint, *nec se à voto pau-*

paupertatis absolutos ; sed bonorum communium dumtaxat dispensatores esse.

VI. Et reverà si Prælati bona Monasterii non tantùm non fideliter dispensent, sed tanquam propriis in quoslibet usus pro arbitrio suo utantur, & de iis disponant, non tantùm injustitiæ, quemadmodum alii rerum temporalium dispensatores, sed proprietatis, & voti infractionis rei reputabuntur coram Deo ; uti appositè jam pridem notavit Petrus à S. Audomaro, vulgò Wallon-Capelle, *lib. 2. Institut. Monast. cap.* 9. „ Quoad dispensationem rerum temporalium ipsis „ (Prælatis) commissam, inquit, iis casibus, quibus con„ tingit dispensatorem dominorum temporalium furtum in sua „ dispensatione committere opere, vel voluntate, peccatum „ proprietatis incurrunt.... *Proprietarii* igitur sunt, infert dic„ tus Auctor, imò fures, & sacrilegi, non minus quàm Ju„ das loculos Christi expilans, quoties facultatibus Christi, & „ Ecclesiæ utuntur, vel possident tanquam *proprias*, quod „ maximè cavebat S. Augustinus, ipso teste: Cùm datur mi„ hi vestis pretiosa, ait, vendo eam, ut quia vestis non po„ test esse communis, pretium commune sit. Maximè verò „ *proprietarii* sunt, pergit auctor quando eis abutuntur in „ statuendis sibi magnificis monumentis, aut celebribus exe„ quiis, vel aniversariis sibi præfigendis, magnis Ecclesiæ sum„ tibus in erigendis superbis ædificiis, eisque decorandis ta„ petibus, variisque picturis, in luxu, in exquisitioribus ci„ bis, & vinis pretiosis, mensæ superfluo apparatu, in va„ sis argenteis, & aureis, in ludis, in alenda multitudine „ famulorum, canum, equorum, &c.

Non immeritò ergo notavit Joannes Hesselius in *Decalogum*, *cap.* 147. Præfectis Monasteriorum speciale periculum imminere pecandi vitio *proprietatis*, propter temporalium dispensationem eis creditam.

VII. Adhæc, quia sola administratio & dispensatio Abbati credita est, idcirco adinstar aliorum administratorum nullam habet auctoritatem bona immobilia, aut etiam pretiosiores res mobiles sine consensu Conventus alienandi; quod & locum habere quoad bona mensæ Abbatiali specialiter addita, iis in Monasteriis, in quibus bona inter Conventum, & Abbatem sunt divisa, notat Renatus Chopinus *lib. 2. Monastici*, *tit. 2. num.* 16. refertque sæpiùs in judicio contradictorio ita fuisse declaratum.

VIII. Sicut administratores & Curatores rerum alienarum tenentur suæ administrationis, & curatelæ reddere rationes sive computum, „ ita in multis Ordinibus (uti observat Zy„ pæus *consult. 6. de Regularib.*) Regula, constitutiones aut „ mores habent, ut Abbates & Abbatissæ quotannis co„ ram Conventu computum faciant.“

IX. Insuper decrevit Gregorius XV. in Constitutione quæ incipit, *Inscrutabili*, 18. *in Bull. Rom.* „ Sed & administran„ tes bona ad eadem Monasteria Sanctimonialium, ut præ„ fertur, etiam Regularibus subjectarum, pertinentia, sive Re„ gulares extiterint, sive Seculares quomodolibet exempti, Epis„ copo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, sin„ gulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigen„ das, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & „ compelli queant.

„ Sed (uti monet Zypæus citata Consultatione) ea Bulla „ nondum hîc omninò recepta est: Et Abbas S. Vedasti, „ ait, contra Episcopum Atrebatensem Concilii Mechliniensis „ judicio obtinuit, ne illam ibi viâ regiâ possit exequi.“

Neque hactenus in Belgio usu obtinere videmus, ut Episcopi computibus Monasteriorum exemptorum interveniant; at illorum, quæ sub Episcopi directione, & auctoritate consistunt, Episcopus per se, aut per suum Commissarium, idque frequentiùs, intervenire solet.

X. Abbatibus, aliisque Monasteriorum Superioribus, administrationem habentibus seriò expendendum illud S. Benedicti monitum *cap. 2. Regulæ.* „ Ante omnia ne dissimulans, „ aut parvipendens salutem animarum sic commissarum, non „ plus gerat solicitudinem de rebus transitoriis, terrenis, at„ que caducis ; sed semper cogitet, quia animas suscepit re„ gendas, de quibus rationem redditurus est. Et ne causetur „ de minori fortè substantia, meminerit scriptum: *Primùm „ quærite Regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia ad„jicientur vobis.* Et iterum: *Nihil deest timentibus eum.* Sciat„ que, quia qui suscepit animas regendas, præparet se ad „ rationem reddendam.“

XI. Ne autem Abbates & Superiores, quibus cura spiritualis Monasterii incumbit, nimium se debeant temporalibus negotiis immergere, passim in Regulis, Constitutionibus monasticis, & Synodorum decretis cautum fuit, & moribus comprobatum, ut rebus temporalibus administrandis & curandis aliqui inferiores Officiales à Superioribus deputentur.

XII. Inter hos præcipuus reputatur, qui in Regula Benedictina *cap.* 31. dicitur *Cellerarius*, vel ut alii legunt *Cellerarius*, atque idem est, qui hodie in quibusdam Monasteriis Œconomus, *Provisor*, vel *Procurator* appellatur.

Qualis esse debeat Cellarius dicit S. Benedictus: „ Eli„ gatur, ait, de Congregatione sapiens, maturus moribus, so„ brius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non „ injuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum; „ qui omni congregationi sit sicut Pater, curam gerat de „ omnibus, sine jussione Abbatis nihil faciat. Quæ jubentur „ custodiat : fratres non contristet. Si quis frater ab eo for„ tè aliqua irrationabiliter postulat, non spernendo eum con„ tristet, sed rationabiliter cum humilitate malè petenti de„ neget. Animam suam custodiat, memor semper illud Apos„ tolicum: *Quia qui benè ministraverit, gradum bonum si„ bi acquirit.*“

XIII. Ad hæc verba, *animam suam custodiat*, addunt Patres Congregationis Cassinensis *num.* 2. „ Cellerarii non sic „ se immergant temporalibus, quin vacent spiritualibus, sed „ sic transeant per bona temporalia, ut non amittant æterna.“

Eundem in finem monent Bursfeldenses *Dist. 2. cap.* 5. „ Cellerarius quamvis exemplo Marthæ circa multa solicitari, & „ turbari necesse habeat, non tamen se prorsus à conventua„ libus alienare, aut silentium, & quietem cellæ penitus ab„ jicere, & aborrere, sed potiùs quantum sinit opportunitas, „ necessariis expeditis, ad opus Dei, & Conventum, sed „ & ad cellam, tanquam ad quietissimum, & tutissimum por„ tûs sinum recurrat, ut legendo, orando, meditando turbu„ lentos animi sui motus ex cura, & dispositione exteriore „ surgentes, sedare possit, & spiritualibus consolationibus re„ frigerari.“

Eadem iisdemque penè verbis habent Constitutiones Canonicorum Regularium Capituli Windesemensis *part. 2. cap.* 38. & Constitutiones Eremitar. S. Augustini *part. 3. cap.* 17.

Canonici quoque Præmonstratenses in ultimis sui Constitutionibus monent Abbates, ne Œconomum, seu Provisorem alium constituant quàm Sacerdotem, nisi gravis premat necessitas, adducta hac ratione: *Quia in ruinam agitur, quinondum in virtute bene roboratus, suæ libertati relinquitur.*

XIV. Ante omnia ergo in electione eorum, qui administrandis temporalibus præficiuntur à Superioribus attendendum, ut præficiendi in omni virtutum genere in tantum sit exercitati, & in charitate adeò fundati, & radicati, ut meritò confidere liceat, quòd interiorum curam per exteriorum occupationem non minuent, atque exteriorum providentiam interiorum solicitudine sedulò curabunt: qui, ut de Gerardo ait S. Bernardus, non petulanti (ut assolet) in eo officio detineantur affectu, sed solo intuitu charitatis ; qui quantum in ipsis est, semper optent quietem, sibi intendere, Deo vacare, nec implicitos tenent, nisi timor Dei, voluntas Fratrum, ac studium obediendi. Nisi enim solicitudini, piisque Religionis exercitiis, quibus anima pascitur, & mens à terrenis ad cœlestia revocatur, multùm afficiantur, magnopere verendum, ne sensim, illis neglectis, rerum terrenarum curis implicentur ; ita paulatim gustum rerum spiritualium amittentes, tandem sub habitu Religionis cor seculare inveniant. Quod vel eo magis in Officialibus metuendum, quia ipsis, ob varia, quæ in temporalium administratione occurrere solent negotia, major præ reliquis Fratribus concedi debet absentandi ab ordinariis Religionis exercitiis libertas: per consequens nisi tantùm in Religione profecerint, ut non timore ad ea pietatis exercitia adigendi sint, sed spiritu charitatis ad illa agantur, non parum timendum, ne libertate illa abutantur.

XV. Porrò ne Procurator Monasterii nimium distrahatur, ac vagandi nimiam occasionem habeat, providè decernitur in Constitutionibus Eremitarum S. Augustini loco citato: „ Po„ terit etiam in principalioribus Conventibus Procurator *secula„ris* constitui pro illis negotiis, quæ per laicum tractari po„ terunt, ad evitandos nimios discursus Procuratoris Religiosi, „ & ne etiam habitus nostræ sacræ Religionis in locis indecentibus „ quandoque compareat.“

Optandum sanè, ut in omnibus Monasteriis, præsertim Abbatialibus, in quibus negotia sæpius in judiciis, & foris agenda occurrunt, observaretur.

XVI. His Officialibus concredita administratio non impedit, quin penes Abbatem, & Superiores remaneat primaria ipsa cura ; atque ipsi Officiales in hac administratione ab ipsis dependeant.

De Cellario ait S. Benedictus: *Sine jussione Abbatis nihil faciat.* Item: *Omnia mensuratè faciat, & secundum jussionem Abbatis.*

XVII. Quin non obscurum est, quòd ex præscripto Regulæ Benedictinæ liceat Abbati Cellerarii potestatem ampliare, aut restringere ; plura aut pauciora ei committere ; ait enim. „ Omnia, quæ injunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua : à „ quibus eum prohibuerit, non præsumat.“

XVIII. Dicit insuper S. Benedictus *cap.* 57. Regulæ, ut si quid ex operibus artificum Monasterii aliquid vendendum sit, illi, quibus cura vendendi facta est, videant, ne in ipsis pretiis

tiis subripiat avaritiæ malum ; sed semper aliquantulum vilius detur, quàm ab aliis secularibus datur, ut in omnibus glorificetur Deus.

Indubiè monitum hoc S. Benedicti à Superioribus & Officialibus Monasteriorum meritò attendendum ; ut hoc pacto in administratione rerum temporalium omnem avaritiæ speciem apud homines seculares evadant.

CAPUT VI.

De usu *Pontificalium* Abbatibus indulto.

1 *Quo tempore Abbates uti cœperint* Pontificalibus *incertum.*
2 *Seculo XII. Abbates Pontificalibus usi fuerunt.*
3 *Quid de hoc usu senserint Abbates Ordinis Præmonstratensis, & Congregationis Bursfeldensis, remisivè.*
4 *Usus Pontificalium competit Abbatibus jure* privilegiario.
5 *Quæ singulis competant ex tenore privilegiorum judicandum.*
6 *Usus* Baculi *ante alia Pontificalia Abbatibus competit ; & quare.*
7 *Quid* Sudarium *baculo appensum indicet ; & qui illud appensum habeant.*
8 *Pontificalibus non contenti etiam* Benedictionem solemnem *impartiendi auctoritatem impetrârunt.*
9 *Solemniter benedicendi auctoritas olim Pontificalium usui non erat annexa.*
10 *Inter Pontificalia hodie reponuntur collatio Ordinum, quamvis usui Pontificalium non sit annexa.*
11 *Potestas conferendi Tonsuram, & Lectoratum, Abbatibus asseritur Canone Synodi Nicænæ II.*
12 *Synodus Nicæna nullam mentionem fecit specialis & solemnis Benedictionis Abbatialis.*
13 *Tempore hujus Synodi nondum nota erat solemnis hodierna Abbatum Benedictio, nec distinctio inter Abbates, & Priores Conventuales.*
14 *Gratianus Canonem referens Benedictionis Abbatialis mentionem addit.*
15 *Canon ex Gratiano in Decretales relatus, pro jure communi receptus est.*
16 *Hinc invaluit, Monasterii Præfectum non posse Tonsuram, & Ordines conferre, nisi sit Abbas* solemniter *benedictus.*
17 *Error Gratiani mutationi disciplinæ occassionem dedit.*
18 *Synodus Nicæna II. non permittebat Monasteriorum Præfectis Ordinem conferre, nisi solis Monachis sibi subjectis.*
19 *Abbates potestatem suam paulatim extenderunt.*
20 *Decretum Synodi Tridentinæ potestatem Abbatum restringens.*
21 *Juxta hoc decretum Abbas non potest Tonsuram Monachis alterius Monasterii conferre, etiam de consensu Abbatis, nec Secularibus habentibus* Dimissoriales *sui Episcopi.*
22 *Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, sive nullius Diœcesis, comprehenduntur Decreto Concilii Tridentini.*
23 *Qui censeantur Abbates* nullius *Diœcesis.*
24 *Simplex exemptio Monasterii non facit illud esse nullius Diœcesis.*
25 *Abbates non possunt citra speciale privilegium solemniter* Benedicere *populo, nisi in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis.*
26 *Neque alia Pontificalia extra dictas Ecclesias exercere.*
27 *Præsente Episcopo Abbas* solemniter *benedicere non potest, & quare.*
28 *Abbates in Synodis cum Episcopis comparentes quibus* mitris *uti possint.*
29 *Usus Pontificalium in Abbatibus metiendus ex tenore privilegii.*
30 *Abbates Pontificalibus cum humilitate uti debent.*

I. QUo tempore Abbates uti cœperint ornamentis, sive insignibus Pontificalibus, incertum est. Christianus Lupus *tomo* 5. *Scholiorum in Canones, pag.* 527. de his loquens ait : „ Joannes XVIII. quem alii vigesimum di„ cunt (sedit hic sub initium seculi 11.) primus incepit Abba„ tibus permittere ornamenta *Pontificalia* : & quanto impetu „ Episcopi intercesserint, docent plura tragica exempla."

* Illud sat constat ante seculum VII. aut VIII. nullum hujusmodi privilegium per Romanos Pontifices fuisse Abbatibus concessum ; sed demum seculo IX. aut X. similia privilegia per Romanos Pontifices cœpisse concedi : postquam scilicet auctoritate falsarum Decretalium sibi plenitudinem potestatis asseruerunt ; atque eâ potestate prætenderunt, se posse aliis communicare, quæ Episcopis erant propria.

Quin & credit Christianus Lupus, inter Pontifices primum fuisse Joannem VIII. qui dederit Abbatibus usum Pontificalium sub initium seculi XI.

Hoc præterea notatur, quòd primitùs non omnia, sed, quæ minora reputabantur, duntaxat Abbatibus fuerint indulta, puta Sandaliorum, Dalmaticæ & Chirothecarum usus ; uti observavit vir eruditus Joannes Mabillonius in præfatione ad primam partem seculi VI. Benedictinorum *num.* 54. ibidem inter alia observans, quòd Leo IX. qui sedit sub medium seculi XI. indulserit Richerio Abbati Cassiniensi, ad exemplar suorum prædecessorum, usum Sandaliorum, Dalmaticæ, necnon Chirothecarum.

Insuper notat, quòd idem Pontifex eundem usum Pontificalium tribuerit Warmino Abbati sancti Arnulphi, exceptis (ait) Chirothecis.

Hæc ostendunt, primitùs in concedendo Pontificalium usu Pontifices admodum fuisse moderatos, atque Leonem IX. existimâsse usum Chirothecarum quid amplius, quàm Sandaliorum, aut Dalmaticæ.

Hoc sat constat inter ornamenta illa externa Pontificalia semper enituisse usum *mitræ*, quem Abbatibus seriùs communicatum fuisse credit Mabillonius ; primumque fuisse credit Egelsinum Abbatem sancti Augustini, prope Cantuariam : cui Alexander II. usum *mitræ* indulsit, *ob ipsius* (ait) *Romanorum alumni, & Anglorum Apostoli dignitatem.*

II. Seculo XII. nonnullos Abbates ex privilegio Sedis Apostolicæ more Pontificum usos fuisse *mitrâ, annulo*, atque *sandaliis*, testis S. Bernardus *Epist.* 42. ad Archiepiscopum Senonensem, sive tractatu *de Moribus & Offic. Episc. cap.* 9. ubi unà ostendit, sibi hunc *Pontificalium* usum in Abbatibus haud placuisse.

* Simulque asserit hoc privilegium à ditioribus Abbatibus, sive Monasteriis in Curia Romana fuisse impetratum ; quandoquidem ipse Bernardus apertè redarguat Abbates, qui similia privilegia non tantùm labore, sed & pretio sibi comparent. Postquam enim graviter reprehendisset Abbates, qui sub obtentu libertatis privilegia emancipationis, sive exemptionis à jurisdictione Episcoporum in Curia Romana, non sine multo labore, sed *pretio* impetrabant, tandem verum genuinum in hisce impetrandis Monachorum scopus esse ambitionem & superbiam sat exinde lucere scribit : „ Multo (ait) labore, & „ pretio Apostolicis adeptis privilegiis per ipsa vindicant insig„ nia Pontificalia, utentes & ipsi more Pontificum *mitrâ, an„ nulo*, atque *sandalis.*

„ Sanè si attenditur (pergit Bernardus) rerum dignitas, hanc „ Monachi abhorret professio, si ministerium, solis liquet con„ gruere Pontificibus ; profectò esse desiderant, quod videri „ gestiunt, meritoque nequeunt esse subjecti, quibus jam ipso „ se comparant desiderio. Quid si & nomen eis conferre pri„ vilegiorum posset auctoritas, quanto putas auro redimerent, „ ut appellarentur *Pontifices*. Quò istâ, ò Monachi ! ubi ti„ mor mentis, ubi rubor frontis ? quis unquam probatorum „ Monachorum tale aliquid aut verbo docuit, aut reliquit exem„ plo. " Hæc Bernardus de Abbatibus sui temporis.

Illud habetur ex verbis sancti Bernardi, quòd suo tempore Abbates non tantùm multo labore, sed & pretio usum insignium Pontificalium, obtinerent ; quod & de sui temporis Abbatibus testatur Thomas Cantipratanus *lib.* 1. *de Apibus, cap.* 6. ubi de infulis loquens ait : „ Secundum statuta Ecclesiæ ferè, so„ lis Episcopis uti licet : abusivè tamen quidam Abbates de no„ vo in *magna pecuniæ mole* his utuntur."

III. Quid de illis senserint sub initium seculi XIII. Ordinis Præmonstratensis primi Abbates, intelligi potest ex Innocentio III. *lib.* 1. *epist.* 197. Abbati Præmostratensi, & ejusdem Ordinis Abbatibus inscriptâ : & quid ipsi Abbates congregationis Bursfeldensis, cognosci potest ex *cap.* 28. suarum Constitutionum, cujus verba refert post Choppinum *lib.* 1. *Monast. tit.* 2. *n.* 18. Ascanius Tamburinus *tomo* 1. *de Jure Abbatum, Disp.* 20. *quæst.* 1.

* Ex his autem litteris habemus Innocentium III. usum hunc Pontificalium in Abbatibus existimâsse contrarium humilitati religiosæ, & incentivum esse superbiæ, & ambitionis, ideo & statutum, quo is usus inhibetur, in favorem esse Religionis, utpote ad substrahendam dissolutionis materiam conveniens, ac propterea meritò Apostolico communiendum præsidio. Verba ejus sunt : „ Quæ in favorem Religionis ad sub„ tradendam dissolutionis materiam sunt providè instituta, fir„ ma debent, & illibata servari, & ne infringi valeant, Apos„ tolico præsidio communiri. Significâsti siquidem nobis, quòd „ communi consilio Abbatum vestri Ordinis statueritis, quòd „ nullus Abbatum vestrorum mitrâ vel chirothecis utantur ; ne „ forsan ex ipsis supercilium elationis assumat, aut sibi videa„ tur sublimis, cùm his uti se viderit, quæ Pontificibus, & „ majoribus Ecclesiarum Prælatis à Sede Apostolica sunt con„ cessa. Nos igitur institutionem ipsam, sicut à vobis providè „ facta est & recepta, auctoritate Apostolicâ confirmamus, & „ præ-

„ præsentis scripti paginâ communimus, statuentes, ut si qua „ forsan Ecclesia laxioris Ordinis vestram voluerit regulam pro„ fiteri, hujusmodi Pontificalibus, etiamsi ea priùs habuerit, „ ulteriùs non utatur, imò potius humilitatem servet, & in ea „ statuta vestri Ordinis imitetur.“

Similiter Abbates Congregationis Bursfeldensis non absimilem de hoc usu Pontificalium ideam habuisse verba Constitutionis probant: „ Nemo (inquiunt) ex Abbatibus nostris etiam „ Apostolico suffultus privilegio, mitrâ, & cæteris hujusmo„ di insigniis, & apparatibus Pontificalibus uti præsumat: hæc „ enim licèt interdum simplici animo rationabiliter fieri possint, „ tamen à lippientibus & ad judicandum pronis curiosæ vani„ tati magis, quàm religiosæ simplicitati deputari solent.“

Insuper ex supra relatis verbis Innocentii III. constat, usum Pontificalium in Ordine Præmonstratensi tunc temporis assumptum fuisse in quibusdam Monasteriis relaxatæ disciplinæ; rejectum verò fuisse in Monasteriis reformatis: ut proinde mirum non sit, quòd labentibus seculis relaxata in plerisque Monasteriis regulari prorsus disciplinâ, usus Pontificalium assumptus fuerit & toleratus.

Et sanè legimus jam pridem nonnullos Abbates hunc Pontificalium usum modestiæ causâ & ad suorum reprimendam superbiam, etiam ultrò oblatum vel indultum, recusâsse.

Refert Mabillonius in præfatione ad partem primam seculi VI. Benedictinorum, Leonem IX. Sandaliorum usum obtulisse Gervino Abbati Certulensi; *sed ille* (ait) *ut insigniter modestus erat, hæc ornamenta recusavit.*

Refert & post Baronium Christianus Lupus, Urbanum II. sub finem seculi XI. Beneventano Petro Abbati Monasterii Cavensis concessisse usum mitræ: *At ille uti noluit ad reprimendam superbiam aliorum Abbatum.*

IV. Constat autem Pontificalium usum successu temporis, ac præcipuè seculo XV. & sequenti omnium penè Congregationum Abbatibus sensim fuisse indultum; ut relatis singularum Congregationum specialibus privilegiis ostendit Ascanius Tamburinus loco suprà citato.

Adhæc certum est (uti etiam notat Tamburinus ibidem *disp.* 21. *quæst.* 1.) Pontificalium insignium exercitium, & usum Abbatibus ex jure privilegiario competere, non autem ratione dignitatis. Unde nullus Abbatum uti potest Pontificalibus insignibus, nisi jus privilegiarium ostendat; quod sat evidenter expressit Pontifex in *Cap.* UT APOSTOLICÆ *de Privilegiis, in* VI. in verbis: „ Ut Apostolicæ Sedis benignitas, quæ nonnullis Ab„ batibus, aliisque Prælatis, quibus non competit ex propriâ „ dignitate, concessit in Ecclesiarum suarum gloriam, & ho„ norem, quòd mitrâ & aliis Pontificalibus uti possint, provi„ deat, ne inde &c.“

Ad quæ verba reflectens Tamburinus post Panormitanum, aliosque Canonistas, ait: „ Ex quibus planè expressè probatur, „ Abbatibus non ratione *dignitatis*, Pontificalium insignium „ usum, & exercitium, sed jure *privilegiario* competere.

V. „ Unde provenit, ait idem Tamburinus, ut non omnes „ Abbates eadem habeant insignia: sed alii plura, alii verò pau„ ciora juxta *tenorem* privilegiorum, & prout à Sede Aposto„ lica eis indultum fuerit: ideo si unumquodque privilegium „ percurramus, quo Pontificalia hæc Monachorum Religionibus „ concessa sunt, inveniemus aliquibus solius Baculi usum, aliis „ verò majora concessa fuisse, quæ omnia ex privilegiis colligi „ possunt.“

VI. Inter Pontificalia hîc enumerat Tamburinus *Baculi* usum, aitque hujus solius usum aliquibus Abbatibus privilegio Sedis Apostolicæ concessum.

Verùm Benedictus Haëftenus *lib.* 3. *Disquisitionum Monast. tract.* 5. *disp.* 5. postquam ostendit, jam pridem variis nominibus appellatum fuisse *Insigne*, quod hodie *Baculum*, aut frequentiùs *Pedum* dicimus, tandem quærit: „ An ex veteri Mona„ chorum consuetudine Abbatibus relictus, an ex similitudine, „ & participatione quadam Episcopalis solicitudinis, auctorita„ tisque eis sit communicatus.“

Quidquid sit de hac quæstione, hoc sat constat, Baculum Pastoralem Abbatibus competiisse, antequam alia Pontificalia insignia, ut sunt *mitra*, *annulus*, *sandalia*, & similia, ipsis fuerit communicata.

Unde S. Bernardus aliique ejus temporis Scriptores, dum loquuntur de insignibus Pontificalibus, quæ Abbates à Sede Apostolica solicitabant, quæque sibi in Abbatibus haud placere ostendebant, nequaquam Baculum enumerant; quem quasi jure *Pastorali* Abbatibus competere supponebant.

Hinc quoque videmus, Abbatibus, imò & Abbatissis, nullam aliorum Pontificalium communicationem habentium, Baculum Pastoralem competere.

Admodum proinde verisimile est, hoc ornamentum primitùs fuisse *simplex Abbatiale*, sive Pastorale ornamentum; ac successu temporis Pontificalibus fuisse annumeratum.

VII. Hoc addendum: Abbatiali Baculo appendi jam pridem solitum fuisse *sudarium*; ad differentiam (ait Gavantus in Rubricis Missalis *part.* 1. *tit.* 9.) Baculi Episcopalis. Quod etiam in Actis Ecclesiæ Mediolanensis exprimitur; ibi enim inter varias de supellectile Ecclesiastica instructiones legitur hæc, tit. *de Baculo Pastorali.* „ Orario aut sudario non ornatur, si Epis„ copalis est: quo *Insigni Abbatialis* ab illo distinguitur.“ *Pag.* 523. *Edit. anni* 1683.

Notat quoque Haeftenus, hoc sudarium, seu velamen appendi solitum in signum *subjectionis*; quemadmodum mulieri datur velamen supra caput, *subjectionis* indicium sub viro: quare Abbatissæ etiam hodie Baculo hujusmodi velamen appensum habent; at Abbates exempti, uti observat Haeftenus, hoc sudarium prætermittunt. Additque: „ Significat porrò hoc *suda„ rium*, multò labore, & sudore Dominicum gregem pasci.“

VIII. Sed nec ornamentis Pontificalibus contenti, ut etiam adinstar Pontificum *solemnem* populo benedictionem impendere, & Ordines conferre, aliaque Pontificalia, sive Episcopalia exercere possent, solicitârunt.

IX. Neque enim privilegio utendi ornamentis Pontificalibus primitùs annexa erat ipsa *solemnis* benedictio, uti ex S. Bernardo manifestum est. Ipse enim adversus infulatos Abbates declamans, ait: *Cur non & sacros Ordines celebratis*, & *datis* BENEDICTIONES *in populis*? Tanquam absonum planè supponens, quòd Abbates darent benedictiones in populis.

X. Inter Pontificalia, quæ Abbatibus competere solent, etiam hodie numeratur potestas conferendi Tonsuram clericalem, & minores Ordines; quamvis ipse usus Pontificalium ornamentorum secum non trahat hanc potestatem, ut notant Doctores ad *Cap.* ABBATES *de Privilegiis, in* VI. & declaravit Sacra Congregatio apud Fagnanum ad *Cap.* QUANTO ✠ *de Consuet. num.* 30.

XI. Hanc Potestatem Abbatibus jam pridem competiisse, compertum est ex *Can.* XIV. Synodi Nicenæ II. sive VII. in quo dicitur: „ Lectoris autem manuum impositionem licet in „ proprio Monasterio etiam *soli unicuique Præfecto* facere; si „ ad ejus præfecturam ab Episcopo manuum impositio fiat ipsi „ Præfecto, qui scilicet & ipse est Presbyter.“

XII. His verbis refertur hic Canon apud Balsamonem, & alios Græcos commentatores; è quo non obscurum est, eo tempore omnibus Monasteriorum Præfectis licuisse *Lectoratum* in suo Monasterio conferre, modò manuum impositionem ab Episcopo accepissent, id est, modò Presbyteri ab Episcopo essent ordinati. Neque enim de alia manuum impositione hîc agi, & contextus Canonis satis insinuat; & Balsamon, cæterique Græci Commentatores uno consensu supponunt.

XIII. Et reverà tempore hujus Synodi, id est, seculo VIII. nondum *solemnis* illa, quæ postmodum unà cum Ponitficalium usu invaluit, Abbatum benedictio fiebat, neque distinctio Abbates inter & Priores Conventuales, aliosve similes Monasteriorum Præfectos nota erat: uti suprà notatum est.

XIV. Gratianus hunc Canonem *dist.* 69. *Can.* 1. ita refert: „ Lectoris autem manus impositione licentia est Abbati solum„ modo in proprio Monasterio faciendi, si duntaxat eidem Ab„ bati manûs impositio facta noscatur ab Episcopo, *secundum „ morem præficiendorum Abbatum*, dum constet illum esse „ Presbyterum.“

Qua lectione non obscurè specialis Abbatum benedictio ab ipsa Presbyterali ordinatione distincta insinuatur. At omnibus notum est, quàm parum Gratiano in relatione Canonum fidendum; quàmque frequenter ab ipso originali Canonum textu recedat. Et quidem ad hunc Canonem monent Correctores Romani, hæc verba, *secundum morem præficiendorum Abbatum* non esse in Græco Canone.

XV. Innocentius III. secutus Gratianum, & neglecto textu originali ipsius Canonis, rescribens Archiepiscopo Rothomagensi, ipsum Canonem eisdem verbis, quibus apud Gratianum extabat, retulit, quod præscriptum relatum in Decretales Gregorii IX. in *Cap.* CUM CONTINGAT ✠ *de Ætate & qualit. præficiendorum*, partem Juris communis constituit.

XVI. Hinc uno consensu conclusêre Decretalium Interpretes, duo necessaria esse, ut jure communi Abbas sit fundatus in collatione Tonsuræ, & Minorum Ordinum; Ordinem scilicèt *Presbyteratûs*, ac insuper benedictionem *solemnem* Abbatialem.

Unde juxta modernam disciplinam, si quis non sit Abbas *solemniter* benedictus, Tousuram conferre nequit, nisi speciali, & expresso privilegio Sedis Apostolicæ sit munitus.

Quapropter cùm quæreretur à Sacra Congregatione Cardinalium, an Generalis Ordinis Sylvestrinorum facultatem haberet conferendi Tonsuram, & Minores Ordines, responsum fuit, teste Fagnano, de jure ipsi hanc facultatem non competere: „ Nam, ait Fagnanus, ex Juris communis dispositione ad hoc „ ut Abbas suos subditos Ordinibus Minoribus initiare valeat „ duo necessariò requiruntur, id est, ut sit *solemniter* benedic„ tus, & sit Presbyter, ut statutum est in *Can.* QUONIAM, „ 69. *dist.* & *Cap.* CUM CONTINGAT *de ætate & qualit. Præfi„ ciend.*“ Hæc illæ ad *Cap.* QUANTO ✠ *de Consuetud. n.* 20. & 21.

Hîc

XVII. Hîc obiter nota, quòd error Gratiani mutationi disciplinæ occasionem dederit; ut nimirum facultas dandi Tonsuram, & Lectoratum cuilibet Monasterii Præfecto, modò Presbyter esset, ex Decreto Synodi VII. competens, ad solos Abbates *solemniter* benedictos restricta sit: quod & in nonnullis aliis disciplinæ punctis contigisse, in commentario ad Canones notatum fuit; ac notanter ad *Can. VI.* Chalcedonensem.

XVIII. Hæc autem facultas juxta dictum Canonem Synodi VII. limitata erat ad Monasterium cujuslibet Abbatis; sive quòd cuilibet Abbati in proprio Monasterio tantummodo liceret ea facultate uti.

XIX. At Abbates continuò magis ad Pontificalem auctoritatem, dignitatemque aspirantes, hac limitata facultate non contenti, ejus extensionem à Sede Apostolica sensim extorserunt; atque imprimis obtinuerunt, ut non tantùm in proprio Monasterio suis subditis Tonsuram conferre possent, sed omnibus in quos Ecclesiasticam & quasi Episcopalem Jurisdictionem obtinent: obtentis insuper sæpenumero privilegiis, omnibus indifferenter eam impartiendi, ut videre est in *Cap.* ABBATES, *de Privilegiis, in* VI.

XX. Cùm autem hæc extensio non parùm Episcopale regimen, & Hierarchicum ordinem turbaret, Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 10. *de Reform.* pristinam disciplinam renovans statuit: „ Abbatibus, ac aliis quibuscumque quantum„ vis *exemptis*, non liceat in posterum, intra fines alicujus Dioe„ cesis consistentibus, etiamsi *nullius* Diœcesis, vel exempti „ esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, „ Tonsuram, vel minores Ordines conferre: nec ipsi Abbates, „ & alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcunque, etiam „ Ecclesiarum Cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Cle„ ricis secularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant; sed ho„ rum omnium ordinatio, servatis omnibus, quæ in hujus sanc„ tæ Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum „ Diœcesis fines existant, pertineat: non obstantibus quibusvis „ privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam im„ memorabilibus."

XXI. Orta difficultate super intellectu hujus Decreti inter Episcopum Cathaniensem, & Monachos Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis, Sacra Congregatio auditis utrimque rationibus, inhærendo anterioribus ejusdem Congregationis resolutionibus, resolvit die 23. Nov. 1641. „ Abbates Regula„ res *Benedictos* ejusdem Congregationis Cassinensis, seu alte„ rius Congregationis, vel Ordinis, aut instituti, habentes „ etiam *jura Episcopalia*, seu quasi Episcopalia, usumque Mi„ træ, baculi, & benedicendi, ac facultatem primam Tonsu„ ram & Minores Ordines conferendi, non posse dictam pri„ mam Tonsuram, nec alios Ordines Minores, nisi suis sub„ ditis *Regularibus* conferre, non autem Regularibus alterius „ Congregationis, Ordinis, vel Instituti, etiamsi habeant lit„ teras dimissorias suorum Superiorum, & consensum Ordina„ riorum, intra quorum Diœcesum fines ipsi Regulares ordi„ nandi existant; & multò minùs personis secularibus, etiam „ habentibus litteras dimissorias à suis Ordinariis. Ac propterea „ inhibuit Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis inferio„ ribus, ut in futurum concedere non audeant supradictas lit„ teras dimissorias hujusmodi Abbatibus directas, nec ab istis „ recipi. Quod si secus fiat, tam concedentes, quàm ordi„ nantes à collatione Ordinum suspensi remaneant, præter alias „ pœnas arbitrio ejusdem Congregationis reservatas."

XXII. Hactenus Fagnanus ad *cap.* AQUA ✠ *de Consecrat. Ecclesiæ*, *num.* 19. referens idipsum rursus anno 1658. à Sacra Congregatione responsum. Atque ita per Synodum Tridentinam derogatum est citatum *cap. Abbates*, in quantum ibidem conceditur Abbatibus, tonsurare illos omnes etiam non *Regulares*, in quos jurisdictionem Ecclesiasticam & *quasi Episcopalem* obtinent; uti etiam advertit Fagnanus ad *cap.* CUM INTER VOS ✠ *de Sent. & re judicata*, *num.* 6.

XXIII. Abbates Ecclesiasticam & quasi Episcopalem jurisdictionem habentes, sunt illi, qui distinctum habent territorium, sive quasi separatam Diœcesim nulli Episcopo subjectam, neque in ullius Episcopi Diœcesi consistentem; in qua tanquam Ordinarii omnem Episcopalem jurisdictionem exercent; atque Ordinarii in illo Territorio reputantur; dicunturque Abbates *nullius Diœcesis*; quorum non semel in Synodo Tridentina mentio occurrit; & de quibus latè Fagnanus ad *cap.* CUM CONTINGAT ✠ *de Foro competenti*; ibidem *num.* 35. monens, quòd quotiescunque Abbates, vel alii inferiores Prælati habent territorium separatum, illud dicitur esse *nullius Diœcesis*; ita ut nec in Diœcesi, nec de Diœcesis alterius censeri possit, sed sit *proprium* territorium, respectu cujus etiam ipsi *Diœcesani* vocantur.

XXIV. Deinde *num.* 39. notat, simplicem, & ordinariam exemptionem non eximere à Diœcesi: ideoque esse incompatibilem cùm statu *nullius Diœcesis*, cùm constituti in hoc statu non agnoscant ullum Diœcesanum Episcopum in cujus Diœcesi consistant, & à cujus jurisdictione sint exempti; sed habeant ipsi *propriam* quasi Diœcesim, sive territorium extra omnem Episcopi Diœcesim, constitutum; in quo ipsi ordinariam jurisdictionem exercent, & quasi Ordinarii reputantur; adeò ut etiam de causis matrimonialibus & criminalibus cognoscere queant, non obstante Decreto Concilii Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 20 *de Reform.* uti latè probat Fagnanus ad *cap.* ACCEDENTIBUS ✠ *de Excessibus Prælat.*

XXV. Cùm verò Abbates passim suum Pontificalium ornamentorum, atque una ipsa munia Episcopalia obeundi auctoritatem, obtentu privilegiorum sibi arrogarent, ac eisdem cum vilipendio, & imminutione dignitatis & auctoritatis Episcopalis uterentur, Alexander IV. in *cap.* 3. *de Privilegiis in VI.* declaravit, quòd „ Abbates, quos Sedes Apostolica in „ exhibitione *benedictionis* super populum speciali privilegio „ insignivit, in Ecclesiis, quæ ad eos pertinent pleno jure, „ quando in eis divina officia celebrant, possint post Missa„ rum solemnia, & Vespertinas ac Matutinas Laudes Bene„ dictionem *solemnem* super populum elargiri. Alibi autem „ *publicè*, aut per vias, civitates, castra & villas, populis, „ & plebibus *benedictionem* facere, vel impartiri non va„ leant; nisi hoc eis expresso Apostolico privilegio sit concessum."

Hinc colligunt Canonistæ Abbates, quibus *simpliciter* privilegium impartiendi *solemnem* benedictionem datum est, quantumcunque etiam generaliter loquatur privilegium, illam non posse extra Ecclesias pleno jure sibi subjectas impartiri, nisi id in privilegio specialiter sit expressum.

XXVI. Idem à paritate, seu identitate rationis statuendum censent de quocunque usu Pontificalium, eò quòd usus Pontificalium non secus ac ipsa benedictio solemnis, jurisdictionem, seu auctoritatem quandam in utente demonstret. Unde sicut Episcopis non licet Pontificalibus extra propriam Diœcesim uti, quemadmodum supra *tit.* 16. *cap.* 2. ostensum fuit, ita nec Abbatibus extra Ecclesias pleno sibi jure subjectas, id est, in spiritualibus & temporalibus; uti exponit Glossa ad citatum *Capitulum* 3. ibidem quoque notans, hoc privilegium Abbatum „ non extendi extra Monasterium „ ipsius Abbatis, & loca sibi pleno jure subjecta; nam, ait, is„ tud privilegium tendit in diminutionem auctoritatis Episco„ palis; ideò debet strictè interpretari, ut minus lædat.

XXVII. Adhæc, jure communi privilegium *solemniter benedicendi* locum non habet præsente Episcopo; uti jam pridem notavit Joannes Andreas in additione ad Glossam in *cap.* 3. *de Privilegiis, in VI.* Rationem assignat Tamburinus de Jure Abbatum *tom.* 1. *disp.* 21. *quæst.* 9. quia minor non debet majorem benedicere: subditque: Juri etiam communi consona sunt quamplurima privilegia per Sedem Apostolicam Abbatibus concessa, ut possint sic Ecclesiis pleno jure sibi subjectis populum benedicere, & in his adita est clausula: *Dummodo in benedictionibus hujusmodi aliquis Antistes, vel Sedis Apostolicæ Legatus præsens non fuerit.* Vide quoque Choppinum *lib.* 2. *Monast. tit.* 2. *n.* 18. ibi referentem privilegium simile Pauli III. in favorem Vallischolarium, cum eadem clausula, addita tamen hac disjunctivâ: *Vel si præsens fuerit ejus ad id expressus accedat assensus.*

XXVIII. Ulteriùs cum Episcopi offenderentur, quòd in Synodis Abbates mitrati ab Episcopis in habitu non distinguerentur, Clemens IV. de consilio suorum Fratrum statuit *Cap.* 6. *de Privileg. in VI.* ut „ Abbates, & alii, quibus „ Mitræ usus est ab eadem sede (Apostolica) concessus, „ exempti quidem in Provincialibus Conciliis, & Episcopa„ libus Synodis (quibus nonnulli eorum interesse tenentur) mi„ tris tantummodo *aurifrisiatis* (non tamen aureas vel ar„ genteas laminas, aut gemmas habentibus) uti possint: Non „ exempti verò *simplicibus*, & *albis*, ac *planis* utantur. In „ aliis verò locis exemptis, & non exemptis mitris liceat il„ lis uti, prout concessa eis ab eadem Sede indulta permittunt."

XXIX. Ex hac Decretali aliisque statuunt Canonistæ, Abbatibus nulla ornamenta Pontificalia jure suæ dignitatis competere, sed tantùm ex speciali privilegio; atque ipsum privilegii tenorem esse inspiciendum, ut de usu ejus judicari queat; nihilque Abbatibus in hoc usu licere, nisi quod in ipso privilegii tenore expressè est comprehensum. *Inspiciendus est*, ait Glossa, *tenor privilegii & servandus.*

XXX. Ex hactenus dictis intelligi potest, Pontificalium usum ab Abbatibus, in quorum Monasteriis hactenus non est receptus, non esse ambiendum; & ubi receptus est, magna cum simplicitate & cautione esse assumendum.

CAPUT VII.

De Abbatibus Laicis, et Commendatariis; et horum origine et juribus.

1 *Ecclesiam* commendare, *est idem quod* custodiendam *dare.*
2 *Commendarum olim usus probatus quoad Ecclesias Pastore destitutas.*

3 *Commendæ illæ non erant in commodum Commendatarii, sed Ecclesiæ commendatæ.*
4 *Exempla hujusmodi Commendarum quoad Ecclesias Cathedrales & Parochiales apud veteres nota.*
5 *Idem primitùs contigit circa Monasteria.*
6 *Hæ Commendæ sensim in* perpetuas *& in commodum Commendatarii commutatæ sunt.*
7 *Monasteria cœperunt etiam Laicis tradi: & Laici* Abbates *constitui.*
8 *Etiam Belgii nostri Abbatiæ Laicis sic datæ fuerunt.*
9 *Nobiles hæc Monasteria obtinentes, se* Abbates *dicebant, atque hinc* Abbi-Comites.
10 *Hi Abbates constituebant* Decanos, *qui curam spiritualem Monasteriorum haberent.*
11 *Episcopi Imperatoribus exponunt, quanto cum animarum suarum periculo Monasteria Laicis concedant.*
12 *Postulant Viros Religiosos Monasteriis præfici, & ne ob paucorum nequitiam loca sacra Laicis committantur.*
13 *Discrimen salutis eorum, qui res Ecclesiæ inutiliter dissipant.*
14 *Quomodo ob necessitatem temporis permittantur Canonicorum, & Sanctimonialium Monasteria Laicis committi.*
15 *Consectaria ex hactenus dictis.*
16 *Qua ratione se Reges tuerentur contra Episcopos.*
17 *Adhuc seculo X. erant* Abbates *seculares, & qualis esset Monasteriorum sub illis* Abbatibus *status.*
18 *Abbatiæ à Patre in filium quasi hæreditario jure transibant.*
19 *Abusus hic duravit usque ad regnum Hugonis Capeti.*
20 *Episcopi cœperunt, præsertim seculo XI. & XII. Monasteria in* Commendam *retinere subventionis gratia.*
21 *Prætextu reformationis cœperunt Episcopi & Cardinales Monasteria habere in* Commendam.
22 *Apparuit reformandi studium merum fuisse prætextum insumendi proventus Monasteriorum in proprios usos.*
23 *Monasteria, & Ecclesiæ Cathedrales à Pontificibus dabantur Clericis secularibus* in perpetuas Commendas.
24 *Quibus motivis ad eas concedendas Pontifices interdum inducerentur.*
25 *Quæ mala ex hujusmodi Commendis orta sint.*
26 *Clemens V. omnes hujusmodi Commendas improvabit.*
27 *Constitutionem Clementis V. non habuisse effectum suum constat ex libello Durandi Concilio Viennensi oblato.*
28 *Usus Commendarum incrementum accepit durante schismate inter Pontifices seculo XIV.*
29 *Seculo XV. Commendarum usus sub quibusdam conditionibus, & intuitu quarundam personarum probari videbatur.*
30 *Refertur quid in hac re à Leone X. in Concilio Lateranensi decretum sit.*
31 *Qualiter ex præscripto Leonis X. Commendatarii proventus Monasteriorum percipere valeant.*
32 *Post hoc Leonis X. decretum Commendarum usus per Italiam passim invaluit.*
33 *In Gallia per Concordata inter Franciscum I. & Leonem X. Commendæ Monasteriorum videbantur subblatæ.*
34 *Qua ratione post Concordatum, in Gallia usus Commendarum manserit.*
35 *Usus Commendarum in Gallia etiam hodie perseverat.*
36 *Ob auctoritatem Concilii Tridentini à Commendiis liberæ manent* Abbatiæ, *quæ sunt* Ordinum Capita.
37 *Commendæ hodiernæ dantur in utilitatem Commendatarii, antiquæ verò in utilitatem Ecclesiæ.*
38 *Pristiniæ Commendæ erant* ad tempus, *hodiernæ* perpetuæ.
39 *Pristini Commendatarii non poterant de proventibus Ecclesiæ commendatæ disponere, secùs hodierni.*
40 *Hodierni Commendatarii censentur veri* Titulares.
41 *Solus Papa Beneficium Regulare Clerico seculari in Commendam dare potest.*
42 *Commendæ hodiernæ cum aliis Beneficiis permutari possunt, & per mortem Commendatarii Beneficium vacat.*
43 *Commendatarius factus Religiosus non potest sine nova collatione Beneficium retinere.*
44 *Alibi Commendatarii etiam jurisdictionem in Monachos quoad disciplinam regularem exercent.*
45 *In Gallia eam non habent Comendatarii, nisi sint Cardinales.*
46 *Nonnulli Ordines speciali privilegio obtinuerunt, quòd Commendatarii jurisdictionem exercere nequeant; nec Officiales Claustrales destituere.*
47 *Quæ cautio in provisione Commendarum adhibeatur, ut Monachis, & Monasterio de necessariis provideatur.*
48 *Quæ cautio adhibita à Leone X. quæ non observatur.*
49 *Ut magis cautum esset Monasteriis Commendatis, ordinata est separatio mensæ* Abbatialis *à Conventuali.*
50 *Quem locum inter* Abbates *titulares, & alios dignitatem habentes habere debeant Commendatarii.*
51 *Commendatarii tenentur, aliquatenus ad normam vitæ Regularis suam instituere.*
52 *Breve Sixti IV. ad ducem Brabantiæ, quo eum à datione Commendarum dehortatur.*
53 *Abbates Belgii se Commendis opposuerunt: & Principes nostri promittunt, quòd Commendas non permittent.*
54 *Quæ media maximè efficacia ad Commendas excludendas.*

I. COmmendæ à verbo *commendare* originem suam ducunt. Commendare verò propriè significat *deponere*, sive custodiæ alicujus committere. Unde Ecclesiam alicui commendare, est Ecclesiam alicui custodiendam commitere. Quapropter Ecclesiam habere in *commendam*, idem sonat, quòd habere Ecclesiam, suæ custodiæ commissam sive depositam.

II. Hoc sensu antiquissimus est, ac probatissimus in Ecclesia Commendarum usus. Cùm enim interdum contingeret, ut Ecclesiæ vacanti non statim de Pastore, aut Rectore providere posset, ne interea ob defectum Rectoris Ecclesia detrimentum pateretur, cura illius alicui Episcopo aut Clerico committebatur, qui ad tempus illi intenderet.

III. Hinc non in suam, sed in Ecclesiæ utilitatem Ecclesiam commendatam accipiebat, seu ut curam ejus ageret, atque quantum in se esset electionem novi Pastoris promoveret; neque ut fructus, & emolumenta Ecclesiæ in suum usum acciperet, at ea tanquam fidelis administrator, seu Commendatarius, aut depositarius Pastori futuro servaret, unicè intentus, ne vacatione durante Ecclesia detrimentum pateretur, ipsique populo spiritualia non deessent.

IV. Similium Commendarum plura in Epistolis S. Gregorii exempla occurrunt; atque de hisce intelligendum quod sub nomine Leonis IV. refertur apud Gratianum: „ Qui plures „ Ecclesias retinet, unam quidem *titulatam*, alteram verò sub „ *commendatione* retinere debet. " *Can.* 3. *caus.* 21. *quæst.* 1.

V. Quod circa Ecclesias Cathedrales, & Parochiales primitûs contingit, id quoque nonnunquam circa Monasteria evenit; ut nimirum cura eorum ad tempus alicui commendaretur, qui illis non in suam, sed duntaxat Monasteriorum utilitatem, ad tempus intenderet, atque commendata haberet.

VI. Verùm sicuti lapsu temporis Commendæ Ecclesiarum Cathedralium, & Parochialium sensim in *perpetuas* commutatæ sunt; idque non tam in Ecclesiarum utilitatem, quàm Commendatariorum emolumenta; atque Clericis pro pallio tegendi pluralitatem Beneficiorum subservierunt, (uti infra *part.* 2. *tit. de pluralitate Beneficiorum*, ostendetur) ita circa Monasteriorum Commendas contingit, ut scilicet injuriâ temporis in *perpetuas* transiverint: atque Laicis, & Clericis occasionem dederit, proventus Monasteriorum titulo *Commendarum* sibi appropriandi; atque *Abbatum* nomen usurpandi.

VII. Circa seculum VIII. & IX. proventus non tantùm Abbatiarum, sed ipsas Abbatias à Regibus, & Imperatoribus datas fuisse laicis; ut etiam nomen *Abbatum* sibi arrogarent, ex historiis, & Conciliis illorum temporum est manifestum.

Legi possunt Epistolæ Lupi Ferrariensis, signanter 11. 24. & 42. in quibus deplorat Monasteriorum proventus à Fundatoribus in Monachorum & pauperum usus, ac eleëmosynas destinatos, à laicis possideri ex largitione Regum. Testatur Amoinus *Lib.* 5. *de gestis Francorum*, *cap.* 24. Carolum Calvum filio suo Carolomanno plurimas dedisse Abbatias; quem propterea vocat Amoinus *plurimorum monasteriorum Abbatem*; quin & de eodem testatur, quòd, ut quosdam sibi concilaret, iis Abbatiolas, sicut erant, integras dederit; quibusdam de Abbatisa Marciana, quam diviserat, *beneficiola* dederit; refertque ibidem ab eodem Rege Carolo datam fuisse Abbatiam S. Mauritii Comiti Bosoni. Et *cap.* 36. de Ludovico Caroli filio, & hærede hæc refert: „ Ludovicus autem accepto nun„ tio in Andriaca villa de morte patris sui Caroli, quos po„ tuit conciliavit sibi, dans eis Abbatias, & Comitatus, ac „ villas, secundum uniuscujusque postulationem."

VIII. De Isaaco Comite Cameracensi scribit in suo Chronico Baldericus *lib.* 1. *cap.* 70. „ Comes *Abbatiunculam* beati „ Humberti possidebat, ipsamque regiam, ac locupletem Ab„ batiam sanctissimi Gaugerici cum omnibus appendiciis sibi „ *beneficiatam* de regio jure tenebat."

In diplomate Caroli Calvi, quo confirmat donationem prædiorum factam Monasterio S. Bavonis in civitate Gandensi, apud Miræum in codice piarum donationum *cap.* 18. hæc habentur. „ Charissimus fidelis noster Adelmus Comes, qui & „ largitu nostro *Rector* Monasterii S. Petri & sancti Bavonis, „ quod vocatur GAND. super fluvium SCHALD. siti, &c."

IX. Hi autem Comites ex beneficentia Regum Abbatias obtinentes, etiam se Monasteriorum *Abbates* nuncupabant; atque in antiquis monumentis passim dicitur, *Abba-Comites*, vel *Abbi-Comites*; uti videre est apud D. Du Cange in Glossario, verbo, *Abbi-Comites*.

Hi

X. Hi vero Abbates nihil nisi temporalia Abbatiarum desiderantes, & ambientes, statuebant Decanos (quos hodie *Priores* dicimus) qui curam Monachorum haberent, ut est apud Continuatorem Amoini *cap.* 42.

XI. Quanta ex hac Laicorum Abbatum usurpatione Monasteriis, tum in temporalibus tum spiritualibus ruina inferretur, abundè testantur & probant seculorum illorum historiæ, necnon summorum Pontificum atque Episcoporum adversus illas usurpationes querelæ.

Illustre illius ruinæ testimonium reddunt Episcopi anno 844. in Synodo apud Theodonis villam congregati, cui Drogo Metensis Episcopus præsedit. Hi Apostolico zelo succensi, Lothario, Ludovico & Carolo Calvo Imperatoribus intrepidè exponunt, se dolere, „ sacrum monasticum Ordinem à Deo ins„ piratum, & ab ipsis Apostolis fundatum, seu à nominatis„ simis, ac sanctissimis Patribus excultum; atque à vestris, „ ajunt, piæ memoriæ prædecessoribus propagatum, & quæ„ dam etiam loca specialiùs venerabilia, contra omnem auctorita„ tem ac rationem, ac patrum vestrorum, seu Regum præ„ cedentium consuetudinem, *Laicorum* curæ, & potestati, in „ maximo vestro periculo, & illorum perditione, & Dei ac „ Sanctorum non modica ad irascendum provocatione vos com„ mississe dolemus."

XII. Deinde obsecrant, ut tam magnam offensam & justam reprehensionem, atque periculosam sine exemplo præcedentium præsumptionem ab animabus suis, & felicitate sui regni pellant; postulantes, „ ut viris ex Clericali, & Eccle„ siastico vel Monastico Ordine Religiosis, seu & in suo se„ xu fœminis Deo dicatis, atque devotis, & in Schola Chris„ ti devotis loca venerabilia, atque Ordinem sacrum ad cus„ todiendum, & providendum committant, qui & quæ Dei „ sunt Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari reddant: Qui, in„ quiunt, si minùs perfectè, & in divina religione, & in rei„ publicæ utilitate profecerint, aut corripiantur, aut meliores „ & utiliores in locis eorum substituantur; & non propter *pra„ vorum nequitiam* Ordo Religionis & loca sacratissima eis, qui„ bus licitum non est, committantur."

XIII. Tum vivaciter Principibus ob oculos ponunt discrimen salutis, quod ipsis ex illa horribili rerum Ecclesiasticarum dissipatione, ac profanatione imminet; asseruntque quòd *peccata populi comedat*, „ qui contra auctoritatem divinam res „ Ecclesiasticas indebitè pervadunt, & nec intercessionis ope, „ nec prædicationis consilio, vel quocunque divino auxilio, „ pro peccatis eorum, qui eas dederant, laborant, nec pio „ operi ad quod fides fidelium eas tradiderat, inservire per„ mittunt."

XIV. Considerantes verò eas esse temporum, ac rerum conditiones, ut nec Principum auctoritate omnia ad rectum, ac integrum Ordinem reduci possent, dicunt, quædam dissimulanda, quædam etiam gemenda & usque ad tempus perferenda, „ & ideò, ajunt *cap.* 5. de Canonicorum Monasteriis „ & Sanctimonialium, quæ sub eadem forma vivere dicuntur, „ consideravimus, sicut Apostolus Paulus dicit, *secundum in„ dulgentiam*, non secundum imperium, ut si propter immi„ nentem Reipublicæ necessitatem Laicis interim committun„ tur; Episcopi providentia, in cujus Parochia consistunt, ad „ juncto sibi aliquo Abbate viro religioso, studeatur qualiter „ restauratio locorum, & studium, ac custodia officii, & re„ ligionis, atque subsidium temporalis necessitatis in eisdem „ locis degentibus, juxta qualitatem, & quantitatem mode„ rationis, adhibeatur, & ministretur. Et qui eadem loca te„ nuerint, eis inde, sicut de aliis Christianæ Religionis nego„ tiis, pro Christi, & vestra reverentia obediatur."

XV. Ex his intelligimus, seculo IX. non solùm virorum, sed & mulierum Monasteria à Laicis fuisse occupata.

Secundò, quòd Episcopi non probaverint, Laicis bona Monasteriorum dari, eo prætextu seu motivo, quòd præfecti seu Prælati rebus Monasterii abutantur; aut minus religiosè conversentur. Nec enim ob *paucorum pravitatem debent eis, Ordo Religionis, aut loca sacratissima, quibus licitum non est, committi.*

Tertiò habemus, quòd ex illo abusu ædificia Monasteriorum jacerent destructa; studium, ac custodia Officii Divini, & Religionis periisset, & temporalia subsidia Monachorum defecissent.

XVI. Sub idem tempus frequentes fuêre coactæ Episcoporum Synodi, quæ omnes in hanc Laicorum sacrilegam usurpationem accerrimè insurrexerunt; nec tamen remedium integrum adfere potuerunt; cùm Principes dicerent, res Ecclesiasticas sublatas ex integro se restituere non posse, *ne suæ Reipublicæ militiam defraudare viderentur*, ut est in Epistola Nicolai I. ad Odonem Episcopum Beluacensem, in qua hæc præterea habentur: „ Non est leve ante oculos Summi judi„ cis discrimen religiosis locis, & Monasteriis Deo dicatis se„ cularem præficere potestatem, & ei contradere Pastoralis „ curæ solicitudinem, qui quid sit Pastor ignorat, nec quærit „ lucrum animarum, sed pecuniæ censum; nec ut in divinis „ cultibus servitium impendatur, sed ut suis usibus ad domina„ tionis votum deserviatur."

XVII. Neque seculo X. Abbates hosce seculares desiisse palam facit Concilium Trosseianum (a) habitum ab Archiepiscopo Rhemensi ejusque Suffraganeis, inter quos erat quoque Episcopus Cameracensis, qui & eidem Concilio subscripsit."

Itaque *Canone III.* vivis coloribus miserum, ac planè deflendum Monasteriorum statum describens hæc Synodus, eum potissimum Abbatibus secularibus attribuit: „ Respectum siqui„ dem timoris Dei habentibus, ait, auditu lugubre, dictu ne„ fas, actu dignoscitur horribile, quando contra omnem para„ tum, & totius Christianæ Religionis auctoritatem, & con„ suetudinem, in Monasteriis regularibus Laici in medio Sa„ cerdotum & cæterorum Religiosorum, ut Domini ac Ma„ gistri residentes, velut Abbates de illorum vita, & con„ versatione, ac Regula sibi penitus ignota, perverso ordine „ dijudicant. Quæ pro certo abominatio illa est, quàm Do„ minus in Evangelio præsignat, dicens: *Cum videritis abomi„ nationem desolationis stantem in loco ubi non debet, qui legit, „ intelligat.*"

Deinde adjungunt: „ Censemus igitur, ut status Monaste„ riorum inviolatus juxta antiquam Regulæ traditionem & Ca„ nonum constituta, servetur: & ut Abbates sint *Religiosæ* „ personæ, & regularem noverint disciplinam."

XVIII. At nec Conciliorum statuta, nec Episcoporum exhortationes, & comminationes Monasteria è manibus Comitum & Laicorum liberare potuerunt: „ nam Robertus Comes Pari„ siensis seculo X. cupiditate magis ductus (ait Amoinus *lib.* 5. „ *cap.* 41.) quàm de cura animarum solicitus, Abbatiam S. Ger„ mani accepit, seque *Abbatem* vocitari fecit." Roberto mortuo, Hugo ejus filius *Abbatis* nomen sumpsit, ait Amoinus ibidem *cap.* 42. enumerans quoque Decanos, quî sub Hugone Abbate curam Monachorum gesserunt.

Transivit dicta Abbatia quasi jure hæreditario, & successionis usque ad Hugonem Capetum, qui uti refertur, speciali Spiritus S. instinctu eidem Abbatiæ renuntiavit in favorem Gualonis, qui eandem sanctissimè rexisse fertur.

XIX. Quin de hoc Hugone Capeto legitur: „ Pietate Reg„ num stabilivit, Ecclesiis, Monasteriisque jus electionis, & „ redditus à Carlovingiæ familiæ postremis Regibus usurpatos, „ publicarum necessitatum specie, restituit, & quantum in „ novi Principatûs exordiis fieri poterat, à Proceribus restitui „ curavit (b). Quam ob rem *Ecclesiæ sanctæ amator* appella„ tus fuit:" ut docet fragmentum historiæ Aquitanicæ apud Duchesnium, *tom.* 4. *pag.* 80.

Quidquid sit post hujus Hugonis imperium non legitur à Laicis Monasteria ulteriùs occupata fuisse, neque laicis à Principibus Abbatias fuisse concessas; atque ita ab eo tempora abusus cessâsse videtur.

XX. Verùm Episcopi subinde vel propria auctoritate, vel auctoritate Romani Pontificis sibi Abbatias titulo *Commendæ* vel administrationis adhuc retinebant: quod circa seculum XII. & XIII. frequentiùs contigit. Cùm enim sub id tempus Terra Sancta ab infidelibus occuparetur, multi Episcopi suis Ecclesiis deturbati fuêre, qui consequenter tunc erant quasi Episcopi *titulares* in *partibus*; quibus propterea in sustentationem Pontifices alios Episcopatus vel Monasteria in *Commendam* perpetuam concedebant.

XXI. Posthæc, cùm disciplina monastica in multis tum Monachorum, tum Canonicorum Monasteriis multùm esset collapsa; vita communis penè ubique desisset; bona Monasteriorum dilapidarentur; Abbates Regulares viverent, non ut Monachi aut Canonici paupertatem professi, sed ut Comites aut Barones; suosque consanguineos & familiares ex bonis Monasterii ditare studerent; jamque bona Monasterii, & bona Abbatiæ essent in pluribus Monasteriis divisa, hisque uterentur Abbates tanquam pleni Domini: hinc occasionem arripuêre Cardinales, aliique Prælati auctoritate apud Pontifices & Reges pollentes, postulandi ea Monasteria sibi *in commedam* dari, prætextu ea reformandi, & restaurandi; atque ita Monasteria è Laicorum manibus erepta, in Cardinalium, Prælatorum, ac Clericorum manus devenerunt prætextu commendæ, seu administrationis, speciosiori, ut apparebat, titulo; sed haud feliciori fortunâ.

XXII. Mox quippe apparuit, reformandi atque restauran-
di

(a) *Trosseium, ut observat Jacobus Sirmondus, Vici nomen est, paucis millibus distans ab Augusta Suessorum; ubi alia seculo decimo habita sunt Concilia, quæ Flodoardus in Chronico commemorat.*

(b) *Eodem zelo promoti Reges nostri prohibuerunt ne ulteriùs seculares Abbatias seu Commendas, Rege tantùm excepto, possidere; uti videre est in* leg. 6. & 7. tit. 6. lib. 1. Recop.

di studium, non fuisse nisi merum prætextum deglutiendi Monasteriorum proventus. Monasteria enim sic *commendata* non restaurabantur, aut reformabantur. sed magis continuò collabebantur, & deformabantur. Hoc enim unicum agebant Abbates illi Commendatarii; ut ampliores proventus haberent, quo fiebat, ut parum aut nihil Monachis intertinendis, Divino officio celebrando, hospitalitati exercendæ, pauperibus sublevandis, fabricæ Monasterii sustinendæ aut reparandæ, relinquerent.

XXIII. Quàm frequens esset sub initium seculi XIV. *Commendarum* usus, declarat Clemens V. in Constitutione edita anno Pontificatus sui II. id est, anno 1305.

In hac Constitutione in primis fatetur Pontifex, se in primordio sui Pontificatus, nonnullis Clericis & personis Ecclesiasticis, Religiosis, & Secularibus, diversorum Ordinum Monasteria destituta suis Pastoribus, sub commendæ, vel custodiæ, seu curæ, vel guardiæ, aut administrationis titulo nomineve duxisse perpetuò, ad vitam seu ad certi temporis spatium committenda.

XXIV. Deinde subjungit, quæ ipsum ad concedendas has Commendas impulerint: „Ex antiqua notitia Regum, Prælatorum, Magnatum & aliarum nobilium personarum Ecclesiasticarum & secularium memores; ac ipsorum aliquibus, inquit, tum quia in terris morantes eorum gradum hujusmodi promotionis habuimus, tum quia solitæ ad eos amicitiæ affectibus ducebamur, aliquibus verò ex assueta Romanorum Pontificum liberalitate, quam in suis exercere soliti sunt novitatibus, volentes honoris, & liberalitatis affluentiâ complacere; ad eorum importunas tamen & multiplicatas precum instantias, &c.

Refertur hæc Constitutio in *Extravag. 2. de Præbend. in Commun.* Ex qua hoc primùm discimus, Pontifices agnoscere, se homines esse, & in suis actionibus interdum etiam humanis affectibus subjacere; neque velle, suas particulares actiones esse normam aliis agendi.

XXV. Deinde in eadem Constitutione narrat, quòd mala ex hujusmodi *Commendis* provenientia haud satis perspexerit, quousque ipsum infirmitate satis periculosâ visitavit Omnipotens; tum enim à negotiorum utcunque discusione semoti, ait, „ad hoc sub diligenti examine direximus aciem nostræ mentis, demumque prospeximus evidenter, quòd Ecclesiarum, & Monasteriorum eorundem cura negligitur, bona, & jura dissipantur ipsorum, ac subjectis eis personis, & populis spiritualiter plurimum, & temporaliter derogatur, eisque redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum.

XXVI. „Post hæc, malis hisce remedium adferre cupiens, omnes, & singulas promissiones hujusmodi per nos, ut præmittitur, factas, ait, quibuscunque cujuscunque Ordinis, dignitatis, aut statûs, sed etiam S. E. R. Cardinalibus quocunque modo vel tempore factæ noscantur, auctoritate Apostolica ex nunc ex certa scientia revocamus, cassamus, & annullamus, & decernimus de cætero non habere aliquam roboris firmitatem."

XXVII. Hanc ordinationem non habuisse optatam executionem, sat manifestum est ex libello reformationis à Durando, vulgò *Speculatore*, Episcopo Mimatensi, Concilio Viennensi quatuor annis post dictam ordinationem exhibito, in quo *part. 2. tit. 21.* deplorat, quòd Cardinales „Ecclesias etiam Cathedrales, & ultramarinas sub diversis coloribus faciant commendari. Ex hac peste etiam noviter, inquit, introductum est contra jura, quòd Prioratus Conventuales, & alia Beneficia ecclesiastica consueta regi per Monachos, & alios Regulares, Domini Cardinales, ac si Beneficia secularia nequaquam sufficiant, sibi & suis faciunt assignari, quamquam non efficiantur Monachi, &c. Ex quibus in dictis Prioratibus, & Beneficiis Regularium periit in totum regularis observantiæ disciplina; cùm non sit inter eos, qui corrigat, non sit qui doceat, &c. Fraudatur hospitalitas in dictis Prioratibus, & Beneficiis consueta, & jura ac bonæ Prioratuum hujusmodi dissipantur."

XXVIII. Hunc Commendarum usum, neque auctoritate Concilii Viennensis abolitum fuisse, sed lapsu temporis, præsertim durante schismate, quod incepit ab Urbano VI. usque ad Martinum V. majus continuò incrementum, & firmiores radices egisse, ex actis illorum temporum constat.

Referente Cardinli Papiensi *Epist.* 93. respondit Paulus II. (qui sedit circa seculum XV.) Cardinali Portuensi exageranti mala ex Commendis promanantia, *credere se à Pontificatu Calixti* (qui 10. circiter annis ipsum præcesserat) *in eam diem, ampliùs quàm* QUINGENTA *Monasteria esse jam commendata.*

XXIX. Tantum abest, ut post hæc maximè in Italia & Gallia, Commendæ minus frequentes fuerint, ut etiam usus earum jam palam, si non omninò probari, saltem sub quibusdam conditionibus, ac intuitu quarundam personarum tolerari posse videretur.

XXX. Leo X. in Concil. Lateranensi an. 1514. in Bulla reformationis Curiæ *Sess.* 9. publicata, primò deplorat, quòd „ex commendis Monasteriorum (ut magistra rerum experientia sæpiùs docuit) Monasteria ipsa tam in spiritualibus quàm in temporalibus graviter lædantur, quippe quorum ædificia, partim Commendatariorum negligentiâ, partim avaritiâ, & incuriâ collabuntur, & indies divinus cultus in his magis diminuitur, passimque obloquendi materia personis præsertim secularibus præbetur, non absque dignitatis Apostolicæ Sedis diminutione, à qua commendæ hujusmodi proficiscuntur.

Indemnitati Monasteriorum consulere volens, vetat quidem Monasteria hactenus *non commendata* cuiquam posse commendari, hanc tamen subjiciens clausulam: „Nisi pro conservatione auctoritatis Apostolicæ Sedis, & ad occurrendum malitiis eam impugnantium, pro temporum qualitate aliter nobis de Fratrum nostrorum consilio visum fuerit expedire.

„Ea verò Monasteria, pergit, quæ *commendata fuerint*, cùm per eorum cessum, vel decessum, quibus erant commendata, Commendæ hujusmodi cessaverint, Cardinalibus duntaxat ac personis qualificatis, & bene meritis, commendari possint."

XXXI. Postmodum subjicit quasdam modificationes, sub quibus hujusmodi Commendatarii proventus Monasteriorum percipiant: ut scilicet cujuscunque conditionis Commendatarii, etiamsi Cardinales fuerint, „si mensam habuerint separatam, ac seorsim à mensa conventuali, quartam suæ mensæ partem pro instauratione fabricæ, seu pro ornamentis, vestibus, ac paramentis emendis, sarciendisque, at pauperum alimonia, aut sustentatione, ut major exiget, ac suadebit necessitas; si verò mensa fuerit communis, tertiam omnium fructuum dicti Monasterii sibi commendati partem pro suprà dictis oneribus supportandis, & sustentatione Monachorum, omnibus aliis deductis oneribus, impartiri teneantur. Ac litteræ, quæ super Monasteriorum hujusmodi Commendiis expedientur, cum clausula hoc ipsum specificè exprimente debeant expedire. Alioquin, si aliter expediantur, nullius sint roboris vel momenti."

XXXII. Hîc tandem videmus Commendarum usum intuitu certarum personarum, ac sub certis quibusdam modificationibus permitti, aut saltem tolerari; earumque concessionem judicio Sedis Apostolicæ reservari; unde & post hoc Concilium usus Commendarum per Italiam sine ulla interruptione usque modo subsistit.

XXXIII. At in Concordatis inter illum eundem Pontificem & Franciscum I. anno 1515. initis, ipse Commendarum usus plane subblatus apparet.

In his enim cavetur, quòd Rex vacatione Monasterii occurrente, Religiosum ejusdem Ordinis in ætate 23. annorum ad minus constitutum, Sedi Apostolicæ nominare teneatur; quòd si Rex nominaret Presbyterum secularem, aut Religiosum alterius Ordinis, tunc Pontifex aliquem nominare possit; quod ipsas commendas palam excludit. Nam si Pontifex Clericum secularem in Abbatem, aut Priorem instituere posset, qua specie, nominationem regiam respueret eo solo titulo, quòd *Presbyterum secularem* nominasset? Quin ipsum Concordatum expressè declarat, quòd casu quo libera collatio ad Pontificem spectare continget, provisi qualitates ante expressas habere debeant, in verbis: *Prioratus verò personis, ut refertur, qualificatis duntaxat conferri liberè possint.*

Deinde pro majore præmissorum robore subjicit Pontifex: „Electiones autem necnon provisiones per nos, & successores nostros contra præmissa pro tempore factas, nullas, irritas, & inanes esse decernimus."

XXXIV. Verùm quia Concordatum hoc Regem inter & Pontificem sive Sedem Apostolicam duntaxat initum est, etiam utriusque consensu ab eo recedi nihil vetat. Unde etiam post hoc Concordatum, usus Commendarum in Regno Galliæ usque modo perdurat; atque Rex ad plerasque Abbatias, & Prioratus Clericos seculares in Commendatarios perpetuos nominat & Papæ præsentat; quibus Papa Commendas annuendo, à Concordato communi consensu recedi videtur; & nunc longo temporis usu quodammodo videtur recessum.

Et quidem Rebuffus quadraginta circiter annis post dictum Concordatum, Commendarum quidem abusus latè describit, eas tamen in Gallia & Italia communiter receptas supponit; ac stylum in earum collatione servare solitum exponit.

XXXV. Quin & Commendarum usum tam firmiter stabilitum, & profundas radices egisse viderunt Episcopi Gallicani etiam post Concil. Tridentinum, ut de earum totali abolitione desperarent, unicè propterea soliciti, dum totaliter aboleri non possent, saltem abusus, quantum possibile esset, rescinderentur.

„Nihil nisi desiderium nobis superest (inquiunt Patres Concil. Rhemensis ann. 1583. *Tit. de Regular.*) ut Abbatiæ, Prioratusque non nisi Regularibus spectatæ virtutis, & per electionem conferantur. Quod à Deo optimo maximo supplicibus votis contendimus, ut ad id excitare dignetur Dominos nostros Sanctissimum Rom. Pontificem, & Regem nostrum Christianissimum.

Quæ

Quæ pro bono usu Commendarum Synodi præscripserint, mox dicentur, si antè disciplina moderna, præsertim Regni Galliæ, circa Commendas, & Commendatarios Monasteriorum expressa sit.

XXXVI. Itaque tam in Gallia, quàm in Italia Commendarum usus usque modò quoad Abbatias, & Prioratus Conventuales, quibus Abbates, & Priores perpetui Regulares aliàs perfici solebant, perdurat; si ea sola penè exceperis, quæ Ordinum Capita sunt; idqué ob Decretum Concil. Tridentini *Sess. 25. cap. 21. de Reform.* quemadmodum observat Fagnanus ad *cap.* CUM AD NOSTRAM ✠ *de Elect.*

Creditum enim fuit, quòd Concilium in priore parte, ubi de Monasteriis inferioribus agit, non loquatur *præceptivè*, sed *consultivè*: eò quod utatur verbo *confidit*: At in posteriore parte agens de Capitibus Ordinum, loquatur *præceptivè*, utendo verbo *teneantur*.

Quidquid sit de hac Concilii Interpretatione, illud certum est, quòd Romani Pontifices, qui pleraque Monasteria S. Benedicti, & Cisterciensi Ordinis (uti ibidem refert Fagnanus) dederunt in *Commendam* secularibus Clericis, non commendaverint Monasterium Cassinense, quod est caput illius Congregationis: nec Monasterium Cistercii, quod est caput Ordinis Cisterciensis.

XXXVII. Porrò Commendæ juxta hodiernum stylum & praxim multùm à Commendis antiquitùs cognitis, & à sacris Canonibus jam pridem probatis, distant.

Commendæ enim antiquæ concedebantur principaliter in favorem Ecclesiarum, ut scilicet, Ecclesiæ Pastore viduatæ interèa de Rectore esset provissum; commendæ verò nostri temporis, ait Fagnanus, fiunt principaliter non in favorem Ecclesiæ, sed personæ, ut ex fructibus sustentari valeat. Quapropter ubi olim in concessionis diplomate causa his verbis reddebatur: *Ut Ecclesia interea rectè atque ordine administretur, eam vobis commendamus*; hodie hoc tenore exprimitur, ut „ commodiùs sustentari valeas, de alicujus subventionis auxilio „ providere cupientes, tale Monasterium auctoritate Apostolica „ concedimus, & commendamus, &c.

XXXVIII. Pristinæ commendæ tantùm erant ad tempus, pro tempore nimirum vacationis quemadmodum hodie solent esse *Deservituræ* Ecclesiarum Parochialium vacantium: hodiernæ verò perpetuæ sunt, id est, ad vitam Commendatarii juxta clausulam diplomatis: *Per te quandiu vixeris tenendum, & possidendum.*

XXXIX. Commendatarii ad exemplum dictorum Deservitorum olim non poterant de fructibus Ecclesæ commendatæ disponere, nec præter moderata alimenta quidquam percipiebant, at moderni liberè de proventibus Beneficii Commendati adinstar veri Beneficiati, & Titularis disponunt, juxta consuetam formulam diplomatis Pontificii: „ Ita quòd durante commendâ hu„ jusmodi de fructibus, redditibus, & proventibus Monasterii „ disponere, & ordinare valeas, sicuti veri Abbates, aut Prio„ res ipsius Monasterii qui fuerunt pro tempore ordinare potue„ runt, & etiam debuerunt; alienatione tamen bonorum im„ mobilium, & pretiosorum mobilium ipsius Monasterii tibi „ penitùs interdicta.“

Hinc hodie Commendatarius potest præsentare ad Beneficia, item eligere, & conferre (ait Rebuffus in Praxi Benefic. *Tit. de Commendis*) sicut alius, qui titulum habet, quia præsentare, eligere, & conferre, est fructus Beneficii.

„ Locare etiam potest fructus, ait Rebuffus, & possessio„ nes sicut habens titulum.“ Uno verbo, moderni Commendatarii quoad perceptionem fructuum, eorumque administrationem sunt per omnia similes veris titularibus.

XL. Quin & „ Commendatarii hodie pro veris *Titularibus* „ habentur (ait Fagnan. ad *Cap.* IN ECCLESIIS ✠ *de Capellis* „ *Monach. num. 5.*) tam in Gallis, quàm extra, & jura *om*„ *nia* de Abbatibus, & Prioribus loquentia habent etiam locum „ in hisce Commendatariis.“

Commenda quoque rationem veri tituli habet; & pro titulo reputatur.

XLI. Cum ergo Clerici seculares de jure Beneficium Regulare in *titulum* possidere nequeant juxta Regulam, *Regularia Regularibus*; & tamen Commenda perpetua pro *titulo* reputetur, solus Papa similem Commendam *dispensativè* concedere potest; unde juxta Canonistas commenda hodierna est provisio Papæ *dispensatoria*: & via providendi per commendam dicitur *extraordinaria*, & *dispensatoria.*

Ut tamen jura aliquatenus servari viderentur, Papa Clericis secularibus in *Commendam* dare mavult Beneficia Regularia quàm in *titulum.*

XLII. Hinc ulteriùs contingit, quòd licèt olim Commenda adinstar hodiernæ *deservituræ*, permutari cum alio Beneficio non posset, hodie tamen non secus ac verum Beneficium cum alio Beneficio permutari possit: quia ait Rebuffus loco citato *num. 53.* „ reputamus Commendam verum *titulum*, & sic „ permutari potest. Unde sæpius vidi Beneficium commenda„ tum permutari cum alio in titulum, etiam coram Ordinario.“ Hæc ille, qui ibidem *num. 51.* quoque observat, quòd in Francia per mortem Commendatarii impetretur vacans Beneficium, sicut si tenuisset in *titulum.*

XLIII. Cùm verò juxta Canonistas, mutatio tituli semel collati non fiat sine nova collatione, hinc praxis Galliæ habet, quòd si Commendatarius profiteatur in Monasterio, cujus est Commendatarius, illud Beneficium, quod habebat in *commendam* sine nova provissione non transeat in *titulum*; neque illud tanquam *regulare* retinere queat; sed Beneficium vacare censeatur, non secus ac si secularis Clericus obtinens Beneficium *in titulum*, professionem Regularem emisisset; & tanquam vacans, mox à professione Commendatarii de novo possit conferri, uti post Louetium tradit Fevretius *lib. 2. de abusu, cap. 6. num. 25.*

XLIV. Ulteriùs, „ Commendatarius Monasterii perpetuus, „ licèt non sit profesus Regulam Ordinis, cujus est Monas„ terium, habet tamen (ait Anton. Faber *in Cod. lib. 1.* „ *tit. 2. definit. 34.*) in Monachos eandem jurisdictionem, „ quam haberet, si ex vero titulo Beneficium possideret; quia „ pro vero Prælato & *Titulario* habetur, etiam quod ad hoc „ quandoquidem Commenda ipsa est *titulus dispensatorius* nec „ inter Commendatarium, & Titularium Ecclesiæ Rectorem „ effectu ipso quidquam interest, sed nominis tantùm sono.“ Hæc ille, qui & ibidem asserit Commendatarium post se jurisdictionem in Monachos exercere, tametsi in eodem Monasterio sit aliquis ex Monachis Prior Claustralis; quin & Priorem illum ad nutum Commendatarii esse amobilem: testaturque anno 1591. in Senatu Subaudiæ pro Abbate Ambronicensi Commendatario, qui jurisdictione suâ in Monachos usus fuerat ad morum correctionem, judicatum fuisse contra Monachos, qui ab illa correctione *tanquam ab abusu* appellaverant ad Senatum (c); ac rursus anno 1617. contra eosdem Monachos: „ Hoc tamen, ait adhibito æquissimo tem„ peramento, ut non aliter jurisdictionem hanc exercere pos„ set Commendatarius, quàm si in Beneficio ipse resideret, „ & ordinarius Prælatus, ejusve Vicarius abesset, cujus sa„ nè jurisdictionem præcipuam conservari, & salvam esse con„ venit, ut Commendatarii jurisdictio tantùm subsidiaria es„ se videatur.“

XLV. Hæc verò ampla potestas, seu jurisdictio in Monachos de moribus Galliæ Abbatibus Commendatariis, exceptis solis Cardinalibus, non competit; sed omnis jurisdictio, & correctio, ac omnia disciplinam interiorem Monasterii spectantia ad Priorem Claustralem spectant; nec iis Abbas Commendatarius se immiscere potest, uti sæpiùs à Senatu Regio conformiter ad *art. 11.* decretorum Aurelianensium judicatum fuisse, refert Joan. Tournet *Lit. A. n. 9.* ipsaque Novitiorum ad habitum, & professionem receptio, ad Priorem Claustralem, non ad Commendatarium spectat; neque Priorem illum Commendatarius removere potest: *Alioquin*, ait Tournet, *Abbas Comendatarius semper revocaret Priorem utilem Monasterio, quod non esset ferendum.*

Quinimò si Commendatarius obtinuisset indultum à Sede Apostolica cognoscendi de disciplina regulari, esset locus appellationi tanquam *ab abusu* ab executione hujusmodi rescripti, inquit Fevretius loco citato *num. 26.*

XLVI. Refert insuper Fagnanus ad *Cap.* EDOCERI ✠ *de Rescriptis*, Breve Innocentii X. quo ad instantiam Generalis Ordinis Cisterciensis, statuitur, „ non licere Commen„ datariis, Priores, Superiores aut Officiales Claustrales ins„ tituere, ac destituere, visitare Monachos, eosdemque cor„ rigere, nec facultates eisdem in litteris Apostolicis (scili„ cet provisionis Commendarum) concessas, & expressas, „ ad ea quæ institutum *regulare* concernunt, ac tenore præ„ libatorum privilegiorum, & sacri Concilii dispositione Mo„ nastico regimine relinquuntur, trahi posse, ac debere.“ Hæc in illo Brevi quod ibidem integrum refertur; additque Fagnanus: „ Similes litteræ expeditæ fuerunt pro Monachis „ Camaldulensibus sub die 20. Martii 1657.“

(c) *In Hispania verò licèt cautum sit* Act. Acordat. 4. §§. 24. & 35. tit. 1. l. 4. & 6. cap. 22. n. 15. tit. 8. l. 1. Recopilationis, *nullo modo posse Nuntium Apostolicum in his Dominiis ullam exercere jurisdictionem circa ea, quæ ad interiorem Regularium gubernationem, visitationem aut correctionem attinent: cum hæc jurisdictio, virtute Concordiæ inter Romanam Sedem & Regem Hispanum celebratæ, limitata fuerit. Attamen ne Religiosi suis defraudentur juribus, ratione vis illatæ in formatione processûs à suis Superioribus præceptum est in* leg. 40. tit. 5. l. 2. Recopilat. *ut similes processus, & vis illata tantùm à Supremo Consilio recognoscantur, & super his provideatur. Etiam conducere potest videre quæ super hac materia disponunt* leg. 43. 67. 71. & 72. l. 1. Recop. Indiar.

Ut

XLVII. Ut verò Monasterium non destituatur convenienti numero Monachorum, neque divinum servitium intermittatur, hospitalitas, ac consuetæ eleëmosynæ non negligantur, nec Monasterii fabrica collabatur, in litteris Comendarum adjici solet hæc clausula: „ Volumus autem quòd „ propter hujusmodi commendam divinus cultus, ac solitus „ Monachorum & Ministrorum numerus in dicto Monasterio N. „ nullatenus minuatur; sed illius, ac dilectorum filiorum Con„ ventus ejusdem congruè supportentur onera consueta, &c.“

XLVIII. Deinde juxta decretum Concil. Lateranensis sub Leone X. supra relatum, injungitur Commendatariis, etiam Cardinalibus, ut si mensam habuerint separatam à Conventuali quartam suæ mensæ, alias tertiam partem omnium proventuum Monasterii, impartiri teneantur pro instauratione fabricæ, seu pro ornamentis, vestibus, & paramentis emendis, sarciendisque, aut pauperum alimonia, aut sustentatione, ut major exiget, aut suadebit necessitas.

Hæc latiùs referuntur à Rebuffo loco citato, qui & *num.* 18. „ sic concludit: ex his constat Papam velle, ut cultus di„ vinus non diminuatur, & onera consueta solvantur, ut „ patet in litteris commendæ.“ *Sed*, ait, *nihil fit à multis.* Ostendens, quòd ratione istarum Comendarum, Monasteria tam in spiritualibus, quam temporalibus prorsus collabantur; *quia extranei*, ait, *qui istas Abbatias possident, nihil nisi lac & lanam quærunt, id est, utilitatem.*

XLIX. Porrò Gregorius XIII. in sua Constitutione, quæ incipit: *Superna*, 18. in Bull. Rom. edita pro Ordine Cisterciensi, ut securiùs ipsis Monachis, ac Monasterio de proventibus annuis cautum sit, §. 9. statuit, ut in Monasteriis omnibus commendatis, vel commendandis, ubi non fue„ rit, instituatur mensa conventualis ab Abbatiali mensa dis„ tincta & separata, cum annuis fructibus, redditibus & pro„ ventibus, juxta Monasteriorum ipsorum facultates compe„ tentibus, & honestis, pro suficienti Conventûs, & Mona„ chorum, aliorumque Religiosorum ejusdem Ordinis nume„ ro in unoquoque ex ipsis Monasteris per ipsos Generalem, „ & cæteros Ordinis ipsius Superiores, aut eorum Vicarios „ ordinando; quam quidem mensam, quia etiam ædificiorum, „ & locorum ad disciplinæ Monasticæ observationem perti„ nentium, scilicet templorum, ornamentorum, jocalium, li„ brorum, Ecclesiasticorum, dormitorii, refectorii, aliorum„ que locorum regularium, necnon Monasteriorum clausuræ „ necessariis, & ordinariis reparationibus faciendis obligatam, „ & obstrictam esse volumus; ut in ea instituenda expen„ sarum annuarum ad hæc necessariarum ratio habeatur, sta„ tuimus, & mandamus, ac ad eandem mensam sic instituen„ dam, congruosque redditus assignandos ipsi Commendatarii „ omninò teneantur, & ad id etiam per Censuras Ecclesias„ ticas, fructum reddituum, & proventuum sequestrationes, „ & alia opportuna Juris remedia cogi possint, & debeant.“

L. In Concilio Rothomagensi an. 1581. orta est difficultas, an Abbates Commendatarii in Synodis Provincialibus recipiendi essent inter Abbates ad sedendum, & deliberandum. Item inter Dignitates, & Procuratores Capitulorum Cathedralium, contra Abbates Regulares, & Commendatarios de preeminentia, in processione, sesione & deliberatione. Difficultatibus ad Sedem Apostolicam delatis, ab eâdem responsum est. Quoad primam: *Commendatarios inter Abbates recipiendos esse.* Ad secundam: *Canonicos Cathedralium Ecclesiarum præferendos esse quando capitulariter procedunt: Abbates benedictos, & qui usum mitræ habent, præcedere Commendatarios: post hos locum obtinere Dignitates: & post Dignitates collocandas esse Procuratores.*

LI. Eadem Synodus expendens, Commendatarios quodammodo in locum Regularium succedere, atque proventus Monasteriorum tanquam beneficiatos, & Ecclesiæ ministros percipere, eosdem monet: Ut „ quamvis ad regularem obser„ vantiam non obligentur, ne tamen sint sine jugo, atque om„ ni regula, decet eos medium statum, atque ordinem se„ qui ac ostendere inter regulares & seculares Clericos in „ vestitu, in victu, & in omni ornatu. Tonsurâ utantur am„ pliori quàm Sacerdotali, habitu propiùs ad regularem ac„ cedente: nec existiment sibi commendatum Monasteriorum „ regimen ad luxum, & prodigalitatem, aut ad agendum rem „ suam, & consanguineorum familiam, sed ad piam, & justam „ alienarum rerum dispensationem, & quarum non habent pro„ prietatem, Deoque de omnibus reddendam esse rationem.“

LII. Sub finem seculi XV. via sterni videbatur, ut & in Belgio Commendarum usus introduceretur. Quod advertens Theodoricus Abbas Parcensis totius Ordinis Præmonstratensis in Curia Romana Agens, à Sixto IV. impetravit *Breve* ad Carolum Ducem Burgundiæ & Brabantiæ, in quo ralatis variis incommodis, quæ ex Commendarum usu ipsa Monasteria tam in spiritualibus, quàm temporalibus paterentur, dicit: se „ Commendis hujusmodi, quæ non nisi ob gravem Ec„ siarum necessitatem, ac in illarum favorem, cùm aliàs ins„ taurari nequirent, admittendæ noscuntur, finem imponere „ cupere; atque propositi sui esse, quantum cum adjutorio „ Dei posset, ab hujusmodi Commendis, & concessionibus „ penitùs abstinere,“ ac deinde ad Ducem se convertens, ait: „ Et sicuti plerisque aliis Principibus Catholicis, quibus pari „ modo scribimus, Excellentiæ tuæ notum esse volumus, can„ dem exhortantes in Domino, ac requirentes, ut sacras no„ biscum Religiones confovens, ac conscientiæ tuæ consulens, „ quæ in supplicando super hujusmodi Commendis, non pa„ rum gravari creditur, nosque & te à multis molestiis exi„ mens, Commendas hujusmodi à nobis petere ampliùs non „ fatigetis, & nobis desuper scribere nolis, quin potiùs talia „ petentium ambitiones, sic pro tempore refellas, ut nemo „ nos & te desuper inquietare præsumat.“

Subjungit deindè hæc meritò notanda: „ Et ne sugges„ tionibus quorundam movearis, quod propter religiosarum „ personarum fortè corruptos mores, eorum loca secularibus „ commendanda veniant, easdem personas, & loca tâm in ca„ pite, quàm in membris reformare, & corrigere multò satius „ est, quàm in commendam, & direptionem dare; ad quod „ faciendum operam adhibere, & diversis per orbem Religio„ nibus scribere decrevimus.“

Datæ sunt hæ litteræ 2. Martii 1476. & juxta copiam authenticam servatam in Archivo Parcensi editæ sunt in Cronologia Parcensi, *cap.* 14.

Post hæc eodem capite subjicitur Bulla ejusdem Pontificis; quâ declarat, liberam electionem Abbatum Ordinis Præmonstratensis spectare ad singulos Conventus; neque Abbatias Ordinis illius, sub ullis quantumvis generalibus reservationibus Apostolicis, etiam in Regulis Cancellariæ expressis, comprehendi, omnesque Commendas illarum Abbatiarum quacunque auctoritate concedendas, nullas & irritas declarat.

LIII. Verùm, ut refertur in dicta Cronologia, Lucas Episcopus Sibinicensis in partibus Belgii Nuntius Apostolicus cum potestate Legati *à latere*, & Philibertus, titulo *S. Luciæ in Silice* Presbyter Cardinalis Matisconensis, ita sub & obreptitiè Romæ agere sciverunt, ut præscriptis Bullis non obstantibus, eodem anno 1476. à Sixto IV. impetraverit Episcopus Sibinicensis Abbatiam S. Michaelis; & Cardinalis Matiscon. Abbatiam Tongerloensem sibi dari in Commendam.

Hîc exurgens Ordo Præmonstratensis, ac signanter Theodoricus Abbas Parcensis, causam Ordinis sui prosequens, totis viribus se opposuit, quibus & Ordines Brabantiæ, Duces, & Principes Patriæ se junxerunt: omnique studio, & viâ Commendatarios à capienda possessione dictarum Commendarum impedire studuerunt; uti fusiùs ibidem narratur: referturque, quomodo tandem post quatuor annorum concertationem, necnon septem Bullas in favorem dicti Episcopi Sibinicensis ab eodem Pontifice datas, emanaverit Bulla, quâ declaratur, in Bullis datis Episcopo Sibinicensi non fuisse sufficienter derogatum privilegiis Ordinis Præmonstratensis; adeoque Episcopo Sibinicensi per reservatorias, & alias Bullas nullum jus in Monasterii S. Michaëlis administrationem unquam quæsitum fuisse, vel quæri potuisse; & eadem Commenda prout de facto processit, cassatur, revocatur, irritatur, & annullatur, & Sibinicensi perpetuum silentium imponitur. Integra Bulla ibidem refertur, additque auctor *Cronologiæ*: „ Eodem an. 1480. „ aliam Bullam emissit Pontifex, quâ annullavit Commendam „ Abatiæ Tongerloensis datam Cardinali Matisconensi.“

Sic *Commendarum* memoria in Belgio quievit usque ad annum circiter 20. præteriti seculi, quando (ut narratur in citata Cronologia) Carolus V. Erardo à Marca Episcopo Leodiensi addixit primam vacantem Abbatiam dare incomendam; cumque sors cecidisset in Abbatiam S. Michaëlis Ordinis Præmonstratensis Antuerpiæ, Carolus ad eam vacantem nominavit dictum Episcopum Leodiensem, cui nominationi fortiter restiterunt Conventuales dictæ Abbatiæ, memores eorum, quæ ob Commendam datam Episcopo Sibinicensi à quadraginta circiter annis facta essent, ac inter alia Carolo exposuerunt, ipsum in suo læto introitu Abbatibus addixisse, & promisisse, nunquam Abbatiam aliquam dandam in *Commendam.* Quibus, aliisque tandem effectum, ut agente Rege, & Episcopo condescendente, mediante aliquâ notabili pensione Episcopus à prætensione Abbatiæ destiterit, & is, qui electus à Conventu fuerat, Abbas institutus sit.

Num ab eo tempore aliquod ultrà pro introducendis Commendis in Belgio tentatum sit, nescio; hoc scio, Principes nostros in suo læto introitu *art.* 56. promittere, „ quòd nul„ las Abbatias, Prælaturas, aut Dignitates Brabantiæ, dabunt „ in *Commendas*, nec jubebunt, aut sinent dari ullo modo.“

LIV. Ut hoc jus sibi illibatum conservent Abbatiæ, & Monasteria, Abbatesque Laicos, & Commendatarios excludant, nihil efficacius, aut convenientius, quàm ut in ipsis Monasteriis habeatur perfecta bonorum omnium ac proventuum communio, rejectâ distinctione, seu separatione mensæ Abbatialis à Conventuali; quæ distinctio (uti observat P. Thomas-

massinus de *Discipl. Eccles. part.* 4. *lib.* 2. *cap.* 3.) pro magna parte occasionem Commendis subministravit. Deinde ut juxta leges Ecclesiæ, intentionem Fundatorum, necnon regulas professionis Monasticæ, proventibus Monasteriorum ita moderatè Abbates utantur, ut in omni ipsorum supellectile, aut domo nihil appareat à professione *paupertatis* alienum, vel quod mundi fastum redoleat: & quod reliquum fuerit in Christianam hospitalitatem, & pauperum alimoniam impendant; ut hoc pacto reipsâ ostendant, bona Monasteriorum esse *patrimonium pauperum*, quod sine sacrilegio in usus profanos impendi non potest.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT VII.

Discutitur Decretum Concilii Tridentini Sess. 25. cap. 21. relatum.

1 *Exponitur status quæstionis.*
2 *Concilium Tridentinum indistinctè videtur prohibere, ne Monasteria vacatura in Commendam Clericis secularibus conferantur.*
3 *Mens Patrum Tridentinorum exponitur.*
4 *Forma, quam præscripserunt ut Monasteriis vacaturis provideretur, satis indicat Concilii scopum.*
5 *Auditores de Rota rectiùs senserunt in exponendo Decreto, & ad mentem Concilii Tridentini proximiùs accesserunt, quàm Cardinales Concilii Interpretes.*

* I. Numero XXXIV. Capitis præcedentis observatum est, quòd in Italia usus Commendarum etiam post Concilium Tridentinum ibidem publicatum & receptum perseveret, ac passim omnes Abbatiæ dentur in Commendam Clericis secularibus, si sola Monasteria, quæ *Ordinum capita* dicuntur, exceperis, idque conformiter ad resolutionem Cardinalium super interpretatione Decreti Concilii Tridentini *Sess.* 25. *cap.* 21. *de Regularib.* quâ declaravit per hoc Decretum duntaxat vetari in Commendam dari Monasteria, quæ sunt Ordinum capita; quoad reliqua verò Monasteria nequaquam positivè vetitum esse ea in Commendam Clericis secularibus concedi, sed id conscientiæ & judicio Romani Pontificis committi, uti refert Prosper Fagnanus suprà citatus.

II. Verùm, si textus Concilii Tridentini ritè expendatur, non obscurum apparebit per hoc decretum Concilii Tridentini absolutè vetitum esse, vacatura Monasteria quæcunque ulteriùs in Commendam Clericis secularibus dari.

In primis in hoc Decreto deplorat Concilium: „ Quòd pleraque Monasteria etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præposituræ, ex eorum, quibus commissa fuerunt, administratione, non levia passa fuerint, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus detrimenta.“

Post hæc declarat Concilium, cupere se „ ut hæc Monasteria ad congruam vitæ Monasticæ disciplinam revocarentur.“

Porrò adverterunt Patres, uti in ipso Decreto significant: „ Quòd adeo dura difficilisque esset ejus temporis conditio, ut „ nec statim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, „ remedium possit adhiberi.

III. Cùm igitur PP. attenderent hanc duram, ac difficilem temporis conditionem, ut nec omnibus, nec ubique, remedium, quod optarent, afferri posset, ut nimirum Monasteria tum temporis Clericis secularibus Commendata possent statim & ubique Commendatariis illis eripi, & Regularibus in *titulum* conformiter ad sacros Canones, & Patrum Regulas assignari; curam illius Romano Pontifici committendam censuit Synodus, „ confidens quòd ipse pro sua pietate, & prudentia curaturus „ sit, quantum hæc tempora ferre posse viderit, ut iis, quæ „ nunc Commendata reperiuntur, & quæ suos Conventus ha„ bent, Regulares personæ ejusdem Ordinis, expressè Profes„ sæ, & quæ gregi præire, & præesse possint, præficiantur.

Ex his evidens est, Synodum Tridentinam in hac priori parte Decreti duntaxat loqui de Monasteriis, quæ tunc in Commendam à Clericis secularibus possidebantur, & quæ sic possessa non videbantur ob duram, difficilemque temporis conditionem, statim omnibus & ubique Commendatariis illis auferri posse, & ad Regulares personas Ordinem expressè professas transferri, undè satiùs duxit Synodus curam providendi his ita Commendatis Monasteriis, Romano Pontifici committere, ut ipse pro sua pietate & prudentia provideret.

Hæc autem difficultas cùm non occurreret quoad Monasteria etiam hactenus Commendata, quæ per cessum, vel decessum Commendatariorum vacare contingeret, Synodus quoad similia vacatura, seu vacantia Monasteria decrevit in verbis: „ quæ verò in posterum vacabunt, non nisi Regularibus spec„ tatæ virtutis, & sanctitatis conferantur.“

Planum est ex textu Decreti, Synodum in priori parte loqui de solis Monasteriis, quæ tunc in Commendam possidebantur, atque iis providendi curam confidisse Romano Pontifici, & verbum *confidit* non nisi ad similia Commendata Monasteria referri posse.

In altera verò periodo, quæ incipit: *Quæ verò*, evidenter Synodus loquitur de Monasteriis in posterum vacaturis; atque ibidem modum præscribens, quo iis provideri desiderat, evidenter *præceptivè*, non autem *consultivè* loquitur in verbis: *Regularibus spectatæ virtutis, & sanctitatis conferantur.*

IV. Præterea nequaquam obscurum est, periodum, quâ præscribitur forma providendi Monasteriis in posterum vacaturis, omninò sensum perfectum habere, neque verbum illud *confidit* ullatenus posse referri ad Decretum in posteriori hac periodo expressum. Sed in hoc Decreto absolutè mandari, ut Monasteria in posterum vacatura, *Regularibus spectatæ virtutis, & sanctitatis conferantur.*

Cùm autem inter Commendata Monasteria reperirentur quoque quædam Monasteria, quæ essent Capita, & Primates Ordinum, voluit Synodus, ut non tantùm, cùm in posterum per cessum, vel decessum Commendatariorum hæc vacare contingeret, Regulares personæ iis præficerentur; sed insuper voluit Synodus, *ut teneantur illi, qui in præsenti ea in Commendam obtinent, nisi sit eis de Regulari successore provisum, infra sex menses Religionem illorum Ordinum propriam solemniter profiteri, aut iis cedere: aliàs Commendæ prædictæ ipso jure vacare censeantur.*

Non itaque in hac periodo Synodus loquitur de Monasteriis vacaturis, sed de Monasteriis, quæ in Commendam possidebantur. Proinde plane à verbis, & mente Patrum Concilii Tridentini alienum est, quòd Synodus sola Monasteria, quæ sunt Capita, & Primates Ordinum, præceperit, dum vacarent, ulteriùs in Commendam non dari; uti conformiter ad quoddam decretum Congregationis Cardinalium prætendit Fagnanus suprà relatus; sed evidenter Synodus voluit, ut quæcunque Monasteria *in posterum vacatura*, Regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur.

V. Non dubium proinde, quin conformiter ad textum decreti Concilii Tridentini processerint Domini de Rotâ, dum declarârunt, hanc periodum: *Quæ verò in posterum vacabunt, Regularibus spectatæ virtutis & sanctitatis conferantur*, habere sensum perfectum, ne de cætero alicui non Regulari conferantur. Uti refert Fagnanus ad *cap.* cum ad nostram *de Elect. n.* 10.

Ex his patescit, praxim Belgii, quæ similes Commendas non agnoscit, neque admittit, esse sat conformem decreto Concilii Tridentini.

CAPUT VIII.

De Electione, et Nominatione Superiorum.

1 *Regulæ monasticæ Monachis dant liberam electionem Abbatis.*
2 *His consonat Lex Justiniani.*
3 *Canones etiam hanc electionem Monachis deferunt.*
4 *Jure Decretalium electio spectat ad Monachos.*
5 *In electione Abbatum servanda forma præscripta in* cap. quia propter ✠ de Elect.
6 *Quæ forma servanda in electione Abbatissæ.*
7 *Qui Prælati eligendi juxta formam præscriptam in dicto* cap. quia propter.
8 *Quomodo eligendi Abbates, & Abbatissæ temporales.*
9 *An Concilium Tridentinum derogaverit formæ præscriptæ in dicto suprà* cap. quia propter.
10 *Decretum Concilii Trident. super forma electionis.*
11 *Electio censetur* secreta, *licet Episcopus aliquos deputet ad excipienda vota.*
12 *An publicatio voti, post vel ante electionem, reddat electionem nullam ex mente Concilii Tridentini.*
13 *Quibus competat electio, vel nominatio Superiorum, petendum etiam est ex Regulis, & Constitutionibus singulorum Ordinum.*
14 *In Italia vigore Regulæ Cancellariæ, pleræque Abbatiæ sunt Pontifici reservatæ.*
15 *Regula Cancellariæ non concernit nisi Beneficia Regularia* perpetua.
16 *In Gallia vi Concordati Rex nominat ad Abbatias virorum.*
17 *Concordatum non comprehendit nisi veros Prælatos, qui habent titulum* perpetuum.
18 *Hoc titulo Abbatiæ* triennales *à nominatione Regia sunt exemptæ.*
19 *Priores Carthusianorum etiam exempti.*
20 *Similiter & Cœlestinorum.*
21 *Ordinis SS. Trinitatis quoque sunt exempti, & quare.*

Vi-

22 *Videtur separatio mensæ Abbatialis à Conventuali occasionem dedisse nominationi Regis.*
23 *Verba Concordati non comprehendunt Monasteria Monialium; usu tamen ad illa extenditur Concordatum.*
24 *Nominatio Regia non extenditur ad Abbatissas triennales.*
25 *Neque ad Abbatissas Ordinis S. Francisci, & quare.*
26 *In quo disciplina Belgica cum jure Gallicano in hac parte conveniat.*
27 *Principes Belgii Monasteriis sepiùs liberam electionem addixerunt.*
28 *Difficultas orta inter Principem & Abbates occassione Indulti Leonis X.*
29 *Compromissum fuit in arbitros.*
30 *Pendente controversia inita Concordata super forma providendi vacantibus Abbatiis.*
31 *Quomodo hodie juxta hanc formam in electione, & nominatione procedatur.*

I. UT Monachi suum eligant Abbatem, antiquorum Patrum Regulæ, necnon Ecclesiasticæ ac Civiles Sanctiones jam pridem præscripserunt.

Regula Benedictina *cap.* 64. „ In Abbatis ordinatione illa „ semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi „ omnis concors Congregatio secundum timorem Dei, sive „ etiam pars, quamvis parva, Congregationis saniori consilio „ elegerit. Vitæ autem merito, & sapientiæ doctrinâ eligatur, „ qui ordinandus est, etiamsi ultimus fuerit in ordine Con„ gregationis.“

Unum circa citatum locum notatum, vocem *parva* ibidem accipi pro voce *minor*; *Hellenismus* (ait vir eruditus Hugo Menardus ad Concord. Reg. *cap.* 5. §. 1.) *possitivus pro comparativo.* Id est, *minor*, comparatione ad totam Congregationem eligentium, uti rectè notat & explicat Joannes Mege in Comentario ad *cap.* 64. *Regulæ Benedictinæ.*

II. Huic legi Benedictinæ planè conformis est sanctio Justiniani Imp. in *L.* 47. *Cod. de Episcopis & Clericis.* „ Sa„ cris nostris legibus existimavimus oportere, & hanc addi, „ quæ ex virtute, non autem ex temporibus Religiosas Ab„ batias, seu præfecturas tribuit: ita videlicet, ut in piis Mo„ nasteriis, aut asceteriis, non omnimodò mortuo Abbate, „ vel Abbatissa, is vel ea, qui vel quæ tempore antiquior „ est, aut secundus, secundave deinceps eligatur. Consenti„ mus enim naturæ, neque omnes similiter bonos, neque om„ nes in æquo facienti malos; sed quem utique & vita op„ tima, & mores honesti, & circa pium exercitium cons„ tantia, & commune reliquorum Monachorum complimen„ tum, aut maxima eorum pars idoneum ad hoc putaveri, & „ sacris Evangeliis propositis elegerit, ad præfeturam vocari.“

III. Electionem Abbatis ab Ecclesia Monachis deferri, sat manifestum est ex Canonibus relatis â Gratiano *caus.* 18. *q.* 2. ubi notat Glossa, quòd hæc sit secunda pars quæstionis à Gratiano per 7. Canones probata, quòd de *jure communi ad Monachos tantùm spectat electio Abbatum.*

IV. Glossam uno consensu secuti Canonistæ docent, de jure communi, etiam Decretalium, electionem Abbatum spectare ad Monachos illius Monasterii, cui Abbas est præficiendus idem & in Priori Conventuali, qui in suo Monasterio est quasi Abbas (uti supra dictum fuit) & Abbatissis respectu Monialium obtinere asserunt.

V. Quin & in electione Abbatum, qui scilicet verè intitulati, hoc est, *perpetui* sunt, observandam esse formam electionis præscriptam in *cap.* QUIA PROPTER *de Elect.* communiter asserunt, & latè probat Fagnanus ad dictum Capitulum.

VI. Eandem formam servari quoque volunt in electione Abbatissarum, hoc uno excepto, quòd electio Abbatissæ debeat fieri, à duabus Collegii partibus nullâ habitâ collatione zeli ad zelum, nec meriti ad meritum, juxta *cap.* INDEMNITATIBUS, §. SANE, *de elect. in VI.* quæ collatio quamvis per dictum *cap.* QUIA PROPTER, requiri videatur, eo quòd requiratur major, & sanior pars, hodie tamen in desuetudinem abiit, solentque in electionibus *vota numerari, non ponderari*, nisi ob aliquod canonicum impedimentum alicujus votum annullari queat.

VII. Hæc forma electionis in dicto cap. QUIA PROPTER, generaliter servanda est in electione ad omnes dignitates, tam regulares, quam seculares, per quas earum possessores constituuntur, ac dicuntur *Sponsi* Ecclesiæ, & per quorum obitum Ecclesia dicitur *viduata*: quales reputantur inter Regulares, Abbates, & Abbatissæ, item Priores & Priorissæ Conventuales, eas dignitates in titulum *perpetuum*, & ad vitam obtinentes: uti notat Fagnanus ad dictum Capitulum. De forma hujus electionis agemus infrà *part.* 2. ubi de electione ad dignitates tractabimus.

VIII. Abbates verò, & Abbatissæ *temporales*, aliique Officiales Monasteriorum titulum perpetuum non habentes, non reputantur *Sponsi* Ecclesiæ, nec per ipsorum mortem Ecclesia dicitur *viduata*: „ ideoque (ait Fagnanus) in eorum elec„ tione non sunt necessariæ formæ hic (in capitulo QUIA PROP„ TER) præfinitæ, sed sufficiunt singulares consensus Capitu„ larium, dummodo præstentur in communi, & omnibus col„ legialiter congregatis, & electio fiat à majori, & saniore „ parte Capituli.“ Hæc ille.

IX. Ostendit quoque ibidem Fagnanus, Concil. Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 6. *de Regularibus*, præscribens formam in electione Regularium observandam, non derogare constitutioni Concilii Lateranensis, de qua in sæpiùs citato *cap.* QUIA PROPTER; sed hanc etiamnum hodie observari debere in electione Abbatum perpetuorum & intitulatorum, formam verò à Concilio Tridentino præscriptam in electione aliorum Superiorum Regularium: quod etiam insinuâsse videtur Concilium, ad vocem *Abbatum* addendo vocem *temporalium.*

X. Vult ergo Concilium *Sess.* 25. *de Regul. cap.* 6. „ In „ electione Superiorum quoruncunque Abbatum temporalium, „ & aliorum Officialium ac Generalium, & Abbatissarum, „ atque aliarum Præpositarum, quo omnia rectè & sine ul„ la fraude fiant.... omnes supradictos eligi debere per vota „ secreta; ita ut singulorum eligentium nomina nunquam pu„ blicentur. Nec in posterum liceat, Provinciales, aut Abba„ tes, Priores, aut alios quoscunque titulares ad effectum elec„ tionis faciendæ, constituere, aut voces & suffragia absen„ tium supplere. Si verò contra hujusmodi Decreti constitu„ tionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit: & is, qui „ ad hunc effectum se in Provincialem Abbatem, aut Priorem „ creari permiserit, deinceps ad omnia officia in Religione ob„ tinenda, inhabilis existat: facultatesque super his concessæ eo „ ipso abrogatæ censeantur, & si in posterum aliæ concedan„ tur, tanquam subreptitiæ habeantur.“

XI. Reputatur electio *secreta* ad mentem Concilii, licèt Episcopus, aut Capitulum designaverit aliquos, qui omnium eligentium vota secretò exciperent, modò postea nomina singulorum eligentium non publicentur: atque ita censuit Sacra Congregatio, quòd in electione Abbatissarum, de qua in *cap.* 6. Concilii Tridentini, possit Episcopus cum suo Vicario vel Secretario, vel alio ab ipso assumpto vota singularum Monialium oretenus expressa audire, apud Garciam *de Benef. parte* 5. *cap.* 4. *n.* 190. & huic resolutioni praxis hodierna conformis est. Solent enim Episcopi Archipresbyteros, aliosve Commissarios deputare, qui in electione Superiorum excipiant Monialium suffragia, eaque in scriptum redacta secretò Episcopo mittuntur, qui iis visis & computatis, electionem publicat, & confirmat, nulla facta votorum publicatione.

XII. Quinimò si aliquis eligentium vel ante electionem diceret, quem esset electurus, vel post electionem factam publicaret quem elegisset, non propterea electio desineret esse secreta & valida, uti à S. Congregatione resolutum esse refert Garcias *loco citato*, *n.* 196. quia aliàs in potestate particularium esset, electionem canonicam sibi non placentem irritare.

Sed neque publicationem votorum factam post electionem, ac confirmationem ritè peractam, electionem irritare rectè notat Zypæus *Tit. de Elect. num* 8. „ Quamquam enim, ait, id „ sit adversus intentionem Concilii, in verbis, *nunquam pu„ blicentur*; tamen extra causam finalem est illius Decreti in „ verbis: *Quo omnia rectè, & sine ulla fraude fiant.* Is fi„ nis cùm electione ritè factâ confirmatâque obtentus sit, eam „ quæ ex post facto accidunt, infectam, seu nullam reddere „ nequeunt.“

XIII. Hactenus dicta de jure Conventûs in electione Abbatum, & Abbatissarum ac aliorum Superiorum, procedunt de jure communi, à quo per speciales Constitutiones, & consuetudines in aliquibus Ordinibus nonnihil recessum est; dum electionem, seu designationem transtulerunt ad Generalem Ordinis, vel ad Provincialem cum suis Diffinitoribus, seu Assistentibus, uti videri potest ex singulorum Ordinum usu, & particularibus Constitutionibus.

XIV. Ad hæc in Italia Abbatum & Priorum perpetuorum, & *intitulatorum* electio hodie ferè cessat, postquam per Regulam 2. Cancellariæ Pontifex, sibi reservat *omnia Monasteria virorum, valorem annum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, nunc quomodocunque vacantia, & in posterum vocatura.*

XV. Hanc regulam non comprehendere Monasteria, quæ ex indulto Apostolico sunt *manualia*, notat Ascanius Tamburinus *de Jure Abbatum*, *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 2. Neque de illis Pontifex providere solet: Unde cum Abbatissæ in Italia passim sint triennales ex Constitutione Gregorii XIII. non consuevit Pontifex de Monasteriis Monialium providere.

XVI. In Gallia vigore Concordatorum vacantibus Monasteriis & Prioratibus *verè electivis*, videlicet in quorum electionibus forma Capituli QUIA PROPTER, servari, & confir-

mationes electionum hujusmodi solemniter peti consueverunt, Conventus ad electionem, seu postulationem Abbatis seu Prioris procedere non possunt; sed Rex, illorum occurente vacatione, Religiosum ejusdem Ordinis in ætate 23. annorum ad minus constitutum, infra sex menses à die vacationis Sedi Apostolicæ nominat; ut per Sedem Apostolicam Monasterio vacanti de persona nominata provideatur.

XVII. Cùm autem Concordatum tantùm loquatur de Monasteriis *verè electivis*, in quorum electionibus servatur forma cap. QUIA PROPTER, & quorum confirmationes solemniter peti consueverunt, deducitur, Concordatum non comprehendere nisi Abbates, & Priores, qui sunt veri *Prælati*, id est juxta Rebuffum, quorum obitu Ecclesia est viduata Pastore, de quibus suprà: „ Unde si probetur, ait, quòd Prior habet alium „ supra se, non dicitur Ecclesia viduata: ergo in illo non ha„ bebit locum dictum cap. QUIA PROPTER, nec consequenter „ Concordatum."

Ad hæc, uti suprà notatum est, Abbates, & Priores non censentur Sponsi Ecclesiæ, per quorum obitum Ecclesia *viduata* dicitur, nisi in titulum, eumque perpetuum dentur; unde etiam Concordatum intelligendum esse, post Rebuffum tradit Choppinus *lib.* 1. *Monast. tit.* 1. *num.* 5. „ cum civili modera„ tione de perpetuis jurisque perpetui Sacerdotiis, non de tem„ porariis Ecclesiæ dignitatibus, quæ vivo abrogari possint ali„ quando, ex statuta Ordinis Regula, ac disciplina."

XVIII. Hoc titulo à Regia nominatione quædam Monasteria Ordinis Benedictini Congregationis Casæ exempta sunt, „ quod triennii lege teneantur sacræ ejusmodi potestates, nec „ ultra triennium vulgò producantur."

Similiter ibidem testante Choppino, Gullielmitæ, seu *Albi Mantelli* Priorem sibi eligunt, eo quod in Ordine Priores sint triennales.

XIX. Regia insuper ad sacrosanctas Potestates nominatio non procedit in Carthusiensi ejusque Primatu Conventus Monastici, ait Choppinus: „ Nam etsi is Primatus purè demandetur Cæ„ nobitæ, nec præfinitum in tempus; abrogari tamen huic ex „ causa potest à summo Ordinis Præsule, post inspecta lustra„ taque regionatim ejusdem familiæ Cœnobia. Singulorum ad hæc „ Conventuum Præfecti ita decernunt statuntque de profanis „ Monasterii redditibus annuis, ut nihil *proprium*, sed *commu„ nem* in usum omnia referant: quorum etiam proventuum ra„ tiocinia quotannis medio in cœtu sacrorum sodalium excutiun„ tur, & dispunguntur."

XX. In Ordine Cœlestinorum, „ qui Conventibus singulis „ præficiuntur, haud nominantur à Principe, quasi *Priores* „ *Conventuales*, juxta cit. §. *Monasteriis*, in Concordatis „ (ait Choppinus ibidem *num.* 7.) sed legitimis suffragiis desig„ nantur à Monastico Provinciali Magistratu." Rationem illius subjicit: „ Hi sacro sodalitio præsunt nudâ temporarii officii „ auctoritate veriùs, quàm Beneficii Ecclesiastici: nec priva„ tim suos faciunt fructus monasticorum prædiorum."

XXI. Ex hisce non obscurum est, Choppinum haud dubitâsse, eos solos Prioratus, sive Abbatias regiæ nominationi subjacere, qui instar Beneficii Ecclesiastici possidentur; & vi quorum ipsi Priores partem proventuum quasi sibi propriam administrant ac dispensant. Unde probans Ministros Ordinis SS. Trinitatis, vulgò *de Redemptione Captivorum*, esse à regia nominatione exemptos, inter alia adducit dicti Ordinis Regulam qua præcipitur: „ Omnes res undecunque licitè veniant, in „ tres partes dividantur æquales: & in quantum duæ partes suf„ ficiunt, exequantur ex illis opera misericordiæ, cum sui ip„ sorum, & eis necessariò famulantium moderata sustentatione: „ tertia verò pars reservetur ad redemptionem captivorum, qui „ sunt incarcerati pro fide Christi à Paganis, vel dato pretio „ rationabili pro redemptione ipsorum, vel pro redemptione „ Paganorum captivorum: ut postea rationabili commutatione „ redimatur Christianus pro Pagano."

Deinde his relatis subjicit: „ Unde elicias, Cœnobii cujus„ que Magistrum, seu *Ministrum* potiùs vulgò dictum, om„ nia habere cum Sodalitio communia, nec fructuarii instar „ *Beneficiarii* profanos templi redditus privatim dispensare." Quasi diceret, non mirum si Ministri hi nominationi regiæ non subjaceant, cùm non instar Beneficiarii proventus dispensent.

XXII. Quare credendum est, quòd separatio mensæ Abbatialis à Conventuali occassionem dederit non tantùm introducendis Commendis, sed etiam nominationi regiæ: dum per hanc divisionem, Abbates facti sunt quasi *Beneficiarii*, & Abbatiæ, & Prioratus transierunt in Dignitates, & Beneficia, quibus annexum esset jus percipiendi certos proventus: quamquam jam introductâ nominatione, etiam extensa fuerit ad Abbatias, quæ hanc divisionem non fecerunt: uti & in Commendis contigit.

XXIII. Monialium Monasteria Concordato non comprehendi post Rebuffum notat Choppinus *num.* 11. Quapropter vi Concordati, regiæ nominationi nulla Monialium Monasteria subjacent, uti etiam in contradictorio judicio per Senatum Regium aliquando judicatum esse refert Choppinus, qui tamen observat, sensim nominationem regiam ad Abbatias Monialium esse extensam; Regemque personas Monasterio præficiendas Pontifici nominâsse, quamvis ipsi Pontifices ægrè ejusmodi nominationem admittere voluerint. „ Ideò vidi (inquit Rebuf„ fus ad Concordata, *pag.* 559. edit. Paris. 1664.) quasdam „ nominationes per Regem factas, in quibus dicebat Papa, pro„ videmus tali N. dummodo Monialium majoris, & sanioris „ partis consensus intervenerit." Quin & postquam nominatio regia invaluit, adhuc tamen, teste Choppino, in litteris provisioni à Pontifice additur hæc clausula: *Dummodo consensus majoris partis Monialium accedat.*

XXIV. Ulteriùs, sicuti Regis nominatio vigore Concordati non respicit Abbates, aut Priores temporales; ita nec Concordati extensio postea facta ad Monasteria Monialium comprehendit Abbatissas aut Priorissas temporales, quemadmodum observat Rebuffus.

XXV. Ad hæc, usum illum regiæ nominationis ad Virginum Monasteria „ benignè interpretari sunt judices (ait Chop„ pinus *lib.* 1. *Monast. tit.* 1. *num.* 11.) ex animo, sensuque, „ Principis non habere locum in mulieribus Franciscanæ sectæ „ Monasteriis. Quanquam enim horum Magistræ titulo decoran„ tur *Abbatum fœminarum*, communibusque nunc fruantur „ possessionibus, parando victui idoneis: haud propterea uti„ que à Franciscanis Constitutionibus descivere, quæ singulis „ proprium quidvis abnuerint rerum profanarum. Nihil quippe „ Monastica Antistes particulare sibi sumit ex communi fundo„ rum Ecclesiæ proventu, ac redditu: verùm annui, & ordi„ narii illorum fructus communem in mensam Conventus haud „ dubiè inferuntur, & insumuntur."

Hîc rursum videmus, Choppinum exemptionem bonorum Monasteriorum à regia nominatione in hoc refundere, quòd nulla in Ordinis istius Monasteriis mensæ Abbatialis à Conventuali fuit nota divisio.

XXVI. In Belgio, quoad Monaseria regiæ nominationi non obnoxia, praxis, ac usus congruit cum usu Regni Gallicani, non autem per omnia quoad Monasteria, seu virorum, seu mulierum regiæ nominationi obnoxia.

XXVII. Prælatis enim, sive Abbatibus Brabantiæ multoties à Principibus libera electio juxta sanctiones canonicas, & Ordinum constitutiones, eorumque privilegia addicta fuit.

XXVIII. Porrò circa initium præteriti seculi Carolus V. à Leone X. obtinuit indultum, ut in his Ditionibus Belgicis nullus ad dignitates Abbatiales, aut quorumcumque Monasteriorum, etiam per Priores, aut Præpositos regi, & gubernari solitorum, regimina per Pontificem, aut Sedem Apostolicam, seu ejus Legatos, & Nuntios præfici; neç illis de quorumcunque personis quovis modo provideri possit: nisi, ait Pontifex, habitis priùs per Nos, aut Sedem Apostolicam, intentione, & consensu, tuis de personis ad hujusmodi dignitates & regimina promovendi. Ita est expressum in Bulla prout habetur parte 1. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 7. *cap.* 2. & in citata Chronologia Parcensi; at credo legi debere: *intentione & consensu tuis*; ut sit sensus: *Nisi habitis priùs per Nos, aut Sedem Apostolicam intentione & consensu tuis*, de personis, &c.

Vigore hujus Bullæ cùm instinctu quorumdam suorum ministrorum vellet Carolus, neglectâ Religiosorum liberâ electione, nominare personas sibi gratas ad dignitates Abbatiales; unanimiter Abbates, & Abbatissæ, Præpositi, ac Priores Conventuales se opposuerunt; allegantes tam vi suarum fundationum, tam titulo variorum privilegiorum, ac immemorabilis consuetudinis, Religiosis competere liberam electionem suorum respectivè Abbatum, Abbatissarum, Præpositorum, & Priorum; neque huic juri electionis per Bullam ullatenus esse derogatum: imò Bullam in corroborationem, ac præservationem istius juris in favorem Monasteriorum à Carolo fuisse solicitam, & impetratam: quemadmodum hæc omnia latiùs deducuntur in Compromisso, quo de consensu Caroli, & Abbatum & aliorum hæc difficultas quibusdam arbitris commissa fuit 12. Februarii 1521. Habetur *parte* 4. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 6.

Verùm, cum quæstio hæc ob varias difficultates per arbitros non decideretur, tandem sub Philippo II. Caroli immediato successore, inita est Concordia super modo Monasteriis vacantibus de Abbatibus providendi, quæ saltem *provisionaliter* quousquæ quæstio principalis coram arbitris indecisa pendens terminaretur, observari deberet. Cùm autem quæstio nec hactenus decisa fuerit, is modus providendi provisionalis quasi in absolutum transiit, atque hodie juxta illum proceditur. Impressa est hæc Concordia in *dicta part.* 4. *Edictorum*, *loco citato cap.* 12.

XXIX. In hac Concordia promittit Princeps, quòd, si quando aliquam Abbatiarum vacare contigerit, mittet aliquos Commissarios, quos nimirùm ex Abbatibus Brabantiæ ejusdem Ordinis quatenus reperiantur, & quos judicaverit magis idoneos, aut alterius Ordinis illis deficientibus, unà cum aliquo alio tertio Comissario (qui hodie esse solet Cancellarius Consi-

lii Brabantiæ) qui Commissarii super idoneitate, & qualitate Religiosorum ejusdem Monasterii diligenter inquirant, ac informationem suam Principi cum suo *adviso* (id est, *judicio*) remittant, ac deinde eum, ait Princeps, quem maximè idoneum inveniemus, si quis modo idoneus reperiatur, desumemus, habitâ ratione tam advisi eorum Commissariorum, quàm vitæ, conversationis, & idoneitatis electorum, idque ex depositionibus eligentium, ex quibus constabit, quis ex electis in spiritualibus sit magis idoneus: „ Et casu quo (per„ git Princeps) aliquod canonicum, seu legitimum obsti„ terit impedimentum contra hujusmodi electos, seu, ut „ præfertur, per Religiosos designatos; curabimus novam in„ formationem capi, tam super ejusdem Monasterii quàm alio„ rum ejusdem Ordinis in Brabantia successivè Religiosis, ad fi„ nem ut ex designatis desumamus seu approbemus, quem re„ periemus magis idoneum."

XXX. Itaque juxta normam hujus Concordiæ, qua hodie hîc utimur, Religiosi coram Comissariis Regiis aliquos in Abbatem eligunt, sive proponunt, idque ordine illo quo eos ad Prælaturam digniores credunt; atque tres ex illis pluralitate suffragiorum electos solent Commissarii, suo adjuncto super designatorum capacitate, & meritis judicio, Principi proponere; è quibus Princeps unum designat, qui Religiosis capitulariter congregatis per Episcopum vel alium Superiorem, auctoritatem confirmandi seu installandi habentem proponitur; atque ab ipsis per quandam imaginem seu speciem electionis in Abbatem recipitur.

XXXI. Eadem forma servari solet in designatione, & electione Abbatissarum, sustinentque, Principem vi prædictæ concordiæ non posse nominare nisi unam ex electis, & propositis Monialibus.

CAPUT IX.

De Confirmatione, et Benedictione Abbatum.

1 *Abbates electi, vel nominati debent à Superiore confirmari.*
2 *Abbates à suo Episcopo confirmandi, nisi sint exempti.*
3 *Interdum Abbates, & Superiores electi unà censentur confirmati.*
4 *A quo confirmatio postulanda juxta Concordata Germaniæ.*
5 *In Gallia Abbates à Rege in vim Concordati nominati, tenentur à Sede Apostolica confirmationem habere.*
6 *In Belgio aliquando quæstio suborta fuit circa Abbates à Rege nominatos.*
7 *Usu obtinuit, ut Abbates in Belgio confirmentur, juxta jus commune, & Ordinum particularia privilegia.*
8 *Quomodo Abbatum confirmatio, & provisio expediatur juxta stylum Curiæ Romanæ.*
9 *Ex taxa Cameræ Apostolicæ constat, Abbatias Belgicas plerasque esse* Consistoriales.
10 *Abbates in vim provisionis Apostolicæ possessionem non accipiunt sine placito Regio.*
11 *Solemnis Benedictionis Abbatialis nulla in Regulis monasticis mentio.*
12 *Verisimiliter unà cum Pontificalium usu invaluit.*
13 *Benedictio* solemnis *non facit Abbatem.*
14 *Etiam hodie sine illa benedictione potest esse verus Abbas.*
15 *Ante benedictionem vocatur simpliciter Abbas.*
16 *A quo benedicendus Abbas.*
17 *Ritus in multis convenit cum ritu consecrationis Episcopalis.*
18 *Promittit fidelem rerum Monasterii dispensationem.*
19 *Traditur ei Regula ad regendum Monasterium.*
20 *Abbatissæ etiam solemniter benedicuntur; & regere Monasterium juxta Regulam promittunt.*
21 *Abbatissæ spirituale, & temporle regimen Monasterii committitur.*

I. ABbates, aliosque Monasteriorum Superiores, qui vel per electionem Conventûs, vel per nominationem regiam constituuntur, necessariò à Superiore confirmandos esse, priusquam se administrationi immisceant, uno consensu tradunt Canonistæ ad *cap.* QUALITER ✠ *de Electione.*

II. Jure communi Abbates non exempti, postquam à suo Conventu fuerint electi, ab Episcopo Diœcesano, cui immediatè subjiciuntur, confirmandi sunt; uti communiter tradunt Canonistæ ad *cap.* STATUIMUS ✠ *de Suppl. neglig. Prælat.* Exempti verò confirmationem petere debent a Pontifice, quando scilicet exempti immediatè sunt Papæ subjecti: „ Secus au„ tem (ait Ascanius Tamburinus *de Jure Abbatum, tom.* 1. *disp.* 6. *quæst.* 2. *num.* 2.) si Abbas habet alium Prælatum „ medium, cui subsit, prout Abbates, & Prælati locales ha„ bentes Abbatem, & Præsidentem *Generalem* vel *Provin„ cialem* à quo confirmentur."

III. Deinde Abbates, & Prælati locales, qui non per electionem Conventuum eliguntur, sed à Generali cum Definitorio constituuntur, non indigent confirmatione, ut rectè ibidem *num.* 4. monet Tamburinus: „ quia quando ad eundem spectat „ electio, & confirmatio eodem jure, tunc eo ipso, quòd eli„ git, etiam confirmare censetur."

Hinc in Italia Abbates perpetui, qui à Pontifice *consistorialiter* designantur, nulla alia indigent confirmatione.

IV. Concordata Germaniæ concedunt, quòd in Monasteriis immediatè subjectis Sedi Apostolicæ fiant canonicæ electiones, quæ ad dictam Sedem deferantur, „ quas etiam, ait Nicolaus V. „ ad tempus Constitutionis felicis recordationis Nicolai Papæ III. „ quæ incipit: *Cupientes*, expectabimus, & elapso dicto ter„ mino, si non præsentatæ, vel si præsentatæ minus canonicæ „ fuerint, providebimus, & si canonicæ fuerint, confirma„ bimus.... Et in Monasteriis dictæ Sedi immediatè non subjec„ tis, & aliis regularibus Beneficiis, super quibus pro confir„ matione, vel provisione ad dictam Sedem non consuevit ha„ beri recursus, electi, seu illi, quibus providendum est, pro „ confirmatione, & provisione hujusmodi ad curiam Romanam „ venire non tenebuntur."

V. In Gallia vigore Concordatorum Rex nominat personas ad Monasteria vacantia Sedi Apostolicæ, ut ab hac Sede provisionem accipiant; quæ provisio pro confirmatione reputatur. Quare quoad Abbatias, & Prioratus regiæ nominationi subjectos, confirmationes seu provisiones à Sede Apostolica peti, & obtineri debent.

VI. In Belgio aliquando quæstio fuisse legitur, num Abbates per Regem designati à Sede Apostolica *confirmationem* sive provisionem obtinere tenerentur (d): eò quòd in Indulto Caroli V. Philippi II. & Alberti Archiducis, de nominando ad primarias Ecclesiarum dignitates habeatur, *quod sic nominati à Sede Apostolica obtinebunt confirmationem*; sed quoad primas dignitates seculares post Episcopales quoad hoc punctum indultum non est receptum: nec enim ullus à Rege ad hujusmodi dignitatem nominatus, confirmationem à Sede Apostolica petit. Quoad Abbatias verò, Principes hoc indulto uti non videntur, sed jure quo priùs potiebantur; ut nimirum Monasteriis quidem sua maneat canonica electio, hoc tamen temperamento, ut eligant quem Princeps, priùs factâ inquisitione juxta supra citata Concordata, sibi gratum, & maximè idoneum designaverit.

VII. Unde moribus Belgii, Abbatum confirmatio peti, & obtineri consuevit juxta jus commune, & particulares cujusque Ordinis constitutiones, & privilegia. Paucissima autem, eaque à jurisdictione Ordinariorum exempta Ordinis Benedictini Monasteria à Sede Apostolica provisionem, seu confirmationem petere consueverunt.

VIII. Provissio Abbatiarum excedentium valorem annuum ducentorum florenorum auri de Camera expeditur consistorialiter, sive in Consistorio Cardinalium, idque prævia informatione, ac propositione quæ in Cathedralium Ecclesiarum provisione servari consuevit: uti expressè declaravit Gregorius XIV. in sua Constitutione, quæ incipit: *Onus Apostolicæ*, de qua suprà *tit.* 14. *cap.* 3. actum fuit: ubi & ritus informationis latiùs descriptus fuit.

IX. Ex taxa autem Abbatiarum, & Monasteriorum, quam exhibet Ascanius Tamburinus ad calcem tomi primi de *Jure Abbatum, ad exemplar libri Sacri Collegii, & Rever. Cameræ Apostolicæ*, patet, Abbatias Belgii omnes futuras Consistoriales, si earum provisio Romæ peteretur: taxa enim illarum ibidem notata, multùm excedit valorem annuum ducentorum florenorum auri de Camera.

X. Circa Abbatias, quarum provisio à Sede Apostolica habenda est, notandum, quòd licèt Pontifex in Consistorio det provisionem, nequaquam tamen in vim istius provissionis, possessionem Abbatiæ, aut ejus administrationem accipere queat provisus, ante expeditionem Bullarum; & priusquam placetum Regium hisce in partibus accesserit, quemadmodum in provisione Cathedralium Ecclesiarum obtinere, suprà *tit.* 14. *cap.* 5. ostensum est.

XI. De solemni, quæ hodie in usu est, Abbatum benedictione nihil in regulis Monasticis, aut antiquis historiis, aut Ecclesiasticis monumentis occurrit.

Meminit quidem Can. XIV. Synodi VII. Abbatum, qui ab Episcopo manus impositionem acceperunt; sed uti benè notant *temporibus ortâ fuère, certis Dignitatibus, Præbendis, & Beneficiis, numero* 52. *suæ præsentationi & collationi reservatis; cætera indistinctè præsentationi Regiæ, Ordinariique collationi reliquit, ut* in leg. 11. tit. 6. lib. 1. Recopilat. *videri est, in qua dictum Concordatum ad litteram includitur.*

(d) *In Hispania non solùm Abbatiarum, verùm etiam Archiepiscopatuum Episcopatuumque collatio inconcussâ praxi ad Apostolicam Sedem semper pertinuit; sicuti eorum præsentatio ad Reges nostros, uti in Concordato finito anno* 1753. *Benedictus XIV. expressis verbis asseruit. Et desiderans ipse finem imponere dubiis, quæ circa collationem Beneficiorum diversis*

tant ad dictum Canonem Balsamon, Zonaras, aliique Græci Commentatores, tantùm sermo est de impositione manûs, quâ Abbas in Presbyterum ab Episcopo fuit ordinatus. Unde erat Glossa dum ad *Can.* 1. *dist.* 69. apud Gratianum *hanc manus impositionem* pro *benedictione Abbatiali* accipit.

XII. Admodum verisimile est, solemnem illam Abbatum benedictionem, quæ ad Episcopalem consecrationem non parùm accedit, invaluisse, quando Abbates cum ornamentis Pontificalibus ad ipsam quodammodo Pontificalem sive Episcopalem eminentiam, ac dignitatem ascendere cœperunt.

XIII. Quidquid sit, illud certum est, benedictionem illam *solemnem* non constituere, aut efficere Abbatem; nec ita necessariam esse hanc benedictionem in Abbate, uti est consecratio in Episcopo. Unde seculo XI. scripsit S. Ivo Carnotensis: *Promotionem Abbatis non facit Episcopalis Benedictio, sed Fratrum communis electio.*

XIV. Ad hæc Alexander III. in *cap.* 1. ✠ *de Suppl. negl. Prælat.* concessit Cisterciensibus, ut „ si Episcopus tertio cum „ humilitate, ac devotione, sicut convenit, requisitus, Abba„ tes benedicere renuerit, liceat Abbatibus proprios Mona„ chos benedicere, & alia, quæ ad hoc officium pertinent, „ exercere.“ Ex quo conficitur benedictionem nullatenus esse Abbati constituendo necessariam.

Quin nec hodie Abbates triennales benedicuntur (ait Tamburinus *de Jure Abbatum, tom.* 1. *disp.* 11. *quæst.* 3.) & tamen gaudent prærogativis, quibus benedicti.

XV. Notantque ulteriùs Canonistæ, electum, & confirmatum, tametsi necdum benedictum, vocari simpliciter *Abbatem* in citato *cap.* 1. & *cap.* 13 ✠ *de Accusation.* idemque de stylo Cancellariæ Romanæ servari scribit Oldradus *consil.* 14. subdens, Abbatis Beneficia vacare post adeptam possessionem ante benedictionem.

XVI. Benedictionem de jure communi Abbates accipere debent à proprio Episcopo, uti notatur in *cit. cap.* 1.

Martinum V. Abbati S. Pancratii de Florentia Congregationis Vallis Umbrosæ, & Eugenium IV. Congregationi Cœlestinorum concesisse privilegium, ut à quocunque maluerint Antistite gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habente, benedictionem accipiant, refert Tamburinus *loco cit. quæst.* 10.

Et teste Choppino, *lib.* 2. *Monast. tit.* 1. *n.* 7. per Bullam Innocentii VIII. Cistercienses habent privilegium speciale pro Abbate capite Ordinis, ut possit novis Abbatibus, & Abbatissis sui Ordinis sacræ benedictionis munus impendere, citra Episcopi auctoritatem, editâ Bullâ anni 1484.

Deinde hoc privilegium extendit Clemens VIII. per Bullam 24. Julii 1599. concedendo Abbati Capiti Ordinis Cisterciensis, constituendi, ac delegandi Abbates Commissarios, per Provincias cum potestate benedicendi novos Abbates, & Abbatissas sui Ordinis; quo privilegio etiamnum hodie utitur in Belgio Ordo Cisterciensis.

XVII. Ritus hodiernus benedicendi Abbates, penè per omnia coincidit cum ritu consecrationis Episcopalis, referturque in Pontificali Romano, in quo hæc duo notanda occurrunt.

XVIII. Primò, quòd inter articulos examinis hic recenseatur: *Vis res Monasterii tibi commissi fideliter custodire*, & *in usus Ecclesiæ, Fratrum, Pauperum, & Peregrinorum distribuere?* Respondet benedicendus: *Volo.*

XIX. Secundò, ubi Episcopo consecrando traditur liber Evangeliorum, Abbati traditur Regula sui Ordinis his verbis: *Accipe Regulam à Sanctis Patribus traditam, ad regendum, custodiendumque gregem tibi à Deo creditum, quantum Deus ipse te confortaverit, & fragilitas humana permiserit.*

XX. Abbatissæ etiam solemniter benedici consueverunt ritu in Pontificali descripto, in quo inter cætera hæc notanda sunt.

Primùm, quòd Prælatus benedicens tradat electæ Abbatissæ Regulam dicens: „ Accipe Regulam à sanctis Patribus tra„ ditam, ad regendum, custodiendumque gregem tibi à Deo „ commissum, quantum Deus ipse te confortaverit, & fragi„ litas humana permiserit. Accipe gregis Domini maternam pro„ videntiam, & animarum procurationem; & per divinæ le„ gis incedendo præcepta, sis ei Dux ad cœlestis hæreditatis „ pascua.“

XXI. Deindè absoluta benedictione Prælatus eam intronizat, dicens: „ Accipe plenam & liberam potestatem regendi „ hoc Monasterium, & omnia quæ ad illius regimen interius & „ exterius, spiritualiter & temporaliter pertinere noscuntur.“

Ex his videmus, Abbatissæ regimen non tantùm exterius, & temporale, sed & interius, ac spirituale; quin & procurationem animarum committi.

CAPUT X.

Quis Ordo, et ætas in Superioribus Regularibus requiratur.

1 *Abbates olim non erat Presbyteri.*
2 *Hanc disciplinam supponit Conventus Aquisgranensis seculo IX.*
3 *Non refragatur huic disciplinæ Regula Benedictina.*
4 *Gratianus censuit ex Regula Benedictina Abbates debere esse Presbyteros.*
5 *A mente Regulæ aberravit Gratianus.*
6 *Alius Gratiani error.*
7 *Ad disciplinam sui temporis respexisse videtur Gratianus.*
8 *Jure Decretalium Abbates tenentur ad Presbyteratum promoveri.*
9 *Idem est de Priore Conventuali.*
10 *Hodie cura animarum requirit Sacerdotium, & quare.*
11 *Jure communi requiritur ætas 25. annorum in Abbate, & Priore.*
12 *Per Concordatum Gallicanum, recessum est ab hoc jure communi.*
13 *Qua ratione in Gallia Abbates compellantur ad suscipiendum Presbyteratum.*
14 *Quæ ætas juri communi in Abbatissa, & Priorissa requiratur.*
15 *Concilium Trident. requirit annum 40. completum.*
16 *Quid Concilium Trid. velit dum in Monasterio non reperitur, quæ has qualitates habeat.*
17 *Quandonam ex alio Monasterio eligi possit vel debeat.*
18 *In electione Superiorum magis ad merita quàm ad ætatem attendendum.*

I. OLim non omnes Abbates Presbyteros fuisse, ex antiquis Monachorum regulis, & vitis sat manifestum est; unde jam pridem sine ulla hæsitatione Rupertus Abbas *lib.* 2. *in Regulam Benedictinam, cap.* 10. postquam locutus esset de disciplina requirente in Abbate Presbyteratum, ait: *Olim non ita erat, multi Abbates erant, qui sacros Ordines non habebant.*

Ad quæ, aliaque reflectens Hugo Menardus in appendice 3. *ad cap.* 23. *Concordiæ Regularum*, ait: „ Quare quorundam „ Recentiorum opinioni suffragari non possum, qui dicunt Ab„ batem teneri ad Sacerdotium ex Regulæ S. Benedicti instituto.“

Deindè refert plura exempla Abbatum, qui nunquam Presbyteri fuerunt; atque inter alia S. Eugendi, qui nunquam ad hunc ordinem promoveri voluit: „ & cum de hoc ordine sus„ cipiendo solicitaretur, dixit, utilius multò esse Abbati propter „ juniorum ambitionem liberum à Sacerdotio præesse fratribus.“

II. Hanc pristinam disciplinam non obscurè supponit Conventus generalis Abbatum anno 817. Aquisgrani coram Ludovico Pio habitus ad reformationem Monachorum, ubi *cap.* 62. dicitur: „ Ut Abbas, Præpositus, vel Decanus, quamvis Pres„ byteri non sint, Lectoribus benedictionem tribuant.

III. Neque is refragatur, quod ex Regula S. Benedicti Abbas animas regendas suscipiat, atque ita curam animarum habeat, quæ videtur Sacerdotium supponere; ita ut communiter tradant Canonistæ, Beneficium curam animarum annexam habens exigere in Beneficiato, ut saltem ad Sacerdotium intra tempus à jure definitum promoveatur. Verum *regimen animarum*, de quo S. Benedictus, comprehendebat quidem omnem auctoritatem, & jurisdictionem in Monachos, statuendi, præcipiendi, corrigendi, puniendique, quantum saluti Monachorum, & disciplinæ monasticæ congruit; sed Eucharistiæ, Pœnitentiæ, aliorumque Sacramentorum administrationem, quæ Ordinem Sacerdotalem exigunt, non complectebatur; quo sensu etiamnùm hodie Abbatissis, necnon quibusdam Superioribus laicis, ut apud Cellitas seu Alexianos, cura seu regimen animarum, & spiritualis jurisdictio absque potestate Clavium competere dicitur, uti latè probat Zypæus *resp.* 10. *de Regular.* & quoad Abbatissas, manifestè supponit Pontificale, eis *animarum procurationem* incumbere, ut capite præcedent notatum est.

IV. Gratianus tamen censuisse videtur, quòd ex præscripto S. Benedicti Abbas deberet ad Sacerdotium promoveri, eò quòd Abbatis sit egredientibus Fratribus *benedictionem* impartiri; quam non nisi à Sacerdote dari posse credidit Gratianus. Verba ejus sunt subjecta *Canoni* 39. *caus.* 16. *q.* 1. „ Supe„ riori auctoritate non prohibentur Abbates Sacerdotes fieri: „ cùm B. Benedictus jubeat Abbatem fratribus egredientibus, „ & regredientibus *benedictionem* dare; quod non nisi *Sacer„ dotum* est.

V. Verùm, ut notat Haeftenus in *prolegomeno* 18. §. 11. in vita S. Benedicti, Gratianus hîc à sensu, ac mente Patrum aberravit, dum credidit *Benedictiones*, de quibus in Regulis

monasticis, non nisi à Presbyteris dari potuisse. Nam, uti benè monet Haeftenus, hæ monasticæ observantiæ, uti & benedictiones ministrorum, & Lectorum mensæ nullam cum Sacerdotali Ordine habent connexionem, nec ab eo dependent, Paternas potiùs has dixerim, ait Haeftenus, quibus abeuntes, vel redeuntes prosequuntur filios.

Plura ibidem ait Haeftenus, quibus etiam ex ipsa Regula Benedictina evincit, Benedictiones hujusmodi non fuisse Presbyterales, multisque ostendit, Abbates ex præscripto Regulæ non debuisse esse Presbyteros, atque contrariis argumentis occurrit.

VI. Notat insuper Haeftenus ibidem, Gratianum multum aberrare, ac sibi quasi contradicere, dum eodem loco ait: *Lectionem Evangelii cum subsequente oratione dicere, Sacerdotalis esse officii*: cum ipsemet *dist.* 25. *can.* PERLECTIS, ex Isidoro scripserit, *ad Diaconum pertinere Evangelium prædicare. Nam sicut Lectoribus vetus Testamentum, ita Diaconis novum prædicare præceptum.*

VII. Cæterum Gratianus benedictiones monsticas, atque lectionem Evangelii asserens esse *Officii Sacerdotalis*, forsan ad disciplinam sui temporis reflexit; eo quippe tempore Abbates plerique Presbyteri erant. Imò tum in Synodo Pictaviensi sub finem seculi XI. decretum erat *can.* 7. „Ut Ab„ bates Decani, & Præpositi, qui Presbyteri non sunt, Pres„ byteri fiant, aut Prælationes amittant."

VIII. Hic Canon postmodum relatus in Decretales Gregorii IX. in *cap.* 1. ✠ *de Ætate & qualit. Ordinand.* partem juris communis constituit.

Hinc nullus dubitat, quin juxta juris communis dispositionem, atque hodiernam disciplinam Abbates Regulares, & titulares debeant esse Presbyteri, aut infra annum ad Presbyteratum, quemadmodum alii Dignitatem aut Beneficium cum curâ animarum annexâ possidentes, promoveri.

IX. Quod de Abbatibus hîc statuitur, idem quoque in Priore Conventuali juxta modernam disciplinam ex eadem ratione obtinere receptum est: utpote cui non minùs, quàm Abbati curam animarum imminet, atque ita Beneficiis Curatis ennumeratur, quæ Presbyteratum requirere nullus ambigit.

X. Curam enim animarum hodie involvere potestatem Clavium, aliaque à Sacerdotali charactere dependentia, receptum est, nec illis *propriè curam animarum* juxta modernam phrasim habere censentur, qui vi sui muneris non debent Sacramenta, & cætera à Clavibus & Sacerdotio dependentia suis subditis administrare; quamvis aliàs sano sensu curam animamarum habere dici possint; uti suprà est expositum.

XI. Ulteriùs, quamvis in Regula Benedictina aut aliis Regulis Monasticis non determinetur ætas Abbatum, aut Priorum Conventualium; hodie tamen ex jure comuni, nec Prioratus Conventuales, uti nec Abbatiæ, sunt conferendi, aut committendi cuiquam, nisi annum 25. attigerit, *Clement.* 1. §. CÆTERUM *de Statu Monach.* quæ est ætas legitima ad Sacerdotium. Priore ergo disciplinâ quoad Sacerdotii necessitatem in Abbate stabilitâ, consequens erat, & hanc introduci.

XII. Hinc Rebuffus reflectens, quòd vi Concordati Rex Galliæ possit ad Abbatiam nominare Regularem in 23. duntaxat ætatis anno constitutum, non dubitat concedere, non tantùm esse derogatum Juri communi quoad ætatem, sed etiam per consequens dispensatum censeri in susceptione Sacerdotii; ut nimirùm illud infra annum conformiter ad Jus commune suscipere non teneatur. Ad Concordata titulo *de Regia & Prælat. Nominatione*, §. *Monasterio*, verbo, *viginti trium annorum*; ibidemque addit, quòd de jure communi requiretur, quòd Abbas esset Sacerdos: „tamen hodie, ait, con„ suetudo se habet in contrarium.... sed non est secundum Lu„ cam, Abbatiæ fructus devorare, & Deo non servire, & non „ promoveri (ad Sacerdotium) & tales sunt Deo exactam „ rationem reddituri, sed conscientias eorum oneramus."

XIII. Huic abusu obviam itum est decreto Blesensi *art.* 9. quo cavetur, ut Abbates & Priores Conventuales, qui ætatem legitimam attingerint, teneantur intra annum ad Ordinem Presbyteratûs promoveri à tempore provisionis computandum: quod si infra biennium subsequens non fuerint promoti ad illum Ordinem, Beneficia per ipsos obtenta declarabuntur vacantia, & impetrabilia; ac insuper cogentur restituere fructus perceptos, impendendos in pios usus. Le Prestre *cent.* 2. *cap.* 78. *in Annotat.*

Ibidem quoque in corpore notat, pro obtinendo simplici Prioratu regulari, sive in titulum, sive in commendam, requiri ætatem 14. annorum; tametsi nullus Ordo requiratur, sed simplex Tonsura sufficiat; & ita sæpiùs judicatum fuisse asserit.

XIV. In Abbatissa, & Priorissa Conventuali Jure communi in *cap.* INDEMNITATIBUS *de Elect. in VI.* requiritur ætas 30. annorum completorum; neque per Concordata Galliæ huic articulo derogatum esse monet Rebuffus loco citato, quia Concordata non loquuntur de Monialibus.

XV. Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 7. *de Regularib.* vult, „ut Abbatissa, & Priorissa, & quocunque alio no„ mine appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ „ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit.

Requiri annum quadragesimum completum, post Garciam probat Fagnanus ad *cap.* DUM IN CUNCTIS ✠ *de Elect. n.* 123.

XVI. „Quòd si his qualitatibus non reperiatur in eodem „ Monasterio, pergit Synodus, ex alio ejusdem Ordinis eli„ gi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electio„ ni præest, videatur: ex iis, quæ in eodem Monasterio an„ num trigessimum excesserint, & quinque saltem annis post „ professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio Superiore „ consentiente, eligatur."

XVII. Refert autem Fagnanus ad *cap.* CUM IN CUNCTIS ✠ *de Election. num.* 114. quòd si reperiatur in Monasterio Monialis quadragenaria cum qualitatibus à Synodo requisitis, tunc non possit eligi ex alio Monasterio etiam ejusdem Ordinis. Sin autem talis in ipso Monasterio minimè reperiatur, tunc etiam poterunt de consensu Episcopi, aut Prælati, electioni præsidentis, eligere aliam, quæ trigessimum annum excesserit, & quinque annis saltem post professionem rectè vixerit. Quòd si nec talis in proprio Monasterio reperiatur, nec quadragenaria in alio Monasterio ejusdem Ordinis, tunc poterunt ex alio Monasterio ejusdem Ordinis eligere, quæ trigesimum ætatis annum expleverit, & ad præscriptum decreti Tridentini professa sit. Nulla tamen, ait, minoris ætatis eligi poterit, sed postulanda à Sede Apostolica; idque ob prohibitionem in citato cap. INDEMNITATIBUS.

XVIII. Cæterùm in electione Abbatum, & Abbatissarum præcipuè ad merita, & capacitatem attendendum est, quemadmodum optimè expressit S. Benedictus in Regula, & Justinianus in sua Sanctione: qnorum verba capite præcedenti *num.* 2. & 3. relata sunt; neque certa ætas, aut tempus professionis jure positivo præscripta fuerunt, nisi quia credebatur quòd hæc conducerent, ut melius de capaciore provideretur Monasteriis.

TITULUS XXXII.

De Regularium Reformatione, & Visitatione.

CAPUT I.

PRÆCIPUÆ CAUSÆ COLLAPSÆ DISCIPLINÆ MONASTICÆ RECENSENTUR.

1 *Omnia humana mutabilitati obnoxia.*
2 *Ordines etiam sanctissimè instituti eam senserunt.*
3 *Prima causa relaxationis* peculiaritas.
4 *Hæc eradicanda est.*
5 *Recessus à paupertate in victu, vestitu, ædificiis, & suppellectile, disciplinæ, monasticæ exitialis.*
6 *Hic recessus trahit ad Monasteria homines carnales.*
7 *Facit ut in admissione ad Religionem humana multa intercurrant.*
8 *Similis ad Religionem introitus, & admissio relaxatione Religionis occasionem subministrat.*
9 *Secularium hominum ad Monasteria confluxus Monasticam disciplinam labefactat.*
10 *Omissio orationis Religionis spiritum extinguit.*
11 *Hæcque & alia multa oriri solent ex divitiarum affluentia.*
12 *Ex rerum temporalium nimia abundantia collapsam monasticam disciplinam plures deplorârunt.*
13 *Rerum temporalium abundantia non omninò repugnat cum perfectione vitæ monasticæ.*
14 *Est tamen dificile utramque simul componere.*
15 *Quid ad obviandum periculis orituris ex hac abundantia, statuerit Ordo Carthusianorum.*
16 *Ordines Mendicantes omnem rerum temporalium possessionem ideò abdicârunt.*
17 *Penuria horum Ordinum ex nimia Fratrum multiplicatione orta, plures relaxationi causas dedit.*

Pri-

18 *Prima est negotiorum multiplicitas.*
19 *Secunda, evagatio nimia.*
20 *Tertia, affectata amicitia, familiaritas cum divitibus & magnatibus seculi.*
21 *Quarta occupatio jurium Parochialium.*
22 *S. Bonaventura restrictum voluit numerum Fratrum, uti & primi Capucinorum Patres.*
23 *Penuria facit, ut plures non satis probati ad Religionem admittantur; quod monasticæ disciplinæ exitiale est.*
24 *Regularum interpretationes & mitigationes, disciplinæ rigorem relaxandi occasionem dederunt.*
25 *Secularium confessiones excipere Ordinum Mendicantium prolapsioni occasionem dare potest.*
26 *Applicatio ad functiones Hierarchicas hisce Ordinibus relaxandi materiam subministrare nata est.*

I. ÆTerna lex (ait Lipsius *Lib.* 1. *de Constantia*, *cap.* 16.) „ à principio dicta omni huic mundo, nasci, de„ nasci, oriri, aboriri: nec quidquam stabile, aut firmum ar„ biter ille rerum esse voluit, præter ipsum.“ *Apud quem*, teste Apostolo, *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Jac. cap.* 1. *v.* 17.

II. Hanc rerum humanarum vicissitudinem ac mutabilitatem experti quoque fuêre quotquot etiam sanctissimè instituti sunt Monachorum atque Religiosorum Ordines.

Quis nescit, quàm sancta fuerint Ordinum illorum initia! Quàm bonum per Ecclesiam universam sparserint odorem! Quàm sanctè Patres illorum, ac etiam horum filii vixerint! Sed nec hoc ignoratur, à perfectione, & sanctitate sua Ordines illos sensim ad magnam subinde prolapsos fuisse deformitatem, cujus prolapsionis penè tot sunt testimonia, quot de rebus Monasticis sunt Scriptores.

Illi consuli poterunt. Nos hîc eorum testimoniis omissis, causas præcipuas collapsionis, & defectionis monasticæ disciplinæ breviter annotabimus; ut qui reformationi Monasteriorum intendere, ac invigilare jubentur, causas & radices collapsæ disciplinæ intelligentes, iis tollendis, & eradicandis præcipuè incumbant, & allaborent.

III. Harum facilè præcipua jam pridem reputata est *peculiaritas*, sive *vitium proprietatis*.

Et quidem S. Gregorius *lib.* 10. *quæst.* 22. mandat Episcopo Mariano, ut peculiaritatem à 4. aut 5. Monachis, in quibus hactenus corrigi minimè potuit, studiosissimè compescat, & Monasterium à tali peste mundare festinent: „ Quia, „ ait, si illic peculiaritas à Monachis habetur, neque concor„ dia, neque charitas in Congregatione eâdem poterit per„ manere.“

Si autem *concordia & charitas* à Congregatione Monastica exulet, sanè quid exurget nisi confusa Babylon, & vitiorum spelunca?

Unde Dionysius Carthusianus tractatu *de Reform. Claust. art.* 16. dans rationem cur Patres Monachorum proprietatem, sive peculium tam rigorosè prohibuerint, ait: „ Considera„ verunt enim quòd ex proprietate, seu peculio tanquam ex „ venenosa radice multa peccata proveniunt, ut puta contu„ macia, superbia, contentio, partialitas, avaritia, vana glo„ ria, invidia, mendacium, luxuria, occupatio infructuosa, cu„ ra superflua, multiplex dissolutio, varia mentis distractio, „ acedia negligensque Divini Officii persolutio, atque similia.“

IV. Pluribus hæc ibidem prosequitur Dionysius, uti videri poterit in Dissertatione mea canonica *de Peculiaritate*, *part* 1. *cap.* 3. §. 5. ibi plura eam in rem referuntur.

Qui igitur reformationi intendunt ante omnia allaborare debent, ut vitium hoc radicitùs evellant, occasionesque peculiaritatis Monachis adimere studeant; juxta ea, quæ tum in citata dissertatione, tum supra *tit.* 26. notavimus.

V. Exitialis quoque monasticæ disciplinæ est recessus à paupertate religiosa in victu, vestitu, supellectile, ædificiorum structuris, & ornatu totoque vitæ genere.

Dum enim semel à paupertate, ac simplicitate Monastica in his deflectitur, facilè ad delicias, & excessus in cibo, & potu mollitiem in vestibus, seculi pompam, & fastum in supellectile, superfluitatem in ædificiis, & à christiana hospitalitate ad secularia & mundana convivia, & epulas devenitur.

Hæc verò ubi semel invaluerint, sensim omnem paupertatis, simplicitatis, necnon mortificationis, & pœnitentiæ spiritum in Monachis extinguent; ac de spiritualibus carnales, & mundanos efficient: quemadmodum de similibus suo tempore dixit S. Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem.

VI. Ulteriùs, dum in Monasteriis mensa lautè instructa, ædificia ut Principum penè Palatia, supellex superba habentur; notum est fieri, ut Monasteria hujusmodi non tam ambiant illi, qui rejectis pompis, ac deliciis mundi Christo pauperi in paupertate, ac humilitate vivere desiderant, quàm illi qui comodè & lautè vivere volunt; ac sub Christo paupere quærunt, quod in seculo invenire non possunt.

Hinc deinde fit, ut plures in similia Monasteria irrepant, „ quos non traxit divina vocatio ad humilitatem Christi (ver„ ba sunt Bellarmini *lib.* 2. *cap.* 6. *de Gemitu Columbæ*) sed „ carnalis affectus, qui mentem excœcat, duxit illos, vel ad „ vitam commodiorem, cùm essent pauperes; vel ad hono„ res ambiendos in Religione, cùm in seculo non invenerunt, „ quâ viâ possent ascendere: vel alio humano consilio ves„ tem induerunt, sed mores non mutaverunt.“

VII. Quin & ipsa quotidiana experientia docet, quòd Monasteria hujusmodi secundum seculum commoditatibus, & apparatibus externis instructa reputent pro non exiguo, etiam juxta mundi æstimationem, beneficio, quòd multa solicitatione, & amicorum interpellatione interdum obtinendum est, alicujus ad Religionem admissionem; in tantùm, ut non raro hîc humanæ plures considerationes interveniant.

VIII. Hujusmodi autem ad Religionem introitus, & admissiones, quid aliud quàm ipsius monasticæ disciplinæ integram ruinam parere possunt?

Senserant malum illud seculo IX. Monachi Fuldenses, supplicantes idcirco Carolo Magno, ut „ nullus ante probationem „ suscipiatur, neque corpori Monasterii societur: ne fortè, in„ quiunt aliquis propter commoda terrena potiùs quàm prop„ ter æternæ vitæ amorem se sociare voluerit; & receptus „ inhonesto suo more conturbet fratres.“

IX. Adhæc dum ita omnia in Monasteriis explendent, & abundant; atque à monastica paupertate, frugalitate, & simplicitate receditur, quantus ad Monasteria hominum mundanorum confluxus? qui ipsis Monachis non tantùm quietem adimunt, sed sua visitatione, conversatione & colloquis spiritum seculi inspirant, eosque totos seculares efficiunt; ut de Monachis propterea non rarò verificari queat illud Prophetæ Regii: *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.*

X. Quàm facilè insuper in Monasteriis hisce orationis ac meditationis spiritus extinguatur, probè intelligit, qui novit quàm parùm cum abundantia, ac deliciis in cibo & potu aliisque corporis oblectamentis hujusmodi spiritus consistat. Spiritu verò orationis semel refrigescente, etiam ipsa Religio refrigescat necesse est; uti bene, & fusè ostendit Joannes de Lezana *de Reformat. Regularium*, *cap.* 3. & 4.

XI. Hæc aliaque ut sunt otium, evagandi libertas, rerum temporalium cura, atque de hisce cum hominibus secularibus tractandi, imò & lites, ac forenses contentiones sustinendi, & prosequendi necessitas, Monasticæ disciplinæ adeò exitialia, unde primitùs oriri solent nisi ex ipsa divitiarum, & rerum temporalium nimia affluentia? è qua & ipsos Abbates Laicos, & Commendatarios progenitos esse supra vidimus.

Hinc jam pridem à multis animadversum est, ipsam divitiarum affluentiam, monasticam disciplinam, avitamque pietatem in multis Ordinibus extinxisse.

XII. Quid hac de re dixerit Trithemius supra *Tit.* 29. *cap.* 7. *num.* 14. notatum est. Cui adde Arnoldum Abbatem Lubecensem in suplemento Helmodi *Lib.* 3. *cap.* 9. „ Cre„ vit possessio, & evanuit Religio, si quidem ex temporalium „ abundantia, num cœperunt carnaliter vivere, cœperunt, „ etiam carnaliter sapere; refrixit charitas, subintravit mun„ dialitas.“

Quid mollem, ac dissolutam Monachorum vitam, luxum, & ornatum in vestibus, & supellectile, splendidum Prælatorum apparatum, necnon luxum, & abusum in templis & ædificiis à S. Bernardo tam acriter exagitatum, in Ordinem Benedictinum invexerat, nisi ipsa rerum temporalium abundantia?

Quid rursus Ordinis Cisterciensis, qui tanquam *vitis fructifera, & vinea Domini Sabbaoth sub Primis suis Prioribus pullulaverat, & palmites suos longè lateque producens, ad mortifera pellenda circumquaque venena flores protulit*, uti loquitur Alexander III. quid, inquam, Ordinis hujus sanctitatem labefactavit, nisi ipsa rerum temporalium affluentia? Quemadmodum idem Pontifex deplorat in Epistola ad Abbates Cistercienses relata in *cap.* 3. ✠ *de Statu Monach.* & suprà *tit.* 29. *cap.* 3. *num.* 14. exhibitâ.

XIII. Ex his nequaquam tamen concludendum, divitias multarumque rerum temporalium abundantiam nullatenus cum integritate disciplinæ monasticæ, ipsoque spiritu Religionis posse consistere.

„ Certè multas opes olim possedit Ordo S. Benedicti in „ quibusdam Monasteriis, (uti notat Mabillonius in præfatio„ ne ad primam partem seculi IV. Benedictinorum, *n.* 143.) „ sed iis rectè, usi sunt, ait, Majores nostri. In Cœnobio „ Cluniacensi unâ diem septemdecim millia pauperum con„ grua stipe donati sunt, ut legitur apud Udalricum *lib.* 3. „ *Consuetudinum Cluniacensium*, *cap.* 12.“

Nostra quoque ætas conspicit Monasteria in magna rerum temporalium copiâ, sumam austeritatem & paupertatem, cum summa in pauperes effusione, & christiana hospi-

pitalitate conjunctam servantia, atque per totam Europam vitæ monasticæ perfectionis odorem spargentia.

XIV. Negari tamen nequit, quin summæ difficultatis, magnæque perfectionis sit, inter divitias, eam tenere moderationem, ut à paupertate, & simplicitate monastica non devietur, easque omnes suprà memoratas collapsionis & dissolutionis causas totaliter evitare.

Unde qui reformandæ Monasticæ disciplinæ intendunt, nequaquam abundantiam divitiarum desiderare debent; & si adsit, multùm ac præcipuè satagere, quomodò dissolutionum rivulos ex hac abundantia divitiarum tanquam ex infecto fonte emanantes occludere, vel exsiccare queant.

XV. Hoc expenderunt primi Ordinis Carthusiensis Fundatores de quibus refert Robertus Montensis in supplemento Sigeberti ad *annum* 113. „ Carthusienses præ cæteris continentes, „ pesti avaritiæ, quâ plurimos sub religionis habitu laborare vi„ demus, terminos posuerunt, dum certum numerum homi„ num (id est, colonorum seu feudatariorum) animalium, pos„ sessionum, quem eis prætergredi nullo modo liceat, statue„ runt.“ Et de eisdem Jacobus à Vitriaco in *hist. occid. lib.* 2. *cap.* 18. „ Habent autem certum animalium numerum, & cer„ tas metas possessionum, quibus mediocriter austeram vitam „ valeant sustentare.“

XVI. Similiter S. Franciscus, aliique Ordinum Mendicantium Patres videntes ex ipsa rerum temporalium possessione præcipuè monasticæ disciplinæ relaxationem, & dissolutionem promanâsse, omnem rerum temporalium possessionem non tantùm in particulari, sed etiam in communi, suis interdixerunt, uti supra notatum fuit: ut ita occasiones relaxationis à divitiarum abundantia profluentes in ipsa radice amputarent.

XVII. Verùm ea est rerum humanarum instabilitas, ut nec hi Ordines in ea paupertate fundati, diù ipsam relaxationem, & casum evitare potuerint; quin & ipsa paupertas, quam pro firmanda, ac fortiter stabilienda disciplina Patres sanctissimè ordinârunt, causas relaxationis subministravit.

Cùm enim Ordines illi sensim multiplicarentur, modusque certus, & moderatus in recipiendis Fratribus non servaretur, eorum paupertas, & necessariorum defectus, & quæ hinc consequuntur molestiæ, eos ad conquirenda vitæ subsidia etiam cum relaxatione disciplinæ quodammodo coëgit.

XVIII. Hinc „ illa (quam ordine primam inter causas col„ lapsionis Ordinis sui exprimit S. Bonaventura in *Epist.* 2. ad „ Provinciales sui Ordinis) negotiorum multiplicitas, qua pe„ cunia (ait ipse Doctor) nostri Ordinis paupertati super omnia „ inimica, avidè petitur, incautè recipitur, & incautiùs con„ trectatur.“

XIX. Ex eâdem multiplicatione Fratrum, & exinde proveniente mediorum temporalium penuria, profluebat quoque „ evagatio plurimorum, qui propter solatium suorum corporum „ (ait Doctor Seraphicus) gravando eos, per quos transeunt, „ non exempla post se relinquunt, sed scandala potiùs ani„ marum.“

XX. Inde ulteriùs cum divitibus, ac Magnatibus hujus seculi familiaritas nimia; adeò ut vix 30. annis ab ipso FF. Minorum & Prædicatorum exortu, de quibusdam eorundem Ordinum scribat Matthæus Parisiensis Monachus Benedictinus, ad ann. 1235. „ Erant enim Magnatum consiliatores, & Nuntii, „ etiam Domini Papæ Secretarii, nimis in hoc gratiam sibi secu„ larem comparantes.“ Testaturque idem auctor, Pontificem iisdem fratribus torvo vultu dixisse: „ Quid est hoc, Fratres? „ quo prorumpitis? Nonne professi estis paupertatem sponta„ neam, ut discalceati & inglorii peragrantes vicos, & castella, „ & loca remotiora, prout opus Dei exigit, Verbum Dei hu„ militer seminetur? Præsumitis jam invitis dominis feudorum „ mansiones vobis usurpare? Jam videtur in magna sui parte „ Religio vestra expirare.“

XXI. Ulteriùs, paupertatis, ac necessitatis sublevandæ prætextu, Ordinem paulatim invecta est, uti ibidem deplorat Bonaventura, sepulturarum, & testamentorum avida quædam invasio, non sine magna turbatione Cleri & maximè Sacerdotum. Sic in alia ad eosdem Provinciales epistola scribit: „ Sed & sepulturarum, ac testamentorum litigiosa, & avida quæ„ dam invasio cum exclusione illorum, ad quos animarum cura „ spectare dignoscitur, non modicum nos Clero toti fecit exo„ sos, sicut experientiâ docente percepimus.“

XXII. Has similesque dissolutionis Ordinum Mendicantium causas, & occasiones, quidnî Fratrum nimiæ multiplicationi, & ex ea profluenti necessariorum defectui adscribamus; ut propterea à S. Bonaventura in citata epistola his abusibus remedia adhibere volens, inter alia Ordinis sui Provincialibus præcipit: *Restringatis receptionem multitudinis; quia modis omnibus volo, quòd Constitutio de receptione strictè servetur.*

Quare in illa reformatione Fratrum Minorum, quæ Ordini Capucinorum originem dedit, in primis illius Constitutionibus hæc habentur: „ Statuimus, ut Conventus familiæ septimum „ vel octavum Fratrum numerum non excedant, præterquam „ in magnis civitatibus, ubi decem vel duodecim circiter Fra„ tres commodè habitare poterunt. In reliquis urbibus, aut op„ pidis non amplius quàm septem vel octo Fratres commoren„ tur: ob id potissimum, ut perfectiùs & sine impedimento, „ Regula ac sancta paupertas observentur. Ea siquidem erat „ S. Patris Francisci voluntas, ut in Chronico Ordinis habetur; „ ut pauci duntaxat Fratres in locis degerent.“

XXIII. Præterea temporalium rerum penuria, necnon Ordinem multiplicandi studium, fecit, ut plures haud sat probati, & exercitati ad Ordinem reciperentur; uti ex multis contra præcipitatam, ac indiscretam admissionem Ordinum illorum, necnon Pontificum decretis, variis temporalibus edictis cognoscitur, quæ supra *tit.* 25. *cap.* 2. *num.* 16. notata sunt. Præcipuè verò præcipitanter, & sine sufficienti examine admittebantur, à quibus temporalia suis Monasteriis obventura sperabant; ut hoc pacto suæ inopiæ consulerent.

Quod notavit S. Bonaventura. Scribens enim quòd Simonia committeretur à recipientibus ad Ordinem, „ si personam reci„ piant amore pecuniæ, ita quòd si possent illam pecuniam ha„ bere sine persona illa, non reciperent personam; sed ut ha„ beant pecuniam, personam recipiunt,“ subjicit: „ Et hoc „ plerique faciunt etiam ex *mera inopia*, optantes aliquem ve„ nire cum pecunia quem reciperent, ut eorum inopia repara„ retur, vel debita contracta. De talibus dicit Ecclesiasticus: „ *Propter inopiam multi deliquerunt.*“ Hæc Bonaventura in Apolog. *quæst.* 18.

Hi porrò haud sat probati, & ex humana aliqua consideratione faciliùs quàm oportebat admissi, rigorem Regulæ non ferentes, eam per subtiles interpretationes mitigare studebant.

XXIV. Hisce interpretationibus, quæ omnes ad rigorem Regulæ mitigandum tendebant, accesserunt mitigationes, & privilegia successu temporis à Sede Apostolica importunè sæpiùs impetrata, quibus à Regulæ ipsius rigore sensim recedebatur, ut videre est in *cap.* EXIIT *de V. S. in* VI. Clem. EXIVI; item Extravag. Joannis XXII. *Quorundam*, & QUIA NONNUNQUAM, *eodem titulo*; in quibus de difficultatibus, & mitigationibus Regulæ Franciscanæ agitur, qualia & super aliorum Ordinum Regulis Romanorum Pontificum Bullæ & Brevia extant in Bullario Romano.

Regulæ suæ, ac Ordinis collapsionem ex illa glossarum & interpretationum inventione prævidens Franciscus, in suo testamento omnibus suis Fratribus clericis, & laicis præcepit per obedientiam, „ ut non mittant *glossas* in Regula, neque in is„ tis verbis, dicendo, ita voluit intelligi: sed sicut Dominus „ dedit mihi simpliciter, ait, & purè dicere, & scribere Re„ gulam & ista verba, ita purè simpliciter sine glossa intelligatis; „ & cum sancta operatione observetis usque in finem.“

XXV. Allegatis prolapsionis causis, non immeritò tanquam non minima accensenda est, secularium utriusque sexus confessionum exceptio; cui functioni Fratres nonnunquam non satis in virtute, ac vita religiosa exercitati, & soliditate perfecti, dum ipsi à peccatorum sordibus alios purgare volunt, nonnunquam contingit, ut plus ipsi inficiantur, quàm pœnitentes ipsorum opera expurgentur. Quare in Ordinum Constitutionibus nihil adeo solicitè inculcatur, quàm ut non nisi admodum probati, & ætate jam provecti ad secularium, præsertim mulierum, confessionem excipiendas admittantur.

Imò ut hoc à Fratribus periculum averterent, primi Ordinis Capucinorum Patres, à Gregorio XIV. impetrârunt Bullam, qua omnibus Ordinis Fratribus quacunque dignitate vel auctoritate suffultis interdictum fuit secularium quorumcunque etiam Clericorum confessiones excipere; prout refertur in Bulla Clementis VIII. quæ incipit: *Aliàs*, 82. *in Bull. Rom.* qua dictam Gregorii XIV. Constitutionem nonnihil mitigat & moderatur, nimirum; „ ut Minister Generalis ejusdem Congregatio„ nis Capucinorum, & Diffinitores in Capitulo generali congre„ gati, & in eodem Capitulo tantùm, quibusvis ejusdem Con„ gregationis Religiosis, ad confessiones audiendas approbatis, „ prout ipsis Ministro Generali, & Diffinitoribus videbitur, li„ centiam audiendi secularium utriusque sexus confessiones us„ que ad novi capituli generalis celebrationem, & non ultrà, & „ sic de capitulo generali in capitulum generale concedere res„ pectivè possint, & valeant.“

XXVI. Adhæc quis nescit, quàm multas hæc Hierarchicarum functionum occupatio hisce Mendicantium Ordinum Religiosis subministraverit, cum secularibus, & mundanis hominibus conversandi occasiones, ipsius Religionis sævissimas pestes?

Quot hîc non habentur evagandi, & egrediendi occasiones, & prætextus, imò & necessitates, quæ tamen sine dispendio vitæ religiosæ rarò contingunt.

„ Religiosum, & honestum Monachum (ait S. Thomas à „ Villa-Nova *Serm.* 2. *in Dominica* 1. *Quadrag.*) sub chari„ tatis prætextu ad pacem inter fratres componendum, ad sola„ tium infirmis exhibendum; & alia pietatis opera exercenda „ extra Cœnobium ducit Satan: ut sic per plateas vagantem, li„ bidine inficiat, curiositate sauciet, ambitione inflet, curis

se-

„ secularibus disturbet, & à devotionis fervore distrahendo te-
„ pefaciat & infrigidet."

Quàm soliciti fuerint Monachorum Patres, ne facile è Conventu Fratres egrederentur, quotque præcautionibus usi sint, ostendimus suprà *tit.* 27. *cap.* 4.

Singulari sanè titulo Religiosis congruit illud Augustini *lib.* 19. *de Civitate Dei*, *cap.* 19. „ Otium sanctum quærit cha-
„ ritas veritatis; negotium justum suscipit necessitas charitatis.
„ Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuen-
„ dæ vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda
„ est propter charitatis necessitatem."

Interim expendant hi, quibus reformandi & corrigendi cura, & auctoritas credita est, qua ratione hisce relaxationis causis, & occasionibus pro tempore, & loco occurrere aut mederi possint; ipsamque Religionem collapsam ad pristinam perfectionem reducere (qui est unicus reformationis scopus, ut infrà videbitur) vel integram conservare, & contra prolapsionis pericula munire queant.

CAPUT II.

Ad quos reformandi auctoritas pertineat.

1 *Olim Episcopi & Abbates reformationi Monasteriorum intendebant.*
2 *Præcipua penes Episcopus erat auctoritas.*
3 *Juxta hodiernam disciplinam prima correctio Monachorum est penes Abbates; & his negligentibus penes Episcopos.*
4 *Episcopus solus procedere non potest, sed assumptis Religiosis ejusdem Ordinis.*
5 *Abbates Commendatarii non habent auctoritatem reformandi disciplinam regularem.*
6 *Statuta circa disciplinam Regularem fieri possunt sine interventione Abbatis Commendatarii, secus circa temporalia.*
7 *Sæpius ad effectum reformationis necessaria est Principum auctoritas.*
8 *Auctoritate Ludovici Pii multa pro reformatione monasticæ disciplinæ facta.*
9 *Principes olim mittebant suos legatos ad inspiciendum statum Monasteriorum.*
10 *Parlamentum Regium aliquando compellit Episcopum, ut nominet Consiliarium Regium, qui reformationi præsit.*
11 *Senatus quomodo nominet subinde personas pro reformandis Monasteriis.*
12 *A Senatu Regio Superiori Regulari mandatum, ut ad reformationem procedat, adjuncto Consiliario Regio.*
13 *Episcopis, aliisque Reformatoribus adjunguntur interdum à Senatu Regio præter Consiliarios certæ personæ Regulares.*
14 *Aliquando injunctum fuit Episcopis, ut Consiliariis, aut aliis personis reformandi curam darent.*
15 *Quando Superior non est Regnicola, injungitur ut committat Vicarios.*
16 *Non minor hodie, quàm olim in hac re Principum auctoritas; & Synodus Trid. curam Principum hac in parte excitat.*
17 *Reformationis executio non suspenditur per appellationes.*
18 *Generales Ordinum in Regno non residentes, sine licentia Regis ad reformandum non admittuntur.*
19 *Delegatus ad reformandum non potest alium subdelegare.*

I. SI pristinam monasticam vivendi normam attendamus, reformationem Monasteriorum tum penes Episcopus, tum Abbates fuisse; atque hos illosque indifferenter Ordinum, ac Monasteriorum reformationi intendisse, constabit.

Et quidem seculo IX. Episcopos, Abbatesque reformandis Monasteriis, atque ad pristinam disciplinam reducendis, in ipsis etiam Synodis intentos legimus.

In Concilio Moguntino anno 813. in secunda Turma consedisse dicuntur „ Abbates, ac probati Monachi Regulam
„ S. Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, qualiter
„ Monachorum vitam in meliorem statum atque argumentum
„ cum Dei gratia perducere potuissent.

II. Quæ autem post discussionem Regulæ reperta sunt pro observantia disciplinæ monasticæ oportuna, Synodi, quæ præcipuè ex Episcopis constabat, auctoritate decreta fuerunt.

Simili auctoritate usi fuêre Episcopi in Conciliis sub idem tempus coactis, non dubitantes, quin præcipua reformandi Monasteria auctoritas sibi competeret, juxta illud Concilii Arelatensis apud Gratianum *caus.* 18. *quæst.* 2. *can.* 17. „ Monas-
„ teria, vel Monachorum disciplina ad eum pertineant Epis-
„ copum, in cujus sunt territorio constituta."

III. At inspectâ disciplinâ in Decretalibus Gregorii IX. expressâ, Abbatibus, ac Ordinum Regularium Moderatoribus prima reformandi ac corrigendi Monachos cura & auctoritas incumbere videtur, uti colligitur ex *cap.* QUANTO ✠ *de Officio Ordinarii*; ubi dicitur, tum demum correctionem Monachorum delinquentium circa disciplinam, & Regulam monasticam pertinere ad Episcopum, si ipsi Prælati sive Abbates post factam ab Episcopo monitionem neglexerint: quod hîc notat Glossographus dicens: „ Nota quòd correctio Regu-
„ larium primò pertinet ad Prælatos ipsorum, & si Prælati
„ sunt negligentes, tunc Episcopi eos corrigant secundum
„ quod hîc dicitur."

Sicuti Monachorum correctio, Abbatibus, aliisve Prælatis negligentibus, ad Episcopum spectat, ita & reformatio Regularium, saltem quoad non exemptos.

IV. „ Hoc autem Episcopus potest, ait Rebuffus, voca-
„ tis aliquibus Abbatibus, & Religiosis reformatis; sed non
„ solus, ut fuit dictum in Senatum contra Episcopum Carno-
„ tensem, qui solus processerat contra Religiosos S. Patris (e)
„ anno 1526. die 13. mensis Decembris." Hac ille in commentario ad Concordata, *pag.* 557. Verbo *Reformatis*, edit. 1664.

Imò in negotio reformationis assumendos esse Religiosos ejusdem Ordinis, & eandem Regulam professos, cujus sunt Monasteria reformanda, docet Panormitanus ad *cap.* EA QUÆ ✠ *de Statu Monach.* atque ita judicatum fuisse 9. Martii anno 1473. refert Fevretius *lib.* 3. *de Abbusu*, *cap.* 4. (f)

V. Porrò sicuti Abbates Commendatarii in his, quæ disciplinam monasticam, ac observantias regulares concernunt, nullam planè habent auctoritatem nisi fuerint Cardinales, uti suprà *tit.* 31. *cap.* 7. notandum est; sed tota illorum directio est penès Priores Claustrales, ita quoque reformatio Monasteriorum, quantum ad disciplinam modumque vivendi, ad solos Superiores Regulares pertinet, exclusis Commendatariis.

VI. Unde cùm an. 1581. quædam Abbatiæ certa statuta pro stabilienda suorum Monasteriorum reformatione edidissent sub hoc titulo: *Statuta & Reformationes Congregationis Benedictinorum exemptorum, & Abbatiarum trium Provinciarum Senonensis, Turonensis & Bituricensis à Sancta Sede dependentium*, interjectâ appellatione tanquam *ab abusu* per quosdam Abbates Commendatarios ad Supremum Regis Parlamentum, à quibusdam dictorum statutorum articulis, dictum fuit per arrectum 30. Octobr. 1583. rectè statutum fuisse quoad ea, quæ concernunt statum spiritualem Religiosorum, regulam, & disciplinam monasticam: quoad verò concernentia temporalia Monasterii, malè, abusivè, & nulliter fuisse statutum: idque rectè, ait Fevretius, quia ad statuendum, aut ordinandum quidpiam circa temporalia, consensus Abbatum Commendatariorum requiritur.

VII. Porrò frequenter contingit, ut Episcoporum, & Prælatorum reformandi studium, & labor sint sine fructu, ni Principes manum adjutricem addant.

Quod sciens piissimus Imperator Ludovicus cognomento *Pius*, in diplomate de Ordine in Monasterio S. Dionysii ejus auctoritate per Episcopos restituto, ita loquitur: „ Quapropter
„ sæpissimè Sacerdotes Domini, quorum id officii esse novera-
„ mus, admoneri curavimus, ac nostram principalem auctorita-
„ tem adjutricem ad eorum ministerium juxta voluntatem Dei
„ exequendum, promptè exhibuimus: ut quidquid in Ordini-
„ bus Ecclesiasticis, vel in quacunque persona emendatione
„ dignum invenirent, Pastorali auctoritate, postposita qualibet
„ torporis negligentia vel personarum acceptione, incunctan-
„ ter corrigere, & ad statum rectitudinis perducere decreta-
„ rent." *Tom.* 7. *Concil. col.* 1674.

VIII. De hoc Ludovico inter alia refert Amoinus de Gestis Regum Francorum *lib.* 5. *cap.* 9. „ Itidemque constituit
„ Deo amabilis Imperator Benedictum Abbatem, & cum eo
„ strenuæ Monachos per omnia vitæ, qui per omnia Monacho-
„ rum euntes, redeuntesque Monasteria, uniformem traderent
„ cunctis Monasteriis (tam viris quàm Sanctimonialibus fœminis)
„ vivendi secundum Regulam S. Benedicti, incommutabilem
„ morem."

Eo-

(e) *Id est, S. Petri. Anno* 155. *Senatus Parisiensis Arrestum dedit, quo Religiosorum hujus Abbatiæ Reformatio decreta est; cui Ludovicus de Guillard Episcopus Carnotensis deinde allaboravit, adjutus à duobus Monachis Ordinis S. Benedicti.*

(f) *Diversis tamen temporibus plurima in Galliis Arresta data sunt, quibus Reformationis cura commissa est viris, qui ejusdem Ordinis non erant, aut qui erant Clerici Seculares. Inter plurima quæ in novis Cleri Gallicani Collectaneis occurrunt ejusmodi Arresta, celebre illud est, quod è* Consilio Status Regiis *die* 15. *Novemb.* 1669. *exiit, ut Ordo Cœlestinorum in Galliis reformaretur à D. de Contes Decano Ecclesiæ Parisiensis, D. Porcher Doctore Sorbonico, N. Abbate de Prieres, & Patre L' Allemant Sanctæ Genovefæ Priore, & Parisiensis Universitatis Cancellario.*

Eodem pietatis zelo „ anno IV. sui imperii idem Imperator, Aquisgrani in Palatio cum pluribus Monachis Conventum faciens (ait Leo Ostiensis Monachus Benedictinus in Chronico Cassinensi, *lib.* 1. *c.* 16.) utilissima nostri Ordinis observationi septuaginta duo generalia Capitula constituit." Deinde subjicit de his Capitulis dictus Auctor: „Quæ omnia apud nos perinde ferè ac Regula S. Benedicti observantur."

Extant hæc Capitula apud Labbæum tom. 7. Conciliorum *ad annum* 817. & apud Haeftenum ad calcem Disquisitionum monasticarum, eruditis notis illustrata.

IX. Ulteriùs ad promovendam Monasticorum reformationem mittebant Imperatores suos Legatos, quos *Missos* dicebant, qui Monasteria adirent, quæque esset Monachorum vita & conversatio diligenter inspicerent: quemadmodum in Capitularibus Regum Francorum videmus, atque Capitulare quintum anni 806. *cap.* 4. habet: „Ut prædicti *Missi* per singulas civitates..... diligenter inquirant de conversatione singulorum vel quomodo emendatum habeant, quod jussimus de eorum lectione, & cantu, cæterisque disciplinis & Ecclesiasticæ Regulæ pertinentibus."

Hæc Principum auctoritas non minor est hodie quàm olim fuit; nec minus etiam hodie necessaria, ut reformatio executionem sortiatur.

X. „Parlamentum in hoc Franciæ Regno (ait Rebuffus loco citato) concessit, & compellit Episcopum, ut creet „Vicarios generales certos *Consiliarios* Clericos, qui faciunt „statuta & alia ad reformationem pertinentia, ut vidi sæpiùs, inquit, servari in hoc Senatu."

XI. Testatur quoque Joannes Tournetius in sua collectione Arrestorum, *Lit. A. art.* 9. quòd incidente quæstione & materia reformationis, Senatus Regius consueverit ad hoc deputare unum è consiliaris suis vocatis seu adjunctis uno vel duobus ejusdem ordinis Religiosis, qui subinde per ipsam Curiam nominantur; subinde verò eorum electionem ipsi Consiliario deputato committit.

XII. Anno 1513. 18. Novemb. evocatus ad Curiam Regiam Provincialis PP. Prædicatorum Provinciæ Franciæ, cui insinuatis arrestis Curiæ super reformatione Prioratus Pisciaci eidem injunctum fuit ab eadem Curia, dictæ reformationi diligentissimè incumbat, eamque absque ulla dissimulatione, aut fictione perficiat; quod ni faciat, Curia providebit, utque efficaciùs, aut convenientiùs reformationem exequi valeat, ipsaque reformatio pleniorem sortiatur effectum, Curia unum è suis Consiliariis adjunxit, qui secum accipiat unum è Clericis Cameræ Computuum, cui exhibeatur computus temporalium ipsius Prioratus. Ita refertur à Pithæo tom. 2. Libert. Eccl. Gal. *cap.* 34. *art.* 11. Et rursus (ut *art.* 12. dicitur) 20. Decemb. 1520. eidem Provinciali per Curiam Regiam mandatum fuit, ut indilatè ad dicti Monasterii reformationem realiter procedat, eamque indilatè perficiat, ac de ejus perfectione Curiam informet ante festum Purificationis proximum; utque ad executionem ejusdem reformationis viriliter pergat, ipsasque Religiosas dicti Prioratus ad ejusdem observationem modo ac formâ in arresto Curiæ expressis compellat; deputans dicta Curia unum è suis Consiliaris, qui eidem reformationi assistat, ac manum adjutricem (g) concedat.

XIII. Item eodem anno 1620. injunctum fuit per arrestum Parlamenti Tholosani Archiepiscopo Tholosano reformare Conventum PP. Agustinianorum dictæ civitatis Tholosanæ in eum finem ipsi adjugendo Inquisitorem fidei, Guardianum Conventûs Minoritarum extra muros dictæ civitatis, & Priorem Carmelitarum ejusdem civitatis; deputans idem Parlamentum duos Consiliarios, qui ipsi Archiepiscopo, ejusve Officialibus in facienda reformationê assistant: injungendo Officiariis, & Magistratui Tolosanis porrigendi manum adjutricem pro executione reformationis.

Similiter injunctum fuit Priori S. Martini in Campis, ut titulo Vicariatus sibi per Abbatem Cluniacensem dati, procederet ad reformationem Collegii Cluniacensis in civitate Parisiensi, advocatis sibi in Consilium Abbate S. Victoris, Priore Cœlestinorum, & Vicario S. Germani conformiter ad arresta ante hac data, adjuncto uno consiliario. Ita per Curiam resolutum 1529.

XIV. Et anno 1532. cùm Episcopus Silvanectensis exposuisset, se non esse sufficientem, ut reformationem cujusdam Conventûs Ordinis S. Augustini sibi â Curia injunctam perficiat, dictum fuit, ut aliquos ex Consiliariis Regiis suos pro facienda reformatione Vicarios constitueret, qui tum reformationem in ea qualitate præscriptam, auctoritate Regia observari juberent. *Art.* 20.

Quin interdum injunctum fuit Episcopo, ut aliquibus Religiosis per Curiam designatis committat potestatem reformandi Monasterium in capite, & in membris. *Art.* 21.

* Testatur Rebuffus in Concordatis *tit. de Regia ad Præla turas nominatione*, §. 1. in verbo *reformatis*, se pluries vidisse Senatum Regium ex officio extra ordinem cognoscere de Reformatione Monasteriorum & solere compellere Episcopum Diœcesanum, ut creet Vicarios Generales quosdam Senatores Clericos qui edant statuta, & alia, quæ pertinent ad reformationem.

Similiter in Belgio Principes, eorumque Magistratus nequaquam dubitârunt, sibi jus esse monasticæ, ac regulari disciplinæ conservationi & restaurationi intendere, & suam ad eam conservandam, aut restaurandam, auctoritatem impendere.

Et quidem, cùm circa annum 1556. Principi innotuisset, in quaddam Abbatia disciplinam monasticam admodum esse collapsam, gravesque abusus irrepsisse, adeoque reformatione omninò opus esse, Princeps ad vacantem hanc Abbatiam novum Abbatem nominando, ipsi nominato instructionem, pluribus articulis constantem dedit, secundum quam, ipse se & Religiosos suos reformare teneretur, sub pœnâ destitutionis quantum ad se; & sub pœna translationis ad aliud Monasterium reformatum, vel pœna carceris, quantum ad Religiosos, si in his, quæ in hac instructione continebantur, non obedierint.

Huic instructioni in hæc verba consensit, & subscripsit nominatus Abbas: „Supra scriptam instructionem, & artículos in ea contentos ex jussu Regiæ majestatis mihi exhibitos ego N... ab eadem Majestate sua ad dignitatem Abbatialem Monasterii N... nominatus, promitto in verbo Sacerdotis cum omni diligentia observare & observari facere, executionique fideliter mandare. Actum Bruxellis die 27. mensis Augusti anno 1556. ego Frater N.... fateor ita esse, & manu propriâ hoc scripsi anno 1683." Simile regulamentum à Concilio privato Bruxellis præscriptum fuit Alteri Abbatiæ N... in Belgio.

Et rursus circa annum 1702. cùm Principi innotuisset quoddam Monasterium Canonicorum Regularium tam in spiritualibus, quàm temporalibus, admodum collapsum atque in multis indigere reformatione, per supremum suum Senatum Brabantiæ provisionale præscripsit regulamentum, quo tam circa administrationem temporalium, quàm circa spiritualia exercitia in posterum regi deberet (h).

XV. Et anno 1543. Curia Regia informata de dissolutio-

(g) *Hujus Reformationionis & Visitationis usus in Hispania notissimus est; cui & etiam addit Salcedo* in suo libro de lege politica, „*En todos los casos que se teme que ha de haber disension ó encuentros en las elecciones de Provinciales y Generales de las Ordenes, así de oficio, como á Pedimento de parte, nombra S. M. Prelado ú otra persona que va á presidir á los Capítulos, y para esto se despachan Cédulas por el Consejo de la Cámara.*" *Citans pro eorum confirmatione Remission.* 16. Tit. 6. lib. 1. & Act. acordat. 5. cap. 3. tit. 1. lib. 4. Recop. *Quibus consonant* leg. 50. & 61. tit. 14. lib. 1. Recop. Ind.

(h) Instructio pro Domino Lamberto de Limburgo, nominato per Regiam Majestatem ad Abbatiam Vallis Dei, secundum quam ipse se, & Religiosos suos, reformare tenebitur, sub pœna destitutionis quantum ad se, sub pœna translationis ad aliud Monasterium reformatum vel pœna carceris quantum ad Religiosos, si in his quæ sequuntur, non obedierint.

In primis, quia turpiter diffamati sunt de mulierum conversatione, sive verè, sive falsè, ante omnia in futurum cavendum, ne obscœni rumoris ampliùs ulla occasio detur: idcircò Majestas mandat sub pœnis prædictis, ne ulla mulier claustrum Monasterii ingrediatur, maximè juvencula vicina, & aliquo modo suspecta; quòd si quædam admittendæ sint utpotè à longè venientes parentes & cognatæ Religiosorum, nunquam nec illæ, nec aliæ, ingrediantur camerulas aut cellulas eorum, & susceptæ per Portarium recta ad templum causâ orationis, inde ad cameram hospitum, & locum publicum designatum, vel ad hoc ab Abbate futuro designandum, deducantur, nec permittantur discurrere per Monasterium, nec quispiam Monachorum eisdem jungatur, aut loquatur, nisi de licentia Abbatis; & in mensa ipsius, tam viri, quàm mulieres omnes eo præsente, vel Priore reficiantur & non alibi, & hoc ut melius observetur, ordinabit Abbas unum Portarium, non Religiosum propter nimiam familiaritatem vicinorum, sed virum secularem senem & maturum, de cujus honesta conversatione & fidelitate securus sit, cui sub destitutione sui officii præcipiatur ne aliquam unquam vicinam mulierem maxime juvenculam suspectam recipiat, & munuscula, litteras ac quælibet alia dona undecunque missa Abbati deferat, nec versa vice similia alibi transmittat, per Religiosos sibi tradita, nisi etiam priùs Abbati significet, quia hoc strictissimè in Regula prohibetur.

Item ut omnes compotationes & excessus in conviviis, omnl-

tione cujusdam Conventûs PP. Augustinianorum, injunxit Generali Ordinis, ejusve Commissario residenti ultra Montes, ut

nino abrumpantur, nec ullus præsumat cum hospitibus aut viris aut mulieribus bibere, aut comedere; nec etiam inter se, & nisi in locis Regularibus & publicis, & cum licentia Prælati. Et quia hoc vitio omnes plus justo notantur, & Deum gravissimè offenderunt, & vicinos scandalizaverunt, Regia Majestas strictissimè Abbati præcipit, ut ipse primo, deinde & sui Religiosi ab omni crapula & ebrietate abstineant, quia omnium malorum sunt causa, nec permittat Abbas, ulla ratione, ut post honestam refectionem mensæ suæ quispiam cum amicis aut quibuscumque in longam & profundam noctem vigilet comessationibus, aut genio suo indulgendo, & si quis hoc præsumpserit, gravissimè corrigatur; sed dictis gratiis, ipse Abbas ad suum cubiculum, cæteri Religiosi ad dormitorium revertantur, quod solicitè, omnibus introgressis, semper post completorium claudatur, ne ulli pateat ingressus.

Item ne quis proprium habeat, nec aliquid quod ab Abbate datum vel permissum non fuerit, ut habet Regula S. Benedicti, minimè habeant pecuniam, quia illa (ut quidam ait) obscœnos inducit mores, & Monachus, ait Bernardus, habens obolum, non valet illum. Et ut omnis occasio proprietatum tollatur, Abbas omnibus sine personarum exceptione, tribuat necessarium, nec præsumat aliquis aliquid dare, recipere, emere, aut vendere, sine voluntate Abbatis.

Item præcipitur Abbati, ut quantum possibile fuerit, & ratio temporis ac bona Monasterii admittunt, collapsa penitùs reparet ædificia, & ut hoc fiat, frugaliter vivat, abstinens ab omni superfluitate & curiositate.

Item quia Monachorum non est, maxime ordinis Cisterciens. habere curam animarum, & inter seculares quotidie conversari, (nam nomen Monachi solitudinem prædicat), præcipitur futuro Abbati, ut Religiosus qui vicinæ Curæ deservit, revocetur, quia ut Regia Majestas intellexit cum magno scandalo vivit, vel si sint alii extra Monasterium viventes, exceptis his qui in Monasteriis Monialium vivunt; & ipsæ Curæ committantur sacerdotibus secularibus viris dignis & idoneis.

Item quia dicta Regia Majestas etiam intellexit quorumdam relatu Religiosos bene potos, aliquando usque ad effusionem sanguinis concertâsse, & multis contumeliis, injuriis, convitiis invicem affecisse, prohibetur sub Majestatis suæ indignatione, & pœnis præmissis, nec hoc ampliùs contingat.

Item ne quis Religiosorum unquam exire claustra Monasterii præsumat, sine Abatis licentia speciali, & sine comite nunquam concedatur ut ingrediatur domos vicinarum. Et ut omnis clandestinus excursus impediatur, Abbas curabit muros & clausuram Monasterii in gyrum reparari, & claudi portam posteriorem, & ita obstrui, ne cuiquam pateat per illam, sine voluntate Abbatis, egressus: & solus Abbas, aut is, cui id fidet, clavem habeat.

Supra scriptam instructionem & articulos in ea contentos ex jussu Regiæ Majestatis mihi exhibitos, Ego Lambertus de Lymbourg ab eadem Majestate sua ad dignitatem Abbatialem Monasterii Vallis-Dei, nominatus, promitto in verbo Sacerdotis, cum omni diligentia observare, & observari facere executionique fideliter mandare. Actum Bruxellæ, die 27. mensis Augusti 1556. Ego Frater Lambertus de Limburgo fateor ita esse & manu propria hoc scripsi.

Litteræ à Consilio privato scriptæ Priori & Religiosis Abbatiæ N. Provinciæ Flandriæ, pro reformandis abusibus commissis, & irregularitatibus, quæ ibidem irrepserunt.

Religiosæ personæ dilectæ, & charæ. Cùm continuæ querelæ ad nos à multis annis delatæ propter irregularitates & scandala commissa à Religiosis Abbatiæ, eo nos coegerint, ut de nostro Consilio privato committeremus Consiliarium Abbatem de Grand-mont, *& Præpositum* d' Affligem Ordinis S. Benedictini, *ut de his pro certo informaremur; item quoniam post ipsorum præstitam operam summopere mœrentes agnovimus exiguam reverentiam erga superiores, contemptum, minas, & alias indignas acceptiones ipsis illatas, scandala data in immunitate ipsa Abbatiali seu clausura & foris per ipsorum depravatam & inordinatam vitam, quæ omnia sunt publica, & indies augentur & acrescunt, præcipuè per colloquia quæ accipiunt continuò à virginibus, à mulieribus in camera dicta* la Neuve, *seu nova camerâ, & commessationes ipsis datas in dicta Camera, & adhuc majori scandalo, & libertate in cubiculo spindarii seu annonarii, & aliis cameris extra clausuram secundæ portæ Abbatialis, quarum claves habent; item per visitationes solitas accipi in domunculis hortorum particularium Abbatiæ. Si in urbem vel foras vadant, exeant sine socio, vel separatim redeant diu noctuque, in suspicionem venientes, quòd fuerint in locis quæ vix sapiunt vitam statûs monastici. Item intellecto scandalo habito à multis annis propter conversationem Religiosorum in habitationibus ostiarii ad primam majorem portam, quòd hæ depravationes tantò facilius fiant, quia multi Religiosi relicto dormitorio occupaverunt cameras inferiores, ex quibus noctu possunt ire ad Abbatiam. Nos, ut curaremus finem imponi continuationi scandalorum publicorum, diffamationi, quibus & aliis multis superiores Ecclesiastici hucusque non potuerunt remederi, mandamus vobis ex consilio nostri locum tenentis Generalis, Gubernatoris & Centurionis, ut vivatis omnes secundum vestram Regulam & statuta sub humili obedientia erga vestros superiores. Et quoniam præcipuè expedit, ut Religiosi à virginibus & mulieribus non accipiant alloquia, nisi sub ambulacris ad id ædificatis ex parte secundæ majoris portæ, & ut nec à viris nec ab aliis accipiant extra clausuram secundæ portæ, ubi annonarius habitat, vel alibi in eadem arca, & ut unusquisque Priori claves, quibus gaudes, restituat, excepto Præposito, & ut omnes deserant Cameras à se occupatas in aula vel alibi, & vadant de nocte ad dormitorium, nec ullus possit magis exire & in civitatem ire, neque extra absque socio, quem prudentes superiores assignaverint, nec ab invicem sese separent: quòd ostiarius majoris portæ statim & illicò cum sua familia dimittatur, assumpto ejus loco viro probo adhuc cælibe & sine ancilla. Ut portæ ipso momento à domunculis hortorum particularium cuilibet Religioso deponentur, & maneant apertæ ab ante & à latere. Confidimus te Prior rem facturum cito, ut talia cessent scandala & similes depravationes mediantibus hic adductis mediis, quo facto te & alios superiores sub nostra Serenissima protectione assumimus, & declaramus tibi Priori, Abbatibus futuris, & aliis superioribus nos futuros auxilio in casu necessitatis, ut hæc remedia effectum sortiantur & maneant. Nobis autem certioribus factis talia scandala oriri & aucta fuisse ex libertate quam habent & habuerunt Religiosi de habendis pecuniis, mandamus Priori & modernis administratoribus Abbatiæ, ut seculares personas præficiant recipiendis omnibus bonis & redditibus Abbatiæ, Ecclesiæ, & fundationum qualiumcumque, item officiis magistrorum pro operariis, pro venatione, pro sylvis & omnibus, quæ non sunt de Regula, non utilibus & necessariis Abbatiæ, & abstineant ab emolumentis pecuniariis & aliis quæ tribuuntur officiis quæ sunt de Regula; hæc omnia statuimus pro præsenti & pro futuro. Volumus etiam hanc Epistolam esse apertam, & legi convocato Capitulo, coram Fiscis nostri Consilii Flandrici, mandantes ipsis, ut alternis diebus de executione & observantia præsentium sese informent, & nobis rationem reddant: his præsupositis, Religiosæ, dilectæ & charæ personæ, habeat vos Deus in sua sancta custodia. Bruxellis 6. Februarii anni 1683.*

Regulamentum pro reformatione Scholarium in oppido Lewensi 1702.

Relatione factâ Consilio supremo Majestatis suæ in Brabantia ordinato de supplicis ibi exhibitis ex parte Canonicorum Regularium, qui vocantur les Ecoliers *in urbe* Liau, *& simul ex parte Domini* Schatz *ipsorum Prioris ultimo electi: intellecto etiam inter partes fuisse agitatum & conclussum coram Commissariis in causa deputatis, summariè & sine forma processûs, quoad regulas & media quibus observatis dictum cœnobium posset meliorari & in alium statum redigi, visis capitibus & articulis reciprocè in hunc finem conceptis & exhibitis: Aula, relicta pro præsenti nullitate dictæ electionis, de qua alio tempore, provisionaliter, ut finiantur tumultus moti in dicto Cœnobio, & ut præveniatur destructioni eminenti hujus fundationis regiæ tam venerandæ, quod nullam moram patitur, mandat. Primò dictum Priorem electum* Schatz *gavisurum nomine hujus dignitatis & præeminentiâ illi annexâ.*

Sed provisionis ad instar, donec aliter decretum fuerit, administratio bonorum temporalium, directio disciplinæ claustralis exerceatur ab antiquo Priore Domino Pluymers, qui sub sua provisionali administratione & deservitura, particulariter tenebitur reddere rationem de receptis & expositis, sub his comprehensis expositis moderni Prioris electi, de omnibus anterioribus administrationibus intervenientibus quatuor Senioribus cœnobii, & hæc Aulæ exhibere.

Dictæ rationes reddentur imposterum annuè & sub eodem ritu.

Attento exiguo numero Religiosorum dicti Cœnobii, idem Administrator provisionalis præficiet non claustralem sed hominem probum officiis Cellerarii & annonarii.

Etiam non claustralem sed probum idem administrator præponet administrandæ agriculturæ, quæ jam à claustralibus fit, idem agriculturæ præpositis tenebitur annuatim in forma reddere rationes ut suprà: non patietur ullum claustralem propter ea vel propter alia negotia ex Cœnobio exire, neque habere col-

dinum Religiosis in Arresto designatis, aut saltem duobus ex illis, reliquis impeditis, ad integram illius Monasterii reformationem procedant; atque statuant & ordinent, quæ eum in finem necessaria videbuntur; adjunctis pro faciliore executione duobus Consiliariis Regiis. Ibidem *art.* 25.

XVI. Plura similia Parlamentorum arresta, ac Regia mandata super reformatione, ejusque forma, necnon executione & confirmatione reformationis referuntur, tum in citato tomo Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, *cap.* 34. tum à Joanne Tournetio loco supra indicato; è quibus patescit, non minorem nunc esse Principum, ac Magistratuum curam & auctoritatem circa negotium reformationis, quàm olim fuerit. Quæ Principum cura in reformationis negotio promovendo menti & desiderio Synodi Tridentini planè consonat, quæ hortatur Principes, atque in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut Episcopis & aliis Prælatis in reformationis executione suum auxilium & auctoritatem impendant, quoties requisiti fuerint. *Sess.* 25. *cap. ult. de Regular.*

XVII. Intelligimus quoque ex hactenus indicatis Parlamentorum arrestis, quòd juxta hodiernum stylum, ipsa reformatio per appellationem etiam tanquam *ab abusu*, nequaquam suspendatur. Passim enim in Arrestis Curiarum in negotio reformationis additur expressa clausula, quòd reformatio suum sortietur effectum, *non obstante oppositione aut appellatione quacunque.*

XVIII. Patet insuper, quòd Generales Ordinum Romæ residentes, ad reformationem seu visitationem Monasteriorum in Gallia procedere nequeant, nisi de consensu Regis; neque Vicarios, nisi Regnicolas deputare queant, uti videre est *tomo* 2. *Liber. Eccles. Gall. cap.* 33. ac signanter *art.* 45. & *cap.* 34. *art.* 31. 36. 39. Eadem est & Belgii & Hispaniæ notoria praxis.

XIX. Notat quoque Tournetius, quòd Commissarii super reformatione Reformatores alios subdelegare nequeant, atque ita ex Joanne Gallo *quæst.* 18. judicatum refert, quòd etiam juri communi conforme est: eo quòd in hac delegatione præsumatur electa industria personæ; quæ sane nec mediocris in hoc negotio requiritur.

CAPUT III.

De Congregationibus, et Capitulis Regularium.

1 *Multis seculis ignota fuit plurium Monasteriorum in unum corpus adunatio.*
2 *Seculo IX. aliqua illius species fuit, sed evanuit.*
3 *Prima Congregatio fuit Cluniacensis exorta seculo decimo.*
4 *Quantopere aucta sit hæc Congregatio.*
5 *Monasterio Cluniacensi hujus Congregationis Capiti præest, tanquam Abbas Commendatarius, Cardinalis Bullonius, cujus auctoritate prodiit Breviarium reformatum Cluniacense.*
6 *Quædam circa hoc Breviarium observata.*
7 *Seculis sequentibus ad exemplum hujus Congregationis plures institutæ sunt.*
8 *Exordium Congregationis Bursfeldensis, cui & Monasteria Belgica nonnulla subjecta sunt.*
9 *Hæc Congregatio à reformatione originem sumpsit.*
10 *Describitur origo Congregationis Windesemensis Canonicorum Regularium.*
11 *Unde nomen acceperit.*
11 *In humilitate & paupertate fundata fuit, & multa Belgica Monasteria complectitur.*
13 *Ordines Mendicantes qua ratione dici queant* Congregationes.
14 *Plurium Monasteriorum in unam Congregationem unio servit ad reformationem.*
15 *Ordo Cisterciensis instituit Capitulum Generale.*
16 *Capitula generalia ad reformationem sunt opportuna, eaque celebrari voluit Concilium Lateranense.*
17 *Nomine* Priorum, *qui Capitulis intervenire debent, qui intelligantur.*
18 *Decretum Concilii Lateranensis sæpiùs innovatum.*
19 *Decretum Concilii Tridentini de redigendis Monasteriis in Congregationes.*
20 *In Ordinibus Mendicantibus duplicis generis sunt Capitula* communia.
21 *Quoties hæc Capitula instituenda sunt.*
22 *Præter Capitula generalia habenda etiam Capitula* quotidiana.
23 *Hæc Capitula haberi solebant à Canonicis, & Monachis post recitatam* Primam.
24 *In his Capitulis legebatur* Martyrologium.
25 *Deinde Versus* Pretiosa *cum sequentibus precibus, & quare.*
26 *Sequebatur lectio Regulæ, quæ hodiernæ* lectioni Brevi *ad finem Primæ recitari solitæ, respondet.*
27 *Versus* Pretiosa *& sequentia propriè ad* Primam *non pertinent.*
28 *Regula in Capitulo etiam exponebatur, quod & juri communi conforme est.*
29 *Quomodo se habere debeant Monachi tempore lectionis Regulæ.*
30 *Capitula hæc præcipuè pro defectuum ac abusuum correctione & reformatione habenda.*

I. PEr septem facilè secula ignota fuit plurium Monasteriorum in unam Congregationem seu corpus adunatio, quæ unum, ac eundem Præfectum, sive Abbatem generalem recognoscerent; sed singula Monasteria ab invicem erant omninò discreta ac separata, proprios suos habentia Abbates, & Rectores; idque sub eadem, vel sub diversa Regula nullatenus sibi mutuò aut uni subjecta (i).

II. Primus seculo IX. fuit Benedictus Abbas Anianensis, cui Ludovicus Pius plura Monasteria sub Regula S. Benedicti militantia regenda commissit, quibus omnibus ipse loco Abbatis Primarii præesset: atque hîc prima plurium Monasteriorum adunationis, seu unionis, vel Congregationis species enituit; sed quæ citò evanuit. Mortuo enim Benedicto Aniano, eadem illa Monasteria, quæ sub ipso tanquam *primario* Abbate aliquousque unita fuerant, rursus translata sunt ad proprios Rectores, qui hanc Benedictinæ Congregationis veluti primam idæam violârunt, & ad diversos ritus iterùm redacti sunt, uti observat Mabillonius in præfatione ad seculi IV. Benedictinorum, *part.* 1. *n.* 26.

III. At seculo X. fundato per Guillelmum Arvenniæ commitem Monasterio Cluniacensi in Burgundia, S. Odo, secundus ejusdem Monasterii Abbas, reformationem strenuam Ordinis Benedictini aggressus, plurima Monasteria Cluniacensi Monasterio adunavit, ut unum corpus constituerent; atque ritus, & disciplinam Cluniacensis Monasterii sequerentur, ipsumque Clu-

loquia longa cum personis extraneis, cujuscumque sexus sint, nisi ex urgentibus causis & expresso suo consensu; in hoc & in omni directione claustrali obtemperabunt ipsi Religiosi nulla data responsione.

Particulariter ab Officiis Divinis in Choro nullus poterit emanere, celebrando Missas horis debitis, tam matutinam quàm summum Sacrum: sataget ut quisque Vesperi se ad dormitorium & cellam modestè conferat servato silentio, absque quod ullus cellam alterius intret: curabit sine mora quoad dormitorium, refectorium & alia loca regularia, conventibus seris & clavibus instrui, singulis diebus curando clave nocturnâ claudi dormitorium, ut non aperiatur nisi mane ordinaria hora: curabit observari silentium, in Ecclesia, in Choro, in refectorio, in dormitorio, & aliis locis claustralibus: non patietur ullum Religiosum à mensa communi abesse, nec ullum extraneum invitari: sub illa fiet lectio de Sacra Scriptura vel ex aliquo pio libro: non fiet, ut extra tempus mensæ bibatur, nec ut in culinam vel vicina loca eatur: non patietur ullum Religiosum litteras vel scribere vel admittere, nec ut se negotiis implicet sive Ecclesiasticis sive temporalibus, nisi fieret ex consensu & cum permissu dicti Administratoris.

Curabit nulla servitia extra Cœnobium, nec etiam Conventualia exerceri à dictis Religiosis; si quidem redditus omnes, anniversaria, administrationes, honoraria Missarum, redditus pro voluptate &c. debent esse penes dictum administratorem, ut distribuantur necessitatibus Religiosorum, eâ conditione, ut de his rationem reddat singulis sex mensibus quatuor Senioribus, quos etiam participes faciet de omnibus negotiis alicujus momenti, quæ qualibet hebdomada poterunt obvenire, non omisso Capitulo singulis diebus Veneris: faciet ut Cœnobio & Religiosis nihil necessarium desit, hoc præcipuè de ægris intellecto; procurabit ipsis hominem probum, doctum, Presbyterum, qui diebus, & horis à se designandis doceat ipsos Thologiam Scholasticam & moralem, nulli facta licentia emanendi. Idem administrator ut possit executioni mandare suam provinciam, & ut in hoc curet sibi optemperari; ut cessent omnia dissidia & contestationes, pro restituenda disciplina monastica, & pro conservandis bonis temporalibus, poterit impendere tales Officiales quibus indigebit, imò ulteriora media ut dyscolos obtemperare faciat.

Hæc provisionalia sunt, donec his in casu necessitatis ulteriùs provideatur. Ita datum Bruxellis 27. *Novembris* 1702. *Signatum* Gryps. *addito calamari Signo.* A. V. Guindertaelen, *& sigillo Majestatis Suæ, hostia rubrâ.*

(i) *Auctor Historiæ Ordinum Religiosorum,* tom. 1. pag. 158. *arbitratur Sanctum Pachomium* (*qui obiit ann.* 348.) *extitisse patrem plurium Monasteriorum, quæ in unam Congregationem ante ann.* 348. *adunata fuerunt. Enumerat septem Monasteria, quibus tanquam superior generalis præfuit. Non igitur ignota fuit per VII. secula plurium Monasteriorum adunatio.*

Cluniacensem Abbatem pro suo *Primario* Abbate recognoscerent.

De hoc Odone scribit Glaber Rodulphus *lib.* 3. *hist. cap.* 5. „ Hic in tantum hujus instituti (Benedictini) propagator extitit, ut à Beneventana Provincia, quæque habebantur in Italia, „ & in Gallis usque ad Oceanum mare potiora Monasteria, illius ditioni gratularentur esse subjecta.

Illum à studio reformationis, & Ordinis propagatione mirificè deprædicat Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis *lib.* 6. *Epist.* 17. una describens miserandam monasticæ disciplinæ collapsionem tempore Odonis; adeò ut dicat: *In cunctis penè Europæ nostræ finibus de Monacho, præter tonsuram & habitum nihil.* „ Institit ille divino operi ferè tunc solus, & Cluniacii prima faciens fundamenta, post huc illucque Religionis „ semina, quandiu advixit, serere non cessavit."

IV. Reformationem atque Monasteriorum sub Cluniacensi adunationem Odonis successores continuò promoverunt, ac propagârunt, in tantum, ut infinita penè Monasteria sensim huic Congregationi se univerint, & Abbati Cluniacensi sub hoc titulo: *Catalogus Abbatiarum, Prioratuum & Decanatuum, mediatè & immediatè Abbatiæ, seu Monasterio Cluniacensi subjectorum.* In hac quoque Bibliotheca referuntur Pontificia, ac Regia diplomata, quibus hæc Congregatio variis temporibus firmata, ac privilegiis, & rebus temporalibus aucta fuit; ac insuper varia Statuta, quæ in variis hujus Congregationis, seu Ordinis generalibus Conventibus edita fuêre.

V. Hæc prima videtur fuisse sub regula S. Benedicti instituta Congregatio, sive plurium Monasteriorum sub uno Abbate Cluniacensi adunatio; quæ hodie dicitur Congregatio, vel etiam Ordo Cluniacensis; cui modo tanquam Abbas Commendatarius præest Emminentissimus Cardinalis Bullionius, sub cujus nomine & approbatione anno 1683. prodiit novum & reformatum *Breviarium monasticum ad usum sacri Ordinis Cluniacensis*: in quo Breviario precipuè observatum fuit, ut Officium Divinum ad Regulam S. Benedicti, & veterem ac probatum Ecclesiæ morem, ac patrum mentem diceretur.

VI. Atque hinc nonnulla à Breviario Romano, ac ritu hodierno, etiam Benedictinorum, diversa occurrunt; ut v. g. quòd in Officio tridui ante Pascha cantetur Psalmus, *Venite*, & *Hymnus*, item Versiculus, *Gloria Patri*: quòd tempore Adventus & Quadragessimæ cantetur, *Te Deum laudamus*, quorum hæc sola ratio est, quia illa S. Benedicti Regulæ consona sunt.

Insuper ea Psalmorum servata distributio, ut singulis hebdomadibus omnes recitentur: in quo non tantùm mens S. Benedicti servata, sed & pristinus Ecclesiæ mos retentus est; ut hac ratione Psalterium, Scripturæ sacræ quasi compendium, Clericis, & Monachis familiare redderetur; quod ût etiam memoriter scirent, jam pridem Synodus Nicæna II. *Can.* 2. desideravit.

Hoc insuper observatur, ut omnia ferè, tum in Responsoriis, Antiphonis, Versibus, aliisque ex Scriptura sacra sint desumpta; quod in Ecclesia jam pridem usitatum fuisse sat constat; adeò ut in Concilio Coloniensi I. *Cap.* 1. hæc legantur: „ Cùm olim à sanctissimis Patribus institutum fuit, ut *solæ Scripturæ sacræ* in Ecclesia recitarentur, nescimus quâ incuriâ „ acciderit, ut in eorum locum successerint alia cum his neutiquam comparanda, &c."

Cura quoque fuit, ut per annum tota Scriptura legeretur, & si quando Scriptura occurrens in Choro legi non posset, legeretur in Refectorio.

Denique studium sedulum impensum fuit, ne quid falsi, aut de falsitate suspecti in Sanctorum festis adferretur; quod Ecclesiæ menti conforme esse, & Divini Officii majestati congruum alibi ostendimus. Cætera in compilatione hujus Breviarii observata, breviter in præfatione exponuntur.

VII. Post hanc Cluniacensem Congregationem, plures sub Regula S. Benedicti exortæ sunt Congregationes sive Ordines, quorum Monasteria in unum corpus adunata uni supremo Moderatori subjiciuntur; ut Camaldulensis auctore S. Romualdo: Vallis-Umbrosæ auctore S. Joanne Gualberto; Cisterciensis à S. Roberto Abbate Molismensi primùm institutus, à Stephano ejus successore auctus, ac demum à S. Bernardo Clarevallensi mirum in modum propagatus. Post has aliæ plurimæ sequentibus seculis exortæ fuêre; tam sub S. Benedicti, quàm Basilii, Augustini & Francisci Regulis militantes Congregrationes, quas post Miræum in Originibus Monasticis recenset Ascanius Tamburinus de *jure Abbatum*, *Tom.* 2. *quæst.* 24.

Inter has sub S. Benedicti, ac Augustini Regula militantes Congregationes, duæ sunt admodum famosæ, & per Germaniam ac Belgium latè diffusæ; nimirum una Benedictinorum, quæ dicitur *Bur-feldensis*, altera Canonicorum Regularium, dicta *Windesemensis*.

VIII. Burfeldensis demum seculo XV. initium sumpsit, nimirum post finitam Synodum Constantiensem anno circiter 1420. à quo Synodo Joannes Rodius Abbas Cœnobii S. Matthiæ apud Treviros Visitator generalis per Germaniam constitutus, seipsum imprimis ac Monasterium suum reformavit, & decretorum à se editorum confirmationem à Romano Pontifice impetravit; uti refert Aubertus Miræus in Originibus monasticis, *lib.* 2. *cap.* 25. originem & progressum hujus Congregationis his verbis exponens: „ Inter cætera verò Ordinis hujus „ Monasteria *Bursfeldia*, pauperculum Saxoniæ Cœnobium, „ reformationis decreta primùm suscepit anno millesimo quadrigentesimo trigesimo septimo, & in *Reinhausense*, aliaque vicina aliquot Saxoniæ Monasteria derivavit. Mortuo denique Joanne Rodio, Joannes Hagensis Abbas Bursfeldensis, „ qui in Monasteriis ali quot veterem disciplinam jam instaurârat, agente Jacobo Trevirensi Archiepiscopo, successor illi datus est. Sed cùm nollet is pauperculum Bursfeldense suum „ Cœnobium relinquere, alius in Rodii locum ut generalis Reformator est suffectus, sed exiguo admodum fructu. Itaque „ temporibus istis in Germaniam venit Nicolaus Cusanus, Cardinalis, & Sedis Apostolicæ Legatus, qui Joannem Hagen„ sem pietatis opinione celebrem ad se evocatum, generalem „ Ordinis Reformatorem pronuntiavit. Quo factum est, ut „ idem Cusanus Conventum seu Capitulum, ut vocant, annuum pro conservatione Reformationis institueret, Præsidis „ seu Præfecti domicilium è sancti Matthiæ Trevirensis Cœnobio Bursfeldiam transferret, omniaque Reformationis decreta à Romano Pontifice curaret approbanda."

IX. Denique *cap.* 26. Catalogum Monasteriorum huic Congregationi variis temporibus unitorum subjicit, inter quæ plura è Belgicis sunt; unà notans annum quo singula Congregationi accesserunt.

Hic observa Congregationem hanc à reformatione sumpsisse exordium, sive Monasteria reformationem desiderantia in unam Congregationem coaluisse. Unde de hac nascente Congregatione loquens Thritemius, ait: „ Hæc est, quæ carnem „ castigat, vitia fugat, abstinentiam colit, pauperes pro posse „ largiter sustentat. O sancta Monachorum unio, in qua charitas imperat, humilis subjectio obtemperat, obedientia militat, castitas sancta triumphat, oratio vigilat, perseverantia „ bonorum operum fructificat." Hæc Trithem. *de viris illustribus Ord. S. Benedict. cap.* 12.

X. Seculo XIV. fuit in Oppido Daventriæ quidam Gerardus vulgò *de Groot*. Hic zelo religionis excitatus, Conventus Clericorum Daventriæ collegit, inter quos erat Florentius Radivini Daventriæ Episcopi Vicarius, cujus suasionibus, „ iidem „ Clerici, probante Gerardo, vitam communem inter se statuerunt, quam postea summa cum laude non modico tempore tenuerunt: quin & considerantes communem vitam esse viam ad eam vitæ perfectionem assequendam, quæ vigebat in primitiva Ecclesia, quæque summopere laudatur in „ Actis Apostolorum, illud vitæ communis institutum perpetuò tenere sub obedientia ejusdem Domini Florentii, excepta solemni professione Votorum, communi decreto firmaverunt, victum, vestitum, & cætera necessaria labore manuum in communi procurantes."

Hæc ex Joanne Buschio in Chronico capituli Windesemensis refert Gabriel Pennotus in historia Canonicorum Regularium, *lib.* 1. *cap.* 63. qui ibidem subdit: cùm autem prætatus vir Venerabilis Gerardus animadverteret, illud vitæ genus, quod sub nullo Instituto regulari à Sede Apostolica probato esset fundatum, diu subsistere non posse, maximè quòd infensos sibi haberet nonnullos ex Ordinibus Mendicantium, morti proximus Fratribus suis persuasit, ut Ordinem Canonicorum Regularium assumerent: „ Quia, inquiebat, non multùm à „ vestra jam devota conversatione videtur discrepare, nisi quòd „ in illo professi servant ex professione & voto, vos sine voto „ servatis charitatem, & tria vota substantialia."

XI. Defuncto Gerardo, Florentius unà cum aliis hujus Congregationis Fratribus consilium ipsius Gerardi, de constituendo Monasterio, & assumendo Ordine Canonicorum Regularium, sedulò cogitare, ac deliberare cœperunt: ac tandem omnibus expenlocum opportunum prope Swollam, *Windensem* nuncupatum, sis nacti, ibidem de consensu Episcopi Trajectensis anno 1386. Monasterium ædificare cœperunt; quod adjuvantibus collatâ pecunia viris piis, anno sequenti absolutum fuit, atque mox in eodem Monasterio sex de Fratribus Daventriensibus sub Gerardo Magno piè institutis, Ordinem, & Regulam Canonicorum Regularium professi sunt: atque in summa paupertate ac humilitate vitam regularem instituentes, plura sensim Monasteria ipsis, reformationis causâ, unita fuêre; atque in unam Congregationem seu Capitulum, quod à loco fundati primi Monasterii *Windesemense* nuncupatur, coaluerunt.

XII. Unde rectè notavit Pennotus, hujus amplissimæ Congregationis exordia humilia quidem fuisse secundum seculum, sed alta secundum Deum, in humilitate, & paupertate profunda, & asperitate fundata.

Catalogum Monasteriorum, quorum plura in Belgio sita sunt, huic Congregationi, sive Capitulo unitorum, exhibet Mi-

Miræus in *originibus Canonicorum Regularium*, *cap.* 13.

XIII. Ordines Mendicantes, aliique post illos instituti, in unum corpus sub uno capite coadunati sunt, & tot dici possunt Congregationes, seu corpora, quot Ordines; licèt & ipsi tamen in plures particulares quasi Congregationes, seu Capitula soleant per Provincias dividi; ita tamen, ut hæ Congregationes seu Capitula simul in unam generalem Congregationem sive Capitulum sub uno Generali Ministro conveniant.

XIV. Porrò unio illa Monasteriorum in unum Corpus, seu Congregationem ad disciplinam monasticam, aut regimen Monasteriorum ritè ordinandum, & conservandum, vel collapsum restaurandum, maximè conveniens, & opportunum apparuit; eo præcipuè titulo, quòd frequentiùs in unum convenientes Monasteriorum Superiores, communi consilio deliberare, & communi operâ, ac studio allaborare in bonum ipsius Religionis meliùs, & efficaciùs valeant.

XV. Unde Cisterciensis Congregatio, seu Ordo in sua primigenia Constitutione (quæ vulgò dicitur *charta charitatis*) probatâ ab Eugenio III. in Constitutione, quæ incipit: *Sacrosancta Romana*, 2. *in Bull. R.* (cui ipsa charta charitatis subjicitur) statuit, „ ut omnes Abbates de Ordine nostro, sin„ gulis annis ad generale Capitulum Cisterciense omni postpo„ sitâ occasione conveniant; illis solis exceptis, quos corporis „ infirmitas retinuerit; qui tamen idoneum nuntium delegare „ debebunt, per quem necessitas remorationis eorum valeat „ Capitulo nuntiari. Et illis item exceptis, qui in remotiori„ bus partibus habitantes eo termino venient, qui eis fuerit in „ Capitulo constitutus. Quod si quis alia quacunque occasione „ quandoque remanere à nostro generali Capitulo præsumpse„ rit, pro culpa veniam petat, nec sine gravi animadversione „ transeat.“

Hujus Capituli generalis meminit S. Bernardus *Epist.* 28. ad Petrum Abbatem Cluniacensem scribens: „ Decretum est „ mihi ultra non egredi Monasterio, nisi ad Conventum Abba„ tum apud Cistercium.“

Refert Matthæus Parisiensis ad annum 1151. „ In Capitulo „ Cisterciensi statutum est, ne de cætero aliqui novam construe„ rent Abbatiam, quia numerus Abbatiarum illius Ordinis us„ que ad quingentas excrevit.“

Et in *cap.* NUPER ✠ *de Decimis*, fit mentio constitutionis factæ per Abbates Ordinis in generali Concilio congregatos, ne de cætero Fratres ipsius Ordinis emant possessiones, de quibus decimæ Ecclesiis debeantur, &c.

XVI. Cùm verò deprehenderetur, hæc Capitula in Ordine Cisterciensi instituta, & annuatim celebrari solita, ad modum convenientia esse disciplinæ monasticæ sustinendæ, aut collapsæ rursus restaurandæ, Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. desiderans, disciplinam in multis Monasteriis, & Ordinibus non parùm collapsam restaurari, & primævam Regulam reformari, statuit: „ Ut in singulis regnis, sive pro„ vincis fiat de triennio in triennium salvo jure Diœcesanorum „ Pontificum) commune Capitulum Abbatum, atque Priorum, „ Abbates proprios non habentium, qui non consueverunt ta„ le Capitulum celebrare; ad quod universi conveniant præpe„ ditionem canonicam non habentes, apud unum de Monaste„ riis ad hoc aptum.“

Additque deinde Concilium: „ Hoc ipsum Regulares Ca„ nonicos secundum Ordinem suum volumus, & præcipimus „ observari.“

Et quia Cistercienses præ cæteris erant in celebrandis hisce Capitulis magis experti, ordinat Concilium: „ Advocent autem „ in hujusmodi novitatis exordiis duos Cisterciensis Ordinis Ab„ bates ad præstandum sibi consilium, & auxilium opportunum, „ cùm sint in hujusmodi Capitulis celebrandis ex longa consue„ tudine pleniùs informati.“

XVII. Nomine *Priorum* in decreto Conc. Lateranensis, videntur intelligi omnes illi Priores, qui curam animarum in Monasterio sustinent; nec alium in eodem Monasterio Superiorem in regimine immediato Monasterii agnoscunt, quales sunt Priores Conventuales; de quibus suprà *tit.* 30. *cap.* 3.

XVIII. Hanc Conc. Lateranensis constitutionem plures Pontifices, ac inter alios Benedictus XII. in Constitutionibus pro reformatione Benedictinorum, & Canonicorum Regularium; & Olemens V. in *Clem.* NE IN AGRO §. *fin. de Statu Monach.* expressè innovârunt, & observari mandârunt.

XIX. Demum Synodus Tridentina perpendens, non obstante prædicta Concilii Lateranensis ordinatione, ejusque iterata innovatione, multa esse Monasteria admodum deformata, & de quorum reformatione nulla spes superesse videretur, quandiu ab omni Congregatione ac Capitulo, præsertim si etiam ab Episcoporum jurisdictione, & visitatione essent exempta; voluit, ut „ Monasteria omnia, quæ generalibus Capitulis, „ aut Episcopis non subsunt, nec suos habent Ordinarios re„ gulares Visitatores, sed sub immediata Sedis Apostolicæ „ protectione, ac directione regi consueverunt, teneantur in„ fra annum à fine præsentis Concilii, & deinde quolibet trien„ nio sese in Congregationes redigere, juxta formam Constitu„ tionis Innocentii III. in Concilio generali, quæ incipit, *In „ singulis*: ibique certas Regulares personas deputare, quæ de „ modo, & ordine, de prædictis Congregationibus erigendis, „ ac Statutis in eis exequendis deliberent & statuant: Quòd „ si in his negligentes fuerint, liceat Metropolitano, in cujus „ Provincia prædicta Monasteria sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, eos pro prædictis causis convocare. Quòd si intra „ limites unius Provinciæ non sit sufficiens talium Monasterio„ rum numerus ad erigendam Congregationem, possint duarum „ vel trium Provinciarum Monasteria unam facere Congregatio„ nem.“ *Sess.* 25. *cap.* 8. *de Reformat.*

XX. Hæc Capitula sive comitia in Ordinibus Mendicantibus, aliisque recenter institutis sub uno Præfecto generali, solent esse duplicis generis: alia nimirùm generalia, ad quæ omnium Provinciarum Præfecti, & deputati conveniunt, atque universum Ordinem repræsentant; & in quibus totius Ordinis generalis Præfectus eligi consuevit.

Alia verò *Provincialia*, ita nuncupata, quia ad illa conveniunt soli Monasteriorum Præfecti, & Deputati, unius Provinciæ. Ordinum enim Mendicantium, aliorumque sub eadem forma viventium Monasteria, dividuntur in varias Provincias, atque unicuique Provinciæ usus præficitur, dictus *Provincialis*, tanquam totius Provinciæ moderator.

In Ordine autem Benedictinorum, & Canonicorum Regularium, quorum Monasteria ex prima institutione sunt magis à se mutuò distincta, tantùm habetur unius generis Capitulum *generale*, nimirum omnium Monasteriorum singularum Congregationum, in quas tandem Monasteria illa se redegerunt, & univerunt.

XXI. Quâ formâ & ritu hæc Concilia sint celebranda, ex singulorum Ordinum Constitutionibus præcipuè peti debet. Hoc unum monet Concilium Lateranense, & novissimè Tridentinum; ut saltem de triennio in triennium commune Capitulum habeatur, id est, ut ultra triennium non differatur; nequaquam improbans Ordinum illorum Constitutiones, aut consuetudines frequentiorem Conciliorum illorum celebrationem præscribentes.

Unde cùm dubitatum esset, an ob hoc Decretum Concilii Lateranensis & Tridentini aliquod esset immutandum in illis Religionibus vel Congregationibus Monachorum, in quibus Capitula celebrantur singulis annis, & Præsides eliguntur annales, responsum fuit à S. Congregatione, nihil esse immutandum; imò retinendos esse Præsides annales, ne si triennales fierent, etiam forsan Capitula non ampliùs singulis annis haberentur, quæ fieri potissimùm solent pro electione Præsidiis; „ & tamen, inquit, quis neget frequentem Capi„ tulorum Congregationem prodesse ad regularem disciplinam, „ vel conservandam, vel ubi collapsa est, parandam?“ Apud Fagnanum ad *Cap.* IN SINGULIS ✠ *de Statu Monach. num.* 12.

XXII. Præter Capitula generalia & provincialia, jam pridem usitata fuisse tàm apud Monachos, quàm Canonicos in communi viventes Capitula quotidiana, tum ex Conciliis, tum Monachorum Regulis, & Constitutionibus notissimum est, uti ex mox dicendis patebit.

XXIII. Hæc verò Capitula haberi solebant post Primam absolutam, priusquam ad sua opera Fratres diverterent. Unde in Constitutionibus Congregationis, sive Capituli Bursfeldensis *Dist.* 1. *Cap.* 4. legitur: „ Omni tempore, Primâ regulari finitâ, itur ad locum capitularem.“

XXIV. In hoc Capitulo primo legi consueverat Martyrologium. In Synodo Aquisgranensi anno 817. *Can.* 69. Ut *ad Capitulum primitùs Martyrologium legatur*, & Radulphus de Rivo Decanus Tungrensis enumerans, quæ suo tempore, id est, seculo XV. in Capitulo, quod fit post Primam, legebantur, dicit: *Primò, memoria Sanctorum in recitatione Martyrologii.* De Canonum observantia *propos.* 14.

XXV. Sequebatur deinde, eodem Radulpho teste, Versus *Pretiosa*, cum Capitulo *Sancta Maria.* Quod & citatus Canon Aquisgranensis significat, ubi post allegata verba subjungit: Et *dicatur* VERSUS.

Post hæc, uti scribit Radulphus, & ante ipsum Amalarius Fortunatus, „ quia tunc ad labores diurnos præparari „ debemus, adduntur præces congruentes, dicendo ter, *Deus „ in adjutorium.* Deinde *Kyrie eleyson. Pater noster*, cum „ versu *Respice*, & oratione *Dirigere.*“

XXVI Tandem sequebatur lectio Regulæ, ut in dicto Canone Aquisgranensi præscribitur, & seculo VIII. Monachi Fuldenses supplicantes Carolo M. ut liceat eis orationum & psalmodiæ modum tenere, quem Patres eorum habuerunt, inter olim usitata referunt: *Manè quando in unum convenimus*, CAPITULUM DE REGULA *coram fratribus legebatur.* Lib. 3. antiq. Fuld. *cap.* 12.

Hæc quotidiana lectio Regulæ non dissonat à mente S. Benedicti, qui *cap.* 64. Regulæ, ait: „ Hanc au„ tem Regulam sæpius volumus in Congregatione legi, ne

„ ne quis fratrum se de ignorantia excuset.“

Ab hac lectione alicujus Capituli ex Regula, postmodum locus ipsius consessûs, *Capitulum* dictus fuit, ut observat Haeftenus *lib.* 8. *Disquisit. Monast. tract.* 1. *disq.* 1. unà observans, hanc lectionem Regulæ respondere *lectioni Brevi*, quæ hodie juxta ritum Breviarii Romani dicitur in fine *Primæ*. Cumque diceretur olim sub finem consessûs, sive post preces alias in Capitulo recitatas, facilè intelligitur, antiquæ illius disciplinæ vestigium esse, quod etiamnum hodie in rubrica Breviarii Romani præscribatur, hanc brevem lectionem dicendam *ad absolutionem Capituli.*

XXVII. Obiter quoque hîc observat, multisque probat Haeftenus, lectionem Martyrologii, versum *Pretiosa*, & reliqua, quæ sequuntur in Breviario Romano post orationem Primæ, consuetamque clausulam *Benedicamus Domino*, non esse propriè partem Primæ, sed recenter, Capitulis quotidianis præsertim apud Canonicos abolitis, per modum appendicis adjecta esse, uti etiam testatur Durandus *lib.* 5. *Divin. Offic. cap.* 5.

XXVIII. Nec tantùm legebatur Regula in Capitulo, sed ut eam præcipuè jejuniores intelligerent, à Superiore erat exponenda.

Unde Clemens V. in *Clem.* Ne in agros §. Sane *de Statu Monach.* ait: „ Regula quoque cùm in Capitulo legi„ tur, ab illo qui præest ipsi Capitulo, vel alio cui hoc ipse „ injunxerit, propter juniores vulgariter exponatur.“ Idipsum mandat Benedictus XII. in Constitutione super reformatione Monachorum S. Benedicti. *cap.* 5.

His conformes sunt Constitutiones Capituli Bursfeldensis, quæ præcipiunt: „ Lector finita lectione Regulæ, præsentet „ librum Præsidenti omni tempore. At ille omnibus expeditis „ exponat lectionem Capituli, si expositione indigeret.“

XXIX. Ad hanc autem Regulæ lectionem, pium admodum, ac utile exercitium tradit Trithemius in *Exercit. Monast. tract.* 3. *cons.* 2. „ Dum Lector, ait, passum unum de more ex Regula recitat, devotus Cœnobita in corde dicat: „ Adjuva me, dulcissime Domine Jesu Christe, ut secun„ dum hanc normam servi tui Benedicti religiosè possim vi„ vere, & in tuo sanctisimo servitio fideliter permanere. Dein„ de cogitet, quoniam, sicuti Regula bonis & devotis ad pro„ fectum quotidiè legitur, sic tepidis, malis, seu negligen„ tibus, ut sint inexcusabiles, ad damnationis cumulum reci„ tatur. Denique noverit se ad fidelem conatum obligari om„ nium, quæ Regulâ continet, quemadmodum tenor pro„ fessionis habet.“

XXX. Ultimus isque præcipuus Capituli actus est, culparum ac defectuum Monachorum ultronea confessio & agnitio (de qua latè tractat Haeftenus *lib.* 8. *disq. Monast. tract.* 2.) atque earum correctio, & abusuum reformatio.

In citata Benedicti XII. Constitutione *cap.* 5. postquam dictum esset, quòd per quotidianam, & ordinariam factionem Capituli generalis, fortificatur & durat nervus monasticæ disciplinæ, statutumque, ut quotidie hujusmodi Capitulum habeatur, subjungitur: „ In quo priusquam ad quævis „ alia procedatur, plenè (secundum Regulam Monasticam, „ & Ecclesiarum, Monasteriorum Conventualium & aliorum „ locorum præfatorum consuetudines approbatas) Monacho„ rum seu Fratrum excessus, transgressiones, & negligentiæ „ corrigantur, ac de disciplina, & reformatione regulari aga„ tur in illo.“

Similiter in ejusdem Pontificis Constitutione, totius Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, post ordinatum Regulare Capitulum præcipitur §. 7. „ In quo antequam ad „ tractanda alia procedatur, Canonicorum excessus, transgres„ siones, & negligentiæ corrigantur, ac de disciplina, & re„ formatione regulari tractetur salubriter & agatur, nullo „ ibidem protervè, & clamosè, seu irreverenter se habere „ quomodolibet præsumente.“

Similia passim in aliorum Ordinum Constitutionibus occurrunt, quæ si sedulò observarentur, appareret, Capitula hæc ad conservandam vel restaurandam monasticam disciplinam, morumque coreptionem piè utiliterque esse instituta.

CAPUT IV.

De Visitatione Monasteriorum.

1 *Frequens Visitatio multùm ad conservandam disciplinam monasticam conducit.*
2 *Visitatio Monasteriorum pluribus seculis ad Episcopos pertinuit.*
3 *Etiam seculo IX. eadem erat Episcoporum auctoritas.*
4 *Exemptio Monasteriorum Visitationi Episcoporum obicem injecit.*
5 *In Capitulis debent designari Visitatores.*
6 *Quandonam Episcopus Monasteria immediatè Sedi Apostolicæ subjecta visitare possit.*
7 *Monasteria Commendata etiam exempta, quando ab Episcopo visitari possint.*
8 *Exemptio non se extendit ad functiones Hierarchicas.*
9 *Monasteria, quibus cura Animarum personarum secularium imminet, Episcoporum Visitationi subjacent.*
10 *Constitutio Gregorii XV. pro faciliori hujus decreti executione.*
11 *Beneficia Curata Monasteriis exemptis unita, subjecta Visitationi Episcoporum.*
12 *Confraternitates personarum secularium erectæ in Ecclesiis Regularium, Episcoporum visitationi subsunt.*
13 *A quibus visitanda Monasteria Monialium.*
14 *In Capitulis generalibus designandi Visitatores Regulares.*
15 *Hi Visitatores cumulativè cum Episcopo concurrunt.*
16 *Synodus Lateranensis volens Visitatores designari, etiam de non exemptis loquitur.*
17 *Synodus Tridentina non præcipit, omnia Monasteria in Congregationes redigi, & Visitatores Regulares accipere.*
18 *Monasteria Episcopis subjecta possunt in Cognregationem redigi, & Visitatores Regulares accipere.*
19 *Habere Visitatores Regulares non est sufficiens argumentum exemptionis.*
20 *Generales & Provinciales Ordinis etiam Visitare tenentur.*
21 *Si sint extranei, solent petere veniam Principis.*
22 *In Regno Galliæ tenentur constituere Vicarios Regnicolas.*
* *Generales exteri suorum Ordinum Monasteria in Belgio sita non possunt visitare sine licentia Principis.*

I. Duo sunt præcipui disciplinæ monasticæ axes: Capitulorum exacta, & crebra celebratio, in quibus Monachorum culpæ, & defectus discutiuntur & emendantur, & visitatio frequens Monasteriorum, *cap.* In singulis ✠ *de Statu Monach.*

His duobus axibus in suis primordiis sustentatus fuit Ordo Cisterciensis, si Cæsario *lib.* 1. *cap.* 1. *de Initiis Cisterciensium*, credimus hæc scribenti: „ Quid est Visitatio? „ Disciplinæ conservatio. Duo enim primitivi Patres institue„ runt ad vitiorum correctionem, & charitatis conservatio„ nem, videlicet generale Capitulum, & singulis annis visi„ tationem Monasteriorum.“

II. Primis seculis, quibus incognita erat Monasteriorum vel Monachorum à jurisdictione Episcoporum exemptio, Episcopis visitandi Monasteria suæ Diœcesis, tam virorum quàm mulierum, cura incumbebat.

Hinc illud apud Gratianum ex Synodo Aurelianensi: „ Non „ semel, sed sæpius in anno Episcopi visitent Monasteria Mo„ nachorum; & si aliquid corrigendum fuerit, corrigatur.“ *Can.* 29. *caus* 18. *q.* 2.

Et in Canone præcedenti ex S. Gregorio *lib.* 7. *Ep.* 18. refertur: „ Visitandi, exhortandique gratiâ ad Monasterium, „ quoties placuerit, ab Antistite civitatis accedatur, sed sic „ charitatis officium illic Episcopus impleat, ut gravamen ali„ quod Monasteriorum non incurrat.“

III. Quin & seculo IX. Concilium Tullense jus visitandi Monasteria ipsis Episcopis competere supponit, ubi *Can. IX.* statuit: „ Ut Congregationes Canonicorum & Mo„ nacorum ac Sanctimonialium secundum Canonicam Institu„ tionem à propriis Episcopis strenuè visitentur, & eorum re„ ligio & habitus exquiratur.“

IV. At labentibus seculis, exortâ Monasteriorum ac Regularium à jurisdictione Episcoporum exemptione, cœperunt Monasteria exemptionis privilegio munita visitationem Episcoporum rejicere, atque ab ea se exemptos prætendere; utpote quæ superioritatem aliquam, & jurisdictionem in visitante respectu visitati requirit.

V. Cumque experientia ostenderet Monasteria ita exempta paulatim defectu debitæ visitationis in summam dissolutionem prolabi, ipsosque Abbates ab omni penè correctione exemptos pro libitu dominari, ac ipsam Monasterii substantiam dilapidare; Concilium Lateranense sub Innocentio III. statuit, ut in Capitulis generalibus, quæ de triennio in triennium celebrari mandat (de quibus capite præcedenti actum est) „ or„ dinentur religiosæ, ac circumspectæ personæ, quæ singulas „ Abbatias ejusdem regni, ac provinciæ, non solùm Mona„ chorum, sed etiam Monialium, secundum formam sibi præ„ fixam, vice Sedis Apostolicæ studeant visitare, corrigentes, „ & reformantes, quæ correctionis, & reformationis officio „ viderint indigere.“

VI. Quod decretum probans Synodus Tridetina, decernit: Quòd si Monasteria, quæ generalibus Capitulis, aut Episcopis non subsunt, nec suos habent ordinarios regulares Visitatores, sed sub immediata Sedis Apostolicæ protectione, ac directione regi consueverunt, si nec, instante Metropolitano, in Con-

Congregationem se redegerint, neque Capitulis generalibus subdiderint, *Episcopis, in quorum Diœcesibus sita sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis subdantur. Sess.* 25. *cap.* 8. *de Regul.*

VII. Ulteriùs Synodus Tridentina considerans Episcopis primariò ac quasi naturaliter ipsam Monasteriorum curam atque ex ea resultantem visitandi auctoritatem incumbere, decernit *Sess.* 21. *cap.* 8. *de Reform.* „ Ut si quæ sint Monasteria comen„ data, etiam exempta, & si vigeret in iis regularis observantia, „ provideant Episcopi paternis admonitionibus, ut eorum Regu„ larium Superiores juxta eorum regularia instituta debitam vi„ vendi rationem observent, & observari faciant, & sibi subditos „ in officio contineant, ac moderentur. Quòd si admoniti intra „ sex menses eos non visitaverint, vel correxerint; tunc iidem „ Episcopi etiam ut Delegati Sedis Apostolicæ eos visitare pos„ sint, & corrigere, prout ipsi Superiores possent juxta eorum „ instituta: quibuscunque appellationibus, privilegiis, & exemp„ tionibus penitùs remotis, & non obstantibus.“

VIII. Deinde quia Regularium exemptio ultra regularem disciplinam, & ea, quæ Regulares ut tales concernunt, non extenditur; neque ad Hierarchica sine confusione Hierarchiæ divinitùs institutæ extendi potest (uti infrà parte 3. titulo de Exemptionibus Regularium ostendetur) etiam Monasteria quacunque exemptione munita quoad Hierarchica Episcoporum visitationem recipere tenentur.

IX. Hinc Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 11. *de Regular.* decrevit: „ In Monasteriis, seu domibus virorum, seu mu„ lierum, quibus imminet animarum cura personarum secula„ rium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum seu lo„ corum familia, personæ, tam regulares, quàm seculares, hu„ jusmodi curam exercentes subsint immediatè in iis, quæ ad „ dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, „ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus „ Diœcesi sunt sita.“

X. Pro Decreti hujus elucidatione, atque faciliori, & efficaciori ejus executione, edita est Constitutio à Gregorio XV. quæ incipit, *Inscrutabili*, 18. *in Bull. R.* in qua inter cætera §. 4. hæc habentur: „ Matura deliberatione nostra, & ex cer„ ta scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac gene„ rali ac perpetuò valitura Constitutione decernimus, statuimus, „ & declaramus, ut deinceps tam regulares, quàm seculares, quo„ modolibet exempti, sive animarum curam personarum secu„ larium Monasteriis, seu domibus regularibus, aut quibusvis „ aliis Ecclesiis, vel Beneficiis, sive regularibus, sive secularibus „ incumbentem exerceant; sive aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut „ unum ex illis ministrent prævià Episcopi licentiâ, & aprobatione, „ sive quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorundem „ Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto „ absque ulla auctoritate se ingerant, in his, quæ ejusmodi cu„ ram seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdic„ tioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tan„ quam Sedis Apostolicæ Delegati, plenè in omnibus subji„ ciantur.“

XI. Eodem fundamento, Beneficia curata Monasteriis annexa seu unita ab Ordinario loci visitanda esse, non obstante ipsorum Monasteriorum quâcumque exemptione, declaravit Synodus Trident. *Sess.* 7. *cap.* 7. *de Reform.*

Plura Regia Edicta, & Parlamentorum arresta, quibus Episcopis jus visitandi Ecclesias Parochiales Monasteriis exemptis unitas; aut etiam ipsas Ecclesias Regulares, quibus cura personarum secularium incumbit, asseritur, referuntur in Actis Cleri Gallicani *tom.* 1. *tit.* 2. *cap.* 12.

XII. Confraternitates personarum secularium erectas in Ecclesiis Regularium, tametsi exemptis, Episcopus jure ordinario visitare potest; quin & earum sacella, & oratoria quantum ad administrationem Confratrum attinet, uti decisum à S. Congregatione refert Fagnanus ad *cap.* GRAVE ✠ *de Officio Ordinarii*, *n.* 46.

XIII. Quoad Monialium Monasteria statuitur in Clem. ATTENDENTES, *de Statu Monach.* „ ut singula Monialium Mo„ nasteria per Ordinarios, exempta videlicet, quæ ita Sedi „ Apostolicæ subjiciuntur, quod nulli alii subjecta noscuntur, „ Apostolica, non exempta verò, ordinariâ auctoritate, ac „ exempta alia per alios quibus subsunt, annis singulis debeant „ visitari.“

His conforme est decretum Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 9. *de Regular.* quo decernit, ut „ Monasteria Sanctimonialium „ Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, etiam sub nomine Ca„ pitulorum S. Petri, vel S. Joannis, vel aliàs quomodocun„ que nuncupentur, ab Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ „ Delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscunque. Quæ „ verò à Deputatis in Capitulis generalibus, vel ab aliis Regula„ ribus reguntur, sub eorum cura, & custodia relinquantur.“

Quomodo Episcopi vi Concilii Tridentini visitare possint Monasteria Monialium, quantumvis exempta, & á Regularibus regi solita, circa ea, quæ clausuram ejusque custodiam concernunt, suprà *tit.* 39. *cap.* 3. notatum fuit.

XIV. Præter Episcopos naturales, quodammodo Monasteriorum in suis Diœcesibus consistentium Visitatores, sunt insuper Visitatores Regulares à Capitulis generalibus, seu provincialibus designandi: quemadmodum ex verbis Concilii Lateranensis suprà relatis constat.

XV. Hi Visitatores nec per visitationem Episcoporum à sua visitatione excluduntur; uti nec ipsi visitationem Episcopi, quoad Monasteria illi subjecta, aut circa ea, in quibus Monasteria etiam exempta Episcopis subjiciuntur, impedire possunt: & ita judicatum fuisse anno 1602. refert Tournetius in sua collectione Arrestorum *Litt. A cap.* 11. idque conformiter ad jus commune.

XVI. Synodum etiam Lateranensem in hac Constitutione non tantùm de Monasteriis exemptis, sed etiam de non exemptis, sive jurisdictioni ac visitationi Ordinariorum immediatè subjectis loqui, dubitari non sinunt, tum verba in initio Decreti apposita: *salvo jure Diœcesanorum Pontificum*, tum hæc finalia: „ Porrò „ Diœcesani Episcopi Monasteria sibi subjecta, ita studeant refor„ mare, ut cùm ad ea prædicti Visitatores accesserint, plus in illis „ inveniant, quod commendatione quàm quod correctione sit „ dignum.“

XVII. Sed rectè advertit Zypæus *consult.* 1. *de Censibus n.* 16. quòd Synodus Tridentina, licèt velit à Monasteriis in Congregationem redactis observari formam à Concilio Lateranensi in Capitulo *In singulis* præscriptam, non tamen jubeat omnia generaliter Monasteria, etiam non exempta & Ordinariorum visitationi subjecta, quemadmodum Synodus Lateranensis velint, in Congregationes redigi; sed duntaxat Monasteria, quæ Episcopis non subsunt, nec suos habent ordinarios Regulares Visitatores; sed sub immediata Sedi Apostol. protectione, ac directione, regi consueverunt.

Quare hodie multa etiam in Belgio sunt Monasteria, præcipuè mulierum, Episcopis immediatè subjecta, nulli Congregationi Regularium unita; neque ullos Regulares Visitatores habentia.

XVIII. Nullatenus tamen repugnat juri Communi, nec Concilio Trid. Monasteria in Congregationem esse redacta, & consequenter Visitatoribus à Capitulis generalibus designatis subjecta, & tamen unà Episcoporum jurisdictioni ac visitationi subjici. Nec enim Synodus Tridentina vetuit, uti monet Zypæus, Monasteria Episcoporum jurisdictioni ac visitationi subdita, in Congregationem redigi, ipsosque Regulares Visitatores ab eadem Congregatione accipere; licèt idipsum quoad similia Monasteria non mandaverit.

XIX. Itaque Monasteria esse in Congregationem redacta, atque Visitatoribus Regularibus subjecta, nullum est exemptionis argumentum; neque titulus suficiens, ut Episcopus à visitatione excludatur; ut infrà *part.* 3. *tit. de Exemptionibus*, latiùs ostendetur.

XX. Insuper „ Abbates, qui sunt Ordinun Capita, ac „ cæteri prædictorum Ordinum Superiores Episcopis non sub„ jecti, quibus est in alia inferiora Monasteria Prioratusque le„ gitima jurisdictio, eadem illa sibi subdita Monasteria, & Prio„ ratus, suo quisque loco atque ordine ex officio visitent (ait „ Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 10. *de Regularib.*) etiamsi Commen„ data existant... Teneanturque, quicunque prædictorum Ordinum „ Monasteriis præsunt, prædictos Visitatores recipere, & il„ lorum ordinationes exequi.“

Unde in omnium passim Ordinum mendicantium, iisque communicantium Constitutionibus, injungitur Ordinum illorum Generalibus, & Provincialibus, ut Monasteria sibi subjecta solicitè visitent.

XXI. Sed quia Ordinum istorum Generales ferè solent esse Itali aut saltem extranei, suam in hisce partibus visitationem, utpote jurisdictionis aliquam speciem præferentem, sine consensu Principis facere ægrè permituntur; videmusque passim, quòd priùs quàm ad has provincias veniant, ipsum Principem aut ejus Ministros certiores reddant; ejusque beneplacitum expetant, cujus plura exempla referuntur *tom.* 2. *Libertatum Eclesiæ Gallicanæ*, *cap.* 33. (k) ac signanter *art.* 41. 42. & 45.

Re-

(k) *Undecimo die Aprilis ann.* 1680. *exiit è Consilio Regis Francorum Arrestum, quo prohibetur Franciscanis Conventualibus S. Bonventuræ, ne in suis Canventibus patiantur residere Religiosos sui Ordinis, nisi sint Galli & Subditi Regis; permitit tamen Rex, ut in iisdem Conventibus suam figant residentiam extranei Franciscani, modo licentiam scripto exaratam à Rege obtinuerint; insuper decernit Doctores, qui suos Gradus in Regni facultatibus non receperunt, excludendos è prerrogativis, quas statuta Ordinis Franciscani Doctoribus in Galliis concedunt. Inde concluditur nullum Franciscanum posse ad Dignitates sui Ordinis in Gallia promoveri, nisi Gallus sit; aut si extraneus est, nisi consensu Regis sit munitus. Acta Cleri Gallicani* tom. 4. col. 575.

Arresto quod Parlamentorum Aquarum Sextiarum dedit

XXII. Refert insuper Fevretius, *lib. 3. de Abusu, cap.* 15. §. 12. quòd in Gallia, GeneralesOrdinum extra regnum residentes, debeant constituere Vicarium generalem regnicolam (l), qui Monasteriis in Gallia sitis intendat: atque ita non semel judicatum fuisse testatur. Idem testatur Broudæaus in notis ad Louentium *Lit. D. num.* 49.

* Eadem quoque in Provinciis Belgicis Jurisprudentia observatur: legitur quòd anno 1593. Generalis Ordinis Cisterciensis in Gallia residens, desiderans visitare Monasteria sui Ordinis in partibus sita, jusserit per duos Prælatos à Principe facultatem illam visitandi postulare, quam facultatem Princeps reformationem Monasteriorum impedire nollens benignè annuit, eâ tamen conditione, quòd Generalis in ipso actu visitationis deberet secum adhibere duos Prælatos ejusdem Ordinis hisce in Provinciis residentes.

Cumque anno 1551. quidam Religiosi Ordinis FF. Prædicatorum in Gallia residentes, sine Regio placito tentâssent quædam in is Partibus Monasteria ejusdem instituti visitare; Regina Hungariæ Belgii Gubernatrix (m) eosdem visitatores ad se evocavit, eisdemque ulteriorem visitationem interdixit; quorum per litteras acriores die 6. Junii horum Monasteriorum Provincialem & Religiosos reddidit certiores; unà, sub pœnâ Regiæ indignationis seriò inhibens ullos visitatores Gallos aut alios in posterum admittere, nisi prius eis de placito & consensu suæ majestatis consisterit. Anno 1616. Belgii Gubernator similes scripsit litteras 27. Junnii ad Abbates Trunicienses juxta Gandavum ac SS. Cornelii & Cypriani Ninoviæ Ordinis Præmonstratensis super eo, quòd sui Ordinis Generalem etiam sine prævio Regis placito ad visitationem admississent. Quæ litteræ infrà apponuntur (n).

Ad hæc Praxis Belgii in hoc conformis est praxi Regni Galliæ (de qua infrà) quòd Generales Ordinum extra has Provincias residentes, nullam possint per se in Monasteria, aut Religiosos harum Provinciarum auctoritatem, aut actum jurisdictionis exercere; sed teneantur in hisce partibus constituere Commissarium Generalem, qui nomine eorum Monasteriis in hisce Provinciis sitis intendat, quemadmodum videmus Ordinem Cisterciensem, necnon Præmonstratensem suum respectivè habere Commissarium Generalem, eo quòd horum Ordinum Generales habeant fixam residentiam in Regno Galliæ.

CAPUT V.

De Scopo, et Forma Visitationis et Reformationis.

1 *Scopus visitationis est corrigere, & reformare Monasteria in spiritualibus & temporalibus.*
2 *Hic scopus exprimitur in formula delegationis Visitatoris Apostolici.*
3 *Idem patet ex Ordinum Constitutionibus.*
4 *Visitatores eligendi, qui sunt observatiores strictioris disciplinæ.*
5 *Forma visitationis petenda ex singulorum Ordinum Constitutionibus; & qualem præscribat Congregatio Bursfeldensis; & quid in hac præcipuè notandum.*
6 *Visitatorum auctoritas ex singulorum Ordinum Constitutionibus plurimum dependet.*
7 *Visitatorum Apostolicorum ex Pontificum diplomate petenda.*
8 *Quomodo fiat hodie Visitatorum Monialium deputatio per Episcopos.*
9 *An acta visitatorum Regularium per appellationem suspendantur.*
10 *Reformationis scopus est Regulæ restauratio.*
11 *Monachi ultra Regulam, quam professi sunt, non sunt constringendi.*
12 *Omnes jam pridem factæ reformationes unicè ad Regulæ restaurationem factæ. Ostenditur exemplo Cisterciensium.*
13 *Exemplo Patrum Capucinorum.*
14 *Exemplo item Patrum Discalceatorum.*
15 *Nihil aliud intendit in sua reformatione Synodus Tridentina.*
16 *In reformando distinguenda essentialia Religionis ab accidentalibus.*
17 *In his moderatiùs, quam in illis procedendum.*
18 *Interior reformatio præcedere debet exteriorem.*
19 *Monasteria solùm* exteriùs *reformata facilè deformantur.*
20 *Reformatio suaviter & pedetentim introducenda.*
21 *Reformationes Ordinum ab uno passim Monasterio incohatæ.*
22 *Ad firmandam reformationem conducit Monasteriorum in unam Congregationem adunatio.*
23 *Ex reformatione ortæ sunt pleræque Congregationes.*
24 *Ostenditur origo Congregationis quatuor Abbatiarum Belgicarum.*
25 *Ex articulis & actis hujus Congregationis ostenditur, hanc Congregationem ad stabiliendam reformationem institutam esse.*
26 *Quâ ratione pro firmanda reformatione Congregationes in distinctos Ordines transiverint.*
27 *Extensio & multiplicatio reformationis frequenter reformationi retinendæ nocet, eamque destruit.*

I. SCopum visitationis expressit Honorius III. in *Cap. fin.* ✠ *de Statu Monachorm*, his verbis: „ Cum visitato„ res secundum Statutum generalis Concilii ordinati à gene„ rali Capitulo Abbatum proceserint ad visitationis officium „ exequendum, de statu Monasteriorum, & observantiis re„ gularibus diligenter inquirant, & tam in spiritualibus, quam „ in temporalibus corrigant, & reforment, quæ corrigenda „ viderint: ita tamen, quòd Monachos delinquentes per Ab„ batem loci corrigi faciant, eisque injungi pœnitentiam sa„ lutarem juxta beati Benedicti Regulam, & Apostolica Ins„ tituta, non secundum normam pravæ consuetudinis, quæ „ quasi pro lege in quibusdam Ecclesiis inolevit."

II. Et in formula facultatis visitandi Monasteria Monialium ex delegatione Apostolica apud Barbosam inter formulas Episcopales *form.* 44. injungitur Visitatori, ut „ de ip„ sorum Monasteriorum statu, ac ipsarum Monialium vita & „ moribus regularibus institutis, ac monasticæ disciplinæ ob„ servantia diligenter inquirat, ac super his & quibuscum„ que abusibus, necnon criminibus, excessibus & delictis, si „ quæ deprehenderit, processus faciat, informationes quascun„ que sumat, & quæcunque in præmissis & circa ea neces- sa-

30. *Maii* 1628. *statutum fuit, ut Domibus Carmelitarum* Provinciæ *non alii præessent Priores, quàm Regnicolæ. Acta Cleri Gallicani* col. 668. tom. 4.

(l) *Quâ de causa Religiosis Sanctissimæ Trinitatis Hispanis Clemens XIII. facultatem concessit, ut sibi Vicarium Generalem eligerent, ut constat ex Regia Schedula, quæ pro ejus confirmatione data est* 26. *Octobris ann.* 1769. *Quod etiam accidit in Religione Sancti Francisci quoad Dominia Indica, pro quibus Commissarium Generalem nominat Rex, uti videri est in* leg. 55. tit. 14. l. 1. Recopil. Indiar.

(m) *Hæc erat Maria Austriaca, Imperatoris Caroli V. soror.*

(n) Litteræ scriptæ Provinciali, & aliquibus Cœnobiis Ordinis Sancti Dominici in Partibus citerioribus cum inhibitione, ne accipiant, vel admittant ullos Visitatores extraneos absque litteris cum beneplacito Principis.

Maria Dei gratia, Regina vidua Hungariæ &c. Regens seu Administratrix, &c. *Religiosæ, dilectæ & charæ personæ. Audito non ita pridem nonnullos Ordinis Fratrum Prædicatorum venisse in has Partes ex terris Galliæ, sine sigillo, venia, & consensu Imperatoris Domini mei, vel nostro, & eò devenisse ut aliqua Monasteria visitarent, imò vestra, hos huc accersivimus & curavimus ipsis inhiberi, ne ulterius visitare attentarent, ægrè ferentes quod jam fecerunt, & quòd vos illos admiseritis, monemus, & à vobis petimus nostramine Majestatis suæ Imperialis mandantes expressissimè, ut imposterum simile quid non faciatis, non admissis similibus Visitatoribus Gallis nec aliis, nullo ipsis prætenso jure dato, nisi viso à vobis beneplacito Majestatis suæ, idque sub pœna incurrendæ ejus indignationis, &c. Bruxellis* 8. *Junii* 1551.

Litteræ super eadem materia ad Abbates & Tronchiennes prope Gandavum & Sancti Cornelii in Ninove, Ordinis Præmonstratensis.

Josephus Lotharius Comes de Kinigsegg. *Reverende & dilectissime in Deo Pater. Admisso à vobis Generali vestri Ordinis, ut visitaret vestram domum, nulla informatione facta an esset ipsi provisum de beneplacito ad id requisito, & nulla ipsi facta licentia exercendi tales hujus jurisdictionis actus in hisce Provinciis, neque vobis illam tolerandi absque beneplacito Majestatis suæ Imperialis & Catholicæ, has vobis scribimus, ut nomine ipsius serio inhibeamus, ne imposterum admittatis dictum Generalem in faciendis suis visitationibus, vel in exercenda ulla jurisdictione in vestra Abbatia, nisi visis litteris, sub pœna, quòd sit sumptibus vestris juridicè procedendum pro tuenda independentia dictæ Majestatis suæ; in quem finem hanc communicabitis convocato Capitulo vestris Religiosis, & curabitis inscribi registris vestrorum Novitiorum, ut vestram ignorantiam non possitis inculpare, &c. Bruxellis* 27. *Junii* 1716.

„ saria, seu quomodolibet opportuna fuerint, faciat, & „ exequatur."

III. Hic est visitationis, ac reformationis scopus, quem Visitatores præ oculis præcipuè habere debent, & singulorum Ordinum Constitutiones, diversis quidem verbis, sed eodem planè sensu exprimunt inculcantque: ut nimirum Visitatores tam in spiritualibus, quàm in temporalibus Provinciam reformare, & ad debitum modum vivendi redigere conentur; uti loquuntur Constitutiones Eremitarum S. Augustini *part.* 3. *cap.* 12.

IV. Meritò ergo monent Patres Capituli, seu Congregationis Bursfeldensis, ut „ singulorum Monasteriorum Visitato- „ res maturiori deliberatione, altiorique consilio tales deputen- „ tur, qui districtionem regularis disciplinæ promovere & effi- „ caciter conservare posse præsumuntur. Ex illorum quippe „ idoneitate, diligentia, & fidelitate, inquiunt, directio, & „ observatio totius observantiæ non mediocriter dependere cre- „ ditur." Et rursus de visitatione loquentes dicunt: „ Visitato- „ res esse convenit Religionis præcipuos zelatores, moribus „ maturos, & discretos: necnon circa explendum actum visita- „ tionis suæ, multùm solicitos, & circumspectos." *In Constit. dist.* 1. *cap.* 2. & 3.

Unicus ergo Visitatorum scopus esse debet, ut videant, num tam in spiritualibus quàm temporalibus Monasteria juxta Regulam ac laudabiles Constitutiones regantur; & quidquid his contrarium invaluisse intelligant, corrigere & reducere ad normam Regulæ, & regularis observantiæ studeant (o).

V. Circa formam, & modum in visitatione servandum, Ordinum singulorum Constitutiones præcipuè attendendæ sunt, quæ formam, modumque visitationis latiùs, prout Ordini magis convenire videbatur, exprimere solent. Illud in omnibus penè saltem in substantia præscribitur, quod in Constitutionibus Bursfeldensibus his verbis exprimitur: „ Quòd quidem Fra- „ tres per Visitatores moneantur, atque in virtute sanctæ obe- „ dientiæ ipsis præcipiatur, ut de Abbate, de Priore, vel de „ se ipsis, Fratres invicem, de Conversis etiam, ac totius do- „ mûs statu, quidquid super iis, de quibus interrogati fuerint, „ accusatione dignum, vel emendatione cognoverint, nullate- „ nus amore, vel odio, seu timore cujuscunque, veritate su- „ pressâ, singuli edoceant evidenter. Eadem Abbas loci Fra- „ tribus sua auctoritate præcipiat" additâ tamen hâc clausula: „ Aliàs indiscretè nemo constringatur, utpote per extorsionem ju- „ ramenti, aut excommunicationem; nisi forsan quis deprehen- „ datur, malitiosè veritatem celans." Clausula hodie non immeritò notanda; cùm non rarò videamus, Subditorum conscientias, etiam in levibus ac modicis materiis exactione juramentorum, & censurarum comminatione nimium constringi & vexari.

VI. Potestas, seu auctoritas Visitatorum rursus non parum à Constitutionibus & consuetudine singulorum Ordinum dependet; quæ nonnunquam limites aut formam, quos in statuendo aut decernendo observent, præscribunt.

Sic videmus in Constitutionibus Eremitarum S. August. *part.* 3. *cap.* 12. statutum: „ Cùm autem ad determinationem „ visitationis ventum fuerit, si aliquas novas ordinationes relin- „ quere voluerint custodiendas, debent primò super his cum „ Priore, & quatuor Patribus deputatis, vel duobus in mino- „ ribus Conventibus conferre, & eorum sensui, qui noverunt „ plenius statutum domus & patriæ, fidem adhibere."

Item *cap.* 11. dicunt: „ Ad officium Prioris Provincialis „ pertinere, saltem semel in anno omnes Conventus tam Fra- „ trum quàm Monialium suæ Provinciæ personaliter visitare, ac „ in eis corrigere, & reformare, quæ secundum Regulam „ S. Augustini, & Constitutiones ac ordinationes sui Ordinis, „ ac diffinitiones tam generalis Capituli, quàm Provinciæ inve- „ nerit corrigenda ac reformanda." Deinde addunt. „ Nihil ta- „ men poterit Prior Provincialis præcipere toti Provinciæ sub „ pœna sanctæ obedientiæ vel excommunicationis, nisi de con- „ silio, & assensu Diffinitorum." Idem intelligi volumus de Provinciæ Visitatoribus.

VII. Si qui sint per speciale diploma Pontificum, aut litteras Regias, vel per Episcopum deputati alicujus Monasterii, vel Provinciæ Visitatores, eorum auctoritas, & potestas ex ipso litterarum tenore dignosci debet.

VIII. Docet quotidiana praxis ab Episcopis deputari, qui Monasteria, præsertim Monialium, visitent, non quidem, ut ipsi sua auctoritate aliquid statuant, aut decernant, sed acta visitationis fideliter ac secretò ad Episcopum mittant; qui iis vissis, & examinatis, statuat, ac decernat, prout convenire judicaverit. Quales deputati dici consueverunt *Commissarii* potiùs quàm *Visitatores*: cujus generis nonnunquam & à Rege deputari contingit, præsertim ut circa temporalia Monasteriorum inquirant, & referant.

IX. Decreta ac ordinata in visitatione ejus sunt auctoritatis & firmitatis, ut nulla appellatio aut ad Superiorem recursus, eorum suspendat executionem, quemadmodum suprà *tit.* 17. *cap.* 4. circa acta visitationis Episcoporum ostensum est; modo tamen nec circa materiam, nec circa modum limites visitationis excesserint Visitatores. Nam si hos limites excedi contingat, nonnunquam etiam Regularium appellatio effectum suspensivum habebit; quemadmodum notat Zypæus *Consult.* 1. *de Major. & Obed.* & *Resp.* 1. *de Appel.*

X. Scopus reformationis idem esse debet, qui visitationis, idemque Reformatorum studium. Quid enim est reformatio, nisi deperditæ formæ restauratio? Forma autem sive norma vivendi Monachorum, est ipsa, quam professi sunt, Regula; adeòque reformatio Monastica non aliud sonat, quam formæ illius vivendi deperditæ restaurationem.

Unde, ait Haeftenus in notis ad *Canonem* 1. *Conventûs Aquisgranensis* an. 817. ad calcem *disquisitionum monasticarum*: „ Qui collapsam monasticæ vitæ disciplinam meditantur „ restaurare, primò omnium in ipsam *Regulam*, ceu *primige-* „ *niam formam* oculos conjiciunt, ut ad ejus amussim, quid- „ quid vel hominum negligentiâ, vel temporum malignitate di- „ lapsum fuerit, postliminio revocetur."

XI. Et sanè uti post Glossographum in *Canone* INTEGRITAS *caus.* 33. *q.* 1. tradunt Canonistæ, Monachi inviti non possunt compelli ad districtiorem vitam, quàm Regula præscribit: quia ea res est magis voti, quàm præcepti; magis liberè voluntatis, quàm coactionis.

XII. Pervolvantur omnium Ordinum reformationes, & primæ Regulæ restaurationem intentam fuisse facilè reperietur.

De S. Roberto, ejusque Sociis, quæ Ordinis Benedictini reformationi (unde Cisterciensium Ordo exortus est) initium dederunt, scribit auctor *Exordii Magni*, *lib.* 1. *cap.* 24. „ Re- „ gulam B. Benedicti in loco illo ordinare, & unanimiter sta- „ tuerunt tenere, rejicientes à se *quidquid Regulæ refragaba-* „ *tur.* Sicque rectitudinem Regulæ supra cunctum vitæ suæ te- „ norem ducentes, tam in ecclesiasticis, quàm in cæteris ob- „ servationibus Regulæ vestigiis sunt adæquati, & conforma- „ ti." Quare in ipsa sui Ordinis charta fundamentali, quam *charitatis* vocant, articulo primò præscribitur: „ *Regula D.* „ *Benedicti observetur sine novo sensu, sine mutatione aliqua.*"

XIII. Utque antiquiores Ordinum varias reformationes præteream, quid seculo præterito aliud intenderunt, Matthæus Baschius, aliique qui reformationi intenderunt, unde Ordo Capucinorum exortus est, nisi genuinam Regulæ S. Francisci, rejectis mitigationibus diversis temporibus adjectis, observantiam? uti ex Constitutione Clementis VII. quæ incipit *Religionis Zelus*, 21. *in Bull. Rom.* manifestum est.

XIV. Similiter S. Theresia reformando Ordinem Carmeliticum, unde originem habet Ordo Carmelitarum Discalceatorum, quid voluit, nisi primævam Regulam S. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani, rejecta illius mitigatione per Eugenium IV. facta, reducere? Uti latè refertur in Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *Piâ consideratione*, 64. *in Bull. Rom.* in qua, relatâ mitigatione Eugeniana, dicit, hosce Fratres huic mitigationi, ac relaxationi renuntiâsse, atque primitivam Regulam observare. Unde Clemens VIII. hunc Ordinem eximens ab omnimoda dependentia, & subjectione Patrum Carmelitarum, quia dicta mitigatione dicuntur *Mitigati*, voluit, ut hujus Generalis imposterum vocaretur, *Præpositus Generalis Discalceatorum* sive PRIMITIVORUM, *videlicet* PRIMITIVAM *Regulam Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo observantium*, in Constitutione, quæ incipit: *Pastoralis*, 23. *in Bull. Rom.*

XV. Quid plura? cùm ipsa etiam Synodus Tridentina reformationi Regularium intenta hoc unum præ oculis habuerit; hocque unum Superioribus reformationi invigilantibus præceperit, ut in hoc sedulò incumbant, ut „ omnes regulares, „ tam viri, quàm mulieres, ad Regulæ, quam professi sunt, „ præscriptum, vitam instituant, & componant, atque im- „ primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, ut obedien- „ tiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus „ Regulæ, & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum „ respectivè essentiam, necnon communem vitam, victum, & „ vestitum pertinentia, fideliter observent.

XVI. Porrò in hoc reformationis negotio, plura notanda & observanda sunt.

Imprimis distinguenda sunt, quæ ad Religiosæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus Regulæ & Ordinis particularia vota, & præcepta, ad eorum respectivè essentiam, necnon communem vitam, victum, & vestitum conservanda pertinent, ab his, quæ minus principalia, & quasi accidentalia sunt: & sine quibus ipsa religiosæ professionis perfectio absolutè, licèt forsan difficiliùs, obtineri, & conservare potest, uti non obscurè distinguit Synodus Tridentina loco citato.

(o) *Eadem est mens Edicti Blesensis dati anno* 1579. art. 30.

XVII. Si quid circa priora collapsum sit, omni modo Superiores ad ejus reformationem intendere tenentur, nihilque omittere, quod huic reformationi conveniens, & opportunum judicaverint: quia, ut ait Synodus Tridentina, „ si illa, quæ bases „ sunt & fundamenta totius Regularis disciplinæ, exactè non „ fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est.

Si circa posteriora verò, id est, accidentalia, minusque necessaria ad religiosæ professionis perfectionem assequendam, aliquid relaxatum sit; atque in his ipse rigor Regulæ nonnihil mitigatus fuerit, major potest esse Superiorum moderatio in reductione ipsius Regulæ: præsertim si hæc mitigatio longo usu, aut forsan etiam auctoritate Sedis Apostolicæ aliquando probata sit.

XVIII. Secundò, ut vera reformatio Ordinis alicujus aut Monasterii ritè fiat, & stabiliatur, oportet primùm & ante omnia, Superiores allaborent, ut verbo, & exemplo subditos doceant, & inclinent, ut voluntariè, & affectuosè mores suos ad Regulæ præscriptum componant; atque ita priùs reformationi interioris hominis studeant, quàm ad exteriores Regulæ austeritates cogant.

Si enim solùm reformatio circa exteriora quædam fiat, atque ad eam inviti quodammodo pœnarum forsan metu, aliove humano motivo constringantur, non vera, sed simulata quædam erit reformatio; nec stabilis, ut pote carens firmo fundamento, erit. Perruptis enim, & disjectis humanis illis vinculis, sive claustris, quibus ad exteriorum illorum aliqualem observantiam Monachi constringebantur, rursus ad laxitates recident; & ubi impunè possunt, ab exteriore illa se reformatione eximent, & ad ea, quibus animus afficitur, relabentur.

XIX. „ Quis enim confidat firmum, & stabile permansu„ rum, quod ab invito laxitatem aucupante pendeat? “ Ait pius Joannes Midotius in Commentario communitatis Nobertinæ *antiqui rigoris p.* 99. edit. 1633. Qui ibidem subjicit: „ In quo „ si me ratio deficeret, id tamen abundè comprobant exempla „ Ordinum, qui reformationem captarunt ab ista tantùm exteriori „ observantia regulari. Meminisse enim potes (ita loquitur ad „ suum Ethiniconem) eorum, qui à viginti quinque annis ten„ târunt suorum reformationes, ob idque severe regularem ob„ servatiam juxta Ordinis instituta suis edixerunt, frequentio„ res congressus cum secularibus, itiones crebras ad amicos, & „ mansiones diutinas, certam religiosæ puritatis perniciem planis„ simè vetuerunt, cœlestium rerum meditationem, & corporis af„ flictationes desuetudine omissas ad reliquam Regulæ observan„ tiam addiderunt. Diceres nullum hoc seculo speciem aliud re„ formationis sanctius vel religiosius excogitatum. At quàm diu„ turna stetit hæc pulchra species reformationis? Semestris ut ma„ ximum sensimque observantia revoluta est ad consuetudinem.“

XX. Tertiò, si de reformatione alicujus Ordinis agatur, ea non simul ad omnes, sed pedetentim introducenda. Neque enim facilè Religiosi alicujus Ordinis omnes & simul reformantur, aut à mitigata disciplina, solitaque vivendi norma abducuntur; sed pedetentim ab ea monitionibus, & suasionibus suaviter adducendi sunt.

Uti enim advertit citatus auctor, „ quia potissimùm in animo „ consistit, isque liber, & voluntarius ad reformationem adfe„ rendus est, neque omnibus tanquam cœleste quoddam bene„ ficium inest, aut contrario affectu obsistente inesse potest, fit, „ ut universus aliquis Ordo ex tot hominibus sensu affectuque „ diversis compositus, simul statim restitui non possit, sin„ gulorum animis non ferentibus hanc morum recoctionem, & „ veluti repastinationem.“

XXI. Hinc videmus, reformationes Ordinum, passim ab uno Monasterio inchoatas, sensim ac pedetentim ad plura Monasteria propagatas; imò & unus Monasterii reformationem subinde non ab omnibus, sed à quibusdam duntaxat, ac præsertim junioribus, laxioris disciplinæ necdum assuetis, primò fuisse susceptam: ipsosque Abbates aliosve Superiores etiam ipsam laxiorem disciplinam in Senioribus dissimulâsse, & tolerâsse.

XXII. Ulteriùs, ut firmior esset Monasteriorum reformatio, jam pridem opportunum visum fuit, ut Monasteria eodem spiritu animata, & sub eadem severiori disciplina militare desiderantia, se in unam Congregationem redigant; ut ita communia inter Capitula, Conventusque celebrantia communi operâ, & consilio reformationem ipsamque puriorem disciplinam fovere & integram servare possent.

XXIII. Hinc ex reformatione Congregationem Cisterciensem, Bursfeldensem, & Windesemensem originem habuisse capite 2. notavimus; atque nostrâ penè ætate ortum habuit unio sive Congregatio quatuor Abbatiarum sub nomine, & patrocinio Beatæ Mariæ; scilicèt S. Dionysii juxta Montes in Hannonia, S. Adriani Gerardimonte, Affligemensis juxta Alostum, & S. Gisleni.

XXIV. Anno enim 25. hujus seculi in Monasteriis S. Dionysii & S. Adriani suscepta fuit reformatio, quæ paulò post ad Monasterium Affligemense transivit, quando Cornelius Jansenius S. T. Doctor & sacrarum litterarum Professor Regius in hac Lovaniensi Academia, ac postmodum Iprensium Episcopus, piam illam, ac nunquam satis laudatam orationem de interioris hominis reformatione ibidem pronuntiavit.

Hæc verò tria reformata Monasteria, ut se in suscepta reformatione firmarent, anno 1628. univerunt se, & in Congregationem redegerunt; cui se anno 1643. Abbas S. Gisleni cum suo Monasterio adjunxit.

XXV. Quod verò hæc Congregatio ad stabiliendam reformationem unicè facta fuerit; solamque stabilitatem reformationis in hac unione ob oculos habuerint ipsius Congregationis Auctores, ex conditionibus, & articulis ipsius unionis sat manifestum est.

Acta unionis sic incipit: „ Ad stabiliendam reformationem „ introductam, & inchoatam in Monasteriis SS. Petri & Pauli „ Affligemensis, S. Dionysii in Borgueroja, & S. Adriani Ge„ rardimonte Ordinis S. Benedicti, Prælati eorundem sequentes „ articulos conceperunt, & exactè in perpetuum observare „ promiserunt.“

Deinde articulo primo statuitur: „ Singulis annis capitulum „ celebrabitur, in quo convenient præfati Prælati, necnon De„ putati singulorum Conventuum; ita tamen quòd soli Prælati „ sint habituri vocem decisivam, alii tantùm consultivam.“

Quid verò in hisce Capitulis præcipuè tractandum sit, sequenti articulo declaratur: „ Tractabitur autem, & ordinabitur „ in eisdem Capitulis de his, quæ pertinebunt ad felicem sta„ tum præfatorum Monasteriorum, & exactam observantiam „ dictæ reformationis, juxta Regulam S. Patris Benedicti, & „ Constitutiones, seu declarationes super ea editas, & cum Re„ gula impressas Tulli apud Simonem Belgrand anno 1625. „ quatenus nimirùm concernunt ritus, mores, observantias„ que monasticas, & exceptis capitibus, & articulis Constitu„ tionum, seu declarationum, qui tangunt jurisdictionem, re„ gimen, exemptiones, & alia ejusmodi textu Regulæ non spe„ cificè determinata.“

Articulo V. hæc habentur: „ Visitatores in prædictis Capi„ tulis à Prælatis deputandi singulis saltem annis aut sæpiùs, si „ ita visum fuerit, prædicta Monasteria visitabunt, & corri„ genda absque mora secundum Regulam, & præfatas Consti„ tutiones, seu declarationes supra receptas debitè corrigent.“

Articulus decimus habet: „ Nihil unquam fiet aut statuetur, „ quod directè, aut indirectè vergat in detrimentum reforma„ tionis, pro cujus observatione omnes strenuè semper labora„ re tenebuntur.“

Quæ omnia evincunt, unicum scopum institutæ hujus congregationis fuisse, per eam firmiùs susceptam reformationem stabilire, & conservare, atque promovere.

Ut verò ostendant, se nolle per hanc unionem subterfugere correctionem, & vigilantiam Ordinariorum, art. 2. hanc expressam adjiciunt clausulam: „ Per hæc omnia nihil intenditur, ne„ que unquam quovis modo aut prætextu quidquam attentabi„ tur, vel contra jus Principis, vel contra jurisdictionem, si„ ve auctoritatem Ordinariorum, neque etiam Archiepiscopi „ Mechliniensis, tanquam Prælati Monasterii Affligemensis. Sed „ omnia eorum jura, & auctoritas (non modo Abbates confir„ mandi aut benedicendi, sed etiam Monasteria visitandi, de„ fectus corrigendi, & quæcunque alia ad ipsorum jurisdictio„ nem, & officium pertinentia faciendi) integra, & illibata ma„ nebunt, qualia erant ante reformationem: hoc unico excepto, „ quod nihil in ejusdem reformationis detrimentum dicti Ordi„ narii, neque Archiepiscopus, ut Prælatis Affligemensis agere „ vel pati poterunt.

XXVI. Denique, quia admodum difficile, imò penè impossibile est, ut in una Congregatione, ac Conventu laxioris, ac strictioris observantiæ Monachi concorditer vivant: aut reformatio stabilis maneat in Monasteriis, si illa à Superioribus non reformatis dependeant; ideirco Congregationes Monasteriorum reformatorum se paulatim à dependentia, ac subjectione non reformatorum eximere studerunt, atque Superiores suæ Congregationis accipere; quemadmodum & in recentioribus etiam nonnullis, ut Capucinis, Discalceatis, aliisque plurimis visum est; qui propterea tandem in Ordinem planè è non reformato seu mitigato distinctum transierunt, & à Sede Apostolica per speciales Bullas ab omni aliorum Superiorum non reformatorum subjectione, & dependentia subtracti sunt.

XXVII. Sed sicuti difficile est integrum Ordinem collapsum simul reformare atque ab inveterata vivendi norma ad strictiorem reducere; ita quoque summæ difficultatis est, Congregationem, aut Ordinem jam multiplicatum in primævo reformationis spiritu conservare. Cùm enim Ordo, aut Congregatio est Conventibus multiplicata, natum est fieri ut sensim nonnulli irrepant, qui spiritu reformationis destituuntur; quique laxiorem vivendi disciplinam strictiori præferant; eamque sensim in alios etiam propagent, juxta illud Apostoli: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Quod maximè verendum in illis Ordinibus, & Congregationibus, quorum Monasteria ita inter se uniuntur, sibique conjunguntur, ut Religiosi passim de uno ad aliud migrent; tunc enim contingit, ut si aliquot Monasteria reformationis spiritu destituantur, etiam alia facilè per communicationem corrumpantur.

TITULUS XXXIII.

De quasi Regularibus.

CAPUT I.

De Patribus Oratorii.

1 *S. Philippus Nerius sermones ad populum instituens Congregationi Oratorii initium dedit.*
2 *Postulatur à Florentinis, ut Ecclesiæ eorum curam suscipiat.*
3 *Philippus postulatis annuens Congregationis fundamenta ponit.*
4 *Quam vivendi normam tenuerint primi Congregationis Patres.*
5 *Congregatio hæc specialem sibi Ecclesiam assignari petit, & suam Congregationem à Sede Apostolica confirmari.*
6 *Erigitur Congregatio auctoritate Sedis Apostolicæ, & Ecclesia Parochialis eidem unitur.*
7 *Eidem conceditur facultas condendi statuta.*
8 *Quando prima Congregatio* Oratorii *plenè formata.*
9 *Hæc Congregatio primitùs specialia statuta non habuit.*
10 *Sub initium hujus seculi statuta collecta sunt, & à Paulo V. confirmata.*
11 *Institutum hoc in Belgium aliasque Provincias propagatum.*
12 *In Gallia Congregatio* Oratorii *instituta, & à Paulo V. probata.*
13 *Petrus Berullus hujus Congregationis Generalis institutus, & quæ ejus auctoritas.*
14 *Huic impartitur Pontifex auctoritatem Congregationem ubique terrarum instituendi, & statuta condendi, vel mutandi.*
15 *Hæc Congregatio Neriana independens in varias Provincias propagata.*
16 *Curâ Jacobi Boonen Archiepiscopi Mechliniensis hujus Congregationis fundamenta hic jacta sunt.*
17 *Accersitus P. Bourgoint è Gallia, qui recenter institutas domos visitaret, & formaret.*
18 *Epistola Archiepiscopi ad Superiores domorum, ut Visitatori obediant.*
19 *Visitator hic è Gallia missus domos Oratorii Provinciæ Mechliniensis in unam Congregationem univit.*
20 *Hæc Congregatio amplectitur institutum Congregationis Gallicanæ; est tamen ab ea* independens.
21 *Nulla alia Congregatio hujus instituti est à Gallicana independens.*
22 *Domus instituti Neriani nullam inter se habent Communionem; nec non Congregationem generalem constituunt.*
23 *Congregatio Oratorii nulla vota Religionis, aut professionem religiosam in suis alumnis agnoscit.*
24 *Præcipuus scopus Congregationis est, Alumnos suos functionibus Sacerdotalibus applicare: & quid Neriana hîc præstet.*
25 *Congregatio Gallicana suos vult ad omnia munia Sacerdotalia obeunda esse paratos.*
26 *Vult ut hæc munia suscipiantur, & exerceantur ad nutum & arbitrium Episcoporum.*
27 *Describitur status Congregationis Gallicanæ, & Belgicæ.*
28 *Regimen Congregationis quoad personas & res ipsas spectat ad Præpositos, & primariò residet in Congregatione.*
29 *Quando, & quâ formâ indicenda Congregatio.*
30 *A Congregatione eligitur Præpositus, & duo Assistentes: Quæ horum auctoritas.*
31 *Præpositi est Superiores domorum constituere & mutare.*
32 *Ipsius est novos ad Congregationem admittere.*
33 *Præpositi est domos visitare; novas erigere non potest.*
34 *Cujus sit statuta condere.*
35 *Singularum domorum sunt immediati Superiores, iique triennales.*
36 *Quod horum officium.*
37 *Quomodo domus sibi mutuò in temporalibus succurrere debeant.*
38 *Quid Superiores præcipuè inculcare debeant.*
39 *Ad Superiores spectat inferiorum Ministrorum deputatio.*
40 *Tempus* institutionis *supplet vices* novitiatûs.
41 *Institutionis tempore elapso probati Congregationi incorporantur: & quis hujus incorporationis effectus?*
42 *De Fratrum Laicorum incorporatione.*
43 *Incorporati pro libitu è Congregatione recedere possunt; sed non facilè inviti dimitti.*
44 *Incorporati retinent rerum suarum dominium; & liberam de iis disponendi facultatem.*
45 *An divites de proventibus communibus domûs vivere possint.*
46 *Disciplina vivendi ostendit, institutum Oratorii meritò dici* quasi Regulare.

I. SAnctus Philippus Nerius Presbyter Romanus annis aliquot in Ecclesia S. Hieronymi crebros ad populum sermones, & exhortationes, magno cum fructu, & populi concursu habuit; atque nonnullos discipulos, qui in hoc opere assistebant, adscivit.

II. Deinde circa annum sexagessimum quartum præcedentis seculi cives Florentini ejus famâ excitati, illum conveniunt postulantes, ut Ecclesiæ suæ in Urbe Romana, quæ S. Joannis Baptistæ nomine celebris habetur, curam susciperet.

III. Philippus post maturam rei discussionem, & cum Deo factam consultationem. Florentinorum precibus annuit, sibique id placere dicit; cupere tamen aliquot è suis discipulis Sacerdotio primùm initiari; seque præterea è templo S. Hieronymi haudquaquam recessurum eisdem significat. Accipiunt Florentini conditionem, domum ad habitandum attribuunt, stipendium unde vivant offerunt. Tres igitur è suis Philippus Sacris initiari facit; inter quos unus erat Cæsar Baronius, ob Annalium Ecclesiasticorum editionem toti orbi notissimus.

Cum his tribus ad Sacerdotium promotis, quibus alii duo se junxerunt, Philippus se ad domum à Florentinis assignatam contulit, communem victum instituit, atque Congregationem instituere aggressus est. Hæc ex vita ejusdem Sancti scripta per Antonium Gallonium, & descripta per Papebrochium ad 26. Junii.

IV. Deinde *cap.* 8. *num.* 89. vitam, occupationesque dictorum Sacerdotum ita prosequitur: „ Qui Patres unanimes in „ Domino ambulantes, magno cum animorum fructu in Chris„ ti vinea excolenda apud Florentinos pro viribus laborare cœ„ perunt: accedentium confessiones audire; Eucharistiæ Sa„ cramentum, qui per Sacerdotium poterant, ministrare; à „ prandio ad Ecclesiam S. Hieronymi se recipere, ubi de mo„ re sermones de rebus piis ad multitudinem facerent. Domini„ cis diebus, præter Oratorii sermones quotidianos, modò Ba„ ronius, modò Bordinus in æde sacra Florentinorum, populo „ qui aderat cupidissimè audiente, è suggestu concionabatur. „ Quibus rebus brevi factum est, ut tam Sacerdotum nume„ rus, quàm confluentium ad eum locum multitudo mirificè au„ geretur.“

Deinde *num.* 90. ait: „ Hoc quidem vivendi genere plures „ annos usi sunt Patres, eadem domo viventes, seque divino „ obsequio, & animarum lucro tradentes. Erat omnium mar„ supium unum, communis mensa, eaque sobria, ac frugalis; „ oratio, & meditatio plurima; Sacerdotibus, qui illis initiis „ quinque erant, rem divinam facientibus, cæteri aut quoti„ die, aut alternis diebus cœlesti pane reficiebantur. Id vitæ „ institutum ita multis probatum est, & plerique ingeniis, doc„ trinaque præstantes, cum Sacerdotes, tum laici, ultrò sese „ in Patrum contubernium contulerint: non enim omnes Reli„ gionis vinculis se astringere omninò audent. Hæc igitur fuê„ re nostris hominibus Congregationis initia.“

V. Porrò cùm maximus hujus Congregationis fructus continuò magis se manifestaret, nec tamen hactenus esset ei firmitas, nullaque propria Ecclesia, tandem circa annuum septuagessimum quintum à Gregorio XIII. petierunt hujus Congregationis Sacerdotes, ut Ecclesiam beatæ Mariæ *à Vallicella* huic Congregationi assignare, ac in perpetuum unire vellet; atque in ea Congregationem Presbyterorum, & Clericorum secularium *de Oratorio* nuncupandum erigere, & instituere.

VI. Huic petitioni annuens Gregorius, per Bullam, quæ incipit: *Copiosus*, 101. *in Bull. R.* in prædicta Ecclesia Congregationem Presbyterorum, & Clericorum secularium *de Oratorio* nuncupandam auctoritate Apostolicâ perpetuò erexit, & instituit: illique Congregationi, sic erectæ, & institutæ præfatam Ecclesiam cum onere curæ animarum Parochianorum, aliisque omnibus, & singulis oneribus & honoribus auctoritate Apostolica concessit, & assignavit.

VII. Insuper eidem Congregationi, illiusque Rectori ac Presbyteris & Clericis pro tempore existentibus liberam concessit facultatem, ut pro salubri statu & directione ejusdem

Con-

Congregationis, illiusque personarum, quæcunque honesta & rationabilia Statuta, & Ordinationes de novo edere, aut edita limitare, aut mutare valeant; quæ à Sede Apostolica approbata ab omnibus inviolabiliter observari deberent.

VIII. Huic Congregationi sic institutæ & probatæ non statim se junxit Philippus. Scribit enim Anton. Callonius *cap.* 10. & 126. „Quanquam Philippus omnium, quæ à suis alumnis „apud Vallicellam gerebantur, auctor esset, & dux; non „tamen ita subitò habitationem templi S. Hieronymi ut de„sereret induci potuit; id enim multis annis post, Petri „Donati Cæsii Cardinalis opera impetratum est: anno scili„cet 1583. Atque tunc primum Congregationis Corpus, arc„tiore vinculo colligatum, totum integrum capite cum mem„bris conjuncto conspici cœpit."

IX. Statuta aliqua vivente Philippo Congregationi præscripta fuisse non legitur. „Etenim Philippus omnium con„silia pro cujusque ingenio, solitus paterno moderari af„fectu, satis habuit ad pietatem simul inflammatos in ipsa re„rum humanarum despicientia amore ferventiores videre suos, „& quæ diuturna experientia ad probitatem assequendam, „Deumque promerendum eis placere noverat & indies pro„desse, tanquam à Domini spiritu probare, & confirmare."

X. Hæc ille, qui circa annum 12. hujus seculi, illa, quæ ipse Philippus hac ratione condenda curavit, vel ab ejus institutione inter Congregationis hujus homines consuetudine recepta, ac deinceps perpetuo servata erant, in unum collegit, atque in septemdecim capita distinxit; quæ Paulus V. post cognitionem aliquam auctoritate Apostolicâ etiam approbavit, illisque omnibus & singulis perpetuæ & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjecit, anno 1612. per Bullam, quæ incipit: *Christi Fidelium*, 92. *in Bull. Rom.*

Hæc sunt Congregationis *de Oratorio* vulgò *Nerianæ* Statuta, quæ prædictæ Bullæ Paulinæ inseruntur; & referuntur à Miræo inter regulas & constitutiones Clericorum in Congregatione viventium unà cum præfatione Collectoris, è qua præfatione superiora verba accepta sunt.

XI. Hæc Congregatio, quæ primum fundamentum Romæ in Ecclesia B. Variæ à Vallicella accepit, longe lateque sensim suos palmites extendit, & protrusit, non tantum per Italiam, Belgium, sed in Hispaniam usque.

Hujus enim Congregationis *Oratoria*, id est, quæ Statuta, normamque ejus vivendi tenent, atque filias Congregationis Nerianæ se profitentur hæc in Belgio enumerat Miræus.

Aspricollense in Brabantia ab Alberto & Isabella Belgarum Principibus fundatum, ac dotatum, cum onere Parochiali. Duacense in Gallo-Frandia ab Hermano Ottembergio Episcopo Attrebatensi fundatum anno 1626. Cerviense in Hannonia cum onere Parochiali. Braniense in Hannonia etiam cum onere Parochiali.

XII. Alia Congregatio sub nomine *Oratorii* Jesu Christi *Domini nostri* sub initio hujus seculi instituta, à Paulo V. per Bullam, quæ incipit: *Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ* 91. *in Bull. Rom.* approbata est.

In hac Bulla ad postulationem Mariæ Reginæ Francorum, & Henrici Parisiorum Episcopi, Pontifex erigit, & instituit unam Congregationem sub nomine *Oratorii* Jesu Christi *Domini nostri.* „In honorem, ait, *orationum*, quas in diebus „carnis suæ fundit, ut ii qui Congregationem ipsam ingre„dientur, eundem Jesum Christum pro nobis in oratione pos„situm, & pernoctantem revereantur, atque etiam instituti, „ad quod vocati sunt, moneantur, & præsertim semper hanc „præcipuam omnibus communem, & omni tempore congruen„tem officii eorum partem, quæ in orationibus pro populo, ac „in Dei laudibus celebrandis versantur, habeant."

XIII. Adhæc cùm dicta Regina & Episcopus à Pontifice petiissent, ut Petro de Berulle Presbytero Parisiensi (cujus ministerium felici progressui & directioni ipsius Congregationis utile futurum confidebant) cura erectionis, & institutionis committeretur, Pontifex illorum precibus hac in parte annuens, eundem Petrum in Præpositum generalem hujus Congregationis deputat & assumit.

XIV. Impartitur itidem Pontifex auctoritatem dicto Petro, ut hanc Congregationem tam in civitate Parisiensi, quam in omnibus aliis civitatibus, oppidis, terris & locis, ad quæ à locorum Episcopis vocatus fuerit, & non aliàs instituat.

Ipsi unà dans facultatem condendi nova Statuta pro felici directione, & statu Congregationum opportuna; factaque, edita & condita quoties pro rerum, ac temporum qualitate, & vicissitudine seu aliàs videbitur, corrigendi, immutandi, alterandi, aliaque omnia, & singula à similium Congregationum, necnon quorumcunque Ordinum approbatorum Constitutoribus, aut aliis Superioribus etiam Generalibus, de jure, vel consuetudine, sive ex privilegio aut alias quomodocunque fieri & exequi solita, faciendi & exequendi.

XV. Hæc Congregatio Oratorii Jesu Christi Domini nostri planè independens à Romana, quæ à suo primo sancto Institutore dicitur *Neriana*, mox non tantùm per Galliam, sed hoc etiam Belgium nostrum propagata fuit. Domos ac familias à Congregatione progenitas, recenset Miræus loco citato sub titulo: *Congregatio* Jesu Christi *à Petro Berulo, Cardinale instituta*, cap. 3.

XVI. Ad Belgium quidem, rogante, ac instante zelosissimo ac nominatissimo Mechliniensium Archi-Præsule Jacobo Boonem, missus fuit à Petro Berullo tunc S. R. E. Cardinale Pater Franciscus Bourgoing cum uno alterove Congregationis hujus Patribus, qui sub auctoritate prædicti Archi-Præsulis prima Lovanii anno 1626. Oratorii fundamenta posuerunt; quæ postmodum Mechliniam anno 1629. deindè Bruxellas, aliaque loca vicina propagata sunt.

XVII. Ut verò novellæ plantæ incrementum majus acciperent, atque adinstar Congregationis Gallicanæ dirigerentur, eodemque spiritu animatæ cohærerent, dictus Mechliniensium Archi-Præsul Superioribus Domorum Lovaniensis & Mechliniensis significavit datis litteris 21. Octobr. 1631. quòd præfato Patri Bourgoineo, (qui à Generali Congregationis Gallicanæ Visitator generalis constitutus fuerat) dederit facultatem & auctoritatem, easdem domos tam quoad spiritualia, quàm temporalia, quoad personas, & res visitandi, ac in visitatione corrigendi, immutandi, statuendi, & ordinandi prout judicaverit; idque quantum poterit conformiter Constitutionibus Congregationis generalis in Gallia habitæ; quæ omnia latiùs continentur in dictis litteris Archiepiscopi Mechliniensis, quas hîc ex originali, quod asservatur in domo Lovaniensi, subjiciam.

XVIII. „Jacobus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Ar„chiepiscopus Mechliniensis omnibus, & singulis Presbyteris „& Clericis Congregationis Oratorii D. N. Jesu Christi, „Domorum Lovaniensis & Mechliniensis nostræ Diœcesis, Gra„tiam, Benedictionem & pacem in Christo Jesu, qui est „pax nostra."

„Cum jam pridem plurimi in hac nostra Belgica, & pe„culiariter in hac nostra Diœcesi, ad pium aliquod Sacer„dotum in Congregatione viventium institutum adspirare præ„sè ferrent, qui propriæ perfectioni Sacerdotali incumben„do, fervorem antiquæ pietatis in Clero renovare, ac ve„lut ignem, quem Dominus misit in terras, accendere pro„viribus studerent; illud autem institutum à fel. mem. Em„minentissimo Cardinale Petro de Berulle cœptum & in Gal„liis, Burgundia & aliis in locis longè lateque cum bono „Christi odore jam propagatum, maximè nostris desideriis con„veniens esse cerneremus; utpote cujus sit proprium func„tiones Ordini Sacerdotali essentialiter convenientes & sibi à „Reverendissimis Hierarchis præscriptas exercere, eisdemque „Reverendissimis in illarum exercitio obedire, & ad illorum „nutum præsto esse, nec non & alios Sacerdotes in usu scien„tiæ, & in pietatis exercitiis instituere, atque omnem pro„modulo suo operam Pastoribus, aliisque curam Animarum „habentibus impendere, & opem ferre; ad præfatum Cardi„nalem, velut ad fontem, unde Congregationis illius spiri„tus manavit, recurrendum esse, cum bonâ eorum, ad quos „spectat, veniâ duximus. Qui quidem nostris benignè votis „annuens Reverendum admodùm Patrum Franciscum Bour„going unum è primis hujusce spiritualis ædificii vivis lapi„dibus, atque in multis aliàs probatum, cum uno aut al„tero suæ Congregationis in has partes, rei hujusce causa „destinavit. A quo, sub nostra Auctoritate, prima, Lova„nii, Oratorio fundamenta posita, & postmodum Mechli„niæ, & aliis in lociis collocata fuerunt, adeo ut felicioris, „& amplioris indies progressûs major spes affulgeat. Cùm „insuper à Reverendissimo Patre Generali dictæ Congregatio„nis in Gallia factâ potestate tanquam primus ejusdem As„sistens & Visitator Generalis ad universas domos, non sine „fructu & renovatione animorum, idem P. Bourgoing nu„per missus fuerit, & postmodum habita sint ejusdem Con„gregationis generalia Comitia, in quibus multa ad bonum „illius regimen & ordinationem constituta fuerunt. Ut hæ no„vellæ plantæ in agro nostro, divinâ irrigante gratiâ, in„crementum, ad Christi Domini gloriam accipiant, & „quatenus opportunum sit, adinstar ejusdem Gallicæ Con„gregationis, dirigantur, eodemque spiritu animatæ cohæ„reant, eidem Rdo. Patri Superiori Domorum Lovanien„sis & Mechliniensis nostræ dictæ Diœcesis, easdem tam „quoad spiritualia, quàm temporalia, quoad personas & res „nostra auctoritate visitandi, & in Visitatione corrigendi, aut „immutandi, quæ correctione, aut immutatione indigere ju„dicaverit, necnon statuendi & ordinandi, quantum fieri po„terit, conformiter Constitutionibus dictæ Congregationis ge„neralis in Gallia habitæ, aliaque monita, & Statuta, pia & „patriæ moribus convenientia dandi, omnia à nobis postea „videnda, adprobanda, & confirmanda facultatem concedi„mus; ac singulos, & omnes dicti Oratorii in hac nostra „Diœcesi in Domino plurimum exhortamur, ut in ejus hono-

„ rem qui fuit obediens usque ad mortem, hanc visitationem „ debitâ cum animorum submissione & devotione suscipiant, „ & omnia in illa, ut suprà, statuta & ordinata humiliter ob„ servent. Ita Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi be„ nedicat vos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in „ Christo Jesu. Datum Lovanii nostræ Diœcesis sub manu „ & Sigillo nostris, anno Domini 1631. die 21. Octobris Re„ ver. P. Franciscus Bourgoing. Jacobus Archiepiscopus Me„ chliniensis. De mandato Illmi. & Rmi. Dñi. Archiepisco„ pi. Tim. Hujus Secret. 1631."

XIX. Post varias visitationes, in quibus etiam pia valdè ac utilia exercitia, & ordinationes pro directione domorum illarum præscripsit; necnon post habitas multiplices deliberationes, tandem anno 34. currentis seculi visum fuit dicto Patri Bourgoineo, necnon Mechliniensium Archiepiscopo, & Antonio Triest Gandensium Antistiti (in cujus etiam Diœcesi nonnullæ Congregationis Oratorii Domus erectæ erant) particularem Congregationem ex omnibus domibus, seu familiis in Diœcesi Mechlinensis & Gandavensis, aut etiam aliis Archiepiscopo Mechliniensi suffraganeis, jam institutis aut posthac instituendis erigere; prout dictus Bourgoineus erexit, probantibus dictis Prælatis, eique Constitutiones decem capitibus comprehensas, præscripsit; quibus & hodie hæc Congregatio utitur, & regitur.

XX. Voluit quidem ut in omnibus, quantum fieri posset, esset hæc Congregatio conformis congregationi Gallicanæ, ejusque spiritu animaretur; sed eam tamen in regione à Congregatione Gallicana independentem esse voluit.

Unde in dictis Constitutionibus habetur *cap.* 4. „ Domus „ Oratorii Domini Jesu erectæ vel erigendæ in Provincia Me„ chlinensi constituent simul unam Congregationem à nulla „ alia dependentem."

XXI. Et quidem hæc unica est Congregatio à Gallicana progenita, ejusque vivendi normam immitata, quæ ab ea sit independens.

Sunt enim & aliæ Congregationes ejusdem Instituti, quæ è pluribus particularibus domibus sive familiis unam Congregationen constituunt, atque unum Præpositum Congregationis habent, qualis in Hannonia est Congregatio Montensis; sed omnes hæ à Congregatione Gallicana dependent, atque Præpositum hujus Congregationis pro suo Generali agnoscunt; à quo etiam Præpositi singularum Congregationum Confirmationem accipere debent: secus Præpositus Congregationis Provinciæ Mechlinensis, ut infrà dicitur.

XXII. Hæc dependentia, & unio minor est inter Domos, quæ normam vivendi Congregationis Romanæ, sive Nerianæ sequuntur.

Hæ enim domus omnes separatim & per se independenter planè à se mutuò per suos respectivè immediatos Superiores reguntur, sine ulla ab alia dependentia, aut mutua unione; ideoque nec ulla harum domorum, sive familiarum nota communia aut generalia comitia; nullusque generalis Præpositus aut Superior qui omnibus familiis intendat.

XXIII. Congregationi Oratorii tàm Romanæ, quàm Gallicanæ, atque ab his progenitis Congregationibus commune est, quòd Congregationi adscripti, nullo Religionis voto, aut religiosâ profesione Congregationi obstringantur; sed in simplici, ac primævo statu Sacerdotali, ac Clericali vivant, imò nec ulla similia vota Congregatio admittere queat; sed „ ipsa Congregatio in primævo, & puro statu Sacerdotii, „ quale Christus Dominus instituit, & in Ecclesia sua relinquit, „ nihil addendo, vel detrahendo, perpetuò sit permansura, adeo „ ut quocumque loco & tempore & Congregationis con„ ventu, nulla in ea professio sive vota admitantur: & casu „ quo aliqui profesionem emittere vel admitere vellent, quam„ vis essent plures numero, ipso tamen facto à corpore Con„ gregationis separati erunt, & bona quælibet & cujuscunque „ naturæ, ac domos, cæteris qui in primævo Instituto ac pu„ rè Sacerdotali, licèt pauciores numero remanserint, relin„ quere tenebuntur." Ita Constitutiones Congregationis Belgicæ, *cap.* 2. quæ iisdem penè verbis in statutis Nerianis exprimuntur, *cap.* 4.

XXIV. Presbyterorum verò hæc Congregatio potissimùm instituta fuit, ut in communi viventes functionibus Sacerdotalibus fructuosiùs, & cum populi majore ædificatione incumbere possent.

Nerianæ, seu Romanæ Congregationis scopus sive spiritus fuisse videtur, parochialis alicujus Ecclesiæ curam agere, eamque dirigere; nequaquam verò omnibus indifferenter Sacerdotalibus functionibus applicari.

Hinc in Congregationis Statutis *cap.* 8. legitur: „ Cùm sint „ multi in Ecclesia Dei, qui audiendis Monialium confessionibus, „ aut dant operam, aut dare optimè possint; propterea ne „ quis ab instituto Congregationis nostræ proprio possit „ abduci, statutum est, ne nostrum aliquis sese obliget, aut „ dedat confesionibus audiendis, moribus reformandis, rebus„ que earum gerendis. Idem dicimus de Seminariis, Collegiis, „ Congregationibus, Societatibus, aut aliis Universitatibus, „ rebusque earum quomodolibet tractandis."

Hinc passim domus seu familiæ hujus Neriani instituti uni Ecclesiæ Parochiali regendæ præfectæ sunt; eamque jure Parochiali regunt; nullas præterea Hierarchicas functiones obeuntes.

XXV. At Congregationis Gallicanæ, & Belgicæ ab ea progenitæ præcipuum institutum est, ut illis adscripti omnibus quibuscunque functionibus hierarchicis, ad quas ab Episcopis locorum vocabuntur, applicentur.

Unde in Constitutionibus Congregationis nostræ Belgicæ, sive Provinciæ Mechliniensis, unus è præcipuis finibus institutæ Congregationis assignatur, „ ut omnia, quæ sunt Sacerdo„ tum munia, & functiones, ex fonte gratiæ, & spiritu Christi „ Summi Sacerdotis, & Sacerdotii institutoris peragat: hinc Con„ gregatio gratiæ spiritum, & institutum *Catholicum* seu uni„ versale, non autem ad certas aliquas functiones limitatum, „ habet." *Cap.* 8.

Deinde tanquam consequens subjicitur: „ Proinde mores re„ gionis, & ritus Ecclesiæ loci, in quo fundata est, quan„ tum potest, & decet, sequitur, ac etiam omnia planè mu„ nia Ordini Sacerdotali, aut Pastorali officio convenientia (uti „ sunt SS. Sacramentorum administratio, prædicandi, exortandi, „ catechizandi munus, juventutis institutio, Monialium direc„ tio, & hisce similia) exercere potest, & sese ad ista mi„ nisteria paratam exhibere debet."

XXVI. Has autem functiones nonnisi ad arbitrium, & nutum Episcoporum exercendas, ac subeundas eadem Congregatio profitetur, his verbis in *citato cap.* 8. expressis.

„ Ad illas porrò functiones obeundas, nullam Congregatio „ facultatem, jurisdictionem, aut potestatem sibi vindicat, aut „ propriam habet à Summo Pontifice, sed omnimodam acce„ pit a Rmis. Dominis Episcopis, ita ut ipsi non tantùm impe„ diendi, prohibendi, interdicendi, sed etiam præcipiendi, „ injungendi, & in virtute sanctæ obedientiæ ad exercenda „ dicta munia Sacerdotalia, & Pastoralia, ubi & quæ expe„ dire videbitur, obligandi erga Congregationem, & singu„ los ex ea, auctoritate polleant. Intendit namque Congrega„ tio, quantum in se est, normam vitæ Sacerdotalis ad pri„ mævam Christi Domini institutionem continuà priorum & „ puriorum temporum praxi observatam reducere, ac ad „ originem sui revocare principii, & votum, seu promissio„ nem obedientiæ, quam Sacerdotes in consecratione emittere „ solent, quasi renovare & in praxim omninò reducere. Ut „ sicut Religiosi postmodum in Ecclesia magno ejus bono exor„ ti, ex vi votorum suorum, Prælatis suis per omnia obediunt; „ ita sint in hac Congregatione è clero simul viventes, qui „ Rmis. Dominis Episcopis in usu sui Ordinis omninò, & „ immediatè subjaceant, eisque ex amore ejus, qui Patri suo „ obediens fuit usque ad mortem, planè submittere se de„ beant, unde ipsi Rmi. Domini Episcopi plures ad manum „ semper habeant operarios, quibus ad omnia munia prædicta „ uti possint ad nutum."

XXVII. Quare in ipsa præfatione harum Constitutionum declaratur, quòd hujus Congregationis „ status firmus, & „ perpetuus alius non est; *Quàm institutum Sacerdotum vel ad „ Sacerdotium aspirantium simul & in communi viventium, „ sub directione Præpositorum, sive Superiorum*, & sub plena „ auctoritate, & jurisdictione Illustrissimorum seu Reverendis„ simorum Hierarcharum: quorum principale, & præcipuum „ institutum sit perfectioni sacerdotali totaliter incumbere, & „ in humilitatis spiritu, ac piæ vitæ studiis Altissimo fa„ mulatum exhibere, singulasque actiones, & functiones or„ dini Sacerdotali proprie convenientes, sibi à Reverendissimis „ præscriptas, & non aliàs amplecti, necnon Sacerdotum, & „ aliorum ad sacros Ordines aspirantium in usu præsertim scien„ tiæ, & in pietatis exercitiis institutioni vacare, &c."

XXVIII. Porrò hæc omnimoda in exercitio functionum Sacerdotalium ab Episcopis dependentia nequaquam impedit, quominus directio, „ sive regimen Congregationis quoad per„ sonas, bona, & domus ad ejusdem Præpositos spectet: cu„ jus quidem directionis potestas primaria in ipso corpore, si„ ve Conventu Congregationis legitimè convocatæ, cui etiam „ Præpositus Congregationis suberit, & in quo pluralitatem „ suffragiorum tenebitur sequi, residere decernitur." Ita Cons„ titutiones Belgicæ *cap.* 2.

XXIX. Convocatio verò Congregationis, juxta dictas Belgicas Constitutiones, fieri debet unoquoque triennio, de consensu Episcoporum, loco & die indicendis ab ejusdem Patre Præposito, neque ultra tres menses post expletum triennium prorogari potest.

Penes Congregationem legitimè convocatam est jus eligendi Præpositum Congregationis: „ qui debebit pro hac „ Mechliniensi Diœcesi per Archiepiscopum confirmari; imò „ & pro Provincia, petito tamen priùs consilio Episcopi „ Ordinarii ejus, qui electus erit, si is alterius, quàm Me-

chli-

„ chliniensis Diœcesis in hac Provincia fuerit. *Cap.* 4.

„ XXX. Præter Præpositum, à Congregatione legitimè convocata, & congregata ex pluralitate suffragiorum, eliguntur duo *Assistentes*, qui Præposito in negotiis dirigendis assistant.

„ Hi unà cum Præposito in omnibus deliberationibus circa „ res temporaneas jus habent vocis *decisivæ*; quoad spiritualia „ verò, directionem, ordinem, politiam, & regulas, & res „ hujusmodi, etiam exteriores, *consultivæ* solùm."

„ XXXI. Solius item Præpositi est, Superiores domorum ab Episcopis loci approbandos constituere, vel destituere, seu deponere & mutare, quandocunque judicaverit: idem tamen ex causa faciendi jus est etiam penes Congregationem convocatam.

XXXII. Item ejusmodi Præpositi est, quos à Deo vocari viderit, admittere; & alia omnia circa personas, domos, spiritualem profectum, & bona Congregationis, ex consilio tamen Assistentium peragere.

XXXIII. Præterea quamvis Congregatio à visitatione Episcopi non eximatur, nihilominus quoad ea, quæ sunt directionis, Jus etiam visitandi ad Præpositum Congregationis spectat, qui à visitatione domestica per se, vel alium nunquam prohiberi potest, eamque ad minimum unoquoque triennio instituere debet.

Novas domos erigere solus Præpositus non potest, sed id ad Episcopos loci Ordinarios spectat.

XXXIV. Nova statuta quoque, & leges condere ad solam Congregationem convocatam spectat, postmodum ab Episcopis confirmanda; potest tamen Præpositus mandata, & ordinationes ad tempus, seu usque ad proximam convocationem servandas, ad omnes domos, modò his Constitutionibus ac Episcoporum auctoritati nihil detrahant, destinare.

XXXV. Præter generalem Congregationis Præpositum, penes quem omnium domorum, totiusque Congregationis cura, & directio quædam eminens residet, sunt insuper singulorum domorum, sive Conventuum immediati Superiores; quorum tempus Superioritatis triennio concludi debet, & ad secundum triennium tantummodò, & non ultrà prorogari potest.

XXXVI. „ Horum proprium officium est, personas, & „ domos suæ curæ commissas, tàm quoad spiritualem statum, „ quàm quoad temporalium administrationem dirigere, & con„ servare, & quantum in se est, promovere." *Cap.* 6.

Quoad temporalem tamen domorum statum, aut exteriorem ejus faciem, nihil innovare, aut mutare, vel contractum aliudve negotium notabile res temporales spectans concludere, sine auctoritate Præpositi Congregationis possunt.

XXXVII. Licèt singulæ domus, seu familiæ sua habere soleant bona separata; tamen quia in unam Congregationem omnes sunt unitæ, ut unitas spiritus per charitatis vinculum conservetur, & fortiùs colligetur, monentur Superiores domorum, „ ut studeant, & se invicem charitati complecti, atque etiam „ quando secundum Deum se posse judicabunt, præsertim cùm „ domus certis, & perpetuis reditibus fundatæ erunt, aliqua „ domibus magis indigentibus subsidia temporalia præstare ex „ iis, quæ honestæ, & modestæ suarum sustentationi, & in„ tertentioni superesse possent."

XXXVIII. In spiritualibus studium Superiorum eò præcipuè collimare debet, ut spiritum vitæ Jesu Christi D. N. Sacerdotis in æternum, in suis excitent; atque intendant maximè animarum profectui, & perfectioni, occurrendo omnibus impedimentis, succurrendo infirmitati, & necessitatibus singulorum: denique firma in illis solidæ virtutis veræque pietatis fundamenta jaceant, & stabiliant.

XXXIX. Ad domorum Superiores præterea pertinet, inferiores quoscunque singularum suarum respectivè domorum ministros, sive officiales instituere, & mutare prout judicaverint; & illis in eorum exercitio superintendere, eosque dirigere, atque defectus supplere.

XL. Quia Congregatio *Oratorii* nulla religionis vota, nullamque religiosam professionem agnoscit, idcircò nec propriè Novitiatum habet; ne tamen haud probati Congregationi incorporentur, probationis tempus præmitti quoque voluit, quòd *institutio* dicitur; eò quòd illo durante in exercitiis pietatis, aliisque ad Congregationem spectantibus funtionibus institui debeant, & probari.

Hoc *instutionis* tempus ex præscripto Congregationis Belgicæ extenditur ad triennium cum trimestri, ad honorem ejusdem spatii vitæ conversantis JESU CHRISTI in terris, quo suos Apostolos formavit atque instituit.

XLI. *Institutionis* tempore elapso, si reperti sint tales, qui Congregationi judicantur convenire, „ Sacerdotes vocem ac„ tivam habebunt, atque omnes censebuntur *incorporati*: nec „ poterunt quacunque occasione è Congregatione dimitti, nisi „ ob causam valdè notabilem, quæ de novo acciderit, & talis „ à P. Præposito Congregationis, necnon à tribus Patribus do„ morum, in quibus illi habitarent, judicata sit, vel ab ipso „ solo, si res communicari non possit." *Cap.* 9.

XLII. Fratres verò *servientes* sive laici debent scripto declarare, se nulla spe mercedis velle servire: atque per duos ut minus annos conversari, & servire debent in habitu seculari, & tunc vestiri poterunt, & post duos alios annos censebuntur *incorporati*: nec dimitti poterunt nisi ob rem valdè gravem, & modo quo Sacerdotes, aut ad Sacerdotium aspirantes. Poterit tamen Præpositus dispensare, ut citiùs vestiantur, vel etiam tempus prorogetur. *Cap.* 10.

XLIII. Porrò quamvis jam *incorporati*, è Congregatione nisi ob gravem causam inviti dimitti nequeant, ipsi tamen nulla assignatà causâ semper pro libitu à Congregatione recedere possunt.

XLIV. Adhæc cùm nullum paupertatis votum emittant, per hanc *incorporationem* nihil perdunt, aut amittunt de suis juribus, gradibus, Beneficiis, aut bonis temporalibus; de quibus etiam liberè, non secus ac alii Clerici seculares disponere possunt.

XLV. Si qui tamen redditus sufficientes, vel ex Beneficiis, vel ex patrimonio habent, meritò tantum in commune conferent, quantum eorum necessitatibus impendi debet, ne aliàs ex proventibus communibus in usum pauperum destinatis viventes, suum censum cum aliorum detrimento augere velint.

Qua de re in Statutis Congregationis Nerianæ *cap.* 8. hæc leguntur. „ Quicunque admittuntur in Congregationem, sciant „ cujuslibet anni redditus expendendos in bonos, quos ipsi ju„ dicaverint, usus, neque quidquam cumulandum: ne quis sci„ licet è nostra Congregatione ullam curam ponat in divitiis pa„ randis; imò verò ex censu pro suis quique facultatibus in „ commune commodum Congregationis liberè conferendum „ est. Quod à nostris adeò servatum est hactenus, ut si quis „ ob inopiam id non præstiterit, vel præstare intermiserit, sta„ tim atque de suo abundantior quoquo modo factus est, pecu„ niam pro rata portione dare, ac solvere non destiterit. Ita „ eis conveniens, ac consentaneum semper visum est stipen„ diis propriis militare, & à rebus etiam Congregationis tan„ quam ab alienis abstinere, quibus ipsa debet in primis non „ habentes unde vivant, sustentare suos."

Hæc planè consona sunt regulis, quas in rebus temporalibus dispensandis observare debebant Canonici in communi viventes (quorum vivendi norma Congregationis hujus Presbyteri æmulantur) quarum summarium *cap.* 107. in Synodo Aquisgranensi expressum ita habet: *Cum quo damno animæ suæ ab Ecclesia, quæ pauperes poscit, accipiunt illi, qui sibi de suo sufficiunt.*

Porrò sicut Canonici in communi viventes licèt non essent verè Regulares, utpote voto paupertatis non adstricti, tamen quasi Regulares reputabantur; atque propterea eorum domus tunc *Claustra*, *Monasteria*, & *Abbatiæ* dicebantur, & eorum Superiores *Abbates*, quidni ob earundem vivendi rationem monasticæ disciplinæ multùm similem, Sacerdotes Oratorii dicantur *quasi Regulares*?

Unde videmus, quòd etiam subinde quasi pro Regularibus aliquatenus reputentur, atque in eorum admissione ipsi Magistratus adjiciant modificationes similes iis, quæ Regularium admissioni adjici consueverunt, cujus exemplum suprà *tit.* 24. *cap.* 3. *num.* 16. relatum est.

XLVI. Hactenus tamen dicta sufficienter ostendunt, Institutum Oratorii nullatenus dici posse institutum *Religiosum*, prout id hodie accipitur; utpote ipsa Religionis substantialia vota non agnoscens. Si tamen vivendi disciplina in ipsis Constitutionibus præscripta, & hucusque observata attendatur, apparebit, eam esse planè conformem cum disciplina Clericorum, & Canonicorum in communi viventium, quam Synodus Aquisgranensis anno 816. expressit; & compendiosè descripsi in *dissertatione canonica de Instituto Canonicorum, part.* 3. *cap.* 6. §. 2.

CAPUT I.

De Canonissis.

1 *Canonissarum Belgica Collegia.*
2 *Judicium Miræi de Canonissarum origine.*
3 *An hodierna Collegia Canonicarum fuerint Monasteria duplicia Sanctimonialium & Monachorum.*
4 *An Canonissæ hodiernæ successerint Sanctimonialibus, & quo tempore primùm audiri cœperit nomen* Canonicarum.
5 *Canonissis in Synodo Aquisgranensis seculo IX. Regula præscripta, sed ab his multùm desciverunt hodiernæ.*
6 *Canonicæ, de quibus Synodus Aquisgranensis, votum perpetuæ castitatis, & stabilitatis emittebant.*
7 *Disciplinam planè regularem, & communem vivendi normam observabant: neque ignobiles excludebantur.*
8 *In Canonicarum Monasteria virorum introitus solicitè cavetur.*

Erunt

9 *Erant Sanctimonialibus similiores, quàm hodiernis Canonissis.*
10 *In quo à veris Monialibus differunt.*
11 *Quandiu disciplina hæc inter Canonicas fuerit servata.*
12 *Ad exemplum Canonicorum videntur Canonicæ seculo XII. & XIII. ad vitam singularem transiisse.*
13 *Exemptio Canonicorum cœperunt Canonicæ se à voto castitatis eximere.*
14 *Ad exemplum Canonicorum singulariter viventium, Canonicæ dictæ sunt seculares.*
14 *Canonicarum secularium meminit seculo XIII. Bonifacius VIII.*
16 *Quomodo seculo XIII. ad vitam secularem transiissent Canonicæ, & quæ earum vivendi norma.*
17 *Ad Collegia Canonicarum hodie non nisi nobiles puellæ admittuntur.*
18 *Ad nuptias transire possunt, exceptâ Abbatissâ, & quibusdam Officialibus: & quæ hujus exceptionis ratio.*
19 *Quis hodiernus Canonicarum vestitus.*
20 *Canonici hodie Collegii Canonicarum adjuncti, quod eorum officium.*
21 *Unde contingat Canonicos à Canonissis despici.*
22 *Abbatissa aliquando jurisdictionem in Clericos exercet.*
23 *De jurisdictione Abbatissæ Collegii Canonicarum Nivellensis.*
24 *Qualis data sit, & hodie competat Collegio Canonicarum Montensi.*
25 *Malbodiensium Canonicarum jurisdictio.*
26 *Canonicæ seculares ex mente Fundatorum debent etiam canonicè vivere.*
27 *Eas reformari superiori seculo desideravit Synodus Coloniensis.*
28 *Quid in illis observatum voluerit Synodus Augustensis.*
29 *Collegium Canonicarum abjecta vita seculari ad regularem transivit.*
30 *Collegia Canonicarum reputantur Corpus Ecclesiasticum.*
31 *Abbatissæ horum Collegiorum ad Synodos vocantur.*
32 *Collegia hæc solent esse sub immediata Principis protectione, & consequenter sine ejus consensu visitari nequeunt.*

I. HAbemus hîc in Belgio nostro nonnulla Canonicarum, sive Canonissarum Collegia, quæ unà cum aliis in Germania, & Lotharingia fundatis & hodiedum exstantibus recenset Miræus ad calcem notarum in Regulam Canonicorum. Et in notis ad *cap.* 13. *Cod. Donat. de Canonissis Belgicis*, hæc habet: „ Canonissarum nobili stirpe progenitarum, quæ„ quæ ad nuptias trasire possunt, Collegia in Hannonia sunt „ duo, Montense, & Malbodiense: totidem in Comitatu Na„ murcensi, Andennense & Monasteriense, & unum in Bra„ bantia Nivellense, omnium apud Belgas (ut arbitror) anti„ quissimum.“

II. De origine Canonicarum hæc scribit idem Auctor, libro de Collegiis Canonicorum, *cap.* 19. „Non sum nescius „ multos contendere, olim Canonicarum istarum, ut cætera„ rum virginum collegia, si non omnia, saltem pleraque voto „ sese castitatis perpetuæ solita obstringere; etsi id ipsæ Cano„ nicæ ægrè forsan admittant.“

III. Vir eruditus Joannes Mabillonius de Canonicarum exordio disserens, contendit in plerisque Canonicarum collegiis primitùs fuisse ordinatas Sanctimoniales sub Regula S. Benedicti, iisque Monachos Præfectos; atque ita primitùs fuisse duplicia Monasteria, scilicet Sanctimonialium, & Monachorum. „ Quemadmodum, ait, in Belgica illa Cœnobia succes„ serunt collegia Canonicarum Monachabus, ita & Monachis „ Canonicorum Conventus: ut sicut primitùs Monachi Mo„ nachabus, ita postmodum Canonici Canonicabus Sacramen„ ta administrarent. Puellas in illis Cœnobiis degentes (pergit „ Mabillonius) velo consecratas, & voto castitatis obstrictas „ fuisse, clarius est, quàm ut probatione indigeat.“

IV. Hæc ille in præfatione ad seculum II. Benedict. *num.* 32. qui & alibi asserit: „ Ante seculum IX. inauditum fuit in Gal„ liis Canonicarum nomen, & institutum: audiri primùm cœ„ pit in Concilio Cabilonensi (anno 813. habito) quod Sancti„ monialibus à primæva religione deficientibus, & Canonicas „ sese jactantibus, primùm instructionem pro Sanctimonialibus, „ quæ se *Canonicas* vocant, *cap.* 53. ac sequentibus præscrip„ sit.“ Notanda capitis 53. hæc verba: *Libuit namque huic sacro Conventui quasdam admonitiunculas breviter iis* SANCTIMONIALIBUS *scribere, quæ se* CANONICAS VOCANT: *quoniam hæ, quæ sub monasticæ Regulæ norma degunt, totius vitæ suæ ordinem in eadem, quam profitentur, Regula scriptam habent.* „ Novum ergo, inquit Mabillonius, tum erat Ca„ nonicarum nomen, nova religio, quibus Concilium dictat „ Regulas, quas Ludovicus Augustinus anno post tertio in „ Concilio Aquisgranensi (in quo sua Canonicis, & sua Cano„ nicabus Regula condita est) explicari curavit.“ In observationibus præviis ad vitam S. Gertrudis *ad annum* 658. *seculi II. Benedictinorum.*

Itaque si Mabillonio credimus circa seculum IX. quædam Sanctimonialium Monasteria in Canonicarum collegia, quemadmodum nonnulla Monachorum in Canonicorum Capitula degenerârunt.

V. Quidquid sit de hac Mabillonii opinione, id satis constat, Canonicas, quibus in Synodo Aquisgranensi anno 817. Regula præscripta fuit, multùm in vivendi disciplina ab hodiernis Belgicis Canonicabus fuisse diversas.

VI. Imprimis Canonicæ de quibus Synodus, non secus ac reliquæ Sanctimoniales perpetuo castitatis vinculo obstringebantur; uti constat ex *cap.* 8. *Regulæ*; ubi præcipitur, ut non facilis ab Abbatissis detur ingressus iis, qui Monasteria expetiverint: „ Quia, ait, postquam se Domino in hac militia de„ vinxerint, nequaquam sibi licitum erit propriis uti consiliis, „ nec secularibus penitùs implicare posse negotiis: nec fre„ quentiam virorum, aut collocutionem familiarem absque cau„ sa inevitabili habere debent. Proindè scrutentur priùs arcana „ cordis sui, simulque super adnotatas SS. Patrum sententias „ assiduâ meditatione perlegant, ne inconsultè & minus cautè „ vinculum continentiæ, & virginitatis arripientes, redeant post „ Satan, & fiant sicut canis reversus ad vomitum.“

VII. Debebant in Monasteriis jugiter residere. Vestibus nigris utebantur. Omnes in communi dormitorio, sed singulæ in singulis lectis dormiebant. In refectorio quotidie pariter reficiebantur, nisi quam infirmitas, aut ætatis imbecillitas id facere prohibuisset. Omnes sibi charitatis officio vicissim serviebant. Illis in refectorio comedentibus, & silentium religiosè tenentibus, continuatim legebatur lectio. Ad collationem quotidie veniebant, hanc institutionem, seu Regulam, sive aliarum scripturarum lectiones perlegebant, & de animæ suæ salute pertractabant, ubi etiam delinquentes juxta modum delicti corripiebantur: uti hæc omnia constant ex *cap.* 10. *Regulæ*: ex quo pariter intelligitur, quòd non tantùm nobiles, sed & ignobiles in Canonicarum Cœnobia admitterentur: *Nobiles genere*, ait, *nequaquam ignobilioribus se præferant, scientes quia personarum acceptor non est Deus.*

VIII. Sedulò curabatur, ut virorum ad Monasteria Canonicarum non pateret accessus; omnisque virorum familiaritas, & conversatio caveretur *cap.* 19. 20. & 26. *Regulæ* Quin & *cap.* 27. decernitur, ut „ Presbyteris, qui ipsis Missarum solemnia ce„ lebrare debent, extra Monasterium sit locus, & Ecclesia, „ ubi cum ministris suis habitent, & divinæ servitutis obse„ quium expleant: & non nisi statuto tempore Monasterium in„ grediantur puellarum, & cum eis Diaconus tantùm & Sub„ diaconus, qui scilicet & vitæ honestate clarescant, & non „ se, sed JESUM CHRISTUM amare cupiant, nec sua quærant, „ sed quæ JESU CHRISTI: & non ampliùs ibi immorentur, nisi „ in Missarum celebrationibus ad Sanctimoniales publicè facien„ dis, quibus ritè, & devotè celebratis, illicò foras egre„ diantur. Sanctimoniales namque velo ante posito, ut moris „ est, Horas Canonicas, & Missarum solemnia celebrent. Sed „ & hoc caveant, ut nulla illarum cum eisdem Presbyteris, „ eorumque ministris aliquam sermocinationem familiarem ha„ beat. Si qua igitur peccata sua Sacerdoti confiteri voluerit, „ id in Ecclesia faciat, ut ab aliis videatur, sicut in dictis Sanc„ torum Patrum continetur: exceptis infirmis, quibus in do„ mibus id facere necesse est.“

IX. Hæc omnia sat ostendunt, Canonicas, quales Regula Aquisgranensis describit, multùm ab hodiernis in vivendi norma fuisse distinctas, magisque Sanctimonialibus, & Monialibus, quàm modernis Canonicabus fuisse similes; unde etiam passim *Sanctimoniales*, earumque Collegia *Monasteria* vocantur.

X. Differebant autem à veris Sanctimonialibus, quòd paupertatem, sive rerum suarum abdicationem non voverent; sed tamen ante ingressum (siquidem facultates suas nollent offerre Ecclesiæ) ita jubebantur disponere, ut ad vitam tendentes æternam, nullam earum occasione patiantur perturbationem: utque remota quarumcumque forensium rerum occupatione, suum liberiùs, & quietiùs possint custodire propositum. *Cap.* 9. *Regulæ.*

XI. Quanto tempore hæc vivendi norma apud Canonicas viguerit, incertum est. Illud notat Aubertus Miræus, Collegium Canonicarum Nivellense (quod inter Belgica Canonissarum Collegia videtur antiquissimum) in communione bonorum, ac possessionum usque ad annum 1059. perstitisse: quo anno, ait, prædia illius Ecclesiæ in tres portiones, Henrico IV. Imperatore agente, fuerunt divisa: in Xenodochium, in Beneficium Abbatissæ, & in Præbendas 72. Fratrum ac Sanctimonialium. Divisionem istam Lotharius Imperator anno 1136. approbavit. Hæc Miræus in notis ad calcem Indicis Collegiorum Canonicarum, qui habetur in Codice Regularum, qui & utrumque illud diploma transcripsit in Notitia Ecclesiastica Belgii, *cap.* 89. & 147.

Hinc habemus, quòd circa seculum XI. proventus Canonicarum cœperint dividi; atque in *Præbendas* degenerari, ac consequenter paulatim magis magisque à disciplina Sanctimonialium, seu Monialium recedere.

Imò

XII. Imò admodum verisimile apparet, quòd sicuti Canonici circa seculum XII. & XIII. desertâ vitâ communi, transiverunt ad vitam singularem, ita quoque Canonicæ circa idem tempus à vita communi transire cœperint ad vitam singularem.

De Monasteriensi S. Petri Collegio Canonicorum 10. & Canonissarum 15. scribit Miræus „ Relictâ vitâ communi, an„ no 1282. ad *proprietariam* transierunt."

„ XIII. Quemadmodum Canonici vi sui Canonicatûs non existimârunt se voto perpetui cœlibatûs constringi, solamque Clericalem Tonsuram sufficere crediderunt, atque dimisso Canonicatu posse transire ad statum Matrimonialem; ita sensim quoque invaluit ut Canonicæ à voto perpetuæ castitatis se exemerint, liberumque sibi esse existimârint, statum Matrimonialem relictâ vitâ Canonicali assumere.

XIV. Porrò sicuti Canonici post dimissam vitam communem, & arreptam singularem, dicti fuêre *Seculares*, ad distinctionem eorum, qui vivunt sub certa Regula *in communi*; ita Canonicæ post transitum ad vitam singularem dici cœperunt *Canonicæ seculares*.

Rectè proindè notâsse videtur Molanus *lib.* 1. *de Canonicis*, *cap.* 15. talem fuisse seculo IX. „ Canonicarum proportionem „ erga Sanctimoniales, seu Monachas, qualis erat Canonico„ rum erga Monachos: licet sicut Canonici à veteri illa Regu„ læ disciplina plurimum recesserunt, ita & Canonicas hac in „ parte sequaces habuerunt.

XV. De his Canonicabus secularibus, seu vitam singularem agentibus, agitur in *cap.* 43. §. *penult. de Election. in VI.* cujus auctor est Bonifacius VIII. qui sedit sub finem seculi XIII. declaratque formam præscriptam in electione Abbatissarum & Præfectarum Monialium, etiam servandam in illis (Monasteriis) „ ubi sunt juxta quorundam Provinciarum consuetudinem mu„ lieres, quæ nec propriis renuntiant, nec professionem fa„ ciunt regularem, sed vivunt ut in secularibus Ecclesiis Ca„ nonici." Vocanturque in Rubrica Decretalis *Canonicæ seculares*.

Cæterum unà declarat Bonifacius VIII. quòd per hanc suam Constitutionem, earum statum, Ordinem, & Regulam nolit nec intendat approbare, quæ eadem clausula legitur in Clementina ATTENDENTES *de Statu Monachor.* ubi mulieres illæ expressè dicuntur *Canonicæ seculares*, & *ut seculares Canonici vitam ducunt*.

XVI. Qua ratione ad exemplum Canonicorum secularium cum vita singulari, ad secularem quodammodo, seculo XIII. transissent Canonicæ, narrat illius temporis non contemnendus Historicus Cardinalis de Vitriaco in Histor. Occid. *cap.* 13. „ Ad imitationem, & exemplum prædictorum Canonicorum „ (secularium) in partibus Hannoniæ, & Brabantiæ, & in „ quibusdam Theutonicorum & Alemannorum Provinciis sunt „ mulieres, quas *Canonicas seculares*, seu *Domicellas* appel„ lant. Non enim Moniales nominari volunt, sicut Canonici „ seculares Monachi non dicuntur. Hæ siquidem adeò perso„ nas accipiunt, quòd non nisi filias militum, & nobilium in „ suo Collegio volunt recipere; religioni & morum nobilitati „ seculi nobilitatem præferentes. Purpura autem & bysso, & „ pellibus griseis, & aliis jucunditatis suæ vestibus induuntur, „ circumdatæ varietatibus, cum tortis crinibus, & ornatu „ pretioso circumamictæ.... Pellibus autem agninis quantum„ cunque subtilibus, & delicatis utuntur..... Clericorum au„ tem, & puellarum, & juvenum servorum etiam sibi mi„ nistrantium cinctæ obsequio, in domibus propriis honorifi„ cè, & splendidè epulantur, nec desunt mensis earum con„ sanguinei in primo gradu sibi propinqui, quos *cognatos suos* „ appellant. In dormitorio autem juxta Ecclesiam suam de noc„ te quiescunt.... Sunt autem in iisdem Ecclesiis pariter Ca„ nonici seculares, in diebus festis, & solemnibus ex altera „ parte Chori cum prædictis domicellis canentes, & earum mo„ dulationibus æquipollenter respondere studentes..... Similiter „ in Processionibus compositæ, & ornatæ, Canonici ex una „ parte, & Dominæ ex alia parte concinentes procedunt. Quæ„ dam ex ipsis postquam diebus plurimis de Christi patrimonio „ vixerunt, relictis Præbendis, & Ecclesiis, charioribus sibi per„ sonis matrimonio copulantur."

Quod de sui temporis Canonicabus scribit Vitriacus, hoc pene totum de hodiernis Belgicis Canonicabus verificatur.

XVII. De Nivellensibus scribit in sua descriptione Belgii Guicciardinus: Nec in sodalitium hoc admittuntur, nisi Magnatum, & virorum Principuum filiæ, quæque quadruplæ minimùm nobilitatis membra paterni simul & materni stemmatis numerent. Idem de Canonicarum Montensium & Malbodiensium & aliis Belgicis Collegiis testatur, & notoria praxis docet, nullas scilicet in harum sodalitium, nisi nobilitate insignes admitti.

XVIII. Similitèr quod de transitu ad statum matrimonialem scribit Vitriacus, etiam de nostris Guicciardinus asserit; nimirùm iis licere, oblata occasione, & pro arbitrio nubere; exceptis Abbatissâ, & Officialibus, quæ perpetuæ castitatis voto astringuntur; exemplo forsan Canonicorum, inter quos Decanus, aliique in dignitate constituti, ad sacros Ordines, iisque annexum votum castitatis, suscipiendos constricti esse solent.

XIX. Vestes, & ornatum nostratium Canonicarum ita describit Guicciardinus de Nivellensibus disserens: „ Mane quidem „ & dum religioni operantur, cultu spirituali, sive Ecclesiasti„ co, sed qui nobiles deceat, &, ut ipsæ sunt, candido pelli„ busque pretiosis suffulto; à meridie verò, seculari, ut vocant, „ veste, è serico vel id genus materiæ, nobilium puellarum in „ morem ornatæ." *Pag.* 253.

XX. Habebant Presbyteros, qui Canonicabus sacra ministrarent, eaque exequerentur, quæ ordo Ecclesiasticus sexui fœmineo non permittit.

Hi primitùs etiam ex communibus Monasterii bonis alebantur, at dum Canonicæ ad vitam singularem transiêre, etiam ipsi Presbyteri sensim in Canonicos seculares transierunt, atque hinc hodie duplex Capitulum, alterum Canonicarum, & alterum Canonicorum.

Hi Canonici, ait Miræus *in notis ad Regulam Canonicarum.* „ in Sanctimonialium canonicè viventium templis Missarum so„ lemnia celebrant, & habent ii insuper sua propria ac pecu„ liaria templa, in quibus Horas Canonicas cantant, & alia sa„ cra munia obeunt."

Quibusdam etiam diebus solemnioribus, in templis cum Canonicabus Divinum Officium peragunt; & in supplicationibus procedunt; uti de Canonicis sui temporis retulit De Vitriaco.

XXI. Illud notat Molanus: „ Passim hujus Ordinis Ca„ nonicæ, suos Confratres, in Præbendis pares, in dignitate „ propter Sacerdotium longè superiores, vix alio loco habere „ dignantur, quàm ut Sacellanos suarum generosarum Domina„ tionum, quamvis quædam inter eas sint nuptiarum expecta„ trices, & solicitatrices." Quod, ait, ex eo capite fieri arbitror, quia Abbatissæ jurisdictioni subsunt. *Lib.* 1. *de Canonicis*, *cap.* 15.

XXII. De jurisdictione Abbatissæ in suas Canonicas & Clericos habemus Decretalem Honorii III. in *cap.* DILECTA ✠ *de Majorit. & Obedient.* ex qua quoque intelligimus, quòd Abbatissa Clericos *suæ jurisdictioni subjectos propter inobedientias, & culpas eorum, officio, beneficioque suspenderet*; mandatque Pontifex Abbati S. Michaelis Abradensis Diœcesis, „ quatenus „ dictas Canonicas, & Clericos, ut Abbatissæ præfatæ obe„ dientiam, & reverentiam debitam impendentes, ejusque sa„ lubria monita, & mandata observent, monitione præmissâ „ per Censuras Ecclesiasticas, apellatione remotâ, compellat."

XXIII. Abbatissæ Canonicarum Belgicarum similiter Clericos suæ jurisdictioni subjectos esse prætendunt, atque de Abbatissa Nivellensi refert Guicciardinus: „ Est autem hæc ipsa „ Antistita, non sacri tantummodo hujus Collegii caput, verùm „ etiam Domina spiritualis simul & temporalis, ut vocant, Ni„ vellæ, & territorii ejus, haud quaquam exigui. *Pag.* 253. „ *edit.* 1652.

XXIV. Collegio Canonicarum Diva Gualtrudis „ præesse „ voluit, ait Guicciardinus, Abbatissam, & luculentam pro„ fectò ditionem, cum civili pariter, atque sacra jurisdictione, „ & amplissima potestate ex patrimonio suo attribuit.... Fac„ tum deindè, ut lapsu temporis, Abbatialis, ut sic dixerim, „ dignitas, & Imperatoris Romani in eam jus hæreditate obve„ nerit Hannoniæ Comiti Balduino. Ex quo tempore Comites „ successores in hunc usque diem sunt Antistites seculares, Pa„ troni, custodes, Judices, Protectores, ac defensores dictæ „ ædis divæ Gualtrudis, personarum in ea degentium, & bo„ norum Collegio relictorum, quibus sine ullo prorsus obsta„ culo hactenus perfruuntur, & Antistites suas regendi vices „ mandant. Quæ ex legibus in æternam memoriam tam insignis „ Fundationis tantam habet auctoritatem, ac præeminentiam, „ ut succedente novo Hannoniæ Comite, ipsa eum (ut coram „ nuper spectavimus in persona Philippi Regis) magnâ solem„ nitate suscipiat, ac in Comitatus, & dignitatis Abbatialis, „ aliorum bonorum à Collegio dependentium possessionem im„ mittat: ipso contra jurejurando se obstringente ad privile„ gia omnia, immunitates, exemptiones, consuetudines, & „ possessiones templi, atque Cœnobii Divæ Gualtrudis conser„ vandos." *Pag.* 456.

XXV. De Malbodiensi Canonicarum Collegio loquens Guicciardinus dicit: „ Est autem & penès istas Canonicas suprema „ in oppidum, & territorium ejus jurisdictio, sic ut civilem si„ mul & criminalem justitiam administrent. Gaudent insuper eo „ privilegio, ut signare possint quotannis definitam quandam & „ certam summam *mitarum* (ita nuncupant minutissimum il„ lud ex plumbo monetæ genus Divæ illius effigiem præferens) „ quarum duodecim singulos valent denarios, sive (ut vulgò „ loquimur) grossos Flandriæ. Et exponitur quidem plumbea „ ista monetula per totam quàm latè patet Hannoniam, usque „ ad ipsam Bruxellam, sic ut nemini liceat eam defugere." *Pag.* 469.

XXVI. Cæterùm sicuti Canonicorum ad vitam singularem transitus, nullatenùs ipsos Canonicos exemit, quin juxta

ta suam institutionem canonicè vivant, ut latiùs suprà *tit.* 7. *cap.* 4. ostensum fuit; ita nec similis Canonicarum à vita communi ad vitam singularem transitus efficere potest, quin juxta mentem Fundatorum, quandiu de proventibus Ecclesiasticis vivunt, se divinò cultui consecrent. Certùm quippè, & indubitatum est, proventus illos non alium in finem illis Collegiis Canonicarum atributos, quam ut puellæ in illis susceptæ, & ex illis viventes, cultui divino vacent, & canonicè, & regulariter vivant.

Hodie verò propter Divini Officii, sive Horarum Canonicarum persolutionem, nihil penè de vita Canonicali, & Religiosa in vivendi ratione apud Canonissas nostrates superest, de reliquo instar puellarum nobilium secularium, sed ex bonis, & proventibus Ecclesiasticis viventes.

Hi, ad quos horum Collegiorum cura, & regimen pertinent, despicere possunt, num similis vivendi disciplina conformis sit menti, ac voluntati Fundatorum, & utrum Ecclesia vitam illarum singularem tolerans, eam quoque vivendi rationem permittat.

XXVII. Eas reformari seculo præterito desiderabat Synodus Coloniensis, atque in ordinem, ac quandam Ecclesiasticam disciplinam revocari. „ Vitam, conversationem ac mo„ res Canonissarum, quæ seculares ob id appellantur, quòd „ perpetuæ castitatis, ac reliqua vota monastica non emittant, „ reformari omninò ducimus necessarium. Nam vitam agunt „ plures nimiò licentiosam, ac plerisque scandalosam. Quæ „ ut in ordinem & Ecclesiasticam quandam disciplinam, quoad „ fieri potest, revocentur, nobis, cùm visitationem aggredie„ mur, curandum est.“

XXVIII. Circa idem tempus Synodus Augustensis *cap.* 12. voluit, ut „ Canonissæ continentiæ studium nulla voti solem„ nitate obstrictum sectantes, commune habeant dormitorium, „ habitu modesto, mundo, & castitatis indice utantur. Mag„ na quoque instituti sui commoda (ait Synodus) ex mensæ „ communione perciperent, si contra inveteratum apud eas „ morem adduci ad hoc possent, quod ut faciant, eas in Do„ mino hortamur.“

XXIX. Canonissarum vitæ laxioris genus cùm iniquiùs ferrent puellæ Monasterii Horrensis apud Treveros, abjecto Canonicarum indumento, & vitæ genere, ad Sancti Benedicti leges se revocârunt anno 1494. eximio sanè exemplo, & hortatu D. Joannæ de Bertstein Abbatissæ (ait Mabillonius loco citato) quæ avitam Ordinis monastici disciplinam vetustate, & morum corruptella collapsam reduxit.

XXX. Tametsi Canonicæ hodiernæ à vita communi transierint ad vitam singularem; & è Sanctimonialibus, aut Canonicis quasi Regularibus factæ sint Seculares, nihilominus reputantur, etiamnum hodie corpus Ecclesiasticum; nam uti rectè notat Bertrandus Loth in suis resolutionibus Belgicis, *tract.* 9. *quæst.* 2. *art.* 2. „ Præsens horum Collegiorum sta„ tutus est, ut sint Ecclesiæ Collegiales seculares, & tales „ agnoscantur ab Ordinariis locorum; Capitula habeant & Ec„ clesias, quæ non sunt nomina laica. Visitantur auctorita„ te Ecclesiasticâ, vitæ institutum ab eadem recipiunt, & or„ dinationes cùm opus est. In Processionibus non tantùm in„ ter Ecclesiasticos procedunt, Sacerdotes, Sacellanos pro„ ducunt & Canonicos de suo Collegio; sed & supra reli„ quum Clerum supereminent, dignissimum locum sustinen„ te ipsâ Abbatissâ, pedo, Prælatorum Ecclesiasticorum in„ signi, ante lato.“

XXXI. Quapropter Abbatissæ horum Collegiorum, etiam ad Synodos, non secus atque aliæ Abbatissæ Regulares, & Capitula Ecclesiarum Collegiatarum vocantur. Et quidem Synodo Provinciali Cameracensi anno 1565. subscribunt: „ Mar„ garetæ de Hinkaert Abbatissæ de Malbodio, Joannes de Ra„ metz Procurator. Margaretæ de Noyelles Abbatissæ de Ni„ vella, Alphonsus Deyllerem U. J. Licentiatus Procurator: „ Domicellarum Capituli Sanctæ Valdetrudis Montensis Simon „ Bosquet Procurator.“

XXXII. Hæc Collegia pleraque à Regibus fundata, etiam sub immediata Regis protectione esse reputantur: ideoque juxta decretum Synodi Tridentinæ *Sess.* 22. *cap.* 8. *de Reformat.* ab Episcopis sine Principes licentia visitari non posse. Declarando enim quòd Episcopi habeant jus visitandi Hospitalia, Collegia quæcunque, ac Confraternitates laicorum, etiam quas scholas, sive quocunque alio nomine vocant, subjicit hanc exceptionem: *Non tamen quæ sub Regum* IMMEDIATA *protectione sunt sine eorum licentia.*

CAPUT III.

De Beguinis.

1 *Quo tempore inceperint Beguinæ, incertum.*
2 *Seculo XIII. erant mulieres, quæ dicebantur Beguinæ.*
3 *Mulieres illæ etiam seculo XIV. videntur vixisse sicut hodiernæ* Devotoriæ *in domibus privatis.*
4 *Quædam illarum simul habitare, & sub certis legibus vivere cœperunt.*
5 *Ecclesias Parochiales frequentabant, & Presbyteris Parochialibus erant subjectæ, nec proprium Parochum habebant.*
6 *Habebant Directores & Directrices sicut hodiernæ Devotoriæ.*
7 *Interdum ex speciali Privilegio dabatur Capellanus salvo jure Ecclesiæ Parochialis.*
8 *Hodie plerisque Beghinagiis est proprius Parochus.*
9 *Olim Beguinæ à suis Directoribus, & Directricibus normam vivendi accipiebant.*
10 *Primitùs nullam professionem emitebant: quæ hodierna professionis formula.*
11 *Vivendi disciplina in singulis pene Congregationibus olim erat diversa; hodie secus.*
12 *Quo tempore Beghinagia pleraque instituta; & quis primus Fundator.*
13 *Seculo XIV. Institutum hoc non modicas subiit vexationes.*
14 *Varii illis adscripti errores, & status earum damnatus; atque hinc & Belgicæ vexatæ fuerunt.*
15 *Joannes XXII. declaravit non omnes Beguinas ea damnatione comprehendi.*
16 *Idem præcepit, ut Belgicas Beguinas à vexatione Episcopi tutarentur.*
17 *In Gallia institutum Beguinarum desiit, & quare.*
18 *In quibus Beguinarum Institutum, & modernæ vitæ disciplina conveniat cum Regulari.*
19 *Qua ratione Beguinæ censeri possint statum assumpsisse; idque potiore ratione, quàm Filiæ devotæ.*

I. QUo tempore Beguinæ, quarum hodie in Belgio & vicinis aliquibus Provincis magnus est numerus, initium sumpserint; ac præsertim ad eam, quàm modò observant vivendi normam, redactæ sint, non parum obscurum est.

II. De S. Ludovico Rege Galliarum scribit Thomas Cantipratanus *lib.* 2. *de Apibus*, *cap.* 29. *num.* 40. „ Rex devo„ tissimus Ludovicus in tantum amplectitur virgineæ dignita„ tis pudicitiam sectantes, ut Parisiis collegerit *Beghinarum* „ maximam multitudinem, ut se in humilitatis obsequiis exer„ ceat, & salute.“

Et de Philippo Monmiraltio testatur ibidem *cap.* 38. quòd octo Monasteriorum Ordinis Cisterciensis Fundator extiit, „ex„ceptis, ait, Congregationibus Beghinarum, quas ad quinque mil„ lia & eo amplius in diversis locis in Christi servitio mancipavit.“

Quam vivendi rationem hæ mulieres, quæ Beghinæ hîc dicuntur, tunc tenerent, incertum est.

III. In *Extravag.* RECTA RATIO, *de Religiosis Domibus*, *inter Comm.* cujus auctor est Joannes XXII. dicitur: „ In „ multis mundi partibus plurimæ sunt mulieres, quæ vulgò „ *Beghinæ* vocatæ, segregatæ, quandoque in parentum domibus „ aut suis, interdum verò in aliis aut conductis sibi communibus „ domibus simul habitantes.“

Similiter idem Pontifex in litteris ad Episcopum Cameracensem, quas refert Miræus *lib.* 1. *Diplom. Belg. cap.* 91. testatur, quòd relatione fide digna didicerit, plurimas esse in civitate & Diœcesi Cameracensi mulieres, *Beghinas* simpliciter nuncupatas, „ quæ in sancta, & solida simplicitate vi„ ventes, aliquæ proprias, aliquæ parentum, aliquæ conductas, „ vel sibi communes, & cum honesta familia domos inhabi„ tantes; aliquæ verò, rerum cogente defectu simul in iis„ dem domibus, & diversis Beghinagiis, ad majorem castita„ tis observantiam, commorantur.“

Ex his aliisque monumentis rectè colligit Petrus Coens Canonicus Antuerpiensis in *Disquisitione historica de Origine Beghinarum*, *sect.* 3. non tantùm eas, quæ in Congregationibus, seu Beghinagiis habitabant, sed omnes Devotorias tunc fuisse vocatas communiter *Beghinas.*

IV. Illarum quædam successu temporis sibi fecerunt Congregationes, & ordinationes, ac elegerunt Magistras, etiam antequam designatis locis simul in communi habitarent.

Cui consonat quod ex Petro Herentalio refertur in *magno Chronico Belgico ad annum* 1207. „ Multæ mulieres tam „ senes quàm juvenes contempto seculo cum suis delectatio„ nibus, sponso, qui in cœlis est, servire desiderantes, fe„ cerunt sibi Congregationes simul commorantes, & vocaban„ tur *Beghinæ.*“

V. In citata Extravagant. Joannis XXII. uti & in ejusdem litteris ad Episcopum Cameracensem de his mulieribus Beghinis refertur: „ Vitas deducunt honestas, Ecclesias de noc„ te frequentant, Diœcesanis locorum, & Parochialium Ec„ clesiarum reverenter obediunt.“

VI. Hinc constat, Beghinas illas subjectas presbyteris Paro-

rochialibus, nec tunc proprium Parochum habuisse. Si Petro Coens credimus in *dicta Disquisitione*, *sect.* 5. *num.* 2. „ Habitabant mulieres istæ, & puellæ sparsim per civitates, & „ habebant Directores, & Directrices, quæ zelo pietatis eum „ vivendi modum promovebant.“

Sic scribit Thomas Cantipratanus *lib.* 2. *de Apibus*, *cap.* 30. §. 31. Vide Sanctum virum magistrum Guidonem Presbyterum Beghinarum in Nivella. Et *cap.* 54. §. 10. meminit Elisabeth de Gravio apud Nivellam in Brabantia Magistræ 2000. Beghinarum; cum tamen, uti observat Coensius, nullum tunc Nivellæ esset Beghinagium; sed Beghinæ habitarent sparsim per civitatem, ut ea de causa necesse fuerit, ibidem multiplicare Parochias.

VII. Ex archivis Capituli Antuerpiensis profert Coensius loco citato *num.* 4. fragmentum litterarum Episcopi Cameracensis de anno 1315. per quas Beghinis Antuerpiensibus, „ de „ gratia speciali, usque ad revocationem concessit ut in Capella „ *infirmariæ* Beghinagii dicti loci possent Missas & alia Divina „ Officia facere celebrari per Sacerdotes, quorum Ecclesiæ debitis propter hoc officiis non frustentur, salvo jure Parochiali.“

Et anno 1239. Episcopus Cameracensis concedens licentiam construendi Valencenis in vico *de Salice* Hospitale pro Beghinis, unà indulget, quòd „ Capellanus, qui in dicto Hospitali deserviet, omnibus tam manentibus in ipso Hospitali, quàm aliis Religiosis mulieribus, quæ *Beghinæ* „ dicuntur, in vico eodem & vicinia commorantibus, quæ per „ consilium Capellani ipsius Hospitalis Religiosum tenebunt propositum, Ecclesiastica Sacramenta poterit ministrare, ubi „ quoque celebrabitur solemniter Divinum Officium, &c... His „ autem omnibus salvis, Presbyter Sancti Nicolai in omnibus „ personis prædictis curam Parochialem habebit, &c.“ Ibidem *num.* 6.

VIII. Cùm verò multiplicatis Beghinis videretur inconveniens, imò & periculosum, quòd earum tanta multitudo quotidie per civitatem transire deberet ad Ecclesiam Parochialem, Beghiniagiorum Fundatores, quin & sensim ipsæ Beghinæ ab Episcopis postularunt, & obtinuerunt separationem Beghinagii, sive Ecclesiæ suæ à Parochia; necnon proprios Pastores Parochiarum Pastoribus non subjectos, neque ab his dependentes, quales hodie pleraque Beghinagia habent.

IX. Quemadmodum hodiernæ mulieres, quas *Devotarias* dicimus, tametsi etiam plures simul in una Congregatione vivant, non solent ab Episcopis, sed à suis Directoribus aut etiam à suis Magistribus Statuta, & normam vivendi accipere; ita & Beghinæ primitùs à suis Pastoribus, & Magistratibus vitæ normam accipiebant.

In litteris Episcopi Cameracensis, quibus comunicatur Bulla Joannis XXII. (de qua suprà) conceditur, ut Beghinæ sub obedientia Magistrarum in habitu griseo humili, & honesto remaneant, nulla statutorum facta mentione; ut non obscurum sit, tunc temporis nullâ adhuc fuisse Beghinarum statuta specialia, sed in vivendi norma à directione, & voluntate Magistrarum, & Directorum dependisse, sicuti hodie filiæ illæ, quas *Devotarias* dicimus.

X. Notat Coensius *sect.* 2. *num.* 17. quòd primitùs Beghinæ quemadmodum hodie nostræ Devotariæ, nullam solerent professionem facere, sed solâ vestium mutatione, & cum aliis communi habitatione fierent Beghinæ, atque posterioribus duntaxat temporibus præscriptam esse hodiernam professionis formulam, quæ his verbis exprimitur: *Ego N. promitto tibi D. Parochiano & Magistrabus nunc existentibus, & futuris obedientiam & castitatem, tam diu ac in Curia Beghina habitabo.*

XI. Cùm verò vivendi disciplina penderet à singularum Congregationum Directoribus, & Directricibus, varia erat penè singularum Congregationum vivendi norma; quam diversitatem minùs convenientem judicans Archiepiscopus Mechliniensis Hauchinus sub finem præcedentis seculi, „ ex variis Ordinationibus selegit puncta utiliora, & convenientiora, quibus omnes unanimiter, salutariter, & virtuosè in ejusmodi Congregatione possent conversari, & perseverare, renovans, & „ annulans omnes præcedentes Ordinationes, & statuta, quæ „ Beghinagia in communi concernebant, unde & habitum quem „ modo gestant, votum quod emittunt, prescripsit; quæ „ etiam in aliis quibusdam Diœcesibus, absque ordinatione proprii Episcopi fuerunt acceptata, vel iis conformia ab Ordinariis, prout ab Illust. D. A. Bergis Antuerpiæ, fuêre posita, ita ut Illust. D. Hauchinus saltem in Brabantia, merito dici possit patriarcha Beghinarum, cùm Institutum istud „ eo modo reformavit, & ad majorem perduxit perfectionem, „ quàm antea ibidem unquam habuit, & Beghinagia Diœcesis „ istius, quæ priùs propter diversitatem Statutorum erant quasi „ diversi Instituti, fecit esse ejusdem, & unius moris.“

Ex hactenus dictis facilè est colligere, Beghinas sensim, nec ubique eodem tempore ad eam vivendi rationem, quam hodie plerisque in locis observant, pertigisse.

XII. Pleraque in Belgio, ac locis circumvicinis Beghinagia seculo XIII. & XIV. erecta fuisse, ex fundationum monumentis ostendit Coënsius in sæpiùs allegata Disquisitione *sect.* 4. creditque omnium antiquissimum esse Leodinese institutum, ut ipse putat à quodam Lamerto *Le Begues*: de quo in magno Belgii Chronico legitur ad *annum* 1168. „ Apud Leodium electus est „ in Episcopum Radulphus: ille præbendas, & beneficia per „ Udelinum carnificem vendebat, ad quem propter hæc multi „ confluebant, contra quod homo quidam publicè prædicavit, „ & quidem sine malitia. Prælati indignati, per Episcopum capi „ illum faciunt, & ducentes per Ecclesiam, ungibus impingunt; „ ipse verò prophetando dixit: heu! heu! dies venient cum „ substus altare B. Mariæ porci terram effodient, quod post accidit. Vocabatur ille Lambertus Begghe, á cujus nomine „ adhuc *Beghinæ* vocantur, quia primus invenit Ordinem Beghinarum & his primùm castitatis normam verbo, & exemplo predicavit.“

XIII. Quidquid sit de Beghinagii Leodiensis antiquitate, aut Beghinarum primo Auctore, aut earum origine, illud certius est quòd seculo XIV. non modicas, aut leves hoc institutum subierit dificultates; eò quòd nonnullæ mulieres, præsertim in Alemania dictæ *Beguinæ*, & viri earum institutum æmulantes dicti *Begardi* apud Sedem Apostolicam fuissent infamati, quasi de Summa Trinitate & Divina essentia disputarent, & prædicarent, ac circa Articulos Fidei, & Ecclesiastica Sacramenta opiniones Catholicæ Fidei contrarias introducerent, & multorum simplicium animas in diversos errores inducerent.

XIV. Errores illis adscripti referuntur in *Clementina* AD NOSTRAM, *de Hæreticis* & in *Clementina* CUM DE QUIBUSDAM, *de Religiosis Domibus*, sub nomine Concilii Vienensis, ubi erroribus Beguinarum relatis, earum statûs damnatio his verbis exprimitur: „ Nos tam ex his quam ex aliis de ipsarum opinione „ sinistra frequenter auditis, eas meritò suspectas habentes, statum earundem sacro approbante Concilio perpetuò duximus „ proscribendum, & à Dei Ecclesia penitùs abolendum: eisdem „ & aliis mulieribus quibuscunque sub pœna Excommunicationis, „ quam in contrarium facientes incurrere, volumus ipso facto, „ injungentes expressè, ne statum hujusmodi dudum forte ab ipsis assumptum quoquo modo sectentur, vel ipsum aliquatenus de novo assumant.“

Ob hanc damnationem Belgicæ Beghinæ etiam à nonnullis in criminis suspicionem vocatæ fuerunt; adeo ut Antuerpiæ (referente Zypæo in Jure novo *tit. de Regularib. n.* 9.) omnia earum bona Fiscales Rationatores arripuerint.

XV. Sed cùm habitâ informatione intellexisset Joannes XXII. immediatus Clementis V. (sub quo Concilium Viennense celebratum fuerat) successor multas esse in variis mundi partibus Beghinas nullatenus de prædictis erroribus suspectas, edictis litteris declaravit, hasce sub *prohibitione aut abolitione prædictis non contineri*: „ Locorum Ordinariis nihilominus injungentes, ut eas sub prætextu hujusmodi, nullatenus molestari „ permittant. Et si quid forsitan ex hoc in bonis, aut juribus „ à quibuscunque contra eas attentatum est hactenus, vel attentari contigerit in futurum: per illos prædictos Ordinarios auctoritate nostrâ in statutum reduci debitum „ volumus; invocato (si opus fuerit) auxilio brachii secularis.“

Refertur in *Extrav.* RATIO RECTA, *de Religiosis Dom. in Comm.*

XVI. Præter hanc generalem declarationem, etiam specialibus litteris ad Episcopum Cameracensem, Leodinensem, & Ultrajectinum (quibus penè totum Belgium tunc temporis in spiritualibus parebat) id ipsum declaravit; uti monet Zypæus *loco citato num.* 10. addens in litteris, ut facta inquisitione in mores, & religionem Beghinarum, suarum respectivè Diœcesium, si tales invenirentur, quales in dicta Extravagante describuntur, non paterentur innocentes cum nocentibus ad paria judicari, sed ab omni molestia eximerent; molestatores, si qui fuerint, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remotâ, compescendo.

Episcopi inquisitione factâ ipsas passim tutati sunt, atque ab eo tempore Beghinæ hîc in Belgio pacificè vivere, ac indies magisque multiplicari, & ad uniformem, atque regularem quandam vivendi normam redigi cœperunt.

XVII. Non eadem fuit Beghinarum sors in Gallia. „Cum „ enim (ait Du Cange in suo Glossario, verbo *Beghine*) Beghinarum institutum haberetur contemptui, sensim desiit, in earum locum succesêre Sorores *tertii Ordinis S. Francisci*, quibus ibidem traditæ in urbibus Galliæ earum ædes.“

Neque mirum videbitur, eam fuisse in Gallia Beghinarum sortem, qui attenderit, Philippum Pulchrum Galliarum Regem præcipuum fuisse Concilii Viennensis (in quo Beghinarum abolitio decreta erat) promotorem, ejusque particulare interesse postulâsse, ut ejus decreta executioni mandarentur; ideoque, uti notat Thomassinus in *Disciplina Ecclesiastica, part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 62. §. 11. facilè potuisse, Philippum Pulchrum omnes Beghi-

hinarum Congregationes abolevisse, ut Clementi V. & Concilio Viennensi faveret.

XXIII. Norma vivendi Beghinarum, earumque institutum hodiernum in Belgio mixtum, ac medium quodam modo est inter Regulare, & seculare, sive laicum.

Imprimis si vestes, & habitum consideremus, is planè à laicali est diversus, atque Religioso vestitui conformis; solentque pleræque veste nigrâ uti, atque capitis velamento instar Monialium.

Secundò professionem aliquam, votumque castitatis, & obedientiæ saltem temporaneum, ritu etiam quodam solemni sub formula superiùs relatâ, instar Monialium emittunt.

Tertiò leges, & ordinationes vivendi ab Ordinariis locorum non secùs ac Moniales accipiunt; atque eorum visitationi æquè ac Moniales subjacent. Parochum quoque proprium ferè ubique habent, cujus directioni, & curæ subduntur.

Fatendum nihilominus, etiam modernum Beghinarum vivendi genus in multis à Religioso Monialium instituto discrepare.

Primò nullum votum Religionis perpetuum emittunt, sed tantùm temporaneum castitatis, & obedientiæ, non diutiùs astringens, quàm Beghinæ manere volunt; ita ut omni horâ liberè exire, & ab omni voto se eximere atque matrimonium contrahere possint.

Secundò, paupertatis votum nullum, ne quidem temporaneum faciunt; sed etiam Beghinæ existentes, manent rerum suarum proprietariæ, capacesque acquirendi, & retinendi, non secus atque aliæ mulieres laicæ, & seculares; iisque liberè utuntur, & tam inter vivos, quàm mortis causa pro suo arbitrio de illis disponunt.

Tertiò, licèt pleræque in Beghinagiis muro, & claustro nocturno vallatis habitent, proprias tamen, ac separatas ædes inabitant; in quibus rem domesticam administrant; quasi laicæ, & seculares matres familias, mensam, supellectilem, totamque domesticam œconomiam pro suo arbitrio instituentes. Unde vita communis inter eas quoque exulat.

Quartò, clausuram Monialium non servant, sede liberè exeunt; atque per civitatem sua negotia, & rem familiarem procurant; consanguineos familiaresque invisunt, & domos civium frequentant, nisi quod certis legibus quoad dies & horas exeundi, & redeundi libertas, per Ordinationes, & statuta in plerisque Beghinagiis nonnihil limitata, & restricta sit.

Quintò, nullam certam Regulam à Sede Apostolica probatam profitentur; idque hoc ex capite juxta decisionem Concilii Lugdunensis in *can.* 1. *de Religios. Domib. in* 6. earum institutum Ordo Religiosus vel status Religiosus dici nequit.

Hoc sensu accipiendum quod Joannes XXII. in allegata Extravagante, de Beguinis, in diversis mundi partibus piè & ab erroribus immunem vitam agentibus dicit: Cæterum statum Beguinarum hujusmodi, quas esse „ permittimus, nullatenus ex „ præmissis intendimus approbare," id est, tanquam novum Ordinem seu statum Religiosum.

Neque enim dubium est, Beguinarum vivendi rationem haberi ab Ecclesia, & à Romanis Pontificibus (qui illis multa jam pridem privilegia, ac immnitates conceserunt, quæ in earum archivis etiam hodie reperiuntur) tanquam laudabilem; & eatenus probatam, ut institutum illud sequentes salutem suam securè queant operari.

XIX. Adhæc nec illud negandum, quòd licèt susceptio habitus Beguinarum, aut earum professio non efficiat eas verè *Religiosas*; neque dici queant assumpsisse propterea statum omninò fixum, & immutabilem, uti est statutus religiosus, tamen quia per habitus illius assumptionem se à seculo, & mulierum secularium vestitu, & vivendi ratione ac contubernio separant, atque ad aliquod particulare vitæ institutum transferunt; idque ea intentione ut toto vitæ tempore in eo permaneant; tametsi absolutè possint sine pacto ad seculum, & communem secularium vivendi rationem reverti, etiam verè dici potest, Beguinas eatenus statum seu vitæ conditionem assumpssise; & ita vulgò creditur filias professione Beguinarum emissa ad statum pervenisse: ac propterea si consuetudo, aut testator aliquid detulerit Filiabus cùm ad statum aliquem pervenerint, id debetur Filiabus factis Beguinis, nisi ex circunstantiis appareat quòd consuetudo vel testator per *statum*, intellexerit statum Religiosum, vel statum Matrimonialem, sive omninò stabilem, & fixum, uti latiùs deducit Zypæus *Resp.* 14. *de Regularib.*

Denique certum est, Beguinas potiori ratione dici posse ad statum etiam Ecclesiasticum pervenisse quàm filias, quas hodie *Devotarias* sive *Spirituales* dicimus; utpote nullam professionem castitatis etiam ad tempus, saltem publicè, ac vi sui instituti emittentes; neque à secularium contubernio, & vivendi communi vulgarium instituto æquè ac Beguinæ se separantes; neque in Congregationem sub obedientia Superiorum se redigentes, sed quæ vi sui instituti possunt etiam inter seculares aut privatim, uti maluerint, vitam vulgarem in cælibatu sine ullo voto agere; idque in veste à veste Religiosa plane disparata, & à vulgari honestarum matronarum parùm diversa; ubi è contrario vestis Beguinarum ad vestem Religiosam proximè accedit.

PARS SECUNDA
DE REBUS.

TITULUS PRIMUS
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

DE SACRAMENTORUM ESSENTIA, NUMERO, ET DIVISIONE.

1 *Variæ significationes vocis* Sacramenti.
2 *Quid propriè hodie dicatur* Sacramentum, *ejusque definitio.*
3 *Quid de Sacramentorum institutione, eorumque numero habeat hodierna Fidei professio.*
4 *Quid doceat Synodus Tridentina.*
5 *Quoad numerum conveniunt Ecclesia Latina, & Græca.*
6 *Quando incœperint Sacramenta explicari per formas & materias.*
7 *Unde hæc explicandi methodus initium habuerit.*
8 *Quæstiones hîc moveri solitæ Theologis relinquuntur.*
9 *Divisio Sacramentorum in* necessaria & voluntaria; *& quomodo hîc Canonistæ à Theologis dissentiant.*
10 *Sacramenta alia imprimentia characterem, alia non imprimentia.*
11 *Quid sit* character.
12 *Sacramenta alia reiterabilia, alia non reiterabilia.*
13 *Patres dum dixerunt quædam Sacramenta iterari non posse, etiam Characterem imprimi dixerunt.*
14 *Explanantur Decretales sub titulo* de Sacramentis non iterandis.
15 *Olim Sacramenta non iterabilia rursus conferebantur, dum rationabiliter de eorum validitate dubitabatur, idque sine expressione conditionis.*
16 *Quomodo invaluerit forma conferendi sub conditione.*
17 *Quandonam Sacramenta characterem imprimentia, & præcipuè Baptismus, sint sub conditione reiteranda.*
18 *An baptizari ab Hæreticis sint hodie rebaptizandi sub conditione.*

VOcis *Sacramentum* variæ sunt tam apud Profanos, quàm Ecclesiasticos Auctores significationes.

Primò quidem significat juramentum, divino testimonio firmatum, uti in *Authentica* SACRAMENTA PUBERUM, *Cod. Si adversus vendit.* Secundò sumitur pro secreto, sive arcano sacro, prout id accepit Apostolus ad Ephesios *I. Ut notum faceret Sacramentum voluntatis suæ*, id est, arcanum suæ voluntatis circa prædestinationem Electorum. Tertiò, extenditur etiam ad designanda mysteria, licèt non sint sacra. Ita apud Joannem in sua Apocalipsi *cap.* 17. res illæ occultæ significatæ per *bestiam & mulierem*, vocantur *Sacramentum bestiæ, & mulieris.* Quartò, Sacramentum interdum sumitur pro abstracto à Sacramentis propriè dictis, & à Sacramentalibus, qualia sunt cæremoniæ in Sacramentorum administratione adhiberi solitæ. In hac significatione legitur apud Augustinum *lib. 2. de peccat. meritis cap.* 26. Quintò, accipitur subinde pro ipsa *Missarum* liturgia, uti nonnullis adductis testimoniis notat du Cange in Glossario, verbo *Sacramentum.*

II. Denique vox *Sacramentum* jam pridem à Patribus, & hodie communiter accipitur pro Sacramento propriè dicto; definiturque in *Can.* 32. *Dist.* 2. *de Consec.* sub nomine S. Augustini: *Invisibilis gratiæ visibilis forma.* Verùm uti sat innuunt Correctores Romani ad citatum Canonem, hæc definitio apud Augustinum iis verbis expressa non reperitur; sed in libro de catechizandis rudibus *cap.* 26. hæc leguntur: „ De Sacramento „ sanè quod accepit, cùm ei benè commendatum fuerit, sig„ naculа quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas „ invisibiles in eis honorari.“ *In Epistola autem* 166. hæc: „ Si „ autem malus est, operatur per illum Deus visibilem Sacra„ menti formam, ipse autem donat invisibilem gratiam.“ Hæc Augustinus. Ex quibus locis (inquiunt Correctores Romani) videtur colligi potuisse vulgata ista Sacramenti definitio.

Hodie à Theologis secutis Catechismum Romanum traditur communiter hæc Sacramenti definitio. *Invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum.*

Definitionis illius expositionem latè post citatum Catechismum prosequuntur passim Theologi, Escolastici præsertim qui ex professo de Sacramentis scripserunt.

III. Fidei professio à Pio IV. præscripta, & hodie ubique per Ecclesiam Catholicam recepta de Sacramentorum institutione, & numero habet: „ Profiteor quoque septem esse verè, „ & propriè Sacramenta novæ legis, à Jesu Christo Domino „ nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non „ omnia singulis necessaria, scilicet *Baptismum*, *Confirmatio„nem*, *Eucharistiam*, *Pœnitentiam*, *Extremam-Unctionem*, „ *Ordinem*, & *Matrimonium*; illaque gratiam conferre.“

IV. Hæc tamen quoad Sacramentorum institutionem, eorumque numerum, & gratiæ infusionem suis Canonibus *Sess.* 7. *de Sacramentis*, ita expressit Synodus Tridentina: „ Si quis „ dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à JESU CHRIS„ TO Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, „ quàm septem, videlicet *Baptismum*, *Confirmationem*, *Eucha„ristiam*, *Pœnitentiam*, *Extremam-Unctionem*, *Ordinem* & *Ma„trimonium*; aut etiam aliquod horum septem non esse verè, & „ propriè Sacramentum, anathema sit.“ *Canon.* 1. & *Canone* 6. ait: „ Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere „ gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponenti„bus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint ac„ceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, & notæ quædam chris„tianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab „ infidelibus, anathema sit.“ Rursus *Canone* 7. „ Si quis dixerit, „ non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & om„nibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant, „ sed aliquando & aliquibus, anathema sit.“ Denique *Canone* 8. „ Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere ope„rato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promis„sionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.“

V. Quoad numerum Sacramentorum nobiscum consentiunt Græci, tametsi ab Ecclesia Latina schismate divisi; uti ex pro-

fesso ostendit Petrus Arcudius de *Concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis in septem Sacramentorum administratione*, ubi *lib. 1. cap. 2.* hæc habet: „Sacra Mysteria, seu Sacramenta „tot esse numero apud Grecos, quot apud Latinos, nimirum „septem, nemo unquam (quidquid dicant utrisque gentis „communes hostes hæretici nostri temporis) in dubium revo„cavit. Horum enim sunt paginæ plenæ Sanctorum Patrum, „tam Græcorum quàm Latinorum. Tametsi enim numerum Sa„cramentorum antiqui Auctores non expresserint, expressuri „sanè, si suo ævo Sacramentarii extitissent; res tamen ipsas, „ubi sese offert occasio, tractant. Et usus Ecclesiæ Orientalis „hoc idem clarè confirmat. Sed & posteriores Græci, abhinc „tamen multis annis ad nostra tempora, hunc numerum do„cent, atque testantur. Simeon Archiepiscopus Tessalonicen„sis, qui librum integrum, eumque satis prolixum de *septem* „*Ecclesiæ Sacramentis* edidit, sic habet: Septem sunt dona „Spiritus Sancti, teste Esaia *cap.* 11. septem item Ecclesiæ Sa„cramenta, quæ ab eodem Spiritu Sancto vim operandi ha„bent, quæ nimirum sunt *Baptisma*, *Chrisma*, *Communio*, „*Manus Impositio*, *Matrimonium*, *Pœnitentia*, *& sanc„tum Oleum.*

Hæc Arcudius, qui plura ibidem Græcorum testimonia producit, uti & Leo Allatius *de Ecclesiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua consensione, lib. 3. cap.* 16. qui insuper aliqua profert ex Synodis quibusdam Constantinopolitanis, & Græcis auctoribus, quibus probat, Græcos nobiscum in septenario Sacramentorum numero consentire.

VI. Quoad effectum Sacramentorum, quomodo, & quando gratiam producant, multa disputant Theologi, uti & circa materiam, & formam Sacramentorum varias quæstiones movent; quæ præcipuè circa seculum XII. aut XIII. exoriri, & mirum in modum excrescere cœperunt. Nam si Morino credimus, nonnisi circa illa tempora Sacramenta per materias, & formas explicari cœperunt. „Primus Scholasticorum, ait, quem „legi, qui hanc Sacramenta explicandi methodum amplexus est, „& docuit, Guillelmus est Antisidorensis, qui scribebat paulò „post annum Christi 1215.“ Hæc Morinus *de SS. Ordinat. p. 3. exerc. 1. cap. 3. num.* 6. additque *num.* 10. ante hæc tempora, Theologos totam hanc Sacramentorum materiam explicâsse „per „verba *Signi*, *& rei sacræ*, seu *invisibilis*, dicentes Sacra„mentum constare signo, & re sacra, seu invisibili. Per *sig„num* intelligebant, quod postea per *materiam* significatum est; „atque etiam quod per *formam*, quidquid scilicet sensibus per„cipitur. Per *rem sacram* seu *invisibilem*, effectum Sacramen„ti, gratiam scilicet sanctificantem. Hic est apud Antiquos fre„quentissimus explicandi modus; unde illa definitio, Sacra„mentum *est invisibilis gratiæ visibilis forma.* Formam vo„cant speciem, quæ sensibus percipitur.“

VII. Notat autem ibidem Morinus *num.* 3. istam explicandi Sacramenta rationem è Philosophia Peripatetica natam esse; utpote quæ rerum naturas, sub his nominibus formæ, & materiæ inquirere, & examinare solet. Hac ergo Philosophia (quæ circa seculum XII. scholas intravit) Doctores Theologi imbuti, eandem philosophandi rationem in Theologiam, atque potissimum in Sacramentorum doctrinam introduxerunt. „Hinc „ait Morinus, potissima eorum cura fuit, definire quæ fue„rint Sacramentorum materiæ, quæ formæ, & sub horum „nominum insigniis principales de Sacramentis quæstiones effor„mare, & protendere.“

VIII. De quæstionibus illis circa Sacramenta in generali, tùm singula in particulari, si quis instrui desideret, consulere poterit Theologorum Scholasticorum commentarios in S. Thomam, & particulares eorum de Sacramentis tractatus; neque enim hasce quæstiones, quæ nec ad externam Sacramenta administrandi rationem, neque canonicam disciplinam spectant, movere, aut discutere intendo; sed eas Theologis relinquo, contentus circa Sacramenta breviter proponere, & discutere disciplinam, quam Sacri Canones Synodalia Decreta, & Ritualia in eorum administratione servandam præscripserunt.

IX. Prima Sacramentorum divisio à Canonistis secutis Gratianum ad Canonem 39. *caus. 1. q. 1.* & Pontificem in cap. 8. ✠ *de Transactionibus*, statuitur, quòd aut sunt *necessaria* aut *voluntaria.* Necessaria dicunt esse quinque: scilicet, *Baptismum*, *Confirmationem*, *Pœnitentiam*, *Eucharistiam*, *Extremam-Unctionem*, quæ omnia ad particularem cujusque profectum (ait Paulus Lancelottus in *Institutionibus Juris canonici, lib. 2. tit. 2. §. 1.*) sunt principaliter instituta. Rationem verò, cur dicantur *necessaria*, assignat ibidem Lancelottus: „Quia „sine interitu salutis æternæ prætermitti, & contemni non pos„sunt.“ Vel ut aliis verbis expressit Glosa ad citatum Capitulum 8. „Quia sine istis homo salvari non potest, si ex con„temptu omittuntur, & haberi possunt.

„Voluntaria dicuntur, quæ sine salutis dispendio pro cu„jusque arbitrio recipi possunt, & refutari, inquit Lancelot„tus; qualia sunt *Ordo sacer*, & *Matrimonium*: & hæc ad „totius Ecclesiæ profectum, & subsidium principaliter pertinent.“

Hinc ille versiculus à Canonistis relatus:

Ordo voluntatis, thorus est, dare quinque necesse.

Quem exponens Panormitanus ad Rubricam tituli Decretalium *de Sacramentis non iterandis*, ait: „Per quæ patet quòd „Ordo & Matrimonium sunt voluntatis, reliqua necessitatis: „quod est dicere, nolens ordinari vel uxorari benè potest esse „in statu salutis; sed reliqua quinque contemni non possunt.“

Theologi verò necessitatem *absolutam* considerantes, nullum Sacramentum præter Baptismum necessarium vocare solent; eò quòd hoc solum sit, sine cujus susceptione, saltem in voto, homo salvari nequit.

X. Ulteriùs Sacramenta à Canonistis, & Theologis dividuntur in ea, quæ *characterem* imprimunt, & ea, quæ illum non imprimunt. Quam divisionem sat apertè stabilivit Synodus Tridentina *Sess. 7. de Sacramentis in genere*, *Can.* 9. anathema pronuntians in eum, qui dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine non imprimi characterem.

XI. Qui sit ille *character*, qui in tribus illis Sacramentis imprimi dicitur, á quatuor circiter seculis anxiè & copiosè à Theologis Scholasticis inquiri cœpit, uti notat Morinus de *SS. Ordinat. part. 3. exerc. 3. cap. 1.* unà observans, plures ingenuè fassos, nihil apud Patres, aut in antiquis Canonibus de hoc charactere solidi occurrere; sed ad ipsius Ecclesiæ auctoritatem, quæ characterem illum agnoscit, esse recurrendum; atque præcipuè ab antiquis Scholasticis recursum fuisse ad Decretalem Innocentii III. *Cap.* MAJORES ✠ *de Baptismo*, ubi expressis verbis dicitur, in Baptismo *characterem* imprimi.

Verùm in quo consistat hujus Characteris essentia, non determinavit Innocentius III. ipsaque Synodus Trident. simpliciter quoque dixit, imprimi per dicta Sacramenta *Characterem in anima, hoc est, signum aliquod spirituale, & indelebile.*

Quid verò sit *signum* illud, inter Theologos, & Canonistas non convenit. Verisimilius est, aliud dicere noluisse Synodum, nisi quòd per hæc Sacramenta imprimatur in anima ens quoddam morale, quale solet imprimi dum quis ad dignitatem, aut conditionem aliquam stabilem, & permanentem assumitur; ut exempli gratia, ad dignitatem Regalem, Doctoralem, &c. In horum enim adeptione, & collatione accedit ipsi accipienti hujusmodi dignitatem vel conditionem quoddam ens morale, ratione cujus perpetuò reputetur Rex, Doctor, &c.

Undè non malè Joannes Doujatius *in notis ad Institutiones Lancelotti, lib. 2. tit 2. §. 3.* loquens de hoc signo ait: „Hoc „signum tria Sacramenta habent, Baptismus, Confirmatio, & „Ordo, ideò, ni fallor, imprimere censetur in anima susci„pientium, quòd per id homines specialiter ad Dei cultum „destinentur.“

XII. Ex ipsa divisione Sacramentorum in ea, quæ imprimunt *characterem*, & ea, quæ illum non imprimunt, profluit alia divisio; scilicet in Sacramenta, quæ reiterari possunt, & ea, quæ reiterari non possunt. Imò ipse character, ut jam descriptus est, supponit per Sacramenta, quæ illum imprimere dicuntur, aliquem *stabiliter*, & *firmiter* ad conditionem aliquam, & functiones ecclesiasticas deputari vel assumi; adeò ut ipse character, vel ideò impressus credatur, quia per Sacramentorum illorum susceptionem aliquis stabiliter, & permanenter ad aliquam conditionem & functionem est deputatus.

Id non obscurè innuit Synodus Tridentina citato Canone 9. dum ex ipsa impressione characteris mox infert: *Unde ea iterari non possunt.*

XIII. Quapropter Augustinus dum frequenter urget ipsam indelebilitatem Baptismi, ipsumque Baptismum neque per schisma, neque per apostasiam amitti; licèt nomine *caracteris* non utatur, tamen idem quod nomine *characteris* significatum voluit postmodum Ecclesia, sufficienter expressit; atque signanter *lib. 1. de Baptismo contra Donatistas*, *cap. 1.* apud Gratianum *Can. 40. Dist. 4. de Consecrat.* dicens: „Nullus autem illo„rum negat habere Baptismum etiam Apostatas, quibus redeun„tibus, & per pœnitentiam conversis, dum non redditur, „amitti non potuisse judicatur. Sic & illi, qui per sacrile„gium schismatis ab Ecclesiæ communione discedunt, habent „utique Baptismum, quem priusquam discederent accepe„runt. Nam & ipsi, si redeant, non eis iterum datur.“ Unde ostenditur illud, quod acceperant in unitate positi non potuisse amittere ab unitate separatos.

Similiter professio fidei nullam *characteris* mentionem facit; sed simpliciter credere jubet, *Baptismum*, *Confirmationem*, *& Ordinem sine privilegio reiterari non posse*; supponens satis indicari *caracteris* impressionem, dum ea reiterari non posse definit.

XIV. Porrò in Decretalibus extat titulus *de Sacramentis non iterandis*; vel ut in aliquibus codicibus habetur, *de Sacramentis iterandis vel non.*

Refertur sub hoc titulo responsum Innocentii III. super dubio ipsi ab Episcopo Heliensi proposito: „Utrum scili„cet

„ cet permitti debeat ministrare, qui sine manuum impositio-
„ ne fuerit ad Ordinum Subdiaconatûs assumptus. Et si Con-
„ firmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per er-
„ rorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus.“ Ad quod breviter respondendum duxit Innocentius, *quòd in talibus non est aliquid iterandum*, sed CAUTE *supplendum*, *quod* INCAUTE *fuerat prætermissum.*

Conformiter Gregorius IX. in *Cap.* 3. ✠ *eod.* ait: Presby-
„ ter & Diaconus cùm ordinantur, manûs impositionem tac-
„ tu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt: quod
„ si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed sta-
„ tuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos *caute* sup-
„ plendum, quod per errorem extit prætermissum.

* Nequaquam obscurum est, Innocentium III. in hoc suo responso, uti & Gregorium IX. attendisse ad Theologiam Scholasticam, quæ seculo XI. invalescere jam cœperat, & de materia & forma aliisque ad Sacramenta spectantibus multa scrupulosè inquirebat, quorum nihil aut parum apud antiquos Patres legitur: quod hisce, aliisque hujus ætatis Pontificibus sat familiare fuisse, eorum Decretales & responsa evincunt.

XV. Suppossuisse tàm Innocentium III. quàm Gregorium IX. Sacramenta in casibus sibi propositis nequaquam *invalide* fuisse collata vel indè evincitur, quòd ea reiteranda non dicant; sed solummodò supplendum quod incautè fuerat omissum.

Neque enim unquam dubium est, quin Sacramenta, etiam Baptismi, Confirmationis, & Ordinis iterùm essent conferenda, si rationabiliter de eorum validitate dubitatur; imò simili casu antiquitùs ea sine ulla expressione conditionis reiterata fuisse, multa evincunt.

Et quidem ex Concilio Carthaginensi V. ubi *Can.* 5. legitur apud Gratianum 3. *Can. Dist.* 4. *de Consecr.* „ Placuit,
„ ait Synodus, de infantibus, quoties non inveniuntur cer-
„ tissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione tes-
„ tentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi
„ Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse bap-
„ tizandos: ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum pur-
„ gatione privari.

Idem habetur ibidem *Can.* 112. & 113. ex Sancto Leone: *Quoniam*, ait, *non potest in iterationis crimen veniri, quod omninò factum esse nescitur.* Vel ut alio loco: *Conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur; quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis.*

XVI. Quo autem tempore invaluerit, Sacramenta hæc non iterabilia reiterari sub expressa conditione *si suscepta non sunt*, non omninò constat; illud sat verisimile, eam administrandi formulam invaluisse, postquam responsum Alexandri III. de quo in *Cap.* 2. ✠ *de Baptismo*, Decretalibus Gregorii IX. fuit insertum; ac pro jure comuni in scholis prælectum: in quo responso dicitur: „ De quibus dubium est, an baptiza-
„ ti fuerint, baptizantur his verbis præmissis: *Si baptizatus*
„ *es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te bap-*
„ *tizo*, &c.“

Juxta hanc Decretalem tandem à Canonistis, & Theologis Scholasticis hæc baptizandi formula recepta fuit, ac Ecclesiarum Ritualibus passim præscripta.

Rituale Romanum sub titulo *de forma Baptismi*, ita habet: „ Cùm Baptismum iterare nullo modo liceat, si quis sub
„ conditione sit baptizandus, ea conditio explicanda est hoc
„ modo: *Si non est baptizatus ego te baptizo in nomine Pa-*
„ *tris & Filii, & Spiritus Sancti.*“

XVII. Deinde monet Rituale: „ Hac tamen conditiona-
„ li formâ, non passim aut leviter uti licet; sed prudenter
„ & ubi re diligenter pervestigatâ probabilis subest dubitatio,
„ infantem non fuisse baptizatum.“

Eodem penè tenore hanc formulam expressit Rituale nostrum Mechliniense, eandem moderationem in ejus usu præscribens; una tamen designans probabilem dubitationem ordinariè esse, quando infans ab obstrice baptizatus dicitur; facilè enim ab illa vel turbatione, vel ignorantia erratur, & aliquid essentiale omittitur.

XVIII. Deinde ulteriùs subjungit: „ Et quia nostri tem-
poris Hæretici pro insatiabili suo in Ecclesiam odio, Sacra-
„ mentorum formas plerumque invertunt, materiam contem-
„ nunt, aut legitimam intentionem non habent, meritò Bap-
„ tismus ab eis collatus, de nullitate suspectus haberi debet.
„ Proinde ab eis baptizati sub conditione baptizentur, ac omis-
„ sæ ceremoniæ suppleantur.“

Nonnulli, qui propriùs Hæreticorum hodiernorum baptizandi modum investigârunt, & observârunt, non probant eam in rebaptizandis ex illorum hæresi ad Ecclesiam revertentibus facilitatem. Et quidem Patres Concilii Rothomagensis anno 1581. fatentur in plerisque Diœcesium hujus Provinciæ locis, morem fuisse, ut baptizati ab Hæreticis, præsertim à Calvinistis, redeuntes ad Ecclesiam iterum baptizarentur sub conditione: „ Quia dubitabant nonnulli de valore baptismi ab
„ hujusmodi Hæreticis collati, eò quòd non haberent inten-
„ tionem baptizandi in remisionem peccatorum. Verùm quo-
„ niam illa formula baptizandi sub conditione fuit introduc-
„ ta propter Baptismata occulta, & de quibus non apparebat,
„ nec uni mulieri seu alteri privatim baptizanti credi debeat.
„ Contrà verò constabat Calvinistas in cœtu publico baptiza-
„ re in forma verborum, & materia à Christo instituta, nec
„ de hoc facto ambigi poterat; vetamus ablutionem repeti
„ cum quibuscunque verbis à Calvinismo aut aliis hæresibus
„ similiter baptizantibus ad nostras Ecclesias transeuntibus, ne
„ de anabaptismo redarguamur.“

Hactenus Concilium Rothomagense titulo de *Sacramentis*, *num.* 2. cujus verba penè excripsit & adoptavit Concilium Aquense anno 1585. titulo *de Sacramento Baptismi.*

Quid verò circa baptismum ab Hæreticis collatum agendum sit; quidve pro certo aut dubio habendum sit, ut Sacramenta characterem imprimentia sub conditione iterari queant, præcipuè Episcoporum est judicare & præscribere.

CAPUT II.

QUÆ IN SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE SERVANDA; ET QUIS EORUM PRÆCIPUUS MINISTER.

1 *Pastores, ut semper sanctè Sacramenta administrare queant, sanctè vivere debent.*
2 *Quomodo ante eorum administrationem se præparare debeant.*
3 *In administratione Sacramentorum eorum effectus, & usus exponendus.*
4 *Nec tantùm suscipientium, sed & adstantium ratio habenda.*
5 *In quorum Sacramentorum administratione id præcipuè faciendum.*
6 *Pastores ad Sacramenta administranda semper debent esse parati.*
7 *An teneatur administrare peste infectis.*
8 *Quare cæremoniæ in administratione Sacramentorum adhibeantur.*
9 *Quid de cæremoniis credendum tradat Synodus Tridentina; & moderna Fidei professio.*
10 *Cæremonia pro arbitrio Privatorum immutari nequeunt.*
11 *Illæ adhibendæ juxta præscriptum librorum Ritualium, qui illum in finem sunt conscripti.*
12 *An liceat à Ritibus præscriptis recedere prætextu, quod contrarii sint conformiores primitivæ Ecclesiæ disciplinæ.*
13 *Episcopi subinde libros Rituales revidere debent.*
14 *Decreta circa administrationem Sacramentorum potissimùm ad Parochos diriguntur.*
15 *Parochus in sua Parochia est* ordinarius *Sacramentorum Minister.*
16 *Nullus in aliena Parochia, aut alienis Parochianis Sacramenta administrare potest.*
17 *Parochus qua ratione dicetur* proprius Sacerdos, Pastor, *aut* Curatus.

I. „ CUM in Ecclesia Dei nihil sanctius, aut utilius, ni-
„ hil excellentius, aut magis divinum habeatur, quàm
„ Sacramenta ad humani generis salutem à Christo Domino
„ instituta, ait Rituale Romanum, Parochus, vel quivis alius
„ Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminis-
„ se imprimis debet, se *sancta* tractare; atque omni ferè tem-
„ poris momento ad tam sanctæ administrationis officium pa-
„ ratum esse oportere. Quemadmodum illud perpetuo cura-
„ bit, ut integrè, castè, pieque vitam agat, nam etsi Sa-
„ cramenta ab impuris coinquinari non possunt, neque pravis
„ ministris eorum effectus impediri, impurè tamen, & indig-
„ nè ea administrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt.“

Eadem Pastoribus, & Sacerdotibus enixè commendant Synodi nostræ tum Provinciales, tum Diœcesanæ Belgicæ: *Ne dum aliis cœlum aperiunt, ipsi sibi vitam muniant ad gehennam*, ait Synodus Buscoducenses sub Masio *tit.* 2. *cap.* 1.

II. Censuit insuper Cameracensis D. anno 1567. „ monen-
dos Pastores omnes, ut Sacramenta administraturi, summa ani-
„ mi devotione Omnipotentis Dei implorent auxilium, quo in
„ illis planè divinis functionibus mundam, rectamque mentem
„ afferant.“ Quin & addit Rituale Romanum: „ Ipse verò (Pa-
„ rochus) antequam ad hujusmodi administrationem accedat
„ paululum, si opportunitas dabitur, orationi, & sacræ rei,
„ quam acturus est, meditationi vacabit.“

III. Ut autem fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, præci-
„ pit Synodus Tridentina, *Sess.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* „ Epis-
„ copis omnibus, ut non solùm, cùm hæc per se ipsos erunt
„ populo administranda, priùs illorum *vim* & *usum* pro sus-
„ cipientium captu explicent, sed etiam idem à singulis Pa-

„ ro-

„ rochis, piè, prudenterque, etiam linguâ vernaculâ, si opus „ sit, & commodè fieri poterit, servari studeant."

IV. Idipsum in suis passim Synodis, ac Ritualibus libris Episcopi sedulò inculcant; monentque, ut in administratione Sacramentorum non tantùm suscipientium, sed etiam præsentium, & stantium ratio habeatur.

In administratione quorumcunque Sacramentorum (ait Sy- „ nodus P. II. Mechl. *tit.* 2. *cap.* 3.) vis & efficacia eorum, pro „ captu sumentium ac præsentium, sæpè à Pastoribus expli- „ centur."

Similiter Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 5. *cap.* 6. „ Om- „ nes, qui administrant Sacramenta, illorum vim, & usum, „ pro eorum, qui sumpserint & adfuerint, capacitate & intelli- „ gentia diligenter explicent."

Et Synodus Attrebatensis sub Francisco Richardoto, titulo de *Sacramentis in genere*, *cap.* 1. „ præcipit omnibus Pas- „ toribus, ut in Sacramentorum administratione semper aliquid „ adferant ad explicandam institutionem, & utilitatem Sacra- „ menti; ex quo præsentes ædificationem aliquam capiant."

V. Quantumvis in omnium Sacramentorum administratione id faciendum injungatur Pastoribus, faciliùs tamen, ac fructuosiùs id fieri posse videtur in administratione Baptismi, Eucharistiæ per modum Viatici, & Extremæ-Unctionis; tum quòd in horum administratione plures soleant adesse, tum quòd major appareat, quàm in aliorum administratione opportunitas.

Cùm enim ipso Baptismo infans renascatur; atque specialiter fiat professio vitæ christianæ, & abrenuntiatio satanæ, & pomparum seculi, opportunissimum videtur, tunc ipsis præsentibus in memoriam revocare, quomodo, & ipsi aliquando in Christo renati eam professionem emiserint, & renuntiationem solemniter fecerint; expendantque num conformiter ad eam sponsionem hactenus vixerint.

In administratione Viatici, & Extremæ-Unctionis ipsa hominis morientis præsentia attentionem majorem in ipsis adstantibus, præsertim consanguineis, & familiaribus morientis, nata est conciliare.

VI. „ Pastores ad administranda Sacramenta vocati (ait „ Synodus P. II. Mechl. *tit.* 2. *cap.* 5.) officio suo fungi non „ tardent, graviter alioqui puniendi; gravissimè verò, si quem „ ipsorum negligentiâ, sine Baptismo, Confessione, Sacro „ Viatico, aut Extrema Unctione, & ex hac vita migrare con- „ tigerit."

Idem omnes passim Synodi inculcant, additque Synodus Antuerpiensis sub Miræo *tit.* 2. *cap.* 3. „ Ac ubi populus est „ numerosior, bis in die, manè circa horam septimam & ves- „ peri sub Laudibus, in templo (Pastor) sese præsentem ex- „ hibeat omnibus operâ illius uti volentibus."

VII. Cumque Pastor animam suam debeat ponere pro ovibus suis, concluditur, Pastorem neque ob periculum contagionis, seu infectionis pestis posse subditis suis negare administrationem Sacramentorum, si alius non adsit, qui ejus vices suppleat; quapropter ann. 1668. judicatum fuit in Parlamento Parisiensi Pastorem potuisse privari suo Pastoratu ob non administrata Sacramenta tempore pestis, ut refertur in opere, cui titulus, 4. *Journal Des Audiences*, *p.* 3. *lib.* 4. *cap.* 1.

Hanc esse Pastorum obligationem tanquam notorium suppossuit, & expressit Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 5. *c.* 10. „ Tamen quia experientia cognitum est, ait Synodus, eam es- „ se multorum Parochianorum infirmitatem, & pusilanimitatem, „ ut à proprio Parocho abhorreant, simul atque eundem alicui „ vel leviter de peste suspecto Sacramenta administrâsse intelli- „ gunt, præcipit, ut tempore pestis Capellani constituantur „ sumptibus ærarii publici, vel collectis singulorum parochia- „ norum, in quorum utilitatem evidenter hoc cedere intelligi- „ tur, qui Sacramenta dictis peste infectis, iisque solis admi- „ nistrent, quibus Capellanis Episcopi dent curam animarum."

Quæ cura, & cautio in administrandis Sacramentis, aliisque spiritualibus subsidiis impendendis adhibenda sit tempore pestis, fusè exposuit S. Carolus in sua Synodo Provinciali V. *parte* 2. *Constitutionum*; quæ meritò ab Episcopis, & Pastoribus hujusmodi occassione incidenti consuli poterunt.

VIII. Ulteriùs ut major sit erga Sacramenta rudioris populi devotio & reverentia, jam pridem à primis Ecclesiæ seculis ritus, seu cæremoniæ quædam in Sacramentorum administratione adhiberi consueverunt; quibus & ipsi Sacramentorum effectus subindè explanantur, & populo sensibiliter proponuntur, mentemque Fidelium ad rerum divinarum contemplationem excitant.

Undè Synodus Tridentina *Sess.* 22. *de Sacrific. Missæ cap.* 5. postquam dixisset varias cæremonias, in Sacrificio Missæ ex Apostolica disciplina, & traditione adhiberi, finem earum subjicit his verbis: „ Quo & majestas tanti Sacrificii com- „ mendaretur, & mentes Fidelium per hæc visibilia religionis, „ & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio „ latent, contemplationem excitarentur."

IX. De his ritibus, sive cæremoniis definit Synodus Tridentina *Sess.* 7. *Can.* 13. „ Si quis dixerit receptos, & appro- „ batos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum ad- „ ministratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine pec- „ cato à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quem- „ cunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anethema sit."

Professio fidei hæc habet: „ Receptos quoque & approba- „ tos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sa- „ cramentorum solemni administratione, recipio, & admitto."

X. Ritus hi tametsi ad ipsum Sacramentorum valorem vel substantiam non pertineant, possintque salvâ eorum validitate omitti & mutari; imò pro temporum, ac locorum diversitate ritus hi varii fuerint, & etiamnum sint, tamen sapienter Ecclesia declaravit, eos non posse arbitrio quorumcunque inferiorum Pastorum vel Ministrorum mutari, aut de novo introduci; ne aliàs sub specie religionis, & pietatis superstitio, aut avaritia, vel irreverentia in Sacramentorum administratione sensim immisceantur: quod aliquot ante Synodum Tridentinam seculis non infrequens fuit; ipsisque hæreticis, ritus ecclesiasticos explodendi ac generatim rejiciendi prætextum dedisse videtur.

XI. Quapropter absolutâ Synodo Tridentinâ varii ab Episcopis pro suis respectivè Ecclesiis, seu Diœcesibus compositi fuêre libri, quos vulgò *Ritualia*, vel *Pastoralia*, aut *Manualia* vocare solent.

Horum librorum scopum esse, præscribere ritus, quos in administrandis Sacramentis, & celebrandis Divinis Officiis Parochi, aliique Ecclesiæ ministri observent, non autem quæstionum Theologicarum aut dogmatum decisionem facere, indicat ipsa librorum nomenclatura, & in præfatione ad suum Rituale expressit Paulus V. his verbis: „ His ita constitutis, restabat „ ut uno etiam volumine comprehensi, sacri, & sinceri Eccle- „ siæ Catholicæ *ritus*, qui in Sacramentorum administratione, „ aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab his, qui „ curam animarum gerunt, Apostolicæ Sedis auctoritate prodi- „ rent, ad cujus voluminis præscriptum, in tanta Ritualium „ multitudine, sua illi ministeria tanquam ad publicam, & ob- „ signatam normam peragerent, unoque ad fideli ductu inoffen- „ so pede ambularent cum consensu."

XII. Quamvis non omnes Ritus seu cæremoniæ in libris Ritualibus singularum Diœcesium præscripti, ex Apostolica disciplina, & traditione descendant; sed plures postremis Ecclesiæ temporibus sint introducti; imò nec omnes, & singuli haberi debeant tanquam ab Ecclesia Catholica probati; nihilominus Parochis, aliisque inferioribus ministris fas non est citra necessitatem privata auctoritate, in publica Sacramentorum administratione, aut divinorum officiorum persolutione, à ritibus in Rituali vel Pastorali suæ Diœcesis præscriptis facilè & passim recedere; eo etiam titulo, quòd ritus contrarius puriori primitivæ Ecclesiæ disciplinæ videatur conformior; ne aliàs hæc licentia paulatim latiùs serpens, confusionem aliaque incommoda in ipsos sacros Ritus, & Sacramentorum administrationem inducat.

„ In administrandis Sacramentis (ait Synodus P. II. Mechl. „ *tit.* 2. *cap.* 1.) Pastorale suæ Ecclesiæ Cathedralis omnes se- „ quantur; & eo deficiente, Ecclesiæ Metropolitanæ, nihil te- „ merè addendo, demendo, vel immutando." Idipsum cæteræ quoque Synodi Belgicæ mandant; rationemque mandati hanc præmittit Synodus D. Cameracensis anno 1567. tit. *de Sacramentis*, *cap.* 3. „ In singulis externis ac cæremoniis, ne qua ma- „ levolis relinquatur offensio, utque juxta Apostoli sententiam, „ idipsum dicamus omnes, perfecti in eodem sensu atque sen- „ tenia." 1. *Cor. cap.* 1. *v.* 10.

XIII. Cæterum, sicuti Synodus Tridentina aliæque eam secutæ Synodi sæpiùs monuerunt Episcopos, ut suarum respectivè Ecclesiarum Breviaria, & Divini Officii libros reviderent, & expurgarent ab omni eo, quod cum Divini Officii Majestate non convenire judicaretur; ita & Episcoporum est Rituales libros suarum Diœcesium subinde revidere, & diligenter examinare, num nihil in ritus, vel per negligentiam aut ignorantiam intrusum sit, quod pietatem, ac reverentiam Sacramentis debitam minuat, aut saltem minùs promoveat, vel etiam superstitionem aliquam redoleat, vel Fideles facilè in superstitionem natum sit inducere. At denique expendant, an ritus aliqui hoc tempore induci haud possint, qui de usui ac instituto Sacramentorum sint conformiores, & ad pietatem & reverentiam erga sacra mysteria in mentibus Fidelium excitandum convenientiores & efficaciores.

XIV. Ex citatis hactenus Synodorum ac Ritualium decretis, & monitis circa observanda, & cavenda in administratione Sacramentorum, illum perspicuum est, ea potissimùm ad Parochos dirigi; hosque præcipuè circa Sacramentorum administrationem instrui.

XV. Nec mirum, cùm enim Parocho totius Parochiæ cura spiritualis incumbat, quemadmodum *part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. ostensum fuit, etiam ipsi principaliter, & jure ordinario competit Sacramentorum administratio, ad exclusionem omnium aliorum inferiorum Sacerdotum; adeò ut si qui in ejus Pa-

ro-

rochia, aut ejus Parochianis Sacramenta administrent, id nonnisi ut ejus coadjutores & subsidiarii, ac de ipsius tacito, vel expresso consensu facere censeantur.

Hoc Parochorum jus non obscurè expressit Synodus Tridentina, monens Episcopos *Sess. 24. c. 13. de Reformat.* ut pro tutiori animarum eis commissarum salute, distincto populo in certas, propriasque Parochias unicuique *suum perpetuum peculiaremque Parochum* assignent, qui eas cognoscere valeat, & *à quo*, ait, SOLO *licitè Sacramenta suscipiant.*

XVI. De hoc Parochorum jure haud dubitans Martinus Rythovius Episcopus Iprensis, qui Tridentinæ Synodo interfuerat, in sua Synodo anno 1577. *tit.* 11. *cap.* 5. ita loquitur. „ Cùm in „ omnibus rebus, pro pace, & tranquillitate, sit certus ordo „ servandus, neque conveniat quempiam in alienam messem „ manum suam mittere; sed unusquisque super grege sibi cre„ dito vigilare debeat: Ordinamus, ut nullus Sacerdos (cessan„ te periculo, & citra necessitatem) extra limites suæ Paro„ chiæ, aut etiam in sua Parochia alienis Parochianis Sacramen„ ta, absque proprii Pastoris consensu, aut nostra speciali li„ centia, administrare præsumat.“

Idipsum iisdem penè verbis expressum est in Synodis Buscoducensibus sub Metsio & Masio Præsulibus; Cameracensi anno 1567. item anno 1604. Audomarensi anno 1585. aliisque; adeò ut jure communi, & etiam Belgico, Parochi sint *ordinarii* Sacramentorum ministri in suis respectivè Parochis, & respectu suorum Parochianorum.

XVII. Hoc ex capite Parochus *proprius Sacerdos* respectu populi sibi commissi vocatur in *Cap.* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS ✠ *de Pœnitentiis & Remiss.* utpotè cui jure proprio competit Sacerdotale officium populo impendere. Item antonomasticè *Pastor* dici consuevit; utpote cui incumbat populum divini verbi prædicatione, & Sacramentorum exhibitione spiritualiter pascere. *Curatus* quoque nonnunquam appellatur; eo quòd cura populi ipsi primariò incumbat.

Quomodo & quousque Sacramentorum, signanter Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, administratio etiam aliis Sacerdotibus, præsertim Regularibus, sive vigore privilegiorum, sive consuetudinis, communicata fuerit; eaque in Ecclesiis Parochialibus, aut extra eas, ipsis tamen Parochianis exhibere sine licentia Parochorum liceat, tractando de singulis Sacramentis notabimus.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT II.

DE IDIOMATE, QUO ADMINISTRARI POSSUNT SACRAMENTA.

1 *An conveniat preces patrio idiomate recitari.*
2 *Quid S. Cyrillus Gentis Sclavonicæ Apostolus expertus fuerit in usu suæ linguæ.*
3 *Idioma patrium in Divinorum Officiorum recitatione non displicuit Joanni VIII. summo Pontifici.*
4 *Duci Uratislao petenti ut in Bohemia Sclavonico idiomate Officium divinum recitaretur, negavit Gregorius VII.*
5 *Sententia D. Fleury historici exponitur.*
6 *Ab usu hodierno recedere non debent ministri sine Superiorum licentia.*
7 *Parochi tamen utiliter exponunt quid ritus significet, quid Ecclesia suis precibus impetrare velit.*

I. * CApite præcedenti, num. 3. 4. & 5. observatum Synodum Tridentinam aliasque Synodos mandâsse omnibus curam animarum sustinentibus, ut in administratione Sacramentorum populo exponant eorum virtutem sive effectum; necnon quæ sint in suscipientibus necessaria, ut cum fructu ea suscipiant.

Cùm igitur in precibus, atque collectis, quas in administratione Sacramentorum & Divinorum officiorum celebratione Ecclesia præscribit in suis passim ritualibus, manualibus, & libris Ecclesiasticis recitandas, plurima occurrant, per quæ fideles in horum notitiam venire possent, quis ambigat, quin ad populi instructionem, atque excitandam pietatem, & erga sacra reverentiam plurimùm valeret, si hæc linguâ vernacula sive idiomate patrio recitarentur (a), quemadmodum pluribus seculis in Ecclesia usitatum fuit?

II. Idipsum expertus dicitur S. Cyrillus Apostolus Gentis Sclavonicæ, de quo legitur in ejus vita apud Bollandum ad 9. Martii in secundis actis *pag.* 22. „ Apostolicus (Adrianus II.) „ & reliqui, qui Rectores Ecclesiæ corripiebant B. Cyrillum, „ cur videlicet ausus fuisset, in Sclavonica lingua Horas Cano„ nicas statuere. At ille humiliter respondens dixit: Attendite „ vos fratres & Domini sermonem Apostoli dicentis: *Loqui va„ riis linguis nolite prohibere.* Secutus ergo Apostolicam doctri„ nam, linguam, quam impugnatis, institui. At illi dixerunt, „ quamvis Apostolus loqui variis linguis persuaserit, non tamen „ per hoc in ipsa, quam statuisti, linguâ divina solemnia voluit „ decantari.

„ Cùm autem propter hujusmodi institutionem plus & plus „ apud eos cresceret altercatio, B. Cyrillus dictum Davidicum „ protulit in medium dicens: Scriptum est enim, *omnis lingua „ laudet Dominum*: & si omnis spiritus laudando magnificat „ Dominum, cur me prohibetis sacrarum Missarum solemnia & „ horarum Sclavonicè modulari? Siquidem si quivissemus illi po„ pulo aliter aliquando cum cæteris nationibus subvenire in lin„ gua Græca, vel Latina, omninò quæ reprehenditis, non san„ xissem; sed quia idiotas viarum Dei totaliter eos reperi, & ig„ notos, solùm hoc ingenium almiflua S. Spiritûs gratia cordi „ meo inspiravit, per quod etiam innumerum populum Deo ac„ quisivi. Quapropter Patres, & Domini cogitate consultiùs, si „ institutionis meæ normam hanc expediat immutare. At illi au„ dientes, & admirantes tanti viri industriam, & fidem studio„ sâ deliberatione præhabitâ, statuerunt supradicto ordine, & „ sermone, in illis partibus, quas B. Cyrillus Deo acquisierat, „ sicut statuerat, Canonicas Horas cum Missarum solemniis ita „ debere deinceps celebrari.“

III. Neque hac Missarum, & Horarum Canonicarum, aliorumque divinorum officiorum decantationem, & recitationem in idiomate Patrio ad populi ædificationem, displicuisse Joanni VIII. habetur ex ejus epistola sub idem penè tempus scripta ad Suantopulkon gloriosum comitem Moraviæ, in qua hæc scribit: „ Nec sanè fidei vel doctrinæ aliquid obstat, sive Missas „ in Sclavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium, vel lec„ tiones divinas novi, & veteris testamenti benè translatas, & „ interpretatas legere, aut alia *horarum officia omnia* psallere, „ quoniam qui fecit tres linguas principales Hebræam scilicet, „ Græcam, & Latinam, ipse creavit & alias omnes ad laudem „ & gloriam suam.“

Itaque nec sub finem seculi IX. quando sedit Joannes VIII. vetita videtur fuisse divinorum officiorum in lingua vulgari decantatio vel recitatio.

IV. Credit D. Claudius Fleury in sua historia Ecclesiastica *lib.* 63. *num.* 8. primam originem prohibitionis legendi sacram scripturam, & ecclesiastica officia in lingua vulgari, referendam esse ad tempora Gregorii VII. (id est, ad medium seculi IX.) qui postulanti Uratislao Regi Bohemiæ, ut divina officia lingua Sclavonica apud gentem Sclavorum recitari possent, absolutè renuit, & ut populi hac in parte postulatis Rex obsisteret, mandavit. Istius prohibitionis hanc rationem assignat, quòd „ om„ nipotenti Deo sacram scripturam placuerit quibusdam locis „ esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateat, fortè vilesce„ ret, & subjaceret despectui, aut pravè intellecta à mediocri„ bus in errorem induceret.“

V. Hoc à Gregorio hîc positum prohibitionis fundamentum, nequaquam sat firmum visum fuit octo primorum seculorum Patribus, qui licèt non ignorarent in sacris scripturis nonnulla obscuriora, & abditiora contineri, nihilominus & sacram scripturam, nec non divina officia idiomate vulgari, & singulis populis proprio, legi & publicè recitari permiserunt, uti rectè notat D. Fleury loco citato, qui & suo discursu 3. historico *num.* 24. ait: „ Non moveor ratione, qua prætendunt va„ rii moderni (veterem disciplinam recitandi divina officia lin„ gua vulgari, meritò abrogatam esse) ad conservandam reve„ rentiam religioni debitam: hæc enim cæca reverentia, ait, non „ convenit nisi falsis religionibus fundatis super fabulis, & fri„ volis superstitionibus. Vera religio tanto in majori pretio erit, „ quanto meliùs nota fuerit.“ Idem pluribus ostendit Daniel Papebrochius in erudita dissertatione XVIII. in Conatu suo chronico historico vitæ Nicolai I. subjectâ; in qua notat, quòd Innocentius IV. etiam seculo XIII. permiserit cuidam Episcopo, ut conformiter ad consuetudinem apud Sclavos receptam, Divinum Officium in lingua ibidem usitata recitaret, hac subjecta ratione: *Quòd sermo rei, & non sit res sermoni subjecta.*

VI. Cùm à veteri & Patrum disciplina hoc in puncto recessum sit, & jam in ritualibus, seu manualibus auctoritate suâ Episcopi præscripserint ut hæc preces dicantur linguâ Latinâ, summâ prudentiâ hîc opus est; ne prætextu majoris utilitatis, aut pristinæ Patrum disciplinæ, ab hoc usu & Ritualium præscripto, Parochi, aliqui inferiores Ecclesiæ ministri sine legitima superiorum licentia recedant.

Quin tamen vel ante vel post administrata Sacramenta Parochi utiliter pro populi captu, quid per externos illos ritus, & preces, Ecclesia significare, & à Deo impetrare velit, lingua vernacula exponere queant, dubium non est.

(a) *Tridentinis Patribus visum est* sess. 22. cap. 8. *usum præsentem non esse mutandum, saltem si agatur de liturgia.* CA-*Petierunt nonnunquam Principes, ut patrio idiomate sacra mysteria celebrarentur, verùm repulsam passi sunt.*

CAPUT III.

An aliquid in Sacramentorum administratione exigi possit.

1 *Populi devotioni officit, Sacerdotum ex Sacramentorum administratione quæstûs captatio.*
2 *Primi Christiani omnem temporalium exactionem abesse volebant, sed voluntariè offerebant.*
3 *Eandem disciplinam Ecclesia semper retinuit.*
4 *Neque sub obtentu consuetudinis temporalia exigi permisit.*
5 *Quid circa hoc statuerint Synodi Belgicæ.*
6 *Nec titulo paupertatis hæc exactio permittitur.*
7 *Ecclesia vult retineri oblationum usum; nec vetat voluntariè oblata accipi.*
8 *Cavenda in oblatorum receptione tacita exactio.*
9 *Sacramenta æquè promptè administranda pauperibus, ac divitibus.*
10 *Cavendum, ne voluntariæ Fidelium oblationes transeant in coactas.*
11 *Aliquando prohibita etiam ultronea temporalium oblatio in receptione Sacramentorum.*
12 *Qui voluerit observari S. Carolus.*
13 *Quomodo omnis turpis quæstus ejusve species in administratione necessariò cavendus.*
14 *Difficulter omnis mali species cavetur, dum Ministri ex oblatis in administratione Sacramentorum vivere debent.*
15 *Danda Ministris Ecclesiæ ea competentia, ut in administratione Sacramentorum oneri non sint Fidelibus.*
16 *Decimatorum dandi eam competentiam obligatio.*
17 *Offerenda in Sacramentorum administratione aliquando à Superioribus taxata, & quare.*
18 *Sic taxata dici solent jura Pastoralia, & in administratione Matrimonii & sepulturis potissimum obtinent; & quare.*
19 *Videntur successisse in locum decimarum personalium.*
20 *Jura illa hîc ægrè sine consensu Regis imponi possunt.*
* *Minus incommodi habebat decimarum personalium, quàm hodierna jurium Pastoralium in administratione Sacramentorum solutio.*
21 *Laici ab impositione onerum per judicem Ecclesiasticum, subinde ad Senatum Regium appellare possunt.*
22 *Vix jura illa sine offensione exigi possunt; & quid hic à Superioribus faciendum.*
23 *Circumspectè in horum jurium exactione Ministri Ecclesiæ se gerere debent.*

I. NIhil est, quod populi erga sacra Religionis nostræ mysteria reverentiam, & existimationem, pietatemque ita minuat, quàm si videat, ea à Sacerdotibus atque Ecclesiæ ministris ad quæstum torqueri; ipsosque ex eorum administratione commoda temporalia sibi aucupari.

Hinc nihil unquam magis exhorruit Ecclesia, quàm pactiones, conventiones, atque exactiones cujuscumque rei temporalis in Sacramentorum administratione, quæ speciem Simoniæ, aut ut minùs turpis quæstûs præ se ferre solent.

* Abusum hujusmodi exeunte seculo XIII. notavit & summopere deploravit Guillelmus Durandus Episcopus Mimatensis, vulgò *Speculator*, in Tractatu *de modo Generalis Concilii celebr. part.* 2. *rubr.* 60. „ Quòd sepulturæ in multis locis vendantur, & in aliis pro Baptismo, Pœnitentia, Eucharistia „ & aliis Sacramentis pecunia ex quadam pestifera consuetudine recipiatur, & levetur: neque prosunt remedia super „ hoc constituta, pro eo quòd multi ex majoribus columnis „ & Prælatis Ecclesiæ in hoc pecant; & ideò quia ab his malè agitur, facilè trahitur à subditis in exemplum.“

Utinam nec hodie pestifera ejusmodi consuetudo exemplo similium Prælatorum firmaretur! qui Parochos ipsos, aliosque Ecclesiæ ministros ad sordidum hunc quæstum ob defectum congruæ, & honeste competentiæ quodammodo cogunt.

II. De primis Christianis in suo Apologetico *cap.* 39. scribit Tertullianus: „ Præsident probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti: neque enim „ pretio ulla res Dei constat; etiamsi, quod arcæ genus est, „ non de *honoraria* summa quasi redemptæ Religionis congregatur. Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cùm „ velit, & si modò possit, apponit: nam nemo compellitur, sed spontè confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt.

In antiquis ac etiam Pamelii editionibus Operum Tertulliani, pro his verbis, *non de honoraria summa*, legitur, *non de oneraria summa*; sed priori modo legi in vetustissimo codice observat Rigaltius; quasi diceret: „ in nostris Conventibus congregatur summa, quæ non sit tamen *dehonestamento* religioni, nec ideò venalis, aut redempta dici debet religio nostra.“ Hæc Rigaltius.

Primi ergo Christiani prompto animo offerebant, quæ Ecclesiæ Ministris pauperibusque sustentandis sufficiebant; sed pecuniæ quamcunque exactionem in Sacramentorum, aut aliorum sacrorum administratione exhorrebant.

III. Et licèt in nonnullis disciplinæ articulis Ecclesia coacta fuit, aliquando à primitiva Patrum puriore disciplina nonnihil recedere, in hoc tamen articulo, eam semper retinuit disciplinam, ut omnem in ipsa Sacramentorum exhibitione temporalium exactionem, omnemque turpis quæstûs speciem abesse voluerit.

IV. Seculo XII. Concilium Lateranense sub Innocentio II. *Can.* 2. pecuniam dari aut exigi pro quocunque Sacramento vetat, additque: „ Et nec pro pastu, nec sub obtentu ali„ cujus consuetudinis antè vel post à quoquam aliquid exiga„ tur, vel ipse (qui Sacramenta suscipit) dare præsumat; quia „ Simoniacum est.“

Et rursus eodem seculo Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. in *Cap.* 9. *de Simonia*, horribile nimis reputat, quòd in quibusdam Ecclesiis pro Sacramentis aliquid requiratur. „ Putant autêm, inquit, plures ex hoc licere, quia le„ gem mortis de longa consuetudine invaluisse arbitrantur, non „ attendentes, quòd tantò graviora sunt crimina, quantò diu„ tiùs infelicem animam tenuerunt alligatam.“

Sub idem tempus Concilium Turonense prohibens pro Chrismatis, aut olei receptione aliquam pretii exactionem attentari subjicit: „ Nec sub *obtentu cujusdam consuetudinis* reatum „ suum quis tueatur; quia temporis diuturnitas non diminuit „ peccata, sed auget,“ *Cap.* 8. *de Simonia.*

V. His Conciliorum decretis insistentes posteriores Belgii, ac vicinarum Provinciarum Episcopi, omnem tum in suis Ritualibus libris, tum Synodorum decretis, temporalium exactionem in Sacramentorum administratione proscripserunt; eaque gratis, & sine ulla questûs specie dari jusserunt.

„ Cùm Sacramenta Ecclesiæ (ait Synodus P. II. Came„ racensis *tit.* 5. *cap.* 5.) non solùm sine Simoniæ labe, ve„ rùm etiam sine avaritiæ suspicione administranda sint, caveant „ omnes, ne in eorum adminstratione quidquam exigant di„ rectè vel indirectè.“

Synodus D. Mechlinensis *tit.* 2. *cap.* 3. ait: „ Sacramen„ ta omnia liberè conferantur, nihilque omninò directè vel „ indirectè in eorum administratione exigatur.“

Hæc, hisque similia passim Synodi & libri Rituales inculcant.

VI. Et quia nonnulli paupertatis, aut necessitatis prætextu hasce exactiones colorare prætendunt, plures Synodi expressè, & hunc prætextum, tanquam insufficientem rejiciunt.

„ Illud præterea diligenter caveant Parochi, omnesque alii, „ ad quos cujusvis Sacramenti administratio spectat, ne pro illis „ administrandis ab ullo, vel omnium rerum inope Sacerdo„ te, verbis aut etiam signis quidquam prorsus vel minimum „ quovis modo petatur, exigaturve; ait Synodus Aquensis an„ no 1585. *tit. de Sacramentis.*

„ Pro Sacramentorum ministerio, nullus Sacerdos, quam„ vis egens, verbis vel nutibus quidquam prorsus vel mini„ mum petat, exigatve, inquit Synodus Avenionensis an„ no 1594. *tit.* 11.“

VII. Verùm dum adeo severè Sacramentorum ministris omnis cujuscunque rei temporalis exactio in administratione Sacramentorum vetatur, intentio tamen Ecclesiæ in hac prohibitione non est, laicos fideles à veteri & in Ecclesia probato oblationum & eleëmosynarum usu etiam in ipsa Sacramentorum administratione retrahere, aut ipsis Ministris inhibere à Fidelibus liberali animo oblata accipere.

Quinimo Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. in Cap. 42. ✠ *de Simonia*, sicuti vetat aliquid à Ministris in Sacramentorum ministerio exigi, ita pariter vult laudabiles consuetudines aliquid offerendi à laicis observari.

Et Rituale Romanum Pauli V. postquam omnem exactionem in Sacramentorum administratione proscripsit, immediatè subjungit: „ Si quid verò nomine eleëmosynæ, aut devo„ tionis studio, peracto jam Sacramento, à fidelibus spontè „ offeratur, id licitè pro consuetudine locorum Minister ac„ cipere poterit.“

Nonnulla verò in hac oblatorum receptione à Parochis aliisque Sacramentorum Ministris observanda sunt.

VIII. Primò, ne in similium oblatorum receptione tacita saltem exactio, Simoniæ, aut avaritiæ suspicionem ingerens, intercedat.

Tacitæ hujus exactionis frequenter sunt rei, qui verbo, aut facto eos arguunt avaritiæ, aut inhumanitatis, qui post administrationem Sacramentorum nihil, aut parum offerunt. Quis enim ambigat, quin sic agendo cogant quodammodo Fideles ad dandum, dum negando, avaritiæ, aut inhumanitatis notam sibi impingendam norunt.

IX. Secundò, solicitè cavendum, ne Sacramenta majori promptitudine, & hilaritate administrentur illis, à quibus plura offerenda scitur; facilè enim major illa promptitudo, & hi-

hilaritas, avaritiæ, turpisque quæstûs suspicionem insinuabunt.

X. Tertiò, cavendum est, ne gratuitæ oblationes ex devotione Fidelium procedentes, facilè in præceptum, & necessitatem vertantur; adeo ut si quis offerre prætermittat, avarus, imò injustus audiatur.

Hinc enim continget, ut Fideles vel paupertate, præsertim occulta, vel expensarum gravitate territi, Sacramenta aut non suscipiant, aut saltem diutiùs quàm oportet, differant. Quod hodie, prô dolor! non rarò circa susceptionem Viatici, & Extremæ-Unctionis evenire, nimis quàm manifestum est.

XI. Ob hæc, aliaque ex oblatorum receptione pullulantia incommoda, quæ difficulter in totum prægaventur, olim Synodus Eliberitana decrevit: *Hi, qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod* GRATIS *accepit,* PRETIO *distrahere videatur.* Statuti illius rationem exposuit in Concilio Basileensi Julianus Cardinalis: „ Apos„ tolus præcipit ab omni specie mali abstinendum. 1. *Tess.* „ *cap.* 5. *v.* 22. Nonne gratis offerre, & eleemosynam dare est „ pium, & charitatis opus? Sed quoniam tempore Baptismi num„ mos projicere in choncam prætendebat speciem mali, emen„ dari, & abolere jussit Ecclesia."

XII. Quin sanctus Carolus noluit, ut Presbyteri quamcunque rem pro administratione Sacramentorum acciperent, etiam obtentu eleemosynæ, ut omnem accasionem & notam avaritiæ adimeret; utque exactè per omnia observarent hæc verba: *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. cap. 10. v. 8.

XIII. Scio quidem hanc disciplinæ puritatem, nec ubique vigere, nec in omnibus Ecclesiis hodie in præcepto esse, ut nimirùm Ministri non possint, jam administrato Sacramento, gratis oblata recipere; ipsa tamen Sacra ministerii functio omnes Ministros adstringit, ut in oblatorum receptione, eam servent moderationem, & agendi modum, ne avaritiæ, turpisve quæstûs notam incurrendo, ministerium ipsorum vituperetur, & Sacramentis debita reverentia vilescat Caveantque sedulò ne liberales Fidelium oblationes tandem in suspectas exactiones degenerent; quo fiat, ut vel fideles à Sacramentorum receptione retrahantur, aut diutiùs, quàm convenit, differant.

XIV. Multopere sanè dolendum, quòd in multis Parochiis Belgicis Pastores, ac præcipuè Vice-Pastores adigantur ex oblationibus in Sacramentorum administratione fieri consuetis, victitare; neque aliunde ad honestè vivendum ipsis suppetat; hincque contingat, quòd ipsa necessitate compellente, si non directè, & expressè temporalia in Sacramentorum administratione exigantur, indirectè tamen & tacitè satis insinuetur dandi necessitas; adeò ut ipsis Laicis quasi persuasum sit, oblationes illas non esse voluntarias, sed se ad offerendum constrictos credant.

XV. Sanè dispiciendum est Episcopis aliisque Superioribus & Magistratibus „ ut Parochis Evangelii prædicatoribus (verba „ sunt Synodi Coloniensis anno 1536. part. 8. cap. 2.) certa com„ petens subministratio victus & vestitûs fiat, idque ad eum mo„ dum, ne in administrandis Sacramentis quidquam exigendo, „ oneri sint Parochianis, aut cibum vicatim discurrendo emen„ dicare cogantur, quo nihil turpius, aut sordidius."

XVI. Hoc quoque indubitatum est, quòd Episcopi, & alii decimas possidentes Prælati, eorumque Capitula, & Monasteria „ (uti loquitur Christianus Lupus *Dissert. 2. proœmia„ li ad tomum 3. Scholiorum in Canones, cap.* 7.) rigidum coram „ Deo onus portent dandæ Parochis sustentationis integræ, & „ miseras plebes liberandi ab exactionibus variis suspectis, & „ offensivis ad quas isti à necessitate coguntur."

XVII. Interim dum aliunde Parochis, & Sacerdotibus Sacramentorum, aliorumque spiritualium officiorum Ministris sufficienter nequit sucurri, cogunturque necessitate quodammodo ex oblatis vivere, non inconveniens visum est, ut Episcopi, aliique Superiores, & Magistratus determinent, sive taxent, quid à Fidelibus Parocho, aliisque Ministris in administratione Sacramentorum, aliisque functionibus sit dandum.

Hoc quippe pacto contingit, ut Pastoribus aliisque Sacerdotibus adimatur occasio, conventiones, pactionesque Simoniam, aut saltem turpem quæstum redolentes, cùm Parochianis ineundi.

Ulteriùs per hanc Superiorum taxationem fit, ut Parochiani contra Parochum, & Sacerdotes conqueri nequeant, quasi Parochianos injustis, & excesivis juribus, & exactionibus gravent, dum id duntaxat petunt, quod Superiores judicârunt à subditis in Parochorum, & Ministrorum sustentationem solvendum.

XVIII. Hæc jura, quæ Pastoralia dici solent, potissimùm in administratione Sacramenti Matrimonii, & sepulturis locum hebent, eò quòd in his sine minoribus incommodis, & scandalo peti posse videantur.

Atque imprimis hîc periculum non est, quòd ob jura solvi consueta & taxata Matrimonium differetur aut omittetur; neque in ejus dilatione multum incomodi esse consuevit; nec sepultura ideò omittitur, aut si forsam non eâ, qua alias pompâ fiat, nihil aut parum inde incommodi timendum; quemadmodum (uti antè monuimus) timêndum est, dum Viaticum aut Extrema-Unctio, propter oblationes, & expensas faciendas differtur, aut etiam omititur: unde numquam legitur, quòd aliqua jura in horum administratione solvenda, taxata, aut prescripta fuerint.

XIX. Jura hæc in Funeralibus, aut contractu Matrimonii solvi solita, & à superioribus ad certam quantitatem taxata, videntur in locum decimarum personalium (quæ de jure communi debentur, & hodie passim in desuetudinem abierunt) successisse; ut sicuti Laici eo titulo debebant de omni suo lucro decimas dare Sacerdotibus, ita vice illarum solvant jura illa vel viventes, dam Matrimonium ineunt, vel post mortem, dum sepeliuntur.

Hanc subrogationem in locum decimarum personalium non obscurè expressit Synodus Atrebatensis sub Francisco Richardoto *titulo de Sacramentis, cap.* 3. Cùm enim *cap.* 2. mandâsset, ut Pastores in administratione Sacramentorum, „ omnes avari„ tiæ sordes, & quæstûs inhonesti, & reprobati suspiciones „ evitent; ne mercedem (quasi in rebus sanctis & spiritualibus „ commutatio ulla justa esse queat) vel captent, vel exigant „ sordidè;" deinde capite sequenti subjungit: „ Sed tamen ubi „ solidi fructus nulli sunt, aut exigui Beneficiorum Curatorum, „ & minores quàm suficiant alimoniæ Pastorum, si populus se „ durum, & avarum præbeat, nec liberaliter pro suo quisque „ modulo aliquid conferat Pastoribus Sacramenta ministrantibus, „ agi debebit cum Majestate Regia, ut iisdem pastoribus greges „ necessaria commòde provideant, sive per decimas personales, „ quas certum est cessisse consuetudini laudatæ, quâ populus „ pro administratione Sacramentorum liberaliter honorarium ali„ quod impendere solebat; sive aliâ quavis ratione: alioqui valdè „ esset inhumanum, laborem Pastoralis officii requirere sine jus„ ta mercede, & sublata omni ratione parandi victus, & „ vestitûs."

XX. Præterea in hoc decreto notandum, quò dicatur, agi debere cum Majestate Regia, ut Laici ad similia jura solvenda cogantur. Sciebant quippè hujus Synodi Patres, ægrè permitti in Belgio, vicinisque Provinciis, ut temporalia hujusmodi onera Laicis citra consensum, & auctoritatem Regis imponantur; neque facilè ad eorum solutionem se constringi patiantur, nisi consensum Regis accessisse constiterit (b).

Hinc teste Antonio Anselmo in suo Triboniano Belgico, *cap.* 33. cùm de publicatione Concilii Tridentini hîc tractaretur, eumque in finem ad concilia Regia reformationis Decreta expendenda missa essent, *ad cap.* 4. *Sess.* 21. *de Reformat.* ubi datur Episcopis facultas novas Parochias erigendi, & si necesse fuerit, compellendi populum ea subministrare, quæ sufficiunt ad vitam Sacerdotum sustentandam „ communis nota fuit, com„ pulsionem illam populi, & exactionem fieri non posse, sine „ auctoritate Regia, neque hanc jurisdictionem Ecclesiaticis ju„ dicibus unquam competiisse."

* Quamvis, ut dictum est *num.* 19. jura in funeralibus, & contractu Matrimoniali solvi solita, probabiliter successerint in locum decimarum personalium, quemadmodum ibidem probatum est, illud tamen incommodi habent hæc jura præ decimis personalibus, quòd horum jurium exactio, & persolutio faciliùs nata sit ingerere speciem simoniæ, aut turpis quæstûs, quàm persolutio, & exactio decimarum personalium, eò quòd prædicta jura solvantur, & exigantur cum respectu ad singulas sepulturarum, aut matrimoniorum celebrationes, eaque ratione suspicionem facilè ingerant, ea persolvi, vel exigi quasi pretium exhibiti ministerii divini.

Decimæ verò personales, non secùs atque hodiernæ decimæ prædiales, & mixtæ, solvebantur, & exigebantur sine respectu ad singulas functiones Ecclesiasticas; neque plus minusve solvebatur, aut exigebatur, sive sacra illa sepiùs vel rariùs administrata essent. Proinde nulla ex earum solutione vel petitione suspicio oriri nata erat, functiones has intuitu retributionis temporalis impendi; quam non rarò horum jurium exactio, & receptio ingerere solet.

Hinc ulteriùs sequitur, quòd imputatio decimarum personalium in competentiam Pastoralem non esset obnoxia iisdem incommodis, quibus esse solet imputatio dictorum jurium in dictam competentiam: hæc enim jurium illorum imputatio quodammodo Pastores cogit ad rigidam horum jurium exactionem, quæ

(b) *Jus Canonicum decernit cogi posse laicos ad jura pecuniaria ministris Ecclesiæ solvenda, quæ usu veteri sunt legitimè determinata. Ita cap.* Ad Apostolicam, lib. 5. Decretalium, tit. 3. *Sed jus Hispanum prohibet in* leg. 1. & tit. 11. lib. 6. Recop. *ut nova imponantur absque prævio Consensu Regis: præcipiens similiter in generali decreto diei* 13. *Augusti an.* 1768. *Ne Judices Ecclesiastici procedant contra laicos in exactione debitorum Capellaniarum aliarumque piarum fundationum, his exceptis, qui ex Manso (hoc est, fundatione) proveniunt.*

quæ vix sine suspicione simoniæ, vel ut minus turpis quæstûs fieri solet.

XXI. De Sacerdotis honorario ex funerarii Sacrificii opera agendum apud prophanum judicem, & non apud Ecclesiasticum, judicatum fuisse anno 1532. refert Renatus Choppinus *lib. 2. de Sacra Politia, tit. 2. num. 2.* & pluribus confirmat Carolus Fevretius tractatu *de Abusu, lib. 4. cap. 8.* asseritque Senatum Regium solere improbare & cassare suspectas, ac minùs honestas exactiones, quæ in Sacrorum administratione fiunt, tametsi longa consuetudine firmatas; & à sententia judicis Ecclesiastici similes exactiones adjudicante, tanquam ab abusu, ad Senatum Regium Laicos appellare posse.

Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Englosimensis tanquam Pastores Primitivi cujusdam Ecclesiæ Parochialis condemnaverant Parochianos, ad solvendum quid modicum pro vino quoties communicarent; interjectâ per Parochianos appellatione *tanquam ab abusu*, dictum fuit per Parlamentum Parisiense anno 1551. malè & abusivè judicatum.

XXII. Cæterum, quacunque auctoritate jura illa sint taxata, nemo non scit, quàm difficulter illa sine omni Fidelium scandalo, & offensione exigantur: & quàm facile horum exactio nata sit populo ingerere suspicionem Sacramenta, aliaque, sacra Officia à Socerdotibus intuitu retributionis administrari, ipsorumque Sacerdotum quæstui Sacra subservire; dum vident, illa non nisi constitutâ mercede administrari; idque eo majore, quo solemniùs administrantur.

Hinc non difficulter intelligitur, Superioribus tum Ecclesiasticis, tum secularibus allaborandum esse, ut quantum rerum conditio patitur, Pastoribus, aliisque Ecclesiæ Ministris ita de temporalibus provideatur, ut ab ejusmodi scabiosis & suspectis jurium exactionibus abstinere queant; quod nec difficile esset, si proventus Ecclesiastici iis, qui in Vinea Domini laborant, juxta mentem Ecclesiæ & Fundatorum assignarentur: de quo latiùs infrà, ubi de *Decimis* & *bonis Ecclesiæ* tractabitur.

XXIII. Denique ex dictis concludant Pastores, aliique Ecclesiæ Ministri, quòd dum ob temporum duritiem aliundè quàm ex his juribus necessaria vivendi media non suppetunt, in horum jurium, & oblationum receptione, aut petitione, eam saltem servare studeant moderationem & circumspectionem, ne avaritiæ, turpisve quæstûs notam incurrant, quâ ipsorum apud Laicos ministerium vituperetur, & Sacramentorum, aliorumque Sacrorum usus vilescat (c).

TITULUS II.

De Baptismo.

CAPUT I.

De Materia, et forma Baptismi; et quomodo hæc adhibenda.

1 *Primum & maximè necessarium Sacramentum est Baptismus.*
2 *Dicitur aliorum Sacramentorum* janua.
3 *Innocentius III. dubitavit, num Ordo à non baptizato susceptus esset invalidus: aliqua Sacramenta ab illo validè recipi posse credidit.*
4 *Credidit tutius Ordines à tali susceptos reiterandos.*
5 *In quo fundata fuerit resolutio Innocentii.*
6 *Non temerè de suscepto Baptismo dubitandum.*
7 *Describitur Baptismus* Flaminis.
8 *Per Baptismum Flaminis quis salvari potest.*
9 *Patrum sententiis acquiescendum.*
10 *Quid sit Baptismus* Sanguinis.
11 *Solus Baptismus Fluminis habet rationem veri Sacramenti.*
12 *Forma Baptismi Latinorum.*
13 *Forma Græcorum nonnihil in verbis diversa; eamque ut sufficientem probat Ecclesia Latina.*
14 *Expositio* Cap. 1. ✠ de Baptismo.
15 *Materia Baptismi aqua naturalis.*
16 *Quæ censenda aqua naturalis.*
17 *Extra casum necessitatis cum dubio liquore baptizare non licet.*
18 *Ritus adhibendi aquam in Baptismo non ubique est idem.*
19 *Ecclesia Græca olim usa fuit* Immersione; *& eam hodierna eorum Ritualia præscribunt.*
20 *Idem Ritus etiam apud Latinos aliquando usitatus fuit.*
21 *Ritus baptizandi per immersionem multis seculis in Ecclesia Latina perseveravit.*
22 *Baptizare per immersionem non spectat ad valorem Baptismi, sed ad disciplinam.*
23 *An per infusionem, an per immersionem Baptismus sit conferendus, pendet à consuetudine & præscripto Ecclesiarum.*
24 *Debet aqua sic adhiberi, ut sit ablutio, non aspersio.*
25 *Aqua sic infundenda, ut ipse baptizandus censeatur verè ablutus.*
26 *Quæ censenda pars notabilis, ratione cujus baptizandus dicatur ablutus.*
27 *Quomodo Græci aquam infundant.*
28 *Trina immersio multis Canonibus olim præcepta fuit.*
29 *Licet trina immersio videatur ab Apostolis descendere, non spectat tamen ad essentiam Baptismi.*
30 *Aliquando præceptum ut unica fieret immersio, & quare.*
31 *Regula quæ in hac disciplinæ diversitate tenenda est.*

I. PRimum inter Sacramenta numeratur *Baptismus*, de quo in Symbolo Fidei Constantinopolitano dicitur; *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Et Synodus Tridentina: *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.* Sess. 6. de Baptismo. Can. 4.

II. Quin & jam pridem à Theologis dicitur, Baptismum esse januam aliorum Sacramentorum, id est, alia Sacramenta ad sui valorem requirere præviè in suscipiente Baptismum: quod secutus Bonifacius VIII. in *Cap. 2. de Cognat. spirituali, in* VI. vocat Baptismum Sacramentorum *fundamentum, & januam reliquorum.*

III. Tempore Innocentii III. id est, seculo XIII. dubium fuisse, an non baptizatus, qui tamen crederet se baptizatum, non posset validè ordinari, manifestum est ex responso ipsius Innocentii in cap. 3. ✠ *de Presbytero non baptizato*; ubi ipse Pontifex multa adducit, quæ validitatem Ordinis ita suscepti evincere videbantur; atque inter alia tanquam certum supponere apparet, quòd „ illud non sit generaliter verum, neque „ de novis, neque de veteribus Sacramentis, quòd Baptismus „ sit fundamentum illorum, quoniam & Sacramentum Conju„ gii, & Eucharistiæ à non baptizatis recipi potest.“

IV. Post hæc subjungit: „ Quia verò in Concilio *apud* „ *Compendium* legitur constitutum, si quis in Presbyterum or„ dinatus deprehenderit se non baptizatum, baptizetur, & „ iterùm ordinetur: nos circa latorem præsentium in hoc dubi„ tabili casu, quod tutius est sequentes, mandamus, quatenus „ ipsum per singulos Ordines usque ad Sacerdotium promovere „ procures, & permittas eum in Sacerdotio ministrare, quia „ non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum: nec „ malè de Sacramento sentitur, cùm illud non Religionis con„ temptus, sed articulus necessitatis excludit.“

Ex his haud obscurum est, Innocentium de validitate suscepti Ordinis à non baptizato dubitâsse; neque credidisse, Baptismum esse fundamentum omnium Sacramentorum.

V. Ad hæc sat patet, Innocentium dubium suum de invaliditate Ordinis, suamque resolutionem de iterando Ordine fundâsse in quodam decreto Concilii apud *Compendium*; quod refertur sub nomine illius Concilii apud Gratianum, *caus. 1. q. 1. Can.* 60.

Verùm adverterunt Eruditi, hoc decretum in nullo Concilio *apud Compendium* reperiri. Extat autem *lib. 6. Capitularium Regum Francorum, cap.* 64. neque antiquior ejus fons reperitur.

* Ex hoc responso patescit, hunc Pontificem in suis responsis, & Decretalibus usum fuisse auctoritate Gratiani sine discussione, num à Gratiano relata essent genuina vel authentica. Hinc ulteriùs contingit (uti in hoc opere sæpiùs notatum) plura sensim, post evulgatas, & receptas has Decretales Innocentii III. & aliorum Pontificum, qui similiter sine examine Decreto Gratiani usi sunt, à Canonistis, & Theologis pro indubitatis fuisse recepta, quæ vel Patribus fuerant ignota, aut saltem nondum determinata.

VI. Ut verò scrupulosis anxietatis & dubitationis occasionem adimat Innocentius, addit: „ Et certè de illo, qui na„ tus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter „ conservatus, tam violenter præsumitur, quòd fuerit baptiza„ tus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec „ evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.“

VII. Dicit præterea Innocentius in citato cap. 3. „ Quòd „quis

(c) *Consule quid auctor noster hac de re scribit* part. 2. tit. 6. cap. 4. num. 43. 44. &c.

„ quis non solùm per Sacramentum Fidei, sed per *fidem* etiam „ Sacramenti efficitur procul dubio membrum Christi."

Illud autem quod dicit *Fidem Sacramenti*, per quam quis efficitur membrum Christi, vocari solet *Baptismus Flaminis*, de quo verbis Augustini dicitur apud Gratianum *Can.* 34. *Dist.* 4. *de Consecr.* „ Invenio non tantùm passionem pro no- „ mine Christi, id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, „ sed etiam fidem, conversionemque cordis, si fortè ad ce- „ lebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum suc- „ curri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi „ crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum; nec quia „ credidit passus est, sed dum patitur, credidit. Quantum „ itaque valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod „ ait Apostolus ad Rom. cap. 10. v. 10. *Corde creditur ad jus- „ titiam, ore autem confessio fit ad salutem*, in illo latrone „ declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cùm myste- „ rium Baptismi non contemptus Religionis, sed articulus ne- „ cessitatis excludit (d)."

VIII. De eodem Flaminis Baptismo agit Pontifex in *cap.* 1. ✠ *de Presbytero non baptizato*, respondens Cremonensi Episcopo: „ Presbyterum, quem sine unda Baptismatis extremum „ diem clausisse significasti, quia in S. Matris Ecclesiæ Fide, & „ Christi nominis confessione perseveraverit, ab originali pec- „ cato solutum, & cœlestis patriæ gaudium esse adeptum asse- „ rimus incunctanter."

Antonius Augustinus in notis ad primam collectionem Decretalium, ad hæc verba: *Esse adeptum*, ait: „ *Potuisse adi- „ pisci*, malim. Quid enim si alicujus occulti peccati reus mor- „ tuus est? Quid si non satisfecit pro aliis etiam confessus?"

IX. Post hæc Episcopum remittit ad libros SS. Augustini & Ambrosii, addens hanc notandam sententiam: „ Sopitis igitur „ quæstionibus Doctorum, *Patrum sententias teneas*, & in „ Ecclesia tua juges preces, hostiasque Deo offerri jubeas pro „ Presbytero memorato."

X. Præter Baptismum *Flaminis*, meminit quoque Augustinus in citato *Canone XXXIV.* & in *Canone XXXVII.* Baptismi, qui vulgò vocatur Baptismus *Sanguinis*; qui consistit in morte pro Christo tolerata, sive martyrio, in quo proprio sanguine pro Christo fuso fidelis abluitur, antequam præ angustiis temporis, aliove impedimento vivificis Baptismi undis regeneretur; de quo in dicto *Canone XXXVII.* sub nomine Augustini: „ Catechumenum quamvis in bonis operibus defunctum „ vitam æternam habere non credimus, *excepo martyrio*, ubi „ nota Baptismi Sacramenta complentur." Et apertiùs ipse Augustinus *lib.* 3. *de Civitate Dei*, *cap.* 7. Quicunque etiam non „ percepto regenerationis lavacro pro Christi Confessione mo- „ riuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quàm si „ abluerentur sacro Fonte Baptismatis."

XI. Verùm licèt ex his sufficienter constet, Baptismum *Flaminis* (qui in perfecta peccatorum detestatione ex Dei amore, & desiderio recipiendi Sacramentum Baptismi consistit) & Baptismum *Sanguinis* supplere vices Sacramenti Baptismi, nihilominus certum est, neutrum esse Sacramentum, neque verum *Baptismum*, de quo loquitur Christus, dum ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Joan. 3. ℣. 5. Et rursus: *Euntes docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* Matth. 28. ℣. 19.

Hîc Baptismus aquæ, sive Fluminis est propriè dictus Baptismus, atque solus rationem veri Sacramenti novæ Legis habet; appellaturque communiter Sacramentum *Regenerationis*, eò quòd per illum homo Spiritualiter *regeneretur*, sive *renascatur*; constituaturque Filius Dei; & de hoc solo Baptismo hoc titulo tractabitur.

XII. Formam hujus Sacramenti clarè expressit Christus, dum *Matth.* 28. in jam relatis verbis Apostolos jussit baptizare in *nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Unde Ecclesia Latina, jam pridem hac formâ usa fuit *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quæ extat in Sacramentario S. Gregorii; & in veteri ordine Romano paulò post tempora S. Gregorii composito (e).

XIII. Ecclesia Græca, uti legitur in eorum Rituali apud Jacobum Goar pag. 355. utitur hac forma: *Baptizatur servus Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.*

Hanc formam tanquam sufficientem probavit Eugenius IV. in decreto Unionis Armenorum; quod extat in appendice Concilii Florentini tom. 13. Conc. col. 5291. „ Quoniam, ait, „ cum Principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit „ S. Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius „ Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur „ ministrum, S. Trinitatis invocatione perficitur Sacramentum."

Itaque invocationem Sanctæ Trinitatis, atque ipsarum Personarum distinctam expressionem in ipsa Baptismi collatione juxta Christi verba, & mandatum Ecclesia observavit; eamque ad essentiam, ac validitatem Baptismi necessarium supposuit, minus solicita, quibus præcisè verbis ipse actus Ministri exprimeretur, de quo nec patribus cum hæreticis fuisse contentionem legimus; modò tamen (uti loquitur Eugenius IV. in citatis verbis) sufficienter *exprimatur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum.*

XIV. Unde credendum est, quòd Pontifex (f) *Cap.* 1. ✠ *de Baptismo* dicens, „ quod si quis puerum ter aqua immer- „ serit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen, „ non dixerit, EGO BAPTIZO TE in nomine Patris, & Filii, & „ Spiritus Sancti, non est puer baptizatus;" eam invaliditatem non refundat in omissionem illorum formalium verborum, *Ego baptizo te*, cùm illa verba Græci non adhibeant, sed in hoc potiùs, quòd actus, qui per ministrum exercetur, non censeretur sufficienter expressus.

XV. Quemadmodum ex verbis Christi *Matth.* 28. ad Apostolos dictis, Ecclesia intellexit, invocationem SS. Trinitatis, & trium divinarum Personarum distinctam expressionem esse necessariam in Baptismo; ita ex verbis Christi ad Nicodemum Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex* AQUA *& Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, intellexit, fideles esse regenerandos sive baptizandos in vera, ac naturali aqua.

Unde à quodam Episcopo interrogatus Innocentius III. „ Utrum parvuli sint pro Christianis habendi, quos in articulo „ mortis constitutos propter aquæ penuriam, & absentiam Sa- „ cerdotis, aliquorum simplicitas in caput, ac pectus ac inter „ scapulas pro Baptismo salivæ conspersione linivit? Respondit „ Innocentius in *Cap.* 5. ✠ *de Baptismo*, quòd cùm in Bap- „ tismo duo semper, videlicet verbum, & Elementum neces- „ sariò requirantur, juxta quod de verbo Veritas ait: *Euntes „ in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, „ & baptizate omnes in nomine Patris & Filii, & Spiritus „ Sancti.* Eademque dicat de elemento: *Nisi quis renatus fue- „ rit ex* AQUA *& Spiritu Sancto non intrabit in regnum cœlo- „ rum*; dubitare non debes, illos verum non habere Baptis- „ mum, in quibus non solùm utrumque prædictorum, sed eo- „ rum alterum est omissum."

Et Synodus Tridentina *Sess.* 7. *Can.* 2. *de Baptismo*: „ Si „ quis dixerit, aquam veram, & naturalem non esse de neces- „ sitate Baptismi, atque ideò verba illa Domini Nostri JESU „ CHRISTI: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu San- „ to*, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit."

XVI. Quæ verò dicenda sit vera & naturalis aqua, ex communi & vulgari loquendi usu judicandum est; neque extra casum necessitas adhibendus est liquor de quo dubium sit, nùm sit vera ac naturalis aqua, prout hæc communiter & vulgariter intelligitur; tametsi subtiliter philosophando speculativè defendi posset, liquorem illum essentialiter ab aqua naturali non differre.

XVII. Ubicunque verò morale aliquod dubium subest, num liquor aliquis sit vera ac naturalis aqua (extra casum necessitatis ubi alius haberi nequit) nequaquam adhibendus: imo si Pastor aquam veram & naturalem habere posset, tametsi cum evidenti periculo vitæ, nequaquam posset cum liquore dubio tali casu infantem baptizare; sed deberet tunc juxta Christi mandatum *animam suam ponendo pro ovibus suis*, aquam veram, ac naturalem comparare; ne aliàs salutem æternam illius infantis periculo exponat: ut rectè advertit, & multis prosequitur Farvacquius *de Baptismo cap.* 2. *q.* 2. *casu* 4. §. 1. & 2.

XVIII. Quo ritu aqua adhiberi debeat, an per immersionem, ita ut ipse baptizandus aquæ immergatur; an per infusionem sive aspersionem, ut nimirum aqua infundatur ipsi baptizando, non una olim fuit, nec hodie est omnium Ecclesiarum disciplina.

XIX. In Ecclesia Orientali jam pridem immersionem usitatam fuisse, constat ex Cyrillo Hierosolymitano *catechesi mistagogicâ* 2. ubi alloquens recenter baptizatos, ait: „ Et con- „ fessi estis salutarem confessionem, & *mersi* ter in aqua, rur- „ sus emersistis; atque ita per hæc simbola triduanam Christi „ significastis sepulturam." Meminit quoque Sanctus Chysostomus *Homil.* 6. *in Epistolam ad Collossenses*, IMMERSIONIS in Baptismo adhibitæ: quin & hodie eum baptizandi ritum euchologia sive ritualia Græcorum præscribunt; atque post expressam formam Baptismi monitum hoc subnectitur: *Unaquaque prolatione* DEMERGENS & EDUCENS *eum ex aqua.*

Ad hæc verba reflectens Jacobus Goar in notis ad Rituale Græcorum *pag.* 365. *num.* 24. ait: *Antiquus* IMMERSIONIS *mos hic annotatur.*

XX. Quin & in Ecclesia Latina hunc immersionis ritum multis seculis usitatum fuisse diffiteri non possumus. Et quidem se- cu-

(d) *Hoc S. Augustini testimonium à Gratiano desumptum est ex lib.* 4. *S. Doctoris, de Baptismo, cap.* 22.

(e) *Circa VII. seculum in lucem prodiisse Ordo Rom. creditur, Van Espen Jur. Eccles. Pars II.*

(f) *Pontifex ille, de quo agitur, erat Alexander III. qui obiit ann.* 1181.

culo II. ordinarium solitumque fuisse testatur Tertullianus *libro de corona militis cap.* 3. ubi relatis nonnullis, quæ Baptismum præcedunt, ait: *Dehinc ter* MERGITAMUR. Imò adeò constans erat hic baptizandi ritus, ut quidam dubitâsse videantur de valore baptismi per *infusionem* collati; uti colligere est ex quæstione à Magno proposita S. Cypriano: „Quæsisti (ait „S. Cyprianus *Epist.* 75. ad Magnum) etiam Fili charissi„me, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate, & lan„guore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legi„timi Christiani, eò quod aqua salutari non *loti* sint, sed „*perfusi.*"

XXI. Et quidem ritus ille multis seculis etiam in Ecclesia Latina perseveravit, uti videre est apud auctores, qui de divinis officiis scripserunt; adeò ut S. Thomas etiam suo tempore judicaverit, *tutiùs esse baptizare per modum* IMMERSIONIS, *quia*, ait, *hoc habet* COMMUNIS *usus*, 3. part. quæst. 66. art. 7.

Constat tamen ex ipso Sancto Thoma *ibidem num.* 8. quòd eodem tempore ritum *infusionis* seu *aspersionis* nonnulli adhibere inciperent.

XXII. Imò licèt ritus *immersionis* esset communis, ac in omnibus passim Ecclesiis usitatus, tamen eum non esse de essentia Baptismi satis indicabant, qui de ejus usu scribebant.

Walfridus Strabo seculo IX. scribit: „Notandum autem „non solùm mergendo, verùm etiam desuper fundendo, mul„tos fuisse baptizatos, & adhuc posse ita baptizari, si ne„cessitas sit, sicut in passione B. Laurentii quemdam urceo „allato legimus baptizatum. Hoc etiam solet evenire, cùm „provectiorum granditas corporum in minoribus vasis homi„nem tingi non patitur." *Lib. de Rebus Eccles. cap.* 26.

Similiter S. Cyprianum validum existimâsse Baptismum illius, qui tantum esset perfusus, patet ex responsione ipsius ad quæstionem sibi à Magno propositam; dum ait: *Unde appareret* ASPERSIONEM *quoque aquæ instar lavacri salutaris obtinere.* Quam resolutionem tanquam suo tempore certissimam amplectitur, & probat S. Augustinus *lib.* 6. *contra Donatistas, cap.* 7.

Unde etiam Græci, quamvis ex præscripto suorum Ritualium deberent baptizare *immergendo*; tamen teste Jacobo Goar loco jam citato, *infusione sæpius utuntur.*

XXIII. Itaque ritus ille immersionis annumerandus est punctis disciplinæ, quæ pro temporum, & locorum varietate mutari, & variari possunt: quod etiam Rituale Romanum Pauli V. notat, & singularum Ecclesiarum consuetudinem hîc esse retinendam mandat. „Baptismus licèt fieri possit aut per *infusionem* aquæ, aut per *immersionem*, aut per *aspersionem*, „primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, „pro Ecclesiarum consuetudine retineantur.

XXIV. Cæterùm circa *infusionem* observandum, eam debere esse talem, ut reverà moraliter, & vulgariter loquendo, baptizandus censeatur *ablutus*; unde Pastorale Mechliniense loquens de aqua in Baptismo adhibenda, ait: „Eam „verò adhibeat baptizans in notabili quantitate, sic ut *ablu„tio*, non *aspersio* meritò censeatur."

Nullatenus ergo probandum, quòd Pastor tempore pestis, veritus infici peste, infantem recenter natum ex matre peste infecta *aspergillo* baptizaret; eò ferè modo, quo Sacerdotes in templis populum aspergunt aqua lustrali; quam praxim latè improbat Farvacquius *c.* 5. *q.* 4. *casu* 2.

XXV. Ulteriùs infusio aquæ ita adhibenda est, ut ipse baptizatus dicatur verè ablutus, ideoque imprimis monet Pastorale Mechliniense, ut baptizans sit *solicitus, ut ablutio non tantùm fiat in capillis, sed* IN CUTE. Deinde requiritur, ut abluta sit pars aliqua notabilis, ratione cujus ipse baptizandus moraliter dici queat ablutus

XXVI. Quæ verò sit dicenda notabilis pars, vix aliter quàm ex communi Ecclesiæ praxi, & piorum fidelium fide determinari potest; censeturque communi existimatione talis pars ipsum *caput* infantis: neque aliud membrum hodie saltem in Ecclesia Latina ablui solet; sed nec alterius solius membri ablutionem extra casum necessitatis permittit Rituale Romanum dicens: „Nemo in utero matris clausus baptizari de„bet, sed si infans caput emiserit, & periculum mortis im„mineat, baptizetur in capite; nec postea si vivus evaserit, „erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emerserit, quod „vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendat, bap„tizetur, & tunc si natus vixerit erit sub conditione bapti„zandus eo modo quo supradictum est: *Si non es baptiza„tus, ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Si verò ita bap„tizatus deindè mortuus prodierit ex utero, debet in loco „sacro sepeliri."

XXVII. Jacobus Goar, ubi testatur Græcos hodie interdum per *infusionem* baptizare, unà monet: „Quoad enim „licuit observare puerum sedentem in vase vel pelvi ad cu„bitum profundo ter super infusa non modicæ quantitatis aqua „calida purificat. Vel certè ne aquæ copia obruatur, & for„tè nimiam epotet, pronum positum, & sinistra in ventre sus„tentatum, Sacerdos capite & toto corpore salutaribus aquis „abluit & lustrat."

XXVIII. Trinam mersionem olim usitatam fuisse constat ex S. Augustino aliisque Patribus, quos refert Gratianus *Dist.* 4. *de Consecratione, Can.* 78. & sequentibus; quin & Canone L. vulgò *Apostolorum*, relatus à Gratiano ibidem *Can.* 79. vult ut „si quis Presbyter aut Episcopus non trinam mer„sionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in Baptis„mate, deponatur."

Quin & ibidem apud Gratianum *Can.* 82. sub nomine Pelagii Papæ ad Gaudentium refertur: „Multi sunt, qui in no„mine solummodò Christi unâ etiam mersione se asserunt bap„tizare. Evangelicum verò præceptum ipso Deo, & Domi„no Salvatore nostro Jesu Christo tradente, nos admonet in „nomine Trinitatis, trinâ etiam mersione sanctum Baptisma uni„cuique tribuere, dicente Domino discipulis suis: *Ite bapti„zate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus „Sancti.*" Matt. cap. 28. vers. 19.

XXIX. Hæc, aliaque à Gratiano relata testimonia sufficienter evincunt, trinam mersionem jam à primis seculis fuisse usitatam, atque ex Apostolica quodammodo traditione descendere; at eam spectare ad essentiam Baptismi nequaquam evincunt. Imò non nisi ad disciplinam (circa quam varia potest esse Ecclesiastica consuetudo) pertinere sine ulla dubietate respondit S. Leandro Hispalensi Episcopo S. Gregorius *lib.* 1. *Epist.* 41. referturque à Gratiano loco citato *Can.* 80. „De trina mersione baptismatis, nihil responderi verius potest, „quam quod ipsi sensistis; quia in una fide nihil officit S. Ec„clesiæ consuetudo diversa: Nos autem quod tertiò mergimus, „triduanæ sepulturæ Sacramenta signamus; ut dum tertiò in„fans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis expri„matur. Quod si quis fortè etiam pro Summæ Trinitatis ve„neratione existimet fieri, neque istud aliquid obsistit bap„tizando semel in aquis mergere, quia dum in tribus Perso„nis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, „infantem in Baptismate vel ter, vel semel immergere; quan„do & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una „potest Divinitatis singularitas designari."

XXX. Circa idem tempus Patres Concilii Toletani IV. intelligentes inter Sacerdotes summas esse de *trina* vel *simpla* mersione contentiones; atque Arianos ex *trina* illa mersione arguere *trinitatem essentiæ* in personis, auctoritate S. Gregorii freti decreverunt *Can.* 6. „Propter vitandum schisma„ticis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam te„neamus Baptismi mersionem; ne videantur apud nos, qui „*tertiò* mergunt, hæreticorum probare assertionem, dum se„quuntur & morem. Et ne fortè sit dubium hujus simpli „mysterium Sacramenti.... videat in eo unitatem Divinitatis, „& Trinitatem personarum ostendi: Unitam dum semel im„mergimus Trinitatem, dum in nomine Patris & Filii, & „Spiritus Sancti baptizamus."

In antiquo Sacramentario Gallicano, quod ex antiquo codice manuscripto Monasterii Bobiensis edidit vir eruditus Joannis Mabillonius *tom.* 1. *Musæi Italici* (quem codicem scriptum ante annos mille ex caractere conjicit Mabillonius) extat formula baptismi his verbis expressa *pag.* 324. *Baptizo te in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti* UNAM *habentem* SUBSTANTIAM, *ut habeas vitam æternam, partem cum Sanctis.*

Si Sacramentarium illud compositum sit ad usum Ecclesiæ Gallicanæ ante annos mille; adeoque circa seculum VII. quo dictum Toletanum Concilium habitum fuit, mirum non est, si hæc verba, *unam habentem substantiam*, ad vitandum Arianorum errorem addenda censuerint, sicuti Patres Toletani eodem motivo *simplam* mersionem adhiberi voluerunt.

Interim hîc notare possumus, Ecclesiam interdum ritus aliquos quantumvis antiquitate venerandos mutare, ubi id ob nascentes errores magis convenire judicat.

XXXI. Pastores verò aliique inferiores ministri in his observare debent regulam, quam in similibus tradit S. Augustinus *Epist.* 54. ad Januarium: „Nec disciplina ulla in his me„lior gravi, prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, „quo agere viderit Ecclesiam, ad quàm fortè devenerit. Quod „enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse con„vincitur, indifferenter est tenendum & propter eorum in„ter quos vivitur, societatem servandum est."

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT I.

DISCUTITUR ILLORUM VERBORUM, *EGO TE BAPTIZO*, NECESSITAS AD CONSTITUENDAM BAPTISMI FORMAM.

1 *Dubium hac de re Pontii Claromontani.*
2 *Mauritius Episcopus Parisiensis dubium solvit.*
3 *Stephanus Episcopus Tornacensis dubium primò fovere videtur.*

Sum-

4 *Summo deinde studio amplectitur clausulam*, ego te baptizo.
5 *Ex dubio Pontii, & responso Stephani concluditur laicos in casu necessitatis solitos olim fuisse baptizare absque prædicta clausula.*
6 *Relata in Corpus Decretalium decretali Alexandri III. creditum est validum non esse Baptismum sine his verbis*: ego te baptizo.
7 *Nemini cùm baptizat, fas est ea omittere.*

I. * SUperiore capite *num.* 14. leviter perstricta est quæstio de necessitate horum verborum, EGO TE BAPTIZO, in Baptismi administratione proferendum; quo circa non erit superfluum eam profundiùs discutere; ac primò examinare, quis huic movendæ occasionem dederit.

Duodecimo seculo Pontius Episcopus Claromontensis dicitur consuluisse Mauritium Episcopum Parisiensem, & Stephanum Abbatem, qui postmodum fuit Episcopus Tornacensis, de quodam puero, qui cum natus esset, nec posset Sacerdos ad baptizandum eum congruè reperiri: „ Pater ejus immersit eum „ aquâ dicens: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: „ Additque. Et hæc est pessima consuetudo in terra nostra, ut „ in talis necessitatis articulo dicant: *In nomine Patris, & Filii* „ *& Spiritu Sancti*, nec totam exprimant verborum formam, quæ „ debet exprimi in baptismo, quod *undiare* vocant." Quærit igitur Episcopus, utrum baptismus sic collatus sit validus, vel utrum puer postea debeat baptizari?

II. Super hoc per Episcopum Claromontensem proposito dubio respondit Mauritius Episcopus Parisiensis: „ Quia in quem „ modum forma baptismi tradi vel recipi debeat, scripturarum „ divinarum auctoritate, & sanctorum Patrum testimonio tradi„ tum habemus in hunc modum, scilicet: *Ego te baptizo in* „ *nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et tanta est ver„ borum vivacitas, ut nihil immutari, nihil innovari oporteat, ni„ si verò tota hæc verba simul à quocunque, & quacunque lin„ guâ proferantur, baptismum esse non credimus. Quia ergo „ sicut litterarum vestrarum testimonio cognovimus, presentium „ lator in submersione filii sui, *ego te baptizo* siluit, & tantum, „ *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, protulit, „ baptismus non fuit, & ideò puer ille baptizandus est, quia „ baptismum nunquam suscepit."

III. Stephanus verò, quantumvis Episcopi Parisiensis auctoritati plurimùm deferens, ejus opinioni dificulter se refragari audere profiteretur, tamen rescribere non veretur, sibi videri baptismum in necessitate collatum sub hac formula: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, esse validum, neque infantem sub ea formula baptizatum, esse rebaptizandum: „ Quia, „ inquit, qui Sacramentum Baptismi instituit, formam tradidit „ baptizandi: *ite*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in* „ *nomine Patris, & Filii, & Spiritu Sancti*: qui baptizandi si„ bi potestatem retinuit in hac forma, ministerium aliis conces„ sit. Nemo dixerit, pergit Stephanus, quia quod dicitur, *Ite,* „ *docete omnes gentes*, vel Sacramenti obtineat substantiam, vel „ exprimat formam. Teneamus quod sequitur, *baptizantes eos* „ *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, nondum ibi „ legi, *baptizantes eos*, & dicentes, *Ego te baptizo in nomine* „ *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Si baptizare intingere, & „ baptismus intinctio est, quid aliud sunt *baptizantes*, nisi „ intingentes? Intingendo ergo cum intentione baptizandi, si „ proferat quod veritas jubet, id est: *In nomine Patris, &* „ *Filii, & Spiritus Sancti*, baptizâsse videtur, & formam à „ Christo traditam complevisse."

Post hæc adductis in hanc sententiam plurium Patrum, ac signanter Sancti Augustini testimoniis, quibus relatis, ita concludit: „ Vides, Pater, quia solis verbis Evangelicis conse„ cratur baptismus, nusquam in toto Evangelio lego: *Ego te* „ *baptizo in nomine Patris, & Filii, &c.* sed tantùm, *bapti„ zantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*"

IV. Quantumvis autem crederet, tum scripturarum, tum Patrum auctoritate suam opinionem de validitate baptismi in necessitatis articulo, omissis his verbis, *Ego te baptizo*, collati sufficienter probatam; fatetur nihilominus, clausulam *Ego te baptizo*, eo etiam tempore fuisse inductam & præscriptam: „ Clausulam enim, ait, quæ à baptizan„ tibus debet, & solet dici, scilicet, *Ego te baptizo*, summa „ reverentiâ deosculor, summo studio amplector; eam mater Ec„ clesia sic induxit, ut esset de solemnitate ministerii, non de „ substantia sacramenti: nam si aliud dixerimus, absque medio „ confitebimur damnatos, quos in necessitatis articulo à laicis no„ vimus baptizatos. Hoc enim dicere solent, qui litteras igno„ rantes parvulos *undaisant* in nomine Patris, & Filii, & Spi„ ritus Sancti, in quibus verbis eandem virtutem inesse, quàm in „ latinis syllabis, idem significantibus, & credimus, & fatemur."

Ex his habemus, eo tempore receptam, & præscriptam fuisse hodiernam Baptismi formulam *Ego te Baptizo in nomine Patris, &c.* eamque in solemni Baptismo à sacerdotibus fuisse usitatam, quin & præceptam impendi.

Unde licèt crederet Stephanus, hæc verba: *Ego te baptizo* non pertinere ad substantiam Baptismi, scribere tamen non dubitat „ arguendos vehementer, & pœnitentiâ afficiendos Sa„ cerdotes, qui per negligentiam, aut imperitiam aliquid omi„ serunt de verborum solemni dignitate."

Neque ignorabat vir hic tum eruditione, tum sanctitate celebris, nefas esse Sacerdotibus, à præscriptis & receptis formulis recedere, aut eas mutare sub prætextu, quòd hæ formulæ in Evangelio aut SS. Patribus non reperiantur expressæ, nec ad substantiam Sacramenti pertinere dignoscantur.

V. Insuper ex hac Stephani responsione, & Pontii Claromontensis Episcopi proposito dubio habetur, laicos in casu necessitatis absque cæremoniis præscriptis infantem immergentes, sive baptizantes, solitos fuisse uti simplici invocatione Sanctissimæ Trinitatis, sine expressione horum verborum, *Ego te baptizo.*

Interim, quia moderna forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* ubique in solemni Baptismo adhibebatur, & à Sacerdotibus adhiberi præceptum erat, admodum probabile est, Mauritium Episcopum Parisiensem, more Scholasticorum, credidisse, eam formulam, quem videbat jam receptam, Scripturarum & SS. Patrum testimoniis esse traditam: quantumvis nec Scriptura, nec Patres ullibi hæc verba: *Ego te baptizo*, pro forma Baptismi requisivisse legantur.

Eodem verisimiliter fundamento Alexander III. in Decretali, in textu citato, respondit: Quod si puer tertiò in aquam immersus fuerit sub hac formula: *In nomine Patris, &c.* non sit baptizatus, si baptizans non dixerit: *Ego te baptizo.*

VI. Postquam autem hæc Decretalis Alexandri III. relata fuit inter Decretales Gregorii IX. communi Canonistarum & Theologorum Scholasticorum consensu, creditum fuit, Baptismum sine horum verborum, *Ego te baptizo*, expressione, invalidum esse.

Nec dubium, quin ad hanc Alexandri III. decretalem, nec non ad receptam in Ecclesia Latina formulam baptizandi cum hisce verbis: *Ego te baptizo*, respexerit Eugenius IV. in suo decreto pro Armenis, dicens: „ Principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, est Sanctissima Trinitas. Instrumentalis „ autem est minister, qui tradit exterius Sacramentum; si ex„ primitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum Sanc„ tissimæ Trinitatis invocatione perficitur Sacramentum."

Non enim obscurè innuit expressionem actûs ministerialis in baptismo requiri ad ejus effectum; adeò solicitè requirens, ut actus, qui per ministrum exercetur, exprimatur.

VII. Et quamvis his non obstantibus, aliqui dubitaverint, utrum hæc verba, *Ego te baptizo*, ad substantiam pertineant Baptismi, cùm nec iis etiamnum hodie utantur Græci, uti superiori capite, *n.* 13. notatum est, nec in Evangelio aut SS. Patribus hæc verba occurrant, uti notavit Stephanus Tornacensis; nihilominus indubitatum est, fas non esse Sacerdotibus, ea in solemni Baptismo; imò nec laicis in necessitate baptizantibus omittere; eosque solicitè instruendos, & monendos, ut servatâ formulâ hodie recepta, *Ego te Baptizo in nomine Patris, &c.* baptizent, nihilque ex prædicta formula intermitant.

CAPUT II.

De Ministro, loco, & tempore administrandi Baptismi.

1 *Ordinarius Minister Baptismi olim fuit Episcopus.*
2 *Olim Episcopi per se Baptismum conferebant.*
3 *Quomodo Parochi hodie jux baptizandi ab Episcopo accipiant.*
4 *Parochi hodie sunt ordinarii ministri Baptismi.*
5 *Baptizare solemniter nemo potest sine consensu Parochi.*
6 *Presbyteris, & Diaconis administratio Baptismi delegari potest; non autem inferioribus.*
7 *In casu necessitatis etiam laici baptizari possunt.*
8 *An laicus bigamus, aut qui Baptismum suum integrum non habet, in necessitate baptizare possit.*
9 *Mulier in necessitate potest baptizare.*
10 *Hæretici validè baptizant.*
11 *An Baptismus collatus à non Christiano, seu non baptizato sit validus.*
12 *Quilibet homo in casu necessitatis potest baptizare; sed inter plures concurrentes ordo servandus.*
13 *Nemo se ipsum potest baptizare.*
14 *Olim ferè in sola Ecclesia Cathedrali Baptismus solemniter dabatur.*
15 *Olim Ecclesiæ Baptismales distinctæ à Parochialibus.*
16 *Unde factum, ut Parochiales factæ sint pleræque Baptismales.*
17 *An in domibus privatis Baptismum adminstrare liceat.*
18 *Antiquitùs tempus Paschatis & Pentecostes administrando Baptismo præstitutum erat.*
19 *Consuetudo extra illud tempus conferendi Baptismum aliquando improbata.*

Qua-

20 *Quare illud tempus administrationi Baptismi sit conveniens.*
21 *Multis seculis hæc disciplina viguit, semper tamen exceptus fuit casus necessitatis.*
22 *Quomodo hæc disciplina sensim abrogata fuerit.*
23 *Baptismus infantium nullo prætextu differendus.*
24 *Quid pro conservanda pristina disciplina decreverit Sanctus Carolus.*
25 *Plura hodie adhuc supersunt veteris ritûs vestigia.*

I. ORdinarius Baptismi Minister imprimis est Episcopus, tamquam populi sibi commissi primarius & ordinarius Pastor. „ Dandi (Baptismi) jus habet (ait Tertullianus *lib. de* „ *Baptismo cap.* 16.) summus Sacerdos, qui est Episcopus, „ dehinc Presbyter, & Diaconi, non tamen *sine Episcopi* „ auctoritate."

Et S. Hieronymus contra Luciferianos: „ Sine Chrismate, „ & Episcopi *jussione*, neque Presbyter, neque Diaconus jus „ habent baptizandi."

Quin & seculo VIII. Synodus Vernensis *can.* 8. decrevit, ut „ omnes Presbyteri, qui in Parochia sunt, sub potestate „ Episcopi esse debeant, & de eorum ordine nullus Presbyter „ præsumat in illa Parochia baptizare, vel Missas celebrare sine „ *jussione* Episcopi."

Hinc evidens ex sententia Patrum, solis Episcopis jure proprio & ordinario competere collationem Baptismi.

II. Et quidem olim Episcopi per se Baptismum conferre solebant. De Sancto Ambrosio scribit in ejus vita Sanctus Paulinus: „ Erat etiam in rebus divinis implendis fortissimus, in tantum, „ ut quod implere solitus erat circa baptizandos, quinque pos- „ teà Episcopi à tempore, quo decessit, vix implerent."

Dixitque suo tempore S. Hieronymus de Episcopis generaliter: *Dant Baptismum, Catechumenos eruditunt.* In capit. 3. Sophoniæ.

III. Sed nec hodie Baptismum solemniter & extra casum necessitatis conferre licitè possunt Presbyteri, nisi potestate ab Episcopo acceptâ, & in ipsos ex plenitudine Sacerdotii Episcopalis derivata; hac tamem modernam inter & pristinam disciplinam intercedente differentiâ: quod juxta modernam, Parochi accipiant quidem curam animarum ab Episcopo, & per eam jus administrandi Sacramenta; sed eâ acceptâ, illa tunc independenter ab Episcopo, ac quasi jure proprio & ordinario, id est, jure sui officii & Beneficii Parochialis administrent: ubi econtrà olim Presbyteri quantumvis curam animarum exercentes à jussione Episcopi in ipsa Sacramentorum administratione continuò dependerent.

IV. Quapropter hodie Parochi sive Presbyteri Parochiales sunt in suis respectivè Parochiis ordinarii Ministri Baptismatis; illudque jure *proprio* & *ordinario* ministrant.

Unde ait Pontificale Romanum Pauli V. „ Legitimus qui- „ dem Baptismi Minister est *Parochus*, vel alius Sacerdos à Pa- „ rocho, vel Ordinario delegatus.

V. Et Pastorale Mechliniense: „ Jure datum est Sacerdo- „ tibus baptizare, sed in aliena Parochia, aut alienos Parochia- „ nos exequi non licet, nisi de Parochia, aut Ordinarii licentia."

Nulli ergo Presbytero, Diacono, aut Clerico sive seculari sive regulari licet baptizare cum consuetis cæremoniis, & extra casum necessitatis in aliqua Parochia sine licentia Parochi aut Episcopi; quam tamen licentiam Episcopus in præjudicium Parochi, nec dare solet, nec facilè dare debet.

VI. Presbyteris, & Diaconis officium baptizandi in ipsa Ordinatione assignatur, atque ad baptizandum quodammodo destinantur; quandoquidem Episcopus ordinans ad Sacerdotem dicat: „ *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse prædi-* „ *care*, & BAPTIZARE. " Et in Diaconi Ordinatione: „ *Diaco-* „ *num oportet ministrare ad altare*, BAPTIZARE, *& prædica-* „ *re* " Quare his Baptismi solemnis administratio delegari potest; „ secùs dicendum de inferioribus Clericis, aut Laicis.

Quin *cap.* 1. ✠ *de Clerico non ordinato ministrante*, sub nomine Hormisdæ Papæ refertur: „ Si quis baptizaverit, aut „ aliquod divinum officium exercuerit *non ordinatus*, propter „ temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur."

VII. Sine cæremoniis, & in casu necessitatis non tantùm Presbyteris, Diaconis, & Clericis, sed & Laicis jus est baptizandi; illudque jus eis apertè vindicat Tertullianus libro de Baptismo *cap.* 17. *Alioquin etiam Laicis jus est dandi Baptismi. Quod enim*, ait, *ex æquo accipitur, ex æquo dari potest.... Proindè & Baptismus, æquè Dei census, ab omnibus exerceri potest.*

Et Augustinus apud Gratianum *dist.* 4. *de Consecratione, can.* 21. „ In necessitate cùm Episcopi, aut Presbyteri, aut „ quilibet ministrorum non inveniuntur, & urget periculum ejus, „ qui petit, ne sine isto Sacramento hanc vitam finiat, etiam „ Laicos solere dare Sacramentum, quod acceperunt, solemus „ audire."

VIII. Sed hæc non de omnibus Laicis intelligi insinuare videtur vetus Canon 38. Eliberitanus, qui à ministrando Baptismo, etiam in necessitate, arcere videtur laicum, qui suum Baptismum *integrum non habet*, aut Bigamus est. Verba Canonis sunt: „ Peregrè navigantes, aut si Ecclesia in proximo non „ fuerit, posse Fidelem, qui lavacrum suum *integrum* habet, „ nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum „ Catechumenum; ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum „ perducat, ut per manus impositionem proficere possit."

Ut hic canon intelligatur, notandum cum Viro erudito Albaspinæo Episc. Aurelianensi in notis ad hunc Canonem, per illa verba: *Qui Lavacrum sacrum integrum habet* id indicari, quòd „ quis post lavacrum *non peccárit*, neque *pœnitentiam ullam* „ subierit; quòd peccato post Baptismum commisso, omnium, „ ut ita loquar, gratiarum ac beneficiorum, quæ acceperat, jac- „ turam faceret; ideoque Baptismum ejus, qui deliquisset, *non* „ *integrum* aut incorruptum videri ampliùs; quòd ex illo divi- „ næ gratiæ, qua instructus erat, quasi gradu excedisset."

Sicuti ergo juxta pristinam Patrum disciplinam nullus bigamus, aut pœnitens, hoc est, qui enormi peccato Baptismum violâsset, ad Sacerdotium promoveri poterat, aut Sacerdotale officium exercere; ita nec laicum bigamum aut pœnitentem ad hujus muneris Sacerdotalis exercitium admittendum censent Patres Eliberitani; uti observat Albaspinæus, & post illum Franciscus Le Roy Antecessor Andegavensis, in suis Institutionibus Juris Canonicis, *lib.* 2. *tit.* 3. *de Baptismo*, unà monentes, „ nec illud ita intelligendum, quasi ab eo laico Baptismus con- „ ferri non possit, qui solus etiam in necessitate occurrat biga- „ mus & pœnitens; sed ut ex multis laicis ibi præsentibus, ille „ solus baptizare possit, qui adhuc integrum Lavacrum habeat, „ & non sit bigamus."

Hîc obiter nota, quantam vitæ innocentiam Patres desideraverint etiam in laico, ut vel necessitate quodammodò cogente aliquod Sacerdotale munus obire posset.

IX. Mulieres à baptizandi officio excludere videtur Canon Concilii Carthaginensis IV. apud Gratianum *dist.* 4. *de Consecrat. can.* 20. „ Mulier quamvis docta, & sancta, viros in Con- „ ventu docere, vel aliquos baptizare non præsumat."

Verùm ex ipso contextu satis intelligitur, quòd sicuti ibidem agitur de publica instructione; ita quoque agatur de solemni & publica administratione Baptismi, idque extra casum necessitatis. Unde jam pridem ad citatum Canonem hanc clausulam adjecit Gratianus: *Nisi necessitate cogente*, remittens ulteriùs ad *Can.* SUPER QUIBUS, *caus.* 30. *q.* 3. ubi refertur hoc, sub nomine Urbani, Vitali Presbytero Briviensi datum responsum: „ Hoc videtur nobis ex sententia respondendum: ut & Baptis- „ mus sit, si instante necessitate fœmina puerum in nomine Tri- „ nitatis baptizaverit."

Hoc responsum post Eugenium IV. in Decreto pro Armenis amplectitur Ecclesia Catholica; censetque etiam mulierem validè baptizare posse (g).

X. Quoad Hæreticos an Baptismus ab iis in forma legitima & secundum intentionem Ecclesiæ collatus esset validus, tempore S. Cypriani magnas fuisse motas difficultates notum est; nimirum Cypriano & Episcopis Africanis hujusmodi Baptismum invalidum sustinentibus: de quo est *Can.* 70. *causa*, 1. *quæst.* 1. apud Gratianum. Verùm vicit sententia Stephani, & Cornelii Romanorum Pontificum, aliorumque Baptismum validum esse asserentium; eamque tanquam indubitatam suo tempore tradidit S. Augustinus, è cujus scriptis desumpti sunt Canones 28. 29. & 34. *Dist.* 4. *de Consecrat.*

XI. De infideli autem vel Judæo, qui in Christum nunquam credidit, qui nec Baptismum accepit, etiam ipse Augustinus dubius hæsit. „ Et hæc quidem alia quæstio (ait *lib.* 2. *contra epist.* „ *Parmeniani*, *cap.* 13.) utrum & ab iis, qui nunquam fue- „ runt Christiani, possit Baptismus dari: nec aliquid temerè in- „ de affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum „ tantæ rei sufficit."

Quin & seculo IX. Bulgaros de validitate Baptismi à Judæo vel Pagano collati dubitâsse ex Epistola Nicolai I. ad consulta Bulgarorum colligitur. In ea enim ait Pontifex: „ A quodam Ju- „ dæo, nescitis utrum Christiano, an Pagano, multos in pa- „ tria vestra baptizatos asseritis; & quid de illis agendum sit „ consulitis. " Ea hæsitatio Bulgatorum, cui respondet Pontifex: „ Hi profectò si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantùm in „ Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, bap- „ tizati sunt (unum quippe idemque est, ut S. Ambrosius ex- „ ponit) constat eos non esse rebaptizandos. " Apud Gratianum *Dist.* 4. *de Consecrat. Can.* 24.

Post hoc Pontificis responsum ab omnibus creditum est, etiam infideles, si de cætero essentialia Baptismi adhibeant, validè Baptismum conferre; illudque tanquam Ecclesiæ doctrinam in instructione pro Armenis expressit Eugenius IV. *In casu necessitatis*, inquit, *etiam* PAGANUS *baptizare potest.*

Hinc

(g) *Id observandum est adversus Calvinum, qui in suo* Antidoto *negat laicos & fœminas posse in casu necessitatis baptizare.*

XII. Hinc omnia passim Ritualia, & Pastoralia monent, Baptismi ministrum, quoties infans in vitæ periculo versatur, esse quemlibet hominem; quòd si plures, qui baptizare possint, adsint, ordinem inter illos servandam præscribit Rituale Romanum his verbis: „ Si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Dia„ conus Subdiacono, Clericus Laico, & vir fœminæ; nisi, ait, „ pudoris gratiâ deceat fœminam potiùs quàm virum baptizare „ infantem non omninò editum, vel nisi meliùs fœmina sciret „ formam & modum baptizandi.“ Quod ultimum non rarò contingit in concursu alicujus vulgaris Laici cum *obstetrice*, quæ solet & debet esse magis de forma baptizandi instructa; ut infra dicemus.

Ordinem in Rituali Romano præscriptum iisdem planè verbis exhibet quoque Pastorale Mechliniense (h).

XIII. Tametsi à ministrando Baptismo, in casu necessitatis nemo repellatur; nequaquam tamen quemquam posse seipsum baptizare respondit Innocentius III. in *cap.* 4. ✠ *de Baptismo*, resolvitque Judæum, qui in mortis articulo existens, nec alius adesset qui ipsum baptizaret, in aquam seipsum immersit, dicendo: *Ego* ME *baptizo in nomine Patris &c.* denuò ab alio esse baptizandum; cum inter baptizantem & baptizatum debeat esse discretio.

XIV. Quemadmodum primis seculis penè soli Episcopi Baptismum solemnem conferebant; atque Baptismi soli ministri Ordinarii reputabantur; ita in sola Ecclesia Cathedrali seu Episcopali, vel certè Baptisterio illi Ecclesiæ juncto, Baptismus *solemnis* administrabatur: notatque Christianus Lupus, quòd olim sola principalis Ecclesia habuerit Baptisterium. *De Africanæ Ecclesiæ appellation. cap.* 28.

Illius vestigium hodie visitur Florentiæ in Italia. In ea enim civitate (uti observat Du Cange in Glossario, verbo *Baptisterium*) „ è regione maximi templi Ecclesia est rotunda S. Joan„ ni Baptistæ sacra: Hanc *Baptisterium* appellant, tota & hæc „ marmorea, habens januas, quas æneæ valvæ operis egregii oc„ cludunt. In medio illius Ecclesiæ Baptisterium è marmore „ lucidissimo visitur, in quo Florentini omnes Baptismi lava„ crum percipiunt, neque alibi quispiam, præter quam in hoc „ Baptisterio aquis salutaribus tingitur. Quæ quidem adnotare „ libuit, tanquam veteris moris institutum, cùm olim in civi„ tatibus, in Ecclesiis tantùm Cathedralibus, aut iis adjunctis „ Baptisteriis Baptismus conferreretur, in quibus etiamnum super„ sunt ejusmodi Baptisteria, tametsi nulli ferè usui.“

XV. Multiplicato postmodum Fidelium numero etiam in una eademque civitate plura Baptisteria construi cœpêre; non tamen nisi in principalioribus Ecclesiis, aut prope eas, quas propterea *Baptismales* dixerunt *Can.* 54. & 55. *caus.* 16. *q.* 1. ad distinctionem earum Ecclesiarum etiam Parochialium, quæ Baptisterio carebant; quemadmodum etiamnum hodie in aliquibus civitatibus plures cernuntur Ecclesiæ Parochiales Baptisterio destitutæ.

Et quidem in civitate Leodiensi, licèt sint triginta circiter Ecclesiæ Parochiales, tamen non nisi quinque sunt *Baptismales*, atque earum una, quæ Cathedrali juncta est; quæ forsan olim ipsius Ecclesiæ Cathedralis Baptisterium constituebat.

XVI. Dum sequentibus seculis Parochi facti sunt ordinarii ministri Baptismi: illudque ministerium penè totum ad illos fuit devolutum; tunc quoque contingit, ut omnes passim erectæ Parochiales Ecclesiæ Baptisterium acceperint; in quo omnes Parochiæ incolæ solemniter baptizarentur, & spiritualiter renascerentur, atque hoc titulo Ecclesiam Parochialem tanquam matrem, quæ in Christo ipsos genuit, recognoscerent, & venerarentur. Hæc omnia fusiùs exponit & probat Josephus Vicecomes in *Observationibus Ecclesiasticis de antiquis Baptismi Ritibus, lib.* 1. *cap.* 8. &. 9.

Itaque Parochiani singuli in sua respective Ecclesia Parochiali (si Baptismalis fuerit) baptizandi sunt; neque magis fas est aliquem in aliena Parochia, quàm ab alieno Parocho baptizari.

XVII. Prohibuit autem Concilium Viennense relatum in *Clem. unic. de Baptismo*: „ Ne quis de cætero in aulis vel Ca„ meris aut aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, „ in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (ni„ si Regum vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, „ liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit propter quam „ nequeat ad Ecclesiam absque periculo, propter hoc acces„ sus haberi) audeat baptizare. Qui autem secus præsumpserit, „ aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum „ suum castigetur, quòd alii attentare similia non præsumant.“

Hanc Clementinam insequens Rituale Romanum addit, quòd dum in Principum domibus Baptismus confertur, „ id fiat in „ eorum Capellis, seu Oratoriis, & in aqua Baptismali de mo„ re Benedicta.“ Adjungitque Pastorale Mechliniense: „ Et „ præmissis exorcismis, & catechismo, aliisque adhibitis cære„ moniis in Pastorali præscriptis.“

XVIII. Olim solemni Baptismo duo tempora scilicet Paschatis & Pentecostes præscripta fuisse, testis est Tertullianus *libro de Baptismo, cap.* 19. scribens: *Diem Baptismo solemnem* PASCHA *præstat.* Et paulò post: *Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est.*

XIX. Cumque seculo IV. apud quasdam Ecclesias invaluisset consuetudo baptizandi passim ac liberè in Natalitiis Christi seu apparitionis, necnon Apostolorum seu Martyrum festivitatibus, Siricius Papa scribens ad Himerium Tarraconensem *cap.* 2. non dubitat dicere, quòd hæc consuetudo sit improbabilis & emendanda confusio, „ quæ, ait, à nostris Consacer„ dotibus (quod commoti dicimus) non ratione auctoritatis, sed „ sola temeritate præsumitur..... Cùm hoc sibi privilegium & „ apud nos, & apud omnes Ecclesias, Dominicum specialiter „ cum Pentecoste sua Pascha defendat, quibus solis per annum „ diebus ad fidem confluentibus generalia Baptismatis tradi con„ venit Sacramenta.“ Deindè concludens ait: „ Hactenus erra„ tum in hac parte sufficiat: nunc, præfatam Regulam omnes „ teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ Petræ, super „ quam Christus universalem construit Ecclesiam, soliditate „ divelli.“ Fragmentum hujus Epistolæ habetur *dist.* 4. *de Consec. Can.* 11.

Cumque rursus seculo V. nonnulli Episcopi per Siciliam constituti in vigilia, & die Epiphaniæ Dominicæ Baptismum conferre præsumerent, S. Leo in Epistola ad universos Episcopos per Siciliam constitutos, non dubitat asserere, ipsos ab *Apostolicæ institutionis consuetudine discrepare*: ac se mirari, ipsos ac prædecessores ipsorum tam irrationabilem novitatem usurpare potuisse.

XX. Post hæc *cap.* 2. ostendit, servandam esse temporum ac mysteriorum distinctionem. Deindè *cap.* 3. docet, die Resurrectionis Dominicæ sive Paschatis convenienter baptizandis fidelibus esse destinatum: Quia *apparet regenerandis filiis hominum, & in Dei filios adoptandis, illum diem esse & illud tempus electum, in quo per similitudinem formamque mysterii, ea quæ geruntur in membris, his quæ in ipso sunt capite gesta congruerent*: „ dum in Baptismatis regula, & mors intervenit „ interfectione peccati, & sepulturam triduanam imitatur trina „ immersio, & ab aquis elevatio, resurgentis instar est de se„ pulchro.“

Paschati „ additur etiam Pentecostes, ait Leo, ex Adven„ tu Spiritus Sancti sacrata solemnitas, quæ de Paschalis festi „ pendet articulo. Et cùm ad alios dies alia festa pertineant, „ hæc semper ad eum diem, qui resurrectione Domini est in„ signis, occurrit.“

Tandem adductis nonnullis argumentis, quibus hanc disciplinam probet, concludit: „ His itaque, fratres charissimi, „ tot ac tantis existentibus documentis, quibus omni ambigui„ tate submota, evidenter agnoscitis, in electis baptizandis... „ *duo tantùm tempora*, id est, *Pascha* & *Pentecosten* esse ser„ vanda, hoc vestræ indicimus charitati, ut ab Apostolicis „ institutis nullo ulteriùs recedatis excessu. Quia inultum post „ hæc esse non poterit, si quisquam Apostolicas regulas in ali„ quo crediderit negligendas.“

Epistolam Leonis in plures partes divisam refert Gratianus citata *dist.* 4. *Can.* 12. 13. 14. ac deindè *Can.* 15 17. 18. referuntur decreta Concilii Gerundensis & Gelasii Papæ eandem disciplinam confirmantia.

XXI. His addi potest Epistola 4. Gregorii II. qua ostenditur, disciplinam duabus duntaxat his Festivitatibus baptizandi adhuc secul. VIII. obtinuisse. Quin & seculo XI. eandem disciplinam superstitem fuisse probat Concilium Rothomagense anno 1072. *Can.* 24. decernens: „ Item juxta sanctorum Patrum „ decreta, scilicet Innocentii Papæ, & Leonis, statuimus, ne „ generale Baptisma, nisi *Sabbato Paschæ* & *Pentecostes* fiat. „ Hoc quidem servato, quòd parvulis, quocunque tempore, „ quocunque die petierint, regenerationis lavacrum non negli„ getur. Vigilia vel die Epiphaniæ, ut nullus, nisi infirmitatis „ necessitate, baptizetur, omninò interdicimus.“

Porrò quòd excipiatur casus necesitatis, id jam pridem in decretis Siricii ac Leonis cautum fuit, nimirùm: „ Si qui neces„ sitate mortis, ægritudinis, obsidionis, persecutionis, & nau„ fragii urgentur, omni tempore debent baptizari:“ uti loquitur S. Leo in citata Epistola, & apud Gratianum dicta *dist.* 4. *Can.* 16.

Quia autem infantibus ordinariè morale periculum imminet, rectè hoc Concilium decernit, „ ut parvulis quocunque tem„ pore, quocunque die petierint: regenerationis lavacrum „ non negetur.“

XXII. Ulteriùs, quia tandem invaluit, ut vix alii quàm infan-

(h) *Idem quoque præscribunt, aut supponunt alia Dioceseon Ecclesiæ Occidentalis Ritualia: At de Græcorum Orientalium Euchologiis id non omninò certum est: siquidem testatur Arcudius* tract. de Baptism. cap. 2. *plurimos è Græcis Schismaticis contendere, quòd peccent laici, qui in casu necessitatis Baptisma conferunt.*

tes ad Baptismum veniant, hinc quoque factum est, ut pristina disciplina totaliter penè abrogata, Baptismus etiam solemnis non tantùm infantibus, sed etiam adultis conferri quovis tempore cœperit. Dicit tamen Rituale Romanum: „Antiquum Ri„ tum (scilicet solemni cæremonia in Sabbato Sancto Paschæ, „ & Sabbato Pentecostes baptizandi) quantùm fieri commo„ dè potest, in adultis baptizandis, nisi vitæ periculum im„ mineat, retineri decet, aut certè non omninò prætermitti, „ præcipuè in Metropolitanis, aut Cathedralibus Ecclesiis."

Hoc desiderio retinendi pristini ritus Patres Concilii Redigensis (i) in Anglia anno 1279. censuerunt, „ delarandum „ vel statuendum, ut pueri per octo dies ante Pascha, & „ per dies totidem ante Pentecosten de matrum uteris nati, si „ absque periculo reservari valeant, reserventur usque illa tem„ pora (Paschatis & Pentecostes) baptizandi."

XXIII. Verùm cùm in tam tenera ætate vix sine periculo aliquo infantes sine Baptismo per tot dies reservari possint, meritò Synodi nostræ necnon libri Rituales præscribunt, ut infantes quamprimum baptizentur; atque signanter Pastorale Me„ chliniense ait: „ Hortetur Parochus subditos suos, ut in„ fantes non differant ad Baptismum offerre, ut saltem in„ tra triduum à partu baptizentur; neque etiam ipsi pueru„ lo Baptismum impendere differat, etiamsi illegitimus sit, nec „ habeat fidejussorem pro alimentatione."

Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 6. *cap.* 2. vult, ut „ Pa„ rochi pro pueris baptizandis vocati, quanto breviorem pote„ runt, præfigant horam, qua puer ad Ecclesiam deferatur, „ eaque ad Ecclesiam se conferant: quod si propter ipsorum „ moram puer sine baptismo moriatur, graviter puniantur."

Et Synodus Diœcesana Cameracensis anno 1567. *tit. de Baptismo*, *cap.* 1. injungit Pastoribus, „ ut studiosè fideles do„ ceant, eisque nostra etiam, ait, auctoritate injungant, ut „ quo citiùs & commodiùs possit, proles suas regenerandas Ec„ clesiæ offerant. Nec susceptorum quorumvis vel absentia, vel „ mora, Baptismum sine licentia Parochi differant diutiùs, quàm „ ad secundum diem à partu. Neque hujus rei gratia infan„ tes per laicas personas baptizari procurent, nam illud ma„ ximo salutis periculo non caret; istud verò extra necessi„ tatem factum, ut Ecclesiæ traditioni est contrarium, ita irre„ gularitatis censura castigatur."

Eadem reliquæ Belgicæ Synodi passim inculcant; præsertim, ne ob susceptorum absentiam, aut moram Baptismus differatur, aut per laicas personas conferatur.

XXIV. Sanctus Carolus veteris disciplinæ, necnon Aposlici instituti tenacissimus, non ignorans vetus fuisse ac religiosum institutum, Baptismum in festis Paschalibus in Ecclesia Cathedrali solemniter conferre, ut hujus instituti memoria, quantum sine infantium periculo fieri posset conservaretur, in suo Concilio P. IV. *part.* 2. §. 2. statuit: „ Si qui „ infantes intra alicujus urbanæ Parochialis Ecclesiæ fines Sab„ bato Sancto, usque ad Sabbatum in Albis, & à Sabbato „ item vigiliæ Pentecostes usque ad Sabbatum proximum na„ ti, baptizandi sunt; ad Cathedralem Ecclesiam, cui pro ob„ servantiæ officio, proque veteris instituti usu, statis illis heb„ domadis hoc tribui debet, deferantur: si modo cuiquam ob „ mortis periculum, in Parochiali Ecclesia, quæ propiùs ad„ est, Baptismum statim administrare necesse non sit.

Hæc Carolus qui ibidem præscribit, quòd Fontis Baptismalis Benedictio in vigilia Paschatis & Pentecostes frequenti Sacerdotum & Cleri ad Ecclesiam Cathedralem Conventu & solemni ritu sit peragenda.

XXV. Hæc fontis baptismalis illis diebus benedictio, veteris moris conferendi his diebus baptismatis est vestigium; uti & lectio Prophetiarum tunc fieri solita, indicans Catechismum Cathechumenorum, qui immediatè ante Baptismum prælectione Scripturarum istituebatur.

Similiter orationes, quæ tempore Paschali pro renatis fonte baptismatis specialiter funduntur; ac signanter quòd per totam octavam Paschatis & Pentecostes in Canone Sacerdos orans dicat: *Pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu Sancto*, manifesta sunt pristinæ disciplinæ relicta vestigia.

CAPUT III.

De Ritibus Baptismi.

1 *Pristina disciplina Ecclesiæ aperit hodiernorum rituum originem.*
2 *Plures olim fuêre Catechumenorum ordines.*
3 *In primo ordine Catechumeni catechizabantur.*
4 *Sacra Scriptura ipsis compendiosè exponebatur.*
5 *Explorabatur, quo motivo ad fidem Christianam accederent.*
6 *Aliter rudiores, aliter eruditiores instruebantur.*
7 *Describitur secundus Catechumenorum ordo, qui* Audientes *dicebantur.*
8 *Tertius Catechumenorum ordo, qui* Orantes *vel* Genufletentes *dicti sunt.*
9 *In tertio ordine constituti &* pecantes *interdum ad secundum rursus retrudebantur.*
10 *Catechumeni secundi ordinis exire debebant ex Ecclesia ante Catechumenos tertii ordinis.*
11 *Catechumeni suos habebant speciales Catechistas.*
12 *Origo hodierni Catechismi; & qua ratione à pristino diferat.*
13 *Catechumeni in tertio ordine exercitati per suos Catechistas baptizandi Episcopo offerebantur, & nomina eorum dabantur.*
14 *Quid hæc* nominum datio.
15 *Quartus ordo Catechumenorum, qui* Competentes *dicti.*
16 *Quo die nomina danda.*
17 *Catechumeni Competentes dicti* Electi.
18 *Per signum crucis & manûs impositionem ad hunc ordinem admitebantur.*
19 *Hujus ritus etiam hodie supersunt vestigia.*
20 *Symbolum Fidei competentibus tradebatur & exponebatur.*
21 *Etiam hodie hic ritus inter ceremonias Baptismi superest.*
22 *Catechumeni ante Baptismum debebant reddere Symbolum; & quid hæc* redditio Symboli.
23 *Hæc redditio Symboli etiamnum inter cæremonias Baptismi superet.*
24 *Non tantùm circa fidem, sed vivendi præcepta Catechumeni instruebantur & examinabantur.*
25 *Illud examen potissimùm instituebatur; quando Catechumeni erant in quarto gradu.*
26 *Vitæ mutationem æquè ac fidei professionem publicè Catechumeni profitebantur.*
27 *Hodie similis quoque fit professio.*
28 *Dies Baptismi annuè recolendus.*
29 *Catechumeni exorcismis, crucis signationibus, & orationibus exercebantur.*
30 *Exorcismi & sufflationes super infantes dicuntur.*
31 *Manus impositio antiquissima.*
32 *Ritus illi adhuc in Ecclesia perseverant.*
33 *Catechumeni utebantur* minutis *Sacramentis, & quare.*
34 *Sacramentum Catechumenorum erat* sal.
35 *Quid hodie huic ritu respondeat.*
36 *Catechumeni demùm ad Baptismum admittebantur, quando sufficienter erant probati.*
37 *Idem hodie in adultis observandum.*
38 *Recenter baptizati induebantur veste alba.*
39 *Vestis hæc totum corpus tegebat.*
40 *Veste illa utebantur per septem dies Paschales.*
41 *Quid hodie de hoc ritu observetur.*
42 *Neophytis sive recenter baptizatis dabantur ardentes cerei.*
43 *Gestabant hos cereos per septem dies.*
44 *Hodie etiam datur candela accensa.*
45 *Olim Neophyti post susceptum Baptismum statim confirmabantur.*
46 *Hodie chrismatur à Sacerdote in vertice.*
47 *Neophytis etiam antiquitùs dabatur S. Eucharistia.*
48 *Dabatur quoque Neophytis lac & mel.*
49 *Etiam adultis illud dabatur.*
50 *Quid mysterii hæc mellis, & lactis gustatio denotaret.*
51 *Propter recenter baptizatos voluit Ecclesia dies Paschales esse dies lætitiæ.*
52 *Eo etiam hodierna lætitiæ signa tempore Paschali tendunt.*

I. PLeraque, quæ hodie circa baptizandos, aut recenter baptizatos ex præscripto Ecclesiæ peraguntur, facilius percipientur, si attendamus disciplinam, quam olim in Baptismo adultorum, extra casum necessitatis Ecclesia observavit.

Hinc quippè facilè intelligemus, quid plerisque hodiernis ritibus occasionem dederit, quæ circa illos sit, ac fuerit vera Ecclesiæ intentio; & qua ratione etiam hodie pristinam Ecclesiæ disciplinam, si non secundum litteram, & exteriorem corticem, saltem juxta ejus spiritum, ac interiorem quasi medullam, servare possimus.

II. Plures primitùs fuere eorum, qui ad Baptismum disponebantur, classes sive ordines, in quibus sensim ad Christianismum & Baptismum disponebantur, & gradatim quasi ascendebant.

III. Dum enim homini pagano seu gentili desiderium aliquod divinitùs injiciebatur convertendi se ad Christianismum, primùm privatim in domo circa vanitatem & superstitionem paganismi, necnon ipsa prima Christianismi principia ac fundamenta edocebatur: illudque munus Diaconi aliive inferiores Clerici obibant.

Hinc ille tractatus S. Augustini *de Catechizandis rudibus* scripsit*a*.

(i) Reding, *sive* Reding, *urbecula ad Tamesim fluvium*

scriptus ad postulationem cujusdam Diaconi Cartaginensis hujusmodi instructionibus occupati ; uti ex his Augustini verbis intelligimus : „ Petisti me , Frater Deogratias, ut aliquid ad te „ de catechizandis rudibus, quod tibi usui esset, scriberem. „ Dixisti enim , quòd sæpe apud Cartaginem , ubi Diaconus es, „ ad te adducuntur , qui fide Christiana primitùs imbuendi „ sunt.“

IV. In hoc tractatu Augustinus modum admodum concinnum & utilem instruendi, sive catechizandi rudiores præscribit, atque imprimis vult , ut catechizando historia veteris Testamenti breviter exponatur; ut ex hac ipsa historia catechizandus ad Christum , ejusque Ecclesiam ducatur.

„Nequaquam tamen propterea integram sacram Scripturam „ debemus memoriter reddere , vel nostris verbis , ait, omnia „ quæ his continentur voluminibus (sacræ Scripturæ) narrando „ evolvere , & explicare; quod nec tempus capit , nec neces„ sitas postulat : sed cuncta summatim generatimque complecti; „ ita ut eligantur quædam mirabiliora, quæ suaviùs audiuntur.“

Quare veteris Testamenti expositio convertendis ad Christum & Ecclesiam conveniat, subjungit: „ Neque enim ob aliud „ ante adventum Domini scripta sunt omnia , quæ in sanctis „ Scripturis legimus , nisi ut illius commendaretur adventus , & „ futura præsignaretur Ecclesia , id est , populus Dei per omnes „ gentes , quod est corpus ejus ; adjunctis atque adnumeratis „ omnibus Sanctis , qui etiam ante adventum ejus in hoc sæculo „ vixerunt , ita credentes eum venturum esse , sicut nos ve„ nisse.“

V. Monet deindè *cap.* 5. à Catechista diligenter inquirendum , quo motivo catechizandus moveatur ad fidem Christianam suscipiendam. „ Si enim , ait , aliquod incommodum de„ vitando , quorum offensionem aut inimicitias reformidat , vult „ fieri Christianus , non fieri vult potiùs quàm fingere.“

Hæc meritò attendunt , qui hodie convertendis & instruendis hæreticis incumbunt ; utpotè qui non rarò spe commodi alicujus temporalis consequendi ad fidem Catholicam amplectendam desiderium aliquod ostendunt , vel potiùs fingunt.

VI. Ulteriùs *cap.* 8. ostendit Augustinus , aliter idiotas , aliter eruditiores Paganos esse catechizandos ; pluràque alia deindè præscribit , quæ tractatus illius utilitatem , præsertim pro illis qui catechizandis populis occupantur , evincunt ; probantque pristinum catechizandi modum multò sublimiorem fuisse hodierno.

VII. postquam autem per hanc privatam instructionem aliquousque essent de Religione Christiana instructi ; tum ad publicas instructiones , quæ in Ecclesia per Episcopum habebantur , accedebant ; atque inde *Audientes* dicebantur ; tùmque primùm propriè *Catechumeni* vocari poterant : „ Quia „ (ait Isidorus *lib. de Origine vocum* , *cap.* 14.) Catechume„ nus dictus pro eo quòd adhuc doctrinam fidei audit , nec„ dum tamen Baptismum percepit.“ Quare & à Latinis Patribus Catechumenus passim *Auditor* , vel *Audiens* nuncupatur; uti notat & probat Hugo Menardus *in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii* , *pag.* 129.

VIII. Postquam verò Catechumeni in hoc ordine aliquo tempore perseverâssent , & in excipiendis publicis instructionibus diligentes fuissent , animumque ad amplectendam fidem christianam testati ad altiorem gradum ascendebant , ubi participes consortesque fiebant orationum , & exorcismorum , qui super Catechumenos fundebantur ; quem in finem in genua in ipsa Ecclesia procumbebant , inde *Orantes* vel *Genuflectentes* appellati.

IX. Duplicis hujus Ordinis Catechumenorum , scilicet *Audientium* & *Genuflectentium* meminit Canon V. Neocesariensis, qui ex versione Gentiani Herveti ita habet: „ Catechumenus si „ Dominicum ingrediens , in Catechumenorum Ordine steterit, „ is autem pecat : si genu quidem flectens , *audiat*, non am„ pliùs peccans. Sin autem etiam *audiens* adhuc peccet , extru„ datur.“

Hunc Canonem sic exponit Aristenus : „ Nonnulli modò „ accedunt; quo circa & ut imperfectiores post Scripturarum & „ Evangeliorum auditionem statim emittuntur. Alii autem ante „ tempus aliquod advenerunt , & perfectiores evaserunt : quare „ & post Evangelium preces pro Catechumenis factas expectant, „ & dum dicitur *Catechumeni capita vestra Domino flectite*, „ GENU FLECTUNT. Perfectiores itaque , ut qui bona Dei verba „ prægustârunt , si lapsi fuerunt, statione sua moventur , & cum „ Audientibus collocantur ; si autem & cum Audientes sint, pe„ cant, ab Ecclesia perfectè expellantur.“

Hanc Aristeni expositionem eruditiores Canonum Interpretes tùm Græci , tùm Latini communi consensu amplectuntur , agnoscuntque ex mente hujus Synodi , Catechumenum in altiori gradu , scilicet *Genuflectentium* , constitutum, & ibi peccantem, rursus ad inferiorem , quasi in pœnam retrudi ; qui verò in primo gradu Catechumenorum , id est , Audientium constitutus in peccatum labitur, ab Ecclesia perfectè, sive absolutè pellatur, seu non ampliùs tan quam Catechumenus admittatur.

In eundem sensum accipiendus Canon XIV. Nicænus : „ De „ Catechumenis , qui lapsi sunt , visum est & sanctæ & magnæ „ Synodo , ut ii tribus tantùm annis Audientes , posteà orent „ cum Catechumenis.“

X. Insuper hîc observant Canonum Commentatores , Catechumenos Audientes , sive primi ordinis, tantùm potuisse lectioni Scripturarum interesse , ac ea finita mox exire debuisse , at verò Genuflectentes mansisse quousque à Diacono diceretur: *Quicunque Catechumeni discedite.*

XI. Catechumeni verò in Audientium , aut Genuflectentium classe suos interim Magistros seu Catechistas habebant , qui eosdem in fide & vita Christiana instruerent ; atque eorum profectui , modoque vivendi invigilarent. „ Optatum inter Lectores „ Doctorem Audientium constituimus“ ait S. Cyprianus *epist.* 24.

XII. Hinc collige , originem hujus catechismi , qui inter cæremonias Baptismi hodie reponitur ; eumque primitùs fuisse verum Catechismum, seu instructionem Catechumenorum vel baptizandorum.

XII. Dum convenienti tempore in hisce gradibus essent excitati , judicarenturque idonei qui Baptismum accipere possent, à suis Catechistis ad Episcopum ducebantur ; atque testimonium de catechumenorum scientia & vita reddentes, ac quodammodo spondentes (unde *Sponsores* vel etiam *Fidejussores* dicti) illos ad Baptismum præsentabant; quando & unà Catechumeni nomina sua dabant; ut nimirùm annotarentur inter illos , qui jam proximè ad suscipiendum Baptismum erant destinati seu electi.

XIV. De hac *nominum datione* frequens in pristinis Canonibus & Patribus mentio occurrit : „ Baptizandi *nomen suum dent*, „ ac diu sub abstinentia vini & carnium ac manus impositione cre„ bra examinati , Baptismum percipiant.“ ait Synodus Carthag. IV. *Can.* 85.

Sanctus Augustinus multis locis *dationis nominum* meminit; atque signanter libro *de Fide* & *Operibus* , ubi ait : „ Quod „ autem fit per omne tempus , quod in Ecclesia salubriter cons„ titutum est , ut ad nomen Christi accedentes, Catechumenorum „ nomen accipiant : hoc fit multò diligentiùs & instantiùs his die„ bus , quibus *Competentes* vocantur ; cùm ad precipiendum „ Baptismum *sua nomina* jam dederunt.

XV. Datis nominibus Catechumeni in perfectiore & superiore classe collocabantur, dicebanturque *Competentes*, ut ex relatis Sancti Augustini verbis constat.

Sanctus Isidorus *lib.* 2. *de Ecclesiast. Officiis*, *cap.* 21. Competentes dicit, „ qui jam post doctrinam fidei , post continen„ tiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant : ideoque „ appellantur *Competentes* , id est , gratiam Christi *petentes*.“

Eandem rationem nomenclaturæ insinuat Augustinus libro *de Fide & Operibus* , *cap.* 6. dicens : „ Cùm fontis illius Sacramenta *peteremus* , atque ob hoc *competentes* etiam vocaremur.“

XVI. Quo tempore , & die nomina danda essent , varia fuit pro varietate temporum & Ecclesiarum disciplina.

Initium Quadragesimæ primitùs ad hoc ordinatum fuisse non obscurè innuit Sanctus Augustinus *Serm.* 13. *ad Neophytos*: „ Per omnem Quadragesimam vacaverunt (Competentes) ora„ tionibus & jejuniis , in sacco & cinere dormierunt, futuram vi„ tam peccatorum suorum confessione quærentes.“

Sub idem tempus ad Episcopum Tarracones. scribit Siricius Papa : „ Generalia Baptismatis tradi convenit Sacramenta , his duntaxat electis , qui ante quadraginta dies *nomen dederint* , & „ exorcismis , quotidianisque orationibus atque jejuniis fuerint „ expiati.“

In Ordine Romano , qui circa tempora S. Gregorii scriptus creditur , hoc tempus ad quartam feriam hebdomadæ quartæ Quadragesimæ contractum est ; uti videre est sub titulo *de Denuntiatione scrutinii ad Electos.*

De hac varietate consule Notas ad Sermonem 212. Augustini in editione novissima Parisiensi.

XVII. Quidquid sit de varia in hoc puncto Ecclesiarum disciplina , id constat, Catechumenos in hoc Competentium ordine constitutos , etiam vocatos fuisse *Electos* , tanquam jam ad Baptismum proximè suscipiendum adscriptos : imò jam inter Fideles computatos, uti docet Sanctus Isidorus loco citato, ubi ipsos Audientes asserit esse *quasi hospites* & *vicinos* Fidelium ; de foris , ait , audiunt mysteria , audiunt gratiam , sed adhuc non appellantur *Fideles*. „ Competentes autem (pergit „ Isidorus) jam petunt , jam accipiunt , jam catechizantur, id est, „ imbuuntur instructione Fidei & Sacramentorum. Istis enim „ salutare Symbolum traditur , quasi commonitorium Fidei , & „ sanctæ confessionis indicium , quo instructi agnoscant , quales „ jam ad gratiam Christis exhibere se debeant.“

XVIII. Ad hanc ultimam classem per *crucis* signum ac *manus impositionem* recipiebantur , quemadmodum testatur Augustinus *lib. de peccatorum Meritis & Rem. cap.* 26. „ Nam & Ca„ techumenos secundum quendam modum per signum crucis „ & orationem manus impositionis puto sanctificari.“

Et clariùs *lib. de Catechizandis Rudibus* , *cap.* 26. ubi ex professo dicit , quòd postquam catechizatus est instructus , ac

interrogatus, an quæ audivit credat, atque observare desideret; si responderit, ait, *solemniter utique* SIGNANDUS *est*, & Ecclesiæ *more tractandus*.

XIX. Hujus ritus etiam hodie superest memoria; quia juxta Rituale Romanum, post factam exorcizationem & varias preces fusas super infantem, tandem prævie ante inductionem in Ecclesia, signat Sacerdos infantem in fronte *signo crucis*, & *imponit manus super caput infantis*.

XX. His itaque Catechumenis non tantùm prima Religionis rudimenta, sive elementa tradebantur, quemadmodum incipientibus, sed abstrusiora etiam mysteria, quæ passim infidelibus occultabantur. Atque imprimis Fidei Symbolum *Competentibus* tradebatur, & exponebatur.

Id apertè tradit S. Augustinus *lib.* 1. *Retr. cap.* 17. ubi rationem reddens scripti à se libri *de fide ac symbolo*, ait: *In quo de rebus ipsis ita disseritur, ut tamen non fiat verborum illa contextio*, quæ tenenda memoriter competentibus traditur: quasi diceret, in exponendo Symbolo non facta est illa verborum contextio, quæ solet esse dum Symbolum traditur ad discendum Competentibus; quam contextionem ipse August. in tract. *de Symbolo ad Catechumenos* observavit; ubi & in ipso limine hunc ritum ita exponit: „ Accipite, Filii, Regulam fidei, quod „ *symbolum* dicitur. Et cùm acceperitis, in corde scribite, & „ quotidie dicite apud vos: antequam dormiatis, antequam procedatis, vestro symbolo vos munite. Symbolum nemo scribit „ ut legi possit; sed ad recensendum, ne forte deleat oblivio, „ quod tradidit diligentia, sit vobis codex vestra memoria: Quod „ audituri estis, hoc credituri: & quod credideritis, hoc etiam „ lingua reddituri, ait enim Apostolus, Rom. cap. 10. v. 10. „ *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Hoc est enim symbolum, quod recensuri estis, & „ reddituri.“

XXI. Huic traditioni Symboli respondet quòd hodie ad præscriptum Ritualis Rom. cùm fuerint ingressi Sacerdos, infans & Susceptores, Sacerdos procedens ad fontem cum susceptoribus conjunctim clara voce dicat Symbolum. Si autem adultus fuerit baptizandus, tunc is cum Sacerdote illud recitet.

XXII. Quod hîc & alibi sæpiùs de redditione Symboli, significat ritum multis seculis usitatum, recitandi publicè ac solemniter ipsum Symbolum ante Baptismi susceptionem per modum cujusdam professionis fidei.

Totum hunc redditionis ritum, & rationem exponit S. Augustinus *lib.* 8. *Confess. c.* 2. ubi loquitur de Victorino nobili Rhetore Romano, qui cùm primò se Christianum esse occultè Simpliciano Episcopo Mediolanensi intimâsset; sed palam profiteri erubescebat, tandem hortatu dicti Episcopi deposito timore, subitò dixit Simpliciano: „ Eamus in Ecclesiam, Christia„ nus volo fieri. At ille non se capiens lætitia perrexit cum eo. „ Ubi autem imbutus est primis instructionum Sacramentis, non „ multo post etiam nomen dedit, ut per Baptismum regenera„ retur, mirante Roma, gaudente Ecclesia.“

Post hæc subjicit Augustinus: „ Denique ut ventum est ad „ horam *professionis fidei*, quæ verbis certis, conceptis, retentisque memoriter, de loco eminentiori in conspectu populi „ fidelis Romæ reddi solet ab iis, qui accessuri sunt ad gratiam „ tuam, oblatum esse dicebat Victorino à Presbyteris ut secretiùs redderet, sicut nonnullis, qui verecundiâ trepidaturi „ videbantur, offerri mos erat: illum autem maluisse salutem „ suam in conspectu sanctæ multitudinis profiteri.“

Hæc ergo Symboli *redditio* erat quædam publica fidei professio; de qua etiam loquitur S. August. *Serm.* 58. & 59. ult. edit.

XXIII. Huic redditioni Symboli sive professioni fidei, respondet illa professio fidei, quam immediatè ante Baptismum ad interrogationem Sacerdotis facit baptizandus per se, si sit adultus; per susceptores verò, si fuerit infans.

XXIV. Nec tantùm circa fidem cura, & solicitudo Pastorum & Episcoporum versabatur, sed vel maximè circa præcepta ac principia vitæ christianæ, morumque disciplinam soliciti erant pastores; ut & de illis ipsi Catechumeni ante Baptismum ritè essent instructi; ipsisque constaret, Catechumenos sincerè diabolo ejusque operibus renuntiâsse, ac Christum induisse; cavantes vel maximè ne Baptismum indignis nec à peccatis suis debitè conversis annuendo, darent sancta canibus.

Hac de re librum integrum *de Fide & Operibus* scripsit S. August. in quo ex professo ostendit, non tantùm fidem, sed etiam morum doctrinam esse tradendam ante Baptismum; multisque probat, & invictissimè astruit, peccatis priùs esse renuntiandum, vitamque mutandam, quam quis ad Baptismum (extra casum necessitatis) admittatur; atque *cap.* 6. hæc habet: „ Videamus unde agitur, id est, utrum ad percipiendum Bap„ tismum sic admittendi sint homines, ut nulla ibi vigilet dili„ gentia, ne Sanctum canibus detur, usque adeò ut nec aper„ tissimi adulterii perpetratores & ejus perseverantiæ profes„ sores, à Sacramento tantæ sanctitatis videantur arcendi: quo „ sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies, quibus eandem gratiam percepturi, suis nominibus datis, abstinentia, jeju„ niis, exorcismisque purgantur, cum suis legitimis & veris „ uxoribus se concubituros profiterentur, atque hujus rei, quam„ vis alio tempore licitè, paucis ipsis solemnibus diebus nul„ lam continentiam servaturos. Quomodo igitur ad illa sancta „ recusans correctionem adulter admittitur, quo recusans ob„ servationem non admittitur conjugatus?

Ex hoc Augustini discursu insuper discimus, Catechumenos tempore Catechumenatus, abstinentia, jejuniis, exorcismisque exercitatos ac purgatos, & etiam conjugatos actu conjugali abstinuisse.

XXV. Hoc quoque ibidem indicat Augustinus, exercitia illa Catechumenorum, ac Pastorum circa Catechumenos solicitudinem, necnon scrutinium sive examen super eorum fide & vitæ mutatione potissimùm instituta fuisse eo tempore, quo in hoc gradu *Competentium* versabantur, quod inferiùs adhuc apertiùs declarat dicens: „ Quod autem fit per omne tempus, quo „ in Ecclesia salubriter constitutum est, ut ad nomen Christi „ accedentes Catechumenorum gradus excipiat (hoc est, uti „ notant Operum Revisores, ipse gradus Catechumenorum eos „ accipiat, qui ad Christi nomen accedunt) hoc fit multò di„ ligentiùs & instantiùs his diebus, quibus Competentes vocan„ tur, cùm ad percipiendum Baptismum sua nomina jam de„ derunt.“

In veteri Ordine Romano circa tempora S. Gregorii scripto dicitur, „ præscribuntur septem scrutinia Catechumenorum à „ die quo nomina data sunt, usque ad Vigiliam Paschatis, qua „ baptismus conferendus erat.“

XXVI. Porrò sicuti Catechumeni per Symboli recitationem publicè suam profitebantur fidem; ita quoque vitæ suæ mutationem testabantur, renuntiando publicè diabolo ejusque operibus ac pompis.

Unde in hæc verba S. Pauli ad Timot. 1. cap. 6. v. 12. *Apprehende vitam æternam, in qua vocatus es; confessus bonam confessionem coram multis testibus*, scribit S. Hieronymus: » Confessus es bonam confessionem in Baptismo, renuntiando » seculo & pompis ejus coram multis testibus, coram Sacerdoti» bus, vel Ministris, virtutibusque cœlestibus. «

Hunc renuntiandi morem ex traditione ad nos dimanâsse asserit S. Basilius *libro de Spiritu sancto*, *cap.* 27. » Ter immergi » hominem unde est traditum? Reliqua item, quæ fiunt in Bap» tismo, veluti *renuntiare sathanæ*, ex qua scriptura habemus? » nonne ex privata & arcana traditione? « Sanctus Ambrosius *libro de initiandis*, *cap.* 2. » Ingresus es regenerationis sacrarium: » repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Re» nuntiasti diabolo & operibus ejus, mundo, & luxuriæ ejus ac » voluptatibus. «

XXVII. Huic renuntiationi respondet hodierna renuntiatio, quam Catechumenus per se, vel per susceptores ad interrogationem Sacerdotis pronuntiat.

XXVIII. Sed quia hæc professio plerumque hodie in infantia fieri solet per Susceptores, monet S. Carolus in suâ Synodo VI. *cap.* 8. ut Parochus & Confessarius cohortationis officio in id incumbant, ut Fidelium unusquisque annuè recolat diem suum baptismatis, atque eo potissimum die » sanctè sese excitet » ad præclaram illam sponsionem & christianam professionem, » quam in sacro lavacro per Sponsores solemniter edidit. *Repe» te*, inquit Sanctissimus Pater noster Ambrosius, *quid inter» rogatus sis*, *recognosce quid responderis. Renuntiasti diabolo » & operibus ejus: mundo & luxuriæ ejus ac voluptatibus: me» mor esto sermonis tui, & numquam tibi excidat tuæ series » cautionis.* «

XXIX. In hoc quoque Catechumenorum gradu frequentiores erant orationes & exorcismi, iisque adjunctæ manuum impositiones, ut iis mediantibus Catechumeni à vitiis contractis in Gentilitate ampliùs purgarentur, & ad baptismum dignè suscipiendum disponerentur.

Unde Augustinus *lib. de Fide*, *& operibus*, *cap.* 6. *n.* 9. ait: » Vel non intueamur alios, qui per singulos annos ad lavacrum » regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus, quibus ca» techizantur, exorcizantur, scrutantur, quanta vigilantia con» veniant, quo studio ferveant, qua cura pendeant. «

XXX. Exorcismos, exufflationes etiam super infantes baptizandos suo tempore dici solitos fuisse, testatur Augustinus; atque ex illo Ecclesiæ ritu probat, Ecclesiam agnoscere infantes peccato originali obnoxios nasci. Sic enim scribit ad Sixtum Presbiterum *Ep.* 194. *n.* 34. ult. edit. » Circum stipantur enim & » divinarum auctoritate lectionum, & antiquitùs tradito & re» tento firmo Ecclesiæ ritu in baptismate parvulorum, ubi ex» pertissimè demonstrantur infantes, & cùm exorcizantur, & » cùm ei se per eos à quibus gestantur, *renuntiare* respondent, » à diaboli dominatione liberari. «

Et infra *n.* 46. » Quid ad hoc respondeant, quòd *exorcizan» tur* & *ex sufflantur* infantes, hoc enim procul dubio fallaciter » fit, si diabolus eis non dominatur. Si autem dominatur, & ideò » non fallaciter *exorcizantur*, & *exsufflantur*, per quod do» mi-

„ minatur, nisi per peccatum (k) princeps utique peccatorum? "

XXXI Manuum impositionis quoque super Catechumenos frequens est apud Veteres mentio. „ Non uniusmodi est sanctificatio, nam Catechumenos secundum unum suum quendam „ modum per signum Christi, & orationem sub *manus impositione* puto sanctificari: " ait Augustinus *lib. 2. de Baptismo Parvulor. cap. 37.* Plura testimonia idipsum probantia notat Du Cange suo Glossario, verbo *Manus impositio.*

Per *signum Christi* in citatis verbis intelligere Augustinum *signum Crucis*, perspicuum est; & ipsos Catechumenos Cruce signari solitos fuisse pluribus locis testatur. Et quidem *lib. 1. Confess.* ubi suæ inter Catechumenos relationis mentionem faciens ait: *Signabar jam signo Crucis ejus.*

XXXII. Hinc facilè intelligimus, quàm immeritò Hæretici ritus nostros Baptismi; qui potissimùm in exorcismis, exsufflationibus, manuum impositionibus, crucis signationibus, & orationibus variis consistunt, tanquam novos & quasi superstitiosos explodant; cùm eos videamus jam pridem à Patribus fuisse adhibitos, & nobis traditos.

XXXIII. Catechumeni in quarto ordine (l) constituti, jamque Baptismo proximi, minutis quibusdam Sacramentis, sive Sacramentalibus utebantur: ut nimirum per ea ad vera Ecclesiæ Sacramenta suscipienda paulatim disponerentur, quemadmodum exponit Vir eruditus Gabriel Albaspinæus *lib. 2. Observat. cap. fin.* „ Inter cæteros ritus, ait, quibus olim formabantur Catechumeni, minutis quibusdam Sacramentis utebatur Ecclesia, non solùm ut mysteriorum rudes Eucharistiæ „ paulatim assuescerent, sed etiam ut vitæ Christianæ semina, „ quæ in ipsa auditione animis combiberant, horum Sacramentorum usu foverent. Nam quamvis Corporis Christi perfecta „ illi (m) omninò formata membra non erant, utcunque tamen „ ei adhærebant, Christianitatisque spiritum quodammodo ducere incipiebant."

XXXIV. Sacramenti Catechumenorum meminit S. August. *lib. de Catechiz. Rudibus, cap. 27.* „ De Sacramento sane, „ (scilicet salis) ait, quod accipit (Catechumenus) cum ei benè commendatum fuit, signacula quidem rerum divinarum „ esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari; nec sic „ habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet: dicendum etiam quid significet & sermo ille, quem audivit, quid in illo *condiat*, cujus illa res similitudinem gerit."

Notant hinc eruditi Operum Augustini Revisores, Lovaniensem editionem legere, *condatur*; sed ipsi notant: Verius „ *MSS.* & *Am.* CONDIAT. „ Nam agitur hîc, inquiunt, de Sacramento *salis*, quo Catechumenus initiatur. Huc pertinet „ illud Augustini *lib. 1. Conf. cap. 11. Et signabar jam signo „ crucis ejus, & condiebar ejus sale, jam inde ab utero Matris meæ.* Ipsa est, quam hic dixit *speciem benedictione sanctificantem*: adeoque paulò suprà loco *sane* legendum videtur, „ *salis.*"

Per Sacramentum ab Augustino intelligi *salem* Catechumeno tradi solitum, probat quoque Concilium Carthaginense III. cui ipse Augustinus interfuit, Canone V. hoc decernens: „ Item „ placuit ut per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi *solitum sal*, quia si Fideles per illos „ dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet „ mutari."

XXXV. Hîc habemus originem benedictionis *salis*, quæ hodie in collatione Baptismi fieri debet, atque in os infantis immitti sub hac verborum formula: *N. Accipe* SALEM *sapientiæ: propitiatio tibi sit in vitam æternam.*"

XXXVI. Catechumeni jam sufficienter probati & instructi ad Baptismum admittebantur: Nam, ut ait *Canon II.* Nicænus, *Catechumeno tempore opus*; ut scilicet ritè disponatur: „ Quid enim agit totum tempus, quo Catechumenorum locum „ & nomen tenent, nisi ut audiant, quæ fides, & qualis vita debeat esse Christianis, ut cùm *seipsos probaverint*, tunc „ de Mensa Domini manducent, & de Calice bibant, inquit „ Augustinus *lib. 1. de Fide & bonis Operib. cap. 6.*

XXXVII. Nec minus hodie ipsi baptizandi adulti prævièprobandi sunt quàm olim; utrum scilicet in fide sint satinstructi, & vitam anteriorem revera detestentur. Hoc probè intelligentes & expendentes duo zelosissimi hujus seculi Præsules, Franciscus Episcopus Heliopolitanus, & Petrus Episcopus Berytensis, qui in Tunchini & Cochinnæ regnis multò cum fructu Evangelium annuntiârunt, quasdam ediderunt Instructiones, quas Cardinalis Bona jussu Congregationis de propaganda fide recensens, Apostolico spiritu scriptas fuisse testatur, easque ejusdem Congregationis typographus Romæ evulgavit.

In his conqueruntur Prælati illi de quibusdam Missionariis, qui de numero potiùs, quàm de virtute à se baptizatorum gloriantes, *obvios quosvis, vix explorata illorum voluntate, unâ aut altera instructione contenti, sacra Baptismi fonte abluunt.*

Post hæc declarant, sibi visum esse, „ Catechismi tempus „ non breviori quàm quadraginta dierum spatio vulgo definire, „ nec alios ad Baptismum admittendos esse, nisi qui ante qua„ draginta dies nomen dederint. Cùm enim experientia, quæ „ sacris Canonibus consona est, satis notum sit, diuturniorem „ moram esse perutilem ad obtinendam in christiana fide perse„ verantiam. Diutiùs probari debent rudiores, & obtusioris, „ tardiorisque ingenii servi, & qui temporalis pœnæ vitandæ „ gratia fidem amplecti velle videntur, aut sperant aliquid lucri „ & commodi se consecuturos ex eo quòd Christiani fiant: Ii „ denique, qui levis & inconstantis animi signa aliqua de„ derunt."

Declarant prætereà, Missionarios, qui passim tempus illud præoccupant, fidei christianæ & animarum saluti plurimum nocere. „ Enim verò, inquiunt, comprobatum est experien„ tia, Christianos pejores non inveniri, quàm qui ante compe„ tentem instructionem ad Baptismum admissi sunt; quippe qua „ facilitate Christo nomen dederunt, eadem ut plurimum nun„ tium ei remittunt."

Tertiò declarant, Missionarios non posse ad Baptismum admittere, tametsi in fide benè instructos, & eum ardenter petentes, nisi ante ex bona conversatione exploratum sit, eos pristinis vitiis ac criminibus renuntiâsse, moresque verè Christianos induisse.

Nolunt quoque ad Baptismum admitti Gentiles, quantumvis emendationem vitæ spondeant, nisi ante illius susceptionem operibus, non verbis tantùm suam emendationem probaverint. „ Sicut sacro à Baptismatis fonte rejiciendi sunt (inquiunt) qui „ vitiis, ac peccatis obstinatè adhærent; ita procul ab eo ex„ pellendi, qui nolunt interioris conversionis signa operibus da„ re: cùm inde pateat, infectam peccati amore voluntatem „ adhuc gerere."

Denique declarant, nullum esse habendam rationem nonnullorum, qui de Baptismatis dilatione conqueruntur, quasi propter inopinatos casus, Catechumenos morti ac proinde æternæ damnationi exponant.

Hæc omnia latiùs videri possunt apud Gasparem Jueninum in Commentario historico & dogmatico de Sacramentis *Dissert. 2. quæst. 7. cap. 2. art. 2.* (n).

XXXVIII. Baptizati è fonte Baptismatis educti vestibus albis induebantur, de quo ritu testatur Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi myst. 4.* ejus ritus rationem reddens: „ Exutis „ vestibus antiquis, & iis, quæ secundum spiritum *albæ*, in„ dutis, perpetuò jam in albis incedere oportet. Non hoc ideò „ dicimus, quasi alba te semper vestimenta habere necesse sit; „ sed quos his, quæ verè alba, splendida, & spiritualia sunt, „ vestire oporteat."

Ejusdem ritûs meminit S. Ambrosius *lib. de Initiandis, cap. 7.* „ Accepistis (ait ad recentes baptizatos) post hæc ves„ timenta *candida*, ut esset indicium, quòd exueritis involu„ crum peccatorum, indueritis innocentiæ casta velamina: " Gratianus *Dist. 4. de Consecration. can. 92.* Et Canone præcedenti idem astruitur auctoritate Rabani Mauri; pluresque ejus mysticæ rationes redduntur.

Innita sunt penès omnes omnium seculorum tam Latinos, quàm Græcos Scriptores, hujus ritûs testimonia.

XXXIX. Vestem hanc totum corpus baptizati tegisse, ac propterea baptizatos exteriori habitu totos albos & candidos apparuisse, innuunt non obscurè omnia illa Patrum testimonia, quibus testantur simpliciter & indefinitè, baptizatos accepisse *vestem candidam*; quòd *induerentur vestibus albis*; quodque dicerentur, *Nivei, Albi, Candidi*; quæ omnia dici non potuissent, nisi ipsi baptizati vestem toti corpori congruentem accepissent.

Ad recenter baptizatos sermonem habens S. Augustinus in Vigiliis Paschalibus ita loquitur: „ Infantes isti, quos cernitis, „ exteriùs *dealbatos*, interiusque mundatos, qui *candore vestium* splendorem mentium præfigurant &c." *Sermo 223.* ex edit. Benedictinorum, qui ibidem notant, infantes dictos fuisse novissimè baptizatos etiam ætate majores.

XL. Vestem hanc in omnibus penè Ecclesiis septem diebus retinebant Neophiti; id est, ea in Sabbato sancto egredientes de fonte Baptismatis induebantur, & Sabbato sequenti deponebant. Hujus disciplinæ luculentus testis est S. Augustinus *ser-*

mo-

tium *à gradu* Electorum, *cum alii utrumque non secernunt.*

(m) *Scilicet Catechumeni, qui in quarta clase versati dicuntur.*

(n) *Jueninus loco citato observat circa Baptismi collationem vim antiquorum Canonum his etiam temporibus adhuc vigere; quamvis ritus eorum externus multis abhinc seculis non obtineat.*

(k) *Diabolus eo loco vocatur* peccatum, *quia auctor est peccati.*

(l) *Sunt Theologi, qui arbitrantur non extitisse olim nisi tres clases Catechumenorum, primam* Audientium, *secundam* Genuflectentium, *tertiam* Competentium; *quartam admittit noster Auctor, quia videtur distinguere gradum* Competen-

mone 157. de Dominica in Octava Paschatis: „ Paschalis solem-„ nitas, ait, hodierna festivitate concluditur, & ideò hodie „ Neophytorum habitus commutatur, ita tamen, ut *candor*, „ qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur."

Quare septem hos dies, *albas* vocabant teste Rabano *libro* 2. *de Instit. Cleric. cap.* 39. „ Alios septem dies in memo-„ riam ejusdem Resurrectionis Dominicæ congrua festivitate sub-„ jungens, quos septem dies, *albas* vocitamus propter eos, „ qui in sancta nocte baptizati, *albis* per totam hebdomadam „ utuntur vestibus."

Nequaquam etiam obscurum est ex allatis testimoniis, Neophytos seu recenter baptizatos vestem candidam integris illis septem diebus, tanquam ordinariam & vulgarem vestem detulisse; nec tantùm in Ecclesia, sed ubique cum ea incesisse; quod & aliis testimoniis confirmat Vicecomes dicto loco *cap.* 14.

XLI. Hodie ex præscripto Ritualium imponitur capiti recenter baptizati linteolum candidum loco vestis albæ sub hac verborum formula: *Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri* JESU CHRISTI, *ut habeas vitam æternam.*

XLII. Neophytis olim cereos traditos fuisse in manibus refert Cyrilus Hierosolymitanus *Catechesi* 1. *mystag.* & ejusdem meminit S. Gregor. Nazianzenus *Orat.* 4. *de Baptismo*; ubi Baptismi cæremonias describens, in earum numerum gestationem cærei quoque reponit: & *orat.* 39. de baptizatorum luminibus loquens ait: „ Baptismus porrò *luminum* no-„ mine appellatur, quòd purget & illustret. Quo etiam fit, ut „ faces eo tempore in lætitiæ signum accendamus."

Et seculo IX. scripsit Amalarius Fortunatus *lib.* 1. *de Eccles. Officiis*, *cap.* 26. „ Clamante voce Sacerdotis, ut des-„ cendat virtus Spiritus Sancti in aquam, *cerei* Neophyto-„ rum deponuntur in aquam. Quare hoc? Nisi ut demons-„ tretur modò cereus signare Spiritum Sanctum."

XLIII. Cereo septem diebus, quemadmodum veste candida Neophytos olim usos fuisse clarè expressit seculo VI. (o) scribens Alcuinus *de Divinis Officiis*, *cap. de Sabbato in Albis*, ubi postquam dixisset, quòd Neophyti septem diebus vestibus albis uterentur, id est, à Sabbato Sancto usque ad Sabbatum in Albis, subjicit: „ Ita nostri baptizati, extinctis pec-„ catis præteritis, ducuntur quotidie ad Ecclesiam, *colum-„ na cærei illuminata* præcedente eos."

XLIV. Hodie sacerdos dat Neophyto vel Patrino candelam accensam, dicens: *Accipe lampadem ardentem, & irreprehensibilis custodi Baptismum tuum: serva Dei mandata, ut cùm Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei unà cum omnibus Sanctis in aula cœlesti, habeasque vitam æternam, & vivas in secula seculorum.*

XLV. Post susceptum Baptismum statim baptizati Chrismate ab Episcopo in fronte ungebantur, sive confirmabantur. „ Oportet (ait Canon 48. Loadicenus) eos qui illumi-„ nantur (sive, ut legit Dionysius Exiguus, *qui baptizan-„ tur*) post Baptisma inungi super cœlesti Chrismate, & es-„ se regni cœlestis participes."

Hujus disciplinæ apud primæ & mediæ ætatis scriptores Græcos & Latinos infinita sunt, & obvia testimonia, quæ citat Menardus in notis ad Sacrament. Gregorii pag. 144. additque, „ Nec ungebatur Neophytus in vertice à Presbytero, „ cùm ejusmodi unctio instituta sit ob defectum Episcopi. Qui-„ nimò, ut rectè advertit Gabriel Albaspinæus *lib.* 1. *obser-„ vat. cap.* 25." Nemo *Christiani* nomen olim sortiebatur, ne-„ mo perfectus existimabatur Christianus, qui dono Spiritus „ Sancti *confirmatus* & donatus non esset."

Hocque est, quod Canone 29. Eliberitano dicitur „ Gen-„ tiles si in infirmitate desideraverint sibi manum imponi; si fue-„ rit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit, eis ma-„ num imponi, & fieri Christianos."

Idipsum Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 3. *Mystag.* evidenter expressit dicens: „ Hujus sancti Chrismatis dono ac-„ cepto, meritò appellamini *Christiani*: veram efficientes ap-„ pellationem in ipsa regeneratione; ante enim quàm hæc gra-„ tia vobis donata esset, non eratis propriè digni eo nomi-„ ne, sed pergentes eo usque progressi estis, ut efficeremi-„ ni Christiani."

Plura in hanc rem adducit Christianus Lupus in notis ad librum Tertulliani *de Præscriptionibus*, *cap.* 41.

XLVI. Hodie Neophytus à Presbytero cum Chrismate ungitur in vertice (quæ unctio, uti suprà ex Menardo notatum est, olim non fiebat) his verbis: *Deus Omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te lineat* CRISMATE *salutis in eodem Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam.*

XLVII. Post Confirmationis Sacramentum Neophytis collatum, etiam Eucharistiæ participes efficiebantur. Quem ritum evidenter expressit S. Ambros. libro *de Initiandis*, *cap.* 8. & aliorum veterum testimoniis asserit Hugo Menar. loco cit. *pag.* 106. ostenditque non tantùm adultis, sed & Infantibus recens baptizatis Sacram Eucharistiam datam fuisse: quod & Augustinus pluribus locis expressit; quamvis numquam credide-rit, Eucharistiæ sumptionem infantibus necessariam esse ad salutem, ut rectè probat Card. Bona *lib.* 2. *rerum liturgic. cap.* 12.

XLVIII. Datum quoque fuit Neophytis *lac* & *mel*: cujus ritus non obscurè meminit Tertullianus *de Corona militis*, *cap.* 3. ibi referens quid in baptismate ageretur, ait: *ter mergitamur ampliùs aliquid respondentes, quàm Dominus in Evangelio determinavit. Inde* (ex aqua) *suscepti* LACTIS & MELLIS *concordiam prægustamus.* Ejusdem ritus meminit quoque *lib.* 1. *contra Marcionem*, dicens quòd per LACTIS & MELLIS *societatem Christus suos infantes lactet.*

Hinc illud Canonis XL. in Codice Ecclesiæ Africanæ: „ Pri-„ mitiæ verò, *lac* & *mel*, quod uno die solemnissimo ad *infan-„ tium mysterium*, solet offerri, quamvis in altari offerantur, „ suam tamen habeant propriam benedictionem, ut à Sacramento „ Dominici Corporis, & Sanguinis distinguantur."

XLIX. Hæc verba ad *mysterium infantium*, non significant, *lac* & *mel* solis infantibus & non adultis recenter baptizatis datum fuisse; sed quòd daretur Neophytis ad indicandum mysterium *infantiæ*; hoc est, ut per hoc indicaretur recenter baptizatis, quòd per baptisma omni malitia, & dolo depositis, debeant semper infantium simplicitatem conservare juxta illud S. Petri à Neophytos: *Quasi modo geniti infantes sine dolo lac concupiscite.* 1. Pet. cap. 2. v. 2.

L. In antiquo Ordine Romano extat specialis benedictio lactis & melliis, his verbis: „ Benedic, Domine, has crea-„ turas lactis & mellis, & pota famulos tuos fonte perenni, „ qui est spiritus veritatis, & enutri eos de hoc lacte & mel-„ le." Deinde subjungit: „ Tu enim Domine promisisti Pa-„ tribus nostris Abraham, Isaac, & Jacob dicens: Introdu-„ cam vos in terram repromissionis, terram fluentem lac & „ mel." Quibus verbis indicatur alia ratio mystica, nimirùm quòd baptizati relicto Ægypto, id est, gentilitate, ingrediantur in Ecclesiam, terram fluentem lacte & melle; id est, omnibus deliciis spiritualibus.

Tandem subjicitur oratio, quæ indicat lac & mel fuisse in unum commixta. „ Conjunge Domine famulos tuos spi-„ ritu charitatis & pacis, sicut conjunctum est hoc lac & mel, „ in Christo Jesu Domino nostro."

LI. propter recens baptizatos Ecclesia in festis Paschalibus ingentia lætitiæ signa jam pridem exhibuit; ut propterea objicienti cuidam: „ ipsum Dominum post lavacrum statim „ tentationes circumsteterunt, quadraginta diebus jejuniis func-„ tum: " Ergo & nos, à lavacro potiùs jejunare oportet: responderit Tertullianus *lib. de Baptismis*, *cap.* 20. Et quis enim prohibet, nisi *necessitas gaudii* & gratulatio salutis. Et auctor Sermonis 163. *de tempore* inter sermones Augustini, nunc 168. in appendice ad tomum 5. operum Augustini, ait: „ Hic igi-„ tur dies est, Dilectissimi, quem fecit Dominus, ut audis-„ tis, celsior cunctis, ludicior universis, in quo sibi novam „ plebem, ut ipsi videtis, regenerationis spiritu conquisivit, in „ quo singulorum mentes *gaudio & exultatione* perfudit."

Neque letitiæ signa in Officio Divino tempore Paschali aliò tendere, quàm ad demonstrandum gaudium de nova generationis prole, jam pridem expressit Rupertus Abbas *lib.* 7. *de Divinis Officiis cap.* 11. ubi ait: „ Quia nox illa sacra-„ tissima, in qua jam, ut dictum est, prima resurrectione re-„ surgunt, qui baptizantur, novi Ecclesiæ filii, protinus tan-„ quam de salicibus directa nostra certatim organa persultant, „ *Alleluja*." Et mox infra: „ *Hoc alleluja* sicut & reliquum „ hujus diei officium, maximè baptizatorum est *exultatio*, eo „ quòd prima, ut dictum est, resurrectione jam consurrexe-„ runt cum Christo."

Pluribus hæc prosequitur Josephus Vice-Comes *de antiquis Baptismi ritibus*, *lib.* 5. *cap.* 48. ostenditque in signum majoris gaudii ac lætitiæ spiritualis, septem dies Paschales *Festos* olim fuisse; uti & Pentecostales; atque exinde apud nos etiamnum hodie *Octavas* superesse.

CAPUT IV.

De Patrinis, et obstetricibus.

1 *Catechistæ Catechumenarum olim dictæ* Sponsores.
2 *Interdum etiam* Susceptores *dicti.*
3 *Quando alius in Baptismo, alius in Catechismo Susceptor adhibitus fuerit, incertum.*
4 *Primitùs soli viri in Baptismo virorum, & solæ mulieres in Baptismo mulierum adhibebantur, & quare.*

Quan-

(o) *Alcuinus obiit ann.* 1784.

5 *Quando, & quare hæc disciplina mutata.*
6 *Susceptorum officium olim fuit Neophytis ad Baptismum præsentare.*
7 *Hi ipsos baptizatos egredientes è fonte Baptismatis suscipiebant: & quid huic ritui hodie respondeat.*
8 *Qui curam Neophytorum ante Baptismum habuerant, eam post Baptismum continuare debebant.*
9 *Hodie Patrinorum officium circa curam baptizatorum fere unicè versatur.*
10 *Monitum Concilii Coloniensis de hac obligatione; eamque omnes Synodi Belgicæ inculcant.*
11 *Pastores attendere debent, quos in Patrinos admittant.*
12 *Qui ab hoc munere rejiciendi.*
13 *Eligendi potiùs, qui animæ prolium, quàm qui inopiæ consulere possunt.*
14 *Patrini non defunguntur suo munere dando munusculum.*
15 *Quid circa muneris dationem Edictis Carol. V. hic in Belgio decretum fuerit.*
16 *Parochi, aliique Ecclesiastici, & Monachi non facilè officium Patrini assumere debent, & quare.*
17 *Parentes olim suas proles offerebant ad Baptismum.*
18 *Quomodo, & quare id fuerit vetitum.*
19 *Epistola supposititia Papæ* Deus dedit *mutatæ disciplinæ occasionem forsan dedit.*
20 *Obstetrices ad procurandum Infantibus Baptismum concurrunt, & quid de his decreverit Synodus Mechliniensis.*
20 *Obstetrices non admittendæ, nisi à Pastore loci examinatæ, & instructæ.*
22 *Synodorum Decreta confirmârunt Principes; voluntque in earum admissione interveniat Magistratus loci.*
23 *Obstetrices quam curam adhibere debeant circa proles ex illegitimo concubitu, earumque matres.*
24 *Obstetrices instruendæ circa formam, & materiam Baptismi.*
25 *Quid agendum, si mulier gravida, antequam pariat, moriatur, ut proli Baptismus conferri queat.*

I. EX dictis capite præcedenti intelligi potest, olim nonnullos fuisse instructioni, & directioni catechumenorum specialiter intendentes, qui ipsos Catechumenos, cùm tempus Baptismi instaret, ad Episcopum adducerent, sive præsentarent, à Tertulliano de *Baptismo*, cap. 18. *Sponsores*, & ab aliis frequenter *Fidejussores*, aut etiam *Fidei-dictores*, tanquam qui de fide, ac sufficiente instructione Catechumenorum *fidem darent*, vel *sponderent*, vel subinde *Offerentes* dictos, eò quòd Catechumenos ad Baptismum *offerrent*.

II. Nonnunquam & *Susceptores* appellabantur, eò quòd Catechumenos ex aquis Baptismalibus exeuntes *susciperent*, abluerent, & vestirent. Hinc illud S. Basilii ad Posthumianum *Epist.* 128. „ Primo baptismate initiatus es ad pietatem: utinam » te è sacro fonte levàssem. "

Et in antiquo Ordine Romano post datum Baptismum jungitur: „ Et sint parati, qui eos suscepturi sunt cum linteis in » manibus eorum, & accipiant ipsos à Pontifice & Presbyteris » vel Diaconibus, qui eos baptizant."

III. Gratianus sub nomine Higinii Papæ *Dist.* 4. *de Consecrat. Can.* 100. refert: In Catechismo & in Baptismo & in » Confirmatione unus *Patrinus* fieri potest, si necessitas cogit. » Non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli » suscipiunt."

Si Decretum hoc Higino Papæ, qui sedit seculo II. adscribi posset, exinde haberemus, etiam antiquitùs in Baptismo & in Catechismo diversos fuisse Patrinos, seu susceptores. At cùm omnibus vel parum eruditis hodie compertum sit, Decretum illud Higino Papæ adscribi non posse, nihil pro hujus disciplinæ antiquitate ex illo elici potest. Sed nec apud pristinos Scriptores, aut in antiquis Canonibus quidquam occurrit, quod vel insinuet antiquitùs solitum fuisse alium in Baptismo, alium in Catechismo Patrinum adhiberi.

Quin tamen interdum contingeret, ut alius instructioni Catechumeni præesset, eumque ad Baptismum offerret; ac alius tempore Baptismi accederet, qui eum de aquis Baptismatis emergentem susciperet vel lavaret; & curam illius post Baptismum susciperet, dubitari nequit; sed nulla de eo specialis lex aut disciplina apud antiquos occurrit (p).

IV. Cumque frequens esset adultorum Baptismus, ac toti penè nudi immergerentur aquis Baptismatis, etiam plerumque viri viros, & mulieres fœminas de Baptismo suscipiebant; ut colligitur ex antiquo auctore Constitutionum Apostolicarum *lib.* 3. *cap.* 16. ubi ait: „ Deinde aut tu, Episcope, aut Presbyter tuus, » qui sub potestate tua est, facta super eos nominatim sacra in» vocatione Patris & Filii, & Spiritus Sancti baptizabis. Ac vi» rum quidem suscipiat *Diaconus*, mulierem verò *Diaconissa*, ut » honestè & à quibus decet, fiat signum infractum."

Quin & olim mulieres electas fuisse, quæ etiam mulierum baptizandarum instructioni, ac Catechismo præessent; omniaque peragerent circa Neophytas mulieres, quæ Diaconi circa Neophytos viros, multis ostendit Morinus de SS. Ordinat. *part.* 3. *Exercit.* 11. *cap.* 3.

V. Postquàm verò Baptismus adultorum rarior, & parvulorum frequentior esse cœpit, ipseque Baptismus per infusionem aut immersionem alicujus duntaxat partis corporis conferri, etiam mulieres in matrinas masculorum, & viri in Patrinos puellarum admissi sunt.

VI. Horum susceptorum munus sive officium multa olim complectebatur.

Primum uti ex Patribus notissimum est, & observat Josephus Vice-Comes de Antiquis Baptismi ritibus *lib.* 1. *cap.* 35. horum munus erat Neophytos ante Baptismum fidei misteriis imbuere, vitæque christianæ normam docere, atque sufficienter instructos Episcopo ad Baptismum offerre.

Hinc forsan hodiernus ritus in administratione Baptismi habet, ut juxta præscriptum Ritualis Mechliniensis presbyter baptizaturus interroget Patrinos, *Quid petitis?* quo non obscurè innui videtur, Patrinorum esse, baptizandos ad Baptismum offerre.

VII. Post hæc, ut jam dictum, hi ipsos baptizatos è fonte Baptismatis egredientes suscipiebant, & complectebantur; vesteque candida operiebant; & propterea *Susceptores* dicebantur.

Hujus ritus vestigium in hodiernis Ritualibus apparet, ubi præscribitur, ut tempore, quo infans baptizatur, Sacerdos *jubeat Patrinum vel Matrinam vel utrumque* (si ambo admittantur infantem suscipere) APPONERE MANUUM *baptizando*: quasi nimirum hoc pacto ipsum infantem de fonte susciperent & lavarent.

Imò hac sola manuum impostione verum Patrinum effici, ac contrahi cognationem spiritualem inde resultantem communiter creditur; qua de re latiùs infrà, ubi de impedimento Matrimonii ex hac cognatione spirituali resultante agetur.

VIII. Qui verò ipsos baptizandos ante Baptismum instruxerant, & tanquam sat instructos & ritè dispositos Episcopis baptizandos obtulerant; seque quasi *Vades* pro recta illorum fide, & vitæ christianæ desiderio constituerant, illos non mox à suscepto Baptismo deserebant, sed in suam curam recipiebant, ut hoc pacto sponsionem suam liberarent, quod vel præcipuè, cùm infantes baptizarentur, exigebatur.

Seculo IX. Concilium Parisiense VI. *lib.* 1. *cap.* 19. eandem obligationem in Patrinis & Parentibus naturalibus agnoscit: „ Ut » parentes, ait, filios suos, & *patrini* eos, quos de fonte lava» cri suscipiunt, erudire summoperè studeant; illos, quia eos ge» nuerunt, & eis à Domino dati sunt; & istos, quia pro eis fide» jussores existunt."

IX. Cùm vero hodie infantum Baptismus hic frequens sit; imò ferè solus administretur, etiam officium Susceptorum seu Patrinorum potissimum in eo versatur, ut baptizatis infantibus, cùm ad ætatem legitimam, & usum rationis pervenerint, curam omnem impendant, ut in fide Catholica ritè instruantur, & innocentiam Baptismalem integram conservent.

X. » Susceptores infantis (Patrini qui dicuntur) meritò ad» monentur (ait Synodus Coloniensis anno 1536. *part.* 7. *cap.* 4. » quòd ipsi sint qui Ecclesiæ nomine, & in Ecclesiæ fide Chris» ti parvulos offerant per Baptismum, ac se propemodum pro » parvulis fidejussores constituant; nomine parvuli respondentes: » quem etiam postquam adoleverit, Symbolum simul & Ora» tionem Dominicam edocere, atque vitam Christo ac pro» fessione in baptismo facta dignam perpetuò agere, saltem ubi » id necessitas poscere videbitur, cohortari non omittent."

Similiter Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.* 3. *cap.* 6. vult » ut moneant Pastores, ut quicunque viri, quæcunque fœminæ pro» les de sacro fonte specialiter susceperint, cognoscant se fidejus» sores pro iis apud Deum extitisse; & ideò super eos solicitu» dinem verè charitatis impendant, & admoneant, ut castitatem » custodiant, virginitatem usque ad nuptias servent, cantica » turpia vel luxuriosa ex ore non proferant, non superbiant, non » invideant, à maledicto & perjurio linguam custodiant, &c. » quæ fusè persequitur August. *Serm. de Resurrect.* ad quem » Pastores remittimus."

Sermo, ad quem hæc Synodus remittit, aliquando inter Sermones S. Augustini relatus fuit; sed in ultima Operum Augustini revisione tanquam suppositicius in appendicem tomi quinti rejectus est, constituitque ibid. *Serm.* 168. notantque eruditi Revisores partem posteriorem, in qua citata verba continentur, Cæsarii Arelatensis stylum referre.

Quidquid sit, hanc Patrinorum obligationem omnes passim Sy-

(p) *Tres habuit Patrinos Philippus Ludovici VII. Francorum Regis filius, scilicet Hugonem, Sancti Germani Parisiensis Abbatem, Nervejum Abbatem Sancti Victoris, & Odonem Sanctæ Genovefæ Abbatem. Tribus Patrinis adjunctæ sunt tres Commatres; nimirum Constantia Ludovici Regis soror, & duæ Viduæ Parisinæ. Legatur historia Ludovici VII. apud Chesnium tom.* 4.

Synodi Belgicæ inculcant, Patrinosque de illa à Pastoribus seriò monendos volunt.

XI. Quia autem Susceptores sponsores sunt pro iis, qui » baptizantur, fidei ac vitæ christianæ, quam illi debent, ac pro- » inde ut rectè instruantur, paternam in se curam recipiant, vi- » deant Pastores (verba sunt Synodi Audomarensis an. 1585. » *tit.* 3. *cap.* 6.) quibus tenellas Christi oviculas credant: caveant- » que, ne quosvis ad hoc officii genus admittant & parentes mo- » neant, ne quovis promiscuè eligant; verùm eos tantummodò » de quibus probabile fiat, fore ut præstent id quod promittunt. » Alienum enim est, recens in Christo renatis oviculis ejusmodi » in Christo parentes, aut dare aut admittere, de quorum pa- » terna solicitudine spes verosimilis non concipiatur. «

XII. Deinde tanquam consequens infert: » Rejiciantur » proinde ab hoc munere quicunque hæretici, quicunque ex- » communicati, quicunque notoriè criminosi, & scandalosè » viventes; rursus ii, qui ipsemet nesciant ea, quæ docere » oporteat neophytum, & qui per ætatem, aut mentis inopiam » ipsi notitiam non habent fidejussionis ejus, ad quam se of- » ferunt, denique alii quicunque à quibus fidei liberationem, » exonerationemque verisimiliter non expectant. «

Idem inculcat Synodus Mechliniensis anno 1609. & addit: *Eademque cautio sit de Commatribus*; cui & aliæ Synodi passim conveniunt.

XIII. Monet autem citata Synodus Buscoducensis *cap.* 7. » Fidelis in Baptismo filiorum suorum eos potiùs Patrinos & Ma- » trinas eligant, qui eorum animæ consulere, quàm qui inopiæ » subvenire possint. «

XIV. Et quia » persuadent sibi quidam (ait citata Synodus » Audomarensis *cap.* 7.) sponsioni suæ se fecisse satis, si munus » aliquod post Baptismum offerant baptizati parentibus, quod » quasi ad educationem, institutionemque prolis serviat; idcir- » cò consultum foret abrogare prorsus illam munerum offeren- » dorum consuetudinem, quemadmodum Edicto Cæsareo ali- » quando cautum fuit, si temporum iniquitas pateretur. In- » terim rectè faciant in patrinos electi, si non tam munera offer- » re, quàm promissorum meminisse curent, muneribus neuti- » quam redimendorum: ita fiet, ut idonei patrini & quæran- » tur, & inveniantur. «

XV. Edictum Cæsareum, cujus meminit Synodus, editum est à Carolo V. 7. Octob. 1531. ubi *art.* 12. præcipitur omnibus cujuscunque statûs, aut conditionis, ne eligant in Patrinos suarum prolium aliquos, ut ab iis munus aliquod accipiant; imò si quid à Patrinis offeratur, vetat illud à parentibus prolis baptizatæ accipi; inhibens insuper Patrinis aliquid dare sub pœna dupli illius quod datum est; nisi essent proles pauperum & miserabilium personarum. Habetur *lib.* 1. *Edictorum Flandriæ*, *pag.* 751.

Verùm hujus Edicti rigorem idem Carolus edito decreto anno 1545. *art.* 3. nonnihil mitigavit, permittens dare munusculum trium florenorum non excedens. Habetur eodem libro Edictorum *pag.* 782.

Et licèt nec hoc Edictum hodie observetur, interim ex his omnibus apparet solicitos fuisse & Ecclesiæ & Reipublicæ magistratus, ut parentes in electione Patrinorum potiùs attenderent, qui spiritualiter, quàm qui temporaliter prolibus prodesse possent, nec in electione Patrinorum spe munerum excæcarentur.

Addit nihilominus prædicta Synodus: » Porrò prohibere id » nolumus, quin subveniant tenuioris fortunæ puerperis Patrini » ii, quibus res lautior est, quinimò modis omnibus id proba- » mus & desideramus."

XVI. Instructio, seu decreta pro Pastoribus civitatis & Diœcesis Leodiensis per Episcopum Vigiliarum (q) & Nuntium Apostolicum in visitatione Apostolica anno 1613. evulgata, inter alios ab officio Patrini excludendos recenset eos, de quibus constat, vel est verisimile, quòd hoc officium passim præstare nequeant, ut qui, ait, curæ Pastoralis, vel alia vitæ professione prohibentur, cujusmodi sunt » Pastores, & omnes utriusque » sexûs Religiosi, ut in Religiosis disponit Capitulum IN BAPTISMATE, *de Consecrat. Dist.* 4. quæ ratio militat etiam in aliis » Ecclesiasticis, ut prudenter consideravit Synodus Mediola- » nensis II. *Decreto* 17. Hoc idem docet Cathecismus Roma- » nus; nam quanto minus istis involvuntur curis Pastores, tan- » to meliùs cum illis agitur. «

Canon, cujus auctoritate utitur hoc Statutum, est 103. apud Gratianum *de Consecrat. Dist.* 4. qui incipit: *Non licèt*; estque Canon XXV. Synodi Antissidorensis habitæ anno 578.

Declarat Synodus Gandensis *tit.* 4. *cap.* 8. innovata in Decretis evulgatis per Episcopum Triest, sub Monachis etiam comprehendi Monasteriorum Præfectos, ut per se, ita quoque per procuratorem, infantem è sacro fonte suscipere prohibeantur.

De Parochis verò hæc habet: » Et ne Parochi, aliique cu- » ram animarum gerentes, onus hujusmodi suscipiant, perop- » tamus; & nisi rogati ex causa gravi id præstare debeant, qua- » tenus opus est, inhibemus."

XVII. Parentes olim proles suas præcipuè parvulas ad Baptismum obtulisse evidens est ex S. Augustino, *Epist.* 98. *ad Bonifacium Episcopum*, ubi ita scribit *num.* 6. » Illud autem » nolo te fallat, ut existimes reatûs vinculum ex Adam tractum, » aliter non posse disrumpi, nisi parvuli ad percipiendam Chris- » ti gratiam à Parentibus offerantur. Sic enim scribens dicis, ut » sicut Parentes fuerunt auctores ad eorum pœnam, per fidem » Parentum identidem justificentur; cùm videas multos non of- » ferri à Parentibus, sed etiam à quibuslibet extraneis, sicut à » Dominis servuli aliquando offeruntur. «

Evidenter hîc supponitur, ordinariè Parentes filios suos solitos fuisse offerre ad Baptismum; aliàs inepta fuisset Bonifacii hæsitatio, & non satis congrua Augustini responsio.

Idipsum clarioribus verbis expressit S. Cæsareus Arelatensis Episcopus seculo VI. *Homilia* 12. inter editas à Stephano Balusio, ubi post expressam professionem fidei & renuntiationem diaboli in Baptismo fieri consuetam, subjicit: » Quod quia in- » fantes per se minime profiteri possunt, *Parentes* ipsorum pro » eis fidejussores existunt. «

XVIII. Pluribus id probat Josephus Vice-Comes de antiquis Baptismi ritibus *lib.* 1. *cap.* 33. hoc unà observans, quòd nunc consuetudo illa penitùs abrogata sit.

» Causam, cur id factum fuerit, ait Josephus, apud Pa- » tres non reperio; si conjecturis utendum, existimo fuisse, » vel ut admonerentur Fideles, eam spiritualem educationem à » carnali longè distare, vel ut mysteriorum fidei christianæ pe- » ritioribus illa provincia demandaretur; cùm parentes in maxi- » ma rerum divinarum ignoratione versari sæpè contingat, «

Verisimilius crediderim, Parentibus officium Patrini in Baptismo proprii filii fuisse interdictum, postquam cognatio spiritualis, atque ex ea resultans impedimentum Matrimonii inter Patrinum & baptizati matrem inductum fuit, cujus cognationis & impedimenti apud pristinos Auctores mentio nulla occurrit.

XIX. Meminit quidem illius impedimenti epistola, quæ sub nomine *Deus dedit* Papæ, qui sedit sub initium seculi VII. extatque apud Gratianum *Caus.* 30. *quæst.* 1. *Can.* 1. sed eam epistolam falsam, ac illi Pontifici suppositam eruditis omnibus compertum est; & monet Labbæus *in nota marginali ad hanc epistolam*, *tom.* 5. *Concilior. col.* 1648. Hæc tamen suppositita Epistola non obscurè indicat hujus impedimenti saltem aliquod initium tunc fuisse, unde & post seculum VII. videmus in Conciliis hujus impedimenti mentionem fieri; ac nominatim in Concilio Moguntino anno 813.: statuitur » Nullus proprium filium » aut filiam de fonte Baptismatis suscipiat; nec Commatrem du- » cat uxorem, filiolam, nec illam, cujus filium vel filiam ad Con- » firmationem duxerit: ubi autem factum fuerit, separentur. « *Can.* 55. Sed de his latiùs infrà, ubi de impedimentis Matrimonii agetur.

XX. Cùm obstetrices non parùm concurrant ad Baptismi administrationem infantibus procurandam, non importunum fuerit etiam de illis hîc agere, de quibus ea de causa etiam Synodi tractare solent. Et quidem Synodus Provincialis secunda Mechl. *cap.* 7. » Requirit omnes Magistratus singulorum locorum, ne » quam ad obstetricandum parturientibus admittant, nisi priùs » à Curato loci, ubi obstetrix moratur, testimonium sinceræ & » Catholicæ fidei habeat, professionemque fidei coram Archi- » presbytero suo faciat, nec non materiam, formamque Bap- » tismi testimonio ejusdem Curati probè calleat, & ultra con- » suetum juramentum, juret etiam, quòd infantes à se susci- » piendos quantociùs, vel saltem intra tres dies, baptizare cu- » rabit; aut si obsistentibus parentibus vel amicis id efficere non » possit, mox Pastori loco eos denuntiet. «

XXI. Similiter Synodus Provincialis Cameracensis secunda *tit.* 6. *cap.* 11. » mandat ut nullæ mulieres deinceps ad hujus of- » ficii exercitium admittantur, nisi priùs per Pastorem loci exa- » minatæ, & si opus sit, instructæ fuerint. Rogentur autem » Magistratus, ut inter cætera ab iisdem obstetricibus juramen- » tum exigant, quòd pueros baptizandos, ante diem tertium » omninò Parochis denuntiabunt. «

XXII. Decreta utriusque Synodi Provincialis illarum Provinciarum Synodi Diœcesanæ recipiunt & renovant; insuper & ipsi Principes Belgii Synodorum decreta suis respectivè edictis pro confirmatione Synodorum Provincialium Cameracensis & Mechliniensis editis, probaverunt: additque prætereà Edictum Principis ad Synodum Mechliniens. *art.* 8. » Eas ab Officiali » & Magistratu loci debere admitti ad id muneris; qui tamen » nullas admittant, nisi prævìè benè sint instructi de earum ca- » pacitate & religione, idque per attestationem scriptam Pasto- » ris, in cujus Parochia morantur. «

XXIII. Si aliquando contingat prolem illegitimam adferri ad ædes Patris nolentis eam pro sua agnoscere, » talis proles, in- » quiunt decreta Gandensia sub Antonio Triest. 1650. *cap.* 11. » nul-

(q) Biseglia *urbs Regni Neapolitani in Apulia.*

» nullo pacto ibidem deposita relinquetur, nisi deferens eam » curavit baptizari. Quare Pastores frequenter moneant obste- » trices aut alias mulieres, quæ parturientibus vel ex charitate » vel lucri causa assistunt, ut huic nostro Decreto sese confor- » ment, ac insuper ne officio suo fungi, & puerperas adjuvare » differant causa eliciendi nomen Patris, quando ex illicito con- » cubitu conceperunt. «

XXIV. Et quia experientia docet, obstetrices aliasque mulieres interdum parvulos in necessitate baptizantes errare in forma & ritu, & fortè in materia Baptismi, mandat idem vigilantissimus Præsul (quod meritò ubique observetur) in prædictis Decretis *cap.* 12. Parochis, » ut sæpiùs pro concione & » in catechismo singula ad baptizandum requisita, clarè, & » distinctè explicent, ita ut facilè omnes intelligant, aquæ na- » turalis perfusione super parte nuda & vivente principali, si- » mul formæ pronuntiatione á Christo Domino institutæ, hu- » jusmodi Sacramentum à baptizante, & formam ita pronuntian- » te conferri. «

XXV. Præterea, cùm summum discrimen sine Baptismo discedendi immineat proli, si mulier gravida priusquam pariat, moriatur, monuit jam pridem Synodus Coloniensis 1280. *cap.* 4. » Ut si certum sit, quòd mulier prægnans moriatur, » teneatur os ejus apertum, & cum magna cautela uterus ejus » aperiatur; & si infans vivus fuerit, educatur & baptizetur. « Hoc ipsum iisdem verbis reperitur inter antiqua Decreta Diœcesis Cameracensis, renovata in Synodo Cameracensi anno 1550.

Porrò cùm non rarò contingat, nullum in Parochia reperiri, aut saltem hîc & nunc haberi posse, qui peritiam modumque convenientem aperiendi uterum & exscindendi infantem habeat, oportet ut ipsimet Pastores, præcipuè rurales hujus rei aliquam notitiam ab aliquo perito Medico accipiant, qua subinde cogente necessitate, uti possint.

CAPUT V.

De Purificatione post partum.

1 *Lex Mosaica quid præscripserit mulieribus parturientibus.*
2 *Diva Virgo huic legi se ex humilitate subjecit: atque hinc festum* Purificationis.
3 *Solebant mulieres honorare* puerperium *Divæ Virginis; quod inhibuit Synodus VI.*
4 *Quid agerent Fideles.*
5 *Quare id inhibuerit Synodus: & quid* puerperium *ad mentem Synodi.*
6 *Mulieres novi Testamenti legi purificationis non subjectæ, & quare.*
7 *Pium tamen est, ut mulieres à partu aliquo tempore ab ingressu Ecclesiæ abstineant; & hodie mulieres Catholicæ aliquo tempore abstinent; & nonnisi* purificatæ *intrant.*
8 *Purificatio fieri debet in Ecclesia Parochiali, & à proprio Parocho.*
9 *Sententia Sacræ Congregationis Cardinalium super hoc jure Parochorum.*
10 *Sententia hæc de mandato Episcopi Antuerpiensis publicata, cum inhibitione facta Regularibus mulieres purificandi.*
11 *Decretum Synodi Cameracensis huic sententiæ conforme.*
11 *Quo ritu mulieres in templum introducantur.*
13 *Ex ritibus patet purificationem fieri ad exemplum Divæ Virginis.*
14 *Mulieres solent Sacerdoti nummum offerre; & quare.*
15 *Mulieres nunquam possunt extra Ecclesiam, aut per substitutas purificari.*

I. JUxta legem Mosaicam, de qua *cap.* 12. *Levitici*: » Mu- » lier, si suscepto semine peperit masculum, immun- » da erit septem diebus, juxta dies separationis menstruæ. Et » die octavo circumcidetur infantulus: ipsa verò triginta tribus » diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum » non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menstrui, » & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. » Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ pro filio, sive » pro filia, defert agnum anniculum in holocaustum, & pul- » lum columbæ, sive turturem pro peccato, ad ostium taber- » naculi testimonii, & tradet Sacerdoti, qui offerret illa co- » ram Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur à pro- » fluvio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum; aut fœ- » minam. Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit of- » ferre agnum; sumet duos turtures vel duos pullos columba- » rum, unum in holocaustum, & alterum pro peccato: ora- » bitque pro ea Sacerdos, & sic mundabitur. «

Mulier interea ingredi Sanctuarium, seu templum non poterat, donec implerentur dies purificationis.

II. Diva Virgo, etsi huic legi non subjecta, quia *non suscepto semine* pepererat; nihilominus voluntariè & ex humilitate se subjicere voluit, eamque legem subivit; uti legitur *Lucæ* 2. Atque hinc originem sumpsit festum Purificationis B. Mariæ Virginis; quod circa tempora Justiniani Imperatoris institutum fuisse notat Baronius in notis ad Martyrologium ad diem 2. Februarii.

III. Occasione hujus festi consuetudo ex quadam plebeja ignorantia invaluerat seculo VII. ut hoc die homines placentas sive similam coquerent, ac sibi mutuò mitterent, *honoris scilicet prætextu* PUERPERII *impollutæ Virginis Matris*, ait Canon LXXIX. Synodi VII. sive Trullanæ, adjungens: *Statuimus, ut deinceps nihil tale fiat à Fidelibus.*

IV. Exponens hunc Canonem Zonaras ait: » Nonnulli se » in eo semper Virginis, ac Dei Matris honori aliquid deferre » existimantes, die, qui sanctam Christi Natalis Festivitatem » proximè consequitur, quædam facere soliti sunt, ex iis, quæ » in aliarum quoque mulierum puerperio agi consuevere. «

Mulieres autem consueverant propter periculi, & doloris evasi gaudium, convivia cum ferculis & placentis facere.

V. Hoc ergo cùm etiam in honorem Virginis agerent; atque ita indicarent, Divam Virginem adinstar aliarum mulierum puerperio fuisse obnoxiam, Patres Synodi VI. id præsenti Canone fieri prohibet: » Absque puerperio editum ex » Virgine Divinum Partum esse confidentes, ut qui sine se- » mine constitutus sit; idque toti gregi annuntiantes, eos, qui » ex ignorantia faciunt, quod non decet, correctioni subjicimus.

» Puerperium (de quo in præsenti Canone) est, ait Zona- » ras, emissio fœtus, quam doloris sensus ac profluvium san- » guinis comitantur; quibus quidem malis nullatenus obnoxiam » fuisse Deiparam credimus. «

VI. Porrò sicut Deipara ob rationem jam dictam legi purificationis subjecta non fuit, similiter mulieres novi Testamenti subjectæ, hac lege cæremoniali non constringuntur; quia, ut ait Innocentius III. in *Cap. unico* ✠ *de Purificatione post partum*: » Licèt secundùm legem Mosaycam certi dies determinati fuis- » sent, quibus mulier post partum à templi cessaret ingressu, » *lex per Moysem data est, gratia & veritas per* JESUM CHRIS- » TUM *facta est.*« Joan. cap. 1. v. 17.

Hinc ulteriùs infert & respondet Archi-Episcopo Armachano, » quòd postquam umbra legis evanuit & illuxit veritas » Evangelii, si mulieres post prolem emissam acturæ gratias » Ecclesiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole gra- » vantur, nec Ecclesiarum est eis aditus denegandus, ne pœ- » na illis converti videatur in culpam. «

Et sub nomine S. Gregorii refertur *Can.* 2. *dist.* 5. » Si mu- » lier eadem hora, qua genuerit, actura gratias intrat Eccle- » siam, nullo pondere peccati gravatur. «

VII. Addit nihilominus Innocentius III. in citata Decretali: » Si tamen ex veneratione voluerint aliquandiù abstinere, » devotionem earum non credimus improbandam. «

Unde & hodie mulieres sive ex quadam erga Ecclesiam ac Divina mysteria, quæ in ipsa peraguntur, veneratione, sive exemplo Divæ Virginis, quæ ex humilitate legi se subdidit, cui non erat subjecta, etiam consueverunt ad tempus aliquod ab ingressu Ecclesiæ abstinere; nec in eam intrare, nisi se Sacerdote præsentaverint, & ipse precibus aliquibus præmissis introduxerit, juxta ritum præscriptum in modernis Ritualibus sub titulo: *Ordo introducendi mulierem in Ecclesiam post partum.*

VIII. In Synodo P. II. Mechliniensi *tit.* 3. *cap.* 8. dicitur: » Puerperæ, cùm à puerperio domum exeuntes se ad Eccle- » siam contulerint, à proprio Parocho juxta probatissimam » Ecclesiæ consuetudinem purificentur. «

Hæc Synodus patenter supponit, ritum hunc purificationis in Ecclesia Parochiali, atque à proprio Parocho esse celebrandum; quod & generalis Belgii consuetudo confirmat; atque sacra Congregatio Cardinalium nuper probavit. (r).

IX. Cùm enim in Civitatis Antuerpiensi nonnulli Regulares in suis Ecclesiis mulieres ad purificationem post partum admitterent; ac ea de re Pastores civitatis illius ad sacram Congregationem querelas detulissent, prodiit sententia hujus tenoris.

» Conquerebantur Parochi civitatis Antuerpiensis, quòd non » obstante contraria consuetudine, nec non constitutione Syno- » di Provincialis, per sacram Congregationem recognitæ, & » per Sedem Apostolicam approbatæ, Regulares Mendicantes » functionibus Pastoralibus se immisceant, & præsertim audeant » in suis Ecclesiis mulieres post partum ad purificationem ad- » mittere: addebantque, à Domino Episcopo Antuerpiensi, ut- » potum purificandæ describitur. Consule doctissimum Edmundum Martene Benedictinum de Antiquis Ecclesiæ ritibus, *tit.* 2. *pag.* 378. & 382. *edit. Antuerp. ann.* 1736.

(r) *Eadem consuetudo viget quoque in Galliis: in earum Ecclesiis vetus est ille mos, ut constat ex antiquo Rituali Catalauniensi & Lemoviciensi; ubi ritus mulieris post par-*

» pote Regulari, hujusmodi præjudiciis per Regulares illatis, » minimè consuli. Quare ab Apostolicæ Sedis auctoritate subsi- » dium, ac tutelam suppliciter petentes, quærebant: An præ- » dictis Regularibus civitatis Antuerpiensis liceat in propriis Ec- » clesiis mulieres post partum ad purificationem admitere

» Die XVIII. Novembris M.DCLXII. sacra Congregatio » Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Conc. Tridentini » Interpretum, utraque parte audita, censuit, prædictis Regu- » laribus civitatis Antuerpiæ non licere. *Signatum* I. Episcopus » Sabinensis Card. Saccheti Præses, & C. de Vechiis Ep. Clus. » S. R. C. Secret. & à latere impressum erat sigillum præfati Car- » dinalis Præsidis, *in rubro pane* (s)."

X. Hæc sententia ex mandato Episcopi Antuerpiensis publicata fuit, ac per publicum programa locis consuetis affixa 20. Novembris 1663. per Petrum Vander Perre tunc Episcopi Officialem; una vigore auctoritatis sibi commissæ, » inhibens præfati Re- » gularibus, ne deinceps aliquas mulieres post partum ad purifica- » tionem addmittant: mulieribus autem puerperis injungens, ut » juxta sententiam præmissam ad Ecclesias suas respectivè Paro- » chiales pro purificatione se conferant, ut ibidem, juxta probatissi- » mam Ecclesiæ consuetudinem *à proprio Parocho* benedicantur."

XI. Quod hîc à sacra Congregatione declaratum fuit, etiam in Synodo II. Cameracensi *tit. 6. cap. 13.* decretum fuerat his verbis. » Prima vice, qua mulieres à puerperio domum exeunt, » juxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem ad Ecclesiam rectè se » conferant, gratias acturæ Deo pro beneficio puerperii, & ut à » *proprio Pastore*, seu ejus vicem gerente, & non ab alio puri- » ficentur."

XII. Sicut autem in festo purificationis Deiparæ solent Fideles cereos accensos in manibus portare, ita quoque mulier purificationem faciens, candelam accensam in manibus habet.

Sacerdos introducturus mulierem porrigit stolam ex collo dependentem manui mulieris, dicitque: *Ingredere in templum Dei, & adora Filium beatæ Mariæ Virginis, qui tibi fœcunditatem tribuit prolis.*

XIII. Ex hac formula, uti & ex precibus à Presbytero recitandis haud obscurum, hanc mulierum purificationem ad exemplum purificationis Divæ Virginis institui: unde Pastorale Mechliniense etiam monet, quòd si Missa celebretur, *aptissimè huic laudis officio congruat Missa de Purifficatione B. Mariæ, quæ incipit*: SUSCEPIMUS.

XIV. Omnibus cæremoniis ac precibus absolutis, Sacerdos præbet mulieri osculandam Crucem libri Sacramentalis: dicendo: *Dominus det tibi suam pacem*; respondet Minister: *Et vitam æternam.*

Inter osculandum solet mulier nummum aliquem ipso libro per modum oblationis imponere, qui in usum Sacerdotis & ministri, pro locorum consuetudine, cedere consuevit.

Hac oblatione imitari voluêre piæ mulieres Christi parentes, de quibus legitur: *Et postquam impleti sunt dies purificationis ejus, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur; & ut darent* HOSTIAM *secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Lucæ. 2. v. 22.

Circa has oblationes meritò expendent, & observabunt Parochi aliique Sacerdotes ea, quæ circa oblationes in administratione Sacramentorum fieri consuetas observanda notavimus.

XV. Pastorale Mechliniense deinde monet: » Si contigerit » mulierem adversa valetudine, certo tempore à purificatione im- » pediri, differatur purificatio, donec utcunque restituta, in » Ecclesiam ingredi possit, etiamsi mortis immineat periculum, » quia purificatio extra Eclesiam facienda non est, neque subs- » tituenda alia mulier putificanda in locum defunctæ puerperæ."

TITULUS III.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

QUI CONFIRMANDI, & QUOMODO INSTRUENDI, ET QUO TEMPORE CONFIRMANDI.

1 *Quæ de hoc Sacramento credenda proponat Synodus Tridentina.*
2 *Hoc Sacramentum variis nominibus olim appellatum fuit.*
3 *Olim non vocabatur* Confirmatio; *unde hoc nomen derivatum sit.*
4 *Olim recenter baptizatis dabatur Sacramentum Confirmationis.*
5 *Quomodo, & qua occasione hæc disciplina apud Latinos desierit.*
6 *Quare conveniens Ecclesia judicaverit, parvulos non mox à suspecto Baptismo confirmare.*
7 *Baptizati olim non credebantur* perfecti Christiani *ante Confirmationem.*
8 *Quæ esset illius ratio: & quare hodie dicuntur* Christiani.

(s) *Decretum S. Congregationis pro jure Parochorum in purificatione mulierum.*

Petrus Vander Perre, Jurium Licenciatus, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, & Officialis Antuerpiensis, uti Commisarius & Executor ad infrascripta à Perillustri & Reverendissimo Domino Episcopo Antuerpiensi, commissus, ac specialiter deputatus: omnibus & singulis hujus Diœcesis subditis, quos infrascriptum tanget negotium, salutem in Domino.

Cognitum sit universis, quòd ex RR. DD. Plebanorum præfatæ Cathedralis Ecclesiæ, & Pastorum Ecclesiarum subalternarum hujus urbis nobis exhibitus sit libellus supplex, quo petierint, quatenus justa commissionem nobis impartitam à præfato Perillustri ac Reverendissimo Domino Episcopo die 14. Aprilis currentis anni 1663. publicare, ac debitæ executioni demandare dignaremur sententiam, quam prefati Domini Plebani & Pastores die 18. Novembris anni 1662. obtinuerunt à sacra Congregatione Cardinalium, Conc. Tridentini Interpretum, contra Regulares Mendicantes hujus urbis, tenorem qui sequitur sequentem:

IN ANTUERPIENSI (Episcopatu.)

Conquerebantur Parochi civitatis Antuerpiensis, quòd, non obstante contraria consuetudine, necnon constitutione Synodi Provincialiis, per sacram Congregationem recognitæ, & per Sedem Apostolicam approbatæ, Regulares Mendicantes functionibus Pastoralibus se immisceant; & presertim audeant in suis Ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere: addebantque, à Domino Episcopo Antuerpiensi, utpote Regulari, hujusmodi præjudiciis per Regulares illatis minimè consuli. Quare ab Apostolicæ Sedis auctoritate subsidium, ac tutelam suppliciter petentes querebant: An prædictis Regularibus civitatis Antuerpiensis liceat in propriis Ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere.

Die 18. *Novembris* 1662. *Sacra Congregatio Eminentisimorum S. R. E. Cardinalium, Conc. Tridentini Interpretum, utraque parte audita, censuit, prædictis Regularibus civitatis Antuerpiæ non licere.* Signatum *I. Episcopus Sabinensis Card. Saccheti Præses, & C. de Vechiis, Ep. Clus. S. R. C. Secret.* & à latere impressum erat sigillum præfati Cardinalis Præsidiis in rubro pane.

Cùm autem justa petentibus non sint deneganda, & decreta præfatæ sacræ Congregationis (quantum in nobis est) executioni mandare volentes, præfatam sententiam in tenore ac forma præmissis publicandam duximus, & publicamus per præsentes: ac pro ulteriori ejusdem sententiæ executione, auctoritate præmissa nobis commissa, mandamus omnibus singulis nostræ Diœcesis subditis, & præsertim hujus civitatis Antuerpiensis, sive Ecclesiasticis, sive Secularibus, cujuscunque statûs ac conditionis extiterint, & quorum interest, seu quomodolibet interesse poterit in futurum, ut præfatæ sententiæ, quantum ipsos concernant, sese plenariè ac totaliter conforment, nec eidem ausu temerario contraire præsumant. Præfatis autem Regularibus inhibemus, ne deinceps aliquas mulieres post partum ad purificationem admittant: mulieribus quoque puerperis injungimus, ut juxta sententiam præmisam ad Ecclesias suas respectivè Parochiales pro purificatione se conferant, ut ibidem, juxta probatissimam Ecclesiæ consuetudinem à proprio Parocho benedicantur, ac purificentur. In quorum omnium, ac singulorum fidem, ac robur, præsentes sigillo nostro communitas, & manu nostra signatas, per Graphiarium Curiæ nostræ expedire jussimus & fecimus: mandantes Primario Curiæ nostræ præfatæ, ut in signum veræ & realis executionis præmissorum, has nostras litteras debitis horis & locis per exemplaria debita insinuet, atquæ affigat, prout in similibus fieri consuevit. Datum Antuerpiæ, anno Domini 1663. mensis Novembris die vigesima sexta.

P. VANDER PERRE, *Offic.*
De mandato admodum Reverendi Domini Officialis & Comissarii.
Locus ✠ Sigili.
P. DE HERTOGHE *Graph.*

9 *Synodi Belgicæ passim requirunt in confirmando ætatem ut minus 7. annorum.*
10 *Quomodo confirmandi, instruendi, & preparandi.*
11 *Populus de dignitate, vi, & effectu hujus Sacramenti à Parochis instruendus.*
12 *Pueri confirmandi testimonium Parochi adferre debent de sufficienti instructione.*
13 *Olim hoc Sacramentum conferebatur in Paschate & Pentecoste; quod & hodie fieri optavit S. Carolus.*
14 *Episcopus ægrum non confirmatum invisere, & confirmare debet.*
15 *Episcopus Parochos tempestivè monere debet, quando hoc Sacramentum conferre intendit; & quid hic observaverit S. Carolus.*

I. SYnodus Tridentina *Sess. 7. de Confirmatione, Can. 1.* ait: » Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum » otiosam cæremoniam esse, & non potiùs verum & proprium Sa» cramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quàm catechesim quan» dam, quâ adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ec» clesia exponebant: anathema sit. «

Deinde *Can. II.* » Si quis dixerit, injuriosos esse Spiritui » Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem ali» quam tribuunt; anathema sit. «

Insuper eadem Sessione de *Sacramentis in genere, Can. IX.* anathema dicit in eum, qui diceret in hoc Sacramento non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde illud iterari non possit.

Hæc Ecclesiæ domata contra modernos & nobis vicinos Hæreticos ex Patribus, & pristinis Ecclesiæ Canonibus astructa videri possunt apud Theologos, qui ex professo de hac materia contra Hæreticos scribunt.

II. Illud singulariter pro intellectu Canonum notandum, hoc Sacramentum multis diversisque nominibus olim dictum fuisse.

Imprimis apud veteres frequenter vocatur simpliciter *manûs impositio*; quia licèt in omnibus penè ritibus Ecclesiasticis fieret *manûs impositio*; specialiter tamen huic Sacramento tribuebatur, quod in actibus Apostolorum *cap.* 8. per *manuum impositionem* esse expresum. Hoc nomine appellabatur à S. Augustino *lib.* 8. *contra Donatistas, cap.* 6. Item à S. Isidoro *lib.* 2. *de Officiis Eccles. cap.* 26. Amalario Fortunato *lib.* 1. *de Officiis Eccles. cap.* 27.

Dicitur etiam nonnunquam *Supercœleste Chrisma*, ut in *Can. XLVIII.* Laodicæno, ubi dicitur: » Quod oportet eos, qui » illuminantur, post Baptismum inungi Supercœlesti Chrisma» te, & esse regni Christi participes. «

III. Olim hoc Sacramentum frequentiùs *Chrismatio* à Chrismate, vel etiam *manuum impositio* dicta fuit, quàm *Confirmatio*; quò nomine apud Veteres non occurrit designatum.

Quod indicare videtur Innocentius III. in *Cap. unico*, §. 4. *de sacra Unctione*; unà indicans, unde *Confirmationis* nomen derivatum sit. » Per frontis *chrismationem*, ait, manûs impositio » designatur; quæ alio nomine dicitur *Confirmatio*; quia per eam » Spiritus S. ad *augmentum* datur, & robur. «

Cui congruit instructio ab Eugenio IV. data Armenis, ubi effectum hujus Sacramenti exponens, ait: » Effectus hujus Sacra» menti est, quòd in eo datur Spiritus Sanctus ad *robur*. sicut da» tus est Apostolis in die Pentecostes, ut scilicet Christianus au» dacter confiteatur nomen Christi. «

IV. Ut verò hic effectus Christianis non deesset, fortesque redderentur ad fidem, quam in baptismo professi erant, generosè ac liberè verbo, & opere profitendum, olim in more positum fuit, ut baptizati mox acepto Baptismo confirmarentur; ut titulo præcedente *cap.* 3. monuimus, & clarè citatus Canon Laodicænus indicat.

Et apud Latinos Tertullianus de Baptismo *cap.* 7. ait: » Exin» de egresi de Levacro perungimur *benedicta Unctione* de pris» tina disciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium sole» bant.... Dehinc *manus imponitur*, per benedictionem advocans » & invitans Spiritum Sanctum. «

Hujus pristinæ disciplinæ innumera sunt tùm apud Veteres, tùm apud Recentiores obvia testimonia; quæ recitat Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii *cap.* 144. additque, quòd hac durante disciplina non ungebatur Neophytus in vertice à Presbytero; cùm hujusmodi unctio instituta sit ob defectum Episcopi.

Hæc disciplina, scilicet confirmandi Neophytos mox post datum Baptismum, adhuc hodie servatur in Ecclesia Græca, uti ex eorum Rituali colligitur, & probat Jacobus Goar in notis ad Rituale *pag.* 367. & propterea nec aliam Chrismatis unctionem adhibent.

V. Quando disciplina confirmandi Neophytos, sive Sacramentum Confirmationis unà cum Baptismo conferendi in Ecclesia Latina desierit, incertum est.

Admodum verisimile est, quòd quandiu frequens fuit adultorum Baptismus, etiam hæc perduraverit disciplina. Nec enim dubium, quin Ecclesia semper optaverit, ut Christiani in Christi militiam ingressi, spiritualibus armis ad pugnam instruerentur; & robur spirituale ad pugnandum in hac christiana militia per Sacramentum Confirmationis acciperent.

Hinc in moderno Rituali Romano sub titulo de Baptismo adultorum præscribitur: *Si adsit Episcopus, qui id legitimè præstare possit, ab eo* NEOPHYTI *Sacramento Confirmationis initiantur.*

Dùm verò Baptismus adultorum desinere cœpit, atque solus penè infantium invaluit, ipsum Confirmationis Sacramentum conjungi Baptismi dationi paulatim desiit.

VI. Visum enim fuit, satius esse Sacramentum Confirmationis differre in eam ætatem, in qua baptizati ratione utentes majori cum fructu illud accipere possent; maximè quia parvulis usum rationis non habentibus nondum cum hoste pugnandum est: neque si morte præveniantur, ob ejus defectum salutis dispendium incurrunt; cùm jam per Baptismum regenerati à peccato originali generatione carnali contracto sint liberati.

VII. Sed dicet quis, observat & probat Vir eruditus Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis *lib.* 1. *Observ. cap.* 25. quòd nemo *Christiani* nomen olim sortiebatur, nemo perfectus existimabatur Christianus, qui dono Spiritus Sancti *confirmatus*, & donatus non esset.

Quod ipsum insinuat Canon XXXIX. Eliberitanus dicens: » Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi *manum imponi*, si » fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit eis *manum* » *imponi*, & fieri Christianos. «

Hic per *manum imponi*, intelligi *Confirmari*, multis ostendit ad hunc Canonem nominatus Episcopus Aurelianensis, citans etiam Cyrillum Hierosolymitanum *Catechesi* 3. *Mystogogica*, qui similiter docet, per Chrismationem Neophytos primum fieri Christianos: » Hujus Sancti Chrismatis dono acepto, ait, meri» tò appellamini *Christiani*, veram efficientes appellationem in » ipsa regeneratione: antè enim quam hæc gratia vobis donata » esset, non eratis propriè digni eo nomine, sed pergentes eò » usque progressi estis, ut efficeremini Christiani. «

VIII. Ut verum sit, olim Neophytos seu recenter Baptizatos nequaquam fuisse dictos Fideles, aut perfectos Christianos, vel etiam simpliciter *Chistianos*, priusquam Confirmationis Sacramentum accepissent; id non propterea contingit, quòd ante Confirmationem non crederentur per Baptismum verè in Christo regenerati; sed quia ante Sacramenti Confirmationis susceptionem nondum omnibus armis spiritualibus instructi videbantur, quibus Jesu Christi milites instructos ad prælium oportebat, ideoque sicuti milites seculi non habentur pro perfectis militibus quousque armis idoneis sint instructi, ita nec Neophyti illi perfecti ac veri milites Christi seu Christiani reputabantur; quamvis revera jam essent per Baptismum regenerati & militiæ Christi adscripti, imò Christum induissent, & cum illo surrexissent.

Ad hæc olim dum Confirmatio jungebatur Baptismo, nulla Chrismatio nisi sola Sacramentalis Neophyto impendebatur. Cùm verò à *Chrismate* dicamur *Christiani*, propriè eo nomine appellari ante hanc Chrismationem non poterant.

Hinc postquam Chrismatio Sacramentalis Baptismo jungi desiit, introducta est Chrismatio cæremonialis, qua Neophytus non in fronte, sed in vertice à Presbytero Chrismate ungitur, uti observat Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii *pag.* 144. Unde hodie Christiani dicuntur non Chrismatione Sacramentali, quæ ab Episcopo in fronte ungimur, sed à Chrismatione cæremoniali, quia immediatè post Baptismum in vertice à Presbytero ungimur sive chrismamur (t).

IX. Passim Synodi Belgicæ juxta modernam Ecclesiæ disciplinam requirunt, ut confirmandi saltem septennio non sint minores; » ut meliùs (ait Synodus Mechliniensis anno 1609. *tit.* 4. » *cap.* 4.) suscepti Sacramenti memores esse possint; nisi ex » rationabili causa Confirmanti aliud videatur. «

Idem passim inculcant aliæ Synodi, adduntque conformiter ad Pontificale Romanum, ut non admittantur ad hoc Sacramentum, nisi ritè instructi & dispositi.

X. Parochis præcipit Synodus Audomarensis, ut subditos suos sedulò moneant, » quo pueros suos Confirmationis Sacra» mento nondum insignitos, qui quidem sextum superaverint » ætatis annum, ad illud reverenter suscipiendum præparent, » doctos orationem Dominicam & Symbolum Apostolorum, » quantum fert ætas, atque capacitas, jejunos, si permittat va» letudo, confessione expiatus, si doli sint capaces, corporis » habitu, & capite imprimis mundos. «

Idipsum omnes Synodi uno consensu inculcant, monetque S. Carolus in *suis Instructionibus de Confirmatione, pag.* 420. *edit.* 1683. » Illud verò maximè hortabitur (Parochus) ut cùm » hoc *jori solicitudine præcavebant antiqui, quàm ne segnes aut pigri hac in re invenirentur.*

(t) *Ex dictis colliges nullam olim ætatem ad excipiendum Confirmationis Sacramentum definitam esse; sed nihil adeò ma-*

» hoc Sacramento Spiritus Sancti gratia uberrimè conferatur, ad » eam consequendam se jejuniis, eleemosyna, qui per facultates » possunt, aliisque pietatis officiis & operibus parent: atque im- » primis frequentiori & ardentiori Religiosæ orationis studio de- » votè sese exerceant, exemplo SS. Apostolorum, qui dum ex- » spectarent Spiritum Sanctum *perseverantes erant in oratione* » *& jejunio.* Actor. cap. 1. «

XI. Ut verò Fideles sint de hoc Sacramento ampliùs instructi, ac convenientem ideam concipiant, præcipitur Parochis, ut » de dignitate, vi, & effectu hujus Sacramenti subditos suos sæ- » pè, diligenterque instruant, maximè sub id temporis, quo il- » lud Episcopus in iis locis administraturus est. « Ita Synodus Mechlin. P. II. *tit.* 4. *cap.* 1. idipsum aliæ Synodi similiter inculcant; monetque Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.* 4. *cap.* 6. ut id præstet præsertim *in festis Pentecostes*; & quandocunque Episcopum ad ipsorum loca venturum esse audiunt.

Dum Parochi populum de hisce instruere volent, meritò legent jam citatas Iustructiones S. Caroli, in quibus piè, & fusè ejus effectus, & dignitas, aliaque eo pertinentia explicantur.

XII. Ut confirmandorum curam rectè gerere possint Parochi, multùm conferunt Episcopi, qui neminem confirmare volunt, nisi qui testimonium à suo Parocho attulerit; quemmadmodum edito Decreto 6. Febr. 1681. declaravit Alphonsus de Berges Archiepiscopus Mechliniensis.

XIII. Quandiu hoc Sacramentum ipsi Baptismo quodammodo conjunctum fuit, etiam nonnisi in Paschate & Pentecoste, seclusâ necessitate, conferebatur; & licèt mutata disciplina, Episcopo liberum sit etiam alio tempore hoc Sacramantum conferre, tamen monet meritò S. Carolus in suo Concilio IV. *part.* 2. titulo de Sacramento Confirmationis, *ne stata* PENTECOSTES *solemnitate id præstare prætermittunt*; adjungitque in Concilio V. eodem titulo, ut » non solùm sacris solemnibus Pentecostes diebus, sed etiam (si ita civitatis suæ ingens fre- » quentia multitudoque postularit) & Paschæ Resurrectionis » tempore, & in Adventu sacro Domini, & quoties visitationem » obibit, Sacramentum Confirmationis ministret: & ob eam cau- » sam, ut Concilio Provinciali IV. cautum fuit, administran- » dum sæpè accurret, quibus in locis Diœcesis opus erit. «

XIV. Post hæc monet: » Quòd si quis cùm periculosè » ægrotat se chrismatis Sacramento confirmatum non esse me- » minerit, ac propterea id sibi ministrari petat; tunc Episco- » pus, si eo loci est, ubi ille ægrotat, ut ne sine hoc Sacramen- » to discedat, eum charitate paterna invisat, & ritè confirmet. «

Insuper in suis Instructionibus inter cætera à Parochis circa hoc Sacramentum observanda præcipit: » Ægrotos prætereà » nondum confirmatos designabit, eosque Archiepiscopo de- » nuntiabit, ut ne ingravescente morbo sine hoc Sacramento » discedant. «

Ex his constat, quam ideam de fructu hujus Sacramenti concepisset hic zelosissimus Archi-Præsul, quamque solicitos esse debere Episcopos ostenderit, ut nemo hoc Sacramento destitueretur.

XV. Volunt quoque Synodi, ut Episcopus Sacramentum hoc administraturus, diebus aliquot ante moneat Parochos, ut populum interea pro ejus digna susceptione disponere & specialiter instruere valeant; voluitque S. Carolus, eum in finem ab Episcopo Litteras Pastorales ad Parochos dandas; è quibus ipsi, quæ potissimum iis incumbant, haurire queant; easque populo publicè prælegant: ita habetur in Concilio Mediolanensi IV. *part.* 3. *tit. de Visitatione*: & in Instructionibus præcipit (meritò ab omnibus Parochis æmulandum) » Paucis ante mi- » nistrationem diebus, Parochus in cujus Parochia hujus Sacra- » menti ministratio indicitur, primò orationem publicam insti- » tuet, ut sui divinæ gratiæ dona uberrimè recipiant. «

CAPUT II.

De Ministro Confirmationis, et de Chrismate.

1 *Primis seculis solos Episcopos fuisse Ministros Confirmationis malè astruitur ex Epistola Eusebii Papæ.*
2 *Probatur testimonio Innocentii I.*
3 *Presbyteri apud Græcos etiam hodie hoc Sacramentum administrant; neque hanc disciplinam Ecclesia Romana improbat.*
4 *An eam Innocentius III. improbaverit.*
5 *Etiam in Ecclesia Latina Presbyteri* dispensatoriè *administrare possunt.*
6 *Neque contrarium asseruit Eugenius IV. aut definivit Synodus Tridentina.*
7 *Sepositâ reservatione positivâ posset Presbyter confirmare.*
8 *Disciplina, quæ solis Episcopis dat auctoritatem confirmandi, occasionem dedit sejungendi Confirmationem à Baptismo.*
9 *Episcopi curarere debent, ne quis ex eorum negligentiâ sine hoc Sacramento discedat.*
10 *Incommoda ex hujus Sacramenti dilatione nata sequi.*
11 *Chrismatis benedictio soli Episcopo competit.*
12 *Primus Episcopus omni tempore Chrisma conficere poterat.*
13 *Quandonam invaluerit, ut in Cœna Domini Chrisma esset conficiendum.*
14 *Olim Presbyteri à suis Episcopis Chrisma accipiebant.*
15 *Hodiè singulis annis, secùs olim, Chrisma renovandum.*
16 *Quomodo hodie ex præscripto Synodorum Chrisma accipiatur; & renovari debeat.*
17 *Aliquando Archidiaconi Chrisma distribuebant; & in illius distributione pecuniam exigebant.*

I. SOlum Episcopum hujus Sacramenti ministrum esse, nec ab aliis quàm ab Apostolis eorumque successoribus Episcopis unquam peractum fuisse, aut administrari posse, claris testimoniis declarat Epistola, quæ sub nomine Eusebii Papæ refertur apud Gratianum *Dist.* 4. *de Cons. Can.* 4. » Manûs quoque » *impositionis* Sacramentum magna veneratione tenendum est, » quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus, » nec tempore Apostolorum ab aliis, quàm ab ipsis Apostolis » legitur, aut scitur peractum esse: nec ab aliis quàm ab illis, » qui eorum tenent locum, unquam perfici poterat, aut fieri de- » bet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur & va- » cuum, & inter Ecclesiastica nunquam reputabitur Sacra- » menta. «

Verùm nôrunt hodiè eruditi, quàm exigua sit hujus ac duarum aliarum Epistolarum, quæ sub nomine hujus Pontificis extant, fides; de quibus in nota marginali ad earum primam intrepidè pronuntiat Labbæus: *Confictæ, ac spuriæ omnes*: & deinde de hac, quæ ordine tertia est, notat *Tota conficta est.* Tit. I. Conc.

II. Hoc ergo testimonio prætermisso, aliud habetur, licèt nonnihil posterius, certius tamen, nimirum Innocentii I. in Epistola ad Decentium *cap.* 3. » De consignandis verò infanti- » bus manifestum est, non ab alio quàm ab Episcopo fieri lice- » re. Nam Presbyteri, licèt sint Sacerdotes, Pontificatûs tamen » apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut » vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solùm » consuetudo ecclesiastica demonstrat, verùm & illa lectio Ac- » tuum Apostolorum, quæ asserit Petrum & Joannem esse di- » rectos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. «

Hoc Innocentii testimonio utuntur communiter Auctores de officiis Ecclesiasticis scribentes, ut probent Episcopum esse hujus Sacramenti ministrum.

Nequaquam tamen hinc inferre licet, Episcopum ita esse à Christo designatum ministrum, ut ea potestas nullo casu inferioribus Presbyteris communicari possit.

III. Nam Græci non tantùm olim, sed etiam hodie eam auctoritatem in Presbyteris agnoscunt; hique baptizatis Chrismate in fronte consignant; eamque praxim Ecclesiam Latinam non improbâsse, ex iis, quæ in Concilio Florentino acta sunt, non obscurum est.

In hujus quippe Concilii conclusione Eugenius IV. inter alias quæstiones hanc ordine sextam Græcis proposuit: *Quare Pontifices non inungerent sacro Chrismate, sed Sacerdotes, cùm hoc Pontificibus sit datum?* Et statim subditur in textu: *Hæc à Latinis objecta Mytylinensis canonicè omnia, legitimeque dissolvit.*

Hinc patet, quòd etiam tempore hujus Concilii, Græci Sacerdotes confirmarent. Secundò, quòd super ea praxi disputatum fuerit. Tertiò, quòd Græci suæ disciplinæ canonicas rationes dederint; atque Latinorum argumentis satisfecerint. Quartò, quòd Eugenius IV. aliique Latini Episcopi acquieverint; nec Græcos ad aliter confirmandum adegerint; neque de nullitate Confirmationis sic collatæ scrupulum moverint.

IV. Contrarium prorsus his videtur responsum Innocentii III. in *in cap.* 4. ✠ *de Consuetudine* ubi eam praxim Græcorum omninò improbare videtur; atque confirmationem à Presbyteris etiam Constantinopoli collatam pro invalida habere.

Verùm omnis difficultas evanescet, si consulatur ipsa Decretalis Innocentii, prout extat in tertia Decretalium collectione apud Antonium Augustinum; è qua eam desumpsit Raymundus omissâ particulâ *Latinis* ad vocem *Presbyteris*; quæ ostendit, Innocentium tantùm respondisse de Presbyteris *Latinis* Constantinopoli degentibus; quibus præcipit, ut consuetudinem Ecclesiæ Latinæ sequantur. Hîc obiter notent Canonistæ, quàm utile, imò necessarium sit, interdum ad veteres Decretalium collectiones habere recursum; uti monui & pluribus ostendi in commentario ad Canones.

V. Cæterùm tametsi disciplina Ecclesiæ Latinæ habeat, ut soli Episcopi hoc Sacramentum administrent, quin tamen Presbyteri subinde extraordinariè & absente Episcopo dispensatoriè id ministerii exercere queant, evidenter jam pridem probavit S. Gregorius.

Scripsit ipse Episcopo Calaritano in Sardinia *lib.* 3. *Epist.* 9. » Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus Chris- ma-

„ mate non præsumant: sed Presbyteri baptizatos ungant in „ pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte.“ Apud Gratianum *de Consecrat. dist.* 4. *Can.* 19.

Cùm verò intellexisset Gregorius quosdam à Sardis hoc responso scandalizatos fuisse, rescribit eidem Episcopo in hæc verba: „Pervenit quoque ad Nos quosdam scandalizatos fuisse, „ quòd Presbyteros Chrismate tangere in fronte eos, qui bap„ tizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum ve„ terem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omninò hac de re aliqui „ contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in „ frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus.“ Epistola 26. ejusdem libri; & refertur à Gratiano *dist.* 95. *Can.* 1.

Observatu digna sunt hæc Epistolæ verba: *Nos quidem secundum usum veterem* ECCLESIÆ NOSTRÆ *facimus*: tacitè innuens, aliam esse Ecclesiæ Orientalis consuetudinem; se autem scripsisse Episcopo Calaritano in priori Epistola, ut procederet juxta consuetudinem *Ecclesiæ suæ*, id est, Romanæ; quæ Presbyteris non permittebat, baptizatos sacro Chrismate in frontibus consignare.

Sed cùm hinc offenderentur Sardi, in hac Epistola (quæ ad priorem refertur) permittit Gregorius, *ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant.*

VI. Itaque non dubitavit Gregorius, quin Presbyteri etiam subinde esse possent hujus Sacramenti ministri; quod & supposuit Eugenius IV. dum in Instructione pro Armeniis dixit: *Legitur tamen aliquando per* Apostolicæ *Sedis dispensationem,* SIMPLICEM SACERDOTEM *Chrismate per Episcopum consecrato hoc administrâsse Sacramentum Confirmationis.*

Unde Synodus Tridentina *Can. III.* de Confirmatione dicens, ministrum hujus Sacramenti esse Episcopum, expressè ad vocem *ministrum* addidit *ordinarium.*

VII. Plura in eandem rem vide apud Franciscum Farvacquium de Sacramento Confirmationis *cap.* 4. *quæst.* 4. §. 1. 3. & 4. Et *quæst.* 5. ostendit, seposita reservatione; posse etiam in Ecclesia Latina Presbyterum ex sola Episcopi commissione confirmare juxta illud Synodi Toletanæ I. „Statutum est Dia„ conum non chrismate, sed *Presbyterum absente Episcopo*; „ præsente verò, si ab ipso fuerit præceptum.“ *Can.* 20.

VII. Quidquid sit, certum est juxta modernam Ecclesiæ Latinæ disciplinam, quam & à seculo IV. in usu fuisse testis est Innocentius I. solis Episcopis fas esse hoc Sacramentum conferre; quæ disciplina verisimiliter occasionem dedit sejungendi Confirmationem à Baptismo.

Cùm enim invaluisset Baptismus infantium, isque à Presbyteris plerumque conferretur, contigit, ut hi potestate confirmandi destituti, Confirmatio differretur, quousque præsentia Episcopi haberetur; quæ, populo christiano multiplicato, cùm frequenter ad longum tempus expectaretur, tandem conveniens visum fuit, differri quousque baptizati usum rationis attigissent.

IX. Quia ergo ad Episcopos pertinet hoc Sacramentum administrare, debent quoque hi omni cura invigilare, ne quis ex eorum negligentia hoc Sacramento diutiùs, quàm oportet, destituatur; quemadmodum multis ostendit Farvacquius loco citato in sua *Charitate*; optatque, „ut Episcopi omnes tàm vi„ giles sint ad administrandum ovibus Confirmationis Sacramen„ tum, quàm alacres & expediti sunt ad suscipiendum (utinam „ non solicitandum!) sublimioris Cathedræ fastigium. Certè (per„ git Farvacquius) Armacanus Primas Hiberniæ *lib.* 9. *cap.* 30. „ non dubitat asseveranter scribere: *Qui Sacramentum Confirmationis retardant, sine quo plurimi suorum subditorum ab hac luce recedunt, graviter valdè coram Deo delinquunt.*

X. Ex hac insuper Episcoporum mora in administrando hoc Sacramento contingit, tantam subinde multitudinem confirmandorum concurrere, ut vix confusio tempore administrationis vitari queat; nequeatque Episcopus notitiam convenientem de confirmandis accipere: circa quæ non inutiliter consulent Episcopi, quæ in suis Instructionibus præscripserit S. Carolus titulo *de Modo procedendi ad sumendum Confirmationis Sacramentum*; in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *pag.* 421. edit. 1683.

XI. Sicuti ipsius Confirmationis ministrum ordinarium solùm Episcopum agnoscit Ecclesia Latina, ita nec Chrismatis conficiendi sive benedicendi alium ministrum agnoscit; nec jam pridem agnovit; de quo præter plures Canones Africanos apud Gratianum *Caus.* 26. *quæst.* 6. *Can.* 1. & 2. hæc habet Canon 20. Concilii Toletani I. sub initium seculi V. „Quamvis pe„ nè ubique custodiatur, & absque Episcopo Chrisma nemo „conficiat; tamen quia in aliquibus locis, vel Provinciis, Pres„ byteri dicuntur Chrisma conferre, placuit ex hac die nullum „ alium, nisi Episcopum Chrisma facere, & per Diœcesim „ destinare.“

XII. Quod verò in eodem Canone subjicitur: *Episcopo sanè* OMNI TEMPORE *licere Chrisma conficere*, manifestè evincit, nequaquam eo tempore adhuc stabilitam modernam disciplinam, quæ vult, ut Chrisma tantùm *Feria V.* ante Pascha, sive in *Cœna Domini* ab Episcopo conficiatur.

Hinc quoque ostenditur, supposititiam esse Epistolam, quæ sub nomine Fabiani Papæ (qui sedit circa initium seculi III.) ad omnes Orientales Episcopos extat; & è qua hoc fragmentum refert Gratianus *Dist* 3. *de Consecrat. Can.* 18. „Litteris vestris in„ ter cætera insertum invenimus, quosdam regionis vestræ Epis„ copos à vestro, nostroque ordine discrepare, & non per sin„ gulos annos in *Cœna Domini* chrisma conficere. Errant verò „ qui talia excogitant, & mente insana potiùs, quam recta sen„ tientes hæc audent. Sicut enim ipsius diei solemnitas per singu„ los annos est celebranda, ita ipsius S. Chrismatis confectio per „ singulos annos est agenda, & de anno in annum revocanda, „ & fidelibus tradenda: quia novum Sacramentum est per sin„ gulos annos, & jam dicto die innovandum, & vetus in sanctis „ Ecclesiis cremandum. Ista à sanctis Apostolis & Successoribus „ eorum accepimus, & vobis tenenda mandamus.“

XIII. Videtur autem seculo VII. præsens disciplina de conficiendo Chrismate in Cœna Domini invaluisse: nam illius mentio fit in Sacramentario S. Gregorii, & antiquo Ordine Romano, aliisque, qui circa ea tempora de Divinis Officiis scripserunt.

XIV. Prædictus Canon Toletanus vult, ut de singulis Ecclesiis ad Episcopum ante diem Paschæ Diaconi destinentur, aut Subdiaconi, ut confectum ab Episcopo Chrisma possint accipere.

Et in Concilio Carthaginensi IV. *Can. XXXVI.* apud Gratianum *Dist.* 95. *Can.* 4. „Presbyteri, qui per diversas Ec„ clesias regunt, non à quibuslibet Episcopis, sed à suis; nec „ per juniorem Clericum, sed aut per seipsos, aut per illum, „ qui Sacrarium tenet, ante Paschæ solemnitatem Chrisma „ petant.“

XV. Addit Gratianus post particulam *sed*, OMNI ANNO; idque forsan more suo inflectendo Canonem ad sui temporis disciplinam, quæ Chrisma singulis annis renovari volebat, quæque etiam hodie obtinet: nisi dicere malimus cum Stephano Baluzio in notis ad hunc Canonem Gratiani, mendum hîc esse in editionibus Gratiani, & pro *omni anno* legendum *omninò.*

XVI. Hodiè non singuli Parochialium Ecclesiarum Rectores per se aut alium Chrisma accipiunt ab Episcopo; sed Archipresbyteri id pro suis respectivè Districtibus accipere solent; qui illud Rectoribus Ecclesiarum distribuunt; aut in civitatibus Chrisma solemniter ad Ecclesiam primariam sive matricem defertur, ad quam inferiores Ecclesiæ accedente id quærere solent.

Synodus Mechliniensis Parte II. *tit.* 2. *cap.* 6. ait: „Non „ modò Archipresbyteri singulis annis ab Ordinario suo, vel „ Sede vacante à Vicario Generali sacrum Chrisma & sacra „ Olea tempestivè petant, & per Sacerdotem, Diaconum, vel „ saltem Subdiaconum, in mundis & honestii vasculis (scilicet „ stannis, aut argenteis, nullo modo verò cupreis, testaceis, „ aut vitreis) ad locum residentiæ suæ ferri curent; sed Pasto„ res etiam singuli quotannis ab Archipresbytero suo, vel ex ea „ Ecclesia unde consueverunt, per se aut alium Sacerdotem, „ non autem illo inferiorem, in similibus vasculis sacrum Chris„ ma, sanctaque Olea ferre non omittant; iisque receptis, ve„ teribus non utantur: sed quidquid ex illis superfuerit, si li„ quidum, lampadi, quæ lucet ante Venerabile Sacramentum, „ infundatur; sin autem bombyci, vel gossipio immixtum fue„ rit, super piscinam comburatur.“

Huic consonat Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 5. *cap.* 8. & 9. atque hodiernam in requirendo ac deferendo sacro Chrismate disciplinam Belgicam hæ Synodi exprimunt.

XVII. Seculo IX. Parochos ab Archidiaconis aliquando Chrisma accepisse testis est Hincmarus Remensis in Capitulis anno 877. Archidiaconis datis *cap.* 5. ubi unà vetuit, ne à Presbyteris, *dum pro Chrisma accipiendo veniunt, Eulogias exigant.*

Et in Concilio Cabilonensi II. anno 813. *Can. XVI.* apud Gratianum *caus.* 1. *quæst.* 1. *Can.* 106. statutum, „ut sicut „ pro dedicandis Basilicis, & dandis ordinibus nihil accipien„ dum est, ita etiam pro balsamo, sive luminaribus emendis, „ nihil Presbyteri Chrisma accepturi dent.“

Idem in Concilio Toletano XI. Bracarensi II. & Triburiensi decretum fuit; quorum Canones refert Gratianus loco citato *Can.* 101. 102. & 103. ad quod reflectens Innocentius III. reprobat consuetudinem quorumdam Episcoporum Provinciæ Cantuariensis, exigendi certam pecuniæ quantitatem pro Chrismate, idque per *anticipatam* solutionem; ne viderentur pro Chrismate accipere. Refertur in *cap.* 36. ✠ *de Simonia.*

CAPUT III.

De Ritibus Confirmationis.

1 *Antiquus est ritus manus imponendi.*
2 *Manus impositio aliquando sumpta pro Confirmatione.*
3 *Ecclesia Rom. nunquam rejecit manûs impositionem.*
4 *Confirmandus Chrismate ungitur in fronte.*

5 *Unde Chrisma conficiatur.*
6 *Incertum est, an unctio Chrismatis spectet ad essentiam Confirmationis.*
7 *Quàm convenienter balsamum adhibeatur, remissivè.*
8 *Confirmandus apud Latinos ungitur in fronte, apud Græcos in pluribus partibus corporis.*
9 *Unctio fit adhibito signo Crucis.*
10 *De verbis in unctione proferendis non convenit inter Græcos & Latinos; nec formula unctionis pertinet ad substantiam Sacramenti.*
11 *Ob formulam unctionis hodiernam Latinorum invaluit nomen* Confirmationis.
12 *Ritus percussionis post factam unctionem quid significet.*
13 *Episcopus confirmato pacem impertitur.*
14 *Hodie etiam assumuntur Patrini; quorum antiquitùs mentio non occurrit.*
15 *Quales in Patrinos adhibendi; & quis delectus habendus.*
16 *Quod eorum officium.*
17 *Cavendum, ne per horum Patrinorum adhibitionem nimis multiplicentur impedimenta Matrimonii.*
18 *Quæ in administratione servanda modestia.*
19 *Quid nominis mutatio significet.*

I. IN primis Apostolicus est ritus *manuum impositio* super confirmandos, de quo in Actibus Apostolorum *cap.* 8. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum....* Tunc IMPONEBANT MANUS *super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.*

Eundem ritum apud Patres passim expresum & adhibitum videmus; falsumque quod Innocentius III. dixerit, eum in Chrismationem esse mutatum; quasi Ecclesia Romana (uti clamant Hæretici) abrogato ritu Apostolico sola Chrismatione uteretur.

II. Scribit quidem Innocentius III. in *Cap. unico* §. 4. ✠ *de Sacra Unctione: Per fontis chrismationem manûs impositio designatur; quæ alio nomine dicitur Confirmatio*; sed nequaquam dicere voluit, manûs impositionem separari à Chrismatione; sed tantùm, quòd Frontis Chrismatio designet sive significet illud idem, quod olim simpliciter dicebatur *manûs impositio*; & hondie alio nomine vocatur *Confirmatio.*

Idem dicere intendit Eugenius IV. in Instructione pro Armenis dicens, quòd Apostoli *per manûs impositionem dabant Spiritum Sanctum, & loco illius impositionis detur in Ecclesia Confirmatio*; nimirum, Sacramentum, quod Apostolorum tempore dicebatur *manuum impositio*, hodie dicitur *Confirmatio.*

III. Neque Ecclesiam Romanam rejecisse *manuum impositionem* in administratione Sacramenti sat manifestum est ex Pontificali Romano, ubi præscribitur, ut Episcopus orationem recitet *extensis versus Confirmandos manibus*; sive ut legitur in Sacramentario S. Gregorii, *Levata manu*; quibus idem reipsa indicatur, ac si diceretur, IMPOSITIS *super Confirmandos manibus*; iis siquidem tribus formulis idem ritus significatur, nempè oratio, quam quis fundit super eo, quem manu indicat. *Quid enim est aliud manûs impositio* (ait Augustinus *lib.* 3. *de Baptismo, cap.* 16.) *quàm* ORATIO SUPER *hominem.*

IV. Ultra manuum impositionem, & orationem super confirmandos, ungitur confirmandus Chrismate in fronte.

De hanc unctione frequens est apud antiquos mentio; & plura apud Theologos obvia sunt testimonia; quæ unà quoque ostendunt, jam pridem orationibus Chrisma fuisse benedictum; necnon magnam unctioni efficaciam datam fuisse. Unus pro omnibus S. Cyrilli Hierosolymitani locus sufficit: „Quemadmodum „panis Eucharistiæ post S. Spiritus invocationem, non ampliùs „est panis communis, sed est Corpus Christi; sic & sanctum „hoc unguentum, non ampliùs est *unguentum nudum*, neque „(si quis ita appellari malit) *commune*, postquam jam consecra„tum est, sed est *Chrisma Christi*, quod adventu Spiritus Sanc„ti per ipsius Divinitatem energiam habet. Quo frons & alii sen„sus corporis tui symbolicè unguntur: & corpus quidem isto „visibili unguento perungitur, anima verò Sancto vivifico Spiri„tu sanctificatur."

V. Chrisma hodiè conficitur ex oleo olivarum, & balsamo, de quo ita loquitur Instructio pro Armenis. „Secundum Sacra„mentum est Confirmationis, cujus materia est Chrisma confec„tum ex *oleo*, quod significat nitorem conscientiæ, & *balsamo*, „quod significat odorem bonæ famæ, per Episcopum benedicto."

VI. Nequaquam tamen certum esse num Chrismatis unctio ipsi Sacramento sit essentialis, ita ut illa omissa esset tanquam nullum reiterandum Sacramentum, sat manifestum est ex responso Innocentii III. in *cap.* 1. ✠ *de Sacramentis non iterandis* nam ad quæstionem, num „Sacramentum Confirmationis in eo „debeat iterari, qui per errorem fuit *non Chrismate* sed *oleo* de„linitus? non respondit Innocentius, Sacramentum esse *ite„randum* tanquam nulliter collatum, *sed cautè* SUPPLENDUM, „*quod incautè fuerat prætermissum*; uti fieri solet, dum quæ„dam non ad essentiam requisita per errorem omissa sunt."

Cæterum hoc indubitatum est, hodie licitum non esse, sine verò Chrismate hoc Sacramentum conferre.

VII. Quàm convenienter balsamum hîc adhibeatur, & quomodo virtutes homini Christiana necessarias, nec non pinguedinem cœlestis gratiæ, quæ per hoc Sacramentum refunditur, designet; pulchrè explicat S. Carolus in suis instructionibus *de Sacramento Confirmationis, part.* 4. *Actorum Ecclesiæ Mediolanensis, pag.* 419.

VIII. Signatur autem in fronte, idque ritu antiquissimo: Nam S. Cyrillus Hierosolymitanus verbis suprà relatis immediatè subjungit: „Ac primum quidem *fronti* illinitur, ut eum abstergat „à vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuò „circumferebat; simulque efficiat, ut possit is vultu non velato „gloriam Domini intueri."

Subdit post hæc Cyrillus; „Deinde verò *aures* unguntur, „ut ad audiendum divina mysteria aures accipiatis; de quibus „Isaias dicebat, cap. 50. v. 4. *Et addit mihi Dominus au„res ad audiendum*: & Dominus in Evangelio Luc. cap. 8. „v. 8. Matth. cap. 2. v. 15. *Qui habet aures audiendi audiat.*" Posteà *nares*: „ut divinum recipientes, ait, unguentum, di„catis: Christi gratus odor est Deo, in his, qui salvantur. Tum „verò & pectus inungitur; ut induti thoracem justitiæ, fortiter „adversus insultus diaboli consistatis."

Hæc Cyrillus, conformiter ferè ad disciplinam Græcorum, qui hodie ungunt baptizatum non tantùm in fronte, sed & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & pedibus. Ita Rituale editum à Jacobo Goar *pag.* 356.

IX. Conveniunt Græci & Latini, quòd signent, sive ungant adhibito signo Crucis. Hîc appositè exponet Parochus, ait S. Carolus, „illo Crucis signo, quo Christus Dominus trium„phavit, christianum hominem, in cujus fronte dum confirma„tur, in numerum adscribit fortissimorum ejus militum.

X. Chrisma per modum Crucis fronti confirmandi illiniens Episcopus ritu Latino dicit: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Quo tempore hac forma Ecclesia Latina uti cœperit, incertum est; hoc certum est, Græcos hac formula nec olim usos fuisse, neque hodie uti; creduntque plures (u) formam hodiernam Græcorum esse: *Signaculum doni Spiritûs Sancti*; neque Ecclesiam Latinam Confirmationem ritu Græcorum ita factam improbare. Certum quoque est, formulam illam Latinorum primi X. seculis notam non fuisse; neque ullum auctorem ante seculum XII. illius meminisse: ac consequenter dici non posse *formam essentialem* hujus Sacramenti; uti latiùs ostendit Farvacquius in Opusculo *de hoc Sacramento, cap.* 3. *q.* 2. ubi §. 2. monet, quòd mens Eugenii IX. in Institutione pro Armenis non fuerit *essentiales* Sacramentorum formas, sed ad summum assignare formas *ordinarias* in Ecclesia Latina usitatas; ut ita Armeni de ritu Ecclesiæ Romanæ essent instructi.

XI. Non dubium, quin post addita hæc verba CONFIRMO *te Chrismate salutis*, Sacramentum hoc vulgari nomine *Confirmationis* nuncupari cœperit; quo nomine nunquam vel rarò apud Veteres nuncupatum legitur; quibus tamen verbis & nomine convenienter præcipuus Sacramenti effectus rectè indicatur; qui est spiritualis Confirmatio sive roboratio ad resistendum diabolo, & fortiter standum pro Evangelio, & Christi nomine; quemadmodum loco citato exponit S. Carolus.

XII. Ubi frontis inunctio peracta est, Episcopus confirmatum leviter in maxilla cædit. Non perantiquam esse eam cæremoniam, probat silentium omnium Auctorum, qui de *Officiis Ecclesiasticis* seculo IX. & X. scripserunt; illius tamen rationem piam hanc assignat S. Carolus: „Ut sciat homo christianus, se „jam militem esse, cujus pugna, & victoria eluceat in patiendis „injuriis, non illis inferendis: deinde se in christiana militia „constitutum esse, in qua non hujus vitæ jucunditates, & com„moda quærat, sed incommoda potiùs, atque adeò mala multa „patienter ferat: ac præterea intelligat officii sui esse in acie „stare, telaque unde veniant observare; ita ut quamvis illis te„lorum ictibus corpus, honor, opesque lædantur, anima ta„men nullo pacto offendatur."

XIII. Demum pacem impartitur confirmando Episcopus ritu antiquo; utpote cujus meminit pristinus Ordo Romanus seculo VII. conscriptus.

Pacem dari ostendit Parochus, ait S. Carolus, „ut intelli„gant se gratia cœlestis plenitudinem, & pacem, quæ exsupe„rat omnem sensum, consecutos esse."

XIV. Denique juxta hodiernum Ecclesiæ Latinæ morem in hoc

(u) *Teologi, de quibus loquitur D. Van Espen, sunt Arcudius, Goarius, &c. At doctissimus Sambovius, aliique complures cesent formam Confirmationis apud Græcos esse eam orationem, quæ in eorum Euchologiis unctionem Neophyti præcedit, quæque sic incipit*: Benedictus es Dominus, &c.

hoc Sacramento, non secus ac Baptismo, adhibentur Patrini & Matrinæ; atque ratione susceptionis etiam hîc cognatio spiritualis constituens impedimentum, etiam dirimens matrimonium, contrahitur.

Quod apud veteres horum Patrinorum mentio non fiat, mirum apparere non debet; quandoquidem, uti suprà monuimus, pluribus seculis hoc Sacramentum à Sacramento Baptismi vix separaretur; ideoque admodum verisimile est, disciplinam habendi speciales Patrinos, seu Sponsores, vel Susceptores Cofirmationis incepisse, postquam Confirmatio desiit unà cum Baptismo administrari. Dùm enim conjunctim conferebantur Confirmatio & Baptismus, credebantur Patrini sive Sponsores pro utroque intervenire; unde contigit, ut facta separatione, etiam separatim adhiberi cœperint Patrini; ut ita antiquus ritus manere videretur.

XV. Synodus Audomerensis anno 1583. *tit.* 4. *cap.* 5. ne Patrinorum hæc adihibitio in Confirmatione reddatur inutilis, voluit, » ad id muneris non quoslibet absque discrimine adsumi, » sed ejusmodi omninò, qui ut spirituales parentes & possint & » velint eorum, quos ad Confirmationem obtulerint, paternam » curam gerere, eosque instruere, quomodo adversus visibiles & » invisibiles salutis hostes sit dimicandum certandumque viriliter. » Habeatur itaque delectus & ratio talis, qualem Patrinorum in » Baptismo habendam esse præscripsimus."

Et Synodus Mechliniensis P. II. *tit.* 4. *cap.* 2. declarat, » qui » in Baptismo Patrini esse non possunt, nec hîc esse posse."

XVI. Synodus Cameracensis P. II. *tit.* 7. *cap.* 1. vult, ut Parochus Patrinorum officium exponat populo; » nempè quòd » eorum puerorum, quos susceperint, tanquam filiorum spiri- » tualium curam gerere, eosque prima fidei rudimenta docere de- » beant, si ea ignorent."

Addit hæc Synodus, ut singuli puerorum ab aliquo præsentandi adducantur, » mares quidem, ait, quod fieri poterit à vi- » ris, & puellæ à mulieribus."

XVII. Synodus Buscoducensis tàm sub Metsio, quàm Masio, monet consulendum parentibus, ut pro præsentantibus seu tenentibus assumant, quantum fieri poterit, consanguineos, aut affines aut eos, qui in sacris Ordinibus constituti sunt. Rationem addit Synodus sub Masio: *Ne multiplicentur Matrimonii impedimenta.* Idipsum monent decreta Diœcesis Gandensis sub Antonio Triest. *tit.* 4. *cap.* 2.

XVIII. » Dùm Sacramentum hoc ministratur (ait Synodus » Buscoducensis sub Masio *cap.* 7.) non modo, qui illud suscep- » turi sunt, quique eos offerunt, sed quotquot etiam præsentes » sancto illi ministerio adsunt, sanctè, pièque orent, ac summa » animi intentione spectent, quod in illa solemni ministerii ce- » lebritate peragitur: tum verò mente reputent cœlestia illa Spi- » ritûs S. dona, quæ illius Sacramenti virtute Fidelibus impendun- » tur: in primisque tacita meditatione videant, quas in illis pro- » gressiones habeant, & an vitam agant tanta cœlestium dono- » rum ubertate dignam."

Hoc laudandum suum decretum, & hodie meritò sæpiùs inculcandum desumpsisse videtur Synodus ex Concilio V. Mediolanensis sub S. Carolo *cap.* 8. ubi ad verbum exhibetur.

XIX. Addit deinde clausulam, quæ nominis mutationis in hoc Sacramento fieri solitæ rationem indicat: » Ut qui hactenus » non ad normam Christi Domini vitam instituit, jam abjecto no- » mine ejusmodi, depositoque veteri homine, & antiqua socor- » dia, rursusque novo ac sancto suscepto nomine, virilem in » sanctè agendo constantiam perpetuò deinde præstet."

TITULUS IV.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT I.

DE MATERIA, FORMA, & MINISTRO HUJUS SACRAMENTI.

1 *Quid de hoc Sacramento habeat moderna professio fidei.*
2 *Quid Synodus Tridentina.*
3 *Contentio inter Patres Tridentinos occasione tertii Canonis.*
4 *Materia Eucharistiæ est verus panis triticeus, & vinum de vite.*
5 *Non refert, quæ sit species vini, modò sit vinum de vite.*
6 *Græci utuntur pane fermentato; eo etiam Latini aliquando usi fuerint.*
7 *Agnoscunt Latini, utrumque esse materiam sufficientem.*
8 *Quisque debet servare in usu panis consuetudinem & præscriptum suæ Ecclesiæ.*
9 *Forma hujus Sacramenti sunt verba, quibus Christus illud confecit.*
10 *Non iisdem verbis in omnibus Liturgiis exprimitur forma consecrationis Panis.*
11 *Varietas est in forma consecrationis Calicis.*
22 *Forma hodierna consecrationis Latinorum præsertim Calicis integra; non est de essentia Sacramenti.*
13 *Forma hodierna necessariò ab omnibus exactè servanda.*
14 *Forma Consecrationis Calicis non continetur quoad omnia in Scriptura; est tamen conveniens.*
15 *Solus Sacerdos potest hoc Sacramentum conficere.*
16 *Diaconi aliquando hoc Sacramentum populo distribuerunt.*
17 *Diaconi id faciebant ut ministri Sacerdotum.*
18 *Distributio Calicis magis propria fuit Diaconis, quàm Panis consecrati.*
19 *Quandiu hæc disciplina duravit; & quæ hodie illius vestigia.*
20 *Hodie soli Presbyteri distribuunt; & quidem soli Pastores jure ordinario.*
21 *Aliquando Religiosis vetitum fuit Eucharistiam sine consensu Parochi populo distribuere.*
22 *Hodie, excepta Communione Paschali, in omnibus passim Eclesiis, & ab omnibus Presbyteris distribuitur.*
23 *Unde hæc licentia invaluerit.*
24 *Quæ hinc incommoda.*

I. EUcharistia vox Græca, propriè Latinè significat *gratiarum actionem*: quare Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi dictum est Sacramentum *Eucharistiæ*, vel simpliciter *Eucharistia*, à facto Salvatoris qui illud instituendo *gratias egisse* Patri, Evangelistæ & Paulus testantur.

De hoc Sacramento habet hodierna fidei professio: » Pro- » fiteor in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, esse verè, realiter » & substantialiter Corpus & Sanguinem, unà cum anima & di- » vinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem to- » tius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in San- » guinem; quam conversionem Catholica Ecclesia *Transubstan- » tiationem* appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie totum, » atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi."

II. Hæc à Pio IV. hujus formulæ professionis auctore desumpta fuerunt ex Canonibus Concilii Tridentini *Sess.* 13. ubi tres sequentes Canones in hanc rem editi sunt.

Primus: » Si quis negaverit in sanctissimæ Eucharistiæ Sa- » cramento contineri verè, realiter, & substantialiter Corpus & » Sanguinem, unà cum anima & divinitate Domini nostri Jesu » Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantumodò » esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute: anathema sit."

Secundus: » Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sa- » cramento remanere substantiam panis & vini unà cum Cor- » pore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque » mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ » vini in Sanguinem, manentibus duntaxat specibus panis & vini; » quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè *Tran- » substantiationem* appellat: anathema sit."

» Tertius: » Si quis negaverit in Venerabili Sacramento Eu- » charistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque spe- » ciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri: » anatema sit."

III. Circa tertium Canonem observat Pallavicinus *lib.* 12. *hist. Concilii Trid. cap.* 2. *n.* 15. » Cùm hic Canon à Patribus » delectis ita fuisset conformatus: *Si quis dixerit, sub qualibet » specie, & sub qualibet ipsius parte non contineri totum Chris- » tum, sit anathema*; Joannem Æmilianum Hispaniensem, Tu- » dætanum Antistitem monuisse, ut adjiceretur, *factâ separa- » tione*: siquidem variabant sententiæ, an Christus esset sub » qualibet particula hostiæ integræ: atque ita effectum est."

Veritatem horum dogmatum contra nostri temporis Hæreticos varii Theologi doctissimis tractatibus ex Scriptura & traditione solidissimè astruunt, atque præ cæteris eruditus Auctor operis Gallici, cui titulus *Perpetuitè de la Foy.*

IV. Materia hujus Sacramenti, prout exprimitur in decreto Eugenii IV. pro Armenis (quod extat tom. 13. Concilium Generalium pag. 529.) *est panis triticeus, & vinum de vite.*

Quid sit *panis triticeus*, quid *vinum de vite*, petendum ex vulgari æstimatione & judicio. Unde omissis Philosophorum aut aliorum subtilibus de his disputationibus, nunquam pro materia hujus Sacramenti aliud adhibendum, extra casum necessitatis nisi illud, quod juxta vulgare & commune judicium habetur & dicitur propriè *panis triticeus* & *vinum de vite.*

Quæ

V. Quæ sit species vini, parum refert, modò revera sit *vinum de vite*: & uti advertit Cardinalis de Bona *lib.* 1. *Rerum Liturg. cap.* 23. *num.* 1. » nulla unquam de *vino* inter Ca» tholicos quæstio fuit; omnes enim *vini* nomine audito, il» lud statim mente concipiunt quod ex uvis exprimitur, & ho» minibus in potum exhibetur.“

VI. De pane verò, pergit Cardinalis Bona, inter Orientales & Occidentales accerrimæ motæ sunt lites; nam Orientales *fermentato* utuntur, & hunc solùm legitimam esse materiam hujus Sacramenti affirmant; Occidentales autem in *azymis* conficiunt, utentes *fermento* non damnant. Adhærent Latinis in usu azymorum Maronitæ & Armenii, sed quo tempore his uti cœperint præter morem cæterorum Orientalium, difficile est invenire. Hæc ille, qui ibidem post Jacobum Sirmondum sustinet, etiam Ecclesiam Latinam multis seculis usum fuisse pane fermentato; nec nisi post schisma Photianum usum azymorum introductum: econtra verò Christianus Lupus *tom.* 3. *Scholiorum Dissertatione de Actis Leonis IX. cap.* 7. & sequentibus, & post ipsum eruditus Mabillonius in *singulari Dissertatione de pane Eucharistico, Azymo, & Fermentato*, multis ostendere volunt, usum Azymorum in Ecclesia Latina antiquissimum esse, & multis seculis schisma Photianum antecessisse.

VII. Quidquid sit de hac facti quæstione, multis difficultatibus intrincata, illud sat certum, utrumque panem, tam azymum, quàm fermentatum esse veram & sufficientem hujus Sacramenti materiam; ipsumque diversum usum esse unum è punctis disciplinæ, de quibus rectè dixit S. Anselmus Cantuariensis: » Quoniam multæ sunt diversitates, quæ non in subs» tantia Sacramenti, neque in virtute ejus, aut fide discor» dant, neque omnes in unam consuetudinem colligi possunt; » æstimo eas potiùs pro pace concorditer tolerandas, quàm » discorditer cum scandalo damnandas. Habemus enim a sanc» tis Patribus, quia si unitas servatur charitatis in fide Catho» lica, nihil officit consuetudo diversa.“ Hæc ille in Responsione ad Vauleranni querelas *cap.* 1.

VIII. Illud quoque certum est, unumquemque teneri hac in re ritum & morem suæ Ecclesiæ servare; adeoque juxta modernam disciplinam, Presbyteros in Ecclesia Latina non posse uti pane fermentato; imò eo utentes graviter peccaturos; ita quidem ut qui id scienter perpetrâsset, officio & Beneficio privandum esse, ex *cap. finali* ✠ *de Celebr. Missarum*, concludant Canonistæ.

IX. De forma hujus Sacramenti Instructio pro Armenis loquitur his verbis: » Forma hujus Sacramènti sunt verba Salva» toris, quibus hoc confecit Sacramentum. Sacerdos enim in » persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum.“

Omnes sive Orientales, sive Occidentales, tam antiquas quàm modernas Liturgias in hoc conspirare notat Vir eruditione celeberrimus Benignus Bossuet Episcopus Meldensis in explicatione quarundam difficultatum circa preces Sacrificii Missæ *num.* 45. quòd ipsa Consecrationis vis ipsis verbis Christi à Sacerdote prolatis adscribatur; quamvis non eodem modo ubique proferantur.

X. Forma Consecrationis panis in Liturgia Ambrosiana edita à Pamelio est: *Hoc est enim Corpus meum, quod pro multis confringetur.*

Forma Consecrationis panis in Liturgia Græcorum exprimitur his verbis: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Et in Missali antiquo Mozarabum, quod olim erat Hispanorum, exprimitur hac formula: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

XI. Forma Consecrationis calicis in Græcorum Liturgiis hæc est: *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum.* Ita Liturgia S. Basilii, & S. Chrysostomi; Liturgia S. Jacobi post verbum *effunditur*, addit, *& datur.*

Ambrosiani ritus formula consecrandi calicis in Liturgia à Pamelio edita hæc est: *Hic est enim Sanguis meus.*

In recentioribus quidem Missalibus ritus Ambrosiani, quibus hodie utitur Ecclesia Mediolanensis, eadem est formula Consecrationis tam panis, quam vini cum Romana: quia multi ritus Ordinis Romani in Ordinem Ambrosianum à Recentioribus inducti sunt, ait Mabill. *lib.* 1. *de Liturg. Gall. cap.* 2. *num.* 8. qui & ibidem *cap.* 4. *num.* 3. notat, eandem fuisse Mozarabicam formulam; at & hanc & illam nonnihil seculo X. immutatam fuisse, magisque Romanæ accommodatam; cujus mutationis occasionem ex Ambrosio Morales (x) refert Baronius ad annum 918.

Extat hoc Missale Mozarabicum apud Mabillonium in citato tractatu de Liturgia Gallicana in appendice; ubi & dicta Consecrationis verba leguntur, *pag.* 448.

XII. Ex his facilè est intelligere, non omnia, quæ in hodierna Romana consecrationis, præsertim Calicis formula (qua universa hodie Ecclesia Latina utitur) occurrunt, esse planè necessaria pro validitate consecrationis: quandoquidem videamus hodie Ecclesiam Orientalem, & olim plures Ecclesias etiam Latinas alia formula usas fuisse; unde Sanctus Thomas non aliam Consecrationis formam agnovisse videtur tanquam necessariam pro validitate Sacramenti, nisi hanc, *Hoc est Corpus meum*: Et, *Hic est Sanguis meus*, 3. *part. q.* 78. *art.* 1. & 3. concluditque proinde. » Quod si Sacerdos sola prædicta verba proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeret » hoc Sacramentum.“

XIII. Nihilominus quia hodierna Ecclesiæ Latinæ formula Consecrationis usitata, scilicet panis: *Hoc est enim Corpus meum*: Et Calicis: *Hic est enim Calix sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, extat in omnibus Missalibus; atque à pluribus seculis in Ecclesia Latina religiosè observata fuit, nemo ab ea vel in minimo recedere potest; atque graviter delinqueret, gravique castigatione dignus esset Sacerdos, qui vel scienter vel negligenter, eam sive quidquam omittendo, sive addendo, aut alio quovis modo immutaret, aut mutilaret.

XIV. Prædicta quidem formula Calicis, » non est in Scrip» tura Sacra, nec in Liturgiis (ait Menardus ad Sacram. S. Gre» gorii *pag.* 19.) extat tamen in Versione Codini: estque op» tima, quia continet sensum aliarum formularum, quæ sunt » apud Evangelistas & S. Paulum.“ Hæc ille, qui ibidem notat hæc verba: » *Mysterium fidei*, non extare in antiquo Or» dine Romano.“

Quæstiones plures, quæ tum inter ipsos Theologos; tum etiam inter Catholicos, & Hæreticos circa materiam, & formam hujus Sacramenti agitantur, hic non attingo, utpotè quæ vel disciplinam Ecclesiasticam non tangunt, vel minoris momenti sunt, & ab ipsis Theologis sufficienter excussæ.

XV. Si ipsius Sacramenti confectionem, seu consecrationem spectemus, ejus minister est Sacerdos legitimè ordinatus: solisque Sacerdotibus competere hujus Sacramenti confectionem, non obscurè indicat Canon XVIII. Nicænus; dum arguit Diaconos, quòd quibusdam in locis Eucharistiam darent Presbyteris: » Quod, ait, nec Canon, nec consuetudo tradidit, ut » qui offerendi potestatem non habent, iis, qui offerunt, dent » Corpus Christi.“

Dicens enim, Diaconos non habere potestatem offerendi, sed eam Presbyteris competere, non obscurè significat, nec Diaconis conficiendi Eucharistiam potestatem competiisse; quia consecratio Eucharistiæ nonnisi in ipsa Sacrificii oblatione, etiam antiquitùs fieri solebat.

XVI. Si vero Eucharistiæ jam confectæ administrationem, sive distributionem spectemus, eam aliquando etiam Diaconis competiisse sat innuit citatus Canon XVIII. Nicænus. Cùm enim prohibeat duntaxat Diaconis eam Presbyteris administrare; idque hac ratione: » quòd neque Canon neque consue» tudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis, » qui offerunt, dent Corpus Christi; “ sat insinuat, inferioribus Clericis, & laicis Diaconos potuisse distribuere Eucharistiam.

Et sanè ante Nicænam Synodum hanc Diaconorum functionem clarè expressit Justinus Martyr *Apol.* 2. » Et iis, quæ cum » gratiarum actione consecrata sunt, unusquisque participat, ea» demque ad eos, qui absunt, Diaconis dantur perferenda.“

XVII. Hæc verò Diaconi faciebant; tanquam Episcoporum & Sacerdotum Ministri. Diaconus enim Græcè, Latinè *Minister* dicitur; eò quod Episcopis & Presbyteris ministret, ut suprà *part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. notavimus. Unde auctor Constitutionum Apostolicarum *lib.* 8. *cap.* 28. ait: » Oblatione verò » à Presbytero aut Episcopo facta, ipse Diaconus dat populo, » non tanquam *Sacerdos*, sed tanquam qui *ministrat* Pres» byteris.“

Hac de causa jam pridem in Concilio Carthaginensi IV. *cap.* 38. apud Gratianum *Dist.* 93. *can.* 18. decretum fuit: » Præsente Presbytero Diaconus Eucharistiam Corporis Christi » populo, si necessitas cogat, jussus eroget.“

XVIII. Nota, hîc agi de datione Corporis Christi, qua indicatur datio Eucharistiæ, sub specie Panis. Dispensatio enim Sanguinis Dominici sub speciebus Vini specialiter ac frequentius in omnibus passim Ecclesiis Diaconis competiit; atque de hac sola loquitur S. Cyprianus *lib. de Lapsis*, dicens: » Ubi verò » solemnibus adimpletis Calicem Diaconus offerre præsentibus » cœpit,“ &c. Hinc & illud à Sancto Laurentio Diacono » dictum ad Xystum Papam: » Experire utrum idoneum mi» nistrum elegeris, cui commisisti *Dominici sanguinis* dispen» sationem? Apud S. Ambrosium *lib.* 1. *de Officiis, cap.* 41.

XIX. Quandiu hic dispensandi usus per Diaconos in Ecclesia duraverit, incertum est. Admodum verisimile est, eum desiisse, quando communio laicorum sub specie Vini desiit, id est, secul. XII. aut XIII. Vestigium nihilominus hujus disciplinæ esse videtur, quòd Diaconus in Missa solemni juxta hodiernum

(x) *Hanc occassionem retulit Ambros. Morales Chron. Hispan.* lib. 7. cap. 45.

num ritum offerat cum Presbytero celebrante Calicem : atque unà cum celebrante verba *oblationis* pronuntiet ; non autem Panis ; ideoque & in oblatione Calicis dicitur pluraliter : *Offerimus*, cùm in oblatione Panis dicatur *singulariter*, uti notat Cardinalis Bona *lib.* 2. *Rerum Liturg. cap.* 9. *num.* 5.

XX. Cæterum hodie soli Presbyteri Eucharistiam administrant. Et quidem cùm soli Episcopi ac Parochi vi curæ Animarum sibi jure ordinario incumbentis habeant jus administrandi Sacramenta, ut suprà *tit.* 1. observavimus, & apertè declarat Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.* consequens est, non omnibus Presbyteris, sed solis Parochis competere, Eucharistiam jure ordinario suis respectivè Parochianis administrare ; eosque esse sicuti aliorum Sacramentorum Baptismi, Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis, & Matrimonii, ita & hujus Sacramenti ordinarios ministros.

XXI. Conformiter ad hoc Parochorum jus decernitur in *Clementina I. de Privilegiis*, quòd » Religiosi, qui Clericis » aut Laicis Sacramentum Eucharistiæ ministrare, non habita su- » per his Parochialis Presbyteri licentia speciali præsumpserint, » excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Se- » dem Apostolicam duntaxat absolvendi ; quos etiam locorum » Ordinarii (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos » faciant publicè nuntiari, donec de absolutione ipsorum ipsis » super hoc fuerit facta fides, nullo Religiosis super hoc exemp- » tionis, vel alio privilegio suffragante. «

Insecuta hanc Clementinam declaravit Synodus Moguntina anno 1549. *part.* 1. *can.* 27. » Nulli Religioso (etiamsi ad con- » fessiones audiendas, ut præmittitur, admissus fuerit) licere » volumus cuiquam laico Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum, » sine speciali consensu Parochi, ad cujus curam ille pertinet, » porrigere. «

XXII. His tamen non obstantibus non tantùm Religiosi, sed quicunque Presbyteri, etiam seculares solent passim sine ulla speciali Parochialis Presbyteri licentia, quibusvis petentibus Eucharistiam, saltem extra tempus Paschale administrare : & illi quidem in Monasteriorum suorum Ecclesiis, & hi in Sacellis aut Ecclesiis, in quibus publicè conveniente populo Missas celebrandi facultas est. Quæ consuetudo verisimiliter invaluit, postquam etiam in Religiosorum Ecclesiis & aliis Sacellis publicæ Missæ, id est, ad quas populus admittitur, celebrari cœperunt.

XXIII. Cùm enim Communio sit quasi pars ipsius Sacrificii, consequens visum fuit, quòd ubi Sacrificio interesse liceret, ibi & Communionem accipere possent ; atque ita tandem jus Ecclesiæ Parochialis ad solam Communionem Paschalem, & Parochorum ad hujus, necnon Viatici administrationem redactum creditur.

XXIV. Cæterum sicuti ex Parochialis officii neglectu plurima incommoda nata sunt oriri, uti verbis S. Caroli ostensum est *parte* 1. *tit.* 3. *cap.* 10. ita hæc libera & generalis à quocunque Sacerdote, & ubique accipiendæ Eucharistiæ libertas, secum nata est trahere inter alia incommoda, Sacramenti illius multiplicem profanationem ; dum scelestis quibusque & etiam notoriis peccatoribus, via aperta est, sine ullo repulsionis metu ad Sacram Eucharistiam accedendi. Quid enim facilius est, quàm neglecto parochiali Presbytero, cui ejus vita nota esse posset, ad alium aliquem ignotum Presbyterum recurrere, atque ab eo Eucharistiam petere, & accipere ?

Quis non videat, quàm parùm efficacia sint futura durante hanc consuetudine, quæcunque de repellendis publicis, & notoriis peccatoribus à Sacra Communione in Synodis totics decreta fuerunt ? Episcopi, aliique Prælati, quibus disciplinæ Ecclesiasticæ conservatio, & restauratio (præsertim quæ ad dignam Sacramentorum susceptionem exigitur, aut saltem multùm conducit) specialiter incumbit, expendere poterunt, quid secundum temporum & locorum conditionem fieri, aut statui expediat, ut hisce incommodis occurri possit.

CAPUT II.

Qui ad Communionem admittendi, qui repellendi.

1 *Eucharistia semper considerata ut cibus spiritualis.*
2 *Recenter baptizatis etiam* infantibus *olim data.*
3 *Hæc disciplina seculo XI. adhuc vigebat in Ecclesia Latina ; & hodie viget apud Græcos.*
4 *Synodus Tridentina hanc disciplinam non improbat ; sed Eucharistiam infantibus non esse necessariam docet.*
5 *Hodie pueri non admittendi, ni ad usum rationis pertigerint, & ritè sint instructi.*
6 *In pueris admittendis ad Communionem non tantùm scientiæ, sed præcipuè probitatis ratio habenda.*
7 *Quæ ratio in præparandis pueris ad primam Communionem servanda.*
8 *Quæ cura adhibenda circa pueros, qui penè ad ætatem convenientem pervenerunt.*
9 *Consultum ut pueri prævièaliquoties Parocho fuerint confessi.*
10 *Ecclesia semper fuit solicita, ne indignis Eucharistia detur.*
11 *Olim ante Communionem alta voce dicebatur à Diacono* Sancta Sanctis.
12 *Hodie Parochus sæpiùs monere debet populum, qua præparatione accedere debeat.*
13 *A sacra Communione indigni repellendi.*
14 *Si notoriè & publicè indigni sint, etiam publicè repellendi.*
15 *Hi repellendi, nisi de eorum pœnitentia constet, & scandalo satisfecerint.*
16 *Etiamsi sacramentaliter confessi, & absolutionis obtenta testimonium habeant.*
17 *Non tantum nominatim in Ritualibus expressi, sunt repellendi, sed quicunque peccatores publici.*
18 *Qui revera sunt conversi, sed hactenus non est nota conversio, occultè, non publicè admittendi.*
19 *Qui* publici *communi & vulgari acceptione dicantur.*
20 *A mente Ecclesiæ recedunt, qui hîc requirunt notorietatem juris.*
21 *Ex hac restrictione inutilia redduntur decreta Ecclesiæ in hac materia.*
22 *Minus verendum, quòd hîc excedent Parochi, quàm quòd deficient ; & quare.*
23 *Opus tamen est quadam christiana prudentia.*
24 *Hodie damnatis ad mortem in quibusdam Ecclesiis datur S. Eucharistia.*
25 *Alia olim fuit disciplina ; & quæ hujus ratio.*
26 *Quid circa occultos peccatores ad Communionem accedentes observandum.*

I. SEmper in Ecclesia considerata fuit Eucharistia tanquam cibus & potus spiritualis, quo in Christo spiritualiter renati, vitam hanc spiritualem alere, confortare, & conservare deberent.

II. Hac consideratione multis seculis usitatum fuit, ut mox post collatum Baptismum etiam ipsa Sacra Eucharistia tanquam spirituale alimentum recenter in Christo renatis porrigeretur ; ut suprà *tit.* 2. *cap.* 2. monuimus. Idque adeò generaliter observabatur, ut & ipsis pueris in tenera & infantili ætate baptizatis Eucharistia daretur.

Hujus disciplinæ plurima, eaque evidentissima testimonia extant, præsertim apud Patres sex aut septem primorum seculorum : Imò in ipso S. Gregorii Sacramentario *titulo de Sabbato Sancto*, de infantibus baptizatis dicitur : » Qui etiam non » prohibentur lactari ante Sacram *Communionem*, si necesse fuerit. «

Quod & præscribitur in veteri Ordine Romano, qui ipso Gregorio recentior putatur.

III. Hanc disciplinam dandi sacram Communionem infantibus adhuc seculo XI. viguisse in aliquibus Ecclesiis Latinis, innuit non obscurè Hugo à S. Victore, qui eo seculo scripsit: » Pueris recens natis idem Sacramentum in specie Sanguinis est » ministrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter sugere » possunt. «

Apud Græcos eadem etiam num hodie disciplina servatur, uti ex modernis eorum Ritualibus sive Euchologiis colligitur, testaturque Græcorum rituum peritissimus Arcudius *lib.* 3. *Sacram. Eucharistiæ.*

IV. Ecclesia Latina tametsi nec antiquam Latinorum Patrum disciplinam, nec modernam Græcorum improbet, nihilominùs ob reverentiam tanto Sacramento debitam, contrariam disciplinam seculo XII. de sequentibus sensim inductam, in Synodo Tridentina declaravit meritò esse retinendam ; ipsosque infantes nulla necessitate obligari ad Sacram Communionem ; ac per consequens declarat, contrariam Antiquorum praxim, ad disciplinam duntaxat pertinuisse. Verba Synodi sunt *Sess.* 21. *cap.* 4. *de Communione* : » Denique eadem sancta Synodus do- » cet parvulos usu rationis carentes nulla necessitate obligari ad » Sacramentalem Eucharistiæ Communionem : siquidem per Bap- » tismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam » jam filiorum Dei gratiam in illa ætate ammittere non possunt: » neque ideò tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in » quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Pa- » tres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione ha- » buerunt ; ita certè, eos nulla salutis necessitate id fecisse, si- » ne controversia credendum est. «

V. Conformiter ad hoc Decretum, disciplinam jam ab aliquot seculis in Ecclesia Latina stabilitam, rituale Mechliniense à Jacobo Boonen Archiepiscopo revisum, & in aliquibus emendatum, de parvulorum Communione hæc habet : » Pueri ad » primam Communionem non admittantur, nisi priùs diligenter » examinati, & instructi, eâque discretione, & ætate sint, ut » dijudicare possint Corpus Christi. « Addebatur in veteri Manuali sub Hovio : » Communiter ætas huic rei apta esse solet » ab anno X. usque ad XIV. : « sed illud in hodierno deletum, relictumque judicio Parochi, aut Confessarii sive Directoris, qui judicet, qua ætate pueri Communionis sint capaces ; cùm alii citiùs, alii multò seriùs signa capacitatis ostendant.

Fa-

VI. Favendum quidem citæ Communioni, ut ejus virtus malitiam ætatis præveniat; sed habita ratione non solùm capacitatis, & instructionis ipsorum; verùm etiam & maximè probitatis, ac pietatis, bonæ indolis atque educationis.

Unde Rituale Romanum in pueris ad S. Communionem admittendis, non tantùm requirit, ut habeant cognitionem hujus Sacramenti, sed insuper gustum exigit; qui sine probitate, ac pietate in suscipiente non habetur: » Iis etiam, ait, qui » propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cog» nitionem, & gustum habent, administrari non debet. «

VII. Ut autem pueri ritè ad sacram Communionem disponantur, statuit S. Carolus in sua Synodo Diœcesana XI. » ut » Parochi singulis mensibus semel certa constituta die pueros, » qui annos novem attingunt, ad Ecclesiam evocent, sigilla» timque ad rectam confitendi rationem instruant regulis in Sa» cramentali Libro traditis: illos autem, qui decennium atti» gerint, hebdomadæ Septuagesimæ initio accersant, & sigilla» tim instruant, atque erudiant ad cognitionem, cultum» que sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ: doceantque quàm » humiliter & religiosè reverenterque ad eam sumendam ac» cedant, ex regulis item præscriptis ejusdem Libri Sacra» mentalis. «

Deinde post pauca: » Cûm de pueris deliberatur, qui ad » sacram Communionem accedunt, Parochus quidem perquirat » etiam à parentibus, de eorum pietate, & ingenii præstantia, » usuque rationis. «

VIII. Ad hæc in instructionibus pro administranda Eucharistia monet Parochum, » ut cùm noverit pueros ad decem an» norum ætatem venisse, ita ut capaces sint, qui intra aliquod » tempus Communionem excipiant: prima potissimùm quadra» gesimæ hebdomada, vel si meliùs visum fuerit in Nativitatis » festis, & hyemis tempore maximè in villis, pro eorum com» moditate, qui alio tempore pecoribus invigilant, animarum » statum cognoscendo incumbat, & ut valuerit, eos, qui » ad supradictam ætatem pervenerint, aut singulos, aut multos » simul cogat, ut suprà dictum est, instruendos. Qui autem » ex iis capaces fuerint, proximo Paschate communicaturi se» gregentur; dimissis in aliud tempus aliis, ut novam circa eos » diligentiam adhibeat. «

IX. Insuper vult, ut Parochus moneat, » se neminem ad » primam Communionem admissurum, nisi præter supradictam » instructionem, eum ter aut quater audierit confitentem. «

Excipe tamen ab hac prævia trina, aut quaterna confessione adolescentem solitum alteri Confessario confiteri, » qui testi» monium suæ capacitatis, & ad communicandum sufficientiæ, » peccataque ter aut quater confessum fuisse, à Confessore, qui » timoratus & pius aliunde habeatur, attulerit.... Intereà ta» men, ait, ut suo satisfaciat debito, Parochus eum interroget: » an sit capax, examinet; deficientibusque in hac parte sup» pleat; & si capacem invenerit, poterit ei S. Eucharistiam im» partiri, licèt in hoc casu ter aut quater non audiverit in con» fessione; cui Confessoris attestatio supplebit. « In Actis Mediol. *pag.* 601.

Hinc patet, quantam in Parocho solicitudinem requisierit S. Carolus, ut pueri ritè ad primam communionem, à qua sequentes non rarò dependent, disponerentur; eamque curam principaliter Parocho incumbere judicaverit.

X. Porrò sicut Ecclesia solicita fuit, ut renati in Christo hac spirituali alimonia vitam suam spiritualem nutrirent, & foverent, ita non minus solicita fuit, ne contra Domini præceptum *Sanctum daretur canibus*, Matth. cap. 7. v. 6. & ne quis indignus ad Sacramentum accedens, *judicium sibi manducaret & biberet, non judicans Corpus Domini.* 1. Cor. cap. 11. 29.

XI. Hac de causa jam pridem usitatum fuit, ut ante Communionem Diaconus *magna voce, terribili clamore* (ut loquitur S. Chrysost.) *tanquam præco manum tollens in altum, stans excelsus, & omnibus manifestus*, clamaret: *Sancta Sanctis*, quasi diceret: *Si quis non est* Sanctus, *non accedat. Non solùm*, inquit, *à peccatis purus, sed etiam* sanctus. *Sanctum enim non facit solùm liberatio à peccatis, sed etiam præsentia Spiritus, & bonorum operum copiæ. Non solùm*, inquit, *volo vos à cœno esse liberatos, sed albos esse & speciosos.* Hæc ille *homil.* 11. *in cap.* 9. *Epist. ad Hebræos.*

XII. Quamvis ritus ille jam à multis seculis, saltem in Ecclesia Latina, in desuetudinem abierit; nihilominus juxta hodierna Ritualia, ac Synodorum Decreta Parochus tanquam alter præco populum sæpiùs admonere debet, » qua præparatio» ne, & quanta animi religione, ac pietate, & humili etiam » corporis habitu ad tam divinum Sacramentum debeat accede» re. « Ita post Rituale Romanum Rituale Mechliniense.

Quæ animi dispositio requiratur, ut quis fructuosè, & frequenter communicet, Theologorum est è Patrum scriptis examinare & determinare. Illud ad disciplinam, externumque forum aliquatenus spectat, qui per Parochos, aliosve Sacerdotes à Sacra Communione, etiam inviti, & reluctantes repellendi & excludendi sint.

XIII. Juxta invariabile Christi præceptum in Apostolorum personis datum omnibus Ecclesiæ Pastoribus: *Nolite dare Sanctum canibus*, invariata hactenus mansit Ecclesiæ disciplina, ut Pastores quantum in ipsis est, & ipsa temporum, personarum, ac locorum conditio patitur, allaborare debeant, ne administrando hoc Sanctissimum Sacramentum contra Domini præceptum dent sanctum canibus.

XIV. Atque hinc imprimis non tantùm pristina, sed etiam moderna disciplina Ecclesiæ vult, ut à sacra Communione repellantur publici, & notorii peccatores, tametsi etiam publicè eam petant.

XV. Modernum Rituale Romanum de his ita loquitur: » Arcendi sunt (à Sacra Communione) publicè indigni, quales » sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames, ut » meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, » blasphemi, & alii ejus generis publici peccatores, nisi de eo» rum pœnitentia & emendatione constet, & publico scandalo » priùs satisfecerint. «

XVI. Rituale Mechliniense iisdem penè verbis loquitur, nisi quòd addat: *Etiamsi fuerint sacramentaliter confessi.* Idipsum passim & Synodi Belgicæ inculcant. Synodus Cameracensis dicto anno 1604. *tit.* 5. *cap.* 3. Ritualium, & Synodorum mentem quasi exponens ait: » Publicæ meretrices, usurarii, & alii » QUILIBET peccatores notorii etiam sanctissimè confessi, ad pu» blicam Sacramentorum perceptionem non admittantur, nisi » publicè pœnitentiam egerint, aut ex ipsorum bona conversa» tione, aliove legitimo modo, de vitæ emendatione publi» cè constet. «

Huic consonat decretum S. Caroli in Instructionibus pro Pastoribus pro administranda in suis Ecclesiis Eucharistia. » Ne» minem peccatis publicis irretitum ad Communionem excipiet » (Parochus), nisi priùs scandalo publico satisfecerit, etiamsi » absolutionis, à Pœnitentiariis aut Confessoribus etiam Regu» laribus, acceptæ testimonium produxerit. « In Actis Ecclesiæ Mediolanensis *pag.* 601. edition. 1683.

XVII. Ex his perquam manifestum est, non tantùm nominatim in Ritualibus expressos, tanquam publicos peccatores à communione arcendos; sed quoscunque, modò publici & notorii peccatores verè dici queant: quod & ratio & ipse contextus Ritualium sufficienter evincunt.

XVIII. Ad hæc ex hisce Decretis constat, nequaquam sufficere, quòd hujusmodi publici & notorii peccatores sint sacramentaliter, etiam sanctissimè confessi, & absolutionis acceptæ testimonium habeant, ut publicè ad sacram Communionem admittantur; nisi publicè scandalo satisfecerint, aut publicè de eorum vitæ emendatione constet; ne scilicet eorum ad sacram Communionem admissio, scandalo sit iis, quibus hactenùs eorum emendatio incognita est. Unde de hisce publicis peccatoribus, qui reverà conversi sunt; sed tamen nondum eorum conversio publicè nota est, addit Manuale Cameracense: occULTE *ipsis dari poterit* (Communio) *si iis, qui adsunt, nota sit eorum conversio.*

XIX. Qui nomine *publicorum* peccatorum veniant, ex communi hominum æstimatione potissimùm desumendum est, qui pro publico habent, quod quovis modo publicè constat. Publicum enim, uti post Bartholum aliosque Canonistas notat Fagnanus ad *cap.* VESTRA ✠ *de Cohabit. Clericor. & mulier, num.* 52. est illud quod omnibus patet: item illud quod ponitur in porta Ecclesiæ. » Ad hoc tamen, ait Fagnanus, ut aliquid dicatur pu» blicum, non requiritur ut ipsius notitia singulorum auribus in» culcetur, sed satis est quod publicè sit actum. «

XX. Cùm ergo Ritualia, atque Synodalia Decreta velint, universum *publicos* & notorios peccatores à Communione repelli (y), manifestum est, à verbis, & mente Ecclesiæ omninò de-

(y) *Resolutio Doctorum Lovaniensium circa repulsionem publicorum peccatorum à sacra Communione.*

Rituale Romanum, agens de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, habet hæc sequentia: Fideles omnes ad Sacram Communionem admittendi sunt, exceptis iis, qui justa ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publicè indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifesteque infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, & alii ejus generis publici peccatores: nisi de eorum pœnitentia, & emendatione constet, & publico scandalo priùs satisfecerint.

Item Pastorale Mechliniense, agens similiter de eodem Sacramento.

Ad publicam Communionem non admittantur publici peccatores, quales sunt usurarii, meretrices, concubinarii, sortilegi, excommunicati, interdicti, aliique istius generis publicè infames, etiamsi fuerint Sacramentaliter confessi; nisi de eorum pœnitentia, & emendatione constet, & publico scandalo priùs satisfecerint.

QUÆ-

deviare, qui hujusmodi peccatores non priùs volunt esse repellendos, quàm per sententiam judicis sint ut *notorii* peccatores declarati. Quasi non possent per notorietatem *facti* esse verè notorii & publici peccatores, antequam per sententiam tales essent declarati. Nam forsan scandalum non esset, aut Sanctum non daretur canibus, si notoriis peccatoribus *notorietate* facti administraretur publicè Eucharistia; quamvis necdum per sententiam Domini Officialis ut tales condemnati essent?

Deinde in tentiis interlocutoriis, quàm litem ad annos plurimos, imò ad vitæ finem protrahere?

Secundò, quis non videat, quàm difficulter Pastor quispiam his Decretis se sit conformaturus, dum videt, se non posse pertingere ad finem, nisi plerumque duram, & odiosam litem sustinere cogatur?

Dum Christus Dominus mandat: *Nolite Sanctum dare canibus*, non requirit, ut per sententiam Judicis in foro externo sint declarati *canes*. Similiter dum decretis sive Pontificis Romani, sive aliorum Episcoporum præcipitur, Sacram Communionem denegare mulieribus, quæ pectus, humeros, aut brachia habent denudata, non exprimitur requiri, ut interveniat sententia declaratoria Judicis fori externi, qua hæc, illave determinata persona judicetur non satis esse cooperta, ut eo titulo excludatur à Sacra Communione. Sufficit ergo, ut Sacra Communio publicè petenti denegetur, quod ejusmodi peccata sint publica eo facto, licèt non per sententiam Judicis.

Hinc S. Thomas in 4. dist. 9. art. 5. in resp. ad 2. quæst. dicit, *Si sit suspicio procedens ex fama publica, non debet ei dari* (nimirum Eucharistia peccatori) *neque in occulto, neque in manifesto.* Sufficit ergo S. Thomæ, ut peccatori Communio denegetur, quòd de ejus vita criminosa extet publica fama.

Ita responsum (salvo meliori) Lovanii hac prima Septembris anni 1685. & signatum estat.

Franciscus Van Viane S. Th. Doctor & Profess. Regius.
Henricus Scaille S. Th. Doctor & Professor Regius.
Gummarus Huygens S. Th. Doctor.
Nat. Chamart J. U. Doctor & Ex-professor Primarius.
I. Huens J. U. Doctor & Professor Ordinarius.
Zegerus Bernardus Van Espen J. U. Doctor & SS. Can. Professor.

Resolutio Theologorum Mechliniensium conformis.

QUÆRITUR.

An Pastor, antequam possit se practicè conformare locis antè citatis, & alicui personæ publicè infami negare Sacramentum Eucharistiæ (nisi prius de ejus pœnitentia, & emendatione constet, & publico scandalo priùs satisfecerit) tenetur petere & expectare declarationem Domini Officialis, qua ille declaret personam illam publicè infamem.

RESOLUTIO.

Pastorem non teneri petere & expectare declarationem D. Officialis, qua hic declaret, personam esse publicè infamem, antequam possit se practicè conformare locis in casu allegatis, tribus potissimum rationibus evinci potest.

Prima quidem petitur ex ipsis verbis tum Ritualis Romani, tum Pastoralis Mechliniensis. Utrumque enim præcipit à Sacra Eucharistia arceri publicè indignos, manifesteque infames, publicos peccatores, nisi de eorum pœnitentia & emendatione constet, & publico scandalo priùs satisfecerint.

Arcendi ergo sunt publicè indigni, publici peccatores. » Publicum, autem ut post Canonistas notat Fagnanus, est nomen » generale, & verificatum in notorio, & quandoque in fama. Unde notorium potest dici publicum, sicut id, quod constat per » famam, ut est textus in *cap. tua* ✠ *de cohabit. Cleric. & Mulier.* Unde, ut inquit Bartolus, publicum est illud, quod omnibus patet. Item illud, quod ponitur in porta alicujus Ecclesiæ, dicitur esse publicum. Ad hoc tamen subdit Fagnanus, » ut quid dicatur publicum, non requiratur, ut ipsius notitia » singulorum auribus inculcetur, sed satis est, quod publicè sit » actum. «

Manifestum similiter dicitur, quod est notorium, ut cum Fagnano docent Canonistæ, & ipse communis nominum sensum comprobat.

Cùm igitur *publicum* & *manifestum* dicatur, quod est notorium, evidens est, quòd juxta prædicta decreta ab Eucharistia ascendi sunt publicè indigni, manifesteque infames ac publici peccatores, tametsi per D. Officialis sententiam ut tales non sint declarati: quandoquidem nihil certius sit, quàm aliquem posse esse notoriè infamem, aut notorium peccatorem ante judicis sententiam. Hinc Jurisconsulti post glossam, notorium distinguunt in notorium *Juris* & *Facti*. Notorium Juris dicunt, de quo aliquis condemnatur, vel est in Jure confessus: quænam verò sint notoria facti, his versibus exprimunt:

Quæ vel nemo negat, populo vel teste probantur,
Vel se subjiciunt oculis, notoria dicas.

Secunda ratio assertionis petitur ex mente seu scopo dictorum, qui alius non est, quàm publicam Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, profanationem, & publica fidelium scandala impedire. Quis verò nesciat, scandala publica sacrilegamque Sacramenti profanationem provenire æquè per admissionem publicè peccantium, manifesteque infamium, sive sint publici notorietate facti sive notorietate juris? Quapropter nulla distinctione facta Canones decernunt: *Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.* Cap. 1. ✠ de Pœnitent. & Remiss. Nota, inquit, ibidem Glossographus, *quòd, qui publicè peccat, publicè puniendus est.* Imò subdit, *qui publicè peccant, publicè corripiantur, ut vitetur scandalum.*

Nonne quoque manifestè notorium notorietate facti, cum notorio notorietate juris eodem loco habent Canones, dum utrumque excommunicatione notatum æquè vitandum esse denuntiant? Extravag. *Ad evitanda*, Martini V. in Concil. Constant.

Sicuti ergo Canones peccata manifesta indifferenter publicè punienda dicunt, *ut scandalum vitetur*, evidens apparet, quòd similiter juxta præallegata Decreta ab Eucharistia arceri debeant omnes peccatores, modo notorii, seu publici sint, nisi scandalo publico seu notorio satisfecerint. Supponendum enim est, Decreta illa conformiter ad sacros Canones edita fuisse.

Juvat naturalem verborum istorum sensum consuetudo optima legum interpres: hactenus enim praxis illa apud Pastores, præsertim magis zelosos, usitata fuit, ut publicis & notoriis peccatoribus, quousque scandalo satisfecerint, negaverint Eucharistiam, nulla D. Officialis expectata sententia.

Tertia denique superioris assertionis ratio petitur ab absurdo, quod ex opposita opinione sequeretur. Quis enim inficias eat, nisi qui tergiversationes, & tricas litium ignorat, quin si sententia D. Officialis requireretur, priusquam manifestè infamis, aut publicus peccator ab Eucharistia removeri posset, inutilia prorsus hæc sanctissima Decreta reddenda sint.

Imprimis quid facilius alicui peccatori publico per hodiernas protelationes, & faciles multiplices appellationes etiam à sen-

CASUS.

Cajus à duobus & ampliùs annis continuò conversatus est cum Titia, habitant in mutua vicinia; Cajus diu noctuque frequentavit domum Titiæ manendo ferè continuò ultra medias, imò ferè integras noctes, & è contrà Titia sæpiùs quocumque tempore diurno domum Caji, idque utrinque talibus modis ut in vicinia Titia, & Cajus laborent publica infamia in materia luxuriæ, imò ipsimet famuli & ancillæ Caji sæpiùs apud plures vicinos conquesti sunt de infami utriusque conversatione: Titia verò cohabitat matri suæ scienti conversationem illam, ac dissimulanti, imò apud plures personas censetur mater illi conversationi consentire, ac filias prostituere secundum rumorem publicum. Titia ac mater super ista conversatione, & publica infamia bis à Pastore monitæ sunt, similiter & Cajus semel à Pastore monitus, & secunda vice Pastores monentem ultimi mensis Aprilis die sexta noluit audire loquentem, & minatus est (si adhuc redeat moniturus) domo educere.

QUÆRITUR I.

An Pastor possit admittere Cajum, aut Titiam ad communionem Paschalem, antequam reparaverint scandalum?

Quæritur II. An Pastor possit admittere matrem Titiæ ad Communionem Paschalem, antequam similiter reparaverit, vel absterserit infamiam prædictam?

Quæritur III. An si Cajus, Titia, aut mater ejus ita ægrotarent, ut debeant eis administrari Extrema Sacramenta, Pastor id facere posset, antequam reparaverint scandalum?

Quæritur IV. An Pastor ad in supradictis casibus neganda Sacramenta teneatur spectare sententiam D. Officialis, qua declaret præfatas personas esse infames, & privandas Ecclesiæ Sacramentis?

Quæritur V. Quandiu Cajus & Titia debeant abstinuisse à mutua Conversatione, & quomodo reparâsse scandalum, antequam admitti possint ad Ecclesiæ Sacramenta.

Infrascripti, visa positione Casûs supra scripti, respondent supposita notorietate infamiæ publicæ de qua in casu.

Ad primum negativè.

Ad secundum similiter.

Ad tertium negativè, juxta Rituale Romanum in Rubrica de administratione Sacramenti Eucharistiæ.

Ad quartum negativè.

Ad quintum, quoad tempus & modum, relinquitur prudentiæ Pastoris.

Ita resolutum die 9. Aprilis 1688.

Et erat signatum.

I. CUYPERS. I. LACMAN. P. BERTAD. I. F. RICQUÆRT.
G. WILT. I. OPSTRÆT. BÆRTS.

XXI. Deinde si sententia Judicis super *notorietate* requiratur, priusquam *notorii* & *publici* peccatores à Communione sint repellendi, facilè quisque intelliget, inutilia ac sine executione futura omnia de illa de arcendis *publicis* peccatoribus Decreta, qui expenderit, quàm difficile sit quamque sumptuosum, ac tædiosum, vel unam hujusmodi sententiam obtinere; quâmque facilè sit futurum, ut hujusmodi perditissimi homines litem ad longum tempus; imò ad finem vitæ protrahunt, ipsosque Pastores vexent, & tædio afficiant.

XXII. Neque verendum est, ne Parochi, aut Sacerdotes sint nimis proclives ad repellendos à S. Communione publicè petentes; aut forsan nimis leviter tanquam notorios & publicos peccatores à Communione arceant, qui tales reverà non sunt. Scitur enim, quàm soleant hac in parte plerique esse tepidi & timidi ob difficultates & obloquia, quæ hîc sibi imminere prævident; ut propterea tot iteratis Decretis opus fuerit, ut Pastorum zelus excitaretur; nullum verò Synodale decretum hactenus reperiatur, quo eorum nimius zelus reprimatur.

XXIII. Illud tamen negare nolim, & hîc in Pastoribus, & Sacerdotibus prudentiam christianam requiri, atque non rarò expedire, ut dum publicos aliquos, ac notorios peccatores in sua Parochia habent, Superiores consulant; & quid agendum sit ab iis expetant.

XXIV. Damnatis ad mortem debet dari Eucharistia, ait Pastorale Mechliniense, addiitque tamen: *sed id fiat ante diem supplicii.*

Ejusdem disciplinæ testis est S. Carolus in Concilio V. Mediolanensi *titulo* 6. hæc decernens: „ Reus capitis damnatus quo die pro viatico sanctissimum Corpus Domini sumpsit, Christo Redemptori, qui pro illius etiam anima sanguinem in ara Crucis profudit, à piis Judicibus, Magistratibusque illo ipso sanguine redemptis tribuatur, ut ne eo die supplicio afficiatur, multis locis piæ, & laudatæ consuetudinis est.“ (z)

XXV. Aliam fuisse pristinam disciplinam, sat notorium est; eamque etiamnum hodie vigere in Gallia & Hispania asserit Gaspar Juenim Presbyter Oratorii in suo Opere de Sacramentis *dissert.* 4. *quæst.* 6. *cap.* 4. ubi hujus disciplinæ varias rationes adfert; necnon unde originem habuerit, inquirit; atque inter alias ex Dominico Soto hanc allegat: »Et fortassis ortus hujusmodi consuetudinis fuit, ait, quod cum damnati ad mortem à communione Reipublicæ abscindantur, in signum hujus abscissionis negatur eis Sacramentum Communionis tanquam Reipublicæ hostibus.“

Quidni verisimiliùs vera illius disciplinæ causa fuerit, quòd hujusmodi publicè de scelere perpetrato convicti, & per sententiam ut tales declarati, non crederentur publicè satisfecisse, ut ad sacram Communionem admitterentur.

XXVI. Quoad occultos peccatores Parocho sic præcipit Rituale Romanum: »Occultos verò peccatores, si occultè petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat: non autem si publicè petant, & sine scandalo ipsos præterire nequeat.“ Idem habet Parstorale Mechliniense. Manuale Cameracense similiter decernit, occultum peccatorem, si publicè petat, quando sine scandalo præteriri nequit, repelli non posse: arcendum verò, si occultè petat, additque: *Et monendus ne publicè petat.*

CAPUT III.

De Communione Paschali.

1 *Primis seculis Fideles quotidie communicabant.*
2 *Seculis posterioribus communio rarior esse cœpit, & ad eam urgeri debuerunt.*
3 *Aliquando præceptum fuit, ut ter in anno communicarent.*
4 *Seculo XIII. Synodus Lateranensis præcepit, ut ad minus in Paschate communicarent.*
5 *Decretum hoc provabit Synodus Tridentina, frequentiorem tamen Communionem desiderans.*
6 *Quæ regulæ pro frequentiore Communione servandæ*, remissivè.
7 *Ex præcepto positivo Ecclesiæ sola Communio Paschalis necessaria; & quod dicatur tempus Paschale.*
8 *Hæc Communio in Ecclesia Parochiali facienda.*
9 *Non satisfit huic præcepto per Communionem in Ecclesiis Regularium quantumvis privilegiatorum: & quid de famulis laicis Monasteriorum.*
10 *S. Carolus de hac obligatione communicandi in Parochia populum monendum censuit.*
11 *Aliquando statutum fuit, ut nullus intra tempus Paschale Communionem præter Parochum administrare posset.*
12 *Hic rigor quomodo remissus.*
13 *Hoc præcepto qui teneantur.*
14 *An ægri teneantur.*
15 *Tempus Paschale de consilio proprii Sacerdotis prorogari potest: & quis hodie censeatur quoad hoc proprius Sacerdos.*
16 *Pœna non communicantis in Paschate.*
17 *An Parochus propria auctoritate hanc pœnam infligere queat.*

I. In primordiis Ecclesiæ certum, atque exploratum est, omnes Fideles, *quorum erat cor unum, & anima una*, quotidiè perseverâsse in *communicatione fractionis panis*, ut Acta Apostolorum testantur: nec ullus sacris mysteriis interesse permittebatur, nisi qui offerre poterat, & de oblatis participare; quam consuetudinem diu pertitisse evidens est, ait Cardinalis Bona *lib. rerum Liturg. cap.* 17. *num.* 2. »Nam ex Justino *Apol.* 2. ex Constitutionibus Apostolicis *lib.* 8. *cap.* 20. »ex Dinysio *cap.* 3. *Eccles. Hierarch.* & aliis constat, Pontificem, confectis mysteriis, sumpsisse Eucharistiam, & singulis præsentibus tradidisse, sive per Diaconos, sive per »seipsum.“

Quotidianam Communionem suo tempore adhuc Romæ viguisse testatur S. Hieronymus *Epist.* 5. *ad Pamachium* his verbis: »Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut Fideles »semper Christi Corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec »probo.“

Augustinus *epist.* 52. *ult. edit.* hac de re varias fuisse in Africa consuetudines scribit.

Ex quibus colligimus, in Ecclesia Latina etiam usque ad seculum V. in aliquibus saltem Ecclesiis quotidianam fuisse Eucharistiæ sumptionem.

II. At fervore Fidelium posteà refrigescente, rarior esse cœpit Eucharistiæ sumptio, gustusque hujus spiritualis alimoniæ deficere, ut, qui tanquam famelici ad hunc cibum accurrebant, debuerint tandem tanquam ægri ad medicamenta non tantùm invitari, sed & urgeri, imò & pœnis quodammodo constringi; idque non ut quotidie, sed ut saltem in præcipuis festivitatibus hoc divino alimento reficerentur.

III. In Synodo Agathensi seculo VI. decretum est Canone 18. »Seculares qui in Natali Domini Pascha & Pentecoste »non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter »Catholicos habeantur.“ Apud Gratian. *dist.* 2. *de Consecrat. Can.* 19.

In Concilio Turonensi III. anno 813. *Can.* 50. legitur: »Et »si non frequentiùs, vel ter laici homines communicent, nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur.“

Refert hæc Gratianus sub nomine Fabiani Papæ *dist.* 2. *de Consecr. Can.* 16. additis his verbis: *In Pascha videlicet, & Pentecoste & Natali Domini*; sed decretum hoc Fabiano falsò adscribi agnoscunt eruditi; neque disciplinam hanc sapere ætatem Fabiani, qui sub initium seculi III. vixit, nimis notorium est: quo ex capite rectè quoque notavit Ferdinandus de Mendoza in commentario in Concilium Eliberitanum *lib.* 1. *cap.* 6. Gratianum falsò Canonem 21. *dist.* 2. *de Consecrat.* quo referuntur verba Synodi Agathensis suprà relata, adscribere Concilio Eliberitano: »Nam tempore hujus Concilii, ait Mendoza, fervente adhuc antiqua nascentis Ecclesiæ devotione, non ter in anno, sed quotidie communicâsse solitos Hispanos, testis est D. Hieronymus in Epistola 28. ad Lucinium Bæticum.“

IV. Illud ex allegatis Canonibus sat constat, seculo IX. laicos constrictos fuisse ter in anno comunicare. Quàm diù hæc disciplina duraverit, incertum est; hoc constat, quòd labente per universum orbem pietatis studio, tandem Ecclesia coacta fuerit præceptum suum ad annuam Communionem restringere, de qua in Concilio Lateranensi relato in *cap.* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS *de Pœnit. & Remiss.* statutum est: »Omnis utriusque sexûs »Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua »solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio »Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat implere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio »ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu »Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.“

V. Hunc Canonem præ oculis habens Synodus Tridentina declarat *Sess.* 13. *can.* 9. *de Eucharistia*: »Si quis negaverit, »omnes & singulos Christi Fideles utriusque sexûs cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri ex præcepto, vel saltem semel in anno, hoc ipso tempore, quod Ecclesia universa observat, Sacramentalem confessionem peccatorum suorum fideliter facere, juxta Ecclesiæ Catholicæ traditionem, anathema sit.“

(z) *Non solùm apud Italos, sed etiam apud Germanos ea est consuetudo, ut reis ultimo supplicio damnatis Eucharistica Communio non conferatur. Mos ille Hispanis & Galliis communis quoque olim extitit; sed in utroque Regno abrogatus est, ac potissimum in Galliis ann.* 1396. *edicto, quod eodem anno dedit Rex Carolus VI. quodque integrum refert Fontano* tom. 1. Const. Reg. Franciæ, tit. 68. pag. 660. *Attamen posteà Catholicus Hispaniarum Rex Philippus II. sua Pragmatica Sanctione data Matriti anni* 1569. (*quæ hodie est die* 27. *Martii lex* 9. *lib.* 1. *Recopilat.*) *præcepit, ut die præcedenti executioni sententiæ Sacra Communio res conferatur, ad hunc que in finem in carcere Sacrificium Missæ celebretur.*

discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate » ad communicandum, juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ, » anathema sit.

Verùm Synodus probans, ac invocans prædictam Concilii Lateranensis ordinationem, declarat quidem, astringi omnes Christi Fideles præcepto positivo Ecclesiæ, ut minus semel in anno Paschate communicare; sed tamen alio in loco declarat, votum suum fuisse, ut Christi Fideles frequentiùs ad Sacram Communionem accedant; imò ut in singulis Missis Fideles adstantes non solùm spiritali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione comunicent. *Sess. 22. cap. 6. de Sacrificio Missæ.*

VI. Variæ regulæ, quas Parochi, aliique animarum Directores in suadenda frequentiore aut rariore Communione sequi debent, ex sanctis Patribus à Theologis assignari solent: & nuper aliquas expressit Innocentius XI. in Decreto circa *Communionem quotidianam*, edit. 12. Februarii 1679.

VII. Itaque spectando ipsum solum positivum Ecclesiæ præceptum, huic juxta modernam diciplinam satisfit semel ad minus communicando in Paschate, sive tempore Paschali, quod comprehendere hebdomadam Sanctam & Octavam Paschatis ex mente Concilii declaravit Eugenius IV. in Bulla, quæ incipit: *Fide dignâ*, 20. *in Bull. Rom.* quam declarationem ubique nunc servat Ecclesia; ita ut quis Ecclesiæ præcepto de Comunione Paschali satisfecisse censeatur, modò intra quindenam Paschalem incipientem à Dominica *Palmarum* & finientem in Dominica *in Albis*, communicaverit.

VIII. Hæc Communio Paschalis in propria Parochia fieri debet; quemadmodum hodierni libri Rituales, & Synodorum Decreta uno consensu declarant; eamque esse mentem Concilii Lateranensis evidenter supponunt; ipsaque moderna Ecclesiæ praxis ostendit.

» Quilibet annos discretionis habens comunicare debet ut » minimum in Paschate in Ecclesia sua Parochiali, ait Synodus » P. II. Mecliniensis *tit. 7. cap. 5.*

IX. Synodus Antuerpiensis sub Miræo *tit. 7. cap. 3.* insuper declarat, quòd non satisfaciant communicantes in aliis Ecclesiis quorumcunque etiam Ordinum privilegiatorum. Addit Synodus Buscoducensis sub Masio tit. 7. cap. 17. *Ut declaravit sacra Congregatio*: Atque post hæc tanquam consequens infert: » Laici proindè famuli quicunque Regularium Monasteriis operam navant, tametsi in illis habitent, stato Paschatis tempore in » sua quique Ecclesia Parochiali sacram Communionem sumant; » nisi ex speciali concordia aliud ipsis sit permissum.“ Idem habet S. Carolus in Concilio Mediol. V. *parte 1. cap. 9.*

X. S. Carolus veritus, ne quis tempore Paschali extra Propriam Parochiam Communionem accipiens, precepto Ecclesiæ non satisfaceret, in Concilio suo Provinciali II. *tit. 1. Decreto 12.* statuit, ut Parochi » Singulis diebus, cùm in Pascha Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi Sacramentum Euchristiæ administrabunt, antequam illud cuiquam præbeant, ad populum » conversi denuntient, ut si quis eorum, qui adsunt, Parochiæ suæ incola non est, ad suam quisque Parochialem Ecclesiam abeat, ubi quemadmodum Canonum sanctionibus jussum » est, eo tempore sacram Eucharistiam sumat.“

XI. Legitur in Synodo Avenionensi habita à trium Provinciarum, scilicet Arelatensis, Ebredunensis, & Aquensis Episcopis anno 1337. Can. IV. sancitum, quòd » Curati nulli Parochiano » suo, cujuscunque conditionis vel sexus existat, in festo Paschæ, » nec in octo diebus immediatè præcedentibus, & octo subsequentibus, cedant licentiam recipiendi, nisi ex causa infirmitatis, nec » etiam alicui conferendi vel administrandi Sacramentum Eucharistiæ extra Ecclesias suas Parochiales, vel alias Ecclesias ubi per» ipsos Curatos ministrari extitit consuetum... Prælati autem sic » præsens statutum diligenter observent, ut alicui, nisi ex causa rationabili, recipiendi Sacramentum prædictum illo tempore, alibi » quàm in Parochiali Ecclesia, licentiam non concedant.“ Hoc statutum iisdem verbis recepit, & observari præcepit Synodus Biterrensis celebrata ab Episcopis Provinciæ Narbonensis anno 1351.

XII. Quamvis circa administrationem Eucharistiæ tempore Paschali extra Ecclesiam Parochialem non videatur ille rigor esse in usu, nihilominus si ex conditione personæ aliisque circumstantiis non constet, personam sacram Communionem postulantem jam satisfecisse, aut certè satisfacturam præcepto de Communione Paschali in Parochiali facienda, meritò Sacerdos, seu Regularis, seu Secularis ante administrationem Communionis eam de hoc præcepto instruet, & ut in sua Parochia comunicet, monebit.

XIII. Hoc præcepto tenentur omnes generaliter Christi fideles utriusque sexus, ubi ad annos discretionis pervenerint: quare & pueri, quando ad eos ætatis annos pertigerunt, & ad sacram Communionem sat instructi & probati sunt, huic præcepto satisfacere debent. Unde in Congregatione Archipresbyterorum Diœcesis Mechliniensis assistente Domino Archi-Episcopo anno 1663. resolutum fuit; » ut tempore Quadragesimæ Pastores instruant pueros, qui annos discretionis attigerunt, aut alias tanti Sacramenti suscipiendi capaces visi fuerunt, uti in proximo » Paschate, vel in festo Ascensionis Domini, aut alio opportuno die primam Communionem reverenter & cum debita animi » & corporis præparatione sumant in Parochia, aut alibi de consensu proprii ipsorum Pastoris.“

XIV. De infirmis ita loquitur Pastorale Mechliniense conformiter ad Rituale Romanum: » Ægrotis quoque Parochialibus, » etiamsi Comunionem extra præscriptos Paschales dies sumserint, in paschalibus diebus (Parochus) illam deferet ac minis» trabit.“

Si tamen appareat paulò post expletos dies Paschales infirmum in eo futurum statu, ut ipse communicaturus ad Ecclesiam accedat, tunc ipse Parochus tempus Paschale prorogare poterit.

XV. Porrò Ecclesia omnes Christi Fideles ad Communionem ità demum astringit: » Nisi fortè de consilio proprii Sacerdotis, » ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum.“

Si enim Pastor, aliusve spiritualis Medicus judicet, hactenus sacrum hoc alimentum ægro non convenire; idque potiùs mortem, quàm vitam allaturum, absit, ut pia Mater Ecclesia filios suos simili casu ad sacram Communionem cogere intendat, mavult enim, ut ditiùs adstinendo dignè accedant, quàm præcipitanter accedendo judicium sibi manducent, & bibant.

Vult ergo Ecclesia ut filii sui non ex socordia, & negligentia, aut contemptu sacram Communionem ultra annum differant; at si ex consilio prudentis Medici sive Directoris abstineant, ut se ad eam escam majori cum fructu & reverentia sumendam interèa præparent, procrastinationem hujusmodi non reprobat, sed potiùs laudat.

Quamvis certum sit per *proprium Sacerdotem* in Canone *Omnis utriusque sexus* inteligi proprium cujusque parochum, nihilominus juxta modernam Ecclesiæ disciplinam, quicunque in Paschate habet potestatem excipiendi confessionem, etiam habet potestatem tempus communionis Paschalis respectu sui pœnitentis prorrogandi; utpotè qui solus possit jndicare, quid huic pœnitenti conveniat: ac per consequens hodie molestari non potest propter omissam communionem Paschalem, qui se probato confessario confessum ejusque consilia secutum esse ostendit.

XVI. Pœna autem non communicantis in Paschate est, ut *vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens ecclesiastica careat sepultura.*

Ex tenore verborum, quo pœna exprimitur, nequaquam obscurum est, hanc pœnam non esse *latæ*, sed duntaxat *ferendæ* sententiæ. Quod & sat manifestè significat Synodus P. II. Mechl. decernens: » qui huic mandato Ecclesiæ non obedierint, vel in Paschate à Parochiâ abfuerint, & reversi intra octo » dies non docuerint se alibi in Paschate communicâsse, mox Episcopo denuntientur, ut ejus judicio, nisi legitimam excusationem attulerint, & vivi ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & mortuis ecclesiastica denegetur sepultura.“

Idem iisdem penè veribus decernis Synodus P. II. Cameracensis *tit. 9. cap. 6.*

* Fatendum tamen est, verba, quibus Concilium pœnam expressit, esse ambigua, utrum scilicet *latæ* an *ferendæ* sententiæ. Quod & observavit Du-Casse, Archidiaconus & Officialis Condomensis in suo Tractatu *de Jurisdic. Eccles. tom. 1. cap. 9. §. 9. num. 15.* Asseritque in quibusdam Ecclesiis eam accipi ut latæ sententiæ, in aliis verò ut *ferendæ*, atque ibidem exponit praxim Ecclesiæ Gallicanæ, quâ Officialis Episcopi contra Parochianum de neglecta Communione Paschali delatum procedere debeat; unà monens, officium Parochi esse iteratis vicibus monere, & exhortari ipsos defectuosos, ut se ad Communionem ritè præparent, & ad eam se præsentent, priusquam ipsos ut defectuosos Episcopo ejusve Officiali denuntiet.

Et sanè Parochi in hac defectuosorum delatione, seu denuntiatione magnâ prudentiâ & moderatione uti debent; quia coactio illa judicialis per censuras canonicas, aliasve pœnas, quibus similes defectuosi ad Sacram Communionem adiguntur, plus subinde nocet, quàm prodest ipsorum saluti, & magis in scandalum quàm in ædificationem aliorum cedere potest, dum ex modo vivendi, aliisque circumstantiis vident ad Sacram Communionem adigi eum, qui nulla anteactæ vitæ emendationis signa hactenus præbuit; neque de criminibus, aut vitâ parùm christianâ anteacta publica pœnitentiæ opera ostendit.

Et licèt jam pridem SS. Patres fideles ad Sacram Communionem hortarentur: imò ut ad eam sæpius per annum accederent, non tantùm monuisse, sed & præcepisse reperiantur; nequaquam tamen legimus, quòd ante hoc Concilii Lateranensis Decretum ad eam sub comminatione censurarum fuerint adacti.

XVII. Synodorum Lateranensis & Mechliniensis decreta insuper non obscurè supponunt, nequaquam penes Parochos esse auctoritatem aliquem ob omissam Communionem Paschalem vivum ab Ecclesiæ ingressu arcendi, sed duntaxat deferendi ab Episcopum, qui re maturiùs examinata delatum vel absolvat, vel ad pœnam Canone decretam condemnet.

Neque enim in sepultura illud est timendum sacrilegium, quod verendum ex admissione publicorum peccatorum ad sacram

cram Communionem. Præterea cùm non ità ordinariè sit notorium ; neque tam facilè populo innotescere queat , nùm quis Communionem Paschalem non fecerit; aut forsan aut eam omiserit de consilio alicujus Confessarii , aut consensu Parochi, etiam eo ex capite minus timendum est scandalum , si quispiam ad sepulturam admittatur , etsi Communionem Paschalem vivus omiserit , quàm si notorius criminosus , antequam publicè satisfecerit , ad sacram Communionem admittatur.

CAPUT IV.

De Communione Infirmorum.

1 *Olim infirmis , & in mortis periculo constitutis data fuit Eucharistia.*
2 *Eucharistia danda moribundis hodie dicitur* Viaticum.
3 *Vox* Viaticum *olim aliter , quàm hodie accepta.*
4 *Multum à sensu Canonum aberrant , qui per* Viaticum *credunt semper intelligi Eucharistiam.*
5 *Hodie duplex est infirmorum Communio Eucharistica , una per modum Viatici , altera ex devotione.*
6 *Inter utramque notatur differentia quoad jejunium à communicante servandum.*
7 *Altera differentia quoad formam distribuendi.*
8 *Utriusque Communionis solus Parochus est minister.*
9 *Privilegia Regularia ad administrationem hujus Communionis se non extendunt.*
10 *Synodi Belgicæ jus hoc Parochis asserunt ; illudque Regularibus non competere declarant.*
11 *Pœnæ decretæ in Regulares occultè deferentes Eucharistiam infirmis.*
12 *Parochus semper debet esse paratus Eucharistiam infirmis administrare , etiam noctu.*
13 *Eucharistia solius adorationis causa ad infirmum non deferenda.*
14 *Quid faciendum Parocho , si infirmus Viaticum sumere nequeat.*
15 *Ægrotus instruetur à Parocho , quomodo debeat spiritualiter sumere.*
16 *Eucharistia ad infirmum publicè deferenda est.*
17 *Id etiam observandum , quando per modum devotionis sumenda est.*
18 *Eucharistia non est occultè deferenda : quia infirmus morbum occultare vult.*
19 *Populus monendus ut Sacramentum ad infirmum deferendum comitetur.*
20 *Multum in hac re potest Pastorum zelus.*
21 *Quid hîc statuerit S. Carolus.*
22 *Indulgentiæ concessæ iis , qui comitantur.*
23 *Confraternitates erigendæ , quarum Sodales Sacramentum associent.*

I. JAm pridem S. Eucharistiam ægris administratam fuisse, probat imprimis Epistola Synodica Ecclesiæ Africanæ ad Cornelium Papam , inter Epistolas Cypriani est ordine 54. quæ est de pace lapsis danda maturiùs ob persecutionem ingruentem ; quibus eam ob causam communionis sacræ munimentum concedunt Patres , ut tuti contra adversarium essent , licèt revera infirmi corpore non essent , ità scribentes : » Nunc non » infirmis , sed fortibus pax necessaria est , nec morientibus, » sed viventibus communio à nobis danda , ut quos excitamus, » & hortamur ad prælium , non inermes , & nudos relinquamus, » sed protectione Sanguinis & Corporis Christi muniamus : & » cùm ad hoc fiat Eucharistia ut possit accipientibus esse tute» la , quos tutos esse contra adversarium volumus , monimento » Dominicæ saturitatis armemus.“

Hîc manifestè supponitur, morientibus datam fuisse Eucharistiam; quod & Canon XIII. Nicænus supponit, ubi ait : » In sum» ma autem, de quolibet excedente & Eucharistiæ participationem » petente , Episcopus cum examinatione oblationem impertiat.“

II. Eucharistia, quæ morituris administratur, hodiè *Viaticum* dicitur ; imò nomine *Viatici* hodie unicè ipsa communio Eucharistica morituris administrata intelligitur ; secus apud Veteres.

III. Hi enim omnia nomine *Viatici* comprehendebant , quæcunque morientibus prodessent , ut securiùs , tutiusque in alteram vitam proficiscantur.

Unde quidquid pœnitentes , aut Catechumenos morti proximos Communioni Ecclesiæ restituere , atque Deo reconciliare poterat , *Viatici* nomine comprehendebatur. Unde Baptismus, Confirmatio , Absolutio , Extrema-Unctio , imò & bona opera morituris impertita , nomine *Viatici* veniebant ; uti notat & latè probat Vir eruditus Gabriel Albaspinæus *Lib.* 1. *Observat. cap.* 1. una tamen notans , Eucharistiam etiam antiquiùs , cùm daretur pœnitenti ad mortem præcipitanti venisse nomine *Viatici* ; imò *tutissimum* , *absolutissimum* , & *potentissimum Viaticum* reputatum esse ; nequaquam tamen *maximè necessarium*, sed hujus nomine venisse absolutionem respectu Pœnitentium; & Baptismum respectu Catechumenorum.

IV. Hinc quidem auctor credit per *ultimum & necessarium Viaticum* , de quo in parte Canonis XIII. Nicæni , non intelligi Eucharistiam , sed reconciliationem : ostenditque , à sensu antiquorum Canonum non minus aberraturos , qui ubicumque *Viatici* nomen occurrit , crederent ibidem de Eucharistia sermonem esse ; quàm qui in pristinis Canonibus Eucharistiam significari putarent ubicunque vocem *Communio* reperiunt ; eò quòd hæc juxta modernam phrasim pro sola Communione Eucharistica sumatur ; cùm olim esset vox generalis complectens omnes species *Communionis* , quibus aliquis quocunque modo *Communioni* fidelium aut Sacramentorum restituebatur ; quod cùm fieret perfectissimè per Eucharistiam , per illam dicebatur , quis perfectissimè Communioni restitui , eaque communio *perfectissima* appellabatur ; ut multis ostendit Albaspinæus , *Lib.* 1. *Obs. cap.* 1.

Hæc si ritè expendantur , constabit , non modò conveniens, sed penè necessarium esse pro assequendo genuino Canonum sensu , ut quis aliquem saltem habeat notitiam mutatæ vocum, & verborum , pro temporum , & locorum varietate significationis ; quemadmodum latiùs ostendi in tractatu Historico Canonico *par.* 10. *cap.* 1. §. 7.

V. Hodiè nomine *Viatici* venit Eucharistia non cuivis infirmo administrata , sed ea sola , quæ datur , cùm probabile est, quòd eam ampliùs sumere non poterit , uti loquitur Rituale Romanum. Præcipit , enim , ut » hortetur Parochus infirmum , ut » sacram Communionem sumat , etiamsi graviter non ægrotet, » aut mortis periculum non immineat ; maximè si festi alicujus » celebritas id suadeat ; neque ipse illam administrare recusa» bit.“ Deinde subjungit; » Pro *Viatico* autem ministrabit , cùm » probabile est , quòd eam ampliùs sumere non poterit. Quod » si æger sumpto Viatico dies aliquot vixerit , vel periculum » mortis evasserit & communicare voluerit , ejus pro desiderio » Parochus non deerit.“

His consonant Rituale Mechliniense , aliaque passim moderna Ritualia ; atque hinc invaluit duplex infirmorum Communio, alia *devotionis* , alia per modum *viatici.*

VI. Inter utramque hæc notatur diversitas ; quòd » possit » quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis..... Cæteris » autem infirmis , qui ex devotione in ægritudine communicant, » danda sit Eucharistia ante omnem cibum & potum.“ Ita Pastorale Mechliniense , & Rituale Romanum, quod postremum addit : » Non aliter ac cæteris fidelibus , quibus nec etiam per mo» dum medicinæ ante aliquid sumere licet.“

Permittit tamen Manuale Cameracense : » In periculo mor» tis constitutus communicare potest , non jejunus , etiam plu» ries in eadem infirmitate , si periculum pluribus diebus perse» veret , nec possit æger permanere jejunus.“

VII. Similiter aliam formam distribuendi Eucharistiam per modum *Viatici*; aliam per modum *devotionis* Ritualia præscribunt.

Dum enim infirmo datur per modum *Viatici* , dicit Sacerdos : *Accipe , Frater* (*vel Soror*) Viaticum *Corporis Domini nostri Jesu Christi , qui te custodiat ab hoste maligno , & perducat ad vitam æternam.* Si verò non per modum *Viatici* datur, dicitur more ordinario : *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.* Ità passim hodierna Ritualia. Num hæc duplex infirmorum Communio etiam Antiquis nota fuerit , nescio ; nullum saltem hujus distinctionis in antiquis Canonibus vestigium hactenus reperi.

VIII. Illud utrique Communioni infirmorum commune est, quòd etiam juxta modernam disciplinam à Parocho ad infirmos Eucharistia deferenda , atque à solo Parocho infirmis distribuenda sit ; nullusque Sacerdos , extra casum necessitatis , sive Secularis sive Regularis eam ad domos infirmorum deferre sine Parochi licentia possit.

IX. Quapropter privilegia data Regularibus distribuendi sacram Communionem , etiam quibuscunque Fidelibus, intelligi de administratione in propriis suis Ecclesiis , post Canonistas notat Augustinus Barbosa *de Officio Parochi* , *part.* 2. *cap.* 20. *num.* 3.

X. Illudque Parochorum jus non obscurè supponunt Ritualia, & Synodi , dum semper ad Parochos verba dirigunt, ubicunque de infirmorum communione loquuntur ; atque nonnullæ nominatim declarant , Regularibus eam esse vetitam. » Sciant » Regulares nec ullo tempore deferre posse publicè , aut pri» vatim Eucharistiam ad ægros extra septa Monasterii sui;“ ait Synodus Namurcensis anno 1659. *tit.* 6. *cap.* 6. Et *cap.* 7. subjicit : » Multò minus *Viaticum* Secularibus , aut Ecclesiasti» cis in mortis articulo existentibus , saltem nonnisi cum li» centia & de consensu expresso nostro (Episcopi) vel Vi» carii nostri generalis , aut Pastoris loci, extra casum neces» sitatis.“ Hæc ibi citata ad marginem Constitutione Gregorii XV. de anno 1622. ac deinde capite sequenti pœnas in contravenientes decernit : » Si qui ex illis præsumpserint præ» missis contravenire , sciant se subjacere censuris , & tam » per subtractionem eleemosynarum Cleri , quàm ademptio-

» nem

„nem Stationum eos cogendos iri ad observationem eorum.“ Et Archiepiscopus Mechliniensis in decreto evulgato 6. Febr. 1680. *art.* 9. ait: „Cùm juxta Decretum Concilii Tri„dentini *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.* solis Parochis competat, „ratione suæ curæ administrare Sacramenta suis respectivè Paro„chianis, districtè inhibemus, ne ullus Sacerdos Secularis aut „Regularis, cujuscunque Ordinis, aut Instituti, tam sit te„merarius, aut potestatis suæ immemor, ut occultè ferat Sa„cramentum Eucharistiæ, aut Extremæ Unctionis ad aliquem „infirmum, aliumve cujuscunque fuerit conditionis: eos ad„monentes ut meminerint pœnarum & censurarum per Ec„clesiam decretarum contra eos, qui contraveniunt Decretis „dicti Concilii.“

XI. Censuræ, quarum in hoc Decreto, & citata Synodo Namurcensi fit mentio, sunt excommunicatio, quæ in *Clementina I. de Privilegiis*, decernitur in Regulares, qui Clericis aut Laicis Sacramentum Eucharistiæ ministrare, non habita super hoc Parochialis Presbyteri licentia speciali, præsumpserint. Cùm enim privilegia data Regularibus duntaxat concernant administrationem Eucharistiæ in propriis Ecclesiis, & Monasteriis, manet decreta censura in illos, qui eam ultra privilegiorum tenorem administrant extra proprias Ecclesias, & septa Monasterii; atque ita quoque ad interrogationem Pastorum civitatis Antuerpiensis responderunt die 23. Junii 1664 quatuor Doctores Theologi Lovanienses, nimirum Gerardus Van Werm, Jacobus Pontanus, Joannes Sinnich, & Andreas Laurent; una addentes posse, imò & teneri Episcopum, prohibere delationem occultam hujus Sacramenti sub pœnis in dicta Clementina expressis; signanter quando leviores pœnæ judicantur non sufficere ad obviandum efficaciter abusibus contrariis (a).

(a) Decretum Episcopi Gandavensis inhibens Regularibus tam publicam, quàm occultam Eucharistiæ delationem ad infirmos extra septa suorum Monasteriorum.

Eugenius Albertus, Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Gandavensis, &c. Omnibus ac singulis Decanis, Pastoribus Ecclesiasticis, & Fidelibus nostræ Diœcesis, salutem & benedictionem à Jesu Christo Domino nostro.

DUM Paterna & Pastorali solicitudine intentè circumspicimus, quid causæ Divinam Justitiam provocet, ut plagis usque adeò acerbis Belgium hoc nostrum affligat, & porrò graviora minetur; primum ac præcipuum occurrit impia irreverentia, quæ jam passim in templis, non sine gravi scandalo & offensione perpetratur sub tremendo Missæ Sacrificio aliisque Divinis Officiis, patente etiam Sacrosancta Eucharistia; & exiguus ac penè nullius honor ac cultus, qui Jesu Christo, Dei Filio ac Redemptori nostro, sub illa realiter latente, exhibetur; signanter dum ad ædes ægrotantium defertur: eo enim corruptelæ abusus hic excrevit, ut promiscuè jam & admodum facilè, Sacramentum istud requiratur feraturque secretò & occultè, absque ulla exteriore veneratione, aut cæremonia, & id sub levibus, fictisque coloribus, ob privatam aliquam, fucatam sæpè devotionem, aut respectus prorsus humanos; quæ profecto omnia apud veros Christianos nullo loco esse deberent. Cumque hæc graviter adversentur non solùm honori, qui personæ Divinæ Jesu Christi Salvatoris nostri debetur, verùm etiam antiquis, ac generalibus Ecclesiæ Decretis, aliisque particularibus per Prædecessores nostros sancitis, ac editis.

Hinc, ut debito officii; ac conscientiæ nostræ satisfaciamus, & pro viribus studiosè curemus, ac provehamus cultum illum & reverentiam quam fideles cunctos, semper & ubique Augustissimo Eucharistiæ Sacramento oportet exhibere (dum interim de mediis opportunis ac efficacibus cogitamus, quibus præfatæ scandalosæ insolentiæ & confabulationes in sacris ædibus compescantur) necnon et Divinum Numen sacrilegiis istiusmodi lacessitum, propitium reddamus: decernimus, ac præcipimus omnibus, & singulis hujus Diœcesis, ac præsertim civitatis Gandavensis Pastoribus, aliisque Sacerdotibus, ne unquam, sive noctu, sive interdiù Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum clanculum & latenter ad infirmos deferant, quacunque tandem de causa, nisi à Nobis, aut Archipresbytero nostro priùs examinanda, & approbanda; sed tenebuntur illud manifestè, ac honorificè portare, servatis ritibus, ac cæremoniis per Pontifices, Concilia, & Prædecessores nostros præscriptis, & statutis; idque sub pœna arbitraria.

Et quandoquidem solis Pastoribus, aut eorum vices gerentibus ac delegatis, de officio & ex Concilii Tridentini etiam declaratione, Sess. 34. cap. 13. de Reform. *competat Sacramenta administrare: Confidimus, & quantùm opus est mandamus, ne ullus Regularis, cujuscunque Ordinis, aut Instituti, sibi arroget Sacrosanctam Eucharistiam latenter cuivis infirmo conferre, extra septa sui Monasterii, ne quidem ut ex devotione communicetur: aut aliàs cogemur, potestate ac mediis à Deo & Ecclesia Nobis concessis, efficaciùs id impedire.*

Atque ut hæc Constitutio cunctis innotescat, injungimus omnibus Pastoribus & Concionatoribus, etiam Regularibus, ut tribus proximè sequentibus Dominicis diebus, illam pro Concione prælegant, illiusque observantiam Fidelibus sedulo inculcent: Denuntientque verbis nostris, eum, qui ex negligentia, aut frivolo prætextu, prætermiserit Viaticum salutis publicè, & ut Catholicos decet, recipere, & ita obierit, de Fide suspectum habendum fore, etiamsi Sacram Eucharistiam privatim à Regulari quopiam aut alio Presbytero percepisset.

Obtestamur denique Fideles universos, ac singulos, quos Spiritus Sanctus Nobis regendos commisit, per nimiam illius Charitatem qui carnem & Sanguinem suum non modo pro ipsorum salute profudit, sed etiamnùm quotidie in spiritualem cibum ac potum munificentissimè elargitur; ut in cordibus suis vivam illam Fidem excitent, qua quotquot sunt sinceri Christiani firmiter credere tenentur, ipsum verè ac realiter existere in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento; studeantque illud quanto valent maximo cultu, ac honore exteriore persequi, dum in publicum profertur, & signanter ad ægrotantium ædes; postponentes omnem humanum respectum, sumptum ferendorum prætextum (nam hi sæpiùs ad sui ostentationem veriùs, quàm in Dei honorem assumuntur) aliosque colores, qui revera non nisi fuci sunt & technæ, quibus Satanas, etiam per suos, perpetuò molitur splendorem gloriæ Redemptoris nostri Jesu Christi, cui infensissimè invidet, obfuscare & extinguere.

In quæ ut ferantur proniùs & alacriùs, præter Indulgentias à pluribus Pontificibus, Episcopisque concessas iis, qui Sacrosanctam Eucharistiam, dum ad ægros defertur, lumine cohonestabunt, vel aliàs comitabuntur; concedimus quadraginta dies similium Indulgentiarum illis, qui umbellæ seu Baldachino portando manus conferent; atque ut id obsequii, Jesu Christo Domino ac Regi nostro haud dubiè acceptissimi per viros spectatiores præstetur, exoptamus summoperè, & quàm possumus enixissimè requerimus. Datum Gandavi in Palatio nostro Episcopali 17 Maji 1668.

Signatum
EUGENIUS ALBERTUS *Episcop. Gandavensis.*
Inferiùs habebatur.

De mandato Illustris. ac Reverendis. Domini Episc. præfati
Et signatum erat. A. VAN WERCHTER Secret.

Judicium Doctorum Lovaniensium de occulta delatione Eucharistiæ ad infirmos per Regulares.

SPECIES FACTI.

CUM ab aliquot annis Antuerpiæ increverit abusus, quo Religiosi omnium Ordinum infirmis, atque impeditis, ut ad Ecclesiam venire non possint, & maximè Filiabus suis spiritualibus, ante & post publicam administrationem Viatici, occultè deferant sacram Communionem per omnes Parochias Civitatis, dicentes id sive licere per Privilegia, eorumque exemplo etiam alii Sacerdotes seculares, non habentes jurisdictionem, Capellani Ecclesiarum, & Rectores sacellorum particularium passim idem faciant, contra Decreta Canonum, & Ordinationes Synodorum, præsertim Synodi Provincialis Mechliniensis celebratæ anno 1607. *tit.* 7. *cap.* 3. quæ Synodus non tantùm est confirmata Regio diplomate, sed etiam Romæ à Sancta Congregatione recognita, & approbata per Breve Pauli V. in quo *hortatur Pontifex & auctoritate Apostolica jubet, ut ejus Synodi decreta omnia, quæ ad Sacrorum Canonum præscriptum omnes istius Provinciæ Episcopos, omnesque eorum Diœcesanos obstringunt, ab omnibus quàm diligentissimè & inviolatè serventur*; iisque non obstantibus pergant dicit Religiosi in dicta functione, tametsi sæpiùs à Pastoribus moniti; indeque varii abusus, & scandala orta, & oritura sint indies graviora, imò & totalis confusio Ecclesiæ Dei.

Primò enim, cùm Pastores volentes obedire præceptis, & Ordinationibus Ecclesiæ, recusant occultæ Sanctam Communionem deferre, sed deferunt cum debito honore, passim eis dicitur à communitate: adhibimus Religiosos, qui in nobis offerunt: adeoque Pastores incurrunt indignationem suorum, illi autem aucupantur gratiam.

Secundò, cùm illi ante extremum periculum pro securitate & devotione, ut dicunt, occultè Sacram Communionem deferunt, sæpiùs fit, ut postea negligatur publica administratio tam Viatici, quàm Extremæ Unctionis.

Tertiò, aliqui in diuturnioribus morbis occultè recipientes Sacram Communionem à Religiosis, nolunt nequidem in Paschate eam ad se publicè deferri, adeoque aliquot annis non communicant de manu proprii Pastoris.

Quartò, contingit Religiosos, seu alios Sacerdotes secum gestantes in capsula vel corporali Venerabile Sacramentum, alio divertere, aliaque fieri contra debitam reverentiam. Denique, hoc

XII. Parochus autem omni tempore paratus esse debet administrare infirmis hoc Sacramentum, tam post prandium, quàm antè, tam noctu, quàm interdiù. Monet tamen Rituale Romanum, *noctu hoc Sacramentum deferri non debere, nisi necessitas urgeat.* Et Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.* 7. *cap.* 15. arguit abusum, tunc frequentem, deferendi Eucharistiam ad ægros sub vesperam; monendumque vult populum, ut, quantum fieri potest, nonnisi jejuni hoc Sacramentum ægri percipiant, nec expectent tempus ultimæ necessitatis. » Nunquam tamen Pastor (inquit Synodus) tempore nocturno, aut » aliàs quantumvis importuno vocatus, cùm id infirmi status » postulat, ab officio faciendo se excuset, gravissimè puniendus, » cujus culpa infirmus non munitus Sacramentis è vita excesserit. Idem habet Synodus Antuerpiensis sub Miræo *tit.* 7. *cap.* 7.

XIII. » Cavendum autem imprimis esse monet Rituale Ro» manum, ne ad indignos cum aliorum scandalo deferatur, qua» les sunt publici usurarii, concubinarii, notoriè criminosi, no» minatim excommunicati aut denuntiati, nisi sese priùs sacra » confessione purgaverint, & publicæ offensioni, prout de ju» re, satisfecerint. «

XIV. Monet insuper Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.* 7. *cap.* 13. » Sacra Communio ad ægrotum non deferatur » nisi ad eum, qui verè eam sumpturus est. « Et Manuale Cameracense nec deferri vult Sacramentum *ad adorandum, seu devotionis seu cujusvis rei prætextu ad ostendendum.* Ratio hujus præcipua videtur, quia Sacramentum neque ad hoc institutum est, neque hanc consuetudinem habet Ecclesia Dei. Si verò (ait Synodus) aliquando fiat, ut dum ad eum Parochus venit, morbi vi ita illum affectum inveniat, ut eam tunc illi rectè administrare non possit, cum aliis, qui adsunt, sanctè oret: & si ægrotus optet, aperta pixide liceat ostendere adorandum. Pastorale Mechliniense, uti & Manuale Cameracense dicunt, simili casu, exhibendum esse Sacramentum ad adorandum, *sed*, inquiunt, *non detur ad osculandum.*

XV. Utrumque etiam Manuale monet, Parochi tunc officium esse, ut ægrum doceat, quo pacto possit illud specialiter sumere, id est, fructum, & utilitatem ejus consequi, nimirum per ejus desiderium, & votum, ac fidem vivam, quæ per dilectionem operatur; consolando eum his Augustini verbis: *Crede & manducasti. Tractatu* 25. *in cap.* 6. *Joann.* hoc modo patulatim desinet omnis publica administratio, & omnes volunt ad se occultè Sacramenta extrema deferri; quod tamen est actus publicus, & professio Fidei Christianæ.

Quare Pastores sæpè querelas deposuerunt apud Reverendissimum Dominum Episcopum, rogantes, ut efficaciter id impedire dignaretur, allegantes Decretum præfatæ Synodi Mechliniensis, & Clementinam *de Privilegiis & excessibus Privilegiorum*; in qua expressè hoc prohibetur Religiosis sub pœna excommunicationis: sed Reverendissimus prædictus existimat ibi prohiberi eis sub tali pœna delationem Viatici duntaxat, non autem particularis Communionis, id enim eis licere.

Quæritur ergo.

An dicta Clementina desumpta ex Concilio Viennensi, intelligenda si tantùm de administratione Viatici, an de omni delatione Sacræ Communionis; præsertim occultè absque licentia speciali parœcialis Presbyteri, ut satis clarè in textu dici videtur?

Secundò, utrùm Episcopus non possit prohibere delationem occultam hujus Sacramenti in urbe Antuerpensi & locis suæ Diœcesis, ubi est licitum publicum exercitium Christianæ Religionis; Sacerdotibus quidem Secularibus sub pœna suspensionis à divinis, aut alia arbitraria; Regularibus autem sub pœna excommunicationis incurrendæ ipso facto juxta tenorem dictæ Clementinæ, in qua expressè additur, *nullo Religiosis eidem super hoc exemptionis, vel alio Privilegio suffragante.* Super qua quæstione videri potest Reginaldus *in praxi lib.* 29. *num.* 90. & 91. & locis ibi citatis & Bonacina *Tom.* 3. *de excommunicationibus, disp.* 2. *quæst.* 5. *pag.* 15.

Tertiò, an Episcopus non obligetur in conscientia hos abusus efficaciter impedire?

RESOLUTIO.

Viso, & diligenter examinato Casu superiùs expresso, ad quæsita eidem subnexa respondent infrascripti.

Ad primum; prohibitionem Clementinæ esse generalem, adeoque omnibus Religiosis prohiberi Sacram Eucharistiam, quibuscunque, tam Clericis, quàm Laicis ministrare, sive id fiat occultè sive publicè, absque licentia speciali Parochialis Presbyteri; neque restringi ad administrationem per modum Viatici, salvis tamen exceptionibus ad calcem primi Capituli ejusdem Clementinæ, quæ firmant regulam in contrarium.

Et quamvis post dictam Clementinam aliqua sint concessa Privilegia Regularibus sive Religiosis, ut non requisita licentia Parochi omnibus Christi Fidelibus sacram Eucharistiam administrare possint; id tamen intelligendum est in suis templis & non extra. Videatur Barbosa cum iis, quos citat, *de officio & potestate Parochi, part.* 2. *cap.* 20. *num.* 8. Non possunt igitur Religiosi vi suorum privilegiorum, sive publicè, sive occultè, deferre Sacram Eucharistiam ad domos ægrotantium, sive Laicorum, sive Clericorum; non publicè, quia haud dubiè istud ad jus Parochorum spectat, & consuetudo hactenus inviolata extat in contrarium: non etiam occultè, quia Canones, & Concilia mandant, ut quando ad infirmos deferanda est Sacra Eucharistia, id fiat manifestè & honorificè; seclusa scilicet necessitate. Ita statuitur Capitulo *Sanè, de celebratione Missarum.* Ubi Pontifex agens de delatione Eucharistiæ ad infirmos addit, *quam in decenti habitu, superposito mundo velamine, ferat & referat manifestè, & honorificè ante pectus, cum omni reverentia, & timore, semper lumine præcedente, cùm sit candor lucis æternæ; ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur. Prælati autem hujusmodi mandati graviter puniri non differant transgressores, si & ipsi divinam & nostram voluerint effugere ultionem.* Cui Capitulo consonat hæc ordinatio Ritualis Romani, sub tit. de Communione infirmorum. *Deferri autem debet hoc Sacramentum ab Ecclesia ad privatos egrotantium domos, decenti habitu, superposito mundo velamine, manifestè atque honorificè ante pectus, cum omni reverentia & timore, semper lumine præcedente.* Quæ intelligenda sunt non tantùm de administratione per modum Viatici, sed etiam causa devotionis, prout ex antecedentibus liquet. His quoque conformis est Constitutio Synodi Provincialis Mechliniensis, tam de anno 1570. quàm de 1607. de *Sacramentis.*

Ex quibus quoque patet responsio ad duo quæsita sequentia: Posse nimirùm, & teneri Episcopum prohibere delationem occultam hujus Sacramenti, ut in quæsito secundo, etiam sub pœnis ibidem expressis; signanter quando leviores pœnæ prudenter judicantur non sufficere. Ad obviandum efficaciter abusibus in contrarium, debent enim Episcopi procurare observantiam Canonum salubriter constitutorum, præsertim cùm id eis specialiter injungitur prout, per verba superiùs relata. *Prælati autem hujusmodi mandati graviter puniri non differant transgressores, si & ipsi divinam & nostram voluerit effugere ultionem.* Ita Lovanii resolutum die 23. Junii anno 1664. & subsignatum erat.

GER. VAN WERM. S. Theolog. Doct. & Profess. Reg.
JACOBUS PONTANUS S. Th. Doct. & Professor.
JOAN. SINNICH. S. Th. Doct. & Profess. ordinarius.
ANDREAS LAURENT. S. Th. Doct. & Prof. Reg.

„ ristiæ Sacramentum clanculum & latenter ad infirmum defe-
„ rant, quacunque tamen de causa; nisi, ait, à Nobis, aut
„ Archipresbytero nostro priùs examinanda & approbanda.
„ Post hæc mandat, ne ullus Regularis, cujuscunque Ordinis,
„ aut Instituti, sibi arroget Eucharistiam latenter cuivis infirmo
„ conferre extra septa sui Monasterii, nequidem ut *ex devotio-*
„ *ne* communicetur."

Hoc Decretum cùm quidam è Clero tum seculari tum Regulari ægrè reciperent; eique nescio quæ objicerent, illud solidissimè tum ex sacris Canonibus, tum Synodorum Decretis stabilivit Ignatius Gillelmans Cathedralis Ecclesiæ Gandensis Canonicus & Archipresbyter in epistola ad amicum Pastoralem; in qua etiam ad longum refert resolutionem Doctorum Lovaniensium supra citatam.

XVIII. Synodus P. II. Cameracensis „improbat abusum
„ eorum, qui Sanctam Eucharistiam ægris, qui morbum si-
„ mulare volunt, seu alio quocunque prætextu occultè sine lu-
„ mine, & sine honore deferunt, nisi ait, de expressa Episco-
„ porum licentia id faciant. *Tit.* 9. *cap.* 2.

XIX. Deinde *cap.* 3. subjungit: „Admodum etiam inde-
„ cens est, quòd solus Pastor cum Clerico suo præeunte, ut
„ plurimùm ad ægros deferendum hoc Sacramentum procedat,
„ aut pauci ex populo sequantur. Quare sæpè populum suum
„ moneant Parochi, ut frequens hoc Sanctissimum Sacramentum
„ prosequatur, maximè ii, qui sunt Confratres Sodalitatum
„ Corporis Christi, quas optaret S. Synodus ubique per Epis-
„ copos erigi atque institui."

Post hæc *cap.* 4. „Antequam autem ad ægros deferatur, cer-
„ tis campanæ pulsibus signum detur, ut fideles, quibus va-
„ cat, convenire possint."

XX. Instructio, & decreta generalia pro Pastoribus civitatis & Diœcesis Leodiensis facta per Antonium Albergatum Nuntium Apostolicum in visitatione Apostolica anno 1613. habent. „Cùm defertur Venerabile Sacramentum ad infirmos, Pastor
„ pulsandam curet campanulam; quâ deputati Scholæ ad Ec-
„ clesiam congregentur, ut illud debita cum reverentia, & ho-
„ nore comitentur, nec unquam prodeat, nisi associatus ad
„ minus à sex viris, si commodè haberi poterunt, cum lumina-
„ ribus accensis, nec super hoc excusationes essent adducen-
„ dæ, nec est credibile quin populus monitus à Pastore de gra-
„ vitate negotii, & de mandato sanctissimi, non sit plenè pa-
„ riturus. Si enim debitam adhibere voluerit diligentiam, cer-
„ tum est Pastores in hoc genere à populo libenter admodum
„ omnia obtenturos esse."

Verissimè id prædixisse horum Decretorum auctorem ostendit concursus populi, atque luminis copia in delatione Eucharistiæ iis in locis, in quibus Pastorum zelus in excitanda populi pietate, ac reverentia erga hoc Augustissimum Sacramentum elucet.

XXI. Sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi VI. *Tit.* 9. vult, ut „Parochus hortetur, & curet, ut unusquisque Pa-
„ terfamilias præsertim dato campanæ Parochialis signo, quo sa-
„ cræ Eucharistiæ ad ægrum deferendæ significatio fit, sine mo-
„ ra in Ecclesiam Parochialem conveniat, vel alium de familia
„ digniorem mittat, ad illam cerei, candelæve lumine prose-
„ quendam. Si quando autem iis, qui Pater familias est, per
„ necessariam occupationem non potest, saltem certum ali-
„ quem hominem, vel filium natu majorem, vel denique fa-
„ mulum, aliumve mittat, qui id pietatis officium præstet. At-
„ que eam ob causam domi etiam omnis Paterfamilias perpetuò
„ funale cereum, aut candelam unam, pluresque habeat, quæ
„ ad id pietatis opus officiumque usui sint."

Eadem penè habet Synodus Iprensis sub Rithovio *Tit.* 14. *cap.* 9. Et *cap.* 10. addit: »Quotquot autem Sacerdotem defe-
»rentem hoc venerabile Sacramentum concommitantur, omnes,
»tam eundo, quàm redeundo à fabulis abstineant; sed pro sa-
»lute infirmantis, devotâ mente, Dominum Deum deprecentur."

XXII. »Atque ut id fiat cum summa religione, populus
»pro concione moneatur & excitetur, eique inculcetur, Nos
»omnibus & singulis Fidelibus umbellam hujusmodi deferenti-
»bus, vel devotè comitantibus *quadraginta dierum Indulgen-*
»*tias* impertiri," ait Antonius Triest Gandensium Antistes in Statutis Synodalibus anno 1605. *Tit.* 6. *cap.* 6.

Similes indulgentiæ passim in Decretis Synodalibus, & Episcopialibus adducuntur, additque Synodus Namurcensis anno 1704. *tit.* 6. *cap.* 14. quòd si qui impediti comitari nequeunt, in Domibus suis saltem pro salute corporali & spirituali ipsius ægroti Dominum deprecati fuerint, 20. dierum Indulgentias habebunt.

XXIII. Ad hæc optant Synodi nostræ in omnibus Ecclesiis Parochialibus saltem celebrioribus erigi Confraternitates SS. Sacramenti; quarum Sodales specialiter honori, & cultui hujus Sanctissimi Sacramenti intendant; atque ipsum Sacramentum quoties ad infirmos defertur, per se vel per alium, legitimo impedimento occurrente, devotè associent, juxta articulum erectioni hujusmodi Confraternitatis inseri solitum.

Confraternitates hujusmodi in pluribus Ecclesiis Belgicis sub finem præteriti seculi, necnon hoc seculo sunt institutæ & à Sede Apostolica, aut Ordinariis locorum probatæ, ad normam hujusmodi Confraternitatis primitùs institutæ in Urbe, (b) in Ecclesia Domus Beatæ Mariæ super Minervam Ordinis fratrum Prædicatorum, quam probavit Paulus III. 1. Julii 1630. Bulla quæ incipit: *Dominus noster*, 20. *in Bull. R.* In hac Bulla articulus de associatione Eucharistiæ deferendæ ad infirmos exprimitur his verbis §. 4. »Ac quod Rector cujuslibet ex Ecclesiis
»prædictis (Parochialibus) seu illius locum tenens, quoties-
»cumque esset necessarium Sacramentum hujusmodi alicui in-
»firmo ministrari, & ad illius domum deferri, campanam suæ
»Ecclesiæ certis ictibus pulsari facere tenerentur, ad hoc ut
»Confratres vicini Parochiæ illius Ecclesiæ se moneri, & con-
»vocari ad sociandum Sacramentum ipsum cognoscerent, &
»per se ipsos associare si legitimo impedimento detenti non fo-
»rent, alioquin per unum de suis dignioribus familiaribus Sa-
»cramentum prædictum ad domum dicti infirmi, facibus accen-
»sis associari, & comitari facere tenerentur (c)."

CAPUT V.

De circumgestatione, et expositione Eucharistiæ.

1 *Incertum quo tempore inceperint processiones cum Venerabili.*
2 *Primis X. seculis ignotæ.*
3 *An aliqua apud Græcos nota sit.*
4 *Non videtur cum solemnitate Corporis Christi incepisse.*
5 *Videtur seculo XIV. sensim invaluisse.*
6 *In quibusdam Ecclesiis citiùs, in aliis seriùs recepta.*
7 *Sub initium seculi XV. erat usitata.*
8 *Probat hunc Processionis ritum Synodus Tridentina.*
9 *Episcoporum est has Processiones dirigere.*
10 *Olim extra Missam etiam in Ecclesia Latina Venerabile palam populo adorandum non proponebatur.*
11 *Incertum an primitùs Venerabile palam in processione portaretur.*
12 *Non videtur ante recepta* Ostensoria *palam delatum fuisse.*
13 *Quâ ratione ex usu Processionum profluxerit publica Venerabilis Expositio.*
14 *Ritus hic expositionis licèt recentior, non est tamen improbandus.*
15 *Eucharistiam posse adorandam exponi sequitur ex reali Chisti præsentia.*
16 *Penes Episcopum est Auctoritas hanc expositionem dirigere.*
17 *Sacra Congregatio declaravit, nec Exemptos posse sine licentia Episcopi Eucharistiam palam exponere.*
18 *Idem declaravit Clerus Gallicanus.*
19 *Sententia Synodi Cataneensis de hac Episcoporum auctoritate.*
20 *Regulares etiam exempti acceptare non possunt fundationes cum onere exponendi Venerabile, nisi accedat licentia Episcopi.*
21 *Cavendum, ne nimia expositionis frequentia minuat reverentiam.*
22 *Querela Joannis Gropperi de nimia frequentia; quæ & hodiè verificari posset.*
23 *In Oratione 40 Horarum non semper exponendum Venerabile, & contrarius hodiernus usus an probandus.*
24 *Non exponendum in Ecclesiis, in quibus prævidetur non servanda conveniens reverentia.*
25 *Convenienter & cum decenti ornatu Venerabile exponendum.*
26 *Instruendus populus quo mentis affectu coram Venerabili exposito consistere debeat.*

I. QUando in Ecclesia Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicè per plateas solemni pompa circumferri, ipsæque Processiones sive supplicationes cum Venerabili frequentari cœperint, valdè obscurum, & incertum est.

Hoc

(b) *Quoties in nostro Auctore vox illa* (urbs) *sola reperitur, toties* Roma *intelligi debet; uti mos est Romanos inter & Canonistas. Adde tamen, quòd licet Confraternitates, de quibus loquitur ipse* §. XXIII. *a Summo Pontifice, locorumve Ordinariis approbatæ sint, Principi seu ejusdem Magistratus licentia indigere, rationibus, & sub pœnis contentis in* leg. 3. & 4. lib. 8. titul. 14. Recopil. Hisp.

(c) Vide Actum Acordatum 2. lib. & tit. 1. Recopilat. *ubi præscribitur, quòd si casu occurrat Senatui Regio Sacerdos portans infirmo Venerabile Sacramentum, eum pedatim comitetur, Sacerdote rheda Præsidis utente. Sequens in hoc nostrorum Catholicorum Regum Principumque exemplum.*

II. Hoc expeditum est, primis decem seculis hujusmodi processiones, sive circumgestationes Eucharistiæ fuisse penitùs ignotas. Nec publicas processiones istiusmodi cohæsisse cum disciplina antiquæ Ecclesiæ, etiam notat Christianus Lupus in Tractatu *de sacris processionibus*, *cap.* 2. » Ista namque disci» plina, *ait*, Sacrosanctam Eucharistiam rigidissimè abscondeb bat, non Judæis duntaxat, ac Gentilibus, sed etiam Cathe» cumenis, ac Pœnitentibus."

III. Insuper constat has solemnes processiones cum Venerabili nunquam notas fuisse, nec hodiè esse in Ecclesiis Græcorum; unde hujus cæremoniæ seu ritus nulla in eorum Rituali bus mentio occurrit; hoc uno excepto, quòd species aliqua processionis apud illos frequentetur, similis illi, quæ apud nos fieri solet in die Parasceves, dum Sacra Hostia pridiè consecrata, & in parvo altari ad hoc specialiter adornato reposita, *processionaliter* præcedentibus luminaribus, & Clero populoque comitantibus defertur ad summum altare, ut ibi per Sacerdotem Missam Præsanctificatorum celebrantem sumatur.

Græci enim omnibus diebus Sabbathi & Dominicis Quadragesimæ per Sacerdotes, aut Diaconos ferunt in modum *processionis* ipsa *Præsanctificata* sive hostiam præconsecratam ex parvo Altari, quod *Propositionis* vocant, ad summum Altare: sed Diaconus, vel Presbyter illa gestat imposita capiti & longo velo contecta: quemadmodum in Ecclesia Latina in die Parasceves Hostia fertur imposita calici velo contecta, & involuta. Præter hanc processionem nulla apud Græcos legitur, in qua Eucharistia vel occultè vel apertè circumferatur.

IV. Plures credunt, hodiernas cum Venerabili processiones institutas fuisse, & in Ecclesia Latina originem habuisse sub Urbano IV. qui circa initium seculi XIII. solemnitatem Corporis Christi feria V. post octavam Pentecostes celebrandam instituit, aut saltem jam in Ecclesia S. Martini in civitate Leodiensi institutam per omnes Ecclesias celebrari voluit, edita Bulla quæ incipit, *Transiturus*; quæ à Joanne XXII. sub nomine Clementis V. in Concilio Viennensi inserta est in *Clementina Unica*, tit. 16. *de Reliquis & veneratione Sanctorum.*

Verùm in Bulla Urbani, quâ prædictam festivitatem instituit, nulla hujusmodi processionis mentio occurrit. Deinde Urbanus peculiares indulgentias concedit iis, qui vel uni ex Horis Canonicis, quas speciatim recenset, interfuerint, nullas tamen concedit iis, qui processioni assistunt. Indicium sanè haud obscurum, processionem tunc temporis nondum notam fuisse.

Deinde S. Thomas, qui dicitur jussu Urbani IV. SS. Sacramenti officium composuisse, de hac processione non loquitur; cùm tamen de omnibus Officii Divini partibus disserat, hanc utique non prætermissurus, si instituta fuisset; utpote quæ partem Officii Divini nec exiguam, nec levis momenti constituisset.

Sed & auctores, qui sub idem tempus de instituta hac solemnitate per Urbanum IV. scripserunt, de processione silent, uti & ipse Urbanus in Bulla, quæ incipit: *Scimus*, inscripta Evæ reclusæ S. Martini Leodiensis; scribit quidem se festivitatem Corporis Christi instituisse; at de institutione processionis nihil. Extat hæc tomo 11. Concil. *col.* 817.

Itaque non apparet institutio processionis Urbano IV. adscribi posse, neque illam tunc temporis adhuc partem illius solemnitatis constituisse.

V. Verisimile est, eam seculo XIV. paulatim invaluisse; atque non simul in omnibus Ecclesiis, sed in aliquibus citiùs, in aliis seriùs fuisse institutam ad solemnitatem institutæ festivitatis augendam.

In Concilio Senonensi habito anno 1320. *loco* 1. hæc habentur: » Circa verò *processionem solemnem*, quæ dicta quin» ta feria fit à Clero & populo in *delatione dicti Sacramenti* » (Corporis & Sanguinis Domini) his diebus, cum quodam» modò divinà inspiratione introducta videatur, nihil quoad præ» sens injungimus, devotioni Cleri, & Populi relinquentes."

VI. Evidens hinc est, eo tempore in Ecclesia Senonensi notam fuisse solemnem processionem Venerabilis Sacramenti, eademque in Ecclesia Tornacensi anno 1325. notam fuisse, ex actu Capitulari dictæ Ecclesiæ probat Joannes Baptista Thiers in Dissertatione *in Expositione Venerabilis*, *lib.* 2. *c.* 1. uti & in Ecclesia Carnotensi anno 1330. ex quadam charta ejusdem Ecclesiæ, idipsum ibidem probat.

Quod ergo scribit Donatus Bossius Jurisconsultus Mediolanensis in Chronico ad annum 1492. » Anno Domini millesimo » quadringentesimo quarto, vigesima nona Maii, die Jovis Cor» pus Christi *solemniter*, ut postea factitatum est, per Papiam » urbem circumferri cœptum," nequaquam probat, tunc in Ecclesia primùm hujusmodi circumgestationem inchoatam (uti colligit Genebrardus) sed solummodo, quòd ante illud tempus Papiæ instituta non fuisset.

VII. Quidquid, sit, processionem cum Venerabili sub initium seculi XV. fuisse usitatam, sat innuit Martinus V. in Bulla quæ incipit: *Ineffabile*, 12. *in Bull. R.* Post duplicatas enim indulgentias, quas Urbanus IV. dederat iis, qui Officio Divino in festo Corporis Christi interessent, subjicit: » Illi » præterea, qui processiones, in quibus ipsum vivificum Sacra» mentum dicto festo juxta præfatarum Ecclesiarum ritus defe» retur, continuo secuti fuerint, centum dies singulis annis de» injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus."

VIII. Synodus Tridentina de hoc processionum usu tum in Ecclesia Latina recepto & stabilito *Sess.* 13. *cap.* 5. *de Eucharistia*: » Declarat piè & religiosè admodum in Dei Eccle» siam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculia» ri quodam & festo die præcelsum hoc & Venerabile Sacra» mentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, ut» que in processionibus reverenter, & honorificè illud per vias, » & loca publica circumferretur."

IX. Cum verò hæc Processiones præcipuè institutæ sint, ut debitus honor Venerabili Sacramento exhibeatur; atque populi erga idem Sacramentum devotio magis excitetur, Episcoporum, ac Pastorum est invigilare, ne per eam frequentiam populi devotio, & reverentia defervescat: nil Processionibus illis admisceatur, quod debitum cultum hujus Sacramenti imminuat, aut in illius vilipendium tendat, vel oculos Fidelium offendere, vel ab adoratione hujus Sacramenti eorum mentem avocare posset, quemadmodum latiùs *part.* 1. *tit.* 16. *cap.* 9. agendo de auctoritate Episcoporum in dirigendis & inducendis precibus publicis ostendimus.

X. Unà cum processionum ritu, credunt nonnulli, etiam publicam expositionem Venerabilis solius adorationis causa originem accepisse. Illud satis compertum, Eucharistiam multis seculis etiam in Ecclesia extra ipsius sumptionem & Missarum solemnia publicè populo ad adorandum expositam non fuisse.

XI. Hoc non proinde compertum est, num in ipsis Processionum initiis, Venerabile Sacramentum ità circumgestaretur, quemadmodum hodiè moris est, an verò quemadmodum in processione dici Parasceves fieri solet, velo aliquo compertum portaretur; quod verisimilius credit Joannes Baptista Thiers in citata dissertatione; creditque ex primævo illo usu, adhuc in quibusdam Ecclesiis superesse quasdam processiones, in quibus Sacramentum occultè sive contectum circumfertur: quin asserit necdum elapsos esse 120. annos à quibus in omnibus Galliæ Ecclesiis, etiam in processione solemni Festi Corporis Christi Sacramentum visibiliter delatum sit.

XII. Certum quippè apparet Sacramentum visibiliter non fuisse delatum ante usum *Ostensoriorum*; hæc verò multo recentiora esse ipsis processionibus omnes agnoscunt: neque eorum mentio reperitur in aliquo Concilio, aut Decreto alicujus Pontificis vel Episcopi ante Concilium Coloniense anno 1452. in quo statuitur » quòd deinceps ipsum Sanctissimum Sacramen» tum, nullatenus visibiliter in quibuscunque *Monstrantiis* po» natur, aut deferatur, nisi in Sanctissimo Festo Corporis » Christi cum suis Octavis semel in anno, in qualibet civitate, » aut oppido, seu Parochia, vel ex singulari indulto Ordinarii, aut » aliàs pro pace, aut alia necessitate imminente, ex indisposi» tione Rempublicam prægravante.

Hinc constat, seculo XV. Ostensoriorum, sive Monstrantiarum usum, saltem in aliquibus Ecclesiis, repertum fuisse; atque ipsum Sacramentum in illis positum fuisse visibiliter in processionibus delatum; sed num eodem tempore etiam extra processiones in altari ad adorandum publicè expositum fuerit, non perinde compertum est.

XIII. Admodum verisimile est, ut notat Joannes Baptista Thiers *in citata dissertatione*, *pag.* 225. publicam, & visibilem Sacramenti expositionem ex ipsius visibili in processione circumgestatione originem sumpsisse.

Cùm enim usus invaluisset, ipsum Sacramentum in plateis & Ecclesiis in processione exponendi, haud inconveniens visum fuit, illud quoque in altari aliove eminentiori loco extra tempus processionis ad adorandum visibiliter exponere; idque primùm durante Officio Divino, aut ejus aliqua parte in Festo Corporis Christi; deinde integro illo die; postmodum per ejus octavam; ac tandem nonnullis aliis diebus & solemnitatibus; atque ità sensim ad modernam disciplinam delapsi sumus.

XIV. Quamquam ergo agnoscere debeamus, ritum hunc publicè ac visibiliter ad adorandum Sacramentum Eucharistiæ exponendi esse recentiorem, illud tamen expeditum est, ritum hunc nihil ipsius Eucharistiæ institutioni, aut fidei Ecclesiæ Catholicæ contrarium continere; imò ejus legitimum usum ex ipsa fide Ecclesiæ probari.

XV. Supposita enim reali, ac substantiali præsentiâ Christi in hoc Sacramento, consequens est, ipsum non minus hîc sub speciebus *Panis & Vini* jam gloriosum latentem cultu Latriæ adorari posse, quàm eum Apostoli viventem, & mortalem adoraverunt.

Hinc Synodus Tridentina *Sess.* 13. *de Eucharistia*, cùm *capite* 4. asseruisset realem præsentiam Christi in Eucharistia, tanquam consequens infert *cap.* 5. » Nullus itaque dubitandi lo» cus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Ca» tholica Ecclesia semper recepto *Latriæ* cultum, qui verò Deo » debetur, huic Sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant." Et

Et Canone VI. ait: » Si quis dixerit in Sacro Eucharistiæ Sa» cramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu la» triæ etiam externo adorandum, atque ideò nec festivâ pecu» liari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum » laudabilem, & universum Ecclesiæ ritum & consuetudinem, » solemniter circumgestandum, vel *non publicè ut adoretur po» pulo proponendum*, & ejus adoratores esse idololatras; ana» thema sit. «

XVI. Porrò sicuti Episcoporum est, publicas Venerabilis Sacramenti circumgestationes, aliasque processiones ordinare & dirigere, ut & devotioni populi, & reverentiæ huic Sacramento debitæ subserviant; ita quoque penes Episcopos est auctoritas, hanc publicam Eucharistiæ expositionem ordinare, & dirigere: adeò quidem ut nec Regulares quantumvis exempti, Venerabile sine Ordinarii sive Episcopi licentia, seu alia ex causa quàm ab Episcopo probata, in suis Ecclesiis *publicè* exponere queant.

XVII. Hanc Episcoporum auctoritatem non semel probavit S. Congregatio Cardinalium; atque signanter, cùm anno 1644. super publica hac expositione quæstio incidisset inter Archiepiscopum Burdigalensem & Patres Dominicanos, re delatâ ad sacram Congregationem, & ritè examinatâ, missum fuit ad Cardinalem Grimaldum Nuntium Apostolicum in Gallia, & per eundem publicatum decretum tenoris sequentis; » Congregatio » Concilii censuit, non licere Regularibus, etiam in eorum Ec» clesiis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicè adoran» dum exponere, nisi ex *causa publica, quæ probata sit ab » Ordinariis.* «

XVIII. Conformiter ad hanc declarationem & ipsam auctoritatem Episcopalem, quâ intendere jubentur Episcopi omnibus, quæ ad populi devotionem ab Ecclesia sunt ordinata, declaravit Clerus Gallicanus anno 1655. nullos exemptos sive Seculares, sive Regulares posse exponere palam SS. Sacramentum, illudve deferre in publicis processionibus, nisi in solemnitate SS. Sacramenti, aut diebus devotionum extraordinariis pro publicis causis indictis, & *per Episcopum approbatis, obtentâque ejus permissione.*

XIX. Utque plura Synodorum decreta his consona omittam, anno 1661. Synodus Cataneënsis, cui præsidebat Michael Angelus *Bonadies*, Episcopus Cataneënsis quondam totius Ordinis FF. Minorum Generalis, hoc notabile in hac materia decretum emisit *Sess.* 1. *cap.* 4. *num.* 72. » Regulares quid in pro» priis Ecclesiis circa expositionem SS. Eucharistiæ facere pos» sint, docentur à decissione S. Congr. Ritûs, quam omninò » observari præcipimus sub multa interdicti Ecclesiæ, & Supe» riorum suspensionis. Nimirùm ne sine speciali Sedis Apos» tolicæ privilegio, quod nobis ostendere teneantur, illam ex» ponant absque causa, *quam approbare ad nos spectat*; & qui» dem illa publica esse debet, non verò privata... Quare Supe» riores omnes Regularium jubemus, intra mensem ab hujus Sy» nodi publicatione nobis demostrare, quibus temporibus Syna» xim in populorum conspectu dare hactenus consueverunt vi» lintque imposterum, ut *nos causas recognoscamus; & facultatem litteris obsignatam impertiamur*; qui negligentes fuerint, » annuam suspensionem incurrunt à Divinis. Declaramus præte» rea nemini Regularium licere extra claustra quacunque oc» casione, nobis *insciis & non approbantibus* cum Eucharistia » processionem instituere. «

XX. Addit insuper Clerus Gallicanus, fas non esse Ecclesiasticis, sive Regularibus, sive Secularibus, exemptis, vel non expemptis, se obligare per contractum vel conventionem quamcunque publicè & in aperto exponere Venerabile; aut recipere ullam fundationem eum in finem, nisi ex ordinatione, aut consensu Episcopi Diœcesani. In Actis Cleri Gall. *tom.* 1. *tit.* 2. *cap.* 4. *art.* 22.

Hanc Cleri declarationem, & ordinationem ut justam anno 1665. probavit Consilium privatum Parisiense; unà declarans, fas non esse PP. Dominicanis sine licentia Episcopi Eucharistiam in suis Ecclesiis palam populo exponere. In causa Episcopi Trecoriensis contra Dominicanos, uti latiùs refert Thiersius *lib.* 5. *cap.* 10.

XXI. Illud imprimis in hac expositione ab Episcopis, & Ecclesiarum Prælatis attendendum, ne ejus frequentia minuat reverentiam.

Hinc Synodus P. I. & II. Mechliniensis volens, ut extra Festum Corporis Christi ejusque octavam rariùs, & non nisi in arduis causis pacis & publicæ necessitatis vel utilitatis Venerabile in processionibus circumferatur, hanc allegat ratione: *Ne nimia frequentia minuat reverentiam.*

S. Carolus in sua Synodo Diœcesana XI. ait: Sanctissima » Eucharistia, ne quavis causa, sed publicâ tantummodò, eaque » gravi exponatur. «

Et rursus in instructionibus Sacramentalibus titulo de *expo» nenda Sacra Eucharistia in oratione quadraginta Horarum* statuit: » Coram Sanctissima Eucharistia oratio 40. Horarum in » Ecclesiis fiat, ubi Archiepiscopus statuerit, & quando id con» cesserit. Ne quavis causa tamen Eucharistia palam & apertè » exponatur, sed publica tantùm, eaque gravi: aliis verò de » causis orationem licebit instituere, sed *non Sacramento apertè* » exposito. «

Plura Synodorum, atque Episcoporum decreta, quibus hæc publica Eucharistiæ expositio restringitur ad causam publicam per Episcopum approbandam, adducuntur in sæpiùs allegata dissertatione Joannis Baptistæ Thiers. *lib.* 2. *cap.* 5. & sequentibus.

Inter cætera allegat hic auctor dicto *cap.* 5. querelam Joannis Gropperi Archiepiscopi Coloniensis omnibus ob præclara sua merita notissimi, de frequentiori Eucharistiæ expositione. » Venerabile Sacramentum, ait, in processionibus nimis cre» brò circumfertur, & populo plus nimio & plerumque palam » spectandum exhibetur. Hæc præterquam quod piis & Deum » timentibus non probentur, hæretici & improbi quique of» fendicula inde nascentia ad suas hæreses & improbitates sta» biliendas, ac tuendas arripiunt. «

Post hæc concludit: » Utinam Deus ea corrigat, iisque ut » ea corrigant, inspiret, qui ex ratione functionis suæ corrigere » jure obligantur. «

XXII. Si hodie viveret Gropperus, quid non diceret, dum quotidie etiam ex levissimis & privatis causis in omnibus passim Ecclesiis Venerabile exponi videmus; imò ad cujuslibet penè, nescio quam devotionem, Missas votivas cum expositione Venerabilis, modò sat pingue stipendium offeratur, celebrari conspicimus. Ex hac frequentia, quàm exigua sit populi in conspectu Venerabilis devotio, & reverentia, atque exterior Religionis cultus, omnibus notum est.

XXIII. Adhæc ex præcitatis S. Caroli istructionibus apparet, nequaquam ex mente hujus zelosissimi Præsulis, Sacram Eucharistiam palam exponendam esse in omni 40. Horarum oratione; quod nec pridem usitatum fuisse in simili oratione, tametsi ex causa publica instituta, probat Thiersius *lib.* 3. *cap.* 9.

Hodiè verò invaluit, ut nunquam penè in aliqua Ecclesia oratio instituatur, quin unà expositio Venerabilis adjungatur; quo fit, ut frequenter cum magno scandalo, & SS. Sacramenti vilipendio, & irreverentia, per majorem diei partem Venerabile uno, alterove præsente, quasi ad ostentationem, expositum maneat: quod haud dubiè sæpiùs maledictionem pro benedictione in populum attrahere natum est.

XXIV. Prætereà, si juxta Synodum Tridentinam in decreto de evitandis & observandis in celebratione Missarum Sacerdos Missam inchoare nequeat, » nisi priùs, qui intersunt, » decenter composito corporis habitu, declaraverint se mente » etiam, ac devoto cordis affectu non solùm corpore adesse, « quidni & Episcopi iis in Ecclesiis, eoque tempore Eucharistiam palam exponi meritò vetarent, in quibus prævident, & experientia notum est, eam non esse hominum ad Ecclesias illas convenientium devotionem, & reverentiam, quæ tanto Sacramento conveniat: imò multas passim in conspectu Venerabilis insolentias committi, confabulationes, aliaque subinde pejora frequentari.

XXV. Multum quoque ad excitandam populi devotionem & reverentiam erga Venerabile conducit, quòd exponatur convenienti cultu & ornatu.

In Concilio IV. Mediolanensi *part.* 2. *cap.* 3. statuit S. Carolus, ut dum Venerabile exponendum est, » Processio in ex» ponendo Sanctissimo Sacramento per Ecclesiam agatur, Lita» niis, statisque Antiphonis, precibus & orationibus, tum cereis » accensis: itidemque in eo reponendo servetur. «

Vult autem, ut huic processioni non minus quàm sex Clerici, licet ex alia Ecclesia essent advocandi, cum accensis cereis assistant.

» Cerei præterea in Altari accensi ad summum decem; mi» nimùm verò sex decenti crassitudine, ac longitudine colluceant. «

Hìc videmus, etiam in cereorum accensione moderationem voluisse S. Carolum: sciebat enim, in similibus ipsum quoque excessum Populi devotionem nonnunquam impedire, atque reverentiam imminuere.

Instructio pro Pastoribus civitatis & Diœcesis Leodiensis edita per Antonium Albergatum Nuntium Apostolicum in visitatione Apostolica anno 1613. *pag.* 29. decernit, ut Sanctissimum Sacramentum » debita cum reverentia honoretur, nunquam po» pulo adorandum exponatur, quin sint accensa ad minus sex » luminaria circa ipsum; multò enim melius est, ait, ut non ita » frequenter exponatur, & tunc cum debita reverentia, quàm ut » frequentiùs & sine debito obsequio, & reverentiæ significatio» ne id fiat; ut cum nostra animi commotione multis locis expo» ni vidimus, & invenimus. «

Conformia Synodorum & Episcoporum decreta plurima citat sæpiùs allegatus Thiersius *lib.* 5. *cap.* 8.

XXVI. Plurimum ad excitandum populi solidam devotionem valebit, si sedulò instruatur, quomodo & qua de causa Venerabile palam exponatur: ut nimirum Christus ibidem sub speciebus panis verè & realiter præsens, ut verus Deus pro nobis homo factus, cultu Latriæ adoretur; atque specialis memoria Passionis ejus recolatur: majorique quasi fiduciâ præsente Advocato nostro ad thronum gratiæ accedamus.

TITULUS V.

De Celebratione Missarum.

CAPUT I.

DE VARIA *Missæ* SIGNIFICATIONE ; NECNON LITURGIARUM, ET CÆREMONIARUM DIVERSITATE.

1 *Missa dicitur à missione seu dimissione populi.*
2 *Missa Catechumenorum à dimissione Catechumenorum.*
3 *Missa Fidelium à dimissione populi.*
4 *Missa olim in varia significatione etiam accepta.*
5 *Missa hodie summitur pro integra Sacrificii incruenti celebratione.*
6 *Quid de Missa sic accepta habeat Synodus Tridentina, & professio fidei.*
7 *Circa dogmata nulla est Ecclesiarum Catholicarum varietas, secus circa ritus.*
8 *Christus simpliciter Sacrificium illud celebravit, sicuti in Scryptura est expressum.*
9 *Dedit potestatem Apostolis, eorumque succesoribus ritus ordinandi, & immutandi.*
10 *Hac potestate usa est Ecclessia, dum à* jejuniis *Eucharistiam sumi voluit.*
11 *Quo ritu Apostoli Missam celebraverint.*
12 *Refertur ritus Missæ à Justino descriptus.*
13 *Ex descriptione hujus Liturgiæ convincitur falsitas Liturgiarum, quæ sub nomine Apostolorum circumferuntur.*
14 *Pace Ecclesiæ reddita plures ritus, & cæremoniæ additæ fuerunt.*
15 *Unde Ecclesiarum in cæremoniis varietas.*
16 *Mediolanensis Ecclesia speciali Liturgia utitur, eamque retineri voluit S. Carolus.*
17 *Hispani singulare officium habuêre, quod* Mozarabicum *dicebatur.*
18 *Quo tempore Hispani hoc officio abrogato receperint Romanum; & quid de antiquo supersit.*
19 *Ordo Gallicanus diversus fuit à Romano usque ad tempora Caroli Magni.*
20 *Quis fuerit antiquus ille ritus, inquirit Card. Bona.*
21 *Missalia Gallicana evulgavit in suo de Liturgia Gallicana opere Mabillonius ; & quid in illo contineatur.*
22 *Ipse ritus Ecclesiæ Romanæ non semper fuit idem.*
23 *Varietas rituum non officit unitati Fidei.*
24 *Unusquisque ritus suæ Ecclesiæ servare debet ; nec privatâ auctoritate ab iis recedendum.*
25 *Optandum, ut periti cæremoniarum Magistri constituerentur.*
26 *Ex horum ignorantia multa à Patrum antiquitate aliena inducta sunt.*
27 *Quædam ex Missa privata contra ordinem in Missam publicam irrepserunt.*
28 *Multa hodie in cæremoniis habentur pro lege ; quæ ex abusu irrepserunt.*
29 *Unde plura in Missis privatis sint obscura.*
30 *Ex mutatione disciplinæ, & Missæ abbreviatione magna in cærmoniis obscuritas ; & perturbatio orta est.*

I. NOmen *Missæ* esse latinum derivatum *à missione* sive *dimissione* populi, multis ostendit Cardinalis Bona *Lib.* 1. *Rer. Liturg. cap.* 1. §. 6. atque ita accipi in Concilio Carthaginensi IV. *Can. LXXXIV.* ubi dicitur : » Episcopus nullum » prohibeat usque ad *Missam* Catechumenorum, neque Hæreticum, neque Judæum, neque Gentilem, Ecclesiam ingredi & » audire Verbum Dei.“ Hoc est usque ad *missionem* Catechumenorum, qui post habitum sermonem ante offertorium clamante Diacono, *Catechumeni recedite*, exibant.

II. Et Augustinus serm. 49. *cap.* 8. *de Verbis Domini*, dum dicit : » Ecce post sermonem fit *Missa* Catechumenorum, manebunt fideles, venitur ad locum orationis“ quid aliud significatum voluit, quàm post sermonem, *missionem* seu dimissionem fieri Catechumenorum?

Unde S. Isidorus *lib.* 6. *de orig. vocum*, *cap.* 16. » Missa est » tempore Sacrificii, quando Catechumeni foràs mittuntur clamante Levita : *Si quis Catechumenus remansit, exeat foras*: » & inde *Missa*, quia Sacramentis Altaris interesse non possunt, » qui nondum regenerati noscuntur.“

III. Porrò sicuti *Missa* Catechumenorum dicta fuit à missione sive dimissione Catechumenorum; ita & Missa Fidelium, nomen accepit à missione sive dimissione Fidelium, clamante similiter Diacono : *Ite Missa est.*

Id non obscurè indicatur in Sacramentario S. Gregorii apud Pamelium, ubi descripto officio feriæ VI. Parasceves, tandem in fine dicitur : *Deinde communicat ipse, & omnis Clerus, & fiunt* MISSÆ. Ubi quoque ad marginem monet Pamelius : » Ex postre» ma hac clausula colligere est, cur *Missa* nuncupetur, nem» pe à *dimittendo* populo.“

Eodem sensu sumitur à Cassiano, dum *cap.* 13. *lib.* 2. *Instit.* ita inscribit : *Quare post Missam nocturnam dormire non oporteat*: id est, post missionem Monachorum à nocturnis officiis.

IV. Quamvis *Missa* primitùs dicta fuerit à *missione* seu dimissione, nihilominus hoc etiam constat, varias fuisse jam pridem *Missæ* significationes, neque nomen *Missæ* in eadem significatione ubique fuisse acceptum.

Missam pro quovis Ecclesiatico officio, quod in ædibus sacris peragebatur, interdum sumptam fuisse, præsertim in regulis Monachorum, ostendit Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rerum Liturg. cap.* 2. *num.* 3. & lactiùs Du Cange in Glossario, verbo *Missa.*

Missa quoque Catechumenorum olim accepta fuit, & hodie communiter accipitur pro ea parte liturgiæ, quæ Missam fidelium antecedit ; id est, ab introitu usque ad lectionem Evangelii ejusque expositionem inclusivè. Similiter *Missa* Fidelium sæpiùs appellata ea liturgiæ pars quæ sequitur Missam Catechumenorum usque ad finem.

Adhæc *Missa* frequenter sumitur pro festo alicujus Sancti, ut ostendit Du Cange loco citato ; notatque verisimiliter inde à Germanis, *Missæ* nomen indictum *nundinis* publicis, quæ ad alicujus Sancti festum vel Ecclesiam celebrari solent. Verbi gratia, *Francofuter-misse*, *Strasburger-misse*. Idem valet ac *Francofordienses*, & *Argentoratenses* nundinæ.

V. Denique sumitur *Missa* pro tota Sacrificii divini celebratione, quatenus comprehendit utramque, scilicet Catechumenorum & Fidelium Missam ; quæ acceptio posterioribus seculis adeò invaluit, & hodie communis est, ut recentiores, ait Bona, vix aliam agnoscant hujus nominis significationem. Notatque hinc theologum magni nominis errandi ocasionem accepisse, dum solùm nostri temporis usum attendens, quoties apud Cassianum & Benedictum *Missæ* nomen invenit, illud de sacrificio Missæ intellexit ; » ex quo sequeretur (ait Bona) pluries in die, imò » etiam post prandium Sacrificia olim à Monachis oblata ; quia » etiam pos Vesperas & Completorium illâ S. P. Benedictus suâ » phrasi utitur : *& Missæ sint, & Missæ fiant.* Hoc autem erro» re nihil absurdius.“

Interim hoc titulo de Missa tractaturi, eam in hodierna vulgari significatione pro ipsa Sacrificii divini integra celebratione accipiemus.

VI. De Missa ita sumpta, id est, pro incruento Altaris Sacrificio difinivit Synodus Tridentina : » Si quis dixerit, in » Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quod » offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum » dari, anathema sit.“

Item : » Si quis dixerit, illis verbis : *Hoc facite in meam com» memorationem*, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes: » aut non ordinâsse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerent Corpus & » Sanguinem suum, anathema sit.“

VII. Circa hæc dogmata, atque ipsam Sacrificii essentiam unus semper fuit omnium Ecclesiarum tàm Orientalium quàm Occidentalium consensus, uti latè ostendunt Theologi, qui ex professo veritatem horum dogmatum, atque Missæ Sacrificium contra hæreticos nostris temporis adstruxerunt.

At circa ritus, & modum peragendi ipsius Sacrificii varia fuit, tam pro temporum, quàm locorum diversitate disciplina.

VIII. Neminem latet, Christum Sacrificium illud incruentum in ultima Cœna instituisse illudque celebrâsse eo modo, quem apud tres Evangelistas Matthæum, Marcum & Lucam, nec non in prima epistola Pauli ad Corinthios descriptum legimus.

IX. Verùm etsi Christus Discipulis præceperit in ipsa institutione Sacrificii, ut quod à se factum fuerat, idem & ipsi deinceps in suam commemorationem facerent ; certum tamen est, ipsum Apostolis suis, totique Ecclessiæ, in eorum persona potestatem, autoritatemque dedisse, ea omnia in augustissimi hujus Mysterii ritibus seu cæremoniis addendi, demendi, immutandi, quæ illius dignitati, & populorum devotioni pro temporum, & locorum diversitate magis congruere judicarent.

De hac Christi intentione ita certus erat Paulus, ut eâ sibi traditâ potestate in Corinthiorum Ecclesia uti se posse significet, cùm

cùm ad eam scribit : *Cætera autem , cùm venero , disponam.* 1. Corint. cap. 11.

X. Persuasum quoque erat Augustino , Ecclesiam accepisse plenam mutandi hos ritus potestatem ; eaque usam esse sine temeritate aut arrogantia asserit , quando voluit , Eucharistiam à *jejunis* accipi ; quam à Christo Apostolis non jejunis , sed jam sumptâ cœna porrectam noverat. » Et ideò (ait) non præcepit, » quo deinceps ordine sumeretur , ut Apostolis , per quos Ec- » clesias dispositurus erat , servaret hunc locum.“ *Epist.* 54. §. 8.

XI. Quænam ipsi Apostoli circa modum , ritusque peragendi Sacrificii post Christum addiderint , aut immutârint , varia admodum fuit & antiquorum atque recentiorum scriptorum opinio , seu potiùs conjectura.

De liturgia,sive ritu celebrandi incruentum Missæ Sacrificium tempore Apostolorum, aut certè eorum, qui ipsis immediatè successerant, & ab ipsis instructi fuerant, nullum apparet luculentius & certius testimonium quam illa liturgiæ descriptio, quamvis breviter contracta , quâ Christianos crudelissimo persecutionis tempore , id est , circa medium seculi II. usos fuisse testatur , qui eodem tempore vixit, S. Justinus Martir in *apolog.* 2. quam ipse ethnicis Imperatoribus sub idem tempus obtulit.Neque enim credibile est , multas Liturgiæ tempore Justini post Apostolos factas fuisse additiones , aut immutationes ; cùm non longo post Apostolica tempora intervallo apologiam scripserit. Is enim á proximis decessoribus suis, ex quibus non pauci Apostolos audierant, & viderant, accipere potuit , quæ qualisque fuerit, cui sæpiùs interfuerant , eorum liturgia. Deinde per durissima persecutionum tempora Christianis non licuit in iis , quæ ab Apostolis acceperant , maximè verò in rebus liturgicis , plurima addere vel immutare. Adde , his primis persecutionum Ecclesiæ temporibus Christianos multò scrupulosiùs iis inhæsisse , quæ Apostoli scriptis suis , vivâ voce , exemplo , ac per manus ipsis tradiderant.

XII. Liturgiam sui temporis ita delineat Justinus : *Diæ solis,* id est , die Dominica , *omnes , qui in oppidis vel agris morantur conveniunt in eundem locum* : qui cùm nondum essent ædificata Christianorum templa , vel Ecclesiæ , domus quædam privata esse debebat. Deinde omnibus coactis , *commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum , quantum per tempus licet , leguntur.*

Post lectiones ac » lectore quiescente , Præsidens orationem, » quâ populum instruit , & ad eorum , quæ pulchra sunt, imi- » tationem adhortatur , habet. Tum simul consurgimus omnes, » & precationes fundimus , & sicuti jam diximus finitis precatio- » nibus nostris , panis offertur & vinum & aqua. Consimiliter » Præpositus ipse , quantum potest , vota & gratiarum actiones » effundit ; & populus fausté acclamat , dicens *Amen.* Et distri- » butio communicatioque fit eorum , super quibus gratiæ sunt » actæ , cuique præsenti ; absentibus autem per Diaconos mit- » titur.“

XIII. Hactenus Liturgia à Justino descripta prout seculo II. à Christianis fiebat ; quæ si conferatur cum Liturgiis , quæ sub nomine SS. Jacobi, Matthæi , & Marci, extant , facilè apparebit, eas tam esse à simplicitate Liturgiæ à Justino exibitæ remotas , ut licèt nullum aliud suppeteret argumentum , quo probaretur Liturgias illas non posse Apostolis illis adscribi , hoc unum sufficeret ; uti doctè ac solidè ostendit Vir eruditus Nicolaus de Nourry Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in suo apparatu ad Bibliotecam maximam veterum Patrum , *disertation.* 2. *cap.* 2. §. 10.

XIV. Illud equidem constat, pace Ecclesiæ reddita ipsa Missarum solemnia sensim majori cum pompa cœpisse celebrari ; plurimaque pro temporum , ac locorum conditione esse addita , & immutata.

XV. Et quidem , quia dispares diversarum Nationum mores & ingenia diversos ritus , & cæremonias , ut in politicis , ita & in ecclesiasticis exigunt, hinc in ritibus magna Ecclesiarum varietas , præsertim quia nullo extante de his Christi vel Apostolorum præcepto , libera potestas Episcopis relicta erat, id sentiendi , decernendi , quod unicuique salvâ fide magis expediens videbatur.

Quis nescit , quanta sit , & jam pridem fuerit inter Græcos & Latinos in his diversitas ; quamque horum liturgiæ diversæ; quanta rursus inter ipsas Orientales Ecclesias rituum varietas, quemadmodum ostendit Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rerum Liturg. cap.* 9.

Fuisse jam pridem etiam in Ecclesia Latina varias Liturgias diversarum gentium , ac regnorum notorium est.

XVI. Quis enim nescit aliam fuisse & hodie esse Liturgiam Ambrosianam , quâ usa jam pridem fuit , & nunc utitur Ecclesia Mediolanensis , à Liturgia Ecclesiæ Romanæ?

Liturgiam hanc Ambrosianam edidit Jacobus Pamelius tomo primo Liturgicorum. Ordinem autem Missæ Ambrosianæ compendiosè refert Cardinalis Bona loco citato *cap.* 10. Porrò ex ibidem relatis facilè videri poterit , quæ hanc inter & Romanam Liturgiam intercedat varietas. S. Carolus veteris Ambrosiani ritûs conservandi zelo , in Synodo sua Diœcesana III. *Decreto* 20. statuit : » Ne Sacerdos ullus, qui ritu Ambrosiano Mis- » sæ sacrum facere debet , id (Missam) per Quadragesimam *sextis feriis* , ne in Regularium quidem Ecclesiis faciat , etiam » vel funeris , vel exequiarum , vel alterius cujusvis rei oblata » causa.“ Et in Synodo XI. hujus antiquæ consuetudinis hanc reddit rationem ; » quòd illa dies plena mœroris sit ob acer- » bissimam Christi passionem ; Sacrificium verò spiritualem popu- » li præ se ferat lætitiam.“ Tum statuit , » illis ut diebus *Crux* in » Altari solemni ritu adoranda exponatur , & concio de Pas- » sione habeatur.“

XVII. Hispaniam pridem distinctum à Romano officium, sive ritum Missarum habuisse , in confesso est, dictumque fuit officium illud *Mozarabicum* : quia cùm Arabes Hispaniam penè omnem occupâssent , Christiani *Mixtarabes* , & corrupto vocabulo *Mozarabes* , id est , mixti cum Arabibus dicti sunt, atque inde officium eorum *Mozarabicum.*

XVIII. Quo tempore officium illud compositum sit , incertum est. Nonnulli credunt , S. Isidorum Hispalensem illius auctorem , alii verò cum Cardinale Bona illud esse Isidoro antiquius existimant. Quidquid sit illud indubitatum est, ritum illum diu in Hispania viguisse , neque ante tempora Gregorii VII. id est, seculum XI. ritum Romanum abrogato Mozarabico fuisse indictum. Extant ea de re variæ epistolæ Gregorii VII. è quibus constat , quanta difficultate id tandem hic Pontifex obtinuerit. Et primùm quidem à Sancio Rege Navarræ & Aragonum , quem propterea laudat *lib.* 1. *epist.* 63. ac deinde in Regno Castellæ , rem illam promovente Constantia Alphonsi Castellæ Regis uxore , quæ in Gallia enutrita, Romano officio à tempore Caroli M. illic recepto assueta erat ; quà de causa ipsum Regem laudat *lib.* 9. *epist.* 2. hæc inter cætera scribens: » Noverit excellentia tua dilectissima, » illud unum admodum nobis , imò Clementiæ divinæ placere, » quòd in Ecclesiis Regni tui , Matris omnium S. Romanæ Ec- » clesiæ *Ordinem* recipi , & ex antiquo more celebrari fe- » ceris.“

Tunc igitur in Hispania Romanus ritus abrogato Mozarabico receptus fuit ; qui tamen, teste Roderico Toletano *lib.* 6. *de Rebus Hispaniæ , cap.* 26. in aliquibus Monasteriis aliquanto tempore custoditus fuit. Et ne tantæ antiquitatis ritus omninò interiret , Franciscus Ximenius Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus superiori seculo Missale Mozarabicum recudi jussit , instituto Sacerdotum collegio , à quibus divina officia ritu illo usque in hodiernum diem celebrantur in Sacello , quod in Toletana Ecclesia ædificavit.

Ritum hunc compendiosè recitat Cardinalis Bona *cap.* 11. multaque notanda in illo occurrunt. Integram Missam exhibuit Jacobus Pamelius tom. 1. Liturgicorum ; & Vir eruditus Joannes Mabillonius in appendice probationum , ad Liturgias Gallicanas, *pag.* 440.

XIX. Ordinem Missæ Gallicanum olim diversum fuisse à Romano , manifestum est ex secunda interrogatione Augustini Anglorum Apostoli proposita S. Gregorio : » Cur , cùm » una sit fides , sunt Ecclesiarum consuetudines tam diversæ, & altera consuetudo Missarum est in Romana Ecclesia , atque » altera in *Gallicarum* Ecclesiis tenetur? «

Hanc diversitatem minimè negans Gregorius , scribit : » Mi- » hi placet , ut sive in Romana , sive in Galliarum sive in qua- » libet Ecclesia aliquid invenisti , quod plus omnipotenti Deo » possit placere , solicitè eligas....Non enim pro locis res, sed » pro rebus loca nobis amanda sunt. «

Hunc ritum conservasse Ecclesias Gallicanas usque ad tempora Caroli M. notat Mabillonius in præfatione ad Libros tres de Liturgia Gallicana ; ibidem una inquirens , quæ fuerit hujus mutationis causa.

XX. Quis fuerit antiquus ordo Gallicanus solicitè inquirere cœpit Cardinalis Bona , ac multa tandem inquisitione facta notas nonnullas hujus Ordinis ex antiquis Scriptoribus & Canonibus indicavit ; atque insuper duo antiqua Missalia , unum Bibliothecæ Vaticanæ , alterum Serenissimæ Suecorum Reginæ indicavit, quæ collata cum notis veteris Ordinis Gallicani, pro genuinis antiquis Missalibus , quibus Ecclesia Gallicana ante receptum ordinem Romanum usa fuit , habenda esse ostendit.

XXI. Hæc duo Missalia integra anno 1683. protulit in lucem Josephus Thomasius Clericorum Regularium in Urbe Presbyter tertio Missali addito , quod itidem ad priscum Gallicanæ Ecclesiæ ritum pertinere existimavit.

Deinde Vir rerum sacrarum studiosissimus Joannes Mabillonius libros tres composuit & evulgavit anno 1685. *de Liturgia Gallicana* , quorum tertius complectitur prædicta tria Missalia Gallicana à Thomassio jam ante publicata: additis hinc inde eruditis notis. Primum illorum vocat *Gothico-Gallicanum;* eò quod in usu fuerit apud Gallos *Gothorum* Imperio subjectos nempè apud Septimanos vel Novempopulanos. Hoc Missale exaratum fuisse ante annos nongentos , post Cardinalem

Bona asserit Mabillonius in prologo ad librum 3. *num.* 4.

Secundum Missale vocatur *Francorum*; idque præcipue ob mentionem *Regni Francorum*, quæ in benedictione Regum non semel occurrit. Tertium Missale vocatur, *Gallicanum vetus*.

Multa de antiquitate, ac ordine illorum Missalium discutit in citato prologo Mabillonius, asseritque, in primo scilicet *Gothico*, contineri purum Ordinem Gallicanum; in aliis verò Ordini Gallicano aliqua ex Ordine Romano admixta esse.

Præter tria hæc Missalia exhibet Mabillonius antiquum Ecclesiæ Gallicanæ *Lectionarium*: quod à se repertum dicit in Luxoviensi Benedictinæ Congregationis sancti Victonis percelebri Monasterio, litteris Franco-Gallicis seu Merowingicis ante annos mille scriptum. Continet verò Lectiones Prophetiarum, Epistolarum & Evangeliorum per totum annum in Missa, & in aliis majorum solemnitatum officiis recitandas.

Hoc Lectionarium unà cum eruditis, ac perquam utilibus notis & observationibus ad ejus antiquitatem demonstrandam, ac usum hujus vindicandum Ecclesiæ Gallicanæ; necnon obscuriora quædam illustranda, & pro veterum rituum notitia simul constituunt librum secundum Mabillonii.

In primo libro postquam de variis Ecclesiæ Latinæ Liturgiis breviter actum est, Gallicanæ indicia, veræque notæ asseruntur, expenduntur & probantur. Deinde facta ejusdem Liturgiæ Gallicanæ cum Mozarabica comparatione, totam ejus seriem ex Gregorio Turonensi, aliisque priscis monumentis eruit & illustrat. Deinde vetus sacræ supellectilis apud Gallos, Ecclesiarumque forma & apparatus describitur. Denique tam in exordio quàm fine libri ostendit ex antiquis Liturgiis Gallicanis eandem fuisse eo tempore Gallorum de Sacra Eucharistia & Missæ Sacrificio fidem, & persuasionem, quæ hodie est.

Evulgavit insuper ipse Mabillonius veterem codicem sub nomine *Sacramentarii Gallicani*, parte 2. tom. 1. Musæi Italici: quem invenisse se scribit in Bibliotheca percelebris & perantiqui Monasterii Bobiensis; eumque scriptum esse asserit ante annos mille, & quidem Litteris Majusculis: variisque argumentis contendit, ibi contineri ritum Gallicanum, præter Canonem, qui Romanus est: atque inde conjicit, Gallos priùs Romanum Canonem, quàm integrum Missæ ritum Romanum suscepisse.

Plurima admodum notanda & utilia circa ritus ecclesiasticos reperiet, qui dictos libros viri eruditi pervolvere voluerit: quibus libri duo Cardinalis Bona de Rebus Liturgicis magna quoque eruditione conscripti, addi meritò poterunt, ut rituum Ecclesiasticorum plena notitia habeatur.

XXII. Non tantùm Ecclesiarum Orientalium, necnon particularium Occidentalium in ritibus à se invicem & à Romana jam pridem fuit discrepantia; sed nec ipsa Romana Ecclesia eundem semper ritum retinuit, ut cuilibet notorium erit, si recentiores hodiernos ritus cum antiquioribus Missæ Ordinibus Ecclesiæ Romanæ contulerit: & nonnullis in exemplum adductis ostendit Mabillonius in Commentario prævio ad *tomum 2. Musæi Italici*, qui veteres Ordines Ecclesiæ Romanæ, cum aliis nonnullis antiquis monumentis eò pertinentibus complectitur.

XXIII. De hac rituum diversitate dici potest, quod jam pridem de variis Ecclesiarum consuetudinibus dixit S. Augustinus *Epist.* 36. ad Casulanum: » In his rebus, de quibus ni» hil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, vel institu» ta Majorum pro Lege tenenda sunt; de quibus si disputa» re voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, » orietur interminata luctatio.

Item quod Sanctum Ambrosium in simili materia sibi respondisse refert Augustinus *Epist.* 54. *num.* 3. » Ad quam fortè » Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuipiam non vis esse » scandalo, nec quemquam tibi. «

XXIV. Itaque singularium Ecclesiarum ritus, atque cæremonialia sive Ritualia servanda sunt: neque Presbyteris aliisve Ecclesiæ Ministris privata auctoritate ritum præscriptum immutare licet; eo etiam prætextu, quò contrarius ritus pristinæ Ecclesiæ disciplinæ esset conformior; videreturque magis ad excitandam populi devotionem, necnon explicanda Mysteria aptior & convenientior.

» Novæ cæremoniæ nullæ in Ecclesiis recipiantur sine Epis» copi judicio, « ait Synodus P. I. Cameracensis *tit. de cultu & cæremoniis*, *cap.* 6.

Similiter Synodus P. II. *tit.* 3. *cap.* 7. » interdicit quibus» vis Sacerdotibus, ne quidquam in officio Missæ, maximè in » Canone, etiam prætextu pietatis intermiscere, aut novas cæ» remonias inducere præsumant. «

XXV. Et capite primo præceperat, ut » deputent quam» primum Episcopi cum suis Capitulis viros aliquos in Offi» cio Divino, ac cæremoniis ad illud pertinentibus exercitatos, » qui imprimis cæremonias ipsas scripto mandent, ac etiam dic» torum veterum usum repurgationi, & novæ editioni incum» bant; quibus peractis, non liceat dictis Parochialibus, & in eis» dem Beneficialibus, etiam privatim uti alio usu quàm Eccle» siæ Cathedralis. «

Optandum, ut periti essent cæremoniarum Magistri, qui non tantùm modernorum, sed & antiquorum rituum veram ac germanam notitiam haberent.

XXVI. Ut enim rectè animadvertit & deplorat harum rerum notitia excellens Joannes Mabillonius in commentario prævio ad *tom.* 2. *Musæi Italici*, *cap.* 21. » qui novos sacrorum ri» tuum libros novissimis temporibus scripserunt, mirum est, » quantum sibi tribuerint in pervertenda venerabili antiquitate, » cujus institutiones, nedum institutionum rationes, omninò ig» norabant. Cumque quod suo tempore fieri cernebant, id om» nibus retro seculis semper actitatum fuisse autumarent, pro» babiles ut sibi videbantur, receptæ novitatis rationes adin» venerunt, quæ penitùs veterum sententiis non rarò ad» versantur. «

Nonnulla illius exempla ibidem profert Mabillonius; plura in suo opere de rebus Liturgicis Cardinalis Bona, ac signanter *lib.* 2. *cap.* 7. §. 3.

XXVII. Inter alia observat Bona ibidem, quod antiquitùs cùm Evangelium in ambone legebatur, erantque in templo distincta loca pro viris & mulieribus, Diaconus verteret se adversus meridiem ad partem *virorum*; at nunc se vertat ad aquilonem, partem *mulierum*; eamque mutationem ex Missis privatis ex quodam abusu in Missas publicas irrepsisse, notat ex Micrologo *de Eccles. observ. cap.* 9.

XXVIII. Deinde subjicit hoc generale monitum: » Hinc » patet, quàm verum sit, quod à nobis in hoc tractatu sæ» pius inculcatur, multa hodie pro lege haberi in his, quæ per» tinent ad ecclesiasticas observationes, quæ sensim abusu ir» repserunt, quorum originem cùm recentiores ignorarent, va» rias conantur congruentias, & mysticas rationes invenire, ut » sapienter instituta vulgò persuadeant. Porrò isti, ut scitè Hie» ronymus de Origine dixit, ingenii sui adinventiones faciunt » Ecclesiæ Sacramenta. «

XXIX. Sicuti nonnulla in Missam publicam & solemnem è Missis privatis sensim introducta sunt, quæ nullatenus illis conveniunt; ita quoque non pauci ritus seu cæremoniæ in Missis privatis adhiberi soliti, difficulter intelliguntur, ac ipso Sacrificio parùm convenientes videntur, eò quòd primitus non Missis privatis, sed publicis instituti sint. Uti enim advertit Cardinalis Bona *lib.* 1. *cap.* 13. §. 2. » Ab initio sic sacrificium » principaliter institutum fuisse, ut publicè ac solemniter fie» ret, Clero & populo astante, offerente, ac communican» te, ipse tenor Missæ, & veteris Ecclesiæ praxis evin» cunt. «

XXX. Adhæc ritus Missæ eo tempore plerique ordinati præscriptique fuere, quando adhuc populus oblationes suas inter Missarum solemnia solemni ritu offerebat, & quando non tantùm specialiter, se etiam sacramentaliter communicabat; quando item frugum aliorumque benedicendorum benedictiones in ipsa Missa peragebantur: quæ dum partim abolita, partim, tepescente successu temporis populi fervore, ne Missa prolixior esset, ab ea sejuncta fuerunt, magna rituum obscuritas, quin & perturbatio contigit; uti monet Cardinalis Bona *lib.* 2. *cap.* 14. §. 5.

CAPUT II.

De Missa publica sive Parochiali.

1 *Missa publica olim dicta à Conventu populi cum suo Pastore.*
2 *Conventus hic unitatem Ecclesiæ repræsentat.*
3 *Qui à Missa publica sive Parochiali se absentabat, ab Ecclesiæ unitate recedere credebatur.*
4 *Nullus alienum Parochianum ad Missarum solemnia recipere potest.*
5 *Ante seculum XIV. de obligatione frequentandi Missam Parochialem dubitatum non legitur.*
6 *Seculo XV. exortâ super hac obligatione controversiâ, declaratum est, populum de jure teneri Missam Parochialem frequentare.*
7 *Synodus Tridentina eandem obligationem supposuit, & Synodi Belgicæ expresserunt.*
8 *Missæ peculiares ita in publico fieri vetantur, ne populus à Missa Parochiali abstrahatur.*
9 *Missæ fundationum & Confraternitatum ita celebrandæ, ut per eas à Parochiali non abstrahatur populus.*
10 *Officia in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis & Monasteriis ita ordinanda, ut populus à Parochiali officio non impediatur.*
11 *Missa Parochialis statutâ horâ semper celebranda.*
12 *Non differenda aut acceleranda ad nutum nobilium.*
13 *Ut populus magis ad frequentationem Parochiæ excitetur, decretum, ut Parochialis majores campanas habeat.*
14 *Olim etiam juridicè contra absentes à Missa Parochiali procedebatur.*
15 *Hodie feresolis monitionibus.*

Mis-

16 *Missa Parochialis specialiter pro populo offertur.*
17 *Antiquitùs instructio populi pars erat Missæ Parochialis.*
18 *Synodus Tridentina vult, ut inter Missarum solemnia fiat Parochorum instructio.*
29 *Hodie in Ecclesiis ruralibus id observatur; atque observari voluit S. Carolus.*
20 *Canones urgentes Missæ frequentationem, unà urgent auditionem Verbi Dei in Parochia.*
21 *Potissimum ob Concionem in Missa Parochiali habendam ejus frequentatio urgetur.*

I. MIssa publica dicta est jam pridem non à loco, quia & olim in cryptis, abditisque locis agebatur; sed à conventu populi circumstantis, offerentis, & communicantis, ait Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rerum Liturg. cap.* 13. *num.* 3.

De hac Missa loquitur Sanctus Gregorius *lib.* 4. *Epist.* 43. vetans in Monasteriis Monachorum, » Missas publicas per Epis» copum fieri; ne in servorum Dei secessibus occasio præ» beatur popularibus *Conventibus*, & simpliciores ex hoc ani» mas plerumque, quod absit, in scandalum trahet; frequen» tior quoque introitus mulieribus arceatur. «

Et *lib.* 4. *Epist.* 46. scribit Felici Episcopo Pisauriensi, cùm ipsi mandatum esset, ut locum sive Oratorium Monasterii absque Missis publicis dedicaret, ad se delatum esse, quòd nihilominus Cathedra positâ Sacra illic publicè Missarum solemnia celebrentur. » Quod si verum est (ait Gregorius) his » vos hortamur affectibus, ut omni excusatione cessante, Ca» thedram vestram exinde amoveri modis omnibus faciatis, nec » denuo illic Missas *publicas* peragatis. «

Similiter *lib.* 2. *indict.* 10. *epist.* 9. Item *lib.* 7. *indict.* 2. *epist.* 72. vult Oratorium Monasterii absque Missis *publicis* solemniter consecrari; ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec Presbyter constituatur Cardinalis, id est, Parochus, ut ostendimus *part.* 1. *tit.* 22. cap. 1.

II. Hinc haud obscurum est, antiquitùs Missas *publicas* dictas fuisse illas, ad quas populus unà cum suo Pastore conveniebat.

Cùm enim *una* sit Ecclesia Catholica, quæ ex singulis particularibus Ecclesiis coalescit, eodem vivens spiritu, isdemque sub eodem Pastore communicans Sacramentis; etiam quæque particularis Ecclesia Parochialis una est, quæ suo modo generalem illam Sanctorum Fidelium communionem repræsentat, Pastorem habens proprium, à quo regi debeant membra singula, foveri, ac nutriri, ut *part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. ostensum est.

III. Itaque vetat S. Gregorius in Oratoriis Monasteriorum Presbyterum *Cardinalem* ordinari, aut Missas *publicas* celebrari, hac quoque inter alias ratione, uti notat Eruditus Revisor Operum S. Gregorii in notis ad *epist.* 9. *lib.* 2. *indict.* 10. quia verebatur, ne per alias Missas extra Matrem Ecclesiam celebratas, distractis populis, *unitas* tam sancta solveretur.

Eadem Sardicensis Concili *Canone XV.* mens fuisse videtur, dum vult, ut Episcopus, si quando necesse est eum ruri morari, accedat ad proximum locum, in quo *Presbyter est, ne sine* ECCLESIA *videatur facere diem Dominicum.*

Et Canone XIV. dum dicit, in superiore Concilio constitutum fuisse, ut si quis Laicus in ea, in qua commoratur civitate, tres Dominicos dies, id est, per tres septimanas non celebrâsset *conventum*, communione privetur; ibidem per *conventum* intelligere conventum populi ad publica Missarum solemnia, ubi unà cum suo Presbytero sive Pastore populus congregatus, quasi *unam* Ecclesiam constituit, communiter tradunt Canonistæ, & expressè supponit S. Carolus in Concilio suo VI. Mediolanensi, ex illo Canone obligationem frequentandi Missam Parochialem astruens.

Ad hunc quoque Canonem indubiè reflexit Synodus VI. *Can. LXXX.* decernens, » ut si Clericus in Civitate agens tri» bus diebus Dominicis in tribus septimanis unà non conveniat, » deponatur; Laicus verò segregetur. «

IV. Huic obligationi ut satisfieret, jam pridem in Concilio Nannatensi cautum fuit *Can.* 1. » Ut Dominicis & Festis die» bus Presbyteri, antequam Missas celebrent, plebem inter» rogent, si alterius Parochianus in Missa sit, qui proprio con» tempto Presbytero, ibi Missam velit audire. Quem si inve» nerint, statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam Parochiam » redire compellant. «

Refertur hoc decretum apud Gratianum *caus.* 9. *quæst.* 2. *Can.* 4. ac inde relatum in Decretales Gregorii IX. in *cap.* 2. *de Parochiis*, partem juris communis constituit.

In Concilio Nannatensi *Can. V.* additur: » ut nullus Presby» ter alterius Parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placi» tum ibi habuerit, ad Missam recipiat. «

V. Et sanè hæc obligatio tam perspicuè sacris Canonibus expressa est, ut ante seculum XIV. aut XV. vix dubitatum fuisse legatur, an de jure tenerentur fideles diebus Dominicis & Festis Missarum solemnibus in propria Parochia interesse. At seculo XIV. & XV. nonnulli Fratrum Mendicantium, cœperunt prætendere juri illi per privilegia Ordinibus illis à nonnullis Pontificibus indulta, esse derogatum.

VI. Ac signanter suscitata fuit hæc controversia sub finem seculi XV. in Germania, ac præsertim in oppido Eslingensi Diœcesis Constantiensis, inter Parochos, & nonnullos Ecclesiarum Prælatos ab una; & nonnullos Prædicatorum, Minorum, & Carmelitarum Ordinum Professores, ex altera parte. Controversia delata ad Sixtum IV. qui ex Ordine Minorum ad Pontificatum fuerat assumptus, partibus utrimque coram Commissariis auditis, atque rationes utrimque allegatis maturè discussis, tandem ann. 1478. 17. Junii Sixtus IV. quæstionem decidit edita Constitutione, quæ incipit: *Vice illius*, relata in Corpore Juris in *Extrav.* 2. *de Treuga & Pace*, *in Communibus*, ubi inter alia ordinat: » Ut Fratres Mendicantes non præ» dicent, populos Parochianos non teneri audire Missam in eo» rum Parochiis diebus Festis & Dominicis; cùm jure cautum » sit, illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum » *Parochiali* Ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ec» clesia se absentarent. «

Hîc notandum, Pontificem nequaquam per hanc constitutionem jus novum voluisse condere; sed simpliciter declarâsse, ita de jure cautum esse, neque huic juri per privilegia, uti Fratres mendicantes prætendebant, esse derogatum: ideoque in fine addit, hanc declarationem esse servandam, *non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ac* PRIVILEGIIS *eisdem Fratribus in genere vel in specie concessis.*

VII. Huic juri insistens Synodus Tridentina *Sess.* 22. *Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*: » Mo» neant (locorum Ordinarii) etiam eundem populum, ut fre» quenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis & ma» joribus festis accedat. «

Synodi Belgicæ passim idipsum urgent: monetque Namurcensis anno 1639. *tit.* 3. *cap.* 27. » Parochiani, etsi vicini ali» cui Capellæ sub finibus Parochialis structæ, præcipuis anni » festivitatibus & in Dominicis Ecclesiam Parochialem frequentare » non omittant; qui verò tribus continuis Dominicis ab illa se » absentaverint, admoneantur primum à suis Pastoribus, & si » monitionem contempserint, ad nos deferantur (d). «

VIII. Et quidem sub nomine S. Augustini legitur apud Gratianum *Dist. de Consecrat. Can.* 52. » Et hoc attendendum est, » ut Missæ peculiares, quæ per dies solemnes à Sacerdotibus » fiunt, non ita in publico fiant, ut propter eas populus à *pu» blicis* Missarum solemnibus, quæ hora tertia canonicè fiunt, » abstrahatur. «

Hæc quidem per errorem tribui Augustino, & esse desumpta è Capitulari S. Theodulphi Episcopi Aurelianensis *cap.* 45. quod circa annum 797. editum fuit, notârunt Correctores Romani: at illud interim constat hîc de Missa Parochiali agi, atque Missas peculiares vetari in publico fieri, ne ab ea populus abstrahatur.

IX. Concilium Senonense anno 1528. *cap.* 15. vult, ut siquæ Missæ ex tenore fundationis dici debeant die Dominico, *non dicantur, nisi post Missam Parochialem.* » Deinde monet » Episcopos, non facilè admittant fundationes Capellarum, qui» bus ordinatur celebratio Missæ die Dominica, ea potissimum » hora, qua populus universus convenire debet ad audiendum » divina, præceptaque Dei & Ecclesiæ. «

Concilium Rothomagense anno 1581. *tit. de Curatorum & Parochorum Officiis*, *num.* 23. hæc decernit. » Quoniam vide» mus multos adduci ad præceptorum Ecclesiæ, & ministrorum » ejusdem contemptum, non facilè admittantur fundationes & » erectiones Capellarum & fraternitatum, in quibus ordinatur » *celebratio Missæ* Dominico die, *ea potissimum hora*, qua » populus universus convenire debet ad audiendum divina præ» cepta Dei & Ecclesiæ. In Missis verò Charitatum, atque alia» rum Fraternitatum ab antiquo eo die constitutarum, nec aqua, » nec panis benedicantur: & inter illarum Missarum solemnia » moneatur, non esse prætermittendas Missas Parochiales prop» ter assistentiam in ea Missa; quæ ex devotione & consilio ce» lebratur. Quisquis verò Presbyter in alia Missa, quàm paro» chiali, aquam, & panem benedixerit, sit suspensus à divinis. «

X. Quin in Concilio Turonensi anno 1585. *cap.* 15. cautum est » ne prætextu Divinorum Officiorum, quæ in aliis Eccle» siis, quàm paroecialibus celebrari solent, revocari, aut dis» trahi possint, majorem Missam & Vesperas in Ecclesiis Cathe» dra» tis diebus & Dominicis, aut saltem ex tribus Dominicis al» tera, jure tenentur sistere se præsentes Missæ Parochiali; ad » hujus verò legis observationem, adhibitis etiam Ecclesia Cen» suris ab Episcopis compelli possunt. «

(d) *Ex dictis concluditur jure tum veteri, tum novo teneri fideles interesse Missæ Parochiali diebus Dominicis & Festis; quapropter Clerus Gallicanus in Comitiis, quæ Parisis anno* 1655. *habita sunt, sequens decretum edidit.* » *Fideles Fes-*

» thedralibus, Collegiatis, & Monasteriis post parœciale offi-» cium peractum, tantùm debere inchoari decernimus. Quod » ut fiat commodiùs, Episcopi seu eorum Officiales, ipsis Rec-» toribus seu parœcis certas horas quibus majorem Missam & » Vesperas in suis Ecclesiis celebrare teneantur, ita præscri-» bant, ut parœcialibus divinis peractis, ipsi parœciani ad Ca-» thedralem & Collegiatas, aliasque Monasteriorum Ecclesias, » ad divina in his audienda, pro sua devotione se transferre » valeant. «

Conformiter ad hos Canones & ecclesiastica decreta anno 1574. declaravit Officialis Metropoliticus Senonensis, Presbytero fas non fuisse, tempore Missæ Parochialis in eadem Ecclesia celebrare Missam *privatam*, contradicente Parocho, quam sententiam Parlamentum Parisiense confirmavit; quantumvis allegaretur & probaretur contrarius usus in omnibus Ecclesiis ejusdem civitatis: uti post Renatum Choppinum refert Fevretius de *abusu lib.* 3. *cap.* 1.

XI. Insuper ut populus ad Missam Parochialem frequentandam incitetur, decretum est, ut Parochi statuta eâque populo commodiori hora Missam Parochialem diebus præsertim Dominicis & festis celebrent. » In omnibus pagis totius Provinciæ » Misa Parochialis Dominicis & festis diebus *serta* & *eadem* ho-» ra semper fiat, quacunque ratione in contrarium non obstan-» te, sub pœna arbitraria; ait Synodus P. II. Mechl. *tit.* 12. » *cap.* 6. «

Hanc horam pro Diœcesi Mechliniensi determinans Synodus Diœcesana anno 1609. *tit.* 11. *cap.* 6. » Mandat ut à Festo » Paschæ usque ad Festum S. Remigii, seu Kalendas Octobris, » Misa Parochialis celebretur horâ octavâ, vel circiter; à Ka-» lendis verò Octobris usque ad Pascha horâ nonâ. «

Eandem horam per totam Provinciam servari voluit Synodus P. I. Cameracensis titulo *de Cultu, cæremoniis, & officio divino*, *cap.* 15. & innovavit Synodus P. II. *tit.* 3. *cap.* 10. » Eamque uniformiter & exactè per totam Provinciam, quacun-» que in contrarium allegatione non obstante, mandat servari, » sub pœna *suspensionis à Divinis* ipsis Parochis contravenientibus infligenda, nisi fortè superveniente Concionatore horam » servare nequeant. «

XII. Monet Synodus Turonensis anno 1583. *cap.* 8. ut Missam Parochialem Parochi celebrent hora convenienti; » nec » priùs aut tardius celebrent hi, quibus incumbit, etiam Nobi-» lium, aut aliarum personarum favore, aut precibus, minis » seu comminationibus in contrarium non prævalituris. «

Et Synodus Bituricensis anno 1584. *tit.* 23. *Can. VIII.* ait: » Non celebretur Missa Parochialis ad nutum Nobilium, aut » Laicorum, sed consueta & opportuna hora. «

XIII. Eodem motivo, nimirùm promovendi officium sive Missam Parochialem, jam pridem constitutum, ut Ecclesia Parochialis plures, easque majores campanas habeat, quarum pulsu populum ad officium convocet: Regularium verò Ecclesiæ & particularia sacella sive oratoria unam tantùm campanulam habeant. *Extrav. un. de Officio Custodis*, *in Comm.* quam in Concilio Mediolanensi IV. *part.* 1. *tit. de Campanis*, innovat S. Carolus his verbis: » Parochialis Ecclesia, si campanas tres, » grandiorem scilicet, mediam, & minimam habere non pos-» sit, saltem duas, ubi fieri potest habeat, easque distinto » soni concentu inter se rectè consentientes, pro varia Divino-» rum Officiorum, quæ fiunt, ratione & significatione. Sim-» plex Ecclesia, Oratoriumve, unam tantùm campanulam ha-» beat, ut Joannis XXII. Pontificis constitutione sancitum est. «

XIV. Ex his patescit, quanta fuerit solicitudo Pastorum, ut populus ad Missam Parochialem accederet: quin & olim in more fuisse, ut qui à Missa Parochiali abessent, etiam juridicè coram Episcoporum Officialibus puniendi convenirentur, constat ex variis Synodorum decretis; & signanter ex concordato inito an. 1542. inter Episcopum Cameracensem, & Consiliarios Regios Hannoniæ, quo conventum est, quòd » qui Mis-» sam Parochialem non audient, imposterum non citabuntur, » nisi qui abfuerint diebus solemnibus, aut abesse consueverint » sine excusatione legitima, unde malum exemplum aut scan-» dalum oriatur. «

XV. Citatio juridica ob omissam Missam Parochialem hodie fieri non solet; neque censuris, mulctisve ad frequentationem populum urgere solent Episcopi; sed monitionibus contenti; populo tum suis decretis, tum per Parochos, aliosque Concionatores obligationem, & fructum inde provenientem proponere consueverunt; conformiter ad Synodum Tridentinam, quæ vult, » ut Episcopi moneant populum, ut frequen-» ter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis, & majoribus » festis accedant. «

XVI. Ut autem facilius intelligatur, qua ratione tantopere Missa Parochialis præ cæteris commendata fuerit; ipsiusque frequentationem tantoperè urserint, notandum, quòd ipsa Missa Parochialis primariò sit instituta, ut in illa unius particularis Ecclesiæ populus unà cum suo Pastore adunatus, uno animo, unoquoque spiritu Deum oret, atque Sacrificium offerat, atque Parochus specialiter pro populo preces & Sacrificium ad Deum dirigat.

XVII. Præterea ex mente Ecclesiæ, in Missa Parochiali non tantùm Evangelium legi, aut cantari debet, sed etiam explanari, & à Parocho populus instrui; sive ipsa concio Missæ Parochiali jungi debet.

Veteris enim instituti est, ut mox Evangelio recitato ipsius sequatur explanatio, quam hodie *Concionem* dicimus. » Hic mos » (ait Bona *lib.* 2. *Rerum Liturg. cap.* 7. *num.* 6.) nunquam » interrupta serie ab initio Ecclesiæ usque ad nostra tempora ser-» vatus est, ut proximè post Evangelium sermo sive homilia, » vel tractatus ad populum haberetur. «

XVIII. Hunc morem non obscurè supposuit Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 8. *de Sacrificio Missæ*: » mandans Pas-» toribus & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter » Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios ex iis, quæ » in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera Sanc-» tissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus » præsertim Dominicis & festis.«

Atque generaliter *Sess.* 24. *cap.* 7. *de Ref.* præcipit, ut Episcopi curent, ut Parochi » inter Missarum solemnia, ac di-» vinorum celebrationem *sacra eloquia* & salutis monita vernacu-» lâ linguâ singulis diebus festis, vel solemnibus explanent.«

Itaque supposuit Synodus Tridentina, inter Missarum solemnia à Parochia *sacra eloquia* populo esse explananda; atque ita conciones Parochiales debere fieri in ipsa Missa Parochiali; ut sicuti lectio Evangelii, ita ejusdem explanatio partem quodammodo Missæ constituat.

XIX. Ita videmus in omnibus Parochiis ruralibus concionem immediatè post Evangelium haberi; idque ut ubique servaretur, S. Carolus desiderabat. » Curent Episcopi, quòd ve-» teris Ecclesiæ instituti est, sermonem sacramve concionem » ubique inter Missarum solemnia potissimum haberi, sive ab » illo eodem Sacerdote, qui Missam tunc celebrat, canitve, si-» ve ab alio habeatur.« Concil. Mediol. IV. part. 1. tit. *de Verbi Dei prædicatione.*

XX. Nequaquam proinde mirum videri debet, in sacris Canonibus, atque Pontificum decretis frequentiùs urgeri obligationem frequentandi Missam Parochialem, quàm obligationem audiendi Verbi Dei in Parochia. Cùm enim instructio populi, sive explanatio Evangelii juxta Ecclesiæ institutum esset pars quædam Missæ; urgendo Missam Parochialem, etiam urgebatur auditio Verbi Dei in Parochia.

XXI. Unde Episcopi urgentes Missæ Parochiales frequentationem, ejusque utilitatem, eam potissimùm ex instructione à Parocho fieri solitâ petunt.

Atque signanter anno 1594. Archiepiscopus Cameracensis, & Episcopus Atrebatensis in suis Litteris Pastoralibus declarantes, quòd Fideles ipsis subditi obligarentur, & tenerentur audire Missam Parochialem in Dominicis, & festis solemnibus, nisi ob legitimam aliquam causam se absentaverint; quodque consuetudo à mille & ampliùs annis frequentandi Missam Parochialem fuerit custodita magno cum animarum profectu, & consolatione, Ecclesiæ disciplinæ manutentione, Ecclesiarum Parochialium decenti ordine, & decore, tandem fideles suos alloquentes subjiciunt: » In quibus comparentes ultra persolutio-» nem servitii Deo à vobis debiti, Sancto nimirùm Missæ Sacri-» ficio interessendi, Dei verbo reficimini; insuperque instrui-» mini, quomodò debeatis vos regulare, tam erga vos ipsos fa-» miliamque vestram, quàm proximum vestrum: annuntiato » vobis per Pastorem in particulari, quomodo vos ipsos per to-» tam hebdommadam dirigere debeatis: Quæ festa, jejunia & » abstinentiæ sint observandæ: Quæ peculiares preces, quæ erga » infirmos, captivos, aliosque afflictos misericordiæ opera sint » exercenda; ubi publicationem matrimoniorum intelligitis, quæ » de impedimentis respondere possitis, & similia multa, quæ » vestræ instructioni, & in bonos Christianos educationi deser-» viunt.«

CAPUT III.

De Missa privata.

1 *Missa privata quæ hodie dicatur.*
2 *Quæ dicatur* solemnis.
3 *Olim Missa* Legitima *dicebatur, cui aderant offerens, & communicans præter Sacerdotem.*
4 *Missa primùs instituta, ut assistentes etiam communicarent; solique communicantes interesse sinebantur.*
5 *Disciplina communicandi quomodo ad solos altaris ministros redacta.*
6 *Optat Ecclesia, ut assistentes Missæ Sacrificio etiam Sacramentaliter communicent.*
7 *Parochi meritò allaborant, ut populus volens communicare, intra Missam communicet.*
8 *Ostendendum populo tempus legitimum communicandi esse post Communionem Sacerdotis.*

Ora-

9 *Orationes specialiter recitantur pro communicantibus in Missa.*
10 *Communio est quasi pars ipsius Sacrificii.*
11 *Communio in Ecclesiis per XII. secula, vix extra Missarum salemnia populo distributa.*
12 *Rituale Romanum hanc disciplinam expressit, uti & Sanctus Carolus.*
13 *Retinetur in omnibus Communitatibus Ecclesiasticis.*
14 *Antiquitùs præter communicantes requirebatur assistentia populi, ut Missa diceretur* publica.
15 *Seculo IX. invaluerunt Missæ privatæ, quæ solitariæ dictæ, & in Monasteriis primùm frequentatæ fuerunt.*
16 *Hæ à pluribus Synodis reprobatæ.*
17 *Missæ illæ dicebantur à solo Sacerdote, nemine assistente aut ministrante.*
18 *Videntur Veteres voluisse, ut plures assisterent Missæ; & quare.*
19 *Duo Ministri etiam in Missis privatis aliquando requisiti videntur.*
20 *Petrus Damianus* solitarias *Missas propugnavit.*
21 *Ex argumento Damiani consequens videtur solo* jure positivo *Ministrum in Missa requiri.*
22 *Missæ solitariæ hodie prohibitæ, & privatæ hodie justo frequentiores.*
23 *Antiqui Canones volunt adhiberi Clericum; quod & functio requirere videtur.*
24 *Synodi Belgicæ id ipsum non obscurè requirunt.*
25 *S. Carolus apertè requisivit.*
26 *Voluit Clericum probatum.*
27 *Insuper requisivit, ut ministret in habitu clericali, & decenti; quod & aliæ Synodi requirunt.*
28 *Clericus Missæ assistens non debet aliis intendere.*
29 *Mulieribus vetitum Missæ ministrare; vel ad altare accedere.*
30 *Indignum, quòd Missæ assistant pueri etiam immorigeri, ac petulantes.*
31 *Sanctitati, ac dignitati Sacrificii hic usus repugnat.*
32 *Sacrificium per hujusmodi pueros profanatur.*
33 *Usus hic repugnat Synodo Tridentinæ.*
34 *Sanctus Carolus voluit per Ministrum Missæ incompositos moneri.*
35 *An conveniat Sacerdotem Missam celebrare cum Ministro immorigero & sordido.*
36 *Non convenit, ut similis Minister suppleat in Missa vices populi.*
37 *Hic abusus scandalizat Hæreticos, & exiguam de Missæ Sacrificio ideam in Catholicis arguit.*
38 *In hoc abusu patescit, quid possit mala consuetudo.*
39 *Unde hic abusus originem habeat; & quomodo etiam pueris mercenariam de Missa ideam imprimat.*
40 *Episcopi huic abusui abolendo meritò incumbunt.*

I. Missa privata hodiè communiter dicitur illa, quæ fit sine cantu & solemni pompa, à solo Sacerdote, uno alterove Ministro Sacerdoti respondente, & assistente; sive in publico sive privato loco fiat; sive plures sive pauci vel etiam nulli intersint, aut etiam communicent.

II. Missa verò solemnis, prout huic privatæ opponitur, hodiè vocatur omnis illa, quæ fit cum cantu, & aliquali saltem solemni cæremoniarum apparatu; tametsi etiam pauci assistant, & nemo præter Sacerdotem celebrantem communicet.

Veteres verò, ut Missa diceretur solemnis ac publica, huic exteriori pompæ addebant *frequentiam populi offerentis, & communicantis*, ait Bona *lib. 1. Rerum Liturg. cap. 13.*

III. Hæcque Missa, cui nimirùm populus assistebat, & communicabat, *Legitima* vocabatur. Imo, teste Walafrido Strabone *lib. de Rebus Eccles. cap. 22.* » Fatendum est, illam esse *legitimam*, cui intersunt Sacerdos, respondens, offerens, » atque communicans; sicut (ait) ipsa compositio precum evidenti ratione demonstrat.“ (e)

IV. Quantum ad *communicantes*. Certum est, Missam primitùs sic institutam, omnesque orationes ita esse ordinatas, ut non tantùm Sacerdos, sed & adstantes communicare supponantur; imo antiquitùs soli ferè communicantes Sacrificio Missæ interesse sinebantur.

» Sciendum est (inquit Micrologus *de Eccles. observ. cap. 51.* (juxta antiquos Patres) quòd soli *Communicantes* » divinis mysteriis interesse consueverunt, unde & ante oblationem juxta Canones jubebantur exire Catechumeni, & pœnitentes; videlicet, qui nondum se paraverunt ad communicandum. Hoc quoque ipsa Sacramentorum innuit confectio, in » qua Sacerdos non pro sola sua oblatione & communicatione, » sed & aliorum rogat, & maximè in oratione post communionem pro solis communicantibus orare videtur. Nec propriè » *communio* dici potest, nisi plures de eodem Sacrificio participent.“

Idipsum pluribus astruit Cardinalis Bona loco citato; additque *lib. 2. cap. 17. n. 2. Hanc consuetudinem diu perstitisse, evidens est.*

V. Sensim verò defervescente fidelis populi fervore, communio illa quotidiana sub singulis Missis redacta est ad solos sacros Ministros altari assistentes; atque hinc etiamnum hodiè (notat Bona *lib. 2. cap. 17. num. 2.*) » In Missa solemni retenta est ab aliquibus Ecclesiis *communio* Ministrorum, quæ Romæ nunc permanet in insignioribus Basilicis, & ubi desierat, » Apostolicæ visitationis decreto restituta est. Sapientissimo sanè consilio, ne in desuetudinem abeat antiquissimus Ecclesiæ » ritus, sine quo vix possunt intelligi, quæ in liturgicis orationibus quotidiè recitantur.“

VI. Quin optandum sit, quemadmodum & Synodus Tridentina optavit, ut fideles Missæ assistentes quotidie etiam sacramentaliter communicarent; atque etiam fatendum sit, orationes, & ritus Missæ supponere, plures esse cum Sacerdote communicantes, dubitari nequit: perperam tamen hinc infertur, Sacrificii Missæ integritati quidquam deesse, si excepto Sacrificante nullus communicet; aut Missas in quibus solus Sacerdos *Sacramentaliter* communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; » siquidem illæ quoque Missæ (ait Synodus Tridentina *Sess. 22. de Sacrificio Missæ, cap. 6.*) verè communes » censeri debent: partim quòd in iis populus *spiritualiter* communicet: partim verò, quòd à publico Ecclesiæ Ministro » non pro se tantùm sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus » Christi pertinent, celebrentur.“

VII. Ut tamen ad antiquum morem, & ab Ecclesia multis seculis servatum, atque etiam hodie desideratum, pro temporum & populi conditione rediri possit, eatenus saltem ut in Missis solemnibus præsertim Parochialibus, semper aliqui è populo communicarent, Parochi in hoc saltem meritò incumberent, ut sacra communio sine rationabili causa extra Missarum solemnia in Ecclesia non distribueretur; sed postquam Sacerdos communicavit, ipsa quoque communio populo communicare volenti daretur.

VIII. Neque difficile erit praxim hanc introducere, eamque populo persuadere, si ostendatur, » tempus legitimum » communicandi esse ante ultimam orationem, quæ dicitur ad » *complendum*: quia ejus petitio maximè est pro iis, qui com» municant: “ uti loquitur Walafridus Strabo *loco citato, cap. 22.* » Oratio, quæ à Walafrido dicitur *ad complendum*, hodiè vo» cari solet, *postcommunio*, utpotè post communionem di» cenda. «

IX. Imprimis itaque populo dicendum, quòd ex mente Ecclesiæ illa oratio specialiter recitetur pro iis, qui communicaverunt; uti & hæc, quam, postquam omnes communicaverunt, dicit Sacerdos sub silentio; *Quod ore* Sumpsimus, *pura mente capiamus, & de munere temporali fiat* Nobis *remedium sempiternum*, quemadmodum monet Rodulfus Decanus Tungrensis *de Canonum observantia, proposit. 23.* addens: » Quæ » utique orationes non pro his, qui communicaturi sunt, sed qui » jam *communicaverunt*, juxta proprietatem sui nominis agunt: » ergo & ante ipsas communicare non negligunt, quicunque earundem orationum benedictione foveri desiderant.“

X. Ulteriùs populo exponendum, quòd ipsa *communio* sive participatio Sacramenti partem quodammodo Sacrificii constituat: ideoque summoperè conveniens esse, ut dum unà cum Sacerdote Sacrificium offerunt, etiam unà de Sacrificio *Sacramentaliter* communicando participent.

XI. Hinc indubiè factum, quòd duodecim & ampliùs seculis constanter sit observatum, ut in Ecclesiis Sacra Communio extra Missarum solemnia non distribueretur.

Et si fides Morino *lib. 8. de Pœnit. cap. 14. num. 2.* » Nec » in Ecclesia conservabatur Corpus Christi alium in finem, quàm » propter infirmos, una scilicet ex pane consecrato particula. » Quocirca sanis non erat extra sacrificii actionem communicandi » locus. Consuetudo moderna Corpus Christi propter fidelium » communionem reservandi recens est, à Monachis Mendicantibus primùm introducta, deinde ab aliis plerisque usurpata, quæ nondum tamen Romani ritûs rubricas expunge» re potuit.“

XII. Quod de *rubricis* hîc asserit Morinus, verissimum esse evincit rubrica Ritualis Romani Pauli V. quæ *tit. de Sacramento Eucharistiæ* hæc præscribit: » Communio autem popu» li intra Missam statim post communionem Sacerdotis celebran» tis fieri debet (nisi quando ex rationabili causa post Missam » sit accipienda) cùm orationes, quæ in Missa post communio-

(e) *Iste Walafridi locus ita intelligendus est, quòd ubi desunt Fideles communicantes, Missa non sit legitimâ quoad finem secundarium, spiritualem nempè populi fidelis nutritionem; sed non negat eam tunc esse absolutè legitimam, cùm per eam Deo cultus supremus exhibeatur, & preces fundantur pro populo, ad quam finem præcipuè institutum fuit Sacrificium.*

» nionem dicuntur, non solùm ad Sacerdotem, sed etiam ad alios » communicantes spectent. «

Hujus ritus venerandam antiquitatem, atque utilitatem haud ignorans S. Carolus, in Concilio V. Mediolanensi *part.* 1. *tit.* 9. statuit: » Hoc institutum, quod antiquissimi ritus est, Sacerdos » religiosè servet, ut intra Missarum solemnia, postquam scilicet » Sanguinem ipse sumpserit, fidelibus sacram communionem mi- » nistret. «

XIII. His addere poterit Parochus, etiam hodie in omnibus Ecclesiasticis communitatibus ritum illum servari; ut communio præcipuè conventualis intra Missarum solemnia distribuatur.

XIV. Præter communicantes requirebant insuper Antiqui populi frequentiam & assistentiam, ut Missa diceretur solemnis, & publica. Unde Missæ illæ ipsis erant *publicæ*, in quibus unà cum Episcopo aut Pastore populus conveniebat, tametsi etiam sine cantu fierent, quo sensu eas frequenter accipit S. Gregorius, dum vetat in Monasteriis *publicas* Missas eo fine, ne in servorum Dei secessibus occasio præbeatur popularibus conventibus; ut pluribus ostensum capite præcedenti.

Hoc sensu, Missæ, quæ in Monasteriis etiam cum cantu & exteriori pompa, atque circumstante Monachorum conventu fiebant, *privatæ* dicebantur.

XV. At sæculo IX. invaluit aliud genus Missæ privatæ, quæ à quibusdam *solitariæ* dictæ fuerunt; eò quod Sacerdos solus etiam nemine ministrante aut præsente *solitariè* & *privatim* eas perageret.

Hæ primùm in Monasteriis à Monachis frequentatæ, sensim etiam ad Presbyteros sæculares transierunt.

XVI. At hæ, ubi primùm invaluerunt, à pluribus improbatæ fuerunt, tanquam primario Missæ instituto, ritibusque Ecclesiasticis parum consonæ. Concilium Moguntinum anno 813. *can.* 43. » Nullus Presbyter, ut nobis videtur, *solus* Missam » cantare valet rectè. Quomodo enim dicet, *Dominus vobiscum*, vel *sursum corda* admonebit habere, & alia multa his simila, cùm alius nemo cum eo sit?

Et fortiùs circa idem tempus Concilium Parisiense VI. *lib.* 1. *cap.* 48. » Irrepsit in plerisque locis, partim incuriâ, partim » avaritiâ reprehensibilis usus, & congrua emendatione dignus, » eò quòd nonnulli Presbyterorum sine Ministris Missarum so- » lemnia frequentent: quod nec verba Domini Salvatoris, qui- » bus mysteria corporis, & sanguinis sui Discipulis celebranda » tradidit; nec Apostoli Pauli documenta declarant: nec etiam » in ipsis Actis Apostolorum, si enucleatim legantur, ita fieri de- » bere ullo modo invenitur. Unde conveniendus imò inter- » rogandus nobis videtur hujusmodi Corporis & Sanguinis Do- » mini solitarius Consecrator, quibus dicit: *Dominus vobiscum*, » & à quo illi respondetur: *Et cum spiritu tuo*: vel pro quibus » supplicando Domino inter cætera: *Memento Domine & om- » nium circumstantium*, cùm nullus circumstet, dicit: Quæ » consuetudo quia Apostolicæ & Ecclesiasticæ auctoritati refra- » gatur, & tanto mysterio quamdam dehonorationem irrogare » videtur, omnibus nobis in communi visum est, ut deinceps » hujuscemodi usus inhibeatur; provideatque unusquisque Epis- » coporum, ne in sua Parochia quisquam Presbyterorum, Mis- » sam solus celebrare præsumat, & si hanc definitionem super- » biendo transgressus fuerit, Canonicæ correctioni subjaceat. «

Simile decretum Concilii Nannetensis refertur apud Ivonem *parte* 3. *cap.* 7. addit que: » Quapropter illa periculosa supers- » titio, maximè à Monasteriis Monachorum exterminanda est. » Provideant autem Prælati, ut Presbyteri in Cœnobiis & aliis » Ecclesiis *cooperatores* habeant in celebratione Missarum. «

XVII. His, aliisque decretis relatis concludit Bona *lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 5. » Rejectæ itaque & reprobatæ fuerunt Missæ *so-* » *litariæ*, quæ à solo Sacerdote nemine adstante & respondente » dicebantur, hac potissimum ratione, quia absurdum visum » est, quòd Sacerdos diceret *Dominus vobiscum*, *Sursum corda*, » *Gratias agamus*, cùm nullus responderet: aut invitaret ad » orandum, dicens *Oremus*, nemine præsente, qui secum ora- » ret; & in Canone memoriam faceret omnium circumstantium, » cùm nemo adesset. «

Quin si verba prædictorum Canonum, necnon orationes, atque ritus Missarum propriùs attendantur, videntur præcipuè intendisse Patres, ut Missa publicè *pluribus* assistentibus & circumstantibus diceretur.

XVIII. Et quidem Gratianus Decretum suum scribens seculo XII. *Dist.* 1. *de Consecrat. can.* 61. refert decretum sub nomine Soteris Papæ: » Hoc quoque statutum est, ut nullus » Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi » duobus præsentibus, sibique respondentibus ipse tertius ha- » beatur: quia cùm pluraliter ab eo dicitur *Dominus vobiscum*, » & illud in secretis *Orate pro me*, aptissimè convenit, ut ip- » sius respondeatur salutationi. «

Decretum hoc nonnulli Anacleto Papæ adscribunt; at neutri adscribi posse rectè notavit Bona loco citato: » eò quòd ni- » hil magis alienum à praxi & spiritu illius seculi, quàm *soli-* » *tariæ* Missæ celebratio; nec puto ait, voluisse Sanctos illos » edita lege tollere abusum, qui nonnisi post aliquot secula in- » ter monachos irrepsit. «

XIX. Nihilominus ex suppositio hoc Decreto non obscurum est, aliquos circa tempora illius suppositii decreti dubitasse, num Missa uno ministro assistente ritè celebrari posset; quod & Bona ibidem annotavit.

Quin observat Boetius Epo *ad cap.* 3. ✠ *De vita & honest. Cleric. n.* 7. » Sanè nostratibus olim in Sacris etiam quotidianis & » inferioribus vel secundariis, id est, non summis, insolentissi- » mum fuisset vissum, si Sacerdos ullus absque *duobus* inservienti- » bus, & respondentibus (altero ad Altaris cornu dextrum, al- » tero ad sinistrum constituto) celebrâsset. «

XX. Non tamen defuerunt, qui *solitarias* has Missas propugnarent; atque Sacerdotem, tametsi solus esset, posse omnia etiam *pluraliter* ad circumstantes dicta veraciter ennuntiare. Et præ reliquis B. Petrus Damiani in Opusculo ad Leonem *inclusum* sive Eremitam, quod intitulavit *Dominus vobiscum*; quo pluribus ostendere conatur, quòd Sacerdos in Missa possit veraciter dicere *Dominus vobiscum*, aliaque similia, atque sibi etiam respondere; æquè quàm Clericus privatim Horas Canonicas recitans potest similia pronuntiare, & sibi ipsi respondere.

XXI. Ex quo consequens esset, quòd nisi Decreta positiva obstarent, non minùs liceret Sacerdoti sine Ministro Missam facere, quàm privatim Horas Canonicas persolvere; quam sequelam ut legitimam non obscurè quoque agnoscit Cardinalis Bona.

XXII. Quidquid sit, hoc certum est, Missas has *solitarias*, quæ à solo Sacerdote nemine præsente, aut ministrante dicebantur, pristinis seculis ignostas fuisse, privatas verò olim rariores quàm hodiè; hasque posterioribus seculis nimiùm esse multiplicatas, ut infrà notabitur.

Ad hæc constat, juxta modernam disciplinam ob reverentiam Sacrificii vetitum esse (saltem extra casum necessitatis) sine Ministro seu assistente Missam celebrare; atque ad minus unum requiri ministrum Sacerdoti celebranti assistentem.

XXIII. Cùm autem dubitari nequeat, quin hæc functio, nimirùm ministrandi, ac respondendi Sacerdoti in Missæ Sacrificio, sapiat aliquo modo conditionem functionis ecclesiasticæ, tribuatque jus ad ipsum Altare accedendi, jam pridem creditum fuit, eam clericalem esse, solisque Clericis commitendam. Unde antiquus Decreti Gratiani Glosographus commentans Canonem 61. *Dist.* 2. *de Consecrat.* ubi dicitur, ut *nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus*, quærit, » nunquid neces- » sarium est, ut sint duo Clerici: aut nunquid duo laici, aut » unus Clericus & alter laicus, aut alter masculus, & alter fœ- » mina, sufficient? « Respondet: » Satis videtur, quòd de- » bent esse *duo Clerici*. «

XXIV. Antiqua statuta Diœcesis Cameracensis renovata in Synodo Diœcesana anno 1550. *tit. de Eucharistia*, habent: *Nullus sine* CLERICO *celebrare præsumat.*

Nonne idipsum Synodi Belgicæ quodammodo supponunt, dum non alia de causa exigunt in Ecclesiarum Parochialium Custodibus statum, & tonsuram Clericalem, nisi quòd Custodes tanquam Ecclesiæ Ministri, teneantur Parocho in celebratione Missarum, & reliquis functionibus Pastoribus assistere, & ministrare? uti *part.* 1. *tit.* 4. *cap.* 1. & 2. ostensum fuit.

XXV. Idipsum apertiùs declaravit S. Carolus, dum statuit in sua Synodo Diœcesana IV. *Decreto* 28. » In Missæ etiam » Sacro, *non laicus*, sed *Clericus*, qui alteri ministret, sem- » per adhibeatur. «

Deindè subjungit: » In omni igitur Parochiali Ecclesia il- » lum talem Parochus habeat, ut est Provincialibus nostris Con- » ciliis præscriptum. «

Nec tantùm in Ecclesiis Parochialibus, sed etiam Cappellis & Oratoriis Clericum, qui Sacerdoti ministret, constitutum esse vult; & nisi similis Clericis fuerit, vetat in iis ab ullo Sacerdote celebrari, *nisi*, ait, *hujus rei facultatem* NOMINATIM SCRIPTO *expressam* A NOBIS *impetrârit.*

XXVI. Sed quia inter Clericos nonnunquam inveniuntur, qui huic sacræ functioni obeundæ aut digni, aut convenientes non sunt, decrevit ipse Carolus ibidem: » Clericus ne Sacer- » doti in altari ante ministret, quàm in illius ministerii functione » ritè instructus sit, & ab eo (Magistro cæremoniarum) pro- » batus. «

Et paucis interjectis: » Nec verò Ecclesiasticus homo, Can- » toris, Sacristæ, Custodis, Clerici in Missæ Sacro minis- » trantis munus, aliamve ecclesiasticam functionem in quavis Ec- » clesia suscipiat: nisi illius uniuscunque muneris in ea Ecclesia gerendi à nobis facultatem scriptam quotannis renovandam, vi- » ta etiam ac moribus à nobis probatus, impetrârit. «

XXVII. Neque ipsi Carolo suffecit, ut Minister esset Clericus, atque circa suum ministerium, vitam moresque probatus; sed insuper voluit, ut vestitu exteriori se tanti ministerii dignum ministrum exhiberet. Unde in Concilio Mediolanensi IV. *part.* 2. *cap.* 10. voluit, ut » Clericus Sacerdoti minis- » trans semper inductus sit superpelliceo puro & mundo, eo- » que

» non lacero, neque ulla alia ratione indecenti, si contra fe-» cerit, tum ipse, tum Sacristia, tum Ecclesiæ præfectus, tum » Sacerdos etiam, qui sibi ministrare permiserit, plectatur ar-» bitratu Episcopi."

Similiter Concilium Aquense anno 1585. tit. *de Celebratione Missæ* decernit: » In celebratione Missæ Sacerdos ne se confe-» rat ad Altare, nisi Clericum in decenti habitu & cum super-» pelliceo mundo cum manicis, sibi inservientem habuerit. Qui-» bus verò in locis propter inopiam Clericus ita commodè ha-» beri non poterit, caveat, ne celebret absque hujusmodi Cle-» rico nisi facultatem ab Episcopo in scriptis impetraverit."

Synodi Belgicæ injungentes Custodibus, ut parati sint quacunque hora Parocho celebranti, etiam privatim assistere in habitu decenti, & superpelliceo induti, sat indicant, se quoque desiderare habitum Clericalem, & honestum in ministro Sacrificii. Decreta Synodorum videri possunt superiùs, *tit.* 14.

XXVIII. Sanctus Carolus addidit in Concil. Mediol. VI. » Clericus, qui in Missæ Sacrificio ministrat, dum eam functio-» nem obit, ne preces horarias, neque aliud quidquam de li-» bro, aliove officio recitet; sed toto intimæ pietatis studio ad » ministerium attentus sit, quod tunc piè religiosè exequi debet. » Titulo, *quæ ad Missam pertineat*."

XXIX. Si laicos huic functioni adhibere ægrè tulerint Concilia, multò minùs mulieres adhibendas esse nemo non intelligit.

Scitur, jam pridem dictum fuisse *non oportere mulierem ad altare ingredi.* Can. XLIV. Laodicæno.

Et seculo V. ad Episcopos Lucaniæ scripsit Gelasius I. » Impatienter audivimus tantum divinarum rerum subiisse des-» pectum, ut fœminæ sacris Altaribus ministrare ferantur." *Epist.* 9. *cap.* 26.

Idipsum prohibet Concilium Nannetense *Can.* III. idque secundum Canonum auctoritatem. Et seculo XIII. ad Othonem Cardinalem Tusculanum scribit Innocentius IV. » Mulieres au-» tem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio om-» ninò repellantur." *Ep.* 10. *c.* 14.

Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 15. *cap.* 2. expressè statuit, ut non permittatur in altari ministrare celebrantibus fœminæ, quantumvis religiosæ.

Antiqua Decreta Cameracensia in Synodo Diœcesana anno 1550. renovata loco citato » præcipiunt sub pœna 20. soli-» dorum Parisiensium, ne quis Presbyter permittat altari, vel » circa altare, mulierem insistere, dum divina celebrabuntur."

Novissimè quoque Synodus Namurcensis sub Wachetendunck *tit.* 6. *cap.* 11. » Inhibet omnibus mulieribus tempore » celebrationis Missæ vel Laudum, quæ celebrabuntur cum Ve-» nerabili Sacramento, se inter sepimenta vel cancellos altarium » illorum sistere propter reverentiam Sacramenti, ne & Sacer-» dos celebrans, aut aliàs Venerabile tenens, earum aspectu » tentetur, sub pœna publicæ admonitionis, aut alia simili."

Plurima sunt & Synodorum & Episcoporum decreta, quibus inhibetur mulieribus accessus ad altaria, præsertim dum ipsa divina in illis celebrantur; quæ consequenter ostendunt, omninò alienum à mente illorum esse, ut mulier quæcunque ipsi Sacerdoti celebranti in altari assistat.

XXX. Ostendunt prælegata decreta, quàm indignum sit, ut actioni, functionive tam sanctæ ac sublimi in ministrum hodie, non laicus modò, sed nescio quis vilissimus ac immorigerus puerulus, seu juvenis adhibeatur; quem nec honestiores laici, imò opifices sibi ministros addiscere vellent.

Imò adeò apud plerosque viluit Missæ Sacrificium, ut vel laicum honestiorem quasi pudeat, sibique quasi dedecori vertat, Sacerdoti in Missæ celebratione ministrare, illudque quodammodo proprium puerorum, aut famulorum credatur.

XXXI. Si sanctitati, ac dignitati alicujus actionis meritò respondeat sanctitas, & dignitas Ministrorum, non obscurum erit colligere, quàm alienum sit à sanctitate hujus actionis, admittere pueros, seu juvenes, qui non dico nullam vitæ, morumque sanctitatem, sed è contrà magnam deformitatem frequenter præ se ferunt.

XXXII. Si sancta sanctè sint tractanda, quid indignius, quàm in ministrum tàm sancti mysterii admittere pueros, qui nullam hujus functionis ideam habentes, omnia, quæ agunt, aut dicunt, sine ullo pietatis sensu, aut cordis affectu tanquam psittaci nihil intelligentes, aut aliò distracti enuntiant, aut intra dentes sæpè balbutiunt?

XXXIII. Synodus Tridentina non vult à Sacerdote Missam celebrari, » nisi priùs, qui intersint decenter composito corpo-» ris habitu declaraverint se mente, ac devoto cordis affectu, » non solùm corpore adesse."

Hæc si in assistentibus indifferenter requirat; an minus forsan in ministrante, qui propiùs Sacerdoti assistit, atque tanquam minister Sacerdotis magis ad Sacrificii oblationem, totamque actionem concurrit?

XXXIV. Imò S. Carolus vult, ut » cum Sacerdos ad altare » accesserit Sacrificium Missæ facturus, Clericus, qui tunc mi-» nistraturus est, ubi alius non sit, qui tunc hoc officium præs-» tare possit, circumspiciat astantes; & si quempiam animad-» verterit marem & fœminam incomposito corporis habitu, vel » aliàs cum injuria vel irreverentia sanctissimi illius Sacrificii » interesse, moneat graviter..... Missâ verò inchoatâ, si quid » hujusmodi fiat, hoc idem officium admonendi itidem ille mi-» nister Clericus præstet modestè & graviter." Concil. Mediolanense IV. *part.* 2. *cap.* 10.

Nostro hoc seculo si vixisset Carolus vidissetque nullum penè nisi pueros, aut viliores homines in Missæ administros adhiberi, cavisset profectò hoc monendi officium illis committere; quin potiùs designâsset, qui removendis repellendisque à sacris altaribus hujusmodi immorigeris, ac vilibus ministris invigilâssent.

XXXV. Quandoquidem ob hujus Sacrificii sanctitatem, ac reverentiam Sacerdos ex præscripto Concilii Tridentini Missam celebrare nequeat, nisi priùs qui intersunt, externo habitu ostendant, se mente ac devoto cordis affectu adesse; an licitum erit Sacerdoti Missam celebrare, priusquam adsit ministraturus, qui externo corporis habitu declaret, se mente, ac devoto cordis affectu adfuturum, & ministraturum?

XXXVI. Ad hæc, Minister Sacrificii Sacerdoti respondens vices totius populi supplet; publici Ecclesiæ Ministri partes agit.

Porrò an quidquam indecentius, quàm ut nomine Ecclesiæ sive fidelis populi, in actione adeò sublimi deputentur vilissimi quique pueruli, aut juvenes, qui nec quid agatur intelligunt nec attendunt.

XXXVII. Quis antè infidelium, aut Hæreticorum non putet esse actionem ludicram, aut vilissimam quandam tragediam, dum videt Sacerdotem cum nescio quo immorigero, ac verba vix balbutiente puero, in altari alternatim psalmum & orationes recitantem; ipsam confessionem facientem, aliaque agentem? Quis unquam infideli, aut hæretico persuadebit, ibi actionem sublimissimam, & qua ipsa Religio Christiana sanctiorem, aut digniorem non habet, peragi?

XXXVIII. Imò ni abusus hic adeò invaluisset, atque Fidelium fides ob multiplicatam Missarum circa hujus actionis dignitatem ac sublimitatem penè elanguisset, etiam ipsis Catholicis indubiè hic abusus appareret execrandus, & intolerabilis; utpote ipsum Sacrificium in summam profanationem, ac vilipendium adducens.

XXXIX. Sanè si ullibi hic verificatur, quòd mala consuetudo sive corruptela, nisi citiùs eradicetur, in privilegium & jus assumatur, ac pro lege venerari incipiat. *Canon* 3. *dist.* 8.

Neque hic abusus aliundè quàm ex nimia Missarum privatarum multiplicatione, & mercenario multorum Sacerdotum celebrandi modo originem, & incrementum habuisse certum est; atque inde unâ quasi invaluit, quòd sæpiùs nec pueri illi ad ministrandum haberi queant, ni & ipsi munusculo aliquo alliciantur; imò quidem ex ipsa Missæ assistentia, non secus ac Sacerdotes ex celebratione quæstum aucupentur, & solicitè quærant; atque ita ab infantia quasi mercenariam ideam de Divinis officiis, & functionibus concipiant.

XL. Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati, & Pastores facilè ex his perspicere poterunt, quàm meritò totis viribus conentur hunc abusum, ipsi Missæ Sacrificio adeò indignum; & ipsum Sacrificium profanantem, & quasi risui hæreticorum exponentem, penitùs eradicare; attendentes, » ut non nisi gra-» vissimè, & ut summum quoddam totius Ecclesiæ negotium » celebretur hoc Sacramentum, neque quilibet etiam nullius sen-» sûs puerulus ad ministrandum admittatur: " ut loquitur Petrus de Soto *de Sacramento Eucharist. lect.* 15.

CAPUT IV.

De Oblationibus populi inter Missarum solemnia.

1 *Oblationum usus antiquus.*
2 *Quis oblationum ritus in ordine Romano.*
3 *Seculo VI. præcipitur panis & vini oblatio.*
4 *Ex pane oblato Eulogiæ populo distribuebantur; in quarum locum successit Panis benedictus.*
5 *Formula benedicendi Eulogias.*
6 *Panis benedictus sumebatur olim ex Pane à populo oblato pro consecratione.*
7 *Hodie pro Pane benedicto offertur specialis Panis.*
8 *Hic Panis est symbolum unionis; & non nisi in Missa Parochiali offerendus.*
9 *Quo affectu offerendus.*
10 *Qua ratione Panis hujus oblatio juribus honorificis adscribatur.*
11 *Occasione prærogativæ in præsentatione Panis benedicti controversiæ motæ.*
12 *Olim Eucharistia consecrabatur ex pane & vino oblato à populo.*

13 *Hodiè etiam hujus ritûs extat memoria.*
14 *Oblatio Panis, & vini mutata in denarios.*
15 *Primitùs hi in usum pauperum cedebant; posteà in usum Sacerdotis.*
16 *Paulatim usus oblationum penè defecit; & quæ defectionis ratio.*
17 *Usum oblationum instauratum voluit S. Carolus.*
18 *Quibus motivis populus ad usum oblationum excitandus, & quo affectu eas facere debeat.*
19 *Notoriè criminosi oblationes non recipiendæ.*
20 *Prudenter hodie in hoc procedendum.*
21 *Rejiciendi publicè à S. Eucharistia non semper repellendi ab offerendo.*

I. UT populus ad ipsius incruenti Sacrificii oblationem se concurrere ampliùs ostenderet; atque unà cum Sacerdote sacrificium offeret, vetùs in Ecclesia Christianorum mos fuit, ut qui ad Missarum solemnia conveniebant, suam unusquisque partem sacrificii offerret.

Ad hunc ritum non obscurè alludit Sanctus Cyprianus *lib. de Operibus*, & *Eleemosyna*, dicens: » Locuplex & dives es, & » Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine sacri» ficio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper *obtulit*, » sumis. «

Hæc verba Cypriani expendens vir eruditus Nicolaus Rigaltius scribit: » Sacificia dicit eleemosynas in usus fidelium col» latas. Inter eleemosynas erant panes per Eucharistiam sacran» di. De panibus autem istis quandoque dives parcus & sterilis, » hoc est, qui nihil contulerat in eleemosynam, sumebat Eu» charistiam. Quod pudendum esse, ait Cyprianus.

II. Plurima sunt pristini illius moris apud Antiquos testimonia, eumque per plura secula in Ecclesia perdurâsse, evincit antiquus Ordo Romanus post tempora Sancti Gregorii conscriptus; in quo legitur: » Transit Sacerdos ad suscipiendas obla» tiones. Interim Cantores cantant offertorium cum versibus, & » populus dat oblationes suas, id est, *panem* & *vinum*, & offe» runt cum fanonibus candidis, primò masculi, deindè fœminæ.« In Ordine Romano II. Apud Mabillonium *tomo* 2. *Musæi Italici*, *pag.* 47. notatque *pag.* 554. Fanones hîc accipi pro *panno oblongo*, ad offerendas, recipiendasque oblationes

III. Quin & hujus ritus tanta fuit apud Majores nostros religio, ut dum sub finem seculi VI. deprehendissent Patres Concilii Matisconensis II. Christianos nonnullos ad Missarum solemnia accedere, nullam admoventes hostiam, decreverint *Can.* 4. » Ut in omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus vi» ris & mulieribus offeratur tam panis, quam vini, ut per has obla» tiones & peccatorum suorum fascibus (f) careant, & cum Abel » vel cæteris justè offerentibus promereantur esse consortes. «

IV. Hinc ritum indicare quoque videtur Concilium Nannetense (quod seculo IX. celebratum creditur) *Can. IX.* Presbytero mandans, ut de oblationibus, quæ offeruntur à populo & consecrationi supersunt, partes incisas habeat in vase nitido, quas post Missam illis distribuat, qui non communicârunt. Quas particulas Canon *Eulogias* vocat, quarum vices hodie in nonnullis Ecclesiis supplet *panis benedictus*: quem in locum Eulogiarum successisse omnes agnoscunt; ut propterea dixerit Honorius Augustodunensis in *Gemma*, *cap.* 67. panem illum vocari *Eulogiam.*

V. Benedicebantur Eulogiæ hac formula, quæ in dicto Canone præscribitur: » Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne » Deus, benedicere digneris hunc panem tua sancta & spirituali benedictione, ut sit omnibus salus mentis & corporis, atque » contra omnes morbos, & universas inimicorum insidias tutamentum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, » panem vitæ, qui de cœlo descendit & dat vitam ac salutem mundo & tecum vivit & regnat, &c. «

VI. Prætereà ex hoc Canone patet, Eulogias sive panem benedictum olim desumptum esse ex panibus oblatis pro consecratione; quod & apud Græcos servatum fuisse testatur Cabasilas in *expositione Liturgiæ*, *cap. ult.* » Sacrificio peracto, ait, » Sacerdos oblatum panem, ex quo sacrum panem abscidit, in » multa divisum tradit fidelibus: ut qui sanctus sit, eò quòd » Templo fuerit dedicatus & oblatus. Illi autem cum reveren» tia suscipiunt, & dextram deosculantur. «

VII. Postquam verò hodiernæ illæ graciles, & rotundæ hostiæ pro consecratione confici cœperunt, Parochiani, aut unus pro omnibus, panem offerre cœperunt, qui per Parochum benedictus, Parochianis intro Missarum solemnia distribuitur in signum communionis; sive ut tesseram, quam Christiani à suo Parocho accipiunt, in signum fraternæ communicationis in fide & charitate.

VIII. Cùm autem hæc unio, & contesseratio specialiter esse debeat inter fideles unius Parochiæ, utpote unam quasi Ecclesiam constituentes, etiam hoc unitatis & charitatis symbolum in solis Ecclesiis Parochialibus sub Missa Parochiali distribuendum est. V. Conc. Rothomag. 1581. *tit.* 9. *num.* 23.

(f) Fascibus, *id est*, *onere vel congerie.*

IX. Optandum esset, ut nobiles, aliique, tùm in recipiendo, tum offerendo Pane benedicto, meminissent, panem hunc esse *vicarium* sacrosanctæ Eucharistiæ, ideoque à sanctis Patribus appellari ἀντίδωρον & ita cum humilitate accipiendum, uti monet Franciscus Le Roy Antecessor Aurelianensis in tractatu *de Juribus honorificis in Ecclesia*, *lib.* 1. *cap.* 12.

X. Hîc ostendit insuper eodem loco, hujus panis oblationem, & acceptionem juribus honorificis eatenus annumerari, quòd nobiles, aliique honoratiores personæ in illius præsentatione & receptione aliqua prærogativa gaudeant; quod & asserit Matthias Mareschal in suo tractatu Gallico, *des Droits honorifiques*, *tit. de Distributione panis benedicti*; » testaturque, panem » benedictum ordinariè præsentari Toparchis, Nobilibus, Offi» cialibus, aliisque secundum gradûs & officii prerogativam; quan» tumvis rationi magis consonum videretur, eum distribui pri» mo occurrenti, quemadmodum sacra Eucharistia distribui so» let, cujus hic panis est quoddam symbolum. « Hæc ille.

XI. Occasione prærogativæ nonnumquam quæstiones, litesque oriri notat idem Matthias; ac signanter sub initium hujus seculi quæstionem fuisse super præsentatione hujus panis inter uxorem Patroni & Parochianos: illa sustinente sibi privativè competere vice sui mariti prærogativam præsentandi panem benedictum, quod & ipsi per tres sententias conformes adjudicatum fuit.

XII. Insuper ex citato Canone Nannetensi constat, ipsam Eucharistiam ex pane à populo oblato fuisse confectam: quod & indicat Sacramentarium S. Gregorii apud Pamelium, *pag.* 179. Postquam enim præcepit cantari Offertorium, ait: » Et offerun» tur à populo oblationes & vinum, è quibus in altari ponun» tur, ut sacrentur. «

Item Ordo Romanus loco citato ait: » Archidiaconus acci» piens oblatas ponit tantas super altare, quantæ possunt popu» lo sufficere. «

XIII. Quin & nonnullæ, quæ etiamnum hodie extant in Missali, orationes *Secretæ*, quæ olim dicebantur super oblata, hunc morem evidenter supponunt; ac præ cæteris oratio *secreta* dicenda Dominica V. post Pentecosten his verbis expressa: » Propi» tiare, Domine, supplicationibus nostris: & has *oblationes* » famulorum, famularumque tuarum benignus assume; ut quod » *singuli* obtulerunt ad honorem, singulis proficiat ad salutem. «

XIV. Quo tempore populus desierit panem & vinum in Missa offerre, incertum est. Hoc constat, quòd tempore Honorii Augustodunensis moris jam esset, loco panis sive farinæ denarios offerri; creditque Honorius, mutationis hujus originem rariori Fidelium communioni adscribendam: » Quia ait, popu» lo non communicante, non erat necesse, panem tam magnum » fieri, statutum est, eum in modum denarios formari; & ut po» pulus pro oblatione farinæ *denarios* offerret. « In Gemna animæ, *cap.* 58.

XV. Addit deindè Honorius: » Qui tamen denarii in usum » pauperum, qui membra sunt Christi cederent, vel in aliquid » quod ad hoc sacrificium pertinet. «

Verùm ut advertit Christianus Lupus dissertatione II. proœmiali ad tom. 3. Schol. in Canones, *cap.* 11. » Hæc puritas, » quòd non esset Apostolicæ legis, & quòd priorum oblationum » emolumentis aut non possent, aut nollent privari Sacerdo» tes, non diù permansit; uti anteà panis & vinum & farina, ita » & hi denarii illis pedetentim appropiari cœperunt. « Et hæc ferè ubique est hodierna disciplina, ut oblati denarii inter Missarum solemnia ad altare cedant Sacerdoti; nisi alio titulo alteri competere ostendatur; sed de hoc jure latiùs infrà, ubi de *Decimis*, *aliisque Ecclesiasticis proventibus*, agetur.

XVI. Illud hîc insuper monet Christianus Lupus, quòd postquam denarii oblati in usum Sacerdotum cedere cœperunt, » hinc ob avitam populi, de Cleri avaritia & nimiis proventi» bus calumniam, defecerit paulatim etiam denariorum obla» tio, contracta ferè ad solam Missam in exequiis defunctorum. » Accedens (pergit Lupus) Ecclesiarum Altarium in eadem » etiam Ecclesia Sacerdotum, plurium quotidie in eodem quo» que Altari Missarum multiplicatio istam contractionem strenuè » adjuvit.«

XVII. Hunc oblationum morem & institutum ab Apostolorum tempore ad nos devolutum, ac injuriâ temporum penè abrogatum, variæ Synodi posterioribus his temporibus restituendum decreverunt, atque præ cæteris Synodus Mediolanensis IV. sub S. Carolo *part.* 2. *cap.* 15. declarat, » oblationum institu» tum, quo graviùs his temporibus à fidei, doctrinæque catho» licæ hostibus exagitatur, & languescente pietatis studio, quo » magis à Fidelibus negligitur, hoc diligentiùs servari, atque ad » executionis usum, ubi intermissum est, revocari convenit, » cùm præsertim & ad divinum cultum pertineat, & populis sa» lutare sit ad expiandaque peccata utile.«

Posteà monet Episcopos, ut omni modo curent, » ut in » solemnitatibus Domini, diebusque Dominicis ac Festis item, quos

„ quos coli, aut præcepti, aut consuetudinis est, omnis Chris-„ tianus aliquid, prout sua quisque pietate devotioneque ma-„ luerit, Deo offerre procuret, idque in Ecclesia vel Cathe-„ drali, cùm ad Missæ Sacrificium, quod solemniter celebra-„ tur, vel in Parochiali cum Parocho convenerit «

„ Quo gratius autem Deo sit quod offerunt, ad præstandum „ accedant *Fideles intima animi pietate, spirituali hilaritate,* „ *sancta charitate, omnique Christianæ devotionis testificatione.* «

XVIII. Hujus quoque instituti restitutionem multùm ursit Synodus Coloniensis anno 1549. *cap.* 20. declaratque illud penè totum abire cœpisse in desuetudinem, *hominibus piis causam & originem offerendi ad altare ignorantibus, & impiis cupiditate Sacerdotum usum illum introductum calumniosè asserentibus.*

Quapropter præcipit Verbi Divini Concionatoribus, ut populo veritatem rei istius & utilitatem exponant; hortenturque omnes sequi Majorum studia, ut vel exigui munusculi oblatione suam pro rebus à Deo acceptis ostendant gratitudinem.

En primum motivum, quo populus ad hunc ritum excitandus est.

Deindè subjungit alterum motivum: *Quo etiam preces Ecclesiæ in eos conquadrent.* Certum enim est, jam pridem Ecclesiam voluisse specialem in Missa memoriam offerentium fieri; atque plures etiamnum recitari Orationes ad Offerentes specialiter directas, uti capite sequenti latiùs ostendetur.

Prætereà monet Concionatores, „ ut inculcent eis, quòd „ Deus non tam ad dona, quàm ad voluntatem & mentem pio-„ rum respiciat: quanquam locupletes & divites convenit esse li-„ beraliores, *quo gratitudinis signum de se amplioris præbeant,* „ *& testentur se à Deo ad Dei honorem & cultum habere, quid-* „ *quid habent.* «

Meritò hîc præmonuit Synodus, ut hæc populo proponantur & inculcentur à Concionatoribus, *illis præsertim, qui de oblationibus populi non participant*, AD CUPIDITATIS SPECIEM TOLLENDAM.

XIX. Denique S. Carolus paternarum traditionum, atque canonicæ disciplinæ zelosissimus conservator, & instaurator, in citato Concilio IV. decrevit: „ Ab iis oblationes ne recipian-„ tur, ut antiquo Canone vetitum est, qui scilicet inter se ini-„ quo animo desistentes, inimicitias exercent, qui usurarii, me-„ retrices, sacrilegi, raptores, quive alio nomine publicè, no-„ torieque criminosi sunt. «

Canon antiquus, cujus hîc meminit S. Carolus, est *Can.* 93. Concilii Carthaginensis IV. relatus apud Gratianum *dist.* 9. *Can.* 2.

XX. Tametsi optandum esset, ut juxta mentem Ecclesiæ, purioremque ejus disciplinam, hujusmodi notorii, & scandalosi peccatores ab altaribus removerentur, nec ad Offertorium admitterentur, nihilominus magna prudentia & moderatione opus est, ut Parochi præsertim, ac inferiores Presbyteri eam disciplinam, ubi plane abolita est, revocent, meritoque priusquam quidquam attentent, Episcopos, aliosque superiores consulant, qui & sacris Canonibus ab una parte, & temporum, personarum conditione, aliisque circumstantiis ab altera parte ritè expensis, judicent, qualiter expediat, canonicam hanc disciplinam esse executioni mandandam.

XXI. Neque illud dubium est, quin publici ac notorii peccatores nonnunquam ad offerendum oblationes ad altare admittendi sint; tametsi ad sacram Eucharistiam nullatenus essent recipiendi; imò publicè etiam rejiciendi, ob evidens periculum sacrilegii in hac admissione, non item in illa concurrens, necnon ob majus scandalum ex admissione ad sacram Eucharistiam, quàm ex admissione ad offerendum verisimiliter oriturum.

CAPUT V.

De Honorario Missæ, de quibus ea occasione populus instruendus.

1 *Unde factum, ut Denarius extra Missam Sacerdoti offerri cœperit.*
2 *Quo tempore hoc cœptum fieri.*
3 *Pecuniaria eleemosyna seculo IX. nota fuit.*
3 *Ex hac eleemosyna paulatim invaluit ut laici voluerint Missas* speciales *pro se celebrari, quod initio vetitum videtur.*
5 *Idipsum erroris arguit Walafridus Strabo.*
6 *Olim arbitrio Sacerdotis relictum, utrum unum pro multis, an singula pro singulis offerentibus Sacrificia celebraret.*
7 *Hodie prohibitum plura honoraria à pluribus accipere; & uno Sacrificio satisfacere.*
8 *Sacrificium, quod hodie pro offerente Honorarium specialiter offertur, pluribus commune est.*
9 *Proponitur dubium circa prohibitionem accipiendi plura Honoraria pro uno Sacrificio.*
10 *Hodie non minus, quàm olim Sacrificium infiniti valoris est.*
11 *Olim offerentes in Missa non petebant speciales pro singulis Missas.*
12 *Offerentes Honoraria hodie volunt celebrari pro se speciales Missas.*
13 *Sacerdotes ea lege honoraria accipientes tenentur pro singulis Missas singulas celebrare.*
14 *Decretum Alexandri VII. in materia Honorarii.*
15 *Resolutio S. Congregationis in eadem materia.*
16 *Decreta Pontificum, & resolutiones S. Congregationis infidelitatem & avaritiam Sacerdotum duntaxat feriunt.*
17 *Idipsum seculo XIII. ostentat Archiepiscopus Cantuariensis.*
18 *Conciliatio doctrinæ Mallafridi Strabonis cum censuris Proficum.*
19 *Non minus hodiè, quam olim Sacrificium pluribus Missæ assistentibus pro ratione devotionis prodest.*
20 *Honorarium hodiernum est quædam oblationis species, & ita à populo offerendum.*
21 *Monendus est, ne nimium fidat multitudini Honorarium.*
22 *Ut quis sit particeps Sacrificii, quid requiratur.*
23 *Sacrificium non applicatur pro solo Sacerdotum arbitrio.*
24 *Quæ fuerit occasio eam opinionem imputandi Ecclesiæ.*
25 *Pauperes æquè ac divites Sacrificii participes esse possunt.*
26 *Quid operetur specialis Sacerdotis applicatio.*
27 *Plus prodest devotè Missæ assistere, quàm curare pro se specialiter celebrari.*
28 *Ecclesia præcepit Missæ interesse, sed nunquam præcepit curari Missas speciales celebrari.*

I. CUM invaluisset vice *panis* & *vini* offerri in Missa *denarios*, idque in usum Sacerdotis celebrantis tandem visum est, idipsum, quod in Missa offerre licebat, quoque ante vel post Missam offerri posse.

Itaque dum jam sensim oblatio inter Missarum solemnia penè cessabat, atque in Missis præcipuè privatis oblatio parùm nota esset, tunc qui pro se specialiter tanquam offerente Missam celebrari, & orari volebat, id oblato denario, à Sacerdote postulabat, atque hinc ille denarius, quem hodie *honorarium* aut *stipendium* Missæ vocamus.

II. Quo tempore denarii in Missa oblati in usum Sacerdotum cedere cœperint, & quando cessante oblatione in Missa, denarius extra Missam Sacerdoti offerri ab his, qui pro se Missam celebrari petebant, incertum est.

Sæpius laudatus Joannes Mabillonius in præfatione ad primam partem seculi II. Benedictinorum *n.* 62. fatetur oblationi panis & vini à laicis antiquitùs fieri solitæ, successisse eleemosynam pecuniariam Presbytero factam, quam *stipendium* vocant: videturque ipsi, id fieri cœptum seculo VIII. saltem in Missis privatis, non tamen ubique passim ante seculum XII.

III. Pecuniariam eleemosynam satis apertè designat Chrodegangus Metensis Episcopus in Regula Canonicorum scripta sub initium seculi IX. *cap.* 32. Et seculo II. pecuniam in usum Sacerdotis, etiam extra Missarum solemnia oblatam fuisse testatur Petrus Damiani *lib.* 5. *epist.* 15. at hujusmodi *pecuniæ oblatæ admissionem & in Clerico & in Monacho tunc malè voluisse*, advertit Christianus Lupus. Vide Dissertationem meam *de Pensionibus.*

IV. Hinc factum (ait Mabillonius) ut laici ob modicam stipem singulas quique Missas sibi arrogarent.

Hunc usum introduci cœptum reprehendere videtur Eugenius Papa II. in Concilio Romano anno 826. *cap.* 17. „ Pres-„ byteri nullius blandiantur, aut suadeantur sermonibus, ut „ non omnium ad se concurentium in quibuslibet sacris locis „ oblationes ad Missarum solemnitates recipiant: quia cùm me-„ diatores Dei, hominumque existant, in exercendis votis re-„ laxandisque peccatis largissimam debent orationem peragere. « Idipsum repetit Leo IV. in Synodo Romana.

V. Eodem tempore Walafridus Strabo nascentem ejusmodi morem erroris arguit, in libro *de rebus Eccles. cap.* 22. „ Sed in hoc error non modicus videtur, quòd quidam se „ non posse aliter plenam commemorationem eorum facere, pro „ quibus offerunt; nisi singulas oblationes pro singulis offerant, „ vel pro vivis & defunctis non simul æstimant immolandum, „ cùm verè sciamus unum pro omnibus mortuum, unum panem „ esse, & sanguinem, quem universalis Ecclesia offert. Quòd si „ placet, pro singulis singulatim offerre, pro solius devotionis „ amplitudine & orationum augendarum delectatione id faciat, „ non autem pro stulta opinatione, qua putet unum Dei Sacra-„ mentum, non esse generale medicamentum. «

VI. His Walafridi Strabonis verbis relatis ait Cardinalis Bona *lib.* 2. *Rerum Liturg. cap.* 8. *num.* 7. „ Hactenus ille, cujus-„ que Sacerdotis arbitrio, seu devotioni relinquens unum pro „ multis offerentibus Sacrificium, aut singula pro singulis cele-„ brare. Nostrorum verò temporum alia conditio est, alii mo-„ res; nec ullus ignorat quid de hac re ab Apostolica Sede sta-„ tutum sit. «

Finalibus his verbis indicari, quæ tum sub Urban. VIII. tum Alexandro VII. in hac materia decreta, haud obscurum est.

VII. Et quidem sacra Congregatio Cardinalium super interpretatione Concilii Tridentini, auctoritate Urbani VIII. anno 1625. declaravit: » Ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem » qualitatis celebrandis stipendia quantumcunque incongrua, & » exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, » aut conferuntur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capi» tulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, » Conventibus, Congregationibus, domibus ac locis piis qui» buscunque, tam Secularibus, quàm Regularibus, S. Con» gregatio sub obtestatione divini judicii mandat ac præcipit, ut » absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ ele» emosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos per» tinet, suæ obligationi non satisfaciant: quin imò graviter pec» cent, & ad restitutionem teneantur. «

VIII. Quid igitur? probavitne Urbanus VIII. ita pro uno offerri posse Missæ Sacrificium, ut illi soli & non aliis pluribus prosit; aut pro uno solo reliquis exclusis offerri possit, quod errorem non modicum, & opinionem stultam esse, dixit Walafridus? nequaquam sanè. Nec enim minus Sacrificium Missæ hodie, quàm olim, etiam illud, quod ratione accepti stipendii à Sacerdote pro aliquo particulari sub *strictâ*, ut vocant, *intentione* celebratur, pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis offertur. Nec minus in Missis illis, quas accepto stipendio pro aliquo particulari celebrat Sacerdos, quàm in aliis *liberæ*, ut ajunt, *intentionis*, à Sacerdote instituitur *memento vivorum* & *mortuorum*, ubi sacerdoti liberum manet, non obstante *strictâ intentione*, specialem aliquorum memoriam facere; quin ex præscripto Missalis subjicit: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus offerimus, &c.*

Unde & Synodus Tridentina docens, Missas nullas esse propriè *privatas*; sed omnes censendas esse *communes*, hinc inter cæteras rationem reddit: » Quòd à publico Ecclesiæ Ministro » non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Cor» pus Christi pertinent, celebrentur. « *Sess. 22. de Sacrificio Missæ, cap. 7.*

IX. Cur ergo Sacerdos à pluribus honorarium sive stipendium accipiendo non satisfacit unum pro omnibus Sacrificium offerendo, quemadmodum olim, dum oblatio panis & vini in Missa fieri solebat, uno eodemque Sacrificio pro pluribus offerentibus oblato satisfaciebat? Num forsan qui hodiè specialiter pro se petunt, dato stipendio, Missam celebrari, aliquid plus de Sacrificio participant, quàm olim participabant offerentes in Missa; vel offerentes plus participabant, si pauci, quàm si plures offerrent?

X. Sicuti ipsum sacrificium Missæ semper fuit quantum ex parte Christi primarii offerentis, & Hostiæ oblatæ infiniti valoris; ita semper incertum fuit, quantum ex illo infinito cuique Offerenti, aut adstanti applicaretur; quidve ipsa Sacerdotis celebrantis intentio in hac fructus Sacrificii applicatione, ex mero Dei beneplacito dependente, valeret.

XI. Primitùs ergo fideles sua munera offerentes, non petebant Missam specialiter pro se celebrari; sed sufficere credebant, si Missæ sacrificio devotè conjungerentur, atque unà cum Sacerdote ipsum Sacrificium offerrent, divinæ misericordiæ confidentes, Sacrificii fructum sibi applicandum pro ratione Sacrificii & dispositionis.

XII. At alia est hodierna Offerentium *honoraria* sive stipendia Missarum intentio. Hi enim ea mente & conditione stipendia hæc offerunt, ut tot Missæ, quot dantur stipendia, specialiter pro se vel alio, quem nominant, celebrentur, & specialiter applicentur.

XIII. Et licèt incertum sit, quid hæc specialis applicatio valeat, imò sub sola intentione generali stando *non minùs sæpè apud Deum mereatur, quàm particulariùs exigendo*, uti monet Pius Gersonius *tract. de Solicit. Eccl.* nihilominus Sacerdotes *honoraria* ea intentione & lege à Fidelibus oblata accipientes, ipsius quasi justitiæ leges infringerent, suamque avaritiam proderent, si intentioni Fidelium non satisfacerent: hancque solam injustitiam, atque Sacerdotum avaritiam suo decreto Urbanus VIII. meritò jugulavit; nihil de valore Sacrificii pro pluribus oblato, aut de efficacia applicationis ipsius Sacerdotis definiens.

XIV. Eodem imò majori fundamento hanc, quam quorundam Sacerdotum sordida avaritia & cæca cupiditas parturiverat, opinionem damnavit Alexand. VII. anno 1665. » Non est » contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, » & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelita» tem, etiamsi promittam, promisione etiam juramento firmata, » danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram. «

XV. Similiter proposito dubio Sacræ Congregationi: » An » cùm Ordinarius præscripserit, eleemosynam congruam juxta » qualitatem loci, personarum ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum, teneantur Missas illis » ab Offerente præscriptas celebrare? « Respondit S. Congregatio: *Teneri.*

Item cùm quæsitum esset ab eadem Congregatione: » An » Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, » seu Capellæ, legati, aut salarii, possint etiam manualem ele» emosynam pro Missis votivis, aut Defunctorum, recipere, » & unico Missæ Sacrificio utrique oneri satisfacere? «

Censuit Congregatio: » Sacerdotes, quibus diebus tenen» tur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, legati, » aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis » susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi sa» tisfacere. «

XVI. Hæc, aliaque sententiarum monstra, quæ sacrilega Sacerdotum quorundam aviditas adinvenit, si quis unà cum censuris hisce attendat, facilè intelliget, Pontificum in censurandis propositionibus mentem duntaxat fuisse, injustitiam, & avaritiam Sacerdotum, Fidelibus Laicis imponentium, refrænare.

XVII. Quod & obscurè seculo XIII. (quando Honorarium Missæ jam invaluerat) ostendit Archiepiscopus Cantuariensis anno 1281. in suis Constitutionibus *Can. 2.* decernens: » Nul» lus plura recipiat annalia celebranda, quàm habet socios cele» brantes, illo casu excepto, in quo procurans suffragia fieri » pro defuncto, consentit expressè defuncti memoriam alii, » vel aliis copulari. Nec credat celebrans se dicendo Missam » unam posse satisfacere pro duobus, pro quo utroque promi» sit specialiter & in solidum celebrare. «

XVIII. Quod ergo suo tempore dixit Walafridus, *errorem non modicum, & stultam opinionem* esse illorum, qui prætendebant, non posse satisfieri pluribus Offerentibus, nisi pro singulis singulæ Missæ celebrarentur; ideò dixit, quia tum temporis non invaluerat mos hodiernus dandi stipendium Sacerdoti eâ lege, ut pro dante specialiter Missam celebret; sed oblatio simpliciter fiebat, ea duntaxat conditione, ut in Sacrificio specialis commemoratio fieret in Ordine Offerentium.

Cùm ergò ex parte Offerentium nihil esset, quod ad singulas Missas pro singulis Offerentibus celebrandis cogeret; nihil quoque impediebat quominùs uno Sacrificio, quod ex parte Sacrificii est infiniti valoris, omnibus satisfieret. At postquam populus incepit offerre honorarium, sive stipendium Sacerdoti ea lege, ut pro se specialem Missam celebret, justitiæ leges refragantur, ut uno Sacrificio, contra fidem, saltem tacitè datam, pluribus satisfiat.

XIX. Manet ergo etiam hodie verum, quòd Missæ Sacrificium, quantum est ex parte Christi primarii Sacrificantis, & Hostiæ oblatæ sit infiniti valoris; atque Fidelibus assistentibus cum proportione devotionis & fidei fructus illius communicetur æqualiter, sive pauci, sive multi assistant.

XX. Deindè hoc quoque indubitatum est, hodiernum Missarum stipendium esse considerandum, ut voluntariæ cujusdam oblationem speciem, in locum oblationis in Missa primitùs fieri solitæ, surrogatam.

Instruendus ergo est populus, ne *honorarium* illud habeat tanquam pretium Sacrifici, sed ut voluntariam oblationem, qua Deum tanquam rerum temporalium auctorem recognoscens, unà cum Sacerdote Sacrificium offerre, & ipsius Sacrificii, ac signanter precum, quæ pro offerentibus funduntur, participes esse mereatur.

XXI. Monendus insuper est populus, ne in numero aut magnitudine honorariorum nimiùm confidat, quasi eorum sola oblatione virtutem Sacrificii consequatur: cùm non tam ad oblationum magnitudinem, quàm offerentis affectum respiciat Deus.

Unde post alios dicit Petrus de Soto *de Sacrificio Missæ, Lect. 7.* » intentionem Sacerdotis offerentis, & applicationem » ejus prodesse quidem, sed juxta *dispositionem* illorum pro » quibus offertur: Non enim quantum celebrans, aut intendit, » aut vult, consequitur is pro quo celebrat, sed quantum *sua* » *fides* & *devotio* digna vel capax est. «

XXII. Quapropter Synodus Tridentina *Sess. 22. de Sacrificio Missæ, cap. 2.* docens hoc Sacrificium esse verè propitiatorium, per ipsumque fieri, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in tempore oportuno, hanc requirit conditionem: *Si vero corde & rectâ fide, cum metu & reverentia, contriti pœnitentes ad Deum accedamus.*

Et S. Thomas ait: » Hoc Sacrificium, quod est memoriale » Dominicæ Passionis non habet effectum nisi illis, qui conjun» guntur huic Sacramento per fidem, & charitatem. « *3. part. quæst. 79. art. 7. ad 2.* » Et *art. 5.* Quamvis hæc oblatio (Sa» crificii) ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni » pœna; tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel » etiam offerentibus, secundum qualitatem devotionis, & non » pro tota pœna. «

Populus ergo sæpiùs monendus, ut potiùs satagat fidem & charitatem, piumque cordis affectum in se excitare, quibus ipsi Sacrificio jungantur, quàm accumulare nummos, qui-

quibus multa Sacrificia pro se offerri procuret.

XXIII. Hinc ulteriùs inculcandum populo, falsam omninò esse opinionem, quam per calumniam Ecclesiæ imputant hæretici, & non pauci è Catholicis, si non verbis, saltem suo agendi modo probare videntur: quòd „ Missam ejusmodi ac„ tum externum esse sentiamus, quem Sacerdos suo arbitratu, „ quibus velit, seu vivis, seu mortuis accommodare queat, „ etiamsi is nulla fide, nullaque voluntate præditus sit. Qui ali„ quam ex hoc Sacrificio ad se utilitatem redire volunt, ejus„ modi sint oportet, qui ad divinam sperent misericordiam, „ alioqui citra propriam fidem & devotionem aliena actio ne„ minem salvum & beatum facere potest, & Ecclesia Dei hac „ sua Sacrosancta victima homini impio non nisi hactenus „ conferre aliquid potest, quàm ut precibus illius causâ id agat „ apud Deum, ut pro sua clementia hujusmodi hominum cor„ da convertat. "

XXIV. Hæc Michaël Episcopus Mesburgensis, *Concione 17. de Sacrificio Missæ*, apud Gregorium Cassandrum in consultatione de articulis religionis ad Imperatores Ferdinandum I. & Ferdinandum II. *cap.* 24. ubi pluribus ostendit, hanc opinionem falsò Catholicis affingi.

XXV. Ex his quoque facilè intelligent pauperes, se posse non secus ac divites esse Sacrificii participes; modo ferventi charitate, & viva fide Sacrificio jungantur; memores quòd Sacerdos specialiter memoriam agens omnium circumstantium, addat: *Quorum tibi fides cognita est, & nota devotio.* „ Qui„ bus rursus evincitur, ut notat Cajetanus, applicationem hu„ jus Sacrificii non sola intentione, sed devotione adjuncta „ perfici, cujus rei ratio sit, quia in Sacraficiis, & oblationibus, „ quantitas devotionis magis pensatur, quàm rei oblatæ."

XXVI. Quid igitur? Nihil operatur intentio, sive applicatio Sacerdotis? Respondet Petrus de Soto loco citato: „ In„ tentio quidem celebrantis, maximè quando ille Deo gratus „ est, multum prodest, sed nihil determinati tamen haberi po„ test, nec id opus est inquiri; cùm procul dubio magis va„ leat devotio accedentis. Sacerdos verò hanc applicationem „ applicans (ut loquuntur) isti, aut illi, hoc agit, ut eos „ Deo commendans, ipsi æstimationem valoris relinquat, & „ hoc quidem tam in ipso Sacrificio, quàm in suis, quas vel „ ex Ecclesiæ ordinatione, vel voluntate propria Deo fundit, „ precibus."

XXVII. Inde hanc sine ulla hæsitatione format conclusionem: „ Unde non est dubitandum, meliùs & utiliùs esse fideli„ bus, astare Sacrificio Missæ, & fide & devotione illi con„ jungi, quàm curare, ut pro se sæpiùs celebretur."

Et licèt Sacerdos etiam pro absentibus orare, & Sacrificium offerre queat; nihilominus indubitatum est, & constat ex precibus, quæ tempore Sacrificii dicuntur, Missam specialiter pro circumstantibus, sive præsentibus offerri; ipsosque fideles præsentes una cum Sacerdote offerre; adeò ut ipse Sacerdos conversus ad populum dicat: *Orate Fratres, ut meum ac* VESTRUM *Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.*

XXVIII. Hinc Ecclesia à suis primordiis rigidè mandavit fidelibus, diebus Dominicis, festisque Missarum solemniis devotè assistere; at nullibi mandavit, ut quis Missam pro se celebrari curet. Neque hactenus ullus unquam asserit, neque asserere cum aliqua veri specie posset, utilius esse hominibus divitibus, etiam sepositâ lege positiva, jubere diebus Dominicis & festis Missam pro se celebrari, quàm illi devotè assistere.

CAPUT VI.

Quid Sacerdotes in receptione Honorarii servare debeant; et quæ incommoda ex Honorario profluant.

1 *Honorarium accipi debet à Sacerdote, ut oblatio voluntaria.*
2 *Honoraria habenda sunt ut alia bona Ecclesiastica.*
3 *Indignum est, ut Honoraria habeantur ut rerum profanarum pretia.*
4 *Cavendum Sacerdoti, ne de his Honorariis mercari videatur.*
5 *Nihil pro Missis exigendum.*
6 *Synodi Tridentinæ decretum contra conventiones super Honorariis Missarum.*
7 *Decretum Synodi Mechliniensis contra similes stipulationes.*
8 *A Missæ celebratione abesse debet animus mercenarius.*
9 *Modus agendi aliquorum Sacerdotum indicat, Missas ad quæstum celebrari.*
10 *Indicium animi mercenarii in Sacerdotibus.*
11 *Secundum illius indicium.*
12 *Nonnunquam mercenario modo pro ratione stipendii major vel minor est Missæ solemnitas.*
13 *Indecens est, quòd ex Honorariis Missarum Sacerdotes vivere debeant.*
14 *Hinc contingit, plures non solo pietatis affectu Missam celebrare.*
15 *Verendum, ne hodiè plures ex humano affectu ad Altare accedant.*
16 *Plures hodie videntur ordinari Sacerdotes, ut ex Missis victitent.*
17 *Ob Honoraria Sacerdotes se facilè divitum obsequio cum vilipendio Sacerdotii addicunt.*
18 *Quod remedium contra hos abusus.*
19 *Sanctus Franciscus veritus Missas* quæstuarias, *tantùm unam celebrari voluit.*
20 *Sanctus Ignatius Honoraria accipi noluit.*
21 *Monasteria omne etiam sponte oblatum Honorarium respuentia, meritò laudanda.*

I. HOdiernum Missarum *honorarium* speciem quandam esse voluntariæ oblationis, atque in locum oblationum successisse, capite præcedenti ostendimus; consequenter, sicut Laici illud tanquam Deo acceptam oblationem Sacerdoti offerre debent, ita quoque illud Sacerdotes non tanquam pretium Missæ, sed ut voluntariam oblationem grato animo accipere tenentur: unaque ostendere, se velle Deo voluntariè sacrificare, „ Et si quando nihil, aut aliquid minus liberali animo „ *honorarii* loco eis donatum fuerit, non in hoc constristentur, „ minimeque aliquod indignationis dent indicium; quin potiùs „ ut ostendant se magno, liberalique animo gratis dare, quod „ gratis acceperunt, ab omni cogitatione, & desiderio mu„ neris, ac *honorarii* se semper contineant; & si quando ali„ quid accipere cogantur, illud quamvis *exiguum* lætiori, lu„ bentiorique animo accipiant, quàm paupercula illa vidua æra „ minuta duo, quæ sola habebat in gazophylacium mittebat." Ita Directorium ecclesiasticæ disciplinæ, Coloniensi præsertim Ecclesiæ accomodatum sub finem XVI. seculi per Octavium Frangipanum Mirthum Episcopum Tricaricensem Sedis Apostolicæ per Germaniam inferiorem & Belgarum Provincias Nuntium; necnon per Facultatem Theologicam Lovaniensem approbatum, *lib. 1. tit. de Divinis Officiis, num. 53.*

II. Hinc consequitur, *honoraria* hæc tanquam Fidelium oblationes in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ Deo factas, non secus ac alias oblationes & decimas, bonis Ecclesiasticis esse annumerandas; uti rectè docet Boetius Epo apud Duacenses olim SS. Canonum Primarius Antecessor ad cap. 1. ✠ de Testamentis, *num.* 80. adeoque falsum esse Doctorum de his *honorariis* ideam, qui ea *quasi patrimonialibus* Clericorum accensent, atque à proventibus verè ecclesiasticis distinguunt.

III. Pejorem adhuc de *honorariis* his ideam formant illi, qui asserere non erubescunt, quòd *stipendia* Missarum *ad modum pretii rerum habeant medium, infimum, & summum*: considerantes sanè illa non tanquam voluntarias fidelium religiosas oblationes; sed ut quædam profanarum rerum pretia. Quo quid turpius, ne dicam abominabilius, cogitari potest!

IV. Cavendum autem Sacerdotibus, ne suo modo agendi, eam se de stipendio sive Honorario Missarum ideam habere ostendant, conventiones directè, aut indirectè super hisce Honorariis ineundo.

De qua infami mercatura quorundam Sacerdotum ita anno 1321. conqueruntur Patres Synodi Toletanæ *Can. VI.* „ Mul„ ta mentis amaritudine concitamur, gravisque doloris aculeus „ effodit mentem nostram, intelligentes, quòd aliqui Presbyte„ ri detestanda, & abominabili ambitione cæcati, pro Missis „ per eos celebrandis pecuniam exiguunt, & super hoc, ac si „ vellent vendere rem profanam, *impudenter mercantur*: quan„ doque etiam publicè, qui eas faciunt celebrari, æstimantes, „ quòd ex eorum facto pernicioso vendant gratiam Dei, quæ „ in Sacramento Missæ confertur, vel veriùs ipsum Deum, qui „ nobis sub specie dicti Sacramenti se exhibet, pecunia posse „ vendi."

V. Post hæc abominandum hunc abusum ex sordida Sacerdotum avaritia promanantem extirpare volentes, subjungunt: „ Verùm cùm dictum Sacramentum super omnia pretiosum, „ sit *liberaliter* sicut cætera Sacramenta celebrandum, districtiùs „ prohibemus, ne aliquis Presbyter pro Missis celebrandis pe„ cuniam exigat, vel rem aliam temporalem, sed *gratè* acci„ piat, si aliquid per facientem Missas celebrari oblatum sibi „ charitativè fuerit, *absque pacto & conventione quacumque.* „ Qui verò contrarium fecerit, à celebratione Missæ per an„ num noverit se suspensum, & aliàs pro tam gravi excessu „ ad arbitrium proprii Episcopi puniendum."

VI. Synodus Tridentina advertens, Sacerdotes cupiditate excæcatos nequaquam à profano illo mercimonio cessare, injunxit Episcopis, ut è medio tollant, quidquid avaritia contra reverentiam Sacrificii Missæ induxit, atque imprimis, „ cujus„ vis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis no„ bis celebrandis datur; necnon importunas, atque liberales „ eleemosynarum exactiones potiùs quàm postulationes, aliaque „ hujusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certè à turpi quæs-

„tu

„ tu non longè absunt, omninò prohibeant.“ In decreto *de observandis & evitandis in celebratione Missæ.*

VII. Decreto Synodi Tridentinæ satisfacere cupiens Synodus P. I. Mechliniensis, *tit. de Decanis, cap.* 11. » Pastoribus » & quibuscunque Sacerdotibus inhibet sub pœna suspensionis, » ne per se vel alium, *directè* vel *indirectè stipulentur* pro Missis votivis, ad piorum postulationem celebrandis; sed quod » eis sponte oblatum fuerit, accipiant.“

VIII. Dùm verò Synodi adeo solicitè cavent, ne quæ conventio, aut illiberalis eleëmosynarum exactio, aliunde turpem quæstum sapiens, occasione celebrationis Missarum interveniat; quid aliud voluit, nisi generaliter præcavere, ne Sacrificium Missæ, mercenario & sordido modo à Sacerdotibus tractetur, seu potiùs profanetur? quod & ipsa ratio clamat; ac dignitas, & sanctitas Sacrificii expostulant.

» Quod si enim fatemur (ait Synodus Trid. loco citato) nul» lum opus adeò sanctum, & divinum à Christi fidelibus trac» tari posse, quàm hoc ipsum tremendum mysterium, quo » vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari » per Sacerdotes quotidiè immolatur; satis etiam apparet, om» nem operam, & diligentiam in eo ponendam esse, ut quan» tâ maximâ fieri potest anteriori cordis munditiâ & puritate, » atque exteriori devotionis, ac pietatis specie peragatur.“

IX. Si hodiernum plurimorum Sacerdotum, præsertim tenuioris fortunæ inter Seculares, & inter Regulares, quorum Monasteria hisce Missarum *honorariis* victitant, modum agendi vel leviter attendamus, prô dolor! verendum ne & hodie verissimum sit, quod jam pridem deploravit Alvarus Pelagius *lib. 2. de Planctu Ecclesiæ, art.* 5. quòd tot dicantur Missæ *quæstuariæ*, ut apud populum vel Clerum Corpus Domini jam vilescat.

Nonne plurimos hodiè conspicimus Sacerdotes ad domos mortuarias cursitare, ubi stipendia, præsertim pinguiora se accepturos sperant; non secus atque opifices ac mercenarii quique, operum suorum pinguiores mercedes venantur?

X. Quam paratos, & obvios reperies Sacerdotes plurimos ad Missæ Sacrificium quacunque hora, & quocunque loco, tametsi etiam parùm opportunis & canonicis, celebrandum, si congruentia ad ipsorum placitum offerantur honoraria! econtra quàm difficiles & refractarios habebis, ut hora & loco quantumvis populo maximè oportunis, & subinde ferè necessariis, Missam celebrandam suscipere velint, si honoraria congrua desint! quasi Sacerdotes ordinati non tam essent ad offerendum Sacrificium tanquam Ministri Ecclesiæ, ad devotionem, & ædificationem fidelium, quàm ut ex celebratione Missarum sibi comparent *Honoraria* sive stipendia, atque ex iis vivant. Unde similes Sacerdotes parùm attendere solent, num celebratio Missarum tempore, aut loco magis congruis fiat, modò hoc loco, aut tempore celebrando majus Honorarium accipere possint. Quid hæc nisi mercenarium Sacerdotum illorum animum in Missarum celebratione indicant?

XI. Adhæc non paucos conspicimus tàm è Secularibus quàm Regularibus, mercenariorum seu opificum more stipendia Missarum pro mensura laboris & temporis in earum celebratione impendenda taxantes, atque commensurantes.

Quid hodiè familiarius, quàm majora taxari stipendia, dum in hoc illove Altari celebrantur; eò quòd ob quandam devotionem populi erga certam Imaginem vel Sanctum, plura ad illud Altare petantur fieri Sacra? Quo fit, ut pluribus Sacerdotibus concurrentibus ad celebrandum, nonnunquam tempore aliquo sit expectandum, ob quam expectandi moram, Sacerdotes illi quasi mercenarii, Missæ celebrationem ampliori stipendio compensatam volunt.

Si Ecclesiæ utilitas postulet, ut certis, destinatisque horis Sacra legantur, nonne videmus, quòd more mercenariorum majus stipendium requiratur, quàm si libertas hora quacunque celebrandi Sacerdotibus illis relinquatur? Quo quid evidentius, in oblatione Sacrificii non tam inspici, quid hîc & nunc postulet utilitas Ecclesiæ, quàm quid exigat quantitas stipendii.

Si ulteriùs similes Sacerdotes requirantur, ut ad dissitam aliquam Ecclesiam celebrandi gratiâ accedant, nonne mox ut quidam bajuli, aut nuntii volent stipendium labori itineris, & tempore impendendo præcisè esse proportionatum?

XII. Nec hîc Sacerdotum sistitur mercenarius animus. Eo enim hodie mercenarius ille taxandi modus devenit, ut ipsa Sacrificii solemnitas, non jam à festi solemnitate, atque Ecclesiæ præscripto, sed à quantitate stipendii persoluti, aut persolvendi desumenda videatur.

Quid hodiè frequentius, quàm Missæ Sacrificium pro cujusque privato affectu, nulla publica causa, aut Festi solemnitate occurrente, solemnissimè peragi, modò stipendium, pro ratione solemnitatis, more mercenario à ministris illis taxatum offeratur? Econtrà si desit hujusmodi stipendium, occurrat quantumvis magna festivitas, non ritus solemnis, sed ritus simplicior stipendio proportionatus habebitur. Quinimò, in nonnullis Ecclesiis conspicimus per similes mercenarios Ministros ipsum ritum ab Ecclesia prescriptum nonnunquam truncari, & fœdè mutilari; quia stipendium ipsorum judicio, quo nonnisi stipendium ponderatur, non correspondet labori, quem Sacrificii decantationi cum integro ritu peragendi impendere deberent. O mercimonia!

XIII. Dicet forsan nonnemo, quid mirum, si honoraria, stipendiave Missarum tam anxiè à nonnullis Sacerdotibus quærantur, nec faciles se ad celebrandum, nisi hæc adsint, præbeant; cùm vel ipsi, vel ipsorum Conventus majore ex parte ex hisce honorariis, stipendiisve vivere cogantur? Haud diffiteor, ita in more positum esse: Sed quis & illud non deploret, imò exhorrescat, ipsum tremendum divinissimumque atque Religionis nostræ augustissimum mysterium eo esse vilitatis redactum, ut ceu quoddam opificium victui quotidiano parando subservire debeat?

Quis ambigat, quin temporalia modo mercenario & sordido facilè ex Missarum celebratione sint quæsituri, qui Missæ celebratione tanquam medio ad vitæ necessaria paranda uti coguntur?

XIV. Atque hinc contingit, quòd Sacerdotes ex Missarum honorariis victitantes ex humano potiùs affectu, aut consuetudine, aut sanè ex necessitate vitæ subsidia consequendi, quàm devotionis affectu, & Spiritûs Sancti impulsu quotidie ad Missam celebrandam accedant.

XV. Imò si horum Sacerdotum ratio agendi propriùs attendatur, verendum ne cum Patribus Synodi Coloniensis anno 1536. *part.* 2. *cap.* 10. dicere etiam hodiè debeamus: » Ter» ret, nec immeritò, nos sermo Dominicus, qui vetat nos » sanctum dare canibus, & margaritas nostras projicere ante » porcos, dum quosdam leviculos Sacerdotes illotis manibus » pedibusque, ut in Proverbio est, audaciùs in hæc sacratissima » mysteria, quàm in profana irrumpere comperimus. Quales » sunt, *Qui humano affectu tantùm, & potiùs ex more, quàm* » *devotionis ardore ad Altare accedunt*, quorum polluta est » mens & conscientia, quos meritò horrendum Evangelii exem» plum (quod Joannis decimo tertio legimus in hæc verba: » *Et postquam accepisset buccellam, introivit in eum Satanas,* » & cætera quæ sequuntur) ad meliorem vitæ frugem, altio» remque tanti mysterii contemplationem revocaret.“

An non magna cum Sacrificii irreverentia hodie conspicimus, Sacerdotes vitam otiosam, imò multis defectibus, ne dicam criminibus, obnoxiam agentes, necessitate victum quærendi ex stipendiis Sacrorum quodammodo compulses, accedere ad quotidianum Sacrificium, non secus ferè atque opifices ad opus suum manuale lucelli causa indies properare solent.

Non dubium quin & hodiè verum sit, quod olim dixit S. Augustinus: *Omnem conditionem includere bonos & malos, esseque Clericos perinde falsos ac Monachos. Sunt*, ait, *& Monachi falsi, & nos novimus tales, sed non periit fraternitas pia propter eos, qui profitentur quod non sunt; tam sunt enim Monachi falsi, quàm Clerici falsi & fideles falsi*; & tamen nonne inviti hodiè videmus, quòd in plerisque Monasteriis nulla bonos inter & malos, veros & falsos fratres intercedente differentia, omnes frequentissimè, si non quotidiè, tremendis Altaribus assistant, quin assistere jubeantur: in illis præsertim Congregationibus, quibus vivere ex Sacrorum stipendiis in more positum est. O quot exinde non timenda sacrilegia!

XVI. Hi plerumque sunt è Sacerdotibus illis, de quibus ad Nepotem suum scribit Cardinalis Bellarminus: „ Plurimi „ ordinari cupiunt pro utilitate sua, non Ecclesiæ & de *celebra*„ *tione Missæ faciunt artem de pane lucrando*: unde Sacerdo„ tium contemptibile redditur, & Ecclesia scandalis scatet.“

Nec hæc tantùm in ordinatione Sacerdotum secularium metuenda; sed & Regularium, præsertim illorum Ordinum, qui ex honorariis Missarum victum quærere solent: omnesque, modò ætatem Sacerdotio prærequisitam attigerint, ad Sacerdotium mittere consueverunt; atque Sacerdotes ordinatos honorarii quotidiani lucrandi causa, ad quotidianum Sacrificium quodammodo adigunt. Sed de hoc latiùs infrà *tit.* 9. Ubi de *Ordine* agetur.

XVII. Ex hoc quoque Sacerdotum mercenario agendi modo evenit, ut Sacerdotes se Magnatibus & divitibus quibusque celebrandi causâ Capellanos constituant; quos hi ut servos admittunt, nec honestiùs plerumque tractant, quàm artifices, qui ad opera sua elocanda spe mercedis invitantur; gloriosum autumantes, inter famulos seu pedissequos suos, non tantùm vile aliquod hominum genus, sed ipsos quoque Sacerdotes numerare. At de hoc abusu latiùs capite 8. ubi de *Oratoriis domesticis* agitur.

XVIII. Hæc aliaque, quæ ex hodiernis Missarum stipendiis profluunt, ipsumque Missæ sacrificium horrendum in modum profanant, vileque, ac contemptibile Catholicis pariter, & Acatholicis reddunt, Ecclesiarum Prælati, ac præcipuè Episcopi ex mandato Synodi Tridentinæ omnibus viribus, tanquam abusum verè magnum & execrandum eradicare tenentur; omniaque media adhibere, quæ eum in finem subservire queunt. Inter media autem illud non minimum videtur, ut neminem ad

Sa-

Sacerdotium admittant, quem verisimiliter intelligunt, eo præcipuè fine Sacerdotio initiandum præsentari, ut vel sibi, vel Communitati suæ ex celebratione Missarum victum conquirat; atque ità verendum sit, ne ex celebratione Missarum faciat artem de pane lucrando. De quo latiùs infrà titulo *de Ordine*.

XIX. Profanationem hanc aliaque incommoda veritus S. Franciscus, teste Alvaro Pelagio, „ voluit, quòd in quocumque loco Fratres contenti essent una Missa, præsciens, Fratres se velle justificare per Missas, & ad quæstum eas reducere; sicut videmus hodiè fieri. " Hæc illo loco suprà citato.

Similiter S. Ignatius Societatis Fundator parte VI. Constitutionum cavit: „ Omnes, qui sub obedientia sunt Societatis, meminerint, se gratis dare debere, quæ gratis acceperunt, nec postulando, nec admittendo *stipendium, vel eleemosynas ullas*, quibus Missæ, vel confessiones, vel prædicationes, vel lectiones, vel visitationes, vel quodvis aliud officium ex iis, que Societas juxta nostrum institutum exercere potest, compensari videatur; ut sic majori cum libertate possit & proximorum ædificatione, in divino servitio procedere. "

Unde & Christianus Lupus in Dissertatione 2. procœmiali ad *tomum* 3. *Schol. cap.* 11. ait: „ Reformata quædam, omnem etiam spontè oblatum denarium refutantia, Monasteria sunt plurimùm laudanda, & orandus est Deus, ut ad omni saltem coactioni renuntiandum nos promovere, atque ita casta Patrum corda in nos reducere dignetur. "

CAPUT VII.

De Anniversariorum, et Missarum Fundationibus, eorumque Reductione.

1 *Primis seculis anniversaria dies obitus celebrata; sed an annuatim recurreret incertum.*
2 *Seculo IX. anniversaria annuatim recurrentia nota fuêre.*
3 *Anniversaria Regum, & Abbatum celebrantur in Monasteriis.*
4 *Anniversaria jam pridem cum Missa & Psalmorum cantu peracta.*
5 *In die anniversariâ antiquitùs campanæ etiam pulsabantur; & eleemosynæ pauperibus distribuebantur.*
6 *Occurrente anniversario Monachis, & Canonicis refectio dabatur.*
7 *Apud Canonicos hæ refectiones in denarios Canonicis præsentibus distribuendos conversæ sunt.*
8 *Anniversaria olim pro Fundatoribus, & benefactoribus fieri solebant, ne quidquam speciale pro ejus celebratione assignabatur.*
9 *Hodie pro celebrante, Ministris, & etiam Ecclesiæ fabricâ, certa summa relinqui solet.*
10 *Quâ celebritate anniversaria celebranda pendet præcipuè à Fundantium voluntate.*
11 *Anniversaria nunc valdè multiplicata; & unde.*
12 *Accesserunt Missarum multarum fundationes.*
13 *Fundationis Missæ quotidianæ meminit Alexander III. eamque nonnihil restringit.*
* *Fundationes Missarum quotidianarum non facilè admittendæ sunt.*
* *Missarum quotidianarum celebratio injuncta uni Sacerdoti ignota olim fuit.*
* *Tempus quo illa injunctio cœperit.*
14 *Qui Capellaniam cum onere Missæ quotidianæ habet, an debeat quotidiè Missam celebrare.*
15 *Obligatus ratione Beneficii ad celebrandum, satisfacit dando substituto conveniens Honorarium.*
* *Potest ne semper possessor simplicis Beneficii sub onere Missarum, sibi retinere partem fructuum, dum alteri Sacerdoti committit celebrationem Missarum?*
16 *Qui accipit Honorarium pro Missa, non potest alteri eam committere parte Honorarii retenta.*
17 *Quæ disparitatis ratio.*
18 *Qui beneficii etiam simplicis fructus percipit, debet se ut Ecclesiæ Ministrum exhibere.*
19 *Nulla Capellaniarum solo onere celebrandi Missam utilitas esse solet.*
20 *Debet Fundatorum mens impleri; & quis soleat esse defectus.*
21 *Anniversaria, & Missæ fundatæ frequenter admodum negligenter peraguntur*
22 *Quæ Pastorum circa hæc cura esse debeat.*
23 *Qui animo mercenario his officiis interesse censeantur: quibus distributiones dandæ.*
* *Vitandus animus mercenarius in persolvendis anniversariis.*
24 *Unde factum, ut omnibus fundationibus Missarum satisfieri non potuerit.*
25 *Synodus Tridentina dat Episcopis facultatem anniversaria & Missas reducendi ad minorem numerum: & quare.*
26 *Sacerdotes privata auctoritate ea reducere non possunt.*
27 *An Episcopi extra Synodum habeant illam facultatem.*
28 *Decretum S. Congregationis potestatem Episcoporum restringens in Belgio non receptum.*
29 *Reductiones faciendæ prævio examine, & auditis quorum interest.*
30 *Episcopus in reductione non tam utilitatem privatorum, quàm augmentum divini cultûs attendere debet.*
31 *Non multùm urgendi Fideles ad Missarum fundationes, præsertim à Presbyteris; & quare.*
32 *Si Fundator voluerit Missam certo loco aut tempore fieri, voluntas servanda est.*
33 *Potest Episcopus has conditiones interdum tollere, aut mutare.*

I. A Primis seculis defunctorum extremum diem annuâ celebritate cultum fuisse, testis est Tertullianus *de Corona Militis, cap. 3. Oblationes pro Defunctis, pro Natalitiis annua die facimus.*

Et apud Cassianum *Collat.* 19. *cap.* 1. legitur: „ Nam prioris Abbatis, qui eidem Cœnobio præfuerat, *anniversaria* depositio solemniter celebrabatur. " Plura ibidem vide apud Gazæum in notis.

An verò anniversaria illa officia semel tantùm, an perpetuò recurrent, non ausim affirmare, ait Mabillonius in præfatione in primam partem seculi III. Benedictinorum *num.* 101.

II. In Vita S. Eigilis Abbatis Fuldensis scribit Candidus Monachus: „ Simili namque consilio atque Fratrum nostrorum de hac luce defunctorum in Natale S. Ignatii Martiris Christi, qui paulò inferiùs ab hac *anniversaria* numeratus, propter intercessionem tanti Patroni, in Missarum celebratione, Psalmodiis & oratione sancta celebrari sancivit. Hujus rei siquidem constitutio, dum cunctæ Congregationi prælecta esset, ac deinde, si placeret, interrogatum fuisset; respondebatur ab omnibus: Placet. Sed ne cui fortassè hæc celebratio superstitiosa, & cassa esse videatur, legat collationes Sanctorum Patrum, & ibi reperiet hujus Festivitatis exemplum. "

Ex his non obscurum est, similia Anniversaria ut minùs seculo IX. quo dictus Sanctus vixit, nota fuisse.

III. Unde & eodem seculo Synodus Pistensis multorum Episcoporum & Abbatum ratas habuit *refectiones*, quas Hilduinus Abbas constituit Dionysianis Monachis in festivitatibus Sanctorum, quorum corpora in eodem loco sunt humana, atque Anniversario *Dogoberti Regis ex Auriaco.* Deinde subdit: „ Charitates etiam in *Anniversariis* Regum & Abbatum de cellario Abbatis juxta solitum accommodentur. Item *refectiones* Fratribus de rebus Ecclesiæ, ac thesauri, veluti Hilduinus ordinaverat, subministrandas, hos est, in Purificatione S. Mariæ, Asumptione ejusdem, Nativitate, Missa S. Petri Apostoli, Anniversario Hildovici Imperatoris, festivitate omnium Sanctorum, dieque *depositionis* suæ decernimus. " Habentur tomo 8. Concil. General. col. 756.

Quin & sub initium ejusdem seculi in Conventu Abbatum Aquisgranensi *cap.* 73. decretum est, „ ut pro Abbate defuncto anniversarium fiat officium. "

Scribit quoque circa idem tempus Amalarius *lib.* 3. *de Eccles. Officiis, cap.* 44. „ Anniversaria dies ideò repetitur pro Defunctis, quoniam nescimus, qualiter eorum causa habeatur in alia vita. "

IV. Quo ritu Anniversaria hæc antiquitùs celebrarentur, incertum est. Hoc satis constat, non eodem ritu, nec eadem celebritate ubique fuisse peracta.

Ex verbis suprà è Vita S. Eigilis relatis patet, quòd Anniversarium Sturmii Abbatis Fuldensis, *in celebratione Missarum, Psalmodiis & Oratione celebrari sanciverit peragi S. Eigilis Abbas.*

Illud quidem Anniversarium etiam ante Eigilis decretum fuisse à Monachis Fuldensibus celebratum, sed minùs solemniter, evincit eorum Libellus supplex Carolo M. oblatus, in quo dicunt: *Pro Sturmio quoquo Abbate in* Anniversaria *obitûs die, unam Vigiliam, unum Psalterium per singulos annos legimus.*

V. Apud Ordericum Vitalem *lib.* 3. *Historiæ*, refertur Osbernum Abbatem Uticensem constituisse *generale Anniversarium* singulis annis fieri pro patribus, & matribus, pro fratribus & sororibus omnium Monachorum Cœnobii Uticensis. „ Anniversarium verò de quo loquimur (ait Vitalis) sexto Kalendas Julii sic agitur. *Omnia signa serò & manè* ad officium defunctorum *diù pulsantur*, volumen mortuorum super Altare dissolutum pallam expanditur: & deprecatio priùs pro defunctis, posteà pro vivis parentibus & benefactoribus cunctis Fidelibus Deo offertur. Missa verò matutinalis ab Abba-

„ te

„ te celebriter canitur: ab Elemosynario autem tot pauperes, „ quot Monachi sunt, ipsa die in Cœnobio colliguntur."

Hinc habemus, nequaquam recens esse, quòd omnia signa, id est, campanæ sero & mane ante officium diù pulsentur.

Ulteriùs habetur, quòd in die anniversaria specialiter eleemosynæ in pauperes distribuerentur.

VI. Hoc quoque jam pridem in usu fuisse videtur, ut die anniversaria recurrente, Fratribus refectio amplior daretur, uti suprà ex Synodi Pistensis decreto videmus. Et verbis è vita S. Eigilis suprà relatis ab auctore subjicitur. „ Eadem verò die ob „ reverentiam tantæ solemnitatis, secundum congruentiam mo„ nasticæ vitæ, ad *victum* fraternum cultius quid solito jucun„ diusque fieri demandavit."

Apud Miræum in Donationibus Belgicis, *cap.* 62. occurrit diploma Godefridi Barbati Ducis Brabantiæ, quo donatur Collegio Canonicorum Lovanii in Ecclesia Sancti Petri *Ecclesia de Rode* cum universa dote suâ, eâ adjunctâ lege, „ ut in „ Anniversario Domini Ducis, quandocunque occurreret, Fra„ tres simul essent *in charitate*: & si res aliquando ad ea con„ cresceret in Anniversariis uxoris ejusdem Ducis Dominæ Idæ, „ & matris ejus Aleidis similis ageretur lætitia."

Si quis Capitulorum, & Monasteriorum antiqua monumenta revolvat, plura ejusmodi Anniversaria reperiet; habenturque in Collegiis Academicis pleraque defunctorum Præsidum, & Benefactorum Anniversaria cum refectione Communitati ea die danda; quam vocabulo barbaro *pitantiam* dicere consueverunt.

* Quin & in Regno Hispaniæ seculo XI. usitata fuisse convivia defunctorum, ad quæ tum Laici, tum Clerici conveniebant; colligitur ex Synodo Coyacensi habitâ in Hispania anno 1050. in qua legitur hoc pium decretum Can. 5. „ Cle„ rici & Laici, qui ad convivia defunctorum venerint, sic pa„ nem defuncti comedant, ut aliquid boni pro ejus anima fa„ ciant; ad quæ tamen convivia vocentur *pauperes & debiles* „ pro anima defuncti."

VII. In Collegiis Canonicorum posterior ætas has refectiones in denarios inter Canonicos celebrationi anniversariorum assistentes distribuendos ubique ferè convertit; quarum distributionum mentio fit in *Cap. Unico, de Clericis non residentibus, in VI.* Decrevit ibidem Bonifacius VIII. id quod statutum erat de distributionibus Horarum Canonicarum, *de distributionibus etiam pro defunctorum Anniversariis largiendis observandum.*

VIII. Antiquitùs Anniversaria illa nonnisi penè pro Fundatoribus, & Benefactoribus agebantur; neque aliqua certa, ac determinata summa, quæ celebranti, & Ministris in honorarium cederet, assignari solebat.

IX. At postquam Missarum honoraria invaluerunt, etiam pro celebrandis Anniversariis *honoraria* Sacerdoti celebranti, & Ministris assistentibus assignari cœperunt; idque pro ratione celebritatis, qua celebranda sunt. Insuper nummus aliquis ipsi Fabricæ Ecclesiæ pro impensis in Sacrificium & ornamenta faciendis constitui.

X. Porrò celebritas Anniversariorum, necnon relictorum vel in pauperes, vel Ministros Ecclesiæ aliave pia opera distributio dependent à Fundatorum voluntate & arbitrio, quæ illorum prima lex esse solet.

XI. Sicuti cuilibet particulari liberum tandem fuit, dato Honorario sibi specialem Missam juberi fieri; ita quoque eadem ratione invaluit, ut quisque potuerit speciale *Anniversarium* fundare; atque hoc pacto postremis hisce seculis Anniversaria in immensum excrevêre.

XII. His accessere insuper crebræ Missarum fundationes, quæ vel quotidianam, vel plures per mensem, aut hebdomadam, vel annum, pro ratione stipendiorum, & voluntate fundatorum Missas requirunt.

XIII. Fundationis Missæ quotidianæ mentio occurrit in *Cap.* 11. ✠ *de Præbendis*, ubi narratur, quòd Præpositus & Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Insulensis in Flandria, communi voluntate cuidam Sacerdoti præbendam unam dedissent in Ecclesia sua, ità quòd *Missam de Sancta Maria* (nisi corporis infirmitate gravatus sit) debeat quotidie celebrare, & Ecclesiam non nisi communi tam Præpositi, quam Capituli assensu posset deserere, vel cuiquam præbendæ illius *Anniversarium* delegare. Pontifex Alexander III. interpellatus hanc concessionem hoc tenore firmavit: „ Quam siquidem institutionem ea„ tenus confirmamus, ut prædictus Sacerdos, nisi infirmitate cor„ poris fuerit impeditus, assiduè debeat obsequium suum im„ pendere Ecclesiæ memoratæ, & quantò frequentiùs potest „ (salva honestate sua, & debita devotione) Missarum solem„ nia celebrare: nec sibi liceat hoc illi subtrahere, sive cau„ sa voluptatis, sive se ad aliam Ecclesiam transferendo."

* Hujus restrictionis causa ratio notanda est, quam ex Panormitano assignat Prosper Fagnanus his verbis: „ Quia talis ins„ titutio præberet multoties occasionem, seu materiam peccan„ di, cùm facilè non contingat, Sacerdotem quotidie devo„ tum existere ad celebrationem."

Hæc sanè ratio si ab Episcopis & Prælatis attenderetur, agnoscerent indubiè similes Missarum fundationes, nec facilè admittendas, nec Sacerdotibus quibuscunque esse committendas; cùm paucissimi reperiantur, præsertim inter illos, qui solent hujusmodi Missarum celebrationem suscipere, eâ devotione, & pietate, ut quotidiè sint dispositi dignè sacris altaribus adstare, & metuendum Sacrificium offerre.

* Hinc pluribus seculis hujusmodi Missarum quotidianarum celebratio, uni Sacerdoti injuncta ignota fuit.

Habetur quidem ex antiquis formulis fundationum, ac dotationum Monasteriorum, & Ecclesiarum, quòd fundatores solerent bona sua in Monasteriorum fundationem aut dotationem pro remedio animæ suæ, aut parentum suorum offerre, nullus tamen determinatus Missarum numerus expressus reperitur pristinis illis seculis.

Quin nec legitur primis Ecclesiis seculis, vel in Monachorum Regulis, vel in aliqua Episcoporum Synodo injunctum fuisse Presbyteris, *quotidie* Missæ Sacrificium offerre.

* Primum de hac quotidiana Missæ celebratione decretum occurrit in quodam Concilio Compostellano anni 1056. quod ex schedis Antonii Augustini Annalibus suis inseruit Baronius ad eundem annum, & prout expressum ibidem fuit, insertum legitur tomo IX. Conciliorum Generalium pag. 1087. ut proinde fides hujus Concilii unicè initatur prædictis schedis Antonii Augustini.

In hoc Concilio inter alia, quæ ad disciplinam ecclesiasticam conservandam spectant, illud sancitum legitur: Ut *Sacerdotes omnes, Episcopi atque Presbyteri Missam quotidiè celebrarent.*

Ad hoc statutum reflectens Mabillonius in *Præfatione ad secundam partem seculi VI. Benedictinorum*, *n.* 95. ait: „ Hæc „ prima de hac re Constitutio legitur, & quidem id maximè „ probandum, si modò Sacerdotum omnium mores tanti mys„ terii dignitati, & sanctitati responderent, abesset sordidus quæs„ tus, & lex consuetudinis, quæ in trivialemusum degenerat."

Neque eandem Missarum multitudinem à S. Francisco seculo XIII. probatam fuisse sufficienter indicavit idem Sanctus dum jussit fratres suos in suis Ecclesiis unâ Missâ esse contentos, uti hoc tit. *cap.* 6. *n.* 19. dictum est.

XIV. Quamvis usus fundandi Missas quotidianas deinceps obtinuerit, censet tamen Fagnanus ad hoc cap. *n.* 8. „ Statu„ tum vel pactum, quo Sacerdos obligatur ad celebrandum unam „ Missam quotidiè & de uno Sancto, non adeò strictè esse in„ telligendum, ut *singulis* diebus absque ulla intermissione, vel „ semper de illo Sancto celebrare teneatur; sed hanc interpre„ tationem admittere, ut illam celebret, quantò frequentiùs „ poterit, salva honestate & devotione, prout ejusmodi or„ dinationem & pactum hîc temperat & moderatur Pontifex."

Imò quia onus quotidiè celebrandi gravius visum fuit, Cœlestinus Pontifex Præbendam illam in duas divisit, ubi testatur Innocentius III. *Lib.* 2. *Registri, pag.* 487. his verbis: „ Ve„ rùm prædecessor Papa memoratus, uni Presbytero esse nimis „ onerosum attendens, divina *singulis diebus* celebrare, Præ„ bendam ipsam divisit in duas."

Verùm pro resolutione hujus Decretalis notandum, quòd Presbyter, cui hæc præbenda cum onere Missæ quotidianæ erat assignata, ex vi institutionis esset obligatus eam Missam quotidie per se celebrare; uti colligitur ex finali hac clausula: *Vel cuiquam Præbendæ illius anniversarium delegare*; & communiter notant Canonistæ, concluduntque ad hunc casum, resolutionem seu moderationem Pontifices esse restringendam.

Si enim in fundatione, aut institutione expressè cautum non sit, Presbyterum fundatione gaudentem debere per se Missam celebrare, potest toties quoties ei videbitur abstinere, atque per alium oneri satisfacere; & consequenter cùm hîc cesset ratio illa honestatis à Pontifice pro fundamento restrictionis assumpta, cessat quoque moderatio.

XV. Quæsitum aliquando fuit à Congregatione sub Urbano VIII. „ An Rector Beneficii, qui potest per alium cele„ brare, teneatur Sacerdoti celebranti, dare stipendium ad ra„ tionem redituum Beneficii. Respondit: Satis esse, ut Rector „ Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat „ Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum mo„ rem civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius Benefi„ cii aliud cautum fuerit."

* Ista Congregationis Cardinalium declaratio speciem juxtitiæ præfert, si præter onus Missarum aliud officium, sive onus ipsi beneficiato in fundatione sit injunctum, ratione cujus proventus Beneficii percipiat.

Si verò huic Beneficio nullus onus prærer celebrationem Misarum annexum est, ipse fundator proventus hos reliquisse censetur in honorarium Missarum, adeoque hujus Beneficii proventus vicem honorarii in singulas Missas ex mente fundatoris habere videntur, atque propterea circa proventus similis Beneficii idem apparet statuendum quod circa honoraria Missarum, quæ pro singulis Missis à fidelibus offerri consueverunt Presbyteris.

Igitur non apparet, quo titulo hic beneficiatus retinendo si-

sibi partem proventuum hujus beneficii commitendo alteri Sacerdoti celebrationem Missarum ab injustitia magis eximeretur quàm Sacerdos, qui partem honorarii sibi pro Missa celebranda oblati retinere; & partem duntaxat illius alteri Sacerdoti Missam celebranti daret.

Cùm enim fundator Beneficii non requisierit, nisi certarum Missarum celebrationem, sat innuit, intentionem suam fuisse, ut proventus fundationis cederent Missas illas celebranti, non secus ac alius, qui offert honorarium Sacerdoti Missam celebraturo.

XVI. Sin autem Sacerdoti oblata fuerit eleëmosyna major solita pro celebratione Missæ, si per alium jubeat Missam celebrari, tenetur eandem integram celebranti dare; nec ullam illius partem retinere potest, uti eadem Congregatio interrogata respondit: habenturque prædicta dubia cum responsis *t.* 4. *Bull. Rom. p.* 90. & 91.

XVII. Ratio hujus diversæ decisionis videtur fuisse, quòd in priori casu Fundator non asignaverit redditus annexos Capellaniæ *præcisè* pro stipendio sive honorario Missarum; sed simpliciter fundaverit Capellaniam, eique assignaverit dotem cum onere aliquot Missarum celebrandarum; atque ita videatur titulo Beneficii, exoluto hoc onere, posse fructus excrescentes retinere: In posteriori verò casu, quia eleëmosyna *unicè* offertur Sacerdoti pro celebratione Missæ; si illam alteri committat, nullus superest titulus legitimus, quo posset sibi partem eleëmosynæ applicare: undè lucrum tale vocat S. Congregatio *damnabile lucrum.*

XVIII. Quidquid sit, illud constat, quòd qui hujusmodi Capellaniam possidet, atque titulo Beneficii fructus sibi applicat, considerare consequenter debeat, Beneficium omne dari propter officium, *Cap. fin. de Rescriptis, in* VI. ac proinde etiam se exhibere debere tanquam Ministrum Ecclesiæ; *officium* ipsi Ecclesiæ præstare: neque bona Ecclesiæ, ut sunt omnium Beneficiorum etiam simplicium proventus, otiando consumere posse.

XIX. Qui vero vitam, modumque agendi similium Capellanorum, vel Beneficiatorum expenderit, facile videbit, quàm parum utilitatis, & ædificationis ex hujusmodi fundationibus provenire soleat; quodque ferè ad nihil valeant, quàm ut otiosos, ne dicam scandalosos, Clericos faciant, & nutriant; quamque proinde meritò in Concilio Tridentino plures optaverint similia Beneficia extingui, aut aliis uniri, vel aliter reformari; de quò latiùs infra ubi de Beneficiis agetur.

XX. Ad hæc similium Beneficiorum possessores etiam attendere debent, se onera à Fundatoribus imposita ita debere adimplere, ut non verbis duntaxat, sed menti atque intentioni Fundatorum plenè satisfacere studeant.

Qua in re haud satisfaciunt, qui, ut plures sibi fundationis proventus retinere queant, Sacerdotibus Sacra illa celebrandas aliave onera exolvenda committunt, quos viderint minoribus honorariis onera illa velle exolvere; nihil aut parum soliciti, qualiter onera illa à similibus Sacerdotibus sint exolvenda; imò probè noverint, Sacerdotes illos mercenario modo, non secus atque opifices sua opera, sacra illa ministeria peracturos. Et hinc fit, ut occasione hujus fundationis, præter mentem fundatoris, plus interdum maledictionis, quàm benedictionis & in Ecclesiam, & Fundatores accersatur.

XXI. Insuper quia sacra illa, aliaque divina officia à similibus Sacerdotibus, qui stipendiis Missarum vivunt, atque de Missarum celebratione quasi artem de pane lucrando faciunt, committuntur, fit, ut plerumque planè perfunctoriè & irregulariter peragantur; piaque Fundatorum voluntas, dum exteriùs adimpleri videtur, revera tamen negligatur. Ipsi enim indubiè, & ut animæ suæ consuleretur, ipsaque Ecclesia ædificaretur, hæc officia devotè, ac reverenter & modestè, prout officiorum illorum dignitas requirit, celebrari voluere.

Unde meritò Synodus Tridentina *Sess.* 25. *in decreto de Purgatorio*, mandavit Episcopis, » Curent ut fidelium virorum suffragia, » Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleëmosynæ, aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta piè & » devotè fiant; & quæ » pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, » non perfunctoriè, sed à Sacerdotibus, & Ecclesiæ ministris, & » aliis, qui hos præstare tenentur, accuratè & diligenter persolvantur."

XXII. In decretis Synodalibus Diœcesis Gandensis sub Antonio Triest *tit.* 11. *cap.* 11. statuitur; » Pastores sedulò advigilabunt, » & strenuè adlaborabunt, ut vigiliæ, & exequiæ fidelium defuncto» rum, solemniter, tractim, & graviter & devotè decantentur, sub » gravi mulcta in eos decernenda, qui in officiis hujusmodi fuerint » defectuosi."

Si hoc decretum ubique observaretur, sperari posset, quòd solito majori cum fructu atque fidelium ædificatione hæc divina officia exolverentur; ipseque populus veriorem, ac religiosorem de hisce officiis ideam conciperet; nec tantùm ut mundo aliquousque satisfaceret, & se à vexis Sacerdotum eximeret (quemadmodum non rarò hodie fit) sed animo voluntario, & pia planè intentione vigilias, exequias, aliaque officia celebrari postularet.

XXIII. Canonici quoque, & Clerici sat ostendunt, quo animo hisce divinis officiis intersint, qui *Offertorio* absoluto & distributionibus acceptis seu lucratis, mox, quasi flagellis abacti, Ecclesiam deserunt: quos ut compesceret Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 14. *cap.* 7. decrevit, ut illud, quod Clero ob funus, aut exequias defunctorum datur, iis, qui *eidem officio ab initio usque ad finem adfuerint, distribuatur.*

Et Synodus D. Mechilniensis *tit.* 11. *cap.* 10. privari vult distributionibus illos, » qui in Missis votivis & Anniversariorum, quæ ex » fundatione sine commendationibus canuntur, *ante primam collec*» *tam*, in Vigiliis verò *ante finem secundi Psalmi Vesperarum*; & » in commendationibus *ante initium Psalmi* IN EXITU usque ad fi» nem non intersunt."

Sacerdotes & Clerici, quia officia hæc omittunt, mox ut honoraria seu stipendia consueta deficiunt, sat ostendunt, quo affectu hæc officia persolvant & frequentent. De quo latiùs suprà actum est *Part.* 1. *tit.* 7. *cap.* 8.

* Meritò laudat Pæsius de Lara in tractatu suo de Anniversariis & Capellanis *lib.* 4. *cap.* 51. Canonicos Ecclesiæ Compostelanæ, in qua ita adimplentur Anniversaria illa, pro quibus unum dipondium datur cuilibet præbendato, etiam Canonico, ac si magna quantitas distribueretur, cujus exemplo (ait) reliquæ Ecclesiæ deberent facere, dum tamen non egeant, sed habeant sufficientes redditus ad sui sustentationem.

Hoc enim modo agendi ostenderent Canonici, se non merè intuitu temporalium distributionum, sive animo merè mercenario hæc divina officia celebrare, & iis asistere.

XXIV. Postremis hisce seculis numerus Missarum potissimum multiplicatus fuit, postquam honorarium sive denarius Missarum invaluit; eò quod offerentes singuli velint *pro se* specialem Missam fieri. Eadem quoque ratione factum, ut Anniversaria, atque Missarum fundationes in tantum tempore Concilii Tridentini excrevissent; ipsæque Ecclesiæ, & Monasteria tot Missis onerata deprehenderentur, ut iis omnibus persolvendis non sufficerent.

Ulteriùs postquam invaluit Missarum honorarium, atque unà populus voluit tot Missas celebrari, quot darentur honoraria, etiam multi requirebantur Sacerdotes & Ministri, qui illis fundationibus satisfacerent.

Cùm verò successu temporis fundationum redditus vel essent deperditi, vel decrescente pecuniarum valore, & rerum pretio è contra excrescente contingit, ut vix invenirentur Sacerdotes, qui fundationum onera vellent suscipere.

XXV. Duplice hoc titulo contingebat, uti deplorat Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reformat.* ut deperirent piæ testantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta ispectant, onerandi occasio daretur.

Igitur » Sancta Synodus cupiens hæc ad pios usus relicta, quo ple» niùs & utiliùs fieri potest, impleri, Facultatem dat Episcopis, ut » in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus & Generalibus Ordinum, » ut in suis Capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possint » pro sua conscientia in prædictis Ecclesiis, quas hæc provisione in» digere cognoverint, statuere circa hæc quidquid magis ad Dei » honorem & cultum atque Ecclesiæ utilitatem viderint expedire."

XXVI. Decretum hoc sat ostendit, Sacerdotibus non licere privata autoritate onera Beneficiis, aut fundationibus imposita reducere vel immutare; sed id, quoad Ecclesias seculares spectare ad Episcopos.

Quapropter anno 1639. Synodus Namurcensis *tit.* 3. *cap.* 31. conformiter ad decretum Synodi Tridentinæ statuit: » Nullus pro» pria auctoritate reducat Missas, anniversaria, & alia quæcumque » onera, suis Beneficiis incumbentia."

Deinde *cap.* 32. addit: » Et quia intelligimus plures pauciora » Sacra exonerare, quàm primæva ipsorum Beneficiorum institutio » requirit, mandamus, ut de illorum reductione nos doceant intra » trimestre."

XXVII. Quin si verba Synodi Tridentinæ attendantur, reducendi aut immutandi has pias fundationes potestas Episcopis non nisi in Synodo Diœcesana competere videtur; uti enim notat Garcias *de Beneficiis, part.* 7. *cap.* 1. *num.* 135. addit tamen *num.* 136. » verum esse tamen, quod in aliquibus Episcopatibus non sit usu re» ceptum hoc Decretum Concilii Tridentini; semper enim fiunt (in» quit) sine Synodo reductiones, non tantùm Missarum, Capellania» rum, sed etiam anniversariorum, & dotationum Ecclesiarum."

Notoria, & quotidiana Belgii praxis evincit, Episcopos has reductiones absque Synodis, suâ ordinaria auctoritate facere; vel quòd credant quoad hanc formam præscriptam Synodum Tridentinam hîc non fuisse usu receptam; vel quòd putent eam sibi facultatem juri communi competentem, à Synodo Tridentina non fuisse ademptam, dum Synodi Diœcesanæ non habentur.

Quidquid sit, hoc constat, quòd sive Synodi Tridentinæ decretum, sive juris communis dispositio attendatur, hanc Episcoporum potestatem generaliter ad Missas, anniversaria, aliaque pia opera extendi; tametsi etiam post Concilium Tridentinum, & in limine fundationis constituta sint; uti rectè notat Zypœus *Consult.* 1. *de Celebratione Miss.* & quotidiana praxis confirmat.

De eadem non receptione in aliquibus Ecclesiis testatur Diana *tom.* 1. *tract.* 14. *resolut.* 3. & *resol.* 4. dicit Abbates & generales Religionum nullatenus posse reducere absque Capitulo generali: » quia » (ait) Episcopi id facere possunt ex jure communi; neque quoad » eos Concilium statuit jus novum, sed statuit antiquum jus servari: » quo verò ad Abbates & Generales jus novum constituit."

XXVIII. Extat quidem decretum S. Congregationis editum anno 1625. probante Urbano VIII. in quo *art.* 1. » districtè prohibet atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur."

Sed, ut notat Zypæus in *citata consultatione*, *num.* 7. utitur S. Congregatio vocabulis *prohibet*, *atque interdicit*; quæ Conconcilii Trident. non declarationem, sed *novi* juris constitutionem indicant: » Et ut in Italia, ait, facilis est ad S. Sedem accessus, adeoque decreti non incommoda observatio; ita in dissitis regionibus odiosa est Concilii constrictio, nec hactenus hîc recepta; nisi forsan apud Regulares, ad quos à suis Superioribus Româ talia mitti solent.

XXIX. Requirit autem Synodus, ut reductio hæc fiat *re diligenter perspecta*, id est, prævio diligenti examine, num causa reductionis, aut mutationis sufficiens sit.

In hac reductione si qui sunt Patroni fundationum, aut alii interesse habentes, necessariò audiendi; & si quæ opponenda habent examinari. Unde prævie ad publicationem Synodi Tridentinæ in Belgio, ad citatum *Cap.* 4. hæc Consiliis Regiis annotata fuerunt: » Relinquitur arbitrio Episcoporum, Abbatum &c. ut ob tenuitatem eleemosynarum, statuant de numero Missarum, uti judicaverint expedire. Visum Consiliis, vocandos & audiendos esse Pastores, Magistros Fabricæ, alios-que, quorum interesse ex probabili causa poterit (g)."

XXX. Permittit autem Synodus ut *re diligenter perspecta*, id est, præmisso diligenti examine, & auditis quorum interest, Episcopi possint » statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire."

Itaque ex mente Synodi Episcopi in hac reductione, & dispositione, non tam ipsorum particularium Sacerdotum, qui è stipendiis Missarum, aut proventibus fundationum emolumentum quæsunt, utilitatem, quàm *Dei honorem & cultum*, *atque Ecclesiarum utilitatem* attendere debent.

Unde si Episcopus videat, ob multitudinem Missarum, & anniversariorum celebrandorum, non ea qua decet reverentia ac devotione, & modestia hæc peragi; atque insuper ob hanc Missarum celebrandarum multitudinem, plurimos ineptos, & otiosos, mercenariosque Sacerdotes ordinari, quidni Missarum fundationes reducere, aut in alia pia opera convertere poterit? Si indè videat Missas, licèt pauciores, majore cum reverentia, modestia ac pietate celebrandas; numerumque Sacerdotum illorum otiosorum diminuendum: cùm id ad honorem & cultum Dei, atque utilitatem Ecclesiarum expedire, nemini ambiguum esse possit.

XXXI. Incommoda, quæ ex hac multiplicatione Missarum & fundationum nascuntur, facilè quoque persuadent, Parochos, aliosque, quibus incumbit procurare, quæ magis ad honorem Dei, & Ecclesiarum utilitatem spectant, non debere ipsos Fideles multùm ad hujusmodi Missarum fundationes (quæ ferè ad nihil serviunt, ni ut Mercenarios Sacerdotes nutriant) incitare: quod vel eo etiam titulo meritò cavent Parochi, ne suadendo Anniversaria, aliasque similes fundationes, avaritiæ, turpisve quæstûs suspicionem incurrant.

Quod prævidens Antonius Albergatus Episcopus Vigiliarum, & Nuntius Apostolicus in instructione, quam anno 1613. pro Pastoribus Civitatis & Diœcesis Leodiensis edidit, *pag.* 40. dedit hoc monitum: » Caveant Pastores in suadendis *Anniversariis* mortuorum, ne in *avaritiæ* notam incidant."

XXXII. Si Missarum fundatio requirat, ut Missæ certa hora, certoque loco, vel ad determinatum altare celebrentur, circa ea etiam voluntatem Testatoris servandam esse declaravit S. Carolus in Concilio Mediol. IV. *part.* 2. *tit. Quæ pertinent ad SS. Missæ Sacrificium*, statuens: » Quicunque Sacerdos in altari *certo* Missam celebrare debet, si in alio celebrarit, ne quod debet, præstitisse censeatur; nisi Episcopi, alteriusque, cui ille id curæ commisserit, jussu, concessu, permissione aliquando fecerit."

XXXIII. At si Episcopus videat Missas certis locis, aut horis celebrandas, convenientiùs ad populi ædificationem ac Dei cultum alio loco & tempore celebrari, faciliùs in his mutationem aliquam facere poterit, eò quòd ipsa fundatio in suo principali hîc ordinariè non alteretur: atque non minus Fundatori, imò magis ordinariè prossint Missæ celebratæ in loco & tempore convenientiori, quàm si juxta Fundationis tenorem in locis designatis, sed minùs convenientibus populi ædificationi & cultui divino celebrarentur.

Sic S. Carolus voluit, ut in Capellis, aut Oratoriis infrà limites Parochiæ diebus festis non nisi *una* Missa, eaque in aurora, ante absolutam Missam Parochialem celebretur, additque: » Quòd si die festo etiam per illud Missæ Sacrificium, quod in aurora fit, populus à Parochiali avocetur, tunc Episcopus illud etiam Festo die post Missam Parochialem celebrari jubeat."

(g) *Quæ in numero XXIX. dicta sunt, spectant jurisprudentiam in Belgio & Hispania observandam.*

CAPUT VIII.

De Oratoriis privatis sive domesticis.

1 *Jam pridem quædam loca pro Missarum celebratione destinata.*
2 *Fideles unum in locum conveniebant.*
3 *Qui se è conventu hoc separabat, unitatem Ecclesiæ scindere censebatur.*
4 *Olim vetitum est extra publicum conventum ad Missam convenire.*
5 *Sanctio Justiniani contra privatos conventus.*
6 *Excrescente turba Sacerdotum ditiores cœperunt habere Capellanos domesticos.*
7 *Quàm indignè habiti hi Capellani à suis Dominis.*
8 *Nobiles hac occasione Ecclesias Parochiales deserebant.*
9 *Hic abusus labentibus seculis multùm crevit, & unde.*
10 *Altaria* portatilia, *quæ seculo XIII. invaluerunt, abusum hunc propagárunt.*
11 *Decretum Synodi Tridentinæ contra privata Oratoria.*
12 *Privilegium datum Mendicantibus utendi altari* Viatico *sublatum.*
13 *An Episcopi hodie possint concedere licentiam celebrandi in Oratoriis privatis.*
14 *In his concedendis parci debent esse Episcopi.*
15 *Quæ in iis designandis Episcopo inquirenda.*
16 *Danda sine præjudicio Ecclesiæ Parochialis.*
17 *Etiam facultas celebrandi in his Oratoriis ad certos dies restringi solet.*
18 *Diebus solemnioribus ad Ecclesiam Parochialem accedendum.*
19 *Quæ personæ in his Oratoriis Missam audire possint.*

I. A Ipsis Apostolorum temporibus fuisse loca specialiter deputata celebrandis Missarum solemnibus, non obscurè indicat ipse Apostolus, ipsum Eucharistiæ sumendæ ritum populi ad eam celebrandam conventum describens I. *ad Corint. cap.* 11. *Convenientibus*, ait, *vobis in* ECCLESIAM *audio scissuras esse inter vos.* Et paucis interjectis: *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut* ECCLESIAM *Dei contemnitis.* Hic *Ecclesiam* accipi pro loco, ad quem Fideles sacra mysteria celebraturi accederent, hancque privatis *domibus* ibidem opponi, non obscurum est: eumque locum ità exponunt SS. Basilius in *Regulis brevioribus interrogat.* 301. & Augustinus *quæst.* 57. *in Leviticum.*

Ejusdem disciplinæ testis est S. Justinus Martyr *Apol.* 2. ubi ritum celebrandi divina Mysteria seculo II. describens ait: » Solis qui dicitur die, omnium, qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit, & commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde lectore quiescente, Præsidens orationem, quæ populum instruit, habet."

II. Ad unum ergo locum Fideles conveniebant, ut in unam quasi Ecclesiam coadunati, ipsa Unitatis mysteria convenientiùs agerent; atque orantes faciliùs exaudirentur.

» Corpus sumus (ait Tertullianus) de conscientia religionis, & disciplinæ unitate & spei fœdere. Coimus ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata est." *In Apolog. Cap.* 39.

III. Hinc, qui se à conventu publico, aut loco huic conventui deputato separabant; atque particulares conventus instituebant, unitatem quodammodò Ecclesiæ scindere, seseque ab unitate separare putabantur.

IV. Unde Synodus Gangrensis *Can. VI.* anathemate percellit Eustachianos, qui publicum Fidelium cœtum contemnentes, extra Ecclesiam *privatim* conveniebant, ac sacra mysteria celebrabant.

Et sub idem tempus Synodus Laodicena *Can. LVIII.* decrevit: » Quòd non oportet in domibus fieri oblationes ab Episcopis vel Presbyteris."

V. Multis quoque contra privatos hos conventus egit seculo VI. Justinianus Imperator in suis Constitutionibus Novellis, atque signanter *Novella* 58. ait, omnibus interdicimus magnæ hujus civitatis (Constantinopolis) habitatoribus, magis autem etiam totius nostræ ditionis, in domibus suis habere quasdam quasi *orationum domos*; & in his *sacra celebrare mysteria*; & hinc fieri quædam Catholicæ, & Apostolicæ traditioni extraordinaria. » Sed siquidem *domos* ità simpliciter aliqui habere putant oportere in sacris suis, *orationis* videlicet *solius* gratia, & *nullo celebrando* penitùs horum quæ sacri sunt mysterii, hoc eis permittimus."

Ve-

VI. Verùm cùm sensim labentibus seculis continuò magis excresceret numerus Sacerdotum Missæque multiplicarentur; potentiores ditioresque, quibus non libebat certa determinataque hora, ipsis subinde minus commoda, ad Ecclesias Parochiales Missarum solemnia cum reliquo vulgo audituri accedere, illicque per longius temporis spatium in Missarum solemnibus, quæ & concionem comprehendebant, permanere, facile Sacerdotem reperire potuerunt, qui ipsis in aliquo Oratorio aut Sacello domibus ipsorum propinquo, pro eorum nutu & commoditate, tanquam alter quidam famulus mercede conductus celebraret.

VII. Quàm hi Sacellani domestici, seu conductitii frequentes fuerint, quamque indignè habiti à suis Dominis seculo IX. vel unius S. Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis testimonium evincit. Hic in tractatu *De privilegio & jure Sacerdotis*, *cap.* 11. ita scribit: » Increbuit consuetudo impia, ut penè nullus inve» niatur anhelans, & quantulumcunque proficiens ad honores, » & gloriam temporalem, qui non domesticum habeat Sacer» dotem, non cui obediat, sed à quo incessanter exigat lici» tam simul atque illicitam obedientiam, non solùm in divi» nis oficiis, verùm etiam in humanis; ita ut plerique inve» niantur, qui, aut ad mensas ministrent, aut saccata vina mis» ceant, aut canes ducant, aut caballos, quibus fœminæ sedent, » regant, aut agellos provideant. Et quia tales, de quibus hæc » dicimus, bonos Sacerdotes in domibus suis habere non pos» sunt, (nam quis esset bonus Clericus qui cum talibus honori» bus dehonestari nomen & vitam suam ferret?) non curant om» ninò quales Clerici illi sint, quanta ignorantia cæci, quantis » criminibus involuti, tantùm ut habeant Presbyteros proprios, » quorum occasione deserant Ecclesias, seniores, & officia pu» blica. Quòd autem non habeant eos propter religionis hono» rem aparet ex hoc, quòd non habent eos in honore. Unde » & contumeliosè eos nominantes, quando volunt illos ordina» ri Presbyteros, rogant nos, aut jubent, dicentes: Habeo » unum Clericionem, quem mihi nutrivi de servis meis pro» priis, aut beneficialibus, sive pagensibus; aut obtinui ab illo » vel illo homine, sive de illo vel illo pago. Volo ut ordines eum » mihi Presbyterum. Cumque factum fuerit, putant, ex hoc » quòd majoris ordinis Sacerdotes non eis sint necessarii, & » derelinquunt frequenter publica officia & prædicamenta. «

VIII. Sub idem tempus Concilium Ticinense: » Quidam » Laici & maximè potentes ac nobiles, quos studiosiùs ad præ» dicationem venire oportebat, *juxta domos suas* Basilicas ha» bent, in quibus divinum audientes officium ad majores Ec» clesias rariùs venire consueverunt, & dum soli afflicti & pau» peres veniunt, quid aliud quàm ut mala patienter ferant, illis » prædicandum est? Si autem divites, qui pauperibus injuriam » facere soliti sunt, venire non renuerint, admoneri utique pos» sent, ut eleemosynis peccata sua redimerent, ut à fluxu re» rum temporalium se abstinerent. Admonendi sunt igitur Po» tentes, ut ad majores Ecclesias ubi prædicationem audire pos» sint, conveniant, & quantum dono Omnipotentis Dei di divitiis, » & honoribus cæteros antecedunt, tanto ad audiendum præ» cepta conditoris sui alacrius festinent."

IX. Porrò hic abusus sequentibus seculis, jam invalescente Missarum honorario, atque cum illo Sacerdotum de hoc honorario penè victitantium multitudo, incredibile quantum acceperit incrementum, quantaque hinc Ecclesiarum Parochialium, atque Verbi Divini neglectus, atque Sacrificii, & Sacerdotii contemptus & vilipendium; uti ex historiis, atque Conciliorum Decretis illorum temporum constat.

X. Ad hæc cum seculo VIII. cœpisset Altarium *portatilium* sive *Viaticorum* usus (nec enim ante illud seculum agnitus fuit, ut monet Joannes Thiers in *Dissertatione de præcipuis Altaribus*, *cap.* 2.) tandem seculo XIII. à sede Apostolica privilegia impetrari cœperunt, utendi hujusmodi Altaribus, atque ubicunque locorum, etiam locis Deo non dedicatis, celebrandi.

Et quidem Honorium III. Fratribus Prædicatoribus & Minoribus indulsisse, ut ubicumque fuerint, sine Parochialis juris præjudicio, cum Altari *Viatico* valeant celebrare, ipse Honorius testatur in *Cap.* 30 ℣ *de Privilegiis*, declarans eam indulgentiam sic interpretandam, ut ea etiam sine licentia Prælatorum uti queant.

Similia privilegia & Regulares, & Seculares tum à Sede Apostolica, tum à propriis Episcopis impetrantes, Missas passim in locis privatis & sæpiùs parum dignitati ac reverentiæ Sacrificio convenientibus celebrabant.

XI. Synodus Tridentina mandans Episcopis, ut ea omnia prohibere, atque è medio tollere sedulò curent, quæ vel avaritia idolorum servitus vel irreverentia, quæ ab impietate vix se-

(h) *Ne vel in hac parte Disciplina Ecclesiastica, aut Tridentina dispositio Canciliaris infringatur, Regio jure Hispano cautum est, in cap.* 7. *Regiæ Pragmaticæ Sanctionis* 16. *Junii an.* 1758. *ut litteræ Apostolicæ, Altaria* portatilia *concedentes, necessariò locorum Ordinariis exhibeantur; qui sua*

juncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix à tanti Sacrificii dignitate aliena induxit, inter cætera vetat: » Ne patiantur privatis in domibus, atque omninò extra Ec» clesiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab » eisdem Ordinariis designanda, & visitanda Sanctum hoc Sa» crificium à Secularibus, aut Regularibus quibuscumque pe» ragi.... Non obstantibus *privilegiis*, *exemptionibus*, *appel» lationibus ac consuetudinibus quibuscumque.* «

XII. Imprimis textus Concilii manifestè evincit, sublatum esse privilegium indultum Prædicatoribus & Minoribus utendi Altari *Viatico* sive *portatili* (h), uti post Barbosam *de Officio Episcopi*, *part.* 2. *Allegat.* 23. aliosque docet Fagnanus ad *cap.* IN HIS ℣ *de Privilegiis*.

XIII. Quin & ibidem cum Barbosa, aliisque nonnullis, prætendit Fagnanus, Concilium hoc decreto ademisse auctoritatem Episcopis concedendi licentiam celebrandi quacumque de causa in domibus privatis, tametsi in illis essent extructa Oratoria ad divinum tantùm cultum destinata; eamque interpretationem sæpiùs secuta est Sacra Congregatio, inquit *num.* 18. easque declarationes refert Azorius *Instit. Moralium*, *lib.* 10. *cap.* 26. quem citat Zypæus titulo *de Celebratione Missarum*, *num.* 8. qui tamem huic sententiæ non acquiescens subjungit: » Certè salva Sedis Apostolicæ censura locus hic tantùm est ad » abusus extirpandos eorum, qui id sua auctoritate præsumunt, » quos ne patiantur, monentur Episcopi, sed ea verba (*non pa» tiantur*) si ad regiorem examinentur, non inferunt, ut per» mittere non possint, vel derogationem auctoritatis Episcopis » competentis, ne id queant, ubi justa ex causa id permitten» dum consueverunt. «

Hæc ibidem latiùs prosequitur Zypæus; cujus interpretationem Belgii, vicinarumque Provinciarum Episcopi notoriè amplectuntur; concedentes licentiam celebrandi in Oratoriis privatis, quantumvis in domibus privatis extructis.

* Quòd Synodus Tridentina nullatenus per suum Decretum voluerit Episcopis eam facultatem adimere, sed dumtaxat abusibus remedium adferre; evidenter supponit S. Carolus Concilii Tridentini præcipuus director, & fidelissimus executor in suo Concilio Mediolanensi 1. *part.* 2. tit. *quæ pertinent ad celebrationem Missæ*, ubi expressit, quæ in annuendis similibus privatis, & domesticis Oratoriis per Episcopos sint observanda, & examinanda, prout superiùs retulimus. Hæc palam evincunt S. Carolum non dubitâsse, quin penes Episcopos post Synodum Tridentinam salva esset auctoritas similia Oratoria concedendi.

Hinc habetur, quàm meritò monuerit Zypæus, decreta reformationis Concilii Tridentitni hîc in Belgio fuisse publicata, & recepta, *prout sonant*, non autem juxta interpretationes Romanas, sive, quæ sub hujus Congregationis Cardinalium nomine quotidie prodeunt, & circumferuntur, uti in hujus operis decursu non semel notavimus.

Hoc tamen Zypæi assertum, de receptis Concilii Tridentini decretis, *prout sonant*, intelligendum est ad exclusionem interpretationum dictæ Congregationis, non autem cum exclusione modificationum, quæ decretis hujus Concilii auctoritate Principis pro faciliori eorum executione appositæ fuêre in ejus publicatione, uti & ex textu Zypæi manifestum est.

Quantâ moderatione, & cautione uti debeant Episcopi in concedendis Oratoriis domesticis jam notavimus. Porrò, quia hæc Oratoria domestica plerumque à potentioribus & ditioribus ex quandam innata superbia, quæ singularitatem, & à reliquis distinctionem appetit, solicitè quæruntur, hinc videmus, hunc abusum jam pridem invaluisse: extatque ea de re decretum Concilii Parisiensis anni 829. *Can.* 47. Contra hunc abusum, etiam consuetudine quorundam Sacerdotum introductum, qui relictis Basilicis Deo dicatis, in domibus Missarum celebrationem contra divinam auctoritatem, & Canonicam institutionem facere præsumunt. Additque Concilium: » Et hoc similiter ad Episcoporum culpam pertinere perspi» cuum est. «

Hinc uteriùs concludit, necesse esse, ut unusquisque Episcoporum hujusmodi temerariam consuetudinem à Parochia sua penitùs amoveat.

Nequaquam ambiguum est, si abusus, & corruptelæ, quæ sub obtentu consuetudinis hodie circa celebrationem Missarum invaluerunt (qui sub hoc titulo in textu notati sunt) ritè expenderentur, facilè intelligerent Episcopi, etiam frequenter ad eorum culpas abusus hos pertinere, eò quòd illis obviandis, aut extirpandis non satis allaboraverint, uti, & tanti mysterii sanctitas requirit, & Synodus Tridentina ipsis injunxit.

Post hæc prædictum Concilium Parisiense monet ipsos laicos

Regiaque auctoritate (*ad hunc effectum tantùm delegatâ*) *utentes*, *invigilent ne quid contra dictam Disciplinam aut dispositionem Conciliarem executioni mandetur: si quæ eis adversari viderentur*, *Senatum Regium de eo certiorem faciant*, *implorato ad hoc Officio Fiscali.*

cos, non esse sui officii, ut relictis Basilicis Deo dicatis, & Episcopali auctoritate contemptâ, ad libitum suum in domibus vel certis ædiculis, quas juxta domos suas construunt, & pallis exornant, altaria erigi faciant, & Missarum celebrationes Presbyteros facere compellant.

Quin & hîc legitur monitum illud, quod & in sua Synodo postmodum dedit Martinus Rithovius Episcopus Iprensis, supra relatum, scilicet, *satiùs illis esse Missam non audiri, quàm eam, ubi non licet, nec opportet, audire.*

XIV. Constat, mentem Synodi Tridentinæ fuisse, ipsam Sacrificii reverentiam, nec non Ecclesiæ disciplinam multis titulis requirere, ut Episcopi admodum parcè nec nisi necessitate, gravibusque de causis & cautelis hanc licentiam indulgeant.

Intentionis Concilii Tridentini, cui interfuerat, perquam conscius Martinus Rithovius, monumentumque hujus disciplinæ expendens in Synodo sua anno 1577. *tit.* 15. *cap.* 4. relata ordinatione Concilii Tridentini subjicit: „ Quæ quidem ordinatio, ut pro rei gravitate, fideliorem observationem habeat; mandamus omnibus Presbyteris nobis subditis, ne quis prætextu antiquorum statutorum, aut consuetudinis, extra Ecclesiam, aut intra hujusmodi Oratoria deinceps Missam celebrare præsumat: injungentes omnibus Pastoribus, & Presbyteris, ne deinceps dictæ ordinationi Concilii Tridentini contraveniant; & etiam Laicis quibuscunque, ne per aliquos Presbyteros etiam exemptos, in suis ædibus Sacrosanctum Missæ officium, aliqua ratione celebrari patiantur, aut petant; in pœnam arbitrariæ correctionis. Pastores autem subditos suos, qui morbo detenti, Ecclesiam visitare non possunt, doceant, ut pia devotione suas preces jungant cum illis, qui corporali præsentia Divinis Officiis intersunt. Et, ut ad excitandam devotionem, observent divinorum Officiorum tempora, vel campanarum pulsum, per quem significatio Sacrorum, quæ in templis peraguntur, & ubi corpore adesse non possunt, corde & piis orationibus sê præsentes statuant."

Deinde his notandis verbis concludit: „ Quòd dum religiosè faciunt, & obedienter Ordinationibus parent, per quas antiqui Canones in usum revocantur, plus in vera pietate proficient, quàm, si ex privata devotione, ad domesticas Missas importunè consensum extorqueant vel sub prætextu privilegii, irreligiosam singularitatem foveant."

Sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi I. *parte* 2. *tit. Quæ pertinent ad celebrationem Missæ*: ait „ Oratoriorum autem ædificationem, aut usum ne facilè, sed magna de causa permittant iidem Episcopi."

XV. Dum verò hæc Oratoria necessitate, magnave causa exigente concedenda videbuntur, vult S. Carol. *loc. cit.* ut Episcopi in iis designandis, vel probandis hæc servent.

„ Ne sint in interiorum ædium partibus, in quibus Domini vel familia frequentiùs versentur, sed commodo & honesto loco, à cubiculis, triclinis, & ab aula separato, ad templi formam & regulam propiùs accedant. Nec ita angusta sint, ut qui Missam audierint, ad ostium, aut fenestram stare cogantur, aut denique ibi sacris interesse, ubi promiscuè profanum aliquod exerceatur, quod fieri omninò prohibemus."

XVI. Ulteriùs ne populus per hæc Oratoria à frequentatione Parochialis Ecclesiæ nimiùm distrahatur, addi consuevit de stylo Curiæ Romanæ, & etiam hodierno Episcoporum, quòd hæc concessio fiat sine præjudicio Ecclesiæ Parochialis, uti notat Barbosa *De officio Episcopi*, *parte* 2. *Alleg.* 23. Et in formulario Episcopali, quod extat ad calcem ejusdem operis, refertur *num.* 85. formula facultatis construendi oratorium simplex in quo celebretur, cum hanc clausula: *Sine Parochialis Ecclesiæ præjudicio.*

Ut verò hæc clausula melius servaretur, voluit etiam Sanctus Carolus *loco citato*, ut » cui id permissum fuerit, is eo » rariùs utatur, ne distracti homines illa commoditate, Ecclesiam Dei minùs frequentent; quod exemplo etiam noceat » aliis. «

XVII. Ad hæc de stylo ordinario in concessione Oratoriorum & Capellarum excipi solent præcipuæ per annum Festivitates; ut nimirùm non liceat tunc ibidem celebrare, idque conformiter ad vetus decretum Synodi Agathensis apud Gratianum *Dist.* 1. *de Consecr. Can.* 35. quo decernitur: » Si » quis extra Parochias, in quibus *legitimus est ordinariusque* » conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus, ut ibi Missas audiat, propter fatigationem familiæ justa ordinatione permittimus. Pascha verò, Natali Domini, Epiphania Domini, Ascensione Domini, Pentecoste, & Natali Sancti Joannis Baptistæ, & si qui maximi dies in festivitatibus habentur, non nisi in civitatibus, aut in Parochiis audiant. Clerici verò, si qui in festivitatibus, quas suprà diximus » (nisi jubente sive permittente Episcopo) Missas celebrare voluerint, communione priventur."

Hîc nota, Parochias sive Parochiales Ecclesias esse propriè loca illa, in quibus *legitimus ordinariusque* conventus habetur.

XVIII. Secundò notandum, mentem Ecclesiæ semper fuisse, ut saltem diebus solemnioribus, Ecclesia Parochialis non deseratur; tametsi etiam cum aliqua incommoditate frequentatio fieri deberet, cui & conforme est ipsum decretum Synodi Tridentinæ præcipiens Episcopis, ut moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem *diebus Dominicis & majoribus festis* accedant.

Unde Synodus Namurcensis 1639. *tit* 5. *cap.* 27. » Paro- » chiani, etsi vicini alicui Capellæ sub finibus Parochialis extructæ, » præcipuis anni festivitatibus & Dominicis Ecclesiam Parochia- » lem frequentare non ommittant, qui verò tribus continuis » Dominicis ab illa se absentaverint; admoneantur primùm à » suis Pastoribus, & si monitionem contempserint, ad nos de- » ferantur. «

XIX. Denique stylus hodiernus addit in concessionibus hujusmodi Oratoriorum, ut alii præterquam servitio personæ cujus intuitu Oratorium conceditur, necessarii, ibidem audientes Missam ab obligatione eam in Ecclesia audiendi per hoc non liberentur.

CAPUT IX.

Quædam observanda, et cavenda pro reverentia Sacrificii.

1 *Perniciosum est, ignotos, & vagantes Sacerdotes ad Missas celebrandas admittere.*
2 *Jam pridem vetitum, Clericum externum sine litteris commendatitiis admittere.*
3 *Postremis seculis id magis necessarium: & quare.*
4 *Decretum Synodi Tridentinæ de non admittendo ignoto Sacerdote sine litteris commendatitiis.*
5 *Quid Synodi Belgicæ decreverint circa ignotos Sacerdotes.*
6 *Sanctus Carolus voluit litteras commendatitias non esse nimis antiquas, & quare.*
7 *Ex Decreto S. Caroli nullus potest ad sua Sacella, aut Oratoria admittere Sacerdotem sine licentia Episcopi.*
8 *Decretum de non admittendis Clericis ignotis etiam obtinet in Ecclesiis* Regularium.
* *Hoc Decretum à jure communi non discrepat.*
9 *Nullus ex aliena Diœcesi admittendus sine litteris Ordinarii sui.*
10 *Litteræ hæ non tantùm Ordinum susceptorum, sed & vitæ morumque testimonium perhibere debent.*
11 *Parochi admittere non debent quoscunque Sacerdotes Litteriis Episcopalibus munitos.*
12 *Sine Parochi licentia nullus in Ecclesia Parochiali celebrare potest.*
13 *Jus Parochi per sententiam Regiam firmatum.*
14 *Notoriè criminosus ad ministerium Altaris non admittendus.*
15 *Non admittendus, nisi vita emendata maculam eluerit.*
16 *Si pridie temulentus, aut in notorium crimen lapsus se ad celebrandum obtulerit, ob scandalum castigandus.*
17 *Qui pridie impudicitiam etiam secretam commissit, ad celebrandum se præsentare non potest, tametsi confessus.*
18 *Nullus malæ famæ ad divina celebranda admittendus.*
19 *Sacerdotes solùm quæstum sectantes ad celebrandum non recipiendi.*
20 *Merito à divinis repellendi notorii aleatores, & tabernarum frequentatores.*
21 *Sacerdos Missam celebrare non potest, nisi adstantes externo habitu ritè dispositi appareant.*
22 *Quid hac in re statuerit S. Carolus.*
23 *Ad excitandam populi devotionem exponenda à Parocho, quæ in Missa aguntur.*
24 *Scopus hujus instructionis est, ut populus instructus se jungat Sacerdoti, & voto id agat, quod Sacerdos ministerio.*
25 *Menti Ecclesiæ conformius est attendere iis, quæ in Missa aguntur, quam ex libro preces recitare.*
26 *Simultanea plurium Missarum in eadem Ecclesia celebratio minus conveniens, & quare.*
27 *Vetitum, ne inter Missarum solemnia adhibeatur cantus non satis gravis.*
28 *Hodierna Musica parùm gravis: & de hac querelæ Cardinalis Bona.*
29 *Ecclesiæ, quæ hactenus musicam non admiserunt, laudantur.*
30 *Quod Episcoporum, ac Pastorum circa hæc officium.*
31 *Attendendum, ne Organa quid lascivi sonent.*
32 *Idem est de tintinabulis, & quomodo contravenientes puniendi.*
33 *Omnes actiones seculares ab Ecclesia arcendæ.*
34 *Penes Episcopos est summa auctoritas abusus in Missarum celebratione occurrentes tollendi.*

Præ-

35 *Prælati Ecclesiarum non debent abusus permittere, quia jam inoluerunt.*

36 *Quàm perniciosum sit argumentum, quod à tolerantia, aut facto Prædecessorum petitur.*

I. SEmper omnibus persuasum fuit, quàm perniciosum, malique exempli esset, si Sacerdotes, & Clerici de una Ecclesia ad aliam transeuntes, & vagantes, indifferenter ad sacra mysteria celebranda admittantur: quàm inde natum sit fieri, pessimos quousque perditissimosque homines in sacra involare, eaque profanare.

II. Hinc jam pridem à primis Ecclesiæ seculis cautum fuit, ne quis Clericus externus, & ignotus sine Litteris commendatitiis sui Episcopi recipiatur.

Canon XLI. Laodicenus ita habet: » Quòd non oportet » eum, qui est sacratus vel Clericus sine Canonicis Litteris » iter ingredi. «

Et apertiùs *Canon XIII.* Calchedonensis vetat: » Exter- » nos Clericos & ignotos in alia civitate sine proprii Episco- » pi commendatitiis Litteris nusquam ullo modo ministrare. « Apud Gratianum *Dist.* 71. *Can.* 7. Sed per errorem & contra fidem textûs Græci originalis pro *ignoto* legit *Lectori*, uti rectè notat Cujacius ad *cap.* 5. ✠ *de Clericis non resident.*

III. Postremis hisce seculis, postquam invaluit titulus *patrimonii*, quo solo plures ordinantur, nullius particularis Ecclesiæ servitio adstricti, multò magis hæc disciplina necessaria fuit.

Cùm enim hi nulli Ecclesiæ essent adjecti, liberior ipsis de una ad aliam Ecclesiam discurrendi videbatur indulta libertas: atque hinc facilè fiebat, ut immorigeri, quin & multis titulis notoriè infames, Ecclesiam, in qua noti erant, deserentes, ad aliam, ubi eorum vita ignorabatur, aut ubi scirent Pastores minus esse vigilantes aut disciplinæ Ecclesiasticæ observantes, convolarent; ibique se in Ecclesiastica munia intruderent; ipsumque Missæ Sacrificium multis modis profanarent.

IV. Hæc advertens Synodus Tridentina statuit *Sess.* 23. *cap.* 16. » Nullus Clericus peregrinus sine commendatitiis » sui Ordinarii Litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda » & Sacramenta administranda admittatur. «

Ad hæc volens Synodus, ut in Sacrificio Missæ omnis irreverentia vetetur, mandavit Episcopis, ut » singuli in suis » Diœcesibus interdicant, ne cui vago & Sacerdoti Missas cele- » brare liceat. « In decreto *De observandis & evitandis in Celebratione Missæ.*

V. His Synodi Tridetini decretis obsequi volentes Episcopi, in suis respectivè Synodis prohibuerunt, Sacerdotem exterum & ignotum ad Missam celebrandam admitti, nisi Litteris testimonialibus Episcopi instructum.

Synodus P. II. Mechliniensis *tit. de Ministris Ecclesiæ cap.* 8. » Præcipit etiam Pastoribus, & Ecclesiarum Rectoribus, ne » quem vagum & ignotum Sacerdotem, sine licentia Episcopi » sui Diœcesani in scriptis obtenta, ad celebrationem Missarum » aut Sacramentorum administrationem admittant, sub pœna » duorum florenorum per Pastores, seu Rectores incurrenda, & » vagorum Sacerdotum correctione arbitraria: Episcopi autem » prædictam licentiam non concedant, nisi visis Litteris Sacer- » dotii, & commendatitiis, & testimonialibus Episcopi vel Vi- » carii loci ultimæ residentiæ eorum. «

Et Synodus P. II. *tit.* 12. *cap.* 16. » Vago ac ignoto Sa- » cerdoti, etiam Regulari Missam celebrare non liceat, nisi os- » tensis testimonialibus, vel commendatitiis Litteris sui Or- » dinarii. «

VI. Prævidens S. Carolus Sacerdotum mores vitamque nonnunquam temporis successu vel immutari, aut certa ampliùs innotescere, & manifestari, in Concilio Mediolanensi I. *part.* 2. *tit.* 5. decernit: » Clericis alienæ Diœcesis divinæ facien- » dæ facultatem ne permittat Episcopus, nisi ostendant Litteras » testimoniales, seu dimissorias Ordinarii sui duobus tantùm » mensibus ante, si in provicia, si extra proviciam in Italia, » quatuor; sex verò, si extra Italiam datas: vel si eæ anti- » quiores sint, afferant etiam scriptum testimonium de vita, & » moribus ab iis Ordinariis in quorum Diœcesi post illud tem- » pus aliquandiu permanserint. «

VII. Quin & ibidem præceperat: „ Nemo Clericus vel „ Laicus in suis secularibus Ecclesiis, Capellis, vel Oratoriis „ quamvis ab Ordinario probatis, etiam si juris Patronatus sint, „ quenquam secularem vel regularem Sacerdotem celebrare pa- „ tiatur, qui scriptum celebrandi, singulis sex mensibus renovan- „ dum, ab Episcopo non impetraverit."

VIII. In Concilio III. Mediolanensi *tit.* 11. declarat. „ Quòd „ primo Concilio provinciali interdictum est, ne peregrino Sa- „ cerdoti sine dimissoriis, testimonialibusve Litteris Missæ Sa- „ crum facere liceat, id ei vetitum sit in *Regularium* etiam cu- „ jusvis Ordinis Ecclesiis."

* Hoc decretum nec à mente Concilii, nec à jure communi discrepat: licèt enim plures Regulares, præsertim Ordinum Mendicantium gaudere dicantur privilegio exemptionis, eoque titulo prætendant Ecclesias etiam suas esse à jurisdictione Episcopi exemptas:

Indubitatum tamen est, Episcopum posse præcipere, ne quis Sacerdotum secularium exterorum sine sua licentia in scriptis obtentâ celebret in Oratoriis, vel in Ecclesiis Regularium etiam exemptorum, & mandare Superioribus dictorum locorum ne quemquam Sacerdotem sine prædicta licentia ad celebrandum admittant. Uti post Barbosam, aliosque ab eo citatos tradit Du Casse Archidiaconus & Officialis Condomensis in suo *tractatu de Jurisdictione Ecclesiastica*, *tomo* 1. *cap.* 7. §. 7. *num.* 11.

Cùm enim ad curam Episcopi spectet occurrere scandalis, & irreverentiis, quæ ex admissione promiscua similium Sacerdotum ad celebrandum nata sunt obvenire, nequaquam exemptio huic curæ Episcopi obstaculo esse potest.

IX. Synodus Burdigalensis anno 1583. *tit* 5. vetat ab Ecclesiarum Rectoribus, quemquam vagum ac ignotum ad celebrandum admitti, *nisi priùs diligenter explorata Ordinarii licentia, & facultate.* Deinde adjungit: „ Nullumque pariter „ alienæ Diœcesis admittant, nisi acceptas ab Ordinario suo Lit- „ teras, sibi concessæ facultatis, *& anteactæ vitæ*, *morumque* „ ac religionis testes adhibeat: quæ vetustiores non appareant, „ quam quæ intra annum scriptæ sunt.

Celebrata anno 9. seculi XVII. Synodus Narbonensis *cap.* 20. non vult ab Episcopis facultatem celebrandi concedi Clericis alienæ Diœcesis, „ nisi visis litteris Ordinum Clerici, „ & attestatione proprii Episcopi, super vita & moribus eo an- „ no concessis."

X. Hactenus adducta decreta manifestè evincunt, litteras Episcopales, non tantùm requiri, ut testes susceptorum Ordinum; sed vel præcipuè ut testes probæ vitæ, & bonorum morum, ipsosque Episcopos has litteras haud annuere posse, nisi præmissa & facta diligenti inquisitione super vita & moribus Sacerdotum dimittendorum.

Si ea cautione in litteris expediendis procederent Episcopi; neque ullus Sacerdotum in Ecclesiis sive secularibus sive Regularibus sine hujusmodi litteris, conformiter ad SS. Canones & Synodorum decreta, ad celebrandum admitteretur, quàm multi scandalosi, otiosi, ac vagabundi Sacerdotes ab Altaribus arcerentur, quantæque irreverentiæ per similes Sacerdotes in Sacrificio Missæ committi solitæ, vitarentur.

XI. Porrò quia litteræ hæ testimoniales, nonnunquam faciliùs quàm oportet, conceduntur, aut sub vel obreptitiè impetrantur, nequaquam Parochi, aliique Ecclesiarum Præfecti omnes quoscumque Sacerdotes hujusmodi Litteris munitos ad celebrandum admittere debent.

Quid enim si aliunde vita scandalosa Parocho vel Rectoribus innotescat; nullusque titulus aliunde sit, qui Sacerdoti huic jus celebrandi in tali Ecclesia tribuat, indubiè poterit, imò & non rarò debebit à celebrando repelli.

Ad hæc Canones quidem vetant quempiam extraneum & ignotum sine Litteris Episcopi ad celebrandum admiti, sed nequaquam Parochis, aut Ecclesiarum Rectoribus præcipiunt, ut omne hujusmodi Litteris instructos in suis Ecclesiis ad celebrationem admittant.

XII. Imò cum Parochus sit quasi Caput Parochiæ, & primarius & ordinarius Ecclesiæ Rector, nullus (nî speciali aliquo titulo monitus) potest in Ecclesia Parochiali sine speciali licentia Parochi sacras quascunque functiones obire.

Hinc Synodus Namurcensis anno 1639. *tit.* 3. *cap.* 43. ait: » Nullos aliquod officium in aliena Ecclesia, sine Pastoris ejus- dem loci licentia, facere præsumat. «

Eodem fundamento Synodus P. I. Cameracensis tit. *de Ministeriis Ecclesiasticis*, *cap.* 9. voluit, » ut qui præsunt fa- » bricis Ecclesiarum, nullos Sacerdotes admittant ad suffra- » gia, & sacrificia legatorum piorum causa præstanda; nisi » ab Episcopo, aut ejus Vicario probatos, & ad id ministe- » rium destinatos Pastoris voluntate. Cui quod, ad officium » Ecclesiasticum pertinet, pareant: ne per licentiam aditus » improbis & vanis ad Ecclesias concedatur cum detrimento » & scandalo publico. «

Denique addit Synodus: » Et qui admissi fuerint, Pasto- » rem adjuvent in cultu, & officio divino."

Si nulli ad celebrandas fundatas Missas & Anniversaria admitterentur, nisi cum onere juvandi Pastores in officio pastorali, quàm multi otiosi Sacerdotes ab Ecclesiis removerentur."

XIII. Cùm anno 1672. quidam in suo testamento ordinâsset Missam pro refrigerio animæ suæ solemniter celebrari in Ecclesia Parochiali per Patres Carmelitas; disputatumque esset, num vi hujus testamentariæ dispositionis Carmelitæ essent admittendi ad celebrandam Missam illam? judicatum fuit à Parlamento Parisiensi, id in Ecclesia Parochiali Carmelitas non posse sine Parochi licentia. Uti refertur *part.* 2. *Journales des Aud. lib.* 6. *cap.* 29.

XIV. Præterea ut irreverentia vitetur præcipit Synodus Tridentina Episcopis, » neminem qui publicè & notoriè crimino-

sus

» sus sit, aut Sancto Altari ministrare, aut sacris interesse per» mittant.“

XV. Decretum hoc quoad primam partem innovans S. Carolus in Concilio I. Mediolanensi *tit.* 5. ait: » Sacerdotes qui pu» blicè & notoriè criminosi fuerint à celebratione arceantur, nisi » emendata vita sceleris maculam eluerint.“

XVI. Synodus P. I. Camaracensis *Tit. de Cultu, Cæremoniis, & Officio Divino, cap.* 2. vult, ut, » quicunque ad ce» lebrandum se obtulerit, ac pridiè temulendus, insolensve fue» rit, aut crimen ullum notum admiserit, à Rectore Ecclesiæ » castigandus non modo propter crimen admissum, sed & prop» ter scandalum, & irreverentiam illatam Sacramento denuntie» tur Episcopo, aut ejus Vicario, vel Officiali. Rector verò, si » denuntiare neglexerit, tanquam tanti sceleris dissimulator pu» niatur.“

Subjicit deindè notandam hanc [illegible]ationem: » Est enim valdè » præposterum & indignum, quòd velint Sacerdotes omnem à » laicis reverentiam huic Sacramento exhiberi: nec ipsi tamen » moribus, & religione sua exhibendam declarant.“

XVII. Addit ejusdem Provinciæ Synodus Diœcesana Audomarensis anno 1583. *tit.* 6. *cap.* 2. nec confessione prævia, hujusmodi Sacerdotes ad celebrandum se præsentare præsumant, *qui pridie, quamcumque* SECRETAM *impudicitiam admisserint.*

XVIII. Præcitata Synodus Burdigalensis, » Sacerdotes aut » quoscunque alios, *publicè & notoriè criminosos*, rem divinam » facere, vel ad altare ministrare prohibendos censet, nisi qui » ad meliorem frugem redierint, & morum vitæque pristinæ » commutatione facta, præteritorum scelerum veniam merue» rint eamque ab Ordinariis suis impetraverint.“

Namurcensis Synodus anno 1639. *Tit.* 3. *cap.* 4. præcipit: » Nullus *malæ famæ*, Pastori in divinis officiis assistat.“

XIX. Quod hîc Synodus Tridentina aliæque subsequentes decrevêre, illud Carolus V. in formula reformationis ejus nomine anno 1548. publicata expresserat; atque præter publicis criminibus infames, etiam *solum quæstum sectantes* ad celebrationem Missæ non admittendos censuit.

XX. Quis ambigat, horum Sacerdotum, Clericorumque generi adscribendos, quos publicè, notorieque popinas frenquentare, aleis illicitisque lusibus cum magno populi scandalo vacare videmus? Meritò proinde, Episcopi aliique Ecclesiarum Prælati secum expendant, num Sacris Canonibus obtemperent, dum similes Sacerdotes à sacris Altaribus continuò adstare vident, & silent.

XXI. Ulteriùs pro reverentia tanti Sacrificii vult Synodus Trident. ut Sacerdos non aliter Missam celebrare incipiat, » nisi » priùs, qui intersint, decenter composito corporis habitu de» claraverint se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non so» lùm corpore adesse.“

XXII. S. Carolus decretum hoc renovans, & executioni mandari volens, in Concilio Mediolanensi IV. *tit.* 10. præcipit, ut Clericus Missæ Sacrificio ministraturus, aliusve, cui hoc munus incumbit, mox ut Sacerdos ad Altare accesserit, » circums» piciat modestè adstantes; & si quempiam animadverterit ma» rem vel fœminam incomposito corporis habitu, aut aliàs con» tra præscriptas regulas Provincialibus nostris Conciliis cum in» juria, vel irreverentia sanctissimi illius Sacrificii interesse, mo» neat graviter ut opus orit: neque Sacerdos ante Missæ initium » faciat, quàm omnes qui adsunt, quemadmodum Tridentino » Concilio curæ Episcopi commissum est, decenter composito » corporis habitu declaraverint se mente etiam ac devoto cordis » affectu, non solùm corpore adesse. Missa verò jam inchoata, » si quid ejusmodi fiat, hoc idem officium admonendi itidem ille » Minister Clericus præstet modestè & graviter. Si quis verò ab » iis de ejusmodi monitus non resipuerit, quamprimum eorun» dem cura deferatur ad Episcopum, ut jure cum eo efficaciùs » agatur.“

XXIII. Ut verò populus majori cum reverentia, & attentione ad ea, quæ in Missa aguntur, assistat, uberioremque Sacrificii fructum percipiat, præcipiunt passim Synodi nostræ, conformiter ad Synodum Tridentinam *Sess.* 26. *de Sacrificio Missæ, cap.* 8. » Pastoribus, & singulis curam animarum ge» rentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel » per se, vel per alios, ex iis, quæ in Missa aguntur, aliquid » exponant; atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mys» terium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis, & » festis. «

XXIV. Porrò scopus Synodorum est, ut Fideles Missæ assistentes, eaque, quæ à Sacerdote aguntur, intelligentes, iis sint intenti, » & voto id agant, quod Sacerdos agit minis» terio; ut scilicet discant & ipsi suam totiusque christiani or» bis salutem tam salutaris & gratæ hostiæ interventione & » Christi Jesu meritis, Deo Patri commendare: “ uti loquitur Concilium Moguntinum anno 1549. *cap.* 58.

Et antiqua Atrebatensia statuta renovata in Synodo anno 1570. sub Francisco Richardoto, qui Tidentino interfuit, volunt de his populum instrui, ut *religiosiùs* & libentiùs, *quæcunque Sacerdotes in Missa agunt, observet.*

Idem aliæ quoque Synodi innuunt, desiderantes populum instrui de his, quæ in Missa aguntur, ut *quæ in illa geruntur, debita cum attentione perpendat*, quemadmodum loquitur Synodus Namurcensis anno 1659. *tit.* 16. *cap.* 1. vel ut *majore reverentiâ sacris intendat*, uti expressit Synodus Camerecensis anno 1567. *Tit. de Eucharistia, cap.* 4.

XXV. Neque dubium est, quin populo utilius sit, & menti Ecclesiæ conformius, ipsique Sacrificio convenientius, intendere iis, quæ in Missa aguntur, quàm preces alias, quantumvis pias, sed Sacrificio Missæ haud respondentes è libro legere.

Quapropter Synodus Remensis anno 1583. *tit. de Eucharistia, num.* 5. præcipiens ut laici *preces horarias* tempore divini officii non nisi submissa voce recitent, addit: » Qui tamen » inter eos doctiores, reique Christianæ peritiores extiterint, » præclariùs agent, si loco precum ex scripto recitandarum, à » præfatione, quâ pertractantur mysteria, animo defixo mentis» que fervore complectantur atque contemplentur.“

XXVI. Formula reformationis jussu Caroli V. scripta, & anno 1550. evulgata dicit: » Neque sub sacro solemni conve» nit, ut coram populo eodem legantur etiam Missæ speciales, » quibus huc illuc populus distrahatur, avoceturque ut nulli » Sacro satis intendat. “

Idipsum in executionem hujus formulæ circa idem tempus Synodi Moguntina & Coloniensis anno 1549. ordinârunt: atque sub initium præsentis seculi Synodus Sylvæducensis sub Masio, *tit.* 11. *cap.* 9. judicavit planè conveniens, ut in Ecclesiis, Monasteriisve, ubi est magna Missarum frequentia, singulæ distinctis horis legantur: » Ne ait, simultanea illa plurimorum cele» brantium turba decori Domûs Dei, aut mysteriorum venera» tioni, & gravitati aliquid decedat.“

XXVII. Si ea omnia inter Missarum solemnia cavenda sint, quæ populum ab hac sacta actione aliò distrahere possent, quis non videt, quàm meritò Synodus Tridentina arceri precipiat » ab Ecclesiis musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum » aut impurum aliquid miscetur. “

Synodus P. I. Cameracensis *tit. de Cultu & Cæremoniis, cap.* 3. de musica in Missa adhibenda agens, statuit, ut quæ in Missa ad eruditionem, & doctrinam Fidelium leguntur aut canuntur, ut Epistola, Evangelium, & Symbolum, ita legantur, aut canantur, ut præsentes distinctè exaudire singula verba possint. » Quare, ait, in Symbolo canendo placet nec organa, nec » musicam adhiberi, nisi sit simplex, ac talis ut singula verba » sine repetitione possint intelligi. Quæ verò ad laudes perti» net, ut sunt Hymni, *Gloria in excelsis*, *Sanctus*, in his » musica locum habeat; sed nec lasciva, nec choreis potiùs, » quàm choro congruens, sed gravis & movens pios affectus. «

Fortiùs hunc abusum proscripsit Synodus P. I. Mechliniensis *tit. de Officio & cultu divino, cap.* 10. » Cohibeant Epis» copi Cantores, Organistas, Campanarios, & alios quoscun» que à lasciva, militari, & quavis indecora musica in can» tu, organis, & campanis, sub pœna decem stuferorum, ad » pios usus arbitrio Episcopi applicanda. Et si semel puniti non » abstinuerint, pœna carceris aut alia arbitraria plectantur.“

Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 12. *cap.* 7. monet, » ut gra» vis tantùm, & quæ ad pios affectus moveat musica, officio di» vino adhibeatur, non etiam lasciva, vel secularis. «

XXVIII. Cardinalis Bona tractatu *de Divina Psalmodia, cap.* 17. §. 3. advertit, musicam sæpiùs fuisse mutatam; at illud ab antiquis observatum esse, nunquam ab aliqua gente mutatam fuisse musicam, quin & ipsa in deterius mutata sit.

Post hæc multorum auctorum relatis sententiis testantium, musicam veterem fuisse virilem, recentiorem verò effractam verè & effœminatam, tandem concludit his verbis: » Has veterum » sententias eò libentiùs transcripsi, quò magis hodiernæ musicæ » deplorabilis status innotescat: fastidit ætas nostra concentum » gravem, & stabilem, amatque modulos quosdam, quibus in » frusta concisus cantus dissiliat, & enervetur.“

XXIX. Musicæ & Musicorum parùm gravem, & ad pietatem haud conducentem sonum multis deplorat nominatissimus Gandensium Antistes Wilhelmus Lindanus in *Panopl. Evang. lib.* 4. *cap.* 78. ac tandem relata hodierna musicæ confusione, & infractione, dicere non veretur: » Illarum magis constantiam ad» miror Ecclesiarum, quæ istum prævidentes divini cultûs abusum, » semel musicam illam choro maluerunt excludere, uti Trajec» tensis, & quod audio, Lugdunensis, quam illarum veneror » magnificam, quam ipsi & putant & jactant adeò majestatem, » quâ Dei chorum omni phonascorum syntagmate, vocum om» nis generis discrimine, imò & tubarum clangore, cornuto» rum stridore, alioque strepitu vario, ne quid prætermittere » videantur, quod cantici verba semel obscuret, sensumque » sepeliat, & obruat, sibi præclarè gloriantur adimplêsse.“

XXX. Episcopi atque Prælati, qui musicam in officio divino retinendam autumant, videant, ut » pro illo musices genere, » quod nunc passim Ecclesias occupat, aliud introducatur & » gravius, & rebus ipsis convenientius, & si non, ut oportet,

» pro-

„ pronuntiationi quàm cantui vicinius, saltem rebus, quæ ca-„ nuntur, aptius atque accommodatius; « uti loquitur Lindanus *loco citato*. Vel ut in Concilio Mediolanensi I. *parte* 2. *cap.* 51. S. Carolus: » Cantus & soni graves sint, pii ac dis-„ tincti, & Domui Dei, ac divinis laudibus accommodati; ut „ simul & verba intelligantur, & ad pietatem Auditores ex-„ citentur.“

XXXI. Synodus P. II. Mechliniensis verbis suprà relatis subjungit: „Similiter & organa, & quæcunque instrumenta „ musica, tam in processionibus, quàm in Ecclesiis modula-„ tione sua lascivas cantiones non imitentur.“

XXXII. Deinde capite sequenti: » Tintinnabula quoque & „ campanas ad harmoniam quamdam pulsantes, ejusmodi pulsa-„ tione turpes, inhonestas, vel scandalosas cantiones non ex-„ primant, vel imitentur, sed potiùs hymnorum & canticorum „ Ecclesiæ modulationes. Et sic ubi necesse fuerit, cum Ma-„ gistratu desuper agatur.“

Idem de tintinnabulis habet Synodos P. I. Cameracensis loco citato *cap.* 15. addens: „ Si quis non paruerit, puniatur; „ ut qui multis labendi occasionem præbuerit, & in re sacris „ dicata, & spurca & inhonesta attulerit.“

XXXIII. Denique Synodus Tridentina omnem irreverentiam à locis sacris remotam desiderans, præmissis addidit: » Item » seculares omnes actiones, vana atque adeò profana colloquia, „ de ambulationes, strepitus, clamores arceant; ut domus Dei » verè domus orationis esse videatur ac dici possit. «

Multa pro executione hujus decreti observanda proposuit S. Carolus in Concilio IV. Mediolanensi *parte* 1. *cap.* 17. cujus hic est titulus: *De profano usu à sacris locis tollendo.*

XXXIV. Ut autem hæc omnia faciliùs executioni mandari queant, Synodus Tridentina vult, ut Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati corrigant, statuant, prohibeant, & mandent ea, quæ opportuna videbuntur; atque ad ea inviolatè servanda censuris ecclesiasticis, aliisque pœnis fidelem populum compellant, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscunque.

XXXV. Verendum, ne plures Ecclesiarum Prælati in resecandis abusibus, qui hoc titulo notati sunt, segniores reddantur vulgari illo, sed admodum pernicioso argumento: Hoc jam diù ita observatum fuit; hoc Prædecessores nostri toleraverunt, cur nos illis volumus esse sapientiores, aut meliores? sufficit nobis vivere, ut illi vixerunt.

Perniciosum sanè argumenti genus, quo detestandi, maximique abusus, cum semel invaluerint, justificari poterunt.

XXXVI. Nonnè hoc specioso argumento jam pridem nonnulli justificare, ac retinere contendent *festum fatuorum*; » ubi » videbat populus Sacerdotes & Clericos divini officii tempo-» re larvatos, mostruosos vultibus, aut in vestibus mulierum, » aut lenonum vel histrionum choreas ducere, in choro canti-» lenas inhonestas cantare, offas pingues supra cornu Altaris » juxta celebrantem Missam comedere, ludum taxillorum exa-» rare, thurificare de fumo fœtido ex corio veterum sotularium(*i*) » & per totam Ecclesiam currere. «

Ita hanc celebrationem descripsit Facultas Theologica Parisiensis in Epistola Prælatis, & Capitulis Ecclesiarum Regni Galliæ infrascripta, & in appendicem operum Petri Blesensis relata *pag.* 782. qua ipso multis argumentis, ad hunc abusum longa consuetudine & multarum Ecclesiarum praxi inolitum, tollendum movere conatur; atque inter alia argumentum à tolerantia, & facto Prædecessorum preveniens, tale de illo judicium depromit: » Nolite subdolas hominum voces audire sic di-» centium: Prædecessores nostri, qui erant notabiles viri repu-» tati, istud permisserunt, sufficit nobis vivere ut ipsi: procul » dubio istud argumentum *diabolicum* est, *infernalis* hæc *per-» suasio*: vos illorum exitum ignoratis, an bonus an malus fuerit. «

TITULUS VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

DE VARIIS NOMINIBUS, PARTIBUS, FORMA & EFFECTU HUJUS SACRAMENTI.

1 *Sacramentum olim dictum Sacramentum* Reconciliationis.
2 *Secundò* Confessionis.
3 *Tertiò* Absolutionis.
4 *Quartò frequenter* manûs impositio.
5 *Quintò* Communio *seu* Pax.
6 *Sextò* Secunda post naufragium tabula.
7 *Septimò* Laboriosus Baptismus.
8 *Octavò olim & hodie frequentissimè* Sacramentum Pœnitentiæ.
9 *Quid significet apud veteres etiam Ethnicos* pœnitere.
10 *Qui facti sui pœnitet, punit in se quod fecit.*
11 *Definitio Pœnitentiæ à Gratiano, & Canonistis tradita.*
12 *Quid de hoc Sacramento habeat decretum Eugenii IV. & quid ejus prima pars, sive* Contritio.
13 *De* Confessione *secunda hujus Sacramenti parte.*
14 *Etiam circunstantiæ peccatorum exprimendæ; & quare.*
15 *Quare Confessio præcipuè requiratur.*
16 *De* Satisfactione *tertia parte hujus Sacramenti.*
17 *Ratio Divinæ Justitiæ exigit, difficiliùs dimittantur peccata post Baptismum, quam ante commissa.*
18 *Justitia divina non vermittit, ut ordinariè sine ulla satisfactione peccata remittantur.*
19 *Satisfactiones habent vim suam ex meritis Christi.*
20 *Forma hujus Sacramenti.*
21 *Effectus ejusdem.*
22 *Variæ quæstiones circa præmisa, remissivè.*

I. SAcramentum hoc jàm pridem diversis nominibus appellatum fuit.

Primò quidem dictum fuit Sacramentum *Reconciliationis*; nimirum ab affectu; eò quòd homo virtute hujus Sacramenti Deo *reconcilietur*.

II. Secundò, Sacramentum *Confessionis*, à parte conspicua & ante remissionem peccati, sive reconciliationem necessaria, quâ peccator sua peccata Sacerdoti aperire, atque *confiteri* debet.

III. Tertiò, Sacramentum *absolutionis* ab actu Sacerdotis formam Sacramenti proferentis, cùm dicit: *Ego te absolvo*, &c.

IV. Quartò, antiquitùs frequenter dictum fuit, *manuum impositio*, à cæremonia externa. Sæpiùs enim in discursu agendæ pœnitentiæ ipsis Pœnitentibus manus imponebantur ab Episcopis, & Presbyteris; idque vel dum orationes super pœnitentes fundebantur, vel absolutione donabantur. Ita accipitur in *Can. LXXVI.* Concilii Cartaginensis IV. » Si con-» tinuò creditur moriturus, reconcilietur per *manûs imposi-» tionem.* «

Porrò cùm & in aliis Sacramentis manûs impositio fieret, atque inde etiam nomine *manûs impositionis*, præsertim Sacramentum Confirmationis indicaretur, ne ex nominis identitate confusio oriretur, dicere solebant hoc Sacramentum, *manuum impositionem reconciliatoriam* (*k*), uti videre est in Can. III. Concilii Arausicani I.

V. Quintò, dictum fuit *Communicatio* sivi *Communio* & *Pax*, eò quòd lapsi per pœnitentiæ actionem, & absolutionem Sacerdotis restituerentur Communioni, & Eucharistiæ percipiendæ facultati, atque ad eam dignè sumendam præpararentur.

VI. Sexto, *Secunda post naufragium tabula* sæpè à Patribus vocatur, eamque nomenclaturam tanquam huic Sacramento convenientem probavit Synodus Tridentina *Sess.* 6. *cap.* 14. *de Justificatione* his verbis: » Qui verò ab accepta justificatio-» nis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari pote-» runt, cùm excitante Deo per pœnitentiæ Sacramentum, me-» ritò Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic » enim justificationis modus est lapsi reparatio, quam *secundam* » post naufragium deperditæ gratiæ *tabulam* II. Patres aptè nun-» cupârunt.“

VII. Septimò, à Patribus dicitur *laboriosus Baptismus*, quam rursus appellationem huic Sacramento convenire dixit Sy-

(i) *Genus Calceamentorum.*

(*k*) *Sunt inter Theologos, qui docent manuum impositionem esse partem essentialem in Sacramento Pœnientiæ: hi sunt Guillelmus Altissiodorensis* lib. 4. Summæ: *Vincentius Bellovacensis* lib. 8. Speculi Histor. cap. 53. *Alexander Halensis* 4. part. summæ quæst. 5. memb. 1. art. 1. *Guillelmus Parisiensis* de Pœnit. pag. 461. *Quidquid sit de ea opinione, quæ multis tamen veterum Patrum testimoniis nititur; agere imprudenter & pericula pœnitentibus afferre videntur Confessarii, qui dum absolutionem pœnitentibus impertiuntur, manus iis imponere non curant.*

Synodus Tridentina *Ses.* 14. *cap.* 2. *de Pœnitentia*; rationem illius dictionis præmittens; eò quòd ad novitatem & integritatem in Baptismo acquisitam, & per peccatum amissam, » per » Sacramentum Pœnitentiæ sine *magnis nostris fletibus & laboribus*, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus. Quod nuper è Patribus fusè ac solidè adstruxit Vir » eruditus Joannes Opstratius in speciali tractatu *de Laborioso* » *Baptismo.*«

VIII. Denique hoc Sacramentum & olim & hodiè frequentiùs & usitatiùs, aptissimeque dicitur Sacramentum *Pœnitentiæ*, à contritione, quæ primum locum inter actus pœnitentiæ habens, dicitur animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, uti docet Synodus Tridentina citatâ *Sess.* 14. *cap.* 4.

IX. Pœnitere enim apud Latinos auctores etiam Ethnicos dicimus, *cùm quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate, nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamque in his officiis nostram demutamus*: uti latiùs prosequitur Morinus de *Administratione Sacramenti Pœnitentiæ*, *lib.* 1. *cap.* 1. notatque, hanc esse vulgatissimam apud probatissimos Linguæ Latinæ quosque auctores significationem; atque inde concludit, etiam juxta Ethnicos auctores, Pœnitentiam duo complecti, consilii sive sententiæ mutationem & animi dolorem propter factum aliquod inde consequens.

Post hæc subjungit: Tertium addi debet, quod ex utroque necessariò videtur emanare, cautio scilicet, nec postea idem consulat, aut exequatur. Vix enim aliquem facti sui seriò pœnitet, qui etiam sibi non proponat ab eo imposterum abstinere, & incommoda ex priori consilio & facto exorientia impedire, & à se avertere.

Lactantius *lib.* 6. *cap.* 24. *Institutionum*, hæc tria significata complectens ait: » Is, quem facti sui pœnitet, errorem suum » pristinum intelligit. Ideoque Græci meliùs & significantiùs » μετάνοιαν dicunt, quam nos possumus resipiscentiam dicere. » Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem » errati piget, castigatque seipsum dementiæ, & confirmat animum ad rectiùs vivendum; tum illud ipsum maximè cavet, » ne rursus in eosdem laqueos inducatur.«

X. Dolor autem ille, qui pœnitentiæ semper comes est, si exardescit, eò animum facti pœnitentem ducit, & impellit, ut pœnas à se ipsis sumat, quemadmodum ibidem notat, & probat Morinus; subditque: » Hinc appositè admodum ad gemi» nam hanc pœnitentiæ significationem, quæ omnibus auctori» bus ecclesiasticis ab ipsis Ecclesiæ incunabulis familiarissima & » acceptatissima fuit, S. Isidorus in exhortatione ad Pœniten» tiam, hanc nobis tradit istius nominis etymologiam: *Ad Puni» tinè Pœnitentia nomen accepit, quasi Pœnitentia, dum ipse » homo punit pœnitendo, quod malè admisit.*«

XI. Et apud Gratianum *Dist.* 3. *de Pœnitentia*, *Can.* 4. auctor libri *de vera & falsa Pœnitentia* sub nomine S. Augustini: » Continuè dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dic» tionis virtus. Pœnitere enim est pœnam tenere, ut semper pu» niat in se ulciscendo, quod commisit peccando.«

Ex his hanc definitionem à Canonistis, & Theologis communiter probatam elicit Gratianus: *Pœnitentia itaque est vindicta semper puniens in se, quod dolet commisisse.*

Hinc manifestum est, conveniens esse hoc Sacramentum à contritione tanquam præcipuâ suâ parte, *Pœnitentiæ* nomen mutâsse.

XII. De hoc Sacramento habet decretum Eugenii IV. pro Armenis: » Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus ma» teria sunt actus Pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, » Prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de » peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.«

De prima hac parte latiùs agit Synodus Tridentina *Sess.* 14. *de Pœnitentia*, *cap.* 4. declaratque, quòd fuerit » quovis tem» pore ad impetrandam veniam peccatorum hic *contritionis* mo» tus necessarius; & in homine post Baptismum lapso ità demum » præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ » misericordiæ, & voto præstandi reliqua, conjunctus sit, quæ » ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.«

Declarat præterea, hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere. Quod ibidem multis Scripturæ testimoniis confirmat.

Post hæc duplicem contritionem asserit. Unam charitate perfectam: alteram imperfectam; quam & *Attritionem* nuncupat; atque utriusque effectum exponit.

XIII. Secunda pars in decreto Eugenii » est *oris Confessio*; » ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum me» moriam habet, suo Sacerdoti confiteatur *integraliter.*«

Hanc partem fusiùs exponit Synodus Tridentina loco citato, *cap.* 5. declarans imprimis hanc integram peccatorum Confessionem à Christo esse institutam, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere.

Cùm enim Sacerdotes in hujus Sacramenti administratione sustineant personam judicis, constat, judicium hoc recognitâ causâ illos exercere non posse, nec æquitatem quidem in pœnis injungendis servare posse, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatim sua ipsis peccata declarentur. Atque hinc concludit Synodus, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa.

Quod ipsum Judicis officium exigit, idipsum & Medici munus (quod & hic Sacerdotes spiritualiter exercere debent) requirit: » Si enim, ait Synodus, erubescat ægrotus vulnus me» dico detegere, quod ignorat, medicina non curat.«

XIV. Ex his rectè colligit præterea Synodus » etiam eas cir» cumstantias in Confessione exprimendas esse, quæ speciciem » peccati mutant, quòd sine illis peccata sua, neque à pœniten» tibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant: & fie» ri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, & » pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.«

XV. Quæ hoc capite Synodus pro astruenda necessitate Confessionis adducit, ostendunt, quòd finis Confessionis omnium peccatorum Sacerdoti factæ, non sit sola & *nuda* Confessio sive revelatio peccatorum: sed remediorum morbis spiritualibus convenientium applicatio, quibus anima curationi disponatur, & disposita per reconciliationem perfectè sanetur, uti loquitur Morinus loco citato, *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 9. atque per consequens omnia in Confessione esse aperienda, per quæ ipse Sacerdos tanquam Medicus spiritualis veniat in convenientem notitiam vulnerum animæ; possitque convenientia medendis vulneribus pharmaca præscribere, & applicare.

XVI. Tertia pars, ait Eugenius in suo decreto, » est *satis» factio* pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis; quæ qui» dem præcipuè fit per orationem, & jejunium, & eleëmosynam.«

De hac parte agit Synodus Tridentina citatâ Sessione *cap.* 8. declaratque imprimis, falsum omninò esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin & universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim & illustria in sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus, præter Divinam Traditionem, hic error quàm manifestissimè revincitur.

XVII. Ulteriùs dicit, » quòd & divinæ justitiæ ratio exige» re videatur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante » Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò, qui se» mel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spi» ritûs Sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum » sanctum contristare non formidârint.«

XVIII. Præterea monet Synodus, » & Divinam Clemen» tiam decere, ne ità nobis absque ulla satisfactione peccata di» mittantur, ut occasione acceptâ, peccata leviora putantes, » vel ut injurii, & contumeliosi Spiritui Sancto in graviora la» bamus, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio » enim magnoperè à peccato revocant, & quasi fræno quo» dam coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigi» lantiores in futurum Pœnitentes efficiunt; medentur quoque » peccatorum reliquiis; & vitiosos habitus, male vivendo com» paratos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò » securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad » amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc » Pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequen» tent. Accedit ad hæc, quòd dum satisfaciendo patimur pro pec» catis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo » omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam » quoque inde arrham habentes, quòd si compatimur, & con» glorificabimur.«

XIX. Ne verò videretur effectum illum humanis meritis tribuere, declarat, satisfactiones nostras, & opera pœnitentiæ omnem suam efficaciam, & meritum accipere ex meritis Christi. » Neque verò, ait, ità nostra est satisfactio hæc, quam pec» catis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Jesum..... » Facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, » ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.«

Ut autem optatum effectum in peccatoribus satisfactiones à Sacerdotibus injunctæ sortiantur, ipsis peccatis, & personis convenientes sint oportet, de quo latiùs infrà. *cap.* 3. & 4.

XX. Decretum Eugenianum post expressas tres partes hujus Sacramenti de forma ejusdem subjicit: » Forma hujus Sacra» menti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cùm di» cit: *Ego te absolvo*, &c.

Similiter Synodus Tridentina docet, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis » Minis» tri verbis positam esse, *Ego te absolvo*, &c. quibus quidem » de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjun» guntur; ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spec» tant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt ne» cessariæ.« *Sess.* 14. *de Sacram. Pœnit. cap.* 2.

XXI. » Effectus hujus Sacramenti est absolutio à peccatis,« ait decretum Eugenianum. Et Synodus Tridentina citato *Cap.* 3. » Sa-

» Sanè verò & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim » & efficaciam pertinet, reconcilatio est cum Deo, quam in- » terdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum per- » cipientibus, conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi Spi- » ritus consolatione consequi solet.“

XXII. Plurimæ tum circa singulas suprà numeratas Sacramenti partes, tum circa formam, effectumque quæstiones à Theologis Scolasticis agitantur, quas, ut pote à proposito meo alienas Theologis relinquo; pluresque à Veteribus ignotas, & à Recentioribus moveri cœptas recitat Morinus *Lib.* 8. *cap.* 2. 3. & 4.

CAPUT II.

De publica, solemni, et privata Pœnitentia.

1 *Quid Poenitentia publica.*
2 *Pluribus seculis pro peccatis* occultis *poenitentiam* publicam *impositam fuisse credit Morinus; & primum hujus argumentum.*
3 *Secundum Morini argumentum.*
4 *Tertium ejusdem argumentum.*
5 *Quartum argumentum.*
6 *Pro peccatis occultis poenitentia tametsi publica, non tamen publicè imponebatur; nec Poenitens publicè reconciliabatur.*
7 *Simplices Presbyteri poterant inconsulto Episcopo peccatores occultos reconciliare.*
8 *Utrumque probatur ex Concilio Carthaginensi III.*
9 *Peccator occultus per censuras ad agendam publicam poenitentium cogi non poterat.*
10 *Plures nullius gravioris criminis rei ultrò pœnitentiam publicam amplectebantur.*
11 *Magna Veterum de utilitate poenitentiæ publicæ æstimatio.*
12 *Ex impositione poenitentiæ publicæ pro peccatis occultis non sequebatur infractio sigilli.*
13 *Circa seculum VIII. disciplina imponendi poenitentiam publicam pro peccatis occultis coepit desinere.*
14 *Sensim hæc disciplina mutata fuit.*
15 *Postquam pro peccatis occultis ceopit agi Pœnitentia occulta, adhuc magnus erat Poenitentium numerus; & quare.*
16 *Per censuras aliaque media publici peccatores ad publicam pœnitentiam cogebantur.*
* *Studium & constantia Episcoporum ad conservandam, aut reducendam pœnitentiam publicam pro peccatis publicis.*
17 *Multis seculis pœnitentia etsi occulta, ad Canonum Poenitentialium præscriptum imponebatur.*
18 *Usque ad seculum XII. non fuit nota distinctio inter* publicam & solemnem *pœnitentiam.*
19 *Hujus distinctionis origo.*
20 *Quæ hodie dicatur poenitentia* solemnis, *& quæ* publica, *& quæ* privata.
21 *Plura olim omni peonitentiæ publicæ competentia ad solemnem restricta.*
22 *Primò, quod à solo Episcopo imponeretur.*
23 *Secundò, quod semel duntaxat imponi posset.*
24 *Tertiò, quod qui eam egerant, à Clericatu dijicerentur, aut ad illum promoveri non possent.*
25 *Poenitentiam publicam à solemni distinctam à Presbytero imponi pose docent Canonistæ.*
26 *Publicam poenitentiam pro peccatis publicis imponendam esse multis ostenditur.*
27 *Idipsum probavit Synodus Tridentina.*
28 *Conformia sunt hodierna Ritualia & Concilia.*
29 *Qualiter hodie debeant Presbyteri Poenitentiam publicam imponere pro peccatis publicis.*
30 *Qualis esse debeat species Poenitentiæ publicæ.*
31 *Poenitentiam solemnem ab Episcopis etiam hodie Ecclesia imponi optat.*
32 *Quid circa hanc statuerit S. Carolus.*

I. PUblica Pœnitentia dicitur, quæ in facie Ecclesiæ palam & publicè peragitur.

Hanc primis sex seculis unicè ferè impositam fuisse notat Morinus *lib.* 4. *de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ, cap.* 20. n. 5. nullumque ante seculum VII. usum fuisse, ait, Pœnitentiæ *privatæ* Canonicæ; cùm omnia crimina graviora Pœnitentiâ publicâ punirentur, minùs gravia Sacerdotis arbitrio, & consilio.

II. Publicam hanc Pœnitentiam etiam pro peccatis occultis primis sex Ecclesiæ seculis juxta sacros Canones actam, & à Sacerdote, cui peccatum secretò detectum fuerat, impositam fuisse, contendit Morinus *lib.* 5. *cap.* 9. idque tribus potissimùm argumentis ex antiqua disciplina erutis.

Primò, quia certum est, pœnitentias Canonibus illorum temporum expressas, & pro singulorum criminum gravitate præscriptas, fuisse pœnas *publicas*, easque palam in facie Ecclesiæ peragendas: eumque in Canonibus illis nulla occurrat publicorum ab occultis criminibus distinctio, sed indiferenter crimina exprimantur, indicium est, de utrisque Canones illos indifferenter quoque intelligendos esse.

III. Secundum argumentum ex veteri disciplina erutum ita proponit Morinus: » Sequetur antiquos Patres de publicis cri- » minibus curam tantùm gesisse, de occultis verò nullam. Si » enim Canones illi de peccatis publicis intelligendi sunt, de » occultis homicidis, fornicationibus, &c. nulli amplius super- » sunt. Atqui crimina ejusmodi sexcenta perpetrantur occultè, » dum unum aut alterum publicè deprehenditur. Consequere- » tur igitur gravissimorum animi morborum sanctionem anti- » quos Patres prorsus neglexisse; quod cogitare nefas est, ne- » dum dicere. Si Pœnitentiæ rationem tantùm haberent pœ- » narum, tolerari forsan hoc posset. Verùm cùm medica- » mentorum rationem potissimùm induant, hancque rationem » Patres præ cæteris spectent, dici non potest, ulcerum tam » pestiferorum, nisi publicè & in propatulo serperent, (quod » quam rarissimè, & vix contigit) curationem deseruisse, sus- » que deque habuisse, & de levibus tantùm, venialibusque » peccatis sanandis curiosos fuisse & solicitos.“

IV. Tertium argumentum Morini hoc est: » Si crimina quis spontè ennuntiasset, minori tempore in Substratione, Au- » ditione, &c. commoraturum, quàm si accusatus & convic- » tus esset. Plerique enim Canones, & Patrum pleraque dictam » hanc legem Reis criminum dictant, cujus rei testimonia multa » legere potes *lib.* 2. *cap.* 6. Si crimina ponas publica pro spe- » cie istarum legum explananda; quæ ratio fingi potest istius » temperamenti? Si crimen publicum est, jam convictio per se » facta est. Ipsa facti, ut ita dicam, notoritas convictioni æquivaluit. » Delatus tergiversari non potest. Imò ne delatore quidem opus » habet Episcopus, cùm ponatur crimen publicum & notorium, » sed monitore, ac ne monitore quidem; cùm eo casu Episco- » pus sola muneris peragendi conscientiâ stimulatus publicum » peccatorem, & respicientem Pœnitentiâ castigare possit.“

V. His argumentis plura ex Sanctis Patribus testimonia eandem disciplinam astruentia subjicit Morinus ibidem *cap.* 9. & sequentibus; & denique *cap.* 11. speciale argumentum desumit ex Canonibus, qui Clericos in crimen quantumvis *occultum* lapsos, non modò ab officio suspendebant, sed etiam deponebant; ita ut per aliquod seculorum spatia, ab omni spe restitutionis dejicerentur: » Non video, ait, quâ ratione idem de publica Lai- » corum Pœnitentia dici non debeat. Si consulendum honori & » famæ, id sanè factum potius oportuit Clericis, quàm Laicis.“

VI. Non diffitetur tamen Morinus, multiplicem fuisse in- » ter pœnitentiam publicam impositam pro peccatis *publicis*, & eandem impositam pro peccatis *occultis*.

Pro peccatis publicis ac notoriis, quæ totam Ecclesiam commovebant, manus imponebantur ab Episcopo vel Presbytero publicè in medio Ecclesiæ ante *absidem*, hoc est, in gremio navis Ecclesiæ. *Absis* enim vel absidia est sanctuarium Ecclesiæ. Eaque manûs impositio eo ritu fiebat, tam in pœnitentiæ impositione, quàm pœnitentis absolutione, seu reconciliatione.

Dum verò occulta erant crimina, necesse non erat, *publicè* in medio Ecclesiæ per manus impositionem pœnitentiam imponere; aut pœnitentem acta pœnitentiâ publicè reconciliare: sed sicuti peccata illa *secretò* Sacerdoti aperiebantur, ità quoque *secretò* pœnitentia imponebatur & reconciliatio fiebat.

VII. Hinc altera consequebatur differentia; quòd publicè pœnitens ob crimen *occultum*, acta pœnitentia, *secretò* posset inconsulto Episcopo à Presbytero reconciliari. Secus verò pœnitens ob peccatum publicum. His enim cùm non nisi *publicè* reconciliari posset, etiam sine *speciali* Episcopi licentia (nisi extrema neccessitas licentiæ petendæ tempus intercluderet) à Presbytero reconciliationem obtinere nequibat. Interdictum enim erat Presbyteris, pœnitentem publicè reconciliare.

VIII. Utrumque non obscurè indicat *Canon XXXII.* Concilii Carthag. III. qui in duas partes divisus refertur à Gratiano *caus.* 26. *q.* 6. *Can.* 14. Et *q.* 7. *Can.* 5. verba Canonis sunt: » Ut Pœnitentibus secundum differentiam peccatorum » Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur, & ut Pres- » byter *inconsulto* Episcopo non reconciliet pœnitentem; nisi » absentiæ Episcopi necessitate cogente. Cujuscunque autem » pœnitentis publicum, & vulgarissimum crimen est, quod » universam Ecclesiam commoverit, ante *absidem* manus ei » imponantur.“

IX. Altera differentia eaque notabilis erat. Cùm publicum erat peccatum, ad agendam *publicè* pœnitentiam peccatores excommunicatione & omnimoda ab Ecclesia expulsione cogi poterant. At cùm peccatum erat occultum, Pœnitentiæ publicæ actio erat spontanea, hoc est, ad eam cogi non poterant ullâ excommunicatione, aut Sacramentorum publica denegatione. Peccatori equidem ejusmodi secreto confitenti, nisi Pœnitentiam Canonicam agere vellet, reconciliationem secretò de-

denegabat Sacerdos ; sed quod ultra in eum agere nihil habebat.

X. Neque verò soli occulti gravium criminum rei publicam pœnitentiam sibi à Sacerdotibus secretò impositam & indictam spontaneâ quadam voluntate suscipiebant, & *publicè* cum aliis pœnitentibus, etiam graviorum criminum reis peragebant; sed & leviorum duntaxat aut nullorum criminum sibi conscii, eam ultrò amplectebantur ; quemadmodum notat Morinus *lib.* 5. *cap.* 7.

XI. Ex hac praxi deducit ibidem Morinus, quanta fuerit de Pœnitentiæ publicæ utilitate Veterum æstimatio. Verba ejus sunt : » Quanta fuerit antiquitùs Pœnitentiæ publicæ æstimatio, » quam efficax auxilium ad dolorem de peccatis concipiendum, » & de iis remissionem obtinendam, afferre judicata sit, nullo » mihi videtur illustriore argumento demonstrari posse, quam » ea consuetudine, quæ præsertim in Hispania viguit, illius » spontè suscipiendæ & agendæ nulla præcedente criminum » atrocium conscientia, nulla criminum publicorum, aut oc- » cultorum confessione publica, nedum convictione."

XII. Hinc ulteriùs deducitur, Pœnitentiam publicam pro peccatis occultis potuisse sine ullo sigilli confessionalis periculo imponi, & peragi. Ipsa enim Pœnitentiæ impositio secretò à Sacerdote fiebat; & publica pœnitentiæ actio erat etiam innocentibus, nullorumque criminum reis communis : ac per consequens, crimen occultum ex actione Pœnitentiæ publicæ haud facilè concludi poterat. Si tamen prævideront Patres ex impositione Pœnitentiæ publicæ crimen occultum iri, tunc pœnitentias *publicas* in *privatas*, ob revelationis periculum, commutâsse monet Morinus *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 20. Ita enim pœnitentias publicas usurpabant, ut privatis, & secretis virtutem non adimerent.

XIII. Disciplina imponendi pœnitentiam publicam pro peccatis ocultis in Ecclesia Latina perseveravit usque ad finem seculi VII. aut initium seculi VIII., si Morino credimus *lib.* 7. *cap.* 1. atque ab eo tempore vulgari cœpit commune atque hodie ab omnibus receptum axioma : *De peccatis publicis publicè; de occultis occultè esse pœnitendum.*

XIV. Hoc autem observat Morinus, quòd mutatio illa facta non sit physico more in momento temporis, aut Concilii generalis alicujus decreto, sed paulatim, & tacito quodam Ecclesiarum consensu. Atque hinc factum, ut alibi seriùs, alibi citiùs hæc mutatio recepta fuerit.

XV. Quamvis jam recepta hac distinctione inter peccata publica & occulta desierit pœnitentia publica pro peccatis occultis, magnus tamen seculis aliquot sequentibus numerus pœnitentium publicorum, veste, loco, victu, luctu, totaque vitæ diæta à Fidelibus divisus in Ecclesia remansit, uti ostendit Morinus loco citato *cap.* 2. Et *cap.* 3. demonstrat » quàm » solicitè & diligenter providerent illorum seculorum Episco- » pi non modò ut peccatorum publicorum, quæ per varias » Diœcesis parœcias perpetrabantur, cognitio illos non lateret, » sed etiam ut occulta ipsos non effugerent. Eâ enim disciplinâ, & cautione in iis inquirendis utebantur, ut difficilè esset » crimina occulta, nedum publica eorum solertiam & solicitudinem effugere. Quamobrem hoc ? Non peccantium odio, sed » amore & studio, non ut malum malo medicarentur, sed ut » optimi Medici, sanitatis ægrotorum desiderantissimi. Omnis » enim eorum cura & solicitudo eò tendebat, ut vulnera per » crimen animæ illata curarentur, ne mors Pœnitentiam præ- » veniens animæ ut corporis interitum afferret. «

XVI. Post hæc *cap.* 4. & 5. probat Episcopos per censuras, ac subinde etiam per invocationem brachii secularis peccatores publicos ad agendam publicam pœnitentiam adegisse.

* Nec id mirum videbitur, si attendatur, attrociora crimina non rarò publicè, & cum gravi populi scandalo à potentioribus, & opulentioribus seculi perpetrari : atque hos præ aliis difficiliùs ad agendam publicam pœnitentiam pro commissis criminibus & datis scandalis induci posse.

Unde & legimus, quòd, dum Patres Concilii Cabilonensis II. an. 813. deprehendissent, agere pœnitentiam juxta antiquam canonicam constitutionem in plerisque locis ab usu recessisse, neque antiqui moris ordinem reconciliandi servari, decreverunt Can. 25. » Ut à Ludovico Imperatore impetretur ad- » jutorium, qualiter si quis publicè peccat, publicâ mulctetur » pœnitentiâ, & secundum ordinem Canonum pro merito suo » excommunicetur, & reconcilietur. «

Discant Episcopi exemplo horum Patrum, non mox abjiciendum esse studium reducendi canonicam Patrum sanctissimam disciplinam circa pœnitentiam publicam pro peccatis publicis; dum conspiciunt hanc disciplinam totaliter vel Pastorum negligentiâ, vel incuriâ collapsam, imò quodammodo abolitam, & in desuetudinem abiisse.

Legitur quoque, quòd dum Episcopi pro gravitate criminum, & publico scandalo pœnitentias publicas injungere pro debito sui officii, & zelo ecclesiasticæ disciplinæ voluerunt, criminum rei hujusmodi Pœnitentias refugientes, ipsos subinde Principes contra Episcopos suscitârint, ac tandem seculo x. & sequentibus, ad Curiam Romanam refugerint, ut illic absolutionem criminum sine Pœnitentia publica obtinererent, quam à suo Episcopo obtinere non poterant.

Exemplum occurrit in vita S. Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis, qui sedit seculo x.

Legitur, quòd hic sanctus Præsul Comitem quendam præpotentem, qui cognatam suam illicito sibi Matrimonio copulaverat, quem cùm semel, secundò & tertiò redarguiset; tandem contumacem, & perseverantem in incestu, à liminibus Ecclesiæ ut publicum incestuosum excluserit.

Hunc Dunstani agendi modum typho superbiæ inflatus Comes, non ferens, Regem adiit adversus Dunstanum, ipsum impiæ & immoderatæ severitatis acussans; preccaturque, ut regia sanctione à Tyrannide (ut ipse ajebat) Dunstani liberaretur.

Rex autem nimiùm facilis ad credendum, Dunstano mandavit, ut hominem cum ea, quam duxerat, in pace manere sineret, & à quibus ipsum suspenderat, liminibus sacris restitueret.

Hoc audito dolebat Dunstanus, religiosissimum Regem per mendacem hominis linguam ante rei inquisitionem, & examinationem esse seductum.

Interim Dunstanus, ut Regis postulatis, salvâ tamen disciplinâ, satisfaceret, hominen ad satisfactionem, tam pro commisso crimine, quàm & propter injustam suî criminationem apud Principem terræ factam, paulò duriùs increpat, cupiens modò ad pœnitentiam, & correctionem cor illius emollire. Sed Dunstanus videns se nihil proficere, sed hominem magis furere, zelosissimus hic Præsul, nequaquam regiis mandatis contra ecclesiasticam disciplinam obsecuturus, homimem illum non tantùm à liminibus Ecclesiæ exclusum retinuit, sed & insuper à fidelium communione exclusit.

Tunc ille seipso deterior effectus immani est furore correptus, & nihil eorum, quæ possidebat, alicujus esse monenti reputans, ad hoc solum se totum studebat impendere, ut Dunstano excitaret scandalum, & christianæ legis jugum, quo à sua libidine coërcebatur, sibi faceret alienum. Legatos itaque suos Romam destinat, & talibus assueta quorundam Romanorum corda, & ora in suam causam largo munere, largiori sponsione permutat.

» Quid inde ? (pergit Historicus) Præsul Apostolicæ Sedis » Joannes XIII. Dunstano, peccatori homini condescendere ver- » bis, ac litteris, mandat, & eum Ecclesiæ gremio integrè » conciliare monet, hortatur, imperat. «

His mandatis Apostolicus Vir sanctus hæc reposuit : » Equi- » dem cùm illum, de quo agitur, sui delicti pœnitudinem gerere » videro, præceptis D. Papæ lubens parebo; sed ut ipse in pec- » cato suo jaceat, & immunis ab ecclesiastica disciplina no- » bis insultet, & exinde gaudeat, nolit Deus.

» Avertat etiam Deus à me, ut ego causa alicujus mortalis hominis, vel pro redemptione capitis mei, postponam legem, quam servandam statuit in sua Ecclesia idem Dominus » Jesus-Christus Filius Dei. «

Hæc omnia latiùs referuntur *tom.* 9. *Conciliorum Generalium*, *col.* 700. ac unâ refertur qualiter tandem hic Comes intelligens inflexibilem Dunstani pro disciplina ecclesiastica constantiam, pœnitudine ductus, abdicato illicito conjugio, pœnitentiæ sibi cultum imposuerit, ac tandem in Generali Angliæ Concilio per Dunstanum indicto ritu publici pœnitentis, nudis pedibus, laneis indumentis, se ad Dunstani pedes provolverit, atque ab eo instantibus Episcopis, absolutionem obtinere meruerit.

Hinc discant Episcopi, aliique Ecclesæ Pastores, quid possit Pastoralis pro ecclesiastica disciplina perseverans, & non timida constantia.

XVII. Jam verò qui ritus in impositione, necnon actione pœnitentiæ publicæ, observati fuerint, præsertim à sæculo VII. usque ad XII. latè exponit *cap.* 7. & sequentibus; atque *cap.* 21. 22. & 23. probat, multis seculis, etiam postquam invaluit pœnitentia occulta, sive privata pro peccatis occultis semper impositas fuisse pœnitentias Canonicas pro peccatis occultis, sive secundum Canones pœnitentiales, non secus atque pro peccatis publicis; atque ita pœnitentiam privatam à Pœnitentiæ publicæ impositione & actione per solius solemnitatis omissionem discrepâse. Confessio igitur peccatorum occultorum secreta erat: omne pœnitentiæ exercitium secretò, & extra faciem Ecclesiæ agebatur & absolutio secreta : at ipsa opera pœnitentiæ exercitiaque juxta Canonum præscripta imponebantur. Neque enim minus curandis peccatis occultis, quàm publicis invigilabant Ecclesiæ Pastores : ideoque remedia utrisque curandis indifferenter suis Canonibus præscribebant.

XVIII. Cùm autem pœnitentia publica semper quibusdam externis ritibus, ac solemnitatibus vestita fuerit, multis seculis omnis pœnitentia publica etiam *solemnis* reputata fuit; nec primis seculis distinctio inter publicam & solemnem pœnitentiam nota fuit : quin si Morino *lib.* 5 *cap.* 25. credimus, ante seculum XIII. hæc distinctio incognita fuit, atque primùm illo currente seculo recipi cœpta.

XIX.

XIX. Credit Morinus Theologos Scholasticos distinctionis hujus occassionem sumpsisse ex varia disciplina circa pœnitentiam publicam, quæ variis temporibus à Patribus decreta fuit: quam cùm in Canonibus apud Gratianum *distinct.* 50. suo aspectu expressam viderent; nec attendentes, quâ ratione omnia, quæ dicebantur, uni eidemque pœnitentiæ publicæ possent pro varietate temporum & locorum applicari; pœnitentiam publicam in *solemnem* & non *solemnem* distinguere cœperunt; atque hac distinctione Canones apparenter sibi contrarios conciliare.

» Aberrationis istius causa, non postrema (ait Morinus ibi» dem *num.* 14.) fuit Gratiani in discernendis Auctoribus, eo» rumque ætate cœcutientia, quæ eruditorum nemini ignota » est. Hinc sæpiùs apud eum præpostera diversorum Canonum » concordia, qui temporum distinctione nullo negotio verè & » piè conciliari poterant. Hunc secuti Scholastici & Canonis» tæ, Decreta & Canones variorum seculorum uni & eidem » tempori tribuerunt, & reconciliationem, quæ obviam sæpè » occurrebat, in transversum egerunt. «

XX. Quidquid sit, apud Canonistas, atque Theologos Scholasticos receptissima hodiè est, Pœnitentiæ in tres species distinctio; nimirùm *solemnem*, *publicam* & *privatam*.

De triplici hac pœnitentiæ specie agens Cardinalis Hostiensis in Summa, tit. *de Pœnitentiis ,& Remissionibus*, ait: » Pro» priè dicitur illa solemnis, quæ fit in capite quadragessimæ cum » illa solemnitate, de qua habes *Dist.* 50. *Can.* IN CAPITE. « In hoc citato Canone sub nomine Synodi Agatheasis describitur ritus impositionis publicæ pœnitentiæ eodem ferè modo, quo in hodierno Pontificali Romano descriptus habetur. Unde & notant Correctores Romani: » Sententia verò hujus capitis magna » ex parte habetur in Pontificali & Ordine Romano: Pœni» tentia hoc ritu imposita, à Canonistis hodie communi con» sensu dicitur *solemnis*.

» Publica propriè dicitur illa, inquit Hostiensis, quæ fit in » facie Ecclesiæ, non cum prædicta solemnitate, sed quando » injungitur peregrinatio per mundum cum baculo, & perâ » benedictis. «

Verùm pœnitentia publica etiàm meritò dicitur, quæ fit in facie Ecclesiæ, tametsi prædictus ritus non adsit. Publica enim propriè appellatur.

» Privata autem Pœnitentia dicitur illa, quæ quotidie à » justis, & quæ saltem semel in anno est facienda, quando » scilicet aliquis solus & secretè Sacerdoti confitetur, « ait Hostiensis.

XXI. Receptâ hac inter solemnem, & publicam pœnitentiam distinctione, plura ex his, quæ pœnitentiæ publicæ jam olim tributa erant, Canonistæ ad solemnem restrinxerunt, eique soli convenire crediderunt.

XXII. In primis cum pristinis Canonibus cautum esset, pœnitentiam à solo Episcopo, vel à Presbyteris de Episcopi speciali consensu imponi; id ad pœnitentiam solemnem restrinxerunt Canonistæ, hacque à solo Episcopo imponi posse asserunt eaque sententia etiam hodie recepta est: cùm tamen Canones de omni publica pœnitentia, saltem pro peccatis publicis imponenda, loquerentur. Vide Fagnanum ad *Cap.* MANIFESTA ✠ *de Pœnit.& Remiss. num.* 5.

XXIII. Ulteriùs cùm in nonnullis Canonibus dictum reperirent, Pœnitentiam publicam reiterari non posse, illud huic solemni Pœnitentiæ appropriârunt; cùm tamen pluribus seculis saltem in Ecclesia Latina omni publicæ Pœnitentiæ commune fuerit, juxta illud S. Augustini Epistola ad Macedonium. » Cautè, salubriterque provissum est, ut locus illis humillimæ » Pœnitentiæ *semel* in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis » minus utilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quan» to minus contemptibilis fuerit.

Hanc disciplinam in Ecclesia Latina usque ad seculum VIII. durâsse ostendit Morinus *lib.* 5. *cap.* 28.

XXIV. Præterea ad hanc solemnem pœnitentiam pertinere crediderunt Canonistæ, quod Canones dicunt, Clericos pœnitentes Ordinibus suis nec post actam Pœnitentiam publicam restitui, nec Laicos ad Ordines promoveri posse: cùm id de qualibet Pœnitentia publica, juxta Canonum præscripta intelligeretur, non quidem ratione pœnitentiæ, sed ratione criminis commissi ex mente Patrum; ut infra titulo *de Irregularitate* ostendetur, ac unà dicetur, quæ fuerit Canonistis errandi occasio.

XXV. Pœnitentiam publicam, ut à *solemni* distinguitur, id est, quæ quidem in facie Ecclesiæ seu publicè peragitur, sed sine solemnitate, in citato Canone *In Capite*, & Pontificali Romano descripta, à Presbytero etiam sine speciali mandato Episcopi, pro peccatis publicis imponi posse, communiter tradunt Canonistæ, conformiter ad *Cap.* 1. ✠ *de pœnit. Remiss.* ubi dicitur: *Manifesta peccata non sunt occultâ correctione purganda.*

XXVI. Et sanè Pœnitentiam publicam pro peccatis publicis non tantùm ipsa ecclesiastica disciplina, sed ratio naturalis, ipsaque divina justitia exigere videtur.

Quid enim rationi, justitiæque divinæ congruentius, quàm ut pœnitentia sit peccatis proportionata; adeoque publica pro publicis peccatis.

Ad hæc cùm per peccata publica plerumque aliis scandalum generetur, dum videntes publicè peccata committi, ad eadem etiam committenda provocantur, nisi Pœnitentiæ alicujus timore coërceantur, ratio exigit, ut quos publicè peccando ad peccandum incitavit, publicè pœnitendo à peccatis revocet.

Deniquè dum pro peccatis publicis agi pœnitentiam populus non videt, idea de peccatorum magnitudine adeò paulatim minuitur; ut nisi per manifesta pœnitentiæ publicæ exempla aliquando magnitudo peccatorum eorum oculis objiciatur, futurum sit, ut sine ullo timore peccata committant atque peccata alioquin gravia, appareant levia aut nulla.

Hinc illud Apostoli I. ad Timoh. cap. 5. v. 20. *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.*

XXVII. Hoc Apostolicum monitum assumens Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 8. *de Reformat.* declarat » Quando » igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen » commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque » fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ » pœnitentiam publicè injungi oportet; ut quos exemplo suo » ad malo mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad » rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicè hoc pœniten» tiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita » magis judicaverit expedire. «

Ex his verbis evidens est, voluisse Synodum, pro peccatis publicis, & in conspectu multorum commissis pœnitentiam publicam à Confesariis esse imponendam; eatenus saltem, ut publico scandalo satisfiat, ut eo pacto peccator, *quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam.*

XXVIII. His conforme est quod decernitur in Rituali Romano, & Pastorali Meclinensi titulo de *Sacramento Pœnitentiæ.* » Videat autem diligenter Sacerdos..... ne absolvat eos, qui pu» blicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant & scan» dalum tollant. «

Sanctus Carolus in primo suo Concilio Mediolanensi titulo, *quæ pertinent ad Sacramentum Pœnitentiæ*, decernit: » Idem » (Confessarii) quemadmodum à Sancta Tridentina Synodo jus» sum est, publicè peccantibus publicam Pœnitentiam impo» nant: neque illud pœnitentiæ genus, nisi data ab Episcopo » facultate, secreta alia pœna commutare audeant. «

XXIX. Igitur eatenus saltem hodierna Ecclesiæ disciplina Pœnitentiam publicam retineri, & à Presbyteris imponi vult, ut per eam scandalum per publica peccata datum reparetur; utque sua pœnitentia peccator eos, quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam; eamque Pœnitentiam pro peccatis publicis ac notoriis à Presbyteris ità imponendam censuit Synodus, ut soli Episcopo facultatem tribuat, publicæ hoc Pœnitentiæ genus in aliud secretum, quando ita magis judicaverit expedire, commutandi.

XXX. Quod verò genus Pœnitentiæ hîc requiratur, non expressit Synodus; sed illud Confessariorum prudentiæ permissit; qui criminis, personæ, loci & temporis conditione diligenter expensa, judicent, quæ Pœnitentia publica pro scandalo reparando imponenda sit: qua in re, ne subinde præcipiti zelo aberret Confessarius, nonnumquam expediet, Superiores aliosque petitiores consulere.

XXXI. Quod verò ad Pœnitentiam publicam omnibus illis ritibus externis vestitam, quam *solemnem* vocat Canonistæ, attinet, eam à Patribus utiliter præscriptam atque cum fructu non exiguo impositam annoscit Ecclesia; atque etiamnùm hodie ipsis Episcopis in Pontificali exhibet, ejusque ritum exactè describit, ut pro temporum, locorum, atque criminum gravitate, & personarum qualitate eam reducant.

XXXII. Huic Ecclesiæ voto obsequens Sanctus Carolus in Concilio Mediolanensis III. titulo, *De iis quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent.*: statuit; » Studeat Episcopus, ad sa» crorum Canonum & Tridentini Concilii præscriptum, pro » publicorum delictorum gravitatis ratione, & publicam & so» lemnem pœnitentiam in usum revocare. Quos verò ita solem» niter pœnitere oportet, mense ante Quadragessimæ initium » ad se per Parochos deferri curet, ut primùm ineunte Qua» dragessima illi pœnitentia affici, tum die Cœnæ Domini Ec» clesiæ reconciliari possint stato solemni ritu. «

Hoc decretum rursus renovavit in Concilio Mediolanensi V. utque utriusque Concilii decretum eam executionem habeat, in Synodo sua Diœcessana II. voluit, » ut si qui tale facinus com» miserint, ut pœnitentiâ publicâ & solemni satisfacere de» beant, eorum nomina Parochi mense ante Quadragesimæ » initium ad nos deferant, ut ineunte Quadragesima ex ins» tituto Ecclesiæ ritè ea pœnitentia imponatur. «

Solemnem ergo pœnitentiam à solis Episcopis imponi vult, quando ipsi pro gravitate delicti, & scandali dati, temporum atque personarum conditione, non politicè, sed juxta Evangelicas, & Ecclesiasticas regulas expensa, imponendam judicaverint.

CAPUT III.

De Canonibus et Libris Pœnitentialibus.

1 *Quid propriè canones* Pœnitentiales.
2 *Eorum usus antiquissimus; & quare.*
3 *In determinandis Pœnitentiis admodum circunspecti & soliciti erant olim Episcopi.*
4 *Insigniores etiam Episcopi non audebant soli aliquid determinare sed alios consulebant.*
5 *Exemplum in Episcopis Africanis.*
6 *Alterum in Clero Romano.*
7 *Argumentum hujus disciplinæ suppeditant priscorum Conciliorum Canones.*
8 *Epistola Canonica S. Gregorii Thaumaturgi, & Petri Alexandrini non leve argumentum subministrant.*
9 *Omnium fœcundidissima est hanc in rem Epistola canonica S. Basilii.*
10 *Pontifices etiam sæpiùs super pœnitentia imponenda consulti; & ejus exemplum ex Gratiano.*
11 *Ex cura Patrum circa pœnitentias orti sunt canones Pœnitentiales.*
12 *Qua ratione mediis seculis compositi Libri Pœnitentales.*
13 *Horum librorum descriptio.*
14 *Ex præscripto horum librorum Presbyterii Pœnitentias imponere debebant.*
15 *Episcopi sedulò invigilabant, num juxta Canones pœnitentia imponeretur.*
16 *Pro assequenda canonum Pœnitentialium notitia intelligendi quatuor Pœnitentium gradus.*
17 *Quatuor hi gradus recitantur.*
18 *Descriptio primi gradûs.*
19 *Hic gradus erat extra templum.*
20 *Quid in hoc gradu agerent Pœnitentes.*
21 *In hoc gradu existentes nondum erant propriè Pœnitentes.*
22 *Hic gradus non ubique, nec semper inter gradus pœnitentiæ computatus.*
23 *Descriptio secundi gradûs Pœnitentialis.*
24 *Quo loco hic gradus consisteret.*
25 *Quæ Pœnitentium in hoc gradu exercitia.*
26 *In hoc gradu nulla super Pœnitentes manûs impositio aut oratio, nec opera pœnitentialia eis imponebantur.*
27 *Qua ratione auditio Scripturæ sacræ huic gradui Pœnitentiali esset propria.*
28 *Quid per admissionem ad primum & secundum gradum consequeretur peccator.*
29 *Tertii gradûs pœnitentialis descriptio.*
30 *In hoc gradu crebræ fiebant super Pœnitentes manuum impositiones & orationes.*
31 *Quo tempore hæ fierent.*
32 *In hoc gradu imponebantur opera corporis afflictiva.*
33 *Hic gradus propriè pœnitentialis; & in illo existentes proprie Pœnitentes dicti fuêre.*
34 *Quarti gradûs descriptio.*
35 *In hoc existentes manebant toto tempore Sacrificii.*
36 *Non tamen poterant offerre, vel communicare.*
37 *Plura hominum genera ad hunc gradum redigebantur.*
38 *Quanto tempore in unoquoque gradu subsistendum.*
39 *Episcopi tempus abbreviare poterant.*
40 *Poterat Episcopus omisso inferiori gradu collocare pœnitentem in altiori gradu.*
41 *Præcipuus scopus Œconomiæ pœnitentialis erat, ut sciretur, an peccator vere esset conversus.*
42 *Episcopi diligenter observabant modum agendi Pœnitentium; & monebant Presbyteros, ut sincerum de Pœnitentibus testimonium redderent.*
43 *Quomodo circa dispensationem Pœnitentes de uno ad alium gradum ascenderent.*
44 *Quandoque canones Pœnitentiales cœperint abrogari.*
45 *Quæ occasiones abrogationis.*

I. *Canon* Græcæ, latinè *Regula* nuncupantur, ait Isidorus apud Gratianum *Dist.* 3. *Can.* 1. Hinc Canones Ecclesiastici proprio, & Antiquis usitato modo loquendi, sunt regulæ morum directrices, non unius, sed plurium Ecclesiæ Præsulum consensu præscriptæ.

Itaque Canones *Pœnitentiales* sunt Regulæ, quibus Pontifices, Concilia, atque SS. Patres pœnitentiæ peragendæ normam peccatoribus præscripserunt; opera pœnosa, & laboriosa, cuique crimini proportionata, & opportuna decernendo, ac injungendo.

II. Horum usus antiquissimus est, & ab ipsis propemodum Ecclesiæ incunabulis exordium sumpsit.

Cùm enim Patribus esset persuasum, pœnitentias convenientes peccatis impositas plurimùm ad sanationem peccatoris, & remissionem criminum valere, uti variis Patrum testimoniis ostendit Morinus *lib.* 3. *de Administ. Sacram. Pœnit. cap.* 12. magnoperè soliciti fuêre Episcopi, ut scirent, quæ, qualesque pœnitentiæ singulis quibusvis criminibus congruerent.

III. Utque in re tanti momenti, à qua ipsius animæ curatio potissimùm dependet, securiùs procederent, nihil ferè circa hanc rem pronuntiabant, aut statuebant, quod anteà à multis Episcopis seriò deliberatum, & examinatum non esset.

Quapropter „ quoties peccatum aliquod novum occurre„ bat, aut peccati nova species, vel magni momenti circums„ tantia, toties in unum conveniebant Episcopi, & scrupulosè „ admodùm inquirebant, quo pœnitentiæ genere peccatum il„ lud esset expiandum: & re deliberatâ & definita singulis Pa„ rœciis suis id, quod communi consensu statutum erat, signi„ ficabant, ut Episcopi omnes & Presbyteri crimen illud juxta „ Canonem recens conditum pœnitentiâ impositâ curarent. Tan„ to studio cavebant, ne reconciliationem cum indignis com„ municarent? "

IV. Hæc Morinus *lib.* 6. *cap.* 4. qui ibidem addit: » Vi» dere est insignes, & doctissimos Episcopos emergente aliquo » novo crimine hærentes, quâ pœnitentiâ esset eluendum, ju» bentes criminis Reos tamisper apud se flere, orare, jejunare, » donec Episcopi convenientes deliberâssent, quo pœnitentiæ » medicamine essent sublevandi & curandi. Videre est alios in » ejusmodi casu suspensos nihil de pœnitentia statuentes, do» nec à vicinis Episcopis responsum tulissent.

» Nec ista (ait Morinus) diligentia tribus tantùm aut quatuor » seculis in Ecclesia viguit, sed undecim integris ità constan» ter perduravit, ut de ea nihil prorsus remissum fuerit."

V. Antiqui hujus moris locupletissimus testis ex S. Cyprianus in variis suis Epistolis, ac signanter *Epist.* 13. ubi sex Episcopi eum consulunt, an tutò post triennii pœnitentiam iis reconciliatio concedi posset, qui fortissimè coram Magistratu & populo frequente tormenta passi fuerant, & vicerant, deinde à Proconsule tenti, & gravissimis pœnis diutissimè excruciati, tandem ceciderant, & gloriam priore certamine partam maculaverant. Neque tantùm de hac re Cyprianum consulunt, sed etiam rogant, ut cum aliis Episcopis quæstionem illam communicet.

Verba Cypriani sunt: » Quoniam tamen scripsistis, ut cum » pluribus Collegiis de hoc ipso plenissimè tractem, & res tan» ta exigit majus & impensius de multorum collatione consi» lium, & nunc omnes ferè inter Paschæ prima solemnia apud » se cum fratribus demorantur, quando solemnitati celebrandæ » apud suos satisfecerint, & ad me venire cœperint, tractabo » cum singulis pleniùs, ut de eo, quod consuluistis, figatur » apud nos, & rescribatur vobis firma sententia multorum Sa» cerdotum consilio ponderata."

VI. Hujusmodi plurima inter epistolas Cypriani testimonia illius disciplinæ occurrunt; atque inter alia etiam testimonium Cleri Romani tempore Cypriani, Sede vacante per mortem Fabiani Papæ, ita ad ipsum Cyprianum de causa lapsorum scribentis: » Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod » tu & ipse tractâsti priùs, Ecclesiæ pacem sustinendam; dein» de sic collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, » Diaconis, Confessoribus, pariter ac stantibus Laicis facta, » Lapsorum tractare rationem."

Hæc Clerus Romanus *epist.* 31. inter epistolas Cypriani.

Et ne horum lapsorum interim cura, ac salus neglecta prorsus videretur, moderamen quidem aliquod excogitârunt, sed iterùm non nisi de consilio plurium Episcoporum, uti liquet ex subsequentibus: » Cujus temperamenti moderamen hîc te» nere quærentes diù & quidem multi, & quidem cum quibus» dam Episcopi vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex » aliis provinciis longè positis persecutionis istius ardor ejecerat, » ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus, » sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus, » ut interim, dum Episcopus dari à Deo nobis sustinetur, in » suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, cau» sa teneatur."

VII. Ejusdem diligentiæ ac solicitudinis argumenta insignia sunt singuli ferè Canones Eliberitani, Ancyrani, Nycæni, Concilii Arelatensis I. In his enim penè omnibus agitur de pœnitentia certis criminibus imponenda, criminum variæ species; circumstantiæ, peccantium voluntas, necessitas, occasio discutiuntur, & unicuique speciei circumstantia aggravatæ, aut sublevatæ analoga pœnitentia à Patribus injungitur; ut pluribus annotavit in Commentario ad Canones præsertim *Ancyranos*.

VIII. Argumentum quoque non leve suppeditat Epistola canonica S. Gregrorii Thaumaturgi. Hic enim interrogatus à vicinis Episcopi, quæ pœnitentia certis criminibus noviter in eorum Diœcesibus, occasione incursionis Barbarorum, perpe-

tra-

tratris, illis hac Epistola respondet; eosque modum pœnitentiarum docet; ac præterea Presbyterum à se benè instructum ad eos ablegat; unà addens, nonnullis peccatis pœnitentiam se definire non audere, sed expectandam Episcoporum Synodum, ac interim criminum reos ab Ecclesia pellendos. Sic scripsit *Can.* 5. » Propterea ego Fratrem & consenem nostrum Eu» phrosynum ad vos misimus, ut secundum formam, quæ hîc » est, & ipse similiter det, & quomodo accusationes admitte» re oporteat, & quos à precibus abdicare. « Et *Can.* 7. de quodam speciali crimine loquens, ait: » illius criminis reos » etiam ab auditione arcere oportet, donec de iis, *congrega*» *tis Sanctis*, aliquid commune visum fuerit, & ante eos Sanc» to Spiritui.«

Insigne quoque istius disciplinæ exemplum est Epistola canonica S. Petri Alexandrini constans 14. Canonibus, in quibus singulæ species lapsorum examinantur, & singulis pœnitentia conveniens assignatur; ut eam formam universæ Patriarchatûs Alexandrini Ecclesiæ teneant.

IX. Sed nihil est in hanc rem præclarius, aut fœcundius, quàm epistola canonica S. Basilii continens 85. Canones, qui, vix uno excepto, nihil aliud spectant, quàm pœnitentias singulis peccatis injungendas. Id autem fecit S. Amphilochii Iconiensis Episcopi interrogatis stimulatus, qui à tanto & tam celebri viro edoceri volebat, quibus pœnis peccata curari possent: non enim à seipso vir alioquin magnus id audebat statuere.

X. Pontifices quoque sæpè consulti sunt, quæ pœnitentia nonnullis criminibus esset imponenda, & augenda, ut peccator reconciliationem à Deo, & ab Ecclesia mereretur. » Tan» ti enim æstimatum est ab Antiquis (ait Morinus *lib.* 6. *cap.* 15. » *n.* 7.) dignam, & sceleribus æquatam Pœnitentiam agere, » ut non modò Episcopi, quorum erat Pœnitentiam dictare, » sed etiam ipsi criminum rei doctissimos quosque & in Ca» nonum lectione optimè versatos diligenter consulerent, ut eo» rum consilio, & ductu Canonicam Pœnitentiam agere, ejus» que omnes molestias perpeti possent. Pontificem autem adi» bant, non ut relaxationem, nedum immunitatem a pœniten» tia Canonibus instituta obtinerent, hoc erat seculis illis in» auditum, sed ut eam integrè, & juxta Canonum placita men» temque præstarent. Fixum enim erat eorum animis, pœni» tentiam, ejusque labores omnes auxilia Dei impetrare, quibus » peccatores adjuti multò facilius, securiùs, & efficacius ad » gratiam Dei & remissionem peccatorum obtinendam dispone» bantur.«

Exemplum insigne illius consultationis, & Pontificii responsi refertur apud Gratianum *Caus.* 12. *q.* 2. *Can.* 17. & plura à Marino loco citato.

XI. Ex his perquàm manifestum est, summam jam pridem fuisse Patrum curam, & studium, ut quibusque criminibus convenientes & dignas pœnitentias, atque peccatorum remedia præscriberent; eaque certis canonibus, seu regulis exprimerent, qui à pœnitentia præscripta *Pœnitentiales* dicti fuêre.

XII. Cùm verò sensim hi Canones, ac Patrum præscriptiones, & responsa de penitentiis imponendis multiplicarentur, atque in Canonum Collectionibus nonnulla intercurrerent, quæ aliò spectabant; necnon in Patrum Tractatibus sparsim multa de remediis peccatorum immiscerentur, opportunum visum fuit, pro majore inferiorum Presbyterorum (ad quas circa seculum VIII. impositio pœnitentiæ, præsertim pro peccatis occultis, devolvi cœperat) commodo, Canones illos in certum ordinem, & compendium colligere, certosque libellos, nihil nisi hujusmodi Canones continentes componere; ut ita unusquisque Presbyter in promptu semper haberet regulam pœnitentiæ imponendæ. Hi libelli à materia subjecta vulgò dicti fuere *Pœnitentiales*; multaque in illis pro commoditate Presbyterorum occurrebant, quæ in Canonibus deerant.

XIII. Hæc exponit Morinus in præfatione ad libros Pœnitentiales; atque una horum librorum utilitatem astruit: eosque *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 17. ita describit.

Omnes hæ Collectiones quotquot sunt, inquit Morinus ibidem *num.* 17. » nihil aliud sunt, quàm præcedentium Canonum, » & sententiarum Paternarum collectiones inter se tantùm dif» ferentes, quòd & ordinem varium sequuntur, & varias libro» rum, titulorum, & capitum distinctiones. Cùm enim quæs» tioni propositæ respondent, nihil de suo proferunt, sed nudos » Canones, & nuda Patrum verba afferunt. Annis 1160. nul» lus doctor privatus inventus est, qui aliter de Pœnitentia & » remediis, quibus peccata per Sacramenta pœnitentiæ puniun» tur, & curantur, scribere tentaverit.«

XIV. Libri hi Pœnitentiales auctoritate Episcoporum probati & evulgati, Presbyteris inferioribus tradebantur; ut juxta quod in illis erat præscriptum, Pœnitentias imponerent, & Pœnitentes dirigerent.

Unde in Ordine ad celebrandam Synodum circa seculum 10. composito, inter cæteras admonitiones Episcopi ad Presbyteros una hæc erat: » Feria IV ante Quadragesimam plebem ad » confessionem invitate, & ei juxta qualitatem delicti Pœni» tentiam injungite, *non ex* CORDE, sed sicut in *Pœnitentiali* scrip» tum est.«

Quod hîc dicitur, *non ex corde*, idem est ac si diceretur, *non ex animi sui motu*, non ex impetu quodam mentis & voluntate, sed prout in *Pœnitentiali* scriptum est: uti rectè exponit Vir eruditus Stephanus Baluzius in notis ad *art.* 57. *lib.* 1. Reginonis, ubi citatus Ordo refertur.

Et formula visitationis Episcopalis *art.* 95. interrogare jubet: » Si habeat Pœnitentiale Romanum, vel à Theodoro Episco» po, vel à Venerabili Presbytero Beda editum, & secundum » quod ibi scriptum est, interroget confitentem, & confesso » pœnitentiam imponant.« Apud Reginonem *lib.* 1.

XV. Episcopi autem multùm soliciti erant, & invigilabant, ne Sacerdotes aliter quàm juxta canonicam auctoritatem pœnitentiam imponerent; quemadmodum ex Conciliis seculo IX. celebratis videre est; atque signanter Parisiensi VI. anno 829. quod *lib.* 1. *cap.* 32. præcipit, ut unusquisque Episcoporum in sua Parochia instruat Presbyteros » qualiter & confitentium pec» cata audire, discreteque inquirere, eisque congruum mo» dum pœnitentiæ secundum *canonicam auctoritatem* noverint » imponere.« Ratio quam reddunt notatu dignissima est: „ Quo„ niam hactenus eorum incuriâ & ignorantiâ multorum flagitia „ manserunt impunita.«

XVI. Pro assequenda horum Canonum (quorum tanta per XI. circiter secula in Ecclesia fuit veneratio, atque constans, saltem in Ecclesia Latina usus) exactiore notitia nonnulla necessariò notanda, atque exponenda sunt.

Primùm, in hisce Canonibus frequenter occurrit mentio diversorum *graduum*, sive *ordinum*, vel *stationum*, per quos pœnitentes gradatim quasi ascendebant, priusquam omnimodæ, ac perfectissimæ communioni restituerentur.

XVII. Communiter autem quatuor gradus assignantur; quos expressit Canon, qui vulgò Canonibus epistolæ Canonicæ S. Gregorii Thaumaturgi subjicitur, atque jam pridem ex ipsis Canonibus Gregorii collectus videtur. Porrò primus graduum ibidem ocurrentium dicitur *Fletus*, secundus *Auditio*, tertius *Substratio*, & quartus *Consistentia*.

XVIII. Primus gradus in citato Canone describitur his verbis: » Fletus, seu luctus est extra portam Oratorii; ubi pecca» torem stantem oportet Fideles ingredientes orare, ut pro se » precentur. «

XIX. Ex hac descriptione planum est, Flentium stationem fuisse extra Ecclesiam; quod & non obscurè docet S. Basilius *Can.* 56. dicens: *Debet quatuor annis* DEFLERE *stans* EXTRA *fores Oratorii*. Et *Can.* 75. *Triennio* DEFLEAT *stans ad fores domus oratoriæ*.

Idipsum pluribus confirmat Morinus *lib.* 6. *cap.* 2. asseritque *num.* 1. in omnibus antiquis Ecclesiis Baptismalibus aream quandam fuisse, & spatium ante templum & ejus vestibulum, in qua collocata erat statio *flentium*; nec ultra progredi fas illis erat.

XX. Quid in hac *statione* agerent Pœnitentes indicat citatus Canon S. Gregorii Thaumaturgi in verbis: *Ubi peccatorem stantem oportet Fideles* ORARE, *ut pro se precentur*. Et S. Basilius citatis verbis Canonis 56. subnectens: *Et Fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians.*

Hæc evincunt, in hoc gradu Pœnitentes duo præcipuè egisse; nimirùm peccata sua publicè ac palàm confiteri, seu iniquitatem suam pronuntiare; atque Fidelibus Ecclesias ingredientibus adgeniculari, ut pro ipsis apud Deum, Episcopum, ac Clerum intercederent, quatenus ad Pœnitentiam recipi possent.

XXI. Neque enim stantes in hoc gradu adhuc propriè erant pœnitentes; sed duntaxat orabant & gemebant, ut possent ad Pœnitentiam admitti: quare hic gradus potiùs quoddam præambulum erat ad Pœnitentiam, quam verus Pœnitentiæ gradus. Unde nihil ad hos pertinebat Missa catechumenorum: nullæ super eos orationes recitabantur; imò ne ad prædicationem quidem admittebantur, utpotè à templi vestibulo exclusi.

XXII. Hac de causa nonnulli auctores, & Canones etiam veteres hunc gradum non annumerant gradibus Pœnitentiæ: quin & monet Morinus, hanc *stationem* eatenus fuisse Græcis propriam, & in Ecclesia Latina septem ut minus seculis incognitam, in quantum sumitur pro certa statione, cui ex Ecclesiæ mandato Pœnitentes certò tempore adstringebantur. Ac insuper monet ipse Morinus *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 5. quòd ante Novatum *Fletus* non esset Statio Pœnitentialis, in qua certo tempore manere juberentur; licèt nonnulli extra fores Ecclesiæ etiam tunc Fidelium preces postularent, ut ad Pœnitentiam recipi mererentur; sed voluntariè, ac sine determinatione temporis id faciebant.

XXIII. Secundus gradus dicitur *Auditio*, qui in citato Canone S. Gregorii Thaumaturgi his verbis describitur: » Audi» tio est intra portam in Narthece, ubi oportet eum, qui pec» cavit, stare usque ad Catechumenos, & illinc egredi. Audiens » enim Scripturas & doctrinam, ejiciatur, & precatione indig» nus censeatur. «

Lo-

XXIV. Locus hujus Stationis erat porta Ecclesiæ seu porticus magnis Ecclesiæ portis connexa. Notandum autem monet Morin. *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 2. » antiquarum Ecclesiarum portis » ædificiolum quoddam conjunctum semper fuisse, quod vesti- » bulum ϱοπύλαιον, & πρόθυρον πρόναον meritò dici potest; quale » visitur in omnibus antiquis RomanisEcclesiis, quod ingentibus » columnis marmoreis innititur, quæ Constantinianum opus ma- » nifestissimè arguunt, & nonnullæ operâ unius aut vix alte- » rius post Constantinum seculi. Huic ædificiolo similia videre » est in singulis ferè Galliæ rusticorum Ecclesiis: sed ea nunc » prophanis inserviunt usibus, quos in Ecclesiis religione ducti » exercere non audent. «

Quæ de Ecclesiis Galliæ asserit, idem de Belgicis quoque dicendum. In his enim simile ædificiolum passim habetur, atque in illis mulieres post partum venientes ad Ecclesiam *purificationis* causa tantisper subsistunt, quousque Parochus eas in Ecclesiam introducat.

XXV. Exercitia verò Pœnitentium in hac Statione erant, diligenter audire lectionem Scripturæ Sacræ, ejusque interpretationem sive sermonem: quod significat citatus Canon Taumaturgicus, verbis supra allegati subdens: *Audiens Scripturas & doctrinam, ejiciatur, & precatione indignus censeatur.* Hæc desumpta apparent ex *Can.* 75. Basilii, qui ait: *Scripturam ac doctrinam audiens ejiciatur, & oratione indignus habeatur.*

Ex his duo elicit Morinus *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 5. uti & Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rerum Liturg. cap.* 17. Primum, exercitia horum pœnitentium propria, & publicè ipsis imposita, fuisse diligenter auscultare Scripturam Sacram, ejusque expositionem.

XXVI. Alterum, nullas manuum impositiones, una excepta, quæ fiebat in ipsa ad hanc Stationem admissione, nullasque orationes expiatorias, aut alterius generis super os specialiter fusas fuisse; uti nec opera pœnalia, ac laboriosa ipsis imposita, quæ erant tertiæ stationis specialia exercitia; ut infrà dicetur. Si quæ verò à pœnitentibus in hac Statione suscipiebantur, ea voluntariè ex Spiritus fervore obibant: sed in hac, uti & *Flentium* statione *imperata non lego*, ait Morinus *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 4.

» Auditio enim (pergit Morinus) in secundum pœnitentiæ » gradum constituta est veluti opprobri causa, ut ad eum rele- » gati pœnitentes fidei rudimenta iterum edocerentur, non se- » cus ac infimæ classis Catechumeni. Ea enim non didicisse cen- » sebantur, qui regenerationis lavacro abluti gravissimis scele- » ribus iterum sese polluerant; necdum digni censebantur, qui- » bus opera laboriosa ad promerendam Dei gratiam, & redi- » menda peccata imperarentur. Fundamenta Dei, quæ tam ma- » lè & negligenter didicerant, in eorum animis iterum jacere » necessarium judicabatur. «

XXVII. Verum quidem est, quòd ad audiendam lectionem Scripturæ Sacræ, ejusque expositionem præter Pœnitentes in hac Statione admissi fuerint etiam Ethnici, Judæi, Hæretici, Catechumeni, aliique hujusmodi generis homines juxta Cano- » nem Carthaginensem: » Episcopus nullum prohibeat ingredi » Ecclesiam, & *audire* Verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæ- » reticum, sive Judæum usque ad Missam Catechumenorum: « sed in nullis nisi Pœnitentibus, qui *Audientes* dicebantur, auditio hæc Scripturarum rationem *Stationis pœnitentialis* habebat: nam aliis, ut ibi starent, in pœnam, aut pœnitentiam injunctum non erat.

Hi enim voluntariè ac sine ullo Ecclesiæ mandato ibidem consistebant, & Verbum Dei audire permittebantur. Pœnitentes verò ex mandato Episcopi ibi manebant, certo temporis spatio iis constituto; tenebaturque huic Stationi adesse quoties fiebat Synaxis, & ibidem subsistere donec voce Diaconi ejicerentur: ut latiùs prosequitur Morin. *Lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 5.

XXVII. Porrò, cùm per admissionem ad hanc Stationem, uti & ad Stationem *Fletus* reciperentur graviorum criminum rei in numerum Pœnitentium; atque *Fletus & Auditio* in pœnitentiam imponerentur: etiam in ipsa Stationum assignatione eis manus adjuncta oratione imponebantur: & insuper in gravissimis delictis, propter quæ peccator ab Ecclesia pulsus & excisus fuerat, per hanc Pœnitentiæ impositionem excommunicationis vincula solvebatur, & qui ad Ecclesiam non pertinebat, quique cum ea nullo Religioso commercio devinciebatur, per eam Pœnitentiæ impositionem incipiebat ad Ecclesiam pertinere, eique curæ esse, jusque ad communionem etiam perfectissimam recipiebat, quæ ab eo tempore, si periculo mortis urgebatur, illi denegari non debebat. Ita Morinus *Lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 2. Atque hinc apparet, non fuisse gravium criminum reis infructuosam ad hasce Stationes admissionem; tametsi ipsa Stationum exercitia etiam non Pœnitentes obire possent.

XXIX. Tertius gradus seu Statio vocabatur *Substratio* vel *Subjectio*, de qua hæc leguntur in citato Canone Thaumaturgico: *Subjectio autem, seu Substratio est, ut intra portam templi stans cum Catechumenis egrediatur.*

Dicebatur autem *Substratio*, sive *Subjectio*, eò quòd tempore hujus Stationis essent quasi continuò sub manu Episcoporum & Sacerdotum, tanquam rei & humilitati, prostrati, sive subjecti.

XXX. Toto quippe tempore hujus Stationis fiebat crebræ manuum impositiones super Pœnitentes, juxta illud Felicis Papæ III. *Epist.* 7. » Tribus annis inter Audientes sint; septem au- „ tem annis subjiciant inter Pœnitentes *manibus* Sacerdotum. « Et illud Concilii Cartag. IV. *Can. LXXX.* „ Omni tempore „ jejunii *manus* Pœnitentibus à Sacerdotibus imponantur. «

Plura testimonia hujus disciplinæ refert Morinus *lib.* 6. *cap.* 8. qui *cap.* 9. multis probat, huic manuum impositioni semper conjunctam fuisse orationem, ideoque quemadmodum creba erat super Pœnitentes durante hac Statione manuum impositio, sic quoque frequens super iis fundebatur oratio; ut scilicet per eas ad veram cordis contritionem & pœnitudinem excitarentur & promoverentur.

XXXI. Hæc autem manuum impositio & oratio super Pœnitentes fiebat post lectionem Scripturarum, & sermonem habitum ad populum. His enim absolutis voce Diaconi ejiciebantur *Audientes*, aliique, qui hisce interesse potuerant; quibus ejectis, sub manum Episcopi succedebant hujus Stationis Pœnitentes; atque oratio ipsius propria recitabatur: hisque peractis etiam ipsi jubente Diacono dimittebantur; eaque dimissione facta Fidelium Missa inchoabatur.

XXXII. Nec tantùm impositio manuum, atque frequens oratio super pœnitentem ad curanda, expiandaque in hac Statione fiebant; sed longè acriora, & austeriora pro uniuscujusque vulneris ratione, & pœnitentis conditione medicamenta applicabantur. Imponebantur enim in hac Statione pœnitentibus varia opera laboriosa & corpus, ac corporis pravos affectus exterminantia, privatim exercenda. Quanti verò essent hi pœnitentiæ labores, & quàm dura opera pœnitentialia, ostendit Morinus *lib.* 6. *cap.* 11. notatque Antiquos Patres *interitum carnis* apud Apostolum, ubi dicit se incestuosum Corinthium *tradidisse Sathanæ in interitum Carnis*, intellexisse, de *interitu* per Pœnitentiæ labores. 1. *Cor. cap.* 5. *v.* 5.

XXXIII. Quia in hac statione præcipuè peccatores per crebras manuum impositiones, orationes, & propria opera Pœnitentiæ purgabantur, hinc hæc statio propriè erat *Pœnitentialis*; atque ideò (ait Morinus) in Ecclesia nunquam non viguit; cùm aliæ Stationes tantùm disciplinæ causa fuerint adjectæ. Ubi verò erat rarus Stationum *Fletus*, & *Auditionis usus*, ut in Occidente, & ubique ante Novatiani hæresim, tota Pœnitentia in hac Statione peragebatur, teste Morino *lib.* 6. *cap.* 8. ac propterea soli in hac Statione consistentes dicebantur propriè *Pœnitentes.*

XXXIV. Quarta Statio dicta fuit *Consistentia*, de qua in Canone Thaumaturgico; „ Congregatio sive Consistentia est, ut „ cum Fidelibus consistat, & cum Catechumenis non egrediatur: „ postremò est participatio Sacramentorum. «

Idipsum clariùs expressit S. Basilius *Can.* 75. „Postquam „ Pœnitentiæ fructus dignos ostenderit, decimo anno in Fide- „ lium orationes suscipiatur, *sine oblatione*; & cùm duobus „ annis unà cum Fidelibus ad orationem substiterit, sic deinceps „ dignus habeatur *boni* communione. «

Et Felix III. in citata Epistola 7. de Consistentibus ait: Duo- „ bus annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed „ tantùm secularibus in oratione socientur. «

XXXV. Hac descriptione docemur, Consistentes jus habuisse, unà cum Fidelibus orationi assistendi, id est, Sacrificio & omnibus, quæ ad Sacrificium pertinent, ritibus usque ad finem; neque cum Pœnitentibus sive Substratis potuisse dimitti: atque ab hac cum Fidelium assistentia *Consistentes*, sive simul sistentes dicti fuêre.

XXXVI. Alterum ex illa descriptione habetur; quòd Consistentes cum Fidelibus quidem sacrificio assisterent, sed *absque oblatione*, id est, quòd ipsorum munera seu oblationes ad altare non reciperentur. Moris olim fuit, ut Fideles omnes, nisi extrema paupertate premerentur, ad Missarum solemnia sua munera in altari offerrent; eaque oblatione quodammodo Sacrificio communicarent; uti titulo præcedenti ostendimus.

» Pœna igitur, qua mulctabantur Consistentes hæc erat (in- » quit Morinus, *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 6.) quòd munera eorum ut » Fidelium non acciperentur; unde consequens erat, eos Cor- » pori Christi non communicare. Quibus enim non licebat of- » ferre, unde Corpus & Sanguis Christi consecrarentur, iis non » judicabant licere ipsum Corpus & Sanguinem manducare & » bibere. Quapropter ista sunt æquipollentia, communicare pre- » cibus sine oblatione, & non communicare Corpori Christi. «

XXXVII. Quæ pluribus ibidem adstruit Morinus, qui *cap.* 18. ostendit, plura horum genera hanc Stationem complexam fuisse: illos tamen præcipuè ad hanc Stationem spectasse, qui tanquam Pœnitentes, inferiores Stationes absolverant, atque tandem ad hanc ascenderant: » Imò propter illos (ait) in pœni- » tentialem Stationem instituta fuit hæc antiqua Censura, ut post » toleratas graves molestias pœnitentiæ, aliquanto tempore ex- » pe-

» perirentur Patres, an iis liberati vitam ducerent Fideli dig-» nam, atque possent illis tutò credere Christi Corpus & San-» guinem.«

XXXVIII. Quanto tempore in una statione sive Gradu esset subsistendum, ex gravitate criminis Canones plerumque determinabant. Ordinariè tempus *Substrationis* prolixius erat, quàm aliarum Stationum; eò quòd in hac præcipuè ipsi Pœnitentes purgarentur; ipsaque esset propria Statio *pœnitentialis*.

XXXIX. Notandum autem tempora, atque exercitia istarum stationum Canonibus ita fuisse præfixa, ut tamen in Episcopi esset potestate, attenta vita, conversatione Pœnitentium, eorumque in peragenda pœnitentia fervore, ea contrahere aut mutare, atque humaniùs agere.

Hanc Episcopi auctoritatem his verbis expressit Can. V. Ancyranus: » Statuimus autem, ut Episcopi modo conversa-» tionis examinato potestatem habeant, vel utendi clementia, » vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem, & præce-» dens vita, & quæ consecuta est, examinetur, & sic eis cle-» mentia impertiatur. «

Eandem auctoritatem Canon XII. Nicænus, item Canon ultimus Trullanus aliique plures, quos citat Morinus *lib.* 1. *cap.* 5. attribuunt.

XL. Ex his Canonibus quoque evincitur, in potestate Episcopi fuisse, Pœnitentem ex inferiori Statione, prætermissa media, ad superiorem transferre; cùm videret pœnitentem in ea Statione ita conservatum, & ità ferventer pœnitentiam peregisse, ut de ejus conversione dubitare nequiret. Ita ab *Auditione* ad *Consistentiam* transire permittit Canon XII. Nicænus, » quicunque & metu, & lachrymis, & tolerantia & » bonis operibus, conversionem & opere & habitu osten-» dunt. « Hæc latiùs prosequitur Morinus *lib.* 6. *cap.* 19. & breviter expressit Auctor Canonis 86. *de Pœnit. Dist.* 1. apud Gratianum, » Ipsa tempora pœnitentiæ pro fide & pro con-» versatione Pœnitentium abbrevianda præcipiunt, & pro ne-» gligentia protelanda. «

XLI. Hujus indulgentiæ primum ac originarium fundamentum nos docet paucis verbis S. Gregorius Nyssenus in Epistola ad Letoium de hujus indulgentiæ causis doctissimè disserens: » Quemadmodum enim (inquit) porcis margaritas pro-» jicere est vetitum; ita & pretiosâ margaritâ privare eum, qui » jam per alienationem à vitio, & purgationem homo factus est, » absurdum est. «

Monet hic Gregorius Letoium, penitentiam canonicam ita moderandam esse per Episcopos, ut si videant quòd peccatores » diligentiori conversatione usi fuerint, & vita ad id quod » bonum est, reditum ostenderint, liceat ipsis pro Ecclesias-» ticæ œconomiæ utilitate tempus contrahere, & celeriùs ad » conversationem deducere; ut in eadem Epistola loquitur *cap.* 4.

Pœnitentialis enim œconomia licèt etiam alios fines haberet, unus tamen è præcipuis erat, ut per eam peccator à vitiis suis expurgaretur, & Sacerdotibus de vera ejus conversione constaret. » Ut quid temporis mora? (petit Morinus *lib.* 1. *cap.* 16. » *num.* 6.) Tot Pœnitentiæ Stationes, tam longa duratio, tot » corporis afflictationes? Ut experirentur, an vera esset animi » conversio, & eo vehementiæ pervenisset, quæ desiderabatur. Si » brevi tempore ista contritio erat Episcopo comperta, quod » ex animi zelo & ardore in constanter subeundis in unaquaque » pœnitentiæ statione præscriptis laboribus innotescebat, bre-» viori quoque tempore reconciliabatur pœnitens. «

Quod ibi multis adductis Patrum, ac Canonum testimoniis confirmat. » Non negabant peccatoris compunctionem tam ar-» dentem & inflammatam esse posse (ait Morinus ibid. *cap.* 17. » *num.* 4.) ut uno momento perfectam à Deo peccatorum re-» missionem obtineret, omnesque inferorum pœnas extingueret; » sed hoc & rarum esse, & sibi, quando contigeret, incogni-» tum esse profitebantur. Ideò ut pœnitentium conversionem » explorarent, atque illius inflammationem pœnitentes à Deo » promererentur, opera varia injungebant, quibus diligenter per-» actis eos purgatos esse & sanatos, Deo œconomiam Eccle-» siasticam approbante, non dubitabant, atque ut verè tales à » Deo habitos reconciliabant, & communione donabant. «

XLII. Hinc Episcopi pœnitentium conversationem, mores, vitæque institutum, tum per se, tum per alios diligenter toto pœnitentiæ curriculo explorabant, ut ex iis de interiore animi conversione judicium formarent.

Solicitè propterea monebant Presbyteros, ac Diaconos, quos pœnitentibus dirigendis, ac invigilandis præficiebant, ne de pœnitentis in peragenda pœnitentia diligentia, munere, aut gratiâ inducti testimonium falsum ferrent. Seculo IX. Hincmarus Archiepiscopus Remensis in Capitulo datis Presbyteris *art.* 13. » Nemo Presbyterorum à quocunque pœnitente, aut » gratiam, aut favorem, aut munus suscipere præsumat, aut » minus dignè pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei » testimonium reconciliationis ferat, & quocunque alium quem-» libet dignum pœnitentem à reconciliatione removeat, quia » hoc simoniacum, & Deo & hominibus abominabile est. «

Quin & in visitationis Episcopalis formula hic interrogationis faciendæ est *articulus* 38. » Si aliquem minus dignè pœ-» nitentem favoris aut familiaritatis, aut consanguinitatis gra-» tia ad reconciliationem adducat, aut ei testimonium recon-» ciliationis ferat. «

Idipsum vetatur in *cap.* 14. ✠ *de Simon.* sub nomine Alexandri III. pronuntiaturque *Simoniacum* esse.

XLIII. Si Episcopus inspectis pœnitentis conversione, & modo peragendæ pœnitentiæ nihil deprehendisset, quod ipsum ad *indulgentiam* inclinaret, pœnitens tempora pœnitentiæ in unaquaque Statione absolvere debebat; atque tempore unius Stationis absoluto ad superiorem Stationem quasi suo jure ascendebat, nec poterat denegari, nisi novi criminis reus fuisset peractus: uti fieri etiam nunc videmus in Clericorum ab officio vel ordinibus suspensione, ubi elapso tempore limitato, cessat ipso jure suspensio; nec ulla opus est ad peragendam cessationem accedat solemnitas. Ita Morinus *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 6.

XLIV. Canonum pœnitentialium usum, & rigorem in Ecclesia Latina integrum perseverâsse usque ad initium seculi XII. observat Morinus; at » hoc seculo inenunte, pœnitentiæ ex-» terioris severitas decrescere, minui & obsolescere cœpit, & » consequenter cum ea severitatis adminicula, scilicet antiqui il-» li ritus publici, tam qui pœnitentiæ actionem, quam qui » pœnitentium reconciliationem spectabant.« Ita Morinus *lib.* 10. *cap.* 16. *num.* 6. monetque *num.* 2. „ Nunquam juris rigor „ auctoritate ecclesiastica remissus est, sed in privatis causis & „ justis rigoris species in aliam frequenter commutata, plurimis „ occasionem dedit Pontificum beneficio ad præposteram re-» lationem abutendi.«

XLV. Occasiones plures hujus relaxationis Canonum Pœnitentialium assignat Morinus; quarum præcipuè fuêre, commutatio pœnitentiarum canonicarum cum opere aliquo laborioso propter evidentem, aut apparentum Ecclesiæ utilitatem; qualis erat susceptio armorum contra infideles, aut Hæreticos.

Ex hac verò altera orta est, nimirùm remissio alicujus partis pœnitentiarum canonicarum ob collatum denarium in reparationem, aut ædificationem alicujus Ecclesiæ, aliudve opus pium; quin ad refectionem pōtium, itinerum, aliasve res seculares hæc remissio extensa fuit. Quomodo autem hæc ex priori orta sit, & qua ratione ex utraque, præcipuè tamen ex posteriore, Canonum Pœnitentialium relaxatio, & abrogatio secuta sit, titulo seq. *cap.* 1. paucis ostendetur.

Tandem hisce accessit, ut notat Morinus *lib.* 10. *cap.* 25. *num.* 1. redemptionum antiquarum facilitas, quam tum unusquisque Sacerdos arbitrio suo commutare continuavit; unde factum est more hominum solito, ut ex facilibus facillimæ redderentur.

„ Deinde Confessorum ordinariorum universalis sententia eodem seculo prævalescens, Pœnitentias quascunque in foro „ conscientiæ Sacerdotum arbitrio esse infligendas, ultimam „ operi (abrogationi Canonum Pœnitentialium) coronidem „ imposuit.“ Hæc Morinus, qui ibidem ex auctoribus seculi XIII. hanc suam assertionem astruit, ostendens, quòd quidem pœnitentia canonica eo tempore adhuc Pœnitentibus à Confessariis proponeretur; sed jam inciperent magna auctoritate in ea remittenda & relaxanda uti; atque ulteriùs progrediendo, tandem invaluerit ea opinio, quòd Pœnitentiæ imponendæ arbitrio Sacerdotum essent relictæ; nec consequenter ipsos ampliùs Canonibus esse obstrictos.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT III.

De remissiori Canonum Pœnitentialium disciplina.

1 *Neglectus Canonum Pœnitentialium fuit occassio multorum abusuum.*
2 *Querela Conciliorum Toletani III. & Parisiensis.*
3 *Quædam statuuntur remedia.*
4 *Invitis Conciliorum monitis, negliguntur Canones Pœnitentiales.*
5 *Proponuntur remedia, ut abusus, qui in administratione Sacramenti Pœnitentiæ irrepserunt, reformentur.*
6 *Vetus praxis in prioribus Ecclesiæ seculis observata.*
7 *Directio pœnitentium publicorum committebatur Diaconis, & Presbyteris, reconciliandi auctoritatem non habentibus.*
8 *Guillelmi Parisiensis hac de re sententia.*

* I. SUperiori capite *num.* 45. enumeratæ sunt occasiones, quæ relaxationi Pœnitentialium Canonum originem dederunt. Experientia satis docuit, quantus esset in hisce Presbyterorum defectus, quantaque animarum pernicies; dum neglectis sibi præscriptis canonibus, sive regulis, tentârunt ex cor-

corde, seu pro suo arbitrio, & affectu pœnitentias, & vulnerum remedia præscribere, & pœnitentes reconciliare.

II. De his ita conqueritur Concilium Toletanum III. anno 589. can. XI. „ Quoniam (ait) comperimus per quasdam „ Hispaniarum Ecclesias, non secundum Canones, sed fœdis„ simè homines pro suis peccatis agere pœnitentiam, ac quo„ ties peccare libuerit, toties à Presbyteris se reconciliari „ postulent."

Et unde hæc tam perniciosa præsumptio? Non aliunde quàm ex neglectu Canonum uti ex verbis Concilii habetur. „ Ideo „ (ait) pro coercenda tam execrabili præsumptione, à sancto „ Concilio jubetur, ut secundum formam *Canonum antiquo„ rum* detur pœnitentia."

Similiter Patres Concilii Pariesiensis anno 829. *lib.* 1. *cap.* 32. deplorant, quòd multi sacerdotum, partim incuriâ, partim ignorantiâ, modum pœnitentiæ, reatum suum confitentibus, secùs quàm jura canonica decernant, imponunt... ob id non vulnera peccatorum curant, sed potius foventes palpant, incidentes in illud propheticum: *Væ qui consunt pulvillos sub omni cubitu manus, & faciunt cervicalia ad decipiendas animas.* Ezech. cap. 13. v. 18.

III. Ut huic pernicioso abusui moderentur, statuerunt, ut „ Presbyteri, etiam imperiti, ab Episcopis sint instituendi so„ lerti studio, qualiter & confitentium peccata discretè inquire„ re, ipsisque congruum modum, secundum canonicam auc„ toritatem, pœnitentiæ imponere noverint."

Necessitatem hujus instructionis subjiciunt: „ Quoniam hac„ tenus eorum incuria, & ignorantia multorum flagitia remanse„ runt impunita, & hoc ad animarum ruinam pertinere dubium „ non est."

Monent præterea Sacerdotes, qui aut muneris, aut amoris, „ aut timoris, aut favoris causâ, tempus, modumque pœniten„ tiæ ad libitum pœnitentium indicunt, audiant, quòd Dominus per Ezechielem Prophetam terribiliter dicat: „ Hæc di„ cit Dominus Deus: quia locuti estis vana, & vidistis menda„ cium: ideo Ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus: Et erit „ manus mea super Prophetas, qui vident vana & divinant men„ dacium: in Concilio populi mei non erunt, & in scriptura „ domûs Israel non scribentur, nec in Israel ingredientur, & „ scietis quia ego Dominus Deus. *Eò quod deceperint populum „ meum dicentes: Pax, pax, & non est pax.* Et post non mul„ ta: *Cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eo„ rum, & violabant me ac populum meum propter pugillum hor„ dei & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non mo„ riuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentien„ tes populo meo credenti mendaciis.*" Ezech. cap. 13.

IV. Quis igitur miretur, tam exiguos hodie apparere hujus Sacramenti salutares effectus, rarasque pœnitentium conversiones, quando tandem pristinis sanctorum Patrum regulis, sive Canonibus modum & tempus pœnitentiæ præscribentibus, penitùs abjectis & obblitteratis, pœnitentiæ etiam pro enormibus criminibus imponendæ factæ sunt arbitrariæ; & cuivis confessario permittitur *ex corde*, sive suo arbirrio pœnitentias imponere, nullo ad Canones Pœnitentiales habitò respectu?

Accedit, plurimos ex hisce esse, qui ex pœnitentium oblationibus, favore, & amicitia sibi aut communitati suæ emolumentum sperant; ideoque numerum pœnitentium ambiunt, pœnitentesque, ne ad alios divertant, palpant & iis adulantur.

Nonne hinc contingit, ut hodie verissime dici possit, etiam pro gravissimis peccatis, & criminibus, homines *fœdissimè* pœnitentias agere, & quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris reconcilientur, si reconciliari postulent?

V. Si Episcopi aliique Ecclesiæ superiores existiment, quòd attentâ præsentis temporis dispositione, & disciplinæ Ecclesiasticæ, collapsione, non esset covneniens reducere pristinam Canonum Pœnitentialium disciplinam; ipsisque Presbyteris præcipere ut juxta Canones Pœnitentiales, non autem ex corde pœnitentias imponant, nihilominus muneris Episcopalis est, ut saltem quantum in ipsis est, Presbyteros, antequam ad excipiendas fidelium confessiones admittant, solerti studio instituant, vel instructos noverint qualiter & confitentium peccata discretè inquirere, ipsisque congruum modum pœnitentiæ secundum canonicam auctoritatem imponere noverint, uti Episcopos monuit Concilium Parisiense.

Præterea exemplo Sancti Caroli Presbyteros moneant, ut Canones pœnitentiales benè noverint, quin præcipiant, ut examinandi interrogentur: *An Canones Pœnitentiales rite teneant?*

Deindè ut hujus sancti præsulis exemplo Presbyteris ostendant, quàm utilis sit horum Canonum notitia, prout hæc latiùs retuli *cap.* 4. hujus tituli, & fusiùs exposuit vir clarissim. Claudius Fleury *in suo disc.* 2. *hist. num.* 8.

Ulteriùs Patres Concilii Parisiensis deprehendentes, abusum leviores, & incongruas pœnitentias imponendi, & reconciliationem pœnitentium minium præcipitandi, provenire partim ex ignorantia, hancque vel inde maximè provenire, quòd uterentur *quibusdam codicillis contra canonicam auctoritatem scriptis, quos Pœnitentiales vocant*, declarant, quòd ipsis omnibus in commune salubriter visum sit, ut unusquisque Episcoporum in sua Parochia eosdem *erroneos codicillos* diligenter perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos Sacerdotes imperiti homines decipiant. Indubiè, si Episcopi sedulò attenderent in codicillos, sive libros prælegi solitos in Seminariis & Collegiis Theologorum his, qui ad munus Confesariorum aliquando obeundum destinantur, faciè indubiè deprehenderent, plures ex illis non secundum *auctoritatem canonicam* scriptos, nec minus Theologis perniciosos, quàm codicillos illos, quos Concilium Parisiense igni tradendos declaravit, ne alias Sacerdotes hisce utentes, homines deciperent.

Similes libri, si è manibus Theologorum eriperentur, nec ipsis prælegi sinerentur, sed his substituerentur libri canonicam Sanctorum Patrum normam in hujus Sacramenti ministratione continentes, sperandum esset, quòd & sensim Patrum saluberrima disciplina pœnitentialis restitueretur; atque Sacerdotes ad præscriptum Concilii Tridentini, „ Quantum spiritus, & pru„ dentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium „ conditione salutares, & convenientes satisfactiones injunge„ rent, haberentque præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, „ non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medi„ cinam, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & „ castigationem."

Non parum quoque conducet, si Episcopi solerti circumspectione, & moderatione utantur in approbandis his, quos verisimile est hoc munus Confessarii expetere, quo sibi vel communicati suæ directè, vel indirectè emolumentum temporale obventurum sperent.

Nihil enim perniciosius in hujus Sacramenti administratione esse, quàm si à ministris hujus Sacramenti lucrum aliquod temporale quovis prætextu directè, vel indirectè quæratur aut speretur, ut pluribus ostenditur *cap.* 4. hujus Tituli.

VI. Ignotum antiquis Ecclesiæ seculis fuisse illud vitium, constat ex diligentia, quâ integrum satisfactionis puplicæ pensum à pœnitentibus exegerunt olim Præsules. Quandiu perdurârunt artificiales publicæ pœnitentiæ classes, absolutio sacramentalis pœnitentibus non conferebatur nisi in exitu Substrationis, seu postquam pœnitentes decurrerant tres priores stationes, Fletum scilicet, Auditionem, & Substrationem.

Huic praxi suæ tamen fuerunt exceptiones; scilicet dabatur absolutio ante expletam satisfactionem: I. Cùm mortis periculum urgebat, II. Ut pœnitentes subeundo martyrio idonei rederentur; id docet Epistol. 54. S. Cypriani ad Cornelium. III. Remitebatur pars quædam pœnitentiæ publicæ, cùm ex ea indulgentia ingens aliquod bonum in Ecclesiam redundabat. Id colligitur ex modo quo summus Pontifex Cornelius se gessit erga eos, qui in persecutione lapsi fuerant. Hac de re consulatur Epistola 52. S. Cypriani ad Antonianum.

VII. Ut Episcopis innotesceret, qua ratione pœnitentes publici classes publicæ pœnitentiæ decurrebant, seligebantur Presbyteri & Diaconi, quî pœnitentium curam, durante pœnitentiæ peragendæ tempore, gererent, ipsisque sedulò invigilarent, & eorum in peragendis pœnitentiis zelum fervoremque attenderent: ut exinde de eorum sincera conversione justum judicium ferre, atque Episcopo ut verè conversos pro obtinenda reconciliatione præsentare tutò possent.

Certum quidem est, solis Episcopis, spectatâ ætatis illius disciplinâ, publicè pœnitentium sacramentalem & plenam reconciliationem fuisse reservatam. Sed nec hoc negari potest, Presbyteros & Diaconos, quibus pœnitentium cura, & directio ab Episcopis demandata esset, non parûm ad conversionem, & reconciliationem pœnitentium concurrisse: adeò ut quodam modo dici posset, ipsam pœnitentiæ agendæ rationem, & modum hisce Presbyteris, & Diaconis fuisse creditum, reconciliationis sacramentalis impendendæ auctoritate Episcopi reservatâ.

VIII. Simile quid etiam seculo XII. in usu fuisse, testatur Guillelmus Parisiensis Episcopus in *tractatu de Sacramento Pœnitentiæ*, dicens, quod confessio ita possit dividi, *ut alius audiat ad* CONSILIUM, ET INJUNGENDAM PŒNITENTIAM SALUTAREM, *alius autem* BENEDICTIONEM SACERDOTALEM, ET ABSOLUTIONEM *faciat super pœnitentem.*

Hoc autem licitum est (ait) „ ubi Sacerdos simplex, & sanc„ tarum litterarum ignarus: ibi enim potest advocare socium „ tanquam *consiliarium* & *assessorem* sibi in judicio pœnitentia„ li: Si enim in judicio Forensi, & seculari hoc licet, ne erre„ tur in illo, quanto fortiùs in isto judicio, ubi error incompara„ biliter perniciosior? Cùm enim Diaconus claves non habeat, „ & scientiam medicinæ cœlestis habeat, non est dubitandum de„ fectum Sacerdotum in hoc ipsum posse, & debere supplere."

Quòd hi Sacerdotes, & Diaconi, quos ad *consilium* & ad *imponendam pœnitentiam* adhiberi vult Episcopus Parisiensis, similes sunt illis, quos dirigendis pœnitentibus jam pridem Episcopi impendebant, notavit quoque Edmundus Richerius, *tom.* 2. de-

defensionis suæ, cap. 3. num. 56. relatis enim verbis Guillelmi Parisiensis, ex illis hoc notabile haberi notat, scilicet confessionem dividi posse; ita ut uni Sacerdoti aut etiam Diacono medicinalis & directiva fiat confessio, deindè sacramentalis & absolutoria alteri Sacerdoti, qui pœnitentem reconciliat: „Profecto (ait) tempore primitivæ Ecclesiæ pœnitentiarius Presbyter, „de quo loquitur Socrates, pœnitentes ad veram confessionem, „& penitentiam dirigebat, & exhortabatur, qui postea ab aliis „Sacerdotibus reconciliabantur, & ad sacram Synaxim admittebantur."

CAPUT IV.

De moderna circa pœnitentias imponendas disciplina, et quis hodie canonum pœnitentialium usus.

1 *Modernam disciplinam circa imponendas pœnitentias expressit Synodus Tridentina, & pœnitentiarum fructum.*
2 *Quales debeant esse pœnitentiæ.*
3 *Quid in pœnitentiis imponendis attendendum.*
4 *Pœnitentiarum imponendarum determinatio arbitrio Sacerdotum committitur; & eatenus moderna disciplina à pristina differt.*
5 *Hodierna disciplina consentit veteri, si scopus Canonum Pœnitentialium attendatur.*
6 *Quomodo Synodus Tridentina genuinam Patrum disciplinam Sacerdotibus proposuerit.*
7 *Etiam hodie Confessarii sunt spirituales animarum medici.*
8 *Ut tanquam medici faciliùs in morbum inquirere queant; Fideles tempestivè ad Confessionem urgendi.*
9 *Confessarius more periti medici conditionem vulnerum, & ægrorum diligenter attendere debet in pœnitentiis imponendis.*
10 *Confessarii in pœnitentiis injungendis omnem speciem quæstum fugere debent.*
11 *Si Missa celebranda, aut aliena restituenda, hæc per Confessarium fieri non convenit.*
12 *Confessarius etiam Judicis partes sustinet.*
13 *Debet ideò gravitatem criminum seduld attendere.*
14 *Hoc officium monet Confessarium ab omni temporalium expectatione debere esse alienum.*
15 *Quomodo munera excæcaverint olim falsos Prophetas.*
16 *Synodi Belgicæ monent Confessarios, ut à temporalium specaveant.*
17 *Meritò Confessarii expendunt, quæ cura in decernendis Pœnitentiis adhibita olim fuerit.*
18 *Multis titulis hodie Confessariis conveniens Canonum Pœnitentialium notitia: Primò, ut judicent de gravitate.*
19 *Secundò, ut faciliùs Pœnitentes ad suscipiendas impositas pœnitentias inducant.*
20 *Tertiò, ut statuant, quando protrahenda, quando acceleranda absolutio.*
21 *Quartò, ut sint Sacerdotibus regulæ directivæ pro pœnitentiis præscribendis.*
22 *Quid de horum notitia senserit Corporis Canonici Collector.*
23 *Quàm utilem horum scientiam judicaverit Sanctus Carolus.*
24 *Canones Pœnitentiales editi à Sancto Carolo.*

I. MOdernam Ecclesiæ disciplinam, necnon sincerum pœnitentiarum, seu satisfactionum spiritum, quem in ipsis etiam Canonibus Pœnitentialibus sibi Patres propositum habuere, expressit Synodus Tridentina *Sess. 14. cap. 8. de Sacram. Pœnit.*

Imprimis harum pœnitentiarum, seu satisfactionum multiplices fructus præmittit; atque inter alios, hunc: „Quòd „magnopere à peccato revocent, & quasi fræno quodam coërceant hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores „in futurum Pœnitentes efficiant; medeantur quoque peccatorum reliquiis, & vitiorum habitus malè vivendo comparatos „contrariis virtutum actionibus tollant."

II. Ut verò pœnitentiæ à Sacerdotibus impositæ illum salutarem Pœnitentibus effectum operentur, docet, quales debeant à Sacerdotibus pœnitentiæ imponi. „Debent ergo Sacerdotes „Domini (inquit) quantum spiritus & prudentia suggesserit, „pro qualitate criminum, & Pœnitentium qualitate salutares & „convenientes satisfactiones injungere; ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum Pœnitentibus agant, levissima „quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum „peccatorum participes efficiantur."

III. Deinde instruit Sacerdotes, quid præcipuè in determinandis pœnitentiis attendere debeant. „Habeant autem præ „oculis, (ait) ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum „ad vitæ novæ custodiam, & infirmitatis medicinam, sed etiam „ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem."

IV. Hoc decretum ostendit, eatenus saltem hodiernam Ecclesiæ disciplinam à pristina discrepare; quòd hæc obstringeret Sacerdotes, pœnitentias seu satisfactiones imponere, prout hæ in Canonibus & libris Pœnitentialibus erant expressæ, quemadmodum capite præcedenti expressum fuit: idque ante absolutionem tam eas, quæ necessariæ erant ad acquirendam cordis conversionem, eamque Sacerdoti probandam, quàm quæ requirebantur ad satisfactionem pro culpa & pœna, ad eradicandos vitiosos habitus, &c.

At moderna disciplina Sacerdotes ab exacta & exteriori canonum Pœnitentialium observantia eatenus absolvit, ut non constringantur, pœnitentias Canonibus præscriptas imponere, sed earum determinatio Sacerdotum prudentiæ & arbitrio committatur, tam quoad eas, quæ necessariæ sunt ante absolutionem pro acquirenda debita dispositione, & eam Sacerdoti probandam, quàm quoad eas, quæ necessariæ post absolutionem (de quibus specialiter Synodus Tridentina) ad satisfaciendum Deo pro pœna temporali, aliosque effectus in Decreto Synodi Tridentinæ expressos.

V. Ostendit præterea Decretum illud, modernam disciplinam à pristina non discrepare, si non tàm exteriorem Canonum Pœnitentialium rigorem attendamus; sed interiorem eorum spiritum, seu scopum, quem in his Canonibus condendis, atque eorum exactam observantiam urgendo Patres habuerunt.

Quid enim aliud in his omnibus Patres intenderunt, nisi ut Sacerdotibus per hos Canones ostenderent, quæ pœnitentiæ singulorum peccatorum gravitati convenirent: quæque essent his illisve animæ vulneribus medendis, necnon in futurum præcavendis convenientiores. Et ne sacerdotes in imponendis pœnitentiis aberrarent, eos ad Canonum illorum observantiam constringebant.

VI. Dum ergo Synodus Tridentina in allegato decreto præcipit Sacerdotibus, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate salutares, & convenientes satisfactiones injungere; atque præ oculis habere, ut satisfactio, quam imponunt, *Non nisi tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicinam: sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem*, ipsam genuinam Patrum disciplinam, quoad pœnitentias post absolutionem injungendas, quam in figendis, & exequendis Canonibus Pœnitentialibus intenderunt, expressit; atque eatenus hodierna per Synodum Trident. stabilita disciplina Patrum disciplinæ consona est; idemque modernus & pristinus Ecclesiæ Spiritus.

Et sanè non minus hodiè, quàm olim Confessarii sunt spirituales animarum medici.

VII. Unde seculo XIII. postquam jam Canonum Pœnitentialium exterior rigor, & observantia magna saltem ex parte desierat, dixit Concilium Lateranense sub Innocentio III. in cap. OMNIS UTRIUSQUE SEXUS ✠ *de Pœnit. & Remission.* „Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti medici „superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter „inquirens & peccatorum circumstantias & peccati; quibus „prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & „cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo „ad salvandum ægrotum."

VIII. Porrò ut Confessarius tanquam spiritualis medicus faciliùs & animæ vulnera, & qualitatem, ac conditionem ægri perspecta habere, atque cum otio examinare & curare queat, monent Synodi nostræ, ut qui rariùs confiteri solent, & tamen in Paschate ad Sacram Communionem accedere intendunt, sub initium Quadragesimæ, aut saltem ante Dominicam *Lætare* ad Confessionem accedant.

„Antiquam consuetudinem confitendi in initio Quadragesi„mæ continuari, vel in usu revocari peroptamus," ait Synodus Gandensis anno 1610. *tit. 5. cap. 5.* innovata per Decreta Synodalia sub Antonio Triest, *tit. 5. cap. 6.*

Synodus Sylvæducensis sub Metsio *tit. de Pœnit. Sacramento, cap. 3.* præcipit Parochis, ut „adhortentur & inducant eos„dem (Parochianos suos) ut tempore quadragesimali statim in „principio, vel saltem ante Dominicam *Lætare* proprio Sacer„doti, aut ejus vicem gerenti confiteantur, & nihilominus cir„ca Festum Paschæ illud idem reiterent, antequam ad Sacræ „Eucharistiæ sumptionem accedant."

Idipsum in sua Synodo rursus renovavit Gisbertus Masius *tit. 6. cap. 5.* atque aliæ Synodi Belgicæ passim inculcant.

IX. Diligenter ergo adinstar petiti medici Confessarius, & animæ vulnera & ægri conditionem ac spirituale temperamentum examinare & attendere debet: ut iis ritè expensis non unam eandemque omnibus, iisque planè disparatis morbis medicinam applicet; sed singulis eam, quæ iis medendis conveniat.

Hinc monet Synodus Audomarensis *tit. 7. cap. 13.* ut „Con„fessarii confessione audita injungant Pœnitentibus salutares Pœ„nitentias, peccatis commissis (ait) quantum fieri potest, con„trarias... Pro peccato itaque luxuriæ, jejunium præcipiant & „abstinentiam; pro avaritia, eleemosynam; per furto, aut rei „alienæ detentione primò restitutionem, deindè orationes, & „eleemosynam; pro ira, mansuetudinis opera; pro superbia, „humilitatis; pro peccatis spiritualibus meditationes, oratio„nes & similia prout observaverint Pœnitentium saluti expe„dire posse.

Hæc omnia latiùs proponit & inculcat S. Carolus in Institutionibus pro Sacramento Pœnitentiæ, quæ habentur in actis Ecclesiæ Mediol. *pag.* 433.

X. Adhæc Confessarius adinstar medici spiritualis, ità sua spiritualia pharmaca præscribere debet, ut ostendat, se illa unicè ad ipsius ægri salutem procurandam præscribere, nihilque sc in eorum præscriptione lucri quærere.

Hac de re ita loquitur S. Carolus in Instructionibus Confessariorum *parte* 2. *cap.* 8. » Ut liberior sit confessarius in exe- » quendo officio, quod illi cum Pœnitente est, majoreque apud » eundem in auctoritate habeatur in decernendis iis omnibus, » quæ ad Pœnitentis salutem referuntur, non solùm fugiet » studiosè avaritiam, sed etiam omnes ejus vel minimam sus- » picionem. «

XI. Deindè pro fugienda omni specie lucri nominatim in Pœnitentiis injungendis, subjungit: » Cùm Pœnitenti jubebit, » ut Missæ Sacrificium faciat uspiam peragi, nec directè nec » oblique significet quasi velit ipse celebrare; vel in sua Eccle- » sia, aut Monasterio curare celebrari.

» Idem faciat, pergit S. Carolus, in satisfactionibus iis, cùm » pœnitens vel debita incerta reddere pauperibus, vel pro voto- » rum commutatione aliquid solvere debebit. «

Tandem ut Confessarius omnes vel speciem avaritiæ subterfugiat, eum monendum censuit, » ut neque pecunias, aliave, » quæ à pœnitente restituenda sunt propriis dominis, in se pro- » vinciam redendi assumant, nisi necessitas id requirat, ut vi- » delicet hoc modo pœnitens non prodatur; quod cùm erit » ab eo factum, curet, ut is, cui rem restituit, chyrographum » suum in testimonium ei tribuat, ut illud pœnitenti con- » signet, ac planè eo modo procedat, ut *omnem speciem, ac* » *signum avaritiæ subterfugiat.* «

XII. Nec tantùm medici sive medentis officio Confessarius in pœnitentiis imponendis fungi debet juxta allegatum Concilii Tridentini decretum, sed etiam Judicis punientis, sive vindicantis, & castigantis.

Neque enim pœnæ satisfactoriæ, declarante Concilio, tantùm debent esse ad medicinam vulnerum, sed etiam ad præteriorum peccatorum vindictam, & castigationem. » Nam Claves » Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum » concessas, etiam antiqui Patres & credunt & docent, « ait eodem loco Concilium.

XIII. Hoc judicis officium ut ritè exerceant, debent imprimis prudenter & circumspectè gravitatem criminum, & Pœnitentium qualitatem discutere, iisque discussis tanquam integri, ac incorrupti judices solvere & ligare, majorem vel minorem pœnitentiam injungendo: ne » si fortè peccatis conni- » veant, & indulgentiùs cum Pœnitentibus agant, levissima » quædam opera pro gravissimis delictis injungenda, alienorum peccatorum participes efficiantur, « uti loquitur Synodus Tridentina.

XIV. Ex hoc quoque judicis officio Confessariis incumbente, id est statuendum, admodum cavendum Confessariis, ne à Pœnitentibus occasione Confessionis quidquam temporale accipiant, aut sperent. Præterquam quod id, ut minus speciem aliquam Simoniæ aut saltem turpis quæstûs præferat, illud etiam constat ipsa veritate teste, *Munera excæcare oculos Sapientum, & mutare verba justorum.*

Hinc de filiis Samuelis testatur sacer Textu 1. *Regum, cap.* 8. *Declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera*; ac dein tanquam consequens subjicit: *Et perverterunt judicium.*

XV. Nonne hæc fuit excæcatio, quæ jam pridem Pseudo-Prophetas induxit, ut falsa prophetarent & populum seducerent, pacem dando, quam Dominus non dederat? » Hæc dicit » Dominus Deus (ait Ezechiel *cap.* 13.) væ qui consuunt pul- » villos sub omni cubito manus: & faciunt cervicalia sub capi- » te universæ ætatis ad capiendas animas, & cùm caperent ani- » mas populi mei, vivificabant animas eorum. «

Quæ porrò tàm perversi judicii ratio? Audi Prophetam; & » violabant me ad populum meum, ait, *propter pugillum hor-* » *dei & fragmen panis*, ut interficerent animas, quæ non mo- » riuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes » populo meo credenti mendaciis. «

Si munera, aliaque temporalia olim prophetarum judicium perverterint, & eorum verba mutaverint; num forsan minus efficacia hodie illa censebimus ad oculos Sacerdotum excæcandum, eorumque judicium pervertendum?

XVI. Meritò proindè monuit in suis Ordinationibus Episcopus Gandesis anno 1629. *tit.* 3. *cap.* 2. » Caveant etiam » Confessarii, ne quæ commoda temporalia, sibi vel suis (oc- » casione Confessionis) à pœnitentibus aucupentur; neque con- » venit, ut ipsorum temporalibus bonis administrandis se mis- » ceant. «

Idem in suis Ordinationibus habet Gaspar Nemius Episcopus Antuerpiensis *tit. de Sacram. Pœnit. n.* 13.

Item Synodus Namurcensis anno 1659. *titul.* 5. *capit.* 16. Verbo: » ad audiendas Confessiones, non inani gloria, non » lucri cupiditate, non curiositate, non denique ullo humano » affectu ductus, sed salutis fidelium procurandæ studio inflam- » matus accedet; « ut loquitur S. Carolus loco citato.

Plura hanc in rem videri possunt in tractatu meo *de Simonia circa Beneficia, & administrationem Sacramentorum part.* 1. *cap.* 7. ubi una ostendi, qui de hac munerum, aut temporalium expectatione meritò habeantur suspecti; ac dein §. 3. monui quàm periculosum sit, multisque incommodis obnoxium, quòd Sacerdotes cogantur vivere ex honorariis à Pœnitentibus oblatis; quodque pro Pœnitentium numero etiam augeantur temporalia vitæ subsidia.

XVII. Si secundum modernam Ecclesiæ disciplinam, atque invariabiles Evangelii regulas Sacerdotes debeant hodie non secus ac olim, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere, convincitur, quàm meritò ipsi etiam Confessarii reflectant, ad eam curam & solicitudinem, quam jam pridem Patres in discernendis, ac statuendis Pœnitentiis & peccatorum remedis adhibuerunt, quam capite præcedenti exhibuimus: eo fine ut Confessarii intelligant, quàm moderatè & circumspectè ipsi in his procedere debeant; cùm nec in scientia, nec vitæ sanctitate Patribus istis comparari queant.

XVIII. Hactenus dicta insuper ostendunt, quòd tametsi Confessari hodie non adstringantur ad imponendas pœnitentias juxta præscriptum Canonum Pœnitentialium, horum tamen notitia non uno titulo sit etiamnum hodie perutilis.

Primò quidem, ut ex horum notitia aliquousque possint de criminum gravitate judicare.

Si enim non tantùm in certis casibus, aut singularibus circumstantiis, sed constanter & ubique uni peccato præ alio gravior, ac diuturnior pœnitentia imposita deprehendatur, pro indubitato erit, ex mente Patrum, illud præ hoc gravius esse: cùm semper fixum fuerit & indubitatum, pœnitentias, sepositis particularibus circumstantiis, secundum gravitatem criminum esse imponendas.

Exempli gratia, dum in omnium temporum ac locorum Canonibus, & libris Pœnitentialibus videbitur pro fornicatione, etiam simplici, non minorem unquam, sed frequentissimè majorem, quàm annalem pœnitentiam, in jejuniis, aliisque carnem cruciantibus operibus peragendam, fuisse impositam; pro ebrietate verò, etiam in homine Ecclesiastico, atque etiam cum aliqua circumstantia aggravante, 40. duntaxat dierum, aut in Laico 15. aut 7. dierum, nequaquam dubium esse poterit, quin fornicationem multò graviorem, quàm ebrietatem Patres, & Concilia Canonum illorum auctores existimaverint.

XIX. Secundò, notitia horum Canonum utilis erit, ut ipsis peccatoribus ostendatur (uti etiam monet celebris ille Canonum interpres Antonius Agustinus in præfatione ad libros pœnitentiales à se vulgatos) quam pœnitentiam & vindictam illis peccatis olim Patres imposuerunt; ut ita leviùs ferant pœnitentias leviores & modum leviorem, quibus nunc cum illis agitur; videbuntque verissimum esse, quod observat Eminentissimus Aguirius *dissert.* 8. *ad Concil. Toletan. III. num.* 159. » Satisfac- » tiones imponi solitæ hoc tempore ante vel post absolutionem » pro gravioribus peccatis (etiam ab iis Confessariis, qui rigi- » di habentur, & crudelitatis incusari solent, tanquam cons- » cientiarum carnifices) non æquant ne centesimam quidem partem » ejus pœnitentiæ, quam imponebant Canones illi, nec penes » durationem, nec secundum acerbitatem; ut patebit consi- » deranti. «

XX. Tertiò, hi Canones ostendent, quomodò de accelleratione vel procrastinatione reconciliationis, non tam ex verbis, quàm operibus pœnitentium statuendum sit. Ut enim Can. XIII. Nicæno cavetur: Episcopus de iis pœnitentibus aliquid humanius statuere, & tempus pœnitentiæ contrahere poterit iis, qui *lachrymis, tolerantia, & bonis operibus conversionem, & opere & habitu ostendunt.* E quibus quoque facilè constabit, ut loquitur Aguirius, » quàm injustè & imprudenter ii (delicati pec- » catores) criminentur Confessarios (quamvis doctos, pios ac » notæ prudentiæ) nolentes absolutionem impendere statim, » sed illam differentes, donec ea pœnalia opera exhibeantur » per aliquot hebdomadas, vel dies saltem, juxta prudens ip- » sorum judicium. «

XXI. Serviet denique horum Canonum notitia, ut sint ipsi Sacerdotibus regulæ directivæ, in quibus tanquam in speculo videant, quæ Pœnitentiæ ex mente SS. Patrum his, illisve peccatis convenientes judicatæ fuerint; ac tum ipsi pro conditione temporum, personarum, aliarumque circumstantiarum judicent, qualiter has Pœnitentias moderari, aut mutari oporteat.

XXII. Unde nullatenus horum Canonum notitia tanquam inutilis rejicienda.

Et quidem, qui ad studiosæ juventutis instructionem corpus canonicum compilavit, ad calcem Decreti Gratiani canones Pœnitentiales exhibet cum hac epigraphe: *Canones Pœnitentiales, quorum notitia viris Ecclesiasticis est* VALDE NECESSARIA, *sunt enim regulæ* DIRECTIVÆ *ad Pœnitentias imponendas.*

No-

XXIII. Notitiam horum Canonum præterito seculo non inutilem credidisse zelosum ac sanctorum Canonum scrutatorem & instauratorem Sanctum Carolum, patet ex ejus Concilio I. *part.* 1. *tit.* 6. ubi ait: *Confessores Canones Pœnitentiales benè noverint.* Et in Concilio V. *part.* 3. §. 2. præcipitur, ut examinandi interrogentur: *An Canones Pœnitentiales ritè teneant.*

Fructus, qui ex horum Canonum notitia hauriendi sunt, uno non loco exposuit: „ Patres docuerunt (ait in præfatione „ ad Canones Pœnitentiales à se editos) quàm necessaria ad„ modum sit Sacerdotibus Canonum Pœnitentialium scientia. „ Etenim si omnia, quæ ad pœnitendi modum pertinent, non „ prudentia solùm ac pietate, sed justitia etiam metienda sunt; „ certè norma hæc è Canonibus Pœnitentialibus sumatur oportet. Sunt namque ii quasi regulæ quædam, quibus tum ad culpæ commissæ gravitatem rectè dignoscendam, tum ad impo„ nendam pro illius ratione VERAM PŒNITENTIAM Sacerdotes „ Confessarii dirigantur, aut ibi singula, & quæ ad peccati mag„ nitudinem, & quæ ad pœnitentis statum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolorem, pertinent, accuratè perpenderint; tum demum pœnitentiam judicio ac prudentia sua moderentur."

Et alibi postquam monuit, quòd in imponenda pœnitentia Confessarius prudens esse debeat, ne forsan, aut leviores, aut graviores & diuturniores, quàm oportet, imponat, pro remedio non errandi subjungit: „ Ideò Sacerdos *Canones Pœniten„ tiales* consulet, quibus licet cum prudentia, discretione & „ modo, pro pœnitentis contritione, qualitate, statu, aliisque „ circumstantiis uti debeat, observandi tamen sunt, ita ut jux„ ta eos quasi traditam sibi regulam, Sacerdos se gerat, prout „ expedire ei visum fuerit; & quando pœnitentiam Canonum „ rigori omninò conformem non imponet, eam tamen pœniten„ ti significabit, ut ad contritionem eum moveat, & leviorem „ injunctam pœnitentiam ipse ardentius exequatur; motus scili„ cet ex hodiernæ Ecclesiæ benignitate, quâ antiquioris disci„ plinæ rigor mitigatur."

XXIV. Ut verò faciliùs horum Canonum notitiam haurire possent Confessarii, illos ex variis Conciliis, & Canonum Collectionibus juxta ordinem Decalogi disponi curavit; atque unà cum instructionibus pro Sacramento Pœnitentiæ evulgavit; & hodie habentur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *part.* 4. quos Confessarii meritò consulent, & expendent.

CAPUT V.

De ordinario Pœnitentiæ Ministro.

1 *Olim soli Episcopi Pœnitentes reconciliabant.*
2 *Hæc auctoritas multis seculis ipsis competiit, quoad peccatores* publicos.
3 *Præcipua cura circa Pœnitentes Episcopis incumbebat.*
4 *Hi Diaconos & Presbyteros invigilandis Pœnitentibus delegabant.*
5 *Postquam pro peccatis* occultis *cœpta est agi Pœnitentia* occulta, *Pœnitentium reconciliatio ad Presbyteros devolvi magis cœpit.*
6 *Seculo XIII. & sequentibus Presbyteri erant frequentiores Pœnitentiæ ministri.*
7 *Non omnibus Presbyteris, sed ferè solis Parochis respectu suorum Parochianorum hæc auctoritas competebat.*
8 *Pluribus seculis absolutio ab alieno Sacerdote sine licentia proprii habita, fuit nulla.*
9 *Idem supponit Concilium Lateranense sub Innocentio III.*
10 *Seculo VIII. cœpit dari facultas excipiendi Confesiones Fratribus Mendicantibus; & sensim aliis Presbyteris.*
11 *Creditum fuit, Fidelibus liberum esse eligere unum ex his Presbyteris in Confessarium.*
12 *Quomodo hæc privilegia & facultates concessa sint sine præjudicio proprii Sacerdotis.*
13 *Post concessa hæc privilegia & facultates mansit obligatio confitendi semel in anno proprio Sacerdoti.*
14 *Id declaravit Martinus IV.*
15 *Declaratio Concilii Basiliensis conformis.*
16 *Idipsum in contradictorio judicio decisum per Xystum IV.*
17 *Eandem obligationem agnovit S. Carolus.*
18 *Synodus Atrebatensis idipsum declarat.*
19 *Non tantùm à Laicis, sed & Clericis Synodi Belgicæ id exiguunt; & quis sit singulorum proprius Sacerdos, declarant.*
20 *Hanc obligationem fusè declarârunt Archiepiscopus Cameracensis, & Episcopus Atrebatensis.*
21 *Quid de hac obligatione sentiat Ecclesia Gallicana.*
22 *Sententia Archiepiscopi Remensis super hoc jure Parochorum.*
23 *Ratio hujus juris & disciplinæ.*
24 *An ubique hoc Parochi æquè urgere debeant.*
25 *Parochi haud facilè licentiam alteri Sacerdoti confitendi negare possunt, eorumque moram Episcopus supplere potest.*

I. PRæcipuam circa pœnitentes curam, necnon reconciliandi potestatem olim fuisse penes Episcopos dubitari nequit.

Sanctus Cyprianus *Epist.* 11. conquerens de quibusdam Presbyteriis, qui pœnitentes ante ædam pœnitentiam, contemptâ canonicâ disciplinâ conciliabant, inter alia reprehendit, quod se inconsulto id facerent. Verba ejus sunt: „ Audio quos„ dam de Presbyteris, nec Evangelii memores, nec quid ad „ nos Martyres scripserint cogitantes, nec Episcopo honorem „ Sacerdotii sui & Cathedræ reservantes, jam cum lapsis com„ municare cœpisse, & offerre pro illis, & Eucharistiam dare, „ quando oporteat ad hæc *per ordinem* perveniri. Nam cùm in „ minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœ„ nitentia agatur justo tempore, & exomologesis fiat, inspectâ „ vitâ ejus, qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem „ venire quis possit, nisi priùs illi ab Episcopo & Clero manus „ fuerit imposita, quanto magis in his gravissimis delictis cau„ tè omnia & moderatè secundum disciplinam Domini observa„ ri oportet? "

Perspicuum hinc est, Cyprianum existimâsse, reconciliandi præcipuam auctoritatem fuisse penes Episcopum; Presbyterosque eam sine auctoritate Episcopi dando, canonicam disciplinam infregisse: quod etiam Morinus advertit, addens: „ Exigebat „ enim Ecclesiæ disciplina, ut publicæ pœnitentiæ rei ab Episco„ po, aut illius jussu reconcilientur. " *Lib.* 9. *cap.* 23. *num.* 7.

II. Hanc disciplinam pluribus seculis perseverâsse, ut publici saltem criminosi, & pœnitentiæ publicæ subjecti, non nisi ab Episcopo ejusve jussu reconciliarentur, constat ex Can. III. Concilii Carthaginensis II. ubi legitur: „ Ab universis Episco„ pis dictum est: Chrismatis confectio, & puellarum conse„ cratio, à Presbyteris non fiant, vel *reconciliare* quemquam „ in publica Missa Presbyteris non licere, hoc omnibus pla„ cet. " Apud Gratianum *causa* 26. *quæst.* 6. *can.* 1.

III. Hinc pristinis illis seculis summa Episcoporum vigilantia & cura fuit de pœnitentibus, toto tempore pœnitentiæ; ut intelligerent, an opera pœnitentiæ quemadmodum erant imposita, ipsi Pœnitentes exequerentur; item quo animi affectu, diligentiâ, perseverantiaque pœnitentiam peragerent.

Ad hanc vigilantiam excitat Episcopos Synodus Nicæna *Can. XII.* „ In his omnibus examinare convenit propositum, „ & speciem pœnitentiæ, quicunque enim & timore, & la„ chrymis, & tolerantia, & bonis operibus conversionem „ reapse non specie tenus demonstrant, hi impleto Auditionis „ tempore, quod præfinitum est, meritò orationum commu„ nionem habebunt, postmodum verò liceat Episcopo huma„ nius aliquid de iis statuere."

Pluribus hæc prosequitur Morinus *lib.* 6. *cap.* 16. ostenditque hanc in Episcopis vigilantiam, & curam necessariam fuisse, ut de conversione, & dispositione justè judicare possent, atque dignoscere, qui citiùs, qui tardiùs ad reconciliationem essent recipiendi.

IV. Observat prætereà, quòd cùm Episcopi non possent per se convenientem de omnibus pœnitentibus curam agere, Diaconos, Presbyterosque delegisse, qui Pœnitentibus invigilarent; atque oportuno tempore statum, vitamque ipsorum ad Episcopum referrent.

V. Hæc Episcoporum auctoritas in pœnitentiis imponendis, moderandis, & tandem pœnitentibus reconciliandis, post seculum VII. sensim Presbyteris magis communicari cœpit.

Cùm enim post seculum VII. pro peccatis occultis desiit imponi pœnitentia publica, unà quoque vulgatum fuit, pœnitentiam *occultorum* criminum Presbyteris concessam, *publicorum* verò Episcopis reservatam. Quo magis ergo labentibus seculis pœnitentia publica desiit; atque pœnitentia occulta & privata facta frequentior, etiam auctoritas pœnitentias imponendi, & pœnitentes reconciliandi ad Presbyteros magis, magisque devolvi cœpit; adeò ut tandem non nisi *solemnis* pœnitentia Episcopis reservata remanserit, uti *cap.* 2. notatum fuit.

VI. Hinc videmus, libros Pœnitentiales, necnon Canones Pœnitentiales octavo & sequentibus seculis conditos, præcipuè ipsos Presbyteros, tanquam pœnitentiæ ministros respicere; cùm antiquiores Canones ferè solos Episcopos instruant, atque dispensatores pœnitentiarum supponant.

VII. Verùm hæc auctoritas non omnibus Presbyteris ita competebat, ut omnes indifferenter Præsbyteri indistinctè quoslibet pœnitentes reconciliare possent: sed erat penes solos illos Presbyteros, qui specialiter ad curam animarum tanquam proprii Sacerdotes erant populo præpositi & deputati.

Sicuti enim his solis Sacramentorum & Divini verbi dispensatio respectu populi sibi concrediti competebat; ita quoque iis solis pœnitentiarum impositio & pœnitentium reconciliatio concredita erat.

VIII. Imò pluribus seculis obtinuit, ut confessio facta alieno Sacerdoti, & absolutio ab illo sine licentia proprii Sacerdotis obtenta invalida reputaretur. Neque ulli eo tempore licebat præter proprium Sacerdotem alium Confessarium, à quo validè absolveretur, eligere; nisi speciali privilegio esset munitus, quemadmodum in *cap. fin. de Pœnit. & Remiss.* dicitur: » Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, » permittimus Episcopis, & aliis Superioribus, necnon minori- » bus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam » providum, & discretum sibi possint eligere Confessorem. «

Ad hunc textum rectè notat Glossographus; » Sic ergo vi- » detur, quòd Episcopi vel alii inferiores Prælati exempti an- » te istam permissionem non poterant se subjicere alicui Con- » fessori sine licentia Superioris: quia nullus Clericus sine licen- » tia sui Episcopi potest eligere judicium non sui judicis, per- » sonæ, vel rerum: ergo multò minùs judicium animæ, quod » majus. «

Hujus Decretalis cùm auctor scribatur Gregorius IX. apparet, adhuc seculo XIII. hanc disciplinam viguisse, ut quisque suo proprio Sacerdoti, sive Superiori confiteri deberet, nec sine hujus licentia alteri fas esset.

IX. Idipsum non obscurè supponit Concilium Lateranense sub Innocentio III. sub initium illius seculi celebratum in *cap.* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS *de Pœnit. & Remis.* Cùm enim statuit, ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio Sacerdoti, & injuctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, nonnullis de perceptione Eucharistiæ, & hujus decreti promulgatione interjectis, subjicit: » Si quis autem *alieno* Sacerdoti volue- » rit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam priùs postu- » let, & obtineat à proprio Sacerdote, *cum aliter ille ipsum* » *non possit solvere, vel ligare.* «

Finalis hæc clausula sat patenter supponit, secundum disciplinam illius temporis, alieno Sacerdoti non fuisse potestatem solvendi vel ligandi sine licentia proprii Sacerdotis: cùm aliàs ineptè à Concilio hæc ratio adduceretur, ad probandum, licentiam proprii Sacerdotis esse necessariam, ut quis alieno Sacerdoti confiteri posset.

X. At exortis hoc & sequenti seculo Fratribus Mendicantibus, concessum iis fuit à variis Pontificibus, ut Fidelium ad eos accedentium confessiones liberè excipere, iisque convenientes pœnitentias, & debitè dispositis absolutionem impartiri valerent, quibus etiam ipsi Episcopi eandem facultatem dare cœperunt; quam & ad alios quoque Presbyteros, nullam especialem curam animarum habentes, extenderunt.

XI. Vigore horum privilegiorum, ac Episcopalis auctoritatis cœperunt Fratres Mendicantes, atque alii Presbyteri seculares nullam curam animarum habentes, omnium indifferenter fidelium ad se accedentium, pro tenore privilegii & auctoritatis Episcopalis, confessiones excipere; persuasumque fuit fidelibus, sibi liberum esse, hujusmodi Presbyteris etiam sine licentia proprii Sacerdotis confiteri, atque validè & licitè ab iis reconciliari.

XII. Verùm quemadmodum, in privilegiis communiter salvum censetur jus tertii; ita quoque Pontifices & Episcopi hæc privilegia & facultates Regularibus aliisque Presbyteris concessa voluêre salvo jure *Parochi*, sive *proprii* Sacerdotis, cui titulo curæ animarum sibi concreditæ competit *jure suo* sivi *ordinario* Sacramenta populo sibi subjecto administrare.

Sed quia juxta Ordinationem Concilii Lateranensis populus non videbatur, saltem ex præcepto Ecclesiæ adstrictus, nisi *semel in anno* sua peccata confiteri; non videbatur juri proprii Sacerdotis aliquid detractum, si permitteretur populo ex devotione alieno Sacerdoti confiteri, si modò semel confiteretur in anno proprio Sacerdoti, sicuti nihil detractum videbatur juri Ecclesiæ Parochialis, licèt Fidelibus indulgeretur in Ecclesiis Regularium sacram Eucharistiam sumere, modò *semel* in Paschate in Ecclesia Parochiali communicarent.

XIII. Ne ergo juri Parochi sive *proprii* Sacerdotis videretur per privilegia aut licentias generales Mendicantibus concessas derogatum, non semel declarârunt Pontifices & Episcopi, ita liberum esse Fidelibus confiteri quoties voluerint Presbyteris Regularibus legitimè aprobatis, ut tamen annuè semel *proprio* Sacerdoti confiteantur, aut alieno de *hujus licentia.*

XIV. Imprimis Martinus IV. anno 1281. in Bulla, qua Fratribus Minoribus impartitur licentiam excipiendi Fidelium confessiones expressè declarat, quòd ii, qui Fratribus confitebuntur, *suis Presbyteris Parochialibus confiteri, saltem semel in anno, prout Concilium generale statuit, teneantur*; quodque iidem Fratres eosdem diligenter ad hæc & efficaciter secundum datam eis à Domino gratiam exhortentur.

XV. Referente Augustino Patricio in historia Concilii Basiliensis inter cæteras Mendicantium assertiones à Concilio damnatas, erat hæc: » Fratres Mendicantes etiam non præsentatos » Ordinariis, omnium Confessiones posse audire, illosque, qui » apud ipsos sint confessi, non obligari etiam semel in anno con- » fiteri proprio Sacerdoti, nec petere confitendi veniam. « *Cap.* 137. Extat *tom.* 13. *Concil. col.* 1608.

XVI. Rursus seculo XV. Sixtus IV. in Extrav. VICES, *de Treuga & Pace, in Communib.* præcipit, ut » ipsi Mendicantes » desistant prædicare, quòd Parochiani non sint obligati, saltem » in Paschate proprio confiteri Sacerdoti: Quia(ait) *de jure tenetur* » Parochianus *saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti.* «

Post hæc subjungit Pontifex: » per hoc tamen ipsi Fra- » tres Mendicantes non censeantur exclusi, quominus secun- » dum juris communis & privilegiorum eis concessorum dis- » positionem Confessiones audire, & pœnitentias injungere va- » leant. «

Ex sententia igitur Pontificis, ipsa privilegia Fratum Mendicantium non intelliguntur, nisi cum hac clausula, *salvo jure Parochi* ad annuam confessionem suorum Parochianorum secundum Ordinationem Concilii Lateranensis.

Hanc privilegiorum expositionem utpotè æquitati, ac juri communi consonam, Synodi & Episcopi passim in suis Decretis expresserunt; nec aliter Regularium approbationes, tametsi illimitatas, intelligendas declarârunt.

XVII. Sanctus Carolus in Concilio Mediol. I. *part.* 2. *cap.*6. ait: » Innocentius III. constitutionem in generali Concilio edi- » tam, qua sancitum est, ut Fideles saltem semel in anno pro- » prio Parocho peccata sua confiteantur, inviolatè omnes ser- » vent. «

Non ergo suffecit Sancto Carolo, quòd Fideles semel in anno confiterentur Confessario ab Episcopo legitimè approbato; sed voluit, ut proprio parocho semel in anno confiterentur juxta Constitutionem Concilii generalis.

XVIII. Synodus Atrebatensis sub Francisco Richardoto anno 1570. ita statuit: » Pastores diligenter considerent ovilia » sua, & inscribant singulos, qui (semel in anno saltem) con- » fessi fuerint peccata propria, idque proprio Sacerdoti, aut al- » teri idoneo, qui hujus rei potestatem habeat ab ipso *Pastore*, » ut intelligat, & planè cognoscat in suis gregibus, an sint » aliqui, qui hoc sanctum Ecclesiæ præceptum negligant, quos » tenebitur notare & deferre. *De Sacram. Pœnit. cap.* 2. «

Quid evidentius, quàm Synodi hujus Patres supponere, parochianos semel in anno teneri confiteri *proprio* Pastori aut alteri de Pastoris speciali licentia.

XIX. Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 7. *cap.* 2. mandat districtè observari Can. OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, ac deinde *cap.* 5. declarat illud non de solis Laicis, verùm etiam de Clericis, & omnibus, qui in ordinibus constituti sunt, sive sacris, sive non sacris, intelligendum esse, ac tandem, *cap.* 6. quis sit singulorum *proprius* Sacerdos ad mentem dicti Canonis exponit his verbis: » proprium autem Sacerdotem illum » intelligi declaramus, cujus curæ quisque propriè subjectus » est. Sic Parochus *proprius* Sacerdos est Parochianorum suorum » tam Sacerdotum ac Clericorum Parochiæ subservientium, aut » in Parochia habitantium, nec ad certam Ecclesiam pertinen- » tium, quam laicorum. Sic Archipresbyterum seu Deca- » num Christianitatis cujusque loci, *proprium* Sacerdotem esse, » & agnosci volumus ut Pastorem sui decanatûs; sic Archi- » presbyterum Civitatensem, *proprium* Sacerdotem, ut Pas- » torem sui decanatûs, ita & cæterorum Archipresbyterorum, » sive Decanorum Christianitatis. Eorum, qui Dignitatem, Ca- » nonicatum, Beneficium, vel officium, in Ecclesiis Collegia- » tis nobis subditis obtinent, *proprius* Sacerdos est is, cui ra- » tione Dignitatis animarum cura incumbit, aut, ubi hujus- » modi non est, cui nos id muneris crediderimus, Monacho- » rum est Prælatus. Singuli itaque, juxta præscriptum hoc, *pro-* » *prium* suum Sacerdotem agnoscant; aliquoties annis singulis, » & ut minimum semel, suo quique confitentes. «

Idipsum de Canonicis & Capellanis in Ecclesiis Collegiatis præcipit Synodus Cameracensis anno 1567. *tit de Pœnit. cap.* 3. ut nimirum saltem semel in anno confiteantur suis Decanis, aut Præpositis, tanquam *propriis* Pastoribus, videlicet in Paschate aut saltem eo tempore alteri confitendi licentiam impetrent.

Idem non tantùm à Canonicis & Capellanis, sed & Pastoribus, aliisque Clericis observari vult Synodus Buscoducensis sub Metsio *tit. de Pœnit. Sacram. cap.* 4. Similiter Iprensis sub Rithovio idipsum inculcat; addita ab omnibus hac ratione: *Non enim minus Ecclesiasticos, quàm Laicos obligat dictum Capitulum* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS.

Similia in aliis Synodis Belgicis sub idem tempus celebratis leguntur, additque Synodus Tornacensis ann. 1574. *tit. de Sacram. Pœnit. cap.* 3. » Et ob id nullus Sacerdos regularis vel se- » cularis, etiam privilegii Apostolici prætextu, tempore Qua- » dragesimæ pœnitentium confessiones excipere præsumat, ni- » si de impetrata à Pastore licentia, eidem innotuerit. «

XX. Demum sub finem præcedentis seculi occasione cujusdam controversiæ inter Parochos, & Fratres Mendicantes in civitate Duacensi; & Brevis Clementis VIII. hac de causa missi ad Nuntium Apostolicum Bruxellis residentem, Archiepis-

co-

copus Cameracensis & Episcopus Atrebatensis litteris suis Pastoralibus datis 26. Februarii 1594. id est, biennio post emanatum Breve Clementis VIII. scripserunt: » Juxta laudabilissi-» mam consuetudinem observatam in Cameracensi Diœcesi nos-» tra, & per totam Rhemensem Provinciam, unde antea de-» pendebat; huc etiam additis Synodalibus nostris, nostrorum-» que Prædecessorum decretis; quorum aliqua trecentis annis » & ampliùs vetusta sunt, obligati estis confiteri semel in anno, » scilicet pro Paschate *proprio* vestro Curato, vel alii de ejus li-» centia: ut post Pascha rationem nobis, prout per præfata » decreta tenentur, de defectuosis reddere valeat. «

Hæc in Litteris Archiepiscopis Cameracensis, quibus ad verbum respondent litteræ Episcopi Atrebatensis; hoc solo excepto, quod pro his verbis: *Et per totam Rhemensem Provinciam, unde antea dependebat*: in Litteris Atrebatensis habeatur: *Et per totam Provinciam Cameracensem, quondam Provinciam Rhemensem, unde ante Diœcesis nostra dependebat.*

Declarant præterea, huic præcepto & consuetudini *per Sanctissimum Dominum nostrum Papam* (Clementem VIII. intelligunt) *vel Prædecessores ejus, minimè derogatum fuisse.* Quod latius ostendit Bonaventura Basseau in suo Theophilo Parochiali, *part.* 4. *art.* 15.

XXI. Quid de disciplina censeant Episcopi Ecclesiæ Gallicanæ, præterquam quod eam in omnibus penè suis respectivè Synodis stabiliant, dignoscitur ex Declarationibus, quas non semel Clerus Gallicanus edidit; ac signanter novissimè anno 1665. in generali Congregatione Cleri habita Parisiis eam his verbis expressit: » Juris obligatio, qua Fideles tenentur con-» fiteri, & communicare semel in anno, præscripta à Concilio » Lateranensi sub Innocentio Papa III. confirmata in Concilio » Tridentino, & explicata à S. Carolo in priore Synodo Me-» diol. religiosè observari debet. Quamobrem curabunt Fideles, » ut Paschatis tempore *confiteantur*, & communicent in sua Pa-» rochia, nisi ab Episcopo, generali illius Vicario, vel *Pa-» rocho* extra Ecclesiam confiteri permissi fuerint.“

XXII. Conformiter ad has Cleri Gallicani declarationes, nec non decretum Concilii Provincialis Remensis anni 1583. *tit. de Pœnitentia*, orta super hoc jure Parochorum controversia in civitate Ambianensi, atque per appellationem causa devoluta ad Archiepiscopum Remensem tanquam Metropolitanum, hic per sententiam definitivam 22. Martii 1687. declaravit: » Quod » hæc obligatio confitendi *proprio Parocho*, aut ab eo petendi, & » obtinendi licentiam confitendi alteri Sacerdoti intelligenda sit » de confessione annua, ad quam omnes utriusque sexus Fide-» les tenentur infra quindenam Paschalem conformiter ad usum » Ecclesiæ Gallicanæ; & signanter hujus Provinciæ (Remensis) » ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ expresso in Canone *Omnes » utriusque sexus*, Concilii Lateranensis IV. » Quòd Canon » Concilii Provincialis Remensis interpretatus juxta usum cons-» tantem illius Provinciæ taliter obliget utriusque sexus Fideles, » ut iis licitum non sit instituendi confessionem suam annuam » omni alteri Sacerdoti, sive seculari, sive regulari, etiam le-» gitimè, & indefinitè approbato, sine speciali licentia sui Pa-» rochi aut Episcopi Diœcesani; qui Episcopus eam cum cog-» nitione causæ dare potest, recusante Parocho; imò & con-» cedere in certis casibus, & ob rationes ipsi notas, & bonum » conscientiarum, illis, qui in his casibus non habuerint re-» cursum ad Parochum, quem ordinariè Fideles suo Parocho » debent, sed directè se Episcopo præsentârunt. Quodque Con-„ fesarii, seculares, seu regulares etiam legitimè, & indefini-„ tè approbati nequeant absolvere illos, qui ad satisfaciendum „ *annuæ* confessioni per Concilium Lateranense præceptæ, non „ petiissent & obtinuissent licentiam *specialem* sui Curati aut „ Episcopi modo suprà descripto.“

XXIII. Rationem hujus disciplinæ jam pridem exposuit S. Bonaventura in tractatu, *Quare Fratres Minores prædicent*: „ Primò quidem, ut pastor cognoscat, in quo statu quilibet „ commissorum sibi sit, ut saltem sciat medicinam ei compe-„ tentem exhibere, instructionis, correctionis, consolationis. „ Secundò, ut noscat, quibus possit Corpus Christi indulge-„ re, vel quos à Sacramentis arcere. Deindè ut discernantur „ obedientes à negligentibus vel hæreticis, per observantiam „ talis statuti.“

XXIV. Ceterum, cùm præceptum annuæ confessionis juxta Canonem *omnis utriusque*, faciendæ proprio Sacerdoti in pluribus Belgii hujus Diœcesibus, nec ab Episcopis, nec à Pastoribus urgeatur, neque à tempore immemoriali aliquod speciale decretum super hujus præcepti observantia emanavit, apparet, Fideles illarum Diœcesium per tacitum Prælatorum & Pastorum consensum, hactenus ab ea obligatione solutos; saltem quousque Episcopi & Superiores eam novis decretis urgebunt.

Inferioribus verò Curatis in hujusmodi Diœcesibus hanc disciplinam, sive obligationem privata auctoritate urgere, & introducere non convenit; ne aliàs silentibus, aut secus sentientibus Episcopis plus destruant, quàm ædificent; ipsasque Parochias suæ curæ commissas sine fructu turbent, animosque Fidelium inquietent.

At ubi Episcopi hactenus eam disciplinam urgent, ac tuentur, suisque stabiliunt, & Fideles ei obedire, & inferiores Curati, aliique Confessarii seu seculares, seu regulares se illis conformare tenentur.

XXV. Ne verò stante hac disciplina conscientia subditorum nimiùm constringatur, præcipiunt passim Synodi, ne Parochi postulantibus licentiam alteri confitendi eam facilè negent.

De hac licentia in sua Synodo Diœcesana XI. ita loquitur S. Carolus: „ In Diœcesi autem & generatim & sigillatim Pa-„ rochus se facilem præbeat, in consentiendo Parochialibus suis „ de quibus nulla sit suspicio, eos medicinæ vitandæ causa Pa-» rochi judicium subterfugere, ut ad alios Confessarios à no-» bis testimonio scripto probatos se conferant, qui peccato-» rum suorum Confessionem audiant. Imò verò eam facultatem » spontè sigillatim offerre debet iis, qui lites, controversias, » dissentionesque secum exercuerint, exercentve, de iis præ-» sertim rebus, quæ ad munus spirituale Parochialis curæ non » attinent. Quâ in re, si Parochus defuerit, tunc Vicarius fo-» raneus facultatem concedat, ut alios Confessarios adire pos-» sint. Verùm ne idem Vicarius foraneus & Parochus gene-» ratim consentiat, eos, à quo voluerint Confessario audiri, » sed ab eo, quem ipse, vel Parochus, vel Vicarius malue-» rit; vel ab illo, quem è pluribus piis & peritis ab eodem Pa-» rocho & Vicario propositis, pœnitens ipse sibi delegerit. «

Quin & istud constat, ipseque Carolus in præallegatis verbis expresssit, si Parochus in concedenda licentia justo morosior fuerit, Episcopum, ejusve Vicarium eam licentiam dare, & defectum Parochi supplere posse: quin & interdum eam licentiam dare iis, qui eam à Parocho non petierunt.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT V.

DE JURE PAROCHORUM, ET MENDICANTIUM PRIVILEGIIS, UBI DE CONFESSIONIBUS EXCIPIENDIS AGITUR.

1 *Parochis jure proprio competit suorum Parochianorum confessiones audire.*
2 *Gersonii Sententia.*
3 *Huic conforme videtur decretum Concilii Trident. Sess.* 21. *cap.* 4.
4 *Primum de Confessionibus cujuslibet Christiani audiendis concessum ad Gregorium IX. auctorem refertur.*
5 *Innocentius IV. Mendicantibus confessariis nova Bulla patrocinatur.*
6 *Disidia inde orta inter Pastores & Mendicantes.*
7 *Bonifacius VIII. discordiam sedare aggreditur.*
8 *At spes sua ipsum fefellit, si Benedicto XI. credatur.*
9 *Ipse Benedictus nedum ignem extinxerit, novâ Bullâ illum aluit.*
10 *Eam abrogavit Clemens V.*
11 *Ejus successores suis Constitutionibus litem non definierunt.*
12 *Parochorum causam suscepit Gersonius.*
13 *In Concilio Tridentino plurimi Præsules petierunt, ut hæc Mendicantum privilegia revocarentur.*
14 *Obstiterunt Superiores Generales Ordinum Regularium.*
15 *Curiæ Romanæ intererat, ut eorum privilegiis patrocinaretur.*
16 *Inter eorum Patronos emicuit S. Thomas.*
17 *Horum privilegiorum defenssor acerrimus fuit Rogerius Chonooe.*
18 *Fundamentum, quo nitebatur illa defensio.*
19 *Cardinalis de Luca ardens patronus Privilegiorum, quæ Regularibus concessa sunt, movebatur eo principio:* Papa est Ordinarius Ordinariorum, &c.
20 *Quid senserit D. Fleury Historicus.*
21 *Ahytonis, qui X. seculo floruit, sententia exponitur.*
22 *Necessitas confitendi proprio Episcopo vel Parocho intacta mansit usque ad XIII. seculum.*
23 *Eam agnovis Innocentius IV.*
24 *Fuerunt nonnulli Theologi, qui docuerunt ese iterum faciendas Parocho confessiones, quæ alieno Sacerdoti peractæ antea fuerant.*
25 *Quid de ea opinione senserint Benedictus XI. & Joannes XII.*

* I. OBservatum est superiori cap. *n.* 7. quòd jus excipiendi confessiones parochianorum annexum sit Beneficio Parochiali, ipsique Parocho sive Curato competat *jure ordinario*; non secus ac jus annuntiandi verbum Dei, vel alia Sacramenta administrandi.

Hinc sequitur, hoc jus excipiendi confesiones suorum paro-

rochianorum sibi confiteri volentium Parocho non magis adimi posse, quam jus annuntiandi verbum Dei, vel cætera Sacramenta administrandi, aut functiones ad curam animarum spectantes exercendi.

II. Id ipsum jam pridem notavit Cancellarius Universitatis Parisiensis Joannes Gersonius in sermone *contra bullam* Mendicantium; in quo asserit, imprimis Curatos succedere in locum 70. discipulorum, quemadmodum Episcopi succedere dicuntur in locum 12. Apostolorum, ipsosque Curatos esse in Ecclesia *minores Prælatos*, & Episcopos *majores Prælatos*.

Ex his tanquam consequens infert: » Quòd de ordinatione » essentiali & stabili sanctæ Ecclesiæ æquè benè est status Cu» ratorum, sicut ille Prælatorum, Cardinalium, Archiepiscopo» rum: imò verò sicut status ipsius Papæ, quamvis non sit » adeò perfectus.

» Sequitur (pergit Gersonius) Papam hunc statutum des» truere, aut annihilare non posse: cùm hic statutus non pro» veniat ex sua positiva ordinatione, sed sine medio ex Dei » ordinatione.«

His positis concludit: » Ad Curatos pertinet jus audiendi » confessiones suorum Parochianorum, aut procurare ut au» diantur, & committendi, si Presbyter non est, aut si minus » sufficiens.«

Sequitur (pergit) » Papam, aut, alterum non debere aufer» re illam potestatem, aut jus ipsis Curatis, absque ipsorum » placito & voluntate, saltem expediens non est. «

Igitur ex sententia Gersonis, non tantùm est Curatis jus audiendi confessiones suorum parochianorum per nullum ei sine legitima causa adimendum; sed insuper si ad eos audiendum non sine capax, ob defectum ordinis presbyteralis, aut si minus sufficiat, ipsius est *procurare ut audiatur, & jus committendi.*

III. Huic Gersonis asserto conforme est decretum Concilii Tridentini *Sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.* quo injungitur Episcopis, » ut in omnibus Ecclesiis Parochialibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere Ecclesiasti» cis Sacramentis ministrandis, & cultui divino peragendo, » *cogant rectores vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta* » *exhibenda, & cultum divinum celebrandum.*«

Evidens est, Concilium supposuisse ad rectores Parochialium Ecclesiarum pertinere sibi adjungere tot Sacerdotes in casu quo ipse solus non sufficiat, quot sufficiunt Sacramentis ministrandis & cultui divino peragendo. Ad Episcopos verò pertinet rectores in casum non sufficientiæ ad eos sibi adjungendos cogere: & in casum negligentiæ eorum defectum legitimè supplere, Sacerdotes mittendo.

Verùm est, Concilium supponere etiam ad alios posse spectare jus & obligationem adjungendi Sacerdotes in adjutorium Parochi (l); sed ex contextu sufficienter constat, jus illud primario Rectoribus deferri, & aliis, etiam primitivis Pastoribus, non competere, nisi alio speciali accedente titulo, uti supra *part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 2. notavimus.

IV. At Romani Pontifices arbitrati sunt sibi jus competere concedendi cuilibet Presbytero licentiam excipiendi Fidelium confessiones. Id satis constare videtur privilegiis, quæ Mendicantibus religiosis hac de re contulerunt.

Primus, qui simile privilegium dedit, videtur fuisse Gregorius IX cribit enim Matthæus Parisiensis ad annum 1246. quòd Fratres Prædicatores impetraverint à Papa Gregorio IX. (qui specialiter eorum fautor erat) INAUDITUM *privilegium, hoc etiam ipsis temporibus novum.*

Bullam sive privilegium hoc exhibet ibidem Parisiensis, datum Agnaniæ IV. Kalend. Octob. Pontificatûs sui anno 1. id est, anno 1227.

In hac Bulla mandat omnibus Prælatis per Angliam constitutis, » ut Fatres Prædicatores benignè recipiant, & populos si» bi commissos sedulò admoneant, ut ex ore ipsorum Verbi » semen devotè suscipiant, & confiteantur: *Cum ipsis* (inquit) » *auctoritate nostra liceat confessiones audire, ac pœnitentias* » *injungere.* «

V. Cùm autem nonnulli Prælati Anglicani Fratres Prædicatores in hujus privilegii usu turbare viderentur, scilicet hos Fratres sine sua licentia ad prædicationis officium, vel confessiones excipiendas admittere renuentes, Fratres hi recursum habuerunt ad Innocentium IV. qui mox à sua ad Pontificatum assumptione, scilicet anno 1243. Bullam expedivit in favorem horum Fratrum, inscriptam Episcopis Vitoniensi, Vigoriensi, Norwicensi, quibus mandat, ut dictos Prælatos auctoritate Apostolicâ compescant, iisque præcipiant, ut juxta *Apostolica scripta* Fatribus Prædicatoribus permittant liberè fidelium confessiones excipere. Bullam hanc exhibet ibidem historicus præfatus.

Post hæc narrat idem historicus, quantâ insolentiâ Fratres hisce privilegiis muniti sese erga Prælatos, & ordinarios Pastores gesserint; atque fideles à propriis Pastoribus abstrahere, & ut sibi confiterentur, inducere studuerint. Ut & hinc factum sit, prout subjicit idem auctor: » *Quòd multi præcipue Nobiles, &* » *Nobilium uxores spretis propriis Sacerdotibus & Prælatis, ip*» *sis Prædicatoribus confitebantur. Unde non mediocriter viluit* » *Ordinariorum dignitas, & conditio, & de tanto sui contemptu,* » *non sine magna confusione, doluerunt.*

» Nec sine evidenti causâ (inquit Historicus) videbant enim » ordinem Ecclesiæ, jam enormiter pertubari, quem constat, » longis retroactis temporibus, in Deo placitâ simplicitate am» bulantem, multos è seculo migrantes Deo præsentâsse Sanc» tos, de quorum sanctitate nefarium judico dubitare. Videbant » desuper, Parochianos suos audacter jam peccare, & impu» denter, scientes se coram Presbytero proprio non erubesce» re, sua enormia peccata confitendo; quod magnum reputa» tur periculum, cùm rubor & confusio pars sit maxima & po» tissima pœnitentiæ. Dicebantque susurrantes peccaturi ad in» vicem; *Perpetremus, quæ nobis voluptuosa videntur, & pla*» *centia; aliquibus enim Prædicatorum vel Minorum per nos* » *transitum facientibus, quos nunquam videmus vel nunquam vi*» *suri sumus, cum consummatum fuerit, quod desideramus, si*» *ne aliqua molestia confitebimur.* Et sic contemptis Ordinariis, » & eorum disciplinis, peccatum copiosius exuberavit.»

VI. Hæc dissidia inter Prælatos, & Parochos ab una, & Fratres Ordinis Prædicatorum & Minorum ex altera partibus, occasione ejusmodi privilegiorum, non tantùm fuisse in Anglia, sed etiam sensim in reliquas Christiani Orbis regiones se diffudisse testatur Bonifacius VIII. sub finem hujus seculi XIII. in Constitutione, quæ incipit, *Super Cathedram*, relata inter Extrav. Communes, sub titulo *de Sepulturis.*

VII. In hac enim Constitutione declarat Pontifex: » Quòd » jam olim inter Prelatos, & Rectores, seu Sacerdotes, ac Cle» ricos Parochialium Ecclesiarum per diversas mundi provincias » constitutos ex una parte & Prædicatorum & Minorum Ordi» num Fratres ex altera, gravis & periculosa discordia extitit » suscitata super prædicationibus fidelium populis faciendis, eo» rum confessionibus audiendis, pœnitentiis injungendis eisdem, » tumulandis defunctorum corporibus, qui apud Fratrum Ec» clesias sive loca noscuntur eligere sepulturam. «

Hanc gravem, & periculosam discordiam hâc suâ Constitutione, » intendens paternæ solicitudinis studio (ut ipse loqui» tur) prorsus evellere, ac omnimodè submovere, nullus un» quam temporibus futuris, favente Domino suscitandam. « Plura circa tria hæc discordiæ semina constituit, ac signanter super articulo de audiendis fidelium confessionibus, & injungendis pœnitentiis statuit, ut Superiores Ordinum illorum » se » conferant per se vel per Fratres, quos ad hoc idoneos fore pu» taverint, humiliter petituri à Prælatis, ut Fratres, qui ad hoc » electi fuerint, in eorum civitatibus & Diœcesibus confessio» nes subditorum suorum confiteri sibi volentium, audire libe» rè valeant, & hujusmodi confitentibus (prout secundum Deum » expedire cognoverint) pœnitentias imponant salutares, atque » eisdem absolutionis beneficium, impendere de licentia, gra» tiâ, & beneplacito eorundem. «

» Et si eidem Prælati (pergit Pontifex) petitam licentiam » Confessionum hujusmodi audiendarum concesserint, illam præ» fati Magistri, Ministri & alii cum gratiarum recipiant actione, » dictæque personæ sic electæ, commisum sibi officium exe» quantur. «

Post hæc subjungit: » Quòd si fortè jam dicti Prælati quem» quam ex dictis Fratribus præsentatis eisdem, ad hujusmodi of» ficium nollent habere, vel non ducerent admittendum; eo » amoto, vel subtracto, loco ipsius similiter eisdem præsentan» dus Prælatis, possit & debeat alius surrogari. Si verò iidem » Prælati præfatis Fratribus ad Confessiones (ut præmittitur) au» diendas electis hujusmodi exhibere licentiam recusârint; Nos » ex nunc ipsis, ut Confessiones sibi confiteri volentium, libe» re,

(l) *Anno* 1700. 14. *Julii. Cardinalis Noallius à supremo Parisiorum Senatu obtinuit Arrestum adversus Nicolaum Coignet S. Rochi Parisensis Pastorem: illud autem declarat nullum reperiri abusum in instrumentis, quibus Card. Noallius concedebat Presbyteris Ovem, Novet, & Joanni Novet, licentiam audiendi Confessiones in Ecclesia S. Rochi, quamvis Parochus eos recipere renueret. Ut hujus Arresti motivum innotescat, notandum est, quòd cùm querela ad Card. Noaillum delatæ fuissent adversus Pastoris incuriam. & confessariorum paucitatem in ejus Parœcia, admonitus S. Rochi Pastor, ut Confessarios ex Sacerdotibus aprobatis assumeret, sui Archiepiscopi monitis obtemperare renuit. Quapropter cùm Præsul Eminentissimus querelas iterum adversus confessariorum paucitatem accepissent, ad media, quæ jus suppeditat, confugit, coegitque viis justitiæ, ut ajunt, Pastorem, ut amitteret tres præditos Sacerdotes, qui confessiones in Parœcia S. Rochi audirent.*

» rè, liciteque audire valeant, & eisdem pœnitentias impone-» re salutares, atque eisdem absolutionis beneficium impartiri, » gratiosè concedimus, *de plenitudine Apostolicæ potestatis.*"

VIII. Bonifacius hâc suâ Constitutione sperabat hanc gravem & periculosam discordiam omnino evellendam; sed spes sua ipsum fefellit, si Benedicto XI. ejus in Pontificatum successori credimus.

Hic enim Benedictus XI. ad Pontificatum ex ordine Fratrum Prædicatorum assumptus, ut hæc dissidia extingueret, novam edidit Constitutionem, quæ incipit: *Inter cunctas*, relatam inter Extravagantes Communes, sub titulo *de Privilegiis.*

In hac suâ Constitutione præfatur, quòd debeat, » quantum » ex alto permittitur, pacem inserere, scandala removere, jur-» giorum removere materiam, & *intelligere super egenum & » pauperem, quia non in finem oblivio erit pauperum, & patien-» tia pauperum non peribit in finem.* Quæ finalia verba eviden-» ter Fratres Mendicantes, è quorum Ordine erat assumptus, » respiciunt."

Post hæc subjungit: » Sanè dudum bonæ memoriæ Bonifa-» cius VIII. prædecessor noster quandam specialem inter Præ-» latos, Rectores, seu Sacerdotes & Clericos Parochialium Ec-» clesiarum, ex parte una; & Prædicatorum ac Minorum Or-» dinum Fratres ex altera super faciendarum prædicationum, » audiendarum Confessionum per eosdem Fratres, ac de eis » relictis, & de funeralibus canonicæ portionis articulis, Cons-» titutionem edidit, certum his modum imponens, prout in » eadem Constitutione plenius continetur. Sed (inquit) pro ea, » quam intendebat, quiete, turbatio mota est, pro concordia » sunt suborta dissidia, & *pullulatæ inquietudines pro tranquil-» litate nascuntur.* Sicque dum ansam solvisse se credidit, no-» dum ligâsse videtur, & septem uno hydræ amputato capite » suscitâsse.

» Nec mirum (pergit Benedictus) quia plerumque pariunt » novitates discordiam, præsertim dum ab eo, quod diu æquum » visum est, per novam Constitutionem receditur; nec quare » recedatur, utilitas evidens vel alia causa subest."

Ipse autem cupiens, » ut gregi cura eo plenior impenda-» tur, quo amplior in agro Domini operariorum numerus ope-» ratur, *super egenum* (ait) *intendentes & pauperem*, ac novita-» tem removentes per eandem Constitutionem inductam, hanc » ipse novam Constitutionem, sive Extravagantem, Bonifa-» cii VIII. Extravagantis abrogatoriam, evulgavit."

Evidens est hunc Pontificem credidisse, & publicè per suam Extravagantem declarâsse, ex Constitutione Bonifacii VIII. quâ ipse Bonifacius credebat gravi & periculosæ discordiæ finem imponendum, *pro concordia fuisse suborta scandala, & pullulâsse inquietudines pro tranquillitate.*

Insuper ex relatis verbis hujus Extravagantis Benedicti XI. intelligitur, hunc Pontificem existimâsse, Bonifacium per suam Constitutionem modificando, & intra suos limites Ordinum Prædicatorum, & Minorum Privilegia reducendo, non satis *intellexisse super egenum & pauperem*: ipse autem per Constitutionem suam, ampliando hæc privilegia, intendat *intelligere super egenum & pauperem*, scilicet Fratrum inopiæ & paupertati ope horum privilegiorum succurrendo.

IX. Ut igitur Fratribus ampliorem favorem impendat, atque ab hâc ratione intelligat super egenum & pauperem, hac suâ Constitutione declarat, » quòd *liberè* AUCTORITATE APOS-» TOLICA *absque licentia Diœcesanorum, & aliorum Prælato-» rum inferiorum Exemptorum, & non Exemptorum, quibus » subsunt, qui ad confitendum accedunt, audiant, eis pecca-» ta sua confiteri volentes.*

» Ut autem (ait Pontifex) Diœcesanis honor debitus reser-» vetur, præcipimus, ut Provinciales, Priores Prædicatorum, » & Ministri Minorum Ordinum præfatorum, per se vel alios, » verbo vel scripto, eis significent se Fratres ad hujusmodi Con-» fessionum audiendarum, & pœnitentiarum injungendarum of-» ficium elegisse, & non nominando, aut coram ipsis sistendo » eos, nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter à » Diœcesanis eisdem, quòd iidem electi Fratres de ipsorum be-» neplacito & licentia dictum possint in eorum civitatibus & » Diœcesibus intra eis determinatos fines officium exercere. » Quòd si denegent, vel *intra triduum* non concedant, ex tunc » iidem Fratres nihilominus Auctoritate eâdem hujusmodi offi-» cium exequantur. Datam verò licentiam per Diœcesanorum » mortem nolumus terminari."

Imprimis probat hæc Constitutio, quod & à pluribus annotatum est, similia privilegia à Fratribus solicita, & per Pontifices indulta fuisse, ut per ea Fratrum necessitatibus in temporalibus succurreretur; quod & Fidelibus perniciosum, & Fratribus admodum periculosum esse non ambigitur, & à multis deploratum fuit.

Atque inter alios jam pridem per Richardum Archiepiscopum Armachanum in *Defensorio Curatorum* coram Innocentio VI. notatum est, quòd & eo titulo salubrius & tutius sit Parochianis confiteri proprio Sacerdoti sive Curato, quàm Fratribus Mendicantibus, quòd hi à suis pœnitentibus temporale subsidium expectantes, congruas pœnitentias injungere non audeant, ne pœnitentium in se affectum amittant.

Præterea quis non videt, per hanc Constitutionem dictos Fratres, qui duntaxat in subsidium Prælatorum, & Parochorum Ordinariorum sunt instituti, & ut tales ab Ecclesia admissi, ad præcipuas Hierarchicas, ac Pastorales functiones, & à quibus ritè administratis, recta animarum directio præcipuè dependet, independenter à licentia Prælatorum & Pastorum Ordinariorum admitti.

X. Non mirum proinde, quòd Clemens V. hujus Benedicti XI. immediatus successor hanc Constitutionem omninò cessaverit, & præfatam à Bonifacio VIII. editam innovaverit; » utpote, quæ (teste hoc Pontifice Clemente V.) ut probavit » effectus, nedum pacis ab Auctore speratæ fructum non at-» tulit, quinimò discordiæ, pro qua sedanda processerat, fo-» mentum non modicum ministravit." Hæc Clementis V. Constitutio extat in Clementina, *Dudum*, *de Sepulturis.*

XI. Verùm sicuti per Constitutionem Bonifacii VIII. dissidia, & scandala non fuerunt extincta, ita nec per hanc Clementis V. Bonifacianæ Constitutionis confirmatoriam; uti probant succedentium Pontificum pro his dissidiis extinguendis editæ Constitutiones, & Bullæ.

Atque inter alios Alexander V. ex Ordine Minorum anno 1409. ad Pontificatum assumptus, Bullam emisit, non minus, atque constitutio Benedicti XI. Fratribus Mendicantibus faventem, quæ incipit: *Regnans in excelsis.* De hac Bulla loquens Natalis Alexander in Historia Ecclesiastica seculi XV. in vita hujus Pontificis, asserit, quòd Fratres Prædicatores & Carmelitæ palam professi sint, hanc se insciis impetratam fuisse, nec eam approbare: » Fratres verò Minores de Alexandri V. exal-» tatione intemperantiùs exultantes, ejusque in Ordinem suum » amore & benignitate abusi, pertinaciores fuerunt; quibus » juncti Augustiniani, cùm privilegiis novâ illâ Constitutione » collatis cedere nollent, Edicto Regio, publicâ Præconum » voce, Parochis prohibitum est gravi mulctâ, ne ipsos in » Ecclesiis Confessiones audire, aut Conciones habere si-» nerent."

XII. Bullæ hæc, utpote Statum Hierarchicum non parùm perturbans, multùm offendit Episcopum, & Academiam Parisiensem; quorum causam suscepit celeberrimus ejus ætatis Doctor Joannes Gersonius in sermone, quem coram populo habuit; extatque inter ejus Opera sub hoc titulo: *Sermo factus ad populum Parisiensem ex parte Universitatis super facto Bullæ Mendicatium anno* 1409.

In hoc sermone asserit in Ecclesia à Deo institutum Ordinem Hierarchicum ex Prælatis majoribus, ut sunt Papa & Episcopi, & minoribus, qui sunt Curati, nec posse hunc à Deo institutum Ordinem inverti, quemadmodum ibidem exponit; atque unà, quæ sint jura Prælatorum, signanter Minorum sive Curatorum describit, ostenditque hæc per Fratres Mendicantes sive Privilegiatos infringi non posse.

XIII. Dissidia, & discordias inter Prælatos, & Mendicantes etiam post Constitutionem Alexandri V. perseverâsse; imò nec tempore Concilii Tridentini, Prælatorum querelas contra hæc privilegia cessâsse, ex Actis & Historia hujus Concilii evincitur: quin & constat plures ex Patribus institisse, ut auctoritate Concilii hæc privilegia totaliter revocarentur ad primævam suam institutionem, ad quam reducti ipsi ut auxiliares & subsidiarii Prælatorum & Pastorum Ordinariorum in functionibus Hierarchicis, plenariè subderentur Prælatis & Parochis.

XIV. Porrò ex Actis & Historia Concilii Tridentini & hoc intelligitur, postulatæ privilegiorum revocationi restitisse non tantùm Ordinum illorum Generales, eorumque Patronos, sed vel præcipuè Curiales Romanos: qui & hanc revocationem urgentes, ut Sedis Romanæ & Auctoritatis Pontificiæ adversarios palam traducebant.

XV. Nec sanè mirum apparebit, Curiam Romanam, hisce Fratrum Mendicantium privilegiis conservandis favisse, si attendatur per hæc Privilegia, *plenitudinem Potestatis Pontificiæ* stabiliri: quin & ipsa privilegia, signanter in quantum per illa indulgetur Fratribus excipere Confessiones Fidelium, & eis annuntiare Verbum Dei in Episcoporum Diœcesibus & Curatorum Parochiis, sine eorum licentia, huic *plenitudini potestatis* & jurisdictionis tanquam basi & fundamento inniti.

Vidimus enim Pontifices, in concessione horum privilegiorum, eam de *plenitudine Potestatis Pontificiæ* impendisse.

Et quidem Bonifacius VIII. in Extravagante *supra Cathedram*, & renovatâ per Clementinam, *Dudum*, postquam præscripsit modum, quo Fratres debeant per Superiores Ordinum ad audiendas Confessiones electi, Episcopis præsentari, atque licentia ad audiendas Confessiones peti, subjungit: » Et si iidem » Prælati præfatis Fratribus ad Confessiones (ut præmittitur) » audiendas electis, hujusmodi exhibere licentiam recusârint: » Nos (ait) ex nunc ipsis, ut Confessiones sibi confiteri volen-

» tium

» tium liberè liciteque audire valeant, & eisdem pœnitentias » imponere salutares, atque valeant eisdem absolutionis benefi- » cium impertiri, gratiosè concedimus *de plenitudine Apos- » tolicæ potestatis.*«

Ulteriùs nec ignorabant Pontifices, quòd Fratres Mendicantes his privilegiis muniti, eam *plenitudinem Pontificiæ Potestatis* & Jurisdictionis, tanquam suorum privilegiorum basim & fundamentum, eodem quo sua privilegia zelo & studio propugnaturi essent.

Et sanè videmus, quotquot in defensionem horum Privilegiorum scripserunt, eam in Pontifice plenitudinem potestatis supposuisse & asseruise, ac in fundamentum & basim Privilegiorum assumpsisse.

XVI. Et inter alios Sanctus Thomas in opusculo contra Guillelmum de Sancto Amore, propugnans privilegia Fratrum Mendicantium, signanter de audiendis Confessionibus, pro fundamento ponit *cap.* 3. §. 14. *Quod Papa habeat immediatam jurisdictionem in omnes Christianos.*

Deinde postquam dixit Christum esse propriè dictum Sponsum Ecclesiæ, monet, » quòd ministri Ecclesiæ tantùm dican- » tur *Sponsi*, in quantum vicem *veri Sponsi gerunt*; *& ideò* » (ait) *Papa qui obtinet vicem in tota Ecclesia, Sponsus Uni- » versalis Ecclesiæ dicitur*: Episcopus autem suæ Diœcesis, » Presbyter autem suæ Parochiæ.«

Planum est S. Thomam asserere voluisse Papam habere immediatam jurisdictionem in omnes Christianos, qualem habet Episcopus in Christianos suæ Diœcesis, & Curatus in subditos suæ Parochiæ: idcircò & Papa dici possit *Sponsus Universalis* Ecclesiæ, & Presbyter suæ Parochiæ.

Hoc posito fundamento, consequens est in Papa esse *plenitudidem Pontificiæ Potestatis*, eo sensu, quod totam & Universalem Ecclesiam ex omnibus particularibus Ecclesiis constantem, habeat pro sua Diœcesi, atque ad omnes illas ejus Pastoralis solicitudo & auctoritas se extendat, ac si immediatè ipsi essent, tanquam Episcopo & Pastori subjectæ, uti eam potestatis Apostolicæ plenitudinem exposuisse Innocentium III. ostendimus suprà *part.* 1. *tit.* 19. *cap.* 8.

Ex his ulteriùs concludere poterat S. Thomas, quòd, sicuti potest Episcopus Presbyteris dare licentiam audiendi Confessiones per totam suam Diœcesim, similiter possit Papa eam dare per *totam* Ecclesiam, tanquam per suam Diœcesim.

Habemus plura opuscula S. Bonaventuræ, quibus hæc Fratrum Mendicantium privilegia tuentur, in quibus etiam plenitudinem potestatis Pontificiæ exemplo Sancti Thomæ pro fundamento assumit, asserendo à Papa emanatam omnem jurisdictionem Ecclesiasticam, uti observat D. Fleury *lib.* 84. *Hist. Eccles. num.* 43.

XVII. Similiter Magister Rogerius Choneoé, Ordinis Fratrum Minorum, suscipiens defensionem privilegiorum, sive Fratrum Mendicantium contra defensorium Curatorum Richardi Archiepiscopi Armachani, pro fundamento defensionis assumpsit, & supposuit eam in Papa potestatis Apostolicæ plenitudinem.

Hæc Rogerii defensio constat octo capitibus, atque primo capite, ut omnem tollat æquivocationem, præmittit distinguendam esse publicam potestatem ligandi & solvendi in foro pœnitentiæ. » Quædam est (ait) quæ confertur ex vi Ordinis Sacerdotalis, vel Ordinationis in Sacerdotem. Et hæc potestas » est in omnibus Sacerdotibus æqualis... perpetua & inamissibi- » lis, sicut character Ordinis Sacerdotalis: & est causa remota » ab actu & exercitio, quod magis propriè dicitur potentia, » quàm potestas.

„ Alia est (inquit) potestas jurisdictionis, quæ requirit relationem super plebem aliquam vel personam, tanquam super „ materiam, in qua tam prima, quàm secunda debeat exerceri. „ Unde sicut Faber vel Artifex quicunque non potest operari „ nisi habeat materiam, in qua operetur; si nec Sacerdos potest quemquam solvere vel ligare, nisi sibi ministretur materia „ suprà dicta. Quam materiam *solus Papa* mediatè, vel immediatè tribuit Sacerdotibus, vel aufert, sicut suæ *placuerit voluntati*, tanquam ille, in quo *solo* hujusmodi plenitudo potestatis *extra de usu Pallii ad honorem.*

XVIII. Et rursus *cap.* 2. ponit pro regula, eâque *tam per se nota*, quòd ejus (ait) impugnator esset *igne vel gladio puniendus*, scilicet, „ quod in Hierarchia ecclesiastica semper „ est, aut debet esse sub Christo Summus Princeps, in quo „ Ecclesiæ planè secundum se *tota residet auctoritas*, *jurisdictio*, *seu potestas*, à qua in reliquos Præsidentes quoscunque „ mediatè vel immediatè omnis ecclesiastica jurisdictio, quam „ obtinent, sine sui detrimento juxta Summi Pontificis *arbitrium* derivatur.“

Hinc tandem effectum, ut hæc de plenitudine potestatis Apostolicæ opinio, quasi articulus fidei ab ipsis proponi cœperit, & contrariam sustinentes pro Hæreticis reputari, & ut tales *igne* vel *gladio* puniendi proclamari, uti ex Rogerio jam vidimus, idque Curia Romana applaudente.

Dicitur enim, & in hac Curia eam de plenitudine potestatis Pontificiæ opinionem pro indubitatâ, & quasi fidei esse receptam.

XIX. Et quidem Cardinalis de Luca in *Relatione Curiæ Romanæ*, referens opiniones in hac Curia receptas ponit *Discursu 2. num.* 37. hoc Summarium: *Papa est Ordinarius Ordinariorum*, *eosque prævenire valet.*

Hoc Summarium in textu exponens & prosequens ait: „Quam- „ vis item nonnulli Episcopi, aliique Prælati & Magistratus ul- „ tra montes, quorum aliquibus, ubi etiam schismatis macula „ objici non valeat, aliqua tamen *proximitas* fortè congruere „ videtur, *antiquas retineant opiniones* super æqualitate eorum „ potestatis in propria Diœcesi cum Papa, qui non possit citra „ casus appellationis, & recursum, in eorum potestatis ac ju- „ risdictionis exercitio se ingerere, eosque impedire quasi quod „ quilibet dicatur Pontifex in propria Diœcesi. Attamen (ait) „ eodem themate retento, conclusivè scilicet insinuandi opinio- „ nes in Curia, tam firmas ac receptas. Hæc opinio pariter dam- „ nata est, atque receptum, quod Papa tanquam Ordinarius „ Ordinariorum, à quo omnis Episcoporum jurisdictio ordina- „ ria immediatè descendit, concurrere potest cum quolibet „ Ordinario.“

Quin hic Cardinalis per Episcopos & Prælatos ac Magistratus *ultra montes*, quos saltem *proximitatis schismati* fortè argui posse scribit, intellexerint Episcopos & Prælatos atque Magistratus Gallicanos dubitari nequit, utpote, qui præ cæteris eam in Pontifice *plenitudinem potestatis* & jurisdictionis constanter negant; eumque, ut *Ordinarium Ordinariorum*, à quo omnis jurisdictio ordinaria in Episcopos, aliosque Prælatos derivetur, recognoscere renuant: imò contrariam opinionem tanquam basim & fundamentum libertatum Ecclesiæ Gallicanæ tuentur, & propugnant.

At hoc notatu dignum, quòd licèt hic Cardinalis, & in Curia Romana Patronus non vereatur aliquali *schismatis*, aut saltem ejus *proximitatis* maculâ aspergere Gallicanos Antistites, & Magistratus ob defensionem dictæ opinionis, fateri nihilominus debuerit per hos Prælatos, vel Magistratus non esse inductas novas opiniones, sed quòd *antiquas opiniones retineant.*

XX. Notare quoque non dubitavit Vir Clarissimus, & in disciplina Ecclesiastica versatissimus Claudius Fleury, hanc de *plenitudine Potestatis Pontificiæ* opinionem in fundamentum privilegiorum à S. Thoma, aliisque privilegiorum propugnatoribus assumptam esse novam.

Referens enim per Compendium Apologiam, quam Sanctus Thomas in defensionem Fratrum Mendicantium opposuit libello Guillelmi *de S. Amore*; relatisque verbis S. Thomæ supra citatis, quibus hanc plenitudinem potestatis Pontificiæ expressit, monet *lib.* 84. *suæ Historiæ*, *num.* 42. has opiniones fuisse novas: *Ces maximes touchant l' autorité du Pape étoient nouvelles.*

XXI. Nec sub initium seculi IX. fuisse opinionem, quòd Pontifex Romanus posset Episcopalem auctoritatem in omnibus Diœcesibus exercere, puta quòd posset alienos Parochianos sine licentia proprii Episcopi absolvere, constat ex Capitulari Ahytonis Episcopi Basileensis ad suos Presbyteros directo *anno* 821.

Postquam enim eos monuit, qualiter seipsos, & plebem sibi commissam castè & justè regere atque in Religione divina confirmare debeant, subjungit *cap.* 18. » Et hoc omnibus fi- » delibus denuntiandum, ut, qui devotionis causâ ad limina » beatorum Apostolorum pergere cupiunt, domi confiteantur » peccata sua, & sic proficiscantur, quia à proprio Episcopo » suo aut Sacerdote ligandi aut exsolvendi sunt, non ab ex- » traneo.«

Manifestum est Ahytonem existimâsse, idcircò fidelibus proficiscentibus Romam ad limina Apostolorum esse intimandum, ut domi confiteantur proprio Episcopo, aut Sacerdoti; eò quòd Romæ Episcopus aut Sacerdos esset extraneus: quod & notavit D. Fleury in sua Historia lib. 41. num. 15. relatis enim verbis Ahytonis subdit. » Hîc sub nomine Episcopi ex- » tranei manifestè comprehensus est Papa, sicut cæteri Episco- » pi: *Ici sous le nome d' Evêque ètranger le Pape est manifeste- » ment compris comme les autres.*«

XXII. Præterea ex Ahytonis Capitulari evincitur, eo tempore eam viguisse disciplinam, quòd fideles tenerentur proprio Episcopo, aut Sacerdoti sua peccata confiteri, nec alieno, aut extraneo posse sine illius licentia; quam disciplinam usque ad seculum XIII. perdurâsse notavimus in textu hujus capitis num. 7. & 8.

XXIII. Cur expediat potiùs proprio quàm alieno Sacerdoti confiteri, docuit Innoc. IV. in Bulla, quæ incipit, *Et si animarum*, ubi inter alia incommoda, quæ sequuntur ex eo, quòd Fratres Mendicantes Parochianos ad Confessiones sibi faciendas indifferenter reciperent, hoc addit: » Sicque eorum prædicti » Sacerdotes, qui curam suscipiendo, ipsorum suam pro eis » animam obligant, dum sibi taliter subtrahuntur, statum eo- » rum ignorantes non possunt, quod in eis est, ægrotum sana- » re, nec consolidare infirmum, nec alligare confractum; & » sic

„ sic dum curâ commissâ non adhibentur remedia invaleseenti-
„ bus morbis usque ad interemptionem, læsio debacchatur, &
„ iidem Sacerdotes nullam possunt de sic pereuntibus animabus
„ supremo Judici reddere rationem.“

Ulteriùs in hac Bulla monet Pontifex: „ Quòd ex recursu
„ ad Fratres Confessionis causâ, relicto proprio Parocho, non tan-
„ tùm indevotio, & contempus in populo prodeunt contra pro-
„ prios Sacerdotes, verùm etiam erubescentia, quæ est magna
„ pars pœnitentiæ, tollitur, dùm quis non proprio Sacerdoti,
„ quem habet continuum & præsentem, sed alieno & aliquan-
„ do transeunti, ad quem difficilis & quandoque impossibilis est
„ recursus, sua crimina confitetur. «

Nobiles, & divites ex libero hoc recursu ad Fratres Mendicantes sibi ignotos occasiones liberiùs peccandi accepisse deplorârunt Prælati Angliæ, uti notavimus in nota præcedenti.

XXIV. Quin & fuêre nonnulli, qui asseruerunt, quòd ex mente Concilii Lateranensis in Canone, *Omnes utriusque sexûs*, fideles teneantur saltem semel in anno confiteri proprio Sacerdoti omnia sua peccata, etiam illa, quæ antea fuissent confessi alieno Sacerdoti: idque ob rationes ex S. Bonaventura & Innocentio IV. jam adductas, ac notanter, ut per hac omnium peccatorum Confessionem à proprio Sacerdote haberetur exactior de statu spirituali Parochiani notitia.

Et licèt Joannes XXII. hanc opinionem, in quantum fidelibus imponit necessitatem reiterandi Confessionem peccatorum, roprobaverit in Extravagante, quæ incipit, *Vas electionis*, *sub tit. de Hæreticis*, *inter Communes*, eandemque opinionem etiam reprobâsse videtur Benedictus XI. in Constitutione, quæ incipit, *Inter cunctas*, (ut suprà diximus) Nihilominus hic Pontifex in eadem Constitutione declarare non dubitavit, salubre esse ut Parochianus omnia sua peccata proprio Sacerdoti confiteatur, in verbis: „ Cæterùm licèt (sicut prædicitur) de necessi-
„ tate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen, propter
„ erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, ut eorundem
„ peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre, « *districtè injungimus*, *ut Fratres ipsi confitentes attentè moneant*, *& in suis Prædicationibus exhortentur*, *quòd suis Sacerdotibus saltem semel confiteantur in anno*, *asserendo id ad* Animarum Profectum Procul Dubio Pertinere.

CAPUT VI.

De Approbatione Confessariorum, & ejus Limitatione, ac Revocatione.

1 *Primis seculis Presbyteri non erant ordinarii Ministri Sacramentorum.*
2 *Qua ratione Presbyteri cœperint functiones obire jure ordinario.*
3 *Obtinentes Beneficia Curata jure ordinario seu proprio administrant Sacramentum Pœnitentiæ.*
4 *Parochiale Beneficium obtinens ex decreto Concilii Trid. vi sui Beneficii excipere potest Confessiones.*
5 *Ratio hujus decreti; & ea obtinet in omni Beneficio Curato.*
6 *Dimisso Beneficio Curato exspirat facultas audiendi Confessiones.*
7 *Curatum Beneficium possidens non est approbatus per totam Diœcesim.*
8 *S. Carolus supposuit Parochum titulo sui Beneficii extra Parochiam non posse excipere Confessiones.*
9 *Vi consuetudinis Parochi sine speciali Episcopi approbatione excipiunt Confessiones extra Parochiam; & in quo hæc consuetudo fundata.*
10 *Etiam in quibusdam Ecclesiis Parochi unius Diœcesis possunt excipere Confessiones in alia Diœcesi sine speciali Episcopi approbatione.*
11 *In quo hæc consuetudo fundata; & quare de ea interdum inquirendum.*
12 *Presbyteri non habentes Beneficium Curatum sine approbatione Episcopi Confessiones excipere nequeunt.*
13 *Approbatus in una Diœcesi non potest in alia Diœcesi vi hujus approbationis Confessiones excipere.*
14 *Propositio contrariam asserens censurata.*
15 *Nec sine hac approbatione Confessiones excipere potest in Monasteriis exemptis.*
16 *Presbyter quantumvis doctus & capax non potest excipere Confessiones nisi reipsâ approbatus.*
17 *Approbatio Presbyterorum non habentium Beneficium Curatum pro arbitrio Episcopi limitari potest.*
18 *Contraria assertio censurata.*
19 *Hæc limitatio etiam procedit quoad personas.*
20 *Solent excipi in Belgio Moniales.*
21 *Regulares sine Episcopi approbatione nequeunt excipere Confessiones Monialium Regularibus subditarum ex Constit. Gregorii XV.*
22 *Dubia occasione hujus Constitutionis; & eorum resolutio.*
23 *Possunt quæcunque personæ à generali approbatione excipi.*
24. *S. Carolus excepit Clericos; & quare.*
25 *Potest etiam approbatio limitari ad locum; & quomodo à auctoritate usus sit S. Carolus.*
26 *Quomodo approbatio semel data possit revocari.*
27 *Auctoritatem Episcopalem in limitanda & revocanda approbatione etiam Regularium speciali Edicto roboravit Rex Galliæ.*
18 *An Vice-Pastorum approbatio tam facilè revocari queat, quàm aliorum.*

I. PRimis Ecclesiæ seculis præcipuam auctoritatem, & curam imponendi, ac moderandi Pœnitentias, nec non Pœnitetentes reconciliandi fuisse penes Episcopos, ostendimus suprà capite quinto.

Imò hæc auctoritas ità propria erat Episcopis, ut non nisi auctoritate, & licentiâ ab his acceptâ, Presbyteri inferiores quicumque Pœnitentias injungere, atque Pœnitentes reconciliare possent.

Quin pluribus seculis, sicut in aliis Ecclesiasticis functionibus, ità in hac Presbyteri non nisi *Delegatâ* quasi ac *Vicariâ* auctoritate Episcoporum fungebantur.

II. Postquam verò labentibus seculis Beneficiorum ecclesiasticorum tituli erecti fuerunt, cœperunt Presbyteri, qui Beneficia Curata obtinebant, functiones Beneficiis illis annexas jure *ordinario*, sive *jure* suorum Beneficiorum, seu titulorum obire; atque functionum illarum dici Ministri *Ordinarii*.

III. Cùm igitur præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, atque *Sacramentorum administratione pascere*, ut loquitur Tridentinum *Sess. 23. cap. 1. de Reformat.* etiam *jure divino* quodammodo mandatum censetur Sacerdotibus, quibus cura animarum commissa est, Fidelibus hoc Sacramentum administrare.

Cùm verò juxta modernam Ecclesiæ disciplinam Presbyteri Beneficium Parochiale aliudve Curatum in titulum possidentes censeantur habere curam Animarum *jure ordinario*, seu vi sui tituli beneficialis, etiam reputantur hujus Sacramenti *Ordinarii* Ministri; sive habere auctoritatem excipiendi Confessiones eorum, ad quos cura animarum Beneficio annexa se extendit.

IV. Unde Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 15. de Reformat.* decernens, nullum Presbyterum etiam Regularem posse Confessiones secularium audire, nec ad id idoneum reputari, nisi ab Episcopo approbationem obtineat, excepit tamen: *Nisi Parœchiale Beneficium obtineat*: qua exceptione ostendit, Presbytero Parochiale Beneficium obtinenti, nullam specialem approbationem Episcopi necessariam esse, ut Confessiones excipere queat.

V. Neque ratio obscura est. Quandoquidem enim hujusmodi Beneficium obtinendo unà curam Animarum annexam obtineat, etiam cum cura Animarum auctoritatem administrandi hoc Sacramentum accepisse censetur, idque eodem titulo sive jure, quo ipsam animarum curam accepit, scilicet *jure ordinario*.

Et licèt Synodus loquatuor duntaxat de habentibus Beneficium *Parochiale*; idem nihil ominus eâdem ratione & fundamento obtinet in quocunque Beneficio sive Dignitate seculari & regulari, cui vera & interna cura animarum incumbit: ut hi, qui hujusmodi Beneficia aut dignitates obtinent, & curam animarum iis annexam acceperunt, censeantur unà accepisse facultatem accipiendi Confessiones eorum, ad quos eorum cura se extendit; atque eatenus *ordinarios* hujus Sacramenti Ministros reputari; neque speciali approbatione ad Confessiones excipiendas indigere: quod notoria praxis in Decanis Canonicorum, nec non Abbatibus, Prioribus Conventualibus, aliisque similibus ostendit.

VI. Porrò cùm hæc auctoritas excipiendi Confessiones profluat ex ipsa cura animarum Beneficio Parochiali aut Curato annexa, si curam animarum per dimissionem Beneficii aliove titulo habere desinat, auctoritatem quoque excipiendi Confessionem à cura animarum unicè dependentem amisisse censebitur; quod in terminis tradit Piasecius in Praxi Episcopali *parte 2. cap. 1. num. 10.*

VII. Similiter quia cura animarum non se extendit ultra limites Parochiæ, aut personarum, in quas vi sui Beneficii curam accepit, neque auctoritas excipiendi Confessiones in consequentiam illius competens se ulteriùs extendere potest: etiam nullatenus vi sui Beneficii Curati dicendus est habere facultatem excipiendi Confessiones per totam Diœcesim.

Unde interrogata S. Congregatio, „ An provisus de Paro-
„ chiali per concursum, censendus sit approbatus idoneus Minis-
„ ter ad audiendas Confessiones in illa Diœcesi, in qua illam
„ Parochialem obtinet? Respondit, censeri duntaxat in ea ci-
„ vitate vel oppido, ubi sita est Parochialis, non autem passim
„ per totam Diœcesim. « Apud Piasecium ibidem.

VIII. S. Carolus dans facultatem Parochis, ut tempore Pas-

Paschali aliorum Parochorum ministerio ad audiendas Confessiones uti possent, declaravit in Synodo sua Diœcesana XI. »Id » de Parochis tantummodò intelligi, quibus extra Parochiæ pro» priæ fines ad audiendas Confessiones probatis, in scriptis *fa*» *cultas* data est.«

Hic manifestè supponit S. Carolus, facultatem excipiendi Confessiones Parocho vi suæ Curæ Pastoralis competentem, extra fines propriæ Parochiæ non extendi, tametsi etiam alterius Parochi consensus accedat.

IX. At cùm jam passim invaluiset, ut Presbyteri tam Seculares, quàm Regulares etiam nullum Beneficium curatum habentes, simpliciter approbati ad audiendas Confessiones, haberentur approbati per totam Diœcesim; ac possent in omnibus Parochiis Diœcesis, saltem de consensu Parochorum Confessiones excipere; consuetudine tandem ac tacito Episcoporum consensu invaluisse videtur, quòd Parochiale Beneficium obtinens, in vim illius censeretur approbatus ad audiendas Confessiones per totam Diœcesim & in omnibus Parochiis hujus Diœcesis de solo consensu Parochorum; tametsi nullam specialem approbationem ad audiendas Confessiones ab Episcopo obtinuerit, præter eam, quæ cum ipsa cura animarum data fuit.

Apparebat enim injustum, quòd Vice-Pastores aliique inferiores Presbyteri ad Confessiones audiendas etiam dumtaxat ad certum tempus, approbati, possent per totam Diœcesim eà facultate uti de solo Parochorum aut aliorum, quorum interest, consensu, Parochi verò hujus Sacramenti ordinarii Ministri auctoritatem haberent adeò arctatam.

Hinc passim Parochus unius Parochiæ advocare solet vicinos Parochos, ut sibi in Confessionibus audiendis subsidio sint; iique publicè Confessiones in aliorum Parochiis excipiant; tametsi nullam specialem approbationem habeant; quam praxim non obscurè probavit Synodus Namurcensis anno 1659. *Tit.* 5. *cap.* 7. permittens »Pastoribus, qui in aliorum veniunt auxilium, » tempore indulgentiarum, vel Turni, Confraternitatum, aut » alia justâ causa, etiam audire Confessiones in aliorum Eccle» sia Parochiali.«

X. Quin ulteriùs addit: »Prout etiam Pastores, qui in alia » Diœcesi approbati sunt; quod similiter locum habeat in Eccle» siis Regularium. Videant tamen, ut ii, quos in subsidium ad» mittent, apti sint, scientes conscientiam suam desuper one» rari.«

Cæterùm cùm hæc Parochorum facultas excipiendi Confessiones extra fines propriæ Parochiæ, & personarum sibi non subditarum, non profluat ex ipsa Cura Pastorali, sed ex consuetudine tacito consensu Episcoporum probata; si de hac consuetudine, & tacito Episcoporum consensu alibi sit dubium, meritò Episcopi & Archipresbyteri de ea consulentur; nec aliàs ipsum Sacramentum vitio nullitatis exponatur.

Hæc tamen inquisitio præcipuè requiritur de Parochis ex aliena Diœcesi adventantibus. Major enim difficultas est, ut Parochus alienæ Diœcesis sine ulla Episcopi Diœcesani approbatione admittatur ad excipiendas Confessiones de sola Parochi, aut Superioris Regularis licentia; quemadmodum Synodus Namurcensis permittere videtur. Neque enim id passim receptum videtur, neque pro recepto habendum, nisi de Episcoporum consensu satis constet.

XI. Ante Concilium Tridentinum Parochis jus fuit cuicunque Presbytero, nec parochiale Beneficium habenti, nec per Episcopum specialiter ad audiendas Confessiones approbato, dandi licenciam excipiendi Confessiones suorum Subditorum, quemmadmodum hodie Parochus potest dare licentiam cuilibet Presbytero assistendi matrimonio, administrandi Viaticum &c. uti communiter docent Canonistæ, & satis indicat *cap.* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, dum præter licentiam proprii Sacerdotis nihil requirit, ut Fideles alteri Sacerdoti confiteri queant.

Proinde non ita absonum apparet, si Episcopi Parochis permitterent licentiam assumendi in subsidium ad Confessiones audiendas non quemlibet Presbyterum, sed Parochum, qui ut ordinarius hujus Sacramenti minister admissus est, saltem in sua Parochia: quia tamen hæc à consuetudine & Episcoporum consensu dependent, de his antea inquirendum, priusquam quidquam in praxim deducatur.

XII. Quoad Presbyteros seu seculares seu regulares Beneficium parochiale non habentes, decernit Synodus Trid. »Nul» lum etiam regularem posse confessiones secularium etiam Sa» cerdotum audire, nec ad id odoneum reputari, nisi ab Epis» copis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs » idoneus judicetur, & approbationem obtineat.«

Ex hoc decreto manifestum est, Synodum quoad approbationem, & examen, hîc per omnia Presbyteros seculares & regulares Beneficium parochiale non habentes æquiparare; ita ut eadem in utrisque requirantur; atque æqualiter in hoc puncto ab Episcopis dependeant, & excipiendi confessiones auctoritatem accipere debeant; idque *privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili non obstantibus*; uti in fine sui decreti declarat Synodus.

XIII. Cùm verò Presbyteri nullam in populum jurisdictionem sive Clavium potestatem vi sui Beneficii habentes, eam juxta decretum Concilii Tridentini accipere debeant ab Episcopo vigore approbationis ab ipso obtentæ: ipsa autem Episcopi jurisdictio se ultra fines suæ Diœcesis non extendat, consequens est, nec Episcopum per suam approbationem eam ultra suam Diœcesim extendere posse; & consequenter, quòd approbatio Episcopi quantumcunque generaliter, & illimitatè concessa, nequeat approbatum idoneum reddere ad confessiones excipiendas extra Diœcesim; quandoquidem ad confessiones audiendas, & absolutionem impendendam requiritur in Sacerdote jurisdictio seu potestas Clavium in Pœnitentem, quam extra limites suæ Diœcesis, & in non suos subditos Episcopus dare non potest.

XIV. Quapropter meritò in generali Cleri Gallicani Conventu constante ex 10. Archiepiscopis, 73. Episcopis, pluribusque Abbatibusque, aliisque Prelatis, damnata fuit hæc quorundam assertio: »Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati » ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diœcesi, » habentur pro approbatis in aliis Diœcesibus; nec novâ indi» gent Episcoporum approbatione.«

Eandem postmodum in suo ad Henricum Episcopum Andegavensem misso decreto reprobavit Alexander VII. tanquam *falsam, & saluti animarum perniciosam.*

XV. Quin eodem nixus fundamento, declaravit S. Carolus: »Ne in Monasteriis quidem & locis, ubi Regulares spiritualem, » temporalemque jurisdictionem habent, quisquam Sacerdos » etiam regularis & exemptus confessiones audiat, nisi primùm » ab Episcopo, intra cujus Diœcesis fines ea Monasteria, lo» caque sunt, ad id probatus fuerit.«

XVI. Ulteriùs cùm regularis Presbyter æquè ac secularis per approbationem accipere debeat jurisdictionem ad excipiendas Confessiones necessariam, sequitur, quòd nec ille quantumvis doctus & capax ad excipiendas Confessiones auctoritatem habere censendus sit, nisi reipsa approbationem obtinuerit; tametsi etiam injustissimè ab Episcopo eam negari supponatur: quod sat clarè expressit Pius V. in Bulla; quæ incipit *Romani Pontificis*, 133. in Bullar. Roman. declarans, nec Lectores Theologiæ posse Confessiones excipere, nî *priùs ab Episcopo approbationem obtinuerint.* Et Alexander VII. in decreto de 24. Septemb. 1665. inter varias propositiones hanc ordine 13. damnavit: »Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confi» tetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè re» probato.

» Hinc fit, ut, si aliquis Doctor, vel in Sacra Theologia Pro» fessor licentiam petierit, & injustè ei negetur, non censeatur » approbatus;« ità post alios citatos resolvit Barbosa *de Officio Episcopi*, *Allegat.* 25. *num.* 15.

XVII. Sicuti Presbyteri seculares Beneficium parochiale seu Curatum non habentes, nullam *ordinariam* seu Beneficio annexam jurisdictionem habent, vi cujus Confessiones excipere queant; sed solam *Delegatam* sive *Vicariam*; similiter Presbyteri Regulares, etiam Mendicantes nulli Beneficio parochiali præfecti, solam jurisdictionem *delegatam* per approbationem Episcopi accipiunt.

Jurisdictionis autem *Delegatæ* ea est natura, quòd pro arbitrio, ac voluntate Delegantis restringi, ac limitari ad tempus, personas, atque materiam possit.

Huic notissimo juris principio innixi Episcopi, aliique Prælati Clerum Ecclesiæ Gallicanæ constituentes, sæpiùs in suis generalibus Conventibus declarârunt, quòd »Regulares, qualia» cumque privilegia aut immunitatem obtendant, Secularium » Confessiones audire non poterunt, quin Episcopi Diœcesani » examen subierint, & ab ipso, vel ejus Generali Vicario fue» rint approbati, *& quorum nutu & arbitrio pendebit iis vel tem» porariam, vel perpetuam Confessiones excipiendi facultatem » facere, vel sub quacumque restrictione placuerit concedere.*«

Quin & anno 1650. idem Clerus Gallicanus per litteras circulares significavit omnibus Episcopis, ut *quemadmodum in Italia*, quin & ROMÆ, *& plurimis aliis Provinciis & Diœcesibus observatur, post hac nulli Regulari detur facultas excipiendi Confessiones, nisi ad* CERTUM TEMPUS *limitata.* Hac insuper formula admissionis Regularium ad excipiendas Confessiones, & annuntiandum Verbum Dei præscripta: *N. Ecclesiæ N. Episcopus dilecto nobis in Christo N. Ordinis vel Societatis N. Presbytero, salutem & benedictionem. Cùm multa Jesu Christi messis nos cogat, undequaque ad auxilium nostrum operarios advocemus, teque, Charissime Frater, pium & doctum examine noverimus, aptumque ut sub nostri regiminis magisterio procurandæ fidelium saluti inservias, Verbo Dei prædicando, administrandoque Pœnitentiæ Sacramento admovere statuimus.* AT (hîc debet exprimi tempus) PRESENTIBUS POST ILLUD TEMPUS NON VALITURIS; *eâ tamen conditione, ut à casibus nobis reservatis non absolvas.*

XVIII. Cùm verò non obstante hac perspicuâ juris ratione, atque iteratâ totius Cleri Gallicani declaratione; nec non no-

to-

toriâ praxi, etiam Ecclesiæ Romanæ, quidam in Diœcesi Audegavensi sustinere veriti non essent hanc assertionem: *Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi* RESTRINGERE *vel* LIMITARE *approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas*; eam primùm Clerus Gallicanus censuravit; ac postmodum Alexander VII. in citato decreto ad Episcopum Andegavensem, *falsam, temerariam, scandalosam, in hæresim, & schisma inducentem, Sacro Concilio Tridentino & Sedi Apostolicæ injuriosam*, declaravit.

XIX. Quemadmodum judex delegans suam jurisdictionem, illam ad certas personas restringere potest; ut nimirùm judex delegatus non nisi inter certas personas jus dicere queat; ita quoque Episcopi potestatem clavium, seu jurisdictionem Presbyteris delegando, eam quoad personas limittare & restringere possunt.

XX. Hac auctoritate passim utuntur Episcopi dum declarant in suis respectivè Synodis, ac ritualibus, sub generali approbatione non comprehendi Moniales clausuram servantes; ad quas formulæ generales, & ordinariæ approbationes ad confessiones audiendas minimè extenduntur; nisi clarè & expressis terminis ad eas extendantur, uti loquuntur decreta Synodalia Diœcesis Gandensis sub Antonio Triest. *tit.* 5. *cap.* 3.

XXI. » Confessarii sive Regulares, sive Seculares etiam ge» neraliter approbati, non immisceant se audiendis confessio» nibus Monialium etiam sibi subditarum, nisi ad id habeant » *specialem* facultatem, juxta Constitutionem Gregorii XV. edi» tam anno 1622.« Ità Synodus Namurcensis anno 1659. *Tit.* 5. *cap.* 1.

Constitutio Gregorii XV. cujus meminit hæc Synodus, incipit *Inscrutabili*, 18. *in Bull. R.* atque in illa §. 5. decernitur: » Confessores verò, sive Seculares, sive Regulares quomo» documque exempti, tam Ordinarii quàm extraordinarii, ad » confessiones Monialium, etiam *Regularibus subjectarum*, au» diendas nullatenus deputari valeant; nisi priùs ab Episcopo » Diœcesano idonei judicentur, & approbationem quæ gratis » concedatur, obtineant.«

XXII. Occasione hujus Constitutionis quædam dubia Congregationi Cardinalium fuêre proposita; quæ unà cum resolutione Congregationis subnectuntur ipsi Constitutioni in Bullario Romano; quorum nonum, decimum & undecimum his verbis erant proposita.

Nonum: » An Regulares generaliter ab Episcopo approba» ti ad Confessiones personarum secularium audiendas, censean» tur etiam approbati, ad audiendas Confessiones Monialium si» bi subjectarum.«

Decimum: » An regularis ad audiendas Confessiones Mo» nialium unius Monasterii ab Episcopo approbatus, Confessio» nes Monialium alterius Monasterii audire possit.«

Undecimum: » An Confessores Regulares extraordinarii se» mel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monia» lium Confessiones pro una vice infra annum ad præscriptum » Sacri Concilii Tridentini, possint virtute dictæ approbationis, » pluries tanquam Confessores extroordinarii, earundem Con» fessiones audire absque novi Episcopi licentia.«

His propositis dubiis respondet S. Congregatio in hunc modum: » Ad IX. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos » ad Confessiones personarum secularium audiendas, nequa» quam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monia» lium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episco» pi approbatione.

» Ad X. Regularem ad audiendas Confessiones Monialium » unius Monasterii ab Episcopo approbatum, minimè posse au» dire Confessiones Monialium alterius Monasterii.

» Ad XI. Confesores extraordinarios semel deputatos, at» que approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro » una vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationes » ejusmodi illarum Confessiones audire: sed ab Episcopo to» ties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.«

XXIII. Sicuti Monialium, ità & aliarum personarum Confessio à generali hujusmodi approbatione excipi potest; modò eam Episcopi sufficienter exceptam declarent.

Ita in quibusdam Diœcesibus ac signanter Antuerpiensi, non tantùm Monialium clausarum servantium, sed & Begginarum à generali & ordinaria facultate audiendi Confessiones excepta est.

XXIV. Constat quoque hac eâdem auctoritate usum fuisse S. Carolum, deputando certos ac speciale Confessarios ad audiendas *Clericorum* Confessiones; uti videre est in Synodo Diœcesana IV. *decreto* 24.

Hoc S. Caroli institutum si Episcopi sequerentur, deputando speciales Confessarios eruditione, prudentiâ ac pietate præcellentes, qui Clericorum Confessiones exciperent, non dubium, quin paulatim Clerum suarum Diœcesium multò reformatiorem viderent. Nemo quippe ignorat, quàm magno auxilio sint boni Confessariis ipsis Pœnitentibus ad vitæ emendationem & progressum in virtutibus. Unde monet Synodus Tornacensis anno 1585. *Tit. de Sacram. Pœnit. cap.* 2. ut Sacerdotes bonum probatumque eligant Confessarium, cùm bonus Confessarius, ait, magno sit auxilio ad obtinendam veram contritionen, & seriam vitæ emendationem. Neque illud quis inficiabitur, magna prudentia, eruditione opus esse, ut quis non tantùm bonos Christianos, sed bonos Clericos, Christianorum futuros magistros, formare queat.

XXV. Eâdem auctoritate possent Episcopi Secularium, & Regularium approbationes limitare quoad loca, ut v. g. non possent in domibus privatis infirmorum Confessiones excipere; aut saltem non nisi habitâ Parochorum licentiâ vel ut minùs eo præmonito; quemadmodum in Institutionibus Confessariorum præscribit S. Carolus. » Regulares ad infirmos audiendos convoca» ti (ait) si ex temporis angustia aliud non poterint, hujus in» firmi Pastorem adeant, quæ spectant, ad ejus statum suscita» turi, ut diligentiùs illum examinent, utpote in hoc vitæ ter» mino constitutum, à quo salus aut æterna damnatio pendet: » quod si ante Confessionem Pastorem convenire tempus non fue» rit, saltem post eam quamprimum Confessor adeat, ut ambo » de infirmi necessitatibus, eoque spiritualiter adjuvando sta» tuant.«

XXVI. Quemadmodum ex natura jurisdictionis delegatæ est penes Episcopos auctoritas, jurisdictionis illius usum limitandi ac modificandi; ità ipsis eâdem ratione competit facultas, eam jurisdictionem revocandi vel supendendi.

De hac auctoritate minimè dubius S. Carolus in Synodo sua Mediolanensis VI. *de his, quæ ad Sacr. Pœnit. pertinent*, statuit, „ ut Episcopus à Confessionibus audiendis suspendat, aut „ omninò amoveat Confessarios etiam regulares jam approbatos, „ quos pro suæ timoratæ constientiæ religione viderit, in eo mu„ nere non ità sincerè integreque, & cùm ædificatione se gere„ re, quemadmodum & tanti ministerii illis commissi sanctitas & „ animarum salus deposcit, quæ suæ fidei concreditæ sunt.“

XXVII. Episcopalem hanc licentiam tam limitandi, quàm revocandi Confessariorum jurisdictionem auctoritate regiâ nuper roboravit, stabilivitque Rex Christianissimus edito decreto mense Aprili anno. 1695. & à Parlamento Regio probato concernente jurisdictionem ecclesiasticam, cujus articulus 11. hic est: „ Presbyteri Seculares, & Regulares non poterunt administra„ re Sacramentum Pœnitentiæ, sine obtenta licentia ab Archi„ episcopis, aut Episcopis, qui illam poterunt limitate quoad „ loca, personas, tempus, & casus, uti convenire judicave„ rint; & eam revocare, etiam ante elapsum terminum ex cau„ sis, quæ ad eorum notitiam post datam licentiam pervenerunt, „ nec eas exprimere debebant; ità ut dicti Seculares, & Re„ gulares in excipiendis Confessionibus continuare non possint „ sub quocumque prætextu, nisi in casu extremæ necessitatis, „ quousque obtinuerint novam licentiam, quin & subierint no„ vum examen, si prædicti Archiepiscopi aut Episcopi judi„ cent necessarium; volens, ut dictæ licentiæ sine expensis „ dentur; atque ordinationes, quæ factæ fuerint per Archiepis„ copos, vel Episcopos super hac materia executionem habeant „ non obstante omni appellatione *simplici* vel *tanquam ab abu„ su*, tamen sine ejus præjudicio.“

Articulo sequenti declarat, „ sub articulis præcedentibus „ non comprehendi Curatos sive Seculares sive Regulares, qui „ concionari & Sacramentum Pœnitentiæ in suis Parochiis ad„ ministrare poterunt.“

XXVIII. Vice-Pastores hîc in Belgio non solent quidem habere titulum Beneficii, ratione cujus dici possent habere curam animarum jure ordinario seu *proprio*; attamen cùm reverà cura Animarum ipsis incumbat ratione Vice-Pastoratûs; atque ipse Vice-Pastoratus sit species officii Ecclesiastici aliquatenus ad naturam Beneficii accedentis, non videtur ipsa facultas excipiendi Confessiones tam facilè & pro nutu Episcopi Vice-Pastoribus adimi posse, uti aliis Presbyteris seu Secularibus seu Regularibus nullum hujusmodi speciale officium cum cura animarum habentibus; cum adimendo alicui facultatem excipiendi Confessiones, quodammodo privetur suo officio, seu Vice-Pastoratu, cui sine hac facultate satisfacere nequit.

CAPUT VII.

De Reservatione Casuum.

1 *Quid reservatio casuum.*
2 *Duplex hodie casuum reservatio, & quid Episcopalis.*
3 *Quid Papalis.*
4 *Utilitas reservationis casuum; & in Ecclesia jam pridem usitata.*
5 *Hæc reservatio non est tantùm quoad externam politiam.*
6 *Olim omnia graviora crimina Episcopis erant reservata.*
7 *Hodierna Episcopalis reservatio minor est; quàm antiquitus fuit.*
8 *Primis seculis reservatio Papalis non æquè nota.*
* *Discutitur quo tempore cœpit invalescere quorundam criminum absolutio Papæ reservata independenter ab Episcopis.*

9 *Circa seculum XI. cœpit absolutio Pœnitentium ad Papam deferri.*
10 *Etiam subinde aliquorum criminum absolutio ipsi reservari.*
11 *Ratio illius factæ reservationis.*
12 *Primùs nemo à casibus reservatis Papæ absolvebatur, nisi eum personaliter adiret; & hinc â peccatis retrahebat reservatio.*
13 *Qui à personali accessu excusarentur.*
14 *Quando potestas absolvendi à casibus reservatis Papæ communicari cœperit.*
15 *De reservationibus Papalibus, latiùs remissivè.*
16 *Reservatio criminum pertinet ad populi Christiani disciplinam.*
17 *Primò, quia incutit horrorem criminum.*
18 *Secundò, quia minuit facilitatem veniæ.*
19 *Tertiò, quia majoribus morbis animæ curandis præficit peritiores Medicos.*
20 *Cavendum, ne reservationes nimium multiplicentur.*
21 *In criminibus reservandis temporum & locorum conditio attendenda.*
22 *Hanc attendit Sanctus Carolus.*
23 *Quàm moderati fuerint etiam seculo XIII. Episcopi in danda facultate absolvendi à casibus reservatis.*
24 *Etiam seculo XIII. habebant facultatem absolvendi à casibus reservatis, restrictam ad eos, qui ad Episcopos ejusve Pœnitentiarios accedere non poterant.*
25 *Reservationes suo frustrantur effectu, dum facultas absolvendi à reservatis facilè communicatur.*
26 *Privilegia Ordinibus, aut Ecclesiis concessa non dant facultatem absolvendi à casibus reservatis Episcopo.*
27 *Regulares nequeunt absolvere à casibus reservatis sine speciali licentia Episcopi; & contraria assertio censurata.*
28 *Nullâ privilegiorum auctoritate id possunt.*
29 *Non obtentu cujusquam Confraternitatis.*
30 *Facultas absolvendi à reservatis Papæ non infert facultatem absolvendi á reservatis Episcopo.*
31 *Episcopi possunt hanc facultatem restringere ad certos casus.*
32 *Unde haurienda notitia casuum reservatorum.*
33 *Moderatè utendum facultate absolvendi à reservatis.*

I. REservatio casuum juxta modernam phrasim dicitur ea, quâ nonnulla graviora peccata majoribus Ecclesiæ Prælatis reservantur, ita ut inferiores ea remittendi potestatem non habeant; nisi hæc postestas ipsis specialiter data fuerit.

II. Reservatio alia dicitur Episcopalis, alia Papalis, seu Pontificia.

Prior est, quâ ipsi Episcopi quædam peccata sibi vel generaliter per totam Diœcesim, & respectu omnium generaliter Confessariorum reservant; ita ut nulli inferiores Confessarii quantumvis indefinitè, & illimitatè approbati, ab iis Sacramentaliter absolvere queant sine speciali facultate; vel specialiter respectu hujus illiusve Confessarii, aut pro quadam suæ Diœcesis parte reservant.

Sicuti enim Episcopus potest Presbyterorum tam secularium, quàm regularium, præsertim Parochiale Beneficium non habentium, approbationem ad tempus limitare; ita eandem quoad materiam sive peccata restringere potest.

III. Reservatio Papalis sive Pontificia est illa, quâ nonnulla atrociora crimina Papæ reservantur, ut nullus ab iis præter Papam, aut ab eo potestatem habentem, absolvere ordinariè queat.

IV. De hac casuum reservatione, atque Pontificum & Episcoporum auctoritate loquens Synodus Tridentina *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Pœnitent.* declarat: » Magnopere ad christiani po» puli disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum » est, ut atrociora quædam & graviora crimina, non à quibus» vis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur. Un» de meritò Pontifices Maxim. pro suprema potestate sibi in Ec» clesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo » potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, » quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc » idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificatio» nem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subdi» tos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, » præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura an» nexa est. «

V. Et Canone II. » Si quis dixerit, Episcopos non habere » jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, at» que ideo casuum reservationem non prohibere, quominùs Sa» cerdos à reservatis verè absolvat: anathema sit. «

Igitur Synodus non tantùm in Pontifice, sed & in Episcopis hanc auctoritatem agnovit; & ab omnibus agnoscendam esse definivit.

VI. Quod Episcopos attinet, jam pridem penè omnia graviora peccata ipsis reservata fuisse non sine fundamento asseritur.

Constat enim, pluribus seculis penes solos Episcopos fuisse pœnitentium publicorum reconciliationem; neque Presbyteris inferioribus fas fuisse Pœnitentes reconciliare, nisi vel ab Episcopo absente ac necessitate urgente; vel ex speciali Episcopi delegatione; quemadmodum *cap.* 3. ostensum est.

Cùm verò de gravioribus quibuslibet peccatis multis seculis pœnitentia publica acta fuerit (uti *cap.* 2. dictum fuit) etiam graviorum criminum absolutio Episcopis reservata censebatur.

VII. Dum autem sensim pœnitentia publica pro occultis agi desiit; etiam occultorum criminum absolutio Presbyteris concredita fuit; publicorum verò, pro quibus publica pœnitentia erat peragenda, absolutio Episcopis longo tempore reservata fuit: ut proinde reservatio quorundam criminum sive casuum hodie ab Episcopis fieri solita, non nisi exigua sit pristinæ auctoritatis Episcopalis particula.

VIII. De reservatione Papali non idem per omnia dici potest. Nam uti notat Ludovicus Thomassinus *de Disciplina Ecclesiastica*, *part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 71. *num.* 1. pluribus seculis penes Episcopos fuit plena ac omnimoda auctoritas absolvendi in foro pœnitentiali cujuscunque quantumvis enormis sceleris reos; neque iis seculis ulla erat reservatio Papalis in foro illo pœnitentiali nota.

* Ineunte XI. seculo nondum ubique invaluerant casus Summo Pontifici in orbe Christiano reservati. Criminum aliquorum absolutio non ita tunc Romano Pontifici erant reservata, ut extra casum necessitatis ab his absolvendi nec Episcopus sine licentia Pontificis habere auctoritatem, tametsi constet, eo tempore plures criminum reos Romam pro obtinendâ à Romano Pontifice pœnitentiâ & criminum relaxatione se contulisse.

Legitur enim in Actis Concilii Lemovicensis anni 1031. quòd quidam coram Patribus dixerit: » Vidi nuper de Episcopo En» golismensi, qui præsens est, quod dico; quòd quidam ex » suis Parochianis excommunicatus ab eo, dum satisfacere nol» let, non poterat impetrare ab eo pœnitentiam, *qui sine li» centia sui Episcopi* Papæ Romano subripuit pœnitentiæ legem, » & litteras ex nomine ejus Episcopo detulit in Cœna Domini, » quibus Episcopum rogabat Apostolicus, quatenus illi pœni» tentiam, quam imposuerat, affirmaret. «

Post hæc subjungitur: » Episcopus verò intelligens fraudem, » ait homini: Versâ vice, quod ego debueram petere ab Apos» tolico, Apostolicus postulat à me. Non credere possum, » mandatum hoc ab eo exortum: tibi nihil utile est; & donec » aut *à me*, vel *ab hujus Sedis Archidiacono*, *me jubente*, *ac» cipias pœnitentiam*, permane in Excommunicatione, & eje» cit eum foras de Ecclesia. «

Patres hujus Synodi probantes resolutionem hujus Episcopi, dixerunt: » Hoc ab ipsis Apostolicis cautum tenemus, ut Pa» rochiano suo Episcopus, si pœnitentiam ponit, eumque Pa» pæ dirigit, ut judicet, utrum sit, an non pœnitentia digna » pro tali reatu; potest eam confirmare auctoritas Papæ, aut » levigare, aut super adjicere; judicium enim totius Ecclesiæ » in Apostolica Romana Sede constat.

» Item. Si Episcopus Parochianum suum testibus vel litteris » Apostolico ad pœnitentiam accipiendam direxerit, ut multo» ties pro gravissimis fieri solet reatibus, in quibus Episcopi ad » dignam hæsitant pœnitentiam imponendam, hinc talis licen» ter â Papa remedium sumere potest; nam *inconsulto* Episco» po suo ab Apostolico pœnitentiam, & absolutionem nemini » accipere licèt. Hæc fusiùs narrantur tom. 9. Concil gener. » pag. 908. & seq. «

Ex his habetur, quòd Episcopi eo tempore crediderunt, fas non esse Parochianis; inconsulto Episcopo ad Romanum Pontificem recursum habere pro obtinenda etiam gravissimorum criminum pœnitentia, aut absolutione.

Hinc consequens est, Episcopos nequaquam credidisse, etiam gravissimorum criminum pœnitentiam imponendam, aut eorum absolutionem Romanis Pontificibus reservatam, quandoquidem nemini suorum Parochianorum pro quocunque crimine permitterent inconsulto Episcopo ad Romanum Pontificem habere recursum.

Fatentur quidem Episcopi, quòd Parochiani cum testibus vel litteris ad pœnitentiam accipiendam Apostolico subinde dirigantur: verùm id non faciebant Episcopi ob defectum potestatis absolvendi hos criminum reos; sed duntaxat quia subinde hæsitabant, quâ pœnitentia similia crimina essent punienda; subjungitur enim in Actis, „ ut multoties pro gravissimis fieri so„ let reatibus, in quibus Episcopi ad dignam *hæsitant* pœniten„ tiam imponendam.“

IX. At circa seculum XI. cœperunt Episcopi ipsi nonnullos graviorum criminum reos ad Sedem Apostolicam mittere; idque vel ut à Pontifice reconciliarentur, vel ut à Pontifice Pœnitentia imponeretur; quâ demum peracta ab Episcopis absolverentur.

X. Nec tantùm in particulari aliquo casu Pœnitentes ad Sedem Apostolicam mittebant; sed subinde etiam generali decreto criminis alicujus reos non ab Episcopis, aut Archiepiscopis, sed à solo Pontifice absolvendos decernebant. Hoc verò hac ratione factum videtur, ut hac reservatione difficilior esset obti-

nen-

nendi à crimine commisso absolutionem occasio, atque hac difficultate à crimine committendo retraherentur.

De Concilio Londinensi habito anno 1143. à Wilhelmo Wintoniensi Episcopo loquens Matthæus Parisiensis asserit, sancitum ibi esse, & generaliter constitutum, » ne aliquis, qui » Ecclesiam, cœmeteriumque violaverit, vel in Clerico, aut » viro religioso manus injecerit violentas, ab alio quàm ipso Pa» pa possit absolvi.“

XI. Rationem hujus Decreti præmisit his verbis expressam: » Nullus enim honor vel reverentia ferebatur Dei Ecclesiæ vel » ejus Ordinatis à prædonibus sceleratis, sed æquè Clerici & » Laici capiebantur, redimebantur, & in vinculis tenebantur.“

Idipsum testatur Rogerius in Annalibus, qui relato superiori Decreto addit: » Unde Clericis aliquantulum serenitatis » vix tandem illuxit.“ Hæc tum Matthæi Parisiensis, tum Rogerii testimonia extant tomo 10. Concil. General. *col.* 1033.

XII. Quâ ratione difficultas obtinendæ absolutionis nata esset retrahere à committendo crimine Sedi Apostolicæ reservato facilè apparebit, si attendatur, quòd juxta disciplinam illius temporis, nemo à Pontifice absolutionem impetraret, nisi personaliter Pontifici se sistere, & ab eo Pœnitentiam accepisset; adeò ut vel ipsa itineris fatigatio pars Pœnitentiæ judicaretur. Exemplum suppeditat Epist. 160. Ivonis Carnotensis. Quidam Nobilis audacia inauditâ mutilaverat quendam religiosum Presbyterum; imposuerat ei Ivo 14. annorum Pœnitentiam, quam susceperat nobilis; sed cùm in decursu Pœnitentiæ iteratò institisset, ut pro sua adversus quendam suum inimicum defensione sibi liceret arma portare, Ivo tandem eum ad Pontificem Romanum pro indulgentia obtinenda remisit: » reservantes » itaque hanc indulgentiam Apostolicæ moderationi ad Apos» tolorum eum limina direximus, quatenus & fatigatione iti» neris hujus peccatum suum diluat, & apud pietatis vestræ » viscera misericordiam, quam Deus vobis inspiraverit, in» veniat.“

XII. Hac quoque de causa, qui personaliter Pontificem adire non poterant, ut v. g. Mulieres, valetudinarii, & similes, ab Episcopis absolvi poterant à censuris alias Pontifici reservatis, v. g. pro violenta injectione manuum in Clericum *Cap.* 6. & 13. ✠ *de Sent. Excom.*

XIV. Quo tempore Pontifices absolutionem à casibus sibi reservatis, inferioribus Presbyteris & Confessariis delegare cœperint, incertum est. Hoc constat, quòd seculo XV. pius ac doctus Gersonius desideraverit, ut hæc absolvendi facultas pluribus fuisset communicata; quo intelligitur, eo adhuc tempore parcè datam esse. Verba ejus sunt: » Saltem det facultatem Pa» pa absolvendi transgressores superioribus Monasteriorum, & » Ecclesiarum, ut quando dederit Dominus Spiritum compunc» tionis, inveniant promptum remedium, & non in desperationis » præcipitium ruant, pro difficultate Papam, vel suam curiam » adeundi.“ Apud Thomassinum *part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 70. *n.* 11.

Verùm, ut notavit Thomassinus, fateri oportet, quòd indulgendo, quod pio affectu desideravit Gersonius, & facilitando absolutionem illorum enormium criminum Papæ reservatorum, dirutum fuerit, quod de veteri pœnitentia supererat; rupta sunt fræna, quæ scelestos refrænabant; atque præcipua, ac fundamentalis ratio harum reservationum destructa est.

XV. Cæterum de his reservationibus Papalibus, quomodo scilicet postremis hisce seculis fuerunt multiplicatæ; Episcoporum, atque præsertim quoad crimina occulta, & aliorum inferiorum Confessariorum circa illas auctoritate, aliisque eo pertinentibus latiùs agetur part. 3. ubi de *censuris Papæ reservatis* tractabitur.

XVI. Docet Synodus Tridentina in citato decreto » magnoperè ad christiani populi disciplinam pertinere jam pridem » Patribus Sanctissimis visum esse, ut atrociora quædam, & » graviora crimina, non à quibusvis, sed à *Summis* duntaxat » Sacerdotibus absolverentur (m).

XVII. Hic autem reservationis effectus habetur primò ex eo quòd per criminum quorundam reservationem populo criminum horror aliquis major objiciatur; dum ea ob sui enormitatem *summis* Sacerdotibus reservata intelligit; atque ab iis absolvendi auctoritatem inferioribus Confessariis substractam.

XVIII. Secundò, dum populus intelligit crimen aliquod reservatum, ac per consequens eodem semel involutum, non posse per obvium quemcunque Confessarium ab eo absolvi; sed pro absolutione obtinenda ad Episcopum aliumve speciali auctoritate insignitum recurri, eique conscientiam suam pandere debere, natum est fieri, ut à crimine illo committendo aliquatenus saltem retrahatur. Notum enim est, quòd, sicut facilitas veniæ est incentivum delinquendi; ità è contrario difficultas veniæ minuat facilitatem peccandi.

XIX. Denique magnopere ad populi christiani disciplinam pertinet, ut morbis spiritualibus periti medici, atque congruentia pharmaca, & remedia adhibeantur.

Cùm verò compertum sit morbos, quò graviores sunt, peritiores requirere medicos, atque majore cum discretione remedia esse applicanda; etiam hoc titulo reservatio ad populi christiani disciplinam pertinet, quod graviora crimina, quæ sunt graviora animæ vulnera, non omnibus indifferenter spiritualibus Medicis curanda committantur; sed his curanda reserventur, qui præ reliquis peritiores in applicandis remediis, & morbis spiritualibus curandis creduntur.

XX. Ex his non obscurum est colligere, ad assequendum scopum, & finem reservationum à Patribus, & Ecclesia intentum, requiri imprimis in reservandis criminibus non modicam discretionem: ac imprimis, ut non ita reservationes multiplicentur, ut ex multiplicatione tandem earum auctoritas vilescat; nec ipsa reservatio consequenter ulterius peccatorum reservatorum enormitatem persuadeat, aut horrorem peccatorum incutiat.

XXI. Insuper, ut jam notatum est, præcipuus reservationum finis est, populum à peccatis per difficultatem obtinendæ absolutionis tanquam quodam fræno cohibere. Cùm ergo populus uno tempore, & uno loco ad certum peccatum sit proclivior quàm altero, sequitur, quòd subinde ad populi christiani disciplinam magnoperè pertinebit, unum idemque peccatum uno tempore, & uno loco reservari, quod alio tempore, aliove loco reservationem non exigit: eò quòd hoc tempore, vel hoc loco non ea sit ad hoc peccatum populi proclivitas, & peccati hujus frequentia, ut ab eo hoc reservationis fræno cohiberi debeat, aut conveniat.

XXII. Hanc in reservandis casibus Episcoporum prudentiam, ac discretionem ut necessariam supposuisse S. Carolum, ostendit ejus decretum in Concilio V. Mediolanensi *cap.* 10. his verbis expressum: » Cùm pro temporum varietate casuum » reservationem ab Episcopo aliquando mutari expediat, quò » planiùs illius casus ei reservatos Confessarii Sacerdotes per» petuò norint, eos Episcopus singulis annis, vel in Synodo » Diœcesana, vel ineunte Januario promulget, ità ut, quæ il» lorum casuum reservatio proximè facta est, vim habeat, quoad » altera fiet.“

XXIII. Ad hæc, ut hic effectus reservationum faciliùs & efficaciùs obtineretur, jam pridem Episcopi rarò admodum, & paucis facultatem à reservatis absolvendi indulgebant: sed sicuti eorum absolutionem sibi reservabant, ità quoque volebant, ut criminum rei à se absolutionem acciperent.

In Concilio Arelatensi anno 1260. *Can. XVI.* legitur, quòd propter *imbecillium* & *impotentium*, & *pauperum occupationes* & *penuriam*, aliquando per villas, & oppida consuevissent Episcopi *Pœnitentiarios* suos in Quadragesima destinare, qui eos à casibus, qui Majoribus reservabantur, absolverent; indicium haud obscurum, inferioribus Confessariis per villas & oppida constitutis facultatem à reservatis absolvendi non fuisse communicatam: neque Pœnitentiarios ab Episcopis destinatos potuisse quoslibet à casibus reservatis absolvere, at duntaxat illos, qui per impotentiam, aut penuriam ad Episcopum facilè accedere non poterant; quod ipsa Synodus clarissimis terminis in fine sui Canonis expressit: » Nec Prælati, ait, su» per casibus sibi reservatis, ad Parochianos suos Pœnitentia» rios destinent, nisi eos, qui *commodè* suos Prælatos adire non » possunt.“

XXIV. Rursus, ejusdem Provinciæ Synodus quinquenio post priorem, id est, anno 1265. congregata, postquam *Can. XII.* & *XIII.* plures casus Episcopis reservatos enumerâsset, tandem in fine Canonis XIII. inhibet, » quòd illi, qui » confessiones audiunt, se intromittere non debeant de abso» lutionibus peccatorum (reservatorum) nisi personæ, quæ in » aliquos prædictorum casuum inciderint, fuerint adeò senes » vel valetudinariæ, quòd ad Episcopos, vel eorum Pœniten» tiarios, venire non possint, vel nisi fuerint in mortis articulo » constitutæ. Et tunc eis nihilominus injungatur, quòd si re» cuperaverint sanitatem, pro prædictis se debeant Episcopo» rum aspectibus præsentare.“

XXV. Et sanè nisi Episcopi in deleganda hac potestate admodum fuerint moderati, ut eam non nisi paucis, iisque pietate, eruditione atque prudentiâ præcellentibus communicent, ipse reservationum usus omni suo frustrabitur effectu; quemadmodum hodie multis in locis nullum penè ejus fructum, & effectum videmus.

XXVI. Cùm verò nequaquam præsumendum sit, privilegia sive personis Regularibus sive Secularibus, vel confraternitatibus aut Ecclesiis à Sede Apostolica indulgeri cum disciplinæ ecclesiasticæ, atque auctoritatis Episcopalis destructione, aut immutatione; nequaquam verisimile est, privilegia à Sede Apos-

to-

(m) *Per hæc verba à* summis Sacerdotibus *Episcopos profecto intellexit Concilium, cujus Decretum confirmârunt summi Pontifices. Gregorius XIII. an.* 1577. *Clemens VIII. an.* 1601. *Paulus V. an.* 1617. *Urbanus VIII. an.* 1628. *Alexander VII. an.* 1659. *Clemens X. an.* 1670. *Quibus adde Clerum Gallicanum in tùm Conciliis Provincialibus, tum in suis generalibus Comitiis.*

tolica emanâsse, quibus potestas absolvendi à casibus Episcopis reservatis sub generalibus terminis Confessariis indulgeretur.

XXVII. Unde inter propositiones damnatas ab Alexand. VII. anno 1665. hæc ordine 12. refertur: » Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopo reservatis, non obtenta » ad id Episcoporum facultate.«

Et rursus in decreto ad Episcopum Andegavensem idem Pontifex hac propositionem: » Regulares habent potestatem absolvendi seculares à peccatis Episcopo reservatis, etiamsi » ab Episcopo auctoritas illa ipsis indulta non fuerit, damnavit, ut falsam, auctoritati Episcoporum & Sedis Apostolicæ » injuriosam.«

Eandem & Conventus Gallicanus in causa Episcopi Andegavensis jam ante reprobaverat.

XXVIII. Quin & S. Carolus Synod. Mediolanensis III. *tit.* 8. prohibens » ne Confessarii Regulares eorum peccatorum, quorum absolutio Episcopo reservata est, vinculis irretitos Pœnitentes absolvat.« Addit » Quemadmodum à Sede Apostolica declaratum est, id eis non licere, quavis privilegiorum » suorum auctoritate.«

Deinde in Concilio Mediolanensi V. *cap.* 10. ait: » Ab iis » verò casibus (reservatis) proximè promulgatis, si quis Confessarius *cujusvis Ordinis* sine facultate scripta, ab Episcopo » data, aliquem absolvere tentârit, excommunicationis pœnam » ipso facto subeat.«

XXIX. Et infrà: » Ne facultatum, privilegiorumque jura, quæ cuicunque etiam Rosarii, & cruce signatorum Scholæ, confratriæ, collegiove, etiam laicorum, quæve collegiis, » confratribusve in eo ascriptis ante, vel post Concilii Tridentini confirmationem concessa sunt; Confessarius, cujusvis Ordinis sit, ab iis casibus, quos sibi Episcopus in sua Diœcesi » reservaverit, pœnitentes sine illius facultate absolvat. Si contrafecerit, suspensionem à divinis ipso facto incurrat.«

XXX. Neque Confessarii habentes specialem facultatem à Pontifice absolvendi à casibus reservatis Sedi Apostolicæ, propterea censendi sunt habere facultatem absolvendi à reservatis Episcopo, tametsi reservati Episcopo essent quoque inter casus reservatos Sedi Apostolicæ.

Pontifex enim dans eam licentiam, tantum concedit licentiam ab illis casibus absolvendi, ut sibi reservatis; Episcopalem verò reservationem tangere non præsumitur, ut Episcopis sua integra maneat auctoritas; & ità habet Clemens X. in Bulla, quæ incipit, *Superna*; & Innocentium X. declarâsse Jacobo Boonem Archiepiscopo Mechliniensi testatur Bosco *tom.* 4. *disp.* 8. *de Ministro Pœnit. Sect.* 5. *conclus* 11.

XXXI. Porrò sicuti Episcopi possunt facultatem absolvendi á reservatis, restringere & modificare; ita quoque licentiam absolvendi à reservatis & quoad personas & casus. Quin & declarare quoddam speciale peccatum ob sui gravitatem non comprehendi sub generali licentia absolvendi à reservatis: quemadmodum in Congregatione Archipresbyterorum anno 1663. *artic.* 65. declaravit Archiepiscopus Mechliniensis, quòd » nullus Confessarius (extra mortis articulum) etiamsi aliàs habeat » potestatem absolvendi a casibus *reservatis*, absolutè possit à » peccato quolibet mortali & externo contra castitatem (si fortè id contingeret, quod Deus avertat) complicem in eodem secum peccato absolvere: quem proinde casum Illustrissimus Dominus respectu Confessarii complicis in casus reservatos refert, subtrahendo omnem ad id jurisdictionem, imò » etiam declarando, neminem ad istiusmodi casum censeri approbatum, & approbationes hactenus generaliter datas ita se » restringere, & pro restrictis haberi velle, & quatenus opus » est, ad istum omninò revocare restrictionis modum, statim à » publicatione hujus decreti, quam vult quam primum fieri per » Archipresbyteros in Congregatione Pastorum, atque ipse » Illustrissimus Dominus Religiosorum etiam Superioribus curabit intimari.«

XXXII. Cæterum, qui sint casus in singulis respectivè Diœcesibus reservati, videri poterit ex Synodis, & Pastoralibus seu Ritualibus singularum Diœcesium; præcipuè verò ac certiùs ex litteris approbationis confessariis dari solitis, in quibus casus tunc reservati referuntur. Conveniens autem erit, ut casuum illorum habitâ notitia, etiam subinde Parochus populo notificet casuum illorum reservationem; ut vel inde gravitatem criminum illorum concipiat; & horrorem aliquem de peccatis illis populo incutiat (n).

XXXIII. Meritò autem monet Synodus Gandensis *tit.* 5. *cap.* 6. ut, » qui à casibus reservatis absolvendi potestatem accepit, non ad destructionem, sed ad ædificationem eâ utatur, » exponendo Pœnitentibus gravitatem peccatorum, & convenientes satisfactiones, prout spiritus suggesserit, prudenter injungendo.« Idipsum innovatum est Decretis Synodalibus sub Antonio Triest. *tit.* 15. *cap.* 11.

* An quilibet Sacerdos in casu extremæ necessitatis jus habeat absolvendi ab omnibus reservatis, diu multumque à Theologis disputatum est: eam difficultatem solvisse videtur facultas Theologica Lovaniensis ann. 1565. in explicatione articulorum, qui ipsi eodem anno propositi sunt. En ejus verba in explicatione 3. art. pag. 100.

„ Jure divino jurisdictionem habet quilibet sacerdos quemlibet absolvendi ab universis peccatis in casu necessitatis. » Nam cùm Christus in necesariis non defuerit, Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ instituendo, sicut providet quòd in » mortis periculo, à quolibet etiam excommunicato, hæretico, » & schismatico quilibet cum fructu bautizari posset, non obstante quacunque censura, aut prohibitione; ita etiam dis» posuit, quòd in eodem casu à quolibet Sacerdote, licèt hæretico, aut excommunicato POSSIT A PECCATIS ABSOLVI, imò » debeat ei confiteri, & petere absolutionem, cùm utrumque » sit necessitatis Sacramentum, & jure divino præceptum. Propter quod probabilior est sententia Petri de Palude *dist.* 25. *in* » 4. *Sentent. quæst.* 1. & Sylvestri in verbo *Confessor*, 1. §. » *ult.* quòd ab excommunicato, hæretico, & pæciso liceat » suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, sicut Baptismum, quamvis non Sacram Eucharistiam, juxta cap. *Hermenegildus*, 24. » *quæst.* 1. *C. ult.* quod desumptum est ex 3. libro Dialogorum Beati Gregorii *cap.* 13. probabilior, inquam, est, quam „ sententia Glossæ *dist.* 32. *Præter hoc* in fine, facientis differentiam inter Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ in casu necessitatis, quoad quæstionem unde derivetur talis jurisdictio, & quomodo, an mediatè, an verò immediate à Christo: ad quam tamen, probabiliorem sententiam accedere videtur Gratianus *cap. ita Dominus*, *dist.* 19. & Major *in cap.* „ *Subdiaconis*, 24. *quæst* 1. & B. Thomas 3. *quæst.* 82. *art.* 7. „ *ad secundum*, & *in* 4. *Sententiarum*, *dist.* 19. *quæst.* 1. *art.* 2. „ Nam præcepta, & ordinationes Ecclesiæ semper cedere oportet, quando concurrunt cum præceptis Christi contrariis. „ Nulla igitur censura impedire potest, quin ab hæretico & „ excommunicato absolutio Sacramentalis accipi possit, & debeat, sicuti Baptismus in necessitate..... modò tamen seductionis non immineat verisimile periculum, ut respondet Joannis Capreolus (o).“

TITULUS VII.

De Indulgentiis.

CAPUT I.

DE VARRIIS INDULGENTIARUM SPECIEBUS, SIVE FORMULIS

1 *Indulgentiæ olim dictæ Remisiones.*
2 *Unde hoc nomen derivatum.*
3 *Prima species Indulgentiæ ex Apostolo.*
4 *Quam Apostolus Indulgentiam concesserit; & quare.*
5 *Describitur secunda Indulgentiæ species.*
6 *Tertia species Indulgentiæ ad preces Martyrum, & quomodo moribundis daretur.*
7 *Quomodo eis prodesset.*
8 *Etiam sanis & benè valentibus dabatur.*
9 *Quarta species Indulgentiæ propter opus laboriosum susceptum: & quæ hujus formula?*
10 *Insigne hujus exemplum sub Urbano.*
11 *Potius erat Pœnitentiæ commutatio, quàm Indulgentia.*
12 *Quare plurimi mallent hoc opus laboriosum suscipere, quàm Canonicam pœnitentiam agere.*
13 *Quomodo hæc Indulgentia occasionem dederit abrogationi Canon terlin Canonicum Regularem; hic à nostro Auctore inquisierat, an Sacerdos quilibet excommunicatus jus habeat in casu necessitatis absolvendi ab omnibus casibus reservatis. Hæc Epistola asservatur in Bibliothecæ Sanctæ Genovefæ.*

(n) *Quos casus Superiores Regulares reservare possint, docet Clemens VIII. in Decreto, quòd incipit* Sanctissimus, *dato* 26. *Maii* 1593.

(o) *Supra relata desumpta sunt ex epistola, quam D. Van Espen conscripsit die* 26. *Maii ann.* 1699. *ad Rev. Patrem Es-*

nonum Pœnitentialium.

14 *Quinta species Indulgentiæ ex præcedenti orta.*

15 *Formula hujus Indulgentiæ; & quomodo hæc Indulgentia sensim extensa.*

16 *Hæc Indulgentia dicta à sua origine* relaxatio *pœnitentiarum Canonicarum; & quare.*

17 *Hujus Indulgentiæ usus demum seculo XI. cœpit.*

18 *Episcopi mox admodum liberales fuêre in concedenda hac Indulgentia.*

19 *Non extat hujus Indulgentialis formulæ monumentum ante seculum XI.*

20 *Quidam credunt similem Indulgentiam concessam à S. Gregorio; sed erroneè.*

21 *Quæ erroris occasio.*

22 *Nonnulli credunt concessam à Leone III. auctoritate epistolæ S. Ludgeri.*

23 *Hujus epistolæ fictio ostenditur.*

24 *Indulgentia falsò adscripta Sergio II. & quæ falsitatis origo.*

25 *Indulgentiæ S. Sylvestro sine fundamento adscriptæ.*

26 *Nullus Catholicus asserit usum Indulgentiarum primùm seculo XI. cœpisse; sed fatentur verum, quod Tridentinum dixit, & professio fidei exprimit.*

27 *Multa circa Indulgentias à Theologis moventur & traduntur; sed pauca certitudinem fidei attingunt.*

I. NOmen *Indulgentia* derivatur à verbo *indulgere*, atque idem valet, quòd aliquid remittere, seu relaxare. Unde quod hodiè phrasi Ecclesiæ dicitur *Indulgentia*, olim frequentiùs dicebatur *remissio*, atque inde titulus Decretalium *de Pœnitentis*, & REMISSIONIBUS.

Et in Cap. 4. *de Pœnit. & Remissionibus*, scribit ad Archiepiscopum Cantuariensen Alexander III. » Quod autem con» suluisti, utrum *remissiones*, quæ fiunt in Dedicationibus Ec» clesiarum, aut conferentibus ad ædificationem Pontium, aliis » prosit quàm his, qui remittentibus subsunt. Hoc volumus » Tuam Fraternitatem tenere, quòd cùm à non suo judice liga» ri nullus valeat, vel absolvi, remissiones prædictas prodesse » tantummodò arbitramur, quibus ut prosint, proprii judices » specialiter indulserunt. «

Hîc à Pontifice vocari *remissiones*, quæ hodiè dicuntur *Indulgentiæ*, evidens est ex ipso contextu.

II. Videtur autem Ecclesia nomen hoc derivâsse ab usu veterum Imperatorum, & Juris consultorum: siquidem illi *Indulgentiam* solemni, proprioque vocabulo appellant *remissionem* generalem criminum, quam aliquando Principes seculi publicæ lætitiæ causâ faciebant, quemamodum videri potest in Condice Theodosiano titulo, *de Indulgentiis criminum*; ac nominatim videre est in *leg.* 3. Indulgentiam fuisse *remissionem* criminum, quoad solam pœnam legibus debitam. Hoc pluribus ostendit Bellarminus *lib.* 1. *de Indulg. cap.* 1.

III. Prima eaque antiquissima est illa, quâ usus est Apostolus erga incestuosum Corinthium his verbis expressa: » Suffi» cit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus; » ità ut è contrario magis donetis, & consolemini, ne fortè » *abundantiori tristitiâ absorbeatur*, qui ejusmodi est. Propter » quod obsecro vos, ut *confirmetis* in illum *charitatem*..... Cui » autem aliquid donâstis, & ego: Nam & ego, quod donavi, » propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur à » Sathana: Non enim ignoramus cogitationes ejus. « 2. » *Corinth.* 2.

De quo hîc loquitur Apostolus, est incestuosus ille Corinthius, quem ob fornicationem, qualis nec inter gentes audiebatur, commissam, tradiderat sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus esset in die Domini nostri Jesu Christi; quemadmodum in priore sua Epistola ad Corinthios *cap.* 5. scripserat.

Hunc igitur vult à Corinthiis in gratiam, ac communionem nunc recipi; non quòd jam *totaliter* satisfecisset atque pœnam tanto crimini debitam integram persolvisset; sed ei indulgeri voluit, quod agendum supererat, *ne abundantiori tristitia absorbeatur.* » Nam quamvis peccatum confessus fuerit, ipsiusque » pœnituerit: ostendit tamen eum, non tam pœnitentiæ opera, » quàm gratia & beneficio veniam consequi, ait S. Chrysosto» mus *Homilia* 4. *in epistolam* 2. *ad Corinth.* Et subdit: ob » idque ait, DONETIS & *consolemini.* Et quod sequitur, idem » declarat. Non enim, inquit, quòd id promereatur, nec quòd » eam, quam par sit, pœnitentiam præstiterit; sed quia *infir*» *mus* est, idcircò hoc peto. Unde etiam » subjunxit: *Ne fortè* » *abundantiori tristitiâ absorbeatur, qui est ejusmodi.* Quæ ver» ba sunt hominis magnæ pœnitentiæ testimonium ipsi tribuen» tis, nec eum in desperationem ruere sinentis. «

IV. Itaque ob incestuosi hujus infirmitatem, & ne diuturniori ac acerbiori pœnitentiâ gravatus abundantiori tristitiâ absorbeatur; atque forsan in desperationem adigatur, voluit Apostolus ei aliquid donari sive indulgeri; ut nimirum illum ante peractam totalem pœnitentiam gratiam, & communionem recipiant.

V. Secunda species Indulgentiæ est, de qua loquitur Synodus Nicæna *Can. XI.* & Ancyrana *Can. IV. & V.* aliique veteres Canones decernentes, ut Episcopi modo conversationis ipsorum Pœnitentium considerato, potestatem habeant, vel clementia utendi, vel plus temporis adjiciendi: quemadmodum titulo præcedenti *cap.* 3. ostensum est.

Licuit ergo, uti rectè Suaresius *Disp.* 49. *de Indulg. sect.* 3. *num.* 1. » Episcopis ex Canonicis pœnitentiis publicis, quæ pro » diversis criminibus imponi solebant, aliquid Pœnitentibus re» mittere, si eorum vita & laudabilis conversatio id mereretur. « Hæc ille, qui ibidem fatetur ex illis Canonibus, pro astruendis indulgentiis nihil amplius *efficaciter* elici posse. Quin tamen hæc Episcoporum remissio, seu relaxatio, aut mitigatio dici possit quædam species Indulgentiæ dubitari nequit: cùm revera pœnitentibus per Episcopos aliquid remitteretur sive indulgeretur.

VI. Tertia species *Indulgentiæ* occurrit apud Veteres & præsertim apud S. Cyprianum; quæ dabatur ab Episcopis ad preces & intercessionem Martyrum.

De hac Indulgentia hæc scribit S. Cyprianus *epist.* 15. » Si » qui libello à Martyribus accepto de seculo excederent, exo» mologesi facta, & manu eis in pœnitentiam impositâ cum pa» ce sibi *à Martiribus* promissâ ad Dominum remitterentur. « Hoc est, lapsi in idololatriam, etiamsi *vita durante Pœnitentes non fuerint*, nec pœnitentiam *petierint*, si periculo mortis urgente pœnitentiam cum lachrymis & magno affectu desideraverint, eis hæc *indulgebatur*; manu in pœnitentiam imposita *cum pace*, id est, reconciliati ad Dominum dimittebantur, si modo *libellis* Martyrum essent muniti. Hoc œconomicè sive per Indulgentiam in favorem Martyrum decretum fuisse scribit Cyprianus.

VII. Neque id exiguum erat Martyrum privilegium. Juxta canonicam enim disciplinam illius ætatis, qui sanus pœnitentiam neglexerat, eam nec in vitæ periculo constitutus accipiebat, sed sine reconciliatione è vita migrabat; uti latè probat Morinus *lib.* 9. *cap.* 24. ibidem ostendens, quòd ante hoc œconomicum ac dispensatorium decretum nunquam moribundis illis *pax* seu reconciliatio data fuerit ab Episcopis, qui sani nunquam pœnitentiam egerant, aut petierant: & illud primùm in favorem lapsorum & Martyrum à S. Cypriano & Episcopis Africanis, ac postmodum à Clero Romano inductum fuisse.

VIII. Nequaquam tamen hoc solum fuit Martyrum privilegium; neque hæc sola indulgentia, intuitu precum & libellorum Martyrum Pœnitentibus data. Certum enim est, etiam sanis ac benè valentibus pœnitentibus ob preces Martyrum, concessam fuisse aliquam indulgentiam; uti ex epistolis S. Cypriani probat Morinus *lib.* 9. *cap.* 24. & ostendetur capite sequenti, ubi exponendum erit, qua cautione & moderatione hæc indulgentia ab Episcopis daretur; & quid à Martyribus observatum vellent in datione Libellorum.

IX. Quarta species Indulgentiæ dici potest illa pœnitentiarum sive pœnarum remissio, quæ seculo X. fieri cœpit intuitu alicujus operis laboriosi propter evidentem, aut apparentem Ecclesiæ utilitatem suscepti

Indulgentia illa proponi solebat hac ferè formula: » Qui hoc » opus egerit, aut, ut peragatur, pro viribus annixus fuerit, » peccatorum omnium remissionem consequatur. «

Magnum illud opus ferè semper fuit, arma contra Ethnicos, Hæreticos, aut Schismaticos ferre; vel si ipse per se ferre non posset, suis sumptibus alere qui ferret.

X. Insigne & memorabile hujus Indulgentiæ sive remissionis exemplum fuit expeditio Hierosolymitana hortante Urbano II. à Gallis anno 1096. suscepta, & descripta à Guilelmo Tyrio de *Bello Sacro, libro* 1. relata exhortatione Urbani II. ad hanc expeditionem suscipiendam, subjicit verba, quibus suam exhortationem finiebat Pontifex: » Nos autem misericordia Dei & » Beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, fi» delibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, & onus » sibi hujus peregrinationis assumpserint, immensas pro suis » delictis pœnitentias relaxamus: Qui autem in vera pœniten» tia decesserint, & peccatorum indulgentiam, & fructum æter» næ mercedis se non dubitent habituros. «

Hæc exhortatio habita fertur à Pontifice in Concilio Claromontano, in quo etiam hic Canon conditus est: » Quicunque pro » *sola devotione*, non pro honoris vel pecuniæ adeptione, ad li» berandam Ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit, *iter illud* » pro *omni pœnitentia* ei reputetur. «

Hanc indulgentiam, seu remissionem plures sequentes Pontifices confirmârunt, uti ostendit Morinus *lib.* 10. *cap.* 19.

XI. Si hujus expeditionis labores, expensæ, itineris molestiæ, patriæ familiæque abdicatio, aliaque his adjuncta incommoda expendantur, facilè apparebit, quòd expeditio hæc longissimis Pœnitentiis non immeritò æquiparari possit; ac proindè quæ

hanc

hanc expeditionem Pœnitentiis canonicis permutabant, non χρύσια χάλκιων (p) sed paria paribus rependebant.

XII. Quia tamen hanc expedionem susciperent omnis generis homines, etiam innocentissimi, ex sola devotione, aut spiritu voluntariæ pœnitentiæ, tegebatur hoc titulo ipsa criminis professio, quæ aliàs Pœnitentiæ canocicæ præsertim *publicè* peragendæ annexa videbatur: ac propterea peccatores publici hanc expeditionem præ canonica pœnitentia eligebant.

Adhæc notum est, quàm multos ad suscipiendas peregrinationes, quantumvis laboriosas, & periculosas, ac dispendiosas incitet curiositas, præsertim si specie religionis insuper velari queat; ipsæque peregrinationes etiam ab honestioribus suscipiantur, & laudentur, imò tanquam ad opus admodum pium suscipiendum Superiorum exhortatio accedat.

Denique si hominum secularium genius attendatur, videbitur, quomodo sese militiæ potiùs, tametsi cum summo discrimine, magnisque incommodis, addicant, quàm duriusculam aliquam pœnitentiam à Sacerdotibus impositam acceptare, & sub Sacerdotum directione peragere velint.

Hæc si quis expenderit, non mirabitur adeo ingentem multitudinem hanc expeditionem suscepisse, exhortantibus præsertim Pontificibus & Episcopis, atque omnium peccatorum & integræ pœnitentiæ remissionem addicentibus, ut de hac multitudine scribens S. Bernardus *epist.* 246. dicat: » Vacuantur Urbes & eas» tella, & penè jam non inveniunt quem apprehendant septem mu» lieres virum unum, adeò ubique viduæ vivis remanent viris.«

XII. Hinc ulteriùs colligitur, qua ratione hæc indulgentia sive potiùs Pœnitentiæ canonicæ commutatio, occasio fuerit abrogationis pœnitentiæ canonicæ, & canonum Pœnitentialium, dum plerique omissa canonica Pœnitentia expeditionem hanc suscipiebant.

Sed hæc abrogatio majus incrementum adhuc cœpit, quando ea remissio etiam facta fuit iis, qui cùm legitimè impediti *personaliter* ad expeditionem non pergebant, saltem militem suis sumptibus eò mittebant, & alebant. Quis enim hos sumptus ferre non maluisset, quàm multorum annorum laboriosam illam pœnitentiam ad præscriptum Canonum subire?

XIV. Ex hac indulgentia altera secuta est remissionis seu Indulgentiæ species sive formula.

Cùm enim jam invaluisset & persuasum esset, licere integram pœnitentiam remitere, & omnium peccatorum remissionem dare iis, qui pecuniam contulissent in expeditionem contra infideles, aut Hæreticos, non apparebat, cur non liceret quoque integram aut saltem partem pœnitentiæ remittere illi, qui eleemosynam conferret in aliud pium opus, v. gr. ædificationem aut reparationem Ecclesiæ, Monasterii, Hospitalis, alteriusve ædificii Ecclesiastici.

XV. Formula hujus Indulgentiæ erat: » Quid denarium in » ædificationem, aut reparationem hujus Ecclesiæ, aut Oratorii » contulerit, tertiam, vel quartam &c. partem pœnitentiarum im» ponendarum illi in Domino relaxamus.«

Ita refert Morinus *lib.* 10. *cap.* 20. *num.* 2. qui & ibidem monet, quòd eodem tempore extensa fuerit ista relaxatio ad res seculares, pontium, itinerum, rerumque similium refectionem.

Denique Indulgentia hæc extensa fuit ad alia pietatis opera, v. gr. visitationem alicujus Ecclesiæ cum obligatione ibidem orandi ad intentionem concendentis Indulgentiam, & tenorem Bullæ indulgentialis.

XVI. Notat Morinus, quòd » hæc relaxatio meritò dici pos» sit causa remissarum, & tandem absolutarum pœnitentiarum » canonicarum. Quis enim longissimis, & durissimis pœnitentiis » noctu, diuque incumbere velit, qui uno denario, aut etiam » obolo juxta Episcopi mandatum erogato, tertiæ pœnitentiarum » canonicarum parti summa quadrantis satisfacit, & triplicato de» nario totam summam albo expungit? Quidquid subtiliter dica» tur, & disputetur, hoc axiomate posito difficillimè pœnitentiæ » canonicæ actio persuadebitur, cùm ad se ab ea redimendum » tam facile & parabile unicuique præstò semper sit remedium. » Stupidismus quisque ad hanc consequentiam intelligendam ido» neus est. Quis verò, quæ contra subtiliter opponi possunt, ani» mo capit? Hoc paulo post demonstravit experientia, & in hunc » usque diem demonstrat.«

XVII. Hactenus Morinus *lib.* 10. *cap.* 20. *num.* 3. & qui *num.* 8. advertit, hunc remissionum usum demum circa tempora Petri Cantoris, id est, circa medium seculi XII. ortum habuisse; » brevî tamen, licèt multi contradicerent, alii variè de iis, » earumque effectu dubitarent, magnos progressus fecisse. Nec » hoc creditu difficile est, cùm lucrum temporale, & maxima » commoda in Ecclesiarum fabricas, & Episcopos hinc redundent.«

XVIII. Advertit insuper ex verbis Petri Cantoris, priva» tos Episcopos certatim hanc consuetudinem stabiliisse; sed » cùm scribebat Cantor, Romanos Pontifices eam, quantum » ille rescire potuit, nondum vulgò usurpâsse, & pœnitentiæ » actionem huic relaxationi longè prætulisse.«

XIX. Circa Epocham exortæ hujus Indulgentialis formulæ Eruditi passim Morino assentiuntur; atque fatentur, nullum authenticum illius monumentum seculo duodecimo antiquius hactenus repertum esse.

XX. Scribit quidem Guillelmus Altisiodorensis in Summa *lib.* 4. *tract.* 6. *cap.* 9. » Sanctus Gregorius instituit Romæ ejus» modi relaxationes (nimirum quæ dantur visitantibus Ecclesias » Stationum) & si aliquis est Romæ per Quadragesimam, ha» bet de relaxationibus plusquam quinquaginta annos.« Plures celebres Scholastici idipsum post Altisioderensem scripserunt; & in probationem hujus Indulgentialis formulæ adduxerunt.

Sed uti advertit Morinus apud S. Gregorium, ista nunquam occurrunt, nec quid aliud, quod aliquatenus id confirmet. Et si hujusmodi Indulgentiarum formula usitata fuisset tempore S. Gregorii, indubiè ob suam commoditatem & utilitatem frequentissima fuisset; cùm tamen nec eo tempore, nec multis ante & post seculis ulla memoria, ullum vestigium, ulla umbra illius occurat.

Ad auctoritatem Scholasticorum, qui fidem Altisiodorensis secuti sunt, respondet: » Quis nescit, qua critice valerent in » antiquis operibus discernendis, & dispungendis plerique isto» rum seculorum auctores?«

XXI. Admodum verisimile est, hunc Scholasticos vulgarem, qui tunc erat, errorem secutos fuisse.

Cùm enim seculo XIII. Pontifices soliti essent dare aliquas *Indulgentias* Ecclesias Stationarias visitantibus; atque apud Joannem Diaconum legeretur, Sanctum Gregorium *Stationes per Basilicas vel Beatorum Martyrum cœmeteria ordinâsse*, vulgus ex præsentibus de præteritis judicans, supposuit, Sanctum Gregorium Stationes ordinando, etiam Indulgentias concessisse; quemadmodum à posterioribus Pontificibus factum viderat.

Scholastici, qui facta non examinabant juxta regulas historiæ aut critices, sed ad sua principia Theologica, facilè recipiebant quidquid vulgo credebatur, modò principiis sui Thologicis haud repugnaret.

XXII. Nonnulli cum Baronio credunt à Leone III. sub initium seculi IX. indulgentias similes concessas: idque ex fide epistolæ S. Ludgeri Episcopi Monasteriensis, quæ extat ad calcem vitæ S. Ludgeri ad diem 26. Martii apud Bollandum: in qua scribitur, Leonem III. anno 803. venisse ad Carolum. M. multas Ecclesias, Capellas & Altaria consecrâsse, *ubique Indulgentias concedendo*; ac dein Leonem Papam cum Carolo Imperatore Verdam se contulisse, ac ibidem S. Swibertum in Catalogum Sanctorum retulisse: *Obtulit autem*, ait, *idem Sanctus Papa eidem Ecclesiæ* SPECIALES INDULGENTIAS *cunctis Fidelibus celebrantibus festum S. Swiberti, & ad divina confluentibus.*

XXIII. Verùm hujus epistolæ fides ob varia, quæ in ipsa occurrunt, apud Eruditos non tantùm vacillat; sed uno penè consensu judicatur conficta, & S. Ludgero ab aliquo recentiore supposita.

Imprimis enim ipsa S. Swiberti Canonizatio eo modo & ordine enarratur, quo nunc & ab annis quadringentis celebrari solet. Certum est autem, hanc celebritatem trecentis & minùs annis post Leonem III. cœpisse: usque ad illud tempus enim simplex admodum erat Canonizationis ritus; de quo vide dicta *part.* 1. *tit.* 22. *cap.* 1. (q)

Adhæc auctor hujus epistolæ sæpiùs recitat Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales, & Proceres Pontifici assistentes, sed semper primo loco Cardinales collocat contra morem illius temporis & seculorum sequentium, ait Morinus *lib.* 10. *cap.* 20. *num.* 11. qui ibidem plura illius Epistolæ suppositionis indicia allegat; atque ex iis instituere non dubitat, „eam esse confictam „ ante trecentos annos, aut ut maximè quadringentos nomine S. „ Ludgeri ab aliquo Verdensi Monacho in sui Monasterii com„ modum & gloriam.«

XXIV. Pro antiquitate harum Indulgentiarum allegat quoque Baronius, aliique eum sequuti quendam antiquum marmoreum lapidem, qui Romæ in Ecclesia SS. Sylvestri & Martini extat; in quo lapide insculptum legitur, à Sergio Papâ varia Sanctorum Corpora ibidem fuisse recondita; additurque: „ Et „ dictus Pontifex concessit singulis, ut ad hanc Ecclesiam venien„tibus, in festivitatibus istorum Sanctorum *tres annos, & tres quaa„ dragenas de vera Indulgentia.*«

Verùm cùm in lapide non notetur æra positionis aut insculptionis; quis dicet, hunc lapidem positum fuisse, aut sculpturam factam tempore hujus Pontificis? aut si lapis aliquis positus fuerit & inscriptio facta; quis scit, an successu temporis lapide trito, & litteris exesis, lapis renovatus & inscriptio alia insculpta non fuerit? præsertim, quia Anastasius Bibliothecarius in vita hujus Pontificis referens hunc Pontificem, Ecclesiam in meliorem & pulchriorem statum à fundamentis perfecisse; atque in eadem ipsum plura Sanctorum (quorum nomina exprimit) corpora condi-

(p) *Id est, non aurea pro æreis permutabant:*

(q) *Legatur quoque quid hac de re scripserit eruditus Pontifex Benedictus XIV. opere quod de Canonizatione Sanctorum scripsit, quod absolvit, antequam Pontificia dignitate insigneretur.*

didisse; nullam tamen *Indulgentiarum* faciens mentionem; necnon alia nonnulla ità refert, ut non obscurum sit, manu recentiore nonnulla addita fuisse ab eo, qui lapidem posuit, & scriptionem cudit: quemadmodum pluribus probat R. P. Papebrochius *in Propyleo ad acta Sanctorum mensis Maii*, *dissert.* 17.

XXV. Indulgentiæ plenariæ, quæ à S. Sylvestro concessæ dicuntur visitantibus Ecclesiam Lateranensem, nullam apud eruditos fidem merentur.

Quid enim Sylvester Papa ad ornatum Basilicarum Romanarum suo tempore, & suasu structarum contulerit, fusissimè prosequitur Anastasius Bibliothecarius; sed nec hic nec alius fide dignus Historicus, antiquus aut novus meminit *Indulgentiæ plenariæ*, quam omnibus ad Lateranensem Basilicam venientibus largitus sit; quemadmodum in magna tabula Basilicæ istius hodie inscriptum est. Argumentum sanè, tametsi negativum, vel solùm sufficiens ad falsitatem illarum *Indulgentiarum* convincendam, licèt nec alia positiva desint illius falsitatis argumenta.

Anastasius enim, qui omnia donaria à Sylvestro Basilicæ isti collata retulit, potestne præsumi rationabiliter, fuisse silentio præteriturus donarium hoc *plenariarum Indulgentiarum*, tanto quàm aliorum donariorum pretiosiorem thesaurum?

Firmum itaque manet Morino, quem Eruditiores plerique hodie sequuntur, ante seculum saltem XI. hujusmodi formulas Indulgentiarum nec Episcopis, multò minùs Romanis Pontificibus usitatas fuisse.

XXVI. At hinc nemo concludat, Morinum, ullumve Catholicum credere, Indulgentiarum usum duntaxat seculo XI. in Ecclesia notum fuisse; aut potestatem concedendi Indulgentias ab Episcopis & Pontificibus illo seculo usurpatam.

Omnes enim Catholici libenter fatentur, *Indulgentiarum potestatem à Christo in Ecclesia relictam esse*; *illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse*: uti habet hodierna Professio Fidei; atque unà cum Synodo Tridentina in Decreto *de Indulgentiis*, eos damnant, *qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.*

Verùm quâ forma, & modo concessæ jam pridem fuerint; aut quando primùm hæc, aliave formula usitari cœperit, ad disciplinam, historiamque, nequaquam ad fidem pertinere dicunt.

XXVII. Similiter de causa ex parte dantis, de dispositione ex parte lucrantium, aliisque similibus, jam pridem, uti & hodie multæ, præsertim à Theologis quæstiones, salvâ fide agitantur & discutiuntur; quæ quia ad dogmata magis, quàm ad disciplinam, aut historiam spectant, eas, ne falcem in messem alienam mittam, Theologis relinquo, intra materiam disciplinæ & historiæ me concludens: præsertim quia pauca, quæ à Scholasticis in hac materia Indulgentiarum agitantur, aut traduntur ad certitudinem Fidei & doctrinam Ecclesiæ Catholicæ pertingunt; uti ostendit Veronius in *Regula Fidei* à Walleburgicis probata & adoptata, ac sufficienter insinuat Episcopus Meldensis in Expositione doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ à variis Cardinalibus, Episcopis, & Prælatis, necnon speciali Brevi Innocentii XI. probata, ac laudata, in qua de Indulgentiis tanquam doctrinam Ecclesiæ Catholicæ hæc duntaxat proponit: » Cùm aspera peccatoribus, & laboriosa opera injungit, iique » illa submisso animo subeunt, ea dicitur satisfactio: cum autem propter eximiam Pœnitentium pietatem, aliave bona opera, quæ iis ipsa præscripserit, è debita aliquid ipsis pœna remittit, ea dicitur Indulgentia. Nihil aliud de Indulgentiis credendum proponit Tridentina Synodus, quàm *potestatem eas conferendi à Christo Ecclesiæ concessam esse, earumque usum esse salutarem.* Additque: *retinendum illum, adhibita tamen moderatione, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur.*« Unde patet, Indulgentiarum dispensandarum modum ad disciplinam pertinere.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT I.

ITERUM DISCUTIUNTUR VARIÆ INDULGENTIARUM SPECIES, EARUM EFFECTUS, ET INCOMMODA EXPONUNTUR.

1 *De diuturnitate temporis, quo viguit indulgentiæ species Conciliis Nicæno & Ancyrano exposita.*
2 *Seculo IX. inclinante invaluit usus Canonicas pœnitentias redimendi precibus, & eleemosynis.*
3 *Species indulgentiarum, & pœnitentiarum seculis XI. XII. &c. usitatæ.*
4 *Antiquis Patribus ignotæ.*
5 *Pœnitentiam publicam antiquis Canonibus statutam extinserunt.*
6 *Hujus mutationis rationes fusiùs expositæ à Guillelmo Parisiensi.*
7 *Breviùs relatæ à D. Fleury historico cum ejus observationibus.*
8 *Antiquitas indulgentiarum stationariarum discutitur.*
9 *In Concilio Tridentino de materia indulgentiarum disputatum est.*
10 *Quid hac de re definitum fuerit.*
11 *Doctissimi Bossuet Episcopi Meldensis sententia refertur.*
12 *Limites, quibus contineri debent Theologi, ubi de indulgentiis disputant.*

I. *SUperiori capite *numero* 5. exposita est indulgentiarum species, quam Patres Niceni, & Ancyrani suis Canonibus IV. seculo expresserunt. Ea quoque sequentibus proximè seculis nota fuisse videtur: sub medium seculi IX. in usu fuisse constat ex Synodo Regiaticina, seu potius in urbe Regia Ticino celebrata anno 850. uti præfert titulus tom. 8. Conciliorum Generalium *col.* 61. in qua decernitur, » quòd oporteat » per oppida singula villasque curam gerere Presbyteros, qua» liter Pœnitentes impositam sibi abstinentiæ formam custodiant, » & utrum eleemosynam largiantur, vel aliis remissionem pecca» torum promerentibus piis operibus inserviant, & quâ cordis » contritione vel lamentatione seipsos afficiant, ut hac conside» ratione pœnitudinis tempus rationalem possit accipere termi» num, & vel extendatur, si pœnitens negligenter injuncta » prosecutus est, vel brevietur, si desideranter veniæ placatio» nem studuit promereri.«

Si hæc erga pœnitentes hodie esset Presbyterorum cura & vigilantia, eaque moderatione tempora pœnitentiæ, ejusque opera abbreviarentur, in dubiè major appareret indulgentiarum & pœnitentiarum fructus, scilicet vera peccatorum conversio.

II. Verùm ea Presbyterorum vigilantia in imponendis, & exigendis pœnitentiis sensim sine sensu deferbuit. Labente seculo IX. invaluit usus canonicas pœnitentias redimendi piis quibusdam operibus, quales erant preces vocales, eleemosynæ pauperibus datæ: redemptionem factam precibus & eleemosynis recenset Concilium Triburiense ann. 895. celebratum. De iis Abbas Regino in veteri Collectione, quam Morinus manuscriptam vidit, hæc habet: „ Si quis non potuerit jejunare, & „ habuerit unde possit redimere; si dives fuerit, pro septem „ hebdomadibus det solidos viginti: si non habuerit tantum un„ de dare possit, det solidos decem, si autem multùm pauper „ fuerit, det solidos tres..... pro uno mense, quod in pane & „ aqua pœnitere debet aliquis, psalmos decantet mille ducen„ tos genu flexo, & si non genu flexo, mille sexcentos & oc„ toginta.“

III. Ea pœnitentiarum redemptio dedit occasionem redimendi peregrinationibus satisfactionem publicam; quapropter exeunte seculo XI. adæquata satisfactionis canonicæ relaxatio, iis indulta est, qui peregrinationem, seu expeditionem Hierosolymitanam contra Sarracenos aggrederentur.

Circa XII. seculum pœnitentia publica redimi cœpit pecuniis ad ædificationem Templorum datis. Hâc via Mauritius Episcopus Parisiensis ingens illud, quod Parisiis templum visitur, B. Virgini Mariæ extruxit. Onere etiam pœnitentiarum Canonicarum levabantur, qui in propria cute flagellationibus cædebantur, aut qui aliis pecunias dabant, aut eos precabantur, ut isti pro ipsis se flagro verberarent. Hac de re legatur vita S. Dominici Loricati, quam Petrus Damianus Auctor coetaneus elucubravit: testatur enim, quòd B. Dominicus aliorum pœnitentiam trium aut ampliùs annorum redimeret seipsum flagellando, ita ut uno quoque die semel aut bis Psalterium recitaret, sibi utraque manu acciduando continua flagella. Id enim Petrus Damianus asserit *cap.* 7. ubi expressè docet novam pœnitentias computandi rationem, & quomodo quinquaginta, vel centum annorum satisfactiones paucis diebus redimerentur (r).

IV. Ecclesia enim permisserat quidem arbitrio & discretioni Episcoporum abbreviare tempora pœnitentiæ, vel ejus opera mitigare, aut in alia commutare, prout id saluti pœnitentium pro eorum conditione congruere videretur, exemplo Apostoli rogantis Corinthios mitius & indulgentiùs agere cum incestuoso, ne *nimia tristitia absorberetur*: sed ut pro uno, eodemque opere omnibus indifferenter pœnitentibus partialis vel totalis pœnitentiæ remissio, sive indulgentia addiceretur, pristinis Patribus fuit ignotum, & uti observabit Dominus Claudius Fleury in suo sexto discursu historico *num.* 2. id & disciplinæ pœnitentiali in Ecclesia hactenus conservasæ erat contrarium.

V. Antea observaverat Morinus *lib.* 10. *de Pœnitent.* quòd formula indulgentialis, quâ pœnitentiæ remissio promittebatur his, qui eleemosynas conferrent in pium, aut etiam publicum aliquod opus, vel Ecclesias certis diebus visitarent, præscriptas preces ibidem recitaturi, fuerit canonicarum pœnitentiarum om-

(r) *Quæ* num. 2. & 3. *relata sunt de redemptione pœnitentiarum, ea fuerunt excepta ex Epistola, quam D. Van Espen Van Espen Jur. Eccles. Pars II. die* 21. *Octobris ann.* 1699. *ad R. P. Esterlin scripsit, ut legitur in autographo, quod in Biblioth. S. Genovefæ asservatur.*

omnimoda abolitio, & Canonum Pœnitentialium obliteratio.

VI. Rationes, quibus ejus temporis Doctores eam indulgentialem formulam hactenus ignotam sustinerent, exponit Guillelmus Episcopus Parisiensis in tract. de Sacramento Ordinis *cap.* 13. *tom.* 1. *operum*, *pag.* 551. Edit. Londinensis *anni* 1674.

Imprimis pro fundamento harum indulgentiarum ponit, » quòd, cujus potestas est Pœnitentiales satisfactiones injungere, » ejusdem est eas augere, minuere, & mutare, prout ad Dei » honorificentiam, & animarum salutem, & ad publicam & » specialem utilitatem viderit expedire."

Hoc præmisso fundamento concludit: » Quare & pœniten- » tialem in eleemosynas & orationes, & in omne, quod Deo » magis acceptum viderit esse, licitum est Prælato, suæque po- » testatis est & officii mutare, prout ipsi pœnitenti aut patriæ, » aut toti Ecclesiæ viderit expedire."

Post hæc descendens ad ea, quæ in litteris sive formulis indulgentialibus fidelibus pro demerenda indulgentia injungi solebant, puta eleemosynas in ædificationem vel refectionem, vel etiam ornatum alicujus Basilicæ, &c. subjicit: » Manifestum » est, quòd & major honor Dei sit, majorque utilitas anima- » bus, ut sacrificiis & orationibus assidue succurratur, Sancto- » torum suffragia, qui, quæcunque voluerint, apud Dominum » possunt, die ac nocte ab eis impetrentur, in qua incessanter » hostes invisibiles impugnentur, cæteraque bona, quæ nume- » ravimus & nominavimus, ibi sine intermissione animabus im- » pendantur; major, inquam, est honor Deo, majorque ani- » mabus utilitas, quàm quantacunque afflictionum pœnitentia- » lium carnificina: Episcopalis ergo potestatis & officii est, car- » nificialem illam afflictionem quantamcunque sive pro parte, » sive pro toto, sicut expedire viderit, in hujusmodi bonum » vel simile, vel etiam alterius modi, quod publica requirit » utilitas, commutare amplius, quia omnis servus bona Domi- » ni sui in honorem ipsius & gloriam, & regni vel domûs suæ » utilitatem tenetur expendere, & ubi majorem vel honorem, » vel utilitatem, vel ambos videt, ibi largiùs, cùm ejus fidei » commissa sit eorum dispensatio, additiones, aut diminutiones, » commutationes, & relaxationes pœnitentialium satisfactionum » Prælatis indubitanter commissæ sunt: manifestum ergo est ad » eos pertinere, ut bona ista, quæ nominavimus, expendant » largiùs vel parciùs, prout negotia vel opera ex parvitate vel » magnitudine divini honoris, spiritualisque utilitatis plus aut » minus requisierint: & propter hoc, quia maximus Dei honor » est in terra christiana Religio maximaque animarum utilitas » & privata & publica: certum est, quòd pro ea plantanda, con- » servanda, amplianda, & defendenda, necesse habent hujus- » modi expendere præfati servi Dei de prænominatis bonis, » quidquid prædictæ necessitates requirunt: necesse ergo ha- » bent relaxationes, diminutiones, commutationes pœnitentia- » rum facere, quantumcunque requirit plantatio, conservatio, » amplificatio, defensioque christianæ Religionis sive ultra ma- » re, sive in Provincia, sive alibi ubicunque: hæc & est cau- » sa, propter quam largissimæ indulgentiæ fiunt, ab Ecclesia » pro subsidio Terræ Sanctæ, & generaliter contra inimicos Fi- » dei & christianæ Religionis. Amplius. Si Rex vel Princeps » bellum habeat, dat potestatem ducibus suis perquirendi, & » conducendi bellatores, dignisque stipendiis remunerandi. Quia » ergo Rex Regum, & Dominus dominantium Christus bel- » lum habuit à tempore quo cœpit Ecclesia, bellum, inquam, » non solùm spirituale, sed etiam litterale, seu corporale, si- » ve materiale contra hæreticos & alios christianæ Religionis » inimicos, videlicet Paganos, & à tempore Machometi Sara- » cenos, necessariò dedit potestatem ducibus suis, id est, Præ- » latis, perquirendi bellatores materiales, & conducendi eos, » & congruis stipendiis remunerandi. Quid autem est prædica- » re indulgentias, & promittere hujusmodi bellatoribus, nisi » eos perquirere & conducere Regi Regum Christo Domino? » Et quid est pœnitentias eis injunctas remittere, nisi partem ali- » quam stipendiorum eis dare? Quemadmodum stipendia pec- » cati mors, sicut legitur 6. *ad Rom.* sic stipendia hujusmodi » bellatorum pro maxima & nobilissima sui parte remuneratio » æterna erit. Indulgentiæ autem, quæ fiunt pro Basilicis vel » ampliandis, vel quolibet alio modo meliorandis, etiam pro- » priam probationem habent; cùm enim quilibet Sanctorum » majoris incomparabilis gratiæ sit apud Deum, quàm quilibet » servus malus apud dominum suum, vel etiam amicus apud » amicum. Manifestum autem est impetrare unumquemque ser- » vum gratiosum à domino suo, vel amicum ab amico: innume- » ras ergo remissiones peccatorum, & pœnitentiarum inestima- » biliter veneratoribus, ac cultoribus suis à largissimo bonorum » omnium largitore Deo Sanctos impetrare verisimile est. Et si » isti ex igniculo dilectionis & stilla benevolentiæ ita soliciti » sunt pro necessitatibus charorum suorum, quantò fortiùs Sanc- » ti ex camino charitatis, quo toti ardent, & diluvio redun- » dantissimo benevolentiæ, quo toti defluunt, soliciti erunt pro » necessitatibus sibi devotorum seque venerantium atque colen- » tium.... Indulgentiæ verò, quæ fiunt pro pontibus ædifican- » dis, pro viis sternendis, sive pro pavimentis sive faciendis, » aut meliorandis, illam habent rationem per se propriam. Quia » ergo licet unicuique Dispensatori conducere operarios ad » agenda opera domini sui: dispensatores autem in domo Dei » magna, quæ est Ecclesia, Prælati sunt: licet ergo Prælatis con- » ducere operarios ad præfata opera quocumque pretio, quo » cum eis convenerint, sive indulgentiarum & remissionum, » sive alterius cujuscunque: laborantibus autem in hujusmodi » operibus possunt Prælati Ecclesiarum dare indulgentias, quas » viderint expedire. Communis autem ratio, seu probatio de » indulgentiis istis & eis, quæ fiunt benefactoribus Religioso- » rum, est ipsa communicatio: serviunt enim hujusmodi pere- » grinantibus, & aliis propter pias causas iter agentibus."

VII. Rationes in juistificationem harum indulgentiarum per Guillelmum Parisiensem brevi compendio referens D. Claudius Fleury in suo quarto discursu historico *num.* 16. reflectit, quod (s) » si hæ rationes essent solidæ, debuissent movere Sanc- » tos Episcopos priorum seculorum, qui Ecclesiæ præfuerunt, » & determinaverunt pœnitentias canonicas; sed (ait) hi lon- » giùs prospiciebant ipsi, Deum infinities plus honorari per » morum puritatem, & virtutem Christianorum, quàm per » constructionem & decorationem templorum materialium, can- » tum, cæremonias, & omnem cultum exteriorem, qui non » nisi cortex Religionis, cujus anima & essentia est virtus.

» Cùm autem, (pergit idem Historicus) (t) major numerus » Christianorum non conservet innocentiam baptismalem, hi sa- » pientissimi Pastores ab Apostolis instructi, summo studio in- » quisierant media oportuniora & efficaciora ad lapsos peccato- » res convertendos, & à relapsu præservandos.

» Porrò utiliora remedia non invenerunt, quàm si ipsi Pœ- » nitentes cogerentur pro perpetratis delictis seipsos voluntariè » punire in proprio corpore per jejunia, vigilias, solitudinem, » silentium & omnium oblectamentorum rescissionem; ipsæ- » que eorum piæ resolutiones oratione, & veritatum æterna- » rum meditatione firmarentur; ac denique exercitia hæc per » longa temporum spatia protraherentur, ut interea de solida » conversione securitas haberetur.

» Nec dubium quin hæc à Patribus præfixa pœnitentiæ tem- » pora, & pia exercitia directiùs tenderent ad veram cordis » conversionem & humiliationem, & consequenter magis ad » gloriam Dei, (cui præ cæteris placet cor contritum & humi- » liatum) quàm eleemosyna in ædificationem aut ornatum Ec- » clesiæ alicujus materialis collata.

» Et sanè si experientiæ credamus, nunquam Christiani sanc- » tiores fuêre, quàm dum pœnitentiæ canonicæ maximè vi- » guerunt: ubi è contra nunquam fuerunt magis corrupti quàm » ab eo tempore quo pœnitentialis disciplina abolita fuit."

Hæc ille, qui & in suo sexto discuru historico ostendit; quàm parùm conveniret pœnitentibus in compensationem pœnitentiarum canonicarum injungere *iter Hierosolymanum*, sive *susceptionem militiæ*: rectèque reflectit, quod S. Patres in opera pœnitentiæ injunxerint pœnitentibus cessationem ab armis, & militia.

VIII. Canonicarum Pœnitentiarum raritati, vel etiam oblivioni contulerunt indulgentiæ *stationariæ*: earum origo antiquior non videtur XIII. seculo. Nam quod de communi vulgi errore circa Indulgentias *Stationarias* per S. Gregorium concessas notavit Morinus, ut *num.* 21. *cap. præced.* retulimus, pluribus, prosecutus est Daniel Papebrochius in suo Conatu chronico-his-

(s) *Ces raisons, si elles étoient solides, auroient dû toucher les saints Evêques des premiers siécles, qui avoient établi les pénitences canoniques; mais is portoient leurs vûes plus loint. Ils comprenoient que Dieu est infiniment plus honoré par la purete des mœurs & la vertu des Chretiens, que par la construction & l' ornament des Eglises materielles, le chant, les cérémonies, & tout le culte extérieur, qui n' estque l' écorce de la Religion, dont l' ame & l' essentiel est la vertu.*

(t) *Comme les Chrétiens pour la plûpart, ne sont pas assez heureux pour conserver l' innocence baptismale: ces sages Pasteurs, instruits par les Apotres, avoient étudié tous les moyens possibles de relever les pécheurs, & de les préserver des rechûtes, & n' avoient point trouvé de meilleurs remedes que de les engager à se punir eux mêmes en leurs propres personnes, par des jeûnes, des veilles, la retraite, le silence, le retranchement de tous le plaisirs; d' affermir leurs bonnes résolutions par la priere & la méditation des vérites éternelles; enfin de continuer ces exercices pendant long tems pour s' assurer de la solidité des conversions..... Ces pratiques tendoient plus directement au salut des ames & par consequent à la gloire de Dieu, que des aumones pour le bâtiment & la décoration d' une Eglise. Enfin croyons en l' experience; jamais les Chrétiens n' ont été plus saints que lorsque les pénitences canoniques ont été le plus en vigueur, jamais ils n' ont ètè plus corrumpus que depuis qu' elles sont abolies.*

historico, *Dissert.* 17. *subjecta vitæ Sergii II.* ubi præterea notat, quòd postquam communem vulgi errorem de Indulgentiis *Stationariis* per Gregorium concessis amplexi essent Theologi Scholastici, „ mirum non sit, si disciplinis ipsorum „ conformatos Pontifices, etiam in eo puncto (quod alioquin „ non Theologicum, sed Historicum erat) sua auctoritate per„ traxerint, eo tempore quo nemo adhuc applicabat animum „ erudiendis Antiquitatibus Ecclesiasticis, sacrarumque cære„ moniarum originibus illustrandis.“

Hinc ulteriùs concludit, nec mirum esse, quòd Bonifacius VIII. Pontificatûs sui anno 3. Christi autem 1298. non dubitaverit in hunc modum scribere: „ frequenti considera„ tionis indagine perlustramus, & intra claustra pectoris soli„ citâ mediatione discutimus, qualiter Doctor optimus, Eccle„ siæ sanctæ lumen B. Gregorius dum adhuc in terris gereret „ vices Christi, Patriarchalibus, & aliis ejusdem urbis Eccle„ siis primò (prout tradit Antiquitas) & alii postmodum Ro„ mani Pontifices... de Apostolicæ Sedis liberalitate magnificâ „ diversorum tenorum *Stationarias indulgentias* concesserint.“

Porrò evidens est, Bonifacium non dubitâsse, quin à Gregorio institutæ non tantùm essent *Stationes*; sed & visitantibus Ecclesias *Stationarias* Indulgentias fuisse ab ipso concessas.

Hinc discimus, uti rectè ibidem advertit Papebrochius, „ *Pontifici etiam frequenti considerationis indagine aliquid per„ lustranti, & intra claustra pectoris solicita meditatione dis„ cutienti in his, quæ purè historica sunt, obrepere posse quid„ quàm.*“

IX. Aliæ sunt Indulgentiarum species, quarum antiquitatem liberè discutiunt Theologi, sicut eadem libertate plurimas de Indulgentiarum materia movent quæstiones; nam contigisse verisimile est, durante Concilio Tridentino, materiam Indulgentiarum sæpiùs, & acriter inter Theologos & Patres Concilii fuisse agitatam, plurimasque fuisse super ea exortas difficultates; præsertim unde effectus Indulgentiarum esset petendus, & quis earum esset effectus.

Ob Patrum, & Theologorum dissentiones contigit, quòd in hac materia Indulgentiarum nihil definitum, nullumque decretum editum legatur ante instantem finem, & conclusionem Concilii; postquam „ Episcopus Mutinensis Patres monuit, si „ de Indulgentiis tractationem instituere vellent eum in modum, „ quo de justificatione tractatum esset, causis omnibus conside„ ratis, & quæstionibus excussis, rem fore longam admodum & „ difficilem, multumque temporis desiderantem, neque enim „ caput illud satis dilucidè explicari posse, nisi priùs illud consti„ tutum sit, an sint absolutiones, an verò compensationes & suf„ fragia: & utrum pœnas tantùm à Confessore impositas re„ mittant, an quascunque debitas. Itidem an thesaurus, qui „ fundamenti loco substernitur, ex solis Christi meris constet, „ an verò opus sit insuper meritis Sanctorum: an dari possint „ sine ulla accipientis opera: an ad mortuos etiam se exten„ dant, & alia non minoris difficultatis.“

X. „ Verùm ad hæc determinanda (pergebat Episcopus) „ Ecclesiam earum concedendarum potestatem habere, sem„ perque eas concessisse, quodque perquam utiles sint fideli„ bus eas dignè percipientibus, tantâ disputatione opus non „ esse: constat enim auctoritatem eas concedendis in sacris „ Litteris haberi, ussum continuatum ex Traditione Apostoli„ ca & Conciliorum auctoritate, totiusque materiæ dilucidam „ cognitionem ex concordi doctrina Theologorum Scholastico„ rum. Hisce de rebus confici posse decretum nullis difficul„ tatibus obnoxium.“ Ita refertur ab Historico Concilii Tridentini, qui & addit: „ Hæc sententia magno coronæ assensu ac„ cepta est, deputatusque ipse cum aliis Episcopis, & fratri„ bus ad decretum in hanc sententiam formandum, adjunctâ „ ad abusus tollendos provisione.

Et sanè decretum Concilii manifestè probat juxta mentem, & monitum hujus Episcopi, Patres Concilii doctrinam de indulgentiis ita expressisse, ut à quæstionibus & difficultatibus in hac materia indulgentiarum, præsertim quoad earum effectum, seu valorem inter Theologos agitatis omnimo abstinuerit.

XI. Hoc indubiè intelligens Episcopus Meldensis in expositione fidei, tantâ moderatione locutus est de hac materia Indulgentiarum, ut dicere non dubitaverit, quòd nihil aliud de Indulgentiis credendum proponat Tridentina Synodus, quàm *potestatem eas conferendi à Christo Ecclesiæ concessam esse, earumque usum esse salutarem.*

Quin ex verbis hujus Episcopi Meldensis relatis manifestum est ipsum existimâsse *Indulgentiam* unicè consistere in condonatione sive remissione pœnitentiæ, in satisfactionem criminum pœnitentibus impositæ, quæ est illa species Indulgentiæ, cujus meminêre Canones Nicæni, Ancyrani, aliique veteres Canones, de qua specie Indulgentiarum actum est *num.* 1. *cap.* 1.

XII. Nec mirum; quandoquidem nec in Decretali, quæ refertur in *cap.* 14. ✠ *de Pœnitentiis & Remissionibus*, sub nomine Innocentii III. in Concilio Lateranensi, apertè dicatur *Indulgentiam* in hac pœnæ sive pœnitentiæ remissione propriè consistere: præfigens enim terminos intra quos auctoritas Episcoporum in concedendis Indulgentiis se continere deberet, expressè declarat, ut *tempus ibidem præfixum de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat.* Si Theologi Controversistæ se intra hos limites continerent, minor ipsis esset cum adversariis in hac materia difficultas.

CAPUT II.

De moderato Indulgentiarum Usu.

1 *Apostolus magna usus moderatione in concessione Indulgentiæ.*
2 *Hanc secutæ pristinæ Synodi.*
3 *Ne hîc excederent Episcopi, Pœnitentibus sedulò invigilabant.*
4 *Ut moderatio hæc servaretur, jubentur Martyres, priusquam dent libellos, statum Pœnitentium expendere.*
5 *Arguuntur Martyres, qui sine prævio examine libellos tradunt.*
6 *Martyres de Disciplina Ecclesiæ per Diaconos instruebantur.*
7 *Libelli non dandi nisi iis, qui erant satisfactioni proximi.*
8 *Non omnibus libellos Martyrum habentibus Indulgentia dabatur.*
9 *Episcopi libellos Martyrum examinabant; & nonnisi prævia matura discussione Indulgentia dabatur*
10 *Indulgentia extra casum imminentis mortis, nonnisi sedata persecutione, & post mortem Martyrum dabatur; & quare.*
11 *Hæc species Indulgentiæ quando desierit.*
12 *Seculo XII. cœperant Episcopi aliqui in dandis Indulgentiis excedere; & quæ ratio excessûs.*
13 *Romani Pontifices in dandis Indulgentiis etiam seculo XII. moderationem tenuerunt.*
14 *Indulgentiæ aliquos centenorum, aut millium annorum fictitiæ.*
15 *Romani Pontifices applicationem Indulgentiarum aliquando commiserunt Episcopis: & quare.*
16 *Concilium Lateranense culpat excessum Indulgentiarum.*
17 *Episcoporum auctoritas in dandis Indulgentiis per Concilium restricta.*
18 *Concilium excitavit Episcopos ad moderationem exemplo Pontificum Romanorum.*
19 *Ostenditur Pontifices etiam seculo XIII. parcè dedisse Indulgentias; sed sensim fuisse liberaliores.*
20 *Ostenditur exemplo Indulgentiarum concessarum in Canonizatione Sanctorum.*
21 *Sixtus IV. Indulgentias nimias à se & à Prædecessoribus indultas restrinxit; & quare.*
22 *Quare ægrè debita moderatio in usu Indulgentiarum obtineri potuerit.*
23 *Moderationem juxta veterem usum servari voluit Synodus Tridentina.*
24 *Synodi nolunt adhiberi fidem libellis promittentibus plurimas Indulgentias ex levissimis causis.*
25 *Meritò Parochi hodie de his populum monent.*
26 *Hallucinantur & nocent peccatoribus, qui tempore Indulgentiarum pro gravibus peccatis imponunt leves pœnitentias.*
27 *Regula Cancellariæ volens exprimi Indulgentias anteriores.*
28 *Quomodo hæc Regula mutata.*
29 *Regulla Cancelariæ vetans dari Indulgentias* adinstar.
30 *Congregatio Indulgentiis concedendis & examinandis præposita.*

I. APostolum Paulum Corintio incestuoso Indulgentiam dedisse ostendimus capite præcedenti: „ at nonnisi post „ afflictionem Pœnitentiæ tam gravem, ut ex ea desperationis „ periculum metueretur, illi Corintio residuum donat Pœniten„ tiæ:“ ait Estius *in IV. Senten. dist.* 20. §. 10. Unde intelligitur, quanta moderatione hæc Apostolica Indulgentia concessa fuerit.

II. Eam attendentia antiqua Concilia declarârunt quidem, Episcopis esse potestatem dandi Pœnitentibus Indulgentiam seu remissionem; at cum summa moderatione & circumspectione eam concedendam monuerunt.

„ Statuimus, ut Episcopi, modo conversationis examina„ to potestatem habeant vel utendi *clementia*, vel plus tempo„ ris adjiciendi, ait Synodus Ancyrana *Can. V.* additque: An„ te omnia autem & præcedens vita, & quæ consecuta est, „ examinetur, & sic eis *clementia* impertiatur.“

Idipsum indicat Canon XII. Nicænus, permittens iis Pœnitentibus Indulgentiam concedi, sive humaniùs cum illis agi,

quicumque & metu, & lachrymis, & tolerantia, & „ bonis „ operibus, conversionem opere, & non tantùm habitu os- „ tendunt (u).

Rectè proinde Estius post suprà citata verba immediatè subjungit: „ Et vetera Concilia statuunt circa eos Pœnitentes „ *humaniùs* aliquod cogitandum, qui cum omni timore, & la- „ chrymis perseverantibus conversionem bonam ostendissent. "

III. Hinc tanta jam pridem fuit Episcoporum vigilantia, ac diligentia, ut modum conservandi, peragendique statutam Pœnitentiam ipsorum Pœnitentium probè noscerent. Idcirco Presbyteros vel Diaconos constituebant, qui continuò Pœnitentibus invigilarent, eorumque curam agerent, atque statuto tempore de conversatione & statu Pœnitentium, sine odio aut humano affectu sincerum testimonium Episcopis darent: quo Episcopi intelligerent, quam clementiam, seu Indulgentiam attento modo conversationis & statu Pœnitentium, dare conveniret.

IV. Hæc moderatio ut servaretur in largiendis Indulgentiis ad *preces* Martyrum, imprimis Episcopi volebant, ut Martyres lapsorum personas, & criminum qualitatis diligenter expenderent, antequam Indulgentiæ beneficium pollicerentur, sive *libellos* darent.

Unde ad Martyres scribit Cyprianus *Epist.* 10. „ Oro vos, „ quibus possum precibus, ut Evangelii memores, & consi- „ derantes, quæ & qualia in præteritum antecessores vestri „ Martyres concesserint, quam soliciti in omnibus fuerint, vos „ quoque *solicitè* & *cautè* petentium desideria ponderetis. Ipso- „ rum quoque *delictorum genera* & *qualitates* cogitetis, ne si „ quid abruptè & indignè vel à vobis promissum, vel à nobis „ factum fuerit, apud Gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra eru- „ bescere incipiat. "

V. Cùm quidam Lucianus & ipse *unus de Confessoribus fide quidem calidus & virtute robustus, minùs tamen Dominica lectione fundatus* (ut de ipso scribit Cyprianus *Epist.* 33.) his non attentis, promiscuè sine examine lapsis pacem dedisset, graviter à Cypriano reprehenditur; uti & à Clero Romano *Epist.* 30. inter Epistolas Cypriani; ubi & istam quorundam, Martyrum, seu Confessorum imprudentiam, & lapsorum, qui illa abutabantur, temeritatem acriter increpat.

VI. Et quia sub sævissima Deciana persecutione tempore S. Cypriani, magna esset copia Confesorum, hoc est, qui fidei causa in carceribus detinebantur, etiam plures idiotæ, nec litteras callentes, & disciplinæ ecclesiasticæ planè ignari inter illos inveniebantur; ideoque erant *Diaconi ad carceres commeantes, qui Martyrum desideria consiliis suis, & Scripturarum præceptis gubernarent*; teste Cypriano *Epist.* 10. ne Martyres temerè, nec satis moderatè hos libellos indulgentiarum annuerent.

Eandem ob causam in libellis *nominatim* designari volebant à Martyribus, quibus pacem, seu indulgentiam dari rogarent. „Sed & illud (ait eadem epistola 10.) ad diligentiam ves- „ tram redigere, & emendare debetis, ut *nominatim* designetis eos, „ quibus pacem dare desideratis, audio enim quibusdam sic li- „ bellos fieri, ut dicatur: *Communicet ille cum suis*. Quod nun- „ quam omninò à Martyribus factum est, ut incerta & cæca pe- „ titio invidiam nobis postmodum cumulet: latè enim patet, „ quando dicitur: *ille enim cum suis*; & possunt nobis viceni & „ triceni, & amplius offerri, qui propinqui, & affines, & li- „ berti, ac domestici esse asseverentur ejus, qui accipit li- „ bellum. "

VII. Deinde hæc notanda subjicit: „ Et ideo peto, ut eos, „ quos ipsi videtis, quos nostis, quorum *pœnitentiam satisfac- „ tioni proximam* conspicitis, designetis *nominatim* libello, & „ sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis. "

En quanta circumspectione, & moderatione hos indulgentiarum libellos à Martyribus dandos esse judicaverint Patres.

VIII. Nec tamen omnes, qui Martyrum libellos accipiebant, ideò Indulgentiam, seu pacem consequebantur.

Martyres enim pacem lapsis non concedebant, sed Episcopis duntaxat pro lapsis supplicabant; ut ad suas preces & desideria Indulgentiam lapsis dare vellent.

IX. Porrò Martyrum desideria, & preces Episcopi discutiebant, examinabantque, num his pro quibus Martyres rogabant, ob honorem & reverentiam Martyrum eorumque preces & merita aliquid esset indulgendum; atque ante actam pœnitentiam *pax* danda foret.

Ad plebem suam scribit adversus quosdam Præsbyteros Martyrum libellos exequi, & Indulgentiam dare ausos S. Cy- „ prianus adhuc exul: „ Audiant, quæso, patienter nostrum con- „ silium, expectent regressionem nostram, ut cùm ad vos per „ Dei misericordiam venerimus, convocati Coëpiscopi plures, „ secundum Domini disciplinam & Confessorum præsentiam, „ Beatorum Martyrum *litteras* & *desideria* examinare possi- „ mus. " *Epist.* 12.

Rationem assignat in litteris ad Clerum suum: „ Hoc enim „ & verecundiæ, & disciplinæ, & vitæ ipsi omnium nostrum „ convenit, ut Præpositi cum Clero conveni entes præsente & „ stantium plebe, quibus & ipsis pro fide & timore suo ho- „ nor habendus est, disponere omnia consilii c ommunis religio- „ ne possimus. *Epist.* 13. "

Tanta circumspectione procedendum esse in elargiendis his Indulgentiis credit Cyprianus, „ ut censeat nec à se *solo* Pri- „ mate totius Africanæ Diœceseos, ideoque nec à quovis „ alio Episcopo Indulgentias dandas, sed à Synodo; & qui- „ dem præsente Clero & stantium plebe; " uti advertit Lupus in citata Dissertat. procœmiali *cap.* 7.

X. Ulteriùs verisimile est, indulgentias has datas non fuisse, nisi sedeata persecutione seu pace Ecclesiæ data extra casum necessitatis; nec libellos Martyrum vim habuisse ante eorum obitum. Hoc non obscurè indicat Cyprianus *epist.* 10. in qua quorundam dresbyterorum temeritatem exaggerat, „ quòd con- „ tempta Domini Lege & observatione, quam Martyres & „ Confessores tenendam mandant, ante *extinctum persecutio- „ nis metum* communicent cum lapsis, & offerant, & Eucha- „ ristiam tradant. "

Metuebant enim sæviente persecutione indulgentias dare, ne spe indulgentiæ consequendæ minus generosè, & fortiter tormenta Tyranorum sustinerent; atque facultas veniæ incentivum esset delinquendi.

Ante mortem Martyrum similiter difficulter dabant: eo quòd à morte & merito Martyrum vim suam libelli & preces Martyrum præcipuè acciperent.

XI. Hæc inter Indulgentiarum species, uti monet Morinus *lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 8. cum Martyribus defecit. „ Ab eo enim „ tempore ut Ethnicorum persecutiones desierunt, sic & indul- „ gentiarum libelli: imò Ecclesiæ monumenta post S. Cypria- „ num nihil hujusmodi commemorant. "

XII. Moderationem magnam in dandis indulgentiis ab Episcopis servatam fuisse usque ad seculum XI. satis est in comperto; nec vix ullæ de Indulgentiarum excessu ante illud seculum querelæ apud Antiquos extant.

At jam exorta & invalescente circa hoc seculum quinta Indulgentiarum specie, capite præcedenti exposita, vix conveniens moderatio servari potuit; idque ob lucrum ex istius speciei indulgentiis proveniens; adeò ut sensim ex nimia harum indulgentiarum extensione summa disciplinæ ecclesiasticæ collapsio, & pœnitentialis satisfactionis enervatio secuta fuerit, uti ostendit Morinus *lib.* 10. *cap.* 20. quam tamen facilitatem, & effusiorem indulgentiarum concessionem, nec Ecclesia, nec ipsi quoque Romani Pontifices probabant.

XIII. Romani enim Pontifices etiam seculo XI. & XII. in elargiendis Indulgentiis moderatos & parcos fuisse variis testimonis ostendit Baronius. Et quidem ad annum 1177. relatis indulgentiis *unius* anni concessis ab Alexandro III. in dedicatione majoris Altaris in Ecclesia Ferrariensi, subjicit: „ Qui- „ bus videas, usum ejus temporis concedendi per Pontifices „ Romanos indulgentias, quæ unius anni terminum non ex- „ cederent, præterquam in expeditione Terræ Sanctæ, ut cons- „ tat ex aliorum etiam Pontificum diplomatibus. "

XIV. Hæc Baronius; qui deinde quasi consequens subinfert: „ Quibus redarguuntur scripta, quibus proditur, con- „ cesum ab eodem Pontifice primis Dominicis singulorum men- „ sium Anconitanis tantum indulgentiarum, quantum arenæ „ possent capere ambæ manus simul junctæ. "

Hîc obiter nota, quàm à disciplina & moderatione etiam eo seculo à Pontificibus servata, sit aliena Indulgentiarum in annos centenos aut millenos liberalitas; quam & absurdam & Sedi Apostolicæ minimè adscribendam, sed vel *merè commentitiam* vel *imprudenter exortam* asserere non dubitat Estius in *VI. Sent. Dist.* 20. §. 20.

Similiter Dominicus Soto in IV. *Sent. Dist.* 20. *art.* 1. *quæst.* 2. dicit: „ Quinimò solent nonnunquam divulgari In- „ dulgentiæ, quibus remittuntur quinque annorum millia aut „ plura pœnitentiæ, & quadragenæ totidem. Ad hoc prima fron- „ tè responsio dari posset cum Gersone Cancellario Parisiensi „ in suo tractatu *de absolutione Sacramentali*, atque in alio de in- „ dulgentiis, quòd istæ portentosæ indulgentiæ non emanant „ à Papa, sed sunt *Quæstorum imposturæ*. Quare Præfatus Doc- „ tor eas irridet. Et revera tam immodicus excessus non est „ ferendus: nam audies nonnunquam Indulgentias viginti mil- „ le annorum, & ampliores. "

Hactenus ille, qui deinde nonullis interpositis quærit: „ Quid „ de Indulgentiis *centum aut mille* annorum? Dicendum (ait) „ quod hujusmodi *portenta* nunquam Papa concedere cogitavit. „ Præterquam quod nullatenus negari potest, quin Indulgen- „ tiarum Quæstores, cùm sint homines non nimis ad religio- „ nem attendentes, *deridenda* nonnunquam prædicent, qui- „ ideò essent publica auctoritate cohibendi. "

XV. Refert insuper Baronius ad annum 1118. epistolam Ge-

(u) *Integrum Canonem, & ejus sensum disserte exponit noster Auctor in sua Dissert. de Nicæna Synodo.*

Gelasii Papæ II. ad *Exercitum Christianorum*, qua Indulgentiam concedit omnibus aliquid conferentibus in exercitus hujus sustentationem cum hac clausula: „Secundum laborum, „& beneficiorum suorum Ecclesiæ impensorum quantitatem, „ad *Episcoporum arbitrium*, in quorum Parochiis degunt, pœ„nitentiarum suarum remissionem & indulgentiam consequan„tur.“ Litteræ Pontificis una cum litteris Episcopi Cæsaraugustani, quibus has Indulgentias publicavit, habentur *tom.* 10. *Concil. General col.* 820.

Hæ ostendunt, Romanos Pontifices etiam seculo XII. & *partiales* duntaxat Indulgentias dedisse, & insuper earum determinationem arbitrio Episcoporum comisisse: „Non abs re sanè, cùm paria non sint omnium scelera & merita, sanitas & infirmitas, inquit Morinus *lib.* 10. *cap.* 23. *n.* 7.

* Verissima profectò esset Morini reflexio & Epistolæ Gelasii convenienter applicata, si Gelasius in moderanda vel extendenda hac indulgentia vel remissione voluisset pœnitentium singulorum conditionem, seu sanitatem & infirmitatem, nec non scelerum gravitatem attendi, atque ita his maturè consideratis, conformiter ad Sacros Canones, tempora pœnitentiæ contrahi, vel extendi auctoritate Episcoporum scripsisset.

Verùm Gelasius hanc scribens epistolam post inductam quartam speciem formulæ indulgentialis (de qua *cap.* 1. *n.* 9.) duntaxat in hac moderatione Indulgentiarum per Episcopos attendi voluit *laborem & elemosynarum quantitatem*, quæ in refectionem Ecclesiarum & sustentationem Clericorum in partibus Saracenorum consistentium conferretur: verba Epistolæ sunt: „Cæterum qui pro eodem Domini servitio *vel labo„rant*, vel *laboraverint*, & qui præfatæ urbis Ecclesiæ à „Saracenis & Moabitis dirutæ, unde *reficiatur*, & *Clericis* ibi „Deo famulantibus, *unde pascantur aliquid donant vel do„naverint, secundum laborum suorum & beneficiorum suorum „Ecclesiæ impensorum quantitatem, ad Episcoporum arbitrium „in quorum Parochiis degunt, pœnitentiarum suarum remissio„nem & indulgentiam consequantur.*“

Hanc Epistolam Gelasii Papæ, Episcopi Hispaniæ in Synodo congregati, recognoverunt atque Indulgentiam à Gelasio propositam probârunt, eidem in hunc modum subscribentes: *hanc absolutionem facio, & confirmo.*

Cum his litteris Gelasii per Episcopos dictâ formâ signatis misserunt per suas respective Diœceses suos Archidiaconos, qui eleemosynas fidelium colligerent, uti ex Hieronymo Blanca in Comentariis rerum Aragonensium refert Baronius *ad annum* 1118.

Proinde nequaquam obscurum est, hanc esse formulam indulgentialem, quæ sub finem seculi XI. sedente Urbano II. induci cœpit, ac tandem labentibus seculis dicta fuit Indulgentia *Quæstuaria*, à *Quæstoribus*, qui hac formula indulgentiali sordidum quæstum abutebantur. De quibus *cap.* 3. agetur.

XVI. Quin & seculo XIII. in concedendis Indulgentiis Pontifices specialem moderationem tenuisse; sed Episcopos nonnullos non parùm in iis concedendis justo liberaliores fuisse, testatur Concilium Lateranense IV. sub Innocentto III. in *Cap.* 14. *de Pœnit. & Remis.* his verbis: „Quia per indiscretas & „superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati fa„cere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœ„nitentialis satisfactio enervatur, decernimus, ut cùm dedica„tur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive „ut uno solo sive à pluribus Episcopi dedicetur, ac deinde „in Anniversario dedicationis tempore 40. dies de injunctis „pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque die„rum numerum Indulgentiarum litteris præcipimus moderari, „quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur, cùm „Rom. Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in „talibus moderamen consueverit observare.“

Hîc videmus, Concilium improbâsse effusiorem Episcoporum in dandis indulgentiis liberalitatem; eò quòd per indiscretas & superfluas indulgentias *claves Ecclesiæ contemnantur, & pœnitentialis satisfactio enervetur.*

XVII. Ut hunc excessum Episcoporum præpediret Concilium, Episcoporum in Indulgentiis dandis auctoritatem restrinxit ad annalem Indulgentiam in Ecclesiarum dedicatione, & in aliis ad 40. dierum; quæ restrictio & hodie servâtur. Ante hanc enim restrictionem Episcopi poterant *plenariam* indulgentiam; at ex illo tempore *plenaria* Indulgentia fuit Summo Pontifici reservata, ait Lupus loco citato *pag.* 638.

XVIII. Denique constat, ad eam moderationem Concilium Episcopos incitâsse exemplo Pontificis; dum pro ratione injunctæ moderationis addit: „Cùm Romanus Pontifex, „qui plenitudinem habet potestatis hoc in talibus moderamen „consueverit observare:“ Constat & eam in Pontificibus moderationem probâsse, dum eam imitandam Episcopis proposuit.

XIX. Et sanè Pontifices adhuc seculo XIII. in Indulgentiis elargiendis non modicam moderationem servâsse, ex variis illius temporis diplomatibus habetur.

Urbanus IV. Instituens Festum Venerabilis anno 1264. tametsi maximo desiderio in celebritatem illius festi ferretur, ultra *centum dierum* tamen Indulgentiam Horis Canonicis illius festi interessentibus non concessit. Has indulgentias Martinus V. seculo XV. duplicavit; quas rursus ejus immediatus Successor Eugenius IV. duplicavit per Bullam quæ incipit: *Excellentissimum*, *VI. in Bull. Rom.*

XX. Seculo XIII. primùm cœperunt dari indulgentiæ in Canonizatione Sanctorum; at quàm parce! Primus, qui eas concesisse legitur Honorius III. qui anno 1225. in Canonizatione S. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis: „omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui ad Ecclesiam ubi corpus ejusdem Sancti „requiescit, in die solemnitatis ejusdem, vel infra *Octavas* cum „devotione accesserint ejus orationum suffragia petituri, *viginti „dies* de injunctis sibi Pœnitentiis misericorditer relaxavit.“ In „Bulla quæ incipit: *Ineffabilis*, *VII. in Bull. Rom.*

Ejusdem seculi anno 33. Gregorius IX. in Canonizatione S. Antonii de Padua, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, sepulchrum hujus Sancti in festivitate ipsius usque ad octavum diem cum reverentia visitantibus *annum unum* de injuncta eis pœnitentia relaxavit. Bulla quæ incipit *Cum dicat*, *IV. in Bull. Rom.* similem concessit in Canonizatione S. Dominici: at paulò post in Canonizatione S. Elisabeth, ad annum addidit *dies quadraginta.*

Clemens IV. in Canonizatione S. Hedwigis Ducissæ Poloniæ anno 1267. sepulturam ejus visitantibus in die festivitatis ejusdem *annum unum & quadragina dies*; accedentibus verò ad prædictam sepulturam infra ejusdem festi Octavas *centum dies* de adjuncta sibi pœnitentia relaxavit. Bulla quæ incipit: *Exultat*, *IX. in Bull. Rom.*

Calixtus III. seculo XV. in Canonizatione S. Vincenti Ferrerii accidentibus ad sepulchrum & Ecclesiam hujus Sancti *septem annos* & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis relaxavit: uti habetur in Litteris à Pio II. expeditis, quæ conficiunt primam Bullam hujus Papæ in Bullario Romano. His addidit Sixtus IV. eodem seculo in Canonizatione S. Bonaventuræ *Dominicis singulis per annum dies centum* In Bulla, quæ incipit: *Superna*, *XXI. in Bull. Rom.*

Dein Leo X. in Canonizatione S. Francisci de Paula anno 1519. in loco sepulturæ die depositionis suæ, videlicet 2. Aprilis, officio divino devotè assistentibus perpetuò duraturam *quadraginta annorum*, *totidenque quadragenarum* Indulgentiam condonavit.

Insuper dedit Indulgentiam *plenariam* omnibus, qui ipsi officio Divino ipsius solemnis Canonizationis adstiterant; qualem nullus ante hunc Pontificem hujusmodi causa dedisse legitur. Quod autem hic Pontifex concessit assistentibus solemni Canonizationis officio, hoc subsequentes tandem extenderunt ad visitantes Ecclesias Sanctorum; uti hodie passim observari videmus.

Hinc perspicuum est, Pontifices etiam seculo XIII. moderatos fuisse in concedendis Indulgentiis; sed illud manifestum est, sensim eorum in concedendis Indulgentiis liberalitatem crevisse, verissimumque esse quod notavit Christianus Lupus posteriores Pontifices in largiendis Indulgentiis *longe liberaliores* fuisse prioribus, loco suprà citato *pag.* 145.

XXI. Indulgentias nimias & extensas tum à se, tum à suis Prædecesoribus concessas; sive importunitate multorum exortas deplorans Sixtus IV. plurimas revocavit, atque moderationem quandam adhibuit in *Extrvag.* 5. *de Pœnit. & Remis. in Communib.* præmissa hac ratione „ne cujusvis Indulgentiæ, „remissionis, vel facultatis obtentu Christi Fideles proclivio„res ad illicita in posterum committenda reddantur; aut fa„cilitas veniæ eis peccandi tribuat incentivum.“

XXII. At cùm ex Indulgentiis presertim quintæ speciei, quæ concedebantur iis, qui in ædificationem, vel utilitatem hujus, illiusve Ecclesiæ vel Hospilalis, vel Monasterii denarium obtulissent, notabile lucrum in Monasteria, Ecclesias, Hospitalia, aliosque de collectis illis participantes redundaret, non facile dictu, quàm difficile fuerit omnem in earum largitione, & usu excessum cohibere.

XXIII. Synodus Tridentina non tantùm abusus, qui in usum Indulgentiarum ex Quæstorum avaritia, & fraudibus irrepserant, quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab Hæreticis blasfemabatur, emendatos & correctos voluit: sed „in his concedendis *moderationem* juxta veterem „& probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit: ne ni„mia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.“ In Decreto *De Indulgentiis.*

* Notandum tamen est quòd Patres Tridentini non ignorarent Episcoporum auctoritatem concedendi Indulgentias à tempore Concilii Lateranensis sub Innocentio III. anno 1215. restrictam fuisse ad *dies* 40. excepto solo die Consecrationis Ecclesiæ, quo ipsis permittitur unius anni Indulgentiam concedere; quare non videtur quòd Patres in Decreto de *Indulgentiis*, quo injungunt, *in his concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi, ne nimia facilita-*

tate Ecclesiastica disciplina enervetur, tam respexerint ad Episcopos, quorum auctoritas intra moderatos terminos sciebatur conclusa, quàm ad Romanam Curiam à qua non ea moderatio, quam Synodus exoptabat adniberi, servabatur in his Indulgentiis concedendis. *

Cùm ergo Synodus velit moderationem in his concedendis juxta *veterem & probatam* in Ecclesia consuetudinem adhiberi, nemo non intelliget, quanta in iis dandis moderatio ex mente Synodi etiam hodie sit servanda; nam jam ostensum est, quàm moderati fuerint Veteres in concedendis Indulgentiis.

XXIV. Hinc meritò Synodus P. I. Cameracensis tit. *de Indulgentiis*, præcipit, ut Parochi populum suum » diligenter admoneant, ne circumforaneis quibusdam, aut etiam impressis » libellis temerè fidem adhibeant, qui ex levibus, vanis, & superstitiosis causis exorbitantes Indulgentias pollicentur: cùm » Indulgentiæ non nisi ex piis, & rationabilibus causis concedi debeant.

De eadem re suos pios filios monitos voluit Synodus P. I. Mechliniensis, *Tit. de Indulgentis*, additque: » Potissimum, » si promissiones contineat certorum effectuum, periculorum » scilicèt evitationem, à gladiis, à tormentis, ab aquis, à » peste, aut liberationem certam à Purgatorio. Quemadmodum » & Missis quibusdam, & precibus certo numero recitandis af» fixas, alicubui videre licet. «

XXV. Quàm conveniens, imò necessarium sit, ut Parochi conformiter ad hæc Synodalia decreta populum de his sæpiùs moneant, haud difficulter agnoscet, qui vel paulisper reflectit ad omnes illos Confraternitatum circumforaneos libellos refertos Indulgentiis penè quotidianis, iisque vel plenariis, vel centenorum aut millium aliquot annorum tam pro vivis, quàm defunctis, idque levissimis ex causis, etiam frequenter cum promissione certæ liberationis ex Purgatorio; vel non discedendi ex hac vita sine Confessione & Pœnitentia, aliisve similibus privilegiis: per quæ passim fideles procliviores ad illicita committenda, aut tardiores redduntur ad faciendos dignos fructus Pœnitentiæ.

XXVI. Ulteriùs cùm certum sit, juxta veterem & probatam consuetudinem, Indulgentias jam pridem datas fuisse, prout merita & fervor Pœnitentiam merebatur, Synodus Tridentina declarans Indulgentias juxta *veterem & probatam* consuetudinem dandas esse, sat insinuat, Indulgentias esse concedendas cum ea moderatione, ut opera Pœnitentiæ non negligantur; ne aliàs per Indulgentias *Disciplina Ecclesiastica enervetur*. Unde meritò dicit Christianus Lupus in citata dissertatione *cap.* 8. » Pœ» nitentiales Presbyteri, qui tempore Indulgentiæ pro gravibus » peccatis imponunt leves Pœnitentias, hallucinantur insigni» ter, & peccatoribus plurimum nocent. Quo major Pœniten» tia imponitur, eò fiunt viciniores satisfactioni, & ad Indul» gentiæ fructum aptiores. «

XXVII. Pro moderatione Indulgentiarum videtur jam pridem confecta Regula Cancellariæ, quæ erat 57. Innocentii VIII. nunc verò est 53. solita jam pridem nis verbis exprimi: » Item » voluit, quòd in litteris Indulgentiarum ponatur, quod si Ec» clesiæ seu Capellæ vel aliàs aliqua Indulgentia fuerit *per ipsum* » concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit, hujus» modi litteræ sint nullæ. «

Notat enim Alphonsus antiquus Regularum Cancellariæ Glossator, quia Papa, » si sibi fuisset facta mentio de alia In» dulgentia, fortè illam non dedisset, saltem non ità de facili. «

At si Indulgentia aliqua data sit eidem Ecclesiæ à Prædecessoribus hujus Pontificis secundam Indulgentiam concedentis, credit Alphonsus, & post eum Joannes Choquier, & alii ab eo citati, litteras Indulgentiæ non esse nullas, licèt prioris Indulgentiæ jam concessæ mentio specialis facta non sit, ob verba Regulæ *per ipsum*, quæ Regulam restringere videntur ad Pontificem Indulgentiam secundam concedentem.

XXVIII. At hodie illa in Regula prout à moderno Pontifice Innocentio XII. promulgata est, prædicta verba *Per ipsum* non habetur, uti etiam notavit R. P. Hunoldus Pletenbergius *in Notitia Congregationum*, *& Tribunaliam Curiæ Romanæ*, *pagin.* 468. Ideò forsan expuncta, ut major in Indulgentiis moderatio servetur; nec facilè plures, etiam sub prætextu, quòd à diversis Pontificibus indultæ sint, in eadem Ecclesia aut Capella habeantur; atque ita aliquando paulatim perficeretur, quod aggressus fuerat Clemens VIII. de quo Baronius, relata antiqua Indulgentiarum moderata forma, ità scribit: » Ad quam lauda» bilem antiquam formam S. D. N. Clemens VIII. non sine di» vino instinctu effusas nimis Indulgentiarum concessiones res» tringere aggresus est; fiunt enim potiùs remissiores vasta In» dulgentiarum laxitate Fideles. « Hæc ille ad annum 847.

XXIX. Altera Regula Cancellariæ 54. habet: » Item vo» luit idem D. N. quòd litteræ super Indulgentiis non expedian» tur *adinstar*, nisi specificentur. «

Adinstar, nimirùm aliarum Indulgentiarum aliis Ecclesiis, locis, aut personis concessarum, super quibus non vult Pontifex expediri litteras, nisi Indulgentiæ antea concessæ specificentur; tum ne nimium multiplicentur Indulgentiæ, tùm ut præcaveantur fraudes, quæ facilè in hujusmodi generalitate irrepunt.

XXX. Clemens IX. anno 1669. instituit novam Congregationem & aliorum Prælatorum » cum facultate omnem difficul» tatem ac dubietatem in Indulgentiis emergentem, quæ ad fi» dei dogma non pertineat (circa graviora & difficiliora Roma» no Pontifice priùs consulto) expediendi. Abusus quoque, qui » irrepsisse possent, judicii tamen forma planè postposita corri» gendi & emendandi..... Falsas, apocryphas, indecretasque » Indulgentias typis imprimi vetandi, impresas recognoscendi » & examinandi, & ubi Pontifici retulerit, ejus auctoritate re» jicendi.... Ac indulgentiis concedendis moderationem adhiberi, » omniaque piè, sanctè, & incorruptè fieri curandi. « In Constit. quæ incipit: *In ipsis*, 36. *in Bull. R.*

CAPUT III.

De abusu Quæstorum eleemosynarum; eorum abolitione; et de quæstu in usu Indulgentiarum vitando.

1 *Quæstores unde dicti, & quo potissimùm tempore cœperint.*
2 *Formula litterarum hujusmodi Quæstoribus dari solitarum.*
3 *Quæstores non admittendi nisi ostensis litteris, & juxta earum tenorem.*
4 *Quæ à Quæstoribus cavenda ex Decreto Concilii Lateranensis.*
5 *Quæstores subinde falsum Religionis habitum assumebant.*
6 *Referuntur multiplices illorum Quæstorum excessus.*
7 *Decretum Concilii Viennensis contra Quæstores.*
8 *Hoc Decretum effectum non habuit: & quare.*
9 *Quæstores à Joanne XXIII. missi in Belgium.*
10 *Quanti essent horum abusus tempore exortæ hæresis Lutheranæ.*
11 *Horribilem, & infamem horum mercimoniam, & mala ex ea provenienția proponit Conventus Principum Germaniæ.*
12 *Decretum Synodi Tridentinæ, quo usus Quæstorum abolętur, & ratio hujus decreti.*
13 *Omnes Indulgentiæ, pro quibus* manus adjutrices *essent porrigendæ; aut quæ quæstuandi dant facultatem revocatæ.*
14 *Ecclesia voluit arceri omnem quæstum ab Indulgentiarum usu.*
15 *Indulgentiæ hodie per Episcopum adhibitis duobus de Capitulo publicari, & recognosci debent.*
16 *Id obtinet in omnibus Indulgentiis quibuscunque locis, etiam* exemptis *concessis.*
17 *Eleemosynæ & charitatis oblata sine ulla mercede colligenda; & à quibus.*
18 *Quid S. Carolus ad hunc effectum decreverit.*
19 *Monendus populus, non esse necessariam pecuniæ dationem pro lucranda Indulgentia.*

I. Eleemosynaria Indulgentia post institutum ab Urbano II. sacrum bellum cœpit admodum frequentari (ait Christianus Lupus in Dissert. *de Peccatorum & satisfactionum Indulgentiis*, *cap.* 4.) » Dari cœpit omnibus, qui sanctum illum » Domini exercitum suis eleemosynis adjuvarent. Extendit item » ad sustentanda pauperum hospitalia, reparandas basilicas, alias» que causas similes. Et tam à Romano Pontifice, quàm ab aliis » Episcopis instituti sunt Prædicatores, qui per singula oppida, » & pagos adjuvarent Indulgentias suis concionibus, & pœni» tentium oblationes colligerent. Et hos ista ætas titulavit *ele» emosynarum Quæstores*, ac Prædicatores *quæstuarios*."

II. De his loquitur Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. in *Cap.* 14. ✠ *de Pœnit. & Remiss.* expressa ibidem formula litterarum Apostolicarum, quæ hujusmodi eleemosynarum Quæstoribus à Sede Apostolica dari consueverant; erat autem hæc: „ Quoniam (ut Apostolus *Rom. cap.* 14. *v.* 10.) om„ nes stabimus ante tribunal Christi; recepturi prout in corpo„ re gessimus, sive bonum fuerit, sive malum: oportet nos „ diem missionis extremæ misericordiæ operibus prævenire, ac „ æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domi„ no cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis, „ firmam spem fiduciamque rectam tenentes: quoniam (teste „ Apostolo 2. *Cor. cap.* 9. *v.* 6.) *qui parcè seminat, parcè & „ metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus „ & metet vitam æternam.* Cùm igitur ad sustentationem fra„ trum, & egenorum ad tale confluentium hospitale, propriæ „ non suppetant facultates, universitatem vestram monemus, „ & exhortamur in Domino, atque in remissionem vobis injun„ gimus peccatorum, quatenus de bonis vobis à Deo collatis » pias eleemosynas, & grata eis charitatis subsidia erogetis: ut „ per subventionem vestram ipsorum inopiæ consulatur, & vos „ per hæc bona & alia, quæ Domino inspirante feceritis, ad „ æterna possitis gaudia pervenire."

Fo-

III. Forma autem idcircò exprimitur, ut ex illa Episcopi litteras falsas à veris discernere possent. Quidam enim, testante Concilio, *se alios mentiendo abusiones nonnullas in sua prædicatione proponebant.* Unde Quæstores admitti prohibet, nisi priùs litteras veras exhibeant: *Et tunc præter id, quod continebitur in ipsis litteris, nihil populo proponere permittantur.*

IV. Deinde addit: „ Qui autem ad quærendas eleemosy-„ nas destinantur, modesti sint, & discreti, nec in tabernis, „ aut in aliis locis incongruis hospitentur; nec inutiles faciant, „ aut sumptuosas expensas; caventes omninò, ne *falsæ* religio-„ nis habitum gestent.“

V. Notanda sunt verba, *alios se mentiendo, ne falsæ Religionis habitum gestent.* „ Quo populum in largas eleemosynas „ circumscriberent, isti Parasiti assumebant monasticum habi-„ tum: Simulabant Curios, & ex alienis peccatis vivebant Bac-„ chanalia: ait Lupus *loco citato.*

VI. De Quæstorum illorum excessibus in *Clem. 2. de Pœnit. & Remiss.* sub nomine Concilii Viennensis refertur; quòd „ non sine multa temeritatis audacia, & deceptione multiplici „ animarum, Indulgentias populo motu suo proprio de facto „ concedant, super votis dispensent, à perjuriis, homicidiis, „ & peccatis aliis sibi confitentes absolvant, malè ablata incerta „ (data sibi aliqua pecuniæ quantitate) remittant, tertiam aut „ quartam partem de pœnitentiis injunctis relaxent, animas tres, „ vel plures parentum, vel amicorum illorum, qui eleemosy-„ nas eis conferunt, de Purgatorio (ut asserunt mendaciter) ex-„ trahant, & ad gaudia paradisi perducant, benefactoribus lo-„ corum, quorum Quæstores existunt, remissionem plenariam „ peccatorum indulgeant, & aliqui ex ipsis eos à pœna & à „ culpa (ut eorum verbis utamur) absolvant.“

Hæc autem omnia, quemadmodum monet Concilium: ut *simplices decipiant, & aurum subtili, vel fallacii potiùs ingenio extorqueant ab eisdem.*

VII. Hos omnes excessus cohibere studuit dictum Concilium, atque inter alia districtè prohibuit, „ ne Quæstores ali-„ qui (nisi Apostolicas vel Diœcesani Episcopi litteras exhi-„ buerint) quomodolibet admittantur, nec permittantur (cùm „ solùm ipsis competat indulgentias sibi concessas insinuare po-„ pulo, & charitativa postulare subsidia suppliciter ab eodem) „ nullatenus ipsi populo prædicare, nec aliud exponere, quàm „ quod in litteris continebitur supradictis. Litteras quoque Apos-„ tolicas Diœcesani Episcopi (ne quid fraudis committi valeat „ per easdem) antequam admittant Quæstores ipsos, exami-„ nent diligenter (x).

VIII. At frustraneum & sine effectu fuit hoc Decretum. Hoc enim hominum genus ad quæstum unicè intentum, simili repagulo cohiberi non potuit.

„ Nec soli quorundam hinc inde Episcoporum, sed etiam „ Romanorum Pontificum Quæstores commisserunt gravissimos „ abusus, inquit Christianus Lupus *loco allegato.*

IX. Et quidem inter articulos contra Joannem XXIII. in Synodo Constantiensi allegatos erat hic ordine 23. Dominus Joan-„ nes Papa Nicolao Mercatori in Legationi existenti concessit, „ indulsit, & commisit, ut idem Nicolaus quibuscunque ho-„ minibus utriusque sexus ad suæ libitum voluntatis deputare „ posset Confessores. Et quòd hujusmodi Confessores deputa-„ ti absolvere possent à pœna, & à culpa, certis tamen pe-„ cuniis taxatis mediantibus. Quas quidem prætensas indulgen-„ tias idem Mercator publicavit, & publicari fecit in certis lo-„ cis, civitatibus & Villis, utpotè Trajecti, Mechliniæ, An-„ tuerpiæ, & alibi, de quibus maximas pecuniarium summas „ exhausit & extorsit, Christi fideles seducendo, ac statum, & „ vitam totius Ecclesiæ Catholicæ enormiter scandalizando.“

X. Quàm horribilis esset Quæstorum illorum excessus tempore exortæ hæresis Lutheranæ narrant Joachinus Camerarius de Bello Smalcaldico: „ Venales proponebantur defunctorum „ animæ, quasi licebat redimere certo soluto pretio, & pec-„ catis suis quisque qualibuscunque hanc veniam impetrare po-„ terat numerata pecunia, quantum Institutor petebat. Ac num-„ mi collecti ab illis negotiatoribus insumebantur in varias vo-„ luptates, cùm de Germanorum stolidorum opibus animo illi „ quieto delicatissimè viverent. Hæc autem mercatura vocaba-„ tur *venia peccatorum.*

XI. Has Quæstorum nundinationes sub idem penè tempus exposuit Conventus Noriembergensis (y) in sua ad Adrianum VI. Legatione; asseritque, quod hi Indulgentiarum Buccinatores „ Laudes suis mercibus occinerent; miras, & inauditas con-„ donari per emptitias has condonationes, nedum noxas præ-„ teritas, aut futuras viventium; sed & functorum vita, exis-„ tentium in purgatorio igne, modò muneretur aliquid, modò „ tinniat dextra.“ Post hæc, quid ex hac mercimonia natum sit oriri subdit; „ Atque his mercedum nundinationibus, si-„ mul & spoliata est ære Germania, & Christi pietas extincta, „ quando quilibet pro pretii, quod in has merces expenderat, „ modo, peccandi impunitatem pollicebatur. Quod enim malo-„ rum ampliùs jam horrebunt mortales, quando sibi peccandi „ licentiam, ac impunitatem, nedum in vita, sed post obi-„ tum, ære licèt immodico comparari posse à nundinatoribus „ illis Indulgentiariis, semel persuasum habent? Maximè Ger-„ mani, quibus hos veræ pietatis fucos, sub religionis persona, „ nihil non persuaderi difficile est, ut ingenio planè ad pietatem „ credulo est Germania.

XII. Cumque Patribus Tridentinis hi Quæstorum excessus nimis quàm noti essent, atque ab ipsis materiam hæresi Lutheranæ præbitam esse scirent; ipsisque sat persuasum esset, à diversis Conciliis adversus horum abusus adhibita remedia fuisse frustranea, eorumque malitiam, & fraudem, ita quotidie magno Fidelium omnium scandalo & querela excrescere, ut de eorum emendatione nulla spes ampliùs relicta videretur, unanimi consensu decretum est, „ ut posthac in quibuscumque Christia-„ næ religionis locis eorum nomen, atque usus penitùs abolea-„ tur; nec ad officium hujusmodi exercendum ullatenus ad-„ mittantur, non obstantibus privilegiis, Ecclesiis, Monaste-„ riis, hospitalibus, piis locis, & quibusvis, cujuscunque gra-„ dus, status & dignitatis personis concessis, aut consuetudi-„ nibus etiam immemorabilibus.“ *Sess. 21. cap. 9. de Reform.*

XIII. Cùm non obstante hoc Concilii Decreto, nonnulli prætextu Indulgentiarum certis Ecclesiis, Hospitalibus, & Monasteriis per Romanos Pontifices concessarum, lucrum ex illis quærere pergerent, Pius V. „ omnes & singulas Indulgentias „ etiam perpetuas, & peccatorum remissiones quibuscunque „ Ecclesiis, Hospitalibus, Monasteriis, Confraternitatibus, „ aliisve piis locis etiam per ipsum, aliosve Romanos Pontifi-„ ces, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibus-„ vis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, & ex cer-„ ta scientia, ac ex quibusvis etiam urgentissimis causis, etiam „ causa redemptionis captivorum, & alias quomodolibet con-„ cessas; pro quibus *manus sunt porrigendæ adjutrices*, & „ quæ *quæstuandi* facultatem quomodolibet continent, auctori-„ tate Apostolica perpetuò revocavit, cassavit, irritavit, & „ annullavit, ac viribus vacuavit.“ Constit. quæ incipit: *Etsi Dominici*, 30. *in Bullar. Rom.* Est & alia ejusdem Pontificis Constitutio, quæ incipit: *Quam plenam*, 99. *in Bullar. Rom.* qua similem abusum in quibusdam Hispaniarum Ecclesiis adhuc vigentem reprobat.

XIV. Ex decreto Concilii, & hisce Pontificiis Constitutionibus non obscurum est, principuum Ecclesiæ in abrogatione Quæstorum scopum fuisse, „ omnem quæstum ab Indulgentia-„ rum usu arcere, ut tandem cœlestes hos Ecclesiæ thesauros „ (Indulgentiarum) non ad quæstum, sed ad pietatem exerce-„ ri omnes verè intelligant,“ uti in citato Decreto loquitur Synodus Tridentina.

XV. Ut autem fideliùs dispensentur, mandat, „ Indulgen-„ tias, aut alias spirituales gratias deinceps per Ordinarios lo-„ corum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus „ publicandas esse.“

Synodus P. II. Mechliniensis tit. 6. expresso hoc Tridentino decreto, addit: „ Quod ab eis (Episcopis) erit diligenter „ observandum, *summâ* in illis Indulgentiis recognoscendis ad-„ hibitâ *diligentiâ.*“

XVI. Sanctus Carolus in Concilio Mediol. V. *part.* 1. *tit. de Indulgentiis*, conformiter ad citatum Tridentini decretum declaravit: „ Ne cuivis Rectori Ecclesiæ etiam *exemptæ* quo-„ vis modo, neque ulli ordini Regularium, neque cuiquam „ scholæ, confratriæ, etiam Rosarii, & Cruce signatorum, lo-„ cive pii Collegio, prætextu, causave, vel privilegiorum etiam „ antiquorum, vel Indulgentiarum, quas sibi quovis modo „ concessas, etiam instar Ecclesiarum, locorumque piorum, „ confratriarumve Urbis Romæ habet, liceat illas ipsas in suis „ Ecclesiis promulgare; sed ut Decreto Tridentino cavetur, „ per Episcopum adhibitis duobus de Capitulo, illæ quotannis „ publicentur atque evulgentur.

XVI. Si hoc exactum examen prævièad publicationem Indulgentiarum ubique ab Episcopis instrueretur, spes esset, majorem futuram in earum publicatione moderationem; atque illæ exorbitantes, quæ in multis Confraternitatum libellis, multisque Ecclesiis proponuntur, rescinderentur.

XVII. Addit insuper Synodus Tridentina eodem hoc Decreto: „ Quibus (Episcopis adjunctis duobus de Capitulo) etiam „ eleemosynas atque oblata sibi charitatis subsidiâ, nullâ prorsus

(x) *In Regnis Hispaniæ circa publicationem Indulgentiarum à Sancta Sede concessarum, vel ab aliis ad hoc facultatem habentibus, servari debet quod in* leg. 12. tit. 10. lib. 1. Recopil. *præscriptum est: scilicet quod Bullæ, Gratiæ, Jubilæi, aliæve facultates in eisdem Dominiis non publicentur, quin priùs ab Ordinariis locorum, Commissarioque Generali Sanctæ Cruciatæ examinatæ fuerint.*

(y) *Conventus iste habitus est ann.* 1522. *de quo vide Morinum cap.* 52.

„ sus mercede acceptâ, fideliter colligendi facultas datur.“

XVIII. Hoc Decretum innovavit S. Carolus in Concilio Mediol. V. loco suprà citato, ac unà omnem quæstus faciendi speciem in hac materia remotam cupiens cavit: „ Ne Indulgen„ tiarum litteræ, inscriptionesve earum nomine exaratæ, eo lo„ co, ubi capsa ad eleemosynam colligendam apparata est, „ etiam extra Ecclesiam proponantur, affliganturve, sed vel „ in altari majori vel in alio, ubi indulgentiæ causa, statio, ra„ tiove constituta est.“

XIX. Deinde addit: „ Ac proinde statis iis diebus, qui„ bus Episcopus Ingulgentiam promulgandam decreverit, cum „ fideles ad eleemosynam Ecclesiæ, locove pio tribuendam, ubi „ illius Indulgentiæ celebritas agitur, Parochus, Concionator„ ve excitabit, doceat simul diligenter, ejus consequendæ cau„ sa non esse necessariò præstitutam eleemosynæ largitionem: „ ut cœlestem eum Ecclesiæ thesaurum, spiritualiaque mune„ ra exponi omnes intelligant, non ad quæstum, sed ad pec„ catorum satisfactionem, & ad pietatis exercitationem. Si ve„ ro aliquando Episcopi concessu capsa, in quam eleemosynæ „ fidelium conjiciantur, palam ponatur, intùs in Ecclesia lo„ co longè ab altari, ubi Indulgentiæ statio agitur, decorè „ collocetur.“

CAPUT IV.

De Jubilæo.

1 *Primus hujus formulæ indulgentialis Auctor creditur Bonifacius VIII.*
2 *Formula Indulgentialis ex præscripto Bonifacii.*
3 *Conditiones pro lucranda Indulgentia à Bonifacio requisitæ.*
4 *Qui plus participent, & quid per* plenissimam *Indulgentiam intelligatur.*
5 *Bonifacius VIII. non concessit Indulgentiam nisi personaliter Basilicas Apostolorum visitantibus.*
6 *Annum Jubilæi Clemens VI. contraxit ad annum quinquagesimum.*
7 *Clemens in sua Bulla Indulgentiæ adstruit thesaurum Indulgentiarum.*
8 *Cui thesauri hujus dispensatio à Christo credita sit, explicat.*
9 *Rationes contracti Jubilæi ad annum quinquagesimum.*
10 *Extensa Indulgentia à Clemente ad aliquos personaliter non visitantes Basilicas.*
11 *Quanta hominum multitudo ad lucrandas Indulgentias Romam perrexerit.*
12 *Annum Jubilæi rursus contraxit Urbanus VI. ad annum trigesimum tertium, & indixit.*
13 *Bonifacius IX. Successor Urbani Jubilæum ab Urbano indictum celebravit, sed plures illud non agnoverunt; & quare.*
14 *Romana Ecclesia reductionem Urbani VI. non admisit.*
15 *Xystus IV. reductionem Pauli II. Jubilæi ad annum 25. probavit, & illo anno alias indulgentias suspendit.*
16 *Quomodo Bonifacius IX. Indulgentias Jubilæi etiam ad alias Ecclesias extenderit, & quare hæ Indulgentiæ à nonnullis parùm æstimarentur.*
17 *Sub medium seculi XV. Indulgentia hæc nondum generaliter omnibus Ecclesiis communicabatur.*
18 *Primus extensionem fecisse legitur ad omnes Ecclesias Paulus II.*
19 *Sub medium seculi XV. nondum Confessariis facultas absolvendi à reservatis; aut commutandi vota per Bullam Jubilæi data.*
20 *Usque ad seculum XVI. Jubilæum non dabatur aliis Ecclesiis, nisi anni Jubilæi Romæ absoluto.*
21 *Xystus V. primus videtur Jubilæum extra annum sequentem annum Jubilæi Romani dedisse; & quomodo subsequentes eum secuti.*
22 *Conditiones in hodierna Jubilæi forma præscriptæ.*
23 *Populus à Parocho instruendus, quomodo hæ conditiones implendæ.*
24 *Datur libera electio Confessarii approbati, idque cum facultate absolvendi à reservatis, & vota commutandi.*

I. FAmosa admodum Indulgentiæ species, est, quæ *Jubilæum* vocari solet; eaque omnium largissima æstimatur.

Hujus indulgentialis formulæ monumentum hactenus non reperitur antiquius Constitutione Bonifacii VIII. quæ refertur in Extravagante antiquorum, *de Pœnitentiis, & Remission. in Commun.*

Dicit quidem Pontifex in hac Constitutione: » Antiquorum » habet fida relatio, quòd accedentibus ad venerabilem Basilicam » Principis Apostolorum de Urbe concessæ sunt magnæ remis» siones & Indulgentiæ peccatorum «: sed quia harum Indulgentiarum olim concessarum non reperitur authenticum & sufficiens testimonium, hactenùs hic Pontifex Bonifacius VIII. habetur primus hujus indulgentialis formula promulgator.

II. In hac Constitutione Bonifacius VIII. ait: » Nos de om» nipotentis Dei misericordia, & eorumdem Apostolorum ejus » (Petri & Pauli) meritis & auctoritate confisi, de Fratrum nos» trorum consilio, & de Apostolicæ plenitudine potestatis om» nibus in præsenti anno millesimo trecentesimo à festo Nativi» tis D. N. J. C. præterito proximè inchoato; & in quolibet » anno centesimo secuturo, ad Basilicas ipsas accendentibus re» verenter, verè pœnitentibus & confessis; vel qui verè pœni» tebunt, & confitebuntur in hujusmodi præsenti & quolibet » centesimo secuturo annis, non solùm plenam, & largiorem, » imò plenissimam omnium suorum concedemus, & concedi» mus veniam peccatorum. «

III. Post hæc, conditiones lucrandæ Indulgentiæ exprimit his verbis: » Statuentes, ut qui voluerint hujusmodi Indulgentiæ » à nobis concessæ fieri participes: si fuerint Romani, ad minus » triginta diebus continuis, seu interpolatis, & saltem semel in » die: Si verò peregrini fuerint, aut forenses, simili modo die» bus 15. ad Basilicas easdem accedant. « Romanos ad 30. peregrinos ad 15. visitationis dies adstrinxit: quòd nempè ad urbem laboriosa peregrinatio sit in partem satisfactionis computanda.

IV. Hoc deindè monet: » Unusquisque tamen plus merebi» tur, & Indulgentiam efficaciùs consequetur, qui Basilicas ipsas » ampliùs, & devotiùs frequentabit.“

Dum ergò dixit, se non *plenam*, aut *largiorem* duntaxat, sed & *plenissimam* indulgentiam dare; idem est, ac si dixisset, omnem possibilem; atque unumquemque eò ampliùs de ea percepturum, quò se magis per devotam Basilicarum visitationem ad lucrandam Indulgentiam præparavit.

Antiquus Glossographus quærens, *quomodo ista se compatiantur*, plenam, largiorem, & plenissimam: Respondet: » Dico Papam interpretatum fuisse in Consistorio, me præsen» te, hanc Indulgentiam adeò plenam, prout Clavium potestas se extendit.“

V. Hanc Indulgentiam Bonifacius VIII. iis solis concessit, qui recurrente centesimo anno *personaliter* ipsas Basilicas Principis Apostolorum reverenter & devotè visitarent, nullâ alterius Basilicæ, aut absentium, qui ipsum iter suscipere, aut perficere non possent, factâ mentione.

VI. Necdum à prima Indulgentia Bonifaciana anni quinquaginta erant elapsi, cum Clemens VI. ad instantiam, & supplicationem Romanorum, qui de hac re ad eum nuntios miserant, mutaverit magnum Jubilæum de anno quinquagesimo in quinquagesimum, quod Bonifacius VIII. voluerat esse de centesimo in centesimum; atque ita Clemens VI. anno 1350. voluit esse Jubilæum; cùm juxta Constitutionem Bonifacii annus Jubilæus tantùm recurrisset anno 1400. voluitque Clemens VI. ut imposterum de quinquagesimo in quinquagesimum annus Jubilæus semper recurreret.

Extat diploma hujus Jubilæi in *Extrav.* unigenitus *de Pœnit. & Remiss. in Communib.*

VII. In hac ante omnia fusè ostenditur, Ecclesiæ relictum esse thesaurum ex meritis Christi constantem: » Ad cujus qui» dem *thesauri* cumulum Beatæ Dei Genitricis, omnium Elec» torum à primo Justo usque ultimum adminiculum præstare » noscuntur. «

VIII. Deindè dicit, quòd Christus » hunc Thesaurum non » in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Bea» tum Petrum cæli Clavigerum, ejusque Successores suos in ter» ris Vicarios commisit Fidelibus salubriter dispensandum: & » propriis, & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro » partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam » generaliter, quàm specialiter (prout cum Deo expedire cog» noscerent) verè pœnitentibus & confessis misericorditer appli„ candum.“

X. His expositis, adducit rationes contracti temporis indicendi Jubilæi. Primò, quòd Jubilæum Judaicum non quovis anno centesimo duntaxat, sed quovis quinquagesimo recurreret, ipsumque fuisse imaginem Jubilæi christiani.

Secundò, quòd „ numerus *quinquagenarius* in Testamentò „ veteri ex Legis datione, in Novo ex visibili Spiritus Sancti in „ Discipulos missione, per quem datur remissio peccatorum, „ singulariter honoratur.“

Tertiò, quòd vellet, „ quamplurimos ejusmodi Indulgentiæ „ fore participes, cùm pauci multorum respectu propter vitæ „ hominum brevitatem valeant ad annum centesimum per„ venire.“

X. Præterquam quòd Jubilæum ad annum quinquagesimum reduxerit Clemens VI. addidit insuper: „ ut ii etiam, qui pro ea „ consequenda ad easdem Basilicas & Ecclesiam accedent, at „ post iter arreptum *impediti legitimè*, quominus ad Urbem „ illo anno valeant pervenire, aut in via, vel prætaxato nume„ ro dierum non completo in Urbe decesserint, verè pœnitentes „ & confessi, eandem Indulgentiam consequantur. “ Atque ità rur-

rursus hoc titulo Indulgentiam Bonifacii extendit, qui iis tantùm, qui *personaliter*, & quidem præfinito numero dierum, Basilicas Apostolorum visitâssent, Indulgentiam concesserat.

XI. De hac Clementis liberalitate agens magnum Chronicum Belgii scribit: » Anno illo Jubilæo à Clemente VI. instituto & » publicato per totam Christianitatem, innumerabilis populus » utriusque sexus turmatim Romam perrexit pro Indulgentiis im» petrandis. Cujus tanta fuit multitudo, sicut quidam ex Pere» grinantibus narravit, ut *quotidie* infra dictum annum 5000. pere» grinorum intrantes, & exeuntes Romæ computarentur. « hæc ibi.

XII. Rursùs anno quinquagessimo à celebratione Jubilæi nondum expleto Urbanus VI. (à quo famosum ac diuturnum schisma Avenionense incepit) tempus Jubilæi contraxit ad annum trigesimum tertium; ità enim de eo scribit Theodoricus à Niem *lib.* 1. *de Schismate*, *cap.* 88. „ Urbanus ultimo anno Pontifi„ catus annum Jubilæi abbreviavit, scilicet ad singulos triginta „ tres annos, & constituit quòd tunc anno Domini millesimo „ trecentesimo octogessimo octavo in festo Natalis Domini in„ ciperet annus Jubilæus in Urbe, & duraret per annum inclu„ sivè. Prout & factum fuit. Sed ipse Urbanus illum non vidit, „ quia priùs ab hac luce migravit. Et innumerabiles peregrini to„ to illo anno, postquam incepit Jubilæus, præsertim de Ale„ mannia, Hungaria, Polonia, Bohemia, Anglia, & aliis Reg„ nis ac Provinciis, quæ fuerunt de obedientia Urbani, ad Ur„ bem venerunt: Unde & maxima ofertoria Ecclessis & Basilicis „ urbis per visitatores data fuerunt, sed residuum, & major „ pars ad manus Bonifacii IX. & quorundam aliorum devenit.“

XIII. Idipsum quoque refertur in magno Chronico Belgii, „ pag. 300. additque de Bonifacio IX. successore Urbani VI. „ Anno Pontificatus Bonifacii I. juxta ordinationem Domini Ur„ bani Papæ VI. ex hujus approbatione plurimi, qui obedien„ tiam Bonifacio præstabant, pro Indulgentiis anni Jubilæi con„ sequendis de universis mundi partibus ad Urbem Romanam „ confluxerunt. Illi verò, qui de Regno Franciæ erant, & alii „ ejus obedientiam repudiantes, hoc anno pro hujusmodi Indul„ gentiis Romam non venerunt, sed juxta primam ordinationem „ Clementis VI. anno Domini millesimo quadringentesimo, in „ maxima multitudine pro ejusdem Indulgentiis obtinendis Ro„ mam venientes Limina Sanctorum visitabant.“

Grassabatur enim eo tempore schisma, sedentibus duobus, qui se pro Pontifice gererent; altero Romæ scilicet Bonifacio IX. altero Avenione in Gallia Petro de Luna, qui dicebatur Benedictus XIII. hunc que ut solùm legitimum Pontificem Galli & alli nonnulli agnoscebant; atque Urbanum & Bonifacium pro intrusis Pontificibus habebant; ideoque alteratum ab ipsis Jubilæum non agnoscebant.

XIV. „ Quin & post Concilium Constantiense, & extinc„ tum schisma, etiam Romana Ecclesia abjecit illam Urbani no„ vitatem, rediitque ad Decretum Clementis VI. Et ità fuit us„ que ad Paulum II. qui Jubilæi indulgentias esse voluit quovis „ anno vigesimo quinto.“ Hæc Lupus loco citato.

XV. Reductionem à Paulo II. factam confirmavit Xystus IV. cujus Constitutio infertur in *Extrav.* QUEMADMODUM, *de Pœnitent. & Remiss. in Communib.* atque unà omnes quascunque Indulgentias etiam plenarias adinstar Jubilæi quibuscunque Ecclesiis aut locis extra Urbem, & sub quacunque forma à Sede Apostolica non concessas, durante anno Jubilæo suspensas esse voluit, nec interim alicui suffragari. Et ità etiamnum hodie vivimus.

XVI. Verùm Bonifacius IX. non tantùm probavit reductionem Jubilæi ad annum trigesimum tertium factam per Urbanum VI. sed insuper anno Jubilæi Romæ absoluto, easdem Indulgentias per modum Jubilæi ad alias civitates extendit, de quo in citato Chronico Belgii hæc leguntur *pag.* 333. » Postquam an» nus Jubilæus juxta Constitutionem Urbani, & approbationem » istius Bonifacii transiit, Dominus Bonifacius unum annum sub » anni Jubilæi urbis Romæ Indulgentiarum forma Coloniensi ci» vitati concessit. Ita ut venientes Coloniam, vel ibidem habitan» tes, isto anno mediante visitantes certas Ecclesias ad hoc di» rectas cum oblationibus suis, possent consequi Indulgentias, » quæ visitantibus urbem Romanam in annu Jubilæo concessæ » erant, videlicet plenissimam remissionem omnium peccatorum. » Quo anno elapso, similis annus ab eodem Bonifacio sub eadem » forma concessus est civitati Magdemburgensi. Et ad utramque » hanc civitatem missus est Collector Papæ, qui certam partem „ recepit oblationum. Deindè Indulgentias similes concessit vi„ sitantibus alias nonnullas civitates Germaniæ ad certos menses. „ Unde in Misnia, & Praga ex hujusmodi concessione con„ cursus magnus populorum fuit. Deindè Idem concessit multis „ locis Alemanniæ, ut visitantes certas istorum locorum Ecclesias „ consequerentur Indulgentias similes, quæ erant quondam con„ cesæ tali vel tali loco, seu tali vel tali Ecclesiæ, quæ in ipso „ privilegio concessionis exprimebantur. De quibus locis vel Ec„ clesiis fama vulgaris erat, quòd ea vel eas visitantibus concessæ „ olim essent à Sede Apostolica Indulgentiæ plenissimæ. Prædictæ „ verò Indulgentiæ non solùm concedebantur in locis insignibus, „ sed in villis, etiam non muratis, & in Monasteriis vel Eccle„ siis sitis in campis. Et in omnibus privilegiis concessionum præ„ dictarum ponebatur clausula: *Porrigentibus manus adjutrices.* „ Ita ut hujusmodi Indulgentias, nisi qui ipsis locis vel Ecclesiis „ manum porrigeret adjutricem, nemo consequi posse vide„ retur.“

Subijcit denique auctor: „ Unde quidam concessiones hujus„ modi non magni faciebant, ut quas lucru magis, quàm ex zelo, „ tum institutas à Papa suscipicabantur. “

Illud equidem constat, nullum extare vestigium extensionis hujus Indulgentiæ, sive Jubilæi ad alias civitates ante Bonifacium. IX. unde & communiter ipse hujus extensionis auctor reputatur.

XVII. In citato Belgii Chronico *pag.* 380. legitur: „An» no 1450. sedente Nicolao V. fuit annus Jubilæus Romæ, & magnus „ populus ex omni natione perrexit Romam pro Indulgentiis.“

Deindè paucis interjectis prosequitur: » Anno sequenti Do» minus Nicolaus Papa ad instantiam illustris Ducis Burgundiæ » Philippi, unum annum sub anni Jubilæi urbis Romæ Indul» gentiarum forma concessit oppido Mechliniensi, ità ut ve» nientes Mechliniam, vel ibidem habitantes, si illo anno du» rante certas Ecclesias ad hoc decretas cum oblationibus suis » visitarent, consequi Indulgentias omnium peccatorum pos» sent. «

Ex his discimus, » quòd Nicolai V. tempore (id est, sub » medium seculi XV.) Jubilæa Indulgentia necdum ad omnes ci» vitates, oppida, & pagos extenderetur sequenti anno, sed » duntaxat ad unam Regni, aut Provinciæ civitatem; & qui» dem ad preces Regias ac de singulari gratia; « uti rectè reflectit Lupus loco allegato, *pag.* 652.

XVIII. Hanc generalem ad omnes Ecclesias extensionem primus fecisse creditur Paulus II. anno 1464. ad Pontificatum assumptus, qui ad Indulgentias & gratias dandas facillimus esse cœpit; adeò, ut videns ex nimia sua facilitate pœnitentialem disciplinam non parum lædi, suam liberalitatem moderare debuerit per Constitutionem, quæ refertur in *Extrav.* 3. *de Pœnit. & Remiss. in Comm.*

XIX. Refert præterea Belgici Chronici Compillator, *pagin.* 380. & *sequenti*, quòd sub dicto Nicolao V. eodem anno 1451. venerit in Alemaniam tanquam Papæ Legatus Nicolaus Cusanus Cardinalis, atque omnibus, qui in terminis suæ legationis habitabant, postquam ad ipsos pervenerat, verè contritis & confessis, & qui ad cistas diversis Alemanniæ Ecclesiis de consilio suo & loci Episcoporum ordinatis certam pecuniæ summam juxta bonorum suorum facultatem voluntariè in pios patriæ illius usus mox convertendam contribuerunt, concesserit *Jubilæum*, id est, plenam omnium peccatorum remissionem..... » Ut autem omnem Clerum & de» votum populum suæ Legationis redderet aptum ad hujus» modi Indulgentias promerendas, certos Confessores in civi» tatibus constituit, qui sine pecunia, auctoritate Sedis Apos» tolicæ, etiam in casibus reservatis confitentes absolverent, di» cens, non esse absolutos, nec Jubilæi gratiam promereri, qui » suis Confessoribus contra mandatum dare quidquam præsu» merent. «

Hinc colligitur, nec tempore Cardinalis Cusani litteris Jubilæi insertam fuisse hodiernam clausulam, quâ omnibus Confessariis fit facultas absolvendi à casibus reservatis, & commutandi vota, paucis exceptis.

Quæ omnia evincunt, etiam in hac Indulgentiarum specie locum habere, quòd capite præcedenti notavimus, nimirum, in concedendis Indulgentiis posteriores Pontifices longè fuisse liberaliores.

XX. Hactenus tamen nullus Pontificum Jubilæi Indulgentiam ad alias Ecclesias extenderat, nisi tantùm in anno, qui sequebatur immediatè annum Jubilæi Romæ absolutum: ut qui Romæ Indulgentias lucrati non essent, ex speciali gratia eas in suis Ecclesiis lucrari possent; neque nota erat alia indictio generalis Jubilæi ex quacunque causa.

XXI. Primus, qui Jubilæum indixit in initio suæ assumptionis, ad implorandum Dei auxilium pro bono regimine Reipublicæ Christianæ, videtur fuisse Xixtus V. qui mox à sua ad Pontificatum assumptione, Bullam Jubilæi publicavit; extatque in Bullario Romano *tomo* 2. *pag.* 490. neque alia anterior hujusmodi Jubilæi indictio in Bullario occurrit; monetque simpliciter Angelus Cherubinus Bullarii Collector: » Similem indic» tionem omnes ferè Pontifices promulgare solent, eas tamen » præterii hac duntaxat pro exemplo retenta & aliâ additâ Pau» li V.“ Quibus haud obscurè innuit, hanc indictionem à Xixto V. primùm factam, sequentibus Pontificibus in exemplum sumptam esse.

Nec tantùm in initio Pontificatus ad implorandum divinum auxilium; sed etiam aliis ex causis subsequentes Pontifices generale Jubilæum indixerunt; uti & modernus Pontifex Innocentius XII. iteratò publicavit & ad omnes Ecclesias misit.

XXII. Forma, ac conditiones Jubilæi in Bulla Xixti V. ex-

pressæ, eædem sunt, quæ hodie in Bullis Jubilæi exprimi solent: ut vel inde quoque verisimile sit, ipsum primum subsequentibus Pontificibus exemplum dedisse. Imprimis assignantur duæ hebdomadæ, in quarum altera conditiones requisitæ impleri debent; nimirum, ut quis intra hebdomadam illam tribus diebus jejunet; eleemosynam, quantum pro sua facultate visum fuerit, in pauperes eroget; atque unam ut minus Ecclesiam ex designatis ab Ordinario visitet; atque ibidem oret, ad finem in Bulla expressum; peccata sua omnia humiliter & contrito corde confiteatur; & Eucharistiam devotè accipiat.

XXIII. Circa modum, & rationem hæc fructuosè adimplendi, populus à Parochis, occasione occurrente, ritè instruendus est; atque eum in finem Parochis conducere poterunt litteræ Pastorales, quas S. Carolus scripsit, & emissit occasione Jubilæi concessi à Gregorio XIII. Ecclesiæ Mediolanensi anno 1576. postquam scilicet anno præcedenti, qui erat annus 25. jam pro tertia vice seculo illo recurrens, annus Jubilæus Romæ era absolutus. Nec enim adhuc hactenùs Indulgentiæ Jubilæi alio tempore aliis Ecclesiis fuerant concessæ. Extant hæ litteræ in Actis Ecclesiæ Mediol. *pag.* 936.

XXIV. Ad hæc, ut fideles ad prædicta omnia peragenda magis idonei efficiantur, conceditur omnibus Fidelibus, ut possint hac vice vigore Jubilæi eligere Confessarium, sive secularem sive regularem ab Ordinario approbatum, qui audita ejus Confessione, possit eum à quibuscumque criminibus, quacumque ratione reservatis, ac etiam à sententiis, censuris, & pœnis ecclesiasticis per eum quomodolibet incursis, injuncta ei pro culpæ modo pœnitentia salutari, absolvere in foro conscientiæ duntaxat; ac quæcumque per eum emissa vota (præterquam castitatis & religionis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Plures occasione hujus potestatis Confessariis factæ quæstiones præsertim apud Theologos Scholasticos moventur, quarum decisio ibidem videri poterit.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT IV.

De Bullis ad consequendam Jubilæi Indulgentiam concesis a Bonifacio VIII. et Clemente VI.

1 *Discutitur origo formulæ indulgentialis.*
2 *Monumentum de illius origine à Bonifacio allatum non benè convenit cum historia Jubilæi.*
3 *Hæc historia refertur.*
4 *Ineunte anno 1300. circa valorem indulgentiæ, quæ anno centesimo conferri debebat, nihil adhuc fuerat determinatum.*
5 *Promulgata Bulla* Antiquorum *die 22. Februarii 1300. incredibilis hominum multitudo Romam fluxit.*
6 *Discutitur quid de antiquitate Indulgentiæ centesimi anni in ea Bulla fuerit insinuatum.*
7 *Infirmum videtur testimonium, quo Bonifacius VIII. nititur.*
8 *Ipse non meminit Jubilæi Judaici, sed Clemens VI.*
9 *Clemens Moysis æmulus Jubilæum ad annum 50. reduxit.*
10 *Ad preces populi Romani facta est illa mutatio.*
11 *Inde nomen Jubilæi datum Indulgentiæ plenariæ anni quinquagesimi in Ecclesia.*
12 *De thesauro indulgentiali, cujus meminit Clemens VI. nihil certi ex antiquitate habetur.*
13 *Sententia Veronii refertur.*
14 *Primitùs Episcopis relicta est integra Indulgentiarum concessio.*
15 *Vigilius Papa à Theodoberto Rege consultus favet huic Episcoporum juri.*

* I. His, quæ de Indulgentia Jubilæi jam dicta sunt, quædam addere non erit supervacaneum. Observatum est hujus Indulgentialis formulæ auctorem esse Bonifacium VIII. quantumvis in sua Bulla asserere non dubitet, quòd »*Anti-*» *quorum habeat fida relatio*, quòd accedentibus ad honora» bilem Basilicam Principis Apostolorum de Urbe concessæ sint » magnæ remissiones & indulgentiæ peccatorum.“

II. Verùm quàm enim infirma fuerit hæc, de qua loquitur *Antiquorum fida relatio*, cujus auctoritate hanc indulgentialem formulam tanquam *Antiquitati* notam promulgavit, & à novitate vindicare voluit Bonifacius, intelligitur ex Historia institutæ hujus indulgentialis formulæ descripta per Jacobum Cardinalem sancti Georgii ad *velum aureum*, qui eo tempore Romæ præsens erat.

III. Scribit hic, quòd »finiente seculo XIII. & instante se» culo XIV. id est, anno trecentesimo supra millesimum in» crebuerit in Urbe Romana rumor, qui pollicebatur, tantam » fore ejus anni vim, ut ad Basilicam Principis Apostolorum » Petri pergentes, *omnium plenissimam peccatorum luitionem* » *sortirentur*.

» Hujus rumoris conscius factus Pontifex Bonifacius VIII. » vetustorum evolvi librorum monumenta edixit, sed in his ni» hil ejus quod quærebatur, inventum.

» Interim advenit prima dies anni hujus trecentesimi supra » millesimum, nihilque præter solitum decurrente die illo vi» situr; at demum sub mediam noctem, seu ut loquitur His» toricus, ad mediæ ferè noctis intempestæ silentium, ipsi Ro» mani ad sacram Basilicam Beati Petri frequentes properant: » oppressi altaria stipant, alternatimque se, ut vix accedere » fas esset, impediunt, quasi eâ brevi finienda die expirare, » gratiam vel majorem autumarent.

„ His actis initiis, (ait Historicus) indies civium, exteroˌˌ rumque fides & peregrinatio augeri cœpit, quibusdam priˌˌ mâ centesimi die omnium culparum sordes deleri asserentiˌˌ bus; cæteris annorum Indulgentiam fore, sicque ferè usque ˌˌ ad trimestre tempus, similiter die, qua toti orbi venerabilis ˌˌ revelatur effigies, vulgò *Sudarium*, seu *Veronica*, (quæ inˌˌ cidit in Dominicam post Epiphaniam) longe plus solito comˌˌ pactis turbis convenirent, utrimque dubii sperantes erant.“

Itaque usque ad hunc diem *dubii hærebant* etiam Romani circa centesimi anni Indulgentiam. Interim Pontifex Bonifacius VIII. »ut erat ingenio vigilans, refertusque solertiâ, conˌˌ servabat hæc omnia, conferens in corde suo: suoque moˌˌ re præsentia, dum haud prohibebat, frequentiam acceptam ˌˌ conjiciebat, venientiumque firmabat votum.“

IV. Itaque hactenus Pontifex circa hujus indulgentiæ valorem nihil determinaverat, eò quod in vetustorum librorum monumentis nihil de hac indulgentia *Jubilæi* reperisset interim, tamen devotioni populi favebat.

Pontifice autem sic dubio hærente, & populi Romani devotionem & exterorum advenientium votum fovere desiderante, accessit tandem »vivus præteritorum testis, qui (inquit ˌˌ Historicus) peregrinationis suæ centum & septem asseverans ˌˌ annos (multis eodem Præsule Bonifacio VIII. coram adsciˌˌ tis) adstrueret, meminisse Patrem alio centesimo anno Romæ ˌˌ quousque, quem secum detulit agricola, suffecit victus, ob ˌˌ indulgentiam moratum, sesse admonuisse ut si quod non puˌˌ taret, advenisset futuro centesimo anno, Romæ nequaquam ˌˌ puer adesse pigritaret, nobisque idem scicistantibus intulit quin ˌˌ unaquaque ejusdem anni die illi centum annorum Indulgenˌˌ tiam lucrifieri posse, ob quam peregrinaturus accesserat.“

Si fides huic testi esset, sola *centum annorum Indulgentia* anno centesimo promissa fuerat: „At eodem Historico tes» te, Romæ plenissimè culpas dilui apud Gallos vulgatum, ˌˌ tanti ævi duos adhuc testes Diœcesis Bellovacensis, pluresˌˌ que alios Italici soli superesse, qui meminissent nobis asˌˌ sertum.“

His factis informationibus, Pontifex convocavit Collegium Cardinalium, atque de eorum consilio confecta fuit famosa illa Bulla quæ incipit: *Antiquorum*, relata inter Extravagantes Communes: citata est superiùs *cap.* 5.

V. Publicata fuit hæc Bulla Romæ in festo Cathedræ S. Petri Antiochiæ, 22. Februarii 1300. atque summo plausu à Romanis recepta.

Incredibilem porrò hominum multitudinem non modò ex Italia, Sicilia, Sardinia, Corsica, sed & ex Galliis, Hispania, & Anglia, Germania, Hungaria concurisse, nec solùm juvenes ac vegetæ ætatis, sed etiam septuagenarios & infirmos, qui lecticis deferebantur, confluxisse scribit dictus Cardinalis.

Tradit his conformia Joannes Villanus Florentinus *lib.* 8. *cap.* 36. additque tantam fidelium multitudinem Romam convenisse, ut præter Romanos ducenta peregrinorum millia in urbe viderit, quibus omnia necessaria abundè suppeditabantur.

Hæc fusiùs narrant Odoricus Raynaldus ad annum 1300. qui & addit ex Annalium Colmariensium Scriptore, quòd tantus fuit factus concursus Romam, *ut sæpiùs una die egressi sunt triginta millia hominum, pariterque ingressi.*

VI. In hac, Bulla asserit Bonifacius VIII, »quòd *Antiquo*» *rum habeat fida relatio*, quòd accedentibus ad honorabilem » Basilicam Apostolorum de urbe concessæ sint magnæ remissio» nes, & Indulgentiæ peccatorum.“

Nequaquam obscurum est eam *Antiquorum fidam relationem* referri ad relationem eorum peregrinorum excedentium ætatem centum annorum, qui ætatem purilem in præcedenti anno ducentesimo supra millesimum agentes, simile aliquid intellexisse se affirmabant.

VII. Verùm quàm infirmum sit hoc testimonium ex auditu, & similium hominum datum ad requisitionem Pontificis, & populi, id enixè desiderantium, nemo non videt, præsertim de re, quæ nemini potuerat fuisse ignota, & cujus tamen nulla apud temporis illius historicos, aut in vetustis Pontificum regestis, aut epistolis memoria occurrebat, atque notanter Innocentii III. qui ipso anno ducentesimo supra millesimum Pontifex erat, & cujus registra, in quibus ejus epistolæ & acta per annos singulos

des-

descripta continebantur, & in Bibliotheca Vaticana asservabantur, hujus remissionis peccatorum, aut populi ad eam lucrandam ad Basilicam Principis Apostolorum concursus non meminerunt (z).

Mirum videri non debet, quòd tàm infirmis innixa depositionibus relatio, ut *fida* per Pontificem relata fuerit, cùm aliunde constet, hunc Pontificem Bonifacium VIII. sat fuisse facilem, uti ex Papebrochio suprà in Addictione ad capitis 1. hujus tit. *num.* 21. notatum est circa indulgentias Stationarias.

Illud nihilominus notandum, Bonifacium VIII., quidem declarare, quòd *Antiquorum fida relatio* habeat, quòd accedentibus ad Basillicam Principis Apostolorum concessæ sint *magnæ remissiones & indulgentiæ peccatorum*, sed nequaquam declaret num essent *plenariæ*, an verò duntaxat *centum annorum*, de quo nec Antiquorum relatio, nec populi rumor conveniebat.

VIII. Præterea notandum, Bonifacium, in hâc Bulla non meminisse Jubilæi Judaici, sed primus fuit Clemens VI. qui in Bulla sive Extravagante, quæ incipit: *Unigenitus*, hujus Jubilæi Judaici exemplum adduxit, ut inde occasionem captaret, anno quinquagessimo post datam à Bonifacio hanc Bullam indulgentialem, rursus renovandi, atque declarandi (idque ad instantes preces populi Romani) quòd hæc *Plenaria* Indulgentia non tantùm de centesimo in centesimum annum recurreret, uti eddixerat Bonifacius, *sed de quinquagesimo in quinquagesimum.*

IX. Verba Clementis VI. referre oppus est: » Nos (in-» quit) attendentes quòd annus *quinquagesimus* in lege Mosaica » (quam non venit Dominus solvere, sed spiritualiter adimplere) » Jubilæus remissionis & gaudii, sacerque dierum numerus, quò » lege fit remissio, censebatur, quodque ipse quinquagenarius nu-» merus in testamentis, veteri quidem ex legis datione, novo, » ex visibilis Spiritûs Sancti in discipulos missione, per quem » datur peccatorum remissio, singulariter honoratur: quodque » huic plura & grandia divinarum adoptantur mysteria Scriptu-» rarum, *& clamorem peculiaris populi nostri Romani*, vide-» licet, hoc humiliter supplicantis, ac nos adinstar Moysi, & » Aaron per proprios & solemnes nuntios, ad hoc destinatos spe-» cialiter orantia pro toto christiano populo, & dicentis: *Do-» mine, aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ.* Desi-» derantes benignùs exaudire, non quidem ut sicut illius Israe-» litici populi indurati cesset murmuratio, sed ut istius præ-» dicti populi, cunctorum fidelium augeatur devotio, fides splen-» deat, spes vigeat, charitas vehementiùs incalescat: volentesque » quamplurimos hujusmodi indulgentiæ fore participes, cùm pau-» ci multorum respectu propter vitæ hominum brevitatem va-» leant ad annum centesimum pervenire: de Fratrum nostro-» rum consilio prædictam concessionem Indulgentiæ ex suprà » scriptis, & aliis justis causis ad annum quinquagesimum du-» ximus reducendum. «

X. Non mirum sanè populum Romanum tan instanter apud Pontificem institisse, ut terminus hic ad quinquagesimum annum contraheretur, cùm non ignoraret quantus fuisset ob hanc evulgatam Indulgentiam per Bonifacium VIII. ad urbem concursus, quantaque ejus occasione pecuniæ moles Romanis obvenisset, non dubitans quin idem contigerit per hanc Indulgentiæ publicationem.

XI. Præterea, quia Clemens VI. in hac Extravagante, in motivum hujus contractionis assumpsit Jubilæum de quinquagesimo in quinquagesimum annum recurrens, admodum verisimile est, demum ab edicta hac Extravagante, huic indulgentiali formulæ nomen Jubilæi adhæsisse.

XII. De indulgentiarum thesauro, cujus meminit Clemens VI. in Extravagante *Unigenitus*, nulla mentio occurrit ante seculum XI. in ordine ad valorem & effectum Indulgentiarum: à pluribus enim observatum est, quòd circa hoc tempus, invalescente Theologiâ Scholasticâ, cœperit inter Theologos disputari & inquiri, unde petendus esset Indulgentiarum effectus: quodque hac occasione hujus Thesauri meminerint, & eum impenderint, ut adstruerent Indulgentiarum valorem, atque inter cæteros Alexander de Hales, & Albertus Magnus (a).

XIII. Quapropter meritò observat Veronius in sua *Regula fidei*, quidquid in hoc Thesauro, ejusve applicatione ad effectum Indulgentiarum passim asseritur, ad fidei dogma non spectare, quandoquidem nihil fidei certitudinem attingere possit, nisi à Deo fuerit revelatum, idque constet vel Dei verbo, scripto vel non scripto, ex Traditione Apostolica ad nos transmisso.

XIV. Postquam asseruit Clemens IV. conformiter ad quorundam Theologorum Scholasticorum tunc invalescentem opinionem fructum sive effectum Indulgentiarum petendum esse ex applicatione *thesauri* constantis ex meritis Christi, subjunxit, quod Christus hunc thesaurum cœli per B. Petrum clavigerum, ejusque successores suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum.

Verùm, quemadmodum ante seculum XI. vel XII. nullam invenimus factam mentionem de applicatione hujus *thesauri* ad effectum, seu fructum indulgentiarum, ita nec reperitur apud veteres ulla mentio de hujus *tehesauri* dispensatione specialiter à Christo commissa B. Petro, ejusque Successoribus Romanis Pontificibus, ejus in terris Vicariis.

Sed hæc opinio demum verisimiliter invaluit postquam invaluit opinio, notanter in Curia Romana de *plenitudine* potestatis & jurisdictionis in Romano Pontifice, de qua cum *part.* 1. *tit.* 19. *cap.* 5. tum *part.* 2. *tit.* 6. *cap.* 5. latiùs actum est.

Et quantum ad hanc materiam Indulgentiarum, illud certum est, usque ad seculum XIII. plenam fuisse penes Episcopos concedendi indulgentias auctoritatem, ac demum per Innocentium III. factam restrictionem, uti notatum est suprà *cap.* 2.

Præterea & hoc negari nequit, quin *Indulgentiarum* sive remissionum concessio potiùs Episcopis in suis respectivè Diœcesibus dispensanda convenerit, quàm per Romanum Pontificem: dum hæ indulgentiæ, seu remissiones fiebant ad præscriptum Canonum Nicænorum, Ancyranorum, aliorumque, quemadmodum per novem & amplius secula facta fuit, ut in *cap.* 1. in textu notatum est.

Cùm enim vix possibile sit, ut Romanus Pontifex, tum de facti seu criminis qualitate, necnon vitâ & conditione peccatoris sive pœnitentis in remotis partibus agentis, ritè ac plenè sit informatus, satius vissum est, modum pœnitentiæ pro gravitate criminis determinandum, necnon ejusdem mitigationem, vel condonationem, seu indulgentiam Episcopis respectu suorum respectivè subditorum relinquere.

XV. Id & seculo VI. vidit & judicavit Vigilius Papa. Hic consultus à Theoberto Galliarum Rege, cujusmodi pœnitentiâ illius possit purgari delictum, qui cum uxore fratris sui illicitum præsumpsit inire conjugium? Scripsit Vigilius ad S. Cæsarium Episcopum Arelatensem his verbis: » Charitas tua, totius fac-» ti qualitate, ac pœnitentis ipsius compunctione perspecta, præ-» dictum gloriosum Regem filium nostrum, de temporis ob-» servatione non omittat instruere, & ne ulteriùs tale aliquid » præsumatur, instanter exposcat.“

Rationem hujus comissionis hanc præmittit Pontifex, » Quia » (sicut charitatem tuam benè nôsse confidimus) modus pœni-» tentiæ præsentium potiùs Sacerdotum inspectioni, committi-» tur, ut *juxta compunctionis meritum veniæ quoque possit in-» dulgeri remedium*, tuæ hoc potiùs æstimationi credimus re-» linquendum. «

(z) *Non ita censet Benedictus XIV. Sumus Pontifex in sua Epistola Encyclica de* Præparatione *ad annum universalis Jubilæi* 1750. *Nostra non interest, inquit, longiorem sermonem hîc attexere de frequentiori Regum, Episcoporum, atque Ecclesiæ Prælatorum, necnon fidelium penè omnium accessu, ac assiduis ad limina Apostolorum peregrinationibus, cùm Provinciam hanc universam præoccupaverint celebres aliquot eruditi, nimirum Onuphrius Panvinus, Jacobus Gretserus &c. enumeratis quibusdam aliis auctoribus, eorum probat sententiam eruditus Pontifex Formula Marculfi, qui floruit seculo VII. S. Chrysostomi, Eginardi, ac Nicolai I. qui vivebat IX. seculo. En Nicolai testimonium, desumptum ex Epist. 8. ad Michaelem Imperatorem, » Tanta millia hominum protectioni, ac intercessioni Beati Apos-» tolorum Principis Petri ex omnibus finibus terræ properan-» tium sese quotidie conferunt, & usque in finem vitæ suæ apud » ejus limina sèmel mansura proponunt, ut « &c. Hæc satis demonstrant in vetustis Pontificum litteris etiam IX. seculo, multitudinem fidelium venisse Romam, ut Apostolorum limina colerent, atque Indulgentiarum thesauros sibi compararent.*

(a) *Teologi inter articulos fidei Indulgentiarum Thesaurum collocant. Unum laudabo Jueninum* quæst. 5. de Indulgentiarum virtute, cap. 2. conclus. 1. *quæ his concipitur verbis*: Fide certum est admitti debere in Ecclesia Thesaurum, qui constet ex meritis superabundantis satisfactionis, quam Christus Deo Patri pro hominibus exhibuit. *Quod est de fide, debet referri ad Christum Auctorem: quapropter Thesaurus Indulgentiarum suam Christo refert originem: notus ergo fuit Sanctis Patribus, qui fidei sequestres extiterunt, unde Concilium Tridentinum* in decreto de Indulgentiis, Sess. 25. *loquens de quibuslibet Indulgentiis*, in his concedendis moderationem juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi *cupit. Quod supponit antiquitùs ab Ecclesia agnitum fuisse Indulgentiarum Thesaurum, & ejus aplicationem quoad effectum fuisse cognitam.*

TITULUS VIII.

De Sacramento Extremæ-Unctionis.

CAPUT I.

DE MATERIA, FORMA, ET PARTIBUS INUNGENDIS.

1 *Extrema-Unctio est verum Sacramentum.*
2 *Effectus Sacramenti.*
2 *Materia, oleum ab Episcopo benedictum.*
4 *Quando oleum benedicatur; & quo ritu à Parochis accipiatur.*
5 *Quomodo Oleum benedictum sit reservandum; & annis singulis renovandum.*
6 *Apud Græcos oleum etiam à Presbyteris benedicitur.*
7 *Quæ hujus disciplinæ origo.*
8 *Ecclesia Latina hanc disciplinam Græcorum non improbat.*
9 *Qua ratione Synodus Tridentina dixerit materiam esse oleum ab Episcopo benedictum.*
10 *Forma hujus Sacramenti ex decreto Eugenii IV. & Synodi Tridentinæ, & præscripto Ritualium.*
11 *Hæc forma non est necesaria ex institutione divina.*
12 *Eam nunquam adhibuit Ecclesia Græca.*
13 *Ecclesia Latina multis seculis eandem ignoravit, & formâ indicativâ fuit usa.*
14 *Forma Ambrosiana erat* indicativa; *atque usque ad præteritum seculum in quibusdam Ecclesiis Latinis talis usitata fuit.*
15 *Usus antiquus formæ* indicativæ *non repugnat decreto Concilii Tridentini; neque eam Synodus improbavit.*
16 *Christus nullam specialem formam hujus Sacramenti instituit.*
17 *Partes inungendas Apostolus Jacobus non expressit.*
18 *Non constat primis seculis plures corporis partes fuisse inunctas.*
19 *Seculo VI. moris fuisse videtur* pectus *tantùm inungere.*
20 *Septimo seculo cœperunt* plures *inungi; sed non eadem ubique.*
21 *Aliquando moris fuit, ut pars magis affecta inungeretur: & quæ hujus ratio, & quare posteà vetitum.*
22 *Circa ritum inungendi pridem fuit Ecclesiarum varietas.*
23 *Synodus Tridentina Ecclesiæ Romanæ ritum probando, aliarum Ecclesiarum alios ritus non reprobavit.*
24 *Quæ partes ex pærscripto Ritualis Romani inungendæ.*
21 *Aliquando moris fuit, ut pars magis affecta inungeretur, & quæ hujus ratio, & quare posteà vetitum.*
22 *Circa ritum inungendi pridem fuit Ecclesiarum varietas.*
23 *Synodus Tridentina Ecclesiæ Romanæ ritum probando, aliarum Ecclesiarum alios ritus non reprobavit.*
24 *Quæ partes ex præscripto Ritualis Romani inungendæ.*
25 *An ultra quinque sensuum organa aliæ partes sint necessariò inungendæ.*
26 *Quomodo hodie in partium unctione forma pronuntianda.*
27 *In morbis contagiosis, & morte imminente quid servari velit manuale Cameracense.*
28 *Non facilè omittenda inunctio quinque sensuum organorum.*

I. SYnodus Tridentina *Sess.* 14. *de Sacramento Extremæ-Unctionis* inter alia definit *Can.* 1. » Si quis dixerit, Extremam-Unctionem non esse verè, & propriè Sacramentum » à Christo Domino nostro institutum, & à Beato Jacobo » Apostolo promulgatum; sed ritum tantùm acceptum à Patri» bus, aut figmentum humanum; anathema sit.“

II. Deindè *Can. II.* effectum hujus Sacramenti astruit his verbis: » Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non » conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infir» mos; sed jam cessâse, quasi olim tantùm fuerit gratia cura» tionum; anathema sit.“

III. Eugenius IV. in Instructione pro Armenis materiam hujus Sacramenti dicit esse Oleum olivæ per Episcopum benedictum. Idem docet Synodus Tridentina *citata Sessione cap.* 1. ubi relatis verbis Jacobi Apostoli ex Epistola Canonica *cap.* 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum*, UNGENTES *eum, oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Immediatè subjicit: » Quibus ver» bis, ut ex Apostolica Traditione per manus accepta, Eccle» sia didicit, docetque materiam, formam, proprium Minis» trum, & effectum hujus salutaris Sacramenti Intellexit enim » Ecclesia, materiam esse *Oleum ab Episcopo benedictum.*“

IV. Oleum hoc dictum *Infirmorum* semel in anno juxta ritum Ecclesiæ Latinæ benedicitur ab Episcopo inter Missarum solemnia feria V. in Cœna Domini.

Illud quoque annis singulis, eodem ritu, quo sacrum Chrisma (de quo suprà *tit.* 3. *cap.* 3.) Parochi singuli accipiunt; nec Sacramentum hoc sine oleo sic benedicto administrare possunt.

V. Unde passim Ritualia conformiter ad Rituale Romanum præcipiunt: » Habeat Parochus loco nitido & decenter » ornato in vase argenteo, seu stanneo, diligenter custoditum » sacrum Oleum Infirmorum, quod singulis annis feria V. in » Cœna Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, » renovandum est. Id tamen, si fortè infra annum aliquo mo» do ità deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud » benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in mi» nori quantitate superinfuso reparari poterit.

VI. Testatur Jacobus Goartius in notis ad Rituale Græcorum *pag.* 430. *nota* 22. » Cùm Sacerdotalis sit ministerii ægro» tos *Oleo sacro* linire, usu consentiente factum esse, ut non » à Græcis Pontificibus, sed à Sacerdotibus consecratum, & » quoties urget necessitas, renovatum & recens benedictum » huic Sacramento conferendo proferatur.“

VII. Benedicit quidem & ipse Episcopus ritu Græcorum feriâ V. in Cœna Domini Sacrum Oleum: sed mox post factam benedictionem, totum Oleum benedictum consumitur; nam more Græcorum, » cuncti accesuri ad sacram Synaxim in » peccatorum expiationem sese ungendos offerunt; & Episco» pus ipse primus omnium Œconomi manu Unctionem susci» pit, quem deindè omnes alii sequuntur, & à Episcopo un» guntur.“ ait ibidem.

Hac itaque Unctione quantumvis tantùm *cæremoniali*, » cùm » oleum totum consumitur, facultatem illud denuò consecran» di privato cuicunque Parocho ipsi Pontifices tacitè, ex anti» quo more videntur remittere.“ Ita Goartius.

VIII. Quidquid sit de origine hujus moris, hoc constat, Ecclesiam Latinam nunquam improbâsse hanc Græcorum consuetudinem: imò eam sat apertè probavit Clemens VIII. in sua instructione ad Episcopos Latinos, qua inter cætera dicit: » Non sunt cogendi Presbyteri Græci Olea sancta, præter Chris» ma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere: cùm ejusmo» modi Olea *ab eis*, in ipsa Oleorum & Sacramentorum exhi» bitione, ex veteri ritu *conficiantur & benedicantur.*“

IX. Hinc ulteriùs statue, Synodum Tridentinam, non eo sensu, Oleum ab Episcopo benedictum materiam hujus Sacramenti reputâsse, quasi ex institutione *divina* sine hujusmodi Oleo conferri hoc Sacramentum validè non posset; sed duntaxat, eam esse veram & sufficientem, ac etiam *necessariam*, spectata scilicet Ecclesiæ Latinæ consuetudine.

X. Formam hujus Sacramenti hanc esse dicit Decretum Eugenii IV. *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti.* Et similiter in aliis membris.

Eandem assignat Synodus Tridentina citato *cap.* 1. eamque omnia Ritualia proponunt, & à Sacerdotibus exactè observari præscribunt: neque aliam hodie agnoscit Ecclesia Latina.

XI. Cæterùm, quod circa materiam suprà notatum est, id quoque circa hanc formam notandum; nimirum, eam non ita huic Sacramento ex institutione divina esse essentialem, ut sine illa nunquam Sacramentum validè conferri posset, aut potuisset.

XII. Imprimis certum est, Ecclesiam Græcam nec hodie uti, nec unquam usam fuisse hac formula: & tamen Ecclesia Latina nunquam de validitate collati hujus Sacramenti cum forma à Græcis usitata, ipsis quæstionem movit.

XIII. Ad hæc constat, in Ecclesia Latina hanc formam antiquitùs usitatam non fuisse. Et quidem in Sacramentario S. Gregorii apud Hugonem Menardum pag. 251. legitur sub hoc titulo: *Oratio ad infirmum ungendum.* » Inungo te de Oleo sanc» to, sicut unxit Samuel David in Regem, & Prophetam. Ope» rare creatura Olei in nomine Patris Omnipotentis; ut non la» teat illic spiritus immundus, neque in membris illius, neque » in medullis, neque in ulla compagine membrorum: sed in » te habitet virtus Christi Altissimi, & Spiritus Sanctus per » eundem.“

Ad quæ verba reflectens ipse Menardus *in notis*, *pag.* 332. ait: „ Olim forma hujus Sacramenti fuit *indicativa*, ut hîc appa-

„ paret (quamvis hîc appelletur *Oratio*, sed impropriè, verè „ etenim Oratio non est) & clarè constat ex codicibus MSS. „ Ratoldi & Tiliani Monasterii S. Remigii, & Manuali excuso „ Ecclesiæ Suessionensis, quæ *indicativam* habent, *deprecato-* „ *riam* ignorant.“ Hæc ille: qui contextum dictorum Codicum exhibet *pag.* 336. & sequentibus; in quibus nulla forma *deprecatoria*, qualis est nostra hodierna, sed sola *indicativa* occurrit.

XIV. Ostendit insuper Menardus ibidem, formam Ambrosinam relatam à Sancto Bonaventura esse indicativam; eamque à Bonaventura, aliisque antiquis Scholasticis non fuisse improbatam; adeoque crediderint, formam *deprecatoriam* non esse de substantia hujus Sacramenti ex institutione divina; idque supposuisse Facultatem Theologicam Parisiensem, dum anno 1635. permisit sustineri publicè hanc positionem: *Etiam unicâ Olei unctione in necessitate, verbisque* INDICATIVE *prolatis perfici posse.* Sententiam Menardi probat quoque Morinus de *Administrat. Sacramenti Pœnit. lib.* 8. *cap.* 16. & novissimè Joannes Lanojus in speciali libro de Sacramento Unctionis infirmorum: qui ulteriùs probat, à multis Ecclesiis illustrioribus formam indicativam usque ad proximè elapsum seculum retentam fuisse, ac tandem ubique *deprecatoriam* assumptam. Unà exponens, quomodo sensim hæc mutatio contigerit.

XV. „ Neque hæc doctrina (ait Menardus) adversatur „ Concilio Tridentino, cùm ait *Sess.* 14. *cap.* 1. *Formam dein-* „ *dè esse illa verba*, PER ISTAM UNCTIONEM, &c. nam Con- „ cilium deprecatoriam non ita astruit, ut rejiciat indicativam, „ quam olim in usu fuisse, luce meridianâ clarius est; ut nec „ ita astruit per illa verba: *Per istam Unctionem*, ut destruat „ formam Græcorum, quæ licèt deprecatoria sit, ejusmodi ver- „ ba non tamen agnoscit.“

Et reverà, Synodum Tridentinam non improbâsse formam *indicativam*, probat allegatus Lanojus, idque ex variis Manualibus, in quibus exhibetur forma *indicativa*, editis post declarationem factam à Synodo Tridentina; & quidem ab Episcopis, qui ipsi Synodo interfuerant.

XVI. Notat insuper Launoius, Christum nullam specialem formam hujus Sacramenti instituisse; sed eam instituendi libertatem Ecclesiæ suæ reliquisse. Meminit quidem Jacobus Apostolus *Orationis & Unctionis*; sed quibus verbis oratio fundenda, & quomodo, aut qua verborum forma perficienda sit Unctio, non determinat: quare hæc arbitraria esse credidit Ecclesia, ideoque unusquisque in his Ecclesiæ suæ morem sequi tenetur.

XVII. Hæc Ecclesiarum varietas non tantùm circa verba, quibus orationes, & sacra Unctio exprimi debent, intercessit; sed etiam circa partes corporis inungendas magna fuit Ecclesiarum diversitas: eò quòd Jacobus Apostolus nullam partem corporis ungendam in particulari designaverit.

XVIII. Plurimos tàm veteres, quàm recentiores libros Rituales, & Sacramentarios, hanc diversitatem manifestè ostendentes profert Launoius in citato libro sub hoc titulo: *Explicata Ecclesiæ traditio circa* PARTES *corporis, quæ unguntur in Sacramento Extremæ-Unctionis, cap.* 1. Et *cap.* 2. *observat.* 1. ex allegatis monumentis concludit, nullum apud primorum seculorum auctores reperiri testimonium, quo probetur, antiquiùs *plures* corporis partes inunctas fuisse.

XIX. Qui S. Eugendi vitam scripsit, tantùm unius partis, scilicet *pectoris*, inunctæ meminit. „ Vocato, ait, uno ad se de „ Fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungen- „ di infirmos opus injunxerat, secretissimè quoque sive *pectuscu-* „ *lum* petiit (ut moris est) innungi.“ Ergo tunc moris erat *pectus-* „ *culum* tantùm inungere. Quod & in præfatione ad seculum 1. „ Benedictinorum observat Mabillonius, *num.* 97. Vixit autem S. Eugendus seculo VI.

XX. Deindè *observatione* 2. ex præallegatis libris Ritualibus concludit Launoius, post tempora S. Gregorii paulatim invaluisse, ut plures corporis partes inungerentur; sed non eædem in omnibus Ecclesiis; imò in aliquibus quasdam debuisse inungi, quas in aliis inungi vetitum erat.

XXI. Constat in pluribus Latinis Ecclesiis visum fuisse, eam esse ungendam corporis partem, quæ *majori dolore* cruciaretur. Sic in Codice Tiliano apud Menardum, *pag.* 340. legitur: „ Et sic perungant singuli Sacerdotes infirmum de oleo „ sanctificato, cruces faciendo in collo, & gutture & pecto- „ re, & inter scapulas, seu in loco ubi *dolor plus* imminet.“

Hæc autem unctio suam habet rationem in Jacobi Apostoli verbis: *Et alleviavit eum Dominus*; sed anni jam plures sunt, cùm hæc unctio ubique planè desiit: ne forsan videretur Unctio hæc sacri olei ad medicinam corporis magis, quàm animæ adhiberi.

XXII. Circa ritum ungendi infirmum, non eadem quoque fuit semper Ecclesiarum disciplina: nam in quibusdam sub *unica* verborum formula omnes partes inungebantur, in aliis singulæ partes sub diversa verborum formula. In aliquibus etiam uno Sacerdote ungente, alius formam proferebat; uti notat Menardus *pag.* 332.

XXIII. Unde prudenter processit Synodus Tridentina, dum aliarum Ecclesiarum ritum non reprobando, simpliciter definivit: „ Si quis dixerit, Extremæ-Unctionis ritum & usum, „ quem observat Sancta Romana Ecclesia, repugnare senten- „ tiæ B. Jacobi Apostoli; ideoque eum mutandum, posseque „ à Christianis absque peccato contemni; anathema sit.“ *Can.* 3.

XXIV. Quoad partes inungendas, ritum hodiernum Ecclesiæ Romanæ exhibet Rituale Pauli V. his verbis: „ Quin- „ que verò corporis partes præcipuè ungi debent, quas veluti „ sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempè oculi, „ aures, nares, os, & manus: attamen pedes etiam & renes „ ungendi sunt; sed renum unctio in mulieribus, honestatis „ gratia, semper omittitur: atque etiam in viris, quando „ infirmus commodè moveri non potest. Sed sive in mulieri- „ bus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non „ debet.“

XXV. Quoad quinque partes corporis, quæ sunt præcipua sensuum instrumenta, Rituali Romano consentiunt nostra Belgica; sed nullum præter hæc inungendum membrum præscribit Manuale Cameracense; & indubiè horum unctio ad validitam Sacramenti sufficit. Unde Pastorale Mechliniense, tametsi ultra inunctionem horum quinque membrorum, requirat etiam inunctionem pectoris & pedum, disertè tamen monet: Puribus partibus inunctis, *Presbyteri animus quiescat, quod jam infirmus receperit Sacramentum.* Et in morbis contagiosis, & peste grassante dicit, *posse inungi* TANTUM *organa quinque sensuum.*

XXVI. Quoad formam in ipsa partium unctione pronuntiandam vult Rituale Romanum, ut eandem, ac integram formam ad *singulorum* membrorum unctionem Sacerdos pronuntiet; monetque „ dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ pa- „ ria sunt, Sacerdos ungit, caveat ne altero eorum inungendo, „ Sacramenti formam priùs absolvat, quàm ambo hujusmodi *paria* „ membra inunxerit.“

Pastorale novum Mechliniense, tametsi in morbis contagiosis, & peste grassante permittant *tantùm quinque sensuum organa* inungi, vult tamen ad singulas unctiones dici *integram* formam, sensui, qui inungitur, accommodatam.

XXVII. Cameracense Manuale in morbis contagiosis, ac peste grassante, atque insuper etiam morte urgente, permittit, „ ut ungantur *celeriter* quinque sensuum organa in capite, di- „ cendo *semel*: Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam „ misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per „ visum, auditum, &c.“ Quin & addit hoc Manuale: „ Quod „ si tamen sit contagii vel mortis periculum, ut nec consuetæ par- „ tes ungi, nec illa forma pronuntiari possit; ungatur organum „ sensus magis ad unctionem expositum, diciendo: *Per istam sanc-* „ *tam Unctionem, & quidquid deliquisti per quinque sensus tuos.*“

Ulteriùs ad vitandum contagium adjicit idem Manuale. „ In „ rabidis ungatur pars ori vicina, ne saliva, quæ inficiendi vim „ habet, tangatur. In pestiferis uti licebit virga oblonga oleo „ tincta, quæ deindè comburatur, aut servanda purgetur.“

XXVIII. In variis Diœcesibus moris est, ut etiam extra periculum contagii unctio fiat non pollice, sed virgula.

Interim ex citato Manuali Cameracensi colligitur, ab auctoribus illius Manualis creditum fuisse, alicujus determinatæ partis unctionem ad Sacramenti validitatem requiri: At quia hoc certum non est, haud facilè Sacerdotes quinque sensuum organorum inunctionem ob infectionis periculum, præsertim si propinquum non sit, omittere possunt; præcipuè iis in locis, ubi Ritualia licentiam omittendi expressè non tribuunt.

CAPUT II.

Quibus & quando hoc Sacramentum administrandum.

1 *Solis infirmis ex sententia Sancti Jacobi, & Traditione Ecclesiæ.*
2 *In confirmat Synodus Tridentina.*
3 *Quàm gravis debeat esse infirmitas, incertum.*
4 *Non requiritur extrema omni convalescentiæ spe destituta.*
5 *Græci extremam non requirunt.*
6 *Hodierna Ecclesiæ Latinæ disciplina requirit eam, quæ morale mortis periculum ingerit.*
7 *Non sufficit morale mortis periculum: nisi adsit infirmitas.*
8 *An mulieribus in partu graviter laborantibus.*
9 *Quomodo pueris administrandum.*
10 *Amentibus quomodo dandum.*
11 *Infirmis sensu & ratione destitutis quomodo administrandum.*
12 *Nequaquam differendum, quousque infirmus sit sensibus destitutus.*
13 *A Parochis monendi Fideles, ne nimium hoc Sacramentum differant.*
14 *Olim stulta fuit persuasio, quòd hoc Sacramento suscepto fas non esset infirmo condere testamentum.*
15 *Evellenda persuasio de adempta spe convalescentiæ post susceptum hoc Sacramentum.*

Ali-

16 *Aliquando persuasum fuit non licere conjugatis post semel acceptum hoc Sacramento uti matrimonio.*
17 *Item non licere vesci carnibus.*
18 *Ob vulgarium deliramenta sensim hoc Sacramentum dilatum fuit ad extremum mortis articulum; & viatico postpositum.*
19 *Deliramenta hæc invalueruæt, eò quòd Extrema-Unctio reputata esset pro* solemni *pœnitentia*
20 *Infirmus ungendus cinere & cilicio operiebatur.*
21 *Fusius ostenditur deliramentorum præfatorum origo.*
22 *Extrema-Unctio tanquam Pœnitentiæ complementum credebatur olim Viatico præmittenda.*
23 *Hic ritus præscribitur in Sacramentario S. Gregorii.*
24 *Ritus usque ad annum* 1000. *ubique retentus.*
25 *Etiam seculo XIII. perduravit, & in Belgio notus.*
26 *Demum hoc seculo aut circa finem præteriti mutatus.*
27 *Inquiritur causa mutati ritus.*
28 *Hodie etiam ex præscripto Ritualium Viaticum Sacræ-Unctioni præmittendum.*
29 *A præscripto suorum Ritualium inferiores Presbyteri facilè recedere non possunt.*
30 *Episcopis expendendum, num & quousque pristina disciplina revocanda.*

I. EX Epistola Apostoli Jacobi, ad quam, quidquid de vera hujus Sacramenti natura dicitur, tanquam in certam regulam transferendum est, nequaquam obscurum est, solis *infirmis* corpore hoc Sacramentum esse administrandum: nam de his solis loquitur, dicens: SI QUIS INFIRMATUR *in vobis, inducat Presbyteros*, &c.

Quapropter constans fuit Ecclesiæ, præsertim Latinæ traditio, non nisi ægris hoc Sacramentum exhibendum esse.

Innocentius I. in Epistola ad Decentium *cap.* 8. relatis verbis Apostoli Jacobi: *Si quis infirmatur in vobis* &c. subnectit: » Quod » non est dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi » debere, qui sancto Oleo Chrismatis perungi possunt: quo ab » Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti » Christianis licet in sua, aut suorum *necessitate* ungendis.«

II. Traditioni huic & Apostoli Jacobi verbis inhærens Synodus Tridentina *Sess.* 14. *cap.* 3. *de Extrema-Unctione*, declarat, » esse hanc Unctionem *infirmis* adhibendam; illis verò præ» sertim qui tàm periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ consti» tuti videantur: unde & Sacramentum *exeuntium* nuncupatur.«

III. Quàm gravis autem corporis *infirmitas* requiratur, ut ad mentem Apostoli Jacobi, Sacramentali hac Unctione infirmis inungi queat, falicè determinari nequit: quia simpliciter & indefinitè dicit: *Si quis* INFIRMATUR *in vobis, inducat Presbyteros*, &c.

VI. Hoc sat videtur expeditum, non eam infirmitatem requiri, quæ extrema sit, nullam reconvalescentiæ penè spem relinquens; sed *gravem* sufficere.

De S. Eugendo, cujus suprà meminimus, refertur, quòd cùm Unctionem sibi impertiri petiit, ultra sexagenariam ætatem sex ferè mensibus *inæqualitate* corporis laborâsset, adhuc tamen corpore firmus, quòd *nunquam Canonico usque ad horam defuisset cursu, nec bis in die fesso corpusculo coactus fuerit aliquid impertiri.*

V. Notat Goartius ad Rituale Græcorum *pag.* 432. apud Græcos moris esse, ut ægri plurimi Unctionem Sacram accepturi » aliorum manibus & ope ad Ecclesiam se deferri faciant; ibique » plurium nonnunquam dierum spatio in Catechumenis jaceant, » pernoctent, morentur, & sacra tandem Unctione sibi reme» dium exposcant.« Indicium, Græcos non credere, *extremam* planè infirmitatem ad suscipiendum Unctionis Sacramentum esse necessariam.

VI. Quidquid sit de pristino Ecclesiæ usu quoad gravitatem infirmitatis in ungendo requisitam, hodie, saltem in Ecclesia Latina requiritur infirmitas *periculosa*: & quidem talis, ut ob eam videatur morale mortis periculum imminere.

D. Rituale Romanum ait: » Debet autem hoc Sacramentum » infirmis præberi, qui cùm ad usum rationis pervenerint, tam gra» viter laborant, ut *mortis periculum* imminere videatur, & iis, » qui præ senio defficiunt, & in diem videntur morituri, etiam » sine alia infirmitate.«

VII. Pastorale Mechliniense præscribit: » Nemini, qui *gra» vi* morbo affectus non sit, Sacramentum Unctionis dare licet, » quamvis *periculum mortis* adeat; vel quia periculosam naviga» tionem parat, vel quia prælium initurus sit, à quo certa mors » illi impendeat, vel etiam capitis damnatus ad supplicium ra» peretur.«

Non ergo sufficit imminens mortis periculum; sed requiritur, ut hoc vi morbi immineat; conformiter ad verba S. Jacobi: *Si quis infirmatur*, &c.

VIII. Idipsum expressit Rituale Romanum, item S. Carolus in suis Instructionibus Extremæ Unctionis, additque: *Neque mulieribus in partu laborantibus.* Manuale tamen Cameracense vult hoc Sacramentum administrari *fœminis in partu deficientibus*: adjungitque. » Rabidis, peste infectis, lethaliter vulneratis, ex» hausto veneno periclitantibus, etiam dum adhuc *robusti* sunt, » si postea suscipiendæ Unctionis opportunitatem non habent.«

IX. *Non ministretur pueris rationis usum non habentibus*, ait Rituale Roman. idem habet Pastorale Mechliniense, unâ tamen monens: » Secus de pueris periculosè ægrotantibus, qui peccati » mortalis, ac confessionis capaces sunt, licèt sint solùm octo » aut novem annorum, & quamvis nunquam communicaverint, » ità tamen, ut si eos mori contingat, non sint eorum parentes » urgendi ad exequias more adultorum. «

X. » Amentes, qui ab ipso ortu nunquam fuerunt mentis » compotes, ungendi non sunt, ait Pastorale Mechliniense. Amen» tes autem & furiosi (ait idem Pastorale) habentes interdum ra» tionis usum, si eo potissimum tempore piam animi significatio» nem dederunt, aut hoc Sacramentum petierunt, licet postea » in furorem, aut insaniam incidant, ungendi sunt, nisi tanta sit » frenesis, ut infirmus aliquid contra reverentiam Sacramenti fa» cere posset, quo casu non ungatur, nisi periculum tollatur » omninò.

XI. » Infirmis autem, qui dum sana mente & integris sensi» bus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu de» derint signa contritionis (ait Rituale Roman.) etiamsi deinde » loquelam amisserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut » non sentiant, nihilominus præbeatur.«

Dicit Pastorale Mechlin. » Quamvis non petierit, si tamen » erat bonæ vitæ, quia non præsumitur immemor suæ salutis in » morte plusquam in vita. Unde præsumitur quòd petat, vel quòd » petiisset, & quòd petere voluit, sed non potuit.«

XII. Itaque juxta modernam disciplinam signanter Ecclesiæ Latinæ, Sacramentum Extremæ-Unctionis dandum non est, nisi infirmitas tanta fuerit, ut mortis periculum vi istius infirmitatis imminere videatur; hæc tamen infirmitatis gravitas non eousque extendenda est; nec administratio hujus Sacramenti tàm diu differenda est, ut vel nulla omninò spes convalescentiæ supersit; aut ipse infirmus sensibus, & ratione destitutus sit, uti expressè inculcant Synodi nostræ.

XIII. » Parochi ægrotos sæpe invisant, hortenturque ne ad » extremum Sacramenti hujus susceptionem differant: ac potiùs » *sensibus, rationisque usu adhuc integris*, illud sibi administra» ri petant, ut ità uberiorem ejus fructum percipiant, « ait Synodus P. II. Mech. *tit.* 8. *cap.* 1.

XIV. Idipsum passim omnes Synodi præcipiunt; uti & illud quod dicta Synodus Mech. immediatè subjicit *cap.* 2. » Fal» luntur qui existimant, suscepto hoc Sacramento vel testamen» tum condi non posse, vel spem convalescendi ob id imminui; » ideoque Pastores contrarium subinde populum doceant. Et si » forte alicubi usus introductum sit, ut testamentum à suscep» tione hujus Sacramenti conditum non subsistat, declarat hæc » Synodus hujusmodi consuetudinem pro corruptela habendam » esse, utpotè causam cur tam salutaris Sacramenti susceptio, » ad extremum vitæ spiritum à plerisque differatur; iique inte» rim effectus Sacramenti non percipiant, & sæpè etiam sine eo » moriantur. «

Communis, atque vulgaris hæc de adempta facultate condendi testamentum opinio in hoc Belgio fuisse videtur; quandoquidem omnes passim Synodi moneant, ut stultam hanc opinionem convellant: hacque forsan Synodorum monitione effectum, ut hodie contrarium sit persuasum, & quotidie testamenta post hujus Sacramenti susceptionem ab infirmis fieri videamus; nec ullus eo titulo invaliditatis arguere testamenta præsumat.

XV. Utinam æquè è mente Fidelium evulsa esset altera de adepta omni spe convalescentiæ stulta opinio; qua etiamnum hodiè contingit, ut frequenter hoc Sacramentum ad extremum vitæ spiritum differant; atque hinc ulteriùs fiat, ut sine ullo devotionis affectu, & non rarò sine omni effectu recipiatur.

XVI. Observat Joannes Mabillonius in præfatione ad I. seculum Benedictinorum *num.* 100. quòd seculo XIII. invaluisset, præsertim in Britannia, stulta opinio, quòd uxoratis post susceptam Sacram Unctionem non liceret reverti ad opus conjugale; eamque superstitionem ad alia nonnulla erroris capita sensim prolapsam.

Richardus Episcopus Sarisberiensis in Constitutionibus editis anno 1217. *cap.* 68. ait: » Dicant etiam ac denuntient confi» denter Sacerdotes, quòd post susceptum hoc Sacramentum » licitum est reverti *ad opus conjugale.* « Habetur tom. 11. Concil. General. *col.* 264. Idipsum repetitur in Constitutionibus cujusdam Anonymi editis anno 1237. & habetur eodem tom. *col.* 550.

XVII. Synodus Wigorniensis anno 1240. *cap.* 19. hæc inter alia habet: » Sunt autem quidam, ut audimus, qui post » perceptionem hujusmodi Sacramenti sanitati pristinæ restituti » nefas reputant, vel uxores suas cognoscere, vel carnes co» medere, vel etiam aliqua ratione nudis pedibus ambulare. Ho» rum autem errorem utpotè doctrinæ sanè contrarium execra» mur, & eos excommunicationibus, & monitionibus duximus » esse corrigendos. «

Has

Has erroneas vulgarium opiniones rursus anno 1287. Synodus Exoniensis, & anno 1307. Synodus Wintoniensis acriter convellunt; ut vel inde appareat, eas opiniones altas radices in mentibus vulgarium egisse.

XVIII. Ad iterata hæc decreta reflectens Mabillonius dicit, verisimile esse, „ob ea vulgi deliramenta Unctionem infirmorum *in mortis articulum* reservari cœpisse; ac sensim usum „in omnes Ecclesias fuisse propagatum.“ Cui forsan & stulta opinio de adempta facultate condendi testamentum non parum contulit.

Credit quoque Mabillonius ex hac vulgi perversa opinione factum esse, ut seculo XII. contra hactenus observatam disciplinam Sacræ Unctioni Viaticum præmissum fuerit.

XIX. Prædicta autem deliramenta hinc ortum suum habuisse videntur, quòd veteres habuerint Sacram Unctionem pro complemento *Pœnitentiæ*: adeò ut propterea Græci etiam sani Sacra Unctione utantur in Pœnitentiæ signum & peccatorum expiationem, uti multis docet Goartius in notis ad Rituale Græcorum, *pag.* 432. quamvis eam non ut Sacramentalem, sed ut cæremonialem duntaxat à sanis adhiberi credat.

XX. Hinc vetus quoque cæremonia pœnitentialis in exhibitione hujus Sacramenti, in quibusdam Ecclesiis adhibita, signandi scilicet ægrum signo crucis *ex cinere*, atque imponendi ægro *cilicium*.

In antiquo codice Rotaldi Abbatis apud Menardum in notis ad Sacramentarium S. Gregorii *pag.* 337. in ritu Unctionis dicitur: Tunc Sacerdos facit crucem *ex cinere* super pectus ejus, imponit *cilicium* desuper, dicens: „Si quis infirmatur, agat „*pœnitentiam* etiam ex necessitate, quia misericors est.

Idipsum habent alii veteres Sacramentarii libri editi ibidem à Menardo, quibus Launoius addit Librum Pontificalem M. S. Ecclesiæ Cameracensis, in quo ritus Unctionis describitur; atque inter alia, Benedictio *cineris*, Benedictio *cilicii*, & nonnullæ Orationes, ac dein dicitur: „Tunc Sacerdos facit cru„cem ex *cinere* cum aqua super pectus ejus, & imponit *cili„cium* desuper.“

De hoc ritu in pluribus Ecclesiis olim religiosè, at non ubique uniformiter observato ex libris Ritualibus latè agit citatus Lanojus sub titulo: *Explicata vetus Ecclesiæ traditio circa usum* CINERIS & CILICII *in infirmis, & circa lectum seu stratum cinere respersum in morituris.* Advertitque ex Breviario Romano, S. Carolum se huic disciplinæ submisisse: de ipso enim legitur: „Mediolanum reversus, ingravescente morbo, „*cinere* ac *cilicio* coopertus, & oculis in Crucifixi imaginem „defixis migravit in cœlum.“

XXI. Cùm ergo Extrema-Unctio jam pridem reputata fuerit pro pœnitentia; quin & quidam ritus in *solemnis* pœnitentiæ impositione adhiberi solitus hic quoque adhiberetur; quidni sensim aliquibus persuasum fuisse credamus, comestionem carnium, actum conjugalem, & similia vetita esse post impositam hanc quasi publicam pœnitentiam; quandoquidem constaret, similia Pœnitentibus fuisse jam pridem interdicta; uti multis ostendit Morinus *lib.* 7. *cap.* 10. & sequentibus.

Quidquid sit de horum deliramentorum, & falsarum opinionum origine seu fundamento, duo tamen certa sunt.

XXII. Alterum, quòd Extrema-Unctio reputata fuerit ut complementum pœnitentiæ; atque ad reliquias peccatorum abstergendas efficax, juxta illud S. Jacobi: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

Hinc ulteriùs reputabant, Sacramentum hoc convenienter post Sacramentum Pœnitentiæ suscipi; ut si quæ peccatorum reliquiæ superessent, Sacra hac Unctione abstergerentur; atque ita majore cum puritate Viaticum Corporis, & Sanguinis Domini ab infirmo sumeretur.

XXIII. Unde in Sacramentario S. Gregorii apud Menardum post recitatas preces & Unctionem infirmi subditur: *Deinde communicet cum Corpore & Sanguine Domini.* Ad quæ verba notat Menardus *pag.* 334. „Ita in codice Rotradi, & Ratoldi, „& Tiliani, & S. Remigii, & S. Germani à Pratis, in quibus „datur Eucharistia post ipsam Unctionem. Quod valdè notan„dum est; quia olim ungebatur infirmus antequam sumeret „Viaticum Corporis, & Sanguinis Domini.“ Hæc ille, qui hanc disciplinam ibidem pluribus astruit; atque latiùs prosequitur Joannes Launoius sub titulo: *Explicata vetus Ecclesiæ traditio de data infirmis post Unctionem Eucharistia.*

XXIV. Prima parte hujus tituli profert Launoius monumenta & exempla, quæ hanc traditionem astruant ab anno 700. usque 1000. atque inter cætera *Canonem V.* Concilii Aquisgranensis anno 836. celebrati: „Si quis infirmitate depressus fuerit, „ne confessione atque oratione Sacerdotali, nec non *Unctione* „sacrificati *Olei* per ejus negligentiam careat; denique si finem „urgentem perspexerit, commendet animam christianam Do„mino Deo suo more sacerdotali cum acceptione Sacræ Com„munionis.“

Hîc videmus, non tantum Unctionem datam ante Sacram Communionem; sed insuper, data jam Unctione, demum sacram Communionem fuisse datam, si ulteriùs Sacerdos *finem urgentem perspexerit.*

XXV. Parte secunda sui tituli refert Launoius Scriptorum testimonia, eandem traditionem astruentia ab anno millesimo ad millesimum trecentesimum; ac inter cætera monumenta adfert antiquum Librum Pontificalem M. S. Ecclesiæ Cameracensis, ubi in ordine ad visitandum infirmum primò ponuntur orationes à Sacerdote recitandæ, deinde ipsa Unctio infirmi, quâ absolutâ sequitur oratio: „Domine Sancte Pater omni„potens æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti „fratri nostro Sacrosanctum Corpus & Sanguinem Domini nos„tri Jesu Cristi Filii tui, tàm corporis, quàm animæ sit salus. „Per eundem Dominum nostrum, &c.“

Hoc hîc referendum credidi, ut appareat, etiam in Belgio nostro pridem hanc disciplinam viguisse.

XXVI. Tertia parte refertur ex Ritualibus praxis quarundam Ecclesiarum, probans eandem disciplinam ab anno millesimo trecentesimo ad annum millesimum sexcentesimum; atque ibidem notat, in plerisque Ecclesiarum Gallicanarum Ritualibus sive Manualibus, etiam præterito seculo excusis, veterem ordinem administrandi Sacramentum Unctionis ante Viaticum, fuisse servatum; at illud mutatum fuisse in plerisque illis Ritualibus XVII. seculo recusis. Unum tamen Manuale Cenomanensis Ecclesiæ, quod anno octavo XVII. seculi recusum est, antiquum ordinem retinuisse observat.

Ex his constat, in multis Ecclesiis etiam usque ad XVII. seculum, aut saltem finem XVI. perseverâsse praxim dandi Sacram Unctionem ante Viaticum; ut eam in aliquibus Ecclesiis mutari cœptam seculo XIII. ac tandem sub finem XVI. aut initium XVII. seculi ubique penè in Ecclesia Latina mutatum esse ordinem; atque Viaticum Unctioni præmissum fuisse.

XXVII. Putat enim Launoius, „quòd ad illam mutationem „plurimum valuit malè percepta Extremæ-Unctionis notio, quæ „quorundam è Schola Theologorum animis *extremum* Sacramentum objecit. At profectò sonat tantùm Unctionem, quæ in „genere Unctionis *extrema* est, non quæ *extremum* Fidelium „Sacramentum.“ Hæc ille *observ.* 5. ad citatum titulum, qui dein *observ.* 6. ostendit, apud veteres nullum occurrere testimonium, quo probetur, sacram hanc Unctionem fuisse dictam *extremum* Sacramentum. Launoio consentit Mabillonius *in citata præfatione numer.* 98. asserens, *extremam* vocari cœptam sub finem seculi XII. idque antequam Unctio Viatico posterior esset: ut proinde nomenclatura illa, Viatico eam postponendi occasionem aliquam dedisse potuerit.

XXVIII. Tametsi occassio mutati ritûs nonnihil obscura sit; ac forsan non una fuerit in omnibus Ecclesiis, illud tamen constat, ritum illum præmittendi sacram Unctionem Viatico in omnibus Ecclesiis Latinis, solis Cisterciensibus, & paucis forsan Ecclesiis exceptis, desiisse; contrariumque ordinem non tantùm consuetudine invaluisse, sed etiam in plerisque Ritualibus, & Synodis præscriptum.

Rituale Romanum Pauli V. sub initium XVII. seculi de hoc ritu præmittendi Viaticum Unctioni, tanquam jam generali Ecclesiæ consuetudine recepto loquitur, hæc statuens: „In quo „illud imprimis ex *generali* Ecclesiæ consuetudine observandum „est, ut si tempus, & infirmi conditio permittat, *ante Extre„mam-Unctionem* Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta infirmo „præbeantur. (b).

Pastorale Mechliniensi præscribit: „Licet Sacramentum „Extremæ-Unctionis regulariter post Pœnitentiæ, & Eucha„ristiæ Sacramenta ministrari debeat, ei tamen, qui ob „insaniam, furorem, vel alium morbum hæc Sacramenta re„cipere non potest, conferenda est Extrema-Unctio sine præ„via confessione, aut communione.“

Similia aliarum Ecclesiarum Ritualia præscribunt; atque hodiernum ritum à veteri diversum stabiliunt.

XXIX. Hæc Ritualium præscripta oportet, ut inferiores Presbyteri sequantur; nec facilè hîc recedendum, quasi antibendæ sunt, *Eucharistiam sequatur Extrema-Unctio, si tamen devotio infirmi aliud postulaverit, id ei concedatur. III. Ut quoties cum oleo infirmorum Viaticum ad ægrotum defertur, antequam æger Viaticum sumat, inungatur à Sacerdote. IV. Si periculum adsit, ne infirmus sine Viatico decedat, statim Viaticum ante Unctionem administretur.*

In omnibus Ecclesiis Hispaniæ Germaniæque Catholicæ Viaticum ante Extremam-Unctionem more Romano administratur.

(b) *Ecclesia Parisiensis superiori seculo Eucharistiam infirmis conferebat ante Extremam-Unctionem, ut constat ex ejus Rituali, quod anno* 1651. *prælo mandatum est, verùm à plurimis annis hunc mutavit ritum, ut veterem eo sequeretur modo. I. Curandum est*, inquit recentius Rituale, *ut quantum status ægroti permisserit Extremam-Unctionem Sacramenti Pœnitentiæ administratio præcedat. II. Conveniens est, ut cùm diversis temporibus Extrema-Unctio & Eucharistia infirmo præ-*

tiqua disciplina ipsius Sacramenti institutioni videatur conformior : eò quod institutum sit ad tollendum peccatorum reliquias , & consequenter ad disponendum infirmum , ut fructuosiùs Sacrum Viaticum recipiatur ; quia cùm hîc de puncto disciplinæ agatur , non facilè Presbyteris inferioribus â consuetudine suæ Ecclesiæ præsertim jam in Ritualibus libris auctoritate Superiorum stabilita , recedendum est. Si tamen infirmus aliquis de veteri Ecclesiæ disciplina instructus, desideraret sibi ad abstergendas peccatorum reliquias , ante Viaticum administrari hoc Sactamentum , etiam posset infirmi desiderio interdum satisfieri ; modo non timeretur inde Fidelium scandalum , aut superiorum offensio ; quemadmodum non ita pridem duo hujus Academiæ Eximii Doctores ex Ordine Eremitarum S. Augustini , Christianus Lupus , & Franciscus Farvacquius optimè de antiqua Ecclesiæ praxi instructi , sibi ante Viaticum dari Extremam-Unctionem postulârunt , & obtinuerunt.

XXX. Episcopi autem , aliique Prælati quibus disciplinæ conservatio & restauratio præcipuè incumbit , expendere possunt , qui pro locorum , & temporum conditione retinendum, aut mutandum vel restaurandum sit : illud attendentes , per antiquam disciplinam dandi Sacram Unctionem ante Viaticum, futurum esse , non tantùm , quòd infirmi à reliquiis peccatorum expurgati cum majore puritate , majorique fructu Viaticum sint recepturi ; sed insuper futurum sit , quòd Extrema-Unctio non differatur usque ad extremum vitæ spiritum, & frequenter negligatur.

* Etenim non dubium , quin Episcopi eorumque Ministri, qui hisce Libris, Manualibus & Ritualibus concinandis impensi fuêre , potiùs præ oculis habuerint , & secuti sint vulgarem illam opinionem , quæ tum invaluerat , scilicet , quod Sacramentum Unctionis *in extremis* duntaxat esset conferendum, quasi *Extrema-Unctio* , non satis attendentes , non dici Extremam-Unctionem , quasi in extremis , aut ut extremum Sacramentum esset conferendum , sed quia inter Unctiones est *extrema* , quâ homo Christianus inungitur.

Interim non dubium quin pristina Ecclesiæ disciplina ad ministrandi hoc Sacramentum ante Viaticum videretur congruentior primariæ rationi instituti hujus Sacramenti , quæ est abstergere reliquias peccatorum , purioremque reddere infirmum ad sumendum Viaticum. (c).

Optandum esset , ut tales revidendis similibus Libris adhiberentur viri , qui veterem Patrum disciplinam , & veram Rituum , ac cæremoniarum rationem & originem perspectam haberent.

Nec enim dubium , quin ex horum ignorantia in pluribus à pristina & meliori Patrum disciplina sit recessum , plurimaque in ritus & cæremonias irrepserint , quæ parum aut nihil ad devotionem populi excitandum , ad majorem erga res sacras venerationem conciliandam conferant ; imò ipsos ritus , ac cæremonias spectatâ modernâ Ecclesiæ disciplinâ , ita obscurârunt , ut vix quid per eas intendat Ecclesia , intelligi queat, atque ad sensus mysticos à cujusque judicio pendentes sit recurrendum.

CAPUT III.

De Ministro , Ritu , et Iteratione hujus Sacramenti.

1 *Ministros hujus Sacramenti esse Presbyteros docet S. Jacobus , & traditio Ecclesiæ.*
2 *Idipsum declarat Synodus Tridentina.*
3 *Sanctus Jacobus plures Presbyteros inducit , unde & ritu Græcorum plures interveniunt.*
4 *Nec tantùm intersunt , sed etiam inungunt.*
5 *Etiam in Ecclesia Latina plures adhibiti.*
6 *Seculo XII. dubitatum , an plures requirerentur , & unum sufficere resolutum est.*
7 *Conveniens est , ut plures interveniant ; & quare.*
8 *Sanctus Carolus desideravit , ut plures interverirent.*
9 *An conveniat , ut solus Parochus cum custode preces recitet.*
10 *Regulares Presbyteri sine licentia Parochi administrare non possunt.*
11 *Solus Parochus hodie est* ordinarius *Minister.*
12 *Monere debet populum , ut tempestivè petant administrari.*
13 *Interdum ultrò infirmum adire & monere debet.*
14 *Quam periculosum Parocho , si ejus culpa negligatur.*
15 *Nec tempore pestis administratio negligenda , & an danda cum manifesto vitæ periculo.*
16 *Parochus delaturus Sacrum Oleum superpelliceo , & stola indutus sit oportet.*
17 *In delatione S. Olei* nola *pulsari non potest , & quare.*
18 *An lumen præferendum.*
19 *Ante delationem S. Olei campana pulsanda , & quare.*
20 *Eundo & redeundo à fabulis abstinendum , & orationi instandum.*
21 *Monendus populus ad orandum , eò quòd effectus hujus Sacramenti singulariter orationi adscribatur.*
22 *Manus Infirmo , Unctione peracta , imponitur.*
23 *Infirmo cereus ardens porrigitur.*
24 *Imago Crucifixi datur.*
25 *Quando hi duo ritus verisimiliter adhiberi cœpti , & quid occasione illorum adstantibus dicendum.*
* *Rittus veteres in administranda Monachis Extrema-Unctione observati.*
26 *Olim etiam in Ecclesia Latina in eodem morbo hoc Sacramentum reiterabatur.*
27 *Neque redarguendi Græci , qui etiam hodie reiterant.*
28 *Antiquorum opinio seculo XI. quòd nullatenus etiam in diverso morbo iterari posset , & quod fundamentum.*
29 *Contraria sententia ut probabilior sustinebatur.*
30 *Sententia Magistri Sententiarum & Altissiodorensis.*
31 *Sanctus Thomas reiterationem tantùm permittit , si morbus, aut periculum sit diversum.*
32 *Eadem sententia posteriorum Scholasticorum.*
33 *Quid Synodus Tridentina senserit.*
34 *Invaluit sententia S. Thomæ & eam passim Ritualia præscribunt.*
35 *Aliquando etiam hodie in eodem morbo reiteratur.*
36 *Damnata praxis non reiterandi hoc Sacramentum infra annum , tametsi status morbi fuerit mutatus.*
37 *Quæ circa reiterationem hujus Sacramenti statuta sunt , ad disciplinam spectant.*
38 *Circa hæc quisque suæ Ecclesiæ præscriptum sequi debet.*
39 *Parochus in dubio magis in reiterationem inclinare debet.*

I. HUjus Sacramenti Ministros sat patenter expressit Jacobus Apostolus dicens: *Si quis infirmatur in vobis, inducat* Presbyteros *Ecclesiæ , & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini.*

Unde Innocentius I. respondens Decentio Episcopo Eugubino *cap.* 8. repetens jam relata verba Apostoli , subdit : » Cæ» terum illud superfluum videmus adjectum , ut de Episcopo » ambigatur , quod Presbyteris licere non dubium est. Nam » idcircò *Presbyteris* dictum est , quia Episcopi aliis occupa» tionibus impediti , ad omnes languidos ire non possunt. «

Tam constans igitur eo tempore erat persuasio , *Presbyteros* esse hujus Sacramenti Ministros , ut dubitaret Decentius, num Episcopus & illud administrare potest.

Porrò evidens est Innocentium ibidem de veris & legitimè ordinatis Presbyteris loqui ; ipsumque non dubitâsse, quin Jacobus Apostolus de hujusmodi Presbyteris loqueretur , quemadmodum & omnia , tam Græcorum , quàm Latinorum antiqua & recentiora ritualia intellexerunt , uno consensu in ministros hujus sacræ Unctionis nominando Presbyteros seu Sacerdotes , idque auctoritate Apostoli Jacobi.

II. Unde contra nostri temporis Hæreticos definivit Synodus Tridentina *Sess.* 14. *Can.* 4. *de Extrema-Unctione*: » Si quis dixe» rit , Presbyteros Ecclesiæ , quos Beatus Jacobus adducendos » esse ad infirmum inungendum hortatur , non esse Sacerdotes » ab Episcopo ordinatos , sed ætate seniores in quavis com» munitate , ob idque proprium Extremæ-Unctionis ministrum » non esse solum Sacerdotem : anathema sit.«

III. Cùm verò Jacobus non unum Presbyterum ad infirmum induci velit , sed plures , dicendo *inducat* Presbyteros; videntur in administratione hujus Sacramenti , non unus duntaxat , sed plures Presbyteri adhibendi.

Et quidem Græcorum ritu , septem Presbyteri hoc peragunt ; aut si copia tot Presbyterorum desit , ad minus tres adhiberi debent , quapropter titulus officii *Olei* Sancti in eorum Rituale apud Goartium *pag.* 408. his verbis exprimitur : *Officium Sancti* oleI *decantatum à* septem *Sacerdotibus congregatis in Ecclesia , aut in domo.* Deinde relato officio pro infirmo ante sacram inunctionem recitando , nec non oratione in ipsa unctione dicenda , subjicitur in Rituale : » Hæc oratio ab » unoquoque Sacerdotum dicitur , postquam dixerit Evangelium » & orationem , cùm videlicet infirmum oleo perungit. «

IV. Hîc nota , Græcorum ritu , non tantùm plures Sacerdotes , in hujus Sacramenti administratione adesse , ut simul pro infirmo precentur ; sed ut etiam in eadem infirmitate , nec non ejusdem temporis tractatu , plures , id est , septem eorum Sacerdotes , easdem infirmi partes , Oleo sacro , repetitaque debita verborum forma , perungant , quemadmodum id ipsum observat Goartius *pag.* 483.

V. Neque Græcorum duntaxat , sed & Latinorum praxis jam

(c) *Suisquoque monumentis nititur usus conferendæ Eucharistiæ ante Extremam-Unctionem ; vide Bellarminum* l. 2. de Arte benè videndi , cap. 7. *Cæterum in Sacramentorum dispensatione quisque tenetur sequi ritum , qui suis temporibus obtinet in Ecclesia , cujus est minister.*

jam pridem fuit, ut plures Presbyteri ad Sacræ Unctionis ministerium vocarentur; atque simul pro infirmo orarent.

In veteri codice Sacramentarii S. Gregorii apud Menardum *pag.* 235. dicitur: MULTI *Sacerdotum infirmos perungent insuper in quinque sensus.* Et in codice Tiliano apud Menardum in notis ad Sacramentarium Gregorii legitur: » Imponunt manus super infirmum *omnes* Sacerdotes, jubente, vel tantùm » permittente Episcopo, quia canonicus sic ordo docet. «

VI. Quin & seculo XII. dubitâsse videtur Episcopus Carnotensis, num Sacerdos uno tantùm Clerico præsente infirmum inungere posset; uti collegitur ex Decretali Epistola Alexandri III. ad dictum Episcopum, apud Antonium Augustinum in prima Decretalium Collectione *lib.* 5. *tit.* 27. *cap.* 9. ubi hæc leguntur: » Quæsivit à nobis tua Fraternitas, utrum Sacerdos » *uno* Clerico tantùm præsente infirmum debeant inungere... Nos » itaque duximus respondendum, Sacerdos uno præsente Cle» rico, & etiam *solus* infirmum ungere potest. « Fragmentum. Epistolæ continens responsum Pontificis refertur in *Cap.* 14. *de V. S.*

VII. Ex his duo habemus. Unum, jam pridem apud Latinos, & hodie etiam apud Græcos, plures Sacerdotes in administratione hujus Sacramenti intervenisse. Alterum: nequaquam tamen plurium Sacerdotum concursum ita necessarium esse, quin unus solus validè hoc Sacramentum administrare queat.

Utrumque expressit S. Thomas *lib.* 4. *contra Gentes, cap.* 73. » Quia hoc Sacramentum (Unctionis) perfecte curationis effectum » habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacra» mento, quòd *multi* Sacerdotes intersint, & quòd oratio *totius* » Ecclesiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet. Unde Jaco» bus dicit: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & oratio fidei sana» bit infirmum*; si tamen unus solus Presbyter adsit, intelligitur » hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus Mi» nister existit, & cujus personam gerit. «

Non dubium, quin institutioni hujus Sacramenti esset convenientius, ut plures Sacerdotes & Clerici ad infirmum inungendum accederent, ut ipsa plurium Sacerdotum simul convenientium *oratio fidei* efficacius impetraret, & infirmo gratiam acciperet.

VIII. Hinc Sanctus Carolus in Concilio IV. Mediolanensi *part.* 2. *cap.* 6. monet Parochum, ut » id Extremæ-Unctionis Sa» cramentum ministraturus, quot commodè potest, *Presbyteros* & Clericos adhibere studeat superpelliceo indutos, qui ipsum & » ministrantem & *precantem*, pietatis orationisque studio in eo » ministerio adjuvent. «

Optandum sanè esset, ut Episcopi, & Parochi excitarent Sacerdotes & Clericos, ut officium hoc pietatis Infirmis, quando occasio se offert, & aliis necessariis negotiis non impediuntur, impenderent, atque sua pietate & precibus hujus Sacramenti uberiorem gratiam in infirmum quodammodo attraherent.

IX. Sanè cùm juxta Jacobi Apostoli verba, non tantùm S. Unctioni, sed & *oratione fidei* effectus Sacramenti tribuatur, atque propterea ex præscripto Ecclesiæ, etiam multò plures in hujus, quam aliorum Sacramentorum administratione preces recitandæ sint, dolendum est, unum duntaxat Sacerdotem cum Clerico seu Custode adhiberi; eosque non rarò has preces seu formulas quasdam sibi præscriptas sine intimo pietatis affectu, & fidei ardore, ut meritò dubitetur, num ex parte ipsorum dici queat *oratio fidei*, quam S. Jacobus requirit, & an non meritò adscribi queat defectui *orationis fidei*, quòd hujus Sacramenti tam exiguus appareat fructus. Licèt enim Sacramentum suum operetur effectum *ex opere operato*, ut loquuntur, dubitari tamen nequit, quin pietas, atque fides ministrantium & astantium, ac multorum adunata & charitate fideque fervens oratio non parùm conferant, ut uberiorem effectum in suscipiente habeat.

Hîc quoque obiter reflectendum, quàm meritò in Synodis sæpius decretum sit, ut in Custodes Ecclesiarum Parochialium eligantur pietate, ac morum probitate insignes, uti supra *part.* 1. *tit.* 4. *cap.* 2. annotavimus; quandoquidem ipsi sint, qui unà cum Sacerdote preces in administratione hujus Sacramenti pro infirmo recitare solent.

X. Secundum modernam disciplinam non quilibet Presbyter est hujus Sacramenti Minister, sed soli Parochi; in tantùm ut in *Clem.* 1. *de Privilegiis*, decernatur, quòd » Religiosi, qui Cle» ricis, aut Laicis Sacramentum Unctionis Extremæ, non ha» bita super hoc *Parochialis* Presbyteri licentiâ *speciali*, minis» trare præsumunt, excommunicationis incurrant sententiam ip» so facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi; quos » etiam locorum Ordinarii (postquam de hoc eis constiterit) » excommunicatos faciant publicè nuntiari, donec de absolutione » ipsorum eis fuerit facta fides, nullo Religiosis eisdem super » hoc exemptionis, vel alio privilegio suffragante. «

XI. Insuper Synodi, ac Ritualia alium hujus Sacramenti ministrum (excepto casu necessitatis) quàm Parochum, non agnoscunt; omniaque decreta, ac instructiones omnes ad Parochos diriguntur.

Sanctus Carolus in Synodo Mediol. V. *part.* 1. *tit.* 11. expressè habet: » Ne alius Sacerdos, nisi *Parochus* hoc Sacra» mentum ministret. Si porrò is impeditus, aut aliàs in mora est, » mortisque periculum instat, tunc Sacerdos alius ministret li» cet. « Et Cathecismus Romanus *part.* 2. *de Sacramento Extremæ-Unctionis*, §. 21. ait: » Neque tamen ex Ecclesiæ decreto » cuivis Sacerdoti, sed *proprio Parocho*, qui jurisdictionem ha» bet, sive alteri, cui ille hujus muneris fungendi potestatem fe» cerit, hoc Sacramentum administrare licet. «

XII. Imprimis autem monent, ut » Parochi ægrotos sæpè in» visant, hortenturque, ne ad extremum Sacramenti hujus sus» ceptionem differant; ac potiùs sensibus, rationisque usu adhuc » integris, illud sibi administrari petant, ut ita uberiorem ejus » fructum percipiant; uti loquitur Synodus P. II. Mechlin. *tit.* 8. » *cap.* 1. & aliæ passim Synodi inculcant. «

XIII. Quin, ubi infirmum esse resciverit Parochus, de quo veretur, ne fortè negligentiâ, aut malignitate domesticorum aut propinquorum non munitus Sacramentis moriatur, adeat ædes infirmi, etiam non vocatus, eumque ad suscipienda Sacramenta excitare conetur; quemadmodum habet Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.* 8. *cap.* 2. aliæque plures.

XIV. » Ut vigilanter Pastor hoc Sacramentum infirmis im» pendat (ait citata Synodus Buscoducensis *cap.* 4.) non tantùm » officii sui ratio eum excitare debet, sed etiam exemplum B. Ma» lachiæ Episcopi, de quo scribit Bernardus in ejus vita: quòd » cùm ad nobilem fœminam Oleo Sacro ungendam vocatus esset, » & illa tamen sine hoc Sacramento expirâsset; ita Vir Sanc» tus consternatus est, ut juxta eam stans, pro Oleo Sacro largis» simo lachrymarum imbre mortuam perfuderit, totaque nocte » gemitibus consumpta, non priùs animo quietem restituerit, quàm » defuncta ad vitam revocata gratiâ hujus Sacramenti, qua ca» ruerat, frueretur. «

XV. Neque tempore pestis, aut alterius morbi contagiosi hujus Sacramenti administrationem negligendam esse passim Ritualia & Synodi indicant, ritum & cautionem designantes, quibus morbis hujusmodi infectis administrari possint.

Imò contrariam opinionem, quæ alibi invaluerat, quòd peste infecto ministrare non deberet, tanquam perniciosum errorem reprobat Synodus Namurcensis anno 1639. *tit.* 14. *cap.* 9. dicens: » Saluti Subditorum nostrorum consulere volentes, ordi» namus, ut Pastores suis subditis pestilentia correptis, quam» vis Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ eis administraverint, » non omittant etiam Extremam-Unctionem illis dare, si id abs» que manifesto vitæ periculo præstare possit. «

Deinde *cap.* 10. » Qui autem peste afflatus non est confessus, » nec potest confiteri, Pastor teneatur illi Extremam-Unctionem » etiam cum periculo vitæ dare. «

Ideò indubiè, quòd priori casu, ipsa confessio, & absolutio quodammodo vices Extremæ-Unctionis, saltem quoad remissionem peccatorum, & Viaticum quoad infusionem gratiæ suppleverint; posteriore verò casu, ipsa Extrema-Unctio, tanquam species Pœnitentiæ, defectum Confessionis & Sacramenti Pœnitentiæ supplere aliquo modo debeat.

XVI. Cùm juxta modernam praxim, non nisi post Viaticum, & in *gravi* valdè infirmitate Sacra Unctio conferri soleat; nec ægri illam in Ecclesia (quemadmodum olim frequenter fiebat) sed domi suæ decumbentes accipere consueverint, ideoque sacrum Oleum per Sacerdotes ad ædes decumbentium sit deferendum pro reverentia ipsius sacri Olei & Sacramenti, in plerisque Synodis & Ritualibus statutum est, ut Sacerdos ægrotum uncturus, indutus sit superpelliceo & stolâ, comitante & præcedente Custode, similiter superpelliceo induto.

XVII. Ut tamen populus sciat, Sacro Oleo non deberi eum cultum adorationis, qui exhibetur Eucharistiæ, monent Synodi uti & Ritualia, ut dum Sacrum Oleum solum defertur, Custos Sacerdotem præcedat, sed sine *nola*, cujus sonitu populus ad adorationem Eucharistiæ excitari & moneri solet.

XVIII. Quin & Synodus Namurcensis ann. 1639. *tit.* 14. *cap.* 1. vult quidem » Parochum Sacrum Oleum infirmorum ad » ægrotos deferentem Matricularius detecto capite comitetur, « sed addit: » Non tamen LUMEN, aut *nolam* sonantem præferat, ni» si simul deferatur Sanctissimum Sacrametum Eucharistiæ. «

Quod de vetita *luminis* gestatione ante Sacrum Oleum hîc decernitur, hodie non observatur; imò in plerisque Synodis & Ritualibus expressè decernitur, ut Custos lumen præferat. In numero tamen tædarum aliove externo cultu convenit, ut sit differentia in delatione Eucharistiæ & Sacri Olei, ut inde populus intelligat, alium planè cultum & reverentiam Eucharistiæ, quam Sacro Oleo exhibendum esse.

XIX. Ad hæc monet Synodi, ut cùm Sacrum Oleum ad infirmum deferendum est, » campana aliqua pulsetur ex Parochiis, » cujus sono omnes intelligant, deferendum Extremæ-Unctionis » Sacramentum, moneanturque Fideles, ut hoc signo dato, se » ad Ecclesiam conferant; & Sacerdoti se jungant, pro salute » ægri cum eodem deprecaturi; & hoc opus charitatis, etiam » propositis indulgentiis, ubi expedire judicaverit Episcopus, in» vitentur: cæteri, quibus non vacat, erigant saltem animum

» in cœlum ; & pro salute decumbentis aliquam oratiunculam » offerant Deo ; extrema enim hac necessitate , fidelium precibus » ægri maximè indigent , & iisdem maximè juvantur.“

XX. Ita Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 12. *cap.* 1. quod & in aliis Synodis statuitur ; additurque , ut tam eundo quàm redeundo à fabulis omnes abstineant , devoti in fundendis precibus pro salute infirmi , uti loquitur Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 17. *cap.* 2. monetque Pastorale Mechliniense , ut inter eundum Parochus recitet Psalmum *Misere* , aut alios ex Pœnitentialibus , vel Psalmum *Beati immaculati in via.*

XXI. Opportunè hîc monebit Parochus ipsos Fideles, ut meminerint , effectum hujus Sacramenti singulariter adscribi *orationi fidei* , juxta illud Jacobi Apostoli : *Et oratio fidei salvabit infirmum* ; ac propterea sperandum sit , quòd quo ferventius orationi instabunt , tanto uberiorem fructum ex Sacramento infirmus sit accepturus.

XXII. Ex præscripto Pastoralis Mechliniensis , post peractam Unctionem , Sacerdos manum suam super caput infirmi ponens , aut , si id horror morbi vetat , versus infirmum elevans, orationem ibidem præscriptam recitare jubetur.

Hic in datione Extremæ-Unctionis ritus publicè Pœnitentiæ apparet. Scitur enim crebras manuum impositiones & orationes, tum in ipsa Pœnitentiæ datione , tum in ejus decursu, atque Pœnitentium reconciliatione intervenisse.

XXIII. Ex præscripto ejusdem Pastoralis Unctione peracta, porrigit Sacerdos infirmo *cereum ardentem* , dicens: » Accipe » lampadem ardentem , custodi Unctionem tuam , ut cùm Domi» nus ad judicandum venerit , possis occurrere ei cum omnibus » Sanctis , & vivas in secula seculorum.“

XXIV. Post hæc addit : *Adhibere debet infirmo imaginem Crucifixi , ut in eam oculos conjiciat , cum salubri confidentia in Passionis merita* ; adjiciens orationes binas hîc recitandas.

XXV. Hi ultimi ritus , qui mortem admodum vicinam designant, verisimiliter adhiberi cœperunt, postquam Extrema Unctio non nisi morti valdè vicinis dari cœpit : neque enim in Rituali Romano , aut Manualibus aliarum Diœcesium hi ritus occurrunt.

Interim occasione horum rituum , & aliorum , quæ in administratione hujus Sacramenti interveniunt , occasio admodum opportuna datur Parocho , piam ac salutarem exhortationem , præsertim de morte , extremo judicio , & ratione vitæ præteritæ danda, ad circumstantes habendi; quemadmodum supra *tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. dictum est.

* Monachi Ordinis S. Benedicti videntur olim habuisse quosdam speciales ritus, dum suis infirmis Extremam-Unctionem conferrent.

Edmundus martene , Monachus Benedictinus è Congregatione S. Mauri *tom.* 3. *de Ritibus ecclesiasticis* , *cap.* 15. *Ordine* 13. profert Ritum vel ordinem inungendi Monachos infirmos ex codice manuscripto Audoeni Rhothomagensis, annorum (ut ipse putat) circiter 400.

Ex hoc Ordine habetur, quòd innunctio partium seu membrorum sub eadem penè formula verborum fieret , quæ hodie usitata est ; sed illud speciale occurrit, quòd ad singulas membrorum unctiones decantaretur Antiphona cum Psalmo.

Præterea ex eodem Ordine patet , quòd eâ ætate adhuc ipsa Unctio præmitteretur Viatico.

Post datum autem Viaticum seu sacram Communionem dicitur in eodem Ordine: » Offertur ei Crux ad adorandum & os» culandum ; deinde osculatur eam Sacerdos , & reliqui omnes » per Ordinem , ad quam osculationem quisque Fratrum petit ei » duas venias , alteram quidem ante osculum , alteram verò post.“

Itaque si huic codici fides sit , notus fuit Ritus offerendi Crucem osculandam infirmo , etiam eo tempore, quo sacra Unctio præmittebatur Viatico.

Cùm verò nulla fiat in illo Ordine mentio porrectionis *cerei*, verisimile est , hunc Ritum esse recentiorem , saltem in aliquibus Ecclesiis.

XXVI. In codice S. Remigii (quem circa annum millesimum scriptum credidit Hugo Menardus , & ex quo ordinem ad visitandum infirmum in suis notis ad Sacramentarium S. Gregorii publicavit) hæc leguntur : » Et *septem* dies vel multò plures, si necessitas fuerit , tam de communione , quàm de *alio officio* circa infirmum fiat.“

Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii *pag.* 335. reflectens ad citata verba , ait : » Ubi τὸ *de alio officio* significatur » de Unctione , quam Matthæus Galenus restringit ad partes *la*» *borantes* , quia , ut vult , Sacramentum non repetebatur. Ve» rùm (pergit Menardus) id quod ait , *non repeti* olim solitum Ex» tremæ Unctionis Sacramentum in eodem videlicet morbo , non » videtur probabile , quia verba , *quam de alio officio* sunt gene» ralia , nec possunt restringi ad Unctionem membrorum affec» torum.“

XXVII. Hanc expositionem, & sententiam Menardi referens & probans Jacobus Goartius in notis ad Rituale Græcorum *pag.* 440. observat , Græcos non mereri acrem alicujus reprehensionem , quavis in eodem morbo septem diversi Sacerdote infirmum Sacro oleo perungant , atque ita Sacramentum iterare videantur : cùm aliquando id & apud Latinos servatum fuerit.

XXVIII. Verùm seculo IX. opposita planè opinio aliquorum circa iterationem hujus Sacramenti orat est : nimirùm hoc Sacramentum semel susceptum nullatenus iterari posse; eò quòd Extremæ-Unctio species esset *solemnis* Pœnitentiæ ; quæ cùm juxta Canonum antiquorum rigorem repeti non posset , nec Unctionem repeti posse credebant.

Horum unus fuit S. Ivo Carnotensium Episcopus , qui *epis.* 255. scribit: » Unctionem verò , quam semel accepisti , *non* » *æstimo repetendam.* Unctio enim infirmorum *publicæ* Pœniten» tiæ Sacramentum est , quam non esse repetendam , sicut nec » Baptismum , testatur Augustinus , testatur Ambrosius.“

Sub idem tempus Goffridus Abbas Vindocinensis *lib.* 11. *Epist.* 19. ad impsum Ivonem scribens , conqueritur , quòd quasdam consuetudines sive institutiones in Monasteriis quidam Monachi sibi pro lege vindicent , quas ratio nullatenus admittit , nec Sanctorum quilibet Patrum invenit , sed insipientium hominum consuetudo instituit. » Et , ut cætera teneamus , ait , in hoc , ut » nobis videtur , *non mediocriter errant* , quòd Unctionem infirmo» rum , cùm à Sancta Catholica , & Apostolica Sede Sacramentum » vocetur , & cùm nullum Sacramentum iterari debeat , iteran» dam putant.“

XXIV. Verùm cùm certum sit , nonnulla Sacramenta iterari; atque ipsam etiam *publicam & solemnem* pœnitentiam iterari posse , si ipsum rigorem disciplinæ seponas , plures fuêre circa idem tempus Doctores , qui Unctionem infirmorum iterari posse, non secus atque Sacramentum Pœnitentiæ , substinebant ; tametsi & ipsi faterentur , aliquos dubitare.

Alanus Porretanus *de Maximis Theologiæ*, *num.* 115. » Sunt, » qui dicunt de hoc Sacramento , quòd iterari non possit , si» cut nec Baptismus ; sed quia Sacramentum Pœnitentiæ est, & » pœnitentia iterari potest , probabile est , hoc Sacramentum » iterari posse.“

XXX. Magister Sententiarum *lib.* 4. *Dist.* 23. fatetur , suo tempore quæsitum fuisse ab aliquibus , an hoc Sacramentum *iterari* posset ; eò quòd Augustinus dicat , Sacramentum non iterandum , & Sacramento non faciendam esse injuriam. » Sed » ait Magister , hoc dicit , ubi agit de Sacramento Baptismi, » Confirmationis & Ordinationis , quæ nullatenus sunt repeten» da , quia semel tantùm & non sæpius datur Baptismus , Con» firmatio & Ordinatio. Sacramentum verò Altaris , & Pœni» tentiæ , & Conjugii sæpè iterari videtur , quia sæpè Sacra» mentum Corporis percipitur , frequenter pœnitentia agitur, » conjugium sæpè contrahitur. Quare ergo Unctio similiter ite» rari non potest ? si morbus non revertitur , medicina non ite» retur : si verò morbus non potest cohiberi , quare medicina » debet prohiberi ? sicut oratio iterari potest , ita & Unctio » iterari posse videtur.“

Guillielmus Altissiodorensis *lib.* 4. *Summæ* , *tract.* 7. *cap.* 11. concedit , quòd quandocunque invalescit morbus , iteranda sit medicina ; & quia sæpè invalescit morbus , sæpè iterandam esse Extremam Unctionem.

XXXI. S. Thomas in Supplemento , *quæst.* 33. *art.* 1. resolvit , iterari posse: „ quia sanitas corporis , & mentis , quæ „ est effectus hujus Sacramenti , potest amitti , postquam fuerit „ per Sacramenta effecta , ideò hoc Sacramentum sine sui injuria potest iterari.“

Videtur hîc indicare S. Thomas , Sacramentum hoc iterari posse , si effectus , id est , sanitas corporis , semel obtenta, rursus amittatur , hoc est , non eodem morbo durante , sed alio superveniente.

XXXII. Clariùs id dixit Richardus à S. Victore in IV. » *Sent. Dist.* 23. *art.* 11. *quæst.* 6. resolvens , hoc Sacramen» tum circa eundem infirmum , eadem infirmitate , respectu » ejusdem infirmitatis status , iterari non debere.... In eadem in» firmitate in numero possunt esse status diversi , in quorum » quolibet infirmus est in notabili & probabili periculo mortis. » Ideò , cùm Infirmo nullum imprimat effectum indelebilem, » potest & debet eidem homini pluries conferri , vel pro diver» sis infirmitatibus , vel pro ejusdem infirmitatis diversis stati» bus.“ Hæc ille.

Idipsum docet Durandus addita hac ratione : » Extrema » enim Unctio non solùm respicit infirmitatem absolutè, sed sta» tum infirmitatis , qui quoties iteratur sive in eadem infirmita» te , sive in diversis , potest & Unctio iterari.“

Doctores Scholastici , qui eos secuti sunt , idem uno quasi consensu tradiderunt.

XXXIII. Synodus Tridentina *Sess.* 14. *cap.* 3. *de Extrema-Unctione* , doctrinam de *iteranda* Unctione amplexa , docet: » Quòd si infirmi post susceptam hanc Unctionem convalue» rint , iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt , cùm » in aliud simile vitæ discrimen inciderint.“ An eodem morbo eodemque infirmitatis statu durante iterari possit , Synodus non determinat ; cùm id à disciplina pendere sciret.

In-

XXXIV. Interim moderna disciplina in Synodis ac Rituali-bus recentioribus præscripta, S. Thomæ, atque Scholasticorum, qui ipsum sicuti sunt, opinioni penè per omnia conformis est.

Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 12. *cap.* 4. ait: »Nec »una ægritudine, etiam ad plures menses durante, eidem sæ»pius conferri debet, quamvis in diversis ægritudinibus liceat.«

Pastorale Mechliniense ita habet: »Infirmus periculosè de»cumbens, in una infirmitate, semel tantùm ungendus est, »quòd si post susceptam Unctionem convaluerit, quoties pos»tea in idem vitæ discrimen inciderit, toties hujus Sacramenti »subsidio juvari poterit.«

XXXV. Sed quid, si Infirmus non quidem omninò convaluerit; sed morbus ita remiserit, ut mortis discrimen evasisse videatur; at post Unctionem susceptam, adhuc eodem morbo durante, quamvis remisso, sursus in vitæ discrimen relabatur, an Sacra Unctio reiterari poterit? Omninò, quia status morbi mutatus fuit; & aliud mortis discrimen obvenit.

Hunc casum claris terminis resolvit Manuale Cameracense editum anno 1562. »Animadvertat Sacerdos administraturus »infirmis Sacramentum Extremæ-Unctionis sæpius iterari posse, »etiam *in eadem* infirmitate ad diversos periculorum casus, »post intervalla aliquanti temporis incidentes, quoties videli»cet nunc remittente, nunc rursus ingravescente, periculum »mortis imminere creditur.«

Et Manuale Ecclesiæ Remensis (cui olim Ecclesiæ Cameracensis erat suffraganea) quod ex Decreto Concilii Remensis anno 1585. prodiit, hæc habet: »Denique potest hoc Sacramen»tum iterari, & quidem *in eadem* infirmitate, quando quidem »quis est in articulo mortis, modò sit casus diversus, ut qui »in hydropisi, aut longa febri, postquam evasit periculum, »rursus post aliquot menses de vita periclitatur.«

His consonum apparet Concilium Tridentinum, docens hoc Sacramentum iterari posse, *cùm in aliud simile* VITÆ DISCRIMEN *inciderint* Infirmi; non requirens, ut id vitæ discrimen ex alio planè morbo provenerit.

Synodus Namurcensis anno 1639. *tit.* 4. *cap.* 8. vult, ut in eadem ægritudine, etiam ad plures menses perdurante, nemini hoc Sacramentum sæpius conferatur; addita tamen hac notanda exceptione: *nisi peritorum judicio status morbi mutatus fuerit.*

XXXVI. Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 17. *cap.* 3. declarat in quacunque gravi infirmitate posse iteratò administrari; ac deinde tanquam consequens subjicit: „Proinde con„suetudinem, secundum quam non consuevit hoc Sacramen„tum *intra annum* secundò suscipi (etiamsi altera gravis ob„veniat infirmitas) tanquam noxiam abrogamus.“

Plura diversarum Ecclesiarum Manualia seculo præterito evulgata præscribebant, non posse hoc Sacramentum reiterari pro eadem infirmitate, etiamsi *intra annum* status ejusdem ægritudinis varius esse queat; atque sæpius in mortis discrimen reincidere possit Infirmus.

XXXVII. Hinc patet, quòd quæ circa reiterationem hujus Sacramenti variis temporibus & in variis Ecclesiis statuta, & servata sunt, magis ad disciplinam, quàm ad dogma, aut essentiam Sacramenti pertinere.

Hoc imprimis satis innuebant illi, qui sacram Unctionem reiterari non posse contendebant eo titulo, quòd esset Sacramentum *Pœnitentiæ publicæ*; ac per conseques sicut rigor canonicus hanc iterari non permittebat, ita nec illam esse iterandam.

Ad hæc plures Synodi, & libri Rituales vetantes reiterationem in eadem infirmitate hanc reddunt rationem ad disciplinam, non dogma spectantem: *Ne Sacramentum illud vilescat.* Ita legitur in Statutis Synodalibus Archiepiscopatûs Senonensis anno 1524. evulgatis; & Episcopatûs Carnotensis evulgatis anno 1526. & recitantur à Launoio *pag.* 360. & 361.

XXXVIII. In his itaque unusquisque Ecclesiæ suæ legem, & consuetudinem sequi debet; aliàs si disciplina non obstaret, absurdum non esset, pluries in eadem etiam infirmitate, eodemque infirmitatis statu hoc Sacramentum, juxta antiquum Ecclesiæ Latinæ, & hodiernum Græcorum morem conferre; quia (uti notat Hugo Menardus loco citato) »non cessante morbo, »homine adhuc existente in peccatis; ob peccata saltem ve»nialia, quæ nobis quotidie obrepunt, *quia septies in die ca»dit justus*, jure posset hoc Sacramentum sæpius in eodem mor»bo repeti, ipsis causis manentibus, ob quas ipsum Sacramen»tum conferri solet.«

XXXIX. Ex his discat Parochus, ab iteratione hujus Sacramenti se non debere *scrupulosè* abstinere ob periculum nullitatis Sacramenti; sed duntaxat, ne in disciplinam jam stabilitam impingat: adeoque si dubium sit, num forsan morbi status ita fuerit mutatus, ut etiam juxta modernam disciplinam reiterari queat, magis pro reiteratione inclinandum, eò quod hæc reiteratio conformior sit veteri Ecclesiæ consuetudini, tum quòd per eam novum ipsi infirmo subsidium spirituale sperari possit.

TITULUS IX.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

DE MATERIA, ET FORMA HUJUS SACRAMENTI.

1 *Plures in Ecclesia dari Ordines etiam minores definit Synodus Tridentina.*
2 *Ordo verum est Sacramentum.*
3 *Quomodo definitio Synodi Tridentinæ verificetur quoad Ordines minores.*
4 *Ordines quatuor minores non semper, nec ubique fuerunt.*
5 *Non sunt* immediatè & propriè *à Christo instituti.*
6 *Non habent rationem Sacramenti; nec id Tridentina Synodus definivit.*
7 *Materia Ordinis ex decreto Eugenii IV.*
8 *Eugenii mens non fuit essentiales & planè necessarias formas & materias assignare.*
9 *Traditio instrumentorum in Ordinatione Presbyteri apud Græcos incognita.*
10 *Neque semper à Latinis adhibita.*
11 *Idem dicendum de traditione Evangelii in Ordinatione Diaconi.*
12 *Verba, quibus fit traditio instrumentorum, non potest dici* forma *planè necessaria.*
13 *Traditio instrumentorum primitùs post Ordinationem facta fuit; & quare.*
14 *In collatione Ordinum minorum traditio instrumentorum citiùs facta, quàm in collatione majorum.*
15 *Quæ hodie pro forma & materia præscribuntur, exactè observanda.*
16 *Certum non est, an Ecclesia non possit aliquid requirere ut* essentiale, *quòd olim essentiale non fuit.*
17 *Unctio in Ordinatione est tantùm cæremonialis; nec semper fuit adhibita.*

I. SYnodus Tridentina *Sess.* 23. *Can.* 2. *de Sacramento Ordinis*, ait: »Si quis dixerit, præter Sacerdotium non »esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, & Majores & Mino»res, per quos veluti per gradus quosdam in Sacerdotium ten»datur, anathema sit.“

II. Deinde *Canone* 3. »Si quis dixerit, Ordinem, sive Sa»cram Ordinationem non esse verè & propriè Sacramentum à »Christo Domino institutum vel esse figmentum quoddam hu»manum excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, »aut esse tantum ritum quendam eligendi Ministros Verbi Dei »& Sacramentorum; anathema sit.«

III. Quod hîc Synodus definit, præter Sacerdotium esse in Ecclesia alios Ordines & *Majores* & *Minores*, quoad Majores semper verificatum fuit in Ordine Diaconatûs, quem Majoribus Ordinibus, tam Latina quàm Orientalis Ecclesia semper annumeravit; at quoad Ordinem Subdiaconatus, verum quidem erat tempore conditi hujus Canonis, saltem in Ecclesia Latina, eò quòd hæc & Subdiaconatum Majoribus, & Sacris Ordinibus jam à quatuor ut minus seculis annumerâsset; tametsi & Ecclesia Latina primis circiter decem aut undecim seculis inter Minores Ordines, quemadmodum hodie Ecclesia Græca, habuisset Subdiaconatum; uti ostensum est suprà *parte* 1. *tit.* 1. *cap.* 3.

IV. Tempore conditi Canonis præter Sacerdotium, & alios Majores Ordines, fuisse in Ecclesia Latina quatuor Minores receptos notorium est; licèt in Ecclesia Græca unus solus ex illis quatuor, nimirum *Lectoratus* notus sit; uti annotat Morinus *de SS. Ordinat. part.* 3. *Exercit.* 11. *cap.* 1. & fusiùs probat *exercit.* 14. *cap.* 1. nunquam tres illos Minores Ordines apud Græcos collatos, aut Ordinibus fuisse annumeratos.

Ostendit præterea Morinus citata *Exercit.* 11. etiam in quibusdam Ecclesiis Latinis, aliquando pauciores, aliquando plures Ordines Minores collatos fuisse; imò olim apud Latinos saltem in aliquibus Ecclesiis non secus ac hodie apud Græcos, *Cantoratum* seu *Psalmistatum* fuisse Ordinem Minorem, uti & Fossariorum (qui mortuorum corpora curabant) Ordinem olim in quibusdam Ecclesiis celebrem fuisse, qui tamen à multis seculis desit.

V. Ex his concludit Morinus post antiquos Scholasticos, Subdiaconatum atque Minores Ordines non esse à Christo, neque ab Apostolis *immediatè* institutos, sed ab Ecclesia, cres-

cente Fidelium multitudine pro locorum, & temporum necessitate, & opportunitate esse constitutos: quamvis tamen non diffiteatur, eos eatenus posse dici juris divini, aut institutionis Apostolicæ, in quantum illi Minores Ordines eminenter, & formaliter in Diaconatu continebantur; atque Ecclesiam postmodum crescente Fidelium & Ministrorum numero de Diaconatu eduxisse; cumque primitùs Diaconi omnia munia illa obirent, postmodum eorum quædam specialibus Ministris delegâsse.

Illud paucis verbis expressit Gratianus *Dist.* 21. » Levitas » autem ab Apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit » Beatus Stephanus, Subdiaconos, & Acolytos procedente » tempore Ecclesia sibi constituit. «

VI. Minores Ordines, cùm nec à Christo, nec ab Apostolis primitùs fuerint instituti, illos quoque nec Sacramentum esse, nec rationem Sacramenti habere posse, concludit Morinus.

Neque id refragatur allegato *Canoni* 3. Synodi Tridentinæ, quia veritas hujus Canonis subsistit, tamesti etiam solus *Presbyteratus* esset Sacramentum, & rationem Sacramenti haberet; quia tunc etiam verum esset, quòd Ordo, sive Sacra Ordinatio esset verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum; & consequenter contrarium asserentes meritò damnarentur; uti in dicto Canone damnantur.

VII. Quæ vero sit hujus Sacramenti materia aut forma, Synodus Tridentina non expressit; at Eugenius IV. in decreto pro Armenis de hoc Sacramento loquens, ait: » Cujus materia » est illud, per cujus traditionem confertur Ordo: sicut Pres» byteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane » porrectionem. Diaconatus verò per libri Evangeliorum datio» nem. Subdiaconatus verò per calicis vacui cum patena vacua » superposita traditionem: & similiter de aliis per rerum ad mi» nisteria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii ta» lis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro » vivis, & mortuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sanc» ti, & sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali » Romano latè continentur. «

VIII. Hîc rursus in memoriam revocandum, quòd suprà *tit.* 3. *cap.* 4. *num.* 10. ex Francisco Farvacquio monuit, quòd Eugenii IV. in hoc Decreto, seu Instructione mens non fuerit, essentiales & à Christo institutas materias & formas Sacramentorum assignare; sed ad summum, formas, & materias ordinarias in Ecclesia Latina tunc usitatas; ut hoc decreto Armeni de ritu Ecclesiæ essent instructi.

IX. Sanè traditionem illam instrumentorum, cujus meminit Eugenius, non posse dici materiam *essentialem* Ordinum; ita ut sine illa nunquam potuissent, aut etiamnùm hodie possent validè Ordines conferri, evidenter, ut apparet, evincit Morinus, idque duobus potissimùm argumentis.

Primò quidem ex ritu, quem Ecclesia Græca semper servavit, & hodie servat. Certum est, Ecclesiam Latinam, Presbyteros Græcos, ritu Græcorum ordinatos, semper habuisse, & hodie habere pro legitimè & validè Ordinatis Presbyteris; atque Sacerdotium ab ipsis eo ritu collatum, ut *verè & propriè* dictum Sacramentum.

Certum autem est, apud Græcos in Ordinatione Presbyterorum semper fuisse, & hactenus esse incognitam illam instrumentorum traditionem in Decreto Eugeniano expressam; uti ex eorum Ritualibus antiquioribus & recentioribus, necnon Auctoribus, qui de ritu Græcorum scripserunt, manifestum est.

Ex quibus per evidentem consequentiam deducitur, hanc instrumentorum traditionem non posse dici materiam *essentialem* à Christo institutam, ita ut ex Christi institutione validitas Sacramenti ab ea dependeret.

X. Alterum argumentum non minus concludens suppeditat pristinus Ecclesiæ Latinæ sacrarum Ordinationum ritus. Si enim consulantur Rituales libri Ecclesiæ Latinæ; itemque Auctores, qui ante seculum X. scripserunt, atque ritum Ordinationum apud Latinos tunc usitatum exactissimè descripserunt, videbitur, nullam tunc temporis in Ordinatione Presbyterorum traditionem instrumentorum intervenisse; cùm nullùm istius traditionis vestigium occurrat. Argumentum, ut apparet, evidens, hanc traditionem, materiam *essentialem* hujus Sacramenti tunc reputatam non fuisse; cujus nec in Ritualibus, nec in exactioribus Rituum descriptionibus mentio fit. Alia nonnulla positiva argumenta, quibus ostenditur, multis seculis, etiam apud Latinos in Ordinatione Presbyterorum incognitam fuisse instrumentorum traditionem hodie usitatam, & ab Eugenio tanquam *materiam* hujus Sacramentis expressam, allegat Morinus loco citato.

XI. Quod de traditione instrumentorum in ordinatione Presbyterorum dictum est, idem de traditione libri Exangeliorum in ordinatione Diaconorum (quam similiter pro materia hujus Ordinis assignat Eugenius) dicendum est.

Observat etiam Morinus *Exercit.* 9. *cap.* 1. *num.* 14. quòd antiqui omnes Rituales nongentorum annorum spatio scripti, nec Dalmaticæ, nec *traditionis Evangeliorum* mentionem faciant. » Vix sexcenti sunt anni (inquit) cùm in ordinatione Diaconi » *Evangelium* tradi cœptum est. «

Ad hæc, Ecclesia Græca traditione hac in Ordinatione Diaconi nec olim usa fuit, nec hodie utitur; & tamen nemo de validitate Ordinis Diaconatûs ritu Græcorum à Græcis collati dubitat; eamque etiam Ecclesia Romana ut validam & legitimam agnoscit.

XII. Eisdem argumentis, quibus ostenditur, traditionem instrumentorum neque Presbyteratûs, neque Diaconatûs materiam essentialem à Christo institutam constituere posse, evincitur quoque, verba, quibus instrumenta illa hodiè traduntur, non pose dici *formam* essentialem horum Ordinum; quandoquidem æquè certum sit, illa verba non fuisse adhibita, nec hodiè adhiberi in illis Ecclesiis, quæ instrumentorum traditionem vel olim non agnoverunt, vel etiam nec hodie agnoscunt; quia verba illa tantumodo ipsi traditioni instrumentorum, tanquam quædam formulæ, subserviunt.

XIII. Videtur primitùs hæc instrumentorum traditio facta fuisse post Ordinationem, ut hac traditione indicaretur, quid vi Ordinationis susceptæ ipsis Ordinatis agendum esset.

Hugo à Sancto Victore, qui à sexcentis circiter annis scripsit, *lib.* 2. *de Sacram. fidei*, *part.* 3. *cap.* 12. de Presbyteris ait: *Accipiunt & calicem cum vino, & patenam cum hostiis de manu Episcopi.* Rationem subjungit: *Quatenus his instrumentis potestatem se* ACCEPISSE *agnoscat, placabiles Deo hostias offerendi.*

Similiter Magister Sententiarum *lib.* 4. *Dist.* 24. cùm dixit. quòd Presbyteri *accipiant etiam calicem cum hostiis*, eandem rationem reddit: *ut per hoc sciant, se accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi.*

XIV. Simili ratione in Ordinatione Subdiaconorum, & collatione Minorum ordinum *instrumenta*, quibus eorum ministerium exprimeretur, porrecta fuisse, admodum virisimile; quanquam ritus tradendi instrumenta in horum Ordinum collatione multis seculis, saltem apud Latinos fuerit usitatus: antequam in Ordinatione Presbyterorum, aut Diaconorum esset notus; uti ostendit Morinus *Exercitat.* 11. *cap.* 5. ibidem inquirens hujus moris diversitatem; unà monens, nec in Subdiaconatûs, nec Minorum Ordinum collatione in Ecclesia Græca, traditionem instrumentorum unquam factam esse; sed hos Ordines, non secus ac Presbyteratum & Diaconatum, per *impositionem manuum* fuisse collatos.

XV. Quamvis autem hactenus dicta abundè evincant, traditionem Instrumentorum non posse dici *formam essentialem* Ordinum; ità ut illa *semper* fuisset necessaria, aut nunc ubique ità requireretur, ut defectu illius Ordo *invalidè* censeretur collatus, tamen in his omnibus cum omni exactitudine servanda sunt singularum Ecclesiarum Ritualia; nec quidquam omittendum eo pretextu, quòd illud ceremoniale duntaxat videatur; præsertim quòd licèt satis constet, traditionem Instrumentorum, & verba ei respondentia, aliaque recenter in Ordinum collatione adhibita, non posse dici *semper* fuisse materias aut formas essentiales à Christo institutas; tamen certum non est, an postquam ab Ecclesia communiter præscripta sunt, & recepta cum reliquis, quæ antiquitus semper adhibita sunt, non constituant *nunc* materiam & formam essentialem, à qua validitas Ordinis dependeat.

XVI. » Quamobrem enim (ait Morinus *Exercit.* 7. *cap.* 6. *num.* 2.) non poterit Ecclesia Sacramento Ordinis, ut sæpè » fecit Sacramento Matrimonii, novas pro materia, & forma con» ditiones apponere, quarum prævaricatio Sacramentum red» dat irritum, & nullum? cùm Christus nullam materiam aut » formam hujus Sacramenti, non secus ac Matrimonii in spe» cie definiverit. «

XVII. De Unctione in Ordinatione Episcoporum, & Presbyterorum adhiberi solitâ ait Synodus Tridentina *Can.* 5. » Si» quis dixerit, Sanctam Unctionem, quâ Ecclesia in Sancta Or» dinatione utitur, non tantùm non requiri, sed contemnen» dam & perniciosam esse, similiter & alias Ordinis ceremo» nias, anathema sit.

Hîc à Synodo, Unctionem inter ceremonias proponi satis evidens est. Et meritò; nam eam nec in Episcoporum, nec Presbyterorum Ordinatione unquam adhibuit Ecclesia Græca, & Ecclesia Latina, præsertim in Ordinatione Presbyterorum non semper adhibuit; imò plures Ecclesiæ satis serò eam admiserunt, uti ostendit Morinus *de SS. Ordinat. Exercit.* 6. *cap.* 1 & 2.

CAPUT II.

A QUO ORDINES RECIPIENDI.

1 *Semper ordinum collatio Episcopo delata.*
2 *Jus hoc Episcopis Patres uno consensu tribuerunt.*
3 *Eugenius IV. & Synodus Tridentina Episcopum Ordinationis ministrum dixerun.*

Id

4 *Id de* ordinaria *potestate intelligendum ; non de extraordinaria seu delegata.*
5 *Episcopi jus ordinationis ultra suas Diœceses extendere non possunt.*
6 *Episcopus olim alienum Clericum ordinare non poterat titulo* originis *aut* domicilii.
7 *Titulos originis , aut domicilii olim vix atendebatur.*
8 *Unicus penè titulus Ordinationis erat alicujus in Clerum adscriptio.*
9 *Hodie Beneficium Clericum Ecclesiæ adstringit , uti olim Ordinatio.*
10 *Ratione Beneficii hodiæ quis ab Episcopo ordinari potest.*
11 *Clericus Beneficiatus hodie , secus ac olim , triplici titulo ,* Beneficii , Originis , & Domicilii *ordinari potest.*
12 *Triplex hic titulus probatus per Decretalem Bonifacii VIII.*
13 *Episcopus* originis *idem est , qui* nativitatis.
14 *Non attenditur origo , seu nativitas paterna , sed propria Ordinandi.*
15 *Quis Episcopus* domicili; *& olim hic titulus parùm notus.*
16 *Quando quis domicilium habere censetur.*
17 *Commoratio longi temporis in aliquo loco non sufficit.*
18 *Exemplum in Academicis.*
19 *Aliquando quis dicitur habere domicilium sufficiens ad suscipienda aliqua Sacramenta , & non ad suscipiendos Ordines.*
20 *Ordinariè potior habenda ratio* originis , *quam* domicilii, *& quare.*
21 *Decretum S. Caroli ad præveniendam fictam domicilii electionem.*
22 *Ratione Beneficii dicitur proprius Episcopus , in cujus Diœcesi est situm , licèt alius sit Collator.*
23 *Indifferens est quale sit Beneficium ; modò veri Beneficii rationem habeat.*
24 *Licèt non sufficiat in proventibus pro* titulo *Ordinationis.*
25 *Si plura in diversis Diœcesibus possideat , poterit à diversis ordinari.*
26 *Beneficium impetratum ad subterfugiendum examem proprii Episcopi, non sufficit.*
27 *Episcopi in Gallia optant, solum Episcopum Originis pro Ordinatione Ordinarium reputari ; & quare.*
28 *An hoc Episcoporum votum laudandum.*
29 *Aliquando convenit , Clericum ab Episcopo Beneficii ordinari.*
30 *Quocunque titulo quis sit proprius Episcopus , potest etiam dare dimissoriales.*
31 *Noluit Synodus Trident. ut Episcopi alienos subditos ordinarent ; sed quo titulo constituatur* proprius, *non definivit.*
32 *Episcopi Titulares hoc decretum violabant ; & quomodo occursum.*
33 *Ex Decreto Synodi Trid. nullus ordinari potest , nisi à* proprio *Episcopo.*
34 *Id etiam procedit quoad primam Tonsuram.*
35 *Nullus potest ordinari vigore rescripti Apostolici , nisi Ordinarii sui testimonio commendatus.*
36 *Etiam Regulares à proprio Episcopo ordinandi.*
37 *Bulla Pii V. contrarium insinuans ad terminos Concilii Tridentini reducta.*
38 *Regularium Superiores debent suos mittere pro Ordinibus suscipiendis ad proprium Episcopum ; & quis habendus eorum* proprius.
39 *Quomodo nonnumquam hîc fraus committatur.*
40 *Possunt ad alium mittere , si proprius non ordinet ; & quæ hîc cautio adhibenda.*
41 *Quæ fraudes hîc possint intervenire.*
42 *Quæ mala ex hujusmodi fraudibus timenda.*
43 *Decretum Innocentii XII. circa Ordinationes.*

I. A Primis Ecclesiæ seculis , tam apud Latinos , quàm Græcos , ut ordinarium hujus Sacramenti ministrum habitum fuisse Episcopum manifestum est ex Canonibus , & Patribus ; qui ubi de Ordinatione , præsertim Presbyterorum, ac Diaconorum , loquuntur , ejus ministrum non nisi Episcopum agnoscunt.

II. Et quidem S. Epiphanius Aerium Hæreticis annumerans, quòd Episcopos ad eandem cum Presbyteris sortem redigeret, atque æquè his ac illis ordinandi jus vindicaret ; errorem illum stoliditatis arguit , eo præcipuè titulo , quòd Episcopalis ordo *Patres* Ecclesiæ generet , per Ordinationem : Presbyteralis *Filios* duntaxat Ecclesiæ per Baptismum ; ac deinde hos Ordines ita inter se comparat ; „ Siquidem unus Ordo (Episcopalis) ad „ gignendos *Patres* præcipuè pertinet ; hujus enim est , *Patrum* „ *in Ecclesia propagatio* : Alter cùm Patres non possit , *Fi-* „ *lios* Ecclesiæ , lotionis generatione produxit , non tamen Pa- „ tres aut Magistros. « Hæresi 56. aliàs 77. *num.* 3. & 4.

Has prærogativas unanimi consensu Patres passim Episcopali Ordini tribuunt ; & quidem nonnulli ita loquuntur , quasi hoc solo jure Episcopi Presbyteris eminerent : *Sola quippe ordinatione illi* (Episcopi) *sunt atque hoc tantùm plusquam Presbyteri habere videntur* (c), ait Chrysostomus *Homil.* 11. *in epist.* 1. *ad Timoth.* Et Hieronimus *epist* 8. ad Evagrium : *Quid facit Episcopus , exceptâ Ordinatione , quod Presbyter non faciat ?*

Quamquam sciam etiam alias prærogativas Episcopis supra Presbyteros competere , ac olim competiisse ; ac citata Patrum dicta commodâ interpretatione mollienda : nihilominus hæc evincunt, Patribus indubitatum fuisse , Ordinationem Episcopis propriam esse.

III. Rectè proinde dixit Eugenius IV. in Institutione pro Armenis : *Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus.*

Similiter Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 4. *de Ordine,* „ docet , Episcopos Presbyteris superiores esse; ac Sacramen- „ tum Confirmationis conferre; Ministros Ecclesiæ *ordinare* ; at- „ que alia pleraque peragere ipsos posse : quarum functionum „ potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. «

IV. De *ordinaria* potestate hîc loqui Synodum; non est dubitandum, cum optimè novissent Patres Tridentini, Abbates jure saltem privilegiato , Ministros Ecclesiæ inferiores ordinare , Ordines nimirùm Minores conferendo: de quo jure *part.* 1. *tit.* 13. *cap.* 6. Notum quoque erat Patribus , multos è Theologis , & Canonistis sustinere , nec sine fundamento , Presbyterum posse auctoritate *delegata* ordinare Diaconum , quin & Presbyterum juxta illud Glossæ ad Can. 4. Dist. 5. De Consecrat. *Ordinatus Ordinem , quem habet confert Papa delegante.* Quod ex antiquis Canonistis , & Scolasticis latiùs prosequitur Morinus de SS. Ordinat. *parte* 3. *exercitat.* 4. *cap.* 3.

V. Hoc interim habetur , *Ordinarium* Ordinationis Ministrum esse Episcopum. Sed quia singulorum Episcoporum auctoritas , & potestas ab ipsis penè Ecclesiæ exordiis , certis terminis circumscripta fuit ; atque confessionis evitandæ causâ statutum , ne quis in alienos terminos suam extenderet jurisdictionem ; sed suis singuli essent limitibus contenti , uti *parte* 1. *tit.* 16. *cap.* 3. dictum est , tanquam consequens jam pridem decretum fuit , ne quis Episcopus alterius Episcopi Ecclesiam turbaret , jura Ordinationis sine ejus licentia in alienos subditos exercendo.

Synodus Nicæna *Canone XVI.* postquam vetuit , Presbyteros , aut Diaconos à suis Ecclesiis sine Episcopi licentia recedere , subjungit: » Si quis autem ad alium (Episcopum) perti- » nentem audaciter invadere , & in sua Ecclesia ordinare tentave- » rit , non consentiente Episcopo , à quo discessit is , qui regulæ » mancipatur , ordinatio hujusmodi irrita comprobetur. «

Similiter in Synodo Sardicensi suggerente Osio unanimi sententia Patres dixerunt: » Et hoc Universi constituimus, ut quicun- » que ex alia Parochia voluerit alienum ministrum sine consensu » Episcopi ipsius , & sine voluntate ordinare , non sit rata ejus » Ordinatio : quicunque autem hoc usurpaverit , à Fratribus , & » Coepiscopis nostris & admoneri debet & corrigi. «

Rationem decreti præmisserant ; » Quia ex his contentioni- » bus solet nasci discordia , & ideo prohibet omnium sententia, » ne quis hoc facere audeat. «

De hac disciplina seculo V. ita loquitur Synodus Venetica: » Episcopus quoque ab aliis Episcopis *ordinatos* Clericos , sine » permissu eorum , à quibus fuerint ordinati , promovere ad su- » periorem Ordinem non præsumat , *ne concordiam fraternam* » injuriâ illatâ contaminet. «

Infiniti penè sunt Canones antiqui & recenciores hanc disciplinam stabilientes , quos ordine seculorum servato refert Franciscus Hallier *De SS. Electionibus & Ordinationibus , part.* 2. *Sect.* 5. *cap.* 3. *art.* 1. §. 1.

VI. Sed quid si Clericus unius Ecclesiæ ex alia Diœcesi oriundus esset , aut forsan alibi domicilium haberet , nonne ab Episcopo Originis , aut domicilii ad altiorem gradum promoveri poterat , etiam sine licentia Episcopi , cujus Ecclesiæ per Ordinationem erat adscriptus ? Nequaquam , id enim pristina Patrum disciplina non admittebat.

Hoc ipso enim , quo quis in Clericum , aut Ministrum Ecclesiæ ordinabatur , mox ei Ecclesia vinculo perpetuo , nec sine voluntate Episcopi solubili alligabatur , & in subditum Episcopi illius Ecclesiæ transibat ; ut ampliùs nec originis , nec domicilii ratio haberetur : credebaturque , Clericum nec alibi, quàm in sua Ecclesia , cui servire tenebatur , domicilium habere.

VII. Imò uti advertit & multis exemplis probat Hallierius *loco citato* , §. 4. olim in Ordinatione vix domicilii , aut Originis ratio habebatur : nec pœnam ullam decretam reperimus in Episcopum , qui alienum Laicum in Clericum suum ordinâsset:

(c) *Græcè legitur* : πλουτιζειν, *id est* , plus habere : *si ad litteram fiat interpretatio ; ac doctissimus Pater de Moutfaucon ita vertit* , atque hinc tantum videntur Presbyteris præstare.

set : adeò ut omnes Canones eo tendere viderentur , ne quis alienum Clericum seu Ministrum ab Ecclesia , cui addictus erat, abstraheret , atque per ordinationem suæ Esclesiæ adscriberet.

VIII. Præcipuus ergo titulus, ratione cujus quis proprius Episcopus quoad ordinationem , juxta pristinam Patrum disciplinam , existimabatur, erat alicujus in Clerum adscriptio ; quâ semel factâ , licebat huic Episcopo Clericum hunc ad superiores Ordines promovere : alius verò nullus , sine hujus licentia, illum ordinare poterat.

IX. Porrò, quemadmodum olim ipsa Ordinatio Ordinatum certæ Ecclesiæ abstringebat ; ita hodie Beneficii Ecclesiastici adeptione Clericus Ecclesiæ , in qua est titulus ipsius Beneficii, adscriptus censetur ; & Clericus, seu Minister illius Ecclesiæ reputatur.

X. Itaque sicuti antiquitùs Ordinatio subjiciebat Ordinatum Episcopo illius Ecclesiæ , ad quam ordinatus erat , ità hodie Beneficium subjicit Clericum Episcopo , sub cujus Diœcesi situm est Beneficium , habeturque eatenus *proprius* ipsius Episcopus, ut ab illo tanquam proprio Episcopo ad Ordines superiores promoveri queat ; cum notabili tamen differentia inter modernam , & pristinam disciplinam.

XI. Pristina enim disciplina , non nisi unicum ipsius Clerici alicui Ecclesiæ per Ordinationem adscripti *proprium* Episcopum agnoscebat; ita ut nullus alius Episcopus citra hujus licentiam posset jure ordinario Clericum ad superiores Ordines promovere; at moderna disciplina , præter titulum Beneficii agnoscit insuper duos alios titulos , scilicet *Originis* & *Domicilii* ; in tantum ut ratione omnium trium titulorum quis dici queat eodem tempore , & respectu ejusdem Clerici *proprius* Episcopus : atque per consequens queat Clericus Beneficiatus tres habere Episcopos proprios , ut â quolibet sine alterius licentia ad Ordines promoveri valeat.

XII. Quo præcisè tempore hæc mutatio disciplinæ inceperit , incertum est ; hoc constat , nullum reperiri Canonem , nullamque Decretalem , qua hic *triplex* titulus probetur ante Decretalem Bonifacii VIII. relatam in *Cap.* 3. *de Temporib. Ordinat. in VI.* Sedit autem Bonifacius sub finem seculi XIII. & initium seculi XIV.

In hac Decretali dicit Bonifacius VIII. » Cùm nullus Clericus Parochiæ alienæ , præter Superioris ipsius licentiam debeat » ordinare ; Superior intelligitur in hoc casu Episcopus , de cujus Diœcesi est is , qui ad Ordines promoveri desiderat , *oriundus* , seu in cujus Diœcesi *Beneficium* obtinet ecclesiasticum, » seu habet (licet alibi natus fuerit) *Domicilium* in eadem. «

XIII. Episcopus originis , de quo in citata Decretali , dicitur Episcopus loci , è quo ipse Ordinandus est *oriundus* , hoc est , originem habet, sive natus est ; quemadmodum sat judicavit ipse Pontifex , quando loquens de *domicilio* ponit hanc parenthesim , *licèt alibi* NATUS *sit* ; quibus verbis manifestè idem indicat , quod ante dixerat *de origine* ; ita ut juxta Pontificem eadem sint , *natum* esse , & *oriundum.*

Quapropter , tametsi olim major soleret esse respectus ad locum ubi quis baptizatus , seu spiritualiter *regeneratus* , quàm in quo esset *carnaliter natus* , seu *generatus* ; tamen hodie, spectata hac Decretali , si contingeret , aliquem uno loco esse *natum*, & alio *baptizatum*, videretur potior ratio habenda quoad susceptionem Ordinis , Episcopi *nativitatis* , quàm Baptismi.

XIV. Similiter , tametsi Leges habere videantur pro loco *originis* filii illum , in quo pater ejus natus est , *Leg.* 6. §. 1. *Ad Municipalem* , tamen verius est , juxta hanc Decretalem , per Episcopum *Originis* intelligi Episcopum loci , in quo ipsemet Ordinandus *originem* habuit , sive natus est ; non autem loci, è quo Pater ejus oriundus est. Unde Nicolaus Garcias *de Beneficiis, part.* 7. *cap.* 9. *num.* 25. postquam dixit , de stylo Curiæ verbum *oriundus* accipi pro *orto* , tanquam consequens docet , quòd *oriundus* de aliqua civitate est , qui *natus* est in illa civitate , non in qua Pater ejus *natus* fuit. Neque in Gallia uti monet Hallierius, *part.* 2. *sect.* 5. *cap.* 3. *art.* 3. §. 2. paternæ *originis* quoad Ordines recipendos ulla solet haberi ratio ; ideoque monet , tutum non esse , quòd quis ad Episcopum loci nativitatis paternæ pro suscipiendis Ordinibus accedat ; si nullo alio titulo is proprius Episcopus sit : quod & Belgio meritò attenditur ; quia nec hîc originis paternæ rationem haberi videmus ; maximè quia nec cum Decretali Bonifacii VIII. congruere videtur.

XV. Episcopus *domicilii* censetur Episcopus ejus loci , in quo ordinandus domicilium habet.

Hic titulus olim parùm notus erat , uti notat Hallierius *loco citato* , *art.* 4. §. 1. qui deinde §. 2. ostendit , qua ratione, necessarium fuerit posterioribus seculis magis , quàm olim remittere ordinandos ad Episcopum domicilii ; atque hinc tandem legem Ecclesiasticam natam, quæ Episcopum *domicilii* pro proprio Episcopio Ordinationis agnoscit.

Ut verò quis hoc titulo Episcopum pro Ordinibus suscipiendis accedat, requiritur , ut revera domicilium in ejus Diœcesi fixum habeat.

XVI. Quando verò quis *domicilium* alibi fixisse censeatur, explicant Imperatores in *Leg.* CIVES *Cod. de Incolis* , dum ajunt: » In eodem loco singulos habere *domicilium* non ambigi , ubi quis » larem , rerumque , ac fortunarum suarum summam constituit: » unde rursus non sit dicessurus , si nihil avocet : unde cùm pro» fectus est , peregrinari videtur , quo si redit , peregrinari des» titit. «

XVII. Ut verò quis hujusmodi domicilium fixum , firmumque elegisse censeatur , potiùs ab animo atque circumstantiis, quàm à temporis spatio desumendum est.

Fieri enim potest , ut quis pluribus annis in loco aliquo moretur , nec tamen eo in loco domicilium fixum firmumque habere credatur , ratione cujus posset ab Episcopo illius loci ad Ordinis promoveri.

XVIII. Exemplum est notorium in degentibus studiorum causa in Academia; quin & in nonnullis Professoribus inferiorum præsertim scientiarum , qui multis subinde annis continuò in Academia morantur : sed tamen *fixum* , firmumque domicilium non videntur habere ; eò quòd ea sit professionum illarum conditio, ut aliquot annorum curriculo absoluto , eam deserere , & aliò migrare professores soleant ; nec eo animo videantur suscipi , ut perpetuò in ea functione persistant.

Unde nec Professores Humaniorum litterarum , nec Philosophiæ , neque Pædagogorum Regentes vel Vice-Regentes solent pro Ordinibus recipiendis ad Archiepiscopum Mechliniensem in cujus Diœcesi Universitas Lovaniensis est constituta , pro Ordinibus accipiendis recurrere ; neque credo , eos facilè hoc solo titulo recipiendos.

XIX. Quin nec commoratio in aliquo loco , sufficiens , ut quis dicatur ibidem habere domicilium ad suscipienda alia Sacramenta , v. gr. Communionem Paschalem , quin & matrimonium contrahendum , semper sufficit pro constituendo domicilio sufficiente ad recipiendos Ordines. Firmius enim magisque fixum domicilium videtur pro recipiendis Ordinibus requiri , uti loco citato notat Hallierius, & quotidiana praxis in juventute Academica evincit.

XX. Cæterùm , quia domicilii probatio difficilis est ; nec facilè verà domicilii electio à ficta, ac simulata discerni potest, meritò laudat Hallierius *loco suprà indicato* , §. 9. Episcopos Galliæ , quòd » ab Ordinatione Clericorum , qui alibi nati sunt , sibi » temperare soleant, non quòd, ut opinor (ait) id sibi interdictum » putent , sed quòd originis probatio facilior sit , & expeditior, » ad cujus proinde Episcopum remittunt , nisi in extranea quis » patria , vel extra paternum domicilium fortuitò natus sit , quo » casu domicilii , quod originis locum quodammodo obtinet, » rationem habent , & Ordines eis conferunt , qui apud eos do» micilium habuerint.“

Hæc Hallierius , qui ibidem notat , jus originis multùm præponderare juri domicilii : Quòd jus originis naturale sit , jus domicilii tantùm civile , jus originis necessarium , jus domicilii voluntarium ; hoc variabile & temporarium , illud immutabile.

XXI. Sicuti commoratio plurium etiam annorum non sufficit, ut quis habere censeatur fixum , firmumque domicilium ; ut ratione illius possit ab Episcopo aliquo ordinari ; ita nec ea semper requiritur , ut verum domicilium in aliquo loco figatur. Potest enim aliquis sine mora temporis ad aliquem locum verè migrare ; ibique animo semper manendi , larem , rerumque , ac fortunarum summam constituere; atque ita firmum , fixumque domicilium eligere ; sed quia similis subitanea domicilii electio, fraudibus , & fictionibus obnoxia est , nisi temporis mora juvetur , meritò S. Carolus in Concilio IV. Mediolanensi *part.* 2. *tit.* 8. decrevit , ne quis ratione domicilii ab Episcopo ordinetur , nisi ut minus decem annis in eodem loco commoratus esset; volens , ut » suscepturus Tonsuram vel Ordines probet , se vel » origine , vel Beneficio ecclesiastico , quod in Diœcesi obtinet » vel DECENNALI *domicilio* , vel alia quavis legitima ratione Diœcesanum esse.“

XXII. Titulo Beneficii , proprium Episcopum constitui illum , in cujus Diœcesi Beneficium situm est , manifestum est ex citate Decretali Bonifacii VIII. eumque titulum ex veteri disciplina originem traxisse supra notavimus.

Nec refert si Beneficii hujus provisio seu collatio spectet ad alium Episcopum , modò revera titulus Beneficii sit in Ecclesia huic Episcopo subjecta; sive quòd Beneficium quoad Episcopalia jurisdictioni Episcopi subjiciatur ; ita Garcias *de Beneficiis, part.* 2. *cap.* 4. *num.* 15.

XXIII. Adhæc , attentis verbis ipsius Decretalis , indifferens est , quale sit Beneficium , an simplex , an cum cura animarum, an requirens residentiam , an eam non requirens , an multos, an paucos proventus annexos habeat , modò tamen sit verum Beneficium , & in titulum Beneficii possideatur.

XXIV. Imò licèt Beneficium adeò esset tenue in proventibus , ut non esset sufficiens pro titulo ordinationis , nihilominus, si sit verum Beneficium, valebit ut ratione illius efficiatur subditus Episcopi , cui Beneficium illud subjicitur , atque possit ab il-

illo tanquam proprio Episcopo ordinari, etiam ad titulum alterius Beneficii, aut patrimonii.

XXV. Quia si plura Beneficia in diversis Diœcesibus possideat, habebit & ratione Beneficii tot *proprios* Episcopos à quibus ordinari possit, etiam sine dimissorialibus, quot possidet Beneficia.

XXVI. Si tamen ex circumstantiis appareat, Beneficium esse tantùm impetratum, ut subterfugiat proprii Episcopi examen, & alieno se subjiciat, Beneficium ità impetratum eum non subjicere Episcopo illius Beneficii, non semel declaravit S. Congregatio; uti refert Fagnanus his verbis: » Clericus primæ Ton» suræ, qui Beneficium obtinet in alia Diœcesi, etsi promoveri » possit ad Minores Ordines ab Episcopo Beneficii *quantumvis* » *tenuis*, ad præscriptum Capitis *Cum nullus*, *Tit. de Tempor.* » *Ordinat. in VI.* tamen si illud Beneficium sibi in fraudem » conferri curavit, *ut eludat examen ac judicium sui Ordinarii*, » censetur malè promotus, & remanet suspensus ab executione » Ordinum tanquam ordinatus à non suo Episcopo, juxta » *cap.* 8. *Sess.* 23. ut Sacra Congregatio declaravit."

XXVII. Episcopi Gallicani animadvertentes, ex multiplici titulo, quo quis proprius Episcopus efficitur, occasionem suppeditari Clericis ineptis in Sacros Ordines involandi; & Episcoporum, quibus vita illorum nota est, & quorum examen subire metuunt, subterfugiendi, in generali Conventu Cleri Gallicani anno 1657. declaravit: » Vix dignosci posse, quantum annorum ad domi» cilium figendum requiratur, & vix posse rationem haberi Epis» copi Beneficii; cùm non ita jam (ut olim) quique Clerici Ec» clesiæ suæ affigantur: cùm Beneficio renuntiare sine sui Epis» copi consensu, cùm plura possidere possint in variis Diœce» sibus, quo Clericis evagandi & clevandæ obedientiæ ansa præ» betur, decretum Bonifacii VIII. de tribus Episcopis *propriis* » vix in Gallia receptum unquam fuisse; porrò expeditissimum » jam esse, ut Episcopus proprius non esset, nisi unus à quo » posset ordinari. Denique decretum est, monendos, hortan» dosque Episcopos, ne quos ordinarent nisi ex suis Diœce» sibus oriundos. (d)

Hæc declaratio ostendit, Episcopos Gallicanos præcipuam rationem haberi voluisse Episcopi *originis*; eò quòd hic titulus non sit ità mutabilis, neque tot fraudibus subjectus, sicut titulus *domicilii* aut *Beneficii*.

XXVIII. Hanc Episcoporum Galliæ declarationem, & consuetudinem, quæ licentiam ordinandi passim ad unum Episcopum Originis restringit, nec licentiam à variis Episcopis recipiendi Ordines pasim indulget, non improbat Hallerius; tamen exoptat quàm maximè, » neminem, qui Beneficium resi» dentiam requirens, præsertim verè Curatum habet, absque » ejus in cujus Diœcesi tale Beneficium obtinet licentia, à quo» piam ordinari: posset enim ille, quem fortè ad Beneficium non » admisit, ab ordinatione, si indignus esset, rejicere; posset » & eundem, si post obtentum Beneficium aliquid rejectione » dignum fecisset, vel olim fecisse de novo deprehenderetur, ab » Ordinatione repellere, qui sine ejus licentia ordinatus Eccle» siæ scandalo, & infamiæ futurus est."

XXIX. Et sanè, si quis in aliqua Ecclesia Beneficium possideat, eique jam notabili tempore deservierit; atque ex conditione Beneficii, aut aliunde sufficienter pateat, eum perpetuò eidem deserviturum, omninò rationi, ac pristinæ disciplinæ consentaneum est, ut is non nisi ab Episcopo Beneficii ordinetur. Similis enim Clericus, cùm titulo Beneficii perpetuo vinculo quasi Ecclesiæ illi censeatur alligatus, rationem Canonum, qui adeò enixè vetârunt, alienum Clericum à quovis Episcopo ordinari, hîc locum habere non obscurum erit, si quæ suprà de his Canonibus dicta sunt, expendantur.

XXX. Quocunque autem titulo sive Beneficii, sive domicilii, sive originis constituatur *proprius* Episcopus, habebit licentiam non tantùm conferendi Ordines, sed etiam dandi Dimissorialis, dispensandi super interstitiis, aliaque faciendi, quæ passim ab Episcopis circa Sacras Ordinationes respectu suorum subditorum licent, uti post alios docet Barbosa *de Potestate Episcopi*, *part.* 2. *allegat.* 4. & quotidiana praxis probat.

XXXI. Synodus Tridentina nihil circa titulum, quo quis *proprius* Episcopus efficitur mutavit, aut definiit; sed id non uno decreto stabilire studuit, ut nullus ab alieno Episcopo, nisi de proprii licentia, ordinetur.

Imprimis *Sess.* 6. *cap.* 5. *de Reformat.* statuit: » Nulli Epis» copo liceat, cujusvis privilegii prætextu, Pontificalia in al» terius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licen» tia, & *in personas eidem Ordinario subjectas*."

XXXIII. Huic Decreto nonnulli Episcopi merè Titulares fraudem facientes, » Cathedram collocabant in aliquo loco *nul*» *lius* Diœcesis; atque ibi quoscunque ad se venientes, etiamsi » suorum Episcoporum seu Prælatorum Litteras commendatitias » non haberent, clericali charactere insignire, & ad Sacros » etiam Presbyteratûs Ordines promovere præsumebant, quo » plerumque fiebat (ait Synodus Tridentina *Sess.* 14. *cap.* 2. *de* » *Reformat.*) ut minus idonei, & rudes ac ignari, & qui à » suo Episcopo tanquam inhabiles & indigni rejecti fuerunt, or» dinati, nec divina Officia peragere, nec Ecclesiastica Sacra» menta rectè valeant ministrare."

Incommoda, quæ hîc notat Synodus, hodie etiam difficulter evitantur ob libertatem adeundi plures Episcopos pro Ordinibus recipiendis, quemadmodum ante indicavimus.

Interim Synodus, ut iis occurrat, decernit: » Nemo Epis» coporum, qui *Titulares* vocantur, etiamsi in loco nullius » Diœcesis, etiam exempto, aut aliquo Monasterio cujusvis » Ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis pri» vilegii sibi de promovendo quoscunque ad se venientes pro » tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu fami» liaritatis continuæ commensalitatis suæ, absque sui proprii Præ» lati expresso consensu, aut litteris dimissoris ad aliquos Sa» cros, aut minores Ordines, vel primam Tonsuram promo» vere seu ordinare valeat."

XXXII. Cùm autem incommoda suprà recitata non minus metuenda sint, si unicuique liceat à quocunque vero & non Titulari Episcopo ordinari, quàm si à Titulari, Synodus suum decretum extendens, statuit generaliter *Sess.* 23. *cap.* 8. *de Reform.* ut » Unusquisque à *proprio* Episcopo ordinetur. Quòd » si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cu» jusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætex» tu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, » ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur; si secus » fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordina» tus à susceptorum Ordinum executione, quandiù proprio Or» dinario videbitur expedire, sit suspensus."

XXXIV. Tametsi Synodus hoc decreto specificè non exprimat *Tonsuram* Clericalem, tamen quia generaliter vult, ununquemque à proprio Episcopo ordinari, etiam sub illa generalitate comprehendisse videtur ipsam Tonsuram: cùm eam suscipiens, etiam in latiore saltem significatione, dicatur *ordinari*. Et ratio, quæ vetat quempiam in alienum subditum Pontificalia exercere, etiam in collatione Tonsuræ Clericalis militat: quòd scilicet, exercitium Pontificalium sit species jurisdictionis, saltem voluntariæ, quæ in non subditum exerceri nequit.

XXXV. Adhæc, quia Synodus Tridentina etiam suo decreto excludit *cujusvis generalis vel specialis rescripti* prætextum, » consulta S. Congregatio Concilii Interpres, an qui fa» cultatem à Sede Apostolica, obtinuit, ut possit ordinari ab » alio, quàm à suo ordinario, debeat nihilominus probitatem » suam, & mores Ordinarii sui testimonio comprobare. Res» pondit ita debere, prout Signatura Gratiæ jam dudum solita » est in hujusmodi facultatibus ponere clausuram, *de Licentia* » *Ordinarii*, cujus testimonio mores, & probitas commenden» tur." Ità Fagnanus ad *cap.* CUM SECUNDUM *de Præben*dis, *num.* 54.

XXXVI. Decreti prædicti generalitas, necnon expressa clausula, *etiam cujusvis generalis vel specialis privilegii prætextu*, sat ostendunt, Synodum voluisse non tantùm seculares, sed etiam Regulares quocunque privilegio munitos suo decreto comprehendi.

Deinde *cap.* 10. *ejusd. Sess.* nec Abbati permittit, Regulari cuicunque Tonsuram, aut Minores conferre, qui non sit ejus subditus, sed horum omnium ordinationem ad Episcopos, intra quorum Diœcesis fines existunt, pertinere vult. Quo satis ostendit, Regularium, qui Abbatibus illis non subsunt, ordinationem ad Episcopos, intra quorum Diœcesis terminos existant, pertinere; idque, ut subdit Synodus, *non obstantibus quibuscis privilegiis*, *præscriptionibus*, *aut consuetudinibus etiam immemorabilibus*.

XXXVII. Indulsit quidem Pius V. Constitutione suâ quæ incipit: *Et si Mendicantium*, 41. *in Bullar. Roman.* Fratribus Mendicantibus, quòd Sacros Ordines à quolibet Antistite gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente, Ordinarii loci licentia minimè requisita, in locis seu domibus Fratrum hujusmodi, sive alibi recipere possent, sed Pii V. immediatus successor Gregorius XIII. hanc Constitutionem Pii V. reduxit ad terminos Juris communis & Concilii Tridentini, per Bullam quæ incipit: *In tanta*, 9. *in Bull. Rom.* atque omnia ità esse voluit, quo futura essent, si litteræ illæ Pii V. non emanâssent, *ad quam dispositionem & decissionem*, *suumque integrum statum*, *ac terminum illa omnia* (ait) *reducimus*.

Itaque attenta hac reductione ad terminos Juris communis, & Concilii Tridentini, hodie Regulares non possunt ab Episcopis ordinari, etiam in suis domibus sine licentia Diœcesanorum, uti rectè advertit Barbosa *de Officio Episcopi*, *part.* 2. *Allegat.* 4. *num.* 61.

XXXVIII. Postmodum emanavit declaratio quædam S. Congregationis Concilii Tridentini Interpretis probata à Clemente VIII. qua declaratum est, » Superiores Regulares posse suo

(d) *Hæc leguntur in novis Cleri Gallicani collectaneis*, tom. 5. tit. 7. part. 3. col. 777. 478.

» suo subdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requi-
» sitis Ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concede-
» re, ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempe illius Monas-
» terii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis
» positus fuerit."

Hic duo declarantur: primum Regularem pro Ordinibus suscipiendis non posse à Superioribus suis mitti nisi ad Diœcesanum suum.

Secundum, Diœcesanum Regularium censeri Episcopum illius Monasterii, in cujus Diœcesi situm est Monasterium, in quo Regularis Ordinandus collocatus fuit ab iis, ad quos pertinet; ita scilicet ut de familia illius Monasterii censeatur, sive incorporatus sit illi Conventui; adeoque verè dicatur jam esse de illo Conventu seu familia, ac ibi secundum disciplinam Regularium, qui Conventum de voluntate Superiorum mutare subinde solent, verè dicatur ibi habitare & domicilium habere.

* Ex declaratione Cardinalium per Clementem VIII. probatâ, necnon Constitutione Pii V. per Gregorium XIII. revocatâ, sive ad terminos Concil. Tridentini reductâ (de qua n. 36. & 37.) intelligitur, *Romanos* Pontifices existimâsse, sibi esse jus concedendi privilegia sive indulta Regularibus, aliisque quibuscunque Episcoporum subditis, à quocunque Episcopo suscipiendi sacros Ordines, etiam sine licentia aut prævio examine proprii Episcopi; idque indubiè ex eadem illa *plenitudine potestatis*, vigore cujus sibi jus esse existimârunt mittendi Concionatores & Confessarios per omnes Ecclesias sine licentia Ordinariorum, uti suprà ad *tit.* 6. *cap.* 5. *num.* 10. notatum fuit.

Similiter privilegia sive indulta suscipiendi ab alieno Episcopo sacros Ordines sine licentia aut examine Ordinarii, de quibus *Sess.* 23. *cap.* 8. Concilii Tridentini *de Reformatione* his verbis: *etiam cujusvis generalis, aut specialis Rescripti, vel privilegii prætextu*, huic plenitudini potestatis innitebantur.

Verum quidem est, quòd Concilium Trident. & etiam nonnulli Pontifices circa similia privilegia, & rescripta voluerint & præceperint, quandam moderationem adhiberi; at experientia sat docuit, abusibus & confusioni Ordinis Hierarchici per hanc præscriptam moderationem non sat potuisse mederi: nec unquam efficaciter medendum, nisi his & similibus Privilegiis omninò revocatis & annullatis, jus commune & sacrorum Canonum pristina disciplina per novem ut minùs secula sanctissimè conservata postliminio revocetur, ipseque Ordo Hierachicus integer & cum debita subordinatione conservetur.

XXXIX. Unde Superiores Regulares, qui subditos suos mittunt ad certos Conventus eâ duntaxat intentione, ut ab Episcopis illorum Conventuum ordinari queant; mox eosdem Ordinatos ad priores Conventus revocaturi, indubiè Concilio Tridentino, & Constitutionibus Pontificiis fraudem faciunt; ac revera subditos à non Diœcesano ordines suscipere permittunt; quandoquidem evidens sit, Regulares sic ad alios Conventus euntes, priorem Conventum revera non deserere, neque familiam mutare: sed de familia, seu Conventu priori manere; ac per consequens, Episcopo hujus Conventûs subjectos.

Itaque Regulares censentur esse de Diœcesi Episcopi, in qua situm est Monasterium, in quo *verè* habitant, sive cujus familiæ sunt incorporati; etiamsi aliunde sint oriundi juxta *Cap.* 3. §. RELIGIOSI, *de Temporib. Ordin. in* VI. Neque alium Diœcesanum sive Ordinarium habere censentur: eò quòd per professionem religiosam, origini quodammodo renuntiaverint.

Si tamen de Regularibus agatur, qui Beneficiorum sunt capaces, non apparet, quare non possit quoque titulo Beneficii Regularis promoveri ab Episcopo, in cujus Diœcesi situm est Beneficium.

XL. Additur deinde in citata declaratione Congregationis:
» Et si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinatio-
» nes, ad quemcunque alium Episcopum, dum tamen ab eo
» Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctri-
» nam; & dum ipsi Regulares, non distulerint de industria
» concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Diœcesanus,
» vel abfuturus, vel nullas habiturus ordinationes esset. Verùm
» cùm à Superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano ab-
» sente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ da-
» buntur, in eis utique hujusmodi causam absentiæ Diœcesani
» Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, expri-
» mendam esse; quod qui non fecerint, officii, & dignitatis,
» seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationis,
» ac alias arbitrio ejusdem S. D. N. Papæ reservatas pœnas, in-
» current. «

Declaratione illa relata subdit Hallierius loco citato: » Hanc,
» ni fallor, moderationem, & interpretationem Tridentinæ Sy-
» nodi Regularium importunæ flagitiones extorserunt, cui ta-
» men ne sic quidem parere aliqui ipsorum volunt. «

XLI. Quidquid sit de hoc Hallierii asserto, fraudem apertam illi declarationi faciunt, & menti Pontificis contraveniunt, qui credunt, & asserunt, superiores posse ex industria differre donationem dimissorialium suis subditis usque ad id tempus, quo Episcopus sit absens, vel nullas habiturus sit ordinationes.
» In quocunque casu, in quo Regulari Prælato constat, subdi-
» tos suos esse, & quantum ad mores, & quantum ad doctri-
» nam sufficienter idoneos, & tamen habeat unde probabiliter
» timeat fore, ut ab Episcopo rejiciantur: quia tunc rationabi-
» liter movetur, & verè utitur jure suo, non faciet contra de-
» cretum Clementis VIII. si expectet tempus, in quo non sunt
» habendæ Ordinationes in Diœcesi, ut subditos suos extra
» Diœcesim dimittat Ordinandos. «

Ita nuperus Auctor consultationum canonicarum *Consult.* 3. *resolut.* 6. *num.* 809.

XLII. Quo posito, quid sequitur, nisi quod quandocunque Superior probabiliter timet fore, ut ab Episcopo non sint admittendi ad Ordines, quos ipse præsentandos duxerit (hos enim & *quantum ad mores & quantum ad doctrinam sufficienter idoneos* judicat) tunc non faciet contra Decretum Clementis VIII. si exspectet tempus, in quo non sunt habendæ Ordinationes in Diœcesi, ut subditos suos extra Diœcesim dimittat Ordinandos: sive quod secundum modernam praxim loquendo idem est, si probabiliter timeatur fore, ut ab Episcopo non omnes indifferenter Regulares, præsertim Mendicantes, ætatem & certum in Religione tempus habentes, admittentur.

Quid enim notius, quàm omnes planè Regulares, si illos, quos *Laicos* vocant, excipias, morum ætatem attigerint, certoque tempore in Religione vixerint, Ordinibus Sacris, & *quantum ad mores, & quantum ad doctrinam sufficienter idoneos* à Superioribus judicari?

Si hoc non sit fraudem facere Declarationi & Ordinationi Pontificis, nescio quid tandem erit fraudem facere; sed de hac, aliisque similibus fraudibus, quibus nonnulli se conantur subducere examini suorum Episcoporum, qui secundum suum genium rigidiores videntur, fusiùs egi in libello, cui titulus, *Repagulum Canonicum adversus nimiam Exemptionum à jurisdictione Episcoporum extensionem.* §. 10. 11. &c.

XLIII. His, aliisque incommodis, quæ ex recursu ad varios Episcopos pro Ordinibus suscipiendis oriuntur, medendis, modernus Pontifex Innocentius XIII. Constitutionem edidit, quæ incipit: *Speculatores*; quâ penè omnia, quæ tum ex declaratione S. Congregationis, tum decretis Episcoporum circa *proprium* Episcopum relata sunt, confirmantur; unde textum Constitutionis, quo hæc exprimuntur, hîc apponendum credidi.

» Decernimus, ac declaramus, nulli Episcopo seu cujusvis
» loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere ex-
» ternum quempiam, ac sibi ratione originis, seu domicilii,
» juxta modum inferiùs declarandum, legitimè contracti, non
» subditum ad Clericalem Tonsuram promovere, cujusvis Be-
» neficii Ecclesiastici ei statim ac Tonsurâ hujusmodi insigni-
» tus fuerit, seu ad quod is à Patronis jam præsentatus, seu
» nominatus fuerit, prætextu, etiamsi Beneficium prædictum
» de novo ea expressè adjecta lege fundatum fuisse constiterit,
» ut quis immediatè post Clericalem characterem susceptum ad
» illud instituatur; præterea Clericum, qui legitimè jam à por-
» prio Episcopo ad eandem Clericalem Tonsuram, seu etiam
» ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Epis-
» copo ratione, ac titulo cujuscunque Beneficii in illius Diœ-
» cesi obtenti ad ulteriores Ordine promoveri, nisi ante eo-
» rundem susceptionem testimoniales litteras proprii Episcopi
» tam originis, quàm domicilii super suis natalibus, ætate, mo-
» ribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo or-
» dinanti in actis illius Curiæ conservandas exhibuerit. Licèt ve-
» rò Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena Diœcesi ob-
» tenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus
» Diœcesi Beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cæ-
» tero hac in re inconcussè servari volumus regulam, ut ne-
» mo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines ac-
» quirere censeatur, nisi Beneficium prædictum ejus sit reddi-
» tûs, ut ad congruam vitæ sustentationem sive juxta Taxam
» Synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem Regionis pro-
» movendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se suf-
» ficiat, illudque ab ordinando pacificè possideatur, sublata
» quacunque facultatate supplendi quod deficeret fructibus ejus-
» dem Beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quod
» ipse Ordinandus in eadem, seu alia quavis Diœcesi obtineret;
» ac Episcopus sic Ordinans tam de prædictis testimonialibus lit-
» teris, quàm de redditu Beneficii hujusmodi expressam in con-
» sueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere de-
» bebuit. Cæterum Subditus ratione Originis is tantùm sit, ac es-
» se intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in
» qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi
» natus non fuerit ex accidenti, occassione nimirum itineris,
» Officii, Legationis, Mercaturæ, vel cujusvis alterius tem-
» poralis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in illo loco, quo
» casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantùm,
» & naturalis Patris origo erit attendenda. Quod si quis tan-
» to temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut
» præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem
» ca-

» Canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordina-
» rio ejus loci litteras Testimoniales, ut supra, obtinere, illas-
» que Episcopo Ordinanti per eum in collatorum Ordinum Tes-
» timonio similiter recensendas præsentare teneatur. At si Pa-
» ter in alieno loco, ubi ejus Filius natus est, tandiù, ac eo
» animo permanserit, ut inibi verè domicilium de Jure contra-
» xerit, tunc non origo Patris, sed domicilium per Patrem le-
» gitimè, ut præfertur, contractum pro Ordinatione ejusdem
» filii attendi debeat. Subditus autem ratione domicilii ad effec-
» tum suscipiendi Ordines is duntaxat censeatur, qui licèt ali-
» bi natus fuerit, illud tamen adeò stabiliter constituerit in ali-
» quo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel
» majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instruc-
» tis Ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insu-
» per per aliquod considerabile tempus commemorando, satis
» superque suum perpetuò ibidem permanendi animum demos-
» traverit; & nihilominus ulteriùs utroque casu se verè & rea-
» liter animum hujusmodi habere jure jurando affirmet. Si quis
» tamen à propriæ originis loco in ea ætate discesserit, quâ
» potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici, etiam
» Ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra asser-
» re debebit, ac de illis expressa similiter mentio in suscep-
» torum Ordinum Litteris facienda erit. «

CAPUT III.

De Litteris Dimissorialibus.

1 *Quæ essent apud veteres Litteræ Dimissoriales.*
2 *Harum Litterarum mentio occurrit in antiquis Canonibus; sed alio sensu, quàm hodie accipiuntur.*
3 *Litteræ Dimissoriales hodie dantur, ut quis ab alieno Episcopo ordinetur.*
4 *Dare Litteras Dimissoriales propriè ad Episcopos pertinet*
5 *Olim quibusdam inferioribus Prælatis facultas dandi Dimissoriales competiit.*
6 *Synodus Tridentina hanc facultatem sustulit.*
7 *Decretum S. Congregationis conforme.*
8 *Auctoritas dandi Dimissoriales competens Capitulo Sede vacante per Synodum Trid. restricta.*
9 *Pœna in contravenientes decreta.*
10 *Episcopus confirmatus non consecratus potest dare Dimissoriales; & Archiepiscopus ante receptionem Pallii.*
11 *Facultas hæc ab Episcopis delegari potest.*
12 *Synodus Trident. desiderat, ut Episcopi per se ordines conferant.*
13 *Jure communi in litteris Dimissorialibus exprimenda causa ob quam Episcopus non ordinet; sed hodie non observatur.*
14 *Non est conveniens, ut Episcopus passim suos aliò mittat.*
15 *Synodus Tridentina non vult dari Dimissoriales, nisi jam probatis.*
16 *Synodi posteriores idem inculcant.*
17 *Justitia horum decretorum.*
18 *Interdum examen aliis delegandum; & quæ cautio à S. Carolo hîc adhibita.*
19 *Studentium in Academia examen sæpè aliis committitur; & quid hic præcipuè attendendum.*
20 *Synodus Trident. videtur ultra examen Ordinarii etiam requirere examen alieni ordinantis vigore Dimissorialium.*
21 *Idque in aliquibus Diœcesibus observatur.*
22 *Sacra Congregatio declaravit, id esse arbitrarium.*
23 *In Belgio non solet secundum examen institui.*
24 *Merito attendunt Episcopi, à quo Dimissoriales concessæ sint.*
25 *Sanctus Carolus noluit sine necessitate Dimissoriales dari.*
26 *Noluit eas dari nisi pro Ordinibus una ordinatione recipiendis.*
27 *Voluit in iisdem præscribi tempus, intra quod Ordines sint suscipiendi.*
28 *Dimissoriales ad tempus vel certos Ordines restrictæ, quando exspirent.*
29 *Litteræ Dimissoriales per mortem Episcopi non exspirant.*
30 *Concessæ à Capitulo Sede Vacante, aut Vicario durant etiam extinctâ horum potestate.*
31 *Poterit novus Episcopus Litteras Dimissoriales à Capitulo datas revocare.*

I. Litterarum *Dimissorialium* sive *Dimissoriarum* frequens est etiam apud Veteres mentio; sèd alio nonnihil sensu, quàm hodie accipiuntur.

Antiquitùs enim ferè ejusmodi litteræ non dabantur, nisi Clericis, qui ad aliam Ecclesiam mittebantur non reversuri.

Cùm enim secundum disciplinam illius temporis, Clerici omnes vi suæ ordinationis adstringerentur certæ Ecclesiæ à qua sine consensu Episcopi recedere non poterant, si Clericus ad aliam Ecclesiam transire vellet, petebat ab Episcopo *dimissionem*; si Episcopus consentiebat, expediebantur litteræ, quibus significabatur, quòd Episcopus hunc Clericum à vinculo, quo Ecclesiæ suæ tenebatur, absolveret, atque à se *dimitteret*; alterique Episcopo eum cederet; jusque omne quod in eum habebat, in alterum transferret: atque hæ propriè dicebantur Litteræ *Dimissoriæ*, à verbo Latino *dimittere*.

II. Hoc sensu Litteræ *Dimissoriæ* accipiuntur à Concilio Carthaginensi I. *Can.* V. litteras has ideò solùm requirens, ne alienus Episcopus alterius Clericum usurpet, id est, suæ Ecclesiæ adscribat, & alteri eripiat. Et in Synodo Trullana *Can. XVII.* decernitur, ut » nullus omninò Clericus in quocun-
» que sit gradu, potestatem habeat sine proprii Episcopi scrip
» ta *dimissoria* in alienæ Ecclesiæ catalogum referri.«

Hîc *dimissoria* requiritur, non ut Clericus ab alio Episcopo simpliciter ordinetur; sed ut in alienæ Ecclesiæ catalogum referatur; quod fieri mores illorum temporum non permittebant, nisi ab Ecclesia, cui priùs fuerat adscriptus, dimitteretur; quod fiebat mediante *dimissoria*.

III. Hodie verò vulgari nomine litteræ *dimissoriæ* sive *dimissoriales* vocantur, quibus Clerici non absolutè à suis Ecclesiis dimittuntur, sed quibus ad alienum Episcopum, Ordinum suscipiendorum causa duntaxat dimittuntur; seu quibus facultas fit alicui à non suo Episcopo Ordines suscipiendi; ità ut Episcopus in eum Clericum pristinum jus, & auctoritatem sibi retineat; nec à se dimittat, nisi ad hunc solum effectum, ut ab alieno Epoiscopo Ordinem in litteris expressum suscipiat.

IV. Sicut autem Episcopi sunt Ordinarii Ordinum Ministri; atque ad ipsos propriè spectat Ministrorum Ordinatio, & electio, ità quoque semper ad Episcopos primariò spectavit, & hodie spectat Dimissoriales litteras dare.

» Inferiores Prælati, Religiosi vel alii, nisi eis, quòd suos
» Clericos, aut subditos, possint à quo voluerint Episcopo fa-
» cere ordinari, à Sede Apostolica *specialiter* sit indultum, vel
» Officialis Episcopi (cùm ad hoc se ipsius officium non exten-
» dat) hujusmodi nequeunt licentiam impertiri. « (e) *Cap. 3. de Temporib. Ordinat. in* VI.

Hîc supponit Pontifex, Episcopis jure ordinario competere facultatem dandi litteras *Dimissoriales*; inferioribus verò nonnisi ex speciali Sedis Apostolicæ indulto; quemadmodum etiam indicatur in *cap.* 8. *de Offic. Archid.* ubi mandatur Episcopo, ut » interdicat Archidiano suo, ne sine conscientia sua &
» auctoritate litteras suas promovendis concedat Clericis.«

Ad quæ reflectens Glossographus ait: » Et ità patet, quòd
» Archidiaconus non potest dare commendatitias (litteras) ad Or-
» dines suscipiendos, sed solus Episcopus.«

V. Subjicit tamen Glossographus hanc exceptionem: » Si
» Episcopus absens esset extra Parochiam suam & necessitas vel
» utilitas Ordinandorum immineret, tunc posset illos præsenta-
» re aliis Episcopis, per quos ordinentur: quia absente Episcopo
» supplet vices; sic & Archipresbyteri; & hoc intelligo (ait) si
» Archidiaconus habet hoc de consuetudine, aliàs non, nisi ha-
» beret *speciale* mandatum.«

Ex his quoque non obscurum est, olim nonnullis inferioribus Prælatis, ut Archidiaconis, Archipresbyteris, vel Abbatibus, sive per Indultum sive per consuetudinem facultatem hanc fuisse communicatam.

VI. Verùm Concilium Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 10. *de Reformat.* postquam interdixit Abbatibus, ac aliis quibuscunque quantumvis exemptis, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel Minores Ordines conferre, subdit: » Nec ipsi
» Abbates, & alii exempti, & Collegia, vel Capitula quæcunque
» etiam Ecclesiarum Cathedralium Litteras dimissorias aliquibus
» Clericis secularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant; sed
» horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quæ in hujus
» sanctæ Synodi decretis continentur, ad Episcopos, intra quo-
» rum Diœcesis fines existant, pertineant: non obstantibus qui-
» busvis privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus, etiam
» immemorabilibus.«

Hoc Decreto auctoritatem dandi Dimissoriales competentem Prælatis inferioribus, vel ex privilegio vel consuetudine vel præscriptione esse revocatam, nequaquam obscurum est.

VII. Unde cùm Capitulum Antuerpiense obtinuisset privilegium à Leone X. quo dabatur facultas dandi *dimissoriales* de promovendo etiam extra tempora; eaque auctoritate, non obstante decreto Concilii Tridentini, uti vellet Capitulum, quæstione per Episcopum Romam delata, & S. Congregationi proposita, rescriptum est ad Episcopum Sacram Congregationem censuisse, » Facultatem concedendi *dimissorias* litteras
» Capitulo ademptam esse decreto cap. 10. *Sess.* 23.« Litteræ extant apud Zypæum in Jure novo *tit. de Officio Ordinarii, num.* 20.

VIII. Quia Sede vacante Capitulum succedit in jurisdictionem Episcopalem, jam olim obtinuit, ut Capitulo Sede vacan-

(e) Vide Actum Acordatum 6. tit. 1. lib. 4. Recopilat.

cante Dimissorias ad suscipiendos Sacros Ordines statim à morte Episcopi dare posset ; at Synodus Tridentina per decretum sub Paulo III. editum *Sess. 7. cap. 10. de Reform.* hanc Capituli auctoritatem aliquatenus restrinxit, uti suprà *part. 1. tit. 9. cap. 2.* notavi.

IX. Ulteriùs pœnam interdicti Capitulo, si decreto contraveniat, comminatur : insuper ut » ordinati, si in Minoribus » Ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præ» sertim in criminalibus, gaudeant : in majoribus verò, ab » executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, sint » ipso jure suspensi. «

Hanc pœnam Synodus *Sess. 23. cap. 10. de Reform.* Ad » illos, qui easdem litteras non à Capitulo, sed ab aliis quibusvis, » in jurisdictione Episcopi loco Capituli, Sede vacante, succe» dentibus, obtinerent contra decretum sub Paulo III. mandat » extendi. Concedentes autem Dimissorias contra formam Decre» ti, ab officio & Beneficio per annum sint ipso jure suspensi. «

X. Cæterum, quia concessio Dimissorialium ad Ordines suscipiendos, non ad ea, quæ Ordinis, Episcopalis sunt, sed ad ea, quæ jurisdictionis sunt, pertinet ; nemo ambigit, quin Episcopus electus & confirmatus, licèt nondum consecratus Dimissorias dare queat ; eò quòd post confirmationem, etiam ante consecrationem Episcopus exerceat omnia, quæ sunt jurisdictionis, quemadmodum *parte 1. tit. 14. cap. 5.* ostensum est. Idem esto judicium de Archiepiscopo ante acceptum Pallium Archiepiscopale, sine quo Ordines conferre nequit, licèt quæ jurisdictionis sunt, exercere valeat ; uti similiter *part. 1. tit. 19. cap. 5.* probatum est.

XI. Eadem ratione facultas dandi *dimissorias* Vicariis, seu Officialibus Episcoporum competere potest, modo Episcopi eam specialiter ipsis delegaverint. Hanc auctoritatem in Provincia Coloniensi seculo præterito competiisse Officialibus supposuit Synodus Coloniensis anno 1536. *part. 1. cap. 29.* prohibens: » Ne Officiales Litteras *dimissorias*, quæ vulgò *Licentiatoriæ* » Ordinandi vocantur, alicui temerè concedant : illarum enim » prætextu, qui suæ ruditatis, & inscitiæ sibi conscii sunt, nos» trorum Vicariorum in Pontificalibus disquisitionem subterfu» giunt, ac aliò migrant, ubi nullus canonicæ traditionis res» pectus habetur. «

Idipsum supposuit Synodus Moguntina anno 1549. *cap. 14.* dicens : » Commissariis nostris seriò inhibemus, ne imposterum » alicui Litteras Dimissorias sine magna & necessaria causa, quam » benè exploratam habere debent, concedant. «

Profectò cùm à certa, ac canonica Ministrorum electione & sublimatione præcipuè rectum Ecclesiæ regimen & populi salus dependeat, Episcopi summa circumspectione in ea procedere bebent, neque temerè aut facilè aliis Ordinationem suorum ministrorum credere.

XII. Et quidem Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 3. de Reformat.* vult, ut » Episcopi per semetipsos Ordines confe» rant : quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non » aliter, quàm jam probatos, ad alium Episcopum ordinandos » dimittant. «

Quamvis Synodus non exprimat nisi causam *ægritudinis*, ob quam suos ad alium Episcopum mittere queat, nequaquam tamen aliæ graves & necessariæ causæ exclusæ censentur, quibus legitimè impeditus Episcopus, ad alium Episcopum Ordinandos dimittat ; quemadmodum expressit Concilium Mediolanense III. sub S. Carolo tit. *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis.*

XIII. Et quidem Clemens IV. in *cap. 3. de Temporibus Ordinat. in VI.* non vult aliquem Ultra-Montanum ab Episcopo Italo ordinari, nisi in Litteris Dimissoriis causa legitima contineatur, quare illum Episcopus *originis* nolit aut nequeat ordinare.

Unde jam pridem creditum fuit, & S. Carolus observavit, quòd in Litteris dimissoriis deberet exprimi causa, ob quam Episcopus proprius ordinare nequeat, aut nolit ; quod tamen nec in Gallia, nec in Belgio (f) observatur, uti advertit Rebuffus in *Praxi Benef. tit. de Formula dimissoriarum, num. 28.*

XIV. Interim ex decreto Synodi Tridentinæ sat intelligitur, mentem Ecclesiæ nequaquam esse, ut Episcopi passim suorum subditorum ordinationes aliis committant, quasi rem ipsis nimis molestam, aut nimis vilem ; quod planè à pristinis ac Sanctis Episcopis remotissimum fuisse exemplis probat Hallierius *part. 2. Section. 3. capit. 3. art. 11. §. 5.*

XV. Si verò justa fuerit causa mittendi subditum ad alienum Episcopum pro Ordinibus suscipiendis, meritò addit Synod. Trident. *non aliter quàm probatos* mittendos esse ; id est, Dimissoriales dandas non esse, nisi *jam probatis*, quod & alio loco sufficienter expressit ; vetans aliquem ab alieno Episcopo ordinari, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti, aut privilegii pretextu, *nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Sess. 23. cap. 8. de Reformat.*

XVI. Has Concilii Tridentini Sanctiones explicans S. Carolus in Synodo sua Mediolanensi III. titulo : *Quæ pertinent ad Ordinis Sacramentum*, ait : » Infirma valetudine, aliaque justa causa » impeditus Episcopus, si statutos Sacros Ordines habere non » potest, & aliquem proptorea Clericum suum ad alium Epis» copum mittere velit, à quo alicui ecclesiastico Ordini adscri» batur ; testimonialibus litteris ei datis, hoc adscribat, & tes» tata faciat, vitæ imprimis & morum probitatem, doctrinam, » qua idoneus, examine habito, judicatus est, ecclesiasticum Or» dinem, quo est proximè initiatus, tum præterea natales, aut » dispensationem, si quam super illis obtinuerit : si verò majori » Ordini adscribendus est, ætatem item, & titulum sufficientem» que censum Beneficii, vel pensionis, vel patrimonii, quod » ille habet. «

Et Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 9. cap. 5.* » Episcopi sub» ditos suos non nisi *jam probatos* & examinatos ad alium Episco» pum dimittant, juxta decretum Concilii Tridentini. «

XVII. Justissima sanè Constitutio. Cùm enim nemini magis nota esse debeat, quàm proprio Pastori, & Episcopo sufficientia, ac capacitas sui subditi ; atque ipsius maximè intersit, ne quis inidoneus è suis subditis, & in suæ Diœceseos Clerum ordinetur, nihil sanè justius, quàm ut ejus testimonium requiratur, ut appareat, an ipse, qui ad Ordines suscipiendos subditum suum mittit, de ipsius capacitate, antequam mittat, ritè sit instructus, atque de ea testetur.

XVIII. Quia etatem interdum contingere potest, ut Ordinandus à Diœcesi, aut civitate Episcopali sit absens, nec sine magno incommodo ad Episcopum personaliter pro examine accedere possit, hanc cautionem addit S. Carolus in sua Synodo Mediolanensi V. *part. 3. de Initiandis Ordinis Sacramento*, ut » hoc casu liceat examen illud speciatim Episcopo delegare, in » cujus Diœcesi illi morantur : ac verò tunc Litteras Dimissorias » ne det, antequam examinis facti litteras ab eo acceperit, cui » illud delegavit. «

XIX. Ita hodie non rarò solent concedi Litteræ *Dimissoriæ* Studentibus in Academia, præsertim remotis à suis Diœcesibus, hac insertâ clausulâ, si prævio examine à suo Præside Collegii, aut aliis in litteris designatis idonei judicentur : in quo hæc cautio præcipuè necessaria est, ut Episcopi examen illud non committant, nisi iis, quorum sufficientia, & integritas probè ipsis fuerit nota ; & de quibus securi sint, quòd non nisi benè idoneis testimonium capacitatis sint daturi.

XX. Videtur insuper Synodus Tridentina *Sess. 7. cap. 11. de Reform.* præter examen proprii Episcopi ad alienum mittentis, necnon illius de sufficientia ordinandi testimonium, insuper requirere examen ipsius Episcopi Ordinantis ; cùm expressè statuat : » Facultates de promovendo à quocunque non suffragentur, » nisi habentibus legitimam causam, ob quam à propriis Epis» copis ordinari non possint, in litteris exprimendam, & tunc » non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, » aut pro eo Pontificalia exercente, & *diligenti prævio exa» mine.* «

XXI. Et conformiter ad hoc Decretum, etiam à propriis Episcopis examinatos, iterum examinari ab Episcopo ordinaturo, Mediolani, & Neapoli, ex Bonacina & Quaranta refert Hallierus *loco citato*, §. 6. dicitque & in Gallia se id ab aliquibus vidisse observari.

XXII. De hac quæstione consulta S. Congregatio : » An scilicet, Episcopus ordinans alienos subditos seculares cum Dimissoriis proprii Episcopi asserentis, eos examinatos fuisse, & » idoneos repertos, hujusmodi attestationi deferre teneatur, vel » etiam possit eosdem Ordinandos examinare ; Sacra Congre» gatio censuit, esse arbitrarium, & ideò posse, sed non te» neri. « Apud Fagnanum ad *Cap.* CUM SECUNDUM ✠ *de Prabendis, num. 56.*

XXIII. Conformiter ad hac resolutionem, solent hîc Episcopi Dimissorialibus, & attestationi proprii Episcopi deferre, atque sine novo examine ordinare ; prædictum decretum Concilii Tridentini intelligentes de his, qui facultates de promovendo non à *proprio* Episcopo, sed à Sede Apostolica obtinuerunt.

XXIV. Addit tamen meritò Fagnanus ibidem *num. 57.* quòd si Episcopus alienus sciret, eum, qui habet Dimissoriales esse criminosum, peccaret ordinando : quia revera *manus imponendo*, etiam Sacramentum indignè administraret. Quare laudandi Episcopi, qui non adeò faciles sunt, ut admittant Dimissoriales, dum sciunt, Episcopum in concedendis Dimissorialibus & Ordinandis admodum facilem esse, ac quosvis passim se præsentantes ad Sacros Ordines admittere.

XXV. Ne occasione concessarum litterarum Dimissorialium fallantur Episcopi ; eò quòd interdum contingat, ut vel hominis mores immutentur, vel quod de illius vita anteà minus notum erat, atque exploratum, id postea patefiat, quo fiat, ut quem Episcopus aliquando sacro Ordine dignum judicavit, illum ipsum postmodum inveniat indignum, ut ulteriore Ordi-

(f) *Similis praxis in Hispania observatur.*

dine insigniatur, meritò voluit Sanctus Carolus in Synodo sua Mediolanensi IV. titulo, *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*, imprimis, ne »Episcopus cuiquam antequam Sacræ Ordinationis tempus *proximè* instet, litteras hujusmodi testimoniales, Dimissoriasve pro Ordinibus ab alio Episcopo suscipiendis, sine necessaria causa unquam concedat.«

XXVI. Secundò: »Neque item iisdem litteris facultatem »det plures Ordines suscipiendi, quàm illos ipsos tantùm, quos »uno eodemque tempore ab eo suscipi voluerit, ac per Sacros »Canones, Conciliaque licuerit.«

XXVII. Tertiò: »Præfiniat præterea in illis ipsis certum »suscipiendi Ordinis, cui quisquam adscribendus est, tempus, »menstruum scilicet vel bimestre vel longius, ut pro loci dis»tantia, pro aliave ejusmodi causa opus esse viderit.«

Hæc ostendunt quanta cautione in dandis litteris Dimissorialibus procedendum judicaverit S. Carolus; ne occasione hujusmodi litterarum indignus quispiam ad Ordines promoveretur. Episcopi has cautiones pro locorum personarumque conditione adhibere poterunt; ubi eas vel necessarias vel convenientes in eundem finem judicabunt.

XXVIII. Subjicit deinde S. Carolus: »Quo præstito tem»pore transacto eas litteras eo nomine à se concessas, ei impos»terum nihil suffragari, nihilque roboris habere iisdem litteris »declarat; quas etiam Cancellario Episcopali ab illo, cui con»cessæ sunt, reddi decernat.«

Verùm licèt hæc declaratio in litteris esset omissa, nihilominus, si *dimissoriales* restrictæ sint ad certum tempus, intra quod ad Ordinem promoveri teneatur, tempore præstituto elapso litteræ illæ suum amittunt valorem & effectum; quia cum facultas seu mandatum non sit nisi ad tempus, etiam ultra tempus extendi nequit.

XXIX. Si autem litteræ Dimissoriæ sint sine præfinitione temporis, tunc eatenus perpetuæ sunt, ut nec per mortem Episcopi revocare censeantur, uti tradit Rebuffus in Praxi Benef. titulo *de Formula dimissoriarum*, *num.* 39. & communiter Canonistæ, atque praxis moderna probat.

XXX. Addit præterea Rebuffus *num.* 43. Nec etiamsi gratia ista suscipiendi Ordines ab alieno Episcopo concessa sit à Capitulo, expirabit finita Capituli potestate; quia gesta à Capitulo valida sunt, & durant si rectè facta sunt. Idipsum plurimis citatis docet Barbosa de officio Episcopi, *part.* 2. *Alleg.* 7. *num.* 24.

Quod de Dimissoriis datis à Capitulo Sede vacante concessis dicitur, idem dicendum de concessis à Vicario Episcopi, eas nimirum durare etiam extincta potestate Vicarii; usi expressè notat Hallierius *loco citato*, §. 8.

XXXI. Hæc de validitate Dimissoriarum sive ab Episcopo, sive à Capitulo vel Vicario concessarum non procedunt, si Episcopus eas re integra, id est, ante Ordinem susceptum revocaverit. Unde Rebuffus postquam dixerat, litteras Dimissorias nec per mortem Episcopi, nec per extinctam potestatem Capituli esse effectu suo evacuatas, immediatè subjungit *num.* 44. Poterit tamen Episcopus revocare ea, quæ nondum sunt sortita effectum: quam opinionem Rebuffi probans Barbosa *dicto loco*, *num.* 15. ait: „A novo enim Antistite revocari possunt per edic»tum omnes, & quæcunque à prædecessoribus Præsulis, vel »Capitulo Sede vacante concessæ.«

CAPUT IV.

De Examine Ordinandorum.

1 *Episcopo citò* manus imponere *vetitum.*
2 *Quid sit* citò manus imponere.
3 *Ordinandi primùm probandi.*
4 *Synodus vult Ordinandos examini Episcoporum subjacere.*
5 *Decretum hoc etiam Regulares comprehendit.*
6 *In omni Congregatione solent esse boni & mali.*
7 *Major perfectio requiritur in Presbyteris, quàm in Monachis.*
8 *Non omnes, qui professionem religiosam emiserunt, ad Ordines sacros admittendi.*
9 *Examen Ordinandorum primariò ipsi Episcopo competit.*
10 *Si jus examinandi Ordinandos alicui competat, non censetur exclusus Episcopus.*
11 *Officiales, aliique inferiores Prælati examen aliquando sibi vindicârunt, & quid hic decreverit Synodus Coloniensis.*
12 *Convenit Episcopum in examine esse præsentem.*
13 *Episcopus examen aliis delegare potest.*
14 *Episcopus ultra Examinatores ordinarios potest alios assumerè, & præcipuè è Canonicis Cathedralibus.*
15 *Non astringitur Episcopus Canonicos Cathedrales assumere.*
16 *Examinatores quales esse debeant.*
17 *Monita S. Caroli ad Examinatores.*
18 *Examen imprimis instituendum circa vitam Ordinandorum.*
19 *Ordinandi mense ante Ordinationem se sistere debent Episcopo; & quare.*
20 *Nomina Ordinandorum publicè populo proponenda; idque conforme veteri disciplinæ.*
21 *Pristinam disciplinam exprimit Pontificale.*
22 *Huic pristinæ publicationi successit hodierna per Parochum fieri solita.*
23 *Hæc publicatio potissimum fit, ut de vita Ordinandorum exactior notitia habeatur.*
24 *Proclamationes fieri mandant Synodi Belgicæ.*
25 *Volunt ista fieri instar Bannorum Matrimonialium.*
26 *Decretum Synodi Leodiensis praxi hodiernæ conforme.*
27 *Non solent hodie ordinandi mense ante Ordinationem Episcopum adire; quod tamen esset conveniens.*
28 *Populus à Parocho monendus de harum proclamationum scopo.*
29 *Excitandus ut pro Ordinandis oret; & quam hîc solicitus fuerit S. Carolus.*
30 *Populus monendus ad quid jejunia quatuor temporum instituta.*
31 *Ordinandi aliquo die ab Episcopo designando examini se sistere debent.*
32 *Examen circa mores ipsorum quomodo instituendum, & quid de Seminaristis.*
33 *Quàm difficulter habeatur exacta notitia eorum, qui extra Seminarium morantur.*
34 *Non semper deferendum testimonialibus Directorum.*
35 *Regularium testimoniis non fidendum.*
36 *Quanto se periculo exponant, qui passim quorumcunque testimoniis credunt.*
37 *Qualiter super scientia examen instituendum.*
38 *Quæ sigillatim inquiri voluerit S. Carolus.*
39 *Voluit ut Examinatores sibi certam formulam examinandi proponerent.*
40 *Examen unius horæ an sufficere queat.*
41 *Exercitia spiritualia Ordinationi præmittenda; & quis horum scopus.*

I. Dictum est ab Apostolo omnibus Episcopis in persona Thimothei: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* 1. ad Timoth. 5. ℣. 22.

II. »Quid est autem *citò manus imponere*, (ait S. Leo »*Epist.* 87. *cap.* 2.), nisi ante ætatem maturitatis, ante tem»pus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam dis»ciplinæ Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?«

Et ante Leonem Sanctus Chrysostomus prædicta verba Apostoli exponens *Homil.* 15. *in Epist. ad Timoth.* ait: »Quid est illud *citò*? Non ex prima probatione, nec secunda, nec tertia, sed ubi consideratio diuturna præcessit, exactissimaque dis»cussio, tunc imponito manus.«

III. Jubet rursus in eadem Epistola *cap.* 3. Apostolus, ut Ordinandi *probentur primùm, & sic ministrent.*

Hinc toties in pristinis Canonibus præceptum, ne Episcopi citò manus imponant; sed priùs exactè probent, & examinent vitam, mores, aliasque Ordinandorum qualitates.

IV. His insistens Synodus Tridentina, neminem, nisi præviâ exactâ de vita, ac moribus inquisitione, & præmisso super ejus doctrina examine, ordinari voluit; uti pluribus capitibus *Sess.* 23. *de Reformatione*, expressum est, ac signanter *cap.* 12. ubi postquam ætatem singulis sacris Ordinibus præscriptam exposuit, subjicit: »Sciant tamen Episcopi, non sin»gulos, in ea ætate constitutos debere ad hos Ordines assumi: »sed dignos duntaxat, & quorum *probata* vita senectus sit. *Re»gulares* quoque nec in minore ætate, nec sine diligenti Epis»copi examine ordinentur: *privilegis* quibuscunque quoad hoc »penitùs exclusis.

Voluit igitur Synodus generaliter omnes, non tantùm Seculares, sed & Regulares ante ordinationem examini Episcopi esse subjectos, ut nimirùm Episcopus examinare queat, num digni sint ad Ordines promoveri; ne aliàs contra præceptum Apostoli alicui *citò manus imponendo*, peccatis alienis communicet: »Neque enim ut præcitatis verbis subjungit Chrysos»tomus, ea res periculis caret: eorum, quæ illæ peccaverit, »tu quoque pœnam dabis, qui initium dedisti etiam præce»dentium delictorum.«

VI. Vita quidem religiosa ex suo instituto, atque regulariter acta plurimum valet, ut quis ad Sacros Ordines disponatur; at notum est illud Agustini *epist.* 32. »Omnem conditionem in»cludere bonos & malos, esseque Clericos proinde falsos ac »Monachos. Sunt & Monachi falsi, & nos novimus tales; sed »non periit fraternitas pia per eos, qui profitentur quod non »sunt; tam enim sunt Monachi falsi quàm Clerici falsi, & fi»deles falsi.«

VII. Notum quoque est, non omnem, quæ Monachis sufficeret perfectio, ad Sacros Ordines, præsertim Presbyteratus, sufficere. *Multò major*, inquit S. Chrysostomus, *vitæ integritas*

huic (Presbytero) *quàm illis* (Monachis) *necessaria.* Hinc illud Augustini, *aliquando bonus Monachus, vix bonum facit Clericum. Lib.* 2. *de Sacerdot. cap.* 2.

Quibus consonat illud Doctoris Angelici: »Ordines Sacri »præexigunt sanctitatem; sed status Religiosis est exercitium »quoddam ad sanctitatem consequendam: unde pondus Ordi»num imponendum est parietibus jam per sanctitatem desicca»tis, sed pondus Religionis desiccat parietes, id est, homi»nes ad humore vitiorum.« 2. 2. *q.* 189. *art.* 1. *ad* 3.

VIII. Quapropter SS. Patres, etiam in primo Religionis monasticæ fervore, non omnes passim ad Ordines Sacros promovendos judicabant, sed *quos morum gravitas, & vitæ, ac fidei institutio sancta commendat*, ut loquitur Siricius Papa, *Ep.* 1. *cap.* 13. Unde ad Aurelium scribit Augustinus: *Cum ex his, qui in Monasteriis permanent, non tamen nisi* PROBATIORES *atque* MELIORES *ad Clerum assumere soleamus.* Et sanctus Gregorius Candido Episcopo scribens, ut de Monasteriis in sua Diœcesi positis cum consensu Abbatis aliquos accipiat in Presbyteros ordinandos, hoc monitum subjungit: »Sed illius »præ omnibus estote soliciti, ut vitam actusque eorum, qui »in hoc sunt officio constituendi, subtiliter debeatis inquirere, »& tunc eos, si digni fuerint, ordinare. *Lib.* 5. *Epist.* 27.

IX. Cùm ad Episcopum spectet Ordinandis manus imponere; atque juxta Apostolum, si *manus citò imponat*, ipse communicet peccatis alienis; quid mirum si ubique in Sacris Canonibus, & Patribus prima examinis cura ipsi Episcopo imponatur & deferatur; utpote cujus præcipuè interest, ne indigni promoveantur. Hinc illud Innocentii III. in *Cap.* VENERABILEM ✠ *de Electione*: »Est enim regulariter, & generaliter »observatum, ut ad eum examinatio personæ pertineat, ad »quem impositio manûs spectat.«

Ad hæc cum Episcopo totius populi cura, & Diœcesis regimen primariò incumbat; quid æquius, aut justius, quàm ut Episcopus examinet ac inquirat in illos, qui per sacram Ordinationem in Ministros & cooperatores Episcoporum assumendi sunt?

X. Unde si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, quòd Archidiaconus Ordinandos examinet, nequaquam tamen excluditur Episcopus, ut etiam ab Archidiacono examinatos rursus de novo examinet, uti docet Glossographus ad *Cap.* ACCEPIMUS, ✠ *de Ætate & qualitate Ord.* verbo *Examinari.*

XI. Seculo XVI. invaluerat in quibusdam Diœcesibus Provinciæ Coloniensis, ut in Scholasticos Cathedralium Ecclesiarum, in aliis verò in Prælatos alios cura examinationis Ordinandorum relegata esset; iisque examinandi jus esset quæsitum, & majora quàm cæteris Canonicis stipendia ab Ecclesia decreta.

Verùm plerique Scholastici, & illi, penès quos erat examinandi potestas, jura quidem sua tuebantur, nec tamen docebant juventutem, nec examinabant: Officiumque & curas alias aliis, non multò melioribus examinatoribus interdum delegabant: quo fiebat, ut alio in alium hanc curam transferente, aut nullæ, aut præfunctoriæ & admodum frigidæ fierent examinationes Ordinandorum, uti deplorat Synodus Coloniensis anno 1549. titulo *de altero medio ad reformationem necessario, cap.* 2. cui malo, ut mederetur, subjungit: »Quem defectum »supplere cupientes, & examen ad sua principia, hoc est, »ad Episcopos revocare, quibus ex lege divina incumbit, ne»mini citò manus imponere, matura deliberatione præhabita, »declaramus, Episcopos non debere ejuscemodi examinationi»bus (quando non ignorant eas perfunctoriè factas) statim ac»quiescere, & inquisitionis specie, quam ex reliquiis antiqui »moris retinent, in altari cum rogant utrum sunt digni, justi, »& sancti, putare se satisfecisse, atque ita inutiles, & indignos »homines, nonnunquam etiam sceleratos, ab aliis fortè (quos »ea cura non admodum tangit) dignos judicatos, Sacris illis »Ordinibus contra conscientiam propriam insignire. Eaque de »causa requirimus Provinciæ nostræ Episcopos in Domino, ut »vel ipsimet huic suo muneri satisfaciant, vel curam illam im»ponant viris piis, doctis, & de Ecclesiæ profectu solicitis, »quorum diligentia sit eis explorata, nisi certissimo experimen»to cognoverint Scholasticum, vel eum, ad quem hoc perti»nent, diligentiam talem cui meritò fidant, adhibuisse.«

XII. Hîc supponit Concilium, examen Ordinandorum propriè ac primariò ad Episcopum spectare, unde S. Carolus in sua Synodo Mediolanensi V. *part.* 3. *tit. de Examinandi ratione*, examinis initium fieri vetat, nisi præsentes adsint Episcopus vel Vicarius ipsius. Et in Synodo Mediolanensi IV. *part.* 2. *tit. Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis* »præscribit, ut id »Episcopus, quantum sibi per occupationes licet, maximè cu»ret, ut cùm experimentum examenve de iis instituitur, qui »Ordinibus præsertim majoribus initiandi, quique Ecclesiis Pa»rochialibus præficiendi sunt, ipse præsens in eo examine »adsit.«

XIII. Supponit insuper Concilium posse subinde aliquibus esse jus aliquod examinandi Ordinandos; quod & juri conforme est, nam de jure Archidiaconorum est, examini Ordinandorum interesse, uti suprà *part.* 1. *tit.* 12. *cap.* 1. *num.* 14. & 15. ostensum est.

Bulla quoque erectionis novorum Episcopatuum in Belgio, vult ex senioribus Graduatis Canonicis duo in Theologia, & unus in jure Canonico Graduati unà cum Archidiacono curam habeant examinandi promovendos ad Sacros Ordines.

XIV. Ulteriùs Concilium Coloniense supponit, quòd licèt quibusdam specialiter imposita sit cura examinis, nihilominus penès Episcopum maneat auctoritas aliquos sibi coëxaminatores assumere.

Hos verò Examinatores præcipuè de gremio Cathedralis Ecclesiæ assumendos esse sat insinuavit jam pridem Concilium Nannatense *cap.* 11. apud Gratianum *Dist.* 24. *Can.* QUANDO, dum dixit, Examinatores à *latere* suo eligere debere Episcopum. Qui enim *à latere* Episcopi dicuntur nisi Canonici Ecclesiæ Cathedralis? Hi quoque Clerum & Senatum Ecclesiæ repræsentant; quare sicuti olim cautum fuit, ne Episcopus sine Clericorum suorum Concilio Clericos ordinet, *Can.* EPISCOPUS, *Dist.* 24. ità consentaneum apparet, ut potiùs Canonici Cathedrales, quàm alii in Examinatores (cæteris paribus) assumantur.

XV. Non apparet nihilominus Episcopo adempta libertas assumendi Examinatores Ordinandorum, etiam non Canonicos Cathedrales. Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 7. *de Reformat.* simpliciter dixit: »Episcopus autem Sacerdotibus, »& aliis prudentibus, peritis divinæ legis, ac in ecclesiasticis »functionibus exercitatis sibi adscitis, Ordinandorum genus, per»sonam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem »diligenter investiget, & examinet.« Nulla hîc Canonicorum Catedralium, aut aliorum Clericorum, aut Sacerdotum specialis prærogativa quoad hoc examen insinuatur; sed arbitrio Episcoporum Examinatorum electio apparet esse concredita; & ita probat praxis hodierna Belgii.

* Quamquam monuimus *num.* 13. per Bullam erectionis novorum Episcopatuum in Belgio fuisse statutum, ut tres ad minus è Canonicis Cathedralibus, quos *Graduatos* dicimus, unà cum Archidiacono curam examinandi Ordinandos subire debere, dicit enim Bulla: »Ex senioribus præfatis Canonicis duo »in Theologia, & unus in jure Canonico Graduati, unà cum »Archidiacono curam habeant examinandi promovendos ad »sacros Ordines, & admittendos ad curam animarum, qua»cumque illi auctoritate provisi fuerint.«

Porrò Synodus Tridentina deferens Episcopis electionem Examinatorum ad sacros Ordines promovendorum, huic Statuto nequaquam derogâsse censetur: quandoquidem certum sit generale decretum, quale est hoc decretum Concilii Tridentini, non derogare specialibus Statutis, præsertim in limine fundationis expressis: cujus generis est Statutum, prædictos Canonicos Graduatos ad examem Ordinandorum vocans, ut pote in ipsa erectione seu fundatione novorum Episcopatuum expressum.

XVI. Dotes Examinatorum à Synodo Tridentina expressæ etiam in Concilio Nannatensi loco citato occurrunt, volente ut Episcopus in Examinatores eligat Sacerdotes, & alios prudentes viros *gnaros divinæ legis, & exercitatos in ecclesiasticis functionibus.*

Et ante hos S. Gregorius scribit Adeodato Episcopo *lib.* 2. *Epist.* 48. »Si quando de his recipiendis (nempe ad SS. Ordi»nem) tractari necesse est, *graves expertosque* viros Consiliis »vestris adhibete participes, & cum eis communi de hoc deli»beratione pensate.«

XVII. Monet autem universos Examinatores S. Carolus in sua Synodo Mediolanensi V. *part.* 3. *tit.* 2. »ut quicunque sint, »noverint, sibi munus adeò grave committi, ut si negligenter, »aut malè se ullo modo gesserint, Deo in primis culpæ in eo »munere admissæ exactam rationem reddituri sint.

»Quare non spe, non metu, non præmio, non personarum ratione, non aliquo affectu, ducti muneris sibi commisi »curam gerant.

»Proposito sibi in primis timore Dei, ne quemquam, quem »indignum nôrint, probent: rursus, quem experimento, pe»riculove facto, idoneum, dignumque comperiunt, ne reji»ciant, itaque graviter, maturè, prudenter, rectèque tum »de probando, tum de rejiciendo deliberent.

»Cùm in locum convenerint, ubi moris est, Clericorum »experimentum fieri, priusquam aggrediantur, à stata prece, »orationeque congregationum usui præscripta, quam de libro »pronuntiet, qui examini præsidet, initium faciant, hoc piè, »intimeque precantes, ut Dei ope in primis illud rectè, pru»denter, divinæque voluntati congruenter conficiant.«

XVIII. Examen hoc imprimis institui debet super vita, & moribus ipsorum Ordinandorum, quemadmodum statuit Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 7. *de Reform.* ut nimirum expendant, an tales sint Ordinandorum mores, ut eorum *probata vita senectus sit*, uti loquitur Synodus Tridentina, dicta Sess. *cap.* 12. vel uti de Ordinandis in Presbyteros, ait Synodus eadem

dem Sessione *cap.* 14. *Ita pietate, ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab iis possint exspectari*: vel uti loquitur Pontificale in Ordinatione Presbyterorum; *quòd odor vitæ eorum sit delectamentum Ecclesiæ Christi, ut prædicatione atque exemplo ædificent domum, id est, familiam Dei.*

An promovendorum in Diaconos ea sit vitæ integritas, ut spes sit illos futuros tales, qui tanquam veri successores Ordinis Levitici, *Ecclesiam Dei velut Tabernaculum portare, & munire debeant ornatu sancto, prædicatu divino, & exemplo perfecto*; uti ad Ordinandos Diaconos loquitur Pontifex ordinans.

Si promovendorum ad Subdiaconatum talis sit vita, ut de iis sperari queat, ut *si humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, præbenda sit ab iis aqua cœlestis doctrinæ, qua purificati ad ornamentum altaris, & cultum divini Sacrificii rdeant.*

XIX. Ut verò Episcopus de vita, ac moribus ipsius Ordinandi faciliùs instruatur, vult Synodus Tridentina *citata Sess. cap.* 5. ut » qui ad singulos majores Ordines erunt assumendi, » per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Paro» cho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, » ut nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoveri, » publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum na» talibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter in» quirat, & litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam » continentes, ad ipsum Episcopum quamprimùm transmittat. «

Si juxta tenorem hujus Decreti, Ordinandi mense uno ante Ordinationem se Episcopo sisterent, indubiè id plurimum conduceret, ut Episcopi se prævièante Ordinationem de moribus, atque capacitate, cæterisque Ordinandorum qualitatibus informare possent.

XX. Quod verò Synodus velit, nomina, ac desideria eorum, qui ordinandi sunt per Parochum, aut alium, cui Episcopus commiserit, publicè in Ecclesia proponi, id pristinæ disciplinæ conforme est. Jam pridem enim Patribus usitatum fuit, nomina promovendorum ad ecclesiasticum ministerium publicè populo proponere; eorumque testimonium de Ordinandorum vita ac conversatione exquirere, *teste Cypriano, epist. ad Clerum & plebes in Hispaniâ*, ubi docet, *Ordinationes non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.*

Hinc illud Concilii Carthaginensis IV. *Can. XXII.* apud Gratianum *Dist.* 24. *Can.* 6. „Episcopus sine Consilio Cleri„ corum suorum, Clericos non ordinet, ità ut civium conni„ ventiam, & testimonium quærat.

XXI. Patrum disciplinam hodiernum Pontificale in Presbyterorum Ordinatione exprimit his verbis: » Quoniam, fra» tres charissimi, rectori navis & navigio deferendis eadem » est, vel securitatis ratio, vel communis timoris; par eo» rum debet esse sententia, quorum causa communis existit. » Neque enim fuit frustra à Patribus institutum, ut de electio» ne illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consula» tur etiam populus: quia de vita, & conversatione præsen» tandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, scitur à pau» cis, & necesse est, ut facilius ei quis obedientiam exhibeat » ordinato, cui assensum præbuerit ordinando. Horum siqui» dem Diaconorum, in Presbyteros, auxiliante Domino, or» dinandorum conversatio (quantum mihi videtur) probata & » Deo placita existit, & digna (ut arbitror) ecclesiastici hono» ris augmento. Sed ne unum fortasse, vel paucos, aut decipiat » assensio, vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum. » Itaque quid de eorum actibus, aut moribus noveritis, quid » de merito sentiatis, libera voce pandatis; & his testimonium » Sacerdotii magis pro merito, quam affectione aliqua, tribua» tis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo, & prop» ter Deum, cum fiducia exeat, & dicat; veruntamen me» mor sit conditionis suæ. «

XXII. Verùm cùm adverterent Patres Tridentini, hanc populi consultationem inter ipsa Ordinationis solemnia ex præscripto Pontificalis fieri solitam, tandem factam esse cæremonialem, aliam prævièante Ordinationem fieri voluit publicè in Ecclesia. Unde Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 18. *cap.* 6. postquam egit de inquisitionibus per hujusmodi publicam nominum in Ecclesia denuntiationem addit: » Quæ inquisitiones eò » pertinere creduntur, ut aptiùs juxta Pontificalia cohæreant, » quæ de *testimonio populi*, in ordinibus, ex veteri consuetu» dine requiruntur. «

XXIII. Hæc sat ostendunt, mentem Ecclesiæ in hanc nominum proclamationem esse, ut omnes admoneantur, si quid contra Ordinandos notabile opponendum sciant, illud manifestent, atque ità de vita, & conversatione, necnon reliquis ad Ordines requisitis necessaria, & justa informatio haberi queat.

Neque illum Ecclesiæ scopum obscurè expressit Synodus Tridentina, dum satis insinuat, hanc nominum publicam in Ecclesia propositionem fieri, ut Episcopus de Ordinandorum natalibus, ætate, moribus, ac vita diligenter à fide dignis inquirere valeat.

De hoc Ecclesiæ scopo non dubius S. Carolus, voluit, ut hæc nominum publicatio fieret à Parocho, ab eove, cui Episcopus id negotii dederit, publicè die festo inter solemnia, in Ecclesia Cathedrali, & Parochiali propria, & in illa quoque in cujus finibus postremò domicilium habuerit, & præterea ubi Episcopus censuerit.

XXIV. Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 9. *cap.* 3. vult, » ut fiant proclamationes promovendorum ad singulos Ordines » Majores juxta decretum Concilii Tridentini, & qui de iis non » docuerint, rejiciantur. «

Synodus P. I. Cameracensis *tit. de Ministeriis Eccles. cap.* 3. similiter requirit, ut » Dominica die ante, sive per » mensem ante Ordines futuros, aut priùs, Pastores Ecclesiarum » *nominatim* denuntient populo eos, qui promoveri velint ad » Sacros Ordines: ut liceat opponere, si quid vitii deprehendi » possit, & hujus proclamationis factæ adferant testimonium or» dinandi. «

XXV. Fusiùs ejusdem Provinciæ Synodus Diœcesana Audomarensis *tit.* 9. *cap.* 6. » Curent autem & ipsi, à Parocho » loci domicilii sui nomina sua, ac desiderium, tribus diver» sis Dominicis, aut Festis diebus, publicè in Ecclesia pro» poni, ubi, ad formam bannorum matrimonialium, omnibus » & singulis sub excommunicationis pœna mandetur, ut si quod » noverint canonicum impedimentum, ob quod illi, à susci» piendis Ordinibus repelli, aut non admitti debeant, statim de» nuntient, sive illud malam & Ecclesiæ ministris indignam » conversationem concernat, sive aliud quilibet. Quibus legiti» mè peractis, curent etiam litteras testimoniales Parochi, hu» jusmodi inquisitionem, & bannorum proclamationem fac» tam continentes, quamprimum ad nos transmitti, cum de» claratione, an aliquod impedimentum, ob quod ad sacros » Ordines admitti non debeant, denuntiatum sit, necne.“

Similiter Rithovius Episcopus Iprensis in sua Synodo *tit.* 18. *cap.* 5. mandat, » nomina, ac desideria Ordinandorum, tribus » distinctis Dominicis, aut Festivis diebus publicè in Eccle» sia proponi; « utque Parochus aut alius cui Episcopus commiserit, » omnibus & singulis (ad formam bannorum matrimo» nialium) sub pœna excomunicationis mandet; ut si quid » noverint canonicum impedimentum, ob quod ordinandi, à » suscipiendis Ordinibus repelli debeant, statim denuntient. «

XXVI. Et Synodus Leodiensis anno 1618. *tit.* 8. *cap.* 4. præcipit, ut, » Ordinandi teneantur Parochum suum ante adire; » curareque, ut populo sua ad Missarum solemnia quodam die » Dominico, vel festivo congregato, idipsum denuntiet, ut si » quis sit, qui contra natalia, ætatem, vel mores ipsorum quid » habeat, Pastori suo quamprimum indicet: litterasque testi» moniales ejusmodi publicationis factæ, & nullius impedimen» ti reperti secum deferat. «

Post hæc exprimit illos, qui ordinari prohibentur, atque inter alios, qui rudes & ignari sunt: » Qui lapsi sunt post » Ordinem susceptum. Ebrietati, gulæ, aut impudititiæ dediti. » Qui in adolescentia mœchati fuerint. «

Hæc Synodus volens, ut ordinandi Parochum proprium adeant, curentque ipsi ut nomina sua per Parochum proponantur, hodiernam ferè praxim expressit. Neque enim solent hodie nomina Ordinandorum ab Episcopo ad Parochum mitti; imò frequenter ipsi Ordinandi usque ad extremos dies Ordinationem præcedentes planè ignoti sunt Episcopis, sed ipsimet Ordinandi nomina sua in schedula descripta publicè proponenda Parocho exhibere. Neque etiam Parochi testimoniales de inquisitione, aut publicatione facta ad Episcopum mittere, sed Ordinandis simplex publicationis factæ testimonium dare solent; quod ipsi postmodum Episcopo exhibent, uti etiam dicta Synodus fieri vult.

XXVII. Dubium tamen non est, quin convenientius, & decreto Concilii Tridentini conformius esset, ut Ordinandi uno ante Ordinationem mense Episcopum adirent, & nomina sua darent, ac tunc Episcopus nomina ipsorum ad Parochum, aliumve, quem huic rei aptiorem novisset, publicanda mitteret, cum obligatione de vita, ac moribus Ordinandorum diligenter inquirendi.

XXVIII. Hoc interim ex Synodis allegatis constat, scopum harum denuntiationum, seu proclamationum esse, ut etiam populus de vita, ac moribus Ordinandorum testimonium dare queat. Quare populus subindè monendus, ut liberè Parocho aliisve, quibus magis opportunum videbitur, pandat, si quæ vitia Ordinandorum noverit; ostendendo quantum malum populo & Ecclesiæ ex indignorum Ordinatione immineat; quodque forsan ipsis imputabitur, si vitia ex humana aliqua consideratione vel timore celantes, inidonei aut vitiosi ordinentur.

XXIX. Insuper occasione hujus publicationis nominum Ordinandorum, convenit, Parochus excitet populum, ut specialiter oret, quatenus Deus dignos mittat operarios in messem

sem suam; & Ordinandis ministerium suum adimplendi gratiam infundere dignetur.

Hac de causa S. Carolus in suo Concilio Provinciali II. *tit.* 1. *decreto* 21. jussit, „ ut Dominico die, qui stata quatuor tem-„ porum jejunia, quibus Ordinis Sacramentum administratur, an-„ tecedit, Parochi in sua unusquisque eorum Parochiali Eccle-„ sia supplicationes, litaniasque piè ac religiosè vel intus habeat, „ vel prosequente fidelium multitudine foris Ecclesiam, sicut „ moris, obeat, ut Dei, Sanctorumque ope imploratâ, tum „ Episcopus in eorum delectu, quibus Ordines conferet, Spiri-„ tûs Sancti lumine illustretur; tum illi, quibus conferuntur, „ in vitæ sanctitate, doctrina, religiosisque virtutibus profi-„ ciant."

Et rursus ejusdem supplicationis indicandæ meminit in Concilio Mediolanensi IV. titulo *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*, monetque iterum, populum ad orandum esse excitandum, atque preces publicas instituendas, „ quibus unus-„ quisque secum mente reputans, *quam pauci operarii in mes-„ se multa* sint, hoc Deum toto corde exoret, ut qui *Domi-„ nus est messis, ipse mittat operarios in messen suam*.... Quod „ ut eo nomine Deum populus supplex sæpiùs oret, id illum „ singulis Dominicis diebus per mensem ante sacræ Ordinationis „ tempus, crebra cohortatione Parochi intra Missarum solemnia „ præmoneant."

XXX. Adhæc meritò monebunt Parochi in promulgatione Jejuniorum *quatuor temporum*, ea potissimum instituta esse ab Ecclesia, ut hac pia corporis castigatione, & pœnitentiæ operibus, à Deo digni Ecclesiæ Ministri impetrentur; ideoque jam pridem in Ecclesia institutum extra hæc jejuniorum tempora Ordinationes fieri non posse; adeò ut contrariam consuetudinem tanquam abusum & corruptelam jam pridem reprobaverit Alexander III. scribens ad Episcopum Herfordiense in *Cap.* SANE *de temporibus Ordinat.*

XXX. Post hæc Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 7. *de Reformat.* „ Antiquorum Canonum vestigiis inhærendo decer-„ nit, ut, quando Episcopus ordinationem facere disposuerit, „ omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feriâ „ quarta ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo vide-„ bitur, ad civitatem evocentur, Episcopus autem sacerdotibus „ & aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in ecclesias-„ ticis sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum ge-„ nus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, „ & fidem diligenter investiget & examinet."

Hoc Decretum desumptum est ex Concilio Nannatensi in *Can.* QUANDO, *Dist.* 24. atque conformiter ad hoc Decretum, solent Ordinandi in feriam 4. aut 5. ante diem Ordinationis evocari ad civitatem Episcopalem, ut ibidem examen subeant ad præscriptum Concilii Tridentini. Quoad ætatem difficultas esse non solet; hæc enim extracto ex Registro Baptismali facilè probari potest.

XXXII. Circa institutionem, mores cæterasque personales qualitates Ordinandorum major difficultas est; hicque diligentior, atque exactior requiritur investigatio, atque circumspectio.

Imprimis eorum, qui in Seminariis Episcopalibus educantur; si Episcopus eam, quæ necessaria est in visitando, ac curando suo Seminario curam impendat (de qua infra titulo 11.) poterit aliqualem notitiam haberet: multumque indubiè hîc adjutorii habebit Episcopus, si eruditum, pium, atque in disciplina ecclesiastica exercitatum Seminarii sui Rectorem adeptus sit; qui convenientem de sanctitate, atque morum integritate in Ordinandis requisitâ ideam habeat: cujus testimonialibus litteris de moribus ordinandi securè fidem adhibere queat.

XXXIII. At illorum, qui vel in Academiis, aut parentum domibus hactenus habitârunt; atque antehac Episcopo parùm noti fuerunt, maxima sæpiùs oritur difficultas, ut de moribus vitæque integritate Episcopi sufficienter instruantur, ut securè ipsis manus imponere possint.

Neque enim similes alia solent adferre morum, vitæque rectè actæ argumenta, nisi vel præsidum seu Rectorum suorum respectivè Collegiorum, aut Parochorum testimonia; quibus hi testantur, ordinandos esse tales quoad mores, & vitam, ut eos ad ordinem suscipiendum capaces judicent.

XXXIV. Verùm quid ex his testimoniis securitatis ordinariè habere poterunt Episcopi, nisi apprimè noverint, Præsides aut Parochos esse tales, qui ejus sint eruditionis, prudentiæ, & pietatis, ut meritò confidant, quòd nulli hujusmodi testimoniales sint daturi, nisi iis, quos sciunt, qualitates Ordinibus Sacris necessarias habere?

Aliàs quis nescit, quàm fragile sæpè sit argumentum, quod hujusmodi litteris testimonialibus innititur?

Quis enim ausit negare, plures hodie juventuti formandæ in Collegiis Academicis præesse; itemque Parochos quamplurimos, qui aliam, eamque multò inferiorem, ac viliorem, imò planè diversam de morum integritate, vitæque sanctitate in Ordinatis requisitâ ideam habent ab illa, quam in Sacris Canonibus, & Pontificali Ecclesia expressit?

Nonne plures videmus hujusmodi Juventutis Magistros, omnibus passim ad Sacros Ordines litteras testimoniales annuere, modò annorum trium, aut quatuor studium perfecerint; & saltem ab exterioribus, gravioribusque criminibus se continuerint; parùm attendentes, num eâ sint vitæ, morumque integritate, quæ Ministrum Ecclesiæ decent?

XXXV. Frequenter nec certius de Ordinandorum Regularium meritis, & idoneitate ad Sacros ordines requisitis, argumentum habebunt Episcopi ex testimonio Superiorum.

Quàm multos enim videmus Monasteriorum, præsertim eorum, quæ ex Missarum honorariis victitare solent, Superiores, qui omnes passim, mox ut debitam ætatem attigerint, ad sacrum etiam Presbyteratûs ordinem mittunt; atque testimoniales litteras concedunt? Cùm tamen certum sit, nec ipsi dubitare possint, quin in omni communitate sint, quin non ita pietate, ac castis moribus sint conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab iis possint expectari; quemadmodum in promovendis ad Presbyteratum requirit Synodus Trid. *Sess.* 23. *cap.* 14. *de Reformat.*

Certitudinem de idoneitate Ordinandorum ex testimonio hujusmodi nullam sibi formare potest Episcopus, nî credat, omnes in Monasteriis illis Professos, ubi ætatem legitimam attigerunt, ea pietate & castis moribus esse conspicuos, ut Sacris initiari queant.

Hoc expendens Hallierius dicere non dubitavit: „ Non adeò „ superiorum Regularium fidei credendum est, ut quos illi „ tanquam dignos obtulerint, absque ullo alio examine, atque „ discussione ad Sacros Ordines Episcopi recipiant.... maximè „ cùm notum sit, inquit, totius Monasterii interesse, ut quàm „ plurimos Ordinibus Sacris initiatos habeat; & facilè probi „ etiam & boni, insita hominibus omnibus cupiditate Ordinis „ sui gloriam promovendi, (qua Regulares præ cæteris maxi-„ mè flagrant, quòd Ordinis sui amplificationem, & orna-„ mentum ad Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem spectare præ-„ sertim arbitrentur) facilè, inquam, hac cupiditate ducti ab-„ ripiantur, ut leviùs de suis censeant, quàm par sit, & in „ pondere, & pondere judicent suorum industriam, ac dotes „ magnificè: & Sacerdoti, & reliquorum Ordinum ecclesias-„ ticorum dignitatem tenuiter æstiment." De SS. Ordinat. *in append. ad Sect.* 1. §. 3.

XXXVI. Hæc satis probant, quàm leviter procedant Episcopi, quantoque periculo quasi ultrò se exponant, manus citò aliquibus imponendi, & communicandi peccatis alienis, qui nulla prævia de ordinandis, eorumque Superioribus & Præfectis inquisitione, omnes, quantum ad mores, vitæque integritatem, & castitatem, tanquam sat probatos admittunt, qui qualecunque suorum Superiorum, & Præfectorum testimonium adferunt; tametsi sciant, aut facilè scire possint, quàm hi faciles sint in dandis hujusmodi testimoniis.

XXXVII. Examen verò Ordinandorum coram Episcopo circa scientiam ferè unicè instituti solet; idque non rarò sat perfunctoriè, propositis per examinatores quæstionibus nonnullis sterilibus, ac speculativis, v. g. quot sint filiæ superbiæ; quot partes potentiales temperantiæ, aliisque similibus; quem examinandi modum pro meritò exagitat eruditus auctor notarum in *Epistolam* 26. *lib.* 13. S. Gregorii *Nota* 4. additque, „ Cen-„ serem primò quidem inquirendum esse de moribus, tum de „ prudentia, de sensu communi, an sciendi modum habeant, „ an lectioni Scripturarum Sacrarum vacent, quodnam sit eo-„ rum Canonum studium; an sint & doceri & docere ha-„ biles."

Hic examinandi modus si conferatur cum his, quæ in Concil. Mediol. V. *part.* 2. *tit. de Examinandi ratione*, à S. Carolo traduntur, apparebit, examinandi rationem ibidem præscriptam, non esse à modo examinandi jam descripto multùm diversam; atque inter alia vult de omni Ordinando inquiri; an in orationis sanctæ studio sit usque versatus? Quibus meditationibus instructus Deum tacitus oret? Qui orationis modus? Qui illius fructus, quæve utilitates? Quot quibusve partibus illa constet? Quæ regulæ præparationis ad orationem?

XXXVIII. Deinde in examine Ordinandorum in Presbyteros inter cætera hæc sigillatim studiosè perquiri voluit: An piè & fideliter in ministeriis ante actis se gesserint? An spectata pietate, atque castis moribus? An præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eo expectari possint?

Post hæc nonnullis inquirendis circa Sacrificium Missæ propositis subjungit: „ Cùm verò à cæteris omnibus, ut præscrip-„ tum paulò ante est, qui clericali militiæ adscribantur, de vi-„ tæ spiritualis sanctioribus institutis, atque exercitationibus per-„ quiratur, tum maximè ab iis, qui vel Sacerdotio initiantur..... „ A quibus omnibus, & singulis, cùm ad examen veniunt, præ-„ ter cætera, quæ ad sanctæ spiritualis vitæ usum pertinent, ea „ maximè explorentur, quæ de orandi modo, deque omni „ sanctarum meditationum cœlestiumque contemplationum exer-„ ci-

„ citatione ab aliis, qui in eo genere religiosè se exercuerunt, „ tradita sunt.

„ XXXIX. „ Ut autem examinatores certam sibi formulam „ proponant (inquit) qua illorum, qui examinantur, & litterarum doctrinam, & vitæ clericalis disciplinam, & rei ecclesiasticæ peritiam, experiantur, in omni experimenti, examinisve ratione, sacris Bibliis, Cathecismo Romano in primis, Concilio Tridentino, sacrorum Canonum decretis, & aliis Pontificiis constitutionibus, Synodisque tum Provincialibus, tum Diœcesanis utantur, unde suas interrogationes hauriant, quibus prout est illorum ingenii captus, explorent eorundem & scientiam, & Ecclesiasticarum rerum notitiam atque usum.“

Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 7. de Reform.* requirens ab Episcopo, assumendos in examinatores Viros *prudentes, peritos divinæ legis, ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatos*, nonne sat insinuat, in hisce præcipuè examen Ordinandorum instituendum?

XL. Interim ex hactenus dictis non difficulter intelligitur, quam parum juvare possit examen unius mediæ, aut etiam integræ horæ, ut plena ac conveniens de Ordinandorum capacitate, & idoneitate hauriatur notitia; quamque temerè ad Ordinationem vi hujusmodi examinis procedatur, nisi Episcopus jam prævièe circa Ordinandos se informaverit; aut saltem eam habeat securitatem de Præfectis, ac Directoribus Ordinandorum, ut meritò horum testimoniis deferre queat.

XLI. Ut autem se ad Sacros Ordines meliùs præparent magnaque discretione se astringant, voluit S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. *part. 2. tit. 8.* „ Subdiaconatum suscepturus, „ quo diligentiùs vitæ perpendat rationem, cui se, illum suscipiendo, sanctè obstringit; ac proinde de re totâ accuratiùs „ deliberata, puriori mente ardentiorique animi voluntate, ad „ rem tanti momenti accedat, priusquam eo Sacro Ordine initietur, ad aliquem semotum locum adeat, ubi ab omnibus „ curis, & occupationibus liber, cum omnis antè actæ vitæ suæ „ diligenti conscientiæ discussione peccata ritè confiteatur: tum „ in salutaribus meditationibus, aliisque spiritualibus exercitationibus totus versetur, duce, & moderatore sibi adhibito religioso viro, earum usu perito, quem Episcopus imprimis „ probârit.

„ In illis autem, vel mense, vel longiori, breviorive tempore persistat, prout de moderatoris consilio Episcopus expedire censuerit. Quas item exercitationes, eodem præscripto, „ & modo, eo tempore Diaconi, cum ad Sacerdotii gradum accessuri sunt, piè ineant, ac præstent.“

Hæc spiritualia exercitia plures Synodi Belgicæ etiam præscribunt; & signanter Synodus Namurcensis anno 1659. *tit. 8. cap. 5.* decernit: „ Ante quemlibet Ordinem majorem quilibet „ Ordinandus in loco aliquo à secularibus remoto, per novem „ dies continuos exercitiis spiritualibus se fideliter probet, ibique antè actæ vitæ exomologesim faciat, & per sacras meditationes, & pias orationes Dei voluntatem exquirat, & ad Sacrum Ordinem suscipiendum se præparet.“

Sed quia illa pietatis exercitia multum dependent à pietate & prudentia Directoris, hinc meritò addit S. Carolus, ut agantur sub Directore, *quem Episcopus imprimis probârit.*

CAPUT V.

De Ordinum interstitiis.

1 *Ordinum interstitia olim nota.*
2 *Adhibita ut Ordinandi probarentur.*
3 *Varia circa moram temporis, quæ intercedere debebat, Ecclesiarum disciplina.*
4 *Antiquitùs etiam necessaria erant inter Minores Ordines.*
5 *Ordines etiam Minores non conferebantur, nisi illi, qui* actualiter *functiones erat peracturus; nec duo eidem simul conferri poterant.*
6 *Interdum quis, omisso Ordine Minore suscipiebat Majorem, nec tamen* per saltum *promotus censebatur.*
7 *Hodie Ordines Minores requiruntur ante Majores, non tantùm ad probationem, sed quasi ad integritatem Ordinis.*
8 *Ordines Minores hodie conferuntur, licèt Ordinatus numquam functionibus illorum sit applicandus.*
9 *Si quis Ordine Minore omisso ad Majorem sit promotus, dicitur promotus* per saltum; *& debet omissus suppleri.*
* *Quæritur quo tempore invaluerit necessitas præmittendi sacris Ordinibus Minores Ordines.*
* *Ii non requiruntur pro validitate superioris Ordinis.*
10 *Optat quoque hodie Ecclesia, ut Ordinati incumbant aliquo tempore Minoribus Ordinibus, priusquam ad Majores promoveantur.*
11 *Inter Sacros Ordines requiritur interstitium unius anni.*
12 *Annus non intelligitur civilis, sed ecclesiasticus.*
13 *Episcopus, & Capitulum Sede vacante possunt dispensare.*
14 *Episcopus Ordinandum vigore Dimissorialium non potest dispensare.*
15 *In hac dispensatione præcipuè attendendum, tùm Ordinandi sint sufficienter probati.*
16 *Quomodo in pluribus hodie dispensandi ratio obtineat.*
17 *Duo Sacri Ordines nec ex dispensatione Episcopi uni* eodem die *conferri possunt.*
18 *Ordines Sacri extra statuta tempora, nec dispensante Episcopo, conferendi.*
19 *Corollarium ex præcedentibus.*

I. Antiqua Ecclesiæ lex est, uno inferiore Ordine susceptо, aliqua temporis mora interponatur, priusquam ad ulteriorem ascendatur; neque è laico mox ad supremum Sacerdotii gradum quis sublimetur, sed gradatim à minore ad majorem ascendat.

II. Unde in Concilio Sardicensi *Can. X.* Hosius quoque Episcopus dixit: „ Hoc quoque necessarium existimo, ut cum „ omni cura, & omni diligentia examinetur; ut si quis dives, „ vel ex foro Scholasticus Episcopus fieri dignus habeatur, non „ priùs constituatur, quàm Lectoris & Diaconi & Presbyteri „ ministerium peregerit: ut in unoquoque gradu, si dignus „ existimatus fuerit, ad Episcopatûs fastigium per progressionem possit ascendere. Habebit autem uniuscujusque Ordinis „ gradus non minimi scilicet temporis longitudinem, per quod „ & fides, & morum probitas, & constantia, & moderatio „ possit cognosci: & ipse divino Sacerdotio dignus existimatus „ maximum honorem assequetur.“

Hæc temporum intervalla, quibus in inferioribus Officiis est sistendum, antequam ad superiores ascendatur, posterior ætas Ordinum *interstitia* nuncupavit.

III. Circa moram temporis, quæ inter hæc temporum intervalla intercedere debet, licèt non eadem semper, & una fuerit omnium Ecclesiarum disciplina, illam nihilominus, quæ ab Ecclesia præscripta erat, religiosè servandam esse, tam Pontifices, quàm Concilia frequenter sanxerunt: quorum plura decreta referuntur apud Gratianum *Distinct. 77.*

IV. Nec tantùm inter Sacros sive Majores, sed & Minores Ordines, hæc temporum intervalla religiosè servabantur; uti ex relatis decretis apud Gratianum videri potest: imò ipsa quodammodo temporis illius disciplina aliud fieri vix permittere poterat.

V. Pristinis enim illis seculis, nemo etiam minore Ordine initiabatur, nisi ut illius functiones *actualiter* exerceret, & tanquam Ostiarius v. g. aut Acolytus Ecclesiæ ministraret. Et cùm singulorum Ordinum essent diversæ functiones, nemo eodem tempore duobus initiabatur; quia inconveniens visum fuisset, duobus Ordinibus aliquem insignire, qui non nisi unius Ordinis functionibus esset applicandus.

VI. Quare ea erat uniformis omnium Ecclesiarum praxis, eaque multis seculis invariata, quòd Ordinum etiam Minorum collatio eum duntaxat in finem fieret, ut quis functionibus Ordini annexis applicaretur; si verò judicaretur aliquem altiorem Ordinem mereri, nec in Minore esse probandum, Minor Ordo omittebatur; eodemque omisso ad majorem promovebatur; neque taliter promotus dicebatur *per saltum* promotus; aut Ordo omissus priusquam in superiore Ordine suscepto ministrare posset, suppleri debebat: quemadmodum latè & solidè probat Mornus *de SS. Ordinationibus, part. 3. Exercit. 11. cap. 2.*

VII. At recentior ac moderna disciplina, Ordines inferiores non tantùm requirit, ut quis eorum functionibus applicetur, & insistat; sed insuper ut necessario prærequisitos ad majorem; ità ut Ordini superiori aliquid quasi deesse videretur, si omisso inferiore esset collatus.

VIII. Hinc si etiam Ecclesiæ necessitas, aut utilitas postulet, ut quis simplex Clericus repentè ad Sacerdotium promoveatur; sciaturque, illum nunquam inferiorum Ordinum functionibus applicandum, nihilominus omnibus inferioribus Ordinibus erit initiandus, quantumvis eodem die, antequam Sacerdotio initiari queat.

IX. Et quidem si vel uno omisso promoveretur, *per saltum* promotus censeretur; atque de hujusmodi promotis agitur suo titulo Decretalium *de Clerico per saltum promoto*, & in Concilio Tridentino *Sess. 23. cap. 14. de Reformat.* ubi dicitur: „ Cum promotis *per saltum*, si non ministraverint, Episcopus „ ex legitima causa possit dispensare“ nimirùm ut in Ordine suscepto ministret, postquam Ordinem omissum susceperit; uti colligitur ex *Cap. unico*, ✠ *de Clerico per saltum promoto.*

* Quamvis invalida non sit sacrorum Ordinum susceptio, etiamsi iis non prætermittantur Minores Ordines, constat tamen eum graviter peccare, qui in Ecclesia Latina eos omitteret.

Quo autem tempore hodierna hæc opinio de necessitate præmittendi *omnes* quatuor Minores Ordines susceptioni sacrorum Ordinum invaluerit, & quæ ejus inducendæ fuerit occasio vel fundamentum, non omninò constat.

Il-

Illud admodum verisimile est, multùm ad eam persuasionem contulisse Epistolam Decretalem ab Isidoro vulgò *Mercatore* confictam, & Cajo Papæ suppositam, quæ extat integra tom. 1. Conciliorum General. *col.* 925. ubi in margine notat Labbæus, *Supposita ab Isidoro Mercatore.*

In hac ficta Decretali sub nomine dicti Pontificis, *ab omnibus sirvari mandatur, ut ad Ordines ecclesiasticos sic ascendant, in Ecclesia, qui ordinari merentur; id est, si quis Episcopus esse meretur, sit primò Ostiarius, deinde Lector, &c.*

Hoc fragmentum sub nomine Caji Papæ decreto Gratiani insertum *dist.* 77. *Can.* 1. tanquam authenticum passim receptum fuit, creditumque, quòd etiam à primis Ecclesiæ seculis, Ordines omnes, etiam Minores, reliquis essent præmittendi.

Quin & sensim auctoritate hujus Decretalis creditum fuit, superiorum Ordinum validitatem dependere à susceptione inferiorum, etiam Minorum Ordinum: ac tandem constitutum & receptum fuit, quòd promotus ad superiorem Ordinem, omisso vel uno ex Minoribus censeretur promotus *per saltum*, eoque titulo irregularitatem contraxisset.

Hinc indubiè profluxit deploranda hodierna disciplinæ ecclesiasticæ circa Minores, imò & sacros Subdiaconatûs, & Diaconatûs Ordines collapsio.

Effectum quippè inde est, ut hi Ordines non suscipiantur, ut ad eos promoti functiones eorum obeant, atque per eorum Ordinum exercitia probentur, ac iidem probati ad altiores promoveri digni inveniantur, uti ætate Patrum, & vigente pristinâ disciplinâ fieri consueverat; sed duntaxat, ut quasi quidam ritus ad validitatem Presbyteratûs aut Episcopatûs spectantes.

Idipsum circa alia plurima disciplinæ puncta, & opiniones à Canonistis, & Theologis communiter hodie receptas occasione fictarum Decretalium contigisse, in decursu hujus operis notatum est.

* Cæterum quatuor Minores Ordines ex Christi instituto non requiri pro integritate, aut validitate Superioris Ordinis indubitatum est: quandoquidem pluribus seculis non omnes hi Ordines noti fuerint in Ecclesia Latina, nec etiam hodie sint in Ecclesia Græca.

Quod igitur *num.* 9. observatum est, quòd Synodus Tridentina *Sess.* 23 *cap.* 14 *de Reform.* permittens Episcopis dispensare cum promoto *per saltem*, modò in Ordine suscepto non ministraverit, loquatur etiam de promoto, vel uno minore Ordine omisso; quodque hic Ordo omissus supplendus sit, dicendum est Synodum in hoc processisse conformiter ad opinionem, & praxim eo tempore in Ecclesia Latina receptam.

X. Verùm tametsi hodierna disciplina collationem inferiorum Ordinum prærequirat tanquam partes quodammodo integrales Ordinis superioris, nihilominus etiamnum hodie optat Ecclesia, ut Ordinibus illis insigniantur, qui functionibus Ordinum illorum incumbant; atque certo tempore in illis probentur, priusquam ad altiores assumantur.

Quid Synodus Tridentina, ac Synodi Belgicæ de *interstitiis* inter minores Ordines servandis dixerint, sufficienter expositum est suprà *part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. quare hîc duntaxat de *interstitiis* servandis inter Sacros Ordines dicendum.

XI. Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 13. *de Reform.* ait: »Promoti ad sacrum Subdiaconatûs Ordinem, si per *annum* »saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud »Episcopo videatur, ascendere non permittantur.«

Et *cap.* 14. agens de assumendis ad Ordinem Presbyteratûs, ait: »Et hi sunt qui non modò in Diaconatu ad minus »per annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac neces»sitatem aliud Episcopo videatur, ministraverint, &c.

Itaque ex dispositione Concilii Tridentini, cui praxis hodierna Ecclesiæ est conformis, inter Sacros Ordines requiritur ut minus integri anni interstitium.

XII. Annus hîc non intelligitur civilis, constans integris duodecim mensibus; sed ecclesiasticus, verb. gr. à vigilia Paschæ hujus anni usque ad vigiliam Paschæ anni sequentis; tametsi contingeret, ob mobilitatem festi Paschalis, nondum duodecim integros menses à susceptione ultimi Ordinis sacri effluxisse: quemadmodum communiter tenent Canonistæ, uti videre est apud Barbosam de *Potestate Episcopi*, *part.* 2. *allegat.* 14. *num.* 2. & notoria praxis comprobat.

XIII. Tribuit autem Synodus Episcopis potestatem dispensandi super his interstitiis, modò utilitas ac necessitas Ecclesiæ suæ dispensationem postulent.

Hanc eandem potestatem esse penes Capitulum Sede vacante, eò quòd in jurisdictionem Episcopi succedat; & hæc dispensandi auctoritas jurisdictionis Episcopalis esse censeatur; uti & in Vicarium Capituli, observat Barbosa *loco citato, num.* 6. & quotidiana praxis ostendit.

XIV. Episcopus autem, cui vigore litterarum Dimissorialium facta est potestas aliquem sibi non subditum ordinandi, illum ordinare nequit non observatis interstitiis, nisi proprius Episcopus dispensaverit, & in litteris Dimissorialibus id expresserit. Hic enim Episcopus, cùm tantùm possit in hunc non suum subditum potestatem exercere vigore litterarum Dimissorialium, tenetur ejus tenorem observare, nec quidquam sibi arrogare potestatis ultra illam, quæ litteris expressa est.

XV. Porrò quia hæc *interstitia* jam pridem, uti & hodie præscripta sunt, ut ordinandi in functionibus inferiorum Ordinum probentur, atque ex eorum recta administratione pateat, num ad altiorem gradum promoveri mereantur, juxta illud Apostoli de Diaconis, Timoth. cap. 3. v. 13. *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent*, præcipuè hîc attendendum erit Episcopis, num promovendi ad sacros Ordines sint sufficienter probati.

XVI. Quid enim si per plures annos in Seminariis, aut Collegiis Academicis fuerint versati, seseque idoneos ad Sacros Ordines etiam Presbyteratûs multis argumentis probaverint, tametsi vel ob defectum tituli, vel aliam rationabilem causam, suscipere Ordines Sacros distulerint? Cum his indubiè faciliùs Episcopi dispensare poterunt, eò quòd finis interstitiorum jam haberi supponatur. Accedit, quòd cùm hodie Subdiaconatûs functiones ad solam publicam in Missa solemni Epistolæ decantationem, & Diaconatûs ad Evangelii decantationem penè sint redactæ; nulla aut admodum exigua hodie haberi potest probatio capacitatis, seu idoneitatis pro Ordinibus Superioribus ex functionibus Subdiaconatûs, vel Diaconatûs, quæ non eadem à Clericis aut Theologis in Seminariis Episcopalibus vel Collegiis Academicis studentibus, & nondum hisce Ordinibus insignitis, haberi queat.

Igitur præcipua cura Episcoporum in conferendis Ordinibus, & in dispensando super interstitiis esse debet, ut intelligant, an ordinandi satis sint ipsis quocunque modo probati; ut securè eis manus imponere possint.

XVII. Dispensatio Episcopalis super interstitiis non eò usque tamen se extendere potest, ut nullum inter Ordinem Sacrum jam susceptum, & suscipiendum temporis intervalum intercedat, eodemque die plures conferantur: quia Synodus Tridentina *citato cap.* 13. expressè decernit: »Duo Sacri Or»dines *non eodem die*, etiam Regularibus conferantur: privile»giis, ac indultis quibusvis concessis, non obstantibus qui»buscunque.«

XVIII. Adhæc ad Subdiaconatum, nisi in quatuor temporibus, aut Sabbato Sancto, vel Sabbato ante Dominicam de »Passione, nulli Episcoporum, præterquam Romano, licet »aliquem ordinare.« *Cap.* 3. ✠ *de Temporibus Ordinat.* Quod de Subdiaconatu dicitur in hac Decretali, id generaliter de sacris Ordinibus asseritur *in cap.* 3. ✠ *eodem.*

* Verùm notandum has Decretales esse Alexandri III. qui sedit sub medium seculi XII. quando Pontifices plurima sibi reservare cœperunt, quæ prioribus seculis præsertim ante invectas falsas Decretales, & receptum Gratiani Decretum omnibus Episcopis erant communia, ut iis pro utilitate, vel necessitate suarum respectivè Ecclesiarum uterentur.

Optandum esset, ut per has, similesque reservationes labentibus seculis inductas canonicæ disciplinæ firmata esset observantia & rarior ab ea recessus haberetur, ut omnibus appareret has reservationes esse inductas, ut Canonum fidelior haberetur custodia, & rarior eorum relaxatio.

XIX. Itaque cùm Episcopus extra statuta hæc tempora Ordines sacros conferre nequeat, ac insuper vetitum sit, eodem die duos sacros Ordines dare, consequens est, quòd non obstante Episcopi dispensatione, debent iis, qui uno die horum temporum ordinatus est, expectare alterum proximum tempus Ordinationum, ut ulteriorem suscipere possit.

Hinc moris est, ut recurrant ad sedem Apostolicam pro speciali dispensatione, qui vel extra statuta tempora Ordinationum ordinari volunt, vel uno, eodemque die plures sacros Ordines suscipere intendunt.

CAPUT VI.

De Titulo Ordinationis.

1 *Ecclesia, cui in ordinatione Clericus adscribebatur, olim dicebatur ejus* Titulus.
2 *Titulum mutare non poterant.*
3 *Ordinari sine* Titulo, *erat ordinari sine adscriptione alicui Ecclesiæ.*
4 *Ordinari ad* Titulum, *& ad certam Ecclesiam, olim coincidebant.*
5 *Titulus ordinationis olim publicè coram populo denunciabatur.*
6 *Disciplina hæc nullum alium Titulum agnoscens duravit usque ad seculum XII.*
7 *Concilium Lateranense loquens de Titulo aliquam patrimonii mentionem primùm fecit.*
8 *Concilium Lateranense pristinam disciplinam labefactare non intendit.*

Oc-

9 *Occasio recedendi à pristina disciplina ex decreto Concilii Lateranensis sumpta.*
10 *Verisimile dictum decretum Titulo patrimoniali initium dedisse.*
11 *Seculo XIII. planè diversa de Titulo ordinationis idea à pristina invaluit, quæ & hodie obtinet.*
12 *Decretum Synodi Tridentinæ circa Titulum ordinationis.*
13 *Synodus Tridentina Titulum patrimonialem duntaxat ut* extraordinarium *agnovit.*
14 *Synodus Tridentina non vult in Titulo solùm attendi an sufficiat ad honestam sustentationem.*
5 *Requirendo Titulum beneficialem unà voluit pristinam disciplinam reducere.*
16 *Quomodo intentioni Ecclesiæ non semper satisfaciant Episcopi ad Titulum* beneficialem *ordinantes.*
17 *Qua ratione aliquando magis satisfaciant, ordinantes ad Titulum* patrimonii.
18 *Quid nomine* Beneficii *hîc intelligatur.*
19 *Fundatio alicujus Missæ quando pro Titulo servire possit.*
20 *Quid veniat nomine* patrimonii.
21 *Quomodo Beneficium censeatur verè & pacificè possideri, ut pro Titulo admittatur.*
22 *Quandonam patrimonium* fictè *possideatur.*
23 *Qui fictè patrimonium pro Titulo supponit, habetur pro ordinato sine Titulo.*
24 *Juramentum Ordinandorum de vera Tituli possessione.*
25 *Quibus speciali perjurii periculum immineat.*
26 *Ad occurrendum fraudibus circa Titulos patrimoniale quid statuerit S. Carolus.*
27 *Ut quis ordinetur ad Titulum patrimonii, non sufficit habere patrem divitem.*
28 *Pater cogi potest ad asignandum filio Titulum.*
29 *Patrimonium assignandum super re certa.*
30 *Requiritur Titulus sufficiens ad sustentationem Ordinandi.*
31 *Quid sufficiat, aut requiratur, relinquitur determinationi Episcopi.*
32 *Magna requiritur in hac determinatione circumspectio.*
33 *Periculosum aliquid generaliter pro Tituli sufficientia determinare.*
34 *Nonnulli Episcopi justo rigidiores.*
35 *Quid in Tituli determinatione præcipuè attendendum.*
36 *In Titulum Honoraria Missarum non imputanda.*
37 *Titulus alienari vetitus.*
38 *Juramentum Ordinandorum de non alienatione Tituli.*
39 *Edicta Principum de non alienandis Titulis.*
40 *Prohibitio alienationis intelligitur*, salvo jure tertii.
41 *Redditus redimibilis in Titulum assignatus potest redimi; sed reapplicandus.*
42 *Titulus* patrimonialis *an alienari queat mox adepto Beneficio.*
43 *Filius, mortuo patre, an bona in Titulum data retinere queat.*
44 *Quæ sit pœna sine titulo Ordinatorum.*
45 *An Ordinati sine Titulo irregularitatem incurrant, si ministrent in Ordine suscepto.*
46 *De obligatione Episcopi providendi Ordinato de necessariis.*
* *Undè contingat Episcopos esse plus solicitos de titulo ordinandi, quàm de ejus idoneitate.*

I. TItulus Ecclesiasticus olim dicebatur Ecclesia, ad quam deserviendam ordinabantur Diaconi, aut Presbyteri; ità ut in ea *stabilitatis* promissionem facere tenerentur, & ab ea recedere non possent.

II. Hinc Capitularem datum in Synodo, cui interfuit Bonifacius Apostolicæ Sedis Legatus circa annum 744. *cap.* 5. „De „ Sacerdotibus, qui suos titulos absque licentia Episcopi dimit„ tunt, aut dimiserunt, statutum est, ut tandiu à communio„ ne habeantur alieni, quousque ad suos titulos revertantur. «

In Canonibus Isaaci Episcopi Lingonensis seculo IX. legitur *tit.* 10. *cap.* 2. » Ut Presbyteri, qui in titulis consecran„ tur secundum Canones, antequam ordinentur, promissio„ nem *stabilitatis* loci illius faciant. «

Synodus Remensis anno 813. *Can.* 20. » Ut Presbytero de „ minore titulo ad majorem non liceat transmigrare.“

Addit sub idem tempus Synodus Turonensis III. cap. 14. *Sed in eo permaneat, ad quem ordinatus est.*

Neque alio sensu accipiebatur in Synodo Londinensi anno 1125. ubi statuebatur: » Nullus in Presbyterum, nullus in „ Diaconum nisi *ad certum titulum* ordinetur: qui verò abso„ lutè fuerit ordinatus, sumptâ careat dignitate.“

III. Jam enim pridem *Can. VI.* Concilii Chalcedonensis vetitum erat, aliquem *absolutè* sive simpliciter ordinare; Canonis verba sunt; » Placuit, nullum *absolutè* ordinari, nec „ Presbyterum, nec Diaconum, nec omninò aliquem eorum, „ qui sunt in Ordine ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia „ civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel Monasterio, is qui or„ dinatur, destinetur. Eos autem, qui absolutè ordinantur, de„ crevit S. Synodus irritam, ac invalidam habere ejusmodi ma„ nuum impositionem, & nusquam exercere ac operari posse „ ad ejus, qui ordinavit, injuriam. «

Hîc ordinari *absolutè* opponi ordinationi ad certam Ecclesiam, sive Oratorium, vel Monasterium, cui ipsâ ordinatione alligetur, ut ibidem functiones Ordinis sui obeat, ipse Canonis contextus sufficienter probat.

* Vigente disciplinâ, quâ Clericus Ordine sacro insignitus certæ Ecclesiæ adscribebatur, nulla erat quæstio de titulo, sive ecclesiastico, sive patrimoniali, è quo Ordinandus honestam sustentationem vitæ haberet, illaque omnia juramenta, quæ Ordinandos frequenter periculo perjurii exponunt, aliæque circa titulos Ordinationis exorientes difficultates, fuerunt ignota.

Proindè vel hoc motivo Episcopi meritò allaborarent, ut pristina illa Patrum disciplina in usum revocaretur; quod & menti Patrum Concilii Tridentini conforme videtur, dum statuerunt *Sess.* 13. *cap.* 16. *de Reformat.* » Vestigiis Cano„ nis VI. Concilii Chalcedonensis inhærendo, ut nullus in poste„ rum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus neces„ sitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fun„ gatur muneribus.“

IV. Unde ad *titulum* promoveri olim idem sonabat, quòd alicui Ecclesiæ in ipsa ordinatione adscribi, aut eidem intitulari.

Antiqua admonitio Synodalis: » Res, & facultas, quas post „ diem ordinationis vestræ adquiritis, ad Ecclesiam, ad quam „ *titulati* estis, pertinere sciatis. « Et Ratherii Veronensis Episcopi Epistola Synodica ad Presbyteros: » Nullus Ecclesiam, ad „ quam *titulatus* est, relinquat, & ad aliam quæstûs causa mi„ gret.“ Ita quoque habetur in Capitularibus Caroli M. *lib.* 3. *cap.* 5. Adde Concilium Placentinum anno 1095. *cap.* 15.

Itaque antiquitùs ordinari *ad titulum* nihil aliud erat, quàm ordinari ad certam Ecclesiam, sive alicui Ecclesiæ *intitulari*, seu adscribi ad hoc, ut Ordinis suscepti functionibus incumberet.

V. Hi autem tituli, sive Ecclesiæ, cui quisque Ordinandorum adscribebatur, in ipsa Ordinatione publicè denuntiabantur: cujus denuntiationis formula in antiquo Ordine Romano exprimitur his verbis: „ Ascendit lector ambonem, & elevata „ voce legit *Brevem* in aures populi continentem: Ag„ noscat charitas vestra, quia ille & ille advocantur in tali „ officio, vel in tali gradu: si quis habet contra hos viros ali„ quam querelam, exeat confidenter propter Deum, & secun„ dum Deum, & dicat.“

Quod si nullus aliquid opponeret, tunc vel ab Episcopo, vel ab Archidiacono pronuntiatio hæc coram populo fiebat: De domo Sanctæ Mariæ elegimus Petrum in *Presbyterum ad eundem* TITULUM, *vel in Diaconum, aut Subdiaconum in tali Ecclesia.* Istiusmodi publicationis, & intitulationis meminit Glossa ad *cap.* 54. ✠ *de Election.* verbo *Intitulatum.*

VI. Hæc disciplina, quæ alium titulum non agnoscebat, nisi Ecclesiam, cui Clericus per Ordinationem adscribebatur, in ea perpetuò ministraturus, duravit usque ad seculum XII. ita ut toto illo tempore, cùm de titulo Ordinationis agebatur, nunquam mentio patrimonii, aut proventuum, unde Ordinandus sustentationem accipere posset, ullibi fieret.

VII. Primò, Concilium Lateranense sub Alexandro III. sub finem seculi XII. de titulo Ordinationis aliquam mentionem *Patrimonii* fecit. Refertur decretum in *cap.* EPISCOPUS ✠ *de Præbendis*, his verbis: „ Episcopus si aliquem sine certo titulo, de „ quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Presbyterum „ ordinaverit; tandiu ei necessaria subministret, donec in aliqua „ Ecclesia ei convenientia stipendia militiæ clericalis assignet. „ Nisi talis ordinatus de sua vel paterna hæreditate, subsidium „ vitæ possit habere.“

VIII. Sat manifestum est, Concilium Lateranense hoc suo decreto nequaquam voluisse, pristinam & tot Canonibus stabilitam disciplinam de non ordinandis Pretbyteris, aut Diaconis *sine titulo*, id est, sine *adscriptione certæ Ecclesiæ*, revocare, aut immutare; sed duntaxat pœnam decernere in Episcopos sine titulo ordinantes; nimirum, quòd ipsi tenerentur hujusmodi Clerico tandiu necessaria subministrare, donec in aliqua ei Ecclesia convenientia stipendia militiæ clericalis assignet. Sed quia æquum non videbatur obligare Episcopum, ad subministrandum necessaria Clerico sine titulo ordinato, qui sufficientia habebat ex patrimonio, addit Concilium hanc exceptionem: *Nisi fortè talis, qui ordinatur, extiterit, qui de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.*

IX. Interim quia Concilium nullam aliam pœnam contra Ordinantes sine titulo decrevit, nisi quòd Ordinantes Clericis sic ordinatis *necessaria* subministrare tenerentur; atque ab hac pœna etiam ex decreto Concilii eximerentur, sic Clericus sic ordinatus aliunde haberet vitæ sufficiens subsidium, paulatim creditum fuit Ordinationes sine titulo licitas esse, modò Or-

dinandis de sufficienti vitæ subsidio foret provisum.

X. Quare non sine fundamento creditur, hoc decretum Concilii occasionem & originem dedisse titulo *Patrimoniali*, necnon mutationi disciplinæ per XI. secula circa titulum Ordinationis religiosè observatæ; tametsi id præter intentionem Concilii accidisse videatur. Vide Ludovicum Thomassinum *de Disciplina Eccles. part.* 4. *lib.* 2. *cap.* 2.

XI. Quidquid sit, hoc negari nequit, titulum patrimonii à seculo XIII. passim invaluisse, atque *titulum* Ordinationis non ampliùs acceptum fuisse pro *Ecclesia*, cui Ordinandus adscriberetur, eum in finem, ut ibidem stabiliter functiones Ordini proprias obiret; sed pro proventibus è quibus ipse Ordinandus honestè vivere possit: adeò ut dum hodie de titulo tractatur, hoc unum benè examinetur, an Ordinando sat provisum sit, ut honestè vivere queat; ne aliàs incidat in incommoda, quæ ex penuriâ, & necessariorum defectu oriri contingunt.

XII. De titulo Ordinationis sic sumpto agit Synodus Tridentia *Sess.* 21. *cap.* 2. *de Reform.* Decernitque: „Cùm non „ deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis „ dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, „ compertumque sit, complures plerisque in locis ad sacros Or„ dines nullo ferè delectu admitti, qui variis artibus, ac fallaciis „ confingunt, se Beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas „ facultates obtinere: statuit sancta Synodus, ne quis deinceps „ Clericus secularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia „ & ætate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi priùs legitimè „ constet, eum Beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum „ honestè sufficiat, pacificè possidere. Id verò Beneficium resig„ nare non possit, nisi facta mentione, quòd ad illius Beneficii „ titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi „ constet, quòd aliundè vivere commodè possit; & aliter facta „ resignatio nulla sit. Patrimonium verò, vel pensionem obti„ nentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopus „ judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ec„ clesiarum suarum, eo quoque priùs perspecto, patrimonium „ illud, vel pensionem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ „ eis ad vitam sustendandam satis sint. "

Ex hoc Decreto patet, Synodum quidem agnovisse duos titulos Ordinationis, *Beneficialem* scilicet & *Patrimonialem*; non eodem tamen modo.

XIII. Nam decernendo, ne quis deinceps Clericus secularis ad sacros Ordines promoveatur, nisi priùs legitimè constet, eum *Beneficium Ecclesiasticum* pacificè possidere, satis indicat, titulum Beneficii esse titulum *ordinarium*; eumque solùm ut talem agnosci à Synodo; Patrimonialem verò, tanquam *extraordinarium*; ad quem nullum ordinari permittit, nisi quem Episcopus admittendum judicaverit pro necessitate vel commoditate Ecclesiæ suæ.

Hinc colligit Fagnanus ad *cap.* EPISCOPUS ※ *de Præbendis, num.* 24. Synodum Tridentinam sustulisse dispositionem *cap. Tuis* ※ *eod.* in quantum ibi concedebatur, indifferenter ordinari ad titulum Patrimonii, vel Beneficii: „Nam, ait, hodie „ solum Beneficium est titulus *legitimus* ad sacros Ordines, pa„ trimonium verò non nisi *dispensativè*, quemadmodum aliàs „ etiam declaravit S. Congregatio Concilii Interpres." (g)

XIV. Inde ulteriùs concludendum, Synodum Tridentinam non voluisse, in titulo ordinationis solùm attendi, utrum Ordinandus habeat sufficiens vitæ subsidium. Id enim æquè ex patrimonio, quàm ex Beneficio haberi potest; sed insuper, ut Clericus alicui Ecclesiæ vi sui tituli adscriptus esset, ubi *stabiliter* functionibus sui Ordinis incumberet; quemadmodum Patrum disciplina religiosè servavit, quæ Clericos otiosos, & vagantes nulli speciali Ecclesiæ adscriptos, exclusos volebat.

XV. Per Beneficium autem ex moderna disciplina Clericus constituitur minister specialis illius Ecclesiæ, in qua ipsum Beneficium est fundatum; atque ita Synodus decernendo nullum Ordinandum, nisi qui Beneficium ecclesiasticum possidet, unà censetur decrevisse, nullum esse ordinandum, nisi certæ Ecclesiæ tanquam illius Minister foret inscriptus: quod postmodum *Sess.* 25. *cap.* 16. *de Reform.* apertiùs declaravit: ubi: „inhærendo vestigiis VI. Canonis Concilii Chalcedonensis sta„ tuit, ut nullus imposterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut „ pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non „ adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vage„ tur sedibus."

XVI. Porrò, cùm hodie plura sint Beneficia, quæ vel non requirunt residentiam, aut personale servitium, aut adeo exiguum, ut Clerici ea obtinentes, penè tota die otiosi esse, aut incertis sedibus vagari queant, nullatenus Episcopi mentem Decreti assequuntur, qui quoslibet, etiam Beneficium ecclesiasticum habentes ordinant, si ulteriùs non examinent, nùm Ordinatus vi sui Beneficii, ita censebitur Ecclesiæ adscriptus, quòd ibi convenienter ad suam vocationem muneribus Ecclesiasticis fungetur, nec in certis sedibus vagabitur.

XVII. E contrario, si Episcopus Clericum, nullum quidem Beneficium habentem, sed doctum pium, & non obscura vocationis ad statum ecclesiasticum signa præferentem; quemque paratum videt ad obeundas functiones Pastorales, aut Ecclesiasticas, quas ipsi imponere Superiores judicaverint, ad sacros Ordines solo titulo *patrimonii* admittat vel assumat; haud dubium, quin hic ipsam Decreti mentem, & Ecclesiæ intentionem assequetur.

Et sanè, plurimos hodie videmus Seminariorum, & Collegiorum Academicorum alumnos ad titulum *Patrimonii* ordinatos, qui strenuè, & in magnam Ecclesiarum utilitatem functionibus ecclesiasticis, vel tanquam Vice-Pastores, vel Confessarii aliove titulo incumbunt: ita ut nullatenus titulus *Patrimonii* sit reprobandus, modò hoc unum caveatur, ne passim eo titulo otiosi, ac vagabundi in sacros Ordines involent; quod jam pridem Ecclesia præcavere voluit, dum neminem *absolutè* ordinari voluit, uti suprà notatum est.

XVIII. Cæterùm in Decreto Concilii Tridentini nomine Beneficii venit *verum* Beneficium, quod nimirùm in *titulum perpetuum* per canonicam institutionem obtinetur.

Unde ad titulum Vicariæ *temporalis*, aut alicujus fundationis Missarum, vel alterius officii ad *nutum amovibilis*, neque in titulum dari soliti, nemo potest promoveri tanquam ad titulum *Beneficii*; imò nequidem pro titulo Ordinationis servire potest, quandiu manet in terminis *amovibilitatis ad nutum*: quia per hujusmodi officium, tametsi optimos proventus haberet annexos, non satis consultum esset Ordinato de sufficienti vitæ subsidio; cùm illi *ad nutum* alterius posset auferri. Neque ipse Episcopus aliquem ordinando ad hujusmodi Vicariam, fundationem, aut officium, potest illud ex temporali seu amovibili facere *perpetuum* sive *inamovibile*, ut rectè advertit Barbosa *de Potestate Episcopi*, *part.* 2. *allegat.* 19. *num.* 25.

XIX. Si tamen fundatio Missarum, alteriusve officii eclesiastici ad aliquem pleno jure spectaret, ut si v. gr. ipsemet fundàsset eâ conditione, ut pro suo arbitrio Sacerdotem ei præficeret, non apparet, cur de consensu hujusmodi Fundatoris non posset hujusmodi fundatio in titulum Ordinationis admitti. Hoc ipso quippè, quo eam in titulum assignat, censetur eam non ad tempus duntaxat, sed *in perpetuum* ipsi ordinando assignare. Et licèt per hoc in Beneficium non transiret, nec consequenter in titulum *Beneficialem* assumi possit, saltem ut *Titulus Patrimonialis* admitti poterit.

XX. In hac quippè materia *Patrimonii* vocabulo intelligitur, non solùm quidquid ex bonis patris filio obvenit, verùm etiam omne, quod aliundè, & quavis ex causa illi delatum est, quia satisfit intentioni decreti Concilii Tridentini; undecunque habeat victum, ne mendicet. Barbosa *loco allegato*, *num.* 52.

XXI. Ut quis ad titulum Beneficii ordinetur, requiritur, ut illud *verè* & non *fictè* possideat, idque *pacificè*, id est, sine ulla lite, sive quòd nullam patiatur controversiam sive juris, sive facti super ipso titulo Beneficii, in judicio, vel extra judicium; Barbosa *loco citato*, *num.* 16. tametsi esset aliqua difficultas, aut controversia super aliqua parte proventuum etiam majore, quia equidem verum manet ipsum Beneficium *pacificè* possidere. Posset tamen fieri, quòd tanta pars proventuum esset controversa, ut Beneficium in titulum admitti non deberet; non quia *pacificè* non possideatur, sed quia dubium & controversum est, num sufficiens sit ad honestam ordinandi sustentationem.

Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 9. ait „Nemo ad Ordines „ad titulum Beneficii quantumvis optimi promoveatur, nisi ca„ nonicam institutionem, & *pacificam* possessionem anteà ob„ tinuerit."

XXII. Similiter ut titulo *patrimonii* quis ordinetur, requiritur, ut patrimonium verè & non fictè possideat; sive quòd revera tanquam *proprium* illud habeat; ut proventus illos liberè sibi, suisque usibus applicare queat. *Fictè* autem possidere censetur, qui illud accepit ea conditione tacitè vel expressè adjecta, quòd illud quidem in titulum Ordinationis supponere & affectare queat, sed quod nunquam proventus illius accipiet, at illos integros, aut majorem illorum partem danti relinquet.

XXIII. Ordinatus autem ad titulum *patrimonii* ex simili ficta donatione procedentis, „non manet securus in conscien„tia, imò revera esset tanquam ordinatus sine *titulo*, & in„curreret pœnam suspensionis positam contra ordinatum sine „ti-

(g) *Hic lector adbertat decretum, quod de titulis à Concilio Tridentino latum est, fuisse in Gallis promulgatum à Synodis Provincialibus, Rhemensi* 1564. *Rothomagensi* 1531. *Burdigalensi ann.* 1583. *Turonensi* 1583. *Aquensi* 1583. *Tolosana* 1590. *Edicto Blesensi, art.* 7. *Plurima leguntur Arresta Supremorum Senatuum, quibus titulorum patrimonialium necessitas Clericis ad Sacerdotium promovendis asseritur, ubi Beneficium sufficiens deest. Consule ac de re nova Cleri Gallicani Collectanea* tom 5. tit. 7. part. 3. num. 59. 60. &c.

» titulo, per Constitutionem Sixti V. contra Clericos malè » promotos, " ita post alios citatos Barbosa *citata allegat.* 19. *num.* 57. qui *num.* 57. addit ex Garcia de *Beneficiis part.* 2. *cap.* 5. *num.* 169. » Si tamen pactum & conditio in patrimonio » adsit de illo reddendo cùm ordinatus habuerit Beneficium suf- » ficiens, vel alias unde vivere possit, nulla tunc incurritur » supensio, cùm non sit contra mentem, & dispositionem Con- » cilii Tridentini."

XXIV. Ut prædictis fraudibus obviarent Episcopi nostri, in suis respectivè Synodis statuerunt, ut » juret quilibet ordinan- » dus ad titulum patrimonialem, aut beneficialem, quòd titu- » lum, quem pro futura sua promotione exhibet, verè & sine » ulla fraude possideat." Ità Synodus II. Mechliniensis *tit.* 9. *cap.* 8.

Synodus II. P. Cameracensis *tit.* 10. *cap.* 4. proponit formulam juramenti præstandi ab iis, qui *patrimoniali* titulo ad ordines sunt promovendi, juxta quam ordinandus inter alia jurat: » Quòd in acquisitione bonorum meorum patrimonia- » lium, ad quorum titulum sum promovendus ad sacros Ordi- » nes, nulla fraus aut dolus intercessit, quodque illa verè pos- » sideo."

XXV. Singulare hîc imminet periculum Clericis tenuioris fortunæ, qui à consanguineis interdum emendicant, aut ex quadam compassione, aut respectu aliquo humano accipiunt bona aliqua in titulum, vel à parentibus bona omnia, aut majorem partem eorum, etiam consentientibus aliis prolibus sat indigentibus, in titulum assumunt; facilè enim hic si non expressa, saltem tacita promissio intervenit, de non convertendis proventibus illorum bonorum in proprios usus; ità ut duntaxat fictè & specie tenus bona illa in ordinandum transferantur.

XXVI. Sanctus Carolus in suo Concilio Mediolan. IV. *part.* 2. *cap.* 8. voluit, ut Beneficium vel census in titulum assignatus, etiam à Parocho publicè in Ecclesia proponeretur ante ordinationem; idque potissimùm in ea Parochiali Ecclesia, intra cujus limites major ejus census sivè ecclesiastici, sive alterius generis pars posita est.

XXVII. Ulteriùs quia requiritur, ut patrimonium in titulum assignandum *verè* possideatur ab ordinando, non sufficit, quòd ordinandus habeat patrem divitem, amplamque ex successione paterna hæreditatem expectet, sed requiritur, ut aliquam bonorum partem à Patre sibi in titulum assignatam habeat, & *verè* possideat; uti post alios notat Barbosa *loco citato*, *num.* 60. & latè Fagnanus ad *cap.* EPISCOPUS ✠ *de Præbendis*, *num.* 26. 27. & 28.

XXVIII. Si autem filius Ordines assumere intendat, atque ad eos vocatus videatur, pater autem titulum dare recuset, poterit ad eum assignandum cogi, non secùs atque ad dandam dotem filiæ nubere volenti, quemadmodum aliis citatis monet. Barbosa, *ibid. num.* 63.

XXIX. Patrimonium verò in titulum assignandum constitui debet super re certa: si enim esset res incerta, sciri non posset, nùm annui proventus essent sufficientes honestæ sustentationi ordinandi: unde nullus potest promoveri titulo lucri, quod ex industria acquirere posset; puta quòd sit Musicus, Magister Grammatices, &c. & ità sæpiùs decisum ait Barbosa, *ibid. num.* 57.

XXX. Adhæc non quodcunque Beneficium aut qualecunque patrimonium pro titulo ordinationis sufficit; sed requirit Synodus Tridentina, ut tam illud, quam hoc sit sufficiens in proventibus, & valore, quod ordinando ad victum honestè sufficiat; ità ut periculum non sit, quòd defectu necessarii vitæ subsidii cum Ordinis dedecore sit mendicaturus, aut sordidum aliquem quæstum exerciturus.

XXXI. Quantum autem requiratur ad honestam illam sustentationem, non expressit Synodus, neque generaliter determinari poterat: quandoquidem uno loco, unove tempore aliqua sufficere queant, quæ alio loco, aliove tempore non sufficerent. Merito ergo hanc determinationem Synodus permittit Episcopis: illud generaliter injungendo, ut nullum admittant, nisi Beneficium, aut patrimonium, pensionemve habeat, quæ *ad victum* HONESTE *sufficiant*, aut talia, quæ eis *ad vitam sustentandam satis sint*; atque hoc pacto, ne Ordinati cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum, urgente vivendi necessitate, exercere cogantur.

XXXII. Unde ipsi Episcopi hîc magna circumspectione procedere debent, ut ritè & diligenter expendant Beneficii proventus, ac præcipuè ipsius patrimonii conditionem; attendentes conditionem temporis, loci, necnon circumstantias omnes, ob quas ipse valor Beneficii, ipsiusque patrimonii decrescere, aut proventuum solutio deficere possit; atque ita ipsos Ordinandos ad egestatem redigendos cum sequela eorum incommodorum, quæ per tituli sufficientiam averti desideravit Synodus Tridentina.

Et sanè quot non videmus hodie Sacerdotes seu titulo Beneficii, seu patrimonii ordinatos, cum Ordinis dedecore quasi mendicè vivere, & sordidum quæstum exercere; idque non in rebus profanis, sed maximè sacris, v. g. Missarum celebratione!

XXXIII. Requirant Episcopi Beneficium, aut patrimonium, quod annuè etiam ad trecentos florenos æstimatur, & taxetur, si communi æstimatione sint contenti, nonne frequenter continget, quòd vel proventus injuria temporum, vel alibi unde decrescent, vel solutio deficiet; atque ita Clerici eo titulo ordinati necessariis vitæ subsidiis destituentur?

Quid ergo remedii, cùm vix amplior titulus requiri posse videatur? Sanè si Episcopi nullum ordinarent, præsertim ad titulum *patrimonii*, nisi quem judicarent pro necessitate, aut commoditate Ecclesiarum suarum assumendum; id est, quem scirent, quòd tanquam Minister Ecclesiæ posset, & vellet militare & operari, non tam soliciti esse deberent de valore tituli; hujusmodi enim facilè per Episcopos servitio Ecclesiæ, unde honeste vivere possent, applicarentur.

XXXIV. Hinc Episcopi nonnulli in admittendis, & exigendis titulis interdum justo rigidiores apparent, præsertim respectu Clericorum, quos vident eruditione, pietate, aliisque dotibus clericalibus adeò insignes; ut nullus fundatus videatur subesse metus, quòd hi defectu necessariorum cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere cogentur; ubi è contrario, per nimis rigorosam in his titulis exactionem, sæpiùs defraudant Ecclesiam optimis, & strenuissimis operariis.

XXXV. Itaque in titulorum præfixione, & exactione primùm & ante omnia ad hoc allaborare debent Episcopi, ut præcaveatur omnis vilis, & sordida mendicitas, & qualiscunque sordidus quæstus in Ecclesiæ Ministris, quapropter solicitè cavere debent, ne quocunque titulo admittant ad sacros Ordines, quos admodum verisimile est, non alium in finem Ordines expetere, nisi ut de celebratione Missarum faciant artem de pane lucrando, qui est quæstus longè sordidissimus.

XXXVI. Quare procul à mente Synodi Tridentinæ aberrant Episcopi, qui in supplementum tituli computant honoraria, quæ ordinatus in Presbyterum ex celebratione Missarum lucrari poterit; cùm hac computatione ipse Ordinandus quodammodo adigatur ad sordidum quæstum exercendum; dùm scilicet cogitur ex celebratione Missarum, ceu quodam opificio vitæ necessaria quærere, sive de *celebratione Missarum facere artem de pane lucrando.*

XXXVII. Ut autem titulus ordinationis sit firmus & perpetuus; nec unquam contingat, ordinandum in eam penuriam incidere, ut ea quasi cogente cum Ordinis dedecore ad mendicitatem redigatur, aut sordidum aliquem quæstum exercendum, statuit Synodus Tridentina, quòd Beneficium in titulum ordinationis assignatum, & admissum resignari non possit, nisi facta mentione, quòd ad illius Beneficii titulum resignans sit promotus: neque ea resignatio admittatur, nisi constiterit, quòd aliunde vivere commodè possit; & aliter facta resignatio nulla sit.

De patrimonio similiter, & pensione in titulum datis eodem capite decrevit Synodus: „ Atque illa deinceps sine li- „ centia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nulate- » nus possint; donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint » adepti; vel aliunde habeant, unde vivere possint. «

XXXVIII. Synodi Belgicæ pro efficaciore executione hujus Decreti decreverunt, » ut juret Ordinandus, quod titu- » lum non resignabit, vel alienabit, nisi ei de alio titulo suf- » ficienti sit provisum, neque tunc quidem aliter, quàm cum » scitu & consensu sui Episcopi, in litteris ipsius resignationis » exprimendo: item quòd titulum illum, qui in locum prio- » ris tituli successerit, absque simili consensu non resignabit, vel » alienabit. « Ita Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 9. *cap.* 8. Similis formula juramenti præstandi ab iis, qui ad titulum patrimonii ordinantur, extat in Synodo P. II. Cameracensi *tit.* 10. *cap.* 4.

Et *cap.* 3. Desiderat Synodus Cameracensis, ut impetretur à Regia Majestate seu Consilio Regio Edictum, quo fraudibus eorum, qui titulos patrimoniales contra juramentum à se præstitum sæpè alienant, occurratur.

XXXIX. Huic Synodi desiderio satisfacere volens Philippus II. in Edicto ad eam Synodum *art.* 10. voluit » omnes » alienationes, obligationes, oppignorationes, donationes, aut » dispositiones hujusmodi bonorum in titulum assignatorum es- » se *nullas*, *nulliusque valoris*, nisi reservato usufructu, & li- » bero usu horum bonorum durante vita naturali eorum, qui » ad Ordines sacros titulo patrimonii promoti fuerunt. «

Idipsum statuerunt Principes nostri in Edicto ad Synodum Mechliniensem *artic.* 11. & 12. utque fraudibus obvietur, voluit insuper, ut in instrumento tituli, vel Ordinum, bona patrimonialia in titulum assignata specificentur.

XL. Porrò hæc alienationis prohibitio ita intelligenda est, ut tamen tertio præjudicium non generetur; neque bona in titulum assignata naturam, vel conditionem suam mutent in præjudicium tertii.

Unde si bona in titulum assignata subjaceant retractui gen-

tilitio; aut certè ante assignationem pignori seu hypothecæ fuerint subjecta, etiam postquam in titulum fuerint assignata, eisdem conditionibus manent subjecta: poteruntque à proximioribus consanguineis retrahi; aut à creditoribus evinci, non secus ac si non fuissent in titulum data.

XLI. Similiter redditus redimibilis in titulum assignatus non fit irredimibilis; sed liberum semper manet debitori, eum redimere, sive capitale refundere; quod & Zypæus advertisse videtur, monens; » Cùm redditus in titulum assumitur, caveri » debet, si fiat redemptio, ex Episcopi judicio disponatur. «

XLII. Si pater bona filio in titulum assignaverit, poterit filius patre mortuo ea retinere; neque ea in divisionem hæreditatis veniunt; imò si filius se à paterna hæreditate abstineat, poterit ea sibi retinere, tametsi multùm portionem hæreditariam fratrum vel sororum excedant: at si ad hæreditatem concurrere velit, illa aut saltem eorum æstimationem conferre debere verisimilius est: exemplo dotis, & donationis propter nuptias, quas conferendas esse nemo dubitat.

XLIII. Formula juramenti à Synodo Mechliniensi præscripta sat innuit, patrimonium in titulum ordinationis assignatum, non esse liberum, aut liberè alienari posse, hoc ipso quo Ordinatus Beneficium Ecclesiasticum fuerit assecutus; sed insuper requiri, ut de consensu Episcopi titulus patrimonii sit exoneratus, & titulus Beneficii surrogatus; idque esse conforme decreto Concilii Tridentini, multis probat Fagnanus ad *cap.* EPISCOPUS ✠ *de Præbendis*, *num.* 46. & addit: » Hanc interpre» tationem sæpiùs videri secutam fuisse Sanctam Congretatio» nem; quia aliquando censuit decretum Concilii Tridentini, » dum prohibet resignationem Beneficii, ad cujus titulum quis » fuit ordinatus, non comprehendere resignationem illius Beneficii, » quod postea consecutus est Clericus jam promotus ad titulum » patrimonii, sed patrimonium ipsum manere *inalienabile*. «

XLIV. Synodus Tridentina in fine sui Decreti addidit hanc clausulam: *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando.*

Antiqui Canones relati apud Gratianum *dist.* 70. ordinationes Clericorum *sine titulo* irritas ac vacuas esse ad injuriam ipsius ordinantis decernebant; quemadmodum ipse quoque Innocentius III. in *cap.* 16. ✠ *de Præbend.* notavit his verbis: » Licèt autem prædecessores nostri ordinationes eorum, qui si» ne certo titulo promoventur, in injuriam ordinantium *irritas* » esse voluerint & *inanes*. « &c. Hinc nonnulli crediderunt, ex decreto Concilii Tridentini antiquorum Canonum pœnas innovante, ordinatos sine certo titulo esse à sacris Ordinibus suspensos, & si ministraverint, futuros irregulares.

Verùm quia per citatum *cap.* 16. ✠ *de Præbendis*, pœna suspensionis per antiquos Canones inflicta abrogata erat; communi penè Canonistarum consensu receptum fuit, Synodum Ttident. per *antiquos* Canones duntaxat intellexisse eas Decretales, quæ Episcopum obligant ad subministrandum vitæ necessaria Ordinato sine titulo; de qua obligatione agitur in *cap.* 2. 4. & 16. ✠ *de Præbendis*, & *in cap.* 36. *eod. in VI.* Hancque sententiam, proposito dubio, S. Congregationem Concilii interpretem amplexam esse, testatur Fagnanus ad *cap.* Cùm SECUNDUM APOSTOLUM ✠ *de Præbendis*, *num.* 63.

XLV. Unde cùm quidam sine titulo ad Ordines promoti ministrâssent; quæsitumque fuisset, an irregularitatem propterea incurrissent, respondit S. Congregatio, Oratores quidem minimè debuisse ad sacros Ordines absque titulo sufficientis Beneficii vel patrimonii promoveri, debuisseque observare, quod providè statuitur Decreto, *cap.* 2. *Sess.* 21. Cæterùm ordinatos ante felic. recordat. Sixti V. Constitutionem hac de re editam, nequaquam propterea esse suspensos neque irregulares, tametsi in susceptis Ordinibus ministraverint; uti refert Fagnanus ibid. *num.* 46.

Constitutio Sixti V. cujus meminit S. Congregatio, incipit, *Sanctum & salutare*, 40. *in Bullar. Rom.* atque in ea Clerici sine titulo sufficientis Beneficii, aut patrimonii ad sacros Ordines promoti, declarantur perpetuò suspensi ab executione dictorum Ordinum, & si in eis ministraverint, irregulares. Sed quoad hunc articulum postmodum Clemens VIII. hanc Constitutionem Sixti V. reduxit ad terminos Concilii Tridentini per Constitutionem quæ incipit: *Romanum Pontificem*, 30. *in Bullar. Rom.*

Si tamen Clericus fictis instrumentis, aliisve fraudibus decepisset Episcopum ordinantem, falsum titulum supponendo, & fingendo, eo casu juxta antiquos Canones Clericum suspensum fore ab executione susceptorum Ordinum; eamque pœnam, quoad hunc casum à Synodo Tridentina innovatam esse, multis probat Fagnanus loco citato; atque ita aliquando respondisse S. Congregationem refert, *num.* 68.

XLVI. De obligatione Episcopi subministrandi Clerico sine sufficienti titulo Ordinato, & egenti vitæ necessaria; & quando ejus hæredes, aut successores etiam teneantur; & quibus titulis ab hac obligatione eximi interdum possit, satis latè tractat, Fagnanus ad dictum *cap.* CUM SECUNDUM APOSTOLUM, qui, casu incidente, consuli poterit.

* Idem Canonista probat, quòd Episcopus, qui sine titulo ordinavit, non tanùm ad alimenta Ordinando præstanda teneatur, sed & ejus successor: quin & subindè ejus hæredes ad ea subministranda urgeri possint.

Quidni & inde contingere dicamus, quòd quidam Episcopi admodum soleant esse soliciti, & anxii de titulo Ordinationis, ejusque sufficientiâ, ut scilicet se, suosque hæredes ab hac obligatione, ejusve periculo eximant, securosque reddant, quos interim parùm solicitos, & anxios videmus circa mores & doctrinam, aliasque qualitates Ordinandorum.

TITULUS X.

De Irregularitate, ejusque speciebus.

CAPUT I.

De Irregularitate in genere.

1 *Quomodo apud Veteres nota irregularitas.*
2 *In quo præcipuè antiquitùs fundata Irregularitas.*
3 *Multis seculis solum* crimen *causa fuit Irregularitatis.*
4 *Quâ ratione collapsio disciplinæ modernis Irregularitatibus occasionem dederit.*
5 *Descriptio Irregularitatis.*
6 *Quare dicatur impedimentum* Canonicum.
7 *Hodie non contrahitur Irregularitas nisi in casibus in jure expressis.*
8 *Non nisi certa & determinata sunt crimina quibus Irregularitas est annexa.*
9 *Irregularitas crimini annexa, non censetur contracta nisi crimine consummato.*
10 *Irregularitas* directè *tantùm concernit susceptionem Ordinum, eorumque usum.*
11 *Antiqui Canones huic disciplinæ occasionem dedisse videntur.*
12 *Irregularitas in quo distinguatur à Censura.*
13 *Proprium est Irregularitati, quòd per pœnitentiam non tollatur.*
14 *Id consonum est pristinæ disciplinæ.*
15 *Irregularitas non semper supponit culpam.*
16 *Irregularitas ferè per solam dispensationem tollitur.*
17 *Duplex species Irregularitatis.*

I. VErbum illud *Irregularitas* in antiquis Canonibus non occurrit, ait Franciscus le Roy, Antecessor Andegavensis in Institutionibus Juris Canonici *lib.* 3. *cap.* 16. sed cùm regulas præscripserint, ex quibus innotescat, quinam ordinari possint, vel non, hi, qui ab iis regulis alieni sunt, sive qualitates præscriptas non habent, dicebantur à regula *alieni*; uti legitur. in Canone XVII. Nicæno, ubi decernitur, quòd si quis Clericus inventus fuerit usuras ex mutuo sumere, vel turpe lucrum sectari, *è Clero deponatur*, & *sit* ALIENUS à CANONE, uti vertit Hervetus; vel ut legit Dionysius Exiguus: *Dejicietur à Clero*, & ALIENUS *existat à* REGULA.

Quid verò est aliud, *alienus à Canone* vel *Regula* nisi *irregularis*, sive secundum regulam non probatus, sed à regula devius.

Adhæc eadem Synod. *Can.* 9. loquens de quibusdam Presbyteris sine examine ordinatis, & peccata ante ordinationem commissa confitentibus, ait: *Tales regula non admittit.* Quid his verbis aliud indicat, quàm Presbyteros illos esse *irregulares*; sive quòd regula eos ad Ordines non admittat; sive ex regula, seu canone excludantur.

II. Specialiter autem notandum, quòd post relata verba immediatè subjicit dictus Canon IX. *Quia quod* IRREPREHENSIBILE *est*, *Catholica defendit Ecclesia*: quasi diceret, quod *irreprehensibile* est, recipit, ac tuetur Ecclesia.

Hinc non obscurum est, Synodum irregularitatem præcipuè fundàsse in præcepto Apostoli volentis ordinandum in Episcopum esse *irreprehensibilem*, & *sine crimine*.

III. Et revera multis seculis irregularitas, sive exclusio à Sacris Ordinibus, eorumve functionibus, unicè verè in crimine ejusque suspicione constitit, omnisque ille censebatur *irregularis*, qui non erat *irreprehensibilis*, & *sine crimine*; ipsumque crimen commissum irregularem constituebat committentem; hoc est,

eum

eum à Sacris Ordinibus in perpetuum arcebat, si nondum iis esset initiatus; aut si jam initiatus esset, à functionibus illorum suspendebat: adeò ut nec actâ pœnitentâ restitueretur: atque ita revera irregularis censebatur; uti infrà *capite* 6. ostendetur.

IV. At cùm sensim labentibus seculis disciplina circa admittendos reos alicujus criminis, præsertim occulti, nonnihil fuit relaxata; persuasumque tandem fuit, crimine per pœnitentiam & Sacramentalem absolutionem remisso, sublatum esse impedimentum; atque ipsum reum posse liberè ad sacros Ordines promoveri, aut ad susceptorum functiones restitui, coacta fuit tandem Ecclesia, hanc libertatem ex disciplinæ prolapsione progenitam restringere: nonnullaque crimina, defectusque nonnullos notare, quæ per pœnitentiam quidem eatenus aboleri possint, ut quis ad justitiam, & cum communibus Fidelibus usui Sacramentorum restituatur, ita tamen ut qui illis semel fuerint inquinati, à Sacris Ordinibus, eorumque functionibus perpetuò maneant exclusi.

Qui itaque ob hujusmodi crimen, aut defectum à Sacris Ordinibus, eorumque functionibus excluduntur, hodie dicuntur *irregulares*; & simile impedimentum vocatur *irregularitas*.

V. Unde irregularitas communiter definitur, *Impedimentum canonicum acceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, aut aliquem eorum usum directè impediens, etiam post pœnitentiam.*

* Emmanuel Gonzalez in Commentario ad *Cap.* 4. ✠ *de Clericis Excomm. minist. n.* 5. monet, eam in hac significatione à nullo Pontifice fuisse usurpatam ante Innocentium III.

Quidquid sit de Epocha usurpatæ hujus vocis *irregularitas*, illud admodum verisimile est, circa tempora Innocentii III. demùm invaluisse, quæ modernam disciplinam in materia irregularitatis constituunt, & inter quæ nonnulla sunt à pristina Patrum disciplina dissona: uti sæpiùs fuit notatum.

Nec id mirum videri debet: certum enim est, circa seculum XII. & XIII. post evulgatum Decretum Gratiani in multis circa sacros Ordines & Ministrorum electionem, necnon eorum qualitates, à pristina Patrum disciplina sensim recessum esse, multaque introducta, & hodie esse recepta, notanter à tempore Alexandri III. & Innocentii III. quæ pristina Patrum ætas ignoraverat; ac signanter in hac materia irregularitatis.

VI. Irregularitas dicitur impedimentum *canonicum*, id est, jure canonico, seu Ecclesiastico inductum. Cùm enim jam per disciplinæ collapsionem eò deventum esset, ut etiam gravissimorum criminum rei post actam dignam de crimine pœnitentiam, & absolutionem à Sacerdote obtentam, ad Sacros Ordines, promoveri, aut eorum functionibus restitui possent, nullum ampliùs ratione criminum, aut defectuum videbatur post peractam pœnitentiam superesse impedimentum; visum itaque fuit, omne hujusmodi impedimentum acscribendum esse positivo Ecclesiæ decreto; quo ipsa declarat, huic illive crimini aut defectui obnoxios *in perpetuum* à Sacris Ordinibus, eorumve functionibus esse exclusos.

VII. Hinc ulteriùs pro regula invaluit, irregularitatem sive hujusmodi impedimentum non censeri contractum, nisi in casibus à jure expressis; quæ regula sat apertè probatur à Pontifice in Cap. 18. *De sent. excommunicat. in* VI. ubi respondet Pontifex, quòd » is, qui in Ecclesia sanguinis, aut seminis effusione » pollutâ, vel qui præsentibus majori excommunicatione nodatis scienter celebrare præsumpsit, licèt in hoc temerariè agat, » irregularitatis tamen laqueum non incurrit; « adductâ hac expresâ ratione: *Cùm id non sit expressum in jure.*

* Itaque si non ostendatur, jure positivo huic delicto vel defectui irregularitas annexa, non debet hujus delicti reus se pro irregulari gerere, neque ut talis reputari. Si autem constet alicui delicto, vel defectui irregularitatem esse annexam, seu dubium sit, num quis simile delictum admisserit, eo casu propter dubium contractæ irregularitatis, tenetur, se pro irregulari gerere, atque ab Ordinum susceptione, vel eorum functione, stante hoc dubio, abstinere: atque de hoc casu intelligi debere responsum Pontificis *in cap.* 12. *de Homicidio*, & in *cap.* 5. *de Cler. Excomm. minist.* asserit Franciscus de Roye in *inst. juris Canon. lib.* 3. *cap.* 16.

Porrò rationem suæ decissionis allegat Pontifex: *Quia in dubio oportet sequi partem tutiorem.*

Aliam insuper rationem conciliandi prædictos textus ex Fagnano adduxit infra *cap.* 7. *num.* 22. & 23. ibidemque ex eodem Auctore notatum est, quam turpiter à regula in citatis Decretalibus assumpta, & probata ab Innocentio III. recesserint quidam Casuistæ, ut suam de Probabilissimo opinionem tuerentur contra evidenter à Pontificibus expressam regulam; quòd *in dubiis semita sit tutior eligenda.*

Pro intellectu hujus regulæ, videri quoque possent, quæ conformiter ad reflexiones Prosperi Fagnani notavi, & exposui in dissertatione ad hanc regulam: *in dubiis semita tutior est eligenda*, quæ integra habetur inter Opuscula Canonica in tom. 3. hujus Editionis, pag. 288.

VIII. His per transennam dictis de semita tutiore in observanda irregularitate; constat hodie vix posse dubium moveri circa crimina, quæ irregularitatem pariunt; certa illa sunt, & determinata; quibus nimirum jus ipsum eam expressè annectit: neque ab uno ad alterum ob ejus forsan majorem, vel qualem gravitatem argumentum duci potest: quandoquidem juxta modernam disciplinam crimen non pareat irregularitatem, nisi id in jure sit expressum.

IX. Hinc ulteriùs infertur, quòd si alicui crimini, v. g. homicidio aut mutilationi annexa sit *irregularitas*, hæc contracta non censeatur, nisi *re ipsa* homicidium, vel mutilatio sit secuta, tametsi adfuisset plena voluntas, & exterior conatus; cujus executio etiam casu quasi fortuitò fuisset expedita.

X. Dictum fuit in descriptione, receptionem Ordinum, aut aliquem eorum usum *directè* impediens; eò quòd irregularitas *primariò*, ac *directè* tendat ad impendendam Ordinum receptionem, vel eorum usum impediendum.

Unde cum hodie Beneficia, & Ordines, eorumque functiones sint planè disparata; neque Ordo supponat Beneficium; ipsumque Beneficium sine Ordinum usu haberi & retineri possit; etiam receptum est irregularitatem, quamvis privet usu & exercitio Ordinum, non tamen privare Beneficio, nisi specialiter in jure fuerit expressum, quemadmodum de homicidio per Assassinos perpetrato decernitur in *cap.* 1. *de Homicid. in VI.*

XI. In antiquis quidem Canonibus, ubi de hoc impedimento agitur, tantùm Ordinum & eorum usûs fit mentio; at notandum quòd Beneficia non censerentur exclusa juxta disciplinam illius temporis: Nam rectè advertit Franciscus Le Roy loco citato, » cùm olim Ordines, & Beneficia simul omnino conferrentur, eadem irregularitas ad utrumque simul etiam præcludebat aditum. «

Postquam ergo Beneficia ab ipsis Ordinibus separari, atque eorum provisio ab ipsa Ordinatione sejungi cœpit; ipsaque disciplina, quæ utram de confundebat, jam esset obliterata, cœpit quoque ipsa irregularitas ad solos Ordines restringi; eò quòd Canones de solis Ordinibus loquerentur: atque ità tandem receptum est contra pristinam disciplinam, quòd irregulares suis Beneficiis non censeantur privati, nec ab eorum functionibus suspensi, modò ab Ordinum functionibus abstineant.

XII. Deinde quia irregularitas *directè* ac primario tendit ad impediendum Ordinum susceptionem, aut eorum usum; adeò species *censuræ* non reputatur. Quia licèt Censura etiam impediat Ordinum susceptionem & usum; non tamen directè ac primariò ad hoc infligitur; nec directus ac primarius est hic censurarum effectus, sed duntaxat indirectus & per consequentiam; v. g. Censura impedit Ordinum functiones quatenus sunt communicatio quædam fidelium, ut *excommunicatio*: aut quatenus sunt officia quædam Ecclesiastica, hoc est, à personis Ecclesiasticis exercenda, ut *suspensio*: aut quatenus sunt usus Sacramentorum, ut *interdictum*: at sola irregularitas *directè* eas impedit, quatenus illæ functiones specialiter spectant ad exercitium Ordinum.

XIII. Denique dicitur in descriptione irregularitatis, *etiam post pœnitentiam*; quia proprium est irregularitati, etiam ex crimine contractæ, quòd crimine per pœnitentiam remisso, nihilominus maneat irregularitas, impediens Ordinum susceptionem aut eorum usum.

XIV. Id conforme est pristinæ disciplinæ. Licèt enim crederent Patres, graviora quoque crimina per pœnitentiam deleri; atque post remissionem peccatores ad justitiam redire, & sine crimine esse; nequaquam tamen credebant, eos qui hujusmodi crimina commisserant, mox à peracta pœnitentia & obtenta reconciliatione, dici posse *irreprehensibiles*, & *sine crimine* ad sensum Apostoli requirentis, ut Ordinandus in Episcopum sit *irreprehensibilis* & *sine crimine.*

Quod ergo irregularitas maneat, etiam postquam crimina, ex quibus hæc orta est, per pœnitentiam sunt deleta; atque ipse reus ratione commissorum criminum impediatur ad sacros Ordines ascendere, aut in illis ministrare, pristinæ disciplinæ reliquiæ sunt, uti infrà *cap.* 6. latiùs ostendetur.

XV. Neque tantùm ob crimina incurritur irregularitas; sed & ob defectus quosdam tum corporis tum mentis ea contrahitur; licèt hi defectus ex nulla culpa contracti sint, neque ullam in subjecto culpam arguant: eò quò defectus illi vel naturale impedimentum Ordinum executioni ponant, vel aliquam indecentiam annexam habeant, ob quam Ecclesia non judicat passim hujusmodi defectuosos ad Ecclestastica Ministeria admittendos.

XVI. Sive autem ex defectu sive ex crimine oriatur irregularitas, semper parit impedimentum ad Ordines suscipiendos aut in susceptis ministrandum; neque illud impedimentum, per pœnitentiam, sed non nisi per dispensationem ordinariè & propriè tollitur.

XVII. Duplex igitur est irregularitas, altera ex defectu, altera ex crimine orta; utraque varias sub se species complectens: præcipuas magisque hodie usitatas duntaxat proponam, ac primùm quæ ex defectu, dein quæ ex crimine oriuntur.

CAPUT II.

De Irregularitate ex Bigamia.

1 *Apostolus vult Episcopum & Diaconum esse* unius uxoris virum.

Quis

2 *Quis sit sensus Apostoli.*
3 *Quare Apostolus voluerit Episcopum esset* unius *uxoris virum.*
4 *Secundæ nuptiæ numquam reprobatæ ; licèt eas contrahentibus subinde pœnitentia fuerit imposita.*
5 *Patres Græci Bigamum non putârunt quî ante Baptismum plures habuit uxores : & quare.*
6 *Irregularitatem ex nuptiis cum vidua unde desumerent Patres Græci.*
7 *Sanctus Hieronymus Græcis consentiens.*
8 *Innocentius I. aliam rationem hujus irregularitatis esse credidit.*
9 *Augustinus Innocentio consensit ; & uterque credidit Bigamiam ex nuptiis ante Baptismum contractis oriri ; & quare.*
10 *Sanctus Augustinus non in ratione morali, sed mystica hanc irregularitatem fundavit ; & quæ hæc ratio.*
11 *Eandem probavit S. Leo.*
12 *Exponitur quomodo in defectu Sacramenti hæc Bigamia ex sententia S. Augustini consistat.*
13 *Fundamentum irregularitatis ab Augustino asignatum sensim ubique receptum.*
14 *Sententiam Augustini fusiùs expressit, & probavit Innocentius III.*
15 *Bigamus hodie habetur, qui duas sucessivè cognovit uxores, quamvis ante Baptismum.*
16 *An extra hunc casum* vera *detur Bigamia, incertum est.*
17 *Datur Bigamia* interpretativa *æquivalens veræ Bigamiæ.*
18 *Talis est Bigamia orta ex* iteratis *nuptiis nulliter contractis à constitutis in Ordine Sacro.*
19 *Similis est Bigamia ex nuptiis invalidis cum vidua.*
20 *Similis Bigamia oritur ex matrimonio cum unica, sed ab alio priùs corrupta ; hodie in usu non est.*
21 *Contrahens validè cum vidua quoad effectus Juris est verus Bigamus.*
22 *Olim Bigami tantùm à Sacris Ordinibus excludebantur.*
23 *Hodie ab omni Ordine, etiam prima Tonsura excluduntur.*
24 *Id quoque obtinet in Bigamo ex nuptiis cum vidua ; nec ad ullum Ministerium Ecclesiasticum admittuntur Bigami.*
25 *Bigami etiam à Ministerio quorumcunque Ordinum ante susceptorum suspenduntur.*
26 *Episcopus hodie nec cum Bigamo* interpretativo *dispensare potest.*
27 *Nequidem ad minores Ordines aut Beneficia simplicia.*
28 *Quare potiùs cum criminosis, quàm Bigamis liceat Episcopis dispensare.*
29 *Disciplina hodierna circa Bigamos est rigidior, quàm pristina erat.*
30 *Olim faciliùs cum Bigamis quàm cum criminosis dispensatum fuisse, præsertim ex sententia Græcorum.*
* *Quid sit Bigamia similitudinaria, & unde dicta.*
31 *Quòd Bigamia similitudinaria olim incognita.*

I. APostolus in prima sua Epistola ad Timotheum *cap.* 3. describens qualitates in Episcopis ac Diaconis necessarias inter alia dicit : *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse,* UNIUS UXORIS *virum.* Deinde Diaconis loquens : *Diaconi sint* UNIUS *uxoris viri.* Et rursus in Epistola ad Titum *cap.* 1. præcipiens Tito, ut constituat per civitates Presbyteros, ait : *Si quis sine crimine est,* UNIUS *uxoris vir.*

II. Verus ac genuinus sensus hujus Apostolici præcepti verbis allegatis expressi, est, *Oportere Episcopum esse unius uxoris virum,* id est, oportere, ut si uxorem habeat aut habuerit, non tamen secundam acceperit, sed unam tantùm, sive eam habuerit, sive adhuc habeat. Sic enim & paulò post vult, *eum filios habere subditos cum omni castitate,* id est, si filios habeat ut subditi sint : ita Estius in commentario ad citata verba epistolæ ad Timotheum ; eumque sensum à plerisque Patribus traditum esse ibidem notat ; multisque ostendit, hunc sensum esse menti & textui Apostoli conformem ; unà advertens, quòd propter hanc Apostolicam hoc sensu intellectam sententiam, Ecclesia Bigamos à sacris Ordinibus semper excluserit ; Bigamos utique intelligens eos, qui priore uxore mortuâ duxissent secundam.

III. Si ipsum Apostoli contextum, sive in epistola ad Timotheum sive in ea Titum propiùs expendamus, apparebit Apostolum hîc præcipuè præ oculis habuisse incontinentiam seu ejus suspicionem ; hancque tanquam fundamentum hujus irregularitatis considerasse. Dum enim scribens ad Timotheum dicit : *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse,* UNIUS UXORIS VIRUM, *sobrium, prudentem, pudicum ornatum,* &c quid aliud intendit, nisi exprimere vitia, à quibus immunem volebat Episcopum ; & virtutes, quibus eum instructum oporteret ? idem vult cum de Diaconis loquitur. Describens enim virtutes Diaconis necessarias, & vitia, à quibus eos immunes oporteat, inter alia addit : DIACONI UNIUS SINT UXORIS VIRI : *qui filiis suis benè præsint, & suis domibus.*

Nec id obscuriûs expressit in Epistola ad Titum, ubi exponens quis in Episcopum ordinandus sit, ait : *Si quis sine crimine est,* UNIUS UXORIS VIRI, *filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.*

Nonne hîc liquet, scopum Apostoli fuisse, omne crimen & criminis præsertim incontinentiæ, seu luxuriæ suspicionem ab ordinando Episcopo removere ? adeò ut & à filiis remotam voluerit luxuriæ accusationem, ne filiorum luxuria patrem in suspicionem adducat.

Et quia non tantùm ab Episcopis, aut Diaconis incontinentiæ omnis vel levis suspicio abesse debebat ; sed & à fœminis, quæ in ministerium Ecclesiæ eligebantur, ideò & hanc conditionem in Vidua eligenda requirit. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit* UNIUS VIRI UXOR, *in operibus bonis testimonium habens* &c. 1. ad Tim. 5.

Unde ad verba Apostoli reflectens S. Chrysostomus *homilia 2. in epistolam ad Titum,* ait : » Castigat hoc ipso etiam impudicos, dum non eos permittit post *secundas* nuptias ad Ecclesiæ regimen, dignitatemque Pastoris assumi.“

Eadem ferè fuit omnium Græcorum Patrum sententia ; quibus & nonnulli è Latinis consensêre, ut mox ex verbis eorum citandis apparebit.

IV. Quamvis enim tan Græci, quàm Latini Patres secundas nuptias nunquam crediderint illicitas, persuasum nihilominus erat, quòd tàm viri quàm mulieres nuptias iterantes, insolita ac immoderatâ in luxuriam libidine ferrentur, aut ut minus illius suspicionem non levem ingererent.

Hinc Digamis sive nuptias iterantibus jam pridem pœnitentiam canonicam impositam, præsertim apud Græcos legimus.

Synodus Neocæsariensis *Can. III.* » De his, qui in plures » nuptias inciderunt, tempus quidem præstitutum manifestum » est, sed conversatio eorum, & fides tempus abreviat.“

Priorem Canonis partem exhibet Gratianus *caus.* 31. *q.* 1. *can.* 8. his verbis : » Qui frequenter uxores ducunt, & de his, » quæ sæpiùs nubunt, tempus quidem *pœnitentiæ* his manifes- » tum constitutum est ; sed conversatio, & fides eorum tem- » pus abbreviat.“

Hæc lectio sat innuit, hîc de veris Bigamis, id est, qui successivè plures duxerunt legitimas uxores, agi, quemadmodum & de his agit Canon 7. ejusdem Synodi, statuens, » Ne Pres- » byter in nuptiis ejus, qui Digamus efficitur, convivetur. Cùm » enim requirat pœnitentiam Digamus, quis erit Presbyter, qui » eò, quòd sit convivio acceptus, nuptiis assentiatur ? “ Hoc » est (ait Zonaras ad hunc Canonem) qui fieri potest, ut *pœ- » nam* à Digamo exigere non pudor sit ei, qui Digami factum » à se non improbari, cùm nuptiis secundis ipse interfuerit, sa- » tis ostendit.“

His Canonibus de veris Bigamis seu Digamis agi, uno consensu docent Græci Canonum Commentatores ; ipseque Baronius fatetur ad *annum* 313. *num.* 91. agnoscens Bigamis pœnitentiam aliquam impositam fuisse : » Non quòd (ait) secundum » matrimonium contrahendo peccent, sed quòd suam ipsius *in- » continentiam* manifestent ; & Bigamiam, quæ in humanæ infir- » mitatis remedium instituta est, *licentiùs* usurpent.“

V. Græci itaque hanc rationem moralem, nimirum incontinentiam, ejusve suspicionem, tanquam fundamentum hujus irregularitatis statuebant ; atque inde tanquam consequens ulteriùs inferebant » Matrimonium in ipsa gentilitate, sive ante susce- » tum Baptismum contractum non ponere hanc irregularitatem ; » eumque ad sensum Apostoli habendum *unius uxoris* virum, » qui post Baptismum *unam duntaxat* habuit, licèt alteram an- » te Baptismum habuisset : eò quòd per Baptismum omnis ma- » cula contracta deleatur ; atque è veteri in novum hominem re- » generetur.“

Canon XVI. Apostolorum ita habet : » Qui *post Sanctum* » *Baptismum duobus* conjugiis fuerit implicitus, vel habuerit » concubinam, non potest esse Episcopus, vel Presbyter vel » Diaconus, vel omninò ex numero Sacerdotali.“

Duo ex hoc Canone habemus. Primùm, quòd irregularitatis fundamentum non obscurè in ipsam incontinentiam seu ejus suspicionem reponat ; cùm eum, qui duobus conjugiis implicitus fuit, confert cum habente concubinam.

Ulteriùs cùm tantùm eum irregularem pronuntiet, qui POST *Sanctum Baptismum* duobus conjugiis implicitus fuit, sat innuit, conjugii ante Baptismum contracti rationem habendam non esse : quod & Balsamon annotavit dicens : » Eum, qui *post San- » tum Baptismum* Digamus fuerit vel fornicatus sit, prohibet » Canon fieri Episcopum, vel Sacerdotale quippiam exercere. » Quæ enim *ante Baptismum* admissa sunt omnis generis peccata » prætermittit, cùm factus sit *novum opus* solâ gratiâ Sanc- » ti Spiritûs.“

Idem notat Zonaras scribens : » Divinum Lavacrum Sanc- » ti Baptismatis omnes credimus abluere sordes ipsis Baptizatis » il-

» illitas ante Baptismum, nullumque peccatum, quod ante Bap-
» tismum ab aliquo fuerit patratum, prohibet ad Sacerdotium
» promoveri Baptizatum. Quòd si post Baptismum scortatus
» fuerit, aut nuptiis duplicibus adhæserit, indignus qualicunque
» Sacerdotio judicatur.«

VI. Græci itaque hujus irregularitatis rationem desumentes ex incontinentia, ejusque suspicione; irregularitatem quoque provenientem ex conjugio cum vidua desumendam crediderunt ex incontinentia ejusve suspicione, nimirum ipsius mulieris nuptias iterantis, quam per mulierem in maritum aliquo modo redundare supponebant.

Unde hanc irregularitatem non fundabant in his Apostoli verbis, *unius uxoris vir*; sex potiùs in his, quæ idem Apostolus subjungit: *Filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ.* Epist. ad Tit. cap. 1.

Licèt enim peccata filiorum non imputentur parentibus in culpam, si ipsi in dissimulandis, aut fovendis nullam culpam habuerint, tamen (ut notat S. Hieronymus in citata verba Apostoli) tam sanctum nomen Sacerdotii est, » ut nobis etiam ea,
» quæ extra nos sunt posita, reputentur, non quòd propter
» vitia nostra Episcopi non fiamus, sed quòd propter filiorum
» incontinentiam ab hoc gradu arcendi simus. Quâ enim liber-
» tate possumus alienos filios corripere, & docere, quæ recta
» sunt, cùm nobis statim possit, qui fuerit correptus, ingerere,
» ante doce filios tuos.... Non itaque justus polluitur ex filiorum
» vitiis, sed libertas ab Apostolo Ecclesiæ Principi reservatur,
» quòd talis fiat, qui non timeat propter vitia liberorum extra-
» neos reprehendere.«

Itaque sicuti Apostolus incontinentiam liberorum credidit redundare in Patrem; atque libertatem adimere reprehendendi incontinentes, & docendi quæ recta sunt, eâdem ratione uxoris maculam, suspicionemve incontinentiæ cum eodem effectu redundare in maritum; atque maritum ad Sacerdotium irregulare reddere existimârunt.

Hanc creditam fuisse fundamentalem hujus irregularitatis rationem sat apertè indicat Canon XVIII. Apostolorum: » qui
» *viduam* (h) accepit, vel ejectam, vel meretricem, vel ser-
» vam, vel mimam seu scenicam, non potest esse Episcopus,
» vel Presbyter, vel Diaconus, vel omninò ex numero Sacerdo-
» tali.«

Hunc Canonem commentatus Balsamon, ait: » Nota præ-
» sentem Canonem: vult enim non solùm eum, qui est sacra-
» tus, esse modestum, & continentem, sed etiam ejus conju-
» gem: & ideò mulieres, quæ hîc comprehenduntur, prohi-
» buit cum sacratis hominibus matrimonio jungi, utpotè quòd
» eas continenter vivere non credatur, propter earum sordes,
» & improbitatem.«

VII. Sanctus Hieronymus multo tempore apud Græcos versatus, & eorum principiis instructus, in hoc quoque articulo Græcis adhæsit; atque irregularitatem Bigamiæ in hac morali ratione fundatam credidit. Unde in Epistola ad Titum scribit: » Quod autem ait, *unius uxoris vir*, sic intelligere debemus,
» ut non omnem monogamum digamo putemus esse meliorem,
» sed quòd is possit ad monogamiam, & continentiam cohor-
» tari, qui sui exemplum præferat in docendo.« Quasi diceret, ideò vult Apostolus ut Episcopus sit *unius uxoris vir*, ne alias non possit ad continentiam cohortari, qui iteratione nuptiarum, ipse non sat præferat continentiæ exemplum.

Hinc mox conformiter ad Græcorum sententiam dicit: » mul-
» ti superstitiosiùs magis, quàm veriùs, etiam eos, qui cùm
» Gentiles fuerint, & unam uxorem habuerint, quâ missâ,
» post Baptismum Christi alteram duxerint, putant in Sacerdo-
» tio non legendos; cùm utique, si hoc observandum sit, illi
» magis ab Episcopatu arceri debeant, qui vagam per meretri-
» ces ante exercentes libidinem, unam regenerati uxorem acce-
» perint, & multò detestabilius sit fornicatum esse cum pluri-
» bus, quàm Digamum reperiri, quia in alio infelicitas matri-
» monii est, in alio ad peccandum prona lascivia.«

Idem fusiùs astruit, & contrarium sustinentes acerrimè perstringit in *Epist.* 83 ad Oceanum, atque inter alia hanc formal conclusionem: » Si Baptismus novum hominem facit, & ex
» toto novum creat, nihilque in eo veteris hominis reservatur, non
» potest novo imputari, quòd in veteri quondam fuit.« Sententia Hieronymi refertur apud Gratianum *Dist.* 26. *Can.* 1. & *Caus.* 23. *quæst.* 3. *Can.* 1.

VIII. Patres Latini plerique attendentes licitum secundarum nuptiarum usum, nec ita ad incontinentiæ suspicionem eisdem annexam reflectentes, crediderunt ab Apostolo in hoc præcepto non incontinentiam, sed ipsam nuptiarum iterationem simpliciter fuisse consideratam.

Innocentius I. in Epistola ad Victricium Episcopum Rothomagensem *cap.* 6. postquam dixit, Clericum non esse ordinandum, qui secundam duxit uxorem, subjicit: » Ac ne ab ali-
» quibus existimetur, ante Baptismum si fortè quis accepit uxo-
» rem, & eâ de seculo recedente alteram duxerit, in Baptismo
» esse dimissum, satis errat à regula: quia in Baptismo pec-
» cata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus abo-
» letur.«

Hæc satis ostendunt, Innocentio visum fuisse, irregularitatem simpliciter ex plurali uxorum numero esse desumendam; atque ei sufficisse, ut quis revera habeatur Bigamus, si probetur, ductam ante Baptismum fuisse veram uxorem.

IX. Eandem sententiam amplexus est S. Augustinus libro *de Bono conjugali*, *cap.* 18. » Propterea Sacramentum nuptia-
» rum temporis nostri, sic ad unum maritum (ait) & unam
» uxorem redactum est, ut Dispensatorem Ecclesiæ non liceat
» ordinari nisi *unius uxoris virum.* Quod acutiùs intellexerunt,
» qui nec eum, qui Catechumenus, vel Paganus habuerit al-
» teram (i), ordinandum esse censuerunt.« Rationem addit: » *De Sacramento enim agitur, non de peccato*: *nam in Bap-*
» *tismo peccata omnia dimittuntur.* Sed qui dixit: si acceperis
» uxorem non peccâsti; & si nupserit, non peccavit, & quod
» vult faciat, non peccat, si nubat; satis declaravit, nuptias
» nullum esse peccatum: Propter Sacramenti sanctitatem sicuti
» fœmina etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post
» Baptismum inter Dei virgines consecrari; ità non absurdè vi-
» sum est, eum, qui excessit uxorum numerum singularem,
» non peccatum aliquod commisisse: sed *normam* quandam *Sa-*
» *cramenti* amisisse; non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordi-
» nationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam.«

X. Hîc videmus, Augustinum hanc irregularitatem non in aliquam incontinentiæ labem refudisse, sed in quendam Sacramenti defectum, eò quòd contrahens secundas nuptias *quandam Sacramenti normam amisisse* visus sit.

Quæ sit hæc *Sacramenti norma*, dein subjicit: » Ac per
» hoc sicut plures uxores antiquorum Patrum significaverunt fu-
» turas nostras ex omnibus gentibus Ecclesias *uni* viro subditas
» Christo, ita noster Antistes unius uxoris vir significabat ex
» omnibus gentibus *unitatem* uni viro subditam Christo: quæ
» tunc perficietur, cùm revelaverit occulta tenebrarum, & ma-
» nifestaverit cogitationes cordis, ut tunc laus sit unicuique à
» Deo. Nunc sunt manifestæ, sunt latentes dissensiones, etiam
» salva charitate inter eos, qui unum & in uno futuri sunt: quæ
» tunc utique nullæ erunt. Sicut ergo Sacramentum pluralium
» nuptiarum illius temporis significavit multitudinem futuram
» Deo subjectam in terrenis omnibus gentibus: sic Sacramentum
» nuptiarum singularum nostri temporis significat unitatem om-
» nium nostrum subjectam Deo futuram in una cœlesti civitate.«

XI. Mysticam hanc Augustini rationem non obscurè probavit S. Leo *Epist.* 1. *cap.* 3. *editionis Quenellianæ*; inter rationes præcepti Apostolici, de non ordinando Episcopo nisi fuerit *unius uxoris vir*, adducens hanc: quòd si in Sacerdotibus etiam in veteri Testamento figurabatur *Christi & Ecclesiæ* spirituale conjugium, illud vel magis servandum in novo.

XII. Cùm enim secundæ nuptiæ hanc perfectam unitatem Christi cum Ecclesia, tanquam unici cum unica immaculata sponsa, repræsentare nequeant; utpotè, non *unius* cum *unica* immaculata sponsa, videtur Sacramentum secundarum nuptiarum aliquem defectum pati, seu quandam *Sacramenti normam amisisse*; nimirum vim repræsentativam istius conjunctionis seu conjugii spiritualis Christi cum Ecclesia.

In hoc ergo defectu hanc irregularitatem positam esse credidit Augustinus; indecens existimans, ut is esset Sacramentorum dispensator, qui ipse in suscepto Sacramento defectum patiebatur.

XIII. Hæc irregularitatis fundamentalis ratio à tanto Doctore proposita, sensim ita invaluit, tantoque, præsertim in Ecclesia Latina, applausu recepta est, ut nequaquam dubitatum sit, quin hinc omnis Bigamiæ irregularitas esset desumenda; atque ratio illa moralis ab incontinentia ejusve suspicione, quasi ad hanc irregularitatem impertinens, neglecta quodammodo fuerit, nullaque tandem reputata vera & propriè dicta Bigamia, nisi quando verè defectus hic Sacramenti occurrit.

XIV. Hanc sententiam expressit Cœlestinus III. in *cap.* 5. *de Bigamis non ordinandis.* Consultus enim à Metensi Episcopo, an is, qui mulierem ab alio ductam, sed non cognitam ma-

(h) Qui viduam accepit, χήραν λαβών. *Hic Canon lege Mosayca fundatus videtur, quâ Sacerdotibus prohibetur, ne viduam, nec dimissam, nec profanam, nec mereticem ducant, sed puram virginem* Levit. cap. 12. v. 13. & 14.

(i) *Superiùs num. V. D. Van Espen observavit apud Græcos irregularem eum duntaxat habitum fuisse, qui post Baptismum duobus conjugiis implicatus fuit, nec conjugii ante Baptismum contracti rationem esse habendam*: *at* num IX. *in Ecclesia Latina ea distinctio admissa non erat tempore S. Augustini; nec deinces recepta videtur, ut claret ex Fagnano, quem Auctor noster inferiùs* num. XV. *citavit. Quapropter Latinis persuasum fuit eum esse bigamum, qui successivè primum & secundum inierit Matrimonium, quamvis ante Baptismum primas contraxerit nuptias.*

matrimonialiter sibi copulavit, valeat ad Sacerdotium promoveri? Ita respondit: »Quòd cùm duo sint in conjugio videli»cet consensus animorum, & commixtio corporum, quorum »alterum significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter »Deum & justam animam, ad quod pertinet illud quod dicit »Apostolus: *Qui adhæret Deo, unius spiritus est cum eo*: re»liquum verò designat conformitatem, quæ consistit in carne »inter Christum & Ecclesiam, ad quod pertinet illud quod »Joannes Evangelista testatur cap. 1. *Verbum caro factum est,* »*& habitavit in nobis*; profectò conjugium illud, quod non »est commixtione corporum consumatum, non pertinet ad il»lud conjugium designandum, quod inter Christum & Eccle»siam per Incarnationis mysterium est contractum, juxta quod »Paulus exponens illud quod dixerat Protoplastus Gen. cap. 2. »*Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: & propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxo»ri suæ; & erunt duo in carne una*: statim subjungit Ephes. »cap. 5. *hoc autem dico magnum Sacramentum in Christo & Ec»clesia.* Cùm ergo propter Sacramenti defectum inhibitum sit »ne Digamus, aut maritus viduæ præsumat ad Sacros Ordines »promoveri, quoniam nec illa est unica unici, nec iste unus »unius; profectò ubi deficit inter hujusmodi conjuges commix»tio corporum, non deest hujusmodi signaculum Sacramenti. »Unde is, qui mulierem ab alio viro ductam, sed minimè cog»nitam duxit uxorem, quia nec illa, nec ipse carnem suam di»visit in plures, propter hoc impediri non debet, quin possit »ad Sacerdotium promoveri.

XV. In hoc itaque hodie Canonistæ conveniunt, veram ac propriè dictam Bigamiam esse, cùm quis diversis temporibus successivè habuit & cognovit duas legitimas uxores, etiam priùs non corruptas, quamvis utramque vel alteram habuerit ante Baptismum; ita Fagnanus ad *Cap.* NUPER A NOBIS, ✠ *de Bigamis non ordinandis*, *num.* 3.

XVI. An extra hunc casum contrahatur verè ac propriè dicta Bigamia, inter Canonistas non convenit; eò quòd hoc solo casu verè ac propriè Sacramentum cum prædicto defectu contractum videatur, & sic contrahens *Bigamus*, id est, duarum uxorum vir propriè dici queat.

XVII. Quidquid sit, hoc constat, aliquos tanquam Bigamos repelli, & pro Bigamis reputari, qui tamen verè Bigami non sunt; sed duntaxat juris interpretatione pro talibus habentur; diciturque hæc Bigamia communiter *interpretativa*.

XVIII. Hujusmodi Bigami *interpretativi* omnium consensu reputantur Clerici, qui in Sacris Ordinibus constituti, more nuptiali secundas in contubernium sibi mulierculas adjunxerunt; cum quibus an dispensare posset, consulit Innocentium III. Episcopus Ratisbonensis, cui respondet Pontifex, articulum illum difficultate non carere, ac propositis in utramque partem argumentis, tandem resolvit: »Nos autem in hac »quæstione tibi respondemus, quòd cum hujuscemodi Clericis, »qui quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonia»liter conjunxerunt, tanquam cum Bigamis non liceat dispen»sari, licèt in veritate Bigami non existant, non propter Sacra»menti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere »subsecuto.« Responsum Pontificis habetur in *Cap.* 4. ✠ *de Bigamis non ordinandis*; ad cujus elucidationem meritò legitur integra Epistola quæ est 66. *lib.* 2. *editionis Baluzii*, ibi ipse casus, prout suprà est expressus, refertur; qui in ipsa Decretali est omissus: & pro Ratisbonensi legitur *Uratislaviensi.*

XIX. Similiter convenit inter omnes, Bigamiam *interpretativam* duntaxat incurri, si quis *invalidè* cum vidua contraxerit, juxta responsum ejusdem Pontificis in *Cap.* 6. ✠ *eod.* ubi decidit, quòd Subdiaconus, qui de facto duxit *viduam* in uxorem, »profecto Bigamus non existat; sed nec viduæ potest »in veritate dici maritus, cùm inter ipsum & illam non fuerit »vinculum maritale contractum: cum eo tamen (ait) contra »doctrinam Apostoli, tanquam cum marito viduæ dispensari »non licèt, non propter Sacramenti defectum, sed affectum in»tentionis cum opere subsecuto.«

Hæc ratio cùm etiam obtineat in nuptiis quibuscunque cum impedimento dirimente initis, decisio quoque eadem obtinere debet; unde & in is Bigamiam *interpretativam* intervenire communiter tradunt Canonistæ; & probat Fagnanus loco citato, *num.* 43.

XX. Similis Bigamia contrahitur, si quis contrahat & consummet matrimonium cum *unica*, sed priùs ab alio licèt extra matrimonium cognita, *Can.* 2. *Dist.* 33. At monet Vir eruditus Janus a Costa Antecessor Aurelianensis in Summario ad titulum *de Bigamis*: »Quòd, quamvis meretricem quis duxerit, »ex novo jure definire possimus, maritum contrahere irregula»ritatem.«

XXI. Illud à Canonistis controvertitur, num contrahens validè matrimonium cum vidua, censendus sit verus Bigamus, an verò duntaxat *interpretativus*; eò quòd revera non videatur plurium uxorum maritus, neque in plures carnem divisisse; nihilominus verum esse Bigamum, post alios citatos pluribus probat Fagnanus loco allegato, *num.* 12. & sequentibus.

Sed an *verus*, an *interpretativus* Bigamus sit dicendus, parum videtur referre: cùm satis constet, illum qui matrimonium contraxit cum vidua, hodie æquè quoad omnes juris effectus haberi pro Bigamo, ac illum, qui successivè duas habuit uxores.

XXII. Olim Bigami etiam *veri*, tantùm à Sacris Ordinibus exclusi videntur; eo quòd Apostolus non nisi de Episcopis (sub quibus & Presbyteri comprehenduntur) & Diaconis loqueretur.

Et quidem in *Canon. III.* Concilii Toletani I. relato apud Gratianum *Dist.* 34. *Can.* 18. legitur: »Lector si *viduam* al»terius uxorem acceperit, in lectoratu permaneat, aut si for»tè necessitas fuerit, Subdiaconus fiat, nihil autem suprà. Si»militer & si Bigamus fuerit.“ Tunc enim temporis Subdiaconatus necdum inter Ordines Sacros numerabatur, uti *part.* 5. *tit.* 1. *cap.* 3. notatum est.

XXIII. Concilium Lugdunense sub Gregorio X. edidit decretum relatum *in Cap. Unico, de Bigamis, in VI.* quo declarat, »Bigamos omni privilegio clericali esse nudatos, & coercitioni »fori secularis addictos: consuetudine contraria non obstante.“ Additque: »Ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre »tonsuram vel habitum clericalem.“

XXIV. Dicit autem Concilium: *Altercationis antiquæ dubium præsentis declarationis oraculo decidentes.*

Notat verò Glossographus altercationem Doctorum fuisse super *Canone* QUISQUIS, *Dist.* 48. ubi ex Epistola Siricii Papæ refertur: »Quisquis Clericus, aut viduam, aut certè secun»dam uxorem duxerit, omni ecclesiasticæ dignitatis privilegio »mox *nudetur*, Laica sibi tantum communione concessa. Et »per illud *nudetur* videbatur non esse privatus, sed privandus: »præsens ergo constitutio declarat hoc.“ Ita ille.

Quia ergo Canon *Quisquis*, loquitur tàm de eo, qui viduam, quàm qui binas successivè uxores duxit, etiam Constitutio pro illius declaratione edita de utrisque intelligi debet; & ita hodie obtinet. Tam enim maritus viduæ quàm duarum successivè uxorum omni privilegio clericali censetur nudatus.

Neque hodierna disciplina Bigamum, etiam ob contractum matrimonium cum vidua, ad ullum Ordinem vel Minorem ejusve functiones, ullumve Beneficium ecclesiasticum admittit; imò nec ad ulla quantumvis infima Ecclesiæ ministeria eos admittendos sat insinuat Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 17. *de Reformat.* Permittens enim, quòd si ministeriis quatuor Ordinum Minorum exercendis Clerici cælibes præstò non erunt, suffici possint etiam conjugati vitæ probatæ, addit hanc cautionem, *dummodo* NON BIGAMI; quo ostendit, etiam nec ad horum Ordinum exercitia Bigamos esse admittendos: quemadmodum & Synodi Belgicæ, tametsi conjugatos in Custodes Ecclesiarum Parochialium admittant, Bigamos tamen excludunt; uti suprà *parte* 1. *tit.* 4. *cap.* 2. notatum est.

XXV. Imò non tantùm juxta modernam disciplinam Bigami ab Ordinibus excluduntur, sed & »Ordinatores eorum po»testate, & officio ordinandi; & ordinati si ad sacros Ordines »fuerint promoti, eis ideò sunt privandi, quia in Bigamis con»tra Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad Sacros Or»dines promoveri, vel in eis, si promoti fuerint, remanere.“ Ita respondit Pontifex in *Cap.* 2. ✠ *de Bigamis non ordinandis.*

Hinc habemus, Bigamum non tantùm ab Ordinibus suscipiendis repelli; sed etiam prohiberi in susceptis ministrare.

XXVI. Ulteriùs uno consensu hinc concludunt Canonistæ Episcopum non posse dispensare cum Bigamo, nequidem ut in Ordine Sacro jam suscepto ministret; quod & in Bigamia *interpretativa* (ut si Subdiaconus nulliter contrahat Matrimonium cum vidua) obtinere deciditur in *Cap. finali*, ✠ *eod.*

XXVII. Quin communis est Canonistarum opinio, quam sequitur, & pluribus astruere conatur Fagnanus ad *Cap.* SUPER EO ✠ *de Bigamis non ordinandis*, Episcopum cum Bigamo nequidem ad minores Ordines, aut simplicia Beneficia dispensare posse; atque ita declarâsse Sixtum V. refert ibid. *num.* 46. idque præcipuè eo fundamento, quòd Episcopis contra Apostolum dispensare non liceat.

XXVIII. Verùm idem Apostolus etiam prohibet *criminosos* in Episcopos, & Diaconos assumi, & tamen Episcopis licet cum criminosis dispensare, quemadmodum expressè respondit Innocentius III. in *Cap.* 6. ✠ *de Bigamis non ordinandis*, circa Sacerdotem in fornicationem prolapsum; ideoque pari, & fortiori ratione, videtur Episcopis concedenda dispensandi facultas cum Bigamo; quia minus inordinatum apparet, Bigamum, qui contrahendo secundas nuptias non peccavit, quàm prolapsum in fornicationem ad Ordines promoveri.

XXIX. Huic argumento cum Glossa respondet Fagnanus loco citato *num.* 9. & 10. „Criminosus post peractam pœnitentiam »restitutus videtur in pristinum statutum, & incipit esse quod »non fuit, cap. *Ferrum*, cap. *Penderet*, & cap. *Domino Sanc»to*, 50. *dist.* & ideò cùm talibus dispensatur. Sed Bigamus non »prohibetur promoveri propter crimen, sed propter Sacramen»ti defectum, ut in Cap. DEBITUM, *infra eod.* Cap. ACUTIUS.

26. *dist.* quia carnem suam divisit in plures ab unitate recedendo, & hoc Sacramentum ampliùs restitui non potest per aliquam satisfactionem, cùm non sit crimen; & ita aliud consideravit Apostolus cùm dixit, *non Bigamum*; & aliud consideravit dum dixit, *non criminosum.*"

* Verùm num hæc ratio sat fundata sit, si verus sensus Apostoli attendatur, non sine fundamento ambigitur.

Uti enim probatùm est, Apostolus, dum dixit: *Episcopus eligatur unius uxoris vir*, intendit, ut omnis vel levis incontinentiæ suspicio ab eo, qui ordinandus esset in Episcopum, abesset.

Quis verè dubitet, hanc incontinentiæ suspicionem, majorem esse in eo, qui publicè in crimen carnis est prolapsus, quàm qui duas successivè uxores duxit: atque facilius suspicionem incotinentiæ purgandam in simili Bigamo, quàm in hujusmodi prolapso.

Hinc admodum verisimile est, pristinos Patres, præsertim Græcos, potiùs dispensaturos fuisse cum Bigamo, quàm cum simili criminoso, sive in crimen carnis prolapso. Interim illud indubitatum, mentem, Ecclesiæ esse, ut Ordinandus ab omni incontinentiæ suspicione sit liber.

An antiqui Patres cum Bigamis similitudinariis dispensaverint, priùs examinandum est, quàm definiendum. Bigamia similitudinaria, de qua in textu, nomen suum mutavit à similitudine quadam intercedente inter matrimonium carnale, & matrimonium spirituale, quod per solemnis voti professionem contrahi dicitur inter virginem voventem se Christo, & ipsum Christum; atque ita attentans matrimonium carnale cum simili virginitatis voto obstrictâ, videtur matrimonium attentare cum ea, quæ spiritualiter Christo nupserat: & si ipsi Monachi vel Presbyteri voto solemni obstricti cum virgine matrimonium carnale attentarent, iterare nuptias quodammodo viderentur; ideoque quàdam similitudine deductâ à carnali matrimonio, Bigami *similitudinarii* dicti fuêre.

Hanc Bigamiam similitudinariam Canonistæ desumpsisse videntur ex *Can.* 24. *caus.* 27. *quæst.* 1. ubi refertur Canon XVIII. Synodi Ancyranæ ex versione Isidori, diciturque, "quotquot virginitatem pollicitam prævaricatæ sunt, professione contemptâ, inter Bigamos, id est, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt."

Unde & notat Glossa, quòd repellantur ab Ordine, sicut Bigami.

Verùm meritò dubitari potest, utrùm Patres Synodi Ancyranæ hoc Canone intenderint, voventes, & suum votum violantes quasi Bigamos, ad effectum irregularitatis haberi.

XXX. Si enim Canonis verba juxta temporis illius disciplinam expendantur, verisimilius apparebit similes voventes ad classes Bigamorum rejici, in ordine ad pœnitentiam subeundam per Canones veris Bigamis, sive nuptias iterantibus injunctam; quod & apertè indicat versio Græcorum hujus Canonis (cui congruit versi Gentiani Herveti) quæ habet: "*Quicumque virginitatem profitentes professionem suam irritam reddunt; ii Bigamorum difinitionem impleant.*" Quibus verbis non aliud significari videtur, quàm quod similes votifragi teneantur definitionem, sive tempus pœnitentiæ difinitum, & Bigamis præfixum adimplere.

Hinc Theodorus Balsamon in Commentario Canonum hujus Synodi, ita hunc Canonem interpretatur: "Eos, qui suam Deo professionem, votumque de virginitate servanda irritum reddunt, Patres Bigamorum definitioni, hoc est, pœnæ subjiciunt."

In eundem sensum hunc Canonem commentatus est Zonaras; additque: "Definitionis enim nomine Canonem, & Constitutionem intelligit, ut quæcunque nimirum de Bigamis constituta, ac decreta sunt, ab iis quoque serventur, ac non nisi lapso demum anno admittantur."

Hæc igitur similitudinaria Bigamia, potiùs ex interpretatione Canonistarum, quàm ex genuino Canonis sensu originem suam habere videtur, utpote qui ad sui temporis disciplinam respicientes, solam irregularitatem, non autem pœnitentiam Bigamis inflictam noverant, ac proinde reputabant votifragos, dum ad classem Bigamorum rejectos videbant, non in ordine ad pœnitentiam, sed in ordine ad contrahendam irregularitatem Bigamorum, Bigamis comparari.

XXXI. Unde, & non mirum apud veteres, nullam hujus Bigamiæ similitudinariæ mentionem fieri. Monet Fagnanus ad *cap.* NUPER ✠ *de Bigamis*, nec hodie inter Doctores convenire, num hîc dici queat *Bigamia*; atque nonnullos credere hujusmodi votifragos nuptias contrahentes esse quidem irregulares: non ex ulla specie Bigamiæ, sed propter præsumptionem incontinentiæ, & ad majorem Sacri Ordinis reverentiam: alios verò affirmare, tales nulla ratione esse irregulares, sed solùm suspensos tanquam notoriè criminosos; ac tandem concludit, sibi videri hanc quæstionem ferè esse inutilem; cùm parum intersit, an ministrare, aut promoveri non possint tanquam similitudinarii Bigami, an verò ut irregulares & suspensi; quandoquidem etiam inter omnes conveniant, Episcopum super hujusmodi Bigamia dispensare.

CAPUT III.

De Irregularitate ex defectu Natalium.

1 *Hæc irregularitas multis seculis incognita.*
2 *Tempore Gratiani nondum nota fuisse videtur.*
3 *Non ubique eodem tempore excepta.*
4 *Innocentius originem retulit ad seculum XI.*
5 *Circa seculum XI. plures Canones, & statuta edita ad excluclusionem illegitimorum.*
6 *Ob Clerici incontinentiam his Canonibus opus fuit, & quare.*
7 *Jure Decretalium stabilita irregularitas.*
8 *Primùm actum fuit de excludendis filiis Presbyterorum.*
9 *Tandem generaliter irregularitas extensa ad omnes illegitimos.*
10 *Hæc irregularitas etiam hodie excludit à Minoribus Ordinibus, & Beneficiis simplicibus.*
11 *Prima inductæ irregularitatis ratio petita ex dignitate Sacerdotum.*
12 *Secunda ratio ad reprimendam quorundam incontinentiam.*
13 *Tertia ob periculum incontinentiæ in filiis, & successionis hæreditariæ.*
14 *Irregularitas hæc tollitur per dispensationem; & qualiter Episcopus dispenset.*
15 *In quibus solus Pontifex cum illegitimis dispenset.*
16 *Non omnis species illegitimitatis est æquè turpis, & pro obtinenda dispensatione species exprimenda.*
17 *Dispensatus ad obtinendum Beneficium, unicum tantùm potest obtinere.*
18 *Qui semel obtinuit dispensationem, debet hujus in secunda facere mentionem.*
19 *Dispensatio restringenda; nec comprehendit nisi expressa.*
20 *Specialiter inordinatum est, ut Filius illegitimus habeat Beneficium in Ecclesia, in qua Pater habuit.*
21 *Decretum Concilii Tridentini circa eundem Articulum.*
22 *Synodus Trid. excludit filium etiam à simplici Beneficio, quod Pater habuit.*
23 *Etiamsi persona media fuerit inter patrem, & filium.*
24 *Non potest quocunque modo filius illegitimus ministrare in Ecclesia, in qua Pater unquam Beneficium habuit.*
25 *Nec ad hoc dispensatio quantumvis generaliter concepta se extendit.*
26 *Dispensatio contra hoc decretum haud facilè annuenda.*
27 *Modus tollendi hanc irregularitatem est Religiosa Professio.*
28 *Ratio cur tollatur hoc modo irregularitas.*
29 *Illegitimi in Religione Professi non egent dispensatione pro Sacris Ordinibus; secus si tantùm sint Novitii.*
30 *Illegitimus per religiosam professionem non fit capax Prælaturæ.*
31 *Solus Pontifex hîc dispensat, & quis sit stylus Pœnitentiariæ.*
32 *Per subsequens matrimonium tollitur defectus natalium.*
33 *Fallit, si inter parentes tempore conceptionis fuerit impedimentum dirimens.*

I. IN pristinis Conciliorum Canonibus, aut Pontificum decretis non legitur illegitimos ab Ordinibus, aut Ecclesiasticis functionibus seu ministeriis ob solum defectum natalium fuisse exclusos; modo cæteræ dotes in Sacerdote requisitæ non deessent. Nec enim parentum vitia, aut merita, sed propria merita, aut demerita in assumendis ad Ecclesiæ munia attendenda esse credebant; quemadmodum multis veterum Patrum testimoniis astruit Gratianus *Dist.* 56. ubi postquam Canoni primo præmiserat hoc quasi summarium: *Presbyterorum etiam filii ad sacra officia non sunt admittendi*, immediatè post recitatum hunc Canonem Concilii Claromontani sub Urbano II. *Presbyterorum filios à sacris Altaris ministeriis removemus*, subjungit: "Sed hoc intelligendum est de illis, qui paternæ *incontinentiæ imitatores* fuerint. Verùm si morum honestas eos commendabiles fecerit, exemplis, & auctoritatibus non solùm Sacerdotes, sed summi Sacerdotes fieri possunt."

II. Videtur ergo Gratianus supponere, quòd filii illegitimi à sacris Altaris ministeriis non essent excludendi, si Paternæ incontinentiæ imitatores non fuerint: & consequenter, quòd solus *natalium defectus* neminem sacris Altaris ministeriis excluderet, aut irregularem faceret.

III. Quidquid sit de mente Gratiani & disciplina eo tempore vigente, hoc sat constat, quòd irregularitatem ex solo defectu natalium Ecclesia *dudum* ignoraverit, uti rectè etiam notavit Christianus Lupus *tomo* 3. *Schol. pag.* 79. "Etenim, ait, inter Nicephori Confessoris Canones habemus & hunc." *Qui ex concubina, scorto Digamis aut Trigamis nati sunt, si virtutibus præditi appareant, & sint Sacerdotio digni, ordinentur.* Extant

Canones tomo 9. Bibliothecæ sanctæ.

Quando hæc irregularitas primùm inducta sit, haud constat; videtur non ubique eodem tempore, sed in aliis Ecclesiis citiùs, in aliis seriùs introducta, & recepta.

IV. Innocentius III. primos hujus irregularitatis auctores videtur supposuisse Urbanum II. & Synodum Pictaviensem: Andreæ enim Londensi Episcopo ac Danorum Metropolitæ, & suo per Septentrionem Legato, interroganti: » Si Presbyterorum filii sint indifferenter ad sacros Ordines promoven» di, « respondit: » De Presbyterorum filiis, tam ex Decre» to Urbani II., quàm ex Concilio colligitur Pictaviensi, quòd » ad sacros non sunt Ordines promovendi, nisi aut in Cœno» biis, aut in canonica regulari religione fuerint conversati. « *Lib.* 4. *epist.* 118.

Tam Canon Urbani II. (relatus à Gratiano *Dist.* 57. *Can.* 1.) quàm Canon Concilii Pictaviensis (relatus in *cap.* 3. ✠ *de Filiis Presbyterorum*) editi sunt circa finem seculi XI. atque ita ad illud tempus hujus irregularitatis initia retulisse videtur Innocentius III.

V. Hoc equidem non ambiguum est imprimis circa hæc tempora plures Canones, nec non plurimarum Ecclesiarum statuta ad exclusionem illegitimorum edicta esse. » Eo namque » tempore, (ait Christianus Lupus *pag.* 79.) Duces & Co» mites suos passim ex ancillis bastardos violenter intrudebant » in Sacras dignitates, atque ita servili simul & adulterino san» guine fœdabant Ecclesias. Adversum illos solemni juramen» to se adstrinxerunt plura Capitula de nullis deinceps in suum » Collegium admittendis *Bastardis*, nullisque servis, nisi ex » Ecclesiæ suæ familia legitimè natis. «

VI. Adhæc constat eo tempore vitio incontinentiæ supra modum Clerum fuisse infectum, ac præsertim Anglicanum, uti patet ex Epist. 99. & 102. Paschalis II. sub idem tempus scriptis, ut & notat Vir Eruditus Franciscus Florens in commentario ad *Cap.* 6. *de jure Patronatus*, unà observans plerasque Decretales, quæ tùm sub titulo de *Clericis conjungatis*, tum sub titulo *de filiis Presbyterorum*, extant, pertinere ad Angliam: » Ex quibus colligimus (ait) quamvis sæpiùs in Anglia » Conciliis, & Apostolicis Constitutionibus prohibita fuerint » matrimonia, vel potiùs contubernia eorum, qui in Sacris » erant constituti, prævalente tamen corruptelâ, non obtem» peratum. «

Hi verò nefandi, ac impudici Sacerdotes, omnibus artibus filios suos in Ecclesias, quasi jure hæreditario intrudebant; fiebatque tandem ipsum Dei Sanctuarium quasi hereditarium.

VII. Si quis attenderit varia Ecclesiarum statuta, quæ ad exclusionem illegitimorum seculo XII. & sub initium seculi XIII. condita sunt; nec non dubia occasione hujus irregularitatis Pontificibus proposita, atque ipsorum Pontificum super illis responsa, ac signanter Innocentii III. *in Cap.* 5. *de Electione*, in tertia Collectione apud Antonium Augustinum, facilè videbit, quòd non videatur hæc irregularitas firmiter & generaliter stabilita ante ultimam Decretalium Collectionem factam, & evulgatam auctoritate Gregorii IX. quæ pro Jure communi ecclesiastico uno consensu recepta fuit.

In hac Collectione *Titulus* 17. *libri* ita inscribitur: *De Filiis Presbyterorum Ordinandis vel non*: At in prima Decretalium apud Antonium Augustinum, additur; *Nec in paternis Ecclesiis tolerandis*. In quodam manuscripto legitur, uti notatur in margine Corporis Canonici editionis Antuerpiensis apud Meursium, *De Filiis Presbyterorum & aliis illegitime natis Ordinandis vel non.*

VIII. Quidquid sit hac tituli varia inscriptione, hoc satis constat, primum ac præcipuè in Conciliis actum fuisse de excludendis filiis Presbyterorum; ideoque mirum non est, si horum tituli inscriptio præcipuè meminerit. Adhæc expeditum est, maximè curæ fuisse, ne filii Presbyterorum simul cum parentibus in eadem Ecclesia tolerarentur, ad quod ipsa tituli inscriptio in antiqua Decretalium collectione rexpexit.

IX. Denique ex Decretis, & responsis Pontificum; nec non Canonibus Conciliorum in Decretales Gregorii IX. relatis, patescit, non solùm filios Presbyterorum & spurios, sed quoscunque illegitimos tandem irregulares fuisse declaratos. » Ut fi» lii Presbyterorum & *cæteri ex fornicatione* nati, ad Sacros » Ordines non promoveantur, « ait *Cap.* 1. ✠ *de Filiis Presbyterorum ordinandis vel non.*

En in *Cap. fin.* ✠ *eod.* Archiepiscopo Turonensi scribit Gregorius IX. » Nimis in tua Provincia Ecclesiæ deformatur ho» nestas, ex eo quòd filii Sacerdotum & *alii non legitimè nati* » ad Dignitates & Personatus, & alia Beneficia curam anima» rum habentia sine dispensatione Sedis Apostolicæ promo» ventur. «

Imò etsi procreati essent ex legitimo matrimonio, sed tempore illo quo conjuges se mutuo consensu voto solemni castitatis obstrinxerant, irregulares censentur. *Can.* 14. ✠ *eod.*

X. Nec tantùm ad sacros Ordines, & majora Beneficia; sed & ad primam Tonsuram, Minores Ordines, & simplicia quæcunque Beneficia, hæc irregularitas paulatim extensa est: uti expressè habetur in *Cap.* 2. *de Filiis Presbyter. in* VI.

XI. Triplex hujus inductæ irregularitatis causa communiter à Canonistis post Glosam in *Cap. fin. de Filiis Presbyt. in* VI. asignari solet. Prima petitur ex Sacri Ordinis prerogativa seu dignitate; quam etiam tangit S. Thom. in IV. *Sentent. Dist.* 25. *art.* 11. *quæst.* 3. » Ordinati (ait) in quadam digni» tate præ aliis constituuntur..... Et quia obscuratur hominibus » claritas ex vitiosa origine, ideò etiam *illegitimo* thoro nati à » susceptione Ordinum repelluntur. «

XII. Secundam rationem jam pridem expressit in sua doctissima præfactione S. Ivo Cornotensis, dicens: » Quidam Romani » Pontifices decreverunt, ne *filii Presbyterorum* assumerentur ad » Presbyteratum, non quòd personarum acceptio apud Deum ali» cujus sit momenti: vel natura, quæ omnium par est genitrix, ab » aliquo possit reprehendi, vel filius pro iniquitate patris condem» nari..... Sed ad reprimendam quorundam Presbyterorum incon» tinentiam, vel tutiùs muniendam aliorum continentiam. «

XIII. Tertia ratio petitur ex incontinentia, quæ in filio timetur juxta illud vulgare: *Sæpe solet similis filius esse patri.* Qua ratione utitur Sixtus V. in Constitutione contra illegitimos edita (de qua infra) §. 1. in verbis: *Illegitimè genitos, qui ut plurimùm parentum vitia & incontinentiam imitari solent*, &c.

Unde in formula dispensationis super hac irregularitate, juxta stylum Curiæ Romanæ inseritur hæc clausula: *Si ipsi paternæ incontinentiæ imitator non sit, sed bonæ conversationis & vitæ.*

Addi meritò posset periculum successionis quasi hereditariæ in ministeria ecclesiastica; quam ad excludendos filios Presbiterorum ab omni ecclesiastico ministerio non parùm consideratam fuisse; imò & primam huic irregularitati originem dedisse, sat verisimile est.

XIV. Irregularitas hæc tolli potest, primò per dispensationem. Unde S. Thomas verbis suprà allegatis hanc exceptionem immediatè subjicit: *Nisi cum eis dispensetur; & tantò est difficilior dispensatio, quantò origo est turpior.*

Juxta hodiernam disciplinam quoad minores Ordines, ac simplicia Beneficia Episcopus dispensare potest, *cap.* 1. *de Filiis Presbyt. in VI.* ubi dicitur: » Is, qui defectum patitur na» talium, ex *dispensatione Episcopi* licitè potest, (si & aliud » canonicum non obsistat) ad Ordines promoveri Minores, & » obtinere Beneficium cui animarum cura non imminet, dum» modo sit tale, super quo per ipsum Episcopum valeat dis» pensari. «

Per finalem clausulam intendit excipere Beneficia, quibus non imminet quidem cura animarum; sed tamen aliunde excepta sunt; ut sunt *personatus*, aliaque Beneficia *Majora*, tametsi curam Animarum propriè dictam annexam non habeant; ad quæ Episcopi dispensatio se non extendit, *Cap. fin.* ✠ *de Filiis Presbyt.*

Imò teste Rebuffo in Praxi Benef. *part.* 1. *tit. de Dispensatione super defectu natalium*, *num.* 12. » servat stylus Cu» riæ Romanæ, ut Episcopus nullo modo in Præbendis Eccle» siæ Cathedralis dispenset cum illegitimo, propter honorem & » præeminentiam illius Ecclesiæ. «

XV. Itaque quoad sacros Ordines, & majora Beneficia, nec non curam animarum habentia solus Pontifex hodie dispensat, *Cap. fin.* ✠ *de Filiis Presbyt.* & *Cap.* 1. *eodem, in VI.* Ubi verbis mox citatis subjicitur: » Ad Ordines quoque *majores* vel » Beneficia *curam animarum* habentia, super quibus *nequit* » *Episcopus* dispensare, sine dispensatione Sedis Apostolicæ pro» moveri non potest. « In margine autem notatur: » In aliquot » antiquis Codicibus ita: *Vel Beneficia super quibus nequit*; » absque illis verbis: *Curam animarum habentia.* « Quæ lectio verior apparet; cùm multa sint Beneficia, quæ curam animarum annexam non habent, super quibus Episcopus dispensare nequit, & consequenter in illis Pontificis dispensatio requiritur.

XVI. Suprà ex sancto Thoma intelleximus, dispensatione quidem hanc irrigularitatem tolli, addita hac cautione: *Et tantò est difficilior dispensatio, quantò origo est turpior* Puta si adulterini fuerint, vel ex stupro, incestu, aut sacrilego actu nati, difficilior erit dispensatio, quàm si ex simplici fornicatione.

Idipsum expressit non obscurè Innocentius III. in *cap.* 10. ✠ *de Renuntiatione*, ubi adducto loco Scripturæ Exodi cap. 20. *Ego sum Deus Zelotes vindicans peccata Patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem, in his qui oderunt me:* » id est (ait) qui contra me paternum odium imitantur. « Subjicit dein hanc conclusionem cum subjecta moderatione: » Un» de patet, quòd illis, qui paterna vitia non sequuntur, pro» priæ possunt in talibus suffragari virtutes, illo descriptionis ad» hibito moderamine, ut inter *Nothos & Manzeres*, *Naturales* » *& Spurios* distinguatur. «

Unde de Stylo Curiæ » qualitates spurietatis veniunt in dispen-

» pensatione exprimendæ, alioqui legitimatio vel dispensatio » nulla est, « ait Rebuffus loco citato *num.* 61.

XVII. Adhæc, quia hæc dispensatio tanquam à jure exorbitans restringenda est, uti loquitur Pontifex *in Cap.* 1. *de Filiis Presbyt. in* VI. infertur ibidem, quòd » ille, cum quo per » Sedem Apostolicam dispensatur, ut non obstante natalium de» fectu valeat ad Beneficium, etiamsi curam animarum habeat, » promoveri, nequeat prætextu hujusmodi dispensationis, nisi » *unicum* Beneficium obtinere. «

XVIII. Rursus in *Cap.* 2. *eod. in* VI. ex eodem fundamento declaratur, quòd si cum aliquo à Sede Apostolica fuerit dispensatum, ut non obstante hac irregularitate possit ad omnes Ordines promoveri, & Beneficium etiam cum cura animarum obtinere; si postmodum obtineat aliam dispensationem, ut *duo* vel *plura* Beneficia similem curam habentia possit recipere, & ea simul retinere, nisi rursus hic defectus fuerit expressus, & super eo dispensatum, hæc secunda dispensatio nulla est, & nullius momenti, vel ut per subreptionem obtenta; » cùm non » sit verisimile Sedem Apostolicam cum illo prædictum patiente » defectum voluisse, si hoc fuisset expressum, eidem in *plura*» *litate* Beneficiorum hujusmodi dispensare. «

XIX. Ex eodem principio rectè infert Rebuffus loco suprà allegato *num.* 47. » quòd si Papa simpliciter dispenset, ut Or» dines sumere possit, intelligatur de Minoribus, non de Ma» joribus. «

Ulteriùs *num.* 48. quòd » dispensatus ad Ordines etiam Sa» cros, non censeatur dispensatus, ut Beneficium habeat. Dis» pensatus illegitimus simpliciter, ut possit habere Beneficium, » non poterit habere Curatum (ait Rebuffus ibidem *num.* 51.) » quia major idoneitas in illis requiritur: ideò oportet expri» mere in dispensatione & Præbendas, & Canonicatus in Ec» clesia Cathedrali. «

Insuper » est exprimendum, quòd etiam Dignitates habere » possit, aliàs dispensatio non extenditur ad eas: imò etiamsi » expressum fuerit, quòd Dignitates obtinere possit, adhuc » non poterit obtinere Dignitates Curatas: ideò hoc quoque ex» primendum erit in dispensatione. « Rebuffus ibidem, *num.* 52.

XX. Si Beneficium sit situm in eadem Ecclesia, in qua Pater ministrat, vel ministravit, id necessariò exprimendum: eò quòd difficiliùs dispensetur, ut illegitimus Beneficium habeat in eadem Ecclesia, in qua Pater ministrat, vel aliquando ministravit. Quare & id ob specialem inordinationem in variis Canonibus, & Pontificum decretis vetitum fuit. In *Cap.* 15. ⁂ *eod. de Filiis Presbyt.* scribit cuidam Innocentius III. » Filiis Cano» nicorum Præbendas in eisdem Ecclesiis conferri non sinatis, » quarum sunt Canonici Patres eorum. « Rationem notandam subjicit: » cùm indecorum sit, ut in Altaris officio illegitimus » filius impudico Patri ministret, in quo Unigenitus Dei Filius » æterno Patri pro salute humani generis *victimatur.*

Et ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. refertur in *Cap.* 16. ⁂ *eod.* » Ad abolendam pessimam (quæ in pluribus » inolevit Ecclesiis) corruptelam, firmiter inhibemus, ne Ca» nonicorum filii, maximè spurii, Canonici fiant in Secularibus » Ecclesiis, in quibus instituti sunt Patres eorum.

XXI. Plura sunt in hanc rem Pontificum & Conciliorum decreta, quæ innovans & in aliquibus amplians Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 15. *de Reformat.* edicit: » Ut paternæ incon» tinentiæ memoria locis Deo consecratis, quos maximè puritas, » sanctitasque decet, longissimè arceatur; non liceat filiis Cle» ricorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ec» clesiis, ubi eorum Patres Beneficium aliquod ecclesiasticum » habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile Benefi» cium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministra» re, nec pensiones super fructibus Beneficiorum, quæ paren» tes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere. «

XXII. Hoc decretum non tantùm filios illegitimos Presbyterorum, sed generaliter Clericorum excludit à Beneficiis quibuscumque, etiam *simplicibus*, quæ patres eorum habuerunt; quod & ante editum hoc decretum edixerat Clemens VII. in Constitutione quæ incipit: *Ad Canonum Conditorem*, 30. *in Bull. Rom.*

XXIII. Adhæc, sat manifestum est, vi hujus decreti, Filium illegitimum non posse admitti ad Beneficium in Ecclesia, in qua pater habuit aliquod quodcunque, tametsi etiam *media persona* intercesserit, id est, post Patrem tertius aliquis illud Beneficium possederit; & ita declarâsse Sacram Congregationem Concilii Interpretem testatur Fagnanus ad *Can.* AD EXTIRPANDAS *De Filiis Presbyt. num.* 11. idque expressè decreverat Clemens VII. in citata Constitutione cum derogatione Decretalis Alexandri III. *in Cap.* 7. ⁂ *eod.* ubi filium illegitimum ad Beneficium Patris admittebat, modo Patri defuncto *media interces*serit persona*, cui illud Beneficium fuisset collatum.

XXIV. Quin ex decreto Concilii Tridentini non potest filius illegitimus quodcunque Beneficium, etiam dissimile, obtinere in Ecclesia, in qua pater non tantùm de præsenti habet, sed vel unquam habuit qualecunque Beneficium: quin nec Vicariam aut aliquod officium etiam manuale obtinere; eò quòd vetet non solum, ne filius ullum quodcunque etiam dissimile Beneficium obtinere queat; sed addit: *Nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare.*

XXV. Itaque illegitimus, quantumvis *generaliter* ad quæcunque Beneficia etiam Curata, & majora dispensatus, nullum equidem Beneficium, quod pater quocunque modo possidet, imo nec aliud, licèt dissimile, & simplex in eadem Ecclesia habere vi istius dispensationis potest; sed specialis hîc dispensatio exigitur.

XXVI. Dispensationem, ut filius illegitimus, & pater in eadem Ecclesia simul Beneficia possideant, non esse annuendam, sat insinuat Synodus, dum verbis ante citatis subjicit; » Quòd si in præsenti pater, & filius in eadem Ecclesia Benefi» cia obtinere reperiantur, *cogatur* filius suum Beneficium re» signare, aut cum alio permutare extra Ecclesiam intra trium » mensium spatium; aliàs ipso jure eo privatus existat, super » iis quæcunque dispensatio subreptitia censeatur.

XXVII. Alium modum purgandi, seu tollendi hunc defectum natalium, saltem quoad Ordines recipiendos, expressit jam pridem Canon Synodi Pictaviensis relatus in *cap.* 1. ⁂ *de Filiis Presbyt.* qui postquam declaravit, filios Presbyterorum, cæterosque ex fornicatione natos ad Sacros Ordines non promovendos, subnectit hanc exceptionem: *Nisi aut Monachi fiant, aut in Congregatione canonica regulariter viventes*; vel ut alia lectio habet, *vivant.*

Eandem exceptionem fecit in suo decreto Urbanus II. relato apud Gratianum *Dist.* 56. *Can.* 1. illiusque meminit S. Ivo in præfatione ad suum Decretum; rationem illius indicans, verbis suprà relatis hæc subjiciens: » Sed quia ex iis quasdam per» sonas, non tantùm religiosas, sed etiam Ecclesiæ Dei neces» sarias esse cognoverunt, decretum suum temperaverunt: & » ita genitos, quorum conversatio in Monasteriis, vel religiosis » Ecclesiis probata fuerit, non solùm ad Presbyteratum, sed » etiam ad summum Sacerdotium promoveri permiserunt.

XXVIII. Ratio ergo hujus exceptionis ex mente Ivonis erat, quòd suspicio incontinentiæ ex paterna incontinentia profluens, per professionem, & conversationem religiosam ablata videatur.

Adhæc, quia professio religiosa reddit professum incapacem Beneficii secularis, periculum non erat, ne per admissionem filiorum illegitimorum Beneficia fierent hæreditataria; quod præcipuè huic irregularitati inducendæ occasionem dedit.

XXIX. Quidquid sit, certum est juxta modernam disciplinam, per professionem religiosam tolli hanc irregularitatem, saltem quoad Sacros Ordines; neque illegitimos sic professos indigere ulla dispensatione, ut possint Sacros Ordines, etiam Presbyteratum suscipere; non tamen sufficere Novitatum, sed requiri emissam professionem; eò quòd hæc tantùm constituat *Regularem* sive *Religiosum*, ut notat Fagnanus ad *Cap.* Ut FILII, ⁂ *de Filiis Presbyt. num.* 13.

XXX. Tametsi ipsa Religiosa professio illegitimos reddat capaces ad suscipiendos sacros Ordines, nequaquam tamen ipsam tollit irregularitatem, quasi ipsum Professum totaliter & per omnia legitimaret; sed tantùm effectum ipsius irregularitatis quoad exclusionem à Sacris Ordinibus suspendit, manente alio irregularitatis effectu in suo vigore, in quantum ipsos Professos adhuc excludit à Prælaturis, ut dicitur in citato Canone Synodi Pictaviensis relato in *cap.* 1. ⁂ *eodem* in verbis: *Prælationes verò nullatenus habeant.*

Ex quo eliciunt Canonistæ, professionem non habilitare illegitimum ad Prælationes obtinendas: idque indistinctè sive in eisdem, sive in aliis Monasteriis, sive in Ecclesia seculari sive regulari, uti post alios notat Fagnanus loco citato, *num.* 19.

XXXI. Monet quoque ibidem Fagnanus *num.* 22. quòd cum illegitimis Regularibus ad Prælaturas & Dignitates solus Papa dispenset: » & ita sacra Pœnitentiaria (ait) dispensat in utro» que foro cum Regulari ad quascunque Dignitates & officia suæ » Religionis, quamvis consueverunt apponere clausulam, *non* » *tamen ad Generalatum.* «

XXXII. Efficacissimus tandem modus purgandi defectum natalium est subsequens parentum matrimonium. De quo in *Cap.* TANTA ⁂ *Qui Filii sint legitimi*, ubi Exoniensi Episcopo rescribit Alexander III. » Tanta est vis matrimonii, ut qui » antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi ha» beantur. «

Neque refert, an medium matrimonium intercesserit; hoc est, si parens post susceptum filium illegitimum inierit matrimonium cum tertia, qua mortua demum contrahit cum illa, è qua suscepit filium illegitimum, hic filius legitimus efficitur: & quidem ita legitimatur, ut ab initio nativitatis legitimus fuisse fingatur, sive juris fictione habeatur, uti uno consensu tradunt Canonistæ.

Per hanc legitimationem ipse natalium defectus quasi in radice tollitur, ideo legitimatus pro legitimè nato reputatur ob subsecutum matrimonium; habeturque capax non tantùm ad Ordines, & Beneficia minora, sed etiam ad majora & Prælaturas.

XXXIII. Non tamen hæc legitimatio procedit quoad natos ex adulterio, aut incestu; & generaliter quoad natos ex parentibus, inter quos tempore copulæ erat impedimentum dirimens; uti communiter docent Canonistæ moti verbis citati Capituli *Tanta*: » Si autem vir vivente uxore suâ aliam cognoverit, & » ex ea prolem susceperit, licèt post mortem uxoris eandem » duxerit, nihilominus spurius erit filius. «

CAPUT IV.

De Irregularitate ex defectu lenitatis.

1 *Ecclesia vult suos Ministros à sanguinis effusione esse alienos, & quare.*
2 *Olim Episcopi pro damnatis ad mortem intercedebant, & ad quid ea intercessio tenderet.*
3 *Mansuetudinem Sacerdotibus convenire etiam Gentiles viderunt.*
4 *Judicium sanguinis exercere indignum est Sacerdotibus.*
5 *Variis Canonibus vetitum Clericis sententiam sanguinis proferre, aut ad eam concurrere.*
6 *Neque id possunt ut Delegati Principis.*
7 *Clerici Officium, cui judicium sanguinis annexum est, habere non possunt.*
8 *An Prælati jurisdictionem temporalem habentes possint per suos Officiarios judicium sanguinis exercere.*
9 *An Episcopus Clericum degradatum tradens Brachio seculari efficiatur irregularis.*
10 *Olim* efficaciter *intercedere debebat, ne morte afficeretur; & quomodo hæc efficacia intelligeretur.*
11 *Quid hodie obtineat.*
12 *Vetitum Clericis adesse, ubi vindicta sanguinis exercetur.*
13 *Clericus, si præsens aliquo modo in sanguinis judicium influat, irregularis efficitur.*
14 *An Notarii, Graphiarii & similes in causa sanguinis sint irregulares.*
15 *Quid de Advocatis & Assessoribus.*
16 *An testes fiant irregulares.*
17 *Quomodo indirectè & remotè ad judicium sanguinis concurrentes non fiant irregulares.*
18 *An accusantes de crimine capitali fiant irregulares, si mors sequatur.*
19 *Quæ requirantur, ut Clericus hic evadat irregularitatem; & an semper necessaria aliqua protestatio.*
20 *An exterior protestatio semper sufficiat.*
* *In Galliis & Belgio inutilis est illa protestatio.*
21 *Hodie protestatio Episcopi est tantùm cæremonialis.*
22 *Qua ratione prosequens injuriam propriam in causa criminali evadat irregularitatem.*
23 *An accusans evadat irregularitatem, si prosequatur injuriam alteri illatam.*
24 *Etiam Laici hanc irregularitatem incurrunt.*
25 *Irregularitas non incurritur, nisi mors, aut mutilatio re ipsa secuta sit.*
26 *Testes à judice compulsi hodie in Gallia irregulares non fiunt.*
27 *Neque etiam Graphiarii.*
28 *Super hac irregularitate solus Pontifex dispensat; & quæ dispensationis formula.*

I. SEmper Ecclesia suis ministris commendavit animi mansuetudinem ad exemplum Christi, qui hanc præ cæteris, ut à se discerent, Discipulis proposuit, dicens Matt. cap. 11. *Discite à me, quia* MITIS *sum & humilis corde*; Unde inter qualitates, quas in Episcopis, & Diaconis requirit Apostolus hæc una est, *Non percussorem.*

Cùm autem mansuetudini specialiter ac directè contrarietur sanguinis humani effusio; ideo ab hac Sacerdotes omninò alienos esse desideravit Ecclesia, imitans in hoc Magistrum suum Christum, qui passim in Scripturis » non vult mortem » peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat.“

II. Hinc olim Episcopi unicè soliciti erant, ut quos ob sua scelera reos mortis scirent, à morte vindicarent; eosque per pœnitentiæ labores ad Christum reducerent, vitamque non tantùm temporalem, sed & æternam procurarent, quod evincunt crebræ illæ Episcoporum apud seculi Judices pro reis intercessiones; de quibus variis locis agit S. Augustinus, ac signanter *Epistola* 153. ad Macedonium; ibidem unà ostendens, Ecclesiam non quærere impunitatem criminis, sed correctionem criminosi, » desiderans hanc vitam temporalem, non » ut temporaliter vivat, sed ut spiritualiter per pœnitentiam » resurgat. Morum porrò corrigendorum, ait, nullus alius, » quàm in hac vita locus est: Nam post hanc vitam quisque id » habebit, quod in hac conquisierit. Ideo compellimur humani » generis charitate intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant » per supplicium, ut, ea finita, non possint finire supplicium.“

III. Quin & ipsi Gentiles subinde viderunt, quàm hæc mansuetudo Sacerdotibus conveniret, quæ eos non ad occidendum peccatores, sed ad convertendum incitaret.

Suetonius refert, Titum Imperatorem acceptâsse summum Sacerdotium, ut hoc pacto *nullius morti* subscribere cogeretur, fideliter illum hoc propositum servâsse, & malle se mori professum fuisse, quàm ab eo recedere. » Pontificatum ma» ximum ideò se professus accipere, ut *puras* servaret manus, » præstitit fidem: nec auctor post hæc cujusquam necis, nec » conscius, quamvis interdum ulciscendi causa non deesset: » sed periturum se potiùs, quàm perditurum adjudicans.“

IV. Itaque judicium sanguinis exercere sententiamque mortis in aliquem proferre, indignum Sacerdotio judicavit Ecclesia: » Quomodo enim Ecclesia judicare debet fundendum san» guinem alienum, quæ à primo ortu sua jussa est fundere » sanguinem proprium? « ait Ivo Carnotensis *Epist.* 246.

V. In Concilio Toletano VI. *Can. XXXI.* legitur: » Sæ» pè Principes contra quoslibet majestatis obnoxios Sacerdoti» bus negotia sua committunt. Quia verò à Christo ad minis» terium salutis electi sunt, ibi consentiant Regibus fieri judi» ces, ubi jurejurando supplicii indulgentia promittitur, non » ubi discriminis sententia præparatur. Si quis ergo Sacerdotum » contra hoc commune consultum discussor in alienis pericu» lis extiterit, reus effusi Sanguinis apud Christum, & apud » Ecclesiam, perdat proprium gradum. « Apud Gratianum *caus.* 23. *quæst.* 8. *Can.* 29. & deinde ex Concilio Tolet. XI. refertur Canone sequenti: » His, à quibus Do» mini Sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis agita» re non licet. Et ideò magnopere talibus excessibus prohiben» dum est: ne indiscretæ præsumptionis motibus agitati, aut » quod morte plectendum est, sententia propria judicare præ» sumant, aut truncationes quibuslibet personis inferant per se, » aut inferendas præcipiant. Quod si quisquam immemor horum » præceptorum, aut in Ecclesiæ suæ familiis, aut in quibusli» bet personis tale aliquid fecerit, concessi ordinis honore pri» vetur, & loco, & sub perpetuo quoque damnationis tenea» tur ergastulo religatus. Cui tamen communio ex hac vita » exeunti non est neganda, propter Domini misericordiam, » qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur, & » vivat. «

Hujus Canonis meminit Alexander III. in *Cap.* 5. ✠ *Ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant*, scribens Archiepiscopo Cantuariensi. » Clericis in sacris Ordinibus cons» titutis, ex Concilio Toletano judicium sanguinis agitare non » licet. Unde prohibemus, ne aut per se truncationes membro» rum faciant, aut judicent inferendas. Quod si quis tale quid » fecerit, honore privetur & loco.“

Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *Cap.* 9. ✠ *eod.* ait: » Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet aut pro» ferat; sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerce» tur intersit.“

Hinc primò statue, quòd Clericis vetitum sit, judices esse in causa sanguinis, aut sanguinis vindictam exercere, quodque ex eo judicio irregulares fiant.

VI. Neque ab irregularitate exemptus erit, si judicium hujusmodi exercuerit in qualitate Delegati Principis, uti colligitur ex *Cap.* 4. ✠ *de Raptoribus*; ubi Archiepiscopo Panormitano respondit Alexander III. quòd si Rex Siciliæ quosdam Saracenos malefactores ipsi aliisque Episcopis puniendos commiserit, » possit eos pecuniaria pœna mulctare & etiam » flagellis afficere, ea, ait, moderatione adhibitâ quòd flagel» la in *vindictam* sanguinis transire minimè videantur. Si verò » ita gravis fuerit excessus, quòd mortem vel detruncationem » membrorum debeant sustinere, vindictam reserves Regiæ po» testati.“

VII. Quopropter in citato *Cap.* 5. vetatur » sub intermi» natione anathematis, ne quis Sacerdos habeat officium Vice» comitis, aut Præpositi secularis.“

Synodus Oxoniensis anno 1222. *Can. VII.* renovans decretum Concilii Lateranensis addit: » Clerici Beneficiati, aut in » Sacris Ordinibus constituti non sint Seneschali, aut Ballivi ta» lium administrationum, nec jurisdictiones exerceant seculares, » præsertim illas, quibus *judicium sanguinis* est annexum.“

Ex quo non obscurum est, hujusmodi officia præcipuè Clericis vetita fuisse ob *judicium sanguinis* annexum.

VIII. Hinc aliquando dubitatum fuit, num Episcopi & Abbates, quibus fas non est, ne quidem ut delegatis aut Commissariis Principis judicium sanguinis exercere, quin nec administrationes, aut officia, quibus tale judicium annexum est, habere, aut exercere posunt; si tamen ipsi jurisdictionem temporalem habeant, possint suis Ballivis causas criminales committere. Dubium tandem resolvit Bonifacius VIII. in *Cap. fin. Ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant, in VI.* » Epis» copus seu quicunque alius Prælatus, vel Clericus, jurisdic» tionem obtinens temporalem; si homicidio, aut alio maleficio » ab aliquibus in jurisdictione sua commisso, Ballivo suo, aut

» alii

» alii cuicunque injungat, ùt super hoc veritatem inquirens, » justitiæ debitum exequatur, *irregularis* censeri non debet » quamvis ille Ballivus vel alius contra malefactores ad pœnam » sanguinis processerit justitia mediante. « Rationem subdit: » Nam licèt Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas » tamen (cùm jurisdictionem obtinent temporalem) debent, » & possunt, metu irregularitatis cessante aliis delegare."

Hodiè Episcopi aliique Prælati non solent aliquam in particulari causam suis Ballivis, aut Officiariis delegare, sed simpliciter constituunt Ballivos, eosque perpetuos, qui jure sui officii jurisdictionem præsertim criminalem, sine ulla ipsius constituentis interventione, exercent: unde hîc minor est metus incurrendæ irregularitatis.

IX. Major difficultas apparet, quando Episcopus Clericum degradatum tradit Curiæ seu Brachio seculari, quem scit sic traditum morte afficiendum. Videtur enim Episcopus hoc in casu propinquiùs ac magis directè in sanguinis effusionem influere, & ad sanguinis judicium concurrere.

Innocentius III. in *Cap.* 7. ✠ *de V. S.* scribens Episcopo Parisiensi resolvit, Clericum convictum de crimine falsi per Episcopum posse Curiæ seculari tradi puniendum, addita hac cautione: » Pro quo tamen debet Ecclesia *efficaciter* intercedere, » ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur. «

X. Hæc intercessio *efficax* nequaquam erit, nisi reipsa sic degradatus Clericus, & curiæ seculari traditus, mortis periculum evadat.

Sed quia frequenter similis intercessio, eam efficaciam non habet, similis traditio ab Episcopo facienda difficultate carere non videbatur; unde & ipse Innocentius fatetur, quòd ejus prædecessores super hoc consulti non idem omnes senserint: *Cum quidam antecessorum nostrorum super hoc consulti diversa responderint.*

Sanè jam pridem Episcopi ipsos criminosos quadam christiana violentia è manibus judicum & executorum rapiebant, ut eis vitam corporalem, & pœnitendi tempus procurarent; nec unquam eos, qui ad Ecclesiam confugerent, aut ejus auctoritati suberant, laicæ potestati tradebant, nisi facta cautione, quòd eos mortis supplicio non afficerent.

Quare & ipse Innocentius in citata Decretali, post relata verba, subjungit: » Pro illo *falsario* scelerato, quem ad man» datum nostrum capi fecisti, hoc tibi duximus consulendum, ut » in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam ipsum in» cludas. «

XI. Hodiè Episcopi Clericos degradatos pro enormi crimine tradunt Curiæ seculari, tametsi mortis sententiam in eos esse prolatam, & mox à facta degradatione eos morte plectendos certò sciant; idque citra metum irregularitatis, modò exteriùs *intercedant*, quamvis noverint, intercessionem planè inefficacem futuram; idque auctoritate Decretalis Bonifacii VIII. in *Cap.* 2. *de Homicidio*, *in* VI. (de qua infrà) receptum videtur.

XII. Concilium Lateranense non tantùm declarat vetitum esse Clerico, sententiam sanguinis proferre, dictare aut sanguinis vindictam exercere, sed insuper ubi exerceatur, interesse.

Verùm, ut notant post Glosam Canonistæ, si Clericus in loco, ubi vindicta sanguinis exercetur, tanquam merus spectator ex curiositate forsan intersit, nullatenus ad vindictam sanguinis concurrens, propterea irregularis non efficitur. Verba Glossæ sunt: » Sed si *interest* tantùm, nunquid propter hoc effici» tur irregularis, ut propter hoc deponatur? Non videtur quòd » debeat deponi; sed alias debet puniri, quia interfuit contra » præceptum. «

Hæc opinio communi hodie disciplinæ consona est. Meliores enim, magisque regulares Clerici existimant quidem, si non omninò illicitum, saltem minùs statui suo esse conveniens, hujusmodi spectaculis interesse; at interessentes sola hac præsentia fieri irregulares nemo credit.

XIII. At si interessendo Clericus in ipsam sanguinis vindictam sive sententiam aliquo modo influat, aut ad eam concurrat, facile hinc irregularitatem contrahet; atque ità respondet Innocentius III. Episcopum Albiganensem irregularitatem incurrisse, quia in judicio sanginis non tantùm præsentiam corporalem, sed & auctoritatem præstiterat. *Cap.* 10. ✠ *de Excessibus Prælat.*

Idcircò moderna praxis habet, ut si in Parlamentis Regiis causa criminalis agitetur, ipsi Consiliarii Ecclesiastici se subtrahant; ne forsan sua præsentia in ipsam sanguinis sententiam influere videantur.

XIV. Ulteriùs Concilium Lateranense addit: » Nec quis» quam Clericus litteras scribat aut dictet pro vindicta sanguinis » destinandas. Unde in Curiis Principuum hæc solicitudo non » Clericis, sed Laicis committatur.

Ex his verbis Concilii concludunt Canonistæ, Notarios, Graphiarios, actuarios, aliosque similes in causa sanguinis fieri irregulares; eò quod ad ipsam sanguinis sententiam ejusve executionem concurrant.

XV. Advocatos quoque & Assessores in causa sanguinis, si contra reum postulent, vel consulant, simili ratione incurrere irregularitatem communi calculo docent; atque jam pridem declaravit Concilium Londinense, celebratum à Cardinale Otho-Bono Sedis Apostolicæ Legato anno 1268. *Can. VI.* declaratque officium *Advocationis* aut *Assessoris* in causa sanguinis exercentes, ipso facto ab officio suspensos aliisque pœnis castigandos.

XVI. Porrò quia testes ad condemnationem criminosi proximè videntur concurrere, in causa criminali contra reum testimonium ferre citra irregularitatis periculum non posse expeditum est; imo plures credunt, Clericum non evadere irregularitatem si testimonium tulerit in causa *directè* tendente ad mortem sive membrorum mutilationem, tametsi illud non dixerit nisi reluctans, & a Judice compulsus; præceptum enim judicis, & metus etiam cadens in constantem virum, sunt actus (inquiunt) accidentales & extrinseci, qui non considerantur, sed ipse concursus tantùm, qui hic directè & per se tendit ad deformationem.

* Verùm plures, notanter ex Pragmaticis, ac inter alios Du-Casse in sua Praxi Jurisdictionali *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 5. testes deponentes in causa sanguinis non fieri irregulares sustinet; creditque id non tantùm procedere ex particulari consuetudine regni Galliæ; sed nec de jure hanc testium irregularitatem fundatam.

Ulteriùs ibidem asserit ex recepta regni Galliæ consuetudine observari, Clericos posse compelli, etiam coram Judice Laico testimonium ferre in causa sanguinis; quantumvis fateatur id contrarium variis Canonibus apud Gratianum relatis, quos non observari in regno Galliæ asserit: additque in eodem regno neminem reputari pro proximè influente in mortem reorum, nisi Judicem, partemque criminalem, sive officiarium publicum criminaliter agentem, & executorem sententiæ criminalis.

Conformiter ad hanc regni Galliæ praxim, asserit *tom.* 2. *cap.* 8. §. 3. Officialem posse expedire Monitoriales, quibus cogantur testes, etiam deponere in causa criminali; neque officialem effici irregularem, licèt ex depositione testium mors sequatur.

Praxi regni Galliæ, saltem quoad testes, ut nimirùm Ecclesiastici teneantur, etiam in causa sanguinis coram Judice Laico testimonium perhibere, citra metum incurrendæ irregularitatis, praxim Belgicam, ac notanter in comitatu Flandriæ, conformem esse (k), pluribus probatur in Arresto LXIX. inter Arresta collecta per Dominum Laury.

Et sanè quia hæc, aliæque plures irregularitates jure duntaxat positivo, aut interdum etiam consuetudine sensim sunt inductæ, nihil obstat, quin & contraria consuetudine possint abrogari vel restringi; notanter dum nimia irregularitatis extensio justitiæ complemento, & publicæ tranquillitati conservandæ obstaculum esset, prout in hac specie irregularitatis facilè contingeret, si ob periculum irregularitatis Clerici testes esse non possent.

XVII. Qui nimis irregularitatem extendunt, docent cum Gallis, quòd si non directe in causa sanguinis testatus sit Clericus, sed tantùm remotè, exinde per occasionem ad sententiam sanguinis deventum sit, aut aliqua criminis indicia, sed remota, & non indirectè ad accusationem tendentia dederit, non propterea censebitur irregularis: tametsi ex illis indiciis crimen detectum fuerit, & sententia sanguinis secuta; quemadmodum in simili casu resolvitur in *Cap.* Tua nos §. ad ultimum, ✠ *de Homicidio.*

Eodem fundamento respondit Innocentius III. cuidam Episcopo, quòd contra quosdam laicos contumaciter recusantes solvere decimas, implorare possit Regium potestatem, » tametsi » ad solutionem ipsarum vix absque sanguinis effusione valeant » coarctari. Quia (inquit) si te hujusmodi querimoniam simplici» ter deponente, Rex in eosdem rebelles traditam sibi exercuerit » potestatem, eorum erit duritiæ, aut malitiæ imputandum. « *Cap.* 1. ✠ *de Homicidio.*

Similiter qui hortatur & monet Magistratus, ut in malefactores pro officii sui debito invigilent, atque pro merito in illos advertant, non propterea irregularis fit, licèt occasione istius exhortationis, seu monitionis aliqui essent morte affecti, alias non afficiendi, quia hic concursus nimium remotus est, quam ut ratione illius auctor in mortem hanc concurrere censeretur.

XVIII. Major sanè difficultas est, si quis aliquem coram Magistratu de gravi injuria, & delicto accusset, atque reparatio-

(k) *Contraria tamen est praxis Hispania, uti probat Antonius Gomez* lib. 3. variar. Resolution. cap. 12. num. 19. » *Repellitur* (ait) *Clericus, Religiosus, vel Monachus propter* » *periculum irregularitatis, quod posset incurrere, argumento* » *text.* in cap. sententiam sanguinis, ✠ ne Clerici vel Monachi, » *cum similibus..... in Civili verò causa bene potest esse cum li*» *centia sui Abbatis vel Superioris.*"

tionem injuriæ postulet, hacque occassione accusatus morte afficiatur; cum propinquiùs multò, quàm in priore casu ad hanc sanguinis sententiam concurrat, ipsumque judicem excitet & promoveat.

De hoc casu agit Pontifex in *cap.* 2. *de Homicidio, in VI.* dicens: » Prælatis vel Clericis quibuscunque, qui de Laicis suis » malefactoribus querelam penes secularem judicem deponentes, » petunt emendam sibi fieri & provideri, ne contra eos talia » de cætero præsumantur, protestando expressè quòd ad vindic- » tam, seu pœnam sanguinis non intendunt, imputari non debet: » quamvis aliàs in tali casu de jure debeat pœna sanguinis irroga- » ri, si judex mortem illis inferat justitia exigente. «

Rationem subjicit: » Alioquin si Prælati, aut Clerici prop- » ter metum hujusmodi (quia judex ad pœnam sanguinis posset » procedere de suis malefactoribus) taliter conqueri non aude- » rent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ip- » sorum bona liberè deprædandi. «

XIX. Ut ergo decisio hujus Decretalis obtineat, atque Clericus, qui hujusmodi querimoniam deposuit, irregularitatem evadat, requiritur.

Primò, ut ipse Clericus accusans *protestetur expressè, quod ad vindictam seu pœnam sanguinis non intendat.*

Credunt communiter Canonistæ, hoc in casu pro evitanda irregularitate adeò esse necessariam hanc expressam protestationem, ut licèt re vera accussans habeat animum planè alienum, & aversum à morte, aut mutilatione accusati, equidem irregularis etiam coram Deo constituatur, si hanc protestationem omiserit, quemadmodum notat Covarruvias ad Clementinam *Si furiosus, part.* 2. §. 5. *num.* 2.

Sed quid si omnes circumstantiæ clament, accusationem unicè ad reparationem damni illati à Clerico institui, an ipsa protestatio necessaria dicetur? Non apparet. Ad quid enim ipsa protestatio; nisi ut Clericus ostendat, se à sanguinis effusione & vindicta alienum? quod dum ipsæ circumstantiæ patenter ostendunt, protestatio superflua videtur.

Neque enim fas est credere, Pontificem, aut Ecclesiam hanc exteriorem & verbalem protestationem proposuisse, tanquam formulam quandam, qua posita abstergeretur irregularitas; & qua omissa incurreretur irregularitas; uti nonnullis persuasum fuit.

XX. Ulterius iidem illi concluserunt, mediante exteriore illa verbali protestatione, Clericum evadere irregularitatem, tametsi animum habeat protestationi contrarium.

Verum quidem est, Clericum exteriùs ita protestantem, in foro exteriori non posse pro irregulari haberi ob animum protestationi contrarium; eò quòd de occultis & in solo animo latentibus Ecclesia non judicet: dubitari tamen non posse videtur, quin Pontifex sinceram protestationem, non autem aliquam duntaxat fucatam verborum formulam requisierit.

Quare non malè notavit Cardinalis Hostiensis *in Summa, ad tit. de Homicidio*, §. 5. » Quòd si intentio nostra erat, ut » ad mortem damnaretur, irregulares essemus, quibuscumque » verbis fuerit intentio velata: licèt per Ecclesiam non prohi- » beamur, nisi constet per confessionem vel probationem, vel » quia nihil volebamus, sed apertè hoc dicebamus.“

* Rectè monet Du-Casse Archidiaconus, & Officialis Condonensis in sua Praxi Jurisdictionali, *tom.* 1. *cap.* 3. *num.* 5. protestationem illam in Regno Galliæ esse inutilem, eò quòd ad solos Officiarios publicos pertineat agere ad vindictam publicam, seu sanguinis: privati verò tantùm possint agere civiliter, ad suum interesse, quæ ratio etiam obtinet in Belgio, aliisque passim Provinciis.

Scitur enim, quod non tantùm in Gallia, sed passim ubique receptum sit, solum Officiarium publicum posse *criminaliter* ad vindictam publicam agere; privatos verò duntaxat pro suo privato interesse.

Unde videtur, quòd dici queat hanc protestationem hodie & in Belgio inutilem reputandam, præsertim cùm certum sit, eam protestationis formulam, de qua suprà, posterioribus seculis inductam fuisse, unà cum pluribus aliis, quæ Theologi Scholastici, necnon Canonistæ Decretalibus scrupulosiùs inhærentes in hac materia irregularitatem contra veterem Patrum disciplinam induxerunt.

XXI. Interim ex ea plurium opinione, quòd hæc protestatio, etiam ut mera formula exteriùs probata, sufficiat, ut evitetur hoc in casu irregularitas, tandem & hoc invaluit, intercessionem Episcopi pro Clerico degradato & curiæ seculari tradendo sufficere, etiamsi sciatur, eam omni effectu frustrandam, ipsumque degradatum certò morte afficiendum.

Equidem cùm hæc irregularitas ex jure positivo humano dependeat, potuit Ecclesia irregularitatem tollere, tametsi ea protestatio, aut intercessio, quæ ex mente primitùs instituentium debuit esse sincera, & efficax, tandem desierit in quandam externam duntaxat *formulam*; quam equidem retineri desiderat, ut pristinæ disciplinæ, & spiritus hujus irregularitatis memoria saltem maneat, & Ecclesiæ Ministris refricetur.

XXII. & XXIII. Notant ulteriùs Canonistæ, quòd hæc protestatio non eximat Clericum accusantem ab irregularitate ad mentem Decretalis Bonifacii VIII. ubi ipse reum accusavit pro furto vel injuria non sibi, sed alteri illata: quasi constitutio prædicti *Cap.* 2. tunc locum habeat, cùm accusatio proponitur pro injuria ipsi accusanti illata, aut saltem suis & propinquis; ita Felinus ad *Cap.* POSTULASTI ✠ *de Homicidio*; quem refert & sequitur Covarruvias loco citato; addens tamen hanc opinionem ità posse intelligi, quòd » nihilominus Clericus protes- » tatione facta possit absque metu irregularitatis delictum aliquod » præcogitatum, & denique tractatum in grave Reipublicæ dis- » pendium, aut proximi damnum, cautè deferre, ac denun- » tiare in medelam potiùs, quàm ad punitionem.“

XXIV. Nec tantùm Clericos hæc irregularitas spectat, sed etiam Laicos; eatenus saltem quòd si in causa sanguinis sententiam tulerint, aut ad eam concurrerint eo modo quo nunc expositum fuit, fiant irregulares ad Ordines, quin & Tonsuram Clericalem suscipiendam citra dispensationem.

XXV. Hoc tamen notandum, neque Clericos, neque Laicos irregularitatem incurrere ob concurrentiam in causa sanguinis, nisi re ipsa sententia sanguinis executioni mandata fuerit, id est, mors, aut mutilatio ipsius criminosi fuerit secuta: neque refert, quo eventu, aut etiam fraude vel maleficio executio sententiæ fuerit impedita; uti ex dictis capite primo facilè potest intelligi.

XXVI. Ulteriùs quia hæc irregularitas à jure positivo humano dependet, quid mirum si non ubique eodem cum rigore observetur. Et quidem testes à judice compulsi ferre testimonium in causa criminali, non censentur irregulares secundùm Jurisprudentiam Gallicanam, moresque & usum hujus Regni Gallicani: quia causa proxima mortis reorum non habentur, sed remota duntaxat, ait R. P. Natalis Alexander in Theologia dogmatica & morali, tractatu de Sacramento Ordinis *cap.* 4. *art.* 9. *n.* 1. additque: » Idem esto de Notariis judicium; sed aliarum Ecclesiarum disciplinæ ac moribus (ait) Gallicani mores non præjudicant.“

XXVII. Refert quoque Julianus Brodeau in notis ad Loventium *litt. B. n.* 1. judicatum in Senatu Regio *consultis clasibus* anno 1623. Scribam seu Graphiarium criminalem, qui per plures annos signaverat, & pronuntiaverat plurimas sententias sanguinis; earumque executioni interfuerat, non incurrisse irregularitatem; ac potuisse sine ulla dispensatione Beneficium ecclesiasticum obtinere. Rationem subdit Brodæus: » Graphiarius non fundit sanguinem, neque effussionis causa est; » nihil confert de suo; non est nisi simplex judicis minister.“

XXVIII. Solus Pontifex in hac irregularitate dispensat; uti notat Pyrrus Corradus *in Praxi dispensationum*, *lib.* 5. *cap.* 2. ubi & formulam dispensationis refert, in qua nihil speciale occurrit; sed committitur simplicitèr Ordinario, ut cum Oratore dispenset, si preces veritate niti compererit, » & dummo- » do Orator reperiatur idoneus, vitæque ac morum probitas » aliaque merita sibi suffragentur, nec aliud obstet canonicum » impedimentum; & quò de cætero à similibus abstineat. «

CAPUT V.

De irregularitate ex defectu corporis.

1 *Hæc irregularitas nota in veteri Testamento.*
2 *Lex vetus quoad hunc articulum abolita.*
3 *Primis Ecclesiæ seculis ignota.*
4 *Patres Ordinandis Sacerdotibus parùm attendebant vitium corporis.*
5 *Etiam seculo IV. irregularitas ex solo vitio corporis non desumpta.*
6 *Pontificum decreta, quæ soli corporis defectui irregularitatem adscribere videntur.*
7 *Aliquando dubitatum, an macula in oculo non causaret irregularitatem.*
8 *Non videntur Pontifices soli defectui corporis adscribere irregularitatem.*
9 *Patiens defectum corporis potest in Altari ministrare, si scandalum non timeatur.*
10 *Defectuosus ad functiones Altaris admittitur, si sine irreverentia possit.*
11 *In scandalum, & irreverentiam hæc irregularitas refunditur; præcipuè jure Decretalium.*
12 *Quis defectus superveniens impediat executionem Ordinum.*
13 *Quis defectus inducat irregularitatem, Episcopi est judicare.*
14 *Auctoritas Episcopalis in hoc puncto fundatur in antiquo Canone.*
15 *Quæ hîc ab Episcopo attendenda.*
16 *Eminentia in doctrina, & moribus aliquando supplere potest.*
17 *Rescriptum de dispensatione super hoc defectu semper ad Epis-*

Episcopum dirigitur à Curia Romana.

18 *Tantùm per seipsum de defectu judicare potest Episcopus.*

* *Potest illud judicium peragere independenter à rescripto Curiæ Romanæ.*

19 *Specialis clausula in dispensatione super defectu oculi* Canonis

I. HÆc irregularitas notissima fuit in veteri testamento, eò quòd Levitici *cap.* 21. v. 18. & 19. dictum esset à Domino ad Moysen: „Loquere ad Aaron: Homo de semine „tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo „suo, nec accedet ad ministerium ejus: si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si „manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si „jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus.“

II. Verùm hæc, aliaque plura populo Judaico præscripta, unà cum veteri lege desierunt; atque in Sacerdotibus novæ legis, non tam corporis, quàm mentis & animæ vitia expendenda lex nova præscripsit, voluitque Christus non ex una Tribu, sed ex omni Gente optimos quosque eligi in Sacerdotes; uti jàm pridem rectè notavit Auctor Constitutionum, vulgò *Apostolicarum*, *lib.* 6. *cap.* 3. „Pro una Tribu Sacerdotali (ait) jussit ex „unaquaque Gente optimos quosque ad Sacerdotium eligere, neque *corporum* vitia contemplari, sed religionem, & „vitam.“

III. Narrat Sozomenus *lib.* 6. *cap. hist.* 30. de quodam sancto Anachoreta Ammonio, quòd cùm capiendus esset, ut Episcopus ordinaretur, nec rogando persuadere potuisset iis, qui ad ipsum capiendum venerant, ut abirent, abscissa sibi *auricula*, „Abite, inquit, posthac enim, ne quidem si vellem, „Sacerdotalis lex me ordinari sinit. *Integri* corporis Sacerdotem „constitui oportet.“

Post hæc subjicit Sozomenus: „Illi digressi, postquam, intellexerunt, Judæis quidem hæc observanda esse; Ecclesiam „verò de corpore non curare, dummodò Sacerdos integer „sit moribus, denuò redierunt, eum comprehensuri; tum ille juravit, se linguam quoque sibi præcissurum, si vim facere tentâssent.“

Eandem historiam narrat Palladius in historia Lausiaca *cap.* 12. additque, „fuisse Episcopum, qui viris illis dixerat, Ecclesiam lege veteri in hoc puncto non esse subjectam; seque „paratum ordinare virum bonæ vitæ etiam naso amputato. Hæc „(lex inquiebat) in usu sit apud Judæos; mihi autem si vel „truncatis naribus adduxeritis, qui sit bonis moribus, ego eum „ordinabo.“

IV. Et si consulamus antiquos Canones, facilè videbitur, Patribus persuasum fuisse, parum de corporis defectibus curandum in electione Sacerdotum, ubi de eorum bonis moribus ac necesariis qualitatibus ad Sacerdotii functiones ritè obeundas constat.

Canon LXXVI. vulgò *Apostolorum*, ait: „Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblæsus, Episcopatu autem dignus „sit, fiat Non enim corporis damnum eum polluit, sed animæ „inquinatio.“ Et rursus *Canon. LXXVII.* „Qui autem est surdus & cæcus, ne sit Episcopus; non ut poliutus, sed ne Ecclesiastica impediantur.“

Hinc manifestum est juxta, disciplinam his Canonibus expressam, defectum corporis non ponere impedimentum Ordinis, etiam Episcopatûs, sive irregularitatem; nisi talis sit defectus, qui defectuosum incapacem reddit functionibus Ordini annexis obeundis: quod & Balsamon & Zonaras in Commentaris ad hos Canones observàrunt; unà notantes differentiam inter veterem, & novam legem, quòd „illa exigeret consecratos ipsarum ministros, *integros* esse *corpore*, notamque nullam habentes; ac nemo parte corporis aliqua deformatus, aut mutilatus admitteretur ad Sacerdotium. Sed etiam post Sacerdotium, si cui Sacerdotum membri vel particulæ cujuspiam „mutilatio contigerit, Sacerdotio mulctabatur. At iis, qui consecrandi sunt apud nos (ait Zonaras) mutilatio corporis impedimento non annumeratur. Animam nempe requiritur habere puram, sine vitio & sorde.“ Vel ut loquitur Balsamon: „Animam puram & integram volunt omnes habere, non „autem corpus.“

V. Innocentius I. ad Felicem Nucerianum scribens ait: „Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad „Clerum Canones non admittunt. Cui verò casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non spontè percussit, hos Canones præcipiunt, & „Clericos fieri, & si in Clero fuerint reperti, non abjici. In „illis enim voluntas est judicata, quæ sibi ausa fuit ferrum in„jicere; in istis verò casus veniam meruit.“

Patet Innocentium seculo IV. irregularitatem non desumpsisse ex mero & simplici corporis defectu, sed ex ausu temerario, quo sibi ferrum inferre, & seipsum mutilare ausus fuit.

Itaque nec Ecclesia Latina eo tempore defectum corporis pro irregularitate habebat.

Verùm nonnulla posteriora Decreta defectuosos corpore irregularibus annumerâsse videntur.

VI. Apud Gratianum *Dist.* 55. *Can.* 3. refertur ex Concilio Romano sub Hilario Papa seculo V. „Pœnitentes, vel insecii litterarum, aut aliqua membrorum damna perpessi ad Sacros Ordines aspirare non audeant. Quisquis autem talium „Consecrator extiterit, factum suum ipse dissolvet.“

Et *Canone XIII.* ibidem refertur ex Epistola Gelasii I. „Illi, cui erutus est oculus, non possunt secundum Canones Sacerdotii jura concedi. Neque enim aliquid ei prodest, quòd „oculum invitus amisit, cùm nec volens quisquam oculum „amississe credendus est, nec sacratissimos Canones aliquem „casum in amissione oculi, qui ad Sacerdotium adipiscendum „non impediret, suis excepisse regulis invenimus; sed hoc „tantummodo ad prohibitionem sufficisse videmus Patribus, ut „qui careret oculo, Sacerdotii officium adipisci non possit.“

Si hæc decreta simpliciter ac generaliter, prout sonant, accipiantur, videntur hanc irregularitatem ad defectum corporis, tametsi usum Ordinis non impedientem, extendere. Quis enim nescit, uno tantummodo oculo orbatum, aut cæcum, posse interdum Ordinis etiam Sacerdotalis functiones aliquas ritè obire? Unde ob hosce forsan, similesque Canones, nonnulli circa hanc irregularitatem justò rigidiores atque scrupulosiores fuisse videntur.

VII. Et quidem aliquando dubitatum fuisse, an irregularis non esset, qui maculam in oculo haberet; atque super eo dubio consultum Alexandrum III. intelligitur ex ejusdem responso, quod refertur in *cap.* 2. ✠ *de Corpore vitiatis.* Simile dubium propositum fuisse Honorio III. colligitur ex *cap.* 1. ✠ *de Corpore vitiatis*, in quinta compilatione Decretalium per Innocentium Cironium.

VIII. Attentis verò responsis Pontificum ad proposita dubia, facilè intelligi poterit, Pontifices non existimâsse defectum corporis constituere aliquem irregularem, nisi vel culpa defectum patientis intervenerit; vel defectus hujusmodi sit, ut vel absolutè ipsum defectuosum ab obeundas functiones Ordinis reddat incapacem; aut saltem ratione illius periculum notabile irreverentiæ, aut scandali subsit.

IX. In *cap.* 1. ✠ *de Corpore vitiatis*, de Presbytero, qui cum notabili sua culpâ partem digiti amiserat, respondet Alexander III. „Quòd cum ipse non perdiderit tantum de digito, quin *sine scandalo* possit solemniter celebrare, satis „potest post peractam pœnitentiam cum eo misericorditer agere, „& permittere ipsum in suo Ordine ministrare, licèt ejus excessus gravis admodum extiterit.“

Manifestum est, Pontificem pro excessu commisso convenientem quidem ante Ordinis executionem à Presbytero peractam voluisse pœnitentiam; sed eâ peractâ, nullam judicâsse habendam rationem defectus digiti, eò quòd non perdicisset tantum de digito, quin sine scandalo posset *solemniter* celebrare.

X. Et Honorius III. de quodam Monacho, super cujus dextræ pollicem barra quædam fortuitò ceciderat, atque ungulam avulserat ab eo, respondet Episcopo Engolismensi, „quatenus si ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso „potens, & aliud canonicum non obsistat, propter deformitatem hujusmodi non dimittat, quin eum ad Ordinem promoveat Sacerdotis.“ *Cap. fin.* ✠ *de Corpore vitiatis.*

Hinc rursus patet: Pontificem supposuisse omnem irregularitatis rationem esse petendam ex deformitate, quæ Ordinis executionem impediret.

XI. Extat sub nomine Eugenii Papæ Decretalis in *cap.* 2. ✠ *de Clerico ægrotante*, & habetur in appendice ad Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. *part.* 26. *cap.* 15. sub hoc titulo: *Eugenius Papa primus Sarensi Episcopo.* Quidquid sit de veritate tituli, ac Auctore Decretalis, in ea interim refertur: „Presbyterum, cujus duos digitos cum medietate palmæ „à prædone abscissos significâsti, Missam non permittimus celebrare.“ Rationem subjungit: „Quia nec securè popter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri fieri posse confidimus.“

Non igitur in ipsum simpliciter corporis defectum irregularitatem, sive suspensionem à celebratione Missæ refundit; sed in deformitatem, quæ *sine scandalo*, & debilitatem, quæ *sine periculo* celebrationem permittere non videntur; unde & addit „Ipsum autem cæteris officiis Sacerdotalibus fungi minimè prohibemus.“ Cur ita? quia hæc officia securè sine periculo non obstante debilitate manus, & sine scandalo non refragante deformitate, obire poterat.

Quisquis igitur sensus sit Canonum, qui sub nomine Hilarii & Gelasii à Gratiano referuntur, interim ex his, aliisque Decretalibus concludunt Canonistæ, juxta modernam disciplinam, vitium, sive defectum corporis, qui sine culpa patientis accidit, non inducere irregularitatem quoad Ordines suscipiendos, nisi talis fuerit defectus, ut vel simpliciter impediat executionem Ordinis, aut eam corporis deformitatem annexam habeat, ut

functiones Ordinis securè & sine periculo, aut offensione populi peragere non sineret.

XII. Defectus autem corporis post Ordines susceptos superveniens, ex communi Canonistarum sententia, conformiter ad relatas Decretales, non inducit irregularitatem nisi quoad illos Ordines, & eas functiones, quæ ob defectum illum securè & sine periculo, & sine scandalo peragi nequeunt.

XIII. Quis verò defectus hujusmodi deformitatem inducat, ut sine periculo aut scandalo Ordinis executio permitti nequeat; ut ea ratione aliqua irregularitas, vel quoad Ordinem suscipiendum, aut susceptum subesse censenda sit, hoc potest ipso facto meliùs perpendi, quàm aliquo statuto exprimi, ait Glossa ad *cap.* 2. *de Clerico ægrotante*, verbo *Deformitatem.*

Judicare autem, & determinare in particulari casu, quæ sit notabilis, aut levis deformitas, & an hic & nunc ob talem deformitatem periculum, aut scandalum per Ordinis executionem sit timendum, judicio Episcopi determinandum esse, uno consensu concludunt Canonistæ secuti Glossam in *cap.* 2. ✠ *de Corpore vitiatis*; ita ut non sufficiat arbitrium Confessarii, vel alterius Prælati inferioris; uti post alios citatos docet Barbosa *de Potestate Episcopi*, *part.* 2. *allegat.* 42. *num.* 60. qui ibidem addit: »Respectu Regularium ad eundem Episcopum id declarare competit, non autem ad Superiores Regulares, nisi eis»dem expressè à Sede Apostolica delegaretur.

XIV. Auctoritatis Episcopalis quoad hanc determinationem argumentum suppeditat *Can.* 2. *dist.* 33. ubi decernitur, quòd hi, qui aliquando corporis incommoditatibus in terram elisi fuerunt, »tandiu erunt ab officii sui ordine & loco suspen»si quousque unius anni spatio *per discretionem Episcopi* in»veniantur ab incursu dæmonum liberati.« Vel ut verior lectio habere videtur, *alieni.*

Non absimile hujus auctoritatis argumentum occurrit in *Can.* 2. *caus.* 7. *quæst.* 2.

XV. In hac determinatione tempus, locum & personam, dotesque meritò Episcopus attendit.

Neque enim dubium est, quin uno loco defectus aliquis posset esse offensioni, & non alio, ubi hujusmodi defectus vel est frequentior, aut minus attenditur. Idem dicendum de tempore.

Persona quoque plurimum attendenda. Potest enim contingere, ut defectus corporis in uno impediret debitam executionem Ordinis, & non in alio: eò quòd is sit aliorum membrorum vigor, ut debilitatem aut defectum alteriùs supplere queat.

Exempli gratia carens oculo sinistro, sive *Canonis*, ut vocant, communiter habetur irregularis quoad Ordinem Sacerdotii suscipiendum, aut Missæ celebrationem post Ordinem susceptum, »si quis tamen carens visivâ virtute in oculo sinistro, »sive *Canonis*, & tanta polleat virtute in dextro, ut sine de»formi faciei conversione possit legere *Canonem*, non est ir»regularis,« ait post alios Barbosa *loco citato*, *num.* 31.

XVI. Similiter indubitatum est, quòd adeò possint eminentes esse in aliquo qualitates seu quoad mores, seu quoad doctrinam, & zelum, ut defectus corporis, qui alias offensionem populi pareret, ob hasce eminentes qualitates non causaret; aut si quæ forsan offensio timeretur, ea meritò ob bona, quæ ex Ordinatione, & promotione hujusmodi defectuosi sperantur, negligi deberet.

XVII. Aliquando super aliquibus defectibus corporis peti hodie dispensationes in Curia Romana praxis quotidiana docet, monetque Pyrrus Corradus in *praxi dispensationum*, *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 19. quòd dum conceditur dispensatio super irregularitate in Dataria Romana, hæc nunquam inscribatur seu committatur Vicario, seu Officiali Episcopi, sed semper ipsi Episcopo; idque ob textum *cap.* 2. ✠ *de Corpore vitiatis*, qui Episcopo auctoritatem cognoscendi, & judicandi de defectu corporis tribuit. »Quod quidem (ait Corradus) adeò in»concussè observatur, ut cùm sacra Pœnitentiaria Apostolica »ex facultate sibi tradita, dispensat cum Religiosis professis, »corpore vitiatis, nunquam alteri quàm Ordinario illius loci, »ubi orator professus est, rescribat: dando illi facultatem cum »illo dispensandi super corporis vitio seu defectu, cum illis »limitationibus, & clausulis, quibus utitur Cancellaria Aposto»lica, sed gratis quoad omnia.«

XVIII. Clausula verò præcipua, qua utitur Cancellaria Romana in hac dispensatione hæc est: »Committatur Ordi»nario, qui inspecto per seipsum, & considerato diligenter »dicto defectu, si talis non sit, nec ex eo proveniat tanta de»formitas, quæ scandalum generet in populo, aut divinis im»pedimentum præstet, super quo ejusdem Ordinarii conscien»tia oneretur, cum eodem oratore, dummodo ad id repe»riatur idoneus, vitæque, ac morum probitas & virtutum »merita sibi suffragentur, nec aliunde ei obstet impedimen»tum, dispenset.

* Claret ex Pyrro Corrado de Stylo Curiæ Romanæ, dispensationis litteras super defectu corporis, semper dirigi ad Episcopum ejus, qui defectum patitur, ut ipse per seipsum defectum inspiciat, & de eo judicet: & si eo inspecto judicet non esse talem, ut offensionem notabilem in populo sit parturus, aut impedimentum in Ordinis exercitio, tunc Auctoritate Apostolicâ ipse dispenset.

Verùm indubitatum apparet, quòd Episcopus etiam nullo impetrato à Romana Curia Rescripto, judicare possit, utrum defectus corporis talis sit qui vel scandalum generaret in populo, vel obeundis functionibus sacrorum Ordinum impedimentum præstet.

Scitur enim non omnem defectum corporis parere irregularitatem, sed eum duntaxat, qui vel executionem Ordinis omninò impedit, vel saltem sine scandalo exequi non patitur.

Dum igitur judicio Ordinarii constiterit, quòd defectus corporis talis non sit; non videtur, quo ex capite exigeretur ulterior dispensatio, præsertim cum obtenta dispensatione, nihilominus ipsius Ordinarii judicio deferatur, num defectus sit talis, qui executionem Ordinum impediat, aut scandalum parere posset.

XIX. Cùm autem hujusmodi dispensatio petitur super defectu oculi *Canonis*, ne ipse patiens legendo Canonem vertat se ad populum, volens oculum dextrum ad Canonem dirigere, additur in formula dispensationis hæc clausula: *Et quoties Missam celebrabit, tabellam Canonis in medio altaris tenere debeat.*

CAPUT VI.

De Irregularitate ex crimine.

1 *Ordinandi ex sententia Apostoli debent esse* sine crimine.
2 *A quo tempore debuerint esse* sine crimine.
3 *Post actam pœnitentiam non admittebantur olim ad Ordines.*
4 *Non pœnitentia, sed crimen excludebat Pœnitentes ab Ordinibus.*
5 *Crimen olim etiam ab exercitio Ordinis suscepti excludebat.*
6 *Crimen occultum etiam olim irregularitatem inducebat.*
7 *Hæc disciplina necdum seculo XI. totaliter erat abrogata.*
8 *Pontifices seculo XI. eam disciplinam adhuc probârunt.*
9 *Episcopis erat potestas dispensandi, si crimen esset occultum.*
10 *Seculo XI. cœpit invalescere distinctio inter crimen* publicum & occultum; *& quæ ejus occasio.*
11 *Hæc distinctio à Gratiano proposita & probata.*
12 *Gratianum secuti Canonistæ eam distinctionem probârunt.*
13 *Publica crimina ob infamiam hodie inducunt speciem irregularitatis.*
14 *Id intelligitur tam de infamia facti, quàm juris.*
15 *Moderna disciplina prolapsos in crimen occultum non admittit ad Ordines, nisi post actam pœnitentiam.*
16 *Graviora nonnulla crimina etiam occulta irregularitatem inducunt.*
17 *Super irregularitate ex crimine occulto Episcopus dispensare potest.*
18 *Quod hîc dicatur* occultum.
19 *An sufficiat, quòd factum sit materialiter notum.*
20 *An deductum ad forum contentiosum semper habendum sit pro publico.*
21 *Ecclesiæ mens non est, quod criminosi etiam occulti à sacris Ordinibus repelli non possint.*
22 *Synodus Tridentina permisit Episcopis, ut occultè criminosos ab Ordinibus repellant.*
23 *Synodus Tridentina correxit Decretales.*
24 *Potest Episcopus etiam criminosum occultum suspendere.*
25 *Interdum ab Episcopo recusante ad Ordinem admittere, datur recursus ad Pontificem.*
26 *Hujusmodi recursus non facilè admittendus.*
* *Improbatur Fagnani sententia, quæ num.* 23. *&* 24. *relata est.*
* *Nec arridet Sacræ Congregationis decisio, num.* 25. *relata.*

I. APostolus Tito discipulo suo præscribens, quòd per civitates Presbyteros constituere deberet, inter cæteras qualitates in his requisitas reponit: *Si quis* SINE CRIMINE *est.* Et deindè paucis interpositis: *Oportet Episcopum* SINE CRIMINE *esse*, *sicut Dei dispensatorem.* Ad Tit. cap. 1. v. 7. Rursus ad Timoth. scribens: *Oportet Episcopum* IRREPREHENSIBILEM *esse.* Et infrà de Diaconis loquens ait: *Et hi probentur primùm*, & *sic ministrent*, NULLUM CRIMEN *habentes.* I. Timoth. cap. 3. v. 2. & 10.

II. Hunc Apostolicum Canonem in Ministrorum electione, & Ordinatione pressiùs secuti SS. Patres, irregulares, sive à sacris Ordinibus, eorumque usu exclusos censebant, qui non es-

essent sine crimine; sive requirebant *nullum crimen habentes*, id est, qui nullo crimine innocentiam Baptismalem maculâssent; quamvis jam per pœnitentiam crimen eluissent.

» Non eo tantùm (inquit S. Hieronymus) quo ordinandus » est tempore, sine ullo crimine sit, & præteritas maculas no- » va conversatione diluerit, sed ex eo tempore, quo in Christo » renatus est, nulla peccati conscientia mordeatur. «

III. Ante Hieronymum disciplinæ hujus testis est Origines adversus Celsum tanquam indubitatum, & notorium asserens, quòd Christiani, lapsos in crimen carnis rursus resipiscentes, haud secus quàm redivivos recipiant tandem post longiorem melioris meriti approbationem, quàm cùm primùm ad religionem discendam admitterentur. Attendamus nunc cautionem, qua similes admitterentur. » Eà tamen conditione (ait) ut *quoniam* » *lapsi* sunt, excludantur *imposterum* ab omnibus Dignitatibus » & Magistratibus Ecclesiasticis. «

Hinc illud Carthaginensis IV. *can. LXIV.* » Ex Pœniten- » tibus quantumvis sit bonus, Clericus non ordinetur. «

IV. Circa idem tempus scripsit Siricius Papa *epist.* 1. *cap.* 14. » Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut pœni- » tentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & » post pœnitudinem, ac reconciliationem, nulli unquam Laico » liceat honorem Clericatûs adipisci: *Qui quamvis sint omnium* » *peccatorum contagione mundati; nulla tamen debent geren-* » *dorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fue-* » *rint vasa vitiorum.* «

Hæc non tantùm ostendunt, Pœnitentes ab Ordinibus fuisse exclusos, sed insuper, quòd non ipsa pœnitentia, at ipsum *crimen*, ob quod pœnitentia agebatur, ipsis ad Ordines aditum præcluserit: quod etiam advertens Morinus dicere non dubitavit: » Criminum reos, vel pœnitentiam agentes ab Ordini- » bus Ecclesiasticis prohiberi, apud veteres æquipollebant. «

V. Nec tantùm quoad Ordinum susceptionem gravium criminum rei olim habebantur irregulares, ità ut nec per pœnitentiam, & reconciliationem irregularitas tolleretur; sed etiam irregulares erant quoad Ordinum jam susceptorum usum; in tantum, ut qui ordine suscepto in crimen esset prolapsus, in perpetuum ab Ordinis suscepti usu exclusus haberetur. (l)

Hanc disciplinam multis adstruxi, & latè exposui in *Dissertatione de Canonicorum instituto*, *part.* 2. *cap.* 2. atque imprimis §. 2. eam pluribus pristinis Canonibus, & Patrum testimoniis præsertim S. Cypriani, & Basilii adstruxi. Deindè §. 3. eam à S. Gregorio multis locis expressam & inculcatam fuisse, ac signanter *lib.* 3. *epist.* 26. scribente Januario Episcopo Calaritano; ubi unà testatur, hanc irregularitatem sacris Canonibus jam pridem fuisse firmatam: » Pervenit etiam ad nos (ait) quos- » dam de sacris Ordinibus lapsos vel post *pœnitentiam*, vel ante, » ad Officii sui ministerium revocari, quod omninò prohibemus, » & *in hac re sacratissimi Canones contradicunt.* Qui igitur post » acceptum sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, » sacro Ordine ità careat, *ut ad ministerium* ULTERIUS *non ac-* » *cedat.* «

Verba Gregorii retulit Gratianus *dist.* 50. *Can.* 9. ibidem *Can.* 10. & 11. alia ejusdem Pontificis verba in eam rem subjiciens.

Eodem loco eandem disciplinam à S. Martino Papa in epistola ad S. Amandum Episcopum Trajectensem fortiter inculcatam demonstravi: in qua præ cæteris hæc notanda: » Nam qui » semel post suam Ordinationem in lapsum ceciderit, *deinceps* » *jam depositus erit*, *nullumque gradum Sacerdotis poterit adi-* » *pisci*: sed sufficiat lamentationibus & fletibus assiduis *quousque* » *advixerit in eadem pœnitentia perdurare*, ut commissum de- » lictum divina gratia extinguere valeat. «

VI. Hanc porrò irregularitatem non tantùm publicè, sed & occultè in crimen præsertim carnis prolapsos incurrisse; neque distinctionem inter publica & occulta crimina pristinis Patrum seculis notam fuisse, observatum fuit.

VII. Imò nec seculo XI. eam ubique adhuc receptam fuisse probavimus §. 7. ex B. Petro Damiani in opusculo quod *Gomorrhianum* intitulavit, ubi multis agit adversus illos Ecclesiarum Rectores, qui prolapsos in occultissimum pollutionis crimen *post actam penitentiam* ad Ordines promoveri; aut in susceptis ministrare posse asserebant. » Ut nobis videtur (ait *cap.* 3.) » valde præposterum est, ut consuetudinaliter hac purulenta » contagione fœdati, vel ad Ordinem provehi, vel in gradu » persistere audeant jam promoti. Quia & rationi contrarium & » canonicis Patrum sanctionibus probatur adversum. « Deindè adductis nonnulis Veterum, ac signanter S. Gregorii testimoniis, concludit: » Patet profectò, quia quem dignum morte » crimen abjecerat, quælibet religiosa vita subsequens ad sus- » cipiendum Ecclesiasticum gradûs Ordinem non reformat; nec » valeat ad obtinendum honoris culmen assurgere, qui in mor- » talis culpæ barathrum non ambigitur cecidisse. «

Post hæc *cap.* 4. conclusionem suam multis astruit argumentis, ac dein *cap.* 5. probat, quòd *in reprobum sensum lapsi sint*, *qui post hoc vitium* (pollutionis) *habere sacrum Ordinem concupiscunt.*

VIII. Opusculum suum obtulit Petrus Damiani Leoni IX. Papæ; eunque enixè rogavit, ut adscitis spiritualibus, ac prudentibus viris opusculum dignetur examinare, ipsique super his capitulis ita respondere, ut omnem de nostro pectore (ait) dubitatis scrupulum tollat.

Pontifex verò ità respondit, ut satis appareat, nondum eo tempore distinctionem inter peccata publica, & occulta fuisse generaliter receptam, aut à Pontifice probatam; uti ex ipso contextu responsi videri potest, quem in citato §. retuli unà cum responso Urbani II. in quo hæc scribit: „De Presbyteris, „ Diaconis & Subdiaconis, qui post acceptum Ordinem in ali- „ quod crimen lapsi fuerunt, *sive palam*, *sive clam*, constat „ quidem Canonum sensum ab ecclesiasticis eos officiis inhiberi. „ Tuæ tamen prudentiæ, discretionique committimus, utrum „ eorum aliqui, qui tamen infamiæ nota non fuerint aspersi, ne- „ cessitate Ecclesiæ urgente, & ipsorum sancta conversatione „ promerente, in suis gradibus recuperari debeant. Hoc autem „ secundum indulgentiam dico, non secundum imperium. "

Hîc manifestè supponit Pontifex, juxta Canonum sensum, lapsos in crimen ab omni Ordinum usu in perpetuum, etiam post actam pœnitentiam esse exclusos, sive *palam* sive *clam* crimen commisum foret; eamque disciplinam necdum tunc fuisse abrogatam.

IX. Ex hoc interim responso videmus, quòd dispensandi facultas Episcopis attribueretur, ut necessitate Ecclesiæ urgente, & sancta quorundam conversatione promerente, lapsi in crimen functionibus Ordinis restituerentur; modò nullâ infamiâ essent aspersi, id est, si crimen esset *occultum.*

X. Et sanè à seculo IX. circiter quædam inter crimina occulta & publica distinctio adhiberi cœpit, idque occasione trium epistolarum, quas Pseudo-Isidorus Calixto I. Sancto Gregorio ad Secundinum, & S. Isidoro ad Masanum supposuit; quemadmodum latè ostendi *in citata dissertat.* §. 4. & 6.

Cùm enim antiquis Canonibus, & Patribus legeretur, prolapsos in crimen ab Ordinum usu in perpetuum esse seclusos; in his verò epistoliis (quarum fictio seu suppositio nondum detecta erat) diceretur, lapsos *post actam pœnitentiam* restitui suis functionibus posse, ut hæc conciliarentur, adhibita fuit hæc distinctio, ut lapsi quidem publicè seu *palam* in crimen perpetuò exclusi censerentur; at lapsi *occultè* sive *clam* post peractam condignam pœnitentiam, & obtentam à Sacerdote criminis remissionem, ad Ordinum suorum functiones redire possent.

XI. Gratianus alios Canonum Collectores secutus varios Canones, & Patrum sententias, quæ lapsos indistinctè à functionibus Ordinum excludebat, retulit; unà referens quoque fictitias illas epistolas, quas more suo ad concordiam revocare volens hanc distinctionem assumpsit, eamque his verbis expressit: » Possunt sic distingui præmissæ auctoritates. Quoniam enim » crimina *manifesta* sunt, ante vel post Ordinationem à SS. » Ordinibus dejiciendi sunt: quorum autem peccata *occulta* sunt » & satisfactione secreta secundum Sacerdotis edictum purgata, » in propriis Ordinibus remanere possunt. « *Dist.* 50. *post Can.* 23.

XII. Præeunte autem Gratiano hæc distinctio passim à Canonistis recepta, & tradita fuit; atque ità sensim in Ecclesiæ quodammodo disciplinam transiit.

Itaque juxta modernam disciplinam, crimina publica, sive manifesta pristinæ irregularirati obnoxia manent, ut qui ante vel post Ordinationem ea comisserint, à SS. Ordinibus dejiciendi sint, hoc est, à functionibus Ordinum suspendendi, neque ad Ordines suscipiendos admittendi. Rationem seculo XII. dedit Sanctus Ivo, qui etiam probans dictam distinctionem, atque conformiter ad illam censens, Clericum lapsum posse restitui, addit hanc cautionem: » Si tamen publicam non egerit pœnitentiam. » Talibus enim ideò Clericatus denegatur, quia ab insidiatoribus » divinis Sacramentis pro hujusmodi derogatur, & simpliciuin » animus, aut scandalizatur, aut infirmatur. «

XIII. Ipsa ergò publica, & manifesta crimina ipsum criminosum irregularem faciunt, eò quod sine scandalo, multorumque offensione, ob infamiam ex crimine contractam sacris ministrare nequeat.

Unde tametsi juxta modernam disciplinam, nonnisi quædam speciatim in jure expressa crimina propriè irregularitatem inducant; tamen *publica* ac *manifesta* crimina ratione infamiæ, qua ipsum reum aspergunt, speciem irregularitatis causant, juxta *cap.* 87. *de Regulis juris*, *in VI.* » Infamibus portæ non pateant » Dignitatum. «

XIV. Hanc Regulam non tantùm de infamia juris, sed etiam facti intelligendam esse notant Canonistæ, sequuti Glossam ad dictam Regulam, verbo *Dignitatum*, ubi eam de utraque infamia interpretatur: » Cùm dignitatibus participare non debeant in-

(l) *Legatur hac de re Morinus* lib. 5. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 18.

» infames *quacunque* infamia : « citansque antiquiorem Glossam marginalem addit: » Et ut dicit, non solùm impedit præfici; » sed etiam facit removeri à Dignitatibus habitis. «

Et in *cap. fin.* ✠ *de Testibus* dicitur, quòd » accusati de » crimine, nisi priùs se probaverint innocentes, à susceptione » Ordinum repellantur. « Quod non est, nisi quia pendente ac- » cusatione sunt infames infamia facti, inquit Avila *de Censuris*, *part.* 7. *disp.* 4. *dub.* 5.

XV. Ulteriùs quoad prolapsos in crimen occultum, tametsi ex moderna disciplina propriè non sint irregulares, tamen nec hodierna disciplina eos ad Ordines admitti, aut Ordinibus restitui permittit, nisi post actam tanto crimine dignam pœnitentiam; sive postquam per pœnitentiam crimen eluerint, quemadmodum pluribus ostendi in *allegata dissertatione* §. 8. ubi dein §. 9. probavi, non uno titulo crimina à Sacerdotibus comissa esse graviora, & acerbiore pœnitentia eluenda, quàm eadem à laicis perpetrata : ac deinde subsequenti §. 10. prolapsorum Sacerdotum quantumvis occultè, restitutionem, etiam juxta hodiernam disciplinam, debere esse tardam ; eò quòd ipsorum conversio soleat esse tarda.

XVI. In præcitato responso Urbani II. verbis allegatis subnectitur: » Si quem verò, quod absit, aut post acceptum offi- » cium contigerit, peremptorio quolibet eorum, quæ in lege » morte mulctantur, sive palam, sive *clam*, occupatum cri- » mine inveniri, eos maximè, qui adhuc mundo vivunt, ab om- » ni eos Altaris ministerio sequestramus. «

Licèt ergo Urbanus permitteret *secundum indulgentiam* nonnullos in crimen *clam* prolapsos, necessitate Ecclesiæ urgente, & ipsorum sancta conversatione promerente, sacris Ordinibus restitui ; id tamen in gravioribus quibusdam criminibus non admittendum declarat ; quod modernæ disciplinæ non parùm conforme est.

Tametsi enim moderna disciplina permittat nonnullos in crimen occultum prolapsos post actam pœnitentiam, absolutionem obtentam ad Ordines ascendere, aut Ordinum functionibus restitui ; nonnulla tamen crimina sunt, quæ quantumvis clam, & occultè commissa irregularitatem nihilominus inducunt ; ipsosque criminum reos constituunt irregulares etiam post peractam pœnitentiam, & obtentam à Sacerdote absolutionem.

XVII. Hoc evidenter supponit Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 6. ubi declarat, quòd » liceat Episcopis in irregularitatibus » omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, » exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis » deductis ad forum contentiosum dispensare. «

XVIII. Quod dicatur delictum *occultum*, ut super irregularitate ex illo proveniente Episcopus dispensare queat, aliquando dubitatum fuit ; nec eadem est Doctorum opinio, ut videre est apud Barbosam *de Officio Episcopi*, *part.* 2. *allegat.* 39. *num.* 21. Verius apparet, quòd *occultum* hîc dicatur, quod probari non potest, sive quod planè latet, nec periculum est, ne id facilè in publicum prodeat : atque ita post alios resolvit Garcias *de Beneficiis*, *part.* 7. *cap.* 11. *num.* 46. asseritque *num.* 47. id sæpiùs à S. Congregatione resolutum, atque signanter responsum esse : » Absolutus, vel dispensatus à » proprio Episcopo in materia delicti perpetrati coram duobus » vel tribus testibus, quod tamen *non fuit notorium*, non est » tutus in concientia ; quia Concilium utitur termino *occulti*, » quod propriè loquendo dicitur, quod probari non potest, » *cap.* VESTRA ✠ *de Cohabitat. Clericor. & mulier.* at per duos » testes probari potest, & verba Concilii intelligi debent se- » cundum proprietatem.“

* Eandem opinionem sequitur, & adstruere nititur Fagnanus *ad cap.* VESTRA ✠ *de Cohabitat. Clericor. & mulierum* : sed eum ex professo refutare nititur Du-Casse in Praxi sua Jurisdictionali *tom.* 1. *cap.* 10. §. 2. sustinens, crimen etiam posse esse occultum, licèt commisum in præsentia duorum, vel trium testium, quorum testimonio in judicio probari posset, modò non sit *publicum & notorium* ; asseritque eam esse opinionem communem, quam in eo præcipuè fundat, quòd Concilii Tridentini intentio fuerit, restringere auctoritatem dispensandi ad crimina *occulta* : quòd indecens & scandalosum crederet, ut Sacerdos, qui publicè & notoriè in grave crimen esset prolapsus, permitteretur sacris ministrare : quod scandalum non æquè timendum est, dum crimen est occultum, tametsi duobus, aut tribus notum esset, qui de eo in judicio deponere possent.

Fatetur quidem dictus Auctor, esse quasdam sacræ Congregationis declarationes Fagnani opinioni faventes ; sed notat, has declarationes in Gallia vim legis non habere, nec ejus esse ponderis, ut in praxi se illis Episcopi conformare debeant.

Quod de non receptis his Cardinalium declarationibus in Regno Galliæ notavit hîc Auctor, id & de Belgio dici potest; uti enim non semel ex Zypæo, *consult.* 1. *de Elect. num.* 6. notavimus, Concilium Tridentinum in Belgio fuit receptum sine respectu ad has declarationes, præsertim, quæ ipsam auctoritatem Ordinariorum magis restringere videntur, quàm textus Concilii Tridentini exposcit.

Et sanè re penitùs ponderatâ, verisimilior apparet opiniò, quam contra Fagnanum propugnat D. Du-Casse, præsertim, quòd Episcopis non sit neganda dispensandi auctoritas, nisi plenè probetur eam ipsis ademptam.

XIX. Si factum, ex quo orta est irregularitas *materialiter* quidem notum sit, sed occultum *formaliter*, sive in quantum est delictum, tunc Episcopum vi hujus decreti posse dispensare communi consensu tradunt Doctores apud Barbosam in Collectaneis ad citatum cap. 6. Concilii Tridentini, *num.* 30. Et *num.* 33. exemplificat » in irregularitate proveniente ab excom- » municato celebrante, quando excommunicatio est occulta, » licèt celebratio sit manifesta.“ Plura exempla refert *de Officio Episcopi*, *part.* 2. *Alleg.* 39. *n.* 37. & *sequentib.*

XX. Si delictum fuerit deductum ad forum contentiosum, sed hactenus probari non potuit, atque eatenus adhuc maneat occultum ; si tamen judicium nondum si absolutum, neque sententia absolutoria pronuntiata, non poterit Episcopus in vim hujus decreti super irregularitate ex simili delicto proveniente dispensare, ob clausulam in decreto additam, *exceptis aliis deductis ad forum contentiosum* ; & ita à Sacra Congregatione responsum esse testatur Garcias loco citato *num.* 47.

At verò si judicium sit finitum, & sententia absolutoria defectu probationis secuta, Episcopum posse dispensare ibidem tradit Garcias *num* 48. quia manet occultum ; & quia non fuit deductum ad forum contentiosum *cum effectu*, ex quo non fuit probatum. Quare aliud esset, si judicium quidem sit absolutum, sed reus per sententiam punitus ; quia revera & cum effectu fuit deductum ad forum contentiosum; ut rectè notat Garcias *num.* 49. Excepit Synodus irregularitatem provenientem ex *homicidio voluntario* ; de qua exceptione tractabimus capite sequenti.

Præcipua hodie ac frequentiùs occurrentia delicta, quibus irregularitas annexa est, sunt simonia, homicidium, & hæresis. De Irregularitate ex priore resultante agetur sub tit. *de Simonia circa beneficia* ; de secunda *cap. seq.* aliquid dicetur ; de tertia verò specie *Part. III.*

XXI. Interim observandum, quòd licèt Ecclesia juxta modernam disciplinam, non omnibus criminibus, præsertim *occultis*, irregularitatem annectat, nequaquam tamen Ecclesiæ mentem esse Episcopos debere criminosos, licèt *occultos*, hoc est, quos ut tales probare judicialiter non possunt, ad Sacros Ordines admittere ; quod ipsa Synodus Tridentina sat clarè expresst.

XXII. *Sessione* 14. *de Reformatione* in procœmio docet: » Cùm propriè Episcoporum munus sit, subditorum omnium » vitia redarguere : hoc illis præcipuè cavendum erit, ne Cleri- » ci præsertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, „ neve inhonestam vitam, ipsis conniventibus, ducant. Nam si „ eos pravis, & corruptis moribus esse permittant, inquit Sy- „ nodus, quo pacto laicos de ipsorum vitiis redarguent, qui uno „ ab eis sermone convinci possent, quòd Clericos ipsis patian- „ tur esse deteriores? Quà etiam libertate laicos corripere po- „ terunt Sacerdotes, cùm tacitè sibi ipsi respondeant, eadem se „ admisisse quæ corripiunt?“

Ut autem Episcopi id faciliùs exequantur, declarat Synodus *cap.* 1. » Cùm honestius, ac tutius sit subjecto, debitam » Præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio » deservire, quàm cum Præpositorum scandalo, graduum al- » tiorum appetere dignitatem ; ei, cui ascensus ad sacros Or- » dines à suo Prælato, ex quacunque causa etiam ob occultum » crimen quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdic- » tus : aut qui à suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus » Ecclesiasticis fuerit suspensus, nullâ contra ipsius Prælati vo- » luntatem concessâ licentiâ de se promoveri faciendo, aut ad » priores Ordines, gradus, & dignitates, sive honores, resti- » tutio suffragetur. «

XXIII. Vigore hujus Decreti, est Episcopo attributa auctoritas prohibendi suis subditis ascensus ad SS. Ordines quomodolibet, etiam extrajudicialiter ex quacunque causa, etiam ob ocultum crimen. » Unde ex sententia sacræ Congregationis cor- » rigitur dispositio *cap.* EX TENORE ✠ *de Temporib. Ordinat.* » in ea parte, in qua decernitur criminosum ocultum tantum- » modo monendum, sed non prohibendum ascendere ad supe- » riorem Ordinem. « Ita Fagnanus ad *citatum Capitulum*, *numer.* 12. qui deinde *numer.* 16. refert, *cap.* AD AURES ✠ *eod.* » Quod permittit Superioribus Regularibus prohibere subditos » *jam promotos*, ne ascendant ad altiores gradus, ex sententia » S. Congragationis fuisse ampliatum à Concilio ad Clericos se- » culares. «

XXIV. Notat quoque Fagnanus ad dictum *cap.* AD AURES, *num.* 7. » Id dicto *cap.* 1. *Session* 14. fuisse concessam Episco- » pis auctoritatem etiam suspendendi criminosos occultos ab Or- » dinibus, seu gradibus, vel dignitatibus : nam etsi verba illa, » *ex quacunque causa*, *etiam ob occultum crimen &c.* non sint » apposita, nisi in priore parte dicti *cap.* 1. ubi agitur de in- » ter-

„ terdictione; tamen censeri debent repetita etiam in sequenti, „ ubi agitur de suspensione. «

XXV. Ne autem Episcopi, aliique Prælati hac auctoritate abutantur, atque sine justa causa pro suo arbitrio, prætextu occulti criminis à Sacris Ordinibus impediant, aut suspendant, „ Sacra Congregatio re ad Gregorium XIII. delata edi- „ dit decisionem, quæ posteà perpetuò obtinuit in Dataria, vi- „ delicet: Quotiescumque Ordinarius recusaverit quemquam or- „ dinare, committendum esse Metropolitano, vel viciniori Epis- „ copo; ut ab eodem Ordinario priùs exquirat, cur recusa- „ verit, quo causam legitimam non allegante, liceat illi eundem „ recusatum ordinare. « Hæc Fagnanus. ibid. *num.* 22.

XXVI. Verùm Synodus Tridentina sufficienter insinuat, hujusmodi recursum non facilè esse admittendum, nec Ordinarium facilè in similibus turbandum; quandoquidem ad faciliorem sui Decreti executionem expressè addat: „ Nulla contra „ ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri „ faciendo, aut ad priores Ordines, gradus, & dignitates, si- „ vè honores restitutio suffragetur. "

Accedit ipsius Decreti ratio in principio expressa; „ Cùm „ honestius ac tutius sit subjecto, debitam Præpositis obedien- „ tiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum „ Præpositorum scandalo graduum altiorum appertere digni- „ tatem. "

* Quæ *num.* 23. 24. & 25. ex Fagnano relata sunt, ea historicè duntaxat exposuimus, non ea mente ut approbentur. At primò quidem quod retulit Fagnanus *num.* 23. & 24. scilicet per sanctam Congregationem Cardinalium declaratum fuisse, Episcopum posse in vim decreti Concilii Tridentini, *Session.* 14. *cap.* 1. *de Reformat.* suspendere Clericum ab Ordinibus susceptis, aut dignitatibus adeptis; eorumve functionibus, ob crimen occultum soli Prælato notum, idque etiam *extrajudicialiter*; nec decreto Concilii, nec sanctis Canonibus conforme est.

Imprimis evidens est, ex contextu *cap.* 1. *Sess.* 14. *Concilii Tridentini*, quòd Concilium non intenderit determinare, quâ formâ esset procedendum in suspensione ab Ordinibus exceptis aut ab Ordinum susceptorum functionibus vel muniis Beneficio, aut dignitati annexis: „ sed duntaxat declarare, quòd dum ali- „ cui *ascensus ad sacros Ordines à suo Prælato fuit interdic-* „ *tus*, aut à suis Ordinibus, seu gradibus vel dignitatibus Ec- „ clesiasticis fuit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntа- „ tem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad po- „ tiores Ordines, gradus & dignitates, sive honores, restitu- „ tio suffragetur. « Supponitur hac in causa Prælatus juxta Canones processisse.

Cùm itaque admissio ad sacros Ordines frequenter sit gratiosa, sive dependeat à mero beneplacito ipsius Prælati, non mirum, quòd Concilium in priori parte dicat, dispositionem sui Decreti etiam habere locum, dum ascensus ad sacros ordines, *quacumque ex causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter* alicui interdictus fuit, nimirum eo casu, quo admissio ad sacros Ordines à solo beneplacito Prælati dependet.

In secunda parte ubi Concilium loquitur de suspensione ab Ordinibus susceptis, aut dignitatibus adeptis, vel earum functionibus, ex professo videtur Concilium omisisse prædictas clausulas, *etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extra judicialiter*: eò quòd suspendere aliquem ab ordinibus jam susceptis aut dignitatibus adeptis, vel functionibus hisce annexis, requirat Ordinem judiciarium, non secus atque omnis alia censura, & consequenter ferri non potest ob crimen *merè* occultum; utpotè quod in judicio probari non potest.

* Secundò nec approbari debet sacræ Congregationis decisio, quam ex Fagnano *num.* 25. retulimus: non diffitemur in Curia Romana stylum invaluisse, quòd si Episcopus aliquem ordinare recusaverit, hic possit querelam de hac accusatione ad Pontificem instituere; quodque ex stylo Curiæ Romanæ committatur Metropolitano, vel viciniori Episcopo, ut ab eodem Ordinario exquirat rationem recusationis, quo causam legitimam non allegante, liceat Metropolitano aut viciniori Episcopo eundem recusatum ordinare.

Num hæc sacræ Congregationis resolutio, & ei innixa Curiæ Romanæ praxis textui & menti Synodi Tridentinæ sat sit conformis, non sine fundamento ambigi potest.

Ac imprimis certum est, quòd tempore Synodi Tridentinæ à nullo nisi à Romano Pontifice, & in Curia Romana dari possit *licentia de se promoveri faciendo contra ipsius Prælati voluntatem.*

Igitur cum Synodus simpliciter, & indifinitè decreverit, ut *nulla licentia* contra ipsius Prælati voluntatem de se promoveri faciendo suffragetur, dubitari meritò potest, num Synodus hanc licentiam in Curia Romana obtentam, aut obtinendam excludere non voluerit, sive non suffragari.

Ad hæc experientia docet, quòd vigilantiores Episcopi frequentiùs per illas licentias *de se promoveri faciendo*, & recursus ad Datariam Romam, non rarò vexentur, & quodammodo cogantur admittere ad Ordines sacros, quos indignos probè noverunt, eò quòd defectus non sint quidem adeò notorii, ut probari in judicio possint, vel adeò enormes, ut impedimentum canonicum pariant, sed tamen, sat graves, ut ob hos meritò à sacris Ordinibus repellantur.

Unde optandum esset, ut Curia Romana similes recursus non admitteret, neque similes licentias expediret, potiusque Episcoporum conscientiæ Ordinationem suorum subditorum confideret, prout Synodus Tridentina optâsse videtur: notanter cùm certum sit, melioribus seculis hujusmodi recursus fuisse ignotos.

CAPUT VII.

De Irregularitate ex homicidio.

1 *Homicidium reputatur enormissimum crimen.*
2 *Homicidium semper induxit irregularitatem.*
3 *Notissima fuit hæc irregularitas.*
4 *Etiam ex homicidio ex quadam quasi necessitate commisso.*
5 *Ob defensionem vitæ etiam perpetrato.*
6 *Ex Pœnitentiali Romano presbyter occidens in defensionem vitæ, irregularis efficitur.*
7 *Cœpit disciplina circa hanc irregularitatem paulatim relaxari; sed quando, incertum.*
8 *Clemens V. excipit homicidium ob necessariam vitæ defensionem.*
9 *Ex decissione illa Clementis non conficitur, tale homicidium esse omninò licitum.*
10 *Decisio Clementis non comprehendit homicidium ob defensionem honoris, aut bonorum temporalium.*
11 *Neque commissum in defensionem liberorum aut parentum.*
12 *Quid de homicidio in defensionem patriæ.*
13 *Omne homicidium causat irregularitatem, nisi expressè excipiatur.*
14 *Homicidium inducit irregularitatem, modò sit voluntarium saltem* indirectè; *& quandonam sit tale.*
15 *Ut de hac voluntarietate statuatur, expendendum, num actio ob homicidium fuisset committenda.*
16 *Ostenditur exemplo Clerici Venatoris, & Chirurgi.*
17 *Hæc regula stabilitur auctoritate Bonifacii VIII.*
18 *Ex hoc principio plures casus resolvi possunt.*
19 *Quomodo homicidium actioni connexum esse debeat, ut actio ideò esset omittenda, generaliter determinari nequit.*
20 *Non requiritur, ut homicidium sit natum sæpiùs sequi, quàm non sequi.*
21 *Non sufficit etiam quòd natum sit frequentiùs sequi.*
22 *In dubio an homicidium fuerit voluntarium, debet se gerere pro irregulari.*
23 *Fundamentum hujus regulæ, & quomodo hoc fundamentum plures non sat attendant.*
24 *Decreta Synodi Trident. de hac irregularitate.*
25 *Quod dicatur homicidium* voluntarium *ad mentem Synodi.*
26 *Synodus optat, ut cum homicida voluntario non dispensetur; nec Episcopus dispensare potest.*
27 *Pontifex in homicidio voluntario ad obtinenda Beneficia aut Ordines, difficulter dispensat.*
28 *Quomodo expediatur dispensatio quoad Beneficia jam obtenta, aut Ordines susceptos.*
29 *Modernæ dispensationis Stylus videtur primitùs respexisse homicidium involuntarium.*
30 *Quomodo hodie expediatur dispensatio super homicidio casuali, & perpetrato in defensionem vitæ.*
31 *Episcopus potest dispensare in homicidio non voluntario & occulto; & quod sit* non voluntarium.

I. INter gravissima crimina reputatum fuise homicidium sat constat; & quidem è tribus illis fuisse, ob quæ in aliquibus Ecclesiis, etiam in fine vitæ absolutio negata fuerit, scitur. Juxta S. Basilium *Can. LVI.* „ Qui sua sponte interfecit, & pos- „ tea pœnitentiâ ductus est, 20. annis Sacramento non communi- „ cabit. Viginti autem anni (ait) sic in eo dispensabuntur. De- „ bet quatuor annis deflere stans extra fores Oratorii, & fide- „ les ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquita- „ tem pronuncians. Post quatuor autem annos inter auditores „ recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur: septem au- „ tem annis cum iis, qui in substractione orant, egredietur. In „ quatuor annis solùm stabit cum fidelibus, sed non erit obla- „ tionis particeps. Iis aut expletis, erit Sacramentorum par- „ ticeps. "

Et *Can. LXVII.* Qui non voluntariè interfecit, undecim „ annis Sacramentis non communicabit. Undecim autem anni sic

» in eo dispensabuntur. Duos quidem annos deflebit, tres au- » tem annos (m) inter auditores perseverabit, in quatuor subs- » tratus, & anno solùm consistet, & deinceps ad Sacramenta ad- » mittetur. «

II. Cùm itaque homicidii crimen adeo enorme, tantique temporis pœnitentia eluendum jam pridem visum fuerit, etiam in laicis, quis miretur, si ob hoc crimen laici à sacris Ordinibus exclusi: & Clerici ab eorum executione suspensi, imò & depositi fuerint? Idque ad normam præcepti divini olim populo Judaico insinuati, Exodi cap. 21. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab altari meo evelles eum*; quæ referuntur & quasi canonizantur in *cap.* 1. ✠ *de Homicidio.*

Quin & *Can. LV.* Sancti Basilii decernitur: » Qui se latro- » nibus adversos objiciunt, si sint quidem extra Ecclesiam, ab » omni comunione arcentur: Si sint autem Clerici, à gradu de- » ponuntur. «

III. Adeo nota atque vulgata fuit irregularitas ex hoc crimine resultans, ut cuidam Episcopo scribere non dubitet Joannes VIII. apud Gratianum *dist.* 50. *Can.* 4. » Miror minus doc- „ tam scientiam tuam Sacerdotem putare post perpetratum ho- „ micidium posse in Sacerdotio ministrare; imò (quod est inep- „ tius) nobis suadere velle, ut ipsi tali præsumptioni præbere- „ mus assensum. Quis enim tàm demens, tamque perversi sensûs, „ tale quid æstimaret, vel post quantamcumque pœnitentiam con- „ cedendum, cùm omninò sit canonicæ disciplinæ contrarium? „ Debet ergo Sacerdotio privatus lachrymarum fonte flagitium „ tan immane diluere, ut talibus saltem remediis curatus, sa- „ lutis possit invenire suffragium.“

IV. Nec tantùm homicidium per insidias, & industriam, seu animo planè deliberato, ac voluntario, doloque malo perpetrato hanc irregularitatem jam pridem induxit; sed & illud quod ex quadam quasi necessitate, & involuntarietate perpetratum erat.

Jam enim vidimus, quòd juxta Canones à S. Basilio editos Clericus, qui se latroni objiciens, sive se defendendo occidit, à gradu deponatur.

V. Et ex Nicolao I. apud Gratianum *dist.* 50. *Can.* 6. „ De „ his Clericis, pro quibus consuluisti, scilicet qui se defenden- „ do, paganum occiderunt, si postea per pœnitentiam emen- „ dati possint ad gradum pristinum redire, aut ad altiorem cons- „ cendere; scito nos nullam occassionem dare, nec ullam tri- „ buere eis licentiam quemlibet hominem quolibet modo occi- „ dendi. Verùm si contigerit, ut Clericus Sacerdotalis Ordinis „ saltem paganum occiderit, multum sibi consulit, si ab offi- „ cio Sacerdotali recesserit, satiusque est illi in hac vita Domi- „ no sub inferiori habitu irreprehensibiliter famulari, quàm al- „ ta indebitè appetendo, damnabiliter in profundum demergi. «

Ad hunc Canonem reflectens Joannes Dartis SS. Canonum in Academia Parisiensi Professor in Commentario ad distinctionem quinquagesimam Decreti Gratiani, ait: » Clericus homi- » cida non restituebatur, ne quidem si se defendendo, Pagi- » num occidisset. «

Consultus quoque seculo XI. Hilbertus Episcopus Metensis à Sancto Ivone Carnotensi de Sacerdote, qui aliquem pro vitæ suæ defensione occiderat, an Sacerdotio imposterum fungi permittendus esset, respondit Hilbertus *epist.* 6. „ Non videtur „ Sacerdotem reum sanguinis oportere deinceps ministrare, „ quamvis *tuendæ salutis necessitate* homicidium incurrerit. « Concluditque, quòd si similis casus in sua Diœcesi contigisset, ipse reum ad Apostolicam misisset audientiam.

VI. Ex Pœnitentiali Romano legitur in *cap.* 2. ✠ *de Homicidio*: » Si sine odii meditatione, te tuaque liberando, hujus- » modi diaboli membra (furem, aut latronem) interfecisti (se- » cundum indulgentiam dico, propter imaginem Dei) si aliquid » jejunare volueris, bonum est tibi: & eleemosynam fac largi- » ter. Si Presbyter eadem fecerit, non deponatur; tamen quan- » diu vivit, pœnitentiam agat. «

VII. Quantumvis hîc non deponatur Presbyter, qui ob vitæ suæ defensionem alium occidit; quia tamen vitâ suâ durante pœnitentiam agere tenetur, apparet quòd ab executione Ordinis Sacerdotalis tota sua vita, tanquam pœnitens abstinere debuerit: atque ita juxta pristinam disciplinam ex tali homicidio irregularitatem incurrit, quamvis satis quoque constet, aliquid *secundum indulgentiam* jam cœpisse circa hanc disciplinam relaxari.

Quando autem hæc relaxatio cœperit certò statui nequit; quia ut rectè monet Ludovicus Thomassinus *de disciplina Ecclesiæ*, *part.* 4. *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 10. hujusmodi libri pœnitentiales quotidie novas recipiunt pro temporum varietate, & disciplinæ mutatione additiones, adeoque certo sciri nequit, quo tempore hic articulus Pœnitentiali Romano fuerit insertus.

VIII. Deinde subjungit Thomassinus: Itaque dici potest, Papam Clementem V. fuisse primum, qui claris terminis decidit, hujusmodi occisorem non esse irregularem, in *Clem. Unic. de Homicidio*: » Nullam (ait) ex hoc irregularitatem in- » currit, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel » mutilat invasorem. «

IX. Quidquid sit, hoc sas constat ex hac declaratione seu constitutione Clementis V. nullum præjudicium generari opinioni Theologorum contendentium, licitum non esse privatâ auctoritate occidere vitæ invasorem, juxta illud Augustini *lib.* 1. *Civitate Dei*, *cap.* 21. » his exceptis, quos vel lex justa gene- » raliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, » quisquis hominem vel seipsum vel quemlibet occiderit, ho- » micidii crimine innectitur. « Et Epist. 47. de occidendis ho- » minibus ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consi- » lium; nisi forte sit miles aut publicâ functione teneatur, ut » non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate ubi » etiam ipse est, accepta legitima potestate, si ejus congruit » personæ. «

X. Id quoque expeditum est, hanc Clementis decisionem ultra casum expressum minimè extendendam; ideoque homicidium non pro defensione vitæ, sed famæ, honoris, aut rerum temporalium hac Constitutione non comprehendi; neque homicidam vi hujus Decretalis immunem esse ab irregularitate, uti satis benè probat Fagnanus, notatque omnes passim consentire, occidentem pro defensione rerum temporalium non evadere irregularitatem. Ad *cap.* INTERFECISTI ✠ *de Homicidio.*

XI. Glossographus ad citatam Clementinam ad verbum *suum* ait; » Hæc littera innuit, secus in illo, qui occiderit vo- » lentem occidere patrem, filium, conjugem, vel personam » conjunctam, quam aliter juvare non poterat. Quod verum » puto: quasi casus ille non includatur sub necessitate inevita- » bili, sed evitabili. « Hæc ille. Quæ quidem Glossa ferè ab omnibus recipitur, uti ex Navarro refert Fagnanus ad *cap.* 24. ✠ *de Homicidio*, *num.* 3.

XII. Quin etsi ipsa patriæ, imò & fidei defensio concurreret, nequaquam tamen Clericum arma sumentem & aliquem interficientem, ab irregularitate similis defensio eximeret; quemadmodum sat apertè deciditur in *cap.* 24. ✠ *de Homicidio*, ubi Honorius III. rescribit Pelagio Presbytero his verbis: „ Petitio „ tua nobis exhibita continebat, quod cùm inimici Dominicæ » Crucis, ac blasphemi nominis Christiani, castrum quoddam, in „ quo morabaris, graviter invasissent: exeuntibus inde habita- „ toribus, tam Clericis, quàm laicis contra eos, ac vicem con- „ fligentibus, hinc inde occissi quamplurimi extiterunt. Unde „ cùm pro eo quòd aliquos percusisti, irregularitatem metuas „ incurrisse: mandamus, quatenus si de *interfectione* cujusquam „ in illo conflictu tua conscientia te remordet, à ministerio al- „ taris abstineas reverenter, cùm sit consultius in hujusmodi du- „ bio abstinere, quàm temerè celebrare. “

Hîc enim agebatur de necessaria patriæ defensione, cùm hostes castrum graviter invasissent; & tamen deciditur, Pelagium Presbyterum esse irregularem; si eum conscientia remordeat, quòd in conflictu aliquem occiderit. Ita Fagnanus ad citatum Capitulum *num.* 1. ubi latè ostendit, irregularitatem contrahi ex occisione in bello etiam justo, & defensivo; modò tamen non tanta concurrat inevitabilis necessitas, ut concurrat necessaria defensio propriæ vitæ, atque sit casus expressus in citata Clementina.

XIII. „ Cùm enim regula sit (ait) quòd irregularis efficia- „ tur, qui aliquem interficit, aut mutilat, nec ab hac regula „ reperiantur excepti, nisi casus furiosi, infantis seu dormien- „ tis, & illius, qui mortem aliter vitare non valens suum oc- „ cidit, vel mutilat invasorem, ut in dicta Clementina, sta- „ bimus regulæ, quandiu non probatur exceptio

Hac de causa Synodus Budensis celebrata per Philippum Episcopum Firmanum Sedis Apostolicæ Legatum de assensu plurimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Prælatorum ann. 1279. decrevit *Can.* 7. » ne Clerici bellicis actibus » se involvant, vel implicent, nisi forte pro Ecclesiarum sua- » rum, & patriæ defensione, non ad impugnandum vel propul- » sandum, sed ad defensionem tantùm, si necessitas eos com- » pellat: & tunc in propriis personis non pugnent. «

XIV. Nec tantùm homicidium voluntarium directè, id est, animo deliberato, & animo directo commisum, inducit irregularitatem; sed etiam voluntarium indirectè sive in *causa*, ut ajunt, sive quod non est quidem directè & ex proposito intentum seu volitum, sed indirectè, seu in *causa*, ut ajunt, quia posuit ejus causam, quam oportuisset omittere, nec homicidium illud sequeretur.

Ut enim homicidium sit voluntarium *in causa* requiritur, ut causam illam hîc & nunc concurrentibus præsentibus circumstantiis debuisset omittere, ne homicidium illud sequeretur.

XV. Hinc ulteriùs concluditur, homicidium non semper esse voluntarium in causa, quandocunque sequitur ex causa sive actione illicita; neque semper esse merè casuale, aut planè involuntarium, quando scilicet ex causa licita, & actione licita, & debita cum omni debita cautela, & diligentia, & non proximè ad homicidium, sed ad aliquem finem honestum, & licitum, & remotè tantùm ad homicidium, illud sequitur, ut si quis ligna secans, ea ad ædificandum Templum, vel Monasterium, vel ad aliquem alium finem honestum, & licitum, & non ad homicidium, ea secet, & ex casu, & inopinatè, & præter intentionem, & voluntatem, & absque culpa, & negligentia, & sine debita cautela, & diligentia, ligna ipsa in aliquem cadant, & ipsum occidant, non incurrit irregularitatem, quia licet causa, & actio sit licita, & debita, non tamen cum

voluntarium, etsi præter intentionem directam sequatur, ex actione ex se licita.

Potest enim contingere, actionem quidem aliquam esse de se illicitam, adeoque absolutè fuisse omittendam; sed tamen non ideo omitti debuisse, ne ex eâ sequeretur homicidium; ipsumque homicidium huic actioni adeò remotè, aut infrequenter esse connexum, ut nullatenus ob ejus periculum omitti debuerit, homicidiumque ex ea secutum merè casuale respectu ipsius agentis, sit reputandum.

XVI. Exemplum obvium est in Clerico venatore. Si enim inter venandum cogitans occidere feram, occidat hominem; idque omninò præter intentionem, ac nihil simile prævidens, aut prævidere valens, homicidium non censetur ei voluntarium in causa; nec consequenter incurrit irregularitatem. Licèt enim venatio Clerico sit illicita, eamque omittere debuisset; nequaquam tamen ei interdicta est ob periculum homicidii; nec ob periculum homicidii eam omittere debuit potiùs Clericus, quam Laicus.

Clericus verò chirurgiam contra Canonum interdicta exercens, si inde mors alicujus sequatur, tametsi præter intentionem, irregularis judicatur, atque homicidium ipsi voluntarium in causa esse; eò quòd chirurgia Clericis ob periculum mutilationis, & occisionis specialiter sit interdicta, atque consequenter ob id omitti debuisset.

XVII. Huic fundamento innititur resolutio Pontificis in *Cap. 3. de homicidio, in VI.* » Quòd is, qui mandat aliquem » verberari, licèt expressè inhibeat ne occidatur ullatenus, vel » membro aliquo mutiletur, irregularis efficiatur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat: quia mandatum hoc omittere debuisset, ne hoc sequeretur, *cum hoc » evenire posse debuerit cogitari*, ait Pontifex. «

Si tamen in primo casu tales essent circumstantiæ, ut salus proximi, ipsaque christiana charitas requirerent, hîc & nunc Clerici operam, indubiè fieri posset, quòd Clericus ob periculum illud, operam suam nequaquam debet omittere; ipsaque proinde mors indè præter intentionem secuta ipsi nequidem esset voluntaria in causa, nec per consequens irregularis esset censendus.

XVIII. Ex eodem principio judicandum erit de variis casibus, de quibus à Canonistis, ac Theologis quæritur, an homicidium ex actione aliqua secutum sit voluntarium *in causa*, inducatque irregularitatem. Expendendum enim erit, an actio, sive ex se fuerit licita, sive illicita, in hisce circumstantiis fuerit omittenda ob periculum homicidii; adeò ut qui in talibus circumstantiis actionem illam ob hoc periculum non omittit, censeatur indirectè velle ipsum homicidium, quod ex sua actione secuturum prævidebat, aut prævidere debebat.

XIX. Quomodo autem homicidium præcisè debeat esse conjunctum alicui actioni; aut quoties ex aliqua actione natum sequi, ut propterea actio illa debeat omitti; aut si ponatur & homicidium sequatur, hoc censeatur esse voluntarium in causa, generaliter & pro omnibus casibus determinari nequit.

XX. Hoc imprimis certum est, nullatenus requiri, ut homicidium sit voluntarium in causa, quod illud natum sit frequentiùs sequi ex illa actione, quàm non sequi. Fieri enim potest, quòd aliqua deberet omitti ob periculum homicidii, tametsi ex centum & ampliùs vicibus homicidium illud non semel ex illa actione natum esset sequi: eò quòd actio nullam, aut exiguam habens utilitatem, atque sine difficultate omissibilis, etiam ob minimum homicidii periculum esset omittenda.

Exemplum sit. Ponatur conclave capax continere ducentos homines, sciaturque autem de facto unicum duntaxat ibidem esse; sed quo loco consistat, nescitur; si quis sciens hîc unum esse, sed nescius quo loco; atque eo non obstante sine causa, sed petulanter projiciat grandem lapidem ex fornice, nesciens quo loco sit casurus, si incidat in hominem ibi consistentem, eumque occidat, erit ipsi hæc occisio voluntaria in causa; eò quòd ille jactus lapidis in his circumstantiis fuisset omittendus ob periculum occisionis.

XXI. E contrario fieri potest, ut actio aliqua in certis circumstantiis adeò necessaria sit, tantique momenti, ut licèt homicidium frequentiùs ex ea sequi soleat, quàm non sequi, nihilominùs ob periculum illud omitti non debeat, imò nec possit; ac per consequens nec homicidium secutum censeri debeat voluntarium in causa, quemadmodum rectè observat Eximius D. Huygens in suis Observationibus brevibus *de Actibus humanis, cap. 4.* ubi doctè, ac solidè observat ea, quæ notari debeant ut aliquid dicatur voluntarium *in causa*; & unde illa voluntarietas potissimum desumenda sit; quæ si ritè expendantur, facilem ostendent methodum resolvendi difficultates, quæ in hac materia à Canonistis moventur.

XXII. Hoc hîc interim notandum, quòd licèt juxta dicta *cap. 1.* irregularitas non incurratur, nisi in casibus à jure expressis, nihilominus tamen, si dubium sit, num quis reus fuerit homicidii, aut mutilationis, debeat se pro irregulari gerere, & ut talis ab executione SS. Ordinum abstinere, quemadmodum decidit Pontifex in *cap. 12.* ✠ *de Homicidio*, huic innixus principio, *quòd in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*; & in *cap. 5.* ✠ *de Clerico excomm. ministr.* eodem adducto principio: *Quia in dubiis via est eligenda tutior.*

XXIII. Ratio hujus decisionis esse videtur, quòd regula *cap. 1.* assignata procedat in foro externo; hoc est, quòd in foro illo nullus debat censeri irregularis, nisi ob factum, cui de jure annexa est irregularitas; neque ut talis haberi, nisi factum illud intervenisse probetur: at ipse, cui sua nota esse debet conscientia, atque se ipsum juxta eam judicare, tenetur in dubio semitam tutiorem eligere, id est, eam dubii partem, quæ periculo peccandi minus est obnoxia; quemadmodum exponit Fagnanus ad *citatum cap. 12. ibid. num. 7.* deplorans, quòd insignem » hanc sacrorum Canonum regulam de electione *tutio- » ris* partis complures ex recentioribus Theologis ita extenuent, » ut ferè ad nihilum redigere videantur. Quidam enim affirmant » electionem tutioris partis non esse in præcepto, sed in consi- » lio tantùm: quidam dicunt eam habere locum tantummodo » in dubio facti, vel personæ, non autem in dubio juris: qui- » dam in dubio juris practico, non autem speculativo: alii ve- » rò opinantur eam regulam esse restringendam ad limites hu- » jus Decretalis, ità ut non procedat nisi in materia irregulari- » tatis: alii demùm putant eam non habere locum in opinio- » nibus; nam cùm utrinque sunt opiniones æquè probabiles, aut » una probabilis, & alia probabilior, contendunt licere unicui- » que eligere quamcunque opinionem, etiam omissa probabi- » liori, & tutiori. Sed has omnes opiniones ut improbabiles, » & minimè consonas dispositioni sacrorum Canonum, latissi- » mè confutavimus in tractatu nostro de opinione probabili, » quem posuimus in *cap. Ne innitaris, suprà de Constitut. præsertim à numero* 44. « Hæc ille. (n)

Meritò contra perniciosam hanc Probabilistarum doctrinam citatus Fagnani commentarius consulitur.

Synodus Tridentina duobus locis hujus irregularitatis meminit, atque enormitatem criminis & dispensationis super irregularitate ex crimine hoc proveniente dificultatem proponit.

XXIV. Primò *Sess. 14. cap. 7. de Reform.* ait: » Cùm etiam » qui per industriam occiderit proximum suum, per insidias, » ab altari avelli debeat, qui suâ voluntate homicidium perpe- » traverit, etiam si crimen id nec ordine judiciario probatum, nec » alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad » sacros ordines promoveri possit; nec illi aliqua Ecclesiastica » Beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferri li- » ceat; sed omni Ordine, ac Beneficio, & Officio Ecclesiastico » perpetuò careat.“

Deindè *Sess. 24. cap. 6. de Reformat.* declarans, licere Episcopis dispensare in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, addit hanc clausulam: *Excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario.*

XXV. Juxta prius Decretum, qui suâ voluntate homicidium perpetravit, tametsi illud occultum fuerit, inhabilis declaratur ad Ordines Sacros suscipiendos, aut Beneficia quæcunque obtinenda; utque omni, Ordine ac Beneficio, & Officio Ecclesiasco careat, decernitur.

Homicidium *voluntarium*, de quo hîc loquitur Synodus, plerique intelligunt homicidium per *industriam, insidias, & ex proposito* perpetratum, atque ita decisum referunt Garcias *de Beneficiis, part. 7. cap. 11. num. 44.* & Barbos. *de Officio Episcopi; pat. 2. allegat. 39. num. 49.* qui & dicunt resolutum à sacra Congregatione, quòd si quis mandaverit aliquem verberari cum expresso mandato de non occidendo, aut mutilando, si mandatarius fines mandati excedens occiderit, aut mutilaverit, mandantem quidem incidisse in irregularitatem, sed tamen non censeri *voluntarium* ad sensum Concilii Tridentini. Imò si quis volens occidere Joannem, occiderit Petrum, esse quidem irregularem, non tamen homicidam *voluntarium*, de quo Concilium: quia scilicet hunc non per industriam, & per insidias occidit: quod tamen requiri volunt, ut habeatur homicida *voluntarius*: de quo in decreto Concilii Tridentini, & in facti specie resolvit Zypæus *consult. unic. de Homicidio.*

XXVI. Quidquid sit, hoc satis constat, Synodum Tridentinam optâsse, ut cum homicidia voluntario nec ad Sacros Ordines nec ad Beneficia dispensetur; sed *ut omni Ordine, ac Beneficio, & Officio Ecclesiastico* PERPETUO *careat.*

Hîc imprimis excluidi omnem Episcopalem dispensationem, etiam ad Ordines Minores, ac Beneficia etiam simplicia, compertum est.

Et potior est conditio possidentis. *Utraque invenitur ad finem* Partis IV. tom 3. *hujus editionis.*

(n) *Consulatur quoque D. Van Espen in sua Dissertatione ad Regulam*; In dubiis semita tutior est eligenda, *&c. Et ad explanationem istius Regulæ Juris*: in pari delicto vel causa

XVII. Et quamvis Pontificia dispensatio non censeatur omninò exclusa, ob enixam tamen Synodi voluntatem, ut hujus criminis reus omni Ordine, & Beneficio perpetuò careat, Pontifex » in dispensationibus hujusmodi concedendis, non parùm » difficilem se reddit: nimisque ab eis abhorret, cùm abomi- » nabile sit, quòd effudens sanguinem humanum offerat San- » guinem Christi, & Hostiam immaculatam, vel officium Deo » ad Altaris ministerium præstet, ait Pyrrus Corradus *in Praxi dispensat. lib. 5. cap. 1. num. 3.* Et Fagnanus ad *cap.* HENRICUS *de Clericis pugnantibus in duello, num. 41.* dicit, se non meminisse cum promovendis, in homicidio voluntario unquam fuisse dispensatum.

XXVIII. Si petatur dispensatio super homicidio quoad Ordines susceptos, aut Beneficia de facto obtenta, solet supplicatio juxta stylum Curiæ remitti ad Congregationem super interpretatione Concilii Tridentini; uti notat Pyrrus Corradus loco citato, *num.* 13. » ubi ipsæ supplicationes proponuntur, » discutiuntur, & plenè examinantur, ut inde discernatur, an » gratia sit concedenda, vel deneganda: quòd si videatur con- » cedenda, remittitur supplicatio ad Datariam cum his verbis » in illius calce appositis, scilicet: *Videtur concedenda, si Sanc- » tissimo videbitur.* «

Hæc Pyrrus Corradus, qui & ibidem monet, postmodum Papa annuente expediri commissionem Ordinario, qua ei potestas fit cum Oratore dispensandi, eumque ad Ordines promovendi, vel in susceptis rehabilitandi, juxta tenorem commissionis.

In hac delegationis formula solet apponi hæc clausula: Si narrata vera deprehenderit: *Oratorem imposita ei aliqua pœnitentia salutari & attenta pace, ut præfertur, habita, absolvat, secumque, dummodo ad id reperiatur idoneus, vitæque, ac morum provitas, ac alia virtutum merita, sibi aliàs suffragantur, nec aliud canonicum sibi obsistat, ad Beneficia & Ordines* (vel simplicia duntaxat, vel etiam majora; item Minores vel Majores Ordines prout exprimitur) *dispenset pro suo arbitrio.*

Pax, cujus hîc fit mentio intelligitur illa, quæ facta est inter homicidam & hæredes defuncti; quâ demum factâ solet Pontifex dispensare.

XIX. Porrò hîc dispensationis stylus primùm inductus apparet ad expediendam dispensationem, seu potiùs commissionem dispensandi super homicidio *quasi casuali* & involuntario, conformiter ad decretum Concilii Tridentini in allegato *cap. 7.* ubi de dispensatione in hujusmodi homicidio hæc habet: » Si » verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi re- » pellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum » narretur; quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum & » Altaris ministerium, & Beneficia quæcunque ac dignitates ju- » re quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci Or- » dinario, aut ex causa Metropolitano, seu vicinori Episco- » po, qui nonnisi causa cognita, & probatis precibus narra- » tis, nec aliter dispensare possit.

XXX. Quamvis de jure non videatur ulla irregularitas incurri, si reverà homicidium sit omninò casuale, aut contigerit *vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet*, juxta *Clementinam unicam, de homicidio*; adeoque nulla dispensatio requiri videatur: tamen quia de enormi, ac scandaloso admodum crimine agitur; & facilè aliqua in his culpa, aut excessus intercurrit, voluit Synodus, ut etiam hîc interveniret species aliqua dispensationis, cujus executio Ordinario delegaretur; qua vel irregularitas, si quæ forsan invenisset, tolleretur; vel saltem omnibus ritè examinatis, declaretur, nullam irregularitatem fuisse contractam: quam tamen declarationem ab Episcopo fieri non vult Synodus, nisi ex commissione Pontificis; atque hoc sensu verum est, quòd nec qui casu, vel vim vi repellendo homicidium comisserit, sine licentia Pontificis ad Ordines promoveri queat; quemadmodum notat Pyrrus Corradus *num.* 13. additque: » Quamvis aliquibus Nuntiis, præcipuè Hispaniarum » consuevit per Summum Pontificem tribui facultas dispensan- » di super irregularitate contracta ex homicidio casuali etiam publico. « (o)

XXXI. Et id quidem si homicidium publicum fuerit, aut ad forum contentiosum deductum: quia si homicidium omninò occultum sit, tunc Episcopus sine ulla delegatione aut commissione speciali Pontificis poterit dispensare, modò homicidium non sit *voluntarium*, juxta Decretum Synodi Tridentinæ *Sess. 24. cap. 6. de Reformat.* permittens Episcopis dispensare in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, solâ illâ excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario. Voluntarium autem non esse, quod fit casu, aut vim vi repellendo ob necessariam vitæ propriè defensionem, expeditum est: quin *voluntarium* hîc accipi eodem sensu, quo accipitur *cap. 7. Sessionis* 14. resolvit post plures alios Zypæus *consult. unic. de Homicidio*: ideoque si voluntarium non fuerit ad sensum dicti *cap. 7.* & occultum sit, posse Episcopum dispensare.

* Quoad dispensationem irregularitatis, quæ ex hæresi provenire solet, id statuit Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 6. de Reform.* „ Idem & in hæresis crimine in eodem foro cons- „ cientiæ, eis tantùm (id est, Episcopis) non eorum Vicariis sit „ permissum dispensare.“ Notandum est hanc Concilii exceptionem: *eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum*, in Galliis locum non habere; passim enim non solùm Episcopi, sed eorum Vicarii Generales, Pœnitentiarii, imò & in nonnullis Diœcesibus Presbyteri, quos Vicarii Generales subdelegârint, absolvunt ab hæresi. Vigere eam consuetudinem Rothomagi, aliisque in locis fidem facit Sambovius *tom. 2. casuum conscientiæ, pag. 330.*

TITULUS XI.

De Seminariis Clericorum.

CAPUT I.

Origo, et scopus Seminariorum.

1 *Antiqua sunt Clericorum collegia sub directione Episcopi.*
2 *Decretum Synodi Toletanæ IV. de institutione horum Collegiorum.*
3 *His Collegiis respondent Scholæ à Carolo M. institutæ.*
4 *Ludovicus Pius ad institutionem similium Scholarum urget Episcopos.*
5 *Similiter Concilium Parisiense.*
6 *Seculo XI. hæ Scholæ ubique flacescere, & totaliter interire cœperunt.*
7 *Instaurationem earum petierunt Episcopi in Synodo Tridentina.*
8 *Synodi Tridentinæ decretum de erigendis Clericorum Seminariis.*
9 *Scopus Seminariorum ex mente Synodi.*
10 *Alumnis Seminariorum frequenter eorum finis exponendus.*
11 *Ratio institutorum Seminariorum à S. Carolo exposita.*
12 *Doctrinæ, ac præcipuè pietati acquirendæ incumbendum.*
13 *Nulli in Seminario educandi, nisi ad operandum in Ecclesiasticis functionibus.*
14 *Sanctus Carolus nolebat educari* simplices *Sacerdotes.*
15 *Ad Seminarium admissi interdum ad expensarum restitutionem astringuntur, si in statu ecclesiastico non perseverent.*
16 *Seminariorum alumni ab omni Beneficiorum ambitione debent esse alieni; idque ipsis maximè inculcandum.*
17 *Quæ à Confessario Seminarii præcipuè inculcanda.*
18 *Qualis esse debeat Seminarii Confessarius.*

I. OLim fuisse Collegia, sive Monasteria, in quibus sub Episcoporum directione Juniores Clerici instituebantur, & è quibus tanquam Seminariis Ministros Ecclesiæ Episcopi assumebant, manifestum est ex Possidio in vita S. Augustini *cap. 11.* ubi scribit, Augustinum factum Episcopum, Monasterium Clericorum extruxisse, è quo ceu quodam Seminario ad varias Ecclesias viros doctos & exercitatos mittebat: quodque plures Episcopi, excitati exemplo Augustini, similia extruxerint.

De hoc suo Clericorum Monasterio pluribus egit S. Augustinus ad populum Hyponensem *sermone* 49. & 50. *de Diversis*; modum & institutum vivendi, quod tenere proposuerat, exponens; unà declarans, quod statuisset, nullum ordinare Clericum, qui non secum in hoc Monasterio sive Collegio vivere voluisset.

II. De similibus Clericorum Collegiis, sive Monasteriis agit Synodus Toletana IV. *Can. XXIII.* apud Gratianum *caus. 12. quæst. 1. Can. I.* » *Prona est omnis ætas ab adolescentia in* „ *malum*: Nihil enim incertius quàm vita adolescentium: ob hoc „ constituendum oportuit, ut si cui in Clero puberes, aut ado- „ lescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commoren- „ tur: ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem „ magistrum doctrinæ, & testem vitæ habeant. Quod si aliqui ex „ his

(o) *Vide* Act. Acordat. 6. cap. 22. tit. 8. lib. 1. Recopil.

„ his pupilli existunt, à Sacerdotali tutela foveantur, ut vita eo-
„ rum à criminibus intacta sit, & res ab injuria improborum."

III. Hisce Clericorum Collegiis respondent Scholæ, quas institui voluêre Carolus M. ejusque succesosres, reformandæ Ecclesiasticæ, & Clericalis disciplinæ intenti. In his adolescentes ad Clerum aliquando promovendos sacris Litteris, & canonicis institutis sub Episcoporum regimine imbui, & ritè institui volebant.

De Carolo M. ita loquitur Concilium Cabilonense II. anno 813. *Can III.* » Oportet etiam, ut sicut Dominus Impera-
» tor Carolus, vir singularis mansuetudinis, fortitudinis, pru-
» dentiæ, justitiæ & temperantiæ præcepit, ut scholas consti-
» tuant, in quibus & litteræ, solertia disciplinæ, & sacræ Scrip-
» turæ documenta discantur, & tales ibi erudiantur, quibus
» meritò dicatur à Domino *vos estis sal terræ*: & qui condi-
» mentum plebibus esse valeant, & quorum doctrina non so-
» lùm diversis hæresibus, verùm etiam Antichristi monitis, &
» ipsi Antichristo resistatur, & meritò de illis in laude Eccle-
» siæ dicatur: *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura*
» *fortium.* «

IV. Et Capitulare Ludovici Pii anno 823. admonitionem generalem continens ad utriusque Ordinis homines, cum instructione Missorum Dominicorum, quos Imperator in diversas Provincias destinabat, de his scholis ad Episcopos ità loquitur: » Scholæ sanè ad filios & ministros Ecclesiæ instruendos, edo-
» cendos, sicut nobis præterito tempore ad Attineacum pro-
» misistis, & vobis injunximus, in congruis locis, ubi nec dum
» perfectum est, ad multorum utilitatem, & profectum à vo-
» bis ordinari non negligantur (p)."

V. Ex Concilio Parisiensi III. *lib.* 1. *cap.* 30. refertur in Aditione II. ad Capitularia Regum Francorum *cap.* 5. » Inter nos
» pari consensu decrevimus, ut unusquisque Episcoporum in
» scholis habendis & ad utilitatem Ecclesiæ militibus Christi
» præparandis & educandis ab hinc majus studium adhiberet.
» Et in hoc uniuscujusque studium volumus probare, & quan-
» do ad Provinciale Episcoporum Concilium ventum fuerit,
» unusquisque Rectorum scholasticos suos eidem Concilio ades-
» se faciat, quatenus & cæteris Ecclesiis noti sint, & ejus
» solers studium circa divinum cultum omnibus manifestum
» fiat. «

Hæc omnia scholas Episcopales, id est, ab Episcopis institutas, atque ab eorum regimine, ac directione dependentes spectant; de quibus latiùs Joannes Filesacus de *sacra Episcoporum auctoritate*, *cap.* 15. §. 2.

VI. Scholæ sive Collegia Episcopalia, in quibus juventus ad statum Ecclesiasticum sub cura, atque regimine Episcoporum formabatur, circa seculum XI. multùm cœperunt flaccescere; tum ob varias Academias, seu scholas publicas tunc erigi cœptas, tum injuriam temporum & desidiam Prælatorum, ita ut difficile esset ab anno millesimo usque ad Concilium Tridentinum proximè elapso seculo celebratum præter scholas publicas, aut quasdam privatas in Monachorum vel Canonicorum Regularium Monasteriis, alias scholas Episcopales invenire, in quibus juventus ad munia ecclesiastica obeunda disponeretur, uti notat Ludovicus Thomassinus de *disciplina Ecclesiæ*, *part.* 4. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 1.

VII. Hunc defectum Scholarum advertentes zelosiores Episcopi, huicque magna ex parte defectum bonorum Pastorum imputandum existimantes, in Synodo Tridentina instaurationem hujusmodi Scholarum postularunt; eorumque votum, ut medium reformationi Cleri opportunum comprobatum est; » adeò ut complures affirmarent, ubi nullus alius fructus ex eo
» Concilio deceptus fuisset, solùm hunc labores omnes & in-
» commoda compensaturum; quippe unicum adjumentum,
» quod efficax ad reparandam collapsam disciplinam agnosceba-
» tur; cùm certa sit regula, in omnia Republica tales haberi
» cives, quales educantur. « Ità Pallavicinus in histor. Concilii Trid. *lib.* 22. *cap.* 8. *n.* 3.

VIII. Hunc in finem Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 18. statuit, » ut singulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his
» majores Ecclesiæ, pro modo facultatum, & Diœcesis am-
» plitudine certum puerorum ipsius civitatis, & Diœcesis vel
» ejus Provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in Colle-
» gio ad hoc propè ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenien-
» ti ab Episcopo eligendo alere, ac religiosè educare, & Ec-
» clesiasticis disciplinis instituere teneantur."

IX. Vult autem Synodus, ut Episcopus ex pueris hîc educatis, & formatis » partim cùm ei opportunum videbitur, Ec-
» clesiarum ministerio addicat, partim in Collegio erudiendos
» retineat, aliosque in locum eductorum sufficiat, ità ut hoc
» Collegium Dei ministrorum perpetuum *seminarium* sit."

His verbis horum Collegiorum scopum expressit Synodus, ut nimirùm ità in illis pueri nutriantur, & instituantur, ut tandem in Ecclesiæ Ministros & operarios evadant; & Collegia sint revera Ministrorum Ecclesiæ *Seminaria*; quod nomen ipsis à Synodo Trid. indictum hactenus retinent.

X. Sanctus Carolus præcipuus Seminariorum instaurator, cujus normam, & exemplum Episcopi, qui Seminaria instituerunt, penè in omnibus secuti sunt, *in suis Institutionibus Seminarii*, *part.* 3. *cap.* 1. de hoc Seminariorum scopo agens, ante omnia præmittit: » Adolescentes, qui singulari Dei be-
» neficio sunt delecti, ut in Seminario instituantur, potissimùm
» intelligere debent, cujus gratiâ Concilii Tridentini decreto
» Seminaria instituta sint; & intelligentes, sæpiùs animo repe-
» tere, omnesque nervos intendere; ut illud, divina ope suf-
» fragante, ad animarum salutem, ad Ecclesiæ utilitatem, &
„ pastorum solatium consequantur."

XI. Deindè rationem institutionis Seminariorum subjungit: „ Sunt igitur ea potissimum de causa Seminaria erecta, ut in
„ iis boni, strenuique operarii ad curationem animarum, quas
„ suo sanguine pretiosissimo Christus redemit, instituantur; &
„ ii quidem adolescentes (qui ob ætatem, cùm tenera sit, &
„ proclivior ad voluptates, & flexibilis etiam ad bonarum rerum
„ impressiones admittendas in operibus virtutum erudiri debent)
„ ut eam vitæ perfectionem adipiscantur, quæ in iis, qui Doc-
„ tores populorum futuri sunt, elucere debet, & severioribus
„ disciplinæ legibus coercendi."

XII. Post hæc infert, quòd cùm duo præcipuè in Sacerdote, & Pastore requirantur, probitas videlicet, ac doctrina, earum utraque in Seminariis sit comparanda.

„ At sicut probitatis major est necessitas (ait) quàm doctri-
„ næ, sic illis in ejus studio magis est elaborandum: cùm præ-
„ sertim acquisitio virtutum, in uniuscujusque assiduitate, &
„ industria, potiùs quàm in Rectorum, aut Præceptorum di-
„ ligentia sit posita; ità ut nisi quis laborem adhibeat, non
„ multum, aut nihil illi aliorum vigilantia sit profutura.

„ Quamobrem unusquisque sit ea mente, ac voluntate, id-
„ que sibi quotidie proponat, ut omninò velit in bonum Minis-
„ trum pro hujus Ecclesiæ Mediolanensis adjumento evadere;
„ seque, Deo juvante, purum ab omni pecc..ti labe conserva-
„ re; sic enim affectus, multò facilius doctrinæ cognitionem ac-
„ cipiet, majore tum suo, tum cæterorum emolumento; be-
„ neficiique magnitudinem agnoscens, quòd illi tam præclara sit
» oblata facultas, toto animo singulis diebus Deo se offerat;
» rogetque ut se ad prædictum finem idoneum efficiat opera-
» rium. «

Martinus Rithovius Episcopus Iprensis in sua Synodo anno 1577. *tit.* 23. *cap.* 5. postquam norman docendi, & instituendi juventutem in Seminario proposuit, subjicit: » Omnis au-
» tem institutio in hac Schola eo principaliter dirigatur, ut qui
» instituendi suscipiuntur, in timore Dei foveantur; & in bona
» voluntate ministeriis Ecclesiasticis sese mancipandi confirmen-
» tur; ut cùm ætate ac litterarum scientia ad virtutum, & gra-
» tiarum proficiant incrementa, jactaque in eis semina, tandem
» in agro Domini fructus referant copiosos."

XIII. Imò unicum esse Seminariorum scopum, ut in eo Operarii in messem Dominicam mittendi formentur, ità Carolo persuasum erat, ut declaret, » quòd si quis decursu temporis de
» statu mutando consilium caperet, etiamsi de Religione ingre-
» dienda cogitaret, de eo Reverendissimum Archiepiscopum,
» vel Rectorem certiorem faciat. Peccaret enim (ait) si in Se-
» minario hoc animo viveret, in alium finem consumens, quod
» ad operarios solùm pro hujus Ecclesiæ auxilio sustentandos
» est constitutum."

XIV. Eundem in finem monet *part.* 1. *cap.* 2. quòd si sint qui aliqua ratione non ostendunt, se idoneos Sacerdotes ad animarum curam evadere posse, è Seminario dimittantur: » Cùm (ait) non ea de causa sit institutum, ut in eo simplices
» Sacerdotes sibi tantùm utiles futuri educentur."

XV. In nonnullis quoque Diœcesibus, ingrediens Seminarium juramento promittere debet, » se nunquam ad aliam vitæ
» rationem discessurum, sed perpetuò Ecclesiæ Christi fideliter
» inserviturum in eo gradu, & ordine, qui à Reverendissimo
» Domino Episcopo ipsi assignabitur: « ità Synodus Burdigalensis anno 1583. de Institutione & legibus Seminariorum, quæ extant ad calcem Synodi *tom.* 15. *Concil. Generalium*, *pag.* 992. additque: » quòd in ipso ingressu tenebitur duos ex propinquis
» suis Episcopo sistere, qui pro eo caveant, ac fidejubeant, se
» pensionem illius persoluturos pro tempore, quo in Seminario
» vixerit, si in ordine & statu Ecclesiastico perseverare nolit;
» nisi aliud justa de causa Episcopo visum fuerit."

XVI. Quamvis autem Seminariorum alumni ad statum Ecclesiasticum, & curam animarum destinentur, ipsi tamen ab omni ambitione & aviditate Beneficiorum & rerum temporalium alie-

(p) *Hispaniarum Reges Philippus II. anno* 1586. *& Philippus III. die* 30. *Januarii ann.* 1608. *Supremo Senatui commissere curam, ut invigilarent, ne Prælati Seminaria ad mentem Concilii Tridentini desierint erigere: quæ præcepta hodiè extant in* leg. 54. & 62. lib. 2. tit. 4. Recopil. *quibus addendus est* §. 12. *Summarii*, tit. 4. lib. 2. Actor. Acordat.

alieni esse debent, sæpè animo repetentes, quòd in ipsa Tonsuræ Clericalis susceptione verbis fuere professi: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*: quasi dicerent, se in militia Christi non aliam hæreditatem seu partem vel mercedem, quàm Dominum expetere, aut expectare.

Unde monet S. Carolus *part.* 1. *cap.* 1. »ut detur opera »præcipuè in sermonibus, & confessionibus, ut omnis ex Cle»ricorum mentibus sitis & aviditas Beneficiorum tollatur, ac »proindè videatur, ut ea de re ne ipsi quidem inter se collo»quantur; ac iis sæpius inculcetur, quàm aversi ab omni rerum »humanarum cogitatione, Ecclesiastici Ordinis homines in via »Domini ambulare debeant."

XVII. Monet quoque Seminarii Confessarium: »Studeat in »omium mentibus maximum animarum zelum, propriæ volun»tatis abnegationem, veram obedientiam, paternam charitatem »inserere; internascentia opimorum Beneficiorum, vel divi»tiarum desideria salutaribus monitionibus extinguat, quoslibet »etiam iis de rebus sermones prohibeat; solam denique illis Dei »gloriam, & animarum salutem procurandam esse doceat, & »expetendam."

Hæc *parte* 2. *cap.* 4. quod *De officio Confessarii* inscribitur, atque ante omnia præmittit, »Confessarius Seminarii illud „secum reputet, ex se rectaque sui muneris administratione „pendere eorum, qui in Seminario vivunt, in omni virtute „progressum.

„Quare turpe sibi fore, nisi ita vivat, & in omni vitæ parte „ita se gerat, ut ex ipsius vita, moribusque, omnis virtutis, „atque officii exempla peti possint.

„Pietate, mansuetudine, humilitate, prudentia, charita„te officii sui dignitatem sustineat, auctoritatem tueatur.

„Familiæ totius pax, & concordia ejus curæ sit: quare ani„morum offensiones, si quæ suboriantur, sedare confestim om„ni ratione studeat.

„Vitam, & mores uniuscujusque, quantum fieri possit, „exploratos habeat; ut vel ad officium revocare errantes vel „in via Domini incitare ingressos possit."

Meritò hæc attendunt Seminariorum, & Collegiorum Intendentes, ut solicitè pios, zelosos, atque eruditos suis alumnis Confessarios procurent; cùm inde magna ex parte Seminariorum, & Collegiorum fructus dependeat.

CAPUT II.

Qui ad Seminaria admittendi.

1 *Quales ad Seminarium admittendi ex decreto Synodi Tridentinæ.*
2 *In admittendis magis morum probitatem, quam ingenium attendi voluit S. Carolus; rigidumque examen institui.*
3 *Decretum Synodi Cameracensis circa admittendos.*
4 *Pauperes sumptibus Seminarii admittendi, divites propriis sumptibus.*
5 *Qui se pauperes esse mentiti sunt, è Seminario expellendi.*
6 *Ad quæ ex decretis Synodalibus Belgicis Seminaristæ se obstringere debeant.*
7 *Cura spiritualis Seminariorum primariò Episcopis est commissa.*
8 *Episcopus in directione Seminarii duos Canonicos in consilium adhibere debet.*
9 *Scopus visitationis Seminariorum per Episcopum instituendæ.*
10 *Forma visitationis, quam tenuit S. Carolus.*
11 *Quid Seminariis à S. Carolo institutis fuerit oppositum.*
12 *Singulis Seminariis præficiendus Rector sive Præses.*
13 *Hujus officium describitur.*
14 *Synodus Tridentina supponit in Seminariis esse plures diversarum scientiarum magistros.*
15 *In Seminariis S. Caroli quales essent, & in Belgicis esse soleant.*
16 *Synodi Belgicæ Theologiæ studiosos ad Seminarium admitti duntaxat desiderant.*
17 *Fructus Seminariorum præcipuè dependet à professoribus.*

I. SYnodus Tridentina in suo de erectione Seminariorum decreto vult, ut „in hoc Collegio recipiantur, qui ad „minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio na„ti sint, ac legere & scribere competenter noverint, & quorum „indoles, & voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministe„riis perpetuò inservituros."

II. Sanctus Carolus volens è Seminariis fructum amplum colligere; sciensque quàm facilè à malis & discolis corrumpantur etiam boni, inter alia monuit *part.* 1. *cap.* 9. *Institutionum Seminarii*, quòd »maxima cautio adhibenda sit in eo præci»puè, ut idonei Clerici in Seminarium recipiantur: neque so»lùm ingenium, & habilitas ad studia litterarum, functiones»que ecclesiasticas exercendas expectentur; sed multò magis *mo»rum*, ac *disciplinæ* in singulis ratio habeatur. Quales enim (ait) »ii fuerint qui admittentur, tales prorsus è Seminario fructus exi»tent."

Normam examinis, quam in admittendis ad Seminarium tenere voluit, subjicit; quàm meritò Episcopi, aliique, quibus admittendorum ad Seminaria cura incunbit, expendent, & inibunt.

III. Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 21. *cap.* 10. de receptione studiosorum; hæc habet: »Studiosi sint omnes viginti an„norum, pietate, & eruditione commendabiles, & habito delec„tu ingeniorum, & doctrinæ ad Seminarium per concursum à „singulis Episcopis in suis Diœcesibus cum dictis Capituli & Cle„rici deputatis, aut eorundem subituris celebrandum assuman„tur, & pauperum filii, ac commendati à contribuentibus dic„to Seminario cæteris paribus aliis præferantur, sintque ex le„gitimo matrimonio nati, non claudi, non in manibus, aut alia „corporis parte notabilem defectum habentes. Quòd si aliqui „sint qui integram bursam contribuant, habebunt jus præsen„tandi idoneum sine concursu."

IV. Pergit deinde Synodus Trident. „Pauperum autem fi„lios præcipuè eligi vult, nec tamen divitum excludit, modo suo „sumptu alantur, & studium præ se ferant, Deo & Ecclesiæ „inserviendi."

V. Synodus Remensis anno 1583. *tit. de Seminariis, num.* 12. voluit: „Si fraude aliqui divites fuerint in Seminarium intro„ducti, & post professionem egestatis tales fuerint reperti, expel„lantur, tanquam mentiti Spiritui Sancto, & egenorum hære„ditatem invadere non veriti, sumptus jam factos pro ratione „temporis Seminario refundere cogantur."

VI. Similia occurrunt in Synodis Belgicis. Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 21. *cap.* 17. ait: „Singuli autem studiosorum „in sua ad dictum Seminarium assumptione jurent se, cùm ido„nei invenientur, id muneris in Ecclesia Dei subituros; quos „suus Episcopus illis injungendum existimaverit; alioquin re„fundent sumptus, quos fecerint in Seminario, pro quo da„bunt fidejussores, promittentque cùm ad pinguiorem fortu„nam devenerint, se memores futuros accepti beneficii, & „in communem ejusdem Seminarii utilitatem aliquid liberaliter „elargituros.

Diœcesana Mechliniensis anno 1609. *tit.* 20. *cap.* 4. „vult „quoque, quòd singuli in sua ad Seminarium assumptione de„clarabunt, se habere animum ad statum ecclesiasticum; & in»super promittent se, cùm idonei invenientur, id muneris in Ec»clesia Dei subtituros, quod nos ipsis injungemus, aut refuturos »expensas, quibus Seminarium affecerint. Et *cap.* 5. Promittent »etiam, si ad pinguiorem fortunam devenerint, se in memo»riam accepti beneficii Seminarium de bonis suis temporalibus »adjuturos."

Denique *cap.* 6. declarat: »quòd simul atque per ætatem, »scientiam, & aliàs idonei fuerint, ut fiant Subdiaconi, Diaconi, »& Sacerdotes, ad eosdem Ordines se component, & *jussi* »suscipient, & in susceptis diligenter ministrabunt."

Similia in aliis Synodis passim statuuntur, & injunguntur.

VII. Curam Seminarii, atque auctoritatem præscribendi leges & vivendi modum Synodus Tridentina Episcopis comittit; utpotè quorum præcipuè interest, ut strenui operarii in Seminariis formentur.

Postquam enim nonnulla, quæ tum ad instructionem juventutis, tum ad morum disciplinam, ac pietatem formandam conducere possunt, præmiserat, subjungit: »Quæ omnia, atque alia, »ad hanc rem opportuna, & necessaria, Episcopi singuli cum »consilio duorum Canonicorum seniorum & graviorum, quos »ipsi elegerint; prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent; »eaque ut semper observentur, sæpiùs visitando operam dabunt. »Discolos, & incorrigibiles, ac malorum morum seminatores »acriter punient; eos etiam, si opus fuerit, expellendo; om»niaque impedimenta auferentes, quæcunque ad conversandum »& regendum tam pium & sanctum institutum videbuntur per»tinere, diligenter curabunt."

Hinc manifestum est, Episcopi directioni ipsum spirituale Seminarii regimen, atque puerorum educationem & formationem esse præcipuè concredita.

VIII. Vult quidem Synodus ab Episcopo eligi duos Canonicos seniores & graviores, de quorum consilio in hoc spirituali Seminarii regimine procedat; & eorum consilium petere, & audire tenetur, sed sequi non jubetur: potestque Episcopus eorum consilio adhibito statuere, & declarare, quæ providentia sua magis expedire judicaverit; quemadmodum declarâsse S. Congregationem refertur ad calcem decreti Concilii Tridentini *de Seminariis*: extat quoque apud Zerolam in praxi Episcopali *part.* 1. Verbo *Seminarium*.

IX. Scopus visitationis Episcopalis esse debet, assequi ipsius Seminarii, tam quoad temporalia, quàm spiritualia, perfectam notitiam; ac præcipuè ipsorum puerorum, sive alumnorum

rum mores, profectum in studiis & pietate; quemadmodum in instructionibus Seminarii à S. Carolo præscriptis deducitur, *part.* 1. *cap.* 8. quod *de Visitatione* inscribitur; ubi inter cætera statuitur, ut „ hebdomada Resurrectionis, ac circiter festi„ vitatem B. V. Reverendissimus Archiepiscopus adhibitis in „ consilium Deputatis, generalem visitationem habeat; in qua „ deliberet, quæ ad Clericorum ejusdem Seminarii institutionem, „ disciplinam, mores, studiorum progressionem, rerumque tem„ poralium administrationem attinent.“

Deinde ut Archiepiscopus „certior fiat à Rectore de disci„ plina & moribus cujusque, ac singulos separatim alloquatur: „ quæ sit eorum mens, quis sensus, quam in vocatione stabilis, „ inquirat, ac si quid aliud præterea scire voluerit.“

X. De ipso S. Carolo in ejus vita legitur, quod bis per annum instituerit generalem Seminarii sui visitationem; eamque adeò exactam, ut ipsemet annotaret singulorum studium ætatem, parentes, patriam, patrimonium, qualitates tam corporis, quàm spiritus, atque eorum in scientiis progressum, ut ipsos pro ratione scientiæ faceret de una ad alteram classem ascendere; eosque pro cujusque capacitate ministeriis suæ Diœcesis applicaret. Præ cæteris autem se informabat, quis esset studiosorum progressus in pietate, in oratione mentali, exercitio virtutum clericalium; item de ipsorum tentationibus, & anxietatibus & pœnis interioribus; ut tepidiores ad fervorem excitaret; retineret verò qui zelo præcipiti & indiscreto ultra suas vires progredi volebant; si quos videbat tentationibus quibusdam agitatos, & quasi ad lapsum propensos, eos fortificare & animare satagebat; Verbo, omnibus omnia factus, omnes lucrari satagebat; & quos suavitate, ac benignitate, crebraque monitione lucrari non poterat, pœnitentiarum impositione tandem probabat; aut ad aliud Seminarium mittebat, vel alicui bono Sacerdoti confidebat, qui eum in domum suam reciperet, & specialem curam ageret.

XI. Hæc Goudæus Episcopus Venciensis in vita S. Caroli Gallicè conscripta *lib.* 1. *cap.* 12. qui fusiùs zelum hujus Archi-Præsulis in directione Seminariorum ibidem enarrat; atque unà notat, quòd ut primùm hoc pium opus aggressus fuisset Carolus, diabolus prævidens fructum ex hac recta Seminariorum institutione proventurum, rumorem spargere cœperit hæc Seminaria esse carceres, quibus Carolus teneret juvenes inclusos; quodque fierent hectici ex nimiis vigiliis, jejuniis, & occupationibus seu exercitationibus spiritûs: atque hic rumor multos adolescentes ab ingressu primùm retraxisse. At illius falsitate sensim detectâ, non tantùm pauperum, sed & magnatum & divitum proles admitti postulâsse; atque admissionem ipsam beneficii loco reputâsse.

Hinc discant Episcopi, aliique Seminariorum, & Collegiorum directores, à recta, & pia juventutis institutione, disciplinaque ob hujusmodi malevolorum rumores, non esse deflectendum, aut remittendum.

XII. Verùm quia Episcopi variis Ecclesiæ negotiis distracti nequaquam possent per se semper Seminaristis intendere, ac Seminariorum curam habere, singulis Seminariis necessarius visus est Præfectus aliquis, quem S. Carolus in suis institutionibus vocat *Rectorem*, nos verò plerumque *Præsidem* Seminarii vocare solemus.

Huic primaria post Episcopum & sub Episcopo cura & directio Seminarii incumbit; atque ab illo dependere solet ipsius Seminarii bona, vel mala disciplina, & institutio.

XIII. In sæpè citatis Institutionibus Sancti Caroli *part.* 2. *cap.* 2. de Rectore scribitur: „Illud sæpius Rector animo „ repetat, quàm grave suis humeris onus incumbat; cùm ab eo„ rum qui in Seminario vivunt recta institutione, totius Diœ„ cesis reformatio pendeat.

„ Quapropter, uti qui illius fidei commissi sunt, eos è Se„ minario fructus percipiant, quos Ecclesia sancta, ac Triden„ tinum præcipuè Concilium sibi proposuit; quàm diligentissi„ mè curet, ut in se ipso eas ad vivum virtutes exprimat, quas „ in Clericis requiret; ita ut qui illi subjecti sunt, in eo tanquam „ in speculo expressam videant ejus vitæ imaginem, quæ illis „ omni studio sit effingenda: memineritque, exemplum vivam „ esse doctrinam; nec ipsi minus cùm taceat, quàm cùm loqua„ tur, esse alios ad pietatem incitandos.

Divinæ in primis gloriæ amplificationem, Clericorum in „ omni virtute perfectionem semper ante oculos habeat, & ad „ eum finem omnes cogitationes referat, & curas.“

„ Studeat, ut quæ ad spiritualem progressum spectant, rec„ tè atque ordine administrentur; ut quotidianæ, aut aliàs sta„ tæ exercitationes, nisi necessaria de causa non intermittantur.

» Curam omnium Collegiorum ejusdem Seminarii primam » & præcipuam habeat.« Hæc S. Carolus latiùs ibidem officium Rectoris sive Præsidis Seminarii describens.

Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 21. *cap.* 9. vult, » Semina» rium ipsum uni Rectori seu Præsidenti committatur... qui sit » Sacerdos sacræ Theologiæ aut Decretorum Doctor aut Licen» tiatus.«

XIV. Præter Rectorem sive Præsidem, cui primaria sub Episcopo Seminarii cura, & directio incumbit, debent insuper esse plures inferiores Officiales, & Magistri, qui juventuti tum erudiendæ, tum instituendæ intendant.

Et quidem Synodus Tridentina volens, ut admissi ad Seminarium grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discant: Sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas edisc ant, sat patenter declarat, se desiderare, ac quasi supponere, in Seminario futuros Professores, non tantùm qui Sacram Scripturam, & Theologiam prælegant, sed & qui grammatices (q) aliarumque bonarum artium fundamenta tradant: uti rectè notavit Zypæus *Consult.* 3. *de Magistris*, *num.* 8.

XV. In Seminario Sancti Caroli non tantùm Theologiæ, sed & humaniorum, ac philosophiæ Professores fuisse, ex Institutionibus Seminarii patet, atque idcircò & *Præfectus studiorum* erat, qui rei litterariæ præesset, & curaret, ut juvenes leges Seminarii ad studia spectantes inviolatè servarent, de quo *parte* 2. *cap.* 5. *dictarum Institutionum*.

Hinc in Belgio licèt in quibusdam Seminariis etiam habitent pueri studiis humanioribus incumbentes, nequaquam tamen hæ scientiæ in Seminariis tradi solent, sed passim ad lectiones, quæ aliis in Scholis habentur, exeunt; & humanioribus absolutis pro ediscenda philosophia ad Academias mittuntur.

XVI. Quin ad Belgica Seminaria ferè soli illi admittuntur, qui humanioribus, & philosophiâ absolutis, idonei sunt, ut studio theologico se addicant; quod & ex mente Synodorum esse, haud obscurum est.

Præterquam enim quod de sola Theologia tradenda in Seminaris ferè mentio fiat, eam in admittendis ad Seminaria ætatem requirunt, ut satis appareat desiderari adolescentes, qui studia humaniora absolverint.

Synodus P. II. Cameracensis requirit, ut Seminarii studiosi sint omnes viginti annorum Synodus Diœcesana Mechliniensis *tit.* 20. *cap.* 3. vult, ut ad Seminarium non assumantur, nisi sint saltem octodecim annorum.

XVII. Hoc notorium & quotidianâ experientiâ comprobatum est, à pietate ac zelo Professorum maximâ ex parte dependere Seminariorum fructum; ac è Seminariis plerumque haberi Sacerdotes, ac Pastores Professoribus tum in pietate, doctrina & zelo animarum similes: ut propterea curandum sit Episcopis, aliisque, qui Seminariis intendunt, ut Professores pietate, eruditione, ac zelo animarum præstantes præficiant, si Pastores iis qualitatibus instructos desiderent.

CAPUT III.

Media temporalia Seminariis fundandis impendenda.

1 *Primum medium à Synodo Tridentina suggestum.*
2 *Secundum medium ab eadem Synodo probatum.*
3 *Idem in Synodis Belgicis comprobatum.*
4 *Hæc media non videntur habuisse successum in Belgio.*
5 *Tertium medium in Synodo Tridentina probatum; illudque convenientius, nimirum Beneficiorum simplicium incorporatio.*
6 *Quare conveniat Beneficia simplicia Seminario uniri.*
7 *Quid de unione Beneficiorum ad collationem Episcoporum pleno jure spectantium.*
8 *Quid de Beneficiis patronatûs Laici; præsertim in Belgio.*
9 *Synodus Trid. vult difficultatem super unione Beneficiorum judicio Episcopi terminari.*
10 *An à judicio Episcopi aliquando appellari queat.*
11 *In Seminariorum fundatione hodie intervenire solet auctoritas Regia, & quare.*
12 *Quatuor Deputati, quorum consilio in administratione temporali Seminarii Episcopus uti debet.*
13 *Hi à Deputatis pro administratione spirituali distincti, & quomodo in Synodis Belgicis fuerint sex deputati nominati.*
14 *Habent duntaxat votum* consultivum.

I. SYnodus Tridentina enixè desiderans Seminariorum erectionem, & juventutis in eisdem efformationem; unà tamen considerans magnitudinem sumptuum, qui ad Collegii fabricam instituendam, ad mercedem præceptoribus, & ministris solvendam, & ad alendam juventutem necesarii sunt, tria media, è quibus hi sumptus haberi possent, proposuit.

Prigerens existit, *uti constat ex* leg. 34. tit. 7. lib. 1. Recop.

(q) *Hoc studium prohibitum est erigi, vel erectum permanere, nisi in his civitatibus oppidisque, ubi Prætor, vel ejus vices*

Primum, ea, quæ ad instituendos vel alendos pueros in aliquibus Ecclesiis & locis destinata sunt, eo ipso Seminario applicata censeantur.

Hoc medium ante omnia impendi oportere, mandat Synodus P. I. Mechliniensis; nec alterius medii meminit; sed erigendi Seminarii certam rationem à Synodo Diœcesana constituendam decernit.

II. Secundum medium à Synodo Tridentina suggestum consistit in applicatione alicujus portionis ex fructibus integris mensæ Episcopalis, & Capituli; & in pensione super fructibus seu proventibus Dignitatum, Personatuum, Officiorum, Præbendarum Abbatiarum, Prioratum, etiam Hospitalium in titulum conferri solitorum; item generaliter super proventibus omnium congregationum, & communitatum ecclesiasticarum, solis Ordinibus Mendicantibus, Fratribus S. Joannis Hierosolymitani exceptis.

III. Synodus P. I. Cameracensis conformiter ad hoc medium à Concilio Tridentino propositum, præcipit, „ ut quam„ primum fieri possit, modus constituatur, facta omnium Be„ neficiorum, atque eorum omnium, quorum decretum Con„ cilii Tridentini *Sess.* 23. *cap.* 18. mentionem facit, æstima„ tione, quo ad hæc Seminaria ponenda, & constituenda, suffi„ ciens contributio fiat."

Et deinde Synodus P. II. Cameracensis rursus mandat: „ Ut „ provideatur de sumptibus ad supradicta, nec non ad studio„ sorum alimoniam necessariis singuli Episcopi cum dictis suis „ Deputatis quamprimum fieri poterit, portionem aliquam ex „ omnibus Beneficiis (ubi hactenus detracta non est) detrahant; „ quæ in solos usus Seminarii convertatur." *Tit.* 21. *cap.* 18.

Hujus medii meminit quoque Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 21. *cap.* 1. præcipitque, ut „ sexagesimus denarius, aut „ plus minusve, prout videbitur Episcopo, cum consilio eo„ rum, qui ex decreto dicti Concilii Trident. eidem sunt ad„ jungendi, è bonis ecclesiasticis in qualibet Diœcesi in hunc „ usum applicetur."

Et in sua Synodo Diœcesana an. 1609. Archiepiscopus Mechliniensis, „ ex omnibus & singulis bonis ecclesiasticis, quæ „ secundum sacrum Concilium Tridentinum ad contributionem „ pro Seminario tenentur, circiter sexagesimum nummum an„ nuatim contribuendum censuit, & contribui mandavit; donec „ aliâ ratione ità Seminario provisum esse constiterit, ut præ„ factam portionem in totum, vel ex parte remittendam esse „ judicaverit. "

IV. Num hæc Synodorum & Episcoporum decreta quoad applicationem hujus medii aliquem habuerint effectum, dubito. Hoc sat constat, generalem executionem istius medii, prout à Synodo Tridentina fuit propositum, non exiguis difficultatibus esse obnoxium. Quis enim nescit, quàm difficulter, præsertim hisce in Provinciis, Capitula, Abbatiæ, Monasteria, Hospitalia, aliaque similia corpora permittent, ut sola Episcopali auctoritate, aut etiam ecclesiastica quacunque auctoritate pars proventuum annuatim ipsis auferatur, & Seminario Episcopali attribuatur: testaturque „ Zypæus *Consult.* 3. *de Magistri num.* 5. „ hîc detractionem per injuriam temporum ex proventibus ec„ clesiasticis usquequaque fieri non potuisse."

V. Tertium medium à Synodo Tridentina propositum consistit in unione simplicium Beneficiorum: illudque tanquam convenientissimum variis modis extendit.

Imprimis concedit aliquot Beneficia simplicia, cujuscunque qualitatis, & dignatatis fuerint, vel etiam præstimonia vel præstimoniales portiones Seminario applicari, & incorporari.

Permittit autem hanc incorporationem fieri *etiam ante vacationem*; sine tamen cultûs divini, & illa obtinentium præjudicio.

Ulteriùs vult, ut incorporatio locum habeat, etiamsi Beneficia sint *reservata*, vel *affecta*.

Declarat præterea, nec hanc incorporationem per resignationem ipsorum Beneficiorum, uniones, & applicationes suspendi, vel ullo modo impediri posse, sed omninò, quacunque vacatione, etiamsi in *Curia* effectum suum sortiatur, & quacunque constitutione non obstante, posse uniri.

Hæc sat evincunt, enixam fuisse Synodi mentem, ut hoc medio Episcopi uti possent.

VI. Et sanè cùm hæc Beneficia nec residentiam, nec aliquod personale officium requirere soleant, exigua ex his utilitas, aut fructus in Ecclesiam redundare contingit: ut propterea inter articulos nomine Caroli XI. Galliarum Regis in Concilio Tridentino oblatos hic esset vigesimus quartus: „ Cumque „ plura sint Beneficia, in quibus contra Beneficiorum institutio„ nem invaluerit depravata consuetudo, ut qui ea possident, „ nullo teneantur concionandi, Sacramenta administrandi, aut „ alio onere ecclesiastico, Episcopus cum Consilio Capituli his „ Beneficiis curam aliquam spiritualem imponat, aut si utilius vi„ deatur, ea Beneficia vicinioribus Parochialibus Ecclesiis uniat: „ Beneficium enim sine officio esse, neque debet, neque po„ test. "

VII. Hæc Beneficiorum unio & incorporatio facilè & sine oppositione fieri poterit, si Beneficiorum collatio pleno jure ad Episcopum pertineat: at si ad alium collatio, vel præsentatio spectet, difficulter hîc admittetur unio, nisi ipse Collator, aut Patronus, aliique interesse habentes legitimè fuerint interpellati & auditi: quemadmodum in unionibus observandum esse Canones præscribunt.

VIII. Quin si ipsa Beneficia fuerint Patronatus laici, nequaquam admittetur unio, nisi ipsius Patroni consensus accedat.

In ipsa Concilii Trident. in Belgio promulgatione apposita fuit ad dictum *cap.* 18. hæc nota: „ Committitur Episcopis cu„ ra erigendi Seminarii pro institutione adolescentum in disciplí„ nis ecclesiasticis, etiam cum incorporatione & applicatione „ fructuum Beneficiorum juris patronatûs laici, & hospitalium, „ & decimarum secularibus competentium, & dinde quædam „ præscribuntur observanda in collationibus Beneficiorum, quæ „ *scholasticæ* dicuntur. Monent hîc rursum, tangi jus patrona„ tûs, decimas laicorum, & fundationes Regias. "

Quâ notâ sat indicant, *consensum laicorum* esse necessarium; quemadmodum notârant ad *cap.* 5. *Sessionis* 21. ubi de unionibus agitur; & hæc nota apposita fuit: „ Potestas fit Episcopis „ ex justis causis, uniones faciendi Ecclesiarum & Beneficio„ rum. Sed monent Consilia Regia opus esse placito Regio, „ & consensu Patronorum Laicorum. "

IX. Ut verò facilior esset decreti executio, voluit Synodus: „ ut si vel pro unionibus, seu proportionum taxatione, vel „ assignatione, & incorporatione, aut qualibet alia ratione ali„ quam difficultatem oriri contigerit, ob quam hujus Seminarii „ institutio vel conservatio impediretur, aut perturbaretur: Epis„ copus cum supra deputatis, vel Synodus Provincialis, pro „ regionis more, pro Ecclesiarum, & Beneficiorum qualitate, „ etiam supra scripta, si opus fuerit, moderando, aut regen„ do, augendo, omnia & singula, quæ ad facilem hujus Se„ minarii profectum necessaria & opportuna videbuntur, de„ cernere, ac providere valeat."

X. Hîc apparet, Episcopum circa uniones, assignationes, & taxationes cum plenaria, & amplissima potestate judicem constitui, nihilominus si Episcopus, vel uniendo, vel taxando, aliove modo decernendo, videatur aliquid contra juris Ordinem, & perperam decrevisse, hæc quæstio non coram ipso Episcopo, ejusve Tribunali, erit agitanda; sed coram legitimo judice superiore; quemadmodum in casu occurrente respondit, & solidè ostendit Zypæus *Resp.* 1. *de Magistris.*

XI. Porrò ad evitandas difficultates, nec non faciliorem operis executionem, Episcopi Seminaria extruere intendentes solent implorare auctoritatem Regiam, atque Litteras Regias impetrare, quibus & ipsa Seminarii constructio probetur (r); nec non insuper auctoritas uniendi Beneficia; aut certas pensiones super quibusdam Beneficiis imponendi conceditur; quarum litterarum plura exemplaria extant in actis Cleri Gallicani *tom.* 1. *tit.* 1. *cap.* 5.

XII. Ut tamen Episcopi in hac Seminariorum extructione, & mediorum applicatione securiùs, ac majorem cum circumspectione procedant, Synodus Tridentina præcipit, ut Episcopi hæc omnia agant cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter à Capitulo eligatur. Itemque duorum de Clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius verò ad Clerum pertineat.

XIII. Hi quatuor distincti sunt ab illis duobus Canonicis senioribus, & gravioribus à solo Episcopo eligendis, quorum consilio, quæ ad disciplinam Seminarii spectant, ab Episcopo ordinanda sunt.

Sex illos Deputatos in Synodo Diœcesana partim à se, partim à Capitulo & Clero electos pronuntiavit Archiepiscopus Mechliniensis *tit.* 20. *cap.* 1. & 2. „ Duos quidem quorum consilio „ in constituendis regulis, electione puerorum singulorum in„ troducendorum, discipulorum expulsione, Magistris constituen„ dis, visitatione ac similibus semper utatur."

Quatuor verò aliorum Deputatorum „ Consilio in tota tem„ porali administratione, Beneficiorum unionibus, cæterisque „ hujusmodi utatur."

Similiter Episcopus Namurcensis anno 1659. in sua Synodo *tit.* 21. *cap.* 8. 9. & 10. sex Deputatos eundem in finem electos declaravit.

XIV. Hi omnes Seminarii Deputati habent votum duntaxat *consultivum*, non *decisivum*; & quamvis eorum consilium Episcopus requirere teneatur, non tamen sequi jubetur: uti decisum refert Barbosa in Collectaneis ad *cap.* 18. *Sess.* 23. *Concilii Tridentini.*

CA-

(r) *Ad constituenda Seminaria litterarum Regiarum necessitas probatur Edicto quod Rex Ludovicus XV. Gallis dedit mense Augusto ann.* 1749. *Cui consonæ sunt leg.* 54. & 62. §. 2. *lib.* 2. *tit* 4. *Recopil. Hispan.*

CAPUT IV.

De Collegiis Academicis.

1 *Olim etiam fuerunt Scholæ publicæ.*
2 *Erigere Scholas publicas pertinet ad supremam potestatem.*
3 *Synodus Parisiensis seculo IX. erectionem hujusmodi Scholarum postulavit.*
4 *Cur hæ Scholæ dictæ* Universitates.
5 *Varia privilegia, & prærogativæ his Scholis concessa.*
6 *Ad has Scholas plures viri Eruditi, & major copia studiosorum solent confluere.*
7 *In Universitatibus & signanter in hac Lovaniensi varia erecta Collegia, & quare.*
8 *Collegia hæc suos speciales habent proventus, diversimodè impendendos.*
9 *Ad Collegia sumptibus Collegii alendi ordinariè non nisi pauperes admittendi.*
10 *Præter Præsidem Collegii sunt & Collegiorum Provisores; & quod horum officium.*
11 *Disciplina Collegiorum præcipuè dependet à Præside.*
12 *Norma vivendi præscripta Collegiorum non absimilis disciplinæ Seminariorum.*
13 *Ostenditur exemplo Collegii Adriani VI. sive Pontificii.*
14 *A quo, & quando hoc Collegium fundatum.*
15 *Quis huic præsit, & qui admittendi.*
16 *Examen quod circa admittendos instituitur.*
17 *Non convenit, ut Fundatores passim consanguineis suis dent prærogativam ad Bursas.*
18 *Judicium Tilmanni Clerici de Fundatoribus Bursarum cum consanguineorum prærogativa.*
19 *Admissi ad Collegium per exercitia spiritualia se recolligunt; quæ in decursu Theologico sæpiùs reiterant.*
20 *Quæ hujus Collegii exercitia quotidiana ante meridiem.*
21 *Quæ pomeridiana.*
22 *Plures habentur hebdomadatim lectiones collegisticæ.*
23 *Quæ sint specialia exercitia diebus Dominicis & Festivis.*
24 *Comessationes & potationes non frequentantur.*
25 *Quomodo ad Ordines accedant.*
26 *Episcopi capaciores ad Collegia Academica mittere solent; & quare.*
27 *Quid in hac missione Episcopi attendere debeant.*

I. PRæter Scholas Episcopales sive Seminaria, in quibus Clerici, aut ad Clerum assumendi instituebantur & erudiebantur, jam pridem etiam institutæ fuêre Scholæ publicæ; non quidem in singulis civitatibus, sed quibusdam duntaxat celebrioribus; idque suprema auctoritate.

II. »Regium planè munus est; (ait Choppinus *lib. 3. de »Dominio Gallico, tit. 27. num. 1.*) Scholasticas Universitates »instituere (s), non Procerum Galliæ inferiorum. Et sanè in »partibus Regaliorum recensendis hanc non transmiserunt Ra»phael *Consil.* 162. Barbatias, Baldus. Unde si vel Regius fra»ter, cui fiduciæ lege data sit amplissima civitas, publici in »ea Musæi restitutionem reformationemque mandârit nonnul»lis, puto Regiæ auctoritatis jus imminutum.«

III. Unde anno 829. Patres Concilii Parisiensis ad Ludovicum Pium Imperatorem sermonem convertunt, eum exhortantes, ut tres Scholas publicas, quas Carolus pater ejus in»choaverat, perficere dignaretur. »Similiter etiam (inquiunt) ob»nixè ac simpliciter Vestræ Celsitudini suggerimus, ut mo»rem paternum sequentes, saltem in tribus congruentissimis »Imperii Vestri locis Scholæ publicæ ex Vestra auctoritate fiant, »ut labor patris Vestri ac Vester per injuriam (fortè *incu»riam*) quod absit, labefactando non pereat: quoniam ex hoc »facto & magna utilitas, & honor S. Dei Ecclesiæ, & Vo»bis magnum mercedis emolumentum, & memoria sempiter»na accrescet.«

Hîc agi de scholis *publicis* quas hodie *Academias* seu *Universitates* dicimus: ex ipso contextu sat manifestum est, & multis ostendit Cæsar Bulæus in historia Universitatis Parisiensis ad annum 829.

IV. Hæ Scholæ dictæ fuerunt publicæ, quòd passim omnes artes, & scientiæ in illis traderentur; nec tantùm Clericis aut ad Clerum assumendis, prout scholæ *Episcopales*, sed omnibus indifferenter adolescentibus paterent; atque inde paulatim *Universitates*, id est, Scholæ *Universales* dici cœperunt.

V. His Scholis, earumque Professoribus, & Scholaribus varia tum à Principibus, tum à Romanis Pontificibus privilegia data fuerunt; nec non mercedes sive honoraria etiam è publico Principis ærario, aut civitatum attributa fuerunt; æqualia huic nostræ Universitati tum Pontificum, tum Principum liberalitate plurima, eaque valdè ampla privilegia indulta fuerunt: quæ in Festis Academicis ipsius Universitatis Lovaniensis refert Andreas Valerius hujusmodi privilegiis & juribus Scholæ Episcopales gaudere non solent.

VI. Privilegiis hisce, nec non constitutis honorariis, hæ Scholæ sive Academiæ instructæ facilè doctiores atque capaciores, tam Professores, quam Scholares ad se alliciunt; quin & Principibus curæ esse solet, ut hæ Scholæ in omni scientiarum genere floreant, & emineant; ideoque Scholæ *publicè* in scientiis, doctrinaque tradendis privatas quasque Scholas multo antecellere consueverunt.

Unde de Academiis loquens Morinus *de SS. Ordinat. part. 3. Exercit. 13. cap. unico, num. 14.* ait: »Institutæ Academiæ »sunt, ad quas velut ad studiorum & scientiarum emporia un»dique concursum est, in quibus doctrina christiana perfec»tiùs, diligentiùs & splendidiùs, quam in Colegiis, & Semi»nariis Clericorum tradita est.«

VII. Ut autem non tantùm scientiâ, sed & optimis moribus & disciplinis juventus Academica instrueretur, erecta fuêre in ipsis Academiis specialia Collegia (t), ad quæ cum quodam delectu juvenes admitterentur, & sub speciali Magistrorum cura in morum disciplina imbuendi traderentur.

Hujusmodi Collegiis pro reliquis Academiis abundat hæc nostra Lovaniensis.

Præter Collegia docendæ Philosophiæ, atque juventuti Philosophicæ, necnon linguis, ac litteris, historiæque ac politicæ scientiæ tradendis deputata, plura sunt superiorum Facultatum alumnis destinata; quæ Seminariis Episcopalibus præcipuè ea, quæ Theologicæ Facultatis alumnis destinata sunt, admodum similia sunt, adeò ut nonnulla quoque illorum *Seminaria* dici consueverint.

VIII. Imprimis Collegia hæc non secus atque Episcoporum Seminaria, suos habent speciales proventus, quibus & Collegii Rector, seu Præses & alumni, quos *Bursarios* vocant, aluntur; estque horum conditio, pro Collegiorum conditione & fundatione alia atque alia. »Sunt Collegia, in qui»bus certa pecuniaria summa annua ex Fundatorum dispositio»ne alimentariis præbetur, quæ si alimentis non sufficit, de »suo addant necesse est quod victui deest. Sunt alia, in quibus »ex institutione alimenta, focus, lumina, aliave quædam simi»lia accedunt.« Ita Andreas Valerius in Fastis Academicis studii generalis Lovaniensis *pag.* 286. edit. 2650.

IX. Porrò quemadmodum ad Seminaria Episcopalia sumptibus Seminarii alendi, soli pauperum filii admittendi sunt, ita omnibus ferè Collegiis ex fundationis, vel dotationis lege commune est, ut solos *pauperes* ad Bursas admittant, ipsique Colegiorum proventus in pauperum usus impendi debeant; nec id duntaxat in Collegiis Theologiæ Studiosis destinatis, sed & pro Jurisperitis aliarumque scientiarum studiosis fundatis, verum est.

De Joanne de Winckele Fundatore Collegii Winckeliani Juris alumnis destinati, refertur in citatis Fastis Academicis *pag.* 300. »Studentes seu Bursarios Winckelius pater assumi »voluit *pauperes*, quibus in studio juris alendis scholisque con»tinuandis, parentes commodè dare, aut suppeditare annuè »non possint.«

Similiter de Eustachio Chapuys Collegii Saubaudici, studiosis tam Juris, quàm Theologiæ communis, fundatore, in eisdem Fastis *pag.* 310. legitur: »Hæredes instituit *pauperes* »bursarios per eum in oppido Lovaniensi erecto & fundato pro »tempore futuros, ipsumque Collegium pro perpetua ejus fun»datione, dotatione, & intertentione, sive prædicti Collegii »provisores, nomine & ad opus eorundem *pauperum*,« &c.

Si Collegiorum pervolvantur & examinentur fundationes & dotationes, apparebit, passim omnium fuisse mentem, bursas nonnisi pro *pauperibus*, hoc est, qui attentis omnibus commodè à parentibus in studiis alii non possent, fundatas esse; atque ita Fundatores voluisse, bona sua Christi pauperibus in bonum Ecclesiæ & Reipubicæ impendi; ac propterea proventus illos posse dici *Patrimonium Christi.*

Ut

(s) *In Regnis Hispaniæ non solùm constat erectionem Universitatum ad Supremam Majestatem Regis pertinere*, l. 1. tit. 1. part. 2. *verùm etiam earum regimen, Professorumque profectum penes Supremum Magistratum privativè permanere, uti pro Universitatibus Salmantina, Vallisoletana & Complutensi, videndus penè titulus 7. lib. 1. Recopil. & Act. Acordat. 1. 3. 5. 6. 7. 9. 10. 18. 23. & 29. quibus addendæ Regiæ Schedulæ 2. Octobr. ann. 1766. 23. Julii, 12. Augusti, 20. Decemb. 1768. 14. Martii 1769. 9. & 24. Januar. 4. & 23. Octobr. 1770. & postremò Schedulæ 17. Januari, & 11. Martii 1771. Universitatibus Mexicanæ & Limensi eadem jura & privilegia, quibus gaudet Salmantina, concessa sunt, ut constat ex Regia Schedula Caroli V. Imperatoris Hispaniarumque Regis 12. Maii ann. 1551. quæ hodie est l. 1. tit. 22. lib. 1. Recop. Indiar.*

(t) *In Hispania plurima sunt Collegia, de quibus (aliis quamplurimis omissis) fit mentio in leg. 22. tit. 7. lib. 1. Recop. & Actis Acordat. 1. 11. 31. 33. & 35.*

Ut proinde non immeritò Franciscus Hovius, qui anno 33. præsentis seculi XVII. fundans Collegium, voluerit »illud ins-»titui cum hac inscriptione: *Patrimonium Christi*; atque in-»trinsecus ad ingressum Collegii scribi aut insculpi hæc ver-»ba: *De stercore erigens pauperum.*« Fasti Academici, *pag.* 328.

X. Præter Præsidem sive Regentem penes quem studiorum, & morum directio, & correctio totiusque familiæ cura immediatè residet, habent singula Collegia suos particulares Provisores, vel ab ipsis Fundatoribus designatos, vel ab Universitate, aut certis Facultatibus pro tempore eligendos.

Horum munus est, statis anni temporibus Collegia visitare, in mores ac studia bursariorum inquirere; imò & horum adversus Præsidem querelas audire, examinare casus difficiliores, majorisque momenti negotia unà cum Præside resolvere, rationes administrati Collegii quotannis exigere & audire. Quin & Præsidem constituendi auctoritas penes Provisores esse consuevit, nisi in ipsa fundatione aliter cautum sit; ex hac enim dependet plurimùm ipsa Provisorum auctoritas, præsertim circa Præsidis electionem, bursariorumque admissionem.

Disciplina in Collegiis servanda dependet partim ex generalibus legibus Universitatis; partim ex singulorum Collegiorum statutis ac ordinationibus, tum à Fundatoribus, tum à Provisoribus, aliisque Superioribus pro varia Collegiorum & temporum conditione præscriptis.

XI. Cæterùm sicuti Seminariorum bona, malave disciplina præcipuè non dependet à legibus, sed ab exacta, rectaque harum executione; ita circa disciplinam Collegiorum contingit.

Hinc ulteriùs fit, ut quemadmodum Seminariorum recta institutio maximè habetur à provida Rectoris aliorumque, quibus eorum regimen commissum est, vigilantiâ; ità quoque Collegiorum recta institutio unicè ferè à Præsidum vigilantia dependet: propterea qui Collegia benè regi, ac institui desiderant, ante omnia soliciti esse debeant, ut providus, prudens, doctus, piusque Præses præficiatur; qui legum ac statutorum executionem verbo & exemplo urgeat, & persuadeat

XII. Statuta legesque Collegiorum, præsertim Theologiæ studiosis destinatorum, si attendantur, apparebit, disciplinam, normamque regiminis, saltem quoad præcipua puncta, esse non absimilem disciplinæ, quam Seminariis Episcopalibus jam pridem Canones prescripsere, & S. Carolus in suis servatam voluit; neque horum Collegiorum disciplinam minùs aptam & convenientem esse formandis Ecclesiæ ministris, & Pastoribus, quam Seminariorum: si modò ritè servetur.

XIII. Et ne fusior sim, quàm præsens hoc meum institutum permittit in recensendis omnium Collegiorum statutis & legibus, aut eorum vivendi disciplina, unius duntaxat Collegii Pontificii (quod per viginti tres circiter annos continuos pro domicilio habui & habere pergo, cujusque propterea disciplina regimenque, atque instituendæ juventutis normam perfectiùs mihi perspecta est) disciplinam referam.

XIV. Collegium vulgò *Pontificium* dicitur à primo suo Fundatore Adriano VI. Pontifice Maximo, qui illud anno vigesimo tertio proximè elapsi seculi erigi jussit relictâ eum in fine domo aliisque nonnullis, quæ ante Pontificatum sibi comparaverat; quemadmodum suo testamento declaraverat; uti videri potest in Fastis Academicis *pag.* 304. ubi plura ad hanc fundationem spectantia, necnon dotationes sive Bursarum fundationes, quæ primæ fundationi accesserunt, referuntur.

XV. Collegio huic modò præest ab anno circiter 1677. Eximius Vir Gummarus Huygens Doctor Theologus, à doctrina, eruditione, morum integritate, & in agendis prudentiâ, & regendo suavitate, & moderatione singulari, atque conversandi affabilitate omnibus notus.

Ad hoc Collegium soli admittuntur, qui studio Theologico incumbere, idque animo statum Ecclesiasticum assumendi intendunt.

XVI. In assumptione serium circa capacitatem, indolem, moresque admitti postulantium examen à Præsidente instituitur; præsertim cùm de assumendis ad Bursas, sive sumptibus Collegii alendis tractatur.

Hic vel maximè solicitus esse debet Præses, ut sine ulla personarum acceptione, magis merentibus, & de quibus major spes affulget, ut in strenuos Ecclesiæ operarios evadant, distribuantur; hoc unum frequenter ingemiscens, quòd nonnulli Bursarum Fundatores nimium carni, & sanguini indulgentes, consanguineis suis, tametsi sæpè exiguæ capacitatis & expectationis prærogativas dederint; atque hinc impediatur, capacissimos quosque promovere & assumere.

XVII. Fundatores Bursarum, qui consanguineis suis, etiam cum extensione ad multos gradus, & nullis penè terminis circumscriptam prærogativam tribuunt, meritò attendant, quòd si eas ex bonis Ecclesiasticis fundent, reipsâ suos consanguineos quodammodo hæredes faciant.

Ulteriùs in illa, præsertim illimitata consanguineorum prærogativa ad Bursas Theologis destinatas, contingit, quòd frequenter inepti planè, nec ullatenus à Deo vocati studio theologico, & statui ecclesiastico à parentibus, commodo harum Bursarum allectis, applicentur, imò quasi intrudantur; atque ita Fundatores plus subinde Ecclesiæ per similes fundationes obsint, quàm prosint.

XVIII. D. Tilmannus Clerici secundus Præses Collegii Adriani VI. qui obiit 1550. 3. Oct. inter alia sic habet: »Si »Præsidens & Provissores velint Collegio prospectum esse de »concordi & perseverante disciplina, caveant sucipere funda-»tiones Bursarum ad ullos de sanguine aut patria adstrictas, nisi »fortè cæteris paribus aut parùm discrepantibus, ità quod Præ-»sidens habeat illarum, sicut aliarum, collationem & disposi-»tionem.«

XIX. Admissi ad Collegium sive expensis Collegii, sive sumptibus parentum alendi, per dies aliquot ad locum exercitiis spiritualibus destinatum se retrahunt; ut de vitæ Clericalis ratione, studioque theologico ritè instruendi seriò deliberent; & per sanctas meditationes se præparent, & specialiter instruantur.

Quod ipsum ab admittendis ad Seminarium observari voluit S. Carolus; »eodem modo, ait, quo ex Constitutione »nostra consueverunt, qui ad majores Ordines sunt promo-»vendi.«

Quin S. Carolus vult, ut »transacto vocationum tempo-»re, reversi in Seminarium exercitationes spirituales, unius »saltem hebdomadæ spatio illi ineant Clerici, quibus à Rec-»tore jussum fuerit.«

Licèt circa exercitationes spirituales in decursu theologico instituendas nulla sit in hoc Collegio specialis lex; nec soleant à Præside ad eas urgeri priusquam sacris Ordinibus sint initiandi, nihilominus is ferè mox invaluit, ut plerique annis singulis aut circiter has spirituales exercitationes repetant.

XX. Quotidiana tum studiorum, tum pietatis, aliaque communia exercitia hac ferè ratione & ordine instituuntur.

Manè ad mediam horæ quartæ excitantur, & ad horam quintam omnes in Sacellum Collegii conveniunt; ibique per semi horam meditationi seu orationi mentali vacant: hanc immediatè subsequitur Sacrum, cui omnes assistunt. Hoc finito retrahunt se singuli ad sua cubicula, ibique studiis incumbunt quousque tempus lectionum publicarum, aliave exercitia scholastica aliò vocent.

Diebus tamen Sabbathinis solet finito Sacro per Præsidem haberi aliqua brevis exhortatio de iis, quæ præcipuè Theologis, & Clericis conveniunt; ac præsertim ut ipsis necessitatem, utilitatemque orationis inculcet; nec non ut omnis ex ipsorum animis sitis & aviditas Beneficiorum tollatur, & ostendatur quàm inordinatum ac turpe sit, ut in militia Christi lucra seculi quærantur.

Ad medium duodecimæ rursus ad Secellum convenitur, ibique per quadrantem meditationi sive orationi mentali vacatur; qua finita ad mensam acceditur, & sub initium prandii aliquid è Sacra Scriptura prælegitur.

XXI. Asumpto prandio recreationis tempus datur usque ad horam secundam, quando ad publicas rursus lectiones aut studia se retrahere debent. Medio septimæ iterum ad Sacellum conveniunt usque ad horam septimam, meditationi & recollectioni vacantes.

Diebus Sabbathinis cantantur Laudes; atque initium semper fit à Litaniis Lauretanis D. Virginis.

Horâ septimâ ad mensam cœnaturi accedunt, atque iterum initium fit à lectione S. Scripturæ; & sub finem aliquid ex alio pio libro à Præside designando legitur.

Post cœnam vacatur usque ad medium nonæ, horâ verò nona liberum est se quieti dare.

XXII. Præter lectiones & exercitationes publicas, habentur in hoc Collegio hebdomadatim tres lectiones domesticæ, nimirum feriâ secunda, quarta, & sexta, præter disputationes, quas antiquo vocabulo *Sabbathinales* dicimus, quæ feriâ quintâ instituuntur.

XXIII. Diebus Dominicis, & Festivis præter jam dicta exercitia pietatis, habetur horâ octavâ matutinâ Concio per unum Baccalaureum, cui Præses semper assistit, sedulò in defectus advertens, quos mos finita concione concionanti corrigendos exponit. Concionem sequitur solemne Sacrum.

Post meridiem horâ secundâ decantantur Vesperæ, & circa sextam Completorium: quo finito fit concio per unum è junioribus, sive non Baccalaureis, ei quoque Præses interest, ut defectus observet & corrigat.

Diebus solemnioribus, totum officium etiam matutinale solemniter decantatur, ipso Præside officiante; omnesque non Sacerdotes sacrâ Synaxi sub Sacro reficiuntur.

Quin & diebus Dominicis, festisque semper plures sub Sacro communicare consueverunt; adeò ut singulis saltem duabus tribusve hebdomadis plerique ad Sacram Communionem accedant; plures etiam singulis octiduis.

Insuper diebus quibus Venerabile asservatur, totâ nocte

duo

duo solent per horas successivas coram eodem orare; atque per totam octavam Venerabilis, diù noctuque duo ut minus semper sunt coram Venerabili superpelliceo induti orantes.

XXIV. Comessationes, potationesque pomeridianæ hîc non permittuntur, nec dissimulantur; at si quis amico honoris, aut benevolentiæ causa haustum cerevisiæ subinde propinare velit, hoc ei à Præside benignè & cum discretione indulgetur.

XXV. Plerique ita sunt instituti, ut nec ad Sacros Ordines, nec ecclesiasticas functiones, nisi Præside præmonente & movente accedant: scientes ex crebris monitionibus, quàm periculosum sit sine legitima vocatione in ministeria Ecclesiæ se intrudere.

Hanc Collegiorum Academicorum disciplinam si quis attenderit; atque unà expendat, quantò feliciùs & doctiùs doctrina theologica in Publica Universitate, quàm particularibus Episcoporum Seminariis tradi soleat, non mirabitur, si doctiores aptioresque operarii & Pastores è Collegiis Academicis, quàm è privatis Seminariis prodire soleant.

XXVI. Quare etiam ipsi Episcopi majoris capacitatis, & spei adolescentes ad Universitates potiùs mittere consueverunt, quàm in suis Seminariis retinere.

Synodus Namurcensis anno 1604. *tit.* 2. *cap.* 5. ait: »In »dicto autem Seminario remanebunt, donec studia bonarum »litterarum absolverint, postea ad *Universitatem* studii gene»ralis sumptibus ejusdem Seminarii mittentur illi, de quibus »*spes* sit, quòd in Philosophiæ, & sacræ Theologiæ studiis »insignem fructum facient, quo Ecclesiæ Dei utiliores esse »possint.«

Similiter Ernestus Episcopis & Princeps Leodiensis anno 1603. erigens Seminarium seu Collegium in hac Academia, vulgò dictum *Leodiense*, in ipsa Statutorum præfatione narrat, »necessarium esse, propter vicinorum, ac passim gliscentium »hæreticorum vafras, subtilesque Religionis Catholicæ depra»vationes, tum propter diversarum parochialium Ecclesiarum »in oppidis præsertim ac famosioribus Diœcesis suæ locis am»plitudinem, præter *Seminarium* in civitate Leodiensi erectum, »aliud etiam in vicina Lovaniensi Academia instituere. In quo, »qui *majoris spectationis* fuerint, diligentiùs in studio theo»logico instituerentur, & hujus suæ institutionis, graduum Scho»lasticorum susceptione, publicum testimonium consequeren»tur.« Fasti Academici *pag.* 320.

XXVII. Sed ut Episcopi hac in missione prudenter procedant, primum inquirant necesse est, quæ sit Collegiorum, ad quæ suos mittere cogitant, disciplina; quis Præses, qui Directores. Notum quippè est, non esse omnium Collegiorum eandem disciplinam; hancque unicè penè à Præsidum minore vel majore vigilantia & capacitate, morumque probitate dependere.

CAPUT V.

De Scholis Puerorum.

1 *Olim frequentes fuêre puerorum Scholæ.*
2 *Synodi Belgicæ earum instaurationem urserunt.*
3 *Volunt impendi auxilium Magistratum, & provideri, ut* gratis *doceatur.*
4 *Propter pauperum pueros institutæ Scholæ* Dominicales.
5 *Omnes Clerici in Parochia degentes ad juvandum Parochum invitandi.*
6 *Scholæ Dominicales ad quid præcipuè institutæ.*
7 *Etiam in his Scholis rudimenta litterarum tradenda.*
8 *Principum Edicta super institutione harum Scholarum.*
9 *Optandum ut diebus Dominicis & Festis pauperes docerentur legere & scribere.*
10 *Cura habenda de Magistris Scholarum.*
11 *Debent hi emittere professionem fidei; & coram quo.*
12 *Non assumendi nisi probatæ vitæ.*
13 *Magistri non assumendi nisi cum approbatione* Scholastici.
14 *Quis habeat jus admittendi aut approbandi Magistros in locis ubi deest Scholasticus.*
15 *Quæ attendenda circa jus assumendi Magistros.*
16 *Primaria cura Scholarum Scholasticis incumbit; easque visitare sæpiùs debent.*
17 *Quis esse debeat hujus visitationis scopus.*
18 *Quomodo Magistri se circa pueros habere debeant.*
19 *Scholastici specialiter invigilare debent, ne pueri à Magistris aut Consodalibus corrumpantur; & masculi à puellis separentur.*
20 *Cura Scholastici circa Scholas, Parochi curam non tollit.*

I. TAm ecclesiastico, quàm politico Magistratui jam pridem curæ fuit, Scholas erigere, in quibus à tenera ætate pueri elementa litterarum & religionis docerentur.

In Decretalibus Gregorii IX. *Cap.* 3. ℵ *de Vita & honestate Clericorum*, refertur sub nomine Concilii Nannatensis: »Ut »quisque Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat, qui »secum cantet epistolam, & lectionem legat, & qui *Scholas* »possit tenere, & monere suos Parochianos, ut filios suos ad »finem discendam mittant ad Ecclesiam; quos ipse cum omni »castitate erudiat.«

Sub idem ferè tempus ad suos Parochos scribit S. Theodulphus Episcopus Aurelianensis: »Presbyteri per villas, & »vicos Scholas habeant; & si quilibet fidelium suos *parvulos* ad »discendas litteras eis commendare vult, eos suscipere, & do»cere non renuant, sed cum summa charitate eos doceant.«

II. Cùm his postremis temporibus ex neglectu harum Scholarum crassa in populo ignorantia, & morum corruptela ex neglecta teneræ juventutis educatione deprehenderetur, curæ fuit Episcopis, & Magistratibus etiam Civilibus, ut ubique per civitates, & pagos *Scholæ* instituerentur ad instructionem, & efformationem puerorum. (u)

Synodus P. I. Cameracensis *tit. de Scholis, cap.* 1. ait: „Cùm »non minore cura parentes proles suas instituere, quàm nutri»re, ac fovere debeant; æquum est Ecclesiam liberos, quos »Christo per lavacrum regenerationis peperit, omni disciplina, »ac salutaribus præceptis erudire. Docet enim Scriptura: *Fi»lii tibi sunt? illos erudi*, neque enim justa crementa juventus »ad capessendam virtutem suscipere facilè potest; nisi à pue»ritia iis doctrinis imbuatur, quibus robur capere ad pietatem, »& religionem colendam possit. Quod quia plerisque locis par»tim parentum incuria, partim Pastorum negligentia contemp»tum est, excusso timore divino multorum temeritas, audacia, »& peccandi licentia crevit. Quare, ut huic malo semel oc»curratur, statuit Sancta Synodus: Id curent Episcopi, ut »quamprimum scholæ in urbibus, oppidis, & pagis Diœce»sium suarum, si collapsæ fuerint, restituantur: si conserva»tæ, colantur, & augeantur.«

Similiter Synodus P. I. Mechliensis *tit. de Scholis, cap.* 2. decrevit, »ut curent Episcopi, ut quamprimum in oppidis & »pagis suarum Diœcesium Parochiales Scholæ, si collapsæ sint, »restituantur; si conservatæ colantur & augeantur; sed præter »Parochiales non admittantur multæ.«

III. Rursus Synodus P. II. Mecliniensis eandem erectionem, & instauratiorem urget; vultque, ut ubicunque Scholæ adhuc requiruntur, »agant Archi-presbyteri cum Magistrati»bus, & Præfectis locorum, ut eæ mox erigantur, simulque »rationem ineant, ipsis Ludimagistris de annuis stipendiis pro»videndi.« *Tit.* 20. *Cap.* 1.

Idipsum omnes Synodi uno consensu desiderant, & vehementer urgent; optatque Synodus Namuercensis anno 1604. *tit.* 2. *cap.* 1. hujusmodi stipendium Ludimagistro assignari: »quo mediante si fieri potest, doceantur *gratis*; sic enim fiet »ut à parentibus pueri lubentius ad scholas mittantur.«

IV. Quia autem »multos inopia prohibet, ne filios in »scholis litterariis enutriant, quorum tamen salutis habenda est »ratio, cùm sint & ipsi in Christi corpore & familia, ait Sy»nodus P. I. Cameracensis *cap.* 2. hæc subjiciens: Quamobrem »diebus festis, & maximè Dominicis, expleto Vespertino Offi»cio, jubet Sancta Synodus Ludimagistros docere eadem ru»dimenta fidei & catechismi pro captu, & ingenio juventu»tis, quæ litteras non didicit. Nec non subinde per vices inter»rogare, ut sciatur, an proficiat, atque huic negotio tam in »pagis, quàm oppidis Pastores incumbant, aut Sacellani, aut »Clerici, seu matricularii. Parentes, si suos mittere negligant, »moneantur; moniti, nisi pareant, Magistratui deferantur. Pas»tores verò, aut Ludimagistri, si id contempserint, ab Episco»po corrigantur: & quantum fieri possit, in scholis puerilibus »puellæ separentur à pueris.«

Similium scholarum necessitatem, earumque institutionem passim urgent & præscribunt Synodi Belgicæ; additque Synodus P. II. Cameracensis *cap.* 4. »ut in his locis ubi dictæ scho»læ commodè institui non poterunt, Parochus ipse à prandio »commodiore ante vel post Vesperas horâ, pueros campanæ »pulsu convocatos, ex parvo Catechismo, qui ad hoc pro tota »provincia imprimetur, prima fidei rudimenta doceat, eum»que memoriter ab iis recitari faciat.«

V. Desiderans autem Synodus hoc adeò pium, ac necessarium instructionis exercitium non intermitti, addit *cap.* 6. »Ut autem ipsi etiam Parocho succurratur, omnibus Sacerdo»tibus, & Clericis, qui intra fines Parochiæ degunt, præcipit »hæc Sancta Synodus, ut eum in hoc sancto munere, pro sua »quisque virili, adjuvent.«

VI. Hæ scolæ *Dominicales*, quarum frequens occurrit mentio in Synodis nostris, respondere ferè videntur catechizationi puerorum, quæ diebus Festis & Dominicis in Parochiis rectè institutis, per Parochos, eorumve Vice Pastores fieri solet, de qua

(u) *Catholicus Rex noster Carolus III. enixè desiderans, ne defectu redditus hæc scholæ esse desinerent, præcipit sua schedula* 30. *Julii ann.* 1760. §. 3. *ut stipendium Magistris ex* PROPRIIS *publicis cujusque loci solvatur.*

qua latè actum est suprà *parte* 1. *tit.* 3. *cap.* 4.

Etsi hæ Scholæ (ait Synodus P. I. Mechlin. *cap.* 2.) » non » propriè instituantur ad litteras discendas, aut artem scribendi » atque legendi, poterit nihilominus juventus in his doceri, post- » quam in prædictis utcunque instituta fuerit."

VII. Synodus P. II. Mechlin. *cap.* 5. præcipit » ut scholas » Dominicales frequentantes, non tantùm doceantur legere, & » scribere, verùm etiam & quidem præcipuè, instituantur in ru- » dimentis fidei."

Hoc decreto sat ostenditur, quòd tempore hujus Synodi, id est, sub initium hujus seculi, in his Scholis pueri præcipuè docerentur legere & scribere neglecta instructione in rudimentis fidei, quod Synodus reprobat; nequaquam tamen vetat, in utrisque pueros instrui; licèt posterius meritò tanquam *præcipuum* majorisque momenti priori præferat.

VIII. Principes nostri in Edicto ad hanc Synodum *art.* 16. injungunt omnibus suis Officialibus, Magistratibus, & Vasallis, ut in erigendis Scholis *Dominicalibus* assistant Episcopis eorumve Deputatis; tum etiam in conquirendis pecuniis necessariis ad dictam erectionem, ac insuper pro annuo stipendio Magistrorum, & Magistrarum.

Hîc rursus non obscure innuitur, in his scholis non tantùm fidei rudimenta, sed & litterarum tradenda esse per Magistros & Magistras.

IX. Quapropter licèt præcipuo scopo harum scholarum satisfieri videatur per Pastorum pomeridianas puerorum catechizationes, in Parochiis benè institutis fieri solitas diebus festis, & Dominicis; nihilominus fatendum est, admodum laudabile esse, & harum Scholarum instituto conforme, si pauperes etiam legere doceantur: cùm indubitatum sit, quòd magno subsidio esse possit ipsis pauperibus piorum librorum lectio, ut circa Religionis nostræ mysteria ritè instituantur, & in pietate foveantur.

X. Ut verò optatus fructus Scholarum seu quotidianarum, seu Dominicalium habeatur, prima cura habenda circa Magistros & Magistras; à quorum pietate & capacitate præcipuè dependet bona juventutis institutio, & instructio.

XI. Imprimis jubentur Magistri & Magistræ in sua admissione emittere professionem fidei Catholicæ juxta formam in Synodis expressam: idque iis in locis, ubi est Scholasticus, in manibus Scholastici; alibi verò in manibus Decani Ruralis, uti statuit Philipus II. *in edicto ad Synodum Cameracensem*, *art.* 4.

Idipsum expressit Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 1. *cap.* 3. At edictum Principum nostrorum ad hanc Synodum *art.* 1. jungit Archi-presbytero primarium loci officialem Regium, ut & hîc in receptione Professionis fidei interveniens auctoritatem habere videatur. Interim in similibus locorum consuetudines præcipuè attendendæ sunt: quemadmodum de juramento Ædituorum Ecclesiarum, & Magistrorum Mensæ pauperum monuimus suprà *part.* 1. *tit.* 5.

XII. Quantum autem ex assumptione Magistrorum dependeat, non ignorantes Patres Synodi Cameracensis anni 1550. » in » virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judi- » cii districtè præcipiunt, & inhibent omnibus & singulis Præ- » latis & Capitulis, ac aliis, qui in Diœcesi Cameracensi Ma- » gistros & Rectores scholarum recipiunt seu assumunt, ne » quemquam in Magistrum recipiant seu assumant, nisi de cu- » jus vita, integritate, scientia, moribus, at conversatione plenam » habeant notitiam, & qui perversorum fermento minimè fue- » rit conspersus." (x)

Consentiunt & reliquæ Synodi, præcipientes, ut non alii in Præceptores assumantur, quàm qui probati sunt fidei, vitæ & doctrinæ. Edictum Principum nostrorum ad Synodum Mechliniensem *artic.* 1. nulli concedendam licentiam docendi juventutem decernit, nisi de cujus bona vita, religione, sufficientia, & doctrina omnimoda satisfactio habetur.

XIII. Ut autem in Magistrorum admissione securiùs procedatur, decretum est tum Synodorum, tum Principum Edictis, ut nullus ad docendum pueros sive in Scholis quotidianis, sive Dominicalibus admittatur iis locis ubi est Scholasticus, nisi prævia ejus approbatione. Ita habet Edictum Caroli V. datum Bruxellis die 29. Aprilis anno 1550. & habetur in primo volumine edictorum Flandriæ *lib.* 1. *Rubricâ* 7.

Et in citato Edicto Principum ad Synodum Mechliniensem *art.* 1. dicitur, nemini licitum esse Scholas tenere ad instruendum pueros, sive masculos, sive puellas nisi prævia licentiâ Scholastici, si ibidem aliquis sit.

Hoc jus Scholastici non tantùm quoad Scholas ordinarias & Parochiales; sed & *Charitatis*, id est, in quibus pauperes *gratis* docentur, non semel in judicio contradictorio firmatum est, ac notanter in Parlamento Parisiensi 23. Januarii 1680. pro Scholastico Ambianensi contra ejusdem civitatis Parochos, uti refertur in compilatione quadam Arrestorum, cui titulus *Journal des Audiences*, *tomo* 4. *lib.* 3. *cap.* 4.

XIV. Ubi verò Scholasticus deest, juxta citatum Caroli V. Edictum, nullus ad instructionem puerorum admitti potest, nisi prævia admissione & approbatione primari Officialis loci, & Parochi Ecclesiæ Parochialis infra cujus fines residere intendit. Edictum verò Principum ad Synodum Mechliniensem *art.* 1. requirit licentiam Archipresbyteri seu Decani Ruralis & primarii Officialis.

Synodus Antuerpiensis sub Miræo *tit.* 9. *cap.* 2. cùm præcepisset in pagis institui Scholas, subjungit: » Ludimagister » constituatur à *Pastore*, *Magistratu & Primariis* Parochiæ » Incolis (qui curabunt de necessario stipendio ei provideri) » cum consensu Decani Ruralis."

XV. Cæterùm circa jus assumendi, aut præsentandi Magistros aut Magistras Scolarum, Lex fundationis, & consuetudo loci plurimum attendenda sunt: quemadmodum de nominatione vel electione Ædituorum & Magistrorum Mensæ pauperum alibi notatum est.

XVI. Certum nihilominus est, Scholastico tanquam Scholarum Magistro generali curam & superintendentiam Scholarum civitatis, & sivi subjectarum primariò incumbere.

Hinc passim Synodi præcipiunt, ut Scholæ sæpè visitentur à Scolasticis Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum; ita Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 2. *cap.* 2. Synodus P. II. Mecliniensis *tit.* 20. *cap.* 4. vult, ut » Scholæ Scholasticis Capi- » tulorum subjectæ, ab iisdem Scholasticis, cæteræ omnes ab » Archipresbyteris vel aliis ab Ordinario Deputatis, singulis sal- » tem semestribus seriò visitentur."

XVII. Scopus hujus visitationis esse debet, ut sciatur an juventus ritè instituatur; quis sit puerorum in litteraria scientia & scriptionis peritia profectus; an Magistri, Magistræve instruendæ, erudiendæque juventuti sedulò se impendant; modum convenientem, prudentiamque in regenda juventute teneant; quos libros pueris prælegant, aut legendos tradant, aut legere permittant; an nulli prælegantur, qui turpe, aut obscœnum quid contineant, aut bonis moribus, vel fidei Catholicæ adversum; curentque ut libri legantur, qui pueris pietatem & morum honestatem instillent: qua de re frequentes sunt Synodorum monitiones.

XVIII. Ulteriùs monet citata Synodus Antuerpiensis *cap.* 3. » Habeant autem rationem Ludimagistri, ut tenera ætas in pie- » tate & morum modestia instituatur; ideoque ad catechizatio- » nem discipulos suos deducant, eosque ibi existentes in disci- » plina contineant, & ipsimet præceptores pro captu discipulo- » rum suorum diebus Sabbati post meridiem fidei nostræ rudi- » menta explicent. Diebus Dominicis & Festis ad Missam Pa- » rochialem, atque ut minimùm quater in anno simul ad con- » fessionem Sacramentalem deducant; ipsique magistri bono vi- » tæ suæ exemplo discipulos ad virtutem provocent, & ab om- » ni tabernarum frequentatione, aliisque levitatibus abstineant. » Ubi autem consuetudo Laudes B. Mariæ quotidie, vel sal- » tem Sabbato decantandi à Scholaribus intermissa est, quam- » primùm restituatur."

XIX. Et quidem prima Scholastici, aliorumque Scholis superintendentium, ac visitantium solicitudo & studium esse debet, ne tenera ætas in Scholis vel ab ipsis Magistris, vel sociis corrumpatur; sed in Baptismali innocentia, quantum fieri potest, conservetur.

Hunc quoque in finem optant Synodi nostræ, ut » tam in » Dominicalibus, quàm in aliis quibuscunque Scholis, masculi » à viris, & puellæ à mulieribus tantùm instruantur, ubicun- » que tamen id obtineri non potuerit, saltem locis & interstitis » masculi à puellis separentur." Ità Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 20. *cap.* 3. Similiter Synodus Cameracensis anno 1604. *tit.* 2. *cap.* 2. ait. » Easdem Scholas in oppidis præsertim & » aliis locis celebrioribus simul non frequentent pueri & puellæ; » sed viri masculis, fœminæ puellis, quantum fieri potest, ins- » truendis præsint."

Cumque Scholasticus Ambianensis visitando scholas deprehendisset, nonnullos Ludimagistros ad suas scholas admittere puellas; & Ludimagistras admittere masculos, querela delatâ ad Parlamentum Parisiense declaratum fuit 5. Jan. 1677. vetitum esse viris admittere puellas, & fœminis admittere masculos; idque antea non semel judicatum fuerat; uti refertur ad calcem citati capitis libri, cui titulus *Journal des Audiences*.

XX. Quamvis Scholarum visitatio præcipuè Ruralium, & quæ Capitulorum scholasticis non subsunt, Decano Rurali in Synodis sit commendata, nequaquam Parochis earum cura adempta est, quæ ipsis jure quasi naturali incumbit.

Quin citata Synodus Antuerpiensis *cap.* 1. vult, ut Scholæ in pagis sint in loco aliquo juxta templum, rationem subjiciens: » Ut tam Præceptores quàm discipuli frequentissimè à Pasto- » ribus, aliisque visitari, observari, & in religionis nostræ

(x) *Idem stabilitum est in Hispania in Regia Schedula lata die* 1. *Septembris ann.* 1743. *quæ hodie est Actum Acordat.* 34. *lib.* 1. *tit.* 7. §. 2. & 6. *Recop.*

„ træ initiis commodiùs exerceri possint. "

Synodus P. I. Cameracensis *tit. de Scholis, cap.* 5. „ In om- „ nibus Parochiis sint qui doceant primam juventutem, maximè „ in his, quæ numerosam plebem habent: Pastorque singulis „ mensibus diligenter inquirat, quantùm proficiat pueritia; id- „ que maximè provideat, ut à teneris annis imbuatur timore, „ & amore Domini, ne corrumpatur ulla licentiâ, aut doctri- „ nâ, quæ nec religioni, nec bonis moribus respondeat. "

TITULUS XII.

De Sponsalibus, & Matrimonio.

CAPUT I.

QUOMODO SPONSALIA CONTRAHENDA; ET QUOD CIRCA ILLA PAROCHORUM OFFICIUM.

1 *Sponsalia propriè significant sponsalia* de futuro.
2 *Horum Definitio.*
3 *Olim matrimonio præmitti solita; & meritò hodiè præmittuntur.*
4 *Sponsalia publicè coram Parocho contrahenda.*
5 *Potiùs coram Parocho sponsæ, quàm sponsi; & quare.*
6 *Quo loco Sponsalia contrahenda; & qualiter dispensandi debeant esse dispositi.*
7 *De testium, & consanguineorum præsentia in celebratione Sponsalium requisita.*
8 *Quæ per Parochum à desponsandis inquirenda.*
9 *Formula contrahendorum Sponsalium.*
10 *Consuetudo contrahendi publicè coram Paroho sponsalia non videtur universalis.*
11 *Consuetudo hæc laudabilis, & meritò conservanda.*
12 *Sponsalia Clandestina licèt illicita, sunt tamen valida.*
13 *Sponsalia impuberum de Jure valida sunt.*
14 *A Parochis hîc non admitenda.*
15 *Desponsati intra breve tempus debent ad Matrimonium procedere; & quare.*
16 *Monendi Desponsati, ne simul habitent; aut familiarius simul conversentur.*

I. SPonsaliorum sive Sponsalium nomen, tamesti diversi modè præsertim apud Jurisconsultos sumatur; atque subinde sponsalia de *præsenti*, etiam veniant nomine sponsalium; & ante consummationem matrimonii, vir & uxor dicantur *Sponsus* & *Sponsa*, nihilominus magis propriè ac frequentiùs in Legibus, ac Canonibus accipiatur pro sponsalibus *de futuro*; neque hodie alia est sponsalium significatio. Sponsalia enim de præsenti sunt ipsum matrimonium ratum, non consummatum; nec hodie nomine *sponsalium* significari solet; nisi expressè addatur, *de præsenti*; censetur quasi particula *alienans*, quasi nomen *sponsalium*, ad alienam significationem transferens.

II. Sponsalia propriè dicta, sive *de futuro* dicuntur in *Canone* 3. *caus.* 30. *quæst.* 5. *Futurarum nuptiarum promissio*, Et in *L.* 1. *ff. de Sponsalibus*: *Mentio & repromissio nuptiarum futurarum*, quæ quidem definitio ostendit, tantò Sponsalia differre à nuptiis, quantò spes distat à re ipsa, ut notat Cujacius in *recitationibus ad tit. Codicis, de Sponsalibus.*

III. Olim apud Romanos ferè semper Sponsalia nuptias præcedebant, uti testatur Jurisconsultus *in L.* 2. *de Sponsalibus*: „ Sponsalia (ait) dicta sunt à *spondendo*: Nam moris fuit Ve- „ teribus stipulari, & spondere sibi uxores futuras. "

Nec tantùm apud Romanos Gentiles, sed & Christianos, & Catholicos hæc fuit olim consuetudo, ut nuptiis sponsalia præmitterentur; quare in Libris Juris Canonici Sponsalia matrimonio præmitti ubique videmus; ac si supponeretur, hæc tanquam præambula ipsum matrimonium præcedere debere.

Unde & ipsum Pastorale Mechliniense, ubi de Sacramento matrimonii Parochos instruere intendit, antea de sponsalibus agere voluit; monetque: „ Matrimonii Sacramentum, justas ob „ causas ex *Ecclesiæ consuetudine*, præcedere debent sponsalia. "

IV. Sponsalia hæc tanquam præambula, ac quasi initialia matrimonii, juxta mentem Ecclesiæ etiam publicè, non clandestinè coram Sacerdote ineunda sunt.

Et quidem juxta Manuale Cameracense „Sponsalia à nemine, „ præterquam à Parocho alterutrius Desponsandorum, vel ejus „ Vicario, seu alio de ipsis vel Ordinarii licentia, sunt cele- „ branda (y). "

Idipsum passim omnia Ritualia insinuant; Parochum ubique Legitimum ac Ordinarium sponsalium Ministrum, coram quo sponsalia ineunda sint, supponentia.

V. Notat insuper Rituale Mechliniense, quòd dum Desponsandi sunt diversarum Parochiarum coram Pastore Sponsæ sponsalia iniri consuevisse. Meritò, tum ob honestatem quandam; honestius siquidem est, ut Sponsus videatur Sponsam in sua Parochia quærere, quàm econtra; tum ad vitandas æmulationes inter Parochos. Quapropter sive in sponsalibus sive matrimonio hæc consuetudo mutari non debet; neque tamen Parochus Sponsæ nimis esse difficilis ad aliud ob rationes permittendum.

VI. Synodus P. I. Cameracensis *tit. de Matrimonio, cap.* 6. vult, ut „ Sponsalia loco, ac tempore fiant commodo, id est, „ non in œnopoliis, aut tabernis potatoriis, sed in loco sacro; „ non post dissolutas compotationes; cureturque, ut & Spon- „ sus & Sponsa sobrii, non ebrii, neque aliàs mente capiti spon- „ salia ineant. "

Illius Ecclesiæ Manuale magis specificè locum sponsalium designans, ait: „ Non aliter quàm publicè, aut alibi quâm in „ Ecclesia, vel sacra Capella, vel Cœmeterio fiant. " Addit Mechliniense: *Aut alio publico seu honesto loco, minimè verò in cauponis.*

Deindè monet Parochum, *Videat, num Desponsandi sobrii sint, ac animo bene deliberato.* Nequaquam igitur recentes à potitatione, & nugis procatoriis ad sponsalia admittendi.

VII. Requirunt insuper Ritualia, ut adsint ad minus duo testes; imò vult Mechliniense, „ videat Sacerdos, an adsint „ utriusque partis parentes, aut alii eorum nomine, sine qui- „ bus temerè procedere non debet. "

VIII. Inquirat præterea, an contracturi Catholici sint, scientes nostræ fidei rudimenta, & an Confirmati sint; an sciant interesse aliquod impedimentum canonicum.

Quia sponsalia ob connexionem cum matrimonio res quasi Sacra censetur, & ad Sacramentum proximè disponens, ac quodammodo ipsius Sacramenti inchoativa ab Ecclesia reputantur, volunt Ritualia, ut Sacerdos illa celebraturus, stola seu ornamento officii sit indutus, uti loquitur Rituale Mechliniense.

Addit deinde idem Rituale, ut ubi de omnibus jam dictis certior factus est, futurum Sponsum interroget: *Venisti huc tua libera voluntate, à nullo coactus, nec ulli alii alligatus, ut promittas te ducturum in legitimam uxorem N. quam hic manutenes?* Sub eadem verborum formula dein Sponsam interrogare debet.

Hoc meritò notandum, ut hæ aliæve interrogationes non instituantur, aut proponantur modo planè perfunctorio; & tanquam cæremoniales quædam formulæ, ad quas vix attendi solet; sed ita, ut Desponsandi ad omnia attenti reddantur, jubeanturque seriò singula expendere; præsertim si Parocho suspicio aliqua non infundata sit, quòd aliqua subsint, quæ ipsa sponsalia, aut futurum matrimonium impedire, aut etiam invalidum reddere possent.

IX. Ad interrogata affirmativè respondentibus desponsandis, fidem sibi mutuò faciunt hac formula idiomate vulgari expressa. *Ego in præsentia astantium promitto me daturum fidem meam tibi N. quam hîc manu teneo, & te ducturum in legitimam uxorem meam, si non obstiterit aliquod canonicum impedimentum.*

Simili promissione à Sponsa facta subjungit Sacerdos: *Et ego tanquam Minister Ecclesiæ Dei ejus nomine hanc vestram mutuam promissionem accepto, & approbo.*

X. Hæc sunt publica, ac legitima sponsalia, quæ matrimonio ob justas causas ex consuetudine Ecclesiæ præmitti debere censet Rituale Mechliniense; de quibus tamen nihil Rituale Romanum; ut sat verisimile sit, consuetudinem præmittendi sponsalia cum his cæremoniis, non esse universalem.

XI. Interim justæ causæ istius consuetudinis esse possunt hæ, & similes. Ut conjugandi tempore alio antequam sint matrimonium contracturi, nomen suum dent Ecclesiæ seu ejus Ministris; quò interea de eorum qualitatibus, atque de his, quæ in contractu matrimoniali requiruntur, inquiri possit; uti olim pro Baptismo nomen suum dabant Catechumeni; pro absolutione obtinenda pœnitentes; & pro Ordinibus adhuc hodiè vult Ecclesia

(y) *Sunt plurimæ Diœceses, in quibus non viget mos ineundi sponsalia coram Parocho in facie Ecclesiæ, v. gr. in Italia, Occitania &c. Quapropter in Rituali Romano nulla fit mentio de sponsalibus in facie Ecclesia ineundis; unusquisque ritum suæ Diœceseos sequatur.*

clesia, ut antea nomen suum dent Candidati. Deinde ut de eorum consensu constet, antequam procedatur ad proclamationes. Denique ut obvietur sponsalibus seu promissionibus clandestinis, unde plurima oriuntur incommoda; quæque propterea multùm dissuaderi debent utriusque sexûs juventuti.

XII. Porrò quamvis Ritualia sponsalia publicè celebrari exoptent, atque clandestina improbent, nequaquam tamen ea invalida, aut non obligatoria existimant. Imo Manuale Cameracense postquam dixit sponsalia à nemine præterquam à Parocho alterutrius Desponsandorum vel ejus Vicario, seu alio de ipsius vel Ordinarii licentia esse celebranda, immediatè subjicit: *Etsi aliter facta irrita non sunt.*

Cumque nonnulli crederent ex sponsalibus clandestinis nullam oriri obligationem, sed ea ex decreto Concilii Tridentini esse irrita, nullamque obligationem inducere, Synodus Diœcesana Mechliniensis huic errori occurrere volens Decretum, seu declarationem edidit his verbis: » Cùm sponsalia de futuro à » sacro Concilio sint relicta intacta; atque ita relicta in termi» nis & dispositione Juris communis, præterquam quod per co» pulam carnalem non transeant in matrimonium, certum est, » ea esse valida, & servari debere, etiamsi coram Parocho, & » testibus contracta non fuerint. «

Ut ergo de validitate, & obligatione sponsalium statuatur, inspiciendum est etiam hodiè jus commune.

Hoc jure autem sponsalia contractibus, qui solo consensu ineuntur, annumeranda sunt; utpotè quæ ad actus *validitatem* solùm consensum externè sufficienter expresum requirunt. Unde juxta jus commune sponsalia nihil aliud sunt, quàm futurarum nuptiarum promissio.

Sicuti autem in contractibus civilibus *solo consensu* constantibus requiritur, ut de consensu illo externè sufficienter constet; ipsorum validitas ab illo unicè dependet, neque attenditur consensus *merè* internus nullo signo exteriore expressus; ita quoque circa sponsalium validitatem unicè attendi debet consensus externè manifestatus, insuper habito consensu merè interno soli Deo cognito, quique hominibus innotescere nequit: ac per consequens non permittit humana societas, ut ab illo dependeant contractus, qui inter homines ineuntur.

XIII. Si jus commune spectemus, impuberum sponsalia valida sunt, toto titulo Decretalium *de Desponsatione impuberum*; atque ad eorum validitatem sufficit ætas septem annorum; imò & minor, si malitia suppleat ætatem; id est, si usus rationis ætatem illam præveniat, ut multis probat Thomas Sanchez loco citato *disp.* 16.

XIV. Verùm hodie sponsalia saltem publica, quæ coram Parocho ritu præscripto contrahuntur inter impuberes sine Superiorum actoritate, non sunt admittenda, atque ætatem in Desponsandis, quæ proximè ad matrimonium sufficit, sat apertè requirunt Ritualia & Synodi.

XV. Manuale enim Cameracense expressè vult moneri Desponsatos, ut infra quadraginta dies ad matrimonium promissum procedant, alioquin deferendi ad Officialem, nempe postquam adhuc moniti fuerint.

Similiter Synodus Audomarensis *tit.* 10. *cap.* 4. » Præcipiant » Parochi eis, quos ad sponsalia contrahenda admittunt, ut in» fra *quadraginta* dies proximos (nisi canonicum impedimen» tum obveniat) matrimonium ipsum contrahant, nec diutiùs » illius solemnizationem differant absque nostra, aut Curiæ nos» træ licentiam. «

Synodus Diœcesana Mechliniensis *tit.* 9. *cap.* 5. præcipit ut » Parochi sponsalia coram se contrahentes admoneant, ut ad » periculum incontinentiæ, aliaque inconvenientia evitanda intra » *sex septimanas* post factas proclamationes, si canonicum im» pedimentum denuntiatum non fuerit ad matrimonii solem» nizationem procedant. « Idem habet Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.* 10. *cap.* 6. insuper addens: » Et si præs» cripto tempore non processerint, eos Curiæ nostræ insi» nuent (z). «

Hæc manifestè indicant, supponi desponsandos in ea esse ætate, ut infra tempus illud ad matrimonium procedere possint: quamvis sponsalia ab impuberibus inita non irritent, aut absolutè reprobent; quare nec ea, quæ de jure communi circa desponsationem impuberum decreta sunt, hodiè abrogata sunt; sed quia hujusmodi sponsalium usus rarior est, sufficiet, casu aliquo occurrente, consulere Commentatores Decretalium ad titulum de *Desponsatione impuberum.*

XVI. Monendos insuper volunt Desponsos conformiter ad Synodum Tridetinam *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrimonii*, » ne ante contractum matrimonium sub eodem tecto simul ha» bitent, aut carnale commercium mutuò habeant: « uti loquitur Rituale Mechliniense: vel ut disertiùs Manuale Cameracense: » Honestè se gerant, nec in eadem domo cohabitent, » aut simul maneant: « vel quemadmodum ait Synodus Audomarensis *tit.* 10. *cap.* 4. » Ne ità cum altera alter versetur, ut » fornicationis periculum, aut suspicio esse possit. «

Meritò sanè inhibentur Desponsis ea, quæ aliis vetita non sunt; eò quòd hæc jam tanto ipsis periculosiora sint, quò magis crescit affectus, & spes propediem matrimonio potiendi, & securitas à dedecore quod nondum Desponsati timent.

Itaque seriò à Parochis dehortandi sunt Desponsi ab omni eo quod ipsis hactenus non licuit, nec proinde adhuc licet. Nec tantùm timor inferni, amorque puritatis ipsis inculcandus; sed etiam infamiæ metus, nec non periculum infausti matrimonii, quod sæpè accidit ob impuritates istas præcedentes. Cæterum notum est, has etiam in Belgio, præsertim inter homines tenuiores esse non parùm frequentes; qua propter seriam admodum oportet esse hanc monitionem.

(z) *Rituale Parisiense hortatur, ut quàm primùm poterunt sponsi & sponsa matrimonium ineant, si sint puberes, nec ultra annum differant.*

CAPUT II.

De Vinculo Sponsalium, eorumque dissolutione.

1 *Sponsalia solo consensu contracta pariunt obligationem ad contrahendum matrimonium.*
2 *An Desponsi* absolutè *sint cogendi ad contrahendum matrimonium.*
3 *An per censuram cogi debeant.*
4 *Aliquando ob scandala aliaque incommoda desistendum à coactione.*
5 *Quomodo de his Judici constare debeat.*
6 *Judex in his prudenter procedere debet.*
7 *In Gallia judex Ecclesiasticus cogere non potest per censuras vel condemnare ad* dotandum.
8 *Nè quidem incidenter de dote, aut alimentatione cognoscere potest.*
9 *Officialis Episcopi non potest condemnare alternativè,* duc *vel* dota.
10 *Quid circa hæc in Belgio obtineat.*
11 *Sponsalia solo consensu inita, mutuo consensu dissolvuntur.*
12 *Fallit regula in sponsalibus impuberum, & quare.*
13 *Sponsalia sæpiùs etiam sine mutuo consensu dissolvuntur.*
14 *Ad dissolvendum sponsalia non sufficit superveniens causa quæ retraxisset à sponsalibus contrahendis.*
15 *Quid præcipuæ attendendum ut sciatur, an ob supervenientem aut detectam circumstantiam dissoluta sint sponsalia.*
16 *Nonnulla sunt quæ impedivissent contrahi sponsalia, & non dissolvunt contracta.*
17 *Attendenda conditio personarum.*
18 *Attendendus modus initorum sponsalium.*
19 *Sponsalia subinde dissolvuntur duntaxat ex parte unius.*
20 *Interdum tantùm effectus ad tempus suspenditur.*
21 *Per absentiam unius dissolvuntur subinde.*
22 *Quid circa dissolutionem sponsalium hodie in Belgio requiratur.*

I. Sicuti ea est omnium contractuum, qui solo consensu perficiuntur, natura, & conditio, ut mox à præstito consensu obligationem pariant, ipsosque contrahentes ad contractuum adimpletionem adstringant; ita quoque sponsalia mox ut vel solo consensu, sive verbis, sive nutibus, sive signis externis sufficienter exteriùs expresso, contracta sunt, obligationem pariunt, ipsosque contrahentes obligant, ut tempore debito, quod promissum est, impleant, id est, nuptias promissas contrahant.

Unde in *cap.* 2. ✠ *de Sponsalibus* scribit Pontifex: „ Præ» terea, hi, qui de matrimonio contrahendo *purè*, & sine om» ni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & omni» bus modis inducendi, ut fidem præstitam observent. «

II. Post hæc tamen subjungit Pontifex: » Si autem se adin» vicem admittere noluerint; ne fortè deterius inde contingat, » ut talem scilicet ducat, quam odio habet, videtur, quòd ad» instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, » & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia to» lerari. «

Ex hoc textu nonnulli credunt, vi promissionum matrimonialium, seu sponsalium obligari quidem promittentem etiam *ex justitia* ad contrahendum matrimonium, & promissionem adimplendam; sed tamen *absolutè* renitentem per censuras non esse cogendum, ne invitus ad matrimonium cogatur. Quid clarius indicare videtur Pontifex in *cap.* 17. ✠ *eod.* Interrogans enim » quâ censurâ mulier compelli debeat, quæ jurisjurandi » religione neglecta nubere renuit, cui se nupturam interposito » juramento firmavit; « respondit: » Quòd cùm libera debeant » esse matrimonia, *monenda* est potiùs, quàm *cogenda*, cùm » coac-

» coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. «

III. Verùm quidem est, Pontificem in *cap.* 10. ✠ *eod.* respondisse, quod si is, qui jurejurando aliquam in uxorem ducere promisit, monitis Episcopi non acquieverit, Ecclesiastica censura eum compellat, ut ipsam in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet; sed tamen addit hanc parenthesim: *Nisi rationabilis causa obstiterit.*

Ad hanc parenthesim reflectens Cujacius in expositione hujus Decretalis, ait: » Exempli gratia rationabilis causa est, si illo » coacto ad peragendas nuptias prospiciatur periculum aliquod » grande discordiæ & odii acerbioris. «

Itaque aliud non videtur hîc velle Pontifex, quàm judicem omnimodo anniti debere, ut promissionem suam præsertim juramento firmatam, partes adimpleant, idque etiam per censuram; nisi perspiciat, quòd hæc coactio difficiles exitus sit habitura; ut propterea meritò ab illa *absoluta* coactione abstineatur, & contraveniens suæ promissioni in *patientia toleretur*; uti loquitur Pontifex in *cap.* 2. ✠ *eod.*

IV. Hanc interpretationem & conciliationem textuum probat quoque Thomas Sanchez *de Matrimonio*, *libro* 1. *disputat.* 29. rationem ulteriorem assignans cur eo casu meritò à coactione judex abstineat; » quia judicis est (ait) compellere ubi » fini matrimonii expediret (ex fine enim desumenda est neces- » sitas mediorum) sed in eo casu non expedit fini matrimonii » cogere, sed potiùs mutuum obsequium, quod ipsius finis » est, impedietur... Item quia tunc judex coactionem denegans, » actori favet; vitat enim ipsius grave damnum, ut si petendi » proprium gladium ad se necandum judex denegaret. Tandem, » quia expedit, Ecclesiam minus malum permittere, ut majus » vitet; majus autem malum est scandala, & perpetuas inimi- » citias oriri, quàm fidem sponsalium frangere; juste igitur Ec- » clesia hoc permittet, gratia illud vitandi.«

V. Hæc ille, qui deinde *num.* 6. notat, necesse non esse, ut judicii constet juridicè de scandalo, ob quod à coactione desistat; sed sufficere, ut judex ex circumstantis, quas præ oculis habet, prudenter arbitretur ea scandala secutura esse: totum enim id negotium arbitrio, & prudentiæ judicis videtur esse commissum.

VI. Insuper *num.* 7. monet, id esse concedendum primæ sententiæ (id est, illi, quæ ait non esse cogendum, sed si monitis non acquieverit, relinquendum, cujus Auctores citat *num.* 2.) „ Judicem prudenter debere procedere absque strictis- „ sima coactione, ne consensus requisitus ad matrimonium de- » ficiat: quare si sponsum ita obstinatum esse videat, ut liberè » matrimonio consentire repugnet, monitione potiùs, quàm » coactione utatur. «

VII. Cùm autem vix sperari queat prosper successus matrimonii, dum alterutra pars per censuras, similesque pœnas ad contrahendum planè invicta coacta accedit, hodie receptum esse in Gallia testatur Claudius de Blondeau in *Bibliotheca Canonica*, verbo *Mariages*, *pag.* 87. *edition.* 1689. » Quòd si de » initis sponsalibus sive factâ promissione constet, judicem Ec- » clesiasticum pronuntiare posse, fidem esse exolvendam, & » matrimonium contrahendum; quòd si Sponsus recuset, ipsi » esse imponendam pœnitentiam, aut erogationem eleëmosynæ » ob fidem violatam: sed ad dotandam vel intertinendam spon- » sam cogere sponsum non posse, etiamsi id olim fieret per ex- » communicationem. Dissolvit autem Desponsos (ait) & per- » mittit, ut ad damnum, & interesse agant coram judice se- » culari (a).

VIII. Observat quoque Choppinus de Sacra Politia *lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 15. » usu receptum non esse in Gallicis Tribunalibus » Rescriptum Clementis III. in *Cap.* De Prudentia ✠ *de Do-* » *nat. inter virum & uxorem.* Pontificiæ notionis esse jura do- » tium, perinde ac nuptialis sponsionis, judicioque terminata » Matrimonii controversia, dotis cognitionem in Prætorio Epis- » copi superfore. Ast moribus nostris (ait) vinculo tenus con- » nubiali Præsulum est profanis jus reddere, tanquam de Eccle- » siastico Sacramento. Eò autem functis nullum superest de dote » judicium, nec de nuptialis quidem muneris restitutione, tam- » etsi conjugalium pactionum arrhabonis, & appendicis cu- » jusdam. «

IX. Unde si Officialis Sponsum condemnaret non simpliciter ad contrahendum matrimonium; sed alternativè *duc*, vel *dota*, censeretur abuti sua jurisdictione, atque per appellationem tanquam ab abusu sententia cassaretur, uti tradit Carolus Fevretius *tractatu*, *de Abusu*, *lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 16. quia in Gallia nullo, modo potest judex Ecclesiasticus, ne quidem *accessoriè*, de dote cognoscere, refetque anno 1604. solemni Arresto Parlamenti Dinensis cassatam sententiam Officialis Cabilonensis, qua condemnatus fuerat sponsus ad ducendam sponsam, aut assignandam competentem dotem, prout intra octiduum elegisset; dictumque fuit per Curiam, Officialem tantùm posse cognoscere de validitate, & observantia promissionis nuptialis, non autem de dote: unde & citationes in causa dotis, defloratione, susceptionis partus, alimentorum, & similes, declarantur abusivæ; ut ibidem notat Fevretius.

X. Juxta Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem potest judex Ecclesiasticus incidenter de dote, vel donatione propter nuptias cognoscere; cùm aditus super divortio, actor in libello *principaliter* concluserit ad divortium propter adulterium, & consecutivè ad lucrandam vel perdendam dotem vel donationem propter nuptias. Similiter & de alimentis, quæ per virum, aut mulierem peti contigerit pendente divortii causâ, vel de tractamento alterius eorundem, cognoscere poterit judex Ecclesiasticus, si hæc coram eo incidant, vel judicialiter petantur. Ita prædicta Concordata *tit.* 2. §. 3. & 5. Habentur parte 1. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 8.

Notat præterea Zypæus in jure Novo titulo *de Foro competenti*, *num.* 8. quòd licèt juxta citata Concordata, cùm sine prævio contractu agitur de dote constituenda inter laicos, solus judex secularis cognoscat; separatim tamen super *emenda* tantùm defloration is in Brabantia coram Ecclesiastico actio institui possit; atque ita non semel à Senatu Brabantiæ fuisse judicatum testatur, etsi secus in Gallia juxta Paponium *lib.* 1. *tit.* 5. *art. fin.* Quod ad Sacramentum Matrimonii eatenus spectat (ait Zypæus) quatenus alternativè deflorans ducere, aut dotare cogitur, & semper ferè quæritur, quod ex his debeat.

Notat quoque Thomas Sanchez loco suprà citato *num.* 10. quòd si non disputetur de validitate sponsalium, sed sponsalia certa sint, atque de iis constet, potest judex secularis ad ea compellere, quamvis juramento confirmata sint: sicut cogit ad aliorum contractuum fidem non violandam.

XI. Sponsalia, quæ solo consensu inita sunt, & hactenus solo partium consensu subsistunt, etiam solo utriusque consensu solvi possunt, juxta illud vulgatum: *nihil tam naturale*, *quàm unumquodque dissolvi eo modo*, *quo colligatum est*, L. 35. *ff. de Regulis Juris*; quod & procedit, tametsi juramento firmamata sint; quia juramentum ipsam naturam contractus non immutat, *Cap.* 2. ✠ *de Sponsalibus*, ubi id exemplo societatis juramento firmatæ decidit Pontifex.

XII. Fallit nihilominus hæc regula in sponsalibus Impuberum, quæ ex positiva Juris dispositione dissolvi, etiam mutuo consensu, non possunt, nisi postquam ad annos pubertatis pervenerint, *Cap.* 8. ✠ *de Disponsat. Impuberum*, idque statutum est, ob inconstantiam, & levitatem puerorum, ne quotidiè nova contrahant sponsalia, & rursus ab iis resiliant.

XIII. Ulteriùs sponsalia puberum, licèt ab initio valida, frequenter ex causa superveniente, etiam præveniendo mutuum consensum, solvuntur; tametsi juramento fuerint firmata, quemadmodum Januensi Archiepiscopo respondit Innocentius III. in *Cap.* 25. *de Jurejurando*, solvi hujusmodi sponsalia, si Sponsa fuerit fornicata » quoniam (ait) in illo juramento talis debet » conditio subintelligi, si videlicet illa contra regulam desponsa- » tionis non venerit. « Idem esse si mulier post contracta sponsalia fieret non tantùm leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos, aut nasum amittere, seu quidquam ei turpius eveniret, manifestè supponit ibidem Pontifex.

XIV. Pro quo tamen notandum, non sufficere ad dissolutionem sponsalium, quòd superveniat, aut detegatur talis circumstantia, quæ si præscita fuisset, sponsalia inita non fuissent: quia certum est multa posse sufficere, ut contractus nondum initus iniri non deberet, nec iniri conveniret, quæ nullatenus tamen sufficiunt, ut contractum dissolvant: eò quòd contractu nondum inito plena sit libertas non contrahendi; quæ libertas non subest, postquam contractus fuit perfectus.

XV. Itaque ut judicetur, an ob supervenientem detectam aliquam circumstantiam, sponsalia censeantur esse soluta; ipsique Desponsi, aut alteruter eorum ab obligatione soluti, expendendum, an tales personæ secundum prudens judicium talibus verbis, & in talibus circumstantiis consensum ante datum censeantur extendisse ad casum, quo talia superveniunt. Si censeantur extendisse ad casum, quo talia superveniunt, sponsalia non solvuntur. Si non censeantur extendisse ad istum casum, dicendum est, quòd solvantur.

XVI. Hinc non difficile est colligere, multa posse etiam sine ulla culpa alterutrius supervenire, quæ sponsalia dissolvant, sive ex parte sponsæ sive sponsi: item quædam etiam esse, quæ quidem præscita impedivissent sponsalia contrahi; quæ tamen supervenientia jam inita sponsalia non dissolvant.

XVII. Adhæc, non difficulter intelligitur, quòd dum de dissolutione sponsalium agitur ob supervenientem, aut detectam aliquam circumstantiam, expendendas esse conditiones, & qualiquam *de matrimonio contrahendo dederat*, *pœna censurarum Ecclesiasticarum interposita.*

(a) *Extat consultum Supremi Senatus Parisiensis, datum anno* 1645. *quo rescissa fuit sententia officialis Andegavensis, qui damnaverat Margaritam Coudrier ad solvendam fidem,*

litates personarum : quandoquidem dubitari nequeat, quin ex diversitate personarum natum sit contingere, ut consensu in sponsalia censeatur, vel non censeatur extensus ad casum, quo similia supervenissent, aut detecta fuissent.

XVIII. Illud quoque expendendum, quibus verbis, & quomodo sponsalia inita sint. Quo enim verba fortiùs exprimunt voluntatis firmitatem, atque constantiam, ut si juramentum quoque accedat; quo insuper magis præmeditatè majorique cum solemnitate, eò difficiliùs ordinariè dissolvuntur; & consensus ad plura posteà supervenientia fuisse extensus meritò præsumitur.

Hæc omnia secum expendere, & prudenti judicio expendenda committere debet, ut quis à sponsalium obligatione se in conscientia coram Deo solutum existimet. Si autem coram judice in foro exteriore agatur, hæc judici expendenda & ponderanda erunt, ut latè deducit Zypæus *Consult.* 1. *de Sponsalibus*, ubi ostendit, admodum difficulter ex parte Sponsi dissolvi sponsalia, si ultrà promissionem defloratio sponsæ secuta sit.

XIX. Verùm & hoc notandum, quòd etsi ratione alicujus supervenientis circumstantiæ solvantur sponsalia ex parte unius, non propterea semper solvi ex parte alterius. Ita fornicatio sponsi tollit obligationem ex parte sponsæ, non tamen eam tollit ex parte sponsi; sed hic sponsalia adimplere tenetur, si ipsa velit. Idem in paupertate, lepra, infamia, & similibus supervenientibus locum habere potest.

XX. Sponsalia de futuro solvi, licèt illicitè, per matrimonium cum secunda, tanquam per fortius vinculum, deciditur in *Cap.* 32. ✠ *de Sponsalibus*; eatenus nimirùm, quòd matrimonium, non obstantibus sponsalibus priùs initis, subsistat; & secundam hanc uxorem habere debeat.

Sed licèt ipsa sponsa mox à contracto matrimonio per sponsum à sponsalibus liberetur, possitque libere cum alio contrahere; nequaquam tamen ex parte sponsi sponsalia planè soluta sunt, sed duntaxat pro tempore durantis hujus matrimonii effectus ipsorum suspenditur: atque ideò matrimonio per mortem uxoris soluto, rursus reviviscunt; & si sponsa velit, sponsus in vim sponsalium eam ducere tenetur: uti post Basilium Pontium advertit Zypæus in Jure Novo *tit. de Sponsalibus*, *num.* 8.

Similiter, si alteruter Desponsatorum ingrediatur Religionem, mox ab ingressu, etiam ante professionem, solvuntur sponsalia ex parte non ingredientis; ut nimirùm liberum ei sit cum alio contrahere; sed ex parte ingredientis tantummodo suspenduntur, quandiù in Religione permanserit; sed si eam deseruerit, reviviscit ex parte ipsius obligatio: ut rectè notavit Andræas Vallensis ad hunc titulum §. 4. *num.* 2.

XXI. Sponsalia quoque ex parte solius sponsæ solvuntur, si sponsus patriam deserat, & se ad alias partes transferat, uti respondit Pontifex in *Cap.* 5. ✠ *de Sponsalibus*. Quanti temporis autem absentia requiratur, ut hoc titulo sponsa libera censeatur à promissione sua, nullibi determinatur, sed arbitrio judicis relinquitur; nisi certum tempus, intra quod matrimonium contrahi debeat, sponsalibus adjectum sit; eo enim elapso, certum est, sponsalia ulterius non obligare. *Cap.* 22. ✠ *de Sponsalibus*.

XXII. Inspecto jure communi, ad solutionem sponsalium non requiritur sententia judicis, aut solemnitas aliqua præter utriusque desponsatorum consensum. Ritualia Belgica autem nolunt Sponsalia propria Desponsatorum auctoritate solvi.

» Non consentiant Parochi (ait Rituale Mechliniense) ut » illi, qui in ætate legitima constituti sponsalia contraxerunt, se » mutuo ab ejusmodi promisione futurarum nuptiarum propriâ » auctoritate absolvant, sed illos spiritualis Curiæ Promotori de- » nuntient; ut causa per Episcopum, ejusve Officialem discus- » sâ, si ea secundum juris dispositionem legitima sit, ab ejus- » modi promissione absolvantur. «

Idem habet Manuale Cameracense. Et Synodus Cameracensis anno 1604. *tit.* 1. *cap.* 9. ait: » Sponsalia contracta non » dirimant Parochi, sed rei cognitionem ad Officialem nostrum » remittant. « Id ipsum habent Synodi Audomarenses *tit.* 10. *cap.* 8. & Buscoducensis sub Masio *tit.* 10. *cap.* 18.

Hæc verò intelligi oportet de Sponsalibus publicis, & coram Ecclesiæ ministro ritu solemni contractis; quibus dum Ecclesia semel manum apposuit, nihil se inconsultà fieri permittit. Impeditur etiam hoc pacto levitas, quæ aliter in re tam gravi, & frequenter non sine scandalo, aliisque incommodis interveniret.

CAPUT III.

De Proclamationibus, seu Bannis matrimonialibus.

1 *Quid significet vox* Bannum.
2 *Bannum jam pridem in Ecclesia Gallicana sumptum fuit pro Proclamatione matrimoniali.*
3 *Proclamationes illæ in aliquibus Ecclesiis receptæ, extensæ sunt ad omnes per Concilium Lateranense.*
4 *Earum usum probavit Synodus Tridentina.*
5 *Proclamationes faciendæ post contracta sponsalia ante contractum matrimonium.*
6 *Scopus Proclamationum requirit, ut fiant in Parochis utriusque contrahentis.*
7 *Quid ex præscripto Synodorum & Ritualium observandum, dum Desponsi sunt diversarum Parochiarum, Decanatuum, aut Episcopatuum.*
8 *Quid servandum quando Desponsi domicilium mutârunt, aut plura habent domicilia.*
9 *Quibus diebus fieri debeant.*
10 *Debent fieri, quando populus est maximè attentus, & voce intelligibili.*
11 *Populus monendus, ut impedimenta etiam* occulta *revelet.*
12 *Idque etiamsi* judicialiter *probari nequeant; interdum tamen revelatio omittenda.*
13 *Desponsi in confessione de impedimentis interrogandi; cavenda tamen revelatio confessionis.*
14 *Synodus Tridentina non irritavit matrimonium omissis Proclamationibus contractum.*
15 *Neque in Gallia hujusmodi matrimonium est* invalidum.
16 *Synodus Tridentina permittit Episcopis dispensare super Proclamationibus.*
17 *Unicam causam dispensandi expressit Synodus Trid.*
18 *Duplicem cautionem addit Synodus; quorum una hîc in Belgio non observatur.*
19 *Synodus Trid. desiderat, ut Episcopi in concedenda dispensatione sint admodum moderati.*
20 *Quæ fuerit in his concedendis moderatio S. Caroli.*
21 *An ad evitanda maleficia concedenda dispensatio.*
22 *Quid in Gallia circa hanc dispensationem habeant Edicta Regia, & quæ sit praxis.*
23 *Optandum ut rarò dispensaretur, idque innuunt Synodi Belgicæ.*
24 *Qua cautione Parochi testimonium dare debeant pro obtinenda dispensatione.*
25 *Perniciosus est abusus, dispensare indiferenter sine gravi causa super omissione Proclamationum.*
26 *Hunc abusum aboleri posse ostendit praxis plurium Diœcesium; necnon praxis Hæreticorum in Provinciis Unitis.*
27 *Quid circa hæc Parochi facere debeant.*

I. HUjus vocabuli *Bannum*, non una, sed multiplex apud Scriptores, & in antiquis tabulis est notio, ait D. Du Cange in Glossario verbo *Bannum*, sed potissimum *Bannum* trino significatu ut plurimùm accipitur. Ac primò quidem pro edicto publico; rursum pro mulcta judiciaria; tertiò pro districtu ac jurisdictione. Quas notiones ibidem latiùs expendit, & ex veteribus Sriptoribus & monumentis deducit citatus Auctor.

II. Itaque *Bannum* jam pridem, præsertim in Ecclesia Gallicana, acceptum fuit pro proclamatione seu *edicto*, quo matrimonium proclamatur, sive edicitur, ut si quis futuro matrimonio, quod *publicè* proclamatur, aliquid opponendum sciat, edicat, sive opponat; quemadmodum manifestè insinuat Innocentius III. in *Cap.* 27. ✠ *de Sponsalibus*, rescribens Episcopo Balucensi, præsertim si legatur Decretalis ut extat in veteri collectione apud Antonium Augustinum, ubi hæc leguntur: » Sanè quia contigit interdum quòd aliquibus volentibus » contrahere matrimonium, *Bannis*, ut tuis verbis utamur, in » Ecclesiis, *secundùm consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ* edi- » tis « &c. Quæ postrema verba omisit Raymundus, è quibus interim post Cujacium elicit Filesacus *libro de Origine Parochiarum*, *cap. fin.* Proclamationum, seu *Bannorum* matrimonialium institutum ab Ecclesia Gallicana ad cæteras manâsse.

III. Quidquid sit, illud constat, quòd tempore Concilii Lateranensis sub Innocentio III. celebrati, usus proclamationum, seu *Bannorum* matrimonialium tantùm in quibusdam Ecclesiis esset notus: ac demum ad omnes Ecclesias per decretum hujus Concilii in *Cap.* 3. ✠ *de Clandestina Desponsatione*, sit extensus.

Intelligens enim Concilium, frequenter contingere, ut contrahendo *clandestinè*, ob occultum dirimens impedimentum, matrimonia nulliter contraherentur, » specialem quorundam » locorum consuetudinem (ait) ad alia generaliter prorogando » statuimus, ut cùm matrimonia fuerint contrahenda, in Ec- » clesia per Presbyteros proponantur competenti termino præ- » finito, ut intra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum » impedimentum opponat. «

IV. Synodus Tridentina similiter desiderans occurrere multiplicibus incommodis, quæ ex matrimoniis clandestinis quotidiè oriebantur, dictis sacri Concilii Lateranensis vestigiis inhærendo præcipit, » ut imposterum antequam matrimonium » contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus

» con-

» continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solem-» nia publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit con-» trahendum. «

V. Vult Synodus, proclamationes fieri *antequam* matrimonium contrahatur, id est, postquam sponsalia jam publicè & coram Parocho contracta sunt; aut si clandestinè inita sint, saltem Parocho de consensu in matrimonium sufficienter constet.

» Quando aliter quàm coram proprio Parocho sponsalia » contracta sunt, matrimonii denuntiationes non ante ab eo » fiant, quàm ipsimet sponsus & sponsa id exigant, aut co-» ram assensum præbeant. Qui quidem assensus, si non ejus-» dem Parochiæ sint, à proprio cujusque Parocho cognosci, » atque alteri ab altero testimonii litteris significari debet: « Hæc Synodus Diœcesana Mechliniensis *titul.* 9. *cap.* 9.

VI. Cùm scopus harum Proclamationum, seu Bannorum sit, detegere impedimenta matrimonii contrahendi, meritò requirit Synodus, ut, non tantùm illæ fiant ab alterutrius contrahentis Parocho, sed à contrahentium, id est, utriusque proprio Parocho, si desponsi diversæ Parochiæ fuerint; quod expressè notavit Rituale Romanum, & nostra Ritualia Belgica, necnon Synodi fieri præcipiunt.

VII. Vult Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 10. *cap.* 3. » Quandocumque matrimonium contrahere volentes sunt diver-» sarum Diœcesium, Decanatuum, vel Parochiarum, Parochus » unius ad matrimonii solemnizationem non procedat, nisi & » omnes proclamationes in Ecclesia sua fecerit, nullumque in-» tellexerit canonicum impedimentum; & similiter Parochum » alterius Desponsorum omnes tres proclamationes fecisse, & » nullum canonicum impedimentum denuntiatum esse, & tes-» timonio ejusdem Pastoris certò cognoverit, vel de dispensa-» tione Ordinarii ipsi constiterit. Et si fortè signaturam illius Pas-» toris non noverit, & testimoniales sibi exhibitas de falso sus-» pectas habeat, exigat testimonium saltem unius personæ fide » dignæ, quòd testimoniales illæ sint scriptæ vel subsignatæ ma-» nu ejus à quo scriptæ, vel subsignatæ esse dicuntur, vel si hu-» jusmodi testimonium haberi non possit, exigat juramentum ab » altero Desponsorum, quem testimoniales illæ concernunt, » quòd eas à Parocho suo acceperit, vel ab eo scriptas esse » sciat. Et si quem hîc perjurum esse, aut crimen falsi com-» mittere contigerit, is gravisimè puniatur. «

Similia habet Rituale, addit tamen: » Si verò desponsi sint » diversorum Episcopatuum, aut Decanatuum, corroborandæ » erunt litteræ Parochi illius, qui matrimonium non solemniza-» bit, Episcopi aut Decani Christianitatis testimonio. «

VIII. Ut verò finis proclamationum obtineatur, meritò monet Synodus Diœcesana Mechliniensis *tit.* 9. *cap.* 8. » Si ma-» trimonium contracturi in Parochia, in qua est moderna eo-» rum habitatio, brevem moram traxerint ità ut ibi non sint » satis noti; etsi ibidem matrimonio jungi possint, nihilomi-» nus in Parochia, in qua priùs habitarunt, ubi verisimiliùs est » fore ut impedimenta sciantur, denuntiationes omnes fieri vo-» lumus. «

Hæc Synodus; ubi & in margine notatur, Congregationem Concilii Tridentini, ità respondisse. Sane menti Concilii Tridentini conforme esse, ut si quis plura habeat domicilia in diversis Parochiis, fiant denuntiationes in ea, in qua diutiùs habitat & principialiorem habet larem, vel potiùs in ea, in qua verisimilius est sciri impedimenta, pluribus citatis resolvit Barbosa *de Officio & potestate Episcopi*, *part.* 2. *Allegat.* 32. *num.* 11.

IX. Denuntiationes, seu proclamationem Synodus Tridentina fieri vult diebus festivis; idque in Ecclesia inter Missarum solemnia, quando nimirùm solet esse major populi concursus; ut ità matrimonium contrahendum magis innotescat, & impedimenta faciliùs detegantur; qui est hujus Decreti scopus.

Unde eas fieri posse alio die, quàm festo, si ob aliquam solemnitatem in Ecclesia celebrandam, quamvis sine festo in populo, magnus ad Ecclesiam fiat populi concursus, resolvit Barbosa, aliique ab eo citati *dicta Allegat.* 32. *num.* 15. & sat patenter supponit Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 10. *cap.* 2. præcipiens, proclamationes fieri Dominicis, vel Festivis diebus sub summo Sacro, vel concione, aut sub frequenti populi *conventu.*

X. Debent ergo ad mentem Synodi fieri sub concione, aut in Missa, quando ipse populus solet esse frequentior & attentior; idque voce & idiomate ab omnibus intelligibili: qua de re anno 1663. in Congregatione Archipresbyterorum Diœcesis Mechliniensis Præsidente Archiepiscopo hæc resoluta sunt *art.* 20. » Proclamationes publicæ, quæ ad matrimonium contrahendum prærequiruntur, fiant in initio concionis, aut post lectum in ea Evangelium, aut alio non minus commodo tempore, alta tamen semper & intelligibili voce, expresso nomine usitato desponsandorum, & caveatur, ne illa alterentur, aut in aliud idioma inflectantur sub pœna arbitraria.

XI. Cùm hæ proclamationes unicè tendant ad impedimentorum detectionem, Parochi est, frequenter monere populum, ut si quæ impedimenta, etiam occulta sciat, ipsi Parocho saltem revelet; ne alioquin ex silentio, & occultatione reus reddatur omnium malorum, quæ ex matrimonio cum impedimento præsertim dirimente contracto, nata sunt oriri.

XII. Neque excusatur quis à revelatione eo solo titulo, quod illud subese in judicio probare non possit: quia equidem hujusmodi manifestatio impedimenti Parocho occasionem dare potest ulteriùs inquirendi; qua inquisitione forsan ita deteget impedimentum, ut etiam in judicio probari poterit.

Adhæc, licèt forsan impedimentum nunquam sic esset detegendum, ut judicialiter probari posset; nihilominus conducet ejus manifestatio, ut Parochus accipiat inde occasionem sedulò monendi Desponsatos de longa illa peccatorum, aliorumque incommodorum catena, cui se innectunt, qui cum impedimento dirimente contrahunt: qua monitione forsan fiet, ut ipsi contrahentes, aut alter eorum impedimenti conscius illud fateatur; atque ita matrimonium impediatur.

Accedit, quòd vel unius etiam testimonium de impedimento sufficere soleat ad impedimentum matrimonii, juxta dispositionem juris in *Cap.* 22. ℣ *de Testibus*, & *Cap.* 12. ℣ *de Sponsalibus*, idque ob periculum peccati; quod ex matrimonio sic contrahendo timetur: de quo latè Sanchez *de Matrimonio*, *lib.* 1 *disp.* 71.

Posset nihilominus contingere, ut occulti impedimenti manifestatio fieri non deberet; si scilicet ex ipsa manifestatione gravissima mala meritò timeantur; nullum verò aut valdè exiguum bonum ex revelatione speretur; quod ex circumstantias prudenti judicio metiendum est.

XIII. Monet quoque Synodus Audomarensis *tit.* 10. *cap.* 10. ut sub finem confessionis, quæ solemnizationi matrimonii præmitti solet, » Parochus ultrò pœnitentem roget, an nulla sciat » impedimenta. Non tamen (ait) quod à Parocho revelanda » aut aperienda aliquando sint peccata pœnitentis, aut per quæ » in peccatorum illius notitiam veniatur: sed quòd adduci eo & » persuaderi pœnitens possit, ut aut aperiat ipse aut aperiri per-» mittat, proposito ipsi æternæ salutis suæ hinc pendentis dis-» crimine. Nam si huc adduci non potest, neganda quidem ip-» si est absolutio à peccatis, sed à matrimonio, etiamsi fortè il-» lud verè non ineat, invitus repellendus non est, quando res » nonnisi ex confessione nota est. «

XIV. Quantumvis autem Synodus Tridentina enixè desideret, ne matrimonia sine præviis hisce proclamationibus contrahantur; noluit tamen ab his validitatem matrimonii dependere; neque earum omissionem impedimentum dirimens esse, uti declaravit S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres: & unanimi consensu fatentur Doctores, estque conformis ipsa quotidiana praxis; uti novissimè ostendit Gerbesius Doctor Sorbonicus in suo Tractatu Gallico, *de Potestate Ecclesiæ*, *& Principum circa impedimenta matrimonii.*

XV. Ostendit quoque in Gallia matrimonia contracta sine præviis proclamationibus, aut legitima dispensatione haberi pro validis, non obstante articulo 40. Edicti Blesensis, quo ita decernitur: » Ad occurrendum abusibus, & damnis, quæ ex » matrimoniis clandestinis oriuntur, decrevimus, & decerni-» mus, quòd subditi nostri, cujuscunque status, qualitatis & » conditionis existant, contrahere valide non poterunt, sine pu-» blicis Bannorum proclamationibus cum competenti temporis » intervallo (b): « id enim intelligendum esse, valida non esse quoad effectus *civiles*, ex variis auctoribus Gallicis, necnon Parlamentorum Arrestis ostendit *pag.* 500, & sequentibus, edit. 1696.

XVI. Post hæc subjungit Synodus Tridentina: » Quòd si » aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiosè » impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel » una tantùm fiat, vel saltem Parocho, & duobus vel tribus » testibus præsentibus matrimonium celebretur. Deinde ante il-» lius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si » aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur: nisi Ordi-» narius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes » remittantur, quod illius prudentiæ, & judicio sancta Syno-» dus relinquit (c). «

Hoc decreto permittit Synodus dispensationem super denun-

(b) *Edicto Blesensi*, *suprà num.* 15. *citato*, *consona est nostra Hispania lex* 1. *tit.* 1. *lib.* 5. *Recopilat. Præcipimus* (ait) *ut qui matrimonium*, *menti Ecclesiæ clandestinum*, *contraxerit*, *contrahentes*, *testes*, *cæterique ipso facto pœnam amissionis bonorum incurrant*, *exilium*, *& etiam privationem à legitima paterna & materna*, *si eis placuerit*, *patiantur.*

(c) *Novissimè Pragmatica Sanctione data* 23. *Martii anno* 1776. *stabilitum fuit* §. 17. *ut quoad denuntiationes inviolabiliter servetur quod à Concilio Tridentino stabilitum est*, *voluntarias dispensationes in eis*, *ut præjudiciales omittendo.*

nuntiationibus ipsi Ordinario, id est, Episcopo Diœcesano, quem hoc loco per Ordinarium intelligi, non autem alios inferiores Prælatos, jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, ostendit Fagnanus ad *Cap.* 3. ℵ *de Clandestina Desponsat.* atque ita à sacra Congregatione, probante Gregorio XIII. responsum fuisse testatur.

XVII. Unam duntaxat causam dispensationis expressit Synodus, nimirùm cùm advertitur periculum, matrimonium *malitiosè* impediendum, si tanto tempore differendum sit, quousque tres denuntiationes præcesserint.

XVIII. Addit nihilominus duplicem limitationem Synodus. Una, ut tunc saltem una denuntiatio præcedat; altera, ut si periculum tale sit, ut nec tantillo tempore differri queat, permittatur sine prævia denuntiatione matrimonium solemnizari; sed ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant. At posterior cautio hîc in Belgio non solet adhiberi teste Zypæo titulo *de Sponsalibus*, *num.* 10. dicitque quòd non audiverit unquam, post contractum jam matrimonium proclamationes fuisse factas.

XIX. Adhæc, tametsi dubitari nequeat, quin præter causam expressam, crediderit Synodus posse alias causas occurrere, quæ dispensationem in una, aut pluribus, aut etiam omnibus proclamationibus requirant, cùm id relinquat judicio ipsius Ordinarii; nihilominus sat ostendit, Ordinarium debere esse admodum moderatum in relaxandis hisce proclamationibus. Et profectò qui attenderit incommoda, quæ clandestina matrimonia frequenter adferunt, haud difficulter agnoscet, quòd sicuti justissimâ ratione has proclamationes prætermitti voluit Ecclesia, ita quoque meritò velit, summam in dispensando servari moderationem.

XX. Sanctus Carolus in Concilio V. Mediolanensi *part.* 3. *cap.* 17. solam causam in Synodo Tridentina expressam pro legitima agnoscit; ac dein subjicit: » At verò si hæc causa non » subest, quamobrem illas remittat, ea certè sola quòd instat » sacri Adventûs, Quadragesimæve tempus, neque necessaria » est, nec verò cum ratione consentiens. « Rationem notandam subjiciens: » Cùm præsertim eo sacro tempore, qui jam matri- » monio juncti sunt, ab illius usu abstinere potiùs conveniens » sit, nedum Sponsos unà conjungi."

XXI. Synodus Rothomagensis anno 1581. *tit. de Matrimonio*, advertens dispensationes super proclamationibus frequentiùs peti ad cavenda maleficia, quæ in celebratione nuptiarum nonnunquam dicuntur intervenire, eam causam ut insufficientem rejiciens, medium aptius » contra maleficia suggerit, & » ut dignè hoc Sacramentum recipiant, hortatur conjuges, ut » antequam contrahant, vel saltem triduo ante consummatio- » nem matrimonii sua peccata diligenter confiteantur, & ad » sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum accedant. Sacerdos ve- » rò ne ullum det maleficiis locum, cautiùs, & circumspectiùs » se gerat. «

XXII. In Gallia Edicto Blesensi *art.* 40. cautum est, » quòd » Bannorum non poterit obtineri dispensatio, nisi post primam » promulgationem factam; idque solùm propter aliquam urgen- » tem & legitimam causam, & ad requisitionem præcipuorum, » & proximiorum parentum ipsorum contrahentium. «

Quamvis hic rigor hodiè nonnihil sit mitigatus; atque ob necessariam causam nonnunquam in omnibus tribus denuntiationibus Episcopi dispensent: nihilominus si parentes, aliique interesse habentes prætendant, non fuisse legitimam causam remittendi omnes proclamationes, admittitur appellatio tanquam *ab abusu*, ob contraventionem Edicto Regio; uti post Carolum Fevretium *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 31. notat Gerbesius in citato tractatu *pag.* 508. unà observans, rarò admodum super tribus denuntiationibus dispensari; tuncque etiam cautè, ut si forsan super data dispensatione iis intentata fuerit, rationes proferre Ordinarii queant; quibus justam fuisse dispensationem doceant.

XXIII. Optandum esse (ait Gerbesius) ut conformiter ad Edictum Blesense, publicatio Bannorum fieret, & dispensatio non concederetur, nisi ad requisitionem primariorum, & proximorum parentum: id esset medium aptissimum, ad prævenien- dum matrimonia clandestina filiorumfamilias, quæ frequenter adeò turbant familias, atque rixis, & litibus intricant.

Synodi Belgicæ tàm enixè præcipiunt Parochis has denuntiationes præmitti, ut non sit obscurum, quòd earum publicationem summi momenti esse existimârint; & per consequens, non nisi gravi de causa in illis esse dispensandum supposuerint.

XXIV. Ad calcem Manualis Pastorum compendiosè complectentis Canones & ritus ecclesiasticos pro administrandis Sacramentis juxta usum Pastoralis Mechliniensis, extat formula ad scribendum testimonium pro iis, qui egent dispensatione super proclamationibus antenuptialibus, unà cum quibusdam reflexionibus ad instructionem Pastorum, quas cum ipsa formula hîc apponendas censui, ut ex his appareat, quanta cum cautione ad dispensationem secundum regulas hîc præscriptas sit procedendum.

Formula testimonii hæc est: » Facta per me infrascriptum » rectorem Parochialis Ecclesiæ loci de.... districtûs..... Diœcesis » N. diligenti inquisitione apud personas fide dignas super li- » bertate N. N. & N. N. subditorum prætactæ Parochialis, » cupientium inter se ritè contrahere matrimonium, scio & » testificor eos ad id esse liberos, & ab eo non prohiberi per » aliquod canonicum impedimentum. Insuper ipsos esse boni no- » minis, & famæ, & in Catholica fide, quam profitentur, esse » sufficienter instructos, uti per examen deprehendi; denique » eorundem Parentes consentire in prædictum prætensum ma- » trimonium, prout ex ore eorundem Parentum coràm didici. » Et quia prædicti nupturientes excurrunt, ut gratiam dispen- » sationis obtineant & allegant pro causa quòd &c. Fidem fa- » cio causam illam revera subesse. Datum &c. *Dicitur suprà* » apud personas fide dignas, *quia non oportet stare dicto ipso-* » *rum nupturientium, qui soli in propria causa non sunt idonei* » *testes; sed necessum est audire, & examinare eorum paren-* » *tes, propinquos, condomesticos, vicinos, dominos, ac alios* » *similes.* «

Dicitur preterea eorundem parentes consentire: » *debet de* » *hoc consensu constare, parentes personaliter audiendo, quan-* » *do id fieri potest, vel eos qui parentum loco sunt. Aut, si* » *nupturientes sint sui juris, exprimatur.* «

Dicitur denique, & allegant pro causa: » *Causa hæc non* » *debet esse futilis, sed concludens, & debet D. Pastor de ejus* » *veritate testari, & nupturientes examinare nùm sint Catholi-* » *ci, Confirmati, & nùm ea sciant, quæ scitu sunt necessaria* » *ad salutem. Si nesciant, debet eos desuper instruere & non di-* » *mittere pro petenda dispensatione prædicta, nisi ea calleant.* «

» *Quod si nupturientes diversarum sint Parochiarum, eo-* » *rundem respectivi Pastores debent se conformare supradictis.* «

XXV. Si hæc toties iterata Ecclesiæ mandata, necnon mala, quæ ex omissione proclamationum oriuntur, seriò attendantur, apparebit facilem illum, qui in quibusdam Diœcesibus inolevit, dispensationum usum, esse summum ac perniciosum abusum nullâ consuetudine quæ potiùs corruptela dicenda est, justificandum; ipsisque Episcopis omninò allaborandum esse, ut tam nocivus abusus tollatur, atque regulæ Ecclesiæ toties iteratæ, & inculcatæ serventur.

XXVI. Neque id adeò difficile esse, ostendit non tantùm multarum Diœcesium praxis, numquam, aut rarò admodum super denuntiationibus, saltem omnibus, dispensandi; sed & exemplum vicinorum Hereticorum, qui quamvis se nec Synodi Tridentinæ, nec aliarum Catholicarum Synodorum decretis subjectos agnoscunt, nihilominus ad præcavenda incommoda ex matrimoniis clandestinis nata oriri, politicâ ordinatione anno 1580. *art.* 3. caverunt, ne aliter consistant nuptiæ, quàm si tribus publicis proclamationibus, à Magistratu Loci, singulis diebus Dominicis intercedentibus, post causæ cognitionem concessis in Ecclesiis, è suggestu in facie Ecclesiæ, aut si reformati non sint, è Curiæ loco publicationi destinato, coram Magistratu pactum connubiale certis solemniis consumetur. Ita Simon Van Leuwen J. C. Batavus in *sua Censura forensi, lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 1. qui dein *num.* 2. addit: » Quarum proclama- » tionum præcipuus effectus est, ut interea quicunque volue- » rit, & valuerit legitimum impedimentum exponere, se ma- » trimonio contrahendo opponat. Quod ut magis innotescat, » non solùm eo in loco, in quo sponsus, aut sponsa degunt, » sed etiam in quo uterque vel alteruter natus, aut educatus » est, vel ubi per annum & diem proximum fixum habuerint » domicilium, publicatio illa fieri debet, ne si sponsus vel spon- » sa peregrè advenerint, fraus, aut fallacia committatur. «

Si hi prætensi Reformati, solis incommodis ex nuptiis clandestinis orituris permoti, adeò solicitè has proclamationes præmitti velint; nec cum aliquo cujuscunque conditionis dispensare soleant, uti notorium est: indignum sanè & scandalosum, Episcopos nonnullos, tot etiam Ecclesiæ sanctionibus constrictos, adeò faciles esse in remittendis proclamationibus, ut leges Ecclesiæ tantùm pauperibus, & infirmæ quasi plebi præscriptæ videantur; imò quòd pudet dicere, sola nummi carentia ad observantiam legis constringere videatur.

XXVII. Interim cum frequenter Parochi non possint huic abusui totaliter occurrere; sed id præcipuè ab Ordinariis, eorumque Officialibus dependeat, ipsi interim saltem soliciti sint, ut juxta Synodorum & Ritualium suorum præscriptum, non nisi causâ cognitâ, & cum magna cautione testimonia pro obtinenda dispensatione expediant; ut si quis in dispensatione committatur abusus, is ipsis equidem imputari nequeat.

Deindè Parochus, ut solicitus pro legum Ecclesiasticarum Zelator, subditos suos sæpiùs ad hujus legis observantiam adhortetur; exponendo rationes, ob quas Ecclesia tam seriò has denuntiationes præmitti voluerit: quàm periculosum & Deo ingratum sit in ipsa Sacramenti susceptione Leges ecclesiasticas infringere: neque ipsam dispensationem, si causâ legitimâ destituta sit, ipsos in totum semper excusare. Denique persuadendo honestioribus, ut se huic legi subjiciant, ut ita suo exemplo alios ad ejus observantiam alliciendo, & ostendendo Legem

gem Ecclesiæ non tantùm pauperibus, & infimæ plebi esse præscriptam, benedictionem ampliorem à Deo accipere mereantur.

CAPUT IV.

De Matrimonio, et Consensu matrimoniali.

1 *Matrimonii definitio.*
2 *Matrimonium* legitimum.
3 *Matrimonium* ratum *tantùm.*
4 *Matrimonium* consummatum.
5 *Matrimonium ratum inter Fideles verum Sacramentum.*
6 *Definitio matrimonii in decreto pro Armenis quomodo accipienda.*
7 *Quæ sit causa efficiens matrimonii.*
8 *Consensus matrimonialis per* signa *exprimi potest.*
9 *Non facilè admittenda hujusmodi expressio; & quare.*
10 *Etiam inter absentes potest celebrari.*
11 *Requiritur mandatum speciale.*
12 *Mandatarius ad contractum matrimonialem alium substituere non potest.*
13 *Censetur revocatus, etiamsi revocatio non sit intimata.*
14 *Dissuadenda matrimonia per Procuratores.*
15 *Matrimonio conditio adjici potest; & quid conditio de præsenti, aut de præterito operetur.*
16 *An contractus matrimonialis sub conditione de futuro contingenti, ante eventum conditionis sit matrimonium.*
17 *An eveniente conditione consensus sit renovandus.*
18 *Quem effectum habeant conditiones turpes, aut impossibiles contractui matrimoniali adjectæ.*
19 *Ad validitatem matrimonii non requiritur consensus Parentum.*
20 *In Belgio matrimonium invitis parentibus contractum est validum; & quid in Gallia.*
21 *Hujusmodi matrimonia Ecclesia detestatur.*
22 *Pœnæ in filiosfamilias sine consensu parentum decretæ in Gallia.*
23 *Qui Edictis pœnalibus non comprehendantur.*
24 *Quomodo puniendi Sacerdotes hujusmodi matrimonio assistentes.*
25 *Edicta Principum nostrorum contra similia matrimonia.*
26 *Consensum parentum judex supplere potest; & quis sit is judex.*
27 *Quod sit Parochorum officium in dissuadendis matrimoniis ineundis sine consensu parentum.*
28 *Non semper illicitum contrahere invitis parentibus, dum irrationabiliter sunt inviti.*
29 *Monendi parentes, ne sine justa causa denegent consensum.*
30 *Quid Parocho agendum post contractum matrimonium invitis parentibus.*

I. MAtrimonium generaliter sumptum definitur in *cap.* 11. ✠ *de Præsumpt.* maris, & fœminæ conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens; eaque jam antè tradita erat à Justiniano in *Institutis*, *de Patria Potestate*, §. 1.

II. Matrimonium generaliter sic sumptum tripliciter distinguitur. Aliud dicitur *legitimum*, id est, secundum leges Gentium legitimè contractum; non autem in fide Christi, quale est Judæorum & Infidelium.

III. Aliud matrimonium *ratum*, id est, in Ecclesia approbatum, quod inter Christi Fideles legitimè contrahitur: quam distinctionem apertè ponit Pontifex in *cap.* 7. ✠ *de Divortiis*, dicens: »Nam etsi matrimonium verum inter Infideles »existat, non tamen est *ratum*: Inter Fideles autem verum & »*ratum* existit: quia Sacramentum fidei, quod semel est ad»missum, nunquam amittitur; sed *ratum* efficit conjugii Sa»cramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.«

IV. Si postquam matrimonium legitimè contractum est, conjunctio carnalis intercesserit, jam matrimonium à consummatione operis matrimonialis dicitur *consummatum.*

Quamvis matrimonium *ratum* etiam ante consummationem sit verum matrimonium; nihilque ipsi desit ad rationem matrimonii, nihilominùs per consummationem accipit quandam perfectionem, quantum ad significationem; redditurque vinculum matrimonii magis indissolubile, ut infrà titulo *de Divortiis* ostenditur.

V. Matrimonium *ratum* inter Fideles esse verum Sacramentum nemo Catholicorum dubitat, idque tanquam indubitatum exponsuit Eugenius IV. in decreto pro Armenis dicens: »Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est sig»num conjunctionis Christi & Ecclesiæ secundum Apostolum »dicentem, Ephes. cap. 5. v. 32. *Sacramentum hoc magnum* »*est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.*«

Et Synodus Tridentina *Sess.* 24. *Can.* 1. *de Sacramento Matrimonii*, ait: »Si quis dixerit matrimonium non esse ve»rè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramen»tis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Eccle»sia inventum; neque gratiam conferre, anathema sit.«

Hæc dogmata contra nostri temporis Hæreticos, qui negant matrimonium esse verum Sacramentum, aut gratiam conferre, adstructa, & ex Patribus & Scriptura deducta videri possunt apud Theologos, præsertim illos, qui ex professo contra Hæreticos puncta Fidei Catholicæ adstruxerunt.

VI. Porrò definitio jam data, uti pasim notant Theologi, & Canonistæ, non exprimit aut declarat causam efficientem matrimonii, nec ejus substantiam, sed tantùm effectum, qui sequitur, & promanat à præcedenti causa; societatem nimirùm perpetuam omnis vitæ, quam Tertullianus *libro ad uxorem*, conjunctum appellat, & individuum usum, corporum & animorum conjunctionem individuam.

VII. Causa igitur efficiens, & perficiens matrimonium est mutuus contrahentium consensus, ut sicuti sponsalia de futuro contrahuntur solo consensu in nuptias futuras, ita matrimonium per consensum de præsenti in nuptias perficitur, juxta Regulam Juris: *Nuptias non concubitus, sed consensus facit* L. NUPTIAS, *ff. de Regulis Juris* Unde Pontifex in *cap.* 23. ✠ *de Sponsalibus*, tanquam indubitatum suæ resolutionis fundamentum assumit, quòd *sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum, quarumque conjunctionibus agitur.*

Quod autem dicit Eugenius IV. in citato decreto pro Armenis: »Causa efficiens matrimonii, *regulariter* est mutuus »concensus per verba de præsenti expressus;« nullatenùs sic intelligendum, quasi aliquando alia esset causa efficiens matrimonii quàm *mutuus consensus*; sed quòd is consensus non semper sit exprimendus per *verba*: ideoque vocula *regulariter* non refertur ad *mutuum consensum*, sed refertur ad consensum *per verba* de præsenti expressum.

VIII. Sicuti enim in aliis contractibus consensus non verbis duntaxat, sed etiam signis, & nutibus exprimi, & manifestari potest; similiter & in contractu matrimoniali; quemadmodum dicitur *cap.* 13. ✠ *de Sponsalibus*, ibi respondet Pontifex, surdum & mutum posse matrimonium contrahere: *Cùm quod verbis non potest*, SIGNIS *valeat declarare.*

IX. Verùm quia signa frequenter dubia, & æquivoca sunt, non tam clarè consensus per illa, quàm per verba exprimi potest; hinc non nisi necessitate quodammodo cogente, signa admittenda, aut adhibenda sunt. Imò ut certiùs de consensu constet, claram, & nullis ambiguitatibus, aut æquivocationibus obnoxiam verborum formulam in contractu matrimoniali adhibendam passim Ritualia præscribunt, à qua nec Parochi recedere, nec ut alia forma contrahatur, permittere possunt; quantumvis alio modo etiam, per sola signa expressus consensus matrimonium validum constituat, si aliud canonicum non obstet impedimentum.

X. Cùm Christus elevando contractum matrimonialem ad rationem Sacramenti, nihil immutaverit de natura contractus, consequens est, quòd adinstar aliorum contractuum, qui consensu ineuntur, possit & hic inter absentes per litteras, aut per Mandatarios, sive Procuratores perfici; quod ultimum inter Principes non rarò contingit.

XI. Sed quia hîc de re summi momenti tractatur, Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quàm si ad hoc mandatum habet *speciale*, uti declaratur in *cap. fin. de Procuratoribus*, *in VI.*

XII. »Et quamvis aliàs is, qui constituitur ad negotia Pro»curator alium dare possit; in hoc tamen casu (propter mag»num quod ex facto tam arduo posset periculum imminere) »non poterit deputare alium, nisi hoc eidem *specialiter* sit com»missum.« Ita Pontifex *in citato capitulo finali.*

XIII. Quin & ibidem tanquam in hoc contractu omninò singulare additur: »Sanè si Procurator antequam contraxerit, »à Domino fuerit revocatus: contractum postmodum matri»monium ab eodem (licèt tam ipse, quàm ea cum qua con»traxit, revocationem hujusmodi penitùs ignoraverint) nullius »momenti existit, cùm illius consensus defecerit, sine quo fir»mitatem habere nequivit.«

XIV. Ex his sat apparet, qua ratione matrimonia per Procuratores, & inter absentes multis difficultatibus posint esse obnoxia; ut proindè consulendum sit, ut inter præsentes fiant; nec Parochi propria auctoritate hujusmodi matrimonia admittere debeant; attento quòd nec inter Theologos omninò conveniat, num hæc matrimonia veram Sacramenti rationem habeant.

XV. Si solam rationem contractus in matrimonio spectemus, etiam conditiones, & modos adinstar aliorum contractum adjici patitur.

Conditiones quidem de *præterito*, vel *præsenti* si adjiciantur, ipsum consensum non suspendunt; sed si verum sit quod exprimitur, consensus adest; si falsum sit, consensus deest; & consequenter matrimonium non est: exempli gratia, si sponsus dicat, accipio te in uxorem, si nobilis sis, vel si hoc illudve fecisti, aut non fecisti.

Quoad

XVI. Quoad conditionem de futuro contingenti, exempli gratia, *si pater consenserit*, certum est, quòd si hæc per modum veræ & propriè dictæ conditionis sit adjecta, consensus matrimonialis suspendatur; & per consequens, matrimonium non censeatur contractum ante conditionis eventum.

Quia autem repugnare videtur, ut quis contrahat matrimonium requirens consensum *de præsenti*, atque translationem mutuorum corporum; & tamen in futurum à conditionis incerto eventu suspendatur consensus, credunt nonnulli, hoc casu sponsalia *de futuro* contracta esse potiùs quàm matrimonium; atque ità Emmanuel Gonzalez sacrorum Canonum in Universitate Salmanticensi Professor in Commentario ad *cap.* 3. ✠ *de Conditionibus appositis*, siquidem (ait) non adest consensus *de præsenti*, sed *de futuro* pendens à conditionis eventu. Idipsum non obscurè tradit S. Thom. *in* 3. *part. quæst.* 47. *art.* 5. ubi loquens de matrimonio contracto per verba de præsenti, sed sub conditione de *futuro*, quæ sit *contingens*, ut datio pecuniæ vel acceptatio parentum, ait: » Et tunc idem est judi» cium de tali consensu, sicut de consensu, qui fit per verba de » futuro, unde non facit matrimonium.

XVII. Cùm certum sit, contractum per conditionem appositam suspendi, & eatenus sapere naturam sponsalium *de futuro*; credunt aliqui, quòd eveniente conditione requiratur novus consensus, præsertim hodie post Concilium Tridentinum, coram Parocho, & testibus renovandus, quod affirmat post plures citatos Gonzalez *loco citato*; quod licèt in rigore verum non videatur, tamen non dubium, quin in praxi hoc tutius sit, præcipuè si conditio longo temporis intervallo post contractum eveniat, ut meritò dubitari queat, num primus consensus adhuc virtualiter perseveret.

XVIII. Conditiones turpes, & impossibiles, propter favorem matrimonii, pro non adjectis habendas esse constituit Pontifex in *cap. fin.* ✠ *de Conditionibus appositis.*

Porrò hæc Decretalis intelligenda videtur de conditionibus appositis, non propriè conditionaliter, sed ut modus quidam. Si enim contrahentes absolutè voluissent suum consensum ab eventu conditionis turpis suspendi, non apparet, qua ratione posset ante eventum hujus conditionis dici verum matrimonium; cùm hoc sine consensu contrahentium haberi nequeat, quemadmodum costat ex *cap.* 26. ✠ *de Sponsalibus.*

Similiter quod in eadem Decretali dicitur, de conditionibus *substantiæ* matrimonii repugnantibus; has scilicet matrimonium invalidum reddere, etiam de conditionibus modaliter potiùs, quàm conditionaliter expressis inteligendum; & juri merè positivo, saltem quoad aliquas conditiones, adscribendum videtur.

Cæterum plura de consensu conditionato addere non est visum: tùm quod rarò matrimonia sub conditione ineantur; & meritò ob difficultates, & quæstiones inde orituras dissuadeantur; neque à Parocho, ut coram se ineantur, admittenda, vel ab ipso consulatur Episcopus.

XIX. Præter consensum ipsorum contrahentium, aliorum consensum, nequidem parentum, etiam respectu filiorumfamilias quantumvis *minorennium* requiri ad validitatem matrimonii, declarat Synodus Tridentina anathemate damnans eos, » qui falso » affirmant, matrimonia à filiisfamilias sine consensu parentum » contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere pos» se. « *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformat. Matrimonii.*

XX. Quapropter hîc in Belgio matrimonia filiorumfamilias invitis, aut non consuliis parentibus pro *validis* habentur, quamvis in Gallia, si Regia edicta in rigore verborum accipiantur, hujusmodi matrimonia *invalida* videantur; saltem si probari queat, quòd seductio, quæ speciem raptus præfert, intercesserit; quemadmodum deducit Claudius de Blondeau in Bibliotheca Canonica, verbo *Mariages*, *pag.* 84. ut ita invaliditatem matrimonii non refundat in defectum consensus parentum, sed in crimen *raptus*; quod esse impedimentum dirimens ipsa Synodus Tridentina agnoscit.

XXI. Illud equidem constat, quòd similia matrimonia filiorum sine consensu parentum contracta sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis semper detestata sit atque prohibuerit, uti loquitur Synodus Tridentina *dicto cap.* 1.

Nequaquam proindè menti Ecclesiæ contrariantur Principum leges, dum hujusmodi matrimonia etiam suis legibus prohibent; atque contrahentes, aut ad ea quomodolibet concurrentes puniunt; quin & effectibus civilibus similia matrimonia evacuant; sed potiùs Ecclesiæ obsecundant, & ejus Sanctiones suis legibus adjuvant.

XXII. Henricus II. Rex Galliæ edicto suo anno 1556. *art.* 1. statuit, quòd filiifamilias, qui contraxerint, aut contrahent imposterum matrimonia clandestina, invitis aut insciis patre & matre, poterunt propter commissam hanc ingratitudinem, vituperium, & contemptum suorum dictorum parentum, transgressionem legis divinæ, & læsam honestatem publicam à suis respectivè parentibus exhæredari, & excludi ab eorum successione, absque spe alicujus quærelæ adversus hujusmodi exhæredationem recipiendæ. Quin & liberum sit parentibus revocare omnes, & singulas donationes liberis suis factas. Insuper liberi sic juncti matrimonio, in casum hujusmodi exhæredationis declarantur incapaces omnium jurium, & emolumentorum, vi matrimonialium contractuum, & testamentorum, legumve, aut consuetudinum municipalium beneficio illis aliàs quærendorum.

Insuper decernit, ut liberi insciis, aut invitis parentibus juncti, & quicunque operam, aut consilium hujusmodi matrimoniis perficiendis præstiterint, subjiciantur pœnis arbitrariis statuendis pro casûs exigentia per Judices Regios, ad quos horum cognitionem pertinere vult, & quorum conscientiam onerat.

XXIII. Declarat tamen, quòd non intendat hoc suo edicto comprehendi matrimonia contracta à filiisfamilias excedentibus annos triginta, aut filiabus excedentibus annos viginti quinque, modò saltem requisiverint consilium parentum. Similiter si eorum mater transierit ad secundas nuptias, sufficiet ejus consilium expetere.

XXIV. Per edictum Henrici III. anno 1579. Blesis editum *art.* 40. inhibetur Parochis, Vicariis, aliisque, qui solemnizationi matrimoniali assistunt, ut si conjungendi sint filiifamilias, aut aliorum potestati subjecti, ad solemnizationem procedere, nisi ipsis constet de consensu parentum, tutorum, aut curatorum; alias puniendi, ut fautores criminis raptûs.

XXV. Eadem penè Edictis Caroli V. 4. Octobris 1540. & Philippi IV. 29. Novembris 1623. pro Belgicis hisce Provinciis decreta sunt, ac præsertim Edicto posteriore, quo decernitur » ut filiifamilias minores 25. annis, qui insciis, aut invitis pa» rentibus, & omnes minores, qui sine consilio & consensu » proximorum consanguineorum, paterni, & materni lateris, » & tutorum, seu curatorum, cujuscunque sint qualitatis, » contraxerint, incapaces sint omnium lucrorum, quæ directè, » vel indirectè alter ab altero petere posset, per conventiones, » donationes inter vivos, aut causâ mortis, testamenta, suc» cessiones, consuetudinem, seu alium quemcunque modum, » declarando irritas quascunque conventiones & donationes in » alterutrius utilitatem pactas; eaque dispositio vigeat, quam» vis postea parentum consensus superveniat.

» Possint hujusmodi etiam filiifamilias à patre & matre exhæ» redari, nec recipiatur querela sub prætextu legitimæ dotis, » alimentationis, aut consuetudinariæ devolutionis quoad bona » profecta à latere superstitis, qui ex eis filio inobedienti jus adi» mere poterit, non aliis tamen, quibus ex eadem devolutione » jus aliquod debitum sit. (d).

Habetur priùs Edictum parte 1. Edictorum Flandriæ *lib.* 3. *Rubrica* 1. Posterius verò *part.* 1. *lib.* 3. *Rubrica* 1.

Non comprehenduntur hoc Edicto filiifamilias majores 25. annis, dummodò *consilium* parentum requisierint, quod etiam à matre, quæ ad secundas nunptias transivit, requiri sufficit.

Itaque juxta Edicta hæc, licèt matrimonia filiorumfamilias etiam minorennium sine consensu parentum non sint irrita, seu invalida in ratione Sacramenti, verumque vinculum matrimonii inter taliter conjugatos consistat, sunt tamen quodammodo nulla quoad effectus civiles, quibus vi horum Edictorum destituuntur.

XXVI. Neque effectus hos hujusmodi matrimonia obtinebunt, tamessi prætendatur, contractis jam nuptiis, parentes *irrationabiliter* contradixisse, nisi judex ipse jam priùs de hac irrationabilitate cognoverit & pronuntiaverit; atque ita auctore judice matrimonium celebratum fuerit.

Edictum enim Caroli V. ad quod & Edictum Philippi IV. se refert, dissensum ad censuram judicis remittit, qui rationes exiget: quæ si legitimæ non fuerint, Magistratus parentum officium supplebit, & auctoritate sua contrahendi facultatem faciet; & tunc pœnæ eximitur, quod auctore judice fit.

Sub Magistratu seu judice, tam ecclesiasticum, quàm civilem intelligi vult Zypæus in notitia juris Belgici, *tit. de Sponsalibus*, *num.* 8. quod eò magis (ait) apud nos rationabile est, si apud Batavos Ministri Hæretici hac in parte vicem Magistratus obeant, quemadmodum testatur Grotius in Isagoge ad Jus Hollandicum *lib.* 1. *part.* 5.

Quidquid sit, cùm hîc præcipuè agatur de validatione matrimonii quoad effectus *merè civiles*, & de observantia, aut contraventione Regiorum Edictorum, consultius est, & Judicis

(d) *Quod Carolus V. die* 4. *Octobris* 1540. *& Philippus IV.* 29. *Novembris* 1623. *per Belgicis Provinciis decrevere, ut suprà* in textu num. 15. *dictum est; idem eisdemque verbis & pœnis stabilivit Rex noster Carolus III. in jam antèà citata Pragmatica Sanctione* 23. *Martii anni* 1776. *Addensque quòd si filiisfamilias licentia à Parentibus petita, ab hisque injustè denegata fuerit, quòd summariè in judicio constare debet, ex tali denegatione nullum illis præjudicium generatur.*

cis Regii auctoritatem interponere, quod & Zypæus agnoscit, verbis suprà relatis subjungens: » ad vitandas tamen calum-» nias suasero, ut civilis etiam Magistratus judicium inter-» veniant.

XXVII. Ut autem infaustis his filiorumfamilias matrimoniis occurratur, Parochi sæpiùs ostendere debent, quàm grave sit, atque ipsi divino præcepto de honorandis parentibus directissimè oppositum, in re tanti momenti negligere parentes, nec eorumque desideri obsequi.

Adhæc, ut parentes consulantur, non tantùm debitam erga parentes reverentiam exigere, sed etiam bonum ipsorum filiorum, quos in delectu uxoris non rarò excæcat libido, præcipitantia, & juvenilis incircumspectio; ac insuper utriusque familiæ discordia, aliaque innumera, quæ ex matrimoniis hujusmodi oriri solent mala; & quòd, sicuti matrimoniorum sic contractorum pessimum est initium, ità quoque infaustus esse soleat progressus & finis.

XXVIII. Ostendendum quoque filiis non esse licitum semper invitis parentibus contrahere matrimonium, quantumvis etiam *irrationabiliter* essent inviti: eò quòd non rarò mala secutura ex hujusmodi matrimoniis invitis parentibus contractis, sint majora, quam bonum ex matrimoniis illis sperandum.

XXIX. At dum de his monentur filii, una quoque parentes instruendi sunt de culpa, quam incurrunt, si consensum suum negando, aut protelando prolium suarum matrimonia ex motivis humanis sæpiùs insufficientibus, ac parùm Christianis, causa sint, quòd proles in pessima quæque ruant.

XXX. Contracto autem matrimonio, Parochi erit, pacem inter filium, & parentes conciliare; at filium ad satisfactionem, & veniæ postulationem, & patrem ad benignitatem & indulgentiam inflectere, atque S. Ambrosii modum agendi cum Sisinnio, quo invito filius uxorem duxerat, imitari. Patrem filio jure iratum agnovit Ambrosius, filium ad officium revocavit, & ad veniam rogandum adduxit, patrem filio reconciliavit, ejusque ac nurus benevolam susceptionem Sisinnio gratulatus *epistola* 64. quæ à Parochis meritò in simili occasione legitur.

Prædicta ferè brevi decreto comprehendit Synodus Coloniensis anno 1536. *part.* 7. *cap.* 43. Postquam dixit, » optan-» dum esse, ut Canon Evaristi Pontificis (apud Gratianum » *causa* 30. *quæst.* 5. *can.* 1.) Concilio generali renovetur, » tollanturque illa clandestina Matrimonia, quæ invitis parenti-» bus, ac propinquis Veneris potiùs, quàm Dei causa contra-» huntur, nam quanta ex his clandestinis matrimoniis mala sub-» oriantur, in aperto est.« Dein addit: »Quantum fieri po-» test, cavebit Parochus, ne liberos citra parentum auctorita-» tem conjungat. Quòd si parentes negligentes fuerint, aut in » admittendo matrimonio jam contracto regidiores negatores, » admonebit eos, ut liberos maturæ ætatis elocent, neve vin-» culo jam per Ecclesiam indissolubili pertinacius obluctentur.«

CAPUT V.

Coram quo Matrimonium contrahendum.

1 *Olim coram Sacerdote nuptiæ contrahebantur.*
2 *Cur Ecclesia voluerit publicè coram Sacerdote Matrimonium contrahi.*
3 *Decretum Concilii Tridentini contra matrimonia clandestina.*
4 *Vi illius Decreti præsentia Parochi, aut alterius Sacerdotis, de ejus licentia requiritur ad* validitatem *matrimonii.*
5 *Sufficit Parochus alterutrius contrahentium.*
6 *Parochus alterutrius intelligitur Parochus* domicilii.
7 *Unde æstimandum sit, an quis certo loco domicilium habeat.*
8 *Potest quis duplicem Parochum proprium habere.*
9 *Qui censeantur nullum domicilium, neque proprium Parochum habere.*
10 *An carentes proprio domicilio debeant contrahere coram Parocho loci, in quo tempore contrahendi Matrimonii consistunt.*
11 *Quid si alteruter Desponsorum proprium Parochum habitationis habeat, an coram eo contrahendum.*
12 *Decretum Synodi Tridentinæ circa matrimonia vagabundorum.*
13 *Quid circa hæc ab Ordinariis & Parochis observata velint Synodi Belgicæ.*
14 *Si ex consuetudine, aut statuto sit aliquis proprius vagabundorum Parochus, coram eo erit contrahendum.*
15 *Milites ubi domicilium habere censeantur.*
16 *Quid de Militum matrimonio hîc in Belgio; & quis pro milite habendus.*
17 *Assistentia Parochi non actus jurisdictionis propriè dictus, & quæ inde consectaria.*
18 *Potest auctoritatem assistendi alteri Sacerdoti delegare.*
19 *Quomodo & quando hæc auctoritas dari debeat.*
20 *An Vice-Pastores, deservitores, aut Vicarii amovibiles possint alteri licentiam assistendi dare.*
21 *Ordinarius per totam Diœcesim assistere, & alteri licentiam assistendi dare potest: & quis habeatur* Ordinarius.
22 *An invito Parocho dare queat alteri licentiam.*
23 *Requiritur præsentia testium; eaque simultanea cum Parocho.*
24 *Non requiruntur testes* omni exceptione *majores; & quare.*
25 *Præsentia Parochi debet esse moralis.*
26 *Matrimonium initum coram Parocho reluctante, & invito, potest esse validum.*
27 *Nec ignorantia, nec imposibilitas præsentiam Parochi supplent.*
28 *Matrimonium contractum in articulo mortis coram Parocho & testibus, subinde est invalidum in Gallia quoad effectus civiles.*
29 *Matrimonia clandestina non sunt invalida in locis, in quibus decretum Concil. Trid. non est promulgatum.*
30 *In his vicinisque Provinciis sufficienter est publicatum.*
31 *Defectum Parochi generalis quædam necessitas supplere potest, etiam in locis, ubi decretum est publicatum.*
32 *Matrimonia Acatholicorum coram Magistratu aut Ministro Acatholico in Provinciis Confederatis reputantur* valida.
33 *Prima ratio ab incommodis.*
34 *Secunda ex morali impossibilitate.*
35 *Tertia ratio ex fine ipsius decreti.*
36 *Quod obtinet in Matrimonio utriusque partis Acatholicæ; etiam obtinet, si altera duntaxat sit Acatholica.*
37 *Sententia Doctorum Parisiensium de validitate similium matrimoniorum.*
38 *Fortiter resistendum Matrimoniis partis Catholicæ cum Acatholica.*
39 *Sine licentia Vicarii Apostolici non licet Missionariis hujusmodi Matrimonio assistere.*

I. JAm non pridem moris fuisse, ut Christianorum nuptiæ non nisi cum benedictione Sacerdotali, ac ipso Sacerdote Ecclesiæ nomine eas probante contraherentur, dissertis verbis expressit Tertullianus libro *de Pudicitia.* » Ideò penes nos » (ait) occultæ quoque conjunctiones, id est, non priùs apud » *Ecclesiam* professæ, juxta mœchiam, & fornicationem judi-» cari periclitantur.«

Et ante Tertullianum Martyr Ignatius Epistola ad Polycarpum. » Decet, verò, ut ducentes uxores & nubentes, cum » Episcopi arbitrio conjungantur, ut nuptiæ juxta Domini præ-» ceptum sint, non autem ad concupiscentiam.«

Legitur quoque in Capitularibus Regum Francorum *lib.* 7. *cap.* 179. » Priùs conveniendus est Sacerdos, in cujus Parochia » nuptiæ fieri debent in Ecclesia coram populo. Et ibi inquire-» re una cum populo ipse Sacerdos debet, si ejus propinqua » sit an non, aut alterius uxor, vel sponsa vel adultera. Et si » licita & honesta omnia pariter invenerit, tunc per consilium, » & benedictionem Sacerdotis, & consultu aliorum bonorum ho-» minum, eam sponsare & legitimè dotare debet.«

Idipsum legitur in Canonibus Isaaci Episcopi Lingonensis *tit.* 5. *Can.* 6. & anno 909. in Synodo Trosleana sub Heriveo Archiepisc. Remensi *capite* 8. renovatum fuit.

II. Rationem verò cur occultas conjunctiones vetarent, easque publicè coram Sacerdote fieri vellent, præmittunt; » Quia » sæpè in nuptiis *clam* factis gravia peccata, tam in sponsis alio-» rum, quàm & in propinquis sive adulterinis conjugiis, & » quod pejus est dicere, consanguineis acrescunt, & accum-» mulantur.«

Ob hæc, aliave gravissima incommoda ex clandestinis matrimoniis oriri solita, semper Ecclesia ea detestata est, iteratisque decretis, etiam sub gravissimis pœnis prohibuit.

III. At Synodus Tridentina animadvertens, prohibitiones illas, propter hominum inobedientiam jam non prodesse: ac insuper perpendens gravia peccata & incommoda, quæ ex hujusmodi clandestinis conjugiis quotidiè oriuntur, præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt; cui malo cùm ab Ecclesia, quæ de *occultis* non judicat, sucurri non possit, efficacius aliquod remedium adhibendum censuit: atque præter publicas denuntiationes, quas juxta modum suprà *cap.* 3. descriptum, præmitti voluit, insuper declaravit, & statuit: » Qui » aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius » Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus » matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad » sic contrahendum omninò inhabiles reddit; & hujusmodi con-» tractus irritos, & nullos esse descernit, prout eos præsenti » decreto irritos facit, & annullat.«

Quam-

IV. Quamvis etiam non obstante decreto Concilii Tridentini disputetur inter Theologos, an Parochus sit verus Minister Sacramenti matrimonii; an verò ipsi Contrahentes, atque verisimilior videatur sententiam affirmantium hos esse Ministros; nihilominus illud certum est, Parochi, alteriusve Sacerdotis de Parochi seu Ordinarii licentia adeò necessariam assistentiam, ut nî assistat, ex decreto Concilii Tridentini non illicitum duntaxat, sed & *invalidum* sit matrimonium.

V. Cùm Synodus simpliciter requirat præsentiam Parochi, non *Parochorum*, neque exprimat, an viri, an mulieris, receptum est, quòd si Desponsi sint diversarum Parochiarum, alterutrius Contrahentium Parochi præsentiam sufficere; & ita S. Congregationem declarâsse refert Fagnanus ad Cap. QUOD NOBIS, ✠ *de Clandest. Desponsat.* eique moderna & notoria praxis suffragatur.

Consuetudo in multis locis habet, ut potiùs coram Parocho mulieris, quàm viri matrimonium contrahatur; quæ consuetudo in honestate fundamentum habet, adeoque est meritò servanda, uti suprà *cap.* 1. circa sponsalia notatum est.

VI. Est autem proprius Parochus, qui vi decreti Concilii Tridentini matrimonio assistere debet, is, in cujus Parochia alter domicilium habet, ait Rituale Mechliniense, & communis praxis suffragatur.

Non sufficit ergò Parochus *originis*, sed requiritur Parochus *domicilii*, sive illius Parochiæ, in qua tempore contracti matrimonii, alter saltem contrahentium morabatur, ut juxta vulgarem & communem modum loquendi, ibi domicilium habere, sive habitare censeretur; quamvis non ità fixum, nec eo animo, ut eo loco perpetuo manere intenderet.

VII. Imò quis domicilium sufficienter ad hunc effectum habere censendus est, tametsi eo animo ibidem moretur, ut post certi temporis lapsum inde sit recursurus; quin & ipsa negotia, ob quæ ibidem moratur, id apertè significent: uti in Scholaribus Academicis manifestum est. Licèt enim hi duntaxat pro tempore studiorum Academicum Domicilium eligant, quia tamen pro eo tempore, juxta communem & vulgarem loquendi modum, in Academia habitare dicuntur, Parochus Parochiæ, in qua pro eo tempore morantur, *proprius* ipsorum Parochus in ordine ad contrahendum matrimonium habetur.

E contrario si quis tantùm recreationis, aut litis, alteriusve negotii prosequendi causa in aliquo loco, tametsi notabili etiam tempore, subsistat, non propterea ibi domicilium elegisse censebitur: eò quòd juxta moralem modum loquendi ibidem habitare non judicetur. Ex vulgari itaque æstimatione, & loquendi modo multum dependet, ut definiatur, ubinam quis Domicilium dicendus sit habere, ut coram Parocho loci matrimonium validè contrahere queat. Et quidem in particularibus casibus ex circumstantiis concurrentibus faciliùs, & securiùs id determinari potest, quàm per generalem aliquam regulam definiri aut describi.

VIII. Hoc constat, quòd subindè quis possit in duabus Parochiis eodem tempore habere domicilium; si nimirum juxta moralem loquendi modum in utraque sic familiam instituat, ut utrobique juxta moralem & vulgarem loquendi modum habitare censeatur; licèt in uno forsan loco frequentiùs personaliter resideat, quàm in altero.

IX. Cùm proprius Parochus dicatur à domicilio habitationis, consequens est, quòd hi, qui tale domicilium non habent, nec *proprium* quoque Parochum habere censendi sunt.

Porrò qui hujusmodi domicilio carent, dicuntur *Vagi* seu vagantes, & incertas sedes habentes. Unde tales etiam habendi sunt, qui domicilium deserentes, navigant, vel iter faciunt, quærentes ubi se collocent. Hi enim domicilio carentes eatenus Vagantes dicuntur, & incertas sedes habentes: uti notat Sanchez *lib.* 3. *de Matrimonio*, *Disp.* 25. *num.* 2. qui dein *num.* 3. notat, etiam & illum meritò posse *vagum* appellari, qui relicto suo domicilio iter facit ad locum, in quo domicilium constituere destinavit: eò quòd hactenus pro eo tempore, quo est in itinere, nullum domicilium habeat; utpote priore deserto, & secundo nondum occupato.

X. Cùm igitur Tridentina Synodus exigat ad validitatem matrimonii præsentiam *proprii* Parochi habitationis sive domicilii, non apparet, qua ratione in Vagis sive Vagabundis illis hoc decretum in omni suo rigore servari queat, quandoquidem hi, ex supposito, *proprio* Parocho habitationis seu domicilii careant.

Concludendum ergo apparet, quòd dum hoc decretum respectu vagantium non potest quoad omnia exactè servari, eò quòd *proprii* Parochi præsentia haberi nequeat, saltem servetur quantum potest: uti notat Zypæus *Cons.* 7. *de Sponsalibus.*

Hinc consequens est, quòd dum vagabundi non possunt coram suo *proprio* Parocho contrahere, saltem contrahere debeant in præsentia Parochi loci, in quo tempore contrahendi matrimonii consistunt; neque possint eo loco coram alio Parocho, aut Sacerdote sine licentia Parochi loci matrimonium inire. Quin & ipsa Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 7. *de Reform. Matrim.* sat ostendit vagabundos coram Parocho debere contrahere, ubi *Parocho præcipit*, *ne illorum Matrimoniis intersint*, nisi servatis iis, quæ ibidem præscribuntur; cui & communis praxis consonat.

XI. Ulteriùs, si supponatur sponsus esse vagabundus, sive omni domicilio destitutus, sponsa autem domicilium fixum habeat, & consequenter *proprium* Parochum habitationis, videtur coram hoc Parocho contrahendum, eò quòd sic Concilio Tridentino satisfieri queat, quod requirit præsentiam *proprii* Parochi.

Dum enim vagabundi coram Parocho, in quo tempore contrahendi matrimonii reperiuntur, contrahunt, nequaquam in rigore coram *proprio* Parocho habitationis contrahunt; & eatenus ob necessitatem à Decreto Concilii receditur: qui recessus admittendus non apparet, dum alteruter contrahentium *proprium* habitationis Parochum habet: eò quòd hoc casu Decreto Concilii Tridentini satisfieri queat contrahendo coram *proprio* Parocho sponsæ non vagabundæ.

XII. Synodus Tridentina advertens, »quòd multi, qui vagantur & incertas habent sedes, primâ uxore relictâ, aliam & »plerumque plures illa vivente, diversis in locis ducant, omnes ad quos spectat, paternè monet, ne hoc genus hominum »vagantium ad matrimonium facilè recipiant. Magistratus etiam »seculares hortatur, ut eos severè coerceant. Parochis autem »præcipit, ne illorum matrimonis intersint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab »eo licentiam id faciendi obtinuerint.« Citato *cap.* 7.

XIII. Decreti hujus executionem Synodi Belgicæ uno consensu urgent, vultque Synodus P. II. Mechliniensis *titulo* 10. *cap.* 6. ut licentia ab Ordinario obtineatur *in scriptis*: *neque ea licentia sine causæ cognitione & matura deliberatione detur.*

Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 11. *cap.* 5. vult, ut »ignoti, & qui certas sedes non habent, non admittantur ad »contrahendum Matrimonium, nisi præviis attestationibus Pastoris, ubi novissimam fecerint residentiam, aut aliorum fide »dignorum, quorum sigilla vel signaturæ sint Pastori, coram »quo contrahere volent, benè notæ, aut sufficienti aliorum »depositione apud eundem comprobatæ.«

Non dubium ergo, summâ circumspectione, & non nisi auctoritate Superiorum à Parochis hujusmodi Matrimonia esse solemnizanda: sed tamen quia in hoc Decreto nulla clausula irritans apposita est, si Parochus neglectis iis, quæ à Synodis sunt præscripta, matrimonio adstiterit, *validum* erit matrimonium; quamvis Parochus graviter deliquerit, & à Superiore pro meritò castigandus sit; uti post Sanchez notat Zypæus *in jure Novo*, *tit. de Sponsalibus*, *num.* 12.

XIV. Advertit quoque Zypæus *Consult.* 7. *de Sponsalibus*, quòd omnia Concilii in *citato cap.* 7. verba sint prohibitiva, non permissiva libertatis alicujus quoad vagos, aut concessiva jurisdictionis quoad Parochos.

Hinc ulteriùs concludit: »Si qua in civitate peculiaris ac »proprius constituatur vagorum hujusmodi Parochus, coram »aliis ibi contractum matrimonium erit irritum, tanquam non »coram proprio contractum, cùm is ibi exstet.«

XV. Milites nomine vagorum non veniunt, eò quòd ordinariè domicilium propriumque Parochum habere censeantur. Et quidem miles domicilium habere dicitur *ubi meret* (e) *si nihil in patria possideat. L.* 23. §. 1. *ff. Ad Municipalem.*

Multi autem ex hodiernis militibus in patria nihil possident, adeòque ii ubi *merent* domicilium habere videntur; & sic facilè ibi Parochum ut proprium sortiri, ubi in præsidiis, aut aliter morantur, non tamen per modum transitus. L. HÆRES ABSENS, §. PROINDE *ff. de Judiciis.* Ità Zypæus *Consult.* 2. *num.* 7. *de Offic. Ordinarii.*

XVI. Milites in exercitu Regis Catholici hîc in Belgio militantes habent suos respectivè cohortium, aut legionum Capellanos Castrenses, qui ipsis Sacramenta administrant juxta datam ipsis facultatem à Vicario Apostolico ad Exercitus Regios per Breve Apostolicum constituto. (f)

Qua-

(e) Ubi meret, *id est*, *ubi miles præsidet*, *& stipendio afficitur.*

(f) Decretum Archiepiscopi Mechliniensis in qualitate Delegati Apostolici ad Exercitus Regios, de administrandis Sacramentibus militibus; & eorum sepulturis.

Jacobus, *Dei & Apostolicæ Sedis gratia*, *Archiepiscopus Mechliniensis*, *necnon pro Exercitibus Catholicæ suæ Majestatis per Belgium*, *& partes inferioris Germaniæ*, *ejusdem Sedis Delegatus*: *Omnibus & singulis in præfatis Exercitibus*, *seu quarumcunque personarum militarium curam animarum habentibus quocunque nomine numcupatis*, *salutem in Domino. Ut ea*, *quæ à sancta Sede concessa sunt*, *à Reverendissimis Ordinariis concordata*, *& aliàs ordinata pro salute militarium personarum*, *fiant in vinculo charitatis*, *inviolabiliter vobis sub pœnis gravibus arbitrio nostro statuendis*, *observanda mandamus sequentia.*

Pri-

Quare nec dubium, quin milites in exercitu actu existentes coram suis respectivè Capellanis tanquam propriis Parochis matrimonium contrahere possint. (g)

Inter Concordata Ordinariorum 23. Jan. 1595. inita, & denuo in Septembri anno 1628. inter Archiepiscopum Mechliniensem ut Delegatum & Episcopos exercitûs, Comprovinciales renovata relatum est, » ut Parochis liberum sit administrare Sacramenta omnibus divertentibus ad suas Parochias, & sepulturas in iis morentibus, salvis juribus: Non licebit tamen Parochis assistere militibus, seu personis de exercitu matrimonium contrahere volentibus; nisi tanquam Præsidiarii in eorundem Parochorum Parochiis resideant.« Ità Zypæus *Consult.* 2. *de Officio Ordinarii*, *num.* 1. qui ibidem Breve Apostolicum Delegationis ad Exercitus Regios discutit; & sub eodem titulo in *Jure novo* plures dictorum Concordatorum articulos refert; necnon de Militum matrimoniis in Belgio latè tractat *Consult.* 14. *de Sponsalib.* ibi specialiter examinat, quandonam hodie aliquis pro milite habendus sit, ut jure militari gaudeat: atque rectè monet *num.* 19. »Si quis non animo militandi per collusionem nomen dederit, ut contra interdictum forsan Ordinarii, à Castrensi Sacellano conjungatur matrimonio, & mox quasi à militia mittatur, dicendum erit reverà, quòd simulata militia verum effectum veri, & proprii Parochi, ei non potuerit producere; adeoque nec Saccellanus Castrensis matrimonio ritè & ratè præesse; nec ille validè conjungi.«

XVII. Parochi assistentia ad validitatem matrimonii à Synodo Tridentina requisita, non est propriè actus jurisdictionis, sed simpliciter actus Pastoralis, quemadmodum administratio aliorum Sacramentorum, unde & *validum* erit matrimonium, si Parochus assistat matrimonio sui Parochiani in aliena Parochia, etiam reinente ac reclamante Parocho istius Parochiæ, quin & alieno Episcopatu invito Episcopo, uti post alios notat Barbosa *de Officio Episcopi*, *part.* 2. *alleg.* 32. *num.* 95. ibidem quoque notans, Parochum quantumvis excommunicatum, suspensum, aut interdictum posse *validè* matrimonio assistere; eò quòd maneat verus Parochus; nec assistendo actum jurisdictionis exerceat.

XVIII. Sicuti Parochus alteri Sacerdoti administrationem Sacramentorum, tanquam eorum *Ordinarius* Minister, delegare potest; ita quoque alteri Sacerdoti facultatem assistendi matrimonio suorum delegare, uti evidenter supponit Synodus Tridentina in verbis, *vel alio Sacerdote de ipsius Parochi licentia.*

Ex contextu Synodi manifestum est, facultatem hanc non posse à Parocho concedi, nisi *Sacerdoti*; unde post Navarrum aliosque resolvit Barbosa *loco citato*, *num.* 13. Matrimonium de licentia Parochi tempore pestis coram Acolyto contractum esse nullum.

XIX. Sufficit autem quocunque modo, sive voce, sive scripto data fuerit hæc licentia; modò reverà data sit tempore illo, quo matrimonio assistitur; nam si eo tempore defuisset, licèt Parochus postmodum licentiam daret, aut assistentiam ratam haberet, nihilominus invalidum est matrimonium: »Nam etsi (ait Barbosa ibidem *num.* 129.) regulariter ratihabitio retrotrahatur, & mandato comparetur, *Reg.* RATIHABITIONEM, *cum vulgaribus*, *de Regulis Juris*, *in VI.* tamen ubi lex, vel statutum præsentiam requirit corpoream, ratihabito sequens non sufficit ad actum validandum.«

* At inter alios monet Zypæus *Consultat.* 2. *num.* 11. *de Officio Ordinarii*, à nonnullis in dubium vocari, utrum sufficienter data sit licentia Sacerdoti assistendi matrimonio, si Parochus illi dederit facultatem administrandi *omnia* Sacramenta. Ad tollenda hanc ambiguitatem convenit, ut Parochus eam licentiam concedere intendens, specialem licentiam assistendi matrimonio concedat; vel si eam concedere non intendat, etiam idipsum exprimat, dum alteri Sacerdoti curam suæ Parochiæ committit; ut ita tollantur dubia de validitate matrimonii, quæ ex ambigua delegatione, sive commissione alteri Sacerdoti, à Parocho facta, oriri possunt.

XX. Hanc licentiam an etiam dare queant Vice-Pastores, dependet ab auctoritate, quam à Parocho acceperunt; ni enim hæc subdelegandi potestas specialiter ipsis sit data, ea etiam uti non debent: quia cùm ipsorum licentia administrandi Sacramenta tantùm sit *delegata*, & *vicaria*, ea propriè non delegat; cùm Delegatus de jure communi subdelegare ordinariè non possit. Deservitor tamen, aut Vicarius etiam amovibilis alteri Sacerdoti licentiam dare potest; quia, ut inquiunt Canonistæ: Delegatus est ad *universitatem causarum*, cui subdelegandi auctoritas competit; atque ità in praxi servatur.

XXI. Quia Episcopus per totam suam Diœcesim manet unà cum Parochis tanquam subsidiariis ordinarius Sacramentorum minister, etiam ipse non tantùm matrimonio assistere, sed & alteri Sacerdoti licentiam assistendi dare potest; quemadmodum & Synodus Tridentina declarat in verbis: *vel alio Sacerdote de ipsius Parochi aut* ORDINARII *licentia.*

Nomine *Ordinarii* hîc intelligitur Episcopus Diœcesis, in qua contrahentes domicilium habent, iique omnes, qui in auctoritatem, & jurisdictionem succedunt; ut Capitulum Sede vacante, Vicarius generalis Episcopi, & etiam Capituli Sede vacante; nisi horum auctoritas specialiter in hoc puncto restricta sit.

XXII. Potest quidem Ordinarius hanc licentiam alteri Sacerdoti etiam *invito* Parocho delegare; at id rarò, & non nisi urgente de causa faciendum: eò quòd per hanc delegationem Parocho assistentia matrimonialis jure *ordinario* competens adimatur; ideoque jure suo quasi spolietur, dum hæc licentia alteri datur.

XXIII. Præter præsentiam Parochi, alteriusve Sacerdotis de Parochi, seu Ordinarii licentia, necessaria est ad validitatem matrimonii ex præscripto Synodi Tridentinæ, duorum, aut trium testium præsentia, quæ *simultanea* debet esse, nec sufficit *successiva*, quia Tridentinum copulativè exigit præsentiam Parochi & testium, per dictionem, & quæ copulat; uti post plures citatos advertit Barbosa *num.* 137.

Juxta Edictum Blesense *art.* 40. requiruntur in Gallia *quatuor loco. Quod si in Ecclesia Parochiali, aut Regulari cujuscunque Ordinis privilegio gaudentis sepulturæ, electa est sepultura, Capellanus militis tradet ad ingressum Ecclesiæ Rectori ejusdem cadaver, nisi pro bona correspondentia Capellano sepelitionem, & officium permittat.*

Quintò: Capellanus militaris, vel electus ut suprà, loci Pastor, qui ægroto militi Viaticum porrexerit, & Extremam-Unctionem impenderit, ille, si velit, funeri assistet, sepulturæque solemnia peraget.

Sextò: Personæ quæcunque militares, quæ (etiamsi ad tempus tantùm) negotiorum causa se ad urbes receperint, aut alia loca extra Præsidium suum, suberunt pro illo tempore, quoad Sacramentorum administrationem, Pastoribus cujusque Parochiæ, in qua diversantur, qui similibus personis p tentibus Sacramenta administrabunt, nullatenus autem Capellani militares istius Præsidii, si fortè aliquot contingat ibi esse.

Septimò: Et si futuris temporibus alibi difficultas oriatur super interpretatione hujus nostri mandati, eam nobis ipsis, aut succesoribus nostris in hujusmodi delegatione Apostolica, omnimodè reservamus. Datum Bruxellæ sub sigillo nostro, & Secretarii nostri signatura, die VIII. Martii ann. MDCXLIV.

Locus † Sigilli.

De mandato Illustris. D. Archiepiscopi Mechliniensis præfati.
J. HERREGOUTS *Secret.*

(g) *Vicario Generali Exercituum Hispaniæ plures, specialesque facultates pro eis indultæ sunt; & quæstiones dubiaque, quæ ex eis exorta & ab Ordinariis sunt apposita, à Sede Apostolica primò suo Brevi* 14. *Martii ann.* 1764. *deindè alio* 27. *Augusti* 1768. *decisa sunt.*

tuor testes; sed quoad hunc numerum testium, articulum illum in nulla Regni Provincia receptum fuisse, testatur Juenin *pag.* 989. unde passim ibidem receptum est, duos ad validitatem matrimonii sufficere.

XXIV. Qualitatem testium nullam expressit Synodus Trìdentina, neque posteriores Synodi, aut Ritualia aliquam requirunt. Unde admittuntur in testes quicunque mentis compotes, atque intelligere apti quid agatur; viri, & mulieres, etiam proximi consanguinei contrahentium, sine exceptione, quæ hîc non habet locum; secùs in aliis negotiis ubi requiruntur testes *omni exceptione majores*.

Ratio autem cur Synodus constitutionem non restrinxerit ad testes omni exceptione majores, fuisse potest, ne obtentu *exceptionum* multoties matrimonia irritarentur, aut saltem in dubium vocarentur.

XXV. Præsentia Parochi, & testium requiritur non corporalis duntaxat, sed moralis; ità ut sciant, & intelligant quid agatur, ipsiusque Parochi, atque testium testimonio matrimonium probari possit, eoque pacto occurri incommodis ex matrimoniis clandestinis metuendis.

Quare licèt Parochus corporaliter esset præsens; sed non intelligeret, aut adverteret quid ageretur, invalidum esset matrimonium defectu præsentiæ Parochi; tametsi malitiosè intelligere, aut advertere detrectâsset. Quia equidem eo casu verum est, non eam fuisse præsentiam Parochi, ut de matrimonio coram se contracto testari posset, quacunque demum ratione id factum sit; uti probat Zypæus *consult.* 3. *de Sponsal.*

Similiter insufficiens erit Parochi præsentia, si contrahentes matrimonium essent retrò aliquem parietem, vel Parochus cæcus esset; quia licèt verba audiret, & intelligeret, non posset securè, & certò testari, hos in individuo contraxisse, cùm ipsos non vidisset; vox autem facilè fallere posset, & ita post alios docet Barbosa.

XXVI. Præsentia autem moralis sufficit; tametsi Parochus invitus, ac planè reluctans præsens fuerit, modò omnia eo modo coram ipso gesta sint; ut certum de iis testimonium dare queat. Idem erit, si alium in finem, & per dolum eò vocatus fuerit, aut casualiter ibidem præsens sit, aut etiam quasi transeat: Barbosa *ibid. num.* 85. & 88. Quæ enim ultra moralem præsentiam Parochi, & testium requiruntur, tametsi ordinariè citra grave peccatum non omittantur, omissa nihilominus matrimonium non irritant, ut in his obtineat illud vulgatum: *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.*

XXVII. Hæc Parochi, testiumque præsentia adeo necessaria est pro validitate matrimonii, ut nec ignorantia etiam invincibilis ejus defectum supplere queat; uti nec privati alicujus necessitas: ideoque matrimonium sine Parochi, testiumque præsentia contractum in articulo mortis, aut tempore belli, aut pestis, licèt Parochi præsentia haberi nequeat, invalidum esse, post alios resolvit Barbosa, *num* 147.

XXVIII. Quin & matrimonia contracta in articulo mortis etiam in præsentia Parochi, & testium ab his, qui hucusque in concubinatu vixerunt, & proles illegitimas procreârunt, habentur in Gallia pro *invalidis* ad effectus civiles, per Edictum Ludovici XIII. anni 1639. de quo videri potest Carolus Fevretius in *Tractatu de Abusu*, *libro* 5. *cap.* 2. *num.* 43.

XXIX. Quæ hactenus dicta sunt de necessitate præsentiæ Parochi & testium, & invaliditate matrimonii ex ejus defectu resultante, obtinent in locis, in quibus ipsum Tridentium Concilium quoad hoc punctum publicatum fuit. (h)

Decernit quippè Concilium in fine sui Decreti, » ut hujus-» modi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post tri-» ginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in ea-» dem Parochia factæ, numerandos. «

Hîc sat ostendit Synodus, se noluisse Decretum vim suam habere ad irritandum matrimonium iis in Parochiis, in quibus publicatum nunquam fuit, quacunque tandem ratione publicatio impedita fuerit.

XXX. In hisce, vicinisque Provinciis & Regnis, si Angliam & Poloniam excoperis, Concilium Tridentinum sufficienter quoad hoc Decretum promulgatum esse, ostendit Eximius D. Huygens in suis Observationibus de Sacramento matrimonii, *cap.* 36. neque de Gallia quoad nullitatem matrimoni clandestini ex defectu præsentiæ Parochi, & testium, ulla hodie videtur vel minima dubitandi ratio ampliùs subesse.

Cùm ergò in omnibus penè locis hîc circumjacentibus publicatio Concilii Tridentini sufficienter facta sit; atque ita nullitas matrimonii clandestini habeatur, admodum rari incidunt casus contracti Matrimonii in loco, ubi Concilium non est publicatum, ab incolis loci, in quo illud publicatum fuit, aut econtra: qui ubi occurrerint, consuli poterit citatus Eximius Auctor, qui casus illos solidè ibidem resolvit; atque inter alia recè advertit *num.* 13. quòd Concilii Decretum non afficiat personas ratione loci, ad quem divertunt, vel per quem transeunt; sed ratione loci, in quo habitant, ac propterea incolas locis, in quo Decretum est publicatum, non posse validè contrahere clandestinè in loco diversorii, vel transitus, ubi non est publicatum.

XXXI. Porrò quod suprà dictum est, nec *necessitatem* supplere defectum Parochi, id expressè restrinxi ad necessitatem *particularem*; nam si generalis aliqua, & inevitabilis necessitas fuerit, etiam Concilii decretum cessabit; uti notatum fuit ob similem inevitabilem necessitatem, vagantes posse contrahere coram Parocho loci, in quo consistunt duntaxat, & non habitant, eò quòd Parochum domicilii non habeant.

Hac ratione fertur Congregatio Cardinalium declarâsse: » Quòd ubi etiam constat decretum Concilii esse publicatum; » vel aliquo tempore in Parochia tamquam Decretum Concilii » observatum, sed Parochialis Ecclesia utpotè vacans proprio » Parocho careat, & Cathedralis itidem Episcopo atque Capi-» tulo habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id » delegandi, nullus alius ibi sit, qui vices Parochi aut Episcopi » suppleat, Matrimonium valere absque præsentia Parochi: ser-» vata tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempè ad-» hibitis saltem duobus testibus." Apud Zypæum *tit. de Sponsal. num.* 16.

XXXII. Matrimonia Acatholicorum coram Magistratu politico, aut ministro Acatholico contractu etiam in illis locis, ubi decretum Concilii Tridentini aliquando fuit publicatum, esse valida, etsi nec desit copia Parochi Catholici; neque sic conjunctos ad Ecclesiam Catholicam redeuntes, esse urgendos coram Parocho consensum matrimonialem renovare, non tantùm in Gallia & Germania, sed in Provinciis Confœderatis, ubi Calvinistæ dominantur, jam à LXX. & ampliùs annis communiter receptum fuit; (i) atque toto quasi orbe spectante pro validis reputata fuere, quemadmodum nuper in quadam dissertatione sub titulo Theseos *de Sponsa duorum* ostendit Eximius D. Martinus de Swaen in hac Academia Sacræ Theologiæ Doctor; eorumque validitatem solidè adstruit; profertque varias, easque urgentissimas rationes, ob quas meritò Pontificibus & Episcopis visum sit, Decretum Concilii Tridentini non comprehendere matrimonia Acatholicorum in Provinciis confœderatis sub temporali dominio Hæreticorum constitutis.

XXXIII. Prima ratio petitur ab utilitate Ecclesiæ, & salute animarum. Si enim Matrimonia Acatholicorum coram Magistratu Politico, vel Ministro Acatholico contracta sint invalida, sequitur, » nullum conjugatum Calvinistam posse ad fidem Ca-» tholicam converti, & Ecclesiæ Catholicæ reconciliari, nisi aut » deserat uxorem hæreticam converti nolentem, & nisi agnos-» cat se hucusque in materiali saltem fornicatione cum putati-» tia sua uxore vixisse; vel nisi illa consentiat (quod raro hodie » contingere videmus) de novo inire contractum conjugalem » coram Presbytero." Hæc ille §. 5.

» Quantum conversioni Acatholicorum hæc sententia ponat » impedimentum; & quantum contra Catholicos persecutionem » excitare nata sit, pergit (Swaenius) nemo est qui non perci-» piat. Econtra autem si valida censeantur matrimonia coram » Acatholico Magistratu vel Ministro Calvinistico in fœderato » Belgio inita, cessant incommoda enarrata, & conversioni » Acatholicorum ostium aperitur."

Refert deinde Eximius Auctor, hanc rationem purpuratis Patribus exposuisse magnum illum, ac nominatissimum Præsulem Episcopum Castoriensem per Provincias confœderatas Vicarium Apostolicum, cùm anno 1671. Romæ negotia suæ missionis ageret: eosque respondisse, *non convenire ut quæstio illa à S. Officio definiatur, verùm statueret ipse, quòd crederet animarum sibi creditarum saluti maximè expedire.* Et eodem anno respondit eidem Antistiti Pœnitentiaria Romana, se sentire, quòd matrimonia Acatholicorum in Belgio fœderato inita coram Magistratu, vel Ministro Calvinista, deberent haberi valida.

Quanto autem studio, & zelo præfatus Præsul post suum ex Urbe reditum Pastoribus sibi subditis inculcare conatus sit, hujusmodi matrimonia habenda esse pro validis, multis ostendit Swanius.

XXXIV. Secundam rationem pro validitate hujusmodi matrimoniorum petit citatus Auctor ex eo, quòd moraliter sit impossibilis observatio decreti Concilii Tridentini de contrahendo matrimonio coram Parocho Catholico inter Acatholicos, quandiu in his Provinciis Religio Acatholica dominatum tenet; quam moralem impossibilitatem multis, iisque solidissimis rationibus evincit.

XXXV. Tertia ratio pro validitate horum matrimoniorum desumitur ex scopo ipsius decreti Concilii Tridentini, qui est, ut

(h) *Clandestinitas, quæ nihil aliud est quàm defectus præsentiæ Parochi & testium, est impedimentum dirimens Matrimonium.*

(i) *Ut illa computatio accurata quodammodo censeatur, advertendum est, quòd D. Van Espen illam peregerit exeunte XVII. seculo, cùm suum jus Ecclesiasticum elaboraret.*

ut incommoda ex matrimoniis clandestinis, quæ in foro externo probari non poterant, provenientia evitarentur. Scopus autem hic in Provinciis hisce obtinetur, dum matrimonia publicè coram Magistratu, vel Ministro Acatholico & testibus contrahuntur, idque non aliter quàm præviis tribus distinctis publicis proclamationibus: adeò ut non minus apud ipsos Acatholicos, quàm apud Catholicos exulent matrimonia clandestina, ideoque fine decreti cessante, non apparet ratio cur ejus observantia urgeri debeat, præsertim cum maximis illis incommodis, quæ ex urgenda hac observantia sequerentur; uti latiùs videre licet apud Swaenium; necnon Eximius D. Huygens, qui in suis Observationibus *de Sacramento Matrimonio*, horum matrimoniorum validitatem similiter adstruit; & argumentis in contrarium adduci solitis respondet; atque signanter notat ex Swaenio, resolutionem Cardinalium datam Sasboldo Vicario Apostolico, relatam à Zypæo, titulo *de Sponsalibus*, *num.* 16. quâ dicta Matrimonia declarantur *invalida*, emanasse id temporis, quo Rex Catholicus nullum adhuc jus liberæ Reipublicæ Provinciis illis cesserat; atque nullius adhuc Religionis pacificum, nisi solius Catholicæ, indulgeret exercitium, exturbans ubicunque poterat Ministros Acatholicos. Quid ni pro hoc tempore declarare potuit S. Congregatio decretum Concilii Tridentini, etiam Acatholicos obligare; cùm nec tunc subessent, nec timerentur incommoda illa, & observantiæ impossibilitas, quæ hodie mutato politico regimine, & publico Religionis exercitio ex necessitate observantiæ istius Decreti orirentur, uti fusiùs exponit Swaenius §. 6.

XXXVI. Quod de validitate matrimonii Acatholicorum coram Magistratu, vel Ministro Hætetico dictum est, id quoque obtinere, tametsi altera pars contrahentium sit Catholica (k) multis, solidisque argumentis evincit Swaenius §. 7.

Si enim matrimonia sint valida, contracta coram Magistratu, vel Ministro Hæretico, dum utraque pars est Acatholica, etiam *valida* dicenda videntur, tametsi una pars duntaxat sit Acatholica: eodem argumento, quo matrimonium contractum in loco ubi decretum Concilii Tridentini non est publicatum, esset *validum* clandestinè initum, licèt una tantùm pars in loco isto domicilium haberet, altera verò in loco, in quo decretum est publicatum, & ita decisum fuisse à S. Congregatione refert Wamesius *Consilio*, *can.* 530.

Plura argumenta pro validitate hujusmodi matrimonii adducit ibidem Swaenius, dicitque se non ita pridem ex amplissimo D. Van Heussen Provicario Ultrajectino Viro rerum Provinciarum istarum apprimè gnaro didicisse sequentia. 1. » Quòd Pres» byteri de Clero eos qui coram Ministro, vel Magistratu Aca» tholico conjuncti sunt, quorum pars altera est Acatholica, » passim non soleant de novo conjungere.

2. » Quòd constet plures ex Religiosis, & inter illos etiam » PP. Societatis eidem sententiæ, praxique se conformare.

3. » Quòd constet, similia conjugia ante tempora Illust. » Castoriensis (quamvis non ita universaliter) uti valida fuisse » habita.

4. Quòd præfatus Præsul post suum ex Urbe reditum » (ac» cidit is ann. 1671.) expositis S. Congregationi sententiæ suæ » in hoc motivis, acceptoque ab eodem responso, faceret ipse, » *quod magis in his regionibus congrueret*, praxim jam dictam » efficaciùs, frequentiusque promoverit.

5. » Quod matrimonia memorata ab Acatholicis, dum jux» ta patriæ leges, & consuetudines sunt contracta, similiter tan» quam valida reputentur."

XXXVII. Quin & §. 8. testatur quatuor Doctores, & Pastores Parisienses consultos ab Episcopo Castoriensi respondisse, quòd Hæretici iis in locis Franciæ, ubi liberè habitare permittuntur, & ubi sui exercitii liberam habent Ecclesiam, matrimonio jungantur coram Pseudo-Ministris suis, non coram Parochis, quos Pseudo-Ministros patitur Ecclesia vicem Parochorum illis gerere hac in parte. Si verò hi ad fidem Catholicam convertantur, ad S. Communionem vel Sacramentalem admittantur, etiamsi non celebraverint de novo matrimonium coram proprio Parocho. Ulteriùs, si alter convertatur, altera in hæresi manente, non negetur converso S. Communio, vel absolutio in Francia, donec ambo compareant coram Parocho; neque liceat converso ad fidem deserere partem hæreticam, & alteri nubere; etsi hæc nolit coram Parocho consensum renovare. Denique non sit *invalidum* matrimonium contractum non coram Parocho, sed tantùm coram Pseudo-Ministro, tametsi altera pars esset *Catholica*.

XXXVIII. Resolutioni tamen casus finalis merito addunt hanc salutarem clausulam: *Cæterum non licet, & gravissimè Catholicus peccat.* Neque enim ullus negat, quin Catholici gravissimè peccare soleant cum hæreticis matrimonia ineundo; hæcque matrimonia ob multiplicia incommoda, ac præsertim præsentaneum periculum perversionis ad hæresim & parti Catholicæ, necnon prolibus imminens, esse planè detestanda, atque Parochos debere meritò solicitos esse, ut tum in Concionibus, & Confessionibus, tum privatis colloquiis exponant gravitatem peccati, quod in contrahendis hujusmodi matrimoniis incurritur; & ut quibuscunque motivis similia matrimonia dissuadere conentur; quemadmodum, motiva plura allegando, ostendit Swanius §. 10. qui dein §. 11. exponit, quàm graviter Sacerdotes delinquant, & qua pœna puniantur, qui partem Catholicam cum Acatholica conjunxerunt, vel ut in Ecclesia Acatholicorum à Ministro conjugerentur, suaserunt, vel permisserunt, dum potuerunt impedire.

XXXIX. Testatur insuper §. 10. fuisse aliquando ex mandato Congregationis Cardinalium prohibitum omnibus Pastoribus, ac Missionariis, ne ullo modo matrimonio conjungerent personas, quarum altera esset hæretica: at tam urgentes ex parte Missionis allegatas fuisse rationes, ut in benigniorem sententiam haud multò post inflecti sese passi fuerint Cardinales; concedentes ut obtentâ licentia Vicarii Apostolici, Pastores, aliique Missionarii personas disparis religionis coram Ministro, aut Magistratu Acatholico juxta patriæ mores, & statuta conjungtas, in præsentia sua demum conjungant. Hinc vetitum Missionariis, ne id sine licentia Vicarii attentent. » Prohibemus (in» quiunt Constitutiones) sub pœna suspensionis ab officio Mis» sionis omnibus Missionariis, ne quis personas, quarum altera » est Acatholica nobis inconsultis, & sine *speciali* nostro con» sensu, præsumat conjungere." Deinde addunt: » Sæpè deter» reant Pastores, aliique Missionarii plebem Catholicam, ne » conjugii jugum ducant cum infidelibus, ne cum illis velint » unum corpus fieri, cum quibus non possunt fieri unus spiritus."

CAPUT VI.

De Ritibus contrahendi Matrimonii.

1 *Matrimonium certis ritibus celebrari vetus est institutum.*
2 *Ritus hi ad essentiam matrimonii non spectant; non tamen temerè negligendi.*
3 *Monendus Populus, ne matrimonium iis neglectis contrahat: atque eum in finem ritus populo exponendi.*
4 *Laudabilis est ritus celebrandi matrimonium in Ecclesia.*
5 *Hic ritus licèt non universalis, à Synodo Tridentina non improbatus.*
6 *Ritus vinculum matrimoniale designans describitur.*
7 *Formula à contrahentibus & Paroho pronuncianda, qua contractus matrimonialis exprimitur.*
8 *Benedictio, & traditio* Annuli *nuptialis.*
9 *Vetus Annuli usus; & ad quid primùm introductus.*
10 *Mystica Annuli significatio.*
11 *Benedictio Sacerdotalis super novos Desponsos.*
12 *Missæ celebratio in aliquibus locis est vice Benedictionis; & olim non nisi intra Missarum solemnia fiebat benedictio.*
13 *Osculum pacis Desponsis dandum.*
14 *Olim Fideles inter Missarum solemnia se mutuò osculabantur; & quomodo hic ritus mutatus.*
15 *Benedictio Desponsorum post Missam; & recitatio Evangelii super eosdem.*
16 *Plerique ritus desiderantur in Rituali Romano; eos tamen non improbat.*
17 *Parochi sequi debent ritus in suis respectivè Ritualibus præscriptos.*
18 *Monendi novi Conjuges, ut exemplo Tobiæ ab usu matrimonii se aliquo tempore temperent.*
19 *Monendi quoque de licito matrimonii usu; sed parcè & honestè.*
20 *Annotatio matrimonii à Parocho facienda.*
21 *Quid circa conservationem Registrorum Edicto Principum nostrorum cautum.*
22 *In celebrationem nuptiarum indecoræ saltationes, & excessiva convivia vitanda.*
23 *Quid pro moderandis conviviis Nuptialibus per Principes Belgi statutum.*

I. MAtrimonium apud Christianos etiam primis seculis quibusdam sacris ritibus, precibusque coram Sacerdote celebratum fuisse expeditum est; sed hi ritus precesque varii fuêre pro locorum, & temporum varietate; uti & hodie non omnium est in his Ecclesiarum uniformitas; quam varietatem agnoscens Synodus Tridentina vult, ut Sacerdos in conjungendis Sponsis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformat. Matrimonii.* Hi

(k) *Quod si matrimonium illud in Galliis celebretur, invalidum erit, ut constat Edicto, quod Ludovicus XIV. dedit ann.* 1580. *nisi ante Matrimonii celebrationem dispensatio obtenta fuerit. Primæ hujus asserti parti consona est Hispan. lex.* 15. *tit.* 2. *Partit.* 4.

II. Hi quidem ritus, ac preces ad essentiam non spectant matrimonii; nec earum omissio validitatem ejus impedit: eas tamen omittere citra necessitatem, aut legitimam dispensationem omnino illicitum est.

Ulteriùs, quia ab Ecclesia instituti sunt, matrimonio benedictionem accersere solent; & eorum temeraria omissio, & profanus contemptus maledictionem in ipsos contrahentes, ipsumque matrimonium non raro accersere.

III. Monendi proinde Fideles, ne clandestina & prætermissis præscriptis ab Ecclesia ritibus matrimonia inire præsumant.

Hoc ut persuadeatur, multùm conducit, ostendere, plerosque ritus hodie adhiberi solitos, non esse recenter inventos & institutos, sed ex Antiquorum traditione ad nos perveniste.

IV. Primo in Belgio hodierna consuetudo habet, ut matrimonium, quemadmodum alia Sacramenta, in Ecclesia celebrari debeant.

An olim quoque ipsum matrimonium in Ecclesia celebratum fuerit, non perinde constat.

Legitur quidem antiquitùs matrimonia in *facie Ecclesiæ* aut *coram Ecclesia* fuisse contracta; sed sciendum *Ecclesiam* ibi sumi pro congregatione seu cœtu Fidelium; ideoque matrimonia in *facie Ecclesiæ* celebrari: idem valet, ac *publicè* coram cœtu Fidelium celebrari; hujusmodique matrimonia *clandestinis* conjunctionibus opponebant.

Quidquid sit, non dubium, quin laudabilis sit Ecclesiarum Belgicarum hæc consuetudo; eamque retinendam præcipit Synodus D. Mechliniensis an. 1609. *tit.* 9. *cap.* 6 » Laudabilis » est hujus nostræ Diœcesis consuetudo (ait) quòd matrimo- » nia & in Ecclesia, quæ Sacramentorum proprius locus est, & » inter Missarum solemnia contrahantur. Quare cùm sacrum Con- » cilium Tridentinum ejusmodi consuetudinem retineri vehe- » menter optet, præcipimus, ne quis absque speciali nostra li- » centia ei contravenire audeat."

Idipsum decernit Synodus Antuerpiensis sub Miræo *tit.* 10. *cap.* 9. additque, *potissimum diebus Dominicis & Festis.* Ac deinde: » Nullus autem Pastor sub gravi pœna *post meridiem* » matrimonium solemnizare præsumat." Et *cap.* 9. proscribit juvenum quorundam insolentias, quæ etiam in ipso templo circa novos Desponsos contingere solebant.

Synodus Audomarensis *tit.* 10. *cap.* 12. ait: » Sancta igitur » cùm sit res (matrimonium) non contrahatur nisi in Ecclesia, » nequaquam in privatis ædibus quantumvis honestis."

V. Advertit Zypæus titulo *de Sponsalibus*, *num.* 19. quòd » Concilium Tridentinum, benedictionem quidem in templo » suscipi mandet, non æquè matrimonium ibi contrahi: adeò » ut sacra Congregatio censuerit, Ordinarium non posse pro- » hibere, quin matrimonia domi celebrentur servata Concilii » formâ, referente Sanchez *lib.* 3. *disp.* 15. *num.* 20. *aliisque*, » sed id quidem pro iis regionibus non improbo (ait Zypæus) » ubi virgines rarò in publicum prodeunt, sed in liberioribus » gentibus, ut sunt nostræ Belgicæ, probare non possum; ubi » quidem usus hactenus obtinuit, ut non extra templi parietes » matrimonia solemnizentur." Hæc ille; qui ibidem ostendit, hunc usum in his regionibus esse laudabilem; atque referendum inter laudabiles consuetudines, quas Synodus Tridentina retineri voluit.

VI. Sponsis Ecclesiam ingressis, atque utroque per Parochum specialiter & singillatim interrogato, utrum venerint huc liberâ suâ voluntate, & a nullo coacti ad contrahendum inter se matrimonium, & utroque respondente *affirmativè*, tunc Sacerdos juxta Rituale Mechliniense, conjunctis dextris amborum, & stolâ involutis, cum signo crucis, invocata SS. Trinitate dicat: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, inchoetur mysterium.*

Ex Isidoro refert Gratianus *Caus.* 30. *q.* 5. *Can.* 7. » quòd » nubentes post benedictionem vitta invicem quasi uno vinculo » copulantur, videlicet ideò fit, ne *compagem* conjugalis unita- » tis disrumpant."

Vittam hac fuisse candido, purpureoque colore variatam testatur ibidem Isidorus; mysticam horum colorum rationem subjiciens: » Candor (ait) ad munditiam vitæ, purpura ad » posteritatem sanguinis designandam adhibetur; ut hoc sig- » no & continentiæ lex tenenda ab utrisque ad tempus admo- » neatur; & post hæc reddendum debitum non negetur."

VII. Posthæc præmissa monitione de indissolubili matrimonii vinculo, monet primo Sponsum, ut secum & intelligibiliter pronuntiet formam contractus matrimonialis, sive verba distincte consensum matrimonialem exprimentia: quibus pronuntiatis, eadem proponit Sponsæ pronuntianda; ac dein data sic utrimque fide, dicit Sacerdos: *Et ego tanquam Dei Minister, vos in matrimonium conjungo: in nomine Patris &c.*

Ita Rituale Mechliniense; quibus fere consonat Rituale Romanum. Et quamvis nec verba à Contrahentibus, nec formula à Sacerdote pronuntianda sint de substantia matrimonii, (l) sufficiatque & hodiè consensum matrimonialem, etiam sine verbis coram Parocho nulla verba proferente, neque matrimonium confirmante, imò positivè improbante, præstari, ut validum sit matrimonium; tamen nec Parocho licet his omissis aut alia forma matrimonium solemnizare, aut ei consensum præbere, alias graviter puniendus, uti & contrahentes præscriptos ritus contemnentes.

VIII. Sequitur ex præscripto Ritualium, benedictio *annuli* secundum formam in Rituali cujusque Diœcesis præscriptam. Rituale Romanum præscribit, ut Sponsus annulum benedictum de manu Sacerdotis acceptum imponat digito annulari sinistræ manus Sponsæ, Sacerdote dicente: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Ex præscripto Pastoralis Mechliniensis, Sacerdos postquam annulum aspersit aquâ benedictâ, infert illum digito annulari dextræ manûs Sponsæ, aut alteri secundum morem loci dicendo: *Accipe annulum fidei matrimonialis in nomine Sanctissimæ Trinitatis, ut illum portans, sis armata virtute cælestis benedictionis, & proficiat tibi ad salutem æternum.*

IX. Antiquissimus est *annuli* usus apud Veteres. Et quidem tam apud Romanos, quàm Hebræos moris fuisse, ut in omni pactione loco arrhæ annulus daretur, ex Plinio & Historia Sacra *Genesis* 38. observat Baronius ad *annum* 57. atque ex hujusmodi usu fluxisse videtur (pergit Baronius) ut cùm spondentur nuptiæ, sponsus loco arrhæ sponsæ det annulum.

Annuli sponsalitii meminit quoque Tertullianus in Apologetico *cap.* 6. ubi exponens pristinam mulierum Christianarum modestiam, ait: » Cùm aurum nulla norat præter unico digito, » quam sponsus oppignorâsset *pronubo annulo.*"

Meminit quoque hujus annuli Clemens Alexandrinus in Pædagogo suo christiano *lib.* 3. *cap.* 11. asseritque, quòd *daretur uxori non ornatus gratiâ, sed ut obsignaret quæ domi erant.* In signum nimirùm curæ rei domesticæ; in quem quoque finem claves novæ nuptæ tradi solitas testatur Festus. Obsignari enim solitas penuarias arcas ne surriperentur à servis, ex Plinio notat Baronius loco citato: observans insuper, annulos sponsalitios olim apud Romanos fuisse plerumque ex *ferro*, unde & Tertullianus *de Habitu mulierum*, *cap.* 15. generatim dicit: *Nam & annuli ferro fiunt.*

X. Apud antiquos Christianos annulis sponsalitiis insculptum fuisse signum fidei, quod est Hieroglyphicum amoris, & concordiæ, monet ibidem Baronius.

Hanc annuli significationem non obscurè insinuat Nicolaus I. in responsis ad Bulgaros apud Gratianum *Caus.* 30. *q.* 5. *Can* 3. » Postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei annu- » lo insignitum desponderit."

Et aperiùs Isidorus, apud Gratianum ibidem *Can.* 7. » Quòd » in primis nuptiis annulus à sponso sponsæ datur, fit hoc ni- » mirùm vel propter *mutuæ fidei* signum, vel propter id ma- » gis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde & quar- » to digito annulus idem inseritur, quòd in eo vena quædam » (ut fertur) sanguinis ad cor usque perveniant."

Eandem mysticam annuli significationem indicat formula traditionis annuli ex Pastorali Mechliniensi suprà relata. Et in ejus benedictione dicitur juxta Rituale Romanum: » Benedic » Domine annulum hunc, quem nos in tuo nomine benedici- » mus, ut quæ eum gestaverit, *fidelitatem integram* suo spon- » so teneus, in pace, & voluntate tua permaneat; atque in » mutua charitate semper vivat."

XI. Post annuli benedictionem, & traditionem, sequitur Sacerdotalis benedictio; quam flexis genibus ante Altare à Sacerdote noviter conjuncti suscipere debent.

Quamvis formulæ benedictionis nuptialis, quæ hodie extant in Ritualibus sint recentioris ævi; atque in variis Ecclesiis diversæ, ipsa tamen Sacerdotalis benedictio antiqua est, & apud Christianos jam pridem usitata.

Hujus Benedictionis meminit Clemens Alexandrinus loco citato. Loquens de comis fictitiis mulierum quasi benedictionem impedientibus, ait: » Cùm autem manum imponit Presbyter, » cui autem *benedicit*? Non mulieri, quæ est ornata, sed *alie-* » *nis* capillis, & per hoc alii capiti."

Synodus Carthaginensis IV. *Can. XIII.* apud Gratianum *Caus.* 30. *q.* 5. ait: » Sponsus & Sponsa cùm benedicendi sunt » à Sacerdote, à parentibus suis, & paranymphis offerantur."

Plures ibidem Canones, qui hujus benedictionis meminerunt, recitat Gratianus; licèt forsan non tam antiqui sint, quam sunt auctores, quorum nomina referunt.

XII. Benedictione absoluta ex præscripto Pastoralis Mechliniensis, » novi conjuges honestiori loco collocati, audiunt Mis- » sam, orantes Deum pro matrimonii jam initi prospero suc- » cessu."

(l) *Hæc sanè rejiciuntur à Theologis qui Sacerdotem Ministrum Sacramenti Matrimonii nuncupant, quique hujus Sacramenti formam essentialem constituunt in his vel similibus verbis:* ego vos, &c. *à Sacerdote prolatis.*

Rituale Romanum indicat, Missam duntaxat celebrandam, si nuptiæ sint benedicendæ; atque ita ipsam Missæ celebrationem esse vice benedictionis. Post benedictionem enim annuli immediatè subjicit: » His expletis, *si benedicendæ sint nuptiæ*, » Parochus Missam pro Sponso, & Sponsa, ut in Missali Ro» mano, celebret, servatis omnibus, quæ ibi præscribuntur. « Neque alterius benedictionis meminit.

Et sanè pridem benedictio nuptiarum intra Missarum solemnia » fiebat post *Orationem Dominicam*, & omnia alia quæ » intra Missarum solemnia olim benedicebantur, uti clarum est » ex nostris Sacramentariis « inquit Hugo Menardus *in notis ad Sacram. pag.* 414. qui primus edidit ex Codice Remensi exarato circa annum millesimum, *Actionem* seu Missam propriam *nuptialem*, in qua inter alia dicitur: » & dicis Orationem Do» minicam, & sic & eam (Sponsam) *benedecis*, his verbis: » Deus, qui mundi crescentis exordium &c. «

Hujus veteris ritus vestigium est, quod in Pastorali Mechliniensi præscribitur: » Dicto *Pater noster*, Sacerdos antequam » dicat; *Libera nos quæsumus Domine*, stans in cornu Episto» tolæ versus Sponsum, & Sponsam ante altare genuflexos, di» xit super eos sequentes orationes: « Hæc enim orationes locum pristinæ benedictionis supplent.

Ab benedictionem Sacerdotalem, seu potiùs benedictionem Ecclesiæ ministerio Sacerdotis impertiendam, nec non ipsum Missæ Sacrificium in nuptiarum benedictione celebrari consuetum, non obscurè alludit Tertullianus *lib. 2. ad Uxorem, cap.* 8. dicens. » Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem » ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat; & confirmat *oblatio*, » obsignat benedictio.

Ad hæc verba, *confirmat oblatio*, reflectens Vir eruditus Nicolaus Rigaltius ait: » Cùm ab Ecclesiæ Præpositis conju» gium, ut Septimius dixit, conciliatum solemni die Ecclesiæ » sistitur, communibus fidelium votis inter Sacrificiorum ora» tiones benedicendum."

XIII. Additque præterea Pastorale Mechliniense: » Minis» ter celebrantis, *osculum* pacis à Sacrificante acceptum defert » primùm Sponso, ac dein Sponsæ (qui cum gratiarum actio» ne, ac mutuæ charitatis desiderio illud accipient in signum » charitatis, ac perpetuæ pacis Christi cum Sponsa sua Eccle» sia) postea ordinatè cæteris in honorem nuptiarum præsen» tibus. «

Osculi nuptialis meminit Tertullianus libro *de Velandis Virginibus*, *cap.* 11. Nec dubium quin sibi mutuò olim Sponsi osculum darent.

XIV. Fideles enim in ipsa sacra Synaxi se mutuò salutâsse, seu pacem dedisse, multis ostendit Cardinalis Bona *lib. 2. Rerum Liturg. cap.* 16. & concludit: » Signum igitur mutuæ di» lectionis, & pacis erat osculum inter Christianos, à quo pro» cul aberat omnis suspicio impuri affectus. «

Deinde paucis interpositis subjungit: » Veteri tandem sim» plicitate in malitiam degenerante, subtractum paulatim est os» culum, & ejus vice mos introductus prorrigendi tabellam cum » Crucis, vel Christi imagine, quam superioris seculi Scripto» res *oscularium* vocant, de quo vocabulo agit Spelmannus in » Glossario. «

XV. Absoluta Missâ postquam novis Conjungibus ac toti populo communis fuerit impensa Missæ benedictio, priusquam Sacerdos incipiat Evangelium S. Joannis, adducendi sunt novi Conjuges ad altare ex præscripto Pastoralis Mechliniensis, ad quos conversus Sacerdos dicit: Deus » Abraham, Deus Isaac, » & Deus Jacob sit vobiscum: & ipse impleat benedictionem » suam in vobis, ut videatis filios filiorum vestrorum usque ad » tertiam & quartam generationem; & postea vitam æternam » habeatis sine fine. « &c.

Ex ejusdem Pastoralis præscripto Sacerdos legere debet Evangelium S. Joannis *In Principio erat Verum*, super novos conjuges; atque lectum Evangelium Crucis impressione signatum exhibere utrique osculandum.

XVI. Pleræque hæ sacræ cæremoniæ, & iteratæ benedictiones desiderantur in Rituali Romano; ubi brevis admodum formula solemnizandi matrimonium habetur, subjiciens propterea hanc cautionem Synodi Tridentinæ: » Cæterum si quæ pro» vinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus & » cæremoniis in celebrando matrimonio utuntur, eas Sancta Tri» dentina Synodus optat retineri."

XVII. Parochi igitur in hisce præscripta Ritualium suorum sequi debent; ac frequenter ostendere populo salutarem usum harum cæremoniarum; ac signanter efficaciam precum & benedictionum, quæ nomine Ecclesiæ super novos Conjuges funduntur; quodque meritò timeant, qui iis contemptis contra Ecclesiæ præscriptum matrimonia ineunt, ne maledictionem pro benedictione in se & proles suas accersant.

Deinde hîc notandum benedictiones in Ritualibus præscriptas duntaxat primas nuptias concernere, uti infra ubi de secundis nuptiis agetur latiùs dicetur; ratioque illius diversitatis assignabitur.

XVIII. Matrimonii solemnizatione absolutâ monet Pastorale Mechliniense Parochum, ut » novos conjuges egregiè etiam » coram populo hortetur, ut ad exemplum Tobiæ, & sacro» rum Canonum consilium, propter reverentiam Sacramenti & » Benedictionis, biduo vel triduo orationibus vacent, & castita» tem servent, ut sic tanquam filii sanctorum conjugium chris» tianum cum Dei timore consummantes, sciant uterque *vas* » *suum possidere in sanctificatione & honore, non autem in pas*» *sione desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum.* « 1. Thess. cap. 4. v. 5.

Ex Concilio Carthaginensi IV. *Can. XIII.* refert Gratianus *caus.* 30. *quæst.* 5. *Can.* 5. » Qui (Sponsus & sponsa) cum » acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipsius » benedictionis in virginitate permaneant. «

Glossographus reflectens ad hæc verba: PRO REVERENTIA, ait, *Ergo non erit peccatum, si aliter fiat.*: quod coincidit cum eo, quod Pastorale dixit, *ad sanctorum Canonum* CONSILIUM.

XIX. Rectè quoque monet Synodus Audomarensis *tit.* 10. *cap.* 17. Parochos, ut novos conjuges » instruant, ubi res postu» lat, verecundè & modestè, ut non existiment, sibi quidvis in» ter se licere, nec se habere mutuam corporum potestatem, ita „ ut quidvis alteri liceat cum alterius corpore; nec enim aliud „ corporis nomine Apostolum intelligere, 1. *Cor. cap.* 7. *v.* 4. „ ubi ait: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: si*„ *militer autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed* „ *mulier*, quàm membra ad generationem à natura deputata, „ quibus utantur eo modo, quo ex naturæ institutione genera„ tioni serviunt, non alio; nam si alio, non conjuges, sed vi„ rum quidem uxoris adulterum, mulierem autem mariti me„ retricem esse; quod quodam loco ait D. Augustinus. "

Poterit hîc servire Parocho quod habet S. Franciscus Salesius in *Introductione ad vitam devotam*, *part.* 3. *cap.* 39. ubi piè & castè exponit, quomodo conjuges se circa actum conjugalem gerere debeant.

XX. Ut contracti matrimonii certa semper fides haberi queat, mandat Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reformat.* ut „ habeat Parochus librum, in quo conjugum, & testium no„ mina, diemque & locum contracti matrimonii describat; quem „ apud se diligenter custodiat."

Hoc decretum renovans Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 10. *cap.* 7. addit: „ Et quotannis in visitatione Archipresbytero ex„ hibeant. Qui quidem liber ubi jam completus fuerit, serva„ bitur in archivis Ecclesiæ. "

XXI. Edicto perpetuo Principum nostrorum anni 1611. *art.* 20. mandatur Magistratibus quorumcumque locorum, ut quotannis accipiant exemplum sive copiam (ut vocant) authentizatam cum registro parochiali in quo notantur Baptismata, Matrimonia, & Sepulturæ omnium eorum, quæ hoc toto anno occurrunt; quod exemplum Pastor ipsi Magistratui dare tenebitur, ut in sua quisque Magistratus respectivè archiva referat, diligenterque custodiat. Insuper ut Magistratus pagorum confici jubeant duo exempla, quorum alterum remittant ad superiorum sui territorii judicem, ut ibidem reservetur; idque sub pœna arbitraria in negligentes. Volentes dictis registris, eorumque exemplis plenam fidem adhiberi absque ulteriore probatione: cùm nimirùm de ætate, conjugio, morte, promotione ad Ordines, provisione beneficiaria, seu secularis officii collatione, & restitutione agetur; de quibus in ipso articulo mentio fit (m).

Ad hoc Edictum reflectens Zypæus titulo *de Parochiis*, *num.* 6. ait: » quod valdè expediret, omnes Episcopi suâ sal» tem auctoritate Pastoribus mandarent, & exequerentur, ut in » archivis Episcopalibus hujusmodi exemplaria reservarentur. «

XXII. Mandat denique Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 10. *de Reformat. Matrimonii*, curent Episcopi, » ut nuptiæ eâ, » qua decet, modestiâ & honestate fiant: sancta enim res est » matrimonium & sanctè tractandum.

» Nuptias solemnibus conviviis, saltibus, scœnis fœdare » potiùs quàm ornare, est abusus antiquus à Gentilibus devo» lutus in Ecclesiam, « ait Christianus Lupus *in Scholis* ad *Can. XXIV. Trullanum*; quo Canone cavetur, » si quis Cle» ricus ad nuptias vocetur, quando ad deceptionem comparata » ludicra ingressa fuerint, surgat & discedat, Patrum nostro» rum sic jubente doctrinâ. «

Et antiquior Synodus Laodicœna. *Can. LIII.* statuit, quòd non

(m) *Id in Gallia sancitum est edicto, quod Ludovicus XIV. dedit ann.* 1667. *quod quidem Ludovicus XV. renovavit in sua declaratione*, 9. *Aprilis* 1736. *Et quoad scripturas censuum, idem à Rege nostro Carolo III. in Hispania stabilitum est, præcipiens ut ea in archivis Civitatuum Oppidorumve, quæ Provinciarum sunt capita, custodiantur, aliter facientibus non suffragentur. Cui consona est L.* 14. *tit.* 15. *lib.* 5. *Recop.*

non oportet Christianos ad nuptias venientes se turpiter & indecorè gerere, vel saltare, sed modestè cœnare & prandere, ut decet Christianos.

Rursus Synodus Agathensis an. 506. *Can. XXXIX.* injunxit sacratis hominibus » ut nuptiarum evitent convivia, nec » his cœtibus admisceantur, ubi amatoria cantantur, & turpia, » aut obscœni motus corporum choreis, & saltationibus efferun- » tur, ne auditus, aut obtutus sacris mysteriis deputati tur- » pium spectaculorum, atque verborum contagione polluan- » tur. « Apud Gratianum *Dist.* 34. *Can.* 19.

Synodus Coyacensis in Diœcesi Ovetensi anno 1050. celebrata sub Ferdinando Rege I. Castellæ, qui cognominatus est *Pius*, præsentibus omnibus Episcopis, & Optimatibus ejusdem Regni *Can. V.* ait : » Presbyteri ad nuptias causâ edendi » non eant, nisi ad benedicendum. «

Cùm nec in hodiernis convivis nuptialibus leges sobrietatis, & honestatis christianæ per omnia servari soleant, etiamnum Canonum ratio manet ; atque singulariter hæc convivia à Parochis, & Sacerdotibus evitanda sunt ; ut nec rogati accedant.

XXIII. Quia in hisce conviviis instruendis magnus excessus, præsertim in pagiis committit solet, per nimiam ad ea convivia solitam personarum invitationem. Carolus V. Edicto 7. Octobris 1531. *art.* 28. cavit, ut si qui convivium nuptiale instruere velint, non poterunt ad illud vocare nisi proximiores consanguineos utriusque conjugatorum ; (n) neque numerus personarum excedere queat numerum viginti ; nec convivium illud protrahi possit ultra ipsum diem nuptiarum, & sequentem usque ad tempus pomeridianum. Habetur *parte* 1. *Edict. Flandriæ, lib.* 3. *Rubrica* 1.

Hoc Edictum renovatum est 10. Decemb. 1611. sed extensum ad quadraginta paria, sub pœna, quòd tam sponsi, quàm convivæ mulctam 20. florenorum incurrant : cum declaratione, quòd Magistratibus, aut Officiariis facultas desuper dispensandi tributa non sit, & dispensantes ipsi ad 25. florenos mulctentur. Iterum Edicto ult. Decemb. 1613. Principes idem vetuerunt restricto numero ad 32. paria, cum prorogatione ad secundum diem sub pœna 20. florenorum, quam sponsi incurrent pro numero, aut tempore excedente.

TITULUS XIII.

De Impedimentis Matrimonii.

CAPUT I.

Penes quem sit auctoritas inducèndi Impedimenta Matrimonii.

1 *Quid nomine impedimenti hîc intelligatur ; & quotuplicis generis sit.*
2 *Impedimenta matrimonii etiam apud Gentiles nota fuêre.*
3 *Magistratum civilium est legis matrimoniis ineundis præscribere.*
4 *Qua ratione hodie competat Ecclesiæ matrimonia ordinare.*
5 *Hæc compendiosè expressit S. Thomas.*
6 *Ex sententia S. Thomæ juxta diversos fines, diversorum jurisdictioni subjacet matrimonium.*
7 *Sequitur, quædam esse, quæ jure naturæ impediant & dirimant matrimonium.*
8 *Consectarium est, magistratum Politicum posse statuere impedimenta matrimonii.*
9 *Certum est, Principes Gentiles quoad suos subditos Gentiles posse inducere impedimenta etiam dirimentia.*
10 *Principibus etiam Catholicis competit auctoritas statuendi impedimenta impedientia.*
11 *An etiam* dirimentia *quoad subditos Catholicos ? Opinio Sanchez.*
12 *Quid sentiat Petrus Soto.*
13 *Principum auctoritatem in statuendis impedimentis matrimonii astruit Gerbesius Doctor Sorbonicus.*
14 *Hac auctoritate à multis seculis usi non sunt Principes Catholici.*
15 *Non tamen potestas ipsis Principibus absolutè adempta videtur.*
16 *A multis seculis invaluit, ut sola Ecclesia inter Catholicos statuerit impedimenta dirimentia.*
17 *Hac potestate à primis seculis usa fuit Ecclesia.*
18 *Hanc potestatem habuit Ecclesia impendenter à concesione Principum secularium.*
* *Potestas Ecclesiæ corrigendi leges Civiles.*
19 *Definitio Synodi Tridentinæ circa auctoritatem Ecclesiæ statuendi impedimenta.*
20 *Consuetudine induci possunt impedimenta matrimonii.*

I. Impedimentorum nomine hîc intelligitur, quidquid matrimonium jure reddit nullum, aut illicitum.

Nonnulla enim sunt, quæ ipsum contractum matrimonialem non tantùm reddunt illicitum, sed invalidum, ac nullum ; vocanturque impedimenta *dirimentia*, eò quòd *dirimant* seu irritent matrimonia cum similibus impedimentis contracta.

Alia sunt, quæ matrimonia quidem contrahi prohibent ; sed contracta non *dirimunt*, vel irritant ; dicunturque impedimenta *impedientia*.

II. Similia Impedimenta non tantùm apud Christianos, sed etiam apud Infideles, & gentiles nota semper fuerunt.

Ut enim contractus matrimonialis finem, ad quem à natura ordinatus est, obtineret, solicitæ fuêre Gentes etiam lumine fidei destitutæ, suis legibus contractum hunc sic circumscribere, ne extra finem à natura præscriptum exorbitaret. Hinc tot Romanorum Principum circa ætatem, qualitatem, cæteraque ad matrimonium spectantia leges, quæ etiam hodie in Corpore Juris adhuc leguntur.

III. Ulteriùs, quia matrimonium ad bonum politicum quoque ordinatur ; atque ex matrimoniis convenienter, aut inconvenienter initis multùm dependet bonum politicum, seu Reipublicæ tranquillitas, aut turbatio, indubiè Magistratus Civiles prospicere debent, ut matrimonia sic ineantur, ut bonum politicum, & regimen reipublicæ inde non patiatur, nec tranquillitas familiarum turbetur.

IV. Denique, quia matrimonium Christianorum per Christum ad Sacramenti dignitatem, & efficaciam fuit elevatum ; ac jam etiam ordinatur ad santificationem Fidelium, quidni ad Ecclesiam spectet providere, ut per matrimonium hunc finem Fideles assequantur?

V. Hæc omnia brevi compendio comprehendens Sanctus Thomas ait: » In quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, » quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem à natura inclinante in hunc finem, & sic dicitur esse naturæ officium : in » quantum verò ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi legis civilis ; in quantum igitur ad bonum Ecclesiæ ordinatur, oportet, quòd subjaceat regimini ecclesiastico.« *Lib.* 4. *contra Gentes, cap.* 78.

VI. Et rursus ibidem : » Considerandum est, quòd quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa » dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti : generatio autem humana ad multa ordinatur, etiam ad perpetuitatem Ecclesiæ, quæ in fidelium collectione consistit ; unde » oportet quòd hujusmodi generatio à diversis dirigatur : in » quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem à natura inclinante in hunc » finem, & sic dicitur esse naturæ officium : in quantum verò » ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi legis civi- » lis : in quantum igitur ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quòd subjaceat regimini ecclesiastico.«

VII. Hoc principio præsupposito, evidenter sequitur, jure naturæ quædam posse requiri, sine quibus matrimonium vel *illicitè* vel *invalidè* ineatur, eò quòd sine his finis à natura intentus haberi nequeat : quapropter nemo dubitat, quin quædam sint, quæ juræ naturæ matrimonia impediant, & annullent.

VIII. Similiter si juxta S. Thomam, matrimonium in quantum ordinatur ad bonum politicum, subjaceat ordinationi legis civilis ; consequens est, posse per civilem legem, seu magistratum statui quædam impedimenta, quæ sunt necessaria, aut convenientia, ut matrimonium hunc finem assequatur, unde etiam verbis suprà relatis subjicit hanc conclusionem : » Ideò » ex qualibet dictarum legum naturæ, humanæ, & divinæ po- » test persona effici ad matrimonium illegitima.«

IX. Atque imprimis Principes *infideles* potuisse, & hodie adhuc posse statuere impedimenta non tantùm impedientia, sed etiam *derimentia* inter subditos suos infideles, omnes agnoscunt ; eò quòd hujusmodi matrimonia maneant etiam hodie contractus *merè* civiles.

X. Adhæc, Principes seculares Catholicos & quoad subditos suos Catolicos posse statuere impedimenta *impedientia*, ita ut

(n) *Pro pluribus Hispaniæ Regnis, & Provinciis idem stabilitum est in leg.* 12. *&* 13. *tit.* 1. *lib.* 5. *Recop.*

ut ob has Principum Ordinationes *illicitè* cum hisce impedimentis matrimonia contrahantur ; quin & contravenientes puniri, atque effectibus civilibus, matrimonio alioquin annexis privari queant, indubitatum est ; & praxis hodierna circa nuptias filiorumfamilias sine consensu parentum initas evincit.

XI. Quinimò (ut rectè notat Sanchez de Matrimonio *tit.* 7. *Disputat.* 3. *num.* 2.) » absque dubio dicendum est, posse Prin» cipem secularem ex *genere & natura* suæ potestatis, Matri» monii impedimenta *dirimentia* fidelibus sibi subditis ex juxta » causa suis legibus indicere..... Ratioque potissima est cùm po» testas Regia ad tranquillitatem, & bonum Reipublicæ tuen» da potissimum sit instituta, ejus est, id quod ad hunc finem » obtinendum desideratur, providere ; quale est circa matrimo» nia ineunda sancire, illa impediendo vel irritando : inde enim » maximè pendent tranquillitas, & recta Reipublicæ gu» bernatio.

» Nec obstat (ait Sanchez) Principis secularis potestati, ma» trimonium esse Sacramentum : quia ejus materia est contractus » *civilis*, qua ratione perinde potest ex causa juxta illud irrita» re, ac si Sacramentum non esset ; reddendo personas inha» biles ad contrahendum, & sic illegitimum, & invalidum con» tractum. «

XII. Petrus Soto *lect.* 4. *de Matrimonio*, eodem fundamento ex S. Thoma assumpto, hanc auctoritatem Principibus secularibus asserit : » Nec debent (ait) Prælati Ecclesiæ gravatè sus» cipere, si quod temporali paci viderint necessarium, secula» res Principes statuant. Nec est, cur se illis opponant ; sed » permittant potiùs matrimonium legibus humanis ordinandum, » cum officium humanum sit : & addant postea ipsi, si vide» bitur, quod ad bonum Religionis pertinet. «

Deinde subjicit hanc clausulam : » Quanquam civiles leges » in his omnibus ex pietate certè, & voluntate Principum ta» cilè cesserint Ecclesiæ, ut jam nullum censeatur matrimonium » illegitimum, quod Ecclesia tale non judicat. «

XIII. Hanc positionem Petri Soto nuperrimè latiùs exposuit, atque abstruere studuit Gerbesius Doctor Sorbonicus in Tractatu *de potestate Ecclesiæ & Principum super impedimentis matrimonii*, in cujus secunda parte duo præcipuè evincere conatur.

Primò, Principibus etiam Catholicis inter subditos suos Catholicos competere potestatem statuendi impedimenta dirimentia ; & Principes eâ potestate, per aliquot secula usos fuisse. Secundò neque hanc potestatem ullatenus repugnare potestati, quam Ecclesia semper habuit similia impedimenta statuendi.

XIV. In tertia parte sui tractatus adstruit secundam partem assertionis Petri Soto, nimirum, quòd ex pietate, & voluntate Principum, exercitium ponendi impedimenta *dirimentia* jam sit penès solam Ecclesiam ; sive quòd jam nullum censeatur matrimonium illegitimum, quod Ecclesia tale non judicat : creditque circa seculum VI. cœpisse causas matrimoniales, præsertim quæ vinculum matrimoniale ex ratione Sacramenti resultans concernebant, ad tribunal Ecclesiæ cœpisse remitti ; quod tempore Caroli M. & sequentium Imperatorum frequentiùs factum est ; donec tandem ad modernam disciplinam, quæ circa seculum XII. stabilita fuisse videtur, deventum fuit ; ut ipsi Principes nihil ampliùs circa *vinculum* matrimonii sua auctoritate statuerent, sed integrum illius usum Ecclesiæ permitterent ; ipsique pro impedimento dirimente susciperent, quod ipsa ut tale declarâsset.

XV. Hanc esse modernam à seculis aliquot stabilitam disciplinam, non uno argumento evincit ; ac dein *cap.* 4. docet, eam disciplinam ex pietate, & voluntate Principum descendentem, nullum inferre præjudicium Principum auctoritati inducendi impedimenta matrimonii ; quantumvis à potestatis hujus exercitio quoad subditos suos Catholicos abstineant : idque rursus conformiter ad doctrinam Petri Soto, qui verbis mox relatis immediatè subjicit : » Non tamen propterea vel legi vel con» suetudini Reipublicæ hoc auferendum est, ut illegitimos ali» quos reddere, si velint, possint ; sed potiùs, si opus foret, » confirmandum esse ab Ecclesia. «

XVI. Quidquid sit, hoc constat, jam à pluribus seculis Ecclesiam, & quidem privativè, & cum exclusione Principum secularium (o), impedimenta *dirimentia* inter Catholicos ordinâsse ; eaque pro temporum, & locorum circumstantiis, nonnunquam extendisse, vel limitâsse, aut etiam relaxâsse ; ac per consequens negari non potest, quin Ecclesia hac potestate à primis seculis pacificè usa fuerit.

XVII. Quòd jam pridem hac potestate Ecclesia usa fuerit, sat apertè innuit *Can. XXVI.* vulgò *Apostolorum* : » Ex iis » (ait) qui non ductâ uxore ad Clerum promoti sunt, jubemus, » si velint uxorem ducere, Lectores, & Cantores solos : « sive ut legit Dionysius Exiguus : *Sed Lectores, Cantoresque tantummodo.*

Et licèt Canones hi tribui nequeant Apostolis tanquam eorum auctoribus, eos tamen admodum antiquos, & primis seculis collectos fuisse, negari non posse videtur ; uti pluribus ostendi in tractu Historico Canonico in Canones *part.* 3. *cap.* 3. §. 3. huncque Canonem tanquam Apostolorum non tantùm citant, sed & tanquam fundamentum sui decreti assumpserunt seculo VII. Patres Concilii Trullani ; signum, quòd tunc temporis indubitata Canonis hujus auctoritas haberetur : » Quoniam » in *Apostolicis Canonibus* dictum est (inquiunt *Can. VI.*) eo» rum, qui non ductâ uxore in Clerum promoventur, solos » Cantores, & Lectores posse uxorem ducere, & nos hoc ser» vantes decernimus, &c. «

Siricius Papa Epistolâ ad Himerium Tarraconensem *cap.* 6. scribens de nonnullis Monachis, qui abjecto sanctitatis proposito nuptias ambibant, ait : *Quod & publicæ leges &* ECCLESIASTICA JURA *condemnant.* Ergo supponit Siricius jam tunc seculo IV. dum hæc scribebat, *ecclesiastica jura* hujusmodi sacrilegas nuptias condemnantia fuisse stabilita.

Similiter eodem seculo scribens ad Diodorum S. Basilius de viduo, qui sororem mortuæ suæ uxoris duxerat, atque hujusmodi matrimonium reprobans, ait : » Principio igitur, quòd » in ejusmodi rebus maximi momenti est, morem, qui apud » nos est, objicere possumus, quòd is legis vim habeat ; prop» tereà quòd sanctiones istæ à sanctis viris nobis sunt traditæ. «

XVIII. Plura alia antiquitatis testimonia, & exempla, quæ Ecclesiæ potestatem ponendi impedimenta matrimonii evincunt, per omnia secula deducit Gerbesius in citato Tractatu, *part.* 1. *cap.* 4. ostenditque hanc auctoritatem non accepisse Ecclesiam à principibus secularibus, sed à Christo, eamque jure proprio à primis seculis usque ad hæc tempora semper hac auctoritate usam fuisse ; eamque quodammodo necessariam esse, ut Ecclesiæ Pastores providere queant, quò Fideles matrimonium ita ineant, ut Sacramenti effectum, & finem ejus spiritualem assequantur ; quod argumentum doctè, & solidè proponit, & explicat *cap.* 2. una tamen ostendens, quòd hæc Ecclesiæ auctoritas, necnon auctoritatis exercitium nullatenus elidant, aut diminuant auctoritatem Principum in decernendis circa matrimonia suorum subditorum iis, quæ ad bonum politicum, & tranquillitatem Reipublicæ convenire judicaverint ; sed has duas potestates optimè convenire, modò utraque ad finem suum unicè collimet, & intra ea, quæ ad finem illum conducunt, se contineant.

XIX. Illud tamen fatetur, pluribusque exemplis demonstrat, penes Ecclesiam esse auctoritatem, leges civiles corrigendi, si forsan quidquam contra jus divinum, aut naturale in illas irrepserit ; quemadmodum circa leges permittentes divortium quoad viculum ob conjugis diuturniorem absentiam contigisse infra ostendemus.

XX. Igitur filum traditionis insecuta Synodus Tridentina rectè anathema dixit in eum, qui dixerit, » Ecclesiam non po» tuisse constituere impedimenta *dirimentia*, vel in iis consti» tuendi errâsse. «

XXI. Porrò si jure ecclesiastico positivo impedimenta dirimentia constitui queant, nihil etiam obstat, quòminus longâ consuetudine, quæ vim legis habet, similia induci possint ; illudque non obscurè innuit Pontifex in *Cap.* 1. ✠ *de Cognatione spirituali*, respondens, filios, & filias ante vel post compaternitatem genitos simul posse conjungi ; *nisi consuetudo Ecclesiæ, quæ scandalum generet, aliter se habere noscatur* (p).

Ex quo ulteriùs consequitur, quòd secundum diversas Ecclesiarum consuetudines, possint quoque esse varia impedimenta matrimonii. Sed tamen, quia non facilè inducuntur impedimenta

(o) *Illud in Galliis non accuratè diceretur. Constat enim plurimis ultimorum Regum Edictis jus apponendi impedimenta dirimentia à Monarchis Francorum XVII. seculo fuisse exercitum. Unum laudabo Edictum quod Ludovicus XVI. ann.* 1697. *edit. Ante illud tempus in quibusdam Galliarum Diœcesibus, quatuor menses habitationis in eadem Paræcia requirebantur ; in cæteris verò sex menses, ut quis coram Parocho ejusdem domicilii posset validum contrahere matrimonium. At Ludovicus XIV. Edicto ann.* 1697. *declaravit ad contrahendum validè Matrimonium domicilium non esse sufficiens, nisi per sex menses in eadem, vel diversa Paræcia contrahentes habitaverint, si essent ejusdem Diœceseos ; per annum verò si essent diversæ Diœceseos. Quapropter auctor Conferentiarum Paris. de Matrim.* tom. 3. lib. 4. Confer. 5. §. 1. edit. 1715. *observat his verbis* le domicile de six mois, ou d' un an pour être reputé Paroissien, doit empêcher ces sortes de Mariages (*contraires à cet article*) on doit meme les regarder comme nuls, parcequ' ils sont faits en fraude de la Loi par un Curé, qui n' est pas le propre Curé des Parties.

(p) *Anno* 1634. *Clerus Gallicanus in Comitiis declaravit veterem esse consuetudinem in Galliis, & legitima præscriptione stabilitam, ut Regiæ Sobolis Principes, præsertim viciniores coronæ hæredes, non possint sine Regis consensu Matrimonium contrahere.*

menta dirimentia ob multa incommoda, quæ ex dissolutione contracti matrimonii, vel ejus nullitate nata sunt oriri, etiam impedimenta per consuetudinem inducta potiùs *impedientia*, quàm *dirimentia* judicanda sunt: ni manifeste appareat, ea pro *dirimentibus* esse recepta, & ut talia vulgò haberi.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT I.

AN IMPEDIMENTUM, QUOD MATRIMONIO JAM CONTRACTO SUPERVENIT, ILLUD DIRIMAT. ET ITERUM EXPONITUR JUS PRINCIPUM IN APPONENDIS IMPEDIMENTIS.

1 *Statuitur quid de hujusmodi impedimentis sit sentiendum.*
2 *Sententia Gregorii II. vel III. exponitur circa impotentiam, quæ uni è conjugatis supervenit.*
3 *Adversatur Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, ut Gratianus docet.*
4 *Gratiani doctrinam amplexi sunt Theologi & Canonistæ.*
5 *Gregorii II. responsum conforme est menti Bonifacii summum Pontificem consultantis.*
6 *Locutum fuisse ex Cathedra Gregorium probabile est.*
7 *Principes seculares declarare non possunt dirimi Matrimonium per impedimentum subsequens.*
8 *Quæstioni de jure Principum in apponendis impedimentis adduntur quædam non superflua.*
9 *An olim, an hodie sit auctoritas penes Principes inducendi impedimenta Matrimonium dirimentia.*
10 *Sententia Petri Soto de re exponitur.*
11 *In Galia dicuntur Reges semper habuisse auctoritatem apponendi impedimenta.*
12 *Paucis contravertitur origo juris, quod Ecclesia habet apponendi impedimenta.*

I. QUod dictum est superiori capite, Matrimonium contractum cum impedimento dirimente esse nullum, sive impedimenta dirimentia matrimonium dirimere, intelligi debet de impedimento, quod erat inter desponsatos tempore initi matrimonii: non autem de impedimento post contractum matrimonium superveniente.

Indubitatum enim est, impedimentum quantumvis dirimens, post contractum matrimonium superveniens, nequaquam matrimonium contractum dirimere.

II. Legitur quidem, Gregorium II. rescripsisse Bonifacio Episcopo: » Quod proposuisti; si mulier infirmitate correpta » non valuerit viro debitum reddere, quid ejus faciat jugalis? » Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret; sed » quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, » *nubat* magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, » quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit:" Integra epistola extat *tom.* 6. Concil. General. *col.* 1448. & citata verba apud Gratianum *caus.* 32. *quæst.* 7. *can.* 18. sub nomine Gregorii III. sed Jacobus Sirmundus in nota huic Epistolæ subjecta observat, eam non esse Gregorii III. sed Gregorio II. adscribendam.

Fatendum est, Gregorium sive II. sive III. sàt apertè resolvisse, ob impedimentum *impotentiæ*, quod mulieri, stante matrimonio, infirmitate correptæ supervenerat, eatenus matrimonium dissolvi, ut, si vir ejus se non possit continere, alteri nubere queat.

III. Idipsum jam pridem notavit Gratianus, qui & propterea ad hunc Canonem monere non dubitavit: *Illud Gregorii sacris Canonibus, imò & Evangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ penitùs invenitur adversum.*

Et antiquus Glossographus ad citatum Canonem Gratiani, verbo *adversum* sibi objiciens, *quod Leo IV. dicta Gregorii minoris* (id est, II. vel III.) *sine exceptione mandavit tenenda*, respondet: *sed illud in aliis, in quibus benè dixit*: Evidenter supponens Gregorio in hoc responso *non benè dixisse.*

IV. Hanc Gratiani, atque Glossographi sententiam uno consensu amplexi sunt Theologi & Canonistæ sustinentes, matrimonium legitimè contractum nequaquam dissolvi ob alterius conjugis impotentiam supervenientem; neque liberum esse alteri conjugi ad alias nuptias, vivente conjuge impotente, transire.

V. Ex Præfatione hujus Epistolæ Gregorii ad Bonifacium insuper habemus, Bonifacium postulâsse à Gregorio Papa, non quid ipse Gregorius tanquam Doctor particularis de capitulis in Epistola propositis sentiret; *sed qualiter teneat vel doceat hæc Sancta Apostolica Romana Ecclesia.* Præterea ex eadem Præfatione habetur, Gregorium conformiter ad postulationem Bonifacii respondisse: Relato enim prædicto Bonifacii postulato, subjungit: » Benè satis, quia B. Petrus Apostolus, & Apostolatûs & Episcopatûs principium extitit: & consulenti de statu » Ecclesiæ, *non ex nobis, quasi ex nobis, sed ejus gratia, qui* » *aperit os mutorum, & linguas infantium facit disertas*, qua» liter tenere debeas Apostolici vigoris doctrinam dicimus."

VI. Expendere poterunt Theologi, num Gregorius non sit dicendus super capitulis à Bonifacio propositis, *respondisse ex Cathedra*? Præsertim, cùm hic Bonifacius à Gregorio II. missus esset ad convertendos populos, ubicunque eos reperiret, uti habetur ex Epistola III. hujus Pontificis: ut proinde, dum sic scripsit ad Bonifacium, scripsisse censeatur ad *universos*, ad quos instruendos Bonifacium miserat; & consequenter voluisse ab universis teneri circa dissolubilitatem matrimonii ob superveniens impotentiæ impedimentum, quemadmodum tenendum responderat ad Bonifacium.

VII. Quòd si Summi Pontifices jus non habeant declarandi impedimento superveniente post contractum Matrimonium, hoc esse irritum; nec Principes seculares possunt sibi illud privilegium vindicare; quippe illa declaratio foret contraria Evangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ, quæ immota manet, à jure enim, quod continet, nemo potest dispensare.

VIII. At non eadem occurrit difficultas, si agatur de impedimentis, quæ antecedunt Matrimonium, & de jure, quod in iis apponendis tribuitur Principibus secularibus. *Num.* 12. *&c. superioris capitis*, ea quæstio perpensa est: quædam addere juvat, quæ non erunt superflua.

IX. Ex Petro Soto aliisque *num.* 12. *cap. præced.* citatis probatum est, jam pridem auctoritatem inducendi impedimenta *dirimentia* matrimonia fuisse penes Principes seculares; quod & notavit Christianus Lupus in *Dissertatione* 1. *Proëmiali, cap.* 10. *præfixa tom.* 3. *Scholiorum in Canones*: » Etenim (ait) » matrimonium, non solùm est Christianum Sacramentum, sed » & civilis contractus, unde dirimentia impedimenta statuere » dudum sibi arrogarunt, ac reservârunt Christiani Romanorum » Augusti; posterioribus duntaxat seculis Ecclesia fuit nacta is» tam potestatem: hinc antiqui Patres, & Canones rarò istorum » impedimentorum, utpote ad suam potestatem non spectantium, » ex professò meminerunt."

X. Itaque ex sententia hujus Auctoris, primaria auctoritas inducendi impedimenta dirimentia matrimonium residet penes ipsos Principes seculares, utpote ad quorum jurisdictionem ipsum matrimonium tanquam contractus civilis præcipuè pertineat; ita nonnisi (si huic Auctori credimus) auctoritatem inducendi similia impedimenta Ecclesia posterioribus seculis nacta videatur.

Quapropter, quod *n.* 17. probatum fuit, Ecclesiam à primis seculis posuisse impedimenta matrimonii, ex sententia hujus Auctoris intelligi debet, de impedimentis duntaxat *impedientibus*, non autem dirimentibus matrimonium.

Et sanè aliud est, Regulas præscribere fidelibus, juxta quas ipsum matrimonium oporteat à Christianis honestè, & juxta Legem Evangelicam contrahi; & aliud est, ipsum contractum civilem *irritum* reddere: vel ea præscribere, quæ eum etiam in foro externo invalidum, & sine effectu redderent.

Quis enim ambigat, quin Ecclesia, ejusque Episcopi, & Pastores potuerint fidelibus præscribere, eosque instruere, quomodo de rebus suis temporalibus juxta legem justitiæ, & charitatis disponere debeant; vel quid justitia, & charitas christiana ab ipsis in hac dispositione requirat, licèt contractus ipsos civiles irritos reddere, aut legem eos dirimentem præscribere nunquam sibi asseruerint Pastores Ecclesiæ; sed id Principibus secularibus reliquerint, ad quorum jurisdictionem has rerum temporalium dispositiones propriè spectare sciebant.

XI. In Gallia ministri regii auctoritatem inducendi impedimenta *dirimentia* penes Reges semper fuisse, & etiamnùm hodie esse accerrimè propugnant tanquam jus coronæ Principis indivulsè annexum.

Unde cùm quidam Theologus Parisiensis in thesibus vesperiarum, hanc auctoritatem negâsse videretur; inserendo hanc propositionem: *Non audiendus quisquis hanc potestatem Ecclesiæ eripit, ut Pricipibus secularibus eam attribuat.* De hac thesi tanquam Auctoritati Regiæ, & doctrinæ Ecclesiæ Gallicanæ opposita, querelas ad Parlamentum detulit Procurator Regius; eâque occasione Advocatus Regius amplum discursum pro adstruenda hac Regia Auctoritate, coram Regio Parlamento pronuntiavit.

Hic discursus integer unà cum discursu Præsidis Parlamenti insertus habetur in notis Gallicis super Concilio Trident. *pag.* 316. editionis 1706.

XII. Quidquid sit de hac Gallorum opinione, nequaquam dubitamus, quin Ecclesia habeat auctoritatem similia impedimenta inducendi, prout per Concilium Tridentinum definitum est *Canone* 4. *de Sacramento Matrimonii.*

Sed & hoc fatendum est, Concilium non definivisse, utrum ex *Christi* institutione, vel utrum ex *Principum* indulgentia tacita vel expressa, hæc auctoritas inducendi impedimenta dirimentia Ecclesiæ competat: quod postremum post Petrum Soto supra *cap.* 1. *num.* 12. relatum credidisse videtur Christianus Lupus n. 9. & 10. hujus supplementi.

CA-

CAPUT II.

De Impedimentis impedientibus; ac signanter de *tempore clauso*, et *Ecclesiæ interdicto*.

1 *Olim frequens erat graviorum criminum pœnitentia, perpetua matrimonii interdictio.*
2 *Quædam species incestûs inter ea crimina computata.*
3 *Item mulieris adulterium, & uxoricidium.*
4 *Crimina pœnitentiæ* publicæ *subjecta saltem temporale impedimentum inducebant.*
5 *Aliquod hujus disciplinæ vestigium superest in Hispania.*
6 *In plerisque orbis partibus impedimenta* impedientia *ex crimine abolita sunt.*
7 *Hodierna impedimenta* impedientia.
8 *Impedimentum temporis* clausi *provenit ex positivo Ecclesiæ interdicto.*
9 *Interdum aliud est à judice, aliud à lege; hujus species est tempus* clausum.
10 *Celebratio nuptiarum diebus* pœnitentiæ *conveniens non videtur.*
11 *Varietas Ecclesiarum circa hoc impedimentum proveniebat ex varietate circa tempora jejuniorum.*
12 *Decretum Concilii Tridentini de hoc impedimento.*
13 *Synodus Trident. novas nuptiarum prohibitiones non induxit.*
14 *Tempore* clauso *vetitæ solemnes nuptiarum benedictiones; item nuptialia convivia.*
15 *An traductio uxoris ad domum viri tempore clauso sit vetita.*
16 *Quid de actu conjugali; & qualiter de hoc coram populo disserendum.*
17 *An contractus matrimonialis sit simpliciter vetitus tempore clauso.*
18 *In hoc impedimento Ordinarius dispensare potest.*
19 *Hoc impedimentum aliquando fuit* dirimens; *at hodie tantum* impediens.
20 *Interdictum judicis ponit impedimentum impediens.*
21 *Interdictum Episcopi, aut etiam Synodi Provincialis, non irritat matrimonium.*
22 *Judex ob suspicionem impedimenti dirimentis inter Desponsos interdicens, non ponit impedimentum* dirimens.
23 *Parochus contra interdictum assistit* validè, *licèt etiam specialiter ei esset interdictum.*
24 *Quid de Vicario, aut Diservitore.*

I. IMpedimenta *impedientia*, quæ nimirùm matrimonium contrahi impediunt, sed contractum non *irritant*, plura leguntur in antiquis Canonibus.

Erat enim hæc pœna olim in Ecclesia frequentissima, ut qui atrox aliquod crimen admisissent, nuptiis impedirentur; ne vel ipsi delicatiùs viverent, vel ex illorum stirpe infecta filii ejusdem criminis suspicione notati nascerentur, ait Ferdinandus Mendoza *de Confirm. Concilio Eliberitano, lib. 2. cap. 21.*

II. Hujusmodi crimen erat incestus cum sua privigna, sive filia uxoris in alio matrimonio procreata; uti habetur in *Cap. 3. ✠ de eo qui cognovit consaguineam uxoris suæ*; & in *Can. 20. caus 33. q. 1.* additurque: » Seu cum duabus sororibus, aut si » qua cum duobus fratribus, seu cum patre, & filio, si quis » relictam fratris, si quis neptem, aut novercam, aut nurum, » aut consobrinam, aut filiam avunculi, aut ejus relictam, aut » privignam polluerit, eos disjungi, & ulteriùs *nunquam* con» jugio copulari præcipimus. «

III. Rursus *Canone* 22. dicitur, quòd *adultera* nubat *nunquam, etiamsi mortuus fuerit vir ejus: omnibus tamen diebus vitæ suæ acerrimæ pœnitentiæ lamenta persolvat.*

Videmus quoque occisori uxoris suæ inter cætera pœnitentiæ exercitia injungi, *uxorem* NUNQUAM *ducere*, Can. 8. caus. 33. quæst. 2.

IV. Uno verbo, crimina publicæ pœnitentiæ subjecta, matrimonii impedimentum, saltem pro tempore peragendæ pœnitentiæ secum trahebant, *Can. 12. caus. 33. q. 2.* & *Can. 5. eod.* in quo Nicolaus I. ita argumentatur: » Interfectores suarum » conjugum sine judicio.... quid aliud habendi sunt, quàm ho» micidæ, ac per hoc ad pœnitentiam redigendi? Quibus pœ» nitùs conjugium denegatur. «

V. Ad hanc disciplinam reflectens Mendoza loco citato, eamque confirmans auctoritate Leonis M. & Concilii Toletani VI. *Can. VIII.* subjicit: » Quod & hodie observatur in » his, qui ob crimen violatæ Religionis, ab Inquisitoribus hæ» reticæ pravitatis *perpetuâ pœnitentiâ* puniuntur. «

VI. In Gallia verò, uti & in plerisque orbis Christiani Provinciis impedimenta *impedientia* ex *crimine* provenientia, penè nota non sunt, quemadmodum notat ex Cabassutio Gaspar Juenin *de Sacramento Matrimonii, quæst. 7. cap. 13. art. 3.* neque in Belgio ullus eorum usus noscitur.

VII. Hinc hodierna impedimenta *impedientia* hoc solent versiculo exprimi:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum.
Atque Catechismus, sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

De Sponsalibus titulo præcedenti *cap. 1.* actum est: de Catechismo autem agetur unà cum cognatione spirituali: de *Voto* verò, prout impedimentum *impediens* constituit, tractabitur ubi de *voto solemni* sive *dirimente* matrimonium agetur.

VIII. Tempus feriarum ex sola prohibitione Ecclesiæ impedimentum matrimonii constituit; neque enim jus naturale, aut divinum contractum matrimonialem ad ullos dies astringit; aut dies ullos, quibus nuptiæ celebrari non possunt, definivit; sed circa hæc omnis disciplinæ à positivo Ecclesiæ decreto dimanat; ideoque quod sit tempus hoc impedimentum constituens, ex positivo Ecclesiæ interdicto desumendum est.

IX. Quare cùm aliqua interdici queant, vel per legem generalem, vel per particulare judicis vel Superioris præceptum, aut sententiam; inde passim Canonistæ concludunt, Interdictum Ecclesiæ circa matrimonia intercedere posse, vel per legem seu Canonem, vel per judicem seu Superiorem matrimonium contrahere prohibentem.

Per Legem, seu Canonem, quando generaliter omnibus certo tempore matrimonium, seu nuptiæ celebrari vetantur; vocarique hodie solet *tempus clausum.*

X. Quemadmodum Patribus jam pridem visum fuit, quòd pœnitentibus nec actus conjugalis, nec nuptiarum celebratio conveniret, ita nec hæc diebus pœnitentiæ, & luctus convenientia judicârunt.

Synodus Laodicæna *Can. LII.* ait: » Non oportet in Qua» dragesima, aut *nuptias* vel quælibet natalitia celebrare. « Apud Gratianum *caus. 33. q. 4. Can. 8.* qui ibidem alios nonnullos in eandem rem refert.

XI. Quin & ibidem refert *Can. X.* ex Concilio Ilerdensi: » Non oportet à Septuagesima usque in Octavas Paschæ, & » tribus hebdomadibus ante festivitatem Sancti Joannis Baptistæ, » & ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam *nuptias* cele» brare. Quod si factum fuerit, separentur. «

Ad hunc Canonem reflectitur in *cap. 4. ✠ de Feriis*, ubi quæstio proponitur, quomodo tres hebdomadæ ante festum S. Joannis, de quibus in citato Canone, essent computandæ; responditque Pontifex, consuetudinem singularum Ecclesiarum in hac computatione esse sequendam.

Pro intellectu hujus Decretalis, & responsi Pontificis notandum, olim ante festum S. Joannis Baptistæ fuisse speciem quandam Quadragesimæ; at variam pro diversitate Ecclesiarum, de qua tractat Filefacus in suo opusculo *de Quadragessima Christiana, cap. 3.*

Quia verò varia erat in variis Ecclesiis circa tempora *jejuniorum* disciplina; erat quoque circa *tempus clausum*, sive *Feriatum*, quo nuptiarum celebratio interdicebatur, varia disciplina; nam hæc illi quasi correspondebat.

XII. Synodus Tridentina *Sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 10.* eam Ecclesiarum varietatem ad uniformitatem reduxit; ac unà Canonum rigorem quoad prolixitatem *temporis clausi* nonnihil mitigavit. » Ab Adventu Domini nostri Jesu Christi » (ait) usque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum us» que in Octavam Paschatis inclusivè antiquas solemnium nup» tiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta » Synodus præcipit: in aliis verò temporibus nuptias solemni» ter celebrari permittit. «

Cumque hanc Ecclesiæ prohibitionem Hæretici nostri temporis tanquam superstitiosam rejicerent, Synodus Tridentina *Can. XI.* eadem Sessione eum Hæreticorum errorem proscripsit his verbis: » Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nup» tiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam » ab Ethnicorum superstitione profectam.... anathema sit. «

XIII. Notandum, quòd Synodus Tridentina nullam hoc suo decreto novam prohibitionem induxerit; sed tantùm *antiquas solemnium* nuptiarum prohibitiones, certis temporibus suo decreto expressis, diligenter ab omnibus observari præceperit. Unde pro intellectu hujus decreti ad *antiquas* prohibitiones potissimum recurrendum est.

Igitur ex ipsis antiquis Canonibus eruendum est, quid nomine *solemnium* nuptiarum intelligat Synodus Tridentina.

XIV. Hanc difficultatem discutiens post alios Theologos & Canonistas Prosper Fagnanus ad *Cap.* CAPELLANUS *✠ de Feriis*, ait *num. 6.* Conveniunt omnes his temporibus prohibitas esse nuptiarum benedictiones, de quibus habetur *Can.* LICET *Caus. 30. quæst. 5.* ibi: *Sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus, & oblationibus à Sacerdote benedicetur.* Et in Concilio Tridentino *cap. 1.* ibi: *Benedictionem in templo suscipiendam.*

Deinde *num. 7.* ait: » Similiter nuptialia convivia his tem» poribus Feriarum prohiberi, satis constat ex *Can.* NEC UXO» REM, *Caus. 33. quæst. 4.* ibi: *Nec convivia facere.* « Hæc ille.

XV. Et ulteriùs *num. 7.* » Sed traductionem uxoris ad do-» mum viri his temporibus esse interdictam, satis liquet ex dic-» to *Canone* NEC UXOREM, nam verba illa, *nec uxorem ducere* » communiter exponuntur, id est, *Traducere*... Rationem » reddit D. Thomas *in IV. Sent. Dist.* 32. *quæst.* 1. *art.* 5. » *quæst.* 4. Quia quando novæ sponsæ traducuntur, animus » conjugum magis ex ipsa novitate ad curam carnalium occu-» patur, & ideò in nuptiis consueverunt signa multa lætitiæ dis-» solutæ ostendi, & propter hoc illis temporibus, in quibus ho-» mines præcipuè debent se ad spiritualia elevare, prohibitum » est nuptias celebrari. «

XVI. Nec tantùm traductionem, quæ fit cum solemnitate; sed quamcunque traductionem uxoris ad domum viri temporibus hisce vetitam esse, sustinet; idque potissimum eo fundamento, quod temporibus illis vetita sit *matrimonii consummatio*; uti ibidem fusè adstruere conatur; atque pluribus pro hac opinione adductis auctoribus concludit: » ex quibus patet hanc » esse unanimem Canonistarum sententiam, quam etiam tenue-» runt ex Theologis Petrus de Palude, Cardinalis Cajetanus, » S. Antoninus, & alii relati à Sanchez; eamque probavit Sa-» cra Congregatio Concilii: nam proposito dubio, an matri-„ monium coram Parocho quocunque tempore contrahi possit? „ Sacra Congregatio censuit posse contrahi matrimonium *quo-„ cunque* tempore; sed temporibus comprehensis in *Cap.* 10. „ *Sess.* 24. *de Reform. Matrim.* nuptiarum solemnitates, tra-„ ductiones ad domum, & carnalem copulam prohiberi. " Hæc Fagnanus.

Quidquid sit de hac sententia, attentâ Canonum antiquorum rigorosâ expressione, hoc certum est, hodie dictis temporibus nequaquam vetitum esse actum matrimonialem; sed ad summum *consilii* esse eis temporibus abstinere; ut mente elatiore, & à carnalibus voluptatibus magis liberâ vacent orationi, & pietatis exercitiis; qua de re interdum suos subditos Parochus monere potest; ac magnâ cautela hîc opus est, præsertim coram multitudine, cui homines carnales solent esse immixti, qui spiritualia hæc minimè intelligentes, sed carnalia sapientes, facilè monitionem hanc in risum converterent; & occasionem libidinosa quæque effutiendi inde arriperent.

XVII. Adhæc, quamvis inspectis nudis verbis Canonum, & Concilii Tridentini non appareat, temporibus designatis absolutè esse vetitus contractus matrimonialis coram Parocho, & testibus sine solemni benedictione, aliisque pompis, aut solemnitatibus; quemadmodum multis probat Sanchez *de Matrimonio*, *lib.* 7. *disp.* 71. nihilominus de consuetudine Belgii non solemnes nuptiæ duntaxat, sed etiam simplex contractus matrimonialis vetitus censetur. Hanc consuetudinem clarè supponit Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 10. *cap.* 8. ubi statuit: „Tem-„ pus clausum diligenter observetur: & si quando ex legitima „ causa aliqui ad matrimonium tunc contrahendum per Ordina-„ rium admittantur, abstinendum tamen erit à solemnitatibus „ nuptialium conviviorum, choreis, sponsarum publicis tra-„ ductionibus, & similibus, quæ temporis sanctitati repugnant; „ à quibus similiter abstinendum erit, etsi matrimonium antea „ contractum fuerit, sub pœna arbitraria. "

Ratio hujus inductæ consuetudinis ea fuisse videtur, quòd Belgica consuetudo in Synodis sæpiùs probata habeat, nuptias semper eodem tempore esse in Ecclesia publicè benedicendas, quo contrahuntur; uti titulo præcedenti *cap.* 4. dictum est: ideoque cùm Canones, & Synodus Tridentina *tempore clauso* fieri *benedictiones* nuptiarum prohibeant, consequens visum fuit, etiam prohibitum esse contractum matrimonialem iis in regionibus, ubi contractus ille sine hujusmodi benedictione iniri vetatur.

XVIII. Supponit insuper citata Synodus, contra hanc temporum prohibitionem per Ordinarium dispensari posse; quod quotidiana etiam praxis probat; quamvis de jure communi Ordinarium dispensare non posse, nonnulli sustineant; uti advertit Zypæus, post Sanchez, in Jure novo, titulo, *de Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ*, *num.* 6.

XIX. Ulteriùs consuetudo non tantùm Belgica, sed & universalis Ecclesiæ, ita hanc prohibitionem interpretatur, ut matrimonium quidem *illicitè* contra eam ineatur; sed non *invalidè*, id est, ut constituat quidem impedimentum *impediens*, sed non *dirimens*; quamvis ex Antiquis nonnulli aliter censuerint, uti monet Glossa ad *Canonem* 7. *caus.* 33. *quæst.* 4. quin & Christianus Lupus *tomo* 4. *Scholiorum in Canones*, *pag.* 43. ait: » Quòd contractum extra tempora conjugium fuerit olim *subs-» tantialiter nullum*, fateor cùm S. Petro Damiani. « Hîc rursum apparet, quid etiam consuetudo circa impedimenta matrimonii valeat; possitque de dirimente facere impediens.

XX. Quemadmodum Canones nuptias celebrari certis temporibus jam pridem vetuerunt, ita ob causas varias intercurrentes, potest judex Ecclesiasticus matrimonium inter certas personas ad tempus saltem interdicere; de quo interdicto agitur sub titulo Decretalium *de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ*.

Hæc judicis prohibitio si justa fuerit, indubiè servanda est, & ei contraveniens puniendus; sed tamen ipsum matrimonium non irritat, quemadmodum dedicitur in *cap.* 1. 2. & 3. *dicto ti-» tulo*: » Licet enim (ait *cap.* 2.) contra interdictum Ecclesiæ » ad secunda vota transire non debuerint, non est tamen con-» veniens, ut ob id solum Sacramentum conjungii *dissolvatur* » alia tamen pœnitentia eis debebit imponi, quia contra pro-» hibitiones Ecclesiæ id fecerunt. «

XXI. Si Episcopus, aut etiam Synodus Episcopalis, vel Provincialis matrimonium quacunque formula verborum interdixerit, interdictum quidem *illicitum* reddere matrimonium non tamen *invalidum*, apud omnes in confesso est; eò quòd juxta modernam Ecclesiæ disciplinam nemo Pontifice inferior impedimentum *dirimens* inducere queat (q).

XXII. Si judex ob fundatam suspicionem consanguinitatis alteriusve impedimenti dirimentis inter conjungendos intercedentis, conjungi vetuerit, donec cognitum fuerit, an impedimentum subsit, si contra interdictum conjuncti sint, poterunt indubiè per pœnas, imò interdictum & censuras adigi, ut à se mutuo separentur, quousque legitimè cognoscatur, utrum eorum matrimonium possit, & debeat jure stare, ut respondit Pontifex in citato *Cap.* 3.

Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 10. *cap.* 4. vult, ut » impedimento aliquo denuntiato, vel matrimonio Desponsorum » oppositione aliqua facta, non priùs ad ulteriores proclama-» tiones, aut matrimonii solemnizationem Parochos procedat, » quàm re ad Ordinarium, vel Vicarium ejus, aut Officialem » delata, ab eodem intellexerit quid facere debeat. «

XXIII. Ulteriùs contra hoc interdictum illicitè matrimonio assistet Parochus; si tamen adstiterit, matrimonium coram eo, & testibus contractum, non obstante hoc interdicto validum erit, nisi aliud impedimentum dirimens inter contrahentes subesse inveniatur.

Imò tametsi Episcopus specialiter inhibuisset, ne huic matrimonio individuo Parochus assisteret; nec ulli alteri Sacerdoti licentiam assitendi daret; nihilominus validum erit matrimonium coram Parocho, aut Sacerdote ab eo delegato contra Episcopi interdictum contractum; uti post Sanchez *de Matrimonio*, *lib.* 3. *disp.* 32. advertit Zypæus *loco citato num.* 7.

XXIV. Idem erit tametsi tantùm esset Vicarius ad nutum amovibilis, modò tamen esset loco Parochi ad integram curam animarum; quemadmodum declarâsse S. Congregrationem refert Sanchez ibidem; idque ideò, quia non obstante hac simplici prohibitione manet delegatus ad curam animarum, & loco Parochi; cui consequenter competit jus assistendi matrimonio; aliud esset, si Episcopus non tantùm simpliciter interdiceret assistere huic matrimonio, sed eum utpote ad nutum amovibilem, à cura animarum amoveret, uti rectè monet Zypæus loco allegato.

CAPUT III.

De Impedimento erroris et conditionis.

1 *Error alius antecedens, alius concomitans.*
2 *Aliquando error est circa personam, aliquando circa qualitatem.*
3 *Error circa personam semper dirimit matrimonium.*
4 *Error qualitatis non solet matrimonium dirimere.*
5 *Error qualitatis, quando censeatur redundare in* personam.
6 *Error qualitatis faciliùs in sponsalibus, quàm matrimonio censetur* redundare in personam; *& quare.*
7 *Ob errorem qualitatis hodie non solent matrimonia dirimi.*
8 *Conditio* servilis *apud Romanos dirimebat matrimonium, si voluntas Dominorum non adesset.*
9 *Multis seculis idem impedimentum agnovit Ecclesia.*
* *Qua occasione mutata est disciplina circa impedimentum conditionis servilis.*
10 *Impedimentum hoc usque ad seculum XII. videtur durâsse.*
11 *Hodie conditio servilis non dirimit, nisi* error *interveniat.*
12 *Error conditionis servilis dirimit matrimonium, etiam non redundans in personam.*
13 *Belgium servos non agnoscit.*

I. DUo hæc impedimenta simul jungi, & explicari solent, eò quòd alterum sub altero quodammodo contineatur: error namque generatim hîc sumptus etiam errorem *conditionis* comprehendit.

Pro intellectu impedimenti *Erroris* notandum, Errorem esse duplicem: nimirùm *antecedentem* & *concomitantem*, uti Theolo-

(q) *Hanc prærogativam soli summo Pontifici non tribuunt Galli, requirunt insuper Cleri Gallicani, & Principis consensum.*

logi loquuntur ; vel ut Jurisperiti loqui amant , dantem causam contractui , & in eum incidentem.

Antecedens enim vocatur , qui est causa actus ; ita ut si erratum non esset , reverà actus positus non fuisset ; unde eleganter Juris-Consulti hunc errorem, si cum dolo conjunctus fuerit , vocant dolum *dantem causam* contractui.

Error concomittans dicitur , qui non inducit ad agendum; sed ita concomitatur actum , ut eo non existente , propterea non fuisset omissus , atque ita rectè apellatur à Juris-Consultis error *incidens* ; & dolus conjunctus , dolus *incidens*.

II. Porrò error in matrimonio contingere potest , vel circa personam , vel circa qualitatem personæ , vel ejus conditionem.

Error circa personam est , quando unus Contrahentium errat in persona , cum qua contrahere intendit ; credens nimirùm per errorem aliam esse personam , cum qua contrahit , quàm reverà est.

III. Error hic circa personam omnium consensu dirimit matrimonium *jure naturæ* ; etiamsi error non sit conjunctus cum ullo dolo partis alterius , idque sive sit *antecedens* , seu dans causam contractui ; sive solùm *concommitans* sive *incidens* in contractum.

Licèt enim error *incidens* non causet absolutè , & positivè *involuntarium* ; impendit tamen fuisse tempore contractus possitivè voluntarium consensum in personam , quia non potuit actu fuisse volitum , quod ignoratum , & incognitum fuit.

Ut autem matrimonium sit jure naturæ validum , non sufficit, quòd in personam consensisset , si novisset eam fuisse præsentem ; sed requiritur , ut *possitivè* consenserit , & cum ea contraxerit.

IV. Error qualitatis est quando in certa qualitate personæ erratur , V. G. creditur esse nobilis , qui est ignobilis , aut dives qui est pauper , &c.

Hic error ordinariè , sive sit antecedens , sive incidens, non dirimit matrimonium , nisi annexum habeat errorem personæ ; sive ut vulgo loquuntur , *redundet in personam.*

Dum enim error duntaxat versatur circa aliquam qualitatem personæ , nullatenus tollit consensum matrimonialem , sive consensum circa substantialia contractus matrimonialis. Cùm enim talis qualitas non sit necessaria ad contractum matrimonialem ; nec essentiam ejus intret , error hic relinquit sufficiens voluntarium circa *essentialia* ipsius contractus ; adeoque ipsum contractum defectu necessarii consensus involuntarium reddere nequit.

V. Si autem error ille impediret unà consensum in personam , tunc indubiè ipsum matrimonium dirimeret , non tanquam error *qualitatis* , sed tanquam error *personæ* ; diciturque hic error qualitatis redundare *in personam.*

Tunc autem error circa qualitatem dicitur redundare *in personam* , quando animus contrahentis sic fertur in certam qualitatem , ut implicitè nolit personam , si ipsi desit qualitas , in qua errat. Exemplum assignat S. Thomas *in VI. Sent. Dist.* 30. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 5. si Principi offeratur filia tanquam primogenita & hæres regni. Solet enim illius animus ita ferri in hanc qualitatem , ut si circa illam sit error , nolit istam personam : vel potiùs quia juxta prudens judicium judicare debet , quod censeatur noluisse illam filiam hac qualitate destitutam , nam in hujusmodi , dum exteriùs nihil exprimitur , potiùs examinandum est , qui juxta prudens judicium quispiam censeatur nolle , aut velle , quàm quid re ipsa nolit , aut velit.

VI. Quandonam autem juxta prudens judicium quis censeatur non velle personam , si huic desit qualitas , circa quam errat, frequenter est incertum.

Hoc porrò certum est , censendum esse juxta prudens judicium , multò faciliùs contrahentes sponsalia , aliosve civiles contractus suspendere suum consensum ab aliqua qualitate personæ , aut rei , quam contrahentes matrimonium.

Ratio hujus differentiæ est : quòd cùm matrimonium sit contractus completus , qui consensum de præsenti , & absolutum præfert , difficillimè admittat conditiones hujusmodi implicitas: secus quoad sponsalia de futuro ; quæ cùm exprimant tantùm consensum in actum futurum , faciliùs conditiones tales admittunt.

Adhæc cùm matrimonium sit contractus ex natura sua indissolubilis , & maximi momenti , haud facilè præsumendum , quòd contrahentes voluerint ab aliqua qualitate *accidentali* consensum suum dependere.

VII. Neque hodiè ob errorem qualitatis matrimonia dissolvi videmus , quin autem consuetudo Regionis hîc quoque attendenda sit , non dubium ; cùm contrahentes præsumantur se consuetudini loci conformare ; & contractus ex ipsa consuetudine receptà interpretationem accipere soleant.

VIII. Conditio , quæ inter impedimenta matrimonii refertur , intelligitur conditio *Servilis.*

Apud Romanos hæc conditio matrimonium eo sensu dirimebat ; ut *Servitus* sive conditio servilis contractum matrimonium dirimeret ; atque inter personas conditionis servilis non matrimonium , sed contubernium esse censebatur *L.* 14. *ff. de ritu Nuptiarum* ; maximè verò si *ignorantibus* , aut *invitis Dominis* matrimonium contraheretur.

IX. Cùm autem Ecclesia nata , & adulta sit in Imperio , & Republica , non Respublica in Ecclesia , ut loquitur Optatus Milevitanus , ipsa quantùm fieri poterat , se Legibus Reipublicæ conformabat ; ne ipsa lex Evangelica Rempublicam turbare videretur.

Hinc primitùs Ecclesia conjugia inter personas conditionis servilis pro nullis habuit ; atque dirimi permisit , si consensus Dominorum non intervenisset; ut est apud Gratianum *Caus.* 29. *q.* 2. *Can.* 8. ubi ex Concilio Cabilonensi II. refertur : » Nobis » visum est , ut conjugia Servorum non dirimantur , etiamsi di» versos Dominos habeant , sed in uno conjungio permanentes, » Dominis serviant suis ; & hoc in illis observandum est , ubi » legalis conjunctio fuit , & per *voluntatem Dominorum.*" Et apertiùs S. Basilius in Epistola Canonica ad Amphilochium *Canon.* 42. » Quæ sine iis , qui habent potestatem , fiunt matrimo» nia , sunt fornicationes. Vivente ergo patre vel *Domino* , ii, » qui conveniunt , non sunt ab accusatione liberi , donec con» jugio Domini annuerint ; tunc enim firmitatem accipit con» jugium."

Hîc videmus quo modo Ecclesia impedimentum dirimens per leges inductum , etiam probaverit , quemadmodum suprà notavimus."

* Ex dictis constat pluribus seculis Ecclesiam conformiter ad Leges civiles matrimonia servi cum ingenua , aut ingenui cum serva reputâsse irrita , licèt error *conditionis servilis* nullus intervenisset : ac circa seculum XII. impedimentum hoc cœpisse refundi in *errorem conditionis servilis.*

Huic mutationi disciplinæ occasionem dedit Apocryphum decretum , quod sub nomine Lucii Papæ retulit Gratianus *causa* 29. *quæst.* 2. *Can.* 1.

Hoc enim decreto æquè indissolubile pronuntiatur matrimonium servorum , ac ingenuorum : quod Decretum conciliare volens Gratianus cum aliis , quæ ejusmodi matrimonia irrita supponebant , distinctionem adhibuit inter *scienter* , *& ignoranter* cum personis servilis conditionis contrahentes.

Hac Gratiani auctoritate permoti Pontifices , eâ distinctione in suis responsis passim usi fuêre : quæ postmodum in Decretales Gregorii X. relata , Canonistas , necnon Theologos Scholasticos promoverunt eadem distinctione uti ; atque ita sensim hæc distinctio recepta fuit.

Ex hoc intelligitur , quantæ auctoritatis fuerit Decretum Gratiani ; ut per distinctionem ab ipso primùm propositam, tandem impedimentum dirimens inter personas conditionis servilis , etiam *invitis* dominis per leges civiles primitùs inductum, & tandem etiam ab Ecclesia probatum , & receptum , fuerit restrictum ad casum , quo circa conditionem servilem *error* intervenisse probatur.

X. Videtur impedimentum illud durâsse usque ad seculum XII. aut circiter : Nam in *Cap.* 1. ✠ *de Conjugio Servorum*, refertur consultatio Archiepiscopi Salisburgensis super matrimoniis Servorum , quæ invitis , & contradicentibus Dominis contrahuntur ; responsumque Adriani Papæ in hæc verba : » Sa» nè juxta verbum Apostoli , sicut in Christo Jesu , neque li» ber , neque servus est à Sacramentis Ecclesiæ removendus , ità » nec inter Servos matrimonia debent nullatenus prohiberi : & » si contradicentibus Dominis , & invitis contracta fuerint, nul» la ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen , & » consueta servitia non minus debent propriis Dominis ex» hiberi."

Quamvis in nostra hodierna Decretalium collectione non notetur quis fuerit hic Archiepiscopus Salisburgensis , qui Papam consulit , in appendice tamen ad Concilium Lateranense sub Alexandro III. *parte* 45. *cap.* 7. exprimitur *Eborardus*, qui rexit dictam Ecclesiam anno 1145. usque ad annum 1164. uti notavit Gonzalez in notis ad hoc Capitulum.

XI. Hinc patet eo tempore nondum ubique indubitatum fuisse , nùm inter personas servilis conditionis consisteret matrimonium *invitis* Dominis : unà tamen constat illum impedimentum jam tùm cœpisse abrogari , & hodie certum est , conjugia hujusmodi valere ; ea tamen moderatione , quæ in hac Decretali adjicitur : » Debita tamen , & consueta servitia non minus debent propriis Dominis exhiberi."

XII. Et hoc quidem si personæ conditionis servilis inter se contrahant , aut etiam una libera , & altera serva ; modò illa non fuerit ignara conditionis servilis.

Si enim error sit circa *conditionem* , hoc est , si filia liberæ conditionis contrahat cum homine *servo* , quem credebat esse *liberum* , hujusmodi error , licèt non redundet in *errorem personæ* , dirimit matrimonium ; liberumque est parti deceptæ, postquam error detectus est , aliud matrimonium contrahere, quemadmodum respondit Innocentius III. in *C. fin. eod.*

Hanc dirimendi vim huic *errori* jure merè positivo competere , una est Canonistarum , & Theologorum opinio; & veri-

similiter Legum Romanarum & antiquorum Canonum, quæ servorum conjugia ægrè admiserunt, reliquiæ sunt.

XIII. Quidquid sit, hodie hoc impedimentum in hisce, ac vicinis Provinciis parum usui venit; eò quòd servos hîc non agnoscamus; imò servos in Gallia, & Belgio beneficio regionis liberos fieri notat Zypæus *in Notitia Juris Belgici, tit. de servis, num.* 4. (r)

CAPUT IV.

De Impedimento Voti, & Ordinis.

1 *Canones semper improbârunt matrimonium contra votum castitatis initum.*
2 *Idipsum per Leges improbatum.*
3 *Virginum, aut Monachorum matrimonia non videntur olim fuisse invalida.*
4 *Sanctus Agustinus ea esse valida sustinuit.*
5 *Quid hîc senserit S. Bernardus.*
6 *Ex hodiernis moribus non rectè judicatur de Monachis primæ ætatis.*
7 *Quando cœperit distinctio inter votum* simplex, *&* solemne *ad dirimendum matrimonium.*
* *Gratianus videtur dedisse occasionem hujc distinctioni.*
8 *Seculo XII. ea distinctio recepta fuisse videtur.*
9 *Nondum definitum erat, in quo consisteret* solemnitas *voti ad dirimendum matrimonium.*
10 *Id definivit Bonifacius VIII.*
11 *Hodie externa* solemnitas *non sufficit ad dirimendum matrimonium.*
12 *Qua ratione* solemnitas *voti sit ex sola Constitutione Ecclesiæ.*
13 *Rectè definivit Synodus Tridentina vota solemnia dirimere matrimonia.*
14 *Synodus non definivit, quo ex capite Ordo dirimat matrimonium.*
15 *Rationes morales, ob quas matrimonium Clericis sit interdictum.*

I. TAm mulieribus, quàm viris voto castitatis obstrictis, semper interdictum fuisse matrimonium, in quantum ipse usus matrimonialis contrarius est voto castitatis, extra dubium est.

» Si nupserit virgo non peccat, non illa virgo, quæ semet » Dei cultui dedicavit. Harum enim si qua nupserit, habebit » damnationem, quia primam fidem irritam fecit « ait S. Hieronimus apud Gratianum *Dist.* 27. *Can.* 5.

Et Synodus Calchedonensis *Can. XVI.* » Si qua virgo se » dedicavit Deo, similiter Monachus, non licet eis nuptiis jun- » gi, si verò inventi fuerint hoc facientes, maneant excommu- » nicati. Statuimus verò eis posse fieri humanitatem, si ita pro- » baverit Episcopus loci. « Ita apud Gratianum *Caus.* 27. *q.* 1. *Can.* 22. ex versione Isidori.

II. Ipsi quoque Principes Christiani nuptias Virginum Deo sacratarum exhorruerunt, variasque pœnas adversus solicitantes hujusmodi virginum decrevere, quæ leguntur in Codice Theodosiano *lib.* 9. *tit.* 25. Imperatoris Joviniani lata de hac re constitutio refertur his verbis in Codice Justinianæo *Lege* 5. *de Episcopis & Clericis*: » Si quis non dicam rapere, sed at- » tentare (s) tantùm jungendi matrimonii sacratissimas virgines » ausus fuerit, capitali pœna feriatur. «

Relata est hæc lex à Gratiano *de Pœnitent. Dist.* 1. *Can.* 6.

Num verò matrimonia cum hujusmodi virginibus voto castitatis obstrictis, fuerint non tantùm illicita, sed insuper *invalida*, non æquè certum est.

III. Primis seculis ea nequaquam irrita fuisse, sat dilucidè indicare videtur Innocentius I. Epistola ad Victricium Rothomagensem, scribens, non esse admittendam ad pœnitentiam mulierem religiosam, quæ post fidem Deo promissam ad nuptias convolaverat, nisi *post viri obitum*; idque indubiè, ne pœnitentia cœdat in matrimonii initi injuriam: tunc enim publicè pœnitentibus actum conjugalem exercere non licebat. Verba Innocentii sunt: » Quæ Christo spiritualiter nupserunt, & ve- » lari à Sacerdote meruerunt, si postea vel *publicè* nupserint, » vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agen- » dam pœnitentiam, nisi is, cui se junxerant, de seculo re- » cesserit. «

Et citatus Canon Calchedonensis, Virginibus illis, & Monachis nequaquam injungit separationem à conjugibus; sed hoc unum præcipit, ut pœnitentiæ addicantur, de qua loci Episcopus, prout prudentia suggesserit, aliquid possit remittere.

Similiter Sanctus Leo, qui Synodo Calchedonensi per suos Legatos præfuit, interrogatus à Rustico Episcopo Narbonensi de Monachis, qui uxores acceperunt, non respondit, eos ab uxoribus separandos; sed publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandos. Verba Leonis ex *Epist.* 2. referuntur à Gratiano, *caus.* 20. *quæst.* 3. *Can.* 1.

IV. In Africa fuisse videntur tempore S. Augustini nonnulli, qui hujusmodi Virginum matrimonia non nuptias, sed adulteria esse assererent; at his se opposuit Augustinus *libro de bono viduitatis, cap.* 10. scribens: » Proinde qui dicunt talium » nuptias non esse nuptias, sed potiùs *adulteria*, non mihi vi- » dentur diligenter ac acutè considerare quid dicant..... Fit au- » tem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lap- » sarum à sancto proposito fœminarum, si nupserint, *non esse* » *conjugia*, non parvum malum, ut à maritis separentur uxo- » res, & cùm volunt eas reparatas reddere continentiæ, faciunt » maritos earum adulteros veros, cum suis uxoribus vivis alteras » duxerint. Quapropter non possum quidem dicere à proposito » meliori lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse, non » conjugia; sed planè non dubitaverim dicere, lapsus & ruinas » à castitate sanctiore, quæ vovetur Deo, adulteriis esse pe- » jores. «

Evidentiùs videtur, quâm ut probari debeat, Augustinum hîc agere de fœminis, quæ castitatem Deo vovissent: Unde Gratianus compendium verborum S. Augustini hoc modo expressit: » Quidam nubentes *post votum* asserunt adulteros esse: » ego autem dico, quòd graviter peccent qui tales dividunt. « *Dist.* 27. *Can.* 2. Ad hunc Gratiani Canonem notant Correctores Romani: „ Verba propria hujus capitis non sunt inventa „ apud B. Augustinum; sententia tamen habetur in libello de » bono viduitatis. " Integrum locum Augustini retulit ipse Gratianus *Caus.* 27. *quæst.* 1. *Can.* 41.

V. Hanc fuisse Augustini sententiam etiam ipse S. Bernardus agnovit; eaque occasione dignam tanto Doctore protulit resolutionem libro *de Præcepto & dispensat. cap.* 17. Monachi nonnulli postulaverunt à S. Bernardo instrui, cur vel B. Gregorius, nescio, » quem Venantium, habitum Monachalem, quem » piè susceperat, impiè rejecerat; non solùm resumere non coë- » git, sed etiam omnem legitur indulsisse communionem Apostatæ » perduranti: vel S. Augustinus conjugii legi votum quodam- » modo subjiciat continentiæ: ità ut in libro de Virginitate as- » serere videatur, nec cœlibis quidem vitæ propositum culpæ » posse præscribere conjugali, quominus *indissolubile* maneat, » etiam quod à continentibus fallente diabolo fracto sanctitatis » voto initum fuerit matrimonium. «

Huic dubio reponit Bernardus: » ad hæc nihil ad præsens » certius, breviusque respondendum occurrit, nisi quod ità sanc- » ti Antistites sapuerunt: rectenè? ipsi viderint. Nam ego sensi- » bus, actibusque illustrium Patrum cautus profectò sum omni- » nò non aliud æstimare, quàm quod beato Apostolo teste *quæ- » ritur jam inter dispensatores, ut videlicet fidelis quis inveni- » tur.* Certus sum enim, sive in suo abundaverint sensu, si- » bi in Dei spiritu: sicut & in cæteris, ità & in his ambos extitis- » se fideles, illum in dispensando quod præ manibus erat, istum » in scribendo quod senserat. «

Quæstionem hanc ævo Sancti Bernardi agitatam multis præterea argumentis probat Joannes Mabillonius in notis ad hunc Bernardi textum in editione operum novissima anni 1690.

VI. Locus S. Gregorii de Venantio, cujus hîc mentio fit habetur in *Epistola* 33. *Lib.* 1. observatque ibidem Eruditus Notator, quòd S. Gregorius tam fuerit indulgens Venantio, ut S. Bernardus ex isto exemplo, quasi ex cautibus scrupulosis vix enavigaverit; ac tunc subjicit hoc notandum monitum: » Cer- » tè qui Monachos, & Virgines primæ ætatis ex hodiernis mo- » ribus æstimant, tota errant via. «

VII. Ex pœnitentiali Theodori Cantuariensis refert Gratianus citata *Dist.* 27. *Can.* 3. » Si vir *simplex* votum Virginita- » tis habens adjungitur uxori, postea non dimittat uxorem, sed » tribus annis pœniteat. «

Notam Correctores Romani, hanc vocem *simplex* abesse ob omnibus manuscriptis. Eam additam esse juxta disciplinam illius ætatis, quando jam distinctio inter votum *simplex & solemne* invaluerat, admodum verisimile est: idque conformiter ad notam, quam ipsemet Gratianus ad calcem hujus distinctionis adjecit. » Hîc distinguendum est (ait), quòd voventium alii » sunt *simpliciter* voventes, de quibus Augustinus, & Theo- » dorus locuti sunt: alii sunt, quibus post votum benedictio » ac-

(r) *Anno* 1252. *Margarita Belgarum Princeps, & ineunte XIV. seculo Ludovicus X. Rex Galliarum servis omnibus libertatem in suis ditionibus dederunt. Deinde tum in Gallia, tum in Belgio mos nullum agnoscendi servum consuetudine potiùs, quam lege aliqua invaluit.*

(s) *Cùm raptus Virginum Deo dicatarum delictum sit atrox, non solùm effectus, verùm etiam conatus pœna mortis punitur, argum.* l. 1. tit. 21. lib. 8. Recop. *cui consonæ sunt* l. 12. tit. 8. partit. 7. & 2. tit. 13. lib. 8. *Ordimamenti, relatæ à Solorzano in Operibus Posthumis, tit.* de Parricidi crimine, *cap.* 16. *lib.* 2.

» accedit consecrationis, vel propositum religionis, de quibus » Hieronymus, Nicolaus, & Calixtus scripserunt. «

Hujus distinctionis sub nomine voti *solemnis*, & *simplicis* nulla apud Veteres mentio habetur; quo verò tempore vota castitatis matrimonia dirimere, atque vota alia *solemnia* alia *simplicia* dici cœperint, illisque vis matrimonia dirimendi, his tantùm impediendi data sit, admodum incertum, atque obscurum est.

Verisimile est, hæc sensim invaluisse, neque ubique eodem tempore; sed alibi citiùs, alibi seriùs.

* Credit non sine fundamento Basilius Pontius de *Matrimonio*, *lib.* 7. *cap.* 17. nullum Canonem declarâsse matrimonium *irritum* à Monacho, aut Moniali initum post votum Religionis emissum, ante Canonem VII. Concilii Romani sub Innocentio II. anno 1139. relatum apud Gratianum *Caus.* 17. *quæst.* 1. *Can.* 40. in quo decernitur: » Quatenus Canonici Regulares, » Monachi, atque conversi professi, qui sanctum transgredien- » tes propositum uxores sibi copulare præsumpserint, separentur » hujusmodi, namque copulationem, quam contra Ecclesiasti- » cam regulam constat esse contractam, *matrimonium* non esse » censemus, qui etiam ab invicem separati, pro tantis excessi- » bus condignam pœnitentiam agant. Id ipsum quoque sanc- » timonialibus fœminis, (si quod abest) nubere attentârint, » observari decernimus. «

Porrò, quia præsens Canon nullitatem matrimonii, nequaquam refundit in voti *solemnitatem*, sed in hoc, quòd hujusmodi copulationem, sive conjunctionem contra *ecclesiasticam regulam* constat esse contractum, dubitari posset, num eo adhuc tempore ab Ecclesia Romana distinctio inter votum *solemne*, & *simplex* castitatis ad effectum dirimendi matrimonium recepta fuerit.

Hoc interim constat, quod Gratianus, qui aliquot annis post hunc editum Canonem, Decretum suum compilavit, eam inter votum *solemne*, & votum *simplex*, quoad effectum dirimendi matrimonium adhibuerit; idque ut textum S. Augustini desumptum ex libro de *Bono viduitatis*, qui matrimonia à voventibus contracta valida esse declarat, cum præsente Canone Concilii Romani conciliaret.

Relato enim hoc Canone, & textu Sancti Augustini, pro utriusque conciliatione remittit Lectorem *ad Distinctionem* 27. *sui Decreti*, ubi ad calcem *Canonis* 8. hanc inter solemniter & simpliciter voventes differentiam adhibendam esse monuerat.

VIII. Ex relata resolutione Gratiani haud obscurum est, seculo XII. quo floruit Gratianus, sat communiter eam distinctionem votorum fuisse receptam. Unde & eodem & sub initium sequentis seculi de validitate Matrimonii contra votum castitatis iniit, interrogati Romani Pontifices, juxta hanc votorum distinctionem, tanquam indubitanter tunc receptam responderunt; uti videre est in *Cap.* 4. 5. & 6. ✠ *Qui Clerici vel voventes*, *&c.*

IX. Verùm cùm nondum sat apertè definitum esset, in quo ipsa solemnitas voti, qua votum illud à voto *simplici* quoad effectum dirimendi matrimonium distingueretur, frequenter fuêre quæstiones super validitate, aut invaliditate matrimonii contra votum castitatis contracti; uti videre est in responsis Pontificum, quæ tum sub titulo *de Regularibus*; tum sub titulo: *Qui Clerici, vel Voventes matrimonium contrahere possunt*, referuntur.

X. Has difficultates, & quæstiones tandem dirimit Bonifacius VIII. in *Cap. Unico*, *de voto & Voti redemptione*, *in* VI. declarans: » Illud solùm votum debere dici *solemne*, quantum » ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solem- » nizatum est per susceptionem sacri Ordinis, aut per profes- » sionem. «

Hoc Bonifacii responsum relatum in Corpus Canonicum, hodiè pro jure communi receptum est, constituitque modernam Ecclesiæ disciplinam.

XI. Hinc deducitur, votum virginitatis etiam emissum sub certa verborum formula, atque exhibitis externis cæremoniis, etiam *publicè* in Ecclesia in manibus alicujus Prælati, non dirimere matrimonium; neque ad hunc effectum dici solemnizatum, nisi emissum sit in aliqua Religione per Sedem Apostolicam approbata; tametsi alias ratione istarum externarum cæremoniarum, præsertim si & *perpetuum* esset, rectè dicatur *solemne*; atque indubiè ante hanc Decretalem Bonifacii votum *solemne* dictum fuisset.

Ulteriùs inde consectarium est, quòd tametsi forsan ante editam Bonifacii Decretalem, saltem aliquot seculis omne votum *solemne* dirimerit matrimonium, hodiè nullum dirimat vi hujus solemnitatis, nisi ad hunc effectum solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.

XII. Quod ergo in principio suæ Decretalis asserit Bonifacius, solemnitatem voti ex sola constitutione Ecclesiæ esse inventam, præcipuè procedit ad hunc effectum dirimendi matrimonium; uti suprà *parte* 1. *tit.* 30. *cap.* 1. ibi quoque notavi, votum *simplex* Scholarium S. J. quoad hunc effectum esse solemnizatum à Gregorio XIII. per Bullam, quæ incipit: *Ascendente Domino* (t).

XIII. Ex his facilè intelligitur, quòd licèt primis seculis, nec votum Monachorum, nec votum annexum Ordini sacro dirimisset matrimonium, nihilominus postquam per Ecclesiam efficacia dirimendi votis illis facta fuit, negari eis non possit ea efficacia: ni unà velimus Ecclesiæ negare potestatem inducendi impedimenta dirimentia; ideoque meritò Synod. Tridentinam *Sess.* 24. *Can.* 9. *de Reformat Matrimonii*, pronuntiâsse: » Si » quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos vel Regu- » lares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium » contrahere, contractumque *validum* esse, non obstante lege » ecclesiastica, vel voto; & oppositum nil aliud esse, quàm » damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimo- » nium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, » non habere donum, anathema sit: cum Deus id rectè peten- » tibus non deneget, nec patiatur nos suprà id, quod possu- » mus tentari. «

XIV. Expressè in suo Canone Synodus Tridentina usa hac alternativa: *Lege Ecclesiastica*, *vel voto*; eò quòd inter Doctores Catholicos quæstio esset, num Ordo Sacer dirimeret matrimonium, *ex voto*, an *ex lege Ecclesiastica*; nec hanc quæstionem, quæ parùm utilitatis habet, decidere voluerit; hoc unum sufficere arbitrata definire, Ordinibus Sacris initiatos teneri ad servandam castitatem; atque matrimonium ab iis initum esse invalidum.

XV. Hoc magis refert scire, quòd Ecclesia jam à primis Ecclesiæ seculis Clericis præsertim in sacris Ordinibus constitutis nuptias interdixerit; ne rerum temporalium solicitudine, ac carnalibus desideriis, voluptatibusque implicati, à divinis officiis, & ecclesiasticis ministeriis (quibus vi suæ vocationis mancipati sunt) impediantur, & retrahantur; quasi ad Clericos verbis Apostolicis diceret Ecclesia: *Volo vos autem sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* 1. Corinth. 7.

Hanc Ecclesiæ mentem non obscurè expressit Alexander III. in *Cap.* 2. *de Clericis conjugatis*, in prima compilatione Decretalium apud Antonium Augustinum, ubi rationem matrimonii Clericis interdicti reddit his verbis: » Quoniam uxorati cùm » divisi sint, & eos cogitare oporteat, quomodo uxoribus pla- » cere valeant, & servire, obsequiis non solummodò possunt » intendere divinis. « Vel ut paucioribus expressit *Cap.* 3. ✠ *eodem*: » Quòd simul voluptatibus, & carnalibus desideriis, ac » divinis & Ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant. «

Hinc facilè intellegit Canonum diligens scrutator, Clericos illos, qui à nuptiis abstinent, sed secularibus negotiis, ac sensualibus desideriis sese immergunt, licèt verba Canonum externamque disciplinam tenere videantur, ipsam tamen sententiam, & rationem Canonum negligentes, reverà in ipsos Canones dici posse impingere.

Hanc, aliasque rationes congruentiæ fusiùs deducit D. Huygens in suis Observationibus titulo *de matrimonio*, *cap.* 2.

CAPUT V.

De Impedimento Consanguinitatis, et Affinitatis.

1 *Quo sensu* consanguinitas *hîc sumatur.*
2 *Quid* linea, *quid* gradus.
3 *Quid linea* recta; *& quotuplex.*
4 *Quid linea* collateralis.
5 *Ostenditur quæ sit* æqualis, *quæ* inæqualis.
6 *Regulæ pro dignoscenda distantia in linea recta.*
7 *Regulæ pro linea collaterali.*
8 *Regulæ hæ non procedunt secundum computationem civilem; & quæ hîc servandæ.*
9 *Verisimile est, Ecclesiam primitùs usam fuisse computatione civili.*
10 *Seculo XI. diversitas computationis nota fuit; sed necdum ubique recepta; neque extra quæstionem.*
11 *Primitùs non videtur Ecclesia extendisse hoc impedimentum ultra gradus à legibus præscriptos.*
12 *Quando impedimentum ultra hos gradus extensum sit.*
13 *Videtur circa seculum VIII. aut IX. cœpisse extendi ad septimum gradum.*
14 *Sed gradus computabantur juxta computationem Civilem.*
15 *Postmodum computari cœperunt juxta computationem Canonicam; & ita impedimentum extensum fuit.*

(t) *Vide quæ notavimus in* 1. *part. huj. Jur. Eccles. tit.* 30. *c.* 1.

Ex-

16 *Extensionem hanc restrinxit Concilium Lateranense ad quartum gradum.*
17 *Quartus gradus hîc intelligitur juxta computationem canonicam.*
18 *Primus Gradus consanguinitatis in linea laterali ponit impedimentum jure naturæ.*
19 *In ulteriore gradu tantùm jure positivo.*
20 *Ratio inducti hujus impedimenti petita à propagatione concordiæ, & charitatis.*
21 *Altera ratio petita ab honestate, & reverentia, præcipuè militat in linea recta.*
22 *Matrimonium inter consanguineos in linea recta est jure naturæ vetitum.*
23 *Quid affinitas; & unde dicta; & qua ratione contrahatur.*
24 *Triplex genus affinitatis describitur.*
25 *Olim omnia tria genera affinitatis matrimonium dirimebant; hodie primum duntaxat.*
26 *Affinitatis nulli proprii sunt gradus; & unde desumi debeat conjunctio Affinium inter se.*
27 *Circa impedimentum consanguinitatis, & affinitatis ex conjunctione licita, & matrimoniali, nihil innovavit Synodus Tridentina.*
28 *Canon Synodi Tridentinæ de hoc impedimento.*
29 *Decretum Synodi Ttidentinæ restringens impedimentum affinitatis ortæ ex fornicatione ad secundum gradum.*
30 *Decretum intelligitur etiam de impedimento* impediente; *& sponsalibus* de futuro.

I. CONsanguinitas sumitur hîc pro vinculo personarum ab eodem stipite propinquo descendentium, vel quarum una descendit ab altera, carnali conjunctione contracto.

Ut intelligantur quæ de impedimento consanguinitatis Canones, vel Leges decernunt, attendi debent lineæ, & gradus consanguinitatis.

II. Per lineam intelligitur series personarum, quæ sunt ejusdem sanguinis participes. Gradus verò generationis progressus, sive distantia consanguineorum inter se per unum generationis progressum: sive potiùs est habitudo distantium personarum, qua propinquitatis distantia inter personas duas, vel plures discernitur. Linea duplex est, recta, & collateralis, sive transversalis.

III. Recta dicitur illa, juxta quam plures personæ ita ab uno stipite mediatè, vel immediatè carnali generatione descendunt, ut una sit ab altera genita; veluti filius à patre; nepos à filio, &c.

Dividitur hæc linea in Descendentium, & Ascendentium; nam licèt reipsa sit una, eademque linea, ea tamen ratione distinguitur, quòd linea Ascendentium dicatur, qua à genitis ad Progenitores progredimur, illorum stipitem quærendo; numerando patrem, avum, proavum, & alios.

Linea verò Descendentium dicitur illa, qua descendimus à progenitoribus ad progenitos; scilicèt à patre, ad filium, nepotem, pronepotem, & cæteros.

IV. Linea collateralis, sive transversalis est illa, secundum quam variæ personæ ab uno stipite mediatè vel immediatè proveniunt, ipsæ tamen personæ à se invicem non descendunt. Quare filii Joannis, qui sunt fratres, inter se lineam collateralem constituunt, quia unius frater non descendit ab alio, sed ambo immediatè ab ipso patre procedunt.

V. Hæc linea collateralis duplex est: una nimirum *æqualis*, quæ est inter personas æqualiter distantes à communi stipite. Alia *inæqualis*, inter personas inæqualiter à communi stipite distantes.

Inter duos fratres est linea *æqualis*; quia ambo æqualiter à communi *stipite*, scilicèt patre, distant. Patruus autem, & consobrinus sunt in linea *inæquali*, quia distant à communi stipite inæqualiter; consobrinus scilicèt secundo gradu à suo avo; patruus utpotè filius hujus avi, tantùm primo gradu.

VI. Ut sciatur, quoto gradu consanguinei se contingant, vel quo gradu inter se distent, triplex regula assignari solet. Una pro linea *recta*, & duæ pro linea *collaterali*.

Regula pro linea *recta* Ascendentium, & Descendentium est: quot sunt personæ, de quibus quæritur, computatis intermediis, unâ demptâ, tot sunt gradus inter eos.

Si ergo quæras, quo gradu distet proavus à pronepote, numerandæ imprimis sunt persona proavi, & persona pronepotis, ac dein avi & patris, per quos descendit pronepos, quæ cum faciant quatuor personas, unâ demptâ nimirum persona proavi communi stipite, remanent *tres*, ac ità conficitur, proavum, & pronepotem esse in tertiò gradu lineæ rectæ.

VII. Circa lineam collateralem *æqualem*, hæc regula servanda est: quoto gradu distant à communi stipite, tanto distant inter se, vel mutuò contingunt.

In linea autem *inæquali*, hoc est, collateralium in linea *inæquali*: quoto gradu *remotior* distat à communi stipite, tanto distant inter se.

Hæc ex declaratione Arboris consanguinitatis, quæ habetur in Decreto Gratiani ad calcem *quæst.* 5. *caus.* 35. ubi & hæc regulæ fusiùs exponuntur.

VIII. Id quoque in hac declaratione notatur, regulas assignatas pro computandis gradibus in linea collaterali, tantùm procedere secundum Canones, non autem secundum Leges civiles.

Juxta Leges civiles enim, eadem regula servatur in linea collaterali sive *æquali* sive *inæquali*, quæ juxta Canones assignatur pro linea *recta*; ut scilicet tot sint gradus, quot sunt personæ, quousque perveniatur ad communem stipitem, qui communis stipes subducitur: adeòque juxta hanc computationem civilem, etiam in linea *collaterali* unaquæque persona facit unum gradum; cùm tamen secundum Canones duæ personæ tantùm faciant unum gradum. Unde duo fratres secundum computationem civilem sunt in secundo gradu; quia computato communi stipite, scilicet patre, sunt tres personæ; & consequenter unâ demptâ, scilicet personâ patris tanquam communi stipite, manent equidem *duæ* personæ. Juxta computationem canonicam verò contingunt se in *primo* gradu; quia uterque uno duntaxat gradu distat à communi stipite, scilicet *patre*: adeoque inter se non nisi uno gradu distare possunt juxta computationem canonicam.

IX. Admodum autem verisimile est, quòd Veteres computaverint gradus non juxta dictam computationem canonicam, sed juxta computationem civilem. Ecclesia enim in similibus solita fuit regulas suas legibus Imperii conformare; ne videretur jura imperii subvertere velle: & ita observat Cujacius ad *Cap. penult.* ℣ *de Consang.*

X. Quandonam hæc computatio à civili distincta invaluerit, incertum est: eam seculo XI. notam fuisse, colligitur ex Epistola Alexandri II. apud Gratianum *caus.* 35. *quæst.* 5. *Can.* 2. in qua redarguit quosdam, qui contendebant etiam juxta Canones computationem graduum instituendam modo à legibus præscripto; asseritque discussam » quæstionem in Lateranensi Con» sistorio, convocatis ad hoc Episcopis & Clericis, atque judi» cibus diversarum Provinciarum, denique diù ventilatis legi» bus, & sacris Canonibus distinctè, invenisse ob aliam cau» sam alteram legum fieri, alteram Canonum computationem. » Hac igitur de causa, quia hæreditates nequeunt deferri nisi » de una ad alteram personam, idcircò curavit sæcularis Impe» rator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia verò » nuptiæ sine duabus non valent fieri personis, ideò sacri Ca» nones duas in uno gradu constituere personas. «

Potest in eandem rem videri ejusdem epistola ad Clericos Neapolitanos, quæ extat *tom.* 9. *Conc. Gener. col.* 1134. Hinc habemus eo seculo computationum harum diversitatem nondum ubique receptam, nec extra quæstionem fuisse; unà tamen satis colligitur, eam eo tempore invaluisse, ac communiter probatam fuisse. Idipsum indicat opusculum octavum B. Petri Damiani, quod inscribitur *De Parentelæ gradibus*; in quo fusè contra quosdam Jurisperitos contendit, gradus consanguinitatis in linea collaterali computandos esse juxta suprà expressam computationem canonicam.

XI. Porrò sicuti in computandis consanguinitatis gradibus, Ecclesia se videtur primis seculis conformâsse legibus Imperialibus; ità nec consanguinitatis impedimentum ultra gradus à legibus præfixos extendisse apparet.

Id non obscurè innuit S. Augustinus *lib.* 15. *de Civitate Dei*, *cap.* 16. scribens: » Experti etiam summus in connubiis » *consobrinarum*, etiam nostris temporibus propter gradum » propinquitatis fraterno gradui proximum, quàm rarò per » mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec divina » lex prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. «

Hîc Augustinus supponit, nuptias consobrinarum, quantumvis minùs honestas, aliquando licitas fuisse; *quia id nec divina lex prohibuit, & nondum prohibuerat* LEX HUMANA.

Quod autem dicat Augustinus: NONDUM *prohibuerat lex humana*, reflexisse videtur ad legem à Theodosio seniore latam, ne inter consobrinos inirentur matrimonia; cujus legis meminit S. Ambrosius *lib.* 8. *epist.* 66. » Nam Theodosius Im» perator etiam patrueles fratres, & CONSOBRINOS vetuit inter » se conjugii convenire nomine, & severissimam pœnam sta» tuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora.

Honorius Theodosii filius eam quoque legem memorat in L. *Unica*, *Cod. Theod. Si nuptiæ ex rescripto petantur*; uti rectè ibidem notat Jacobus Gothofredus; unà observans legem 19. *Cod. de Nuptiis*, quæ nuptias consobrinorum permittit, non esse Honorii, sed solius Archadii, qui Theodosio patri in Orientis Imperium successerat, Honorio Occiddentis Imperium moderante; quamvis dicta lex 5. tam Honorii, quàm Archadii nomen præferat.

Itaque NONDUM *lex humana* prohibuerat conjugia consobrinorum, quia lex Theodosii *nondum* edita fuerat; at cùm libros *de Civitate Dei* Augustinus scribebat, jam lex evulgata erat; ideoque verbis suprà relatis subjungit: » Verùm quis du» bi-

» bitat, honestiùs hoc tempore *consobrinorum* prohibita esse » conjugia. «

Itaque videtur Augustinus à legum prohibitione desumpsisse prohibitionem conjugiorum inter consanguineos; nec eam ultra legis prohibitionem extendisse.

Hinc quisque facilè intelliget, quid censendum de decretis, quæ sub nomine primorum Pontificum Fabiani, Calixti, & Julii referuntur apud Gratianum *caus.* 35. *q.* 2. ubi impedimentum hoc, etiam ultra consobrinos extenditur.

XII. Quo verò tempore impedimentum consanguinitatis ultra præfixum à legibus Imperatorum gradum extendi cœperit incertum est; illud sat certum, sensim ea impedimenta invaluisse; nec ubique eodem tempore recepta fuisse.

Responsio Sancti Gregorii ad sextam interrogationem Augustini Anglorum Apostoli, non obscurè supponit, ætate Gregorii impedimentum hoc ad septimum gradum fuisse extensum; quod & apertiùs indicat *Epistola* 32. *lib.* 12. ejusdem Pontificis.

Verùm, » prædictam responsionem si quis ex varietate lec» tionum, ex contextus inæqualitate, ex doctrinæ merito, pru» denter attenderit, de Auctore forsan dubitabit, « ait eruditus Operum S. Gregorii Revisor in notis ad hanc responsionem; qui & de citata *Epist.* 32. hoc judicium subjicit, » Verùm » quàm sit corrupta, & deformata, clarum est ex multis in» terpolationibus, & repetitionibus inutilibus, quas Lector stu» diosus, & prudens inter legendum observabit. Ideo à quibus» dam reprobata est, tanquam Gregorio Magno indigna. «

* Hoc monumentum, quod à Petro Gussanvileo in notis ad Epistolam S. Gregorii allatum est, non arridet eruditis Monachis Benedictinis Congregationis S. Mauri in accurata editione Operum S. Gregorii, ubi hanc Epistolam Sancto Gregorio vindicant; creduntque rationes à Gussanvilleo in contrarium adductas, leviores esse, quam, ut vel dubiam reddant Epistolam Sancti Gregorii ad Augustinum. Lector rationes utrimque adductas poterit expendere.

XIII. Quidquid sit, hoc interim vel ex supposititiis Epistolis primorum Pontificum à Pseudo-Isidoro circa seculum VIII. aut IX. confictis, & in Decretum Gratiani postmodum relatis, intelligitur, circa tempus Pseudo-Isidori impedimenta consanguinitatis ad septimum gradum cœpisse extendi: sed an etiam eodem tempore graduum computatio fieret juxta computationem canonicam suprà descriptam, an verò juxta computationem civilem non sat expeditum est.

XIV. Verisimile est, primitùs computatos fuisse secundum leges; & consequenter matrimonium tantùm fuisse vetitum usque ad quartum gradum inter inæquales; uti notat Cujacius ad *Cap. penultimum*, *de Consanguinitate*, quod & indicat supposititia Epistola Calixti I. apud Gratianum *Caus.* 35. *q.* 2. *Can.* 2. quæ postquam dixit Consanguineorum conjunctiones vetitas, tandem subjungit: » Eos autem consangineos di» cimus, quos divinæ Imperatorum Romanorum, atque Græco» rum leges *consangineos* appellant, & in hæreditatem susci» piunt, nec repellere possunt. «

Et ididem *Can. I.* ex Concilio Meldensi dicitur: » De af» finitate *consanguinitatis* per gradus cognationis placuit usque » ad septimam generationem observare. Nam hæreditas rerum » per legales instrumentorum definitiones sancita usque ad sep» timum gradum protendit hæredum successionem. Non enim » succederent, nisi eis de propagine cognationis deberetur. «

Hæc probatio ex successione legali in hæreditatem desumpta inefficax planè, & a scopo aliena fuisset, nisi gradus conformiter ad legum præscriptum computati fuissent.

XV. Interim seculo XI. invaluit computatio canonica; & septimus gradus, de quo in præcitatis epistolis, juxta eam computationem accepi cœpit; idque præcipuè auctoritate prælegatæ responsionis, & epistolæ S. Gregorii; uti videre licet apud Petrum Damiani in citato opusculo; atque ita impedimentum consanguinitatis in collaterali tandem ad *septimum* gradum juxta computationem canonicam, & decimum quartum juxta computationem civilem extensum fuit; idque tempore Alexandri III. pro jure receptum fuisse, non tantùm quoad consanguineos, sed etiam affines, constat ex Decretali hujus Pontificis in *Cap.* 1. ✠ *de Consanguinitate.*

XVI. Porrò Concilium Lateranense sub Innocentio III. perpendens hanc impedimenti extensionem absque gravi incommodo non posse observari, voluit, ut » prohibitio copu» læ conjugalis *quartum* consanguinitatis gradum de cætero non » excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest » absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter ob» servari. « Hac Constitutione relata in *Cap.* 8. *de Consanguinitate*, hodie utimur.

XVII. Indubitatum est, quartum gradum hîc sumendum esse juxta computationem canonicam; unde resolvit Gregorius IX. in *Cap. fin.* ✠ *de Consanguinitate*; » Vir, quia stipite » quarto gradu, & mulier, quæ ex alio latere distat quinto, » secundum regulam approbatam, quâ dicitur: Quoto gradu re» motior differt à stipite, & à quolibet per aliam lineam descen» dentium ab eodem, licitè possunt matrimonialiter copulari. «

XVIII. In primo gradu consanguinitatis lineæ collateralis matrimonium illicitum esse, non tantùm jure humano positivo, sed *naturali*, non pauci contendunt; ipseque Augustinus *lib.* 15. *de Civitate Dei*, *cap.* 16. fatetur, etiam Gentiles lumine naturali hujusmodi conjugia exhorruisse: » Quòd humano genere » crescente, & multiplicato (ait) etiam inter impios Deorum » multorum, falsorumque cultores sic observari cernimus, ut » etiamsi perversis legibus permittantur fraterna conjugia, me» lior tamen consuetudo ipsam malit exhorrere licentiam; & » cùm sorores accipere in matrimonium primis humani generis » temporibus omninò licuerit, sic aversetur, quasi nunquam li» cere potuerit. «

XIX. In ulteriori gradu lineæ collateralis, matrimonium hodie *solo jure ecclesiastico* vetitum esse, & contractum dirimi expeditum est, supponitque evidenter Innocentius III. in *Cap.* 8. » ✠ *de Divortiis*, respondens, » infideles, qui in secundo, aut » tertio consanguinitatis gradu contraxerunt, si ad fidem con» vertantur, non esse separandos: eò quòd in præmissis gradi» bus à Paganis quoad eos Matrimunium licitè sit contractum, » qui constitutionibus canonicis non arctantur. «

XX. Cur verò jam pridem, tum per Leges, tum Canones inter consanguineos conjugia vetita fuerint, tradit Augustinus loco citato. » Habita est enim (ait) ratio rectissima charitatis, ut » homines, quibus esset utilis, atque honesta concordia, diver» sarum necessitudinum vinculis necterentur; nec unus in una » multas haberet, sed singulæ spargerentur in singulos; ac sic » ad socialem vitam diligentiùs colligandam plurimæ plurimos » obtinerent. Pater quippè, & socer duarum sunt necessitudi» num nomina. Ut ergo alium quisque habeat patrem, alium so» cerum, numerosiùs se charitas porrigit. «

XXI. Hæc Augustinus, cujus fragmentum est apud Gratianum *Causa* 35. *q.* 1. *Can.* 1. qui ibidem hanc rationem conciliandæ concordiæ per familias pluribus exponit, ac dein aliam adjungit his verbis: » Non solùm secundum ea, quæ disputavi» mus, propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas ne» cessitudines una persona, cùm duæ possint eas habere, & nu» merus propinquitatis augeri; sed etiam quia nescio, quomo» dò inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque lauda» bile, ut cui debet causâ propinquitatis reverendum honorem, » ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de » qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem. «

XXII. Hæc posterior ratio potissimùm obtinet in linea recta, seu Ascendentium, & Descendentium; inter quos etiam in omni gradu matrimonia illicita, & invalida esse, atque semper fuisse jure naturali, expeditum est, juxta illud Nicolai I. in Responsis ad Consultationes Bulgarorum *cap.* 39. » Inter eas » personas, quæ parentum, liberorumque locum inter se obti» nent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & fi» liam, vel avum & neptem, matrem & filium, aviam & ne» potem, & usque *ad infinitum*. «

XXIII. Uti varia fuit circa consanguinitatis impedimentum disciplina; ita & circa affinitatis.

Affinitas secundum Canones est personarum proximitas ex copula carnali proveniens, & omni carens parentela. Et dicitur *Affinitas*, quasi duorum ad unum finem unitas, eò quòd duæ cognationes diversæ per copulam copulantur, & alter ad alterius cognationis finem accedit.

Juxta Canones affinitas contrahitur non tantùm per actum matrimonialem licitum, sed etiam per fornicarium aut aliàs illicitum. *Cap.* 8. & 9. ✠ *De eo*, *qui cognovit consanguineam uxoris suæ.*

XXIV. Olim triplex erat affinitatis genus, quod copiosè & sat clarè exponit Glossa ad *cap.* 8. ✠ *De Consanguinitate*; sufficietque exemplo sequenti paucis exponere: Uxor fratris mei est mihi, consanguineisque meis affinis in primo genere affinitatis: mortuo verò fratre meo, si illa alteri nubat, hic secundus ejus maritus erit mihi meisque consanguineis affinis in secundo genere affinitatis: & rursus, mortua uxore fratris mei, sic hic secundus ejus maritus aliam uxorem duxerit, illa me cæterosque consanguineos meos continget in tertio affinitatis genere; nam copula addita copulæ efficit hæc diversa genera affinitatis.

XXV. Hæc tria genera affinitatis olim matrimoniis impedimento fuisse docent Canonistæ; atque secundo & tertio generi occasionem dedisse videntur decreta, quæ sub nomine Fabiani Papæ & Paschalis II. referuntur à Gratiano *caus.* 35. *quæst.* 3. *Can.* 3. & 22. quæ sola à Canonistis in hanc rem allegari solent. Quidquid sit, tria illa genera aliquando impedimentum dirimens matrimonium fecisse, evidenter supponit Concilium Lateranense in *citato Cap. VIII.* declarans, quòd prohibitiones de conjugio in secundo & tertio affinitatis genere minimè contrahendo, difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum; ac dein subjungit: » Constitu» tiones super hoc editas sacri approbatione Concilii renovantes, » præsenti constitutione decernimus, ut sic contrahentes de cæ» tero liberè copulentur. «

Un-

Unde juxta hoc decretum impedimentum affinitatis ad primum genus affinitatis restrictum est; neque ulla hodie habetur ratio secundi, aut tertii generis affinitatis.

XXVI. Porrò affinitatis propriè nulli sunt gradus, ut ait Jurisconsultus in *L.* 4. §. *Gradus ff. de Gradibus*: quia cùm nullæ sint affinium generationes, etiam nulli gradus propriè haberi possunt; nam juxta generationes gradus institui solent, uti observat Cujacius *ad tit. de Consanguinitate*: sed gradus affinitatis, si qui sunt, ex ipsa cognatione, sive consanguinitate desumuntur.

Eo enim gradu affinitatis quis alteri partium jungitur, quo alteri per consanguinitatem junctus est; mulier eo gradu est affinis consanguineis viri, quo vir illis est junctus gradu consanguinitatis.

Hinc qui marito est consaguineus in linea recta Descendentium, aut Ascendentium, in eadem linea censetur affinis ejus uxori; idque eodem gradu affinitatis, quo attingit maritum per consanguinitatem. Idem est quoad lineam collateralem.

XXVII. Circa impedimentum consanguinitatis, aut affinitatis, quæ oritur ex conjunctione licita, & matrimoniali, nihil innovavit Synodus Tridentina; adeoque secundum juris communis dispositionem, manet impedimentum consanguinitatis in linea recta in infinitum; quoad lineam verò collateralem usque ad quartum gradum, juxta computationem canonicam similiter, & quoad affinitatem ex conjunctione legitima matrimoniali.

XXVIII. Pronuntiavit autem Synodus anathema in eum qui dixerit: » eos tantùm consanguinitatis, & affinitatis gradus, » qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium con» trahendum & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in » nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures im» pediant, & dirimant. «

XXIX. Impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducebatur, & matrimonium contractum dirimebat, Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 4. *de Reformat. Matrimonii*, » ad eos tantùm, qui in primo, & secundo gra» du conjunguntur, restringit: in ulterioribus verò gradibus » statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum » non dirimere. «

XXX. Quamvis Synodus tantùm loquatur verbis expressis de hoc impedimento quatenus *dirimit* matrimonium, tamen Pius V. in suo Motu proprio incipiente, *Ad Romanum*, edito anno 1566. die 20. Augusti, declaravit, prædictam affinitatem ultra secundum gradum nec dirimere, nec impedire; uti refert Fagnanus ad *Cap.* NON DEBET ✠ *de Consanguinitate*, *num.* 19.

Refert quoque ibidem *num.* 18. Sacram Congregationem censuisse » hujusmodi restrictionem ad primum, & secundum » gradum, extendi etiam ad sponsalia per verba de futuro » contracta; adeo ut nisi in primo, & secundo gradu hujus» modi affinitatis non dirimantur. «

CAPUT VI.

De Impedimento Cognitionis Legalis, et Spiritualis, nec non publicæ honestatis.

1 *Cognatio* legalis *unde orta, & cur ita dicta.*
2 *Rationes, quæ suadent conjunctos hac cognatione matrimonio non jungendos.*
3 *Apud Romanos quousque impedimentum hoc extensum.*
4 *Quando solutâ adoptione maneat impedimentum.*
5 *Impedimentum hoc legibus inductum recipit Ecclesia.*
6 *Synodus Tridentina nihil circa hoc impedimentum immutavit.*
7 *Impedimentum cognationis* spiritualis *ad exemplum hujus inductum.*
8 *Probatur auctoritate Nicolai I.*
9 *Hujus impedimenti meminit Justinianus, rationemque illius assignat.*
10 *Synodus Trullana hoc impedimentum probavit.*
11 *Qua ratione hoc impedimentum paulatim fuerit extensum.*
12 *Hoc non ex lege divina, sed merè positiva oritur.*
13 *Cur Synodus Tridentina hoc impedimentum judicaverit restringendum.*
14 *Ad summum duas personas ad suscipiendum infantem adhiberi voluit.*
15 *Inter quas personas ex decreto Synodi Tridentinæ spiritualis cognatio contrahatur.*
16 *Quid de conjugibus prolem alienam, vel propriam suscipientibus.*
17 *Parochus baptizaturus inquirere debet, qui in Patronos designati sint, & hos solos admittere.*
18 *Quid si hæc à Parocho sint omissa; item quid si plures quàm duo admissi sint.*
19 *Quid de designato & admisso à solo Parocho.*
20 *Suscipiens per procuratorem contrahit cognationem spiritualem.*
21 *Videtur sublatum impedimentum, quod olim ex* Catechismo *oriebatur.*
* *Summa cura conservandi sunt libri Baptismales.*
22 *Quæ de cognatione spirituali orta ex Baptismo decreta, eadem obtinent in illa, quæ ex Confirmatione.*
23 *Ecclesia hanc cognationem inducens, ostendit à suscipiente curam suscepti habendam.*
24 *Ratio impedimenti* publicæ honestatis.
25 *Impedimentum hoc oritur ex matrimonio* rato, *& sponsalibus* de futuro.
26 *Ortum ex matrimonio olim ad 7. hodie ad 4. gradum extenditur.*
27 *Quousque olim extensum, si ex sponsalibus* de futuro *oriebatur.*
28 *Restrictio hujus impedimenti per Synodum Tridentinam.*
29 *Synodus tantùm loquitur de Sponsalibus* de futuro.
30 *Nihil immutavit quoad impedimentum ex matrimonio rato.*
31 *Etiam ex matrimonio nullo oritur hoc impedimentum.*
32 *Ex sponsalibus quavis ratione* nullis *non oritur hoc impedimentum; secus si ab initio fuerint valida.*
33 *Ex sponsalibus validis non conditionatis, oritur tantùm impedimentum usque ad primum gradum.*

I. COgnatio Legalis oritur ex adoptione, quâ quis liberos naturales non habens, alienum sibi in filium adoptat.

Adoptionis istius usus jam pridem apud Romanos usitatissimus fuit; variæque de ea in Jure Romano extant Imperatorum Leges, & Juris-Consultorum Responsa.

Cognatio autem, quam adoptio parit, *civilis*, *legitima*, seu *legalis*, ad differentiam cognationis naturalis, appellatur, *L.* 4. §. 2. *de gradibus*; quia sola lege adoptio nititur, & actus est merè civilis.

II. Cùm autem per legem ideò inducta esset adoptio, ut is, qui natura filius non erat, filius per legem efficeretur adoptanti, seu potiùs potestate Legum naturam quodammodo supplente, filius fingeretur Adoptatus; consequens visum fuit, ut nec inter hos per matrimonii vinculum alia connexio, seu necessitudo intercedere deberet.

Hîc quoque militare credebatur illud Augustini capite præcedenti relatum: » Nescio quomodo inest humanæ verecundiæ » quidquam naturale, atque laudabile, ut cui debet causâ pro» pinquitatis *reverendum honorem*, ab ea contineat, quamvis » generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & » ipsam pudicitiam conjugalem. «

III. Itaque jam pridem & apud Romanos, hæc civilis cognatio impedimentum matrimonii contrahendi inter adoptantem & adoptatam, & generaliter inter omnes personas, quæ per adoptionem liberorum, & parentum loco sunt, induxit, idque etiam solutâ adoptione per emancipationem. *L.* 17. & 55. *ff. de Ritu nuptiarum.*

Ulteriùs etiam impedimentum hoc Leges extendunt ad Adoptatum, & filias naturales adoptantis, quasi jure *fraternitatis*, quod inter adoptatum tanquam filium Legalem adoptantis, & hujus proles naturales intercedit, hac tamen differentiâ, quod hoc *fraternitatis* impedimentum solvatur, solutâ per emancipationem *adoptione*, dicta *L.* 55. §. 1. quia post emancipationem (ait) *extraneus* intelligitur.

IV. Solutâ adoptione nuptiæ non permittuntur, ut dictum est, inter eos, qui parentum liberorumque loco aliquando fuerunt, quia hâc solutâ, manet pudoris & honestatis ratio, quæ impedit similes nuptias §. 1. *Instit. de Nuptiis*; quæ pudoris ratio non æquè militat inter collaterales, postquam per adoptionem quæsita fraternitas, aliave ex transverso cognatio, eadem solutâ adoptione evanuit: nec tantâ religione colenda memoria fratris, alteriusve cognati olim adoptivi, quàm eorum, qui loco parentum aliquando fuêre.

V. Hoc impedimentum à legum auctoritate primùm inductum, Ecclesia quoque recepit; ejusque mentio fit apud Gratianum in *Can.* 6. *caus.* 30. *q.* 3. & in *Cap. unico* ✠ *de Cognatione Legali*, ubi ex responsis Nicolai I. ad Consulta Bulgarorum refertur: » Si qua per adoptionem mihi soror esse cœ» perit, quandiù durat adoptio inter me & ipsam nuptiæ con» sistere non possunt. «

VI. Quod responsum ex Legibus civilibus sumptum esse evidens est; neque legitur, Ecclesiam circa hoc impedimentum aliquid mutâsse; sed illud prout legibus decretum erat, recepisse apparet: nec Synodus Tridentina quidquam hîc innovavit, uti monet Cujacius ad *tit. Decretalium*, *de Cognatione Legali*; creditque, etiam hodie Fraternitatem legalem constituere impedimentum dirimens, nimirùm durante adoptione; quemadmodum Legibus constitutum erat, & ipse Nicolaus I. respondit.

Ad

VII. Ad hujus cognationis legalis imitationem, & exemplum comparata est cognatio spiritualis; atque impedimentum matrimonii ex ipsa profluens.

Sicut enim Adoptans Adoptatum sibi in locum filii assumit, & habet; ita quoque Susceptor, sive Patrinus recipit Baptizatum in filium suum spiritualem, id est, ut illi Patris spiritualis loco sit, sive ejus curam spiritualem tanquam alter Pater gerat, quemadmodum suprà *tit.* 2. *cap.* 4. ostensum est.

VIII. Unde de hac cognatione, & ex ea resultante impedimento ita loquitur Nicolaus I. in citatis Responsis ad Consulta Bulgarorum *cap.* 2. » Ita diligere debet homo eum, qui se » suscipit ex sacro fonte, sicut *patrem.* Quinimò quantò præs- » tantior est spiritus carne, quod illud spiritale est patrocinium, » & secundum Deum *adoptio*, tantò magis spiritalis pater in » omnibus est à spiritali *filio* diligendus... Nulla verò inter eos, » & filios eorum consanguinitas est, quoniam spiritus ea, quæ » sanguinis sunt, nescit: *caro enim*, secundum Apostolum Ga- » lat. 5. *concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus* » *carnem: hæc enim invicem adversantur.* Es tamen alia inter » eos gratuita, & sancta communio, quæ non est dicenda con- » sanguinitas, sed potiùs habenda spiritalis proximitas. Unde » inter eos non arbitramur esse quolibet conjugale connubium; » quandoquidem nec inter eos qui natura, & eos qui adoptio- » ne filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi » permittunt. «

Deinde tanquam consequens infert: » Si ergo inter eos non » contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quantò po- » tiùs à carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per » cœleste Sacramentum regeneratio Sancti Spiritûs vincit? Longè » igitur congruentius filius patris mei, vel frater meus appella- » tur is, quem gratia divina, quàm quem humana voluntas, ut » filius ejus vel frater meus esset, elegit; prudentiusque ab al- » terna corporis commixtione secernimur, quoniam Spiritus » Sanctus suâ nos charitate coadunavit, quàm si vel carnalis ne- » cessitudo, vel invicem nos mutabile cujusdam corruptibilis » hominis arbitrium copulâsset. «

Hoc Responsum Nicolai I. extat apud Gratianum *caus.* 30. *q.* 3. *Can.* 1. atque hinc intelligitur, Pontificem cognationem legalem, & exinde ortum impedimentum in confirmationem hujus impedimenti assumpsisse.

IX. Hujus impedimenti seculo VI. meminit Justinianus in *L.* 26. *Cod. de Nuptiis*, ubi » ea persona omnimodò ad nup- » tias venire prohibenda declaratur, quam aliquis, sive alumna » sit, sive non, à sacro suscepit Baptismate.“ Ratio subjungitur: » Cùm nihil aliud sic inducere potest paternam affectio- » nem & justam nuptiarum prohibitionem, quàm hujusmodi » nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ » sunt.“

X. In Ecclesia Græca hanc cognationem spiritualem, & ex hac resultans impedimentum matrimonii, notam fuisse seculo VII. manifestum est ex *Canone* 53. Synodi VI. in Trullo, ubi Patres dicunt: » In nonnullis autem locis cognovimus quos- » dam, qui ex sancto, & salutari Baptismate infantes suscipiunt, » postea quoque cum *matribus* eorum viduis matrimonium con- » trahere: statuimus, ut imposterum nihil fiat hujusmodi. Si » qui autem post præsentem Canonem hoc facere deprehensi » fuerint, ii quidem ab *illicito* matrimonio desistant; deinde & » fornicatorum pœnis subjiciantur.“

Rationem sui Decreti præmisserunt. *Quoniam spiritualis affinitas corporum conjunctione major est.*

XI. Ubi autem persuasum fuit, hanc spiritualem affinitatem esse majorem corporum conjunctione; ipsumque suscipientem, & susceptum esse ad instar patris, & filii adoptivorum, difficile haud fuit, hoc impedimentum paulatim adinstar impedimenti ex cognatione carnali, & legali profluentis extendere; quemadmodum sensim extensum fuisse, tum ex Canonibus relatis apud Gratianum *caus.* 30. *q.* 3. tum ex Decretalibus sub titulo *de Cognatione spirituali*, videre est.

XII. Et quidem sub nomine Zachariæ & Deus dedit Pontificum extat decretum apud Gratianum loco citato *Can.* 3. » Quòd non oporteat filiam, quam de sacro fonte susceperit » aliquando, filio suo in matrimonium tradere: “ hac subjecta ratione: *Quia in* DIVINA *sententia* GERMANI *esse inveniuntur.*

Hujus Canonis auctoritate aliquando usus Cœlestinus III. respondit, hujusmodi matrimonium esse dirimendum, licèt ambo 30. annis pariter sine quæstione mansissent; quia diuturnitas temporis non minuit, sed auget peccata, *cap.* 3. *de Cognatione spirituali*, in secunda compilatione Decretalium apud Antonium Augustinum.

Verùm, ut rectè advertit Cujacius ad *tit. de spirituali cognatione*, nusquam id reperies in Lege divina. Reperies quidem in vetere lege Longobardarum *lib.* 2. *tit.* 8. ne susceptus audeat filiam susceptoris uxorem ducere, *quia spirituales germani esse noscuntur*; sed in lege divina nusquam.

Et revera hanc omnem cognationem, atque exinde resultans impedimentum esse ex jure merè positivo, sat ostendit va-

ria, quæ diverso tempore, & in diversis Ecclesiis circa hæc fuit, disciplina.

XIII. Synodus quoque Tridentina nullam hîc divinam legem, quæ impedimentum hoc induxisset, aut ad certas personas extendisset, agnoscens, illud contra jam pridem stabilitam disciplinam in multis restrinxit; eò quòd » doceret experientia, » propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus pro- » hibitis ignoranter contrahi matrimonium: in quibus vel non » sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno » scandalo dirimuntur, “ uti loquitur *Cap.* 2. *Sess.* 24. *de Reformat. Matrimonii.*

XIV. His incommodis occurrere volens Synodus statuit, » ut unus tantùm, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Cano- » num instituta, vel ad summum *unus* & *una* Baptizatum de » Baptismo suscipiant.“

Pluribus seculis usitatum fuisse, ut non nisi viri viros & mulieres mulieres de fonte Baptismalis susciperent, notatum est *tit.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. ut proinde meritò hoc salubre Synodi Tridentinæ decretum exactè servetur.

XV. Post hæc subjicit Synodus: » Inter quos, ac Baptiza- » tum ipsum, & illius Patrem, & Matrem, nec non inter Bap- » tizantem, & Baptizatum, Baptizatique Patrem, ac Matrem » *tantùm* spiritualis cognatiò contrahatur.“

Hoc decretum hodie ubique receptum est; ipsamque modernam Ecclesiæ disciplinam circa cognationem spiritualem ex hoc decreto metiri debemus.

Hinc contra dispositionem veterum Canonum, & *cap.* 1. ✠ *de Cognat. spirituali*, hodie valet matrimonium contractum inter filiam suscipientis & Baptizatum, uti censuit sacra Congregatio apud Fagnanum ad dictum *cap.* 1. *num.* 4. neque ultra personas in decreto expressas impedimentum extenditur: vultque Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 10. *cap.* 5. subinde moneri populum, nullam omninò cognationem spiritualem contrahi inter susceptorem, & susceptricem; nec etiam inter Baptizatum, vel susceptum, & suscipientis conjugem. Quod & expressè declaravit Pius V. in Constitutione, quæ incipit *Ad Roman.* 14. *in Bull. Rom.*

XVI. Inde consequens, nihil obstarè, quominus duo conjuges levent eundem de fonte: sed si aliter conjugum propriam utriusque prolem levaret, vel etiam baptizaret, cognationem hanc contraheret cum altero, quæ conjugii usum impediret, saltem donec Ordinarius dispensâsset: excipitur autem casus necessitatis juxta responsum Joannis VIII. in *Can.* 7. *caus.* 30. *q.* 1. quod tamen in fornicario, qui propriam prolem in necessitate baptizaret, non procedere, probat Fagnanus ad *cap.* 2. ✠ *de Cognat. spirit. num.* 8. & *sequentibus*; huncque consequenter cum fornicaria matre prolis baptizatæ validè contrahere non posse.

XVII. Ulteriùs statuit Synodus Tridentina: » Parochus, » antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab » iis, ad quod spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, » ut Baptizatum de sacro fonte suscipiant; & eum vel eos ad » suscipiendum tantùm admittat; & in libro eorum nomina des- » cribat: doceatque eos, quam cognationem contraxerint; ne » ignorantiâ ullâ excusari valeant. Quod si alii ultra designatos » Baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto » contrahant; Constitutionibus in contrarium facientibus, non » obstantibus. «

XVIII. Hæc quidem à Parochis diligenter servanda sunt; attamen si neglecta fuerint, nullusque in particulari designatus fuerit, & nihilominus infantem de sacro fonte susceperint, & Baptizatum tetigerint, cognationem esse contractam verisimilius est. Quin si plures, quàm duo contra Synodi præscriptum tenent, aut suscipiunt Baptizatum, omnes contrahere cognationem, resolvit post alios Barbosa in Collectaneis Doctorum ad citatum *cap.* 2. Concilii Tridentini *num.* 38. & ita S. Congregationem respondisse testatur Fagnanus ad *cap.* 1. *de Cognat. spirituali*, *num.* 5.

XIX. Si parentes nullum designaverint, nec etiam præsentes sint, atque Parochus aliquem, forsan fortuitò præsentem, in patrinum assumpserit, eum, si baptizatum susceperit, contrahere cognationem spiritualem expeditum est: imò si designatum à parentibus Parochus non admittat, & alium casu ingredientem in Ecclesiam vocaverit, ut baptizandum puerum susciperet ac tangeret, cum eo spiritualem cognationem contrahi, resolvit Ludovicus Beda apud Barbosam loco citato *n.* 41.

XX. Nonnunquam contigit, ut quis per procuratorem, seu mandatarium infantem de fonte suscipiat; quo casu aliquando inter Doctores disputatum fuit, à quo cognatio spiritualis contraheretur, an à mandante, an à mandatario, & immediatè tangente: sed de consuetudine universali receptum est, cognationem contrahi à mittente, non verò à procuratore; quia quæ agit procurator, non agit proprio nomine, sed nomine mittentis; tum quia mittens fuit designatus, non verò procurator. Ita post alios refert Barbosa de Officio Episcopi, *part.* 2. *alleg.* 30. *num.* 50.

XXI. Cùm Synodus Tridentina tantùm velit contrahi cognationem inter eos, qui infantem de fonte levârunt, apparet etiam sublatum esse impedimentum impediens, quod per assistentiam in *Catechismo*, seu instructione ante Baptismum olim contrahebatur, juxta *cap.* 2. *de Cognatione spirituali*, *in VI.* maximè ob generalia verba in fine decreti à Synodo Tridentina adjecta: *Omnibus inter alias personas hujus cognationis spiritualis impedimentis* OMNINO *sublatis.*

Unde rectè monet Zypæus in Jure novo ad titulum *de Cognat. spirituali*, cùm pueri domi baptizati sunt, & posteà supplentur preces, & solemnia in Ecclesia, Patrinos hîc tantùm adhibitos, in libro baptizatorum non esse simpliciter ut Patrinos describendos, sed ut *Patrinos Catechismi.*

* Quamvis Concilium Tridentinum imminuerit cognationis spiritualis species, quæ impedimentum dirimens pariunt, non desunt tamen adhuc difficultates, quæ in conscientias scrupulos legitimos possunt injicere. Quotidie occurrunt dubia circa consanguinitatem inter baptizatos, & susceptores, vel baptizatorum parentes contractam; necnon super natalibus vel ætate baptizatorum, quorum probatio, & certitudo vix aliunde, quàm ex Libris seu Registris, quæ dicuntur *Baptismalia* haberi potest: meritò proindè tam ecclesiasticis, quàm civilibus decretis, & sanctionibus injunctum fuit Parochis, ut diligenter singulorum baptizatorum, necnon parentum & patrinorum, & matrinarum nomina, diemque baptismi in libro annotent. Insuper injungitur Parochis, ut si qui fortè ex illicito concubitu nati sint, etiam eos ut tales in ipso, sive Registro baptismali designent.

Ulteriùs ut hæc Registra fideliùs conserventur, & ad illa facilior pateat accessus, Principes nostri signanter in Edicto perpetuo de anno 1611. *art.* 20. ordinârunt, ut Magistratus quorumcumque locorum, quotannis exemplum desumant ex Registris Parochialibus, in quibus notantur baptismata, & in Archiva sua referant: alterumque ad superiorem territorii judicem transmittant.

Hæc si sedulò observarentur, quantæ evitarentur difficultates, & lites, aliaque incommoda!

XXII. Quæ de cognatione contrahenda in Baptismo decrevit Synodus Tridentina, eadem servari voluit in ea cognatione, quæ ex Confirmatione contrahitur; ut scilicet hæc confirmantem, & confirmatum, illiusque & matrem ac tenentem non egrediatur.

Prætereà quæ ad restringendum hoc impedimentum ex susceptione in Confirmatione proveniens decreverint Synodi nostræ Belgicæ, quosque in Patrinos eligi desiderent, retulimus suprà *tit.* 3. *cap.* 4.

XXIII. Cæterum, quia jam pridem Ecclesia hoc impedimentum, & hanc spiritualem cognationem, præsertim in Baptismo ideò induxit, quòd Patrinus credatur fieri quasi pater spiritualis suscepti; satis insinuat, curam spiritualem à suscipiente tanquam patre ipsi suscepto tanquam filio esse impendendam; de qua latiùs actum suprà *tit.* 2. *cap.* 4. & *tit.* 3. *cap.* 4.

XXIV. Non tantùm ob conjunctionem carnalem, & exindè ortam consanguinitatem impediri matrimonium; sed etiam ob quandam honestatem & reverentiam, quæ ab una persona alteri debetur, suprà ostensum est ex Augustino; ac insuper notatum, ob eam rationem manere impedimentum inter filium adoptatum, & uxorem adoptantis post solutam adoptionem: quia inhonestum videtur, nuptias intercedere inter personas, quæ aliquando inter se parentum, & filiorum loco fuerunt.

Hac ratione inductum quoque fuit impedimentum, quod vulgò dicitur *publicæ honestatis.*

XXV. Oritur hoc impedimentum ex duobus; nimirùm matrimonio *rato*, *non consummato*, & *sponsalibus de futuro.* Licèt enim nulla intervenerit conjunctio carnalis, atque ita propriè consanguinitas orta dici nequeat; tamen quia per matrimonium mulier facta est vera uxor mariti; & per sponsalia Desponsi saltem imperfectè jam conjuncti censeantur, & quasi inchoârint contractum matrimonialem; minùs honestum visum fuit, ut maritus cum consanguineis suæ uxoris quamvis nondum cognitæ, aut sponsus cum consanguineis sponsæ suæ nuptias contraheret.

XXVI. De hoc impedimento agit Gratianus *caus.* 27. *q.* 2. atque inter alia decreta profert unum sub nomine Julii Papæ, quo dicitur: »Si quis desponsaverit uxorem, vel subarrhave»rit, & sive præveniente die mortis, sive irruentibus quibus»dam aliis causis minimè eam cognoverit, neque ejus superstes »frater, neque ullus de consanguinitate ejus, eandem sibi tol»lat in uxorem ullo unquam tempore.«

Si authenticum esset hoc decretum, de antiquitate hujus impedimenti ambigi non posset; sed cùm Eruditis sit hodie sat persuasum, esse suppositititium, nihil indè certi haberi potest; uti nec ex aliis, quæ eam in rem allegat Gratianus, eò quòd nihilo magis authentica sint. Illud sat certum, impedimentum hoc, in quantum ex matrimonio rato oritur, se extendisse olim ad septimum gradum, exemplo impedimenti affinitatis; atque unà cum hoc per Concilium Lateranense censeri restrictum ad quartum gradum.

XXVII. Ortum verò ex sponsalibus de futuro similiter olim se extendebat ad eundem gradum, modò essent *pura*, & *certa*, id est, cum certa & determinata persona, licèt quavis ratione invalida; & dummodò non essent nulla ex *defectu consensûs*, oriebatur impedimentum efficax ad impediendum, & dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, *cap. unico*, *de Sponsalibus*, *in VI.*

XXVIII. At Synodus Tridentina edocta per experientiam de incommodis ex multitudine impedimentorum provenientibus hoc quoque impedimentum limitavit, decrevitque citatâ *Sess.* 24. *cap.* 3. »Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi spon»salia quacunque ratione valida non erunt, sancta Synodus pror»sus tollit, ubi autem valida fuerint, primum gradum non ex»cedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hu»jusmodi prohibitio absque dispendio observari.«

XXIX. Synodum hîc agere de sponsalibus propriè dictis sive de *futuro*, editâ speciali Constitutione, quæ incipit, *Ad Romanum*, 62. *in Bullar. Rom.* declaravit Pius V. »At»tendentes (ait) quòd sponsaliorum appellatione, quâ dictum »Concilium utitur, non nisi *impropriè* matrimonium verbis de »*præsenti* conceptis contractum continetur; quodque agitur »de correctione juris veteris, quo casu secundum proprietatem »verborum duntaxat procedendum est, præsertim cùm longè ma»jorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præ»senti contracto, quàm in sponsalibus *de futuro* vigere â nemi»ne dubitetur.«

XXX. Nihil ergò circa impedimentum *publicæ honestatis* proveniens ex matrimonio rato non consummato innovavit Synodus Tridentina; ideoque ex pristino jure illud etiam hodie extenditur ad quartum gradum: ita ut, qui matrimonium contraxerit cum Catharina, eâ mortuâ ante consummationem, non possit validè contrahere citra dispensationem cum illa, quæ Catharinam quarto consanguinitatis gradu attingebat.

XXXI. Quin & hinc ulteriùs deducitur, hodie ex matrimonio quavis ratione nullo, præterquam defectu *consensûs*, oriri hoc impedimentum; quandoquidem jure veteri oriretur, & Synodus Tridentina nihil circa hoc impedimentum, quatenus ex contracto matrimonio oritur, mutaverit: & hanc sententiam multis adstruit Fagnanus ad *cap.* AD AUDIENTIAM ✠ de *Sponsalibus.*

Quoad impedimentum hoc ut proveniens ex *sponsalibus de futuro*, in duobus jus commune correxit Synodus Tridentina.

XXXII. Primò quidem contra Decretalem Bonifacii VIII. in *cap. unico*, *de Sponsalibus*, *in VI.* sublatum prorsus est hoc impedimentum ex sponsalibus nullis, non tantùm defectu consensûs, sed quavis etiam aliâ ratione.

Sed quid si valida quidem ab initio fuerint, sed mutuo consensu postmodum dissoluta? Cùm reverà fuerint sponsalia validè contracta, adeoque verum fuerit, ipsos fuisse desponsos, non apparet ex mente Synodi, ea posse comprehendi sub sponsalibus invalidis, nec consequenter impedimentum *publicæ honestatis* ex hujusmodi sponsalibus ortum à Synodo esse omninò sublatum: atque ita non semel resolvisse S. Congregationem testatur Fagnanus loco citato *num.* 29. ac signanter 6. Julii anno 1658. Quâ resolutione ad Sanctissimum cum rationibus hinc inde deductis, & recentioribus ejusdem Congregationis in hac materia responsis, ipse Sanctissimus die 10. ejusdem mensis prædictam Congregationis resolutionem probavit, eandemque jussit in dubium deinceps non revocari.

XXXIII. Secundò quoad sponsalia *valida* restrinxit Synodus hoc impedimentum ad *primum* gradum; cum juri communi extenderetur ad quartum: ideoque sponsus hodie potest contrahere cum consanguinea sponsæ in secundo gradu.

Et quidem ut oriatur hoc impedimentum etiam usque ad *primum* gradum, requiritur, ut sint sponsalia absoluta, & valida, id est, non conditionata, quorum effectus suspenditur à conditionis eventu; cùm revera non sint absolutè sponsalia ante conditionis eventum. Barbosa in Collectaneis Doctorum ad citatum *cap.* 3. Synodi Tridentinæ *num.* 10.

CAPUT VII.

De Impedimento criminis.

1 *Adulterium apud Romanos impedimentum fuit.*
2 *Augustinus videtur* adulterium *pro impedimento agnovisse.*
3 *Etiam seculo IX. idem obtinuisse verisimile est.*
4 *Gratianus non videtur intellexisse Canonem Concilii Triburiensis.*
5 *Gratianus Canones generaliter de* adulterio *loquentes restrinxit.*
6 *Gratiani auctoritas fecit, ut hæc restrictio pro jure sit recepta.*

Eam

7 *Eam insinuat Alexander III.*
8 *Innocentius III. eam pro jure habuit.*
9 *Adulterium dirimit, si sibi mutuò fidem dederint.*
10 *Ignorantia potest eatenus excusare, ut non oriatur impedimentum dirimens.*
11 *Alter casus, quo adulterium hodie dirimit matrimonium.*
12 *Homicidium quandonam dirimat matrimonium.*
13 *Hæc impedimenta sunt juris positivi.*
14 *Quomodo de his populus monendus.*

I. MUlta olim crimina impedivisse matrimonium, suprà notatum fuit. Inter hæc autem fuisse *adulterium*, dubium non est, neque illud solùm impedivisse, sed & dirimisse matrimonium inter adulterum & adulteram, non obscurè indicat Novella Justiniani 134. *cap.* 12. quod & apud Romanos cautum fuisse, colligitur non obscurè ex *leg.* 11. §. 11. & *leg.* 40. *ff. ad L. Juliam de Adulteriis.* Unde ad dictam *leg.* 40. notat Gothofredus: *Mulier nubere potest ei, cum quo adulterii tantùm insimulata est, non convicta.*

II. Idipsum probare videtur Augustinus *lib.* 1. *de Nuptiis & concupiscentia, cap* 10. ubi ita legitur: »Marito mortuo »cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non »potest, cum quo priùs *adulterium* fuit.«

Refert quidem Gratianus *causa* 31. *quæst.* 1. *Can.* 2. hunc textum Augustini sine negatione, sed perperam uti post Correctores Romanos notavit Cujacius ad *cap.* 1. ✠ *de Eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium*: ubi quoque observat, juxta antiquos Canones, mulierem, quæ sciens se præbuit alieno marito, nunquam potuisse cum eo matrimonium inire.

III. Et quidem multis seculis eam disciplinam viguisse verisimile est ex *Canone XL.* Concilii Triburiensis an. 895. in quo generaliter definitur: »Non licet ergò, nec christianæ religioni oportet, ut nullus eâ utatur in matrimonio, cum qua »prius pollutus est adulterio.«

IV. In illo quidem Canone specialis casus proponitur, & deciditur; nimirum quo adulteri sibi *mutuo fidem* dederant, interposito juramento de ineundo matrimonio post mortem alterius legitimæ partis; sed post decisionem casûs, prædictam generalem conclusionem Patres subjiciunt: quod non advertens Gratianus, fragmentum Canonis tantùm referens, hanc ei epigraphen præfixit: *post mortem viri non potest adulteram in conjugium ducere, qui viro vivente* JURAMENTUM *sibi futurarum nuptiarum præbuit.*

V. Quin & Canonibus generaliter loquentibus ipse Gratianus hanc restrictionem adhibendam censuit: »Si nihil in mortem viri machinatus fuerit; vel si vivente viro fidem adul»teræ non dedit, se sumpturum eam sibi in conjugem, si vi»ro ejus superviveret.« Habetur post *Can.* 3. *caus.* 31. *quæst.* 1.

VI. Cum autem circa seculum XII. & XIII. auctoritas Decreti Gratiani ita invaluisset, ut vix aliunde quàm ex illo desumerentur quæ quæstionibus disciplinæ decidendis servire possent, tandem hæc restrictio Gratiani pro jure invaluit; uti observat Cujacius *loco citato.*

VII. Hinc Alexander III. seculo XII. hanc restrictionem non obscurè admittit in *cap.* 1. ✠ *de eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium*, dicens: »Licèt in Ca»nonibus habeatur, ut nullus copulet matrimonio, quam prius »polluerat adulterio, & illam *maximè*, cui fidem dederat uxo»re sua vivente; vel quæ machinata est in mortem uxoris, &c.

VIII. Sed apertiùs subsequentes Pontifices eam admissêre; quin & definierunt, legitimum esse matrimonium *adulteri* cum *adultera* post mortem legitimæ uxoris, »nisi alter eorum in »mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel eâ vivente si»bi fidem dederint de matrimonio contrahendo.« Uti respondit & definiit Innocentius III. in *cap.* 6. ✠ *eodem*, quæ definitio, & responsum pro jure hodie recepta sunt.

IX. Itaque juxta modernam disciplinam, adulterium generaliter non dirimit matrimonium cum altera initum; sed his duntaxat casibus.

Primò, si *sibi fidem* dederint de contrahendo matrimonio; vel si de facto matrimonium initum sit, licèt sciretur alter conjugum adhuc vivere; sive id contigerit ante vel post commissum adulterium, uti deciditur in *cap. fin.* ✠ *eodem.*

X. Si tamen mulier ignoraverit, adulterum junctum esse matrimonio, non prohibetur eo casu matrimonium mortuâ uxore cum eo contrahere *cap.* 7. ✠ *eod.* quia non intervenit *formale* adulterium. Imò si *de facto* contractum sit matrimonium, licèt *nulliter* ob prius matrimonium mariti adhuc subsistens; si tamen mulier, quæ hoc matrimonium ignorabat, in secundo manere velit, vir ab ea recedere non potest, *cap.* 1. ✠ *eodem*, quia *dignum non est, ut vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet.*

XI. Alter casus, quo non subsistit matrimonium inter adulterum, & adulteram, est, si vel maritus adulter aliquid machinatus fuerit in mortem conjugis suæ, vel mariti adulteræ, ut cum ea contrahere posset; vel adultera in mortem sui mariti, vel uxoris adulteri *cap.* 3. ✠ *eod.*

XII. Homicidium quoque dirimit matrimonium sine adulterio, dum scilicet vir, aut uxor cum tertio conspiravit in mortem suæ compartis; quo casu, si fuerit mors secuta, non poterit superstes cum tertio illo matrimonium inire, *cap.* 1. ✠ *de Conversione infidelium*; licèt alter esset infidelis & ad ejus conversionem patrata esset talis occisio, & initum matrimonium: *Cum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit.*

XIII. Impedimentum adulterii etiam junctâ machinatione in mortem mariti adulteræ esse tantùm juris possitivi, colligitur ex matrimonio Davidis cum Bethsabee; illud tamen rectè inductum est, ut hoc saltem pacto hujusmodi scelera cohiberentur, dum scirent, his criminibus ad matrimonia perveniri non posse.

XIV. Meritò subindè, sed tamen castè & prudenter populus de hoc monendus, præcipuè de *adulterio cum promissione*; quia natum est, ut frequentiùs usu veniat. Et generatim subindè saltem moneantur, ut si adulterium, aut homicidium intervenerit, tunc inquirant, an impedimentum non sit.

CAPUT VIII.

De Impedimento ex cultus disparitate.

1 *Quinam dicantur dispares cultu.*
2 *Rarus hodie hic impedimenti hujus usus.*
3 *Impedimentum hoc olim incognitum.*
4 *Hoc impedimentum consuetudine videtur introductum.*
5 *Justa de causa Ecclesia hoc impedimentum probavit.*
6 *Matrimonia Catholici cum Hæretica apud Græcos fuerunt jam pridem invalida.*
7 *Ecclesia Latina ejusmodi matrimonia non habet pro irritis.*
8 *Parochi à similibus matrimoniis deterrere debent ob periculum perversionis.*
9 *Secundò ostendere debent Parochi periculum ex istis matrimoniis prolibus imminens.*
10 *Insuper quàm facilè pars Catholica ab Acatholica perverti possit.*
11 *Cur Ecclesia potiùs matrimonium cum non baptizato quàm cum Hæretico irritum fecerit.*
12 *Quomodo matrimonium Catholici cum Hæretica aliquando permitti possit.*

I. CUltûs disparitas hîc non accipitur pro quavis in religione disparitate, quasi dispares in cultu censerentur, qui diversam profitentur religionem, v. gr. Catholicam, & Calvinisticam, seu Lutheranam; sed soli & omnes illi dicuntur hîc *dispares cultu*, quorum unus est validè baptizatus, & alter non est validè baptizatus; tametsi etiam ambo profiterentur eandem religionem Catholicam, modò unus eorum esset tantùm baptizatus, alter verò adhuc esset Catechumenus: si autem uterque sit baptizatus, quantumvis disparem religionem profiteantur, nequaquam inter ipsos, juxta vulgarem, & jam receptum modum loquendi est *disparitas cultûs.*

II. Cùm hodie præsertim hisce in Regionibus pauci sint non baptizati, & pauciores, qui cum non baptizatis conjugia inire prætendunt, rarus admodum est in hisce Regionibus hujus impedimenti usus.

III. De hoc inter omnes passim convenit, hoc impedimentum multis seculis fuisse incognitum; atque olim inter dispares cultu eo modo sumptos, constitisse verum matrimonium; taleque fuisse matrimonium S. Monicæ matris S. Augustini cum Patricio viro Ethnico non baptizato; quod narrat ipse Augustinus *lib.* 9. *Confess. cap.* 9. nec quidquam scribit, unde colligatur, matrimonium improbasse.

IV. Hoc insuper sat communiter receptum, hoc impedimentum non aliquo possitivo Ecclesiæ decreto, sed jure quodam consuetudinario esse introductum; atque hinc deducitur, consuetudine impedimenta dirimentia induci posse: quod & exprimitur in *cap.* 1. ✠ *de Cognatione spirituali*, ubi respondet Alexander III. inter certas personas ibidem expressas conjugium iniri posse, *nisi consuetudo Ecclesiæ, quæ scandalum generet, aliter se habeat.*

V. Illud negari nequit, quin justissimis de causis Ecclesia hoc impedimentum receperit; semperque vissum esse, hujusmodi conjugia multis incommodis solere esse obnoxia, quæ fusè & eleganter jam pridem descripsit Tertullianus *lib.* 2. *ad Uxorem, cap.* 2.

VI. Quoad matrimonia baptizatorum, quorum una partium est Catholica, altera verò hæretica, apud Græcos jam pridem invalida fuisse videntur juxta Canonem LXXII. Trullanum, quo decernitur: »Non licere virum orthodoxum cum »muliere hæretica conjungi, neque verò orthodoxam cum vi-

» ro hæretico copulari; sed & si quid ejusmodi à quopiam fac» tum apparuerit, irritas nuptias existimare, & nefarium conju» gium dissolvi. Neque enim ea, quæ non sunt miscenda mis» ceri, neque ovem cum lupo, nec peccatorum sortem cum » Christi parte conjungi oportet. «

Hæc conjungia invalida hîc declarari notant Balsamon & Zonaras in notis ad hunc Canonem: » Nam qui simul ita vi» vunt (ait Zonaras) ut eorum animi in iis, quæ ad fidem per» tinent, contrario modo affecti sint, quo pacto eos in aliis » rebus convenire posse, quispiam arbitretur? Quorumque » sensus, in iis, quæ sunt fidei, quorum prima est, atque præ» cipua ratio, minimè congruunt, quo pacto inter se æquis » animis in reliqua vitæ societate communicabunt. «

VII. Quamvis Ecclesia Latina nullum impedimentum saltem dirimens hactenus statuerit, quo matrimonium Catholici cum hæretica irritetur, nihilominus jam pridem ob plura ex similibus matrimoniis sequi nata incommoda, ea improbavit, & hodie improbat; ac novissimè conformiter ad mentem Ecclesiæ Episcopus Castoriensis per Provincias confœderatas Vicarius Apostolicus hoc edidit decretum: » Prohibemus sub pœ» na suspensionis ab officio Missionis omnibus Missionariis, ne » quis personas, quarum altera est Acatholica, nobis incon» sultis, & sine speciali nostro consensu, præsumat conjungere. «

VIII. Deindè in eodem Decreto, sive Constitutionibus additur: » Sæpè deterreant Pastores, aliique Missionarii plebem » Catholicam, ne conjugii jugum ducant cum infidelibus, ne » cum illis velint unum corpus fieri, cum quibus non possunt » fieri unus spiritus. «

Motiva, quibus Parochi fideles à similibus matrimoniis deducant, desumi imprimis posunt ex periculo perversionis, non tantùm prolibus, sed & nepotibus, & pronepotibus subinde in multas generationes imminente ex hujusmodi Matrimonio cum persona Acatholica.

IX. Et quidem advertendum, periculum prolibus imminens non satis præcaveri per juramentum, & promissione conjugis hæretici, si quidem Ministri Acatholici facilè dicturi sunt istiusmodi juramenta non esse tantùm non servanda; sed & servari illicitè. Accedit non leve periculum hæreticæ educationis prolibus imminens, etiam vivente parente Catholico, seu à blanditiis matris hæreticæ, seu à minis Patris hæretici, potissimum iis in locis, ubi penes Acatholicos est suprema potestas. Et quod semper adest exemplum parentis hæretici, necnon quotidiana de hæresi colloquia, & de fide quæstiones, & contentiones, quæ nata sunt, si non extinguere, saltem imminuere fidem Catholicam, ipsasque proles in fide Catholica vacillantes, & flaccidas reddere.

X. Ostendi insuper potest, non infrequenter etiam parti Catholicæ perversionis periculum imminere, eò quòd tam arcta conjunctio, qualis est matrimonialis, soleat mores partis hæreticæ facilè derivare in partem Catholicam; atque sensim parte Catholica ex naturali erga compartem affectu, & morum imitatione nonnihil excæcata, incipiat hæresis ipsi minus horrida apparere: sicque minus ab hæresi abhorrere: & tandem ut comparti placeat, eam amplecti; præsertim quòd qui hujusmodi matrimonia ineunt, non soleant ab hæresi esse tantopere alieni; quia si multùm eam exhorruissent, noluissent tam arcto vinculo personæ hæreticæ jungi.

XI. Plura alia motiva ex incommodis, & infaustis similium matrimoniorum effectibus desumenda facilè Parochis, præcipuè in provinciis, ubi frequentiora esse consueverunt talia matrimonia, per quotidianam experientiam occurrent; nec dubium quin reperient, non rarò ex matrimoniis personæ Catholicæ cum Acatholica eadem incommoda oriri, quæ suo tempore matrimonia Fidelis cum Infideli secum trahere dixit Tertullianus loco suprà allegato: potiùs tamen Ecclesia induxit, aut induci passa est impedimentum dirimens matrimonium Fidelis cum Infideli, seu baptizati cum non baptizata, quàm Catholici cum Hæretica: eò quòd faciliùs sciri queat quis non sit baptizatus, quàm quis dicendus, ac reputandus sit Hæreticus.

XII. Adhæc, licèt incommoda, quæ matrimonium Catholici cum Hæretica comitari solent, non evincant, simile matrimonium semper jure naturæ esse illicitum; eò quòd queant esse circumstantiæ, quæ sperari faciant tanta bona ex simili Matrimonio; aut hujusmodi necessitas concurrat, ut prævaleant incommodis, quæ timentur, nihilominus hoc concludunt, similia matrimonia ut plurimùm etiam jure naturali esse illicita; prudenterque positivo decreto inferioribus Parochis, seu Missionariis esse interdictum, ne istiusmodi matrimoniis assistant; nî priùs Episcopus consenserit. (u)

(u) *D. de Hericourt de Legibus Eccles.* part. 2. num. 28. *edit. ann.* 1743. *arbitratur Matrimonium, quod Catholicus cum Hæretica in Galliis contraxit, esse invalidum: nititur articulo Edicti, quod ann.* 1680. *dedit Ludovicus XIV. ubi de ejusmodi Matrimoniis legitur* Declarant tels Mariages, non valablement contractés. *Quod intelligit debet de Hæreticis notoriè declaratis.*

CAPUT IX.

De Metu.

1 *Quid metus; & an causet involuntarium.*
2 *Qua ratione in actione ex metu interveniat involuntarium.*
3 *Quis sit metus cadens in virum* constantem.
4 *Quis dicendus metus* levis.
5 *Metus levis non est facilè attendendus.*
6 *Quid considerandum in metu.*
7 *Quis censendus sit hîc & nunc metus gravis, à judice determinandum: & unde*
8 *Qualiter judex hîc procedere debeat.*
9 *Metus gravis reddit matrimonium nullum.*
10 *Impedimentum hoc potiùs juri naturali, quàm possitivo adscribendum.*
11 *An Metus* de se levis *aliquando irritet matrimonium.*
12 *In his Provinciis non facilè ob prætensum metum Matrimonia* Invalida *declaranda: & quare.*
13 *Quid Parocho agendum, si metum subesse suspicetur.*
14 *Metus gravis voluntarius in causa non dirimit matrimonium.*
15 *Debet esse incussus ad matrimonium contrahendum.*
16 *Non refert à quo fuerit incussus.*

I. METus est, inquit Jurisconsultus in *L.* 1. *ff. Quod metûs causâ gestum est*, instantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio.

Metus non causat absolutè involuntarium: quia qui ex metu aliquid agit, voluntariè id agit, ut illud, quod metuit, evadat. Exempli gratiâ, qui ex navi ejicit merces ob periculum naufragii, voluntariè eligit ejectionem mercium, ut evitet imminens naufragium; ipsamque ejectionem mercium præligit potiùs, quàm sustinere periculum naufragii, eamque electionem voluntariè facit, id est, cum plena advertentia rationis, ac deliberatione voluntatis.

II. Advertendum tamen, quòd is, qui metu adactus aliquid agit, licèt id voluntariè agat, ideoque coacta voluntas sit, uti loquuntur Jurisconsulti, nihilominus & illud certum est, in actione metu elicita intervenire quoddam involuntarium contrarium libertati.

Qui enim ob instans, aut prævisum aliquod malum sibi imminens, quidquam agit, non facturus nisi illud malum sibi immineret, non omninò liberè, sed ab imminenti illo malo quasi adactus hoc præ alio eligit.

III. Et quidem si malum imminens sit hujusmodi, ut hominem alioquin prudentem, & in rebus agendis non levem moveret, ut faceret istud, quod aliàs non fecisset, si periculum illius mali non adfuisset, dicitur is egisse ex metu gravi, seu prudenti; dicitur is metus vulgò metus *cadens in virum constantem*, in *cap.* 4. ✠ *de his, quæ vi metusve causâ*, & *cap.* 15. & 28. ✠ *de Sponsalibus.*

IV. Si verò malum imminens sit adeò leve, aut periculum illius ita remotum, aut tam parum verisimile, ut nullum virum prudentem & constantem moveret ad faciendum, quod factum est, dicitur id factum ex metu levi, & vano; neque jura illius rationem haberi voluerunt.

V. Unde scribit Juris Consultus in *L.* 1. *ff. Quod vi metusque causâ gestum erit*: » Metum autem non vani hominis, » sed qui meritò & in hominem *constantissimum* cadat, ad hoc » Edictum pertinere dicemus « Edictum nimirum Prætoris, de quo in *leg.* 1. *ff. eod. Quod metus causâ gestum erit, ratum non habebo.* Deindè eodem fundamento dicitur in *L.* 7. *ff. eod.* » Proindè si quis meticulosus rem nullam frustrà timuerit, per » hoc edictum non restituitur: quoniam neque vi, neque me» tûs causâ gestum est. «

Similiter citato *cap.* 28. respondet Pontifex: » De illato me» tu est cum diligentia inquirendum, & si talis metus inveniatur illatus, qui potuit cadere in constantem virum, erunt » non immeritò audiendæ. « Sat insinuans, ob metum levem, & vanum neminem audiendum.

VI. Itaque rectè ait Covarruvias, de matrimonio *part.* 2. §. 4. *num.* 5. » Virum interpretor prudentem, qui sciat eligere » minus malum ob majoris mali periculum evitandum. «

Hinc infert *num.* 6. » Non esse metum cadentem in virum » constantem, nec excusare, si quis etiam ad evitandam mor» tem eligeret peccare mortaliter: imprudens enim esset omni» nò, qui mallet mortaliter peccare, quàm mortem ipsam cor» poris subire. «

Inde ulteriùs patet, metum aliquem posse de se ac simplici-

citer consideratum esse *metum gravem*; & qui moveret virum prudentem, si comparetur ad unam actionem, & tamen non esse talem comparatum ad aliam actionem.

Quis enim ambigat, quin metus imminentis mortis sit metus, qui meritò moveret virum prudentem ad eligendam amissionem notabilis summæ pecuniæ; qui tamen non sit sufficiens, ut eundem moveat ad peccandum mortaliter.

VII. Similiter & personarum sexum, conditionem, aliasque circumstantias expendendas esse, ut judicetur an hîc & nunc fuerit metus gravis, an levis, dubium non est: atque communiter tradunt Canonistæ post Glossam in *cap.* CUM DILECTUS ✠ *de Iis quæ vi metusve causâ*, arbitrio judicis relinquendum esse, quinam metus dicatur cadere in constantem virum: » Judex enim (ait Covarruvias *num.* 15.) ut ipse intelli» go, arbitrabitur, an vir prudens & constans eligeret potiùs » id agere, quod timoris causa fit, quàm periculum quod im» minet subire. «

VIII. Ex quo dein *num.* 16. infert: » Judex arbitrio pro» prio decernere debet, non ita anxiè, atque strictè hanc eli» gendi prudentiam exigendam esse in fœminis, quibus à na» tura inest minor animi vigor, corporisque fortitudo: sed con» siderandum esse, quid fœmina *constans* eligeret pensatâ na» turali fœminarum prudentiâ. Aliquid enim cogeret fœminam, » etiam constantem, ad eligendum id quod vir constans mini» mè eligeret. «

IX. His præmissis, indubitatum est metum gravem seu cadentem in *virum constantem*, non tantùm contractum matrimonialem subjicere legi rescissionis, sive metu adactum contractum matrimonialem officio judicis rescindi petere posse, quemadmodum in aliis contractibus metu initis jura statuunt; sed ipsum matrimonium dirimere, sive matrimonium ex simili metu initum esse nullum; uti apertè supponitur in *cap.* 15. & 28. ✠ *de Sponsalibus*, & *cap.* 2. ✠ *de eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.* Ratio indicatur in *cap.* 17. ✠ *de Sponsalibus*, cùm libera debeant esse matrimonia, & coactiones difficiles soleant frequenter exitus habere.

X. Illud hîc notandum, Pontifices in citatis Decretalibus non inducere impedimentum *dirimens*; sed resolvere simpliciter, matrimonia per metum inita esse *invalida*; adeoque impedimentum illud supponere. Et reverà cum contractus matrimonialis sit præ cæteris contractibus mutui amoris, & dilectionis conjunctio, etiam præ cæteris exigit quandam libertatem, atque omnem coactionem abhorret: præsertim quia semel validus, & perfectus quandam habet indissolubilitatem, neque adinstar aliorum contractuum rescindi facilè potest: ut proindè meritò hoc impedimentum non soli juri positivo, sed naturali adscribendum sit.

XI. Porrò quamvis metus de se *levis*, neque aptus ut virum, aut etiam mulierem prudentem ad eligendum Matrimonium moveret, queat subindè in aliqua persona meticulosa causare involuntarium, seu libertatem adimere, hujus tamen rationem Ecclesia habere non solet; ne alias passim *invalida* prætendi possent matrimonia; & quia » non facilè Ecclesia, quæ non » judicat de occultis, præsumit, aut probatum habet, spon» taneum consensum defuisse ex leviusculo metu, quamvis à parte » rei aliud sit; " ait Zypæus *Consult.* 1. *de iis quæ vi vèl metu*, qui addit: » quando tamen revera ex judicio viri prudentis cons» taret levem licèt causam, verè tamen gravem metum incussis» se, tantumque ut spontaneum consensum defuisse commos» tretur, non dubitem matrimonium pro irrito haberi; quia » certè nihil interesse, quo metu quis compulsus sit, dum cons» tat compulsum esse."

XII. Non facilè tamen judicandum est, ob levem metum consensum spontaneum, & sufficientem defuisse, neque præsertim hisce in Regionibus facilè Matrimonium ob metum prætensum *nullum* declarandum; cùm juxta Ritualia non antea conjungendi sint, quàm interrogati à Parocho, an venerint ad contrahendum suâ voluntate, & à nullo coacti, responderint affirmativè.

XIII. Si tamen Parocho suspicio suboriatur, quòd metus ab alterutra parte subesset, poterit non tantùm in ipso actu conjunctionis, modo prædicto interrogando, sed vel maximè prævie id examinare; putà, dum uterque examinatur seorsum, an sciat scitu necessaria, aut aliâ occasione quæ Parocho convenientior videbitur

Hanc inquisitionem commendat Synodus P. I. Mechliniensis titulo *de Sponsalibus*, *cap.* 2. his verbis: » Quia coactæ nuptiæ » tristem plerumque, & luctuosum habent exitum, diligenter in» quirant Pastores, an matrimonium contracturi sponte, & ani» mo deliberato, non vi aut metu parentum, amicorum, aut » aliorum coacti ad matrimonium procedant. Quod si invenerint » aliquem vel aliquam ex contrahentibus coactum ad contrahen» dum: nullo modo ad conjunctionem eorum procedere au» deant; neque alteri vices suas committant, sub pœna suspen» sionis ab officio, & Beneficio."

XIV. Metum gravem dirimere matrimonium, quia impedit spontaneum, ac liberum consensum, suprà notavimus; unde si ipse sponsus causam metûs voluntariè posuerit, ita ut metus proveniat ex causa ab ipso metu patiente voluntariè positâ, metus justè ob illam causam incussus matrimonium non irritabit. Exempli gratia, si judex carcerem aliamve pœnam minetur juveni, ni contrahat cum puella, quam promissione matrimonii stupravit; & ipse juvenis ex metu comminatæ pœnæ matrimonium contrahat cum illa, alias non contracturus, matrimonium erit validum; quia voluntarium, quod fuit in ponendo actu, qui comminatæ pœnæ, & metui causam dedit, supplet si quid forsan modò circa voluntarium in contractu matrimoniali deesset.

XV. Adhæc requiritur, ut metus sit incussus in finem matrimonii, seu consensus extorquendi: aliter enim vis directa non fit huic contractui: v. g. si quis metu inferni, vel mortis aliunde imminentis aliquam ducit, (vel ut sæpe fit) metu incontinentiæ, paupertatis &c. validum est matrimonium.

XVI. Illud autem non refert à quo inferatur, an ab altero contrahentium, an à tertio, v. g. à parentibus, modò injustè & directè ad extorquendum matrimonium, eò quòd per metum taliter incussum reverà spontaneus consensus impediatur; quod apertè supponit prædictum decretum Synodi Mechliniensis. (x)

CAPUT X.

De Impedimento Raptus.

1 *Plures pœnæ per leges Romanas contra Raptorem.*
2 *Etiam in Belgio.*
3 *Ex lege Justiniani Raptus videtur fuisse impedimentum perpetuum.*
4 *Idipsum indicant Capitularia Regum Francorum.*
5 *Videtur quod olim nunquam licitum, aut validum fuerit inter Raptorem, & raptam.*
6 *Aliquando relaxatum fuit hoc impedimentum.*
7 *Quid statuerit circa hoc impedimentum Synodus Tridentina.*
8 *Qua ratione dicatur per Synodum Trid. inductum novum impedimentum.*
9 *In quibus decretum Tridentinum discordet à pristina disciplina.*
10 *Quæ sint pœnæ contra Raptum ex decreto Concilii Tridentini.*
11 *In quibus hæ pœnæ locum habeant.*
12 *Synodus Trid. videtur loqui de Raptu, qui violentiam adjunctam habet.*
13 *In Gallia etiam attenditur Raptus* seductionis *sine violentia.*
14 *Hic Raptus frequentior, & quando matrimonium dirimat.*

I. QUàm graves, acerbæque pœnæ olim per leges Imperiales contra raptum decretæ fuerint, videri potest in legibus Constantini M. ejusque filii Constantii, necnon Gratiani, quæ referuntur in Codice Theodosiana *lib.* 9. *tit.* 24. *de Rapt. Virginum vel Viduarum*; nec non in *L. Unic. Cod. Just. eod. tit.* quas passim interpretes ac signanter Gothofredus, ac citatum titul. Codicis Theodosiani, latè explicant; notatque speciatim Gothofredus, quòd Constantinus M. ut omnis via obstrueretur ad hoc crimen committendum, neque Raptæ consensu, neque parentum ratihabitione, patientiâ, silentio hoc crimen elui voluerit; aut raptum hoc patrocinio sustineri, raptoremque denique ea spe sibi blandiri.

II. Hîc in Belgio olim gravissimis pœnis quoque raptus puniebatur; uti ex antiquis Principum nostrorum tabulis cognosci potest, quas recitat Zypæus ad titulum *de Sponsalib. num.* 25. (y)

III. Sed quod ad præsentem materiam, nimirùm impedimenti matrimonii, propriùs accedit, Justinianus in citata Lege unica decrevit: » Nec sit facultas raptæ virgini, vel viduæ, vel cui» libet mulieri raptorem in suum sibi maritum exposcere, sed » cui parentes voluerint (excepto raptore) eam legitimo copu» lent matrimonio: quoniam nullo modo, nulloque tempore da» tur à nostra Serenitate licentia eis consentire, qui hostili mo» re

(x) *Qui in Galliis personas sibi subditas per vim seu metum gravem adigunt ad contrahenda matrimonia, illi excidunt gradu nobilitatis, fiuntque rei criminis raptûs, ut constat Edicto Blesensi.*

(y) *In Hispania si quis Virginem, Viduam, desponsatam aut Religiosam rapuerit, & violaverit, præter amissionem bonorum, cuilibet ex eis applicandorum, pœnam mortis incurrit, ut præscribitur in leg.* 3. *tit.* 20. *part.* 7. & 1. & 2. *tit.* 10. *lib.* 10. *Fori legum.*

» re in nostra republica matrimonia studeat sibi conjungere. » Oportet etenim, ut quicunque uxorem ducere voluerint, si- » ve ingenuam sive libertinam, secundum nostras leges, & » anti juam consuetudinem, parentes, vel alios, quos de- » cet, petat, ut cum eorum voluntate fiat legitimum con- » jugium."

Quin ibidem Justinianus voluerit esse impedimentum *perpetuum*, nullo quantumvis spontaneo consensu ipsius raptæ abolendum, inter raptorem & raptam, evidens est.

IV. Ipsa quoque Regum Francorum Capitularia idipsum indicant. Legitur enim *lib. 6. cap.* 69. » Si quis alterius sponsam, virginem, aut viduam necdum desponsatam rapuerit, » vel furatus fuerit, placuit, ut sive eam postea sponsaverit, » sive dotaverit, seu non, sive cum parentum ejus voluntate » quocunque commento ipsam accipere vel tenere potuerit, » nunquam illam uxorem habeat; sed raptori, aut furi aufera- » tur, & proximis suis alio viro tempore congruo, si ipsa hoc » malum non consenserit, nuptura legibusque acceptura red- » datur. «

Et *lib. 7. cap.* 395. » Placuit ut hi, qui rapiunt fœminas » vel furantur, aut seducunt, ut eas nullatenus habeant uxo- » res, quamvis eis postmodum conveniat, aut eas dotaverint, » vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint. « Extat apud Gratianum *Caus.* 36. *quæst.* 2. *Can.* 11. sed sub nomine Concilii Aquisgranensis; notantque Correctores Romani idipsum decretum inveniri in Concilio Rhemensi Trosleano, *c.* 8.

In Synodo Regiaticina sive Ticinensi anno 850. *cap.* 10. decernitur, quòd puellæ » ipsis, à quibus raptæ sunt, legitimæ » demum uxores nullatenus esse possunt."

V. Ex his, aliisque nonnullis Canonibus seculo VII. & sequentibus editis, credunt nonnulli, raptum fuisse saltem in quibusdam Ecclesiis impedimentum dirimens perpetuum inter raptorem, & raptam; adeò ut nec per spontaneum consensum raptæ, tametsi à rapta in loco tuto, & extra potestatem raptoris constituta præstitus fuisset.

VI. Quidquid sit, illud constat, seculo XI. & sequentibus impedimentum hoc relaxatum fuisse; atque matrimonium inter raptorem, & raptam validum reputatum, modò consensus raptæ intervenisset; responditque conformiter ad hanc disciplinam Innocentius III. in *cap.* 7. ℵ *de Raptoribus*: » Rapta puel- » la legitimè contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat » postmodum in consensum: & quod ante displicuit, tandem » incipiat complacere. «

VII. Synodus Tridentina expendens quàm parum fidendum sit consensui, quem puella quandiu est in potestate raptoris præfert, decernit *Sess.* 24. *cap.* 6. *de Reformat. matrimonii*: Inter raptorem, & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium.

VIII. Itaque juxta hoc decretum subsistit impedimentum dirimens inter raptorem & raptam, quandiu hæc manet in potestate raptoris, ut quamvis eo tempore puella revera consentiret in matrimonium cum raptore, nihilominus matrimonium sic contractum esset nullum; licèt jure Decretalium fuisset validum: atque hoc ex capite dicitur à Synodo Tridentina novum impedimentum dirimens hîc inductum.

IX. Quòd verò permittit Synodus Tridentina, si rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat: eatenus à lege Justinianæa & Canonibus suprà relatis recedit, à quibus jam tempore Synodi recessum erat.

X. Addit quoque Synodus pœnas; ut nimirum » raptor ip- » se, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præben- » tes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, om- » niumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de pro- » prio gradu decidant. Teneatur præterà raptor mulierem rap- » tam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter » arbitrio judicis dotare. «

XI. Tridentina Synodus hîc duntaxat loqui videtur de raptu in ordine ad matrimonium contrahendum, ut fusiùs probat Sanchez *lib. 7. de Matrimonio*, *Disp.* 13. *num.* 4. hoc unà monens *num.* 10. » His pœnis locum esse, quamvis rapta cau- » sà matrimonii non sit perducta ad locum destinatum, sed in » ipso itinere resipiscat raptor; quòd delictum hoc raptoris in » ipsa abductione consummetur, & tunc perfectè irrogetur Ma- » trimonii libertati injuria: nec Concilium spectet, ut raptor » in aliquo loco jam raptam constituerit, vel eam duxerit, sed » tantùm ut rapuerit causa matrimonii, illamque sub suam po- » testatem reposuerit. «

XII. Quia Synodus permittit matrimonium raptæ cum raptore, si illa in loco tuto, ac libero extra potestatem raptoris consentiat, creditur à plerisque, Synodum tantùm hoc decreto comprehendisse raptum, qui ipsi raptæ violentiam infert, & quo ipsa cum renisu, & violentia corporali rapitur causâ contrahendi matrimonium; neque esse raptum ad mentem Synodi, si quis aliquam vel aliquem minorennem blanditiis, & amatoriis incitamentis, ac lenociniis seducat, ut consentiat, & insciis aut etiam invitis parentibus matrimonii contrahendi causâ recedat; eò quòd ipsi seductæ nulla violentia illata videatur; ipsaque, licèt mediis inhonestis, ac fallacibus inducta, reverà consenserit: hæcque interpretatio hîsce in regionibus recepta videtur; neque hujusmodi matrimonia *invalida* habentur.

XIII. In Gallia verò duplicem raptum distinguunt, alterum scilicet per violentiam, sive per viam apertam, rapiendo violentè personam causâ matrimonii contrahendi; alterum verò vocant per *subordinationem*, sive *seductionem*, hunc que frequentiorem & periculosiorem dicunt: committiturque, quando raptor corrumpit, & seducit mentem & spiritum personæ raptæ, & per lenocinia, & incitamenta libidinis, aliave allicientia inhonesta motiva, & occultas ac artificiosas solicitationes, & praxes inducit ad consensum matrimonialem.

XIV. Raptus hic *subordinationis*, sive *seductionis* locum non habet in omni genere personarum, sed tantùm in filiisfamilias minoribus, qui magis sunt subjecti seductioni, & ob auctoritatem parentum, quibus subsunt, non creduntur potuisse seduci, nisi eos circumveniendo, & corrumpendo eorum mentem, quemadmodum latiùs deducit Claudius Blondeau in sua Bibliotheca Canonica *pag.* 82. editionis anni 1689. ibidem astruens: Raptum hunc esse ex usu Ecclesiæ Gallicanæ impedimentum, ipsisque parentibus Jus esse agendi ad nullitatem hujusmodi matrimoniorum. (z)

TITULUS XIV.

De Dispensationibus Matrimonialibus.

CAPUT I.

DE USU DISPENSATIONUM MATRIMONIALIUM; ET CUI AUTORITAS DISPENSANDI COMPETAT.

1 *Impedimenta jure humano inducta possunt auctoritate humanâ tolli.*
2 *Imperatores in impedimentis à se inductis dispensárunt.*
3 *Canon Synodi Tridentinæ auctoritatem dispensandi astruens.*
4 *Ecclesia primitùs parcè admodum dispensabat.*
* *Romani Pontifices veterum Canonum custodes, & executores.*
* *Qua occasione per dispensationes cœperint à præscripto Canonum recedere.*
5 *Primus ferè dispensavit Innocentius III.*
6 *Facilior semper fuit dispensatio super matrimonio jam contracto, quàm contrahendo.*
7 *Decretum Synodi Tridentinæ circa dispensationes super impedimentis matrimonii.*
* *Regulæ à Synodo Tridentina præscriptæ ad Romanum Pontificem diriguntur.*
8 *Ex mente Synodi rarò dispensandum præsertim super matrimoniis contrahendis.*
9 *Dispensatio non nisi ex justa ratione, & causâ cognitâ concedenda.*
10 *Auctoritas dispensandi super impedimentis dirimentibus ferè soli sedi Apostolicæ competit.*
11 *Auctoritas dispensandi competens Episcopo Leodiensi.*
12 *An eadem competat Episcopis Belgii.*
13 *Quando Episcopi possint dispensare in matrimonium impedimento* dirimente *nulliter contractum.*
* *Quandonam dispensandi reservatio Papæ facta dicenda sit cessare.*
14 *Episcopus dispensat super impedimento superveniente jam matrimonio contracto.*
15 *Quid de impedimentis impedientibus tantùm.*

I. IN his, quæ juris humani sunt, nonnumquam auctoritate eorum, qui legem tulerunt, dispensari posse, nemo unquam dubitavit; atque de hac dispensatione rectè scripsit ad S. Anselmum Cantuariensem Paschalis II. *epist.* 42. » Dispen- » sa-

(z) *In Galliis seductio locum non habet ultra annum* 25. *id constat Edicto Blesensi.*

» sationis modus, sicut B. Cyrillus in epistola Ephesinæ Syno» di loquitur, nulli unquam Sapientum displicuit. Novimus » sanctos Patres nostros, & ipsos Apostolos, pro temporum » articulis, & qualitatibus personarum dispensationibus usos. « Plura in hanc rem videri possunt apud Gratianum, *caus.* 1. *quæst.* 7.

Porrò inter impedimenta matrimonii plura hodie esse, & jam pridem fuisse, solo jure humano inducta superiori titulo ostensum fuit. Hæc itaque eadem auctoritate, quâ constiuta sunt, vel generaliter tolli, vel in particularibus circumstantiis suspendi posse, ut matrimonium non obstante hoc impedimento licitè, & validè contrahi queat, nemo dubitaverit, nisi qui inficiari audeat, eum, qui legem tulit, posse legem tollere, aut justa causa interveniente dispensare.

II. Quapropter Imperatores dum nuptias inter certas personas lege generali vetuerunt, eas ex justa causa inter hujusmodi personas permittere posse non dubitârunt.

Inter tutorem, & pupillam jure Romano vetitæ erant nuptiæ, toto titulo Codicis, *de interdicto matrimonio inter pupillam & tutorem*; interveniente Principis auctoritate seu dispensatione nuptiæ inter pupillam & tutorem iniri poterant, ut manifestum est ex *leg. penult. Cod. dicto titulo.*

Similiter, ut præcedenti titulo *cap.* 5. notatum est, lege Theodosianâ vetitæ erant nuptiæ consobrinorum, eas tamen impetrari potuisse rescripto Principis, ostendit *Lex unica*, *Cod. Theod. Si nuptiæ ex rescripto petantur*; notatque Gothofredus in Commentario ejusdem legis unà observans, S. Ambrosium *epist.* 66. sat apertè testari, hujusmodi nuptias à Principe impetrari potuisse.

III. Nemo ergo auctoritatem dispensandi Ecclesiæ negabit, qui auctoritatem statuendi impedimenta ei competere agnoscit; ut proinde meritò Synodus Tridentina eodem Canone anathemate feriat eos, qui negant Ecclesiam in nonnullis impedimentis dispensare posse, quo damnat negantes Ecclesiam posse constituere, ut plures gradus consanguinitatis, & affinitatis impediant, & dirimant matrimonium, quàm qui Levitico exprimuntur.

IV. Fatendum quidem est, Ecclesiam olim in hoc, quemadmodum in aliis disciplinæ articulis, rarò admodum dispensare solitam fuisse. Ægrè enim patres à fixis semel Regulis, sive Canonibus recedi permittebant.

Et quidem si Christiano Lupo credimus, etiam seculo X. » nulla tunc etiam Regia vel Augusta, licèt in sexto duntaxat, » aut septimo sanguinis vel affinitatis gradu, vel ignoranter con» tracta, longè minus contrahenda matrimonia dispensabantur, » sed cuncta dirimebantur juxta rigorem sacrorum Canonum. » Ejusmodi dispensationes adeò tunc ignorabat Ecclesia (pergit » Lupus) ut Francus quidam Româ redux, similem sibi datam » asseverans à Gregorio III. Pontifice, ac ejus vigore prætendens » inire matrimonium, gravissimè scandalizârit omnem Galliam, » & à nostro Apostolo Bonifacio credere id recusante, « consultus Zacharias Pontifex responderit: *Absit ut prædecessor noster hoc ita credatur præcepisse. Nec enim ab hac Apostolica Sede illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum sive Canonum institutis reperiuntur.*

* Ea regula erat Romanis Pontificibus pristinis seculis adeò infixa, ut scribere non dubitaret Zozimus Papa: » contra Statu» ta Patrum condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem Se» dis potest Auctoritas: apud nos enim inconvulsis radicibus vi» vit Antiquitas, cui decreta Patrum sanxêre reverentiam.“ Apud Gratianum 25. *quæst.* 1. *Can.* 6.

Et Hormisdas ibidem relatus *Can.* 9. » Prima salus est, rec» tam fidei regulam custodire, & à Constitutis Patrum nulla» tenus deviare.“

Et sicuti Romana Ecclesia prima est aliarum Ecclesiarum, ita & præ cæteris Canonum executricem, & custodem se esse jam pridem gloriabatur.

» Confidimus (ait Gelasius ibidem *Can.* 1.) quod nullus jam » veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque Synodi constitu» tum, quod Universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam ma» gis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ » & unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & con» tinuâ moderatione custodit.“

Huic Canoni hoc summarium præposuit Gratianus: *Constitutum Synodi, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, Romanam Sedem servare oportet.*

Proindè nec tunc temporis Pontifices, neque seculo XII. Gratianus dubitârunt, quin & ipsi Romani Pontifices constitutum Synodi, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, Romanam Sedem servare oportet.

Quare nec Gratianus asserere dubitavit, quòd *Ministri sacrorum Canonum, & Decretorum Pontificum sint Summi Pontifices.*

Quandiu hæc fuit Romanorum Pontificum persuasio, illibata permansit sacrorum Canonum custodia, & vix quoque fuit circa excessum dispensationum audita querela.

* At postquam seculis posterioribus invaluit quorundam Jurisperitorum opinio, Romanum Pontificem, Canonibus, aut decretis ecclesiasticis, etiam Conciliorum Generalium, non ligari, nec constringi posse; hacque tandem opinione à Romanis Pontificibus probatâ & receptâ, mirum quantâ facilitate cœptum sit à præscripto Canone recedi, & contra eos dispensationes à Romanis Pontificibus impetrari, quemadmodum ex querelis contra hunc excessum virorum piorum hisce posterioribus seculis depositis, abundè constat; & etiam hodierna praxis, seu potiùs abusus nimium evincit.

V. Ab impedimentis matrimonii ferè primus dispensavit Innocentius III. ait Christianus Lupus: » Othonis IV. & Phi» lippi pro Germanico imperio horrenda bella quis ignoret? » Post Philippi cædem lucidum erat Othonis jus, verùm Phi» lippi filia obviabat. Hinc omnibus pacificandis Othonis cum » ista filia conjugium convenire censuerunt Imperii Proce» res, ac Episcopi, quin & ipsi Apostolicæ Sedis Cardinales » Legati, sed obstabat quartus consanguinitatis gradus (a). » Hinc tandem ad totius Imperialis Cleri & populi preces dis» pensavit laudatus Pontifex, eâ tamen lege, ut duo amplis» sima Monasteria Otho fundaret, omneque Imperium largis » eleëmosynis, & ferventibus orationibus istud ecclesiasticæ » disciplinæ vulnus compensaret. Ita habes apud Arnoldum Ab» batem Lubecensem in Chronico Sclavorum. Otho de Sancto » Blasio addit, quòd Cluniacensis, & Cisterciensis Ordinis Ab» bates eandem compensationem per varia suorum Monacho» rum pia opera complere promiserint, istudque Canonis vul» nus acceperint in suas conscientias, & quod spondere Otho » debuerit singularum omnium Ecclesiarum defensionem, ac » resumptionem sacri belli. Rima facta facilè dilatatur, tandem» que crescit in grande foramen, imò & in apertam portam.“

VI. Hæc tamen, uti monet idem Auctor, intelligenda præcipuè de dispensatione impedimentorum ad contrahendum matrimonium; nam ante Innocentium III. multas dispensationes concessas fuisse fatetur; at » hæ omnes fuerunt (ait) non præ» viæ ad contrahendum, *sed duntaxat posteriores* malè contrac» ti Matrimonii toleratrices dispensationes: adeòque dipensatio» nes prævias initiavit Alexander III. Innocentius III. ac ejus » successores viam ampliârunt.“

Et revera Ecclesiam semper fuisse faciliorem in dissimulanda infractione Canonum, ubi jam infractio contigerat, nec sine magnis incommodis in totum reparari poterat, aut pœna infracti Canonis urgeri, quàm in concedenda Canonis nondum infracti contraventione, ex historiis, & Pontificum, ac Conciliorum decretis est manifestum.

VII. Synodus Tridentina perpendens, quòd frequentiùs legem solvere, exemploque potiùs, quàm certo personarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud sit, quàm unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire, ut loquitur *Sess.* 25. *cap.* 18. *de Reform.* Reformationi matrimonii intenta, avitam patrum disciplinam in concedenda dispensatione super impedimentis reducere, quantum temporum conditio patiebatur, voluit, statuens, *Sess.* 24. *cap.* 5. *de Reformat. Matrimonii.* » Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimo» nium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensa» tionis consequendæ careat; idque in eo multo magis locum » habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, sed etiam » consumare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, si» quidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio » neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis: non enim dignus est, » qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria » præcepta temerè contempsit. Si verò solemnitatibus adhibitis » impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus il» le probabilem ignorantiam habuit; tunc faciliùs cum eo, & » gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimoniis vel nul» la omninò detur dispensatio, vel rarò: idque ex causa, & » gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur » nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. «

* Cùm tempore Concilii Tridentini dispensandi auctoritas in pluribus materiis, ac signanter super impedimentis dirimentibus matrimonium, esset ad Sedem Apostolicam devoluta sive Sedi Apostolicæ reservata, non sine fundamento asserit multisque probat Dominus Du-Casse in suo Tractatu de Jurisdictione Ecclesiastica, *tom.* 1. *cap.* 10. §. 5. post Thomam Sanchez *lib.* 3. *de Matrimonio*, *disp.* 45. *n.* 3. Synodum Tridentinam, regulas in materia dispensationis, ac notanter super impedimentis

(a) *Quartus erat consanguinitatis gradus secundum modum computandi à Canonistis observatum, septimus autem gradus juxta computum à legum peritis inventum; ut notavit P. Barre in suæ Alemanniæ Historia* tit. 5. pag. 573. edit. Paris 1748. » *Otho & Beatrix filia Philippi septimo consangui» nitatis gradu erant juncti*, « *inquit Struvius* part. 7. pag. 442. not. 25.

tis matrimonii præscriptas, ad Romanum Pontificem præcipuè direxisse; ut ipse tanquam fidelis dispensator conformiter ad has regulas, sua in dispensando auctoritate uteretur.

VIII. Dum regulas in materia dispensationis ad Roman. Pontificem dirigit Synodus Tridentina, ostendit simul se voluisse inhærere Patrum regulis; ut nunquam aut rarò infringendi Canonis licentia daretur, adeoque nunquam aut rarò, idque ex causa & gratis dispensatio, præcipuè in secundo gradu, super contrahendis concederetur: faciliùs autem super contractis *invalidè*, cum aliquo impedimento, si nimirum cum ignorantia non affectata, aut non culpabili istius impedimenti contracta fuerint.

IX. Hinc ulteriùs patet, ex mente Synodi etiam hîc servandam esse regulam, quam eadem Synodus postmodum *Sess.* 25. *cap.* 18. expressit, atque omnibus intimatam voluit, his verbis: » Sciant universi sacratissimos Canones exactè ab om» nibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. » Quod si urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas » postulaverit, ut cum aliquibus dispensandum esset, id causâ » cognitâ, ac summâ maturitate atque gratis à quibuscunque, ad » quos dispensatio pertinebit, erit præstandum, aliterque facta » dispensatio subreptitia censeatur.«

X. Quibus verò dispensandi auctoritas super impedimentis Matrimonii competat, nec in Canonibus, imò nec in Decretalibus Gregorii IX. determinatur; neque legitur aliquo Decreto generali auctoritas hæc Episcopis adempta, & Pontifici reservata.

At consuetudine tandem invaluit, & moderna habet disciplina, ut si agatur de impedimentis dirimentibus, & de Matrimonio cum tali impedimento contrahendo, soli Pontifici dispensatio competat; nisi Episcopi ostendant, speciali consuetudine, aut privilegio dispensandi autoritatem sibi competere.

XI. Ecclesia Leodiensis prætendi sibi competere auctoritatem dispensandi in quarto & in tertio hinc inde gradu consanguinitatis, quemadmodum colligitur ex instrumento appellationis interjectæ per Syndicum Episcopi & Vicarii Leodiensis, à Decretis Nuntii Apostolici 7. Aprilis 1606. ubi *art.* 10. his verbis utitur: » Quod adhæc Episcopi Leodienses habeant anti» quissimam & immemorialem consuetudinem dispensandi ex » causis legitimis in quarto Matrimonii gradu, & in tertio hinc » inde; si imminens appareat periculum defectionis partium ad » vincinos fidei hostes, mutuæ internecionis parentum, & ami» corum inter se, ob corruptam puellam; & partes non habeant » media recurrendi ab Urbem. Quòd hujusmodi dispensandi » consuetudo in publicatione Concilii Tridentini fuit Illustris» simo & Reverendissimo Episcopo Vercellensi piæ memoriæ » in his patribus Nuntio Apostolico per Livinum Torrentium » tunc Vicarium Leodiensem, postea Episcopum Antuerpien» sem factum, exposita, & per eundem Illustrissimum & Re» verendissimum Nuntium laudata, & approbata. Quòd hujus» modi consuetudo habeat vim privilegii, & indulti Apostolici, » atque à privilegio & indulto Apostolico initium sumpsisse » censenda sit. Quòd Episcopatus, & Ecclesia Leodiensis ob » sui splendorem, & antiquitatem, perpetuamque in fide Ca» tholica constantiam, Ecclesiæ Romanæ filia dicta, aliàs mul» tis à S. Sede adornata sit privilegiis, & prærogativis suprà » alios communes Episcopatus.«

XII. Hæc ex Zypæo in Jure novo, titulo *De eo qui cognovit consanguineam uxoris*, *num.* 3. additque: » At verò non » audio vicinos aliquos Episcopos eodem jure, privilegio, aut » consuetudine uti, non eos quidem, qui noviter in Belgio ins» tituti sunt, intra eos limites, qui à finibus Diœcesis Leodien» sis, per Paulum IV. abscissi sunt, 4. Idus Maji 1559. cum » toto eo jure, auctoritate, & prerogativis, quibus anteriores » Episcopi, in locis dimembratis usi fuerant, quod fortè ta» men possent, & an aliquando expediret, perpendi potest; » imò hodiè Archiepiscopus Mechliniensis in locis primùm Leo» diensi Episcopi subjectis dispensat.«

XIII. Quoad matrimonia cum impedimento dirimente præcedentibus proclamationibus bonâ fide contracta; cùm super iis Synodus Tridentina declaret, faciliùs & gratis dispensari posse, nec exprimat, per *quem*, videbatur Episcopis competere hæc auctoritas: eò quòd juxta regulam à Canonistis communiter probatam, quando dispensandi auctoritas à Canone conceditur, neque exprimitur à quo dispensandum sit, censeatur Episcopo data dispensandi facultas. Nihilominus, quia totus contextus decreti Synodalis ad Pontificem refertur, communiter creditur, & hîc Synodum Pontifici soli dispensationem differre; sicque consuetudine decretum hoc explicatum esse notat Sanchez *de Matrimonio*, *lib.* 8. *Disput.* 6. *num.* 19. Si tamen matrimonium sit publicum, impedimentum autem occultum, & sit scandalum in separatione, nec ad Pontificem pateat aditus, inopiâ, aut alia justâ causâ impediente, Episcopum dispensare posse docet post alios Sanchez *lib.* 2. *disp.* 40. *num.* 3. & ita consuetudine invaluisse monet Gerbesius in tractatu *de auctoritate Ecclesiæ*, *& Principum in constituendis impedimentis*, *pag.* 533.

* Ea opinio huic innititur fundamento, quòd crèdatur cessare reservatio jure duntaxat merè positivo inducta, dum charitas, aut necessitas proximi id exigit: quemadmodum omnem casuum, & censurarum reservationem, sive Episcopalem, sive Papalem cessare non ambigitur, si charitas, vel necessitas proximi, seu salus animarum, quæ suprema lex est, id exigat.

Quidni igitur dicamus generaliter, & hanc reservationem, cessare, atque Episcopis liberam esse dispensandi auctoritatem, si salus animarum seu charitas, aut necessitas proximi id requirat?

XIV. Notat Gerbesius loco superiùs citato, quòd si impedimentum jam matrimonio contracto superveniat, nec dissolvat quidem matrimonium, sed ejus usum impediat; ut v. g. cognatio spiritualis ex Baptismo, vel Confirmatione, vel affinitas ex incestu, Episcopos esse in possessione super his dispensandi, eamque auctoritatem in Episcopis Canonistas agnoscere.

XV. Super impedimentis *impedientibus tantùm*, Episcopos generaliter dispensare posse, si duo exceperis, scilicet sponsalia cum tertia persona contracta, & votum perpetuæ castitatis, notat Gerbesius *loco citato*, *pag.* 543. eosque esse in pacifica possessione; neque Canonem, aut usum contrarium esse, qui dispensationem Papæ reservet.

CAPUT II.

Sub qua forma hodie dispensationes matrimoniales in Curia Romana expediri, et cui commiti soleant.

1 *Olim in forma* gratiosa, *hodie in* commissoria *dispensationes matrimoniales expediri solent.*
* *Quare dispensandi reservationes visæ sint olim odiosæ.*
2 *Hodierna praxis conformis Concilii Tridentini.*
* *Quid fieri expediret, ut fideles non gravarentur illarum dispensationum petitione.*
3 *Commissarii Apostolici debent narrata in litteris, earumque contenta maturè expendere.*
4 *Dataria committere solet litteras dispensationum Ordinario: Nomine Ordinarii venit etiam Officialis Episcopi.*
5 *Delegatio non solet fieri Episcopo, & Officiali, sed alteri duntaxat.*
6 *Non exprimitur nomen proprium Ordinarii; & quare.*
7 *Litteræ directæ Officiali, non possunt expediri per Episcopum.*
8 *Commissio facta Ordinario non transit ad Capitulum, Sede vacante, aut ejus Officialem.*
9 *Sede vacante, non diriguntur ad Officialem Capituli.*
10 *Si contrahere volentes sint diversæ Diœcesis, utriusque Diœcesis in supplica exprimenda; & litteræ diriguntur ad Ordinarium mulieris.*
11 *Cui inscribantur litteræ dispensationum expeditæ in Pœnitentiaria.*

I. OLim dispensationes matrimoniales in Romana » Curia, » causæ cognitione, narratorumque verificatione præ» cedente, in forma *gratiosa* ut plurimùm concedebantur: & » quidem, ut rarior, ita & tutior erat illarum usus, « ait Pyrrus Corradus à Pulo V. in Collegium Officialium earundem dispensationum in ipsa Cancellaria Apostolica aliàs cooptatus, Rescriptorumque S. Pœnitentiariæ muneri deputatus, *lib.* 7. *Praxis dispensat. cap.* 1. *num.* 1. qui deinde subjicit: » At quo» niam difficilè, valdeque incommodum id comperiebatur, op» timâ profectò ratione ita sacri Canones sancivere, ut omnes » dispensationes extra ipsam Curiam committantur Ordinariis lo» corum in forma communi sive *commissoria* dirigerentur, qui » nonnisi causis in partibus verificatis, tum demum Apostolica » auctoritate dispensarent.«

* Duobus ab hinc circiter seculis in forma *commissoria* potiùs, quàm *gratiosa*, Romæ expediuntur dispensationes. Ratio hujus agendi rationis hæc est; cùm difficile admodum sit, de negotiis in dissitis Provinciis occurrentibus, Romanam Curiam, Summosque Pontifices ritè informari, & plenam, ac sufficientem accipere negotiorum illorum notitiam, ut propterea visum sit, dispensationes potiùs in forma *commissoria* quàm *gratiosa* expedire, facilè intelligitur, meritò reservationes causarum, & dispensationum, quas recentior ætas contra pristinas Ecclesiæ regulas induxit, semper reputatas fuisse odiosas, & è contrario, æquam semper visam esse patrum regulam, quæ singula negotia in suis respectivè provinciis, ubi orta sunt, terminari voluit, & singulis Episcopis auctoritatem integram permisit gubernandi Ecclesiam sibi commissam, & incidentia negotia Ecclesiastica, in ædificationem populi sibi commissi, dijudicandi & terminandi.

Unde nec pristinis Ecclesiæ seculis nota fuit formula *commissoria*, qua causarum discussio, aut examen factorum pro obtinenda dispensatione allegatorum, è Curia Romana Ordinariis

riis locorum committeretur ; quasi tota auctoritas penes unum Romanum Pontificem resideret : Episcopi verò & Ordinarii nonnisi tanquam Pontificis delegati, & Vicarii, hujusmodi negotia, &, quidem juxta tenorem commissionis, & auctoritate Pontificiâ absolvere aut dispensare possent.

* Verùm cùm tempore Concilii Tridentini omnem penè dispensandi auctoritatem assereret Curia Romana, intelligerentque patres Tridentini in prædicta Curia sine ulla penè narratorum notitia, seu verificatione, dispensationes relaxari, huic abusui, quantum temporis conditio, & Romanæ Curiæ pro tuenda sua auctoritate & recepta praxi zelus patiebatur, occurrere volentes, præscribendum censuerunt, ut dispensationes extra Curiam Romanam concedendæ, suum saltem ultimum complementum non essent habituræ, nisi priùs Ordinarii locorum narrata esse vera cognoscerent.

II. Idem enim ostendit decretum Concilii Tridentini *Sess. 22. cap. 5. de Reformat.* quo sancitum est, ut » dispen» sationes quacunque auctoritate concedendæ, si extra Roma» nam Curiam committendæ erunt, committantur *Ordinariis* » illorum, qui eas impetraverint ; eæ verò, quæ gratiosè con» cedentur, suum non sortiantur effectum, nisi priùs ab eis» dem, tanquam Delegatis Apostolicis, summariè tantùm, & » extrajudicialiter cognoscatur, expressas preces subreptionis » vel obreptionis vitio non subjacere. «

* Cùm itaque Ordinarii, sive eorum Officiales jubeantur examinare, & discutere veritatem narratorum, atque judicare, nùm causæ, seu rationes dispensandi in litteris expressæ, revera subsint ; indubiè satius esset, ut conformiter ad avitam patrum disciplinam, integra auctoritas dispensandi Episcopis (prout in nota præcedenti observatum fuit,) ad ædificationem Ecclesiæ, & salutem fidelium permitteretur : & ita quoque fideles sumptibus & difficultatibus sublevarentur, quibus per recursum ad Curiam Romanam pro obtinendis hisce litteris commissionis non parum gravantur.

III. Quidquid sit de hoc voto restaurandæ antiquæ Patrum Disciplinæ, hodie conformiter ad hoc decretum ex moderno stylo Curiæ Romanæ dispensationes matrimoniales sive in Dataria, sive Pœnitentiaria petantur, non solent concedi nisi in forma *Commissoria*, sic nuncupata, eò quòd dispensandi auctoritas alteri committatur auctoritate Apostolica ; idque sub certis conditionibus. Ideoque, uti rectè monet Corradus *loco citato*, falluntur Commissarii, sive Ordinarii, quibus Bullæ, seu litteræ dispensationum mittuntur, » dum tantæ rei pondus non » æstimantes, expositâ (per Oratores) qua par est diligentiâ, » veritate, niti negligunt edoceri, Pontificem dispensâsse con» tenti ; cùm revera non dispensaverit, sed ipsis dispensandi » auctoritatem certis sub conditionibus demandaverit ; quæ ni» si, ut jubetur, impletæ fuerint, quidquid superstruxerint, » corruet. «

IV. Si litteræ dispensationum expediantur in Dataria, tunc conformiter ad allegatum decretum Concilii Tridentini dispensandi auctoritas committitur Ordinario.

Sub nomine *Ordinarii* juxta hodiernum stylum Curiæ Romanæ venit non tantùm Episcopus, sed etiam Vicarius Generalis Episcopi ; qui est idem, quem in Belgio vicinisque Provinciis Officialem Episcopi dicimus : uti suprà *part. 1. tit 12. cap. 4.* notavimus ; & monet Corradus *lib. 2. cap. 4. n. 15.*

V. Notat Corradus *lib. 7. c. 4. num. 37.* quòd » Cancel» laria Romana nunquam soleat committere has litteras Epis» copo, & ejus Vicario *insimul*. Quinimò (ait) hujusmodi dis» pensationes nunquam committuntur alternativè, scilicet Epis» copo seu ejus Vicario, sed uni tantùm eorum, sicut docet » notorius stylus. «

VI. Adhæc nunquam in delegatione consuevit exprimi nomen proprium Episcopi, aut Vicarii, sive Officialis ; ut non tam personæ, quàm dignitati, vel tribunali facta appareat. Unde mortuo Officiali ante expeditionem litterarum, poterit ejus successor sine nova delegatione eas exequi ; idque per totum orbem servari, & practicari testatur Corradus loco citato, *num. 36.*

VII. Quia tamen hæc delegatio tota dependet ex ipso tenore rescripti Apostolici, nemo in vim illius procedere potest, nisi cui expressè dirigitur. Unde si Vicario seu Officiali inscripta sit, non poterit expediri per Episcopum etiam ipso Vicario ab officio remoto, ait Corradus *num. 40.* quin & addit *num. 44.* » hæc etiam locum sibi vindicare, etiamsi contingat ipsum Vi» carium creari in Episcopum ejusdem Diœcesis, vel quacun» que alio modo desinat esse Vicarius, quia adhuc cessat com» missio respectu suæ personæ, & sic transit in suum succes» sorem in Vicariatu. «

* Stylus iste profluit ex persuasione Curialium Romanorum, quòd totalis dispensandi auctoritas ita sit in persona Romani Pontificis, ut Episcopi, dum ipsis hæ litteræ diriguntur, reputandi sint simplices Romani Pontificis mandatarii, aut Vicarii seu delegati nullâ habitâ ratione primigeniæ auctoritatis dispensandi in Episcopo semper remanentis ; & ratione cujus non dubium, quin Synodus Tridentina ad Ordinarios voluerit dispensationes extra Curiam Romanam exequendas dirigi ; utpote quibus præveniendo positivam reservationem, auctoritas dispensandi quodam modo naturaliter competit.

VIII. Insuper monet *num. 10.* & sequentibus, commissionem factam Episcopo, aut Officiali ejus non transire Sede vacante in Capitulum, aut Vicarium, sive Officialem Capituli ; idque ex notoria praxi Curiæ Romanæ. » Unde si litteræ dispensationis directæ Vicario seu Officiali Episcopi exequerentur per Vica» rium Capitularem, Sede Episcopali vacante deputatum, exe» cutio esset nulla, nullumque matrimonium vigore talis dispen» sationis contractum, ait Corradus *num. 13.* «

IX. Attento stylo Curiæ, & Cancellariæ, Sede Episcopali vacante, non diriguntur hæ dispensationes Vicario Capituli, quia de illo Papa non confidit, sed Episcopo viciniori, sive ejus Vicario in spiritualibus generali.

X. Præterea monet Corradus *lib. 7. cap. 5. num. 25.* quòd notorius stylus Curiæ Romanæ requirat, ut si Oratores, seu supplicantes pro dispensatione sint diversæ Diœcesis, utraque Diœcesis necessariò exprimatur in supplica ; litteræ autem dirigantur ad Ordinarium Oratricis, ut illas exequatur ; cumque ipsius Papæ, ejusque Cancellariæ sit, semper committere earundem executionem Ordinario Oratricis, nisi utriusque Diœcesis fieret expressio, ubi Oratores ex duabus Diœcesibus orti essent, posset contingere, litteras ipsas dirigi non Oratricis, sed Oratoris Ordinario contra mentem ipsius Papæ ; ac propterea earum executor, si hujusmodi stylum ignoret perperam litteras ipsas exequeretur ; ita Corradus, *ibid.*

XI. Hæc quidem quoad commissiones dispensationum, quæ pro utroque foro expediuntur in Dataria, aut Cancellaria ; at quæ pro foro conscientiæ tantùm expediuntur in Pœnitentiaria, committuntur & diriguntur Confessario, Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario, ab Oratore eligendo ; quemadmodum notavi suprà *parte 1. tit. 23. cap. 3.* ubi & clausulam hanc latiùs exposui.

CAPUT III.

De formula Litterarum dispensationum ; et quomodo se Delegatus informare debeat de impedimento allegato.

1 *Tres partes litterarum dispensationum ; & quid singulæ contineant.*
2 *Proponitur formula delegationis.*
3 *Delegatus inquirere debet de veritate narratorum.*
* *Quomodo continget Comissarios faciliùs, quàm oportet dispensare.*
4 *Hæc informatio ex mente Pontificis non perfunctoriè facienda.*
5 *Instrumenta pro examine testium evincunt, quam seria esse debeat informatio.*
6 *Delegatus occasione dispensationis nihil etiam ultro oblatum potest accipere.*
7 *Nihil quoque pro mercede laboris, aut sigillo accipi potest.*
8 *Non potest Delegatus deferre nudæ assertioni Oratorum.*
9 *Delegatus examem testium alteri committere potest.*
10 *Tenetur Delegatus inquirere, utrum impedimentum verè fuerit expressum.*
11 *Si expressus sit gradus remotior pro proximiore, litteræ sunt invalidæ, licèt per ignorantiam sit factum.*
12 *Subinde litteræ erunt invalidæ etiamsi impedimentum majus pro minore fuerit expressum.*
13 *Juxta stylum Curiæ, expressio consanguinitatis pro affinitate reddit dispensationem invalidam.*
14 *Si consanguinitas procedat ex duplici stipite, id exprimendum est.*
15 *Quid si secundus gradus consanguinitatis pro tertio sit expressus.*
16 *Si duo subsint impedimenta, quomodo exprimenda.*
17 *An sufficiat exprimere gradum remotiorem, quando est inæqualitas gradus.*
18 *Quid potissimùm inquirendum circa expresionem cognationis spiritualis.*
19 *Inquisitio fieri debet super quocunque impedimento allegato.*
20 *Si inter consanguineos ante executionem litterarum copula intercesserit, ab executione supersedendum est.*

I. Litteræ dispensationum matrimonialium primò continent ipsam commissionem dispensandi auctoritate Apostolicâ super impedimento. Postmodum sequitur altera pars, quæ vocatur *Narrativa*, in qua exprimuntur quæ ab Oratoribus, seu supplicantibus Pontifici exposita fuerunt ; ac dein sequitur tertia pars litterarum, quæ *Dispossitiva* dicitur ; continetque gratiam, quam Pontifex Oratoribus facere intendit, ac una conditiones in executione hujus gratiæ à Commissario servandæ.

II. Primò ergò dicit, quòd certam de narratis notitiam habentes ipsi Comissario (de quo *in his specialem in Domino fiduciam obtinemus*, ait) per Apostolica scripta mandantes » quatenus » depositâ per te omni spe cujuscunque muneris, aut præmii, » etiam sponte oblati, à quo te omninò abstinere debere mone- » mus, te de præmissis diligenter informes; & si per informatio- » nem eandem preces veritate niti repereris, super quo tuam cons- » cientiam oneramus, tunc cum eisdem (Oratoribus N. & N.) » auctoritate nostra dispenses.... Volumus autem, quòd si spre- » tâ monitione nostrâ hujusmodi aliquid muneris, aut præmii » occassione dictæ dispensationis exigere, aut oblatam recipere » temerè præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ pœ- » nam incurras.

III. Ex hac dispositiva intelligimus, auctoritatem dispensandi committi imprimis sub conditione, sive obligatione inquirendi, seu accipiendi informationem de veritate eorum, quæ Pontifici in supplica per Oratores exposita fuerunt; quæ his verbis exprimitur: Mandamus quatenus depositâ &c. *Te de præmissis diligenter informes.*

Hæc autem informatio per Commissarium fieri debet tam super omnibus in narrativa contentis, id est, an vera sint, quæ tum circa impedimenta, vel circa causam, & motiva dispensandi ab Oratoribus proposita fuerunt; sive quod idem est, *an preces veritate nitantur*; dein si quæ Pontifex addat, & velit verificari, etiam super his informatio sumi debet.

* Porrò Commissarius ad hanc informationem, vel executionem litterarum procedere nequit, nisi priùs litteræ commissionis in Curia Romana, solutis taxis pecuniariis, fuerint levatæ, & Commissario exhibitæ.

Hinc est, quòd Ministris hujus Curiæ nihil de taxis istis decedat, tametsi narrata & contenta litterarum coram Commissario verificari nequeant: & consequenter nec ob defectum hujus verificationis, Commissarius dispensare queat, ipsæque litteræ dispensationis sic obtentæ suo careant effectu; nihil tamen de juribus seu taxis in Curia solutis restituitur: imò nec novæ litteræ dispensationis, quibus vitium priorum tollatur, expediuntur, vel relaxantur, nisi rursus juribus & taxis solutis.

Hinc & natum est contingere, ut Commissarii importunitate Oratorum, ob factas expensas, & novas faciendas, victi ad dispensationem nonnunquam procedant, licèt precum veritas in libello supplici enunciata juxta tenorem Bullæ commissionis non sint sufficienter probata.

IV. Quòd hæc informatio non perfunctoriè, sed summa circumspectione, & studio fieri debeat, imprimis indicat Pontifex, dum expressè mandat, ut se *deligenter* informet.

Deinde adendo, *super quo conscientiam tuam oneramus*, sat indicat, seriò hoc negotium peragendum esse.

V. Ad hæc instructiones pro examine testium, qui producuntur pro contrahendis matrimoniis, sive verificatione eorum, quæ in litteris dispensationum verificanda sunt, sufficienter evincunt, quàm serium examen Sedes Apostolica in hisce requirat.

Primus articulus habet: » Testis moneatur de gravitate ju- » ramenti, in hoc præsertim negotio *pertimescendo*, in quo di- » vina simul, ac humana Majestas læditur ob rei, de qua trac- » tatur, importantiam, & gravitatem. «

Hic articulus, qui supponit, testes, priusquam testimonium dent, debere præstare juramentum de dicenda veritate; necnon rei gravitatem testibus exponi jubet, manifestum facit, quàm anxiè de veritate inquirendum sit; quod & alii articuli non minus ostendunt, quos refert Pyrrus Corradus *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 22. *&c.*

VI. Et ne Commissarius forsan spe lucri lactatus, aut muneribus excæcatus, non eâ, quâ par est maturitate, ad informationem procedat, aut captâ informatione in formando judicio super precum veritate aberret, speciali clausula suprà expressâ, vult eum ab omni munere, aut præmio etiam sponte oblato abstinere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; imò si dispensatio fuerit data in *forma pauperum*, apponitur quoque pœna *nullitatis* absolutionis, & dispensationis per hæc verba: *Et nihilominus absolutio, & dispensatio hujusmodi à Te faciendæ prædictæ, nullius sint roboris, vel momenti.*

Speciale autem est in dispensationibus matrimonialibus, quod apponatur hæc clausula; nam istæ reputantur cæteris dispensationibus graviores; & in eisdem magis imminet periculum, ne corrumpatur judex executor, ait Corradus *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 11.

VII. Refert ibidem *num.* 14. respondisse S. Congregationem, quòd » pro dispensationibus matrimonialibus non licebat » Episcopo, sive ejus Vicario quidquam recipere, nec ratione » sigilli, vel alicujus alterius rei; quapropter Decretum illud, » quod solet poni in litteris dispensationum matrimonialium, ut » nihil muneris, aut præmii sponte oblati accipi possit pro illa- » rum executione, ita intelligendum esse, ut neque Ordinarius » ipse, nec Vicarius ejus quidquam pro mercede laboris, quem » in ea re susciperent, capere possent. «

VIII. Itaque per hanc clausulam: *Te de præmissis diligenter informes*, prohibet omninò summus Pontifex (inquit » Corradus *num.* 29.) Executori, ne super narratis velit stare as- » sertioni ipsorum Oratorum contrahentium. « Debet insuper ipse Delegatus perpendere qualitatem ipsorum testium: » Nam » (uti advertit Corradus *num.* 3.) ut plurimùm deponunt per » unum, eundemque præmeditatum sermonem, cùm præcisa » verba per ipsos sponsos testibus suggeruntur, qui à veritatis » tramitte sæpè solent deviare..... Quia clausula prædicta non » ad ornatum litterarum apponitur, ut dicebat quidam Juris- » Consultus, sed ut per eam intelligat Delegatus, se debere pro- » cedere super hoc cum *pede plumbeo*: quia tantum negotium » committitur conscientiæ suæ. «

IX. Tametsi in hac commissione electa sit industria personæ, neque possit Officialis alteri auctoritatem dispensandi delegare, ut ostendit clausula, *tuam conscientiam oneramus*, examen tamen testium alteri delegari potest, quemadmodum observat Corradus *num.* 41. sed quia admodum periculosum est hoc examen, hujusmodi examen committi debet alicui viro integerrimæ fidei, & bonitatis, ait idem *num.* 45. monet quoque idem Auctor *lib.* 8. *cap.* 1. *n.* 19. quia complures sunt Diœceses talis amplitudinis, ut non sit facilis accessus ad Officialem Episcopi, consuetudine introductum esse in Curiis Ecclesiasticis, ut committatur etiam Parocho Oratorum, ut exequatur dictas litteras; ac etiam juramentum, si opus sit, ab Oratoribus recipiat: uti contingit, dum dispensatio petita est ob copulam præcedentem.

X. Debet ergo Commissarius inquirere, num preces, sive allegata Oratorum in supplica Pontifici pro obtinenda dispensatione oblata veritate nitantur; id est, an expressio impedimentorum, super quibus dispensatio petitur, & causa, ob quam petitur, sint secundum veritatem expressa. Neque enim Commissarius, juxta tenorem Rescripti Apostolici ad dispensationem procedere potest, nisi prævià informatione diligenti repererit, *preces veritate niti.*

Itaque si super impedimento consanguinitatis, aut affinitatis postulata sit dispensatio, inquirendum erit, num gradus consanguinitatis, aut affinitatis, quo sponsi se invicem attingunt, sincerè & veraciter sit expressus; ut hinc appareat, num quoad hanc expressionem *preces veritate nitantur*; neque ipsum Rescriptum ratione hujus expresionis *sub* vel *obreptionis* argui queat.

XI. Si ergo Oratores dixerint, quòd se contingant in tertio consanguinitatis, aut affinitatis gradu; deprehendatur autem per informationem ipsos esse in secundo gradu consanguineos aut affines, non poterit Commissarius vi hujus rescripti procedere ad dispensationem; eò quòd reperiat preces veritate non niti.

Neque referret, tametsi ipsi Oratores inculpabiliter ignoraverint se secundo gradu esse consanguineos; quia similis ignorantia sufficere potest, ut Oratores non arguantur de malitiosa expressione, & deceptione, sed efficere nequit, ut verum sit *preces veritate niti*, aut censeri debeat dispensatum in impedimento *secundi* gradûs consanguinitatis, aut affinitatis: cùm super hoc dispensatio nequidem fuerit postulata, sed tantùm super impedimento tertii gradus, quod diversum est à priore, præsertim quòd quò gradus conjunctior est, eò difficilior sit dispensatio, urgentioresque causæ requirantur.

XII. Quinimò quamvis impedimentum expressum sit gravius, atque super eo rariùs, & difficiliùs soleat dispensari, quàm super eo, quod revera subesset, sed expressum non fuit, Rescriptum carebit suo effectu, nec poterit Commissarius procedere, si impedimentum omissum sit diversæ speciei ab expresso, nec sub hoc includatur; tametsi etiam sciretur, quòd Pontifex fuisset dispensaturus, si impedimentum omissum fuisset expressum: quia non sufficit, quòd Pontifex fuisset dispensaturus, aut dedisset auctoritatem dispensandi, si hoc illudve factum esset; sed requiritur, ut re ipsâ dispensandi super hoc impedimento auctoritatem dederit.

XIII. Unde licèt facilius soleat dispensari in affinitate, quàm consanguinitate in paritate gradûs; nihilominus si expressus sit tertius gradus consanguinitatis, pro tertio gradu affinitatis, subreptitia censebitur dispensatio, neque poterit Commissarius dispensare; dicitque Corradus *Lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 72. quòd similes litteras dispensationum perperam exequantur; *cum totum id sit etiam contra mentem Papæ, ac notorium Curiæ ipsius stylum.*

XIV. Si Oratores expresserint simpliciter secundum, aut tertium consanguinitatis gradum, subreptitia censebitur dispensatio, si deprehendatur, impedimentum illud provenire ex duobus stipitibus, sive quòd se contingant in gradu expresso ratione duplicis conjunctionis; quo casu in effectu est duplex impedimentum, cùm tamen fuerit expressum tanquam simplex sive unum; uti latiùs exponit Corradus *loco citato num.* 70.

XV. Docet quoque ibidem *num.* 94. & *sequentibus*, quòd si per errorem expressus sit secundus gradus consanguinitatis pro tertio, non esse procedendum; idque potissimum ob consue-

tum

tum modum, & stylum Summi Pontificis, » nempè quia di-» versimode eas (dispensationes) concedit, ut videlicet, si » in remotioribus, puta, in quarto seu tertio & quarto gradi-» bus, eas mandat expediri per officium minoris gratiæ; si in » non tam remotioribus, puta in tertio, per Cancellariam; si » in secundo, seu primo, & secundo, per præfecturam Bre-» vium, & sub annulo Piscatoris, sicut aliàs diximus, ac prop-» terea juxta qualitatem graduum præfatorum, diversa officia » cum diversis officialibus sunt constituta. Unde cùm mens Pon-» tificis ea sit, & litteræ dispensationis non aliàs, quàm per » suos Officiales distinctos, distinctaque collegia constituentes » expediantur, profectò cùm sic inveteratus stylus obtinuerit, » si litteræ ipsæ præter dictum stylum ac morem, & observan-» tiam Romanæ Curiæ expediantur, tanquam suspectæ de falso » erunt rejiciendæ. «

XVI. Insuper si duo intercedant impedimenta, atque super utroque quidem postulata sit dispensatio, sed separatim ac diverso tempore, utraque dispensatio erit subreptitia; eò quòd utraque dispensatio ità fuerit impetrata ac si unum duntaxat impedimentum subesset, cùm tamen duplex subesset. Duo autem impedimenta simul concurrentia fortiùs ligant, & difficilioris sunt dissolutionis.

XVII. Si dictum sit, Oratores se contingere tertio gradu, postmodum autem deprehendatur, quòd se contingant secundo & tertio, non poterunt litteræ dispensationis propter proximioris gradus hujusmodi non expressionem de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari; sed in omnibus & per omnia suffragari; uti declaravit Pius V. in Constitutione, quæ incipit *Sanctissimus*, 13. *in Bull. Rom.* revocata contrariâ declaratione Pii IV. Si tamen expressus esset simpliciter secundus gradus, dum se contingunt in primo, & secundo, litteræ haberentur subreptitiæ ex dicta Constitutione Pii V. eum casum expressè excipientis, addita hac ratione: *Cùm in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat.* Vide latiùs Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 24. *num.* 25. ubi etiam ostendit, Matrimonium contractum in vim dispensationis, in qua proximior gradus non est expressus (modo non sit primus) esse validum; tametsi *Litteræ declarativæ*, quarum meminit Pius V. non sit obtentæ.

XVIII. Eodem fundamento si dispensatio postulata sit super cognatione spirituali, inquirendum erit, nùm rectè expressum sit, unde hæc cognatio orta sit, sive proveniat. Si enim subesset *Filiatio*, seu quòd Oratorum unus alterum de Fonte levâsset, & tantùm esset expressè *Compaternitas*, subreptitia esset dispensatio; eò quòd impedimentum ex filiatione proveniens, sit aliud quàm proveniens ex compaternitate: multoque difficilius in illo, quàm in hoc dispensetur; testaturque Corradus *Lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 15. Paulum V. semper recusasse dispensare super impedimento *Filiationis* spiritualis. Refert quoque Fagnanus ad *Cap. fin.* ✠ *de Cognat. spirit.* cùm in casu occurrente Congregatio existimasset dispensationem annuendam super Filiatione spirituali, relata ad Gregorium XIII. sententiâ, Sanctitas sua noluit dispensari: subditque Fagnanus: » Et quam-» vis nonnunquam post tempora Gregorii XIII. dispensatum fue-» rit ob dotis incompetentiam cum illius sufficienti augmento; non » tamen est judicandum exemplis, nec quod aliquando factum » est, sed quod fieri debet, est spectandum. «

XIX. Hactenus dicta de informatione circa expressionem impedimenti consanguinitatis, & affinitatis, observanda quoque circa alia seu dirimentia, seu impedientia impedimenta; ut nimirùm diligenter se informet Commissarius num circa expressionem impedimenti *preces veritate nitantur*; nihilque veri omissum, aut falsi expressum sit, quod dispensationem *sub* vel *obreptitiam* reddere posset.

XX. Si inter consanguineos, aut affines, vel etiam conjunctos spirituali cognatione copula intercesserit, ea necessariò erit exprimenda; aliàs ea omissa dispensatio censebitur subreptitiæ impetrata, uti non semel S. Congregatio declaravit apud Pyrrum Corradum *lib.* 8. *cap.* 1. *num.* 37. qui & addit, id etiam sibi locum vindicare, quamvis copula prædicta habita fuerit post litteras dispensationis, seu mandati de dispensando obtentas, nondum à Delegato executioni demandatas; asseritque eo casu opus esse litteris in forma *perinde valere*, priusquam ad executionem priorum litterarum Delegatus procedere possit.

CAPUT IV.

De causis dispensationis, et Informatione super veritate earum.

1 *Informatio à Delegato instituenda etiam est circa causam dispensationis.*
2 *Plures causæ cum suis formulis in Curia Romana admissæ.*
3 *Causa* ob angustiam *loci*, *qua formula exprimatur.*
4 *Formula causæ* ob incompetentiam dotis.
5 *Eadem causa cum clausula* cum augmento.
6 *Item cum clausula* pro indotata.
7 *De causa vulgo dicta*, pro Oratrice excedente 24. annum.
8 *Causa communiter nuncupata* pro Belgis.
9 *Pro verificatione causarum attendendæ* formularum *expressiones*, *harum verò sensus ex stylo Curiæ Romanæ.*
10 *Veritas causæ requiritur tempore executionis litterarum.*
11 *Tenor litterarum dispensationis super impedimento cum adjuncta copula*, *aut familiariore conversatione.*
12 *De causa dispensationis super voto castitatis.*
13 *Quid Delegatus Dispensato imponere debeat.*
14 *Qui vigore hujus dispensationis uxorem duxit*, *eâ mortuâ aliam ducere nequit.*

I. NOn tantùm circa allegatum impedimentum versari debet Commissarii informatio; sed etiam circa causam pro obtinenda dispensatione allegatam; utrùm scilicet, & quoad illam *preces veritate nitantur.*

Ut autem exactior notitia omnium eorum, quæ hîc verificari debent, & narratorum veritas habeatur, causas famosiores, & magis ordinarias, una cum suis formulis, quibus juxta stylum Curiæ Romanæ proponi consueverunt, proferam, breviterque exponam.

II. Hoc unum prænotandum, plures; variasque causas, ob quas dispensationes matrimoniales judicantur indulgendæ, jam pridem in variis Congregationibus hunc in finem habitis, esse admissas, ac suis specialibus formulis expressas; neque alias præter probatas, nec sub alia expressione seu formula à Curia Romana admitti solere.

III. Prima, eaque una ex frequentioribus causis, cum quibus concedunt dispensationes matrimoniales, præsertim in gradibus consanguinitatis, seu affinitatis remotioribus, est *ob angustiam loci*, ait Pyrrus Corradus, *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 34.

Exprimitur hæc causa sub formula. *Quòd cum dicta Oratrix in dicto loco, propter illius* ANGUSTIAM *virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat*, cupiunt &c.

Si sint consanguinei in gradibus proximioribus, v. g. secundo, aut tertio, superior formula non sufficit, sed tunc post verba *nubere queat*, addenda sequens clausula: *Et si extra dictum locum nubere cogeretur, dos quam ipsa habet, non esset competens, neque sufficiens, ut cum ea virum, cui juxta status sui conditionem nubere possit, invenire valeret.*

IV. Secunda causa, eaque hodiè sat usitata, dicitur ob *incompetentiam dotis*, sequenti formula exprimi solita: *Quòd cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem, juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, & dictus Orator illam cum dicta minus competente dote uxorem ducere intendat*, cupiunt &c.

V. Interdum post verba *uxorem ducere*, additur hæc clausula: *Illisque dotem usque ad quantitatem, secundum dictæ Oratricis qualitatem, competenter augere intendat.* Diciturque hæc causa sic expressa: *propter dotem cum augmento* & requiritur hoc augmentum, ut obtineatur dispensatio in quibusdam gradibus proximioribus, puta, in secundo, & tertio tantùm; etiamsi hujusmodi gradus duplicentur, seu multiplicentur ex diversis stipitibus, quemadmodum monet Pyrrus Corradus *lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 37.

VI. Subinde intitulatur hæc causa: *Pro indotata*; quando Oratrix dicitur *indotata*; & dicitur quòd Orator *eam sic* INDOTATAM *ducere, ac usque ad quantitatem, secundum dictæ Oratricis qualitatem* EX INTEGRO *dotare intendat.*

Non poterit Commissarius dispensare vigore litterarum cum causa sic expressa, nisi priùs re ipsa Oratrix ex integro dotetur, si sit pro *indotata*; vel augeatur, si fuerit, *Propter dotem* cum *augmento.* Solet enim in litteris adjici: *Et postquam dictæ Oratricis dos competenter aucta fuerit*: vel in causa *pro indotata*: *Postquam dicta Oratrix ex integro dotata fuerit, ut præfertur.*

VII. Tertia causa hodie usitata vocatur, *Pro Oratrice excedente* 24. *annum*, exprimiturque hac formula: *Quod dicta Oratrix vigesimum quartum annum, & ultra suæ ætatis agens, hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit*, cupiunt &c.

» Hæc causa (ait Corradus loco citato *num.* 28.) passim ad-» mittantur pro optinenda dispensatione in quibuscunque gra-» dibus; nec tam sufficit super aliquo ex proximioribus, puta » secundo, seu primo & secundo; & eo magis admittitur, cùm » magis tempus effluxerit ab ætate Oratricis ad contrahendum » matrimonium. «

Monet tamen Corradus ibidem *num.* 87. hanc causam non admitti in muliere vidua, quæ velit ad secundas nuptias convolare; sicut docet notoria praxis Curiæ Romanæ.

VIII. Quarta causa vulgò dicta *Pro Belgis*, exprimitur his Verbis: *Quòd cum dicti Oratores Orthodoxæ fidei cultores existant, ac Deo dante, sub obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*

vivere, & mori intendant, & in illis partibus, in quibus multi sunt Hæretici, non possint animos singulorum explorare, & qui Catholicam Religionem verè profitentur, internoscere: ac propterea, ne contingat eos cum Hæreticis matrimonium contrahere, cupiunt &c.

IX. Quæ pro veritate causarum prædictis formulis propositarum verificanda sint, ex attenta formularum lectione, & consideratione facilè potest intelligi. Nequaquam tamen dubitandum, quin multùm attendi debeat, quomodo prædictas formulas intelligat Curia Romana; quidque pro verificatione earum requirere soleat. Quandiù autem de praxi Curiæ Romanæ certò non constat, tenenda erit proprietas verborum, quibus formulæ sunt conceptæ. Unde meritò monet Corradus, non esse eligendum in Vicarium seu Officialem Episcopi, cui rescripta dispensationum dirigi solent, qui saltem non mediocrem Rescriptorum illorum notitiam habeat, vimque, ac efficaciam clausularum noverit.

Indubiè convenit pro executione hujusmodi litterarum consulere, qui specialiter praxim Curiæ Romanæ referunt, ac notanter sæpè citatum Pyrrum Corradum, qui praxim, & stylum illius Curiæ non mediocriter calluisse, ac sat fideliter retulisse videtur; licèt in doctrinalibus parùm solidus sit, & ad laxitatem propendeat.

X. Hoc commune est omnibus prædictis causis, quòd pro verificatione causæ requiratur, ut vera sit tempore executionis, sive tempore, quo Vicarius seu Officialis auctoritate Apostolica ad dispensationem vigore Rescripti Apostoliei procedit, & nisi eo tempore subsit veritas causæ, licet subfuerit tempore supplicationis, aut confecti Rescripti, Comissarius dispensare non poterit, uti latè probat Garcias *de Beneficiis, part.* 6. *cap.* 2. *n.* 284.

XI. Interdum autem contingit, dispensationem peti, ubi copula carnalis, aut familiarior conversatio inter consanguineos intercessit.

Supplica pro simili dispensatione obtinenda concipi solet hoc tenore: *Exponunt N. & N... Quòd ipsis aliàs scientibus se tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, Orator prædictus, non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso, hæc causa foret S. V. & Sedem Apostolicam ad misericordiam, & gratiam erga ipsos faciliores reddendi; sed solùm vesana libidine victus, Oratricem cognovit. Cùm autem, Pater Sancte, nisi matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, dicta mulier diffamata, & innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri*, cupiunt &c.

Tum subjicitur dispositiva suprà relata, ac inter alia, *diligenter se informet, an preces veritate nitantur*, antequam dispenset; insuper addita hac speciali cautione ex usitato stylo Curiæ Romanæ: *Et recepto ab iis* (Oratoribus) *juramento, quod sub spe faciliùs habendæ dispensationis incestum hunc* (idem est de familiariore, & suspecta conversatione) *non commiserint.*

XII. Quando petitur dispensatio super voto castitatis ad contrahendum matrimonium, causa frequentiùs exprimi solet hac formula: *Quòd Orator ita stimulis carnis agitetur, ut continentiam servare posse non speret; ac propterea matrimonium contrahere desideret.*

Indubiè hæc allegata impossibilitas moralis servandi castitatem intelligitur ex mente Pontificis, si ea revera perduret, postquam occasiones peccandi vitavit; jejunia, aliaque corporis afflictiva opera ex præscripto docti, ac pii Confessarii, aliaque pro servanda castitate convenientia remedia adhibuit; cum aliàs justa dispensationis causa non esset.

XIII. In dispositiva injungit Pontifex Commissario, ut si ei de præmissis constiterit, votum prædictum dicto Oratori, ad hoc »ut Matrimonium SEMEL duntaxat legitimè contrahere »possit, in frequentiam Confessionis Sacramentalis peccato»rum suorum, singulis scilicet mensibus, semel, vel quoties »tibi videbitur, ac in alia pœnitentiæ opera per te injungen»da, inter quæ sint etiam aliqua, quæ quotidiè facere tenea»tur ad eum finem, ut ea adimplens, meminisse semper pos»sit obligationis, qua hujusmodi voto adstringebatur, prout »secundum Deum ipsius animæ saluti ixpedire judicaveris, se»cumque desuper dictum votum; dispensando, dicta aucto»ritate commutes.«

XIV. Denique additur hæc clausula finalis: *Quòd si dictus Orator mulieri, cum qua contrahet, supervixerit, maneat postea cælebs, & eodem voto ut prius obligatus.*

Per hæc quidem verba clariùs declaratur, Oratorem ipsum ex vi hujus dispensationis, non posse nisi semel uxorem ducere; unde si supervixerit, non potest aliam uxorem ducere sine nova dispensatione, uti notat Pyrrus Corradus *lib.* 8. *cap.* 10. qui tamen observat, quod si matrimonium tantùm fuerit contractum, & non consummatum, dispensatio non videatur habuisse effectum; adeoque possit vigore ejusdem dispensationis aliam uxorem ducere: quia non tam matrimonialis contractus, quam ipsa consummatio hîc attenditur.

CAPUT V.

De dispensatione super matrimonio cum impedimento dirimente contracto.

1 *Matrimonio cum impedimento dirimente contracto necessaria dispensatio.*
2 *Si scienter ita contractum fuerit, id in supplica exprimi debet.*
3 *Exprimendum quoque si consummatum fuerit.*
4 *Omissio solemnitatum exprimenda est.*
5 *Etiamsi de licentia Ordinarii omissæ essent.*
6 *Consummatio matrimonii ante detectum impedimentum an exprimenda.*
7 *Perseverantia in usu matrimonii detecto impedimento specificè exponenda.*
8 *Causa ordinaria hujus dispensationis cum sua formula; quæ tamen non semper admittitur.*
9 *Matrimonium nulliter contractum, obtenta dispensatione, de novo contrahi debet.*
10 *Non sufficit, si ad interrogationem alicujus se mutuo agnoscant pro conjugibus.*
11 *Ut de novo contrahatur, an utrique parti inotescere debeat Matrimoni invaliditas.*
12 *Si dispensatio obtenta sit in Dataria, Matrimonium de novo contrahendum est coram Parocho & testibus.*
13 *An idem faciendum, si pro foro conscientiæ duntaxat obtenta sit in Pœnitentiaria.*

I. INterdum matrimonium cum impedimento dirimente de facto quidem, sed *nulliter* contrahitur; quo casu necessaria est dispensatio, ut matrimonium sic contractum validetur; & conjuges matrimonio uti queant.

II. Pro cujus dispensationis praxi sciendum, quòd si *scienter* contraxerint cum impedimento dirimente, illud necessario sit in supplica exprimendum: eò quòd hæc scientia difficiliorem reddat dispensationem: imò Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 5. *de Reformat. Matrimonii*, vult quòd »si quis intra gradus pro»hibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, sepa»retur, & spe dispensationis consequendæ careat.«

III. Si insuper matrimonium consummatum fuerit, id quoque exprimendum erit; quia consummatio matrimonii dispensationem difficiliorem facit juxta clausulam in decreto Concilii Tridentini verbis jam citatis subjectam: Idque »in eo multò ma»gis locum habeat, qui non tantùm contrahere, sed etiam con»summare ausus fuerit.«

IV. Quod si *ignoranter* cum impedimento dirimente contractum sit matrimonium, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio, v. g. proclamationes prævias, neglexerit, id omninò erit exprimendum: eò quòd ratione hujus neglectûs, contrahentes spe consequendæ dispensationis carere velit Synodus Tridentina; volens eos iisdem pœnis subjici, quibus subjectos declaraverat contrahentes *scienter* cum impedimento dirimente; »Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem »facilè experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit« ait Synodus Tridentina.

V. Quinimò si de licentia Ordinari sint omissæ proclamationes prævie, nihilominùs id exprimendum, & si non esset expressum, Rescriptum esset subreptitium, idque juxta receptum stylum Curiæ Romanæ, uti monet Pyrrus Corradus *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 8.

VI. Quando etiam ignoranter matrimonium cum impedimento dirimente contractum est, si consummatum fuerit etiam ante detectum impedimentum, nihilominus consummatio erit exprimenda; ita de stylo, & praxi receptum ait Corradus *lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 29.

VII. Detecto impedimento si perstiterint in usu matrimonii, hoc specificè erit exprimendum, quia difficiliorem reddit dispensationem; ista persistentia in actu matrimoniali post detectum impedimentum insinuante, quòd nequaquam alieni fuerint à contrahendo *scienter* cum impedimento dirimente.

VIII. Causa ordinaria dispensationis super matrimonio contracto cum impedimento dirimente solet exprimi per hanc formulam: *Cùm autem si divortium inter eos fuerit, gravia exinde scandala possint verisimiliter oriri.*

Hanc causam minimè sufficientem ad dispensandum cum eis, qui *scienter* contraxerunt, & consummârunt matrimonium cum impedimento in *secundo* consanguinitatis, aut affinitatis gradu declaravit Paulus IV. dicens: »Absolutiones, & dispensationes »hujusmodi ex prætextu prædicto« (nimirùm quòd ex divortio gravia scandala inter eos & eorum consanguineos, & affines possent verisimiliter oriri »etiam si proles ex matrimonio sic »contracto subsecuta fuerit, nullatenus, sed solùm ex causa »urgentissima pro bono publico & à jure considerata, per »Nos tantùm & non alium approbanda concedemus, & quòd dis-

» dispensationes ex alia causa nostris temporibus exulabunt: & » quod nobis licere non patimur nostris successoribus indican- » tes." Extat integra Bulla apud Corradum *Lib.* 8. *c.* 3. *num.* 5.

IX. Potestatem autem dispensandi tribuit Pontifex eâ cautione, *ut matrimonium inter se de novo publicè servatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere liberè, & licitè valeant.*

Cùm enim matrimonium contractum ratione impedimenti dirimentis fuerit *nullum*, ac *invalidum*; necessariò debet de novo de utriusque consensu renovari, seu de novo contrahi; eò quòd prior contractus nullus fuerit.

X. Hinc consequens est, dispensatione obtentâ, non sufficere, quòd Parocho interrogante mulierem, num hic sit suus maritus, & virum, num hæc sit sua uxor, uterque affirmativè respondeat: quia hæc dicendo, non contrahitur de novo matrimonium, sed potiùs declaratur, quòd sit inter ipsos matrimonium, atque in eo persistere intendant: præsertim si impedimentum fuerit utrique parti ignotum.

XI. Et quia de novo contrahere debent matrimonium, necessariò utrique patri invaliditas prioris matrimonii nota sit oportet: alias enim consensus in novum matrimonium, saltem non ea, quæ requiritur, libertate habebitur. Facilè enim continget, in matrimonium consentire aliquos, si prius matrimonium nesciant invalidum, aut etiam tantùm de eo dubium esse sciant, qui haud consentirent, si certò scirent matrimonium esse invalidum. Quapropter si certa sit matrimonii invaliditas, etiam ut *talis* utrique conjugi proponenda est, priusquam de novo matrimonium contrahant.

Vult insuper Pontifex, ut matrimonium publicè, & servatâ formâ Concilii Tridentini contrahatur; nimirum coram Parocho & testibus. Et rectè. Cùm enim hîc agatur de dispensatione pro utroque foro super impedimento *non occulto*, nisi secundum matrimonium publicè, dictâ formâ servatâ iniretur, sed clam inter solos conjuges renovaretur consensus matrimonialis, incommoda, quibus Synodus Tridentina anullando matrimonia clandestina occurrere voluit, ex simili matrimonio clandestinè contracto oriri facilè possent.

Primum enim matrimonium publicè contractum probari posset *nullum* ob impedimentum dirimens; secundum verò probari non posset, utpotè, uti supponitur, inter solos contrahentes *privatim* & *occultè* contractum; atque ità liberum esset alteri partium convolare ad alias nuptias, non obstante hoc matrimonio, validè, sed clandestinè contracto; neque etiam per Ecclesiam seu Judicem separari posset, defectu probationis hujus secundi matrimonii.

Num idem statuendum sit, si impedimentum fuerit tale, ut solis contrahentibus innotescat; nec aliis facilè innotescere potest, neque in foro exteriori probari; super quo dispensatio petitur in Pœnitentiaria pro foro conscientiæ tantùm capite septimo dicetur.

CAPUT VI.

De dispensatione in *forma pauperum.*

1 *Dispensationes in* forma pauperum *sic dictæ à paupertate Oratorum.*
2 *Quomodo hæc qualitas in litteris exprimatur.*
3 *Debet esse ex parte utriusque; & testimonio fide digno probari.*
4 *Formula attestationis super paupertate à Parocho expediendæ.*
5 *Quid circa* paupertatem *observare debeat Parochus.*
6 *Quid circa impedimentum, quod allegatur.*
7 *Valdè circumspecti esse debent Parochi in danda hac attestatione.*
8 *Quo tempore paupertas Oratorum verificanda.*
9 *Hæ dispensationes concedi solent ob incestum prævium, aut ejus suspicionem.*
10 *Si post indictam separationem, aut obtentum decretum* copula *intervenerit, novis litteris opus est.*
11 *Oratoribus ob incestum prævium imponenda pœnitentia publica.*
12 *Qualis debet esse pœnitentia publica.*
13 *Oratori injungendum ut operam suam in aliquod pium opus conferat.*
14 *Hæc pecunia redimi nequit.*
* *Speciales clausulæ dispensationis in forma pauperum.*
15 *Ad dispensationem non præcedendum nisi peractâ Oratori impositâ pœnitentiâ.*
16 *Delegatus non potest dispensare, si prævideat ex dispensatione oritura scandala.*

I. INterdum expediuntur in Curia Romana dispensationes in *forma pauperum*, ità dictâ, quòd non nisi pro pauperibus hujusmodi dispensationes expediantur.

II. Unde in ipsis litteris dispensationis expressè supponitur, & exprimitur hæc Oratorum qualitas, his verbis: *Qui pauperes, & miserabiles existunt, & ex labore, & industria sua tantùm vivunt.*

III. Et quidem ad implendam hanc dispensationem requiritur *paupertas* & *miserabilitas* utriusque, scilicet tam Oratoris, quàm Oratricis, ait Pyrrus Corradus *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 3.

Debet autem hæc qualitas, quæ extrinseca est, probari; neque admittitur sola Oratorum assertio in Curia Romana; sed solet in his proferri testimonium Parochi alteriusve fide digni.

IV. In libello nuper Leodii impresso sub hoc titulo: *Manuale Pastorum compendiosè complectens Canones, & Ritus Ecclesiasticos pro administrandis Sacramentis juxta usum Pastoralis Mechliniensis, pag.* 192. extat formula ad scribendum testimonium pro iis, qui egent dispensatione Sedis Apostolicæ titulo paupertatis, tenoris sequentis: » Ego infrascriptus Rec- » tor Parochialis Ecclesiæ loci de N. sub districtu Diœcesis N. » scio, & testificor NN. & NN. subditos præfatæ Parochialis » Ecclesiæ esse orthodoxæ Romanæ fidei cultores, verùm adeò » pauperes, ut de suis labore, & industriâ tantùm vivant. In » cujus fidem subscripsi hâc.... Mensis..... Anni...."

V. Post hæc subjicitur duplex monitum. Primum super veritate ipsius paupertatis: » Attestatio hæc non est in ista forma » expedienda, nisi ejus contenta nitantur veritate, & hæc habe- » batur, vel ex particulari notitia ipsiusmet Pastoris attestantis, » vel ex testimoniis fide dignorum testium. Si omissa fuerit par- » ticula *tantùm*, non utilis est attestatio ad finem, qui inten- » ditur."

VI. Alterum monitum concernit gradus affinitatis, aut consanguinitatis, qui inter Oratores intercedere dicuntur: » Ne- » cessum etiam est (ait) ut Pastor antequam relaxet testimo- » nium, quòd Oratores sunt consanguinei vel affines in tali » vel tali gradu, exactè sit informatus de hujusmodi gradu, & » quandam ejus habeat certitudinem. Aliàs pauperes Oratores, » expeditis Bullis juxta vitiosam gradus expressionem, incidunt » in varia incommoda."

VII. Admodum circumspecti esse debent Parochi in hujusmodi testimoniis expediendis, singulasque particulas seriò & attentè expendere, atque maturè examinare, num prædicta formula per omnia, uti sonat, verificari queat.

Cùm enim hæc formula semper inseratur, & coram Commissario, priusquam ad dispensationem procedere queat, verificari debeat, si tunc quoad omnes suas partes verificari nequeat, dispensatio in simili forma obtenta suo effectu carebit, frequenter non sine multis impetrantium incommodis.

VIII. Notandum, quòd juxta hodiernum stylum non sufficiat paupertas, & miserabilitas Oratorum tempore supplicationis, sed ea adesse, & probari debet, dum litteræ dispensationis à Commissario Apostolico eximuntur, & executioni mandantur, uti observat Corradus *loco citato*, *num.* 30.

IX. Hæ dispensationes solent expediri ob incestum prævium, aut ejus vehementem suspicionem, ne ob copulam jam inter eos quovis modo subsecutam, aut illius suspicionem ortam, contingat eos cum animarum jactura, & cum gravi scandalo in simili copula, aut ejus suspicione perseverare; ipsaque Oratrix infamata, & innupta remanere cogatur.

Quapropter litteris in hac forma expeditis injungitur Executori seu Commissario, ut Oratores *ab invicem separet*, idque sive agatur de contracto, sive contrahendo Matrimonio.

X. Quin in hac specie dispensationis singulare est ex declaratione Pauli V. ut si durante hac indicta separatione, aut ante obtentum decretum dispensationis Oratores se rursus carnaliter cognoverint, de novo recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro litteris *perinde valere*; uti monet Pyrrus Corradus *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 38. ubi & latè de hujusmodi litteris discurrit, variasque earum pro varietate casuum formulas proponit.

XI. Ulteriùs in hac dispensatione speciale est, quòd Oratoribus ob incestum prævium per Executorem sive Commissarium debeat imponi *pœnitentia publica*, quod ita in litteris exprimi consuevit: *Eam illis pœnitentiam publicam imponas, quæ alios deterreat à similibus committendis.*

XII. Non exprimitur quidem species pœnitentiæ publicæ; sed ea pro personarum, locorum, ac criminis circumstantiis determinanda relinquitur Commissario; ita tamen publica esse debet, ait Corradus *lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 7. » Ut omnibus ferè » loci, seu oppidi, aut civitatis, ubi ipsos Oratores hujus- » modi pœnitentiam peragere contingit, innotescat. «

Testatur quoque ibidem *num.* 9. consuetudine introductum, ut pro hujusmodi incestu, & excessibus, in pluribus mundi partibus, tale scelus perpetrantibus, vigore dictarum litterarum injungatur, ut dum Missa solemnis decantatur in Ecclesia Parochiali Oratorum, in suis manibus teneat unusquisque ipsorum candelam accessam.

Hinc apparet: Ecclesiam Romanam in ea esse opinione, quòd delicta publica etiam pœnitentiâ publicâ sint expianda; eatenus saltem, ut scandala reparentur, & alii à similibus committendis deterreantur, conformiter ad Decretum Concilii Tri-

den-

dentini *Sess.* 24. *cap.* 8. *De reform.* de quo latiùs suprà *tit.* 6. *cap.* 2.

XIII. Occurrit deinde in hac speciæ dispensationis hoc singulare, quòd Oratori injungi debeat à Commissario, *ut operam suam fabricæ vel in aliud servitium alicujus Ecclesiæ vel pii locii tribus saltem mensibus conferat.*

Hæc pœna imponitur in casu hujusmodi dispensationis, tam civilibus, quàm vilibus personis, ut docet quotidiana praxis, ait Corradus *loco citato*, *num.* 16.

XIV. Monet quoque ibidem *num.* 15. pœnam illam pecuniâ redimi non posse, nec per alium persolvi; etiamsi vellet solvere pecuniam alicui volenti dictam pœnitentiam pro ipso peragere: » Quod quidem (ait) optima ratione servatur; quia juxta dictum Isidori nullam reus permitescit pœnam, quam scit » pecunia posse redimere, per textum in *Canone* PAUPER, » *caus.* 11. *quæst.* 3. Debent enim, qui tale scelus perpetrârunt, castigari pœnitentiis salutaribus, & afflictivis, quæ non » debent in aliud gravamen commutari; cùm non sint res, quæ » delinquunt, sed ipsæ personæ; & sic non debent puniri bursæ, ubi sunt homines puniendi; quia crimina non sic debent » transire impunita. «

* Ex dictis Corradi mirum suboriri debet, quòd incesta, quæ in divitibus non sunt minora, quàm in pauperibus, imò ab illis nonnunquam majori cum scandalo perpetrantur, Curia Romana, nulla imposita *corporis afflictiva* pœnitentiâ ab omnibus divitibus pretio statuto redimi permittat: neque injungatur Commissario, ut Oratori ob prævium incestum pœnitentia corporis afflictiva nullo pretio redimenda imponatur.

Similiter si, teste Pyrrho Corrado, Pontifex clausulam hanc, *nec scandalum sit ex eo oriturum*, in litteris dispensationis in *forma pauperum*, expressam velit, ut ostendat enixam suam esse voluntatem, dispensationem non esse concedendam, si prævidetur ex ea dispensatione scandalum *oriturum*, uti num. 16. est observatum, mirum videri debet, cur eandem clausulam exprimendam non censuerit Curia Romana in ordinaria formula dispensationis: quandoquidem non magis ex dispensatione, in *forma pauperum*, scandalum sit timendum, quàm ex dispensatione expedita in forma ordinaria; neque minus scandalum ex hac, quàm ex illa dispensatione prævisum, præcavendum sit.

XV. Cùm dispensationis litteræ obtentæ fuerint, non poterit autem Commissarius ad dispensationem procedere, nisi publica pœnitentiâ, juxta præscriptam formam integrè peracta; » etiamsi Orator, quoad operam suam conferendam, voluit » præstare quantumcunque idoneam cautionem de ea conferenda post contractum matrimonium (inquit Corradus ibi » *num.* 53.) quia sicut Ordinis susceptio non debet concedi » Clerico in publica pœnitentia existenti; ita ad matrimonium » transire non permittitur ipsa pœnitentia durante, ut habetur » in Concilio Arelatensi II. *Can.* XXI. «

XVI. Denique in litteris hujusmodi dispensationis speciali modo committitur dispensatio arbitrio Executoris: post enim peractam pœnitentiam publicam, operamque præstitam; *demum* (ait Pontifex) *si tibi expediens videbitur, quòd dispensatio hujusmodi sit eis concedenda; nec scandalum sit ex eo oriturum.*

Itaque post omnia injuncta juxta tenorem litterarum peracta, committitur arbitrio executoris, an dispensari conveniat; ac præcipuè an sine scandalo dispensatio concedi queat.

Et quamvis dispensatio quæcunque suspendi, imò matrimonium impediri debeat, si sine scandalo fieri nequeat; ideoque etiam prædicta clausula non esset in litteris apposita, nihilominus subintelligeretur, voluit hîc tamen Papa exprimi, ut magis dignoscatur sua enixa voluntas, ait Pyrrus Corradus *lib.* 8. *cap.* 6. *n.* 64.

CAPUT VII.

De dispensatione pro foro conscientiæ expedienda per Pœnitentiariam.

1 *Delegatus debet se super veritate contentorum in Bulla informare.*
2 *Quomodo hæc informatio fieri debeat.*
3 *Quid si ex informatione non innotescat falsitas narratorum, sed aliunde Delegato nota sit.*
4 *Dispensatio in solo foro interno suffragatur.*
5 *Commissarius dispensare nequit, nisi priùs auditâ Oratoris Sacramentali Confessione.*
6 *Impedimentum debet esse* occultum: *& quando dicatur occultum.*
7 *Debet inquiri quod incommodum sit secuturum, si non dispensetur.*
8 *Matrimonium de novo contrahi debet, sed priùs de nullitate Matrimonii utrique parti constare debet.*
9 *Hîc magna circumspectione Comissarius uti debet.*
10 *Consensus matrimonialis non est renovandus coram Paroco & testibus.*
11 *Dispensatio hæc in solo foro conscientiæ prodesse potest.*
12 *Quàm secretò hîc omnia peragenda sint.*
13 *Qua ratione invalida censeatur dispensatio, si litteræ dispensationis Oratori restituantur.*

I. DE forma, & inscriptione dispensationum, quæ in Pœnitentiaria Romana expediuntur, aliqua diximus *parte prima*, *tit.* 23. *cap.* 3. ubi de Pœnitentiario, & Pœnitentiaria Romana egimus; pauca duntaxat specialia in hac dispensatione occurrentia notabimus.

Clausula specialis occurrit, modum inquirendi super veritate narratorum continens, his verbis exprimi solita: *Si ita esse per diligentem Oratoris examinationem, ac post monita, & consilia opportuna illi præstita, inveneris.*

II. Non debet ergo Delegatus se super veritate allegatorum informare auditis testibus; quemadmodum contingit in dispensatione obtenta in Dataria, quæ etiam pro foro externo valet, sed sufficit, ut Delegatus diligenter examinet Oratores pro veritate expositorum, idque præviis monitis & consiliis opportunis; è quibus scilicet ipsi Oratores percipiant momentum hujus examinis, quòd à sincera vel non sincera expositione narratorum dependeat validitas, vel invaliditas dispensationis, & inde consequens etiam validitas matrimonii; atque hinc ulteriùs dependeat, num forsan tota vita durante non sint victuri in perpetuo incestu cum evidenti periculo æternæ damnationis.

III. Sed quid si ex Oratoris examine, ac interrogatione falsitas precum non deprendatur; aliunde tamen illa Delegato innotuerit? Nullatenus dispensare poterit; dispensando enim contingeret, quod fortè conjuges, aut alter eorum in perpetuo viverent incestu.

Accedit, quòd cùm hîc petatur dispensatio occultè, nullum sit inconveniens, si privata & occulta scientia Delegatus utatur; præsertim cùm præsumendum sit Pontificem nolle dispensationem indulgere, quando revera causa dispensationis allegata non subsistit.

IV. Tertia clausula exprimitur hac formulâ: *Ita quòd hujusmodi dispensatio, & absolutio foro judicario nullatenus suffragetur.*

Quapropter, si vel per Superiorem ex officio, vel à quocunque privato matrimonii validitas in quæstionem ducatur, nullatenus dispensatio in Pœnitentiaria obtenta suffragabitur; sed quæstio discutienda, & terminanda erit, ac si nulla dispensatio intervenisset.

V. Ex stylo hodierno additur: *Audita priùs Oratoris Sacramentali Confessione, eundem hac vice in forma Ecclesiæ consueta, & injunctâ ei pœnitentiâ absolvas.*

Per hanc clausulam jam sublatum est dubium olim à Doctoribus motum, num dispensationem præcedere deberet Confessio Sacramentalis: hanc enim præmittendam esse expressio hodierna istius clausulæ appertè supponit.

VI. Altera clausula in omnibus dispensationibus à Pœnitentiaria emanantibus est, *dummodo impedimentum ex præmissis proveniens sit occultum.*

Pro intellectu hujus clausulæ observandum quod dicit Pyrrus Corradus *lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 12. » Non sufficit illud esse » occultum, tatummodo tempore impetrationis dispensationis » super eo; sed opus est, quòd nullus adsit timor, quòd aliquo » modo possit fieri publicum in futurum, aliàs enim Major Pœnitentiarius remitteret supplicationem ad Datariam, ut Ora» tores petant secum dispensari in utroque foro; quia non oc» cultum, sed manifestum dicitur, quod potest probari, per Gloss. » in *cap.* VESTRA, in verbo, NOTORIUM, *de Cohab. Cleric. &* » *mul.* « Impedimentum autem occultum dicitur, quando non » publicè constat, nec facilè constare potest, ac periculum non est, ut in foro externo detegatur.

VII. Post hæc eodem contextu in formula subditur: *Et separatio inter latorem & dictam mulierem fieri non possit absque scandalo; ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timendum esse tibi visum fuerit, aliudque canonicum non obstet impedimentum.*

Dictio *dummodo* præcedens, cum qua hæc clausula conectitur, sat ostendit, mentem Committentis esse, ut non dispensetur, nisi præmissa verificentur.

VIII. Sequitur deindè in formula: *Cum eodem latore & dicta muliere de nullitate prædicti consensûs certiorata, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo secretè ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus, contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses.*

Ex hac clausula patet primò, quòd si impedimentum unì duntaxat partium notum sit, nequeat matrimonium de novo contrahi, nisi priùs altera pars de nullitate prioris consensûs sit certiorata. Ratio illius facilè colligi poterit ex dictis *cap.* 7.

IX. Magnâ hîc prudentiâ, ac circumspectione opus est: unde meritò Executor hîc non tantùm humana, sed vel maximè di-

divina consilia, & auxilia adhibebit; recurrendo ad Patrem Luminum, ut eum lumine suo illuminet, quid in casu adeò perplexo agere debeat.

X. Patet quoque ex eadem clausula consensum hîc non esse publicè renovandum coram Parocho & testibus, quemadmodum in casu dispensationis in Dataria expeditæ super impedimento non occulto; sed *secretè* inter partes renovari sufficiat; eò quòd impedimentum sit occultum, & dispensatio pro solo foro interno. Imò hæc dispensatio non admittit Matrimonium publicè coram Parocho & testibus renovari vigore ipsius dispensationis; quia omnia vult *secretissimè* peragi, neque incommoda, quæ ex clandestinis matrimoniis timebantur, hîc timeri possunt; uti benè notat Corradus *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 43.

XI. Essentialis differentia hujus dispensationis in Pœnitentiaria obtentæ, & dispensationis in Dataria expeditæ, in hoc consistit, quòd hæc valeat pro utroque foro: illa verò *pro solo foro interno*, ut his verbis exprimitur: *In foro conscientiæ, & in ipso actu confessionis* TANTUM, *& non aliter neque ullo modo, ita quòd hujusmodi absolutio, & dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragatur.*

XII. Ut omnis occasio utendi hac dispensatione in foro judicario amputetur, additur: *Nullis super his adhibitis testibus aut litteris datis, seu processibus confectis; præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare tenaris, ità ut nullum illarum exemplum extet, neque eas latori restituas: quod si restitueris, nihil ipsi præsentes litteræ suffragentur.*

Nulli ergo omnino testes in actu dispensationis intervenire possunt; nec ullæ omninò litteræ etiam privatæ qualescunque dari de dispensatione facta; & multò minus processus judicialis confici, quibus quovis modo in foro externo hæc dispensatio probari posset. Et ne aliquod vestigium seu indicium externum dispensationis superesset, litteras ita laniari mandat, ut nullum exemplum extet.

XIII. Quod addit in fine, quòd si latori restituantur litteræ dispensationis, ipsi eædem litteræ nihil suffragentur, subintelligitur in *foro externo*, uti post Sanchez de Matrimonio *lib.* 8. *disp.* 34. *num.* 42. notat Marcus Paulus Leonis in Praxi Pœnitentiariæ *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 88. ità ut si dictæ litteræ in prædicto foro exhibeantur, careant omni fide, & probatione: quia illa est mens Magni Pœnitentiarii concedentis; nequaquam verò ut dispensatio facta frustretur suo effectu in foro conscientiæ.

CAPUT VIII.

Quæ circa dispensationes a Parocho populo exponenda.

1 *Parochus meritò monet Oratores, ut expendant, an subsit justa causa petendi dispensationem.*
2 *Ostendet quàm periculosum sit mediante dispensatione matrimonium contrahere.*
3 *Dispensatio non semper reddit aliquem coram Deo securum.*
4 *An satisfaciant dicendo, Pontifex judicet utrum sit justa causa.*
5 *Instruendi quòd non omnes causæ in Curia Rom. admittantur.*
6 *Exponenda clausula litteris inseri solita*, si preces veritate nitantur.
7 *Monendi de clausulis hujusmodi litterarum; necnon de juramento præstando.*
8 *Litteræ in* forma pauperum *singulariter exponendæ.*
9 *Notitia formularum, & clausularum, quibus dispensationes concipiuntur, Parochis admodum conveniens.*
10 *Episcopi mandant à Parochis eas subindè populo exponi.*

I. IMprimis Parochus intelligens, aliquos è suis Parochianis meditari dispensationem super impedimento matrimonii à Sede Apostolica petere, utiliter eos monebit, ut seriò expendant, an reverà coram Deo sit justa causa recedendi à decretis, & legibus Ecclesiæ.

II. Ut autem efficacius ad id expendendum moveat, ostendent, quàm periculosum sit statum aliquem assumere recedendo à regulis Ecclesiæ. Nisi enim causa talis sit, quæ Deo probetur, verendum, ne ob hunc à regulis Ecclesiæ recessum, ipsum matrimonium, etiam divina benedictione frustretur: visumque non rarò quàm infelix fuerit exitus eorum, qui neglectis sacris Ecclesiæ ordinationibus vitæ conditionem elegerunt. Et quidem primùm in Ecclesia Romana excitatum schisma, in ordinationem auctoris ipsius schismatis dispensativè factam refundere non dubitavit Cardinalis Baronius, qui & illius occasione hoc notandum & huic materiæ appositum monitum subjungit: » At » plane ex facto Novatiani apparet, quanto periculo quæratur » per *dispensationem*, quod est aliàs Ecclesiasticis legibus inter» dictum. «

Quam infaustus sæpè sit exitus matrimoniorum mediante dispensatione, præsertim in gradu admodum propinquo, contractorum, quotidiana experientia sat notum est.

III. Adhæc proponet Parochus, quòd non semper coram Deo aliquis sit securus, licèt dispensationem à Sede Apostolica obtinuerit, si legitima dispensandi causa desit. Neque hanc esse justam excusationem, qua plerique se securos existimant dicentes: Papa dispensavit, ipse viderit, ego sunt immunis.

Quia uti rectè monet Bellarminus Epistola ad Nepotem suum *Controv.* 5. » Hic cavillus securos multos reddit, tutum verò » neminem: quoniam Papa non est Dominus, sed dispensator; » ideoque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis causa est, » & qui ea utitur, eadem semper irretitur iniquitate. «

IV. Si forsan dicant, num causa sufficiens subsit, Pontifici expendendum relinquimus, ejusque consilium expetimus; regeri poterit, quod similibus olim dixit Bernardus *Epist.* 1. *Utinam non licentiam quæsiissetis, id est, non ut liceret, sed an liceret.*

Verendum sanè, ne pluribus à Sede Apostolica dispensationem efflagitantibus improperari queat illud, quod verbis citatis subjungit Bernardus: » Malum in corde conceperant, ope» re tamen ausi non sunt adimplere nisi cum licentia. Concepe» runt dolorem, sed non peperunt iniquitatem, donec iniquo » conceptui Papa præbuisset assensum... Quod tamen summum » fecisse Pontificem nequaquam crediderim, nisi & aut circum» ventum mendacio, aut importunitate victum. «

V. Exponere quoque convenit dispensationem petere meditantibus, quomodò non sit satis, quòd causa aliqua forsan de se sufficiens subsit, hæcque verificari possit, sed quod verificanda erit una ex causis in Romana Curia admissis; idque cum formula, quâ in litteris dispensationis exprimi consuevit.

VI. Ostendendum insuper, quomodò potestas dispensandi ipsi Officiali delegari soleat sub hac conditione, *si preces veritate nitantur*: cujus conditionis effectus exponendus erit; atque demonstrandum quomodò, ipsa dispensatio sæpè periclitetur, quia hæc conditio impleri nequit, eò quòd preces, prout in litteris juxta stylum Curiæ expressæ sunt, verificari nequeant.

VII. Adhæc monendi sunt de aliis clausulis hujusmodi dispensationum litteris inseri solitis; necnon instruendi super præstando juramento, præsertim si dispensatio petatur ob incestum, aut familiariorem conversationem præcedentem.

VIII. Denique cùm frequenter contingat in Parochiis ruralibus dispensationem postulari in *forma pauperum*, convenit, ut Parochus exponat clausulas speciales, quæ in Rescripto dispensationis in tali forma expedito inseri consueverunt ex solito stylo Curiæ Romanæ.

IX. Ex his facilè intelligitur, formularum, & clausularum, quæ hoc titulo propositæ, & expositæ sunt, notitiam non tantùm Officialibus, quibus executio litterarum dispensationum committi censuevit, sed & Parochis multùm utilem, & quodammodò necessariam esse; ut nimirùm ipsi subditis suis, quos mediante dispensatione contrahere velle sciunt, proponant ea omnia, quæ obtentâ dispensatione verificare, ac facere tenebuntur; eosque moneant, ut seriò attendant, priusquam supplicam suam Romam mittant, expensasque faciant, vel rumor de ineundo matrimonio spargatur, num reverà credant se ea omnia verificaturos, & quidem illa certitudine, ut matrimonium de nullitate non periclitetur; nec non juramenta præstanda cum veritate præstituros.

X. Unde, teste Pyrrho Corrado, nonnulli Episcopi in Synodo Diœcesana ad hos errores vitandos mandare solent, ut cùm Parochi de prohibitis matrimoniis verba faciunt, diligenter doceant, & cautè demonstrent, nullo modo censeri dispensatum, nisi verificatis narratis; ac præcipuè, ut in supplicationibus curent verum exprimi. (b)

(b) *Plura dare poterit Dissertatio Canonica, cui D. Van Espen fecit hunc Titulum* De Dispensationibus præsertim Matrimonialibus, *& extat* parte IV. tom 3. *hujus editionis.*

TITULUS XV.

De Divortiis, & secundis Nuptiis.

AD CAPUT I.

DE DIVORTIO QUOAD VINCULUM ET CONVERSIONE CONJUGATORUM.

1 *Divortium simpliciter sumitur.*
2 *Matrimonium legitimum non ratum facilius dissolvitur, quàm matrimonium ratum.*
3 *Matrimonium legitimum Infidelium non semper dissolvitur altero conjugum ad fidem converso.*
4 *Licèt etiam impedimento dirimente fuerit contractum.*
5 *Potest conjux conversus ad alias nuptias transire, si alter renuat sine contumelia Creatoris converso cohabitare.*
6 *Hic tamen recipiendus, si convertatur ante transitum prioris ad alias nuptias.*
7 *Matrimonium ratum non consummatum interdum quoad vinculum dissolvitur.*
8 *Jam pridem per professionem Religiosam matrimonia credebantur dissolvi.*
9 *Id Alexander III. intellexit de matrimonio rato non consummato.*
10 *In probationem hujus dissolutionis adducuntur exempla Sanctorum.*
11 *Dissolutionem hanc probavit Synodus Tridentina.*
12 *Efficacia disolvendi matrimonium ratum, non voto solemni, sed professioni solemni tribuitur.*
13 *Matrimonium consummatum juxta sacros Canones per professionem religiosam non dissolvitur quoad vinculum.*
14 *Post consumationem matrimonii non licet conjugi altero invito professionem religiosam emittere, aut continentiam vovere.*
15 *Qui sine consensu conjugis intravit Monasterium, ad eum reddire compellitur.*
16 *De consensu mutuo licitum est conjugibus continentiam vovere, & Religionem ingredi.*
17 *Uno conjugum Religionem ingrediente ordinariè alter etiam ingredi debet, & quare.*
18 *Sacri Canones non permittunt uxoratum in Episcopum ordinari, nisi ejus uxor continentiam voveat, & vestem religiosam assumat.*
19 *Ratio hujus disciplinæ.*
20 *Providendum ne uno conjugum Monasterium ingreso alter de incontinentia fiat suspectus; aut ejus periculum incurrat.*
21 *In hac conjugum separatione convenit, ut interponatur auctoritas Episcopi.*
22 *Ob adulterium non dissolvitur matrimonium quoad vinculum.*

I. DIvortium sumitur dupliciter. Primò quidem, idque frequentiùs, pro dissolutione matrimonii quoad vinculum, diciturque hæc dissolutio propriè divortium. Secundò accipitur pro separatione conjugum quoad thorum & cohabitationem, durante interim adhuc matrimonii vinculo; hæc separatio conjugum improprie divortium appellatur.

II. Quoad divortium primo modo sumptum, indubitatum est, illud faciliùs admitti circa matrimonium legitimum non ratum, quàm circa matrimonium ratum, licèt non consummatum; quamvis & quoad matrimonium ratum tantùm aliquando admittatur.

Matrimonium legitimum non ratum, dicitur matrimonium inter Infideles, sive non baptizatos, secundum eorum leges & instituta contractum.

III. Hoc matrimonium rationem contractûs civilis dumtaxat habens, neque ad rationem Sacramenti hactenus elevatum, indissolubilitatem ex Christi institutione non habet; altero tamen ad fidem converso, altero in Paganismo seu infidelitate remanente, separationem vetuit Ecclesia; ut per conversionem unius conjugis, & alter salvari possit; cum juxta Apostolorum 1. *ad Corinth.* 7. contingat *sanctificari virum infidelem per mulierem fidelem*, & contra.

IV. Imò etsi inter ipsos Infideles tempore contractus matrimonialis intercesserit impedimentum dirimens, non tamen propterea conjux ad fidem conversus ab alio separari debet; modò impedimentum illud non à jure naturæ, sed à jure merè positivo inductum sit; super quo Ecclesia dispensat, »in favorem »præsertim christianæ religionis, & fidei, à cujus perceptione, »per uxores se deseri timentes viri, possunt facile revocari" ait Pontifex *in Cap.* 8. ✠ *De Divortiis.*

V. Addit tamen Pontifex hanc exceptionem: »Nisi post »conversionem illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi »consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut »eum pertrahat ad mortale peccatum: in quo casu restitutio»nem petenti, quamvis de injusta spoliatione constaret, restitu»tio negaretur: quia secundum Apostolum: *Frater, aut soror* »*non est hujusmodi subjectus servituti*, hoc est, poterit conjux »fidelis tali casu transire ad novas nuptias."

VI. Deinde subjungit Pontifex: »Quòd si conversum ad »fidem & illa conversa sequatur, antequam propter prædic»tas causas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere com»pelletur."

Porrò cùm rarus circa hujusmodi matrimonii dissolutionem casus incidat, plura dicere necesse non est; si quando casus occurret, facilè consuli poterunt Commentatores ad citatum *cap.* 7. & 8. *eodem titulo.*

VII. Matrimonium ratum non consummatum, quamvis sit perfectum in ratione matrimonii ante consummationem, faciliùs solvi nihilominus quoad vinculum, quàm matrimonium ratum, & consummatum, nemo Catholicorum dubitat.

VIII. Et quidem illud dissolvi per professionem religiosam non obscurè expressum est apud Gratianum *caus.* 27. *q.* 2. *Can.* 26. ibi ex Epistola Nicolai I. refertur hoc fragmentum: »Nam licèt scriptum sit, *quod Deus conjunxit, homo non se»paret*, Deus tamen, & non homo separat, quando divini »amoris intuitu ex consensu utriusque conjugis matrimonia dis»solvuntur."

Hîc quidem non sat clarè exprimitur, num per matrimonia, de quibus hîc agitur, intelligantur rata tantùm, an generaliter rata, & consummata; sed Ecclesia hos, aliosque Canones de hac dissolutione loquentes, de matrimonio *rato tantùm* intellexit; hocque per professionem dissolvi posse, nequaquam autem matrimonium *consummatum*, declaravit.

IX. Alexander III. rescribens Salernitano Archiepiscopo in *cap.* 2. ✠ *de Conversione conjugatorum*, ait: »Verùm post »consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero »etiam repugnante, eligere Monasterium, dummodo *carnalis* »commixtio non intervenerit inter eos; & alteri remanenti (si »commonitus continentiam servare voluerit) licitum est ad se»cunda vota transire." Rationem subjungit: »Quia cùm non »fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum tran»sire, & alter in seculo remanere."

Id ipsum rescripsit Brixiensi Episcopo *in cap.* 7. ✠ *eod.* dicens: »quod Dominus in Evangelio dicit, non licet viro nisi »ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum »est secundum interpretationem Sacri Eloquii, de his, quo»rum matrimonium *carnalis* copulâ est consummatum."

X. Alexander III. *capitulo* 2. in suæ resolutionis probationem adducit exempla Sanctorum dicens: *Sicut quidam Sancti de nuptiis vocati fuerunt*; ex quo non obscurè colligitur, Pontificem hîc reflexisse ad ea, quæ habet Gratianus ad calcem allegati Canonis 26. ubi probans sponsos posse sine mutuo consensu continentiam vovere, subjungit. »Ut enim refert Beatus Hie»ronymus, Macarius, præcipuus inter Christi Eremitas, cele»brato nuptiarum convivio cùm vespere thalamum esset ingres»surus, ex urbe egrediens transmarina petiit, & Eremi soli»tudinem sibi elegit. Item Beatus Alexius Euphemiani clarissi»mi filius, similiter ex nuptiis divina gratia vocatus, sponsam »deseruit, & nudus Christo famulari cœpit. Horum exemplo »patet, quòd sponsi, sponsarum suarum non exquisito con»sensu, continentiam valent profiteri."

XI. His, aliisque moti Patres Tridentini dixerunt, *Sess.* 24. *Can.* 6. *de Reform. Matrimonii*, »Si quis dixerit, matrimo»nium ratum non consummatum, per solemnem Religionis »professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit."

XII. Hanc efficaciam dirimendi matrimonium ritè contractum Synodus non tribuit voto solemni, *sed solemni professioni Religionis*, nec enim omne votum solemne hanc vim habet, quemadmodum quoad votum solemne Ordini sacro annexum declaraverat jam pridem Joannes XXII. in sua *Extravagante unica, de Voto.* Similiter licèt vota emissa à Patribus Societatis post probationem biennalem sint efficacia ad dirimendum matrimonium contrahendum, non tamen dirimunt jam ante contractum, uti potest alios notat Gonzalez in commentario ad *cap.* 2. ✠ *Convers. Conjugat. num.* 6.

XIII. Si leges civiles attendamus, non tantùm matrimonium ratum dissolvitur per professionem religiosam; sed etiam consummatum, *Novella* 23. *cap.* 40. quam legem non obscurè indi-

dicat S. Gregorius *Lib.* 9. *Epist.* 39. eamque tanquam Legi divinæ haud consonam rejicit: »Si enim dicunt (ait) religionis »causa conjugia debere dissolvi, sciendum est, quia etsi hoc »lex humana concessit, lex divina tamen prohibuit. Per se »enim veritas dicit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* »Quæ etiam ait: *Non licet dimittere uxorem excepta fornica-*»*tionis causa.* Quis ergo huic cœlesti Legislatori contradicat? »Scimus quia scriptum est, *Erunt duo in carne una.* Si ergo »vir, & uxor una caro sint, & religionis causa vir dimittit uxo-»rem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam »fortasse ad illicita vota migrantem; quæ est ita migratio vel »conversio, in qua una, eademque caro, & ex parte transit »ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione?«

Idipsum repetit eodem libro *Epist.* 44. dicens: »Quia etsi »mundana lex præcipit, conversionis gratia, utrolibet invito »posse solvi conjugium: Divina hoc tamen Lex fieri non per-»mittit.« Extant hæc S. Gregorii scripta apud Gratianum *caus.* 27. *quæst.* 2. *Can.* 19. & 21.

Hanc S. Gregorii, aliorumque Patrum sententiam amplexa Ecclesia, docet matrimonium ratum, & consummatum per professionem religiosam non dissolvi; quin & vinculum matrimonii inter Conjuges manere, tametsi de mutuo consensu uterque solemnem professionem religiosam emisisset.

XIV. Ulteriùs hinc consequens est, conjugem alterum nos posse altero invito religionem ingredi, aut etiam continentiam vovere, ita scilicet ut alter debito conjugali ob illud votum fraudari deberet invitus. Unde scribit S. Augustinus *Epist.* 227. *ult. edit.* »Una sola causa esse posset, qua te id quod vovisti, »non solùm non hortaremur, verùm etiam prohiberemus im-»plere, si fortè tua conjux hoc tecum suscipere, animi seu car-»nis infirmitate recusaret. Nam & vovenda talia non sunt a con-»jugatis, nisi ex consensu, & voluntate communi: & si præ-»properè factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quàm »persolvenda promissio,« Gratianus *caus.* 33. *quæst.* 5. *Can.* 6.

Et in *cap.* 5. ✠ *de Convers. Conjug.* rescribit Alexander III. Strigoniensi Archiepiscopo: »Nullus conjugatorum est ad sa-»cros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam »profitente fuerit absolutus.«

XV. Quin & idem Pontifex Pisano Episcopo respondit à *Cap.* 3. ✠ *eodem*, quòd qui invita uxore intravit Monasterium, ad eam redire compellatur; asseritque, votum sic emissum non tenuisse: »Unde ratione voti (ait) ad Monasterium »non tenetur redire, ulteriùs verò non poterit uxorem acci-»pere: promissit enim se non exigere debitum, quod in ejus »potestate erat: & ideò quoad hoc tenuit votum, non redde-»re autem, non erat in ejus, sed mulieris potestate.« Idem respondit Cœlestinus III. *in cap.* 12. ✠ *eod.*

XVI. De consensu conjugis, alterum conjugem posse ad religionem transire, aut continentiam vovere, indubitatum est: quod & in citata epistola expressit S. Gregorius dicens: »Si »verò utrisque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis au-»deat accusare, quando certum est, quòd omnipotens Deus, »qui minora concessit, majora non prohibuit.«

XVII. Verùm cùm sat periculosum sit, uxorem in seculo remanere, viro religionem ingresso, Exoniensi Episcopo scribit Alexander IV. in *cap.* 4. ✠ *de Conversione Conjugat.* »Cùm »sis præditus scientia litterarum, ignorare non debes Sancto-»rum Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir uxore sua, »aut uxor viro ejus non assumente religionis habitum, debeat »ad religionem transire. (Quia cùm vir, & uxor una caro sint, »sicut docet Apostolus, non potest unus ad Deum converti, »& alter in seculo remanere.) Inde est quòd auctoritate Apos-»tolica prohibemus, ne in Episcopatu tuo virum vel uxorem »(nisi uterque ad religionem migraverit) transire permittas.« Ita legitur in prima Decretalium collectione apud Antonium Augustinum; Raymundus autem verba ansulis inclusa omisit.

XVIII. Rursus idem Pontifex Strigoniensi, & Coloniensi Archiepiscopis scribit in *cap.* 5. ✠ *eod.* »Fraternitati vestræ »auctoritate Apostolica prohibemus, ne uxoratum præsumatis »in Episcopum ordinare, nisi uxor prius professa continen-»tiam, sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem »assumat.«

XIX. Ratio hujus additur in integra Decretali in prima Decretalium collectione: »Quòd si in quibuslibet ecclesiasticis »gradibus providenter, solerterque curandum est, ut in domo »Dei nil sit inordinatum, nihilque præposterum, multò ma-»gis laborandum est, ut in ejus promotione, qui super omnes »gradus continetur, non erretur. Inde est quod Fraternitati ves-»træ &c.«

Ne uxoris incontinentia in Episcopo contumeliam vergat, ab omni periculo & suspicione incontinentiæ exemptam oportet; quare & jam pridem in Synodo VI. *Can.* XLVIII. decretum fuit, ut »uxor ejus, qui ad Episcopalem dignitatem »promovetur, communi sui viri consensu prius separata, post-»quam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus, *Monaste-*»*rium ingrediatur* procul ab Episcopi habitatione.«

Uxor ergo illius, qui in Episcopum consecratus est, juxta sacros Canones monasterium ingredi debere verisimilius est.

XX. De cætero, semper sollicitèr providendum, ut uno conjugatorum Monasterium ingrediente, aut continentiam vovente, alter cum periculo, aut suspicione incontinentiæ in seculo non maneat: quod præcipuè Pontifices in suis responsis præ oculis habuere.

Unde Priori, & Fratribus S. Joannis scribit Alexander III. *cap.* 8. ✠ *de Convers. Conjugat.* »Uxoratus sine licentia uxo-»ris inter vos nullatenus recipiatur, quæ *integræ opinionis* exis-»tat, ita quòd nulla marito suspicio habeatur, eam ad secunda »vota velle migrare, vel quòd minùs continenter debeat vive-»re; quæ si talis exstiterit, marito ejus in consortio vestro re-»cepto, ipsa publicè in conspectu Ecclesiæ continentiam pro-»fessa, in domo propria cum filiis suis, & familia poterit per-»manere. Si autem talis fuerit, quæ suspicione non careat, vo-»to continentiæ celebrato, a secularium hominum se conversa-»tione removeat; & in loco religioso, ubi Deo serviat, per-»petuò commoretur.«

Præcipuè ergo providendum, ut incontinentiæ periculum, & suspicio admoveatur, quod clariùs innuitur in citato *cap.* 4. ubi verbis suprà relatis immediatè subditur hæc cautio; »Ve-»rùm si ita uxor senex est, & sterilis, quòd sine suspicione pos-»sit esse in seculo, dissimulare poteris, ut ea in seculo rema-»nente, & castitatem promittente, ad religionem transeat vir »ejusdem.«

Eadem cautio occurrit in responso Innocentii III. in *Cap.* 18. ✠ *eod.*

XXI. Ut autem circa hæc prudenter procedatur, convenit, ut in hujusmodi conjugatorum separatione sententia, sive judicium Episcopi interveniat, de quo ita legitur apud Gratianum *caus.* 27. *q.* 2. *Can.* 23. »Si vir, & uxor divertere pro sola re-»ligiosa inter se consenserint vita, *nullatenus sine Episcopi cons-*»*cientia* fiat, ut ab eo singulariter proviso constituantur loco.«

XXII. Olim quidem à nonnullis etiam Catholicis dubitatum fuisse, num ob adulterium alterius conjugis matrimonii vinculum dissolveretur, certum est; quam in rem videri possunt quæ habet Gratianus *Caus.* 32. *q.* 7. & hodie ipsi Græci tenent matrimonium per adulterium quoad vinculum dissolvi; quod & Oratores Venetos in Synodo Tridentina exposuisse scribit Cardinalis Pallavicinus *lib.* 22. *Historiæ Concilii Trid. cap.* 4. qui & postulârunt aliquam Canonis concepti moderationem, ne nimium offenderentur, & perpetuam ab Ecclesia Romana secessionem facerent Græci, in Insulis Reipublicæ Venetorum subjectis commorantes; quod & obtinuerunt, quemadmodum ibidem fusiùs narrat Pallavicinus.

Canon Concilii Tridentini tandem reformatus ita sonat: »Si »quis dixerit, Ecclesiam errare cùm docuit & docet juxa Evan-»gelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius »conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrum-»que, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non »posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; »mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, »quæ dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.« *Sess.* 24. »*cap.* 7.

Conformiter ad hanc Synodi œcumenicæ definitionem profitemur, matrimonium ob adulterium non dissolvi; nec posse innocentem vivente adultero ad alias nuptias transire; quamvis separationem fieri posse quoad thorum, & cohabitationem fateamur, de qua capite sequenti.

CAPUT II.

De separatione Matrimonii quoad thorum et cohabitationem.

1 *Matrimonium Fidelium etiam consummatum variis de causis dissolvi potest quoad thorum.*
2 *Adulterium uxoris juxta est causa separationis.*
3 *Ratio hujus separationis.*
4 *Ecclesia in hac causa non agnoscit differentiam inter virum & uxorem.*
5 *Secundum Canones vir mulierem adulteram ante actam pœnitentiam non potest recipere.*
6 *Acta pœnitentia potest vir recipere uxorem adulteram.*
7 *Nequaquam invitus ad eam recipiendam adigi potest.*
8 *Interdum lex charitatis ad recipiendum obligat.*
9 *An maritus propria auctoritate uxorem adulteram recipere queat, si separatio judicis auctoritate facta fuerit.*
10 *Maritus adulterii conscius injuriam remisisse censetur, si eam cognoverit.*
11 *Maritus adulter non potest dimittere uxorem adulteram.*
12 *Separatio quoad thorum fit quoque ob hæresim alterius conjugis.*
13 *Aliquando dubitatum, num ob hæresim matrimonium non*

dissolveretur quoad vinculum : *at hodiè certum est , non dissolvi.*

14 *Ob vitia corporis an indicenda separatio.*

15 *Ob furtum , aliudve simile crimen conjugis an separatio facienda.*

16 *Ob sævitiam viri potest mulier separationem petere.*

17 *Separatio ex causa adulterii ex se perpetua , aliæ verò temporales esse solent.*

18 *Separatio quoad thorum , & cohabitationem à conjuge innocente non facilè petenda.*

19 *Separatio quoad habitationem sine auctoritate judicis fieri nequit.*

20 *Causa separationis judici probari debet.*

21 *Quid , si conjux qui certò novit nullitatem matrimonii , à judice cogatur ad reddendum debitum sub pœna excomunicationis.*

22 *Summa prudentia opus est in decernenda separatione.*

23 *Sententia separationis nunquam tranxit in rem judicatam.*

24 *Facta separatione , adimenda conjugibus incontinentiæ occasio.*

25 *Ex concordato inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem quæstio divortii ad solum judicem ecclesiasticum spectat.*

26 *Quid de alimentis conjugi decernendis.*

27 *Quis de dote & donatione propter nuptias lucranda , aut petenda , item divisione bonorum judicare debeat.*

I. QUamvis Ecclesia teneat matrimonium Fidelium ratum, & consummatum esse indissolubile *quoad vinculum*; neque posse quacunque ex causa, etiam *adulterii*, dissolvi quoad vinculum , fatetur tamen , matrimonium etiam consummatum , non una ex causa dissolvi posse quoad *thorum* ; ipsosque Conjuges separari quoad thorum , & cohabitationem ; salvo interim vinculo matrimoniali inter ipsos Conjuges ita separatos ; quod Synodus Tridentina *Sess.* 24. *Can.* 8. *de Reformat. Matrim.* definivit his verbis : » Si quis dixerit , Ecclesiam errare, » cùm ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum , seu quoad habitationem ad certum, incertumve tempus » fieri posse decernit; anathema sit. «

II. Adulterium uxoris esse causam legitimam separationis, posseque virum uxorem adulteram dimittere, nemo unquam dubitavit, ob claram sententiam Christi dicentis: *Omnis , qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa , facit eam mœchari. Matt. cap.* 5. *v.* 32.

De hac dimissione loquens S. Augustinus *lib.* 2. *de Adulterinis conjugiis , cap.* 5. ait : » Licitè itaque dimittitur conjux ob » causam fornicationis ; sed manet *vinculum prioris* , propter » quod fit reus adulterii , qui dimissam duxerit etiam ob causam » fornicationis. «

III. Causam dimissionis assignat S. Thomas in 4. *Sent. Dist.* 55. *q.* 1. *art.* 4. » Dominus dimittere uxorem concessit » propter fornicationem , in pœnam illius , qui fidem fregit , & » in favorem illius , qui servavit ; ut non sit adstrictus ad red- » dendum debitum ei , qui non servavit fidem. «

IV. Porrò utriusque conjugis hic par conditio est ; neque majus in uxore , quàm in marito crimen adulterii esse credit Ecclesia ; quantumvis leges civiles plus viris , quàm mulieribus indulsisse videantur , de quibus loquens S. Ambrosius *lib.* 1. *de Abraham* , ait : » Neque sibi blandiatur de legibus hominum, » omne stuprum adulterium est , nec viro licet , quod mulieri » non licet. « Et S. Hieronymus Epist. ad Oceanum acriùs in has Romanorum leges insurgens , apertè dicit : aliæ sunt leges Cæsarum , aliud Papinianus , aliud Paulus noster præcipit ; ac tandem concludit , *Apud nos quod non licet fœminis , æquè nec licet viris.*

V. Quin & sacris Canonibus , & Patrum decretis jam pridem proditum est virum conjugem adulteram , nisi pœnitentiam egerit , dimittere debere ; uti pluribus adductis ostendit Gratianus *Caus.* 33. *quæst.* 1. in cujus quæstionis titulo seu summario dicitur : » Illa enim , quæ adulterii rea convincitur , nisi post » peractam pœnitentiam in conjugii consortio retineri non de- » bet. « Et quidem in pœnitentiali S. Theodori Cantuariensis legitur : » Si quis uxorem suam scit adulteram & non vult dimit- » tere eam , sed in matrimonio habere , tribus annis pœniteat, » & quamdiu illa pœnitet , abstineat se ab illa. « Vide *Canonem* 6. apud Gratianum loco citato , & notas Romanas. Ratio hujus disciplinæ insinuatur ibidem *Canone* 1. *Nam patronus turpitudinis ejus est , qui crimen celat uxoris.*

Unde S. Augustinus *lib.* 1. *Retractat. cap.* 16. quasi alibi dicta rectractans , ait : » Ubi dixi hoc permissum esse , non at- » tendi aliam scripturam dicentem : *Qui tenet adulteram , stul- » tus & impius est.* «

VI. Acta pœnitentiâ conjux conjugem adulteram potest recipere , & maritali affectu retinere , uti dicitur in *Cap.* 3. ✠ *de Adulteriis* : » Quod si mulier dimissa egerit pœnitentiam & voluerit ad virum suum reverti , debet , sed non sæpè recipere » peccatricem. «

VII. Hîc tamen rectè notat Glossographus : » *Debet* , debito honestatis , non necessitatis , quia etiam post pœniten- » tiam posset eam accusare de adulterio. «

Admisso enim ab uno Conjugum adulterio , facta est innocenti potestas in perpetuum ab ea quoad thorum divertendi ; atque in perpetuum liber manet à debito conjugali reddendo; potestque sine ejus consensu vitam religiosam amplecti , vel ad sacros Ordines ascendere , uti deciditur in *Cap.* 15. & 16. ✠ *de Convers. Conjugat.*

VIII. Quin tamen lex charitatis nonnunquam exigat , ut vir conjugem adulteram pœnitentem ac resipiscentem recipiat & sibi reconciliet , dubium non est ; multisque probat S. Augustinus *l.* 2. *de Adulterinis Conjugiis , cap.* 6. & *Joan. cap.* 8. *v.* 11. adductis verbis Christi ad mulierem in adulterio deprehensam ; *Nec ego te damnabo , vade , deinceps noli peccare,* subjungit : » Quis non intelligat , debere ignoscere maritum, » quod videt ignovisse Dominum amborum , nec se jam adul- » teram dicere , cujus pœnitentis crimen divina credit miseratio- » ne deletum. « Idem prosequitur *cap.* 9. Apud Gratianum loco citato *Can.* 7. & 8.

IX. Hujusmodi autem conciliatio cum adultera conjuge proprio judicio , & auctoritate fieri potest , quamvis divortii sententia à judice lata sit ; eò quòd ad renuntiandum juri suo liberam quilibet habeat facultatem. *Cap. fin.* ✠ *de Crimine falsi.* Si tamen adulterium notorium fuerit, cavendum , ne si pœnitentia, & resipiscentia etiam notoriæ non fuerint , scandalum detur, videaturque vir adulterium fovere , eique aliquo modo consentire.

X. Maritus uxori injuriam remisisse videtur , si post adulterium commissum , & à se cognitum , eam cognoverit , uti post S. Thomam & Theologos ac Canonistas probat Sanch. *lib.* 10. *de Matrim. Disput.* 10.

XI. Similiter maritus adulter nequit ob adulterium uxoris eam dimittere ; quod jam pridem docuit S. Augustinus *lib.* 1. *de Sermone Domini in Monte , cap.* 28. è quo sumptus est *Canon.* 1. *caus.* 32. *q.* 6. » Nihil iniquius (ait) quàm fornica- » tionis causa dimittere uxorem , & si ipse convincitur fornica- » ri. « Occurrit etiam illud : » *In quo enim judicas alterum , te » ipsum condemnas : eadem enim agis quæ judicas.* Quapropter » quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem , prior debet » esse à fornicatione purgatus. Quod similiter & de fœmina » dixerim. «

Hunc secutus est Alexander III. in *Cap.* 4. ✠ *de Divortiis* , & Innocentius III. in *Cap. fin.* ✠ *de Adulteriis* , dicens: » Cùm paria crimina compensatione mutua deleantur , vir hu- » jusmodi fornicationis obtentu suæ uxoris nequit consortium de- » clinare. «

XII. Separatio , sive divortium quoad thorum , & cohabitationem fieri posse non tantùm ob corporalem fornicationem, sed ob spiritualem ; si scilicet alter conjugum in hæresim , aut Paganismum labatur , dicitur in *Cap.* 6. ✠ *de Divortiis* , & *Cap. fin.* ✠ *de Convers. Conjugat.* atque communiter docent Canonistæ.

XIII. Imò etiam *quoad vinculum* matrimonium dissolvi ob hæresim alterius conjugis olim nonnullos asseruisse constat ; & ita aliquem suorum Prædecessorum sensisse videri asserit Innocentius III. in *Cap.* 7. ✠ *de Divortiis* , dogma tamen catholicum scilicet ob hæresim matrimonium quoad vinculum non dissolvi , astruit Innocentius ; & contra nostri temporis Hæreticos declaravit Synodus Tridentina *Sess.* 24. *Can.* 5. *de Reformat. Matrim.* » Si quis dixerit , propter hæresim , aut moles- » tam cohabitationem , aut affectatam absentiam à conjuge dis- » solvi posse matrimonii vinculum ; anathema sit. «

XIV. Ob alia seu corporis , seu animi vitia non facilè admittenda conjugum separatio. » Si uxorem quis habeat (ait S. » Augustinus) sterilem vel difformem corpore , sive debilem » membris , vel cæcam , vel surdam , vel claudam , vel si quid » aliud , sive morbi , & doloribus , languoribusque confectam, » & quidquid (exceptâ fornicatione) cogitari potest vehemen- » ter horribile , pro fide , & societate sustineat. «

Apud Gratianum *Caus.* 32. *quæst.* 5. *Can.* 18. Et *Cap.* 2. ✠ *de Conjug. Leprosorum* , dicitur , nec ob supervenientem lepram liberum esse dimittere conjugem.

XV. Et interrogatus Alexander III. » Utrum mulier pro la- » trocinio , aut quolibet alio crimine à viro suo debeat separa- » ri , & alii nubere; & de viro simili modo , utrum pro quolibet » flagitio possit à conjuge dividi , & aliam sibi legitimè matrimo- » nio copulare. « Respondit : » Quod mulier pro furto , vel alio » crimine ab eo separari non debeat. «

Addit tamen hanc exceptionem : » Verùm si conjugem suam » ad maleficium traxerit, mulier à viro recedere poterit , & se- » parari ; ità quòd alii nubere non licebit ; quia licèt separentur, » tamen semper conjuges erunt. In viris quoque præsentis sen- » tentiæ forma servetur. « Hac in *Cap.* 2. *de Divortiis* , præsertim si integra Decretalis , prout habetur in prima collectione Decretalium , legatur.

Si-

XVI. Similiter ob sævitiam conjugis alterius divortium, sive separationem alter conjux petere potest, ut constat ex *Cap.* 13. ✠ *de Restitutione Spoliatorum*, ubi dicitur: » Si verò tanta sit » viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas » provideri, non solùm non debet restitui, sed ab eo potiùs » removeri. « Idem dicitur in *Cap.* 8. ✠ *de eod.* additurque: » Si autem capitali odio ita mulierem vir persequitur, quòd me- » ritò de ipso diffidat, alicui probæ, & honestæ mulieri usque » ad causæ decisionem custodienda studiosiùs committatur, in » loco ubi vir, vel parentes ejus mulieri nullam possint violen- » tiam inferre.“ In antiqua Collectione Decretalium.

XVII. Inter has separationes, & eam, quæ ratione fornicationis contingit, ea est differentia; quòd hæc sola tanquam immediatè perfluens ex violatione fidei conjugalis soleat esse perpetua; aliæ verò duntaxat ad tempus, quousque malum vel incommodum, quod ex mutua cohabitatione, aut consortio materiali timetur, cesset.

Hinc in citato *Capitulo* 13. verbis suprà relatis immediatè subjungit hanc cautionem: » Alioquin sufficienti (si fieri po- » test) securitate provisa, profectò videtur conjux ante causæ » cognitionem restituenda marito « quia securitate hâc præstitâ, cessat causa separationis.

XVIII. Porrò cùm ex separatione matrimonii sive quoad thorum, sive cohabitationem sæpè oriri soleant maxima incommoda, tam quoad ipsos conjuges, quàm liberos, totamque familiam, frequenter si non stricta justitia, charitas ipsa exigit, ut conjux innocens, & justam alioquin causam separationis habens, dissimulet, atque à separatione petenda abstineat.

XIX. Adhæc, ne conjuges sæpiùs ob causas frivolas, & cum publico scandalo fœdus matrimoniale solvant, nequaquam propriâ auctoritate unus conjugum ab altero divertere, præcipuè quoad habitationem, potest; sed à judice similis separatio probanda & decernenda est, *Cap.* 3. ✠ *de Divortiis.* Et in *Can.* 1. *caus.* 33. *quæst.* 2. damnantur, qui uxores suas dimittunt, antequam apud Episcopos comprovinciales dissidii causas dixerint, & priusquam in judicio damnentur.

XX. Judici proinde causa separationis, seu divortii legitimè probanda est; neque sufficit, eam alteri conjugi esse certam, nisi ipsi judici talis probetur. Hinc contingit, ut maritus ad recipiendam conjugem à judice justè subinde cogi possit etiam sub pœna excommunicationis; eique obedire quoad forum externum teneatur, quamvis adulteram esse certò sciat.

XXI. Quin fieri potest, ut conjux ad reddendum debitum conjugi à judice adigatur, quamvis illud præstare in conscientia non possit; imò & sententiam excommunicationis patienter sustinere debeat. Fieri quippe potest, ut alteri conjugi certò constet, matrimonium publicè in facie Ecclesiæ contractum, esse nullum ob impedimentum dirimens, sed occultum, quodque judici probari nequit; qui casus deciditur in *Cap.* 44. ✠ *de Sententia Excommunicat.*

XXII. Magnâ prudentiâ, & moderatione in decernenda separatione conjugum, præsertim si ex matrimonio etiam proles suscitatæ sint, judex procedere debet; solerterque & causas separationis, & incommoda, tum conjugibus, tum prolibus, totique familiæ ex simili separatione timenda, attendere, & æqua lance inter se librare. Vide Zypæum *Consult.* 3. *de Sententia & Re judicata.*

XXIII. Hîc & ostendit, sententiam divortii etiam quoad thorum, & cohabitationem nunquam transire in rem judicatam; debereque judicem ex officio sæpiùs monere conjuges, ut sibi concilientur; neque unquam hîc officium judicis cessare, ut nocentem ad meliorem frugem, & reconciliationem cum conjuge sua inducat.

XXIV. Providere quoque debet judex, ut quantum possibile est, facta separatione, ipsis incontinentiæ periculum adimatur; neque publico cum scandalo vivant; quemadmodum deciditur in *Can.* 5. *caus.* 32. *quæst.* 2. & in *Cap.* 19. ✠ *de Convers. Conjugat.* ubi eam regulam tradit Gregorius IX. his verbis. » Mulieres verò, quæ relicto maritali thoro, lapsu car- » nalis ceciderint, si mariti earum à te diligenter commoniti, ad » frugem melioris vitæ conversas noluerint recipere propter » Deum, in claustris cum religiosis mulieribus studeas colloca- » re, ut perpetuam pœnitentiam ibi agant. «

XXV. De divortio inter conjuges celebrando ex Concordato inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit.* 2. §. 2. » Solius judicis ecclesiastici est cognitio; etiamsi quæstio fœderis » matrimonialis inciderit coram judice seculari: quo casu ju- » dex secularis supersedere tenebitur, & hunc articulum (tam- » quam spiritualem) ad judicem ecclesiasticum, per eum infra » anni spatium terminandum, remittere. “

XXVI. Juxta idem Concordatum §. 3. » De alimentis for- » tè, quæ per virum, aut mulierem peti contigerit, pendente » divortii causa, vel de tractamento alterius eorumdem, cognos- » cere poterit judex ecclesiasticus, si hæc coram eo incidant, vel » incidenter petantur. Per hoc tamen non impedietur alter con- » jugum quid horum coram judice seculari petere, etiam judicio » divortii coram Ecclesiastico judice pendente. «

XXVII. De dote autem vel donatione propter nuptias lucranda vel perdenda, judex ecclesiasticus non cognoscit, nisi incidenter duntaxat; ubi scilicet ob adulterium concluditur ad divortium, & consecutivè ad lucrandam dotem. » Tametsio quæs- » tio possessorii, pendens in Consil. Brab. non suspendatur per » quæstionem motam coram Ecclesiastico super viribus, vel non » viribus contractuum antenuptialium.

De divisione bonorum judex ecclesiasticus, qui cognovit de divortio, cognoscere non poterit, nisi ex prorogatione expressa partium, non procuratorum.

Quid circa hæc obtineat in Gallia latè deducit Carolus Fevretius tractatu de Abusu *lib.* 5. *cap.* 4. *numero* 16. & 17.

CAPUT III.

De Secundis Nuptiis.

1 *Apostolus probat secundas nuptias.*
2 *Patres pro Hæreticis habuerunt, qui secundas nuptias reprobabant.*
3 *Quæ nuptiæ veniant nomine* secundarum.
4 *Secundæ nuptiæ demum licitæ sunt, priori matrimonio per mortem alterius soluto.*
5 *Mulier ob diuturnam mariti absentiam ad secundas nuptias transire non potest.*
6 *Nec sufficit si nesciat eum vivere.*
7 *Quomodo mulier de morte certa esse possit.*
8 *Legibus Romanorum vetitum erat mulieri intra annum luctus ad alias nuptias transire.*
9 *Rationes, quibus leges hæ innitebantur.*
10 *Ecclesia credit mox à morte mariti mulieri licitum esse transire ad alias nuptias.*
11 *Juxta sacros Canones mulier intra annum luctus nubens, infamia non notatur.*
12 *Cessant quoque aliæ pœnæ legales decretæ in mulieres intra annum luctus nubentes.*
13 *Quid si intra annum luctus non nubat, sed ex stupro pariat.*
14 *Qualiter pœnæ secundarum nuptiarum abrogatæ.*
15 *Quo sensu iterantes nuptias à Patribus reprehensi.*
16 *Quare olim Bigamis pœnitentia imposita.*
17 *Presbyter olim prohibitus secundis nuptiis interesse: & quare.*
18 *Hodie Presbyter secundis nuptiis, præsertim si sint tales ex parte mulieris, benedictionem non impertit.*
19 *Commendanda Viduitas, non tamen improbandæ iteratæ nuptiæ.*

I. APostolus 1. *ad Corinth.* 7. de Viduis ait: *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quòd si non contineant, nubant.* Et in prima ad Timotheum *cap.* 5. de Viduis junioribus dicit: *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres-familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.*

Denique generaliter in citato *cap.* 7. *v.* 39. Epistolæ, ad Corinthios: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quòd si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat tantùm in Domino.*

II. Ex his Apostoli clarissimis verbis uno consensu tradidêre Patres, conjuges, vinculo matrimonii per mortem soluto, posse liberè ad alias nuptias transire; unaque Hæreticis annumeraverunt, qui secundas nuptias tanquam malas, & vetitas reprobabant.

Unde Patres Synodi Nicenæ *Can. VIII.* statuerunt, ut Hæretici, qui se *Catharos* sive *Puros* appellabant, ad Ecclesiam redeuntes, ante omnia in scriptis profiteri debent, quòd adhærebunt, & sequentur Catholicæ Ecclesiæ decreta; id est, *& cum Bigamis se communicare.*

Bigami autem sunt, qui secundas nuptias inierunt; cum iis ergo communicare erat, secundas nuptias ipso facto probare.

III. Nomine secundarum nuptiarum intelliguntur non tantùm illæ, quæ primas immediatè sequuntur, sed & tertiæ, quartæ, & aliæ, quæ sequuntur; neque ullas reprobat Ecclesia: Apostolus enim dicens: » Quòd si dormierit vir ejus, non dicit, pri- » mus vel secundus, vel quotus, nec nobis definiendum est, » quod non definivit Apostolus. Unde nec ullas debeo damnare » nuptias, nec eis verecundiam numerositatis inferre, « ait S. Augustinus libro de Bono viduitatis *cap.* 11. apud Gratianum *Caus.* 31. *q.* 1. *Can.* 13. Idem adstruitur ibidem *Canone* 11.

IV. Has secundas nuptias demùm ut licitas agnoscit Ecclesia, si mulier sit soluta à lege viri, vel contra; id est, si *dormitaverit* vir ejus, scilicet dormitatione mortis: neque aliter quàm per mortem corporalem vinculum matrimonii rati dissolvi posse credit Ecclesia.

V. Unde & quantumvis leges civiles ob captivitatem, aut diuturnam absentiam mariti permiserint, aliquando mulier tran-

sire ad secundas nuptias, Ecclesia tamen ob nullam quantumvis diuturnam conjugis absentiam conjugi transitum ad secundas nuptias permittit; sed eam expectare jubet quousque de morte conjugis certiorata fuerit.

Sanctus Basilius in Epistola canonica ad Amphilochium *Can.* 31. ait: » Quæ cùm vir secessit, & non apparet, antequam de » ejus morte certior facta sit, cum alio cohabitavit, mœchatur. « Et *Can.* 36. » Militum uxores, quæ cùm mariti ipsarum non ap- » pareant, nupserunt, eidem rationi subjiciuntur, cui eæ, quæ » propter maritorum peregrinationem, ac absentiam reditu non » expectato nupserint. Sed res nonnullam hîc veniam admittit, » quòd major sit mortis suspicio. «

Plures eandem in rem Canones reperiuntur apud Gratianum, *caus.* 34. *q.* 2.

VI. Hinc interrogatus Clemens III. » de mulieribus, quæ » viros suos captivitatis vel peregrinationis causa absentes ultra » septennium fuerint præstolatæ; nec certificari possunt de vita, » aut morte ipsorum, licèt super hoc solicitudinem adhibuerint „ diligentem; & pro juvenili ætate seu fragilitate carnis humanæ „ nequeunt continere petentes aliis cópulari: respondit, quòd „ quantocunque annorum spatio ita remaneant vivent bus viris „ suis, non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare, „ nec (ait) auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec *cer-* „ *tum* nuntium recipiant de morte virorum.“ *Cap.* 19. ✠ *de Sponsalibus.*

Et universis Christianis in captivitate Saracenorum positis scribit Lucius III. in *Cap.* 2. ✠ *de Secundis nuptiis*, » ut nul- » lus ex vobis amodò se ad secundas nuptias migrare præsumat, » donec ei *firma certitudine* constet, quod ab hac vita migraverit » conjux ejus. «

His insistens Synodus Diœcesana Mechliniensis anno 1609. *tit.* 9. *cap.* 10. decernit: » Cùm ex longa conjugis absentia non » resultet certitudo de obitu, & mors non præsumatur, sed pro- » banda sit (quilibet enim vivere præsumitur), ad secundas nup- » tias convolare desiderans, matrimonio non jungatur, nisi ha- » bita priùs legitima certitudine de morte prioris conjugis; etiam- » si non septem tantùm, ut multis persuasum est, sed etiam vi- » ginti, triginta, & plures annos continuos eum abfuisse cons- » titerit.“

VII. Certitudinem ergo de morte conjugis requirunt Canones, priusquam ad secundas nuptias transire conjux possit, aut judex transitum permittere queat; at certum probationis genus non exprimunt, sed judicio, & examini judicis permittitur, ut hic ex allatis testimoniis, aliisque concurrentibus circumstantiis judicet, num certitudo sufficiens habeatur de morte conjugis, ut secundæ nuptiæ permitti queant; uti resolvit Zypæus *Cons.* 1. *de Secundis Nuptiis.*

VIII. Matrimonio per mortem naturalem mariti soluto, adhuc integrum non erat juxta leges civiles uxori superstiti mox ad secundas nuptias transire; sed jubebatur per annum defunctum maritum lugere, & à nuptiis abstinere; aliàs tam ipsa, quàm maritus, qui eam ducebat, necnon pater, qui eam nuptui collocabat, & pater mariti, cùm posset filium prohibere, infamia notabatur, *L.* 1. & 11. §. 1. *ff. de His qui notantur infamia.* Item *L.* 1. & 2. *Cod. de Secundis Nuptiis.* In quarum prima plures pœnæ in mulierem intra annum luctus nubentem decernuntur; & in secunda, annus, qui juxta anteriores leges concludebatur intra decem mensium spatium, qui erat annus lunaris, extenditur ad annum solarem duodecim mensium.

IX. Plures sanæ, nec contemnendæ fuêre harum legum rationes. Prima quidem eaque præcipua, ut evitaretur sanguinis turbatio, & ne frequenter incertum fieret, quis natæ prolis pater esset, an primus, ac secundus maritus; quæ ratio occurrit in citata *lege* 11. §. 1.

Adhæc vetitum fuit mulieri mox à morte mariti alteri nubere, ne alias suspicionem ingereret perpetrati, viro adhuc vivente, adulterii; vel saltem de secundis nuptiis cogitâsse cum eo, cui nubere adeò festinat.

Accedit reverentia illa, quam uxor debet memoriæ sui mariti: Nam ut Pompejus ad uxorem Corneliam ait apud Lucanum, *Ultima debet esse fides lugere virum*: præsertim quia commune est conjugum morientium votum, ne conjux superstes ad secundas nuptias transeat.

X. His tamen rationibus non obstantibus, Ecclesia credidit, conjugi superstiti mox à morte mariti liberum esse ad secundas nuptias transire, eò quòd Apostolus simpliciter pronuntiet, mulierem, ut dormierit vir ejus, esse liberatam à lege qua viro tenebatur, ut cui velit, nubat.

XI. Hinc ulteriùs credidit, mulierem secundum indulgentiam sibi ab Apostolo datam ad secundas nuptias inter annum à morte viri transeuntem infamiæ notam non mereri, atque in terminis responderunt Urbanus III. & Innocentius III. in *Cap.* 4. & 5. ✠ *de Secundis Nuptiis.* » Cum Apostolus dicat (ait Urba- » nus) *Mulier viro suo mortuo soluta à lege viri sui, in Domi-* » *no nubat, cui voluerit*: per licentiam & auctoritatem Apostoli „ ejus infamia aboletur.“ Et Innocentius eadem Apostoli auctoritate adducta, ait: „ Non debet legalis infamiæ sustinere jac- „ turam, quæ licèt post viri obitum intra tempus luctus (sci- „ licet unius anni spatium) nubat, concessa sibi ab Apostolo „ utitur potestate, cùm in his præsertim seculares leges non de- „ dignentur sacros Canones imitari.“

XII. Ne tantùm pœna infamiæ, sed eadem ratione omnes aliæ pœnæ contra viduas intra annum luctus nubentes Legibus Civilibus decretæ, hodie omnino sunt sublatæ (c); & ita judicatum refert Antonius Faber ad Codicem *Lib.* 5. *tit.* 5. *Definit.* 1. & ibidem *nota* 5. infertur: „ itaque non est deterior „ conditio viduæ intra annum, quam post annum nubentis. “

XIII. Idipsum notavit Gudelinus *Lib.* 1. *de Jure novissimo, cap.* 12. ubi etiam ex Julio Claro monet, quòd si mulier non quidem intra annum luctus nubat; sed luxuriosè vivat, & ex stupro pariat, eam hanc infamiam & alias pœnas à Legibus decretas non evadere.

XIV. Insuper si quæ pœnæ in odium secundarum nuptiarum per Leges decretæ fuerunt, hodie sublatæ sunt: at ea, quæ non tam in pœnam iterantium nuptias, quàm in favorem liberorum primi matrimonii, aliave consideratione statuta sunt, etiamnum hodiè in usu sunt (d); uti observat Gudelinus *loco citato*, & Zypæus in notitia Juris Belgici titulo *de Secundis Nuptiis* » non enim (ait) mens D. Pauli fuit aliquid corrumpere » ex publicis legibus, jura parentum & liberorum justè mode- » rantibus. «

XV. Porrò quamvis Ecclesia secundas ulteriores nuptias nunquam improbaverit, semper tamen agnovit, iteratas nuptias aliquam incontinentiæ suspicionem ingerere, ipsosque iterantes de ea nonnihil reddi suspectos. Hæc verò præsumptio fortior esse solet in iis, qui tertiò, quàm in iis, qui secundò; ac rursus servata proportione vehementior in iis, qui quartò, quàm qui tertiò nuptias iterant. Hinc pridem Patres mitiùs cum Bigamis, quàm cum Trigamis egerunt; hancque intemperantiæ speciem increpantes asperioribus verbis usi fuerunt, trigamiam ipsam subinde *honestam fornicationem* vocantes; non secundas, tertias, quartas aut ulteriores absolutè improbantes, sed incontinentiam toties nuptias iterantium redarguentes.

XVI. Eodem sensu accipiendi sunt Canones Pœnitentiam Bigamis, sive nuptias iterantibus imponentes; atque inter alios Synodi Neocesariensis *Can. III.* qui ex versione Isidori refertur apud Gratianum *Caus.* 31. *q.* 1. *Can.* 8. his verbis: » De his, » qui frequenter uxores ducunt, & de his, quæ sæpiùs nubunt, » tempus quidem pœnitentiæ his manifestum constitutum est, » sed conversatio, & fides eorum tempus abbreviat.“

Hoc Canone pœnitentiam veris Bigamis imponi etiam Baronius agnoscit ad *annum* 314. *num.* 91. » Non quòd secundum » matrimonium contrahendo peccent (inquit) sed quòd suam ip- » sius incontinentiam manifestent, & bigamiam, quæ in hu- » manæ imbecillitatis remedium instituta est, licentiùs usur- pent.“

XVII. Prædicto Canoni Gratianus conjungit Canonem 7. ejusdem Synodi, quem his verbis expressit: » Presbyterum ve- » rò convivio *secundarum* nuptiarum interesse non debere: Ma- » ximè cùm præcipiatur secundis nuptiis *pœnitentiam* tribuere: » quis erit Presbyter, qui propter convivium illis consentiat » nuptiis?“

Hoc est, ait Zonaras ad *hunc Canonem*: » Qui fieri potest, » ut pœnam à Digamo exigere non pudor sit ei, qui Digami fac- » tum à se non improbari, cum nuptiis secundis ipse interfuerit, » satis ostendit.“

XVIII. Quamvis hodiè nulla pœnitentia iterantibus nuptias imponatur; atque nuptiæ secundæ etiam à Presbytero assistente probentur, nihilominus ostendit Ecclesia, non æquè secundas ac primas nuptias sibi probari; dum has & non illas à Sacerdote specialiter benedici jubet, *Cap.* 3. ✠ *de secundis nuptiis*: & in *Cap.* 1. ✠ *eodem* vult Alexander III. Capellanum, qui benedictionem secundis nuptiis impendit, ab officio, Beneficioque suspensum, cum litterarum Episcopalium testimonio ad sedem Apostolicam destinari.

Licèt hæc pœna, ac remissio ad Sedem Apostolicam hodie non sit in usu, passim tamen moderna Ritualia præscribunt, secundas nuptias non esse benedicendas; præsertim si sint secundæ ex parte uxoris; hæcque semel benedicta fuerit.

XIX. Viduitatem secundis nuptiis præferendam esse, nec has tamem improbandas latè probat Augustinus libro de *Bono Viduitatis*, seu Epistola ad Julianam Viduam, atque inter alia ibi-

(c) *In Hispaniæ* leg. 3. tit. 1. lib. 5. Recopilat. *Ubi viduis ad secundas nuptias intra annum à morte mariti transire permittitur absque pœna notave infamiæ.*

(d) *Ideò* leg. 4. tit. 1. lib. 5. Recopilat. *stabilitum est in Hispania, quod Vidui Viduæve ad secundas nuptias transeuntes, debeant filiis prioris Matrimonii proprietatem rerum, morte Patris aut Matris ad eos pertinentium, reservare.*

ibidem *cap.* 4. scribit : » Quapropter hoc primùm oportet ut » noveris, bono quod elegisti non damnari secundas nuptias, sed » inferiùs honorari. Nam sicut bonum sanctæ Virginitatis, quod » elegit filia tua, non damnat unas nuptias tuas ; sic nec viduitas » tua cujusdam secundas.....Nec ita extollas bonum tuum, ut » quod malum non est tanquam malum crimineris alienum : sed » tantò magis gaude de bono tuo, quantò magis vides, non tan- » tùm illo devitari mala, sed quædam bona etiam superari.«

TITULUS XVI.

De ædificandis, consecrandis, & reparandis Ecclesiis.

CAPUT I.

De Scopo Temporum, et eorum Ornatu.

1 *Loca cultui divino destinata jam pridem dicta fuere Ecclesiæ.*
2 *Christiani primitùs loca hæc nolebant vocare* Templa.
3 *Primis Ecclesiæ seculis hujusmodi loca habuere Christiani.*
4 *Prima ratio extruendi hujusmodi loca.*
5 *Secunda ratio.*
6 *Tertia ratio.*
7 *Sancti Patres credebat convenientius orationis causa convenire ad Ecclesiam, quàm domi orare.*
8 *Ut scopus Ecclesiarum obtineatur, omnia disponenda ut ad pietatem excitent.*
9 *Actiones profanæ ab Ecclesiis arcendæ.*
10 *Quid de arcendis profanis actionibus decreverint Synodi Belgicæ.*
11 *Neque in Cœmeteriis permittendæ.*
12 *Nec mercatus rerum ad usum Ecclesiæ spectantium in Templis permittendus.*
13 *Non sunt permittendi pauperes eleemosynarum causa discurrere per Ecclesias.*
14 *Interior Templorum ornatus debet esse compositus ad excitandam populi devotionem.*
15 *Hinc receptus usus SS. Imaginum ; & quomodo eum probaverit Synodus Tridentina.*
16 *Populus docendus, cultum imaginibus non deberi ob earum materiam, aut elegantiam.*
17 *Ne populus in hunc errorem, & abusum incidat, aliquando certæ imagines tollendæ.*
18 *In hac amotione cum magna cautione, & prudentia procedendum.*
19 *Imagines in Templis proponuntur ceu quidam idiotarum libri.*
20 *Quare historiæ Redemptoris, & Sanctorum in picturis proponantur.*
21 *Solicitè cavendum, ne falsi dogmatis imagines in Ecclesiis exponantur.*
22 *Non semper tollendæ imagines aliquid falsi exprimentes.*
23 *An conveniat proponi imagines Sanctissimæ Trinitatis.*
24 *Superstitio in imaginibus vitanda.*
25 *Omnis lascivia, & inhonestas in picturis, & imaginibus sedulò cavenda.*
26 *Imagines Ethnicorum fabulas exprimentes, è Templis tollendæ.*
27 *Nec in domibus, aut hortis imagines lasciviæ tolerandæ.*
28 *Imagines Divorum ita pingendæ, ut homines ad pietatem excitent.*
29 *Abusus est statuis D. Virginis, aliorumque SS. profanum & levem ornatum adjicere.*
30 *Imaginibus, & statuis Salvatoris historias Scripturæ exprimentibus subinde aliquid minus honestum immiscetur.*
31 *Nemo insolitam imaginem publicè colendam exponere potest sine aprobatione Episcopi.*
32 *Quæ attendere debeant Episcopi priusquam imagines probent.*
33 *Omnia in Templis ordinatè agenda sunt ; hoc ut fieret, olim invigilabant Diaconi.*
34 *Hunc in finem olim Clericorum, & Laicorum loca erant distincta.*
35 *Locus Clericorum hodie dicitur* Chorus.
36 *Solebat velo à reliqua parte Templi separari : & ejus hodie superstes vestigium.*
37 *Quomodo laicis chorus patere debeat juxta SS. Canones.*
38 *Patronis hodie in choro locus competere solet.*
39 *Similiter & Magistratibus.*
40 *Mulieres ad chorum non admittendæ.*
41 *Convenit, ut mulieres à viris in Ecclesia separatæ sint.*

I. Ecclesia vox Græca propriè significans *concionem* sive *Fidelium Congregationem*, à temporibus Apostolorum frequenter etiam sumpta fuit pro Æde sacra, publico pietatis exercitio, & cultui divino destinata, utì patet ex Apostolo 1. *ad Cor. cap.* 11. *v.* 18. ubi ait : *Convenientibus vobis in* Ecclesiam *audio scissuras esse inter vos.* Et paucis interjectis *v.* 22. *Nunquid domos non habetis ad manducandum, aut bibendum aut* Ecclesiam *Dei contemnitis* ? Hîc Apostolum loqui de loco, ad quem Fideles conveniunt, evidens est ; & ita locum post S. Basilium in *Regulis brevioribus interrogat.* 310. exponit S. Augustinus *q.* 57. *in Leviticum* dicens : » Ecclesia dicitur locus, quo Ecclasia con- » gregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur, ut » exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam. Hoc tamen vocari etiam ip- » sam domum orationum, idem Apostolus testis est, ubi ait: » Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? » An Ecclesiam Dei contemnitis? Et hoc quotidianus loquendi » usus obtinuit, ut in Ecclesiam confugere non dicatur, nisi qui » ad locum ipsum, parietesque prodierit, quibus Ecclesiæ con- » gregatio continetur. «

II. Quin & Christiani multo tempore loca, ad quæ orationis, & cultus divini peragendi causa conveniebant, *Ecclesias* potiùs, quam *templa* dixêre; imò à *templi* vocabulo solicitè abstinuêre, ut non solùm à ritibus Ethnicorum, verùm etiam à vocabulis se abhorrere indicarent. Usus enim eo tempore obtinebat, ut *templi* nomine intelligeretur locus ad sacrificia & cultum falsis gentium Diis exhibenda destinatus ; atque hoc sensu Octavius apud Minutium Felicem, Optatus Milevitanus, & Hieronymus negant, Christianos habere templa ; uti monet Bellarminus *lib.* 3. *de Cultu Sanctorum, cap.* 4.

III. Porrò loca jam pridem specialiter fuisse destinata, ad quæ Fideles convenirent orationis, Sacrificii incruenti offerendi, aliaque religionis, & pietatis opera peragendi causa, non tantum ipse Apostoli locus suprà relatus, sed omnes pristini Scriptores manifestè evincunt, & pluribus probat Beilarminus loco citato : ibique notat, quatuor præcipuè de causis Ecclesias à Christianis fuisse extructas.

IV. Licèt enim scirent, divinitatem loco non concludi, jamque horam venisse de qua ad mulierem Samaritanam dixerat Salvator, quando *veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate, nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Joannis* 4. *v.* 23. & 24. Nec non Apostolus: *Volo viros orare in omni loco levantes manus puras* ; 1. *ad Timoth. cap.* 2. *v.* 8. sciebant tamen summam esse utilitatem, imò & necessitatem, ut loca quædam essent specialiter deputata, ad quæ divina audituri unà & oraturi Fideles convenirent ; eò quòd hujusmodi loca ad cultum divinum, orationemque specialiter dedicata, etiam speciali titulo præsentes ad pietatem excitent : præsertim dum omnia, quæ in locis illis aguntur, nec non totus eorum ornatus composita sunt ad imprimendam majorem de Dei majestate ideam, & erga res sacras, & religionis nostræ mysteria reverentiam provocandam ; omniaque decentiùs in locis sic ad usum sacrorum dedicatis & adornatis nata sunt peragi, quam si quibusvis locis usibus profanis indifferenter subservientibus agerentur.

V. Deinde omninò conveniens est, populum orationis, & instructionis causa in unum convenire : eò quòd piorum hominum frequenti consensu excitetur animus, & objecto aliorum exemplo ad Dei cultum magis erigatur. Ut enim propiùs admoti titiones facibus ardent, iidem sepositis languescunt: sic in Christianorum ampliori conventu studium pietatis accenditur ; in solitudine verò aliorum Fidelium exemplo destitutum sæpè remittitur.

VI. Denique Patribus indubitatum fuit, quòd in locis Deo, ejusque cultui peculiariter consecratis ; quæ propterea jam pridem *Domus Dei*, vel etiam *Dominica*, aut *Oratoria* sive *domus Orationis* dicta sunt, Deus speciali modo preces, & vota Fidelium benignus suscipiat, & exaudiat ; quemadmodum Salomoni in dedicatione templi Hierosolymitani promissum legitur. *Lib.* 2. *Paralip. cap.* 7.

VII. Unde S. Chrysostomus *Homilia* 30. contra Anomæos Ecclesias contemnentes, dicentesque *orare domi possumus* ; ita respondit : » Te, homo, decipis, & magno in errore versaris; » nam etsi domi quoque detur orandi facultas, tamen fieri non » potest, ut domi tam benè ores, quam in Ecclesia, « Et alibi: » Et domi quidem orari potest : sic autem ut in Ecclesia, non » po-

» potest. « *Homil. 6. ad Populum Antioch.*

Sanctus Basilius libro de Baptismo *cap.* 8. de necessitate peragendi divina mysteria in locis sacris & divino cultui speciali titulo consecratis, hæc habet : » Nobis periculum est malè obi» ti mandati, si loci rationem neglexerimus, maximè si Sacer» dotii mysteria in locis profanis celebraverimus; propterea quod „ ea res indicium haberet contemptus in celebrante, offendicu„ lum quoque generaret.“

VIII. Ut scopum seu finem Ecclesiarum, sive locorum ad divinum cultum dedicatorum populus assequeretur, admodum soliciti fuêre Patres, ut omnia, quæ populum ab oratione, pietateque, aut reverentia avocare possent, à locis illis arcerentur; omniaque ita disponerentur, ut nihil in iis occurreret, quod non pietati, ac reverentiæ erga res sacras fovendæ conduceret; eamque in populo excitaret.

IX. Hinc imprimis ut Ecclesia verè dicatur *Oratorium*, sive domus *Orationis*, & domus Dei, omnem ab ea abesse profanam actionem, tametsi aliàs de se non illicitam, voluerunt.

Synodus VI. vulgò Trullana *Can. LXXVI.* „ Quòd non „ oportet intra sanctos vel ambitus cauponariam officinam, ci„ borum species proponere, vel alias vendictiones facere, suam „ venerationem Ecclesiis servantes. Salvator enim noster & Deus, „ per suam in carne vivendi rationem nos instituens, non face„ re domum Patris sui domum negotiationis jussit, qui etiam nu„ mulariorum mensas effudit, & eos, qui sacrum commune fa„ ciunt, ejecit *Joann. cap.* 2.“

Huic Canonici conformis est Canon XIII. Synodi Exoniensis anno 1287. his verbis expressus : „ Pius & misericors Dominus, „ qui dum pro peccatis nostris irascitur, misericordiæ recorda„ tur, templa dominica construi, & divinis precibus consecrari „ voluit & præcipit : in quibus plebs Fidelis ab omnibus forinsecis „ & secularibus operibus abstinens, per oblationes & pacificas „ hostias, devotæ præcipuè orationis, iram judicis mitigaret, ip„ sius clementiam humiliter postulando. Quod idem omnium Do„ minus tam verbis, quàm operibus, specialiter volens desig„ nare, flagello facto de funiculis ementes, & vendentes ejecit „ de templo : asseverans domum suam domum fore orationis, & „ per tale comercium factam fuisse speluncam latronum. Ne igi„ tur ubi delictorum est venia impetranda, delicta delictis gravius „ accumulentur, districtè prohibendo statuimus, ne in quibusdam „ Ecclesiis nostræ Diœcesis, atriis earum vel cœmeteriis, mer„ cata seu placita secularia de cætero teneantur ; nec ullas nego„ tiationes quisquam exercere præsumat.“

Post hæc Concilium Lugdunense sub Gregorio X. in *Cap.* 2. *de Immunitate Ecclesiæ*, *in VI.* perpendens quòd » deceat do» mum Dei sanctitudo ; deceat ut cujus in pace factus est locus, » ejus cultus sit cum debita veneratione pacificus, « edixit sequentia : » Cessent in locis illis Universitatum & societatum » quarumlibet concilia, conciones (e) & publica parlamenta. » Cessent vana, & multò fortiùs fœda & profana colloquia. Ces» sent confabulationes quælibet. Sint postremò quæcunque alia, » quæ divinum possunt turbare officium, aut oculos Divinæ Ma» jestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea : ne ubi peccato» rum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut de» prehendantur peccata committi. Cessent in Ecclesiis, earum» que cœmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum, ac fo» ri cujuscunque tumultus, omnis in eis secularium judiciorum » strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos criminalis » maximè agitetur, sint loca eadem à laicorum cognitionibus » aliena. «

X. Synodi Belgicæ similiter omnem profanam actionem à locis sacris remotam volentes, imprimis statuerunt, ut Episcopi » deambulationes, ac profana colloquia impediant ; convivia » quoque, & negotiationes in loco sacro nullo modo admittan» tur. Proclamationes verò forenses non nisi extra templum, & » post divinum officium planè absolutum fiant ; atque ut laici ab » his efficaciùs comprimantur, Magistratuum locorum assisten» tiam implorent Episcopi, ut etiam ipsorum auctoritate ordi» natio ad impediendum hujusmodi insolentias fiat, & publice» tur.“

Hæc Synodus P. I. Mechliniensis titulo *de Divino Officio*, *cap.* 10. & 11. Et Synodus P. II. *titulo* 12. *cap.* 9. addens: » Nemo in loco sacro....etiam post officium divinum deambulet, » sub pœna arbitraria.“

XI. Similia in omnibus passim Synodis occurrunt : nec ab ipsis templis, sed & eorum cœmeteriis tanquam locis sacris, profanas omnes actiones abesse volunt.

» Nec sine gravi injuria loci sacri tolerari potest, ut in cœ» meteriis tripudietur, ideoque id districtè prohibemus, « ait Synodus Mechliniensis *tit.* 11. *cap.* 17. Deindè *cap.* 18. addit: » Liba quoque, placentæ, & similia in cœmeteriis non vendan» tur : neque strues lignorum in iis fiant : & generaliter nihil in » iis permittatur, quod loci religioni, ac sanctitati repugnet. «

XII. Notandum, quòd citatus Canon Synodi VI. Trullanæ, uti & relatus Canon Synodi Exoniensis expressè adducant factum Christi ejicientis ementes, & vendentes è templo; quo non obscurè innuunt, etiam Canonum horum prohibitionem spectare mercatum eorum, quæ in Sacrificium, aut usum ecclesiasticum cedere possent. Oves enim, & boves aliaque, quæ in templo Hierosolymitano vendebantur, ad Sacrificia illius temporis pertinebant, uti monet venerabilis Beda.

Hunc Canonum sensum expressit. S. Carolus in Synodo sua P. I. *part.* 2. *cap.* 57. statuens : » Ne Clericus, aut alius quivis » in Ecclesiis, earumque cœmeterio, atrio, vestibulo, aut por» ticu, foribusque quidquam venale exponat, nec si ad usum » quidem Sacrificii vel Ecclesiæ futurum sit. « Idipsum iisdem verbis decrevit Synodus Aquensis anno 1585. pluresque aliæ Synodi.

XIII. Multùm ad devotionem populi conciliandam conduceret executio decreti Synodi P. II. Mechl. *tit.* 12. *cap.* 17. » Pauperes per Ecclesias tempore Missarum, prædicationum, » aliorumve divinorum Officiorum, mendicare seu eleemosynas » petere non permittantur, sed ad valvas Ecclesiæ stare jubean» tur : deputenturque ubique à Superioribus vel Administrato» ribus Ecclesiarum, qui pauperes mendicantes ab Ecclesiis ar» ceant, & expellant ; & quidem, si necesse fuerit, sub cer» to honorario ex bonis mensarum pauperum persolvendo.“ Ad» de quæ habet S. Carolus in Actis Eccles. Mediol. *pag.* 355.

XIV. Ipse insuper interior templorum ornatus talis sit oportet ut ipsum populum ad solidam, veramque pietatem, ac sincerum Dei cultum excitare queat; atque ita hoc titulo templa dici queant domus *Dei*, & domus *Orationis*. (f)

XV. Hunc in finem jam pridem usus sacrarum imaginum in templis, seu Ecclesiis probatus fuit; atque novissimè contra nostri temporis Hæreticos retinendum esse declaravit Synodus Tridentina *Sess.* 25. in decreto *de Invocatione*, *Veneratione*, *& reliquiis Sanctorum*, *& Sacris Imaginibus*, » non quòd credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam » sint colendæ ; vel quòd ab iis sit aliquid petendum ; vel quòd » fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat in genti» bus, quæ in idolis spem suam collocabant ; sed quoniam ho» nos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræ» sentant ; ita ut per imagines, quas osculamur, & coram qui» bus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, & » Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.“

XVI. Idipsum populo sedulo inculcari Synodi nostræ Belgicæ Parochis præcipiunt; vultque Synodus P. I. Cameracensis titulo *de Imaginibus*, *cap.* 3. » Doceatur præterea populus » imagini cultum nullum deberi, aut propter materiam, aut » propter quidvis aliud, quod sit in artificio, aut imaginis subs» tantia ; sed propter rem significatam, ad quam hic cultus, & „ honos præcipuè refertur. Et sic admonendus est, animum „ orantis, aut venerantis in rem significatam referri, & non in „ signum ; quod nec audit, nec videt, nec sentit.“

XVII. Quare in Concilio Coloniensi anno 1452. celebrato per Dominum Nicolaum de Causa Cardinalem, & Legatum de Latere per Alemanniam, comprobante Domino Archiepiscopo Coloniensi Theodorico, statutum fuit ; „ ut si Ordinarii in visi„ tationibus suarum Diœcesium, vel aliàs reperiant concursum „ populi ad aliquas imagines, cognoverintque informatione sum„ maria recepta, populum amplius ad dispositionem figuræ ta„ lis imaginis, quàm salvâ fide expediat, inclinari, quod tunc „ imaginem tollant, & aliàs omninò provideant, ne idololatriam „ committant.“ Habetur tom. 13. Concil. General. *col.* 1382.

Similiter Synod. Moguntina ann. 1549. *Can. XLII.* „ pra„ væ superstitioni viam præcludere volens, omnibus locorum „ Ordinariis injungit ; ut si fortè in territoriis suis ad imaginem „ aliquam concursus fieri, & homines ad ipsius imaginis figuram „ respectum habere, & quasi quandam Divinitatis opinionem illi „ tribuere animadverterint, ipsam imaginem pro causæ qualita„ te, aut tollant, aut mutent, & aliam à prima notabili quan„ titate differentem reponant, ne rudis populus, in intellectu „ suo depressus, & ideò per media corporalia ad divina erigendus „ spem suam contra Ecclesiæ inventionem in corporali, & qui» dem certa imagine, privatâ phantasia, atque inhæsione collo» cet, quasi in illa sit quædam necessitas, ut per eam, & non » aliter, inducatur Deus & Sancti id facere quod petuntur. «

XVIII. Monet tamen Synodus, & quidem iterato in eodem illo Canone, ut in hac re procedant, » adhibitis priùs in con» silium Theologis, & Christianarum antiquitatum scientissimis » jux-

(e) *D. Van. Espen in suis observationibus in Decreta, quæ sub nomine Gregorii X. in Concilio Lugdunensi facta dicuntur, notat* CONTIONUM *nomine hîc designari communem populi alicujus congressum.*

(f) *Adversus nimium, profanumque ornatum Templorum præcipuè in majoribus Festivitatibus Hispaniæ Præsules plura decrecta edidere, & nuperrimè pro suo Archiepiscopatu Toletano suum* 30. *Novembris ann.* 1775. *ejus Archipræsul promulgavit.*

„ juxta ac pientissimis viris ; ut sic salubri Ordinariorum provi-
„ dentia à pernicioso idololatriæ scelere populi præservetur sim-
„ plicitas, « ait Synodus.

XIX. Scopum seu finem imaginum jam pridem brevi verborum compendio expressit S. Gregor. *lib.* 7. *epist.* 110. Sereno Episcopo Massiliensi inscripta: » Idcircò enim pictura in Ec-
» clesiis adhibetur, ut hi, qui litteras nesciunt, saltem in parie-
» tibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua
» ergo Fraternitas (ait) & illas servare, & ab earum adoratu
» populum prohibere debuit; quatenus & litterarum nescii ha-
» berent, unde scientiam historiæ colligerent; & populus in pic-
» turæ adoratione minimè peccaret. « Idem latiùs exponit *lib.* 9. *Epist.* 9. ad eundem Serenum.

Quin & usum imaginum supra usum librorum extollere videtur Synodus VII. *Actione VI.* dicens: » Lectio enim minus
» nonnunquam recitatur in venerabilibus templis, imaginalis ve-
» rò formatio vespere, mane, & meridiè tanquam in eis stabili-
» ta, narrat nobis, & annuntiat veritatem gestorum.“ Habetur tom. 7. Concilior. General. *col.* 539.

XX. Patrum, ac Synodorum doctrinæ insistens Synodus Trid. monet in citato decreto: » Illud diligenter doceant Epis-
» copi, per historias mysteriorum nostræ Redemptionis, pic-
» turis, vel aliis similitudinibus expressas, erudiri, & confir-
» mari populum in articulis fidei commemorandis, & assiduè re-
» colendis: tum verò ex omnibus sacris imaginibus magnum
» fructum percipi; non solùm quia admonetur populus benefi-
» ciorum, & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt; sed
» etiam, quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla
» oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant;
» ad Sanctorumque imitationem, vitam moresque suos compo-
» nant, excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum,
» & ad pietatem colendam. «

Hæc verba expressit Synodus P. I. Cameracensis titulo *de Imaginibus*, *cap.* 4. dicens: » Prætereà admoneatur populus,
» imperitæ plebis causa maximè positas esse imagines; ut illa-
» rum aspectu docti, & moniti patrocinium Divorum & pieta-
» tem in Christo conservemus, & eorum vitam imitemur. «

XXI. Sicuti ergo Ecclesia, semper admodum solicita fuit, ne quid falsi in divino officio, aut publicè in Ecclesiis prælegeretur; ne ipsa lectio populo erroris occasionem præberet, uti suprà *part.* 1. *titulo* 16. *cap.* 9. ostensum est, ita quoque ca-
» vendum est, ne in ipsius picturis, & imaginibus quidquam falsi exprimatur, ne aliàs ex ipsius imaginibus, seu idiotarum libris in falsitatem, & errorem populus incidat; quemadmodum monet Synodus Tridentina vehementer cupiens, » ut nul-
» læ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occa-
» sionem præbentes statuantur. «

Hac de causa pauperum B. Virginis decumbentis, & egrotantis, non esse pingendum ostendit Joannes Molanus in Historia SS. Imaginum *lib.* 2. *cap.* 27. eò quòd ex hujusmodi imagine facilè inducerentur rudiores in eum perniciosum errorem, quòd Beata Virgo ad instar aliarum mulierum dolores partûs fuisset experta, & pauperum subisset.

Et S. Carolus in Synodo Mediolanensi I. *tit.* 1. *cap.* 7. ait: » Illud imprimis caveant Episcopi, ne quid pingatur, aut sculpa-
» tur, quod veritati Scripturarum, Traditionum, aut Ecclesias-
» ticarum historiarum adversetur; ne cujus lectio prohibetur,
» ejus imago populo proponatur. “

XXII. Verùm licèt Episcopi, & Parochi, aliique, quibus cura incumbit, satagere debeant, ne quid falsi per imagines repræsentetur, vel ne alicujus erroris occasio populo detur; nihilominus subindè ob majora mala evitanda, & ne ex earum amotione quorundam infirmitas nimium turbaretur, expedit aliquas imagines jam positas tolerare, licèt quæ in iis repræsentantur, non sint adeò certa; imò sciantur etiam falsa; modò non talis sit falsitas, quæ nata sit in perniciosum errorem, aut circa dogmata, aut mores populum inducere, quemadmodum ostendit Molanus loco citato *cap.* 28. monens, ut interim doceantur simpliciores, quid ex hujusmodi imaginibus sit discendum, quid non discendum.

Similiter ne ex inspectione imaginum in periculosum errorem rudiores incidant, vult Synodus Tridentina: „ Quòd si
„ aliquando historias, & narrationes Sacræ Scripturæ, cùm id
„ indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit, do-
„ ceatur populus non propterea Divinitatem figurari, quasi cor-
„ poreis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi
„ possit. “

XXIII. Hîc sat indicat Synodus, magnâ cautione imagines Divinitatem sive Sanctissimam Trinitatem sub corporali specie exprimentes esse populo proponendas.

Et quidem multis seculis imagines SS. Trinitatis in Ecclesia Romana ignotas fuisse constat. Eas tempore Nicolai I. adhuc Ecclesiam Romanam ignorâsse notat ex ejus Epistola ad Michaelem Augustum Christianus Lupus *tom.* 2. Scholiorum in Canones *pag.* 1175 „ adducit tamen (inquit) licèt alio fine, ra-
„ tionem, ex qua postmodum Dei Patris imagines Romana Ecclesia admisit: *Deus, qui est invisibilis, & incorporeus*
„ *non per propriam substantiam Deitatis, sed per subjectam*
„ *creaturam apparuit mortalium oculis*, in forma antiqui die-
„ rum. Hinc in eadem ipsum Ecclesia pingit. Quod quando cœ-
„ perit, fateor me ignorare. “

Similiter Vir eruditus Joannes Mabillonius in præfatione ad partem I. seculi IV. Benedictinorum §. 3. *num.* 19. reflectens ad difinitionem Synodi VII. super cultu SS. imaginum, inter alia notat, in illa definitione nihil decerni de SS. Trinitatis, Dei Patris, aut Spiritus S. picturis, *quas* (ait) *necdum etiam admittebat ætas illa.*

Usum tamen earum nemo hodie improbat, modò ea adhibeatur moderatio, quam Synodus Tridentina requirit: ut nimirùm primùm expendatur, *an indoctæ plebi expediat*: & insuper populus ritè doceatur, *non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit.* Videri poterit Molanus *lib.* 2. *Historiæ SS. imaginum*, *cap.* 3. & 4.

XXIV. Post hæc monet Synodus, ut *omnis superstitio in imaginum sacro usu tollatur.*

De hoc abusu tollendo scribit Molanus *lib.* 2. *cap.* 33. & 35. notatque quòd „ sicut Synodus Cameracensis sub Maximiliano
„ Archiepiscopo primò celebrata, abominandam dicit esse va-
„ nitatem, & superstitionem eorum, qui certò pollicerentur
„ non ex hac vita migraturos sine pœnitentia, & Sacramentis,
„ qui hunc illumve ex Divis coluerint; sic etiam vanissimæ su-
„ perstitionis arguendum est, si quid tale sacris imaginibus ali-
„ cubi subscriptum habeatur. “

Sed quid si tale quidem imaginibus non sit subscriptum, sed historiæ, aut miracula ita repræsententur, ut ex ea repræsentatione populus in hanc abominandam vanitatem, & superstitionem facilè sit inducendus; quemadmodum non rarò contingere posse, haud difficulter judicabit, qui attenderit imagines in sacellis quibusdam depingi solitas.

XXV. Addit demum Synodus Tridentina: „ Omnis deni-
„ que lascivia vitetur; ita ut procaci venustate imagines non
„ pingantur, nec ornentur... Postremò, tanta circa hæc di-
„ ligentia, & cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordina-
„ tum, aut præposterè, & tumultuariè accommodatum; nihil
„ profanum, nihilque inhonestum appareat; cùm domum Dei
„ deceat sanctitudo. “

Hoc decretum renovans Synodus P. II. Mechliniensis *titulo* 14. *cap.* 1. præcipit ut „ curent diligenter Episcopi, ut
„ in imaginibus tam sculptis, quàm pictis loco sacro jam illatis,
„ vel deinceps inferendis, nihil inordinatum, nihil profanum,
„ nihil inhonestum appareat, neque in intima altarium tabula,
„ vivorum effigies depingantur. “

XXVI. Et Synodus P. I. *titulo de Imaginibus* vult, „ ut
„ è templis, & locis sacris tollantur imagines, sculpturæ, au-
» læa, quæ Gentilitatem, aut mendaces Ethnicorum fabulas,
» Satyrorum, Faunorum, Sirenarum, Terminorum, & Nym-
» pharum, ac id genus alia repræsentant. Similiter quæcunque
» figuræ lascivæ, procaces, & ob pudendam nuditatem, vel
» alias obscœnæ & superstitiosæ, quæ Fidelium mentes à reli-
» gione & devotione distrahunt, & sæpiùs graviter offendunt. «

Deindè *cap.* 2. subjungit: » Provideant præterea Episcopi,
» ne ad ornatum supplicationum Venerabilis Sacramenti, aut
» Reliquiarum quaruncunque, exponat quisquam ullas similes
» imagines, sculpturas, aut aulæa, idque sub pœna arbitrio eo-
» rum infligenda; implorato etiam ad hoc, si opus sit, contra
» seculares auxîlio brachii secularis.“

XXVII. Nec tantùm indecens esse, ut hujusmodi picturæ aut imagines lascivæ habeantur in Ecclesiis, sed etiam in hortis, aut domibus Ecclesiasticorum meritò eadem Synodus *cap.* 3. judicat; easque è domibus, è hortis tolli jubet; & nisi Clerici obedierint, vult ut curent Episcopi contra illos ad condignam punitionem procedi.

XXVIII. De lascivia vitanda in picturis, ac statuis agit pluribus in locis Molanus in citata historia, ac signanter *lib.* 2. *cap.* 37. ubi adductis relatis verbis Concilii Tridentini infert: » Ut ergò sacris Divorum imaginibus honor, & veneratio ma-
» jor impendatur, oportet eas sic depingi, sculpi & effigurari,
» ut quosdam velut igniculos in hominum pectoribus succendant,
» omni levitatis atque lasciviæ, quod contuentium oculos offen-
» dere queat, offendiculo sublato.“

XXIX. Tum contra pictores, & ornatores imaginum, & statuarum, qui etiam ipsi imaginibus, & statuis D. Virginis, & aliorum Sanctorum ornatum levem, & lascivum appingere, aut adjicere, non verentur, suâ expositâ querelâ, concludit: „Quid
„ commune Virgini sanctissimæ, pudicitiæ numeris omnibus
„ perfectæ, atque expletæ, cum ornatu illo penè dixerim me-
„ retricio? Quid sanctis Martyribus Christique Confessoribus
„ cum plusquam profanos apparatu? “

XXX. Rursus *cap.* 42. meritò invehitur in pictores, qui Infantem Jesum *nudum* sculpunt, aut pingunt. „ Quid enim (ait)
„ in hac nuditate esse potest ædificationis? Atque utinam nulla

„ Hinc

» hinc oriretur in parvulis destructio, nullum in pusillis scan-» dalum? ..... Certè si antiquas picturas consulere velint, facilè » advertent in eis Puerum Jesum decenter & honestè depictum » esse, ac sese multùm à Majorum simplicitate degenerâsse."

Deindè nonnullis interpositis contra illos, qui in hortis domibusque suis retinent picturas lascivas, subjicit: „ Quid est ne-„ cesse in templo depingere David contemplantem è fenestra „ Bethsabeam, & ad stuprum evocantem; aut amplectentem ad » se delatam Sunamitim? Herodiadis filiam saltatem? Argumenta » sumpta sunt è divinis libris, sed in exprimendis fœminis quan-» tum admiscent artifices nequitiæ!"

Refert quoque eodem capite ex Guillielmo Durando in Rationali Divinorum Officiorum *lib.* 1. *cap.* 3. » Græci utuntur » imaginibus, pingentes illas ut dicitur, solùm ab umbilico su-» prâ & non inferiùs, ut omnis stultæ cogitationis occasio tol-» latur."

XXXI. Ut autem hæc in imaginum usu vitentur, & earum usus ad ædificationem populi reducatur, statuit Synodus Tridentina: » nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia etiam quo-» modolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam » curare imaginem, nisi ab Episcopo probata fuerit."

Insecuta hoc decretum Synodus P. II. Mechliniensis *titul.* 14. *c.* 1. decrevit: » Ne per falsi dogmatis imagines rudibus periculosi erroris occasio præbeatur, nulla unquam in Ecclesiis etiam » exemptis insolita imago ponatur, nisi ab Ordinario priùs ap-» probata fuerit."

XXXII. Sanctus Carolus in Synodo Mediolanensi I. *cap.* 7. *tit.* 7. vult, ut » uniuscujusque imaginis os, corporis habitum, » & statum, ornatum, & locum inspiciendum curent Episcopi; » ut hæc omnia ad prototypi dignitatem, & Sanctitatem apta » sint, & decora; atque ex imaginis inspectione pietas excite-» tur, nulla verò turpis cogitationis detur occasio."

Si Episcoporum, Pastorumque curâ, & auctoritate procuraretur, ut nullæ imagines, aut statuæ in Ecclesia ponerentur, nisi quarum inspectio ad pietatem, virtutesque incitaret intuentes; ipsarumque imaginum proprius, ac legitimus usus populo frequentiùs exponeretur, spes esset, fore ut optatus, & intentus ab Ecclesia ex imaginum usu fructus haberetur, & hæreticis earum legitimum usum culpandi prætextus ex quorundam abusu & indiscreto imaginum cultu accepto subtraherentur.

XXXIII. Plurimum quoque ad decorem divini officii, necnon pietatem reverentiamque erga divina mysteria excitandam & solvendam conducit, ut omnia ordinatè peragantur in Ecclesiis.

Hunc in finem jam pridem erant Diaconi, aliique ministri, qui continuò invigilarent, monerentque, ut omnia suo tempore & loco debita cum reverentia, & ordine fierent: quemadmodum de Diaconis *part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. notatum fuit.

Eundem in finem distincta erant Laicorum, & Clericorum, & mulierum, ac virorum loca; nec hi illorum loca occupare, sed omnes suis locis consistere debeant.

XXXIV. Clericorum locum à laicorum separatum olim fuisse notissimum est; neque laicis eum patuisse. „ Ut laici se-„ cus altare, in quo sacra mysteria celebrantur inter Clericos „ tam ad Vigilias, quàm ad Missas penitùs stare non præsumant; „ sed pars illa, quæ cancellis versus altare dividitur, tantùm „ choris psallentium pateat Clericorum," ait Synodus Turonensis II. *Can. IV.* Rectè addit Synodus, *tam ad Vigilias, quàm ad Missam*, ut significent quid per *sacra mysteria* Patres intellexerint. Idipsum habemus in *Can. LXIX.* Synodi VI. ubi dicitur: „ Nulli omnium liceat, qui quidem sit in laicorum nu-„ mero, intra septa sacri altaris ingredi."

XXXV. Locus Clericorum, quem subindè *Sacrarium*, subindè *Sancta Sanctorum*, & hodie communiùs, *Chorum* à psallentium *choris* dicimus, à laicorum loco cancellis quibusdam separatus erat, ut ex citato Canone Turonensi patet, & latiùs ostendit Leo Allatius in epistola de *Templis Græcorum*; & hodierna antiquarum Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum structura ostendit.

XXXVI. Quin & velum quoddam ipsis cancellis obductum erat, quod non nisi certis temporibus pandebatur; uti in quibusdam Monialium Monasteriis adhuc observatur. Videmus olim velum, quod earum locum ab Altari separat, pandi cum ad Canonem in Missa perventum fuerit.

Hujus veli meminit S. Chrysostomus *homil.* 6. *ad populum Antiochenum*: „ Cùm vela videris retrahi, tunc supernè cœlum „ aperiri cogita, & Angelos descendere." Et meminit S. Gregorius *lib.* 3. *epist.* 30. necnon seculo XII. Petrus Blesens. *Serm.* 11. ad populum in *Quadrag.* » Interponitur velum inter » psallentes, & populum, alterius quidem & gratia significa-» tionis, sed ad hoc tamen, ut lasciviam tollat oculorum."

Hæc omnia renovantur in *cap.* 1. ✠ *de Vita & honestate Cleric.* ubi sub nomine Concilii Moguntini refertur: » Ut laici » secus altare, quando sacra mysteria celebrantur, stare vel se-» dere inter Clericos non præsumant; sed pars illa, quæ cancel-» lis ab altari dividitur, tantùm psallentibus pateat Clericis."

XXXVII. Addit deindè hanc clausulam: » Ad orandum » verò, & communicandum laicis, & fœminis (sicut mos est) » pateant Sancta Sanctorum." Ita legitur in editis & vulgatis Decretalibus Gregorii IX. uti & prima Decretalium collectione Antonii Augustini; notat tamen ibidem Antonius Augustinus aptiùs in veteri esse, *ad adorandum*; uti etiam legitur apud Ivonem *part.* 2. *decreti*, *cap.* 137. eamque esse genuinam Canonis lectionem, multis adstruit Emmanuel Gonzalez in notis ad citatum capitulum primum, docteque advertit, errorem natum » ex more antiquariorum notissimo, non geminandi ean-» dem litteram seu dictionem. Veteres enim (ait) non gemi-» nabant litteram, sed *sicilicos* suprà ponebant, ut eâ notâ lec-» tor admoneretur, duplicandam esse litteram: " cujus rei ignoratione vitia quamplurima in Pandectis resederunt; quod pluribus ibidem adductis exemplis ostendit. Itaque cùm hîc esset geminanda dictio *ad*, eam geminandam esse notula quadam indicârunt, quod Recentiores non advertentes geminationem omiserunt; & pro *ad adorandum* posuerunt *ad orandum*.

Itaque Patres prohibent, ne laici secus altare, dum sacra mysteria celebrantur, intra cancellos cum Clericis psallentibus stare, aut sedere audeant; ad adorandum verò Corpus Domini, & communicandum sinunt, ut reserato *velo* pateant Sancta Sanctorum; non ut ad communicandum accedant, sed extra chorum existentes communicent; quemadmodum hodie in nonnullis Monialium Monasteriis videmus observari, mox ad ipsum Canonem Missæ reserari velum, quo Monialium locus ab altari separetur; tametsi nec ad communicandum ad altare accedant.

XXXVIII. Hanc disciplinam etiam posteriores plures Synodi renovârunt; addita tamen aliqua moderatione quoad Ecclesiarum Patronos, & alias illustriores personas. Synodus Wirgoniensis anno 1240. *Can. III.* „ ne laici stent in cancellis dum cele-„ brentur Divina, salvâ tamen reverentiâ *Patronorum*, & su-„ blimium personarum." Plures citat Franciscus Le Roy antecessor Andegavensis *lib.* 2. *de Juribus honorificis in Ecclesia*, *cap.* 3. qui postquam dixit: „ Sed fortè vel sordidæ Clericorum adulationi, vel Patronorum insolentiæ tribuendum est, quòd „ etiam in choro possint habere fixa sedilia, quæ S. Ambrosius „ Theodosio Imper. denegavit, & posteà sacri Canones soli con-„ cesserunt Imperatori: non etiam aliis quibuslibet laicis." Deindè subjungit: „ Eo jure utimur, ut qui Clericis Ecclesiam dede-„ runt, & canonica stipendia, honorabiliorem locum in ea te-„ neant," ait Cassaneus *in Cathalogo gloriæ mundi*, *parte* 4. *consil.* 18.

XXXIX. Synodus Aquensis an. 1585. tit. *de Choro*: „ priscum „ Ordinis decorem ad Divinæ Majestatis obsequium revocare cu-„ piens, decrevit, laicos homines (& multò minus mulieres) dum „ divina celebrantur, intra cancellos chori nequaquam esse ad-„ mittendos.... Laici verò nobiliores (ait) & qui vel Christianissi-„ mi Regis consiliarii, & Officiales, aut ex Militaribus Ordinibus, „ aut Communitatum Magistratibus fuerint, poterunt intra Cho-„ rum admitti, si eo in loco divinis officiis interesse velint, ita ta-„ men (ait) ut post Clericos sedeant, nec inter Clericos ipsis se-„ dere liceat."

Quin tamen tanquam Patroni, aut etiam in qualitate Magistratus Regii habere queant subindè, vel ex consuetudine, concordato, aliove jure locum ante ipsos Clericos, dubium non est; & quotidiana praxis evincit.

XL. Fœminæ verò (ait citata Synod.) cujuscunque „ condi-„ tionis, & statûs sint, nullo unquam tempore, nullave ex cau-„ sa, dum divina officia celebrantur, aut verbum Dei prædica-„ tur; denique iis horis, quibus Clerici, tam seculares, quàm „ regulares in choro præsentes esse debent, intra eundem cho-„ rum, aliquemve ejus locum secretum etiam superiorem ad-„ mittantur."

Plures tum veteres, tum recentiores, etiam ex Synodis Belgicis Canones vetantes accessum mulierum ad altaria tempore divini officii, relati sunt hac parte *tit.* 5. *cap.* 3. *num.* 29.

XLI. Ad decorem quoque Ecclesiarum, omnemque confusionem, & mali occcasionem tollendam jam pridem receptum fuit, ut alio viri, alio loco mulieres in Ecclesia consistant. (g)

Sanctus Augustinus *lib.* 2. *de Civitate Dei*, *cap.* 18. scribit: „ Populi confluunt ad Ecclesias castâ celebritate, honestâ utrius-„ que sexûs *discretione*." Plura in eam rem citat Christianus Lupus *tom.* 2. *Schol. in Canones*, *pag.* 991. hancque discretionem virorum à mulieribus tanquam constantem expresserunt, qui seculo X. & XI. de Ritibus Ecclesiasticis scripserunt. „ Diaconus „ (ait Micrologus) cùm legit Evangelium, juxta Romanum Or-„ di-

(g) *In Hispania ita stabilitum est in* leg. 1. tit. 2. lib. 1. Recop. *unà prohibens, ne quis super Altaribus se sistat, aut in Ecclesia deambulet, negotia obeat, vel cum mulieribus loqua-tur; aut inter eas durante Officiorum Divinorum tempore se permisceat, sub pœnis in dict. Leg. præscriptis.*

„ dinem in ambone vertitur ad meridiem, ubi & masculi con-
„ veniunt; non ad aquilonem, ubi fœminæ consistunt."

Hæc disciplina in plerisque Parochialibus, præsertim Ruralibus Ecclesiis hodie religiosè servatur; at in Ecclesiis Civitatum nullus penè ordo retinetur; sed maxima, ac deploranda confusio in plerisque Ecclesiis tempore divinorum officiorum videtur. Episcoporum, aliorumque Prælatorum Officium est, juxta sacros Canones atque iterata Synodorum decreta providere, ut omnia in templis ita sint ordinata, ut veraciter dici queant: *Domus orationis, & domus Dei.*

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT I.

Abusus vitandi in cultu sanctarum Imaginum.

5 *Quid in earum cultu præcavendum.*
2 *Non eadem hac de re extitit Ecclesiarum disciplina.*
3 *Prioribus seculis, nullus aut rarus fuit in Ecclesiis imaginum usus.*
4 *Ratio hujus disciplinæ exponitur.*
5 *Observatio D. Fleury circa Russos ad fidem recens conversos.*
6 *Canon Concilii Eliberitani spectare videtur antiquam disciplinam circa imagines observatam.*
7 *Seculo IV. usus imaginum admitti cœpit.*
8 *Apud Græcos seculo VIII. cultus sacrarum imaginum defensores acerrimos sibi vindicabat.*
9 *Cautiones, quas illi adhibuerunt, ne populus in cultum idololatricum incideret.*
10 *Ætate S. Gregorii Magni usum imaginum jam receperat Ecclesia Romana.*
11 *Cur sacræ imagines in Ecclesiis exponuntur.*
12 *S. Gregorius reprehendit Episcopum, qui Sanctorum imagines fregerat.*
13 *Docet hunc Præsulem, qua ratione suum populum dispersum propter fractas imagines ad unitatem revocare poterit.*
14 *Disciplinam circa sanctarum imaginum cultum à S. Gregorio observatam probârunt Galli, &c.*
15 *Huic disciplinæ adhæserunt rejecta Synodi Nicænæ II. auctoritate.*
16 *Adversus hujus Concilii definitionem scriptum est opusculum, & missum ad Papam Hadrianum I. Synodi Nicænæ defensorem.*
17 *Huic scripto respondit summus Pontifex.*
18 *Concilium Francofordiense reprobat Synodi Nicænæ definitionem quæ ad Præsules Gallos directa fuerat.*
19 *Ludovico Pio imperante Parisiis habetur Concilium, in quo definitio Nicæna rejicitur.*
20 *Galli significârunt à se imagines in Ecclesiis admiti, non adorari.*
21 *In ea sententia eos videtur confirmâsse Epistola Imperatorum Græcorum.*
22 *Refertur hæc Epistola.*
23 *Ex ea conjicitur hujus Epistolæ auctores non rejecisse omnem cultum exteriorem imaginum.*
24 *Imaginum disciplinam in ea Epistola contentam Galli putaverunt conformem disciplinæ Sancti Gregorii Papæ.*
25 *Galli, & hujus Epistolæ Auctores eodem motivo permoti fuisse videntur.*
26 *In suis scriptis Galli intendebant præcavere scandalum pusillorum.*
27 *Hunc sibi proposuit finem Auctor librorum Carolinorum.*
28 *Ea quoque mens extitit Auctoris libelli, quem Ludovicus Pius ad Eugenium II. misit.*
29 *Ex dictis claret à Gallis honorariam imaginum adorationem non fuisse omninò rejectam, velut per se illicitam.*
30 *Varietas circa cultum imaginum potest subsistere salva unitate & fide.*
31 *Certum non est quo tempore Galli, &c. decretum septimæ Synodi de cultu imaginum receperint.*
32 *Inquiritur illud tempus.*
33 *Conjicitur ex Bertiniano Annalista inclinante IX. seculo, Gallos colendis Græcanico ritu imaginibus nondum assuevisse.*
34 *Probabile est ritum hunc pedetentim invaluisse in Ecclesiis Gallicana, Germanica, &c.*
35 *Hic ritus ab omnibus tandem receptus est propter auctoritatem summi Pontificis.*
36 *In cultum imaginum magno cum fervore deindè effusi sunt Galli.*
37 *Abusus ex vulgi imperitia natus.*
38 *Quid ad eum reformandum observare convenit.*
39 *Ab imaginum cultu amovendus omnis turpis quæstus.*
40 *Inde pro maxima parte originem, & progressum superstitiosus cultus imaginum sibi sumpsit.*
41 *Cavendus error Antropomorphitarum in exponendis imaginibus SS. Trinitatis.*
42 *Quid de iis imaginibus Concilium Tridentinum, quid plurimi senserint Theologi, exponitur.*
43 *Quid ex eorum opinione concludi potest.*

* I. Dictum est *cap. præcedent. num.* 15. Synodum Tridentinam serio monuisse Episcopos, ut diligenter populum instruant de SS. Imaginum cultu; ne aliàs populus in superstitiosum aut idololatricum cultum incidat.

Et sanè jam pridem experientia docuit, quàm difficulter omnis planè cultus irreligiosus, sive superstitionem, aut idololatriam aliquam redolens in hac imaginum, & statuarum publica, & externa veneratione præcaveatur, præsertim dum Sacerdotum turpis quæstus se immiscet, & vulgi ignorantia, aut nimia credulitas accedit.

II. Unde & scimus, varias in imaginum externo cultu jam pridem adhibitas cautiones, neque eandem omnium Ecclesiarum fuisse circa hunc cultum disciplinam; sed pro temporum, & populi conditione variam.

III. Et quidem tribus, aut minus seculis, nullum aut rarum fuisse in Ecclesiis Christianorum sacrarum Imaginum usum aut externum cultum fatendum est.

IV. Id autem eo creditur contigisse consilio, ne Gentilibus, aut etiam Judæis occasio daretur suspicandi, Christianos idola, sive idolatriam, non tam deseruisse, quàm immutâsse.

Id jam pridem annotavit Sanctus Agobardus Archiepiscopus Ludunensis in libro *de Imaginibus*, *num.* 19. scribens: „Si „enim Sanctorum imagines, qui dæmonum cultum derelique„rant, venerari juberentur, puto quòd videretur iis, *non tam „idola reliquisse, quàm simulacra mutâsse.*"

Accedebat, quòd per externum imaginum, & notanter *statuarum* cultum, recenter ad fidem christianam è Gentilismo conversis occasio daretur, rursus in assuetum idololatricum cultum incidendi, sive ad eum revertendi.

V. Hanc in rem observatu dignum est quod narrat D. Fleury *lib.* 7. *suæ Historiæ*, *num.* 54. quòd Russii primò conversi à Gentilismo ad Christianismum per Monachos Corbienses in Saxonia, rursus in Idololatriam & Gentilismum relapsi fuerint occasione cultûs *S. Viti*, ejusque *imaginis*, eamque vertisse in suum idolum, quod vocârunt *Suantovis.*

Occasione hujus eventûs monet Vir Clarissimus: „Ita peri„culosum est idololatris recenter conversis proponere cultum „Sanctorum, eorumque imaginum, priusquam plenè fuerint „instructi, & radicati in notitia veri Dei."

VI. Vix dubium, quin ad eam primis seculis penè necessariam disciplinam, & cautionem reflexerit Synodus Eliberitana, statuens Canone XXXVI. *picturas in Ecclesiis esse non debere; nec quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingi.*

VII. Verùm postquam sub Constantino Magno, ac sequentibus Christianis Imperatoribus Gentilismus suas amittere cœpit vires; ipsique Christiani adversus idololatriam sat instructi & roborati viderentur, sensim quoque sacrarum imaginum usus, earumque cultus apud Christianos admitti, & recipi cœpit: nec tamen ubique eodem tempore, nec pari ritu hic usus & cultus admissus, vel probatus fuisse scitur.

VIII. Et quidem scitur, apud Græcos saltem seculo VI. aut VII. usum, & cultum sacrarum imaginum receptum fuisse; atque seculo VIII. ita fuisse probatum & stabilitum; ut & illarum partium Sanctissimi Episcopi, cum adversus Iconoclastas, sive confractores imaginum, etiam cum profusione sanguinis asserere, & propugnare non dubitaverint.

IX. Sed & illud constat, quòd hi acerrimi sacrarum imaginum propugnatores omnem etiam studuerint adhiberi cautionem, ne occasione usûs, aut cultûs imaginum populus in cultum idololatricum incideret.

Hac de causa noluerunt admittere usum, aut cultum *statuarum*, uti habetur ex epistola Sancti Germani Patriarchæ Constantinopolitani ad Thomam Episcopum Claudio-politanum: eò quòd *statuæ* nimiam cum idolorum simulacris similitudinem habere viderentur; & quasi ideam simulacrorum oculis intuentium objicerent: asseritque Molanus in Historia sacrarum imaginum etiamnum hodie statuarum usum, vel cultum apud Græcos non admitti.

Hoc exemplo docemur, subinde certarum imaginum, aut statuarum usum è Templis esse amovendum, tametsi earum usus, aut cultus in se non esset illicitus; si prævideatur ex earum usu, & cultu periculum superstitiosi, & idololatrici cultûs populo imminere.

X. Quo verò tempore usus sacrarum Imaginum in Ecclesia Romana, cæterisque Latinæ communionis Ecclesiis fuerit receptus, non satis constat. Hoc scitur, eum fuisse admissum ætate S. Gregorii, uti patet ex binis ejus Epistolis ad Serenum Epis-

copum Massiliensem : è quibus quoque intelligitur, quæ fuerit eo tempore earum Ecclesiarum circa hunc usum disciplina.

In priore Epistola (quæ est 105. *lib.* 9. editionis Benedictinorum) scribit Sanctus Gregorius : » Præterea indico dudum ad » nos pervenisse, quòd fraternitas vestra, quosdam *imaginum* » *adoratores* aspiciens, easdem in Ecclesiis imagines confregit, » atque projecit. « Post hæc subjungit : „ Et quidem zelum „ vos, ne quid manufactum adorari posset, habuisse laudavi- „ mus ; sed frangere easdem imagines non debuissse judicamus.“

XI. Rationem cur eas frangi, aut projici non judicaret, subjicit Gregorius : „ Idcircò enim *pictura* in Ecclesiis adhibe- „ tur, ut si qui literas nesciunt, saltem in parietibus videndo „ legant, quæ legere in codicibus non valent.

„ Tua ergo fraternitas, & illas servare, & ab earum *ado-* „ *ratu* populum prohibere debuit, quatenus & litterarum nes- „ cii haberent, unde scientiam Historiæ colligerent, & popu- „ lus in picturæ adoratione minimè peccaret. “

Intelligens autem Sanctus Gregorius, hunc Episcopum nequaquam ejus monitis acquiescere, sed in confractione, & amonitione imaginum pergere ; in tantum, ut maxima populi pars ob eam agendi rationem ab ejus se communione abstineret, alteram ad eum Epistolam dedit (quæ est 13. *lib.* 11. ex editione Benedictinorum) in qua acrioribus eum verbis ob hanc confractionem & amotionem imaginum redarguit, ipsum hortando, ut usum imaginum tanquam populo utilem restituat, & ab *adoratu* earum ipsum abstrahat.

XII. Rursus in hac Epistola Sanctus Gregorius Episcopum quidem laudat, quòd imagines Sanctorum *adorare* vetuisset; sed quòd *confregerit*, reprehendit, ac deinde subjicit : „Dic, „ Frater, à quo factum Sacerdote, aliquando auditum est „ quod fecisti ? Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, „ ut despectis aliis fratribus, solùm te sanctum, & esse cre- „ deres sapientem ? Aliud est enim (pergit Gregorius) pictu- „ ram adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adoran- » dum addiscere : frangi ergo non debuit, quod *non ad ado-* » *randum* in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodò mentes » nescientium fuit collocatum. «

Quandoquidem Sanctus Gregorius huic Episcopo exprobret, quòd nullus Episcopus hactenus imagines confringendas, aut ejiciendas de Ecclesiis crediderit, nequaquam obscurum est, ætate Sancti Gregorii in omnibus Ecclesiis Gallicanis usum sacrarum imaginum fuisse receptum.

XIII. Post hæc hortatur Episcopum S. Gregorius, ut dispersum populum ad unitatem revocare omni studio satagat; eumque in finem pupulo diceret : » Si ad hanc *instructionem*, ad » quam imagines *antiquitùs* factæ sunt, habere vultis in Eccle- » sia, eas modis omnibus & fieri & haberi permitto.

» Atque indica (pergit Gregorius) quòd non tibi ipsa visio » Historiæ, quæ picturâ teste, pandebatur, displicuerit; sed illa » *adoratio*, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita, atque » in his verbis, eorum mentes demulcens, eos ad concordiam » revoca ; & si quis imagines facere voluerit, minimè prohibe, » adorari verò imagines modis omnibus veta. Sed hoc solicitè » fraternitas tua admoneat, ut *ex visione* rei gestæ ardorem com- » punctionis percipiant, & in adoratione solius Omnipotentis » Sanctissimæ Trinitatis humiliter prosternantur.“

XIV. Hanc à Sanctissimo Pontifice circa imaginum usum, & cultum expressam, & probatam disciplinam, summo cum applausu amplexæ fuêre Gallicana, aliæque Occidentales Ecclesiæ, atque per duo ut minus secula tenacissimè retinuerunt; ut nimirùm usum sacrarum imaginum ad instructionem fidelium retinendum censuerint; sed ab earum *adoratu*, sive cultu omninò abstinendum existimârint.

XV. Et quidem huic disciplinæ circa usum sacrarum imaginum citra exteriorem adoratum, sive cultum, adeò constanter inhærendum existimârunt Galli, aliique Latinæ Communionis Episcopi, ut nec auctoritate Synodi apud Nicæam, anno 787. celebratæ, nec auctoritate Romanæ Ecclesiæ, quæ conformiter ad decretum hujus Synodi exteriorem cultum, & adorationem sacrarum imaginum admiserat, adduci potuerint, ut à sua disciplina recederent, & cultum, seu adorationem sacrarum imaginum probarent, vel admitterent.

Cùm enim circa annum 790. Adrianus I. Papa acta hujus Synodi, adjunctis litteris suis, misisset ad Carolum Magnum, Carolus has litteras Adriani, necnon acta Synodi hisce annexa communicanda censuit Episcopis.

Episcopi litteris & actis examinatis, & discussis, rescripserunt Imperatori, Synodum hanc nullatenùs recipiendam, vel recipi posse, eâ potissimum ratione, quòd in hac Synodo statutum legerent : *Sacras imagines Christi, & Sanctorum, non secùs atque ipsum prætiosæ Crucis typum, & sanctorum Evangeliorum codicem esse adorandas, & colendas.*

XVI. Quin & per Episcopos adversus hanc Synodum ejusque acta exaratum fuit Opusculum in quatuor libros divisum, in quo singulatim acta hujus Synodi refutare conantur, ipsamque Synodum tanquam erroneam, non minus quam Synodum Iconoclastarum *anno* 744. sub Constantino Copronymo celebratam, rejiciunt, & execrantur.

Hoc Opusculum sub nomine Caroli Magni missum fuit ad Adrianum ; ut ex eo intelligeret, quibus ex causis acta hujus Synodi, quantum expectat ad cultum, & adorationem imaginum, recipi, & probari non possent : unaque significant, se hanc Synodum nullatenus pro Synodo *Œcumenica* reputare, utpotè cui nulli, præter Legatos Adriani, Occidentales Episcopi interfuerant.

Hinc evidens est, Gallos eo tempore credidisse, auctoritatem solius Papæ non esse sufficientem, ut juberetur aliquod Concilium sine consensu principalium Ecclesiarum recipi, uti notat D. Fleuri in sua Historia Eccles. lib. 44. num. 58. » *Le mêpris* » *de ce Concile* (inquit)..... *faisoit voir clairement, que les* » *Francois étoient persuadez que la seule autorité du Pape ne* » *suffisoit pas pour faire recevoir un Concile sans le consente-* » *ment des principales Eglises.*“

XVII. Huic scripto respondit Adrianus per Epistolam Carolo Magno inscriptam, in qua Decretum Synodi Nicænæ adversus opposita Gallorum propugnat, ac singulatim argumentis ipsorum respondet.

XVIII. Neque tamen hæc Epistola inclinare potuit Gallicanos, aliosque Episcopos, ut à recepta disciplina, de non adorandis imaginibus recederent : quin & anno 794. jussu Caroli Magni Francofurti convenientes trecenti circiter Episcopi, unà cum Legatis Adriani Papæ, rursus ipsam Synodum Nicænam de adorandis imaginibus, *Can. II.* reprobârunt ; verba Canonis sunt : » Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Syno- » do, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt. » In qua scriptum habebatur, ut, qui imaginibus Sanctorum, » ita ut Deificæ Trinitati, servitium, aut adorationem, non im- » penderent, anathema judicarentur. Qui supra Sanctissimi Pa- » tres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes » contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.“

Hoc Canone Patres Francofordienses indicare voluisse Acta, sive decretum de adorandis imaginibus Synodi Nicænæ II. indubitatum est ; tametsi loqui videantur de Synodo, quam Græci *Constantinopoli* fecerunt.

Uti enim rectè notavit Sirmundus : » *Constantinopoli factam*, » sic intelligendum hoc loco, non quòd in ea urbe, sed quòd » ab Imperatoribus Constantinopolitanis.

Post hoc Synodi Francofordiensis decretum nihil ulteriùs circa cultum sacrarum imaginum actum reperitur, regnante Carolo Magno, aut sedente Adriano I.

Verùm sub Ludovico Caroli Filio, & sedente in Cathedra Petri Eugenio II. quæstio hæc rursus revixit, idque, ut appareret, occasione Legatorum, quos Imperatores Græci Michaël, & Theophilus miserunt, & eorundem Imperatorum ad ipsum Ludovicum scriptæ Epistolæ.

XIX. Cùm enim dicti Imperatores instanter postularent, ut Ludovicus eorum Legatis, quos ad Eugenium II. Papam destinabant, suos Legatos adjungeret, qui communi consilio, & operâ apud Pontificem de usu, & cultu imaginum, (super quo apud Græcos non mediocris erat excitata contentio) tractarent: jussu Ludovici Pii, & de licentia Eugenii II. Papæ Conventus Episcoporum Parisiis super cultu imaginum habitus est.

Porrò in hoc Conventu rursus decretum Synodi Nicænæ de adorandis imaginibus rejectum fuit, multaque à Patribus collecta fuerunt adversus adorationem, & cultum imaginum, è quibus jussu ejusdem Ludovici Pii quædam excerpta fuêre, & ad præfatum Eugenium II. tunc Pontificem Romanum transmissa

XX. His significabant Gallicani Episcopi, se quidem sacras imagines recipere, & in Ecclesiis etiam admittere, sed earum *adorationem* nequaquam probare posse : imò tum ex Epistola Synodica ad Ludovicum, tum ex Synodalibus gestis, non obscurum est, in hoc Conventu duriùs contra cultum, & adorationem imaginum actum & declamatum fuisse, quàm sub Carolo Magno.

XXI. Admodum verisimile est, quòd zelum Episcoporum Gallicanorum pro retinenda disciplina circa imaginum usum in litteris S. Gregorii ad Serenum Masiliensem Episcopum expressâ, scilicet retinendas esse imagines in Ecclesiis, sed eas non adorandas, vehementer accenderit prædicta Epistola Michaëlis, & Theophili Græcorum Imperatorum ad Ludovicum, quæ indictioni Conventûs Parisiensis occasionem dederat.

XXII. In hac enim Epistola exponebant Imperatores, in quas impias superstitiones occassione cultûs, & adorationis imaginum tandem populi prolapsi essent : » Multi (inquiunt) de Ec- » clesiasticis, & Laicis viris, alieni de Apostolicis Traditionibus » facti, & neque paternos terminos custodientes, facti sunt in- » ventores malarum rerum. Primum quidem, honorificas, & vi- » vificas Cruces de Sacris templis expellebant, & in eadem loca » imagines statuebant, ponebantque lucernas coram eis, simul & » incensum adolebant, atque eas in tali honore habebant, sicut » honorificum, & vivificum lignum, in quo Christus verus Deus » nos-

» noster crucifigi dignatus est propter nostram salutem.

Psallebant, & adorabant, atque ab eisdem imaginibus auxi- » lium petebant : plerique autem linteaminibus easdem imagines » circundabant, & filiorum suorum de Baptismatis fonte *suscep-* » *trices* faciebant : alii religiosum habitum monasticum sumere » volentes, religiosiores personas postponebant, qui priùs co- » mam capitis eorum suscipere solebant, adhibitis imaginibus, » quasi in sinum earum decidere capillos illorum sinebant.

» Quidam verò Sacerdotum & Clericorum, colores de ima- » ginibus radentes imiscuerunt oblationibus, & vino, & ex hac » oblatione post Missarum celebrationem, dabant communica- » re volentibus ; alii autem Corpus Domini in manus imaginum » ponebant, unde communicare volentes accipere fecerunt. » Nonnulli verò spretâ Ecclesia, in omnibus domibus talibus » imaginum pro Altariis utebantur, & super eas sacrum minister- » rium celebrabant, & alia multa his similia illicita, & religio- » ni nostræ contraria in Ecclesiis fiebant, quæ à Doctoribus, & » sapientoribus viris satis indigna esse videbantur. «

Post hæc sujungitur in Epistola : » Propterea statuerunt » Orthodoxi Imperatores, & doctissimi Sacerdotes locale » adunare Concilium, ad institutionem super his habendam; » qui in idipsum convenerunt S. Spiritu spirante : talia ubi- » que communi consilio fieri prohibuerunt, & *imagines de* » *humilioribus locis efferri fecerunt, & eas, quæ in sublimio-* » *ribus locis positæ erant, ut ipsa pictura pro scriptura habeatur,* » *in suis locis consistere permiserunt, ne ab indoctioribus, & in-* » *firmioribus adorarentur : sed neque eis lucernas accederent,* » *neque incensum adolerent, prohibuerunt* : quemadmodum & » nos nunc sentimus, & tenemus, abjicientes de Ecclesia Chris- » ti eos, qui hujusmodi malignis adinventionibus student. «

XXIII. Ex toto contextu hujus Epistolæ evidens est, Græcos Imperatores, & Episcopos hujus Epistolæ Auctores nequaquam existimâsse, omnem honorariam adorationem, & exteriorem sanctarum imaginum cultum *per se* esse superstitiosum, aut idololatricum, aut existimâsse eos, qui Imagines eâ adoratione *honorariâ*, sive cultu exteriori colunt, & venerantur, censendos esse idololatras ; sed duntaxat reputâsse, eam sanctarum imaginum adorationem, & cultum, prædictis superstionibus occasionem præbuisse, & imperito vulgo occasionem dare posse in superstitiosum, & idololatricum cultum incidendi.

Ut igitur fidelibus superstitiosi hujus cultûs occasionem subtraherent, satiùs duxerunt, imagines ex humilioribus locis efferendas, & eas, quæ in sublimioribus locis positæ erant, permittendas, ut *ipsa pictura pro Scriptura haberetur, ne* (inquiunt) *ab indoctioribus, & infirmioribus adorarentur.*

XXIV. Gallicani Episcopi probè intellexerunt, hanc Græcorum circa usum, & cultum sanctarum imaginum disciplinam in litteris Imperatorum expressam, eandem esse, quem S. Gregorius in litteris ad Serenum Episcopum Massiliensem, dixerat observandam, quamque in suis Ecclesiis hactenus conservabant.

XXV. Si attendatur, quæ Episcopi Gallicani dixerunt, circa adorationem, & cultum SS. Imaginum in Libris vulgò *Carolinis*, & in Epistola Synodica ad Ludovicum, nequaquam obscurum erit, ipsos eodem fundamento permotos fuisse ad tuendam suam hactenus conservatam disciplinam, quo se permotos fuisse ad abolendam adorationem imaginum Græci asserebant, scilicet ad præcavendum scandalum pusillorum, & imperitorum, sive superstitiosum, & idololatricum cultum.

XXVI. Certum enim est, quòd, tametsi Gallicani, aliique Latinæ Communionis Episcopi, honorariam adorationem, exterioremque cultum SS. Imaginibus impendendum non judicarent, nequaquam tamen omnem eam adorationem, aut cultum *per se* esse superstitiosum, aut idololatricum crederent ; sed scandalum pusillorum, & imperiti vulgi duntaxat præcavere intenderent.

XXVII. Et quidem Auctor Opusculi Carolini *lib.* 3. *c.* 16. postquam adstruere studuit, nec eam adorationem, *quæ in honorem transire dicitur illius, quem repræsentat imago*, Imaginibus Christi, aut Sanctorum impendendam, eò quòd per similem adorationem, adoratores imaginum, *omnem suæ credulitatis spem* in ipsis imaginibus & picturis collocent, immediatè subjungit : » Nam, etsi à *doctis* quibusque vitari posset hoc, » quod illi in adorandis imaginibus exercent, qui videlicet non » quid sint, sed quid innuant, venerantur ; *indoctis* tamen *qui-* » *busque scandalum* generant, qui nihil aliud in his, præter » quod vident, venerantur, & adorant. «

Post hæc subjungitur : » Unde cavendum est, ne Evange- » licam sententiam subeant, qui tot pusillos ad scandalizandum » impellunt : quoniam si is, qui unum de pusillis scandalizaverit, » formidolosissimæ sententiæ subjacet, multo magis exitiabili ille » ferietur severitate, qui penè omnem Christi Ecclesiam, aut » ad adorandas imagines impellit, aut imaginum adorationem » spernentes anathemati submittit. «

Et rursus *lib.* 4. *cap.* 18. » Non enim nos imagines in Basi- » licis positas *idola* nuncupamus, sed, ne idola nuncupentur, » adorare eas, & colere, cisque servitium impendere recusa- » mus ; quoniam plerumque non res, sed causa rei pro scelere » reputatur ; dum videlicet multa, quibus benè potest uti, » malè usa in flagitium convertuntur ; sicque una, eademque » res bene utentibus est causa periculi. «

XXVIII. Similiter Auctor Libelli, quem Ludovicus Pius misit ad Eugenium II. Papam, apertè significat, honorariam adorationem, & exteriorem cultum SS. Imaginibus impendi, *per se* non esse superstitiosum, aut idololatricum, nequaquam tamen ad evitandum scandalum esse admittendum.

Hinc *cap.* 7. fusè ostendit, quòd juxta Apostolum, etiam à licitis nonnunquam sit abstinendum *propter scandalum infirmorum* : eamque in rem, utpotè ad præsentem materiam proximè accedens adducit factum Ezechiæ Regis : » Legimus (ait) » serpentum morsus mortiferos pœnam justissimam peccatorum » in ligno exaltato, atque prospecto æneo serpente sanatos, ut » & populo subveniretur afflicto, & mors morte destructâ, vel- » ut crucifixæ mortis similitudine signaretur ; quem sanè serpen- » tem propter facti memoriam reservatum, cùm postea popu- » lus errans tanquam *idolum* colere cœpisset, Ezechias Rex, » religiosa potestate Deo serviens, cum magna pietatis laude » contrivit. «

XXXIX. Ex his evidens est, Episcopos Gallicanos, aliosque, adorationem honorariam, & externum cultum SS. Imaginibus non recusâsse, quasi eum *per se* illicitum, aut superstitiosum, seu idololatricum arbitrarentur ; sed quia hic cultus rudioribus, & imperitis perniciosi erroris, & cultus idololatriæ, vel superstitiosi occasio esse posset, eam adorationem, sive cultum nequaquam recipiendam arbitrabantur, neque à disciplina hactenus in suis Ecclesiis conservata, & à S. Gregorio jam pridem probata, recedendum.

XXX. Itaque varietas circa usum, & cultum SS. Imaginum, quæ eo tempore inter Ecclesias intercedebat, Ecclesiarum illarum Communionem scidisse non legitur.

Neque enim ignorabant R. Pontifices, & Episcopi, circa usum, & cultum imaginum, variam posse esse, salvâ fide, Ecclesiarum disciplinam : » Nam, uti rectè notavit Dionys. » Petavius, *lib.* 15. *Theol. Dogm. cap.* 13. Imagines ex earum » rerum genere sunt, quæ indifferentes nominantur, hoc est, » quæ ad salutem omninò necessariæ non sunt, nec ad substan- » tiam ipsam Religionis attinent, sed in potestate sunt Eccle- » siæ, ut eas vel adhibeat vel ableget ; pro eo atque satius esse » decrevit. «

XXXI. Quo verò tempore Gallicana, cæteræque Occidentales Ecclesiæ honorariam adorationem & exteriorem cultum SS. Imaginum, conformiter ad decretum 7. Synodi, necnon praxim Ecclesiæ Romanæ receperint, non æque certum est.

XXXII. Hoc constat, quòd circa medium seculi IX. quo tempore Anastasius Bibliothecarius Constantinopoli pro Concil. VIII. ageret, & ibidem Synodum VII. è Græco in Latinum vertit, apud Gallos nondum decretum VII. Synodi de adorandis imaginibus fuisse receptum, uti ipse Anastasius in Præfatione suæ versioni Latinæ præfixa testatur.

Ex hac Præfatione insuper habetur, quòd Galli honorarium adorationem, & exteriorem cultum *Cruci* : necnon *Codici Evangeliorum* exhiberi permitterent ; quem tamen nec Christi, aut Sanctorum imaginibus impendendum esse judicabant.

Hinc ulteriùs non obscurum est, Canonem 111. Concilii VIII. quod sub finem seculi IX. sub Adriano II. ejusque Legatis præsidentibus habitum est, dirigi adversus Gallicanos, aliosque Episcopos, qui adorationem honorariam vivificæ Crucis typo, & codici Evangeliorum impendendam censebant, imaginibus tamen, & picturis Sanctorum impendi non sinebant.

Hoc enim Canone nominatim anathemate feriuntur, qui nolebant icones Christi, & imagines Sanctorum æquo honore colere ac adorare, ac ipsum salutiferæ *Crucis typum*, & Sanctorum Evangeliorum codicem.

XXXIII. Id sat intelligens Annalista Bertinianorum, atque existimans justo acriùs hîc carpi Episcopos Gallicanos ad annum 872. ubi sermo de VIII. Synodo incidit, scribere non dubitavit ; „ In qua Synodo de imaginibus adorandis, aliter quàm » orthodoxi Doctores ante definierant, & pro favore Romani » Pontificis, qui eorum votis de adorandis imaginibus annuit, & » quædam contra antiquos Canones, sed & contra suam ipsam » Synodum constituerunt, sicuti, qui eandem Synodum legerit, » patenter inveniet. «

Ad verba hujus Annalistæ reflectens Vir eruditissimus Joannes Mabillonius in Præfatione ad partem 1. seculi IV. Benedictinorum *num.* 47. observat, quòd licèt hæc paulò durius scribat Bertinianus Annalista : *sed tamen unde* (ait) *intelligamus Gallos nondum colendis Græcanico ritu imaginibus adsuevisse.*

XXXIV. Quin tamen circa ea tempora ritus colendi, & adorandi imagines, & picturas Christian., & Sanctorum, conformiter ad decretum VII. Synodi, disciplinam Ecclesiæ Romanæ pedetentim in Ecclesiis Gallicanis, aliisque Latinæ Communionis invaluerit, verisimile est ; idque auctoritate hujus VII. Synodi, quam Anastasius Bibliothecarius Latinè verterat, & in cu-

cujus Præfatione Gallos ad recipiendum cultum sanctorum imaginum vehementiùs hortatur, eosque potissimum hoc argumento urgens; & quòd cultus, & adoratio honoraria sanctarum imaginum non videretur magis idololatrica, quàm vivificæ Crucis typo, aut Evangeliorum codici impensa.

XXXV. Non dubium autem, quin ad inducendum hunc Ecclesiæ Romanæ ritum, qui in Gallia & in toto Occidente cœperat esse in usu, præcipuè valuerit Romani Pontificis auctoritas. Scitur enim à tempore Caroli Magni, post translatum imperium à Græcis in Francos, auctoritatem Romani Pontificis apud Principes illos plurimum invaluise atque sub idem tempus Romanos Pontifices multùm allaborâsse, ut Ritus ecclesiastici, qui hactenus fuerant Romanæ Ecclesiæ proprii, in cæteris quoque Ecclesiis reciperentur.

XXXVI. Et quidem, uti rectè monet Mabillonius *num.* 47. tanto cum fervore Galli in cultum imaginum effusi sunt, ut *magis retinaculo, quàm incitamento jam opus habeat vulgi Religio.*

XXXVII. Et sanè non obstantibus multiplicibus Synodorum decretis, ac notanter novissimi Concilii Tridentini saluberrimâ sanctione, tantus tamque multiplex hodie visitur vulgi & imperiti populi superstitiosus, & quasi idololatricus imaginum, ac statuarum cultus, ut non videantur Episcopi Gallicani sine fundamento veriti fuisse, ne admissâ adoratione imaginum, imperitum vulgus difficulter à superstitioso cultu & adoratione incompetenti abstraheretur; ut propterea in disciplina à S. Gregorio probata, & in suis Ecclesiis hactenus conservata persistentium satius esse judicarent, ad præcavendum, & præveniendum fidelium scandalum, & superstitiosum sanctarum imaginum cultum.

XXXVIII. Quid circa usum, & cultum imaginum, & picturarum, ac statuarum Christi, & Sanctorum statui, & observari conveniat, ad præveniendum pusillorum, & imperiti vulgi scandalum, & præcavendum earum superstitiosum, & idololatriam sapientem cultum, Romani Pontifices, & Episcopi, quibus id Synodus Tridentina enixè commendavit, expendere poterunt: & interim Parochorum & Concionatorum est populum de certo usu & cultu imaginum ritè instruere.

Numero 17. cap. præcedentis notavimus Synodum Coloniensem, nec non Moguntinam injunxisse locorum Ordinariis, ut si in visitatione deprehenderint, concursum ad certam imaginem; atque intelligant ex modo agendi, populum in ea imagine spem suam collocare, eam amoveant, aut alio modo provideant, quo huic abusui occurratur.

XXXIX. Non absimile decretum ad præcavendum superstitiosum sanctarum Imaginum cultum legitur in Concilio Rothomagensi *anno* 1445. *Can.* VII. his verbis conceptum: » Item » damnat modos illos, qui videntur introduci *gratiâ quæstûs*, » denominando imagines, utpotè *Notre Dame de Recouvran-» ce, Notre Dame de Pitié, de Consolation, de Grace*, &c. » Nam talia sunt occasio superstitionis in multis, quasi sit plus » in una imagine, quàm in altera, abusores pœnâ arbitrariâ » compescantur.“ Sapienter notârunt hi Patres hanc sub variis nominibus sanctarum Imaginum appellationem, multis superstitionis occasionem esse posse, quasi sit plus in una imagine, quàm in alia, ad certum effectum obtinendum.

Quis enim ambigat, quin proclive sit, ut imperitus populus credat, speciale nomen huic imagini inditum esse, ut significetur plus aliud virtutis inesse huic imagini ad obtinendum effectum, quem inditum nomen præfert.

Prætereà verissimè adverterunt hi Patres, similes modos certas imagines suis specialibus nominibus appellandi, videri introduci *quæstûs causâ.*

XL. Certum quippè est, quòd multiplex ille superstitiosus Sanctarum Imaginum cultus pro maxima parte, si non in totum, originem suam, suumque progressum, & stabilitatem debeat turpi quæstui Sacerdotum, seu secularium, seu Regularium, quem ex populari concursu, & indiscreto populi ad certas imagines affectu venantur.

Imò nec dubium, quin extirpandis superstitionibus, & abusibus circa imaginum venerationem, medium efficacissimum, & penè necessarium sit, omnem ex earum veneratione provenientem quæstum eliminare, qui directè, vel indirectè cedit in emolumentum Sacerdotum.

XLI. Est abusus vel potiùs error crassus vitandus, cùm imagines Sanctissimæ Trinitatis exponuntur: Memorabile est, quod de hæreticis humanam Deo figuram affingentibus Socrates *lib.* 6. *cap.* 7. & Sozomenus *lib.* 8. *cap.* 11. *Histor. Ecclesiast.* referunt; scribunt enim extitisse Monachos rudes, ac litterarum expertes, qui cum præ imperitia Sacræ Scripturæ verba perperam interpretarentur, Deum esse corporeum finxerunt: quòd si sacrarum litterarum ignorantia hunc errorem peperit, à fortiori timendum est, ne ignorantia rudis populi occasione imaginum Sanctissimæ Trinitatis Deum Patrem sibi fingat ut venerabilem senem, & Trinitatem corpoream imaginetur.

XLII. Capite præcedenti *num.* 23. observatum fuit, quòd pluribus seculis, etiam post admissum usum imaginum Christi & Sanctorum, Ecclesia usum imaginum Sanctissimæ Trinitatis, in quibus Deus Pater, & Spiritus Sanctus corporali specie exprimerentur, ignoraverit; quòd nec Synodus Tridentina positivè, & simpliciter earum usum probaverit; quod & notavit Joannes Molanus *lib.* 2. *Historiæ sanctarum Imaginum, cap.* 3. qui & ibidem monet, plures etiam è recentioribus Theologis sustinuisse, rudi populo nequaquam expedire, similes imagines Sanctissimæ Trinitatis in Ecclesiis publicè exponere.

Similiter Cardinalis Bellarminus *in controversia de cultu Imaginum*, fatetur, nonnullos etiam inter Catholicos, puta Tostatum Episcopum Abulensem, Durandum, Pererium, admisisse cum Calvino, imagines Dei in templis non esse collocandas.

XLIII. Unde & concludit, *non esse tam certum in Ecclesia, an sint faciendæ imagines Dei, sive Trinitatis, quàm Christi & Sanctorum; hoc enim docent omnes Catholici, & ad fidem pertinet; illud est in opinione.*

Et doctissimi illi Fratres Walenburgici fatentur, Synodum Tridentinam nihil decidere super *imaginibus Dei, & Sanctissimæ Trinitatis*, eò quòd super hoc puncto Doctores Catholici inter se essent divisi.

Hinc ulterius concludit, quòd permissio conficiendi has imagines, non sit pars doctrinæ Catholicæ ab omnibus receptæ, vel recipiendæ.

Perspicere poterunt Episcopi, quid circa hasce Sanctissimæ Trinitatis imagines imperitæ plebi conveniat, & quousque earum usus sit tolerandus.

CAPUT II.

De Ædificandis Ecclesiis, et quæ Intervenire debeant.

1 *Etiam sub Imperatoribus Gentilibus Ecclesiæ ædificatæ fuerunt.*
2 *Datâ pace Ecclesiæ, modus ædificandis Ecclesiis præfixus est.*
3 *Vetitum fuit ædificare sine auctoritate Episcopi.*
4 *Oratoria privata quomodo sine auctoritate Episcopi licuerit ædificare.*
5 *Quid Episcopus attendere debeat in admissione novæ Ecclesiæ.*
6 *Quid propriè nomine Oratorii significetur.*
7 *Quid nomine Capellæ.*
8 *Quo loco olim Oratoria Martyrum extruerentur.*
9 *In admissione novæ Capellæ attendi debet, ne populus à Parochiali Ecclesia abstrahatur.*
10 *Sacella non ædificanda quæstûs causa.*
11 *Nova Ecclesia Parochialis ob præjudicium veteris sine rationabili causa construi nequit.*
12 *Causa legitima est, si populus sine magno incommodo ad Ecclesiam Parochialem accedere nequeat.*
* *Ex mente Concilii Tridentini Episcopus potest exigere novæ Parochiæ erectionem, quando salus populi id exigit.*
13 *Non requiritur longinquitas, aut discrimen viarum.*
14 *Quod censeatur* magnum *incommodum, relinquitur arbitrio judicis.*
15 *Probari non debet, Parochianos aliquando discessisse sine Sacramentis ob Ecclesiæ distantiam.*
16 *In erectione novæ Ecclesiæ Parochialis Rector veteris Ecclesiæ audiri debet.*
* *Rescriptum Romanum pro erectione novæ Parochiæ in forma gratiosa à Belgis non recipitur.*
17 *Si Rector sine justa causa consentire nolit, potest Episcopus consensum supplere.*
18 *Unde desumenda sustentatio Rectoris novæ Parochiæ ex decreto Synodi Tridentinæ.*
* *Unde Sacerdoti novæ Parochiæ providendum.*
* *Ex decimis percipi debet, quod ad Ministrum novæ Parochiæ sustentandum requiritur.*
* *Vetus Parochia, unde recens Parochia derivata est, remanet hujus* Matrix *Ecclesia.*
* *Exponuntur jura, quæ Matrici Ecclesiæ debentur, & quæ non debentur.*
19 *Quid circa hoc Decretum observatum in Belgio.*
20 *In Belgio sine auctoritate Regis difficulter perficitur nova Parochiæ erectio.*
21 *Episcopus aliquando instare omnibus modis debet, ut nova Parochia erigatur.*
22 *Si nova Parochia erigi nequeat, per plurium Sacerdotum adjunctionem Parochianis subinde succurrendum.*
23 *Interdum etiam per Capellæ extructionem.*
24 *In casu magni incommodi non facilè omittenda novæ Parochiæ erectio.*

I. ETiam ante Imperatores Christianos fuisse Ecclesias ædificatas multis ostendit Cardinalis Baronius ad *an.* 57. atque idipsum evincunt edicta Imperatorum Ethnicorum de Ecclesiis Christianorum demoliendis promulgata, quorum meminit Eusebius *lib.* 8. *cap.* 1. additque Eusebius: jam à Christianis pro-

ut

ut indies numerus augeretur Credentium, ampliores augustioresque antiquis illis esse excitatas Ecclesias. Verba ejus sunt: „Quo „ factum est, ut priscis ædificiis jam non contenti, in singulis „ urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis extruerent Ecclesias."

II. Datâ verò pace Ecclesiæ, ipsis quoque Imperatoribus ad Christum conversis, tot passim ædificari cœperunt Ecclesiæ, ut ipsi primi Imperatores Christiani modum earum extructioni ponere sint coacti; quemadmodum ex variis eorum legibus, & Edictis in Codice Theodosiano & Justinianæo etiamnùm hodie extantibus, patescit.

III. Et quidem ea ædificationi Ecclesiarum lex posita est, ne quis eas absque consensu Diœcesani Episcopi ædificet, quemadmodum *Can. IV.* Concilii Calchedonensis cautum est; & à Gratiano *Caus.* 18. *q.* 2. *Can.* 10. his verbis refertur: » Placuit igi- » tur neminem, aut ædificare, aut construere Monasteria, aut » Oratorii domum sine conscientia ipsius civitatis Episcopi."

Idipsum pluribus confirmavit Justinianus Imperator, signanter *Novella* 67. cujus Rubrica habet: *Ut nullus fabricet Oratorii domos præter voluntatem Episcopi.*

Deinde *cap.* 1. ait: „ Sancimus igitur præ omnibus quidem » illud fieri, & nulli licentiam esse, neque Monasterium, neque » Ecclesiam, neque Orationis domum incipere ædificare, ante- » quam civitatis Deo amabilis Episcopus orationem in loco fa- » ciat, & crucem figat, publicum processum illud faciens, & » causam manifestam omnibus statuens: multi enim simulantes » fabricare quasi orationis domos, suis medentur languoribus, non » Orthodoxarum Ecclesiarum ædificatores facti sed speluncarum „ illicitarum."

Hoc Justiniani decretum, tam Imperatorum, quàm Synodorum sanctionibus sæpiùs renovatum fuit; uti videre est *lib.* 5. *Capitularium Regum Francorum*, *cap.* 382. necnon apud Gratianum *Dist.* 1. *de Consecrat.* ubi plures eam in rem Canones refert.

IV. Notandum est tamen, quòd eodem libro Capitularium *cap.* 383. dicitur: „ Qui in domo sua Oratorium habuerit, orare „ ibi potest; tamen non audeat in eo sacras facere Missas sine „ permissu Episcopi loci illius."

Illud quoque ex Synodo Aurelianensi recitat Gratianus *Can.* 33. *Dist.* 1. *de Consecrat.* „ Unicuique Fidelium in domo „ sua Oratorium licèt habere, & ibi orare: Missas autem ibi „ celebrare non licet:" scilicet sine licentia Episcopi.

Sub Missarum celebratione comprehendi aliorum quoque Sacramentorum administrationem, elucet ex multis aliis Canonibus ac signanter *Canone XXXI. Synodi VI.* qui habet » Clericos, » qui in Oratoriis, quæ sunt intra domos, *Sacra* faciunt, vel » *baptizant*, hoc illius loci Episcopi licentiâ facere debere de- » cernimus, quare si quis Clericus hoc non sic servaverit, de- » ponatur. «

Neque etiamnum hodie vetitum est, in domibus quantumvis privatis construere Oratoria orationis causa; modò nec Missæ, aut alia officia publica peragantur.

V. Porrò Episcopus in admittendis novis Ecclesiis primò examinare debet, num justa causa sit ædificandi Ecclesiam; in quo examine alia attendenda sunt circa ædificationem Ecclesiarum Parochialium; alia circa novam extructionem Oratoriorum seu Sacellorum, vel Capellarum.

VI. Oratorium propriè dicitur ædes, ubi oratur, sive locus orationi dicatus. Hinc illud Augustini *Epist.* 109. » In Ora- » torio nemo aliquid agat, nisi id, ad quod est factum, unde & » nomen accepit. « Vide latiùs Du Cange in Glossario, verbo *Oratorium*, qui notat: » *Oratoria* deinde dicta esse, Sacella Mo- » nasteriis adjuncta, quæ non erant omnibus pervia uti Ecclesiæ, » & in quibus Collectas celebrare non licebat, sed erant tantùm » ad Monachorum preces, & assiduos cantus accomodata; « quod multis Veterum testimoniis confirmat; ac post hæc monet: » *Oratoria* tandem dicta Sacella quædam domestica, aut privatæ » ædes sacræ in ægris & villis extructæ; quæ Parochiarum jus non » habebant, & à Magnatibus in fundis suis dotabantur, & » ab Episcopis consecrabantur. « Pluribus dein citatis Conciliis, quæ de hisce Oratoriis agunt, concludit: » Ex quibus docemur, » in iis Missas teneri propter fatigationem familiæ permitti, præ- » terquam in maximis festivitatibus, quas & Presbyteri, qui ea » deserviunt, & laici, in civitatibus cum Episcopo tenere » jubentur. «

VII. De *Capellis* varia tradit citatus auctor in eodem Glossario, verbo *Capella*; eamque vocem diversimodè sumptam fuisse annotat, atque postmodum Capellas dictas esse, quasvis ædiculas sacras, Oratoria, quæ proprios Sacerdotes non habebant: seu ædes sacras, quæ non erant *baptismales*. Hinc & titulus in Decretalibus *de Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum*; eò quòd Monachorum Ecclesiæ sint duntaxat quasi Oratoria, primariò non ad conventum populi, sed Monachorum duntaxat destinata.

Aliqua Oratoria, sive Capellæ jam pridem exstructa fuêre ob honorem alicujus Sancti præsertim Martyris, illaque & hodie frequentissima sunt, tum ipsis Ecclesiis majoribus juncta, tum extra illas, & loco ab iis remoto extructa.

VIII. Olim hujusmodi Oratoria in honorem Martyrum plerumque extruebantur eo loco, quo sacra ipsorum ossa reservabantur, aut ipsi pro Christo passi fuerant; quæ propterea antiquitùs *Martyria* dicta fuêre. Martyrum (ait Isidorus) locus *Martyrium*, græca derivatione, eò quòd in memoriam Martyris sit constructum, vel quod sepulchra Sanctorum ibi sint Martyrum. Plura habes apud Du Cange in Glossario, verbo *Martyrium.*

XI. Circa hæc Oratoria, Capellas, & Sacella, ut hodie vocant, admittenda, imprimis attendere debet Episcopus, ne per hæc populus à Parochiali Ecclesia nimium abstrahatur; atque hinc ulteriùs ex illo Ecclesiæ Parochialis neglectu oriatur in populo crassa ignorantia, tam circa credenda, quàm agenda; prospicereque, ut observetur clausula de stylo solita inseri litteris, quibus usus Oratorii seu Capellæ conceditur, *Sine Parochialis Ecclesiæ præjudicio*; de qua aliquid dictum fuit suprà *tit.* 5. *cap.* 6. ubi latiùs de *Oratoriis* domesticis actum fuit; & *part.* 1. *tit.* 24. *cap.* 3. ubi de simili cautione adjici solita admissioni novi Monasterii agitur.

X. Apud Gratianum *Can.* 10. *Dist.* 1. *de Consecrat.* refertur ex Concilio Bracarensi II. » Si quis Basilicam non pro de- » votione fidei, sed pro quæstu cupiditatis ædificat, ut quidquid » ibidem de oblatione colligitur, medium cum Clericis dividat, » eò quòd Basilicam in terra sua questûs causa condiderit (quod » in aliquibus locis usque modo dicitur fieri:) hoc de cætero ob- » servari debent, ut nullus Episcoporum tam abominabili voto » consentiat; nec Basilicam, quæ non prò Sanctorum patroci- » nio, sed magis sub tributaria conditione est condita, audeat » consecrare. «

Profectò si in extructione Oratoriorum, seu Sacellorum causam extructionis Episcopi penitus examinarent, verisimile est, quòd non rarò deprehenderetur, ea potiùs quæstûs, quàm solidæ devotionis causâ extrui; interdumque miracula ficta supponi, falsasque aut non sat probatas reliquias ostentari, ut oblationes populi sibi, suisque Sacellis appropriare queant. Hæc prævidens Synodus Tridentina declaravit, » nulla etiam admit- » tenda nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eo- » dem recognoscente & approbante Episcopo, qui simul atque » de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theo- » logis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati con- » sentanea judicaverit. « In Decreto *de Invocatione, veneratione & reliquiis Sanctorum.*

XI. Nova Ecclesia Parochialis erigi nequit, nisi unà erigatur nova Parochia. Nec enim esse potest Ecclesia Parochialis sine populo, qui communitatem seu Parochiam constituat.

Cùm autem nova Parochia ordinariè constitui nequeat, nisi de veteri Parochia, in cujus limitibus nova construitur, aliquid decedat, jure cautum esse, Episcopum in novam Ecclesiæ Parochialis erectionem sine rationabili aliqua causa consentire non posse, uno consensu tradunt Canonistæ ad *Cap.* 3. ✠ *de Ecclesiis ædific.*

XII. Inter causas legitimas ædificandi novam Ecclesiam Parochialem, in primis est illa, quam assignat Pontifex in citato *Cap.* 3. & probat Synodus Tridentina *Sess.* 21. *Cap.* 4. *de Reformat.* nimirùm si in aliquibus Ecclesiis Parochialibus, vel Baptismalibus » ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochia- » ni sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & di- » vina officia audienda accedere non possunt; « uti loquitur Synodus.

Hinc habemus, legitimam causam construendi novam Ecclesiam Parochialem esse, si sine *magno incommodo* Parochiani ad Ecclesiam Parochialem accedere nequeant.

* Synodus Tridentina aliquas causas expressit, ob quas nova Parochia esset erigenda; nihilominus cùm ex pluribus circumstantiis dependeat, quæ sit necessitas exigens erectionem novæ Parochiæ, non immeritò arguit Cardinalis de Luca *Discurs.* 16. *in Concil. Trid.* manifestum errorem illorum, qui cum aliquibus Sanctæ Congregationis declarationibus, vel cum Rotæ decisionibus, aut aliquorum Doctorum traditionibus, pro nova Parochiæ erectione facienda, » vel neganda, in sola littera procedunt; cùm » sit (ait) potiùs quæstio *nudi facti*, ex singulorum casuum par- » ticulari qualitate, ac individuis circumstantiis decidenda. «

Et sanè unicus scopus Concilii Tridentini fuit in hoc Decreto de erigendis novis Parochiis, ut meliori modo saluti, & necessitati populi succurreretur. Ut proinde id unum inspiciendum sit, an salus populi novæ Parochiæ erectionem requirat.

XIII. Itaque non exigitur, quòd revera sit magna longinquitas, aut viarum discrimen; sed solùm requiritur talis, ut propterea Parochianis sine magno incommodo non pateat accessus ad majorem Ecclesiam; uti notat Fagnanus ad *Cap.* 3. ✠ *de Ecclesiis ædificandis*, *num.* 18. & ita tenerè Dominos de Rota testatur.

XIV. „ Quanta autem debeat esse hujusmodi distantia, seu „ Parochiæ amplitudo, ad hoc ut Parochiani dicantur non pos- „ se *sine magno incommodo* ad Ecclesiam accedere, cùm jure de- „ finitum non sit, judicis arbitrio relinquitur. "Fagnanus *ibid.*

Ul-

Ulteriùs inde refertur, quòd similiter justa sit erectionis causa, si inter populum alicujus villæ & Parochialem torrens, vel flumen aliquod intercedant, quæ nec pontem „habeant, & nec „ vado transiri possint, præsertim hyemali tempore cùm plu- „ viæ inundant, juxta textum hîc. Quæ causa sufficiens est „ etiam sine distantia loci. Undecunque enim proveniat magna „ difficultas percipiendi Sacramenta, dicitur subesse justa cau- „ sa erigendi novam Parochiam, ut ex dictis patet. Ideoque „ Concilium Tridentinum *cap.* 4. *Sess.* 21. alternativè loquitur, „ ibi locorum distantiam, sive difficultatem, ita ut propterea „ alterutrum sufficiat. "

XV. Hactenus Fagnanus *numero* 19. qui benè advertit *numero* 17. non requiri ad probandum, sine *magno incommodo* Parochianos non posse Ecclesiam Parochialem accedere, ut Parochia- » ni aliquando decesserint sine Sacramentis, sed satis esse ad va- » liditatem erectionis, ut immineat periculum, ne sic dece- » dant; neque (ait) hujusmodi eventus est exspectandus, quin » potius perveniendum ne contingat, cùm satius sit occurrere in » tempore, quàm post exitum vindicare, seu post vulneratam » causam remedium quærere. « Et ita censuit S. Congregatio.

XVI. Cùm autem per novæ Ecclesiæ Parochialis constructionem facilè jura Rectoris, aliorumque Ministrorum, aut Patronorum veteris Ecclesiæ Parochialis lædi possent; ad constructionem Episcopus procedere non potest, nisi Rectore Ecclesiæ, necnon aliis interesse habentibus citatis, & auditis; uti monet Fagnanus *loco citato*, *num.* 30. asseritque, resolvisse S. Congregationem, erectionem Ecclesiæ Parochialis factam, non citato Rectore veteris Ecclesiæ, *nullius momenti* existere.

* Quandoquidem indubitatum sit, plures per erectionem novæ Parochiæ posse pati interesse, puta Rectorem veteris Parochiæ, ejusque Ecclesiæ Parochialis patronos, & incolas; nulla hisce in partibus novæ Parochiæ admitteretur constructio, etiam ex *Rescripto Romani Pontificis*, nisi ejusmodi Rescriptum dirigatur in *forma commissoria*, quemadmodum (ut infrà notabitur) nulla unio Beneficiorum, nisi in simili formâ hîc admittitur: eò quòd interesse habentes, aut prætendentes, in partibus, sive in sua Provincia audiri debeant; nec Romam ea de causa citari possint, ob notorium Privilegium *de non evocando.*

XVII. Si Rector citatus & auditus in novæ Parochiæ erectionem consentire renuat, & tamen erectio illa necessaria judicetur, poterit tunc etiam illo invito procedi, ut uno consensu resolvunt Canonistæ ob verba finalia dicti *Cap.* 3. » Si verò » *Persona* Matricis Ecclesiæ virum idoneum præsentare distu- » lerit, vel opus illud voluerit impedire, tunc nihilominus fa- » cias idem opus ad perfectionem deduci, & virum honestum, » appellationis cessante diffugio, instituere non omittas. "

Quidam ex antiquis Canonistis post Glossam ad dictum *Cap.* 3. crediderunt, Papam quidem ex plenitudine potestatis id facere posse invito Rectore Matricis Ecclesiæ, non autem Episcopum; at Synodus Tridentina declaravit, quòd Episcopi novas Parochias etiam invitis Rectoribus, juxta formam Constitutionis Alexandri III. quæ incipit, *Ad audientiam* (in citato *Cap.* 3.) constituere possint.

XVIII. Addit deinde Synodus: » Illis autem Sacerdotibus, » qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis perficiendi, com- » petens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ec- » clesiam matricem quomodocunque pertinentibus: &, si neces- » se fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quæ » sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam: qua- » cunque reservatione generali, vel speciali, vel affectione, su- » per dictis Ecclesiis non obstantibus."

* Imprimis æquum, & justum apparet Presbytero hujus novæ Parochiæ relinqui, sive assignari oblationes, quæ tum inter Missarum solemnia, tum in administratione Sacramentorum, aut in funeribus defunctorum fieri solent.

Cùm enim hæc à Parochianis offerantur Presbyteris tanquam Sacramentorum, & Sacrorum Ministris, nihil justius, quàm ut hæc cedant Presbyteris novæ Parochiæ, à quibus Parochiani Sacramenta, aliaque spiritualia percipiunt; quique sunt in hac nova Parochia horum Ordinarii Ministri.

Et cùm Parochus Matricis Ecclesiæ absolvatur à cura hujus populi, æquum etiam non est, ut de oblationibus hujus populi participet.

* Insuper notandum, quòd dum de proventibus Ecclesiæ Matris agitur, è quibus dos novæ Ecclesiæ dicitur desumenda, non tantùm debeant attendi decimæ & proventus, qui *de facto* in sustentationem Parochi, & Ministrorum Ecclesiæ Matricis cedunt; sed & reliquæ decimæ intra limites Matricis Ecclesiæ excrescentes, quantumvis hoc titulo incorporationis ipsius Ecclesiæ Parochialis, sive præscriptionis aliove titulo ad Monasteria, vel Capitula transierint.

Scitur enim decimas ad Capitula, & Monasteria translatas titulo donationis vel incorporationis sub ea restrictione, ut ex illis prius esset detrahendum, quod sufficiat spirituali populi necessitati.

Si igitur necessitas spiritualis exigat novæ Parochiæ erectionem, non dubium quin vigore hujus restrictionis decimæ intra districtum Parochiæ excrescentes, ad hujus Parochiæ expensas concurrere debeant.

Unde Fagnanus ad Cap. *Ad audientiam, de ædificand. Eccles.* describens modum, quo in dotatione novæ Ecclesiæ Parochialis sit procedendum, monet *num.* 37. quòd, dum proventus proprii Matricis Ecclesiæ non sufficiunt, nec sit aliquis, qui velit illos augere, *cogendus erit Abbas, vel Præpositus, cui Parochialis illa subest in temporalibus*, id est, cui Ecclesia est incorporata quoad temporalia, quique vi hujus incorporationis decimas illius percipit.

* Quantumvis populus novæ Parochiæ videatur omninò desinere esse de veteri Parochia, nihilominus vetus Parochia, qua populus novæ Parochiæ subtrahitur, remanet quasi Ecclesia *Matrix*; atque hoc titulo in Decretali Alexandri III. quæ incipit, *Ad audientiam*, per Concilium Tridentinum innovata, expressè mandatur provideri, ut competens in ea honor pro facultate loci Matrici servetur: scilicet ut aliquid (ait Glossa) *annuatim* in signum subjectionis præstetur, moderandum tamen ad arbitrium Episcopi.

Interpretationem hanc probans Joannes Andreas addit: » In- » terdum *in honorem Matris Ecclesiæ* præscribitur, ut novæ » Ecclesiæ incolæ, vel ministri veniant ad Scrutinium, vel Bap- » tisma, & Capitulum, vel reservabitur illi sepultura. "

Conformiter ad hanc Doctorum interpretationem, videmus passim quædam jura in ædificatione, aut erectione novæ Parochiæ, reservata Ecclesiæ Matrici, quæ eidem juxta formam erectionis, exhibenda sunt.

Præter jura, in erectione specialiter reservata, nulla sibi Ecclesia Matrix jura subjectionis à nova Ecclesia Parochiali prætendere potest, uti post Abbatem probat Fagnanus ad citatum cap. *Ad audientiam*, concludens, jura subjectionis non deberi Ecclesiæ Matrici, nisi in quantum prædicta jura sibi reservavit in limine erectionis: Episcopus enim erigens novam Parochiam, & eam à priori separans, illam partem populi, quæ novæ Ecclesiæ supponitur, à jure prioris Ecclesiæ absolvit, nisi specialiter absolutionem restringat, & declaret in quibusdam manere subjectam.

XIX. Sed illa jurium vel reservatio, vel limitatio fieri non potest absque auctoritate Principis, ut rectè observant, qui de juribus honorificis scripserunt; sicut sine eadem auctoritate populus novæ Parochiæ compelli non potest ad suum Sacerdotem alendum (h): hujus rei probatio petitur ex his, quæ sequuntur. Cùm hîc in Belgio de promulgatione Concilii Tridentini tractaretur, ipsaque decreta Reformationis ad Consilia Regia missa essent, hæc observatio facta legitur ad hoc præsens Decretum: » Datur Episcopis facultas novas Parochias erigendi, » & si necesse fuerit, compellendi populum ea subministrare, » quæ sufficiant ad vitam Sacerdotum sustentandam. Commu- » nis nota est, compulsionem illam populi, & exactionem fie- » ri non posse, sine auctoritate Regia; neque hanc jurisdictio- » nem Ecclesiasticis judicibus unquam competiisse. "

XX. Sanè in erectione novæ Parochiæ difficulter obices hîc perfringent Episcopi, nî auctoritas Regia accedat; idque non tantùm ob difficultatem, quæ circa dotem Ecclesiæ noviter construendæ, oriri nata est; sed vel maximè propter oppositiones Rectoris, Ministrorum, Ædituorum, Patronorum, aliorumque, quorum jura facilè quoad aliqua saltem per novæ Parochiæ erectionem lædentur; aut tales ut minùs difficultates & quæstiones movebuntur, quibus terminandis sola auctoritas Ecclesiastica non sufficeret. Unde nec in Belgio videmus ullas Parochias erigi, nisi auctoritas Regia interveniat (i).

XXI. Interim Episcopi, quibus primariò cura animarum suarum respectivè Diœcesium incumbit, si videant, eam esse Parochiarum latitudinem, eamque distantiam, ut salus animarum novam Parochiam exigat, omnibus modis allaborare tenentur, ut ea erigatur, ut ita necessitati populi satisfiat.

Unde cuiquam Episcopo dubitanti, num propter *juramentum* de non alienandis rebus suæ Ecclesiæ, posset novas Ecclesias

(h) *Supremus Senatus Hispanus non solùm cognoscit de vi injuriisque ab Ordinariis suis subditis illatis, verùm etiam de Ecclesiis, & Beneficiis, ut dicitur* in remissione 2. tit. 5. lib. 1. Recopil.

(i) *In Gallia observatur circa novæ Parochiæ erectionem quod traditur in novis Cleri Gallicani Collectaneis* lib. 3. tit. 3. col. 28. *cap.* 1. num. 23. *ubi articulus* 24. *Edicti, quod mense Aprili ann.* 1695. *datum est, his verbis citatur*: Les Archeveques & Eveques, pourront avec les solemnités & procedures accutumées, eriger des Curés dans le lieux où ils l'estimerons necessaire. *Et in Hispania, præcipuè in suis Dominicis Indicis, cùm absolutum Juspatronatus Rex habeat, sine suo assensu Monasteria, Ecclesiæ, aliave pia loca erigi non possunt,* l. 1. tit. 3. & l. etiam 1. tit. 6. lib. 1. Recop. Indiar.

sias erigere, eò quòd hæc erectio videretur fieri cum aliquo præjudicio suæ Ecclesiæ, respondit Cælestinus III. in *Cap. fin.* ✠ *de Ecclesiis ædificandis.* »Fraternitati tuæ mandamus, quatenus illius *juramenti* occasione nullatenus prætermittas, quin „ populo indigenti super Basilicarum institutione studeas saluberiter providere."

XXII. Si Episcopus videat, hîc & nunc novam Parochiam erigi non posse, saltem eo casu ad aliud remedium à Tridentino suggestum recurrendum erit; ut nimirum cogat Rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum.

XXIII. Quòd si casus occurrat, ut ea sit quorundam Parochianorum habitatio, ut sine magno incommodo ad Ecclesiam Parochialem accedere nequeant; atque periculum sit ob nimiam à Parochiali Ecclesia distantiam, aut viarum, aliorumque difficultatem, ne sine Sacramentis moriantur, erigenda ut minus erit Capella; atque in ea constituendus Sacerdos, qui illis Parochianis possit Sacramenta, aliaque ad animarum salutem necessaria impendere; uti in casu occurrente probavit S. Congregatio apud Fagnanum loco citato *num.* 20. & hodie non raro practicatur.

XXIV. Sed tamen si causa legitima erigendi novam Parochiam occurrat, non tam facile ob aliquorum interesse ad jam suggestum remedium confugiendum: tam quòd non omnia in Capellis fiant, „ ad quæ Parochiani tenentur ex jure communi „ & Tridentino, quàm quòd magna sit distantia inter Pastorem, cujus sunt oves propriæ, ut instituitur in novis Parochiis; & Sacerdotes, qui in Capellis nec omnia præstant, „ nec tanquam suis. Plenius ergo satisfit magno incommodo per „ erectionem novæ Parochiæ, quàm per Capellam: eaque in »casu magni incommodi mens esse videtur Concilii Tridentini." *Resp.* 1. *de Ædificand. Eccles.*

CAPUT III.

De Consecratione Ecclesiarum, ejusque Ritibus.

1 *Dedicatio Templorum antiquitùs nota.*
2 *Materialis Templi dedicatio spiritualium Fidelium dedicationem designat.*
3 *Ad dedicationem Templi conveniebant vicini Episcopi.*
4 *Occassione dedicationis subinde congregatæ Synodi.*
5 *Magna in veneratione habita olim Ecclesiarum dedicatio.*
6 *Populus & Clerus ad dedicationem conveniens orationi, aliisque pietatis Officiis intendebat.*
7 *Quæ essent Episcoporum, & Sacerdotum functiones.*
8 *Preces adhiberi in dedicatione Ecclesiæ convenit.*
9 *Preces qualiter recitandæ; & quomodo ad eas populus excitandus.*
10 *Dedicatio seu consecratio Ecclesiæ est Ordinis Episcopalis*
* *Episcopum loci ita spectat Ecclesiæ Consecratio, ut Cardinalis auctoritate Apostolica munitus eam Ecclesiam licitè consecrare nequeat.*
11 *Non omnium Ecclesiarum idem dedicationis ritus.*
12 *Jam pridem in dedicatione Ecclesiæ requisitæ fuerunt Sanctorum Reliquiæ.*
13 *Unde originem habuerit ritus adhibendi Reliquias.*
14 *Ritus parandi Reliquias ex præscripto Ritualis Romani.*
15 *Quomodo hic ritus inceperit; & in quo primitùs ab hodierno diversus.*
16 *De Aspersione aquæ lustralis, de trino circuitu Templi consecrandi.*
17 *Origo hujus ceremoniæ.*
18 *Ritus hodierni non omnes eodem tempore adhibiti.*
19 *Ceremoniæ consecrationis Templi materialis adhibitæ ad similitudinem ceremoniarum consecrationis Templi spiritualis per Baptismum.*
20 *Hinc parietum inunctio, usus salis, & alphabeti descriptio.*
21 *In dedicatione novæ Basilicæ jam pridem convivia instituta; quæ hodie in die anniversaria institui solent.*
22 *An olim dies anniversaria dedicationis celebrata fuerit.*
23 *Ante annum millesimum celebrata videtur in Gallia, & hodie ubique solemniter celebratur.*
24 *Conviviorum & comessationum excessus hac die committi solitus.*
25 *Synodi voluerunt, ut in omnibus Ecclesiis ejusdem Diœcesis anniversaria dedicationis dies eodem die celebraretur.*
26 *Idipsum Principes decreverunt.*
27 *An conveniat, ut Pastores vicini intersint solemnitati dedicationis; & an idcircò omittendum solemne officium in Parochia.*

I. Ecclesiâ edificatâ ejus celebranda est dedicatio; idque jam pridem receptum fuisse clara probant apud antiquiores Scriptores testimonia. Ut enim ea, quæ de Ecclesiarum consecratione, & dedicatione referuntur ex Epistola Felicis IV. necnon aliis primorum Pontificum Decretalibus apud Gratianum *dist.* 1. *de Consecrat.* tanquam parùm authentica omittamus, celebratæ dedicationis Ecclesiæ testimonium luculentum exhibet Eusebius *lib.* 10. *Hist. cap.* 3. »Post hæc votivum no»bis ac desideratum spectaculum præbeatur *dedicationum*, sci»licet festivitas per singulas urbes, & Oratoriorum recens struc»torum *consecrationes.*"

Meminit quoque hujus festivitatis sub idem tempus S. Athanasius in *Apologia* 2. ad Constantium.

II. Subsequentes Patres variis locis dedicationis Ecclesiarum meminêre, extantque eorum sermones, quos in ipsa templorum dedicatione habuere; atque inter alios, plures sermones ea de re S. Augustini, qui sunt 336. 337. 338. in nova editione. In horum primò sic incipit: »Celebritas hujus Congregationis *de»dicatio* est domûs orationis. Domus ergo nostrarum orationum »ista est, domus Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in »hoc seculo ædificamur, ut in fine seculi dedicemur." Deinde ostendit, quomodo ea, quæ in ædificatione templi materialis fieri quotidie videmus, spiritualiter in ædificatione templi, quod est Ecclesia Christi, fiant. »Credendo enim (ait) quasi de sil»vis & montibus ligna & lapides præcidantur; cùm verò ca»techizantur, baptizantur, formantur, tanquam inter manus »fabrorum & opificum dolantur, collineantur, complanantur: »veruntamen domum Dei non faciunt, nisi quando charitate »compaginantur." Quòd postremum latè ibidem prosequitur. Totus hic sermo in partes divisus legitur in Breviario Romano tertiâ, quartâ, & sextâ die infrà octavam dedicationis Ecclesiæ. Sermo autem, qui legitur sub nomine S. Augustini in ipsa die Dedicationis, est S. Cæsarii Arelatensis, non Augustini, uti notârunt eruditi Operum Augustini Revisores, qui illum in appendicem rejecerunt; conficitque ibidem *sermonem* 329.

III. Ad majorem dedicationis solemnitatem vicinos quoque Episcopos evocari solitos, testis est Augustinus Epistol. 269. ad Nobilium Episcopum, qua se excusat, quòd ad dedicationem novæ fabricæ venire non possit. »Tanta est (ait) solemni»tas, ad quam me affectus tuæ Fraternitatis invitat, ut corpus»culum meum ad vos traheret voluntas, nisi teneret infirmi»tas." Deinde quibusdam de hyemis rigore, suaque senectute interpositis concludit: »Salutationem debitam reddo meritis »tuis: Salutem verò meam *commendo* precibus tuis, poscens »& ipse a Domino, ut dedicationem tantæ fabricæ pacis pros»peritas prosequatur." Et Gaudentius Brixiensis Augustino coætaneus, *in tractatu in dedicatione Basilicæ SS. 40. Martyrum* scribit: »Convenerunt igitur Sanctissimi Antistites, & Apos»tolici Viri ad persolvendum beatissimis Patribus, & Præcep»toribus suis debitæ devotionis obsequium, ut ubertate plenis„ sima benedictionum spiritualium ditaremur."

IV. Quin & occasione dedicationis Ecclesiæ convenientes Episcopi Synodos frequenter celebrâsse notum est; atque ea occasione famosa Antiochena Synodus anno 341. celebrata fuit.

Cùm enim templum Antiochenum, quod præ magnificentia *Dominicum aureum* appellari meruit, sub Constantino M. inchoatum, tandem sub ejus filio Constantino esset absolutum, hujus celebritatis prætensâ occasione litteris Imperatoris evocati fuêre Episcopi totius Orientis, etiam ex Tracia & Palæstina; convenerunt que ad diem designatum 90. Episcopi, ut Auctor est Athanasius, qui eâ occasione Synodum celebrarunt, eodem Athanasio teste dicente: *Antiochiæ novam Synodum per causam* Encæniorum coegerunt. Propterea hæc Synodus communiter etiam apud Veteres dicta fuit Synodus *in Encæniis.*

Encænia quippe pro nova Ecclesiæ dedicatione sumi, jam pridem usitatum fuit; uti multis ostendit Du Cange in Glosario, verbo *Encænia.*

V. Hæc ostendunt, quanta in veneratione apud pristinos Patres fuerit Ecclesiarum dedicatio; quantâque festivitate, ac solemnitate eam celebrandam crediderint; ut ad eam ritè celebrandam absonum haud putaverunt, ut Episcopi etiam relictis suis Ecclesiis ad hanc solemnitatem recurrerent.

VI. In hac solemnitate Episcopi, Clerus, ac populus concurrentes, hymnis, precationibus, orationibus, aliisque pietatis, & religionis officiis pro suo quisque munere instabant; quemadmodum latè describit testis oculatus Eusebius loco citato; qui ibidem *cap.* 4. refert orationem panegyricam in dedicatione pronuntiatam.

VII. Deinde *lib.* 4. *de Vita Constantini*, describens dedicationem Ecclesiæ Hierosolymorum, ad quam evocaverat Constantinus Episcopos in Synodo Tiri congregatos, *cap.* 45. Sacerdotum, aliorumque in hac solemnitate functiones describit: »At Sacerdotes Dei partim precationibus, partim sermonibus »festivitatem ornabant. Alii siquidem comitatem religiosi Impe»ratoris erga omnium Servatorem laudibus celebrabant, & »Martyrii magnificentiam oratione persequebantur. Alii sacris »Theologiæ dogmatibus ad præsentem celebritatem accomoda»tis, spirituale quoddam epulum audientibus præbebant. Qui»dam sacrorum Voluminum lectiones interpretabantur, arca»nos,

» nos, & mysticos sensus in lucem proferentes. Qui verò ad hæc » aspirare non poterant, incruentis sacrificiis, & mysticis im- » molationibus Deum placabant; pro pace communi; pro Ec- » clesia Dei; pro Imperatore tot bonorum auctore, ejusque pi- » simis liberis, preces Deo suppliciter offerentes, ibi nos quoque, » quibus majora quàm pro meritis nostris bona contigerant, va- » riis sermonibus publicè habitis solemnitatem decoravimus, » nunc regalis fabricæ decorem ac magnificentiam scriptis enar- » rantes; nunc Propheticorum oraculorum sensus aptè & accom- » modatè ad præsentes figuras atque imagines interpretantes. » Hoc modò *dedicationis* solemnitas, ipsis Imperatoris tricen- » nalibus summa cum hilaritate celebrata est."

VIII. Non igitur recens est, in ipsa Ecclesiæ dedicatione, seu consecratione varias preces fundi; quibus divina benedictio super domum istam impetretur, fiatque id quod Ecclesia quotannis orat, ut *quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrâsse lætetur*: Vel uti inter ipsa consecrationis solemnia. *Nullâ hîc nequitia contrariæ potestatis obsistat, sed virtute Spiritus Sancti operante, fiat hîc tibi semper purum servitium, & devota libertas.*

IX. Preces recitandæ exprimuntur in Pontificali Romano sub titulo *de Dedicatione Ecclesiæ*; sed illud dolendum, preces illas frequenter ceu quasdam formulas duntaxat recitari; nec populum ad Clerum excitari, ut unà ad dedicationem Ecclesiæ concurrens, preces suas precibus Episcopi jungat; quo fiat, ut tota Ecclesia quasi unita, preces suas jungens, faciliùs & efficaciùs benedictionem divinam impetraret.

X. Quamvis hodiè usus non habeat, ut plures Episcopi ad Ecclesiæ dedicationem convocentur, nullus tamen nisi Episcopus eam consecrari potest, neque Episcopus Diœcesanus delegare alteri, quàm Episcopo potest, eò quòd consecratio Ecclesiæ inter ea, quæ Ordinis, non autem Jurisdictionis Episcopalis sunt, recenseatur; uti multis relatis docet Barbosa de *Officio Episcopi*, *Allegat.* 27.

* Ritus Consecrationis Ecclesiarum adeò proprius reputabatur singulis Episcopis per suas respectivè Diœceses seculo XI. ut Episcopi Gallicani ægerrimè tulerint, quòd quidam Cardinalis, tametsi Auctoritate Romani Pontificis specialiter munitus, Ecclesiam à quodam Fulcone in Diœcesi Turonensi magnificè constructam, sine consensu Archiepiscopi Turonensis, in cujus Diœcesi hæc nova constructa Basilica erat, consecrare attentasset, uti narrat Glaber Rodulphus Monachus, qui, teste Bellarm. *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, scripsit Historias sui temporis libris quinque *satis accurate*.

» Hic Auctor *lib.* 2. *cap.* 4. scribit, quòd quidam Fulco ædi- » ficaverit Ecclesiam admodum pulcherrimam, in pago scilicet » Turonico, milliario interposito Alveacensi Castro."

Post hæc subjungit Historicus; » expleto denique quanto- » tiùs Basilicæ opere, protinus misit ad Hugomen Turonicum » Archipræsulem, in cujus scilicet constituta erat Diœcesi, ut » illam sacraturus, quemadmodum decreverat, adveniret. Qui » venire distulit, dicens se minimè posse illius votum dicando » Domino committere, qui videlicet Matri Ecclesiæ Sedis sibi » commissæ prædia, & mancipia surripuerat non pauca: hoc- » que potiùs illi videbatur competere, ut primitùs, si quid » injustè deripuerat, alicui restitueret; sicque deinceps justo » judici Deo propria, quæ voverat, offerre deberet.

„ Cumque ista (prosequitur Historicus) Fulconi à suis per- „ lata fuissent diutinâ feritate resumptâ, nimium indignè ferens „ Episcopi responsa, insuper comminatus illum valdè, ac su- „ blimiùs inde quod valuit, adegit consilium: mox denique co- „ piosâ argenti, & auri assumptâ pecuniâ, Romam pergens, „ ac Joanni Papæ causam suæ profectionis exposuit: ac deinde „ poscens, quòd ab illo optaverat, plurima ei munerum dona „ obtulit. Qui protinus misit cum eodem Fulcone ad prædic- „ tam Basilicam sacrandam unum ex illis, quos in Beati Petri „ Apostolorum Principis Ecclesia *Cardinales* vocant, nomine „ Petrum; cui etiam præcepit, veluti Romani Pontificis Auc- „ toritate assumptâ, quidquid agendum Fulconi videbatur, in- „ trepidus expleret.

„ Quod utique audientes Galliarum quique Præsules (per- „ git Historicus) præsumptionem sacrilegam cognoverunt ex cæ- „ ca cupiditate processisse, dum videlicet unus rapiens, alter „ raptum suscipiens, recens in Romana Ecclesia schisma crea- „ vissent: universi etiam pariter detestantes, quoniam nimiùm „ indecens videbatur, ut is, qui Apostolicam regebat Sedem, „ *Apostolicum primitùs ac canonicum transgrediebatur tenorem, „ cùm insuper multiplici sit antiquitùs auctoritate roboratum, ut „ non quispiam Episcoporum alterius Diœcesis istud præsumat „ exercere, nisi Præsule, cujus fuerit, compellente, seu per- „ mittente.*"

Post hæc exponit, quòd eodem die, quo hujus Ecclesiæ per Legatum Pontificium, consecratio peracta fuisset, subitò ab inopinato validissimo exorto vento, hujus Ecclesiæ Fabrica totaliter corruerit & versa fuerit. „ Quòd cùm multi (ait) per „ regionem comperissent, nulli venit in dubium, quoniam in- „ solens præsumptionis audacia irritum constituisset votum, si- „ mulque præsentibus ac futuris quibusque, ne huic simile age- „ rent, evidens judicium fuit. Licèt enim (subjungit idem His- „ toricus) Pontifex Romanæ Ecclesiæ ob dignitatem Apostoli- „ cæ Sedis, cæteris in orbe constitutis reverentior habeatur, non „ tamen ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis te- „ norem.

„ Sicut enim unusquisque orthodoxæ Ecclesiæ Pontifex, ac „ Sponsus propriæ Sedis uniformiter speciem gerit Salvatoris; „ ita generaliter nulli convenit, quippiam in *alterius* proca- „ citer patrare Episcopi Diœcesi."

Ex his imprimis habemus, eo tempore Gallicanis Episcopis persuasum fuisse, Romano Episcopo non secùs ac aliis Episcopis, suam esse particularem Ecclesiam, uti suprà *part.* 1. *tit.* 16. *cap.* 3. *ad num.* 5. fusius ostendimus.

Insuper habemus, eo etiam tempore præfatos Gallicanos Episcopos nullatenus dubitâsse, quin Romanus Pontifex ob dignitatem Apostolicæ Sedis, cæteris in orbe constitutis reverentior habeatur; nequaquam tamen ei ob id licitum esse transgredi in aliquo *canonici moderaminis tenorem*, quo constitutum est, nulli Episcopo in alterius Episcopi Diœcesi procaciter quippiam patrare, nisi Præsule, cujus fuerit, compellente, seu permittente.

XI. Circa ritus dedicationis seu consecrationis, non fuit in omnibus Ecclesiis, nec omni tempore idem usus.

Et quidem dedicationis ritum fuisse olim in Ecclesia Romana diversum ab eo, quem Mediolani servari mox erat, ex S. Ambrosii *Epistola* 54. intelligimus: „ Cùm ego (ait) Basilicam dedicare vellem, multi tanquam uno ore interpellere „ cœperunt, dicentes: *Sicut in Romana*, sic Basilicam dedices." Respondi; „ faciam, si Martyrum Reliquias invenero."

XII. Ex his verbis S. Ambrosii, hoc quoque intelligimus, eo tempore in dedicatione Ecclesiæ *ritu Romano* requisitas fuisse Sanctorum reliquias; cujus ritûs meminit quoque sub idem tempus S. Paulinus *epist.* 12. ubi de Basilica suis expensis exstructa verba faciens ait; » Verùm hanc quoque Basilicam de » benedictis Apostolorum, & Martyrum *Reliquiis* sacris cine- » ris, in nomine Christi Sanctorum Sancti, & Martyrum Marty- » ris, & Dominorum Domini consecrabunt."

Eundem fuisse jam pridem Græcorum ritum manifestum est ex *Canone VII.* Synodi VII. quo decernitur, ut Episcopus posthac templum consecrans sine Sanctis *Reliquis* deponatur; *ut qui* (ait) *Ecclesiasticas traditiones transgressus est.*

XIII. De hoc ritu latiùs agit Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rerum Liturg. cap.* 19. §. 5. ibidem notans, quòd mos olim Christianorum fuerit, ut durante Ethnicorum persecutione, in areis & cœmeteriis, in quibus *Martyrum corpora* quiescebant, ad Synaxim peragendam convenirent. Postquam verò cessante persecutione licuit publicè templa erigere, ea cœperunt potissimùm excitari iis in locis, in quibus paulò ante congregari, & clam mysteria celebrare consueverant; nimirùm in locis, in quibus Martyrum corpora erant recondita. » Atque hinc (ait) originem » traxisse mihi videtur celeberrimus, & inviolabilis Ecclesiæ ri- » tus, ut sine Martyrum reliquiis nullum templum, nullumve al- » tare ædificetur: « quo nimirùm adhuc quodammodo ad ipsa Martyrum sepulchra ædificari templa viderentur.

XIV. Juxta modernum ritum Pontificalis Romani, » Serò » ante diem dedicationis, Pontifex parat reliquias, ponens eas in » decenti, & mundo vasculo, cum tribus granis thuris; sigillans » ipsum vasculum diligenter; & illud ante fores Ecclesiæ conse- » crandæ ponens cum duobus candelabris, & luminaribus arden- » tibus; celebrandæque sunt vigiliæ ante Reliquias ipsas, & ca- » nendi Nocturni, & Matutinæ laudes in honorem Sanctorum, » quorum reliquiæ sunt recondendæ."

XV. Quando hic ritus inceperit, incertum est. In Sacramentario S. Gregorii vulgò S. Eligii apud Menardum, nulla ejus mentio occurrit; uti nec in codice, quem seculo IX. scripsit Rodradus Presbyter; at in Codice Ratoldi, utpote recentiore, plures adduntur ceræmoniæ uti advertit Menardus *in notis ad Sacramentarium*; atque inter alias hæc de recondendis reliquiis, & exercendis vigiliis per totam noctem: ita tamen hic ritus describitur, ut satis intelligatur, tunc temporis, Episcopum primò cum Clericis egisse vigilias in Ecclesia aliqua veteri coram reliquiis in Basilica nova recondendis; quâ consecratâ revertebatur ad veterem Basilicam, & inde reliquias sublatas solemni processione in novam transferebat. Hunc codicem sub finem seculi IX. scriptum credit Menardus. Et Rabanus Maurus sub medium ejusdem seculi scribens, de vigiliis coram Reliquiis in nocte præcedente agendis, agit *lib.* 2. *de Institut. Clericorum, cap.* 45. eumque ritum demonstrare, ait, » quòd arca Testamen- » ti cum Sanctis quæ in ea erant, in Tabernaculo Mosaico ante » ædificationem templi per excubias Levitarum servabantur."

XVI. Episcopus ad consecrationem Ecclesiæ accedens, tertiò ipsam Ecclesiam exteriùs circuit, & aquâ benedictâ parietes ejus aspergit; ac tertiò perveniens ad portam Ecclesiæ eam Baculo Pastorali percutit, dicens: *Attollite portas Principes vestras; va-*

& elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ: ac tertia vice Pontifex facit crucem super liminare in ostio cum inferiore parte Baculi dicens: *Ecce crucis signum, fugiant phantasmata cuncta.*

XVII. In antiquo Codice Sacramentarii apud Menardum hæc leguntur: » Et cum venerint ad ostium Ecclesiæ, percutiat Pon» tifex ter superliminare de cambutta sua, dicens ante portam » Antiphonam, *Tollite portas Principes vestras.* Et canant in» trantes ipsum Psalmum totum ante ostium, & aperto ostio in» trantes dicant: *Pax huic domui.*"

Cambutta seu cambuta est virga Pastoralis Episcoporum, ait Menardus ibidem *in notis*, *pag.* 189.

Trini circuitus hic Codex non meminit; at meminit illius recentior Codex Ratoldi, uti & Rabanus Maurus loco citato, dicens: » Pontifex simul cum Sacerdotibus feretrum portantibus, » & omni Clero ac cætero populo Laudem & Litanias canen» do, antequam ingrediatur in templum *ter foris* illud circuit."

XVIII. Aspersionis aquæ benedictæ in hac circuitione non meminit præcitatus Codex, neque Rabanus; ab Ivo Carnotensis seculo XI. in sermone de Sacramentis dedicationis, postquam de benedictione aquæ cum admixtione *salis* fuit locutus, subjicit: Istâ *aquâ* ad quandam Baptismi imaginem *gyrando* Ecclesiam » tunc exteriùs aspergimus: quia ubi more baptizatorum, non » potest fieri trina mersio, necesse est, ut qua possumus Sacra» menti similitudine trina fiat aspersio. Unam enim habet signi» ficationem trina mersio, & trina aspersio."

Ex his non obscurum est ritus hodiernos in Pontificali descriptos non eodem tempore fuisse adhibitos; sed alios esse recentiores, alios antiquiores.

XIX. Hoc quoque allegata verba Ivonis indicant, aliquas cæremonias in consecratione templi materialis esse adhibitas ad similitudinem eorum, quæ in spiritualis templi, scilicet animæ dedicatione per Baptismum adhibentur; eò quòd à Patribus dedicatio templi materialis repræsentaretur ut figura dedicationis templi spiritualis.

XX. Huic verisimilter originem debent ritus signandi ipsos Ecclesiæ parietes duodecim crucibus; eosque oleo sancto liniendi; ut sicuti in spirituali dedicatione baptizandus crucis signaculo, & oleo signatur, ita hîc spiritualis dedicationis figura repræsentetur.

Similiter ut Neophytis sal datur; sic & hîc *sal* adhibetur.

Quin & ipsa duplicis *Alphabeti* in ipso templi pavimento delineatio, ex ritu Baptismi derivata videtur. » Quid enim (ait » Ivo) per *Alphabetum*, nisi initia, & rudimenta Doctrinæ sacræ » intelligi convenit..... Scribit etiam Pontifex quasi Alphabeti or» dinem, cùm docet fidei simplicitatem." Ut consequenter in dedicatione templi materialis fiat per Alphabeti descriptionem, quod in dedicatione, seu consecratione spirituali agitur per instructionem, seu catechizationem Neophytorum in primis fidei, & religionis elementis.

XXI. Cùm in hac dedicationis solemnitate magnus esset populi concursus & gaudium magnum ob extructam novam Basilicam excitari soleret; etiam convivia instituta fuisse, testatur S. Gregorius *lib.* 9. *epist.* 71. & pluribus probat Du Cange in Glossario verbo, *dedicatio*; ubi advertit convivia illa in luxum, & epulas adeò deflexisse, ut » inde postmodum *dedicationis* vo» cabulum in malam partem tractum sit, ac pro comessatione » publica sumptum, quòd qui ad ejusmodi festa in vicos ire so» lent, & non tam pietatis quàm comessationibus, & ludicris » indulgendi causa eò confluant: hinc etiamnùm apud inferiores » Gallos, *faire la Ducace*, est genio, & ebrietati indulgere." Hæc ille.

Quod de inferioribus Gallis dicit citatus Autor, hoc de Belgicis, vicinisque populis similiter asseri potest; idem namque fit non quidem in ipsa Ecclesiarum prima dedicatione seu consecratione, sed anniversariâ ejusdem festivitate: quando primæ dedicationis memoria recolitur; vocarique hodie solet, *Festum dedicationis.*

XXII. An primis seculis annua hæc dedicationis festivitas fieret, incertum est. Eruditi Operum S. Augustini Revissores ad citatum *sermonem* 337. addunt hanc notam *litt. A.* » Possidius » in indiculo *cap.* 10. notat *de Dedicatione Ecclesiæ tractatus* » *duos*: ipsâ, putamus, habitos die, qua primum dedicatio fie» bat, populi conventu celeberrimo, non verò qua post annum » deinceps recolebatur facta jam ante dedicatio. Hujusmodi quip» pe anniversariæ solemnitatis in vetere Carthaginensis Ecclesiæ » Kalendario nullum vestigium."

XXIII. In Sacramentario Gallicano evulgato per Mabillonium *tom.* 1. *Musæi Italici*, *part.* 2. ex antiquo codice reperto in Biblioth. Monasterii Bobiensis, scripto, ut ipse credit, ante annos mille, habetur *pag.* 354. *Missa in dedicatione*, in qua collecta *ad pacem* eadem est, quæ hodie recitatur in anniversaria die dedicationis: *Deus, qui nobis per singulos annos* &c. ut vel hinc manifestum sit, etiam eo tempore, in Gallia diem *anniversariam* dedicationis Ecclesiæ fuisse celebratam: & hodie ipsa dies dedicationis anniversaria tanquam unà è præcipuis festivitatibus cum octava celebratur in omnibus Ecclesiis.

XXIV. Verum unà ferè cum festivitate, conviviorum & comessationum abusus passim ubique invaluit. Cùm verò Ecclesiarum dedicationis dies non ubique in eundem diem incidat, solet per æstatem omnibus penè diebus Dominicis nunc in hac, nunc in illa Ecclesia dedicatio celebrari: quo ulteriùs contingit, ut in vicis, ac pagis vicinis ad mutuam dedicationem populus concurrat, idque comessationibus, & ebrietatibus, aliisque inde provenientibus insolentiis & voluptatibus indulgendi causa; verbo, ut gallicè exprimitur, *faire la ducace*; aut ut flandricè dicitur *kermis houdem.*

XXV. Huic abusui volens occurrere Synodus Cameracensis anno 1550. *tit.* 8. decrevit, ut anniversaria dies dedicationis celebraretur in omnibus Ecclesiis, eodem die, quo hæc in Ecclesia Cathedrali celebratur. Idem fieri debet, si sit dubium.

Similiter Synodus Coloniensis anno 1536. *parte* 9. *cap.* 11. ait: » Cùm in diebus festis, qui dedicationi Ecclesiarum peculiariter » dedicati sunt, plerumque indigna committantur, adeò ut vi» deatur populus tum potissimum comessationis causa conveni» re: visum nobis est, ut per Diœceses nostras, uno certo die » anni, quo hujusmodi festum dedicationis in Metropolitana » nostra colitur, in reliquis quoque Ecclesiis omnibus, extra » civitatem nostram Coloniam Agrippinam constitutis, ob» servetur."

Synodus Tornacensis anno 1589. advertens similem abusum » præcipit Pastoribus, ut dedicationes omnium hujus Diœcesis » Ecclesiarum, quæ sunt in pagis, vel etiam in suburbiis oppi» dorum, celebrent uno eodemque die, idque quartâ Domini» cà post Pascha." *Tit.* 4. *cap.* 12.

XXVI. Idipsum statuerunt Principes nostri, ac signanter Carolus V. & Philippus II. & hic quidem anno 1598. 22. Junii edicto renovando præcedens Caroli V. *art.* 9. statuit: Ad amputandas occasiones ebrietatum, rixarum, contentionum, & homicidiorum ex his provenientium, quæ frequenter oriuntur ex conventibus, qui de pago in pagum fieri solent ratione dedicationum, quæ ibi celebrantur, conformiter ad id quod ante decretum fuit per suam Cæsaream Majestatem, ut omnes dedicationes Pagorum, & Parochiarum ruralium in unaquaque Provincia uno, eodêmque die, per Concilium Regium Provinciale, audito Episcopo loci, statuendo celebrentur: quoque hæ dedicationes non ultra unum diem protrahentur, sub pœna 50. Carolinorum incurrenda per singulos, qui alio tempore aut diutiùs prædicta dedicationis festa celebrabunt, aut eis assistent; idque in singulas vices. Habetur Edictum *part.* 2. *Edictorum Flandriæ*, *lib.* 1. *Rubrica* 4.

Novissimè quoque Episcopus Leodiensis 5. Aprilis 1692. per speciale decretum voluit, ut per totum Decanatum Bastoniensem, & Stabulensem dies anniversaria dedicationis cujuslibet Ecclesiæ insimul, ac unâ eademque die, scilicet Dominicâ infra Octavam S. Lamberti celebretur, nec ultra dictam diem Dominicam quocumque sub prætextu, causâ, vel colore protrahatur.

Cùm verò Districtus Bastoniensis Decanatûs se extra dominium temporale Principis Leodiensis extenderet; essetque sub potestate Regis Galliæ; ac propterea sine auctoritate Regia in iis partibus publicari non posset, Decanus Bastoniensis decreti placetum petiit in Senatu Regio Luxemburgi, qui audito Procuratore Regio, annuit, ut Decretum quoad hoc punctum publicaretur, conformiter ad Edicta Caroli V. & Philippi II. ante citata, die 30. Jul. 1692. (k)

(k) Decretum Episcopi Leodiensis de celebrandis Dedicationibus Ecclesiarum uno eodemque die Dominico.

Joannes Ludovicus Dei *gratiâ, Episcopus & Princeps Leodiensis, Dux Balloniensis, Marchio Franchimontensis, Comes Lossensis, Hornensis, &c. Magno animi nosti mœrore intelleximus in Decanatu Bastoniensi Archidiaconatûs Arduennæ Diœcesis nostræ Leodiensis, gravia occasione Dedicationum Ecclesiarum peccata comitti per comessationes & compotationes, quæ tunc fieri consueverunt, non mediocri timoratorum scandalo, à quibus juramenta, blasphemiæ, rixæ, & alia ejusmodi sequuntur, quæ Dei iram concitant, & provocant; Opcui malo, quantum possumus, remedium adferre volentes, auctoritate nostrâ ordinariâ præsentium tenore mandamus, & ordinamus, ut imposterum futuris temporibus per dictum Decanatum, prout & per Stabulensem ejusdem Archidiaconatûs, Dies Anniversaria Dedicationis cujuslibet Ecclesiæ, insimul, ac una eademque die, scilicet Dominica infra Octavam Sancti Lamberti Patroni nostri celebretur, nec ultra dictam diem Dominicam quocunque sub prætextu, causa, vel colore, protrahatur; sub pœna arbitrio utriusque respectivè Officialis, Venerabilis Nobilis sincerè nobis dilecti Joannis Ernesti Baronis de Surlet, Arduennæ Archidiaconi, Domini Temporalis d' Odeur, Velroux, Lexby, &c. infligenda, & in pios usus convertenda, se-*

Optandum esset, ut hæc Decreta ubique vigerent; atque ipsa templi Dedicatio juxta Ecclesiæ intentionem ubique celebraretur, abrogatis comessationibus, & compotationibus, quæ tunc fieri consueverunt (non mediocri timoratorum scandalo) à quibus juramenta, blasfemiæ, rixæ, & alia ejusmodi sequuntur, quæ Dei iram concitant, & provocant; ut in suo decreto loquitur Episcopus Leodiensis.

XXVII. In pluribus locis mos invaluit, ut dum alicujus Parochialis Ecclesiæ anniversaria dedicationis dies celebratur, Pastores vicini officia solemnia in sua Ecclesia omittant illo die ut possint tempestivè ad Ecclesiam, cujus dedicationis annua dies agitur, accedere, ac ibidem officio assistere: qui mos forsan ex veteri, eaque non contemnenda disciplina, quâ solebant vicini Episcopi ad Dedicationem novæ Basilicæ invitari, & accedere, originem habet; atque ad mutuam inter Parochos vicinos concordiam, & unitatem fovendam, & celebritatem augendam conducere videtur.

Attamen ex altera parte meritò attenditur, quod dum ob dedicationem vicinæ Ecclesiæ solita officia in Ecclesia propria omittuntur, ut Parochus dedicationi Ecclesiæ vicinæ intersit, populus quodammodo invitetur, & incitetur, ut unâ cum suo Pastore ad eam quoque accedat; eâque occasione non rarò in commesationes, potationes, & exinde promanantia vitia incidat.

CAPUT IV.

De Reconsecratione, et Reconciliatione Ecclesiarum.

1 *Templum semel consecratum iterum consecrari nequit.*
2 *Hæc disciplina ex similitudine cum Baptismo inducta.*
3 *Hanc inductæ hujus disciplinæ rationem insinuant Canones.*
4 *Ecclesia in aliquibus partibus destructa*, parietibus *illæsis reconsecranda non est.*
5 *Ratio hujus disciplinæ.*
6 *Numquam Ecclesia reconsecrada, dum manet eadem moraliter.*
7 *Si dubia sit consecratio, poterit denuò consecrari.*
8 *Seculo XI. persuasum fuit, principali Altari everso totam Ecclesiam esse consecrandam.*
9 *Hæc persuasio fundata fuit in Canone falsò Hygino Papa adscripto.*
10 *Contraria disciplina à seculo XII. invaluit, & hodie recepta est.*
11 *Ratio mutatæ disciplinæ.*
12 *Ecclesia violata reconciliari potest, non reconsecrari.*
13 *Sanguinis effusione polluitur Ecclesia.*
14 *Copiosa sanguinis effussio non semper inducit profanationem.*
15 *Sola percussio etiam gravis & enormis sine sanguinis effussione non profanat Ecclesiam.*
16 *Homicidium sine sanguinis effussione profanationem causat.*
17 *Mors secuta in Ecclesia ex vulnere inflicto extra Ecclesiam violationem non inducit.*
18 *An pollutâ Ecclesiâ censeatur pollutum Cœmeterium, aut econtra.*
19 *Effectus pollutionis templi materialis.*
20 *Aquâ per ipsum Episcopum benedictâ reconciliatio fieri debet.*
21 *Jure Decretalium reconciliatio facienda per Episcopum; nec eam simplici Presbytero delegare potest.*
22 *Dicitur à Pontifice variis Episcopis privilegium delegandi esse concessum; ac simili gaudere videntur Episcopi Belgii.*
23 *Quare hæc reconciliatio olim soli Episcopo reservata.*
24 *Cur* Cineres & Hyssopus *adhibeantur.*
25 *Jam pridem à Theologis notatum, hac reconciliatione figurari reconciliationem Pœnitentium.*
26 *Reconciliatio solemnis non facienda, nisi violatio fuerit* publica; *& quando Ecclesia fuit solemniter consecrata.*

I. Ecclesiam semel solemni ritu consecratam denuò consecrari non posse, quocunque etiam enormi crimine pollutam seu profanatam, expeditum est, multisque Canonibus apud Gratianum relatis expressum.

II. Cùm enim receptum esset, consecrationem templi materialis repræsentare consecrationem templi spiritualis per Baptismum; atque hâc ratione, ritus istius consecrationis essent plures inducti, etiam visum fuit, quòd sicuti templum spirituale semel per Baptismum consecratum, licèt postmodum per peccatum fuerit violatum, non potest iteratò per Baptismum reconsecrari; ita nec templi materialis solemnis consecratio, huic spiritualis templi consecrationi respondens iteranda sit.

III. Hanc rationem apertè indicat decretum, quod sub nomine Concilii Nicæni refert Gratianus *dist.* 68. *Can.* 3. & rursus *dist.* 1. *de Consecrat. Can.* 20. Postquam enim dictum esset: *Ecclesiis semel Deo dedicatis non debet iterum consecratio adhiberi*, ratio subjungitur: »Quia sicut *infans* à qualicunque »Sacerdote in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti *semel* »baptizatus, non debet *iterum* baptizari, ita nec locus Deo »dicatus iterum consecrandus est. (1)"

Quamvis hoc decretum inter Canones Nicænos non reperiatur; nec ullus veterum Scriptorum illius meminerit; nec consequenter ex illo æram hujus disciplinæ statuere possumus, nihilominus fundamentum illius inductæ disciplinæ non obscurè ex illo colligimus.

Hac

seriò injungentes utrisque Decano Bastionensi, & Stabulensi, ut in suo quilibet districtu has nostras præsentes Ordinationis, & Mandati litteras, debitè & ubique promulgari faciant, Pastoribus verò & eorum subditis, ut eisdem sese omninò conforment. Demum Fiscis, ut in omnes & singulos contravenientes diligenter inquirant, & contra eosdem cum omni rigore procedant. Quoniam talis est nostra seria voluntas. Datum in Civitate nostra Leodiensi sub Signatura & Sigillo nostris anno Domini 1692. *mensis Aprilis, die quinta.*

JOANNES LUDOVICUS.

Locus ✠ Sigill.

HEN. MARTINI.

Decretum Senatûs Regii Luxemburgensis quo supradicti Decreti Leodiensis executio permittitur cum quadam moderatione.

Les Gouverneur, Président, & Gens du Conseil du Roy nostre Sire, ordonné és pays, Duché de Luxemburg, & Conté de Chiny: à tous ceus qui ces présentes lettres verront, salut. Scavoir faisons que vû la Requette presentée par M. Jean de Hertenval Prêtre Curé d' Ortho, Doyen & Official de la Chretienneté de Bastogne: contenante, que desirant faire publier & observer le mandement du 5. Avril dernier du Reverendissime Evêque & Prince de Liege joint à laditte Requete, il plaise au Conseil luy accorder le Placet en tel cas requis & accoutumè; ledit mandement portant que les Dedicaces de toutes les Eglises dans l' étendue de laditte Chretienneté de Bastogne se celebreront à un mesme jour; scavoir le jour de Dimanche pendant l' Octave de S. Lambert, sans estre differè sous quel pretexte que ce soit, à telle peine que sera arbitrée par l' Archidiacre d' Ardenne, ordonnant audit Doyen & Official de Bastogne de faire publier par sont District ledit mandement, & aux Curés & leurs Paroissiens de s' y conformer, & aux Fiscaux de Liege de proceder contre les contrevenans avec touts les rigueurs: Laditte Requete & mandement communiqué au Procureur General du Roy par Decret du 18. May dernier, ensemble ses Conclusions sur ce données. Vû en outre les Ordonnances de l' Empereur Charles Quint du 7. Octobre 1535. *& de Philippe II. Roy de Espagne du 22. Juin* 1589. *reproduites de office. La Cour disposant sur les conclusions du Procureur General du Roy, Ordonne, conformement auxdites Ordonnances, que toutes les Festes, Dedicaces our Kirmes des Villages ou Paroisses Champestres par tous les Doyaux de Bastogne se tiendrons le Dimanche pendant l' Octave de S. Lambert, & qu' elles ne dureront qu' au seul jour, à peine de vingt livres d' amende à four faire, par ceux & un chacun qui en autre temps ou plus que le dit jour celebreront laditte Feste ou s'y trouverent, pour tant de fois qu'il adviendra. Et permet que la declaration de l' Eveque de Liege du 5. Avril dernier sera publiée & affichée pour etre executée, seulement à l' egard des translations des Dedicaces des Eglises dudit Doyaume. Bien entendu que les clauses inserées* (sub pœna arbitrio utriusque respectivè Officialis Venerabilis Nobilis sincerè Nobis dilecti Joannis Ernesti Baronis de Surlet, Arduennæ Archidiaconi, Domini Temporalis d' Odeur, Velroux, Lexby, &c. infligenda, & in pios usus convertenda, seriò injungentes utrique Decano Bastoniensi, & Stabulensi, ut in suo quilibet districtu, has nostras præsentes Ordinationis & mandati litteras, debitè & ubique promulgari faciant. Pastoribus verò, & eorum subditis, ut eisdem sese omninò conforment. Demum Fiscis, ut in omnes & singulos contravenientes diligenter inquirant, & contra eosdem cum omni rigore procedant. Quoniam talis est seria Nostra voluntas.) *N' auront aucun effect en ce Pais: mais que les contrevenans seront poursuivis pardevant les Juges de ce pays comme il convient. Mandant au premier Huissier sur ce requis de signifier & mettre ses presentes en dûe execution prononcé à Luxembourg le* 30. *Juillet* 1692. *signé L. F. Le Maitre. Et y étoit imprimé le Contrescel dudit Conseil.*

(1) *At Concilium Cæsar-Augustanum* cap. 3. *statuit*: »*Consecrationes Ecclesiarum factas ab hæretico iterandas esse à »Catholico.*«

IV. Hâc disciplinâ stabilitâ, quæsitum fuit ab Innocentio III. num » ligneis ædificiis Ecclesiæ casu consumptis, parie» tibus tamen illæsis, ac mensâ principalis Altaris in sua extre» mitate modicam passâ fracturam, si propter hoc ipsius Alta» ris, vel etiam totius Ecclesiæ debet consecratio innovari?" Respondit Pontifex in *Cap.* 6. ✠ *de Consecrat. Eccl.* » Quòd » cùm *parietes* in sua integritate permanserint, & tabula Alta» ris mota vel enormiter læsa non fuerit, ob causam prædictam, » nec Ecclesia, nec Altare debet denuò consecrari."

V. Ratio hujus responsi fuit, quòd *parietes* præcipuam Ecclesiæ materialis partem, & ipsius quasi exteriorem formam constituant. Hinc ipsi parietes, præ reliquis fabricæ partibus, crucibus signantur & inunguntur, atque asperguntur. Itaque his manentibus illæsis, licèt aliæ nonnullæ partes destructæ aut absumptæ sint, censetur manere moraliter eadem Ecclesia.

VI. Quemadmodum ergo manet moraliter eadem Ecclesia, etiamsi per partes subinde fuerit reparata; idque tam frequenter, & in tam multis partibus, ut reverà totum tandem ædificium constet per partes renovatum, tamen si semper manserit idem ædificium, non erit denuò consecranda; uti post alios latè deducit Barbosa de Officio Episcopi *Alleg.* 37.

VII. Verùm sicuti Baptismus denuò reiterari potest, si dubitetur, an validè collatus fuerit, ita quoque Consecratio Ecclesiæ reiteranda est, si de ea dubitetur. *Can.* 18. *Dist.* 1. *de Consecrat.* ubi sub nomine Concilii Meldensis refertur: » Ec» clesia vel Altaria quæ *ambigua* sunt de consecratione, conse» crentur, & superflua Altaria destruantur.

Hic Canon extat *lib.* 1. *Capitularium*, *cap.* 145. demptis ultimis verbis *de destruendis altaribus superfluis* atque hinc primitùs Canonem desumptum esse, non autem ex Concilio Meldensi, in quo non reperitur, notat Stephanus Baluzius in notis ad Gratianum, unà erroris fontem indicans.

Hinc equidem apparet, tempore Capitularium, id est, seculo IX. hanc disciplinam de reiteratione consecrationis in casu dubio, notam fuisse.

VIII. Seculo XI. dubitatum fuisse, an quando Altare motum est, aut destructum, debeat ipsa Ecclesia de novo consecrari; illudque tanquam dubium sibi à quodam Abbate propositum fuisse, significat S. Anselmus *lib.* 3. *epistol.* 159. » De » quo quidem neque in Decretis, neque in Canonibus (ait) me» mini me aliquid legisse: sed à quodam Episcopo audivi, quòd » in decretis Eugenii Papæ legitur, Altare motum iterum con» secratum. De his enim Domino Papæ Urbano locutus sum, » assistentibus quibusdad Episcopis. Sed Papa dicebat, mensam » Altaris motam, nec reconciliandam, nec iterum consecran» dam, nec ampliùs in Altare reputandam. Alii verò dicebant, » tantùm reconciliandam, nullam tamen auctoritatem ostenden» tes. In hoc tamen omnes concordant, quòd violato principa» li, tota Ecclesia cum altari iterum consecranda est: nec Ec» clesia consecranda est sine consecratione altaris, aut princi» palis, aut alicujus alterius in eadem Ecclesia. In his autem » omnes concordant cum quibus locutus sum, exceptâ altaris » mensâ. Item si aliqua pars Ecclesiæ destructa reficitur, aut ita » fit altari immoto, aquâ tantùm ob Episcopo benedictâ, as» pergendam dicunt."

Posthæc subjicit: » Ratio autem, quam à me quæsivisti, » hæc mihi videtur super his: altare non propter Ecclesiam, sed » Ecclesia propter altare, & ideò violato principali altari, jam » non videtur esse Ecclesia: quia non est illud propter quod » Ecclesia constituitur & consecratur. Quapropter cum illud » sit novum, rectè videtur cum eo consecrari, per quod re» cipit, ut sit Ecclesia."

IX. Quod hîc Anselmus dicit de decretis *Urbani* intelligi debet de decreto, quod sub nomine Hygini Papæ extat apud Gratianum *Dist.* 1. *de Consecrat. Can.* 16. quod ita habet: » Si » motum fuerit altare, denuò consecretur Ecclesia: si parietes » mutantur, & non altare, salibus tantùm exorcizetur." Simile quid refertur sub nomine Vigilii Papæ in *Can.* 24. *ead. Dist.*

Præcitatum decretum Hygino Papæ, qui seculo II. sedit, adscribi non posse Eruditis hodie sat persuasum est. Quin & observat Joannes Baptista Thier in sua *Dissertatione de principalibus Ecclesiarum altaribus*, *cap.* 2. sat verisimile esse, nullam specialem consecrationem altaribus ante seculum V. fuisse impensam; sed quod solo attactu Corporis, & sanguinis Domini consecrata reputarentur, juxta illud Chrysostomi Homilia 20. in epistolam 2. ad Corinth. *Hoc altare natura quidem lapis est, sanctum autem efficitur postquam Corpus Christi excepit.*

Quidquid sit, hoc constat, seculo XI. sententiam ab Anselmo relatam communiter fuisse receptam, idque auctoritate dicti Canonis Hygino adscripti. Unde eodem tempore S. Ivo Carnotensis consultus super eodem dubio, rescribit in eandem sententiam, idque eodem adducto Canone, quem etiam ipse tanquam ex Decretis Hygini Papæ desumptum retulit *part.* 3. *sui Decreti*, *cap.* 13.

X. At circa finem seculi XII. hæc disciplina mutari cœpit, uti constat ex Decretali Alexandri III. in *cap.* 1. ✠ *de Consecrat. Ecclesiæ*, ubi scribit: » Si altare motum fuerit, Eccle» sia propter hoc nequaquam suam *consuevit* consecrationem » iterare."

Quæ verba ostendunt, Pontificem hîc nullum novum jus induxisse; sed respondisse juxta id quod suo tempore consueverat observari.

Addens autem Pontifex: *licèt id quidam Canones innuere videantur*, scilicet altari moto Ecclesiam esse reconsecrandam, indubiè respexit ad relatos Canones apud Gratianum; qui sat apertè significant reconsecrationem esse faciendam: sed cùm hæc sint tantum disciplinæ, & ceremonialia, facilè mutari potuerunt: quare juxta Decretalem Alexandri III. hodie receptum est, ob motionem Altaris, Ecclesiam non esse denuò consecrandam.

XI. Considerârunt enim recentiores, consecrationem altaris planè separatam esse à consecratione Ecclesiæ; neque hanc ab illa ullatenus dependere: ut proinde nec Sancti Anselmi, nec Ivonis ratiocinatio fundata sit, utpote pro fundamento supponens, hanc à priori dependere.

Altarium enim consecratio planè diversa est, etiam quoad ritus à consecratione Ecclesiæ, extatque distincta in Pontificali Romano; ubi quoque præscribitur ritus consecrationis altaris *portatilis*, cujus usus circa seculum VIII. invaluit; & quo hodie passim utuntur pro Missarum celebratione in locis etiam non consecratis aut benedictis; uti supra notatum est *tit.* 5. *cap.* 8. *num.* 10.

XII. Quemadmodum templum spirituale per crimen profanatum non potest quidem per Baptismum reconsecrari, sed tantùm reconciliari debet per aquas pœnitentiæ; ita & templum materiale profanatum seu violatum, non quidem solemni ritu consecrandum est, sed tamen reconciliandum, idque reconciliatione, quæ reconciliationi templi spiritualis per pœnitentiam respondeat.

XIII. Contingit Ecclesiam pollui variis modis, ac imprimis per sanguinis humani effusionem in eo factam; de qua in *Cap.* 4. & *Cap. fin.* ✠ *de Consecrat. Eccles.* item in *Cap. Unico*, *eodem*, *in* VI. in quibus simpliciter dicitur, *sanguinis effusione Ecclesiam violari*, sed id indubiè de injuriosa & voluntaria effusione intelligi debet; quemadmodum Doctores uno consensu docent; & communis praxis observat. Unde Synodus Coloniensis anno 1536. *parte* 9. *cap.* 7. ait: » Reconciliatur Ecclesia, aut » cœmeterium ob enormem sanguinis effusionem, *dedita* ope» ra *violenter*, & *injuriose* commissam."

XIV. Cùm ergo non ipsa materialis sanguinis effusio ipsam Ecclesiæ pollutionem, seu profanationem præcipuè inducat, sed ipsum crimen, quod in sanguis effusione perpetratur; consequens est, ipsam Ecclesiam ex mente Canonum non pollui, tametsi etiam copiosus sanguis fluat, si tamen percusio levis fuerit; ut si v. gr. pueri in rixa alter alterum percutiat, & ex naribus copiosus sanguis effluat, uti post alios citatos notat Barbosa de Officio Episcopi *Allegat.* 28. *num.* 36. Si tamen (ait) sanguis exiret de naso ex percussione violenta inter majores 14. annorum, Ecclesiam pollui, resolvit, judicatumque refert Marianus Anton. *lib.* 1. *Variarum Resol.* 112. *casu* 6. Ita Barbosa; quod indubiè intelligi debet, si ex modo percussionis, aliisque circumstantiis sat appareat, percussionem hanc gravem fuisse & enormem.

XV. Quia tamen ipsæ Decretales loquentes de pollutione ob vulnus inflictum, specialiter meminerunt effusionis sanguinis, videntur ipsam pollutionem in *effusionem* sanguinis refundere: unde & communiter receptum est, ex percussione quantumvis gravi & enormi facta in Ecclesia, eam non pollui, si nulla secuta sit sanguinis *effusio*, uti post alios resolvit Barbosa loco citato *num.* 35. quin etsi modicum sanguinis effundatur, nequaquam censebitur polluta. Ipsum enim verbum, *effusio*, videtur sanguinis abundantiam, & copiosam fluxum denotare, Barbosa ibid. *num* 35.

XVI. Si tamen circa sanguinis effusionem ex vulnere in Ecclesia inflicto sequatur mors vulnerati, indubiè ipsa Ecclesia censebitur polluta *Cap.* 4. ✠ *de Consecrat. Ecclesiæ*; ubi simpliciter propter homicidia in Ecclesia contingentia Ecclesiam reconciliandam esse respondit Pontifex.

XVII. Ubi autem vulnus inflictum esset extra Ecclesiam, & vulneratus moreretur intra Ecclesiam, non pollui ob eam mortem ipsam Ecclesiam, resolvit Barbosa *ibidem*, *num.* 23. quia ipsum homicidium, cui ipsa pollutio adscribitur, non contingit in Ecclesia. Unde è contrario si vulnus lethale inflictum sit in Ecclesia, & mors sequatur extra Ecclesiam, polluta censebitur Ecclesia.

XVIII. Polluta autem Ecclesia, cœmeterium, si ei fuerit contiguum, censebitur quoque pollutum; secùs si remotum fuerit ab eadem.

At è converso polluto cœmeterio non censetur propterea polluta Ecclesia, tametsi contigua, *Cap. Unico*, *de Consecra-*

tione Ecclesiæ, in VI. ubi unà declaratur, quòd, si duo sint cœmeteria, quæ pariete medio sibi junguntur, uno polluto, aliud pollutum censeri non debeat.

XIX. Effectus pollutionis est, quòd in Ecclesia polluta ante reconciliationem divina officia, præsertim Missarum solemnia, celebrari nequeant, *Cap. fin.* ✠ *de Consecrat. Ecclesiæ, Cap.* 11. ✠ *de Privilegiis*, & *Cap.* 18. *de Sentent. Excomunic. in* VI. ubi Bonifacius VIII. respondet, quòd is, qui in Ecclesia polluta scienter celebrare præsumit, *temerariè* agat; sed tamen irregularis non efficiatur; *cùm id* (ait) *non sit expressum in jure.*

XX. Reconciliatio Ecclesiæ, uti & cœmeterii fit mediante aqua cum vino & cinere per Episcopum benedicta. Quamvis enim aqua tam pro administratione Baptismi, quàm piacularis pro benedictione populi à Presbyteris benedicatur; tamen hæc aqua, quæ cum cinere miscetur pro reconciliatione Ecclesiæ, tantùm per Episcopum benedicitur, unde & ad distinctionem alteriùs aquæ vocatur hæc, *aqua consecrata.*

XXI. Porrò sicuti aqua hæc à solo Episcopo benedicenda est, ita & Ecclesiæ reconciliatio, juxta responsum Gregorii IX. in *Cap* 9. ✠ *de Consecrat. Ecclesiæ*, non nisi per Episcopum fieri potest; eamque per simplices Sacerdotes fieri, etiam ex delegatione Episcopi prohibet Gregorius, non obstante consuetudine Ecclesiæ Braccarensis, *quæ* (ait) *dicenda est potiùs corruptela.*

Rationem allegat Pontifex: »Quia licèt Episcopus com»mittere valeat quæ jurisdictionis existunt; quæ ordinis tamen »Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis deman»dare. Quod autem mandantibus Episcopis super reconcilia»tione factum est hactenus per eosdem, misericosditer to»leramus.«

Ex hoc textu uno consensu concludunt Canonistæ Episcopum non posse simplici Sacerdoti, sive *non Episcopo* committere reconciliationem Ecclesiæ antea consecratæ; tametsi aqua ab ipso esset benedicta.

XXII. Dicit tamen Innocentius in Comentario ad textum, »se ante audivisse Papam pluribus Episcopis indulsisse, ut per »simplices Sacerdotes possent reconciliare Ecclesias, aquâ ta»men priùs per Episcopum benedictâ.« Ita ex Innocentio refert Fagnanus ad *Cap.* AQUA, *de Consecrat. Ecclesiæ, num.* 6.

An Episcopis Belgii simile à Pontifice privilegium datum sit, nescio: hoc equidem scio, ipsos reconciliationem Ecclesiæ etiam consecratæ, Præsbytero subinde delegare, aqua ab Episcopo priùs benedictâ. Inter facultates à Sede Apostolica datas Vicario Apostolico Silvæducensi legitur *num.* 23. facultas »re»conciliandi Ecclesias pollutas aquâ ab Episcopo benedicta, & »in casu necessitatis, etiam aquâ non benedictâ ab Episcopo.« Habentur hæ facultates ad calcem Synodorum Silvæducensium, *edit.* ann. 1692.

XXIII. Quòd de jure hæc reconciliatio privativè Episcopo tribuatur, inde factum videtur, quòd hæc publica, & solemnis templi materialis reconciliatio figura videatur solemnis ac publicæ reconciliationis animæ per peccatum pollutæ; consequenter etiam ad exemplum solemnis reconciliationis Pœnitentium, hanc reconciliationem Episcopo reservandam fore visum fuit. Quo autem in casu delegationis aqua debeat esse ab Episcopo benedicta, ostendit auctoritatem Episcopalem etiam hîc aliquo modo debere intervenire.

XXIV. Ad idem referendum, quòd sicut in publica ac solemni Pœnitentia & Pœnitentium reconciliatione *cinerum* usus fuit; ita & hîc cineres cum aqua misceantur.

Similiter aspersorium de herba *hyssopi* factum, quo aqua benedicta aspergenda est, quid illud, quàm Pœnitentium reconciliationem exprimit; juxta illud Psalmistæ: *Asperges me hyssopo & mundabor*? Psalm. 50.

XXV. Et sane per reconciliationem hanc, figurari reconciliationem peccatoris jam pridem adverterunt Theologi, uti notat antiquus Glosographus ad *Cap. Unicum, de Consecrat. Ecclesiæ, in* VI. verbo *Pollui*: »Dicunt enim (ait) Theologi, quòd »ideò reconciliatur Ecclesia, ut videntes Laici Ecclesiam sic »lavari, quæ non peccavit, cogitent intra se quantum pro la»vatione peccatorum laborandum sit.«

Synodus Coloniensis anno 1536. *parte* 9. agens de consecratione, & reconciliatione Ecclesiarum, ostendit *cap.* 17. »Lo»cum sacrum reconciliari ad exemplum, & terrorem, ut vi»dentes locum sacrum seu inanimatum templum nullo pecca»to obnoxium, lavari & purificari, delicti horrore concutian»tur, & recogitent, quantum pro expiatione delictorum, & »vivo DEI templo sit elaborandum.«

XXVI. Sicuti solemnis pœnitentiæ, & reconciliationis usus est duntaxat in peccatore publico, & quidem qui antea per Baptismum Deo fuerat consecratus; ita solemnis reconciliatio hæc non impenditur, nisi pollutio sit *publica*, uti rectè monet Synodus Coloniensis *parte citatâ, cap.* 18. uti nec illa requiritur, si Ecclesia antea non fuerit solemniter consecrata. Si enim dumtaxat fuerit benedicta, tantùm aquâ *exorcizatâ* seu benedictâ lavanda erit, *Cap. fin.* ✠ *de Consecrat. Eccles.* idque etiam per simplicem Presbyterum, uti post Glossam ad hoc Capitulum communiter docent Doctores, & communis praxis suffragatur.

CAPUT V.

De Reparandis Ecclesiis.

1 *Jam pridem proventus ecclesiastici in reparationem Ecclesiarum impensi.*
2 *Redditibus ecclesiasticis in quatuor portiones divisis, una cedebat in reparationem fabricæ.*
3 *In Hispania tertia pars cedebat.*
4 *Quomodo bona fabricæ hodie in reparationem Ecclesiarum cedere debeant.*
5 *Decimis onus reparandi Ecclesias qua ratione incumbat.*
6 *Beneficiati ad reparationem jam pridem fuere adstricti.*
7 *Hæc Beneficiatorum obligatio auctoritate Canonum adstruitur.*
8 *Eam declarat Synodus Tridentina; item Edictum Principum Belgii.*
9 *Quomodo jura Beneficiatos ad reparationem constringant.*
10 *Parochus habens simplicem competentiam ad reparationem non tenetur.*
11 *Decimatores licèt non sint Beneficiati, ad reparationem tenentur.*
12 *Quid de hac Decimatorum obligatione statuant Synodi Belgicæ.*
13 *Edictum Principum ad reparationem vocat ipsos Decimatores.*
14 *Pro qua parte Decimatores ad reparationem teneantur ex Edicto Principum.*
15 *Quæ decimarum portio in Gallia pro reparatione adjudicari soleat.*
16 *Portio decimarum in reparationem impendenda intelligitur deducto omni alio onere.*
17 *Onus reparationis Decimatoribus aut Incolis incumbens, solet tantùm concernere Ecclesiam Parochialem.*
18 *Onus reparandi Capellam ordinariè Parochianis aut Decimatoribus non incumbit.*
19 *Interdum tamen obligantur.*
20 *Onus reparandi Ecclesiam* necessarias *reparationes spectat.*
21 *Forma reparationis arbitrio judicis determinanda; & quæ à judice attendenda.*
22 *Reparatio institui non potest, nisi vocatis* quorum intereret, *coram quibus & Æditui computum reddere debent.*
23 *Interdum Incolæ pro reparatione contribuere debent, sed sine auctoritate judicis secularis hîc cogi non possunt.*
24 *Populo ad reparationem adstricto, qui teneantur, & quomodo onus imponendum.*
25 *Particularis loci consuetudo, & concordatum juri communi & generalibus Patriæ regulis in hac materia præferuntur.*
26 *Reparatio* Navis *Incolis, & reparatio* Chori *Decimatoribus multis in locis incumbit.*
27 *Quid* Navis *nomine veniat.*
28 *An Decimatores ad reparationem* turris *teneantur.*
29 *Cui Campanarum restauratio incumbat.*
30 *Decimatores solent teneri ad Ornamentorum subministrationem.*
31 *Qualia administranda Ornamenta.*
32 *Ornamenta pretiosa cur magis Parochialibus, quam Monachalibus Ecclesiis conveniant.*
33 *Quis sit judex competens in materia reparationis Ecclesiarum.*

I. NOn tantùm jam pridem soliciti fuêre Patres, ut templa ædificarentur; sed etiam ut ædificata sacra tecta conservarentur.

Hunc in finem certam partem proventuum ecclesiasticorum in reparationem fabricæ reservabant.

»De oblationibus vel agris, quos Dominus noster Rex Ec»clesiis suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non ha»bentibus Deo sibi inspirante, contulerit, ipsorum agrorum vel »Clericorum immunitate concessa, id esse justissimum defini»mus, ut in *reparationibus* Ecclesiarum, alimoniis Sacerdotum, »& pauperum refectione, vel redemptionibus captivorum, »quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur, »& Clerici in adjutorium Ecclesiastici operis constringantur.« Ita Synodus Aurelianensis I. Anno 1011. Can. 5.

II. Divisio reddituum ecclesiasticorum in quatuor portiones, quarum una *Fabricis* Ecclesiæ impendenda erat, adeò stabilita erat seculo sexto, ut ad Augustinum Anglorum Episcopum scribat S. Gregorius: »Mos est Apostolicæ Sedis, Ordi»natis Episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio, »quod accedit, *quatuor* fieri debeant portiones, una videlicet »Epis-

» Episcopo, & familiæ ejus propter hospitalitatem, & susceptionem, alia Clero, tertia pauperibus, quarta Ecclesiis *reparandis*." Apud Gratian. *Caus.* 12. *q.* 2. *Can.* 30. ubi & plures Canones hanc divisionem stabilientes occurrunt.

Hoc autem notandum, quòd illa portio, quæ in citato Canone dicitur impendenda Ecclesiis *reparandis*, eadem sit, quæ in aliis Canonibus dicitur cedere *Fabricis*: eò quòd Fabricæ impendi, nihil aliud sit, quàm Fabricæ intertentioni & reparationi impendi.

III. In Hispania olim moris fuisse apparet, ut tertia pars proventuum Fabricis cederet; eaque à restaurandis seu reparandis Ecclesiis ex Episcopi ordinatione impendi debebat ex Canonum præscripto.

Et quidem Concilium Tarraconense anno 526. *Can.* VIII. ait: » Decernimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & » annuis vicibus ab Episcopo Diœceses visitentur, &, si qua » fortè Basilica fuerit reperta destituta, *ordinatione* ejus *repara*» *ri* præcipiatur: quia *tertia* pars ex omnibus per *antiquam* tra» ditionem, ut accipiatur ab Episcopis, novimus esse statu» tum." Gratianus *Caus.* 10. *q.* 1. *Can.* 10.

Fixum igitur & indubitatum est, aliquam partem proventuum ecclesiasticorum jam pridem Fabricis Ecclesiarum fuisse destinatam; atque eandem reparandis Ecclesiis ex Episcoporum ordinatione impendendam fuisse.

IV. Quamvis hodie non fiat ea redditiuum ecclesiasticorum divisio in partes, quarum tertia, aut quarta cedat Fabricæ; tamen si quæ pro Fabrica specialiter sunt deputata, ex antiqua disciplina, & hodie in reparationem Ecclesiarum impendenda sunt. Hinc, ait Peckius, in tractatu suo *de Reparandis Ecclesiis*, *cap.* 14. » Omnes in eo conveniunt Interpretes ad *Cap.* 1. » ℵ *de Ædificandis Eccles.* quòd cessante consuetudine, sta» tuto, seu dispositione speciali, reparatio Ecclesiæ ex ea por» tione, quæ à jure ad Fabricam deputata est, fieri debeat."

Unde & Edicto Principum nostrorum super reparatione Ecclesiarum evulgato 2. Octobris 1613. cavetur, quòd imprimis cessantibus specialibus tractatibus, aut conventionibus super reparatione facienda inter aliquos initis, proventus *Fabricæ* impendentur, tam in novam ædificiorum constructionem, quàm antiquorum reparationem. Habetur Edictum *lib.* 2. *Edictorum Flandriæ*, *pag.* 37.

V. Quòd autem quarta, aut tertia pars etiam decimarum olim fabricæ deputaretur, æquum erat; quia uti rectè post Rebuffum in tractatu *de decimis*, *quæst.* 2. *num.* 4. monet Peckius ibid. *num.* 2. decimæ non tantùm sunt institutæ pro victu Ministrorum Ecclesiæ, aut propter pauperum & hospitium receptionem, aut Sacrificiorum oblationem, sed etiam propter *Fabricæ* Ecclesiæ constructionem & tuitionem.

Deindè subjicit Peckius: » Et quamvis hodiè distributio illa » antiqui juris, in omnibus non servetur; illud tamen & jure, & » consuetudine receptum est, ut hoc onus prædictis redditibus, » proventibus, & decimis annexum, eum sequatur, qui eorum » usum, fruitionem, perceptionem, & commoditatem habet.... » utique proventus, redditus, & decimæ ejusmodi, cum onere » reparationis, ad eum, qui percipit & fruitur, transire de» bent. Quod ex *Can.* PRISCIS, & *Can.* UNIO, *Caus.* 10. *q.* 3. » satis confirmatur, ubi si Episcopus portiones Parochiarum » percipiat, ad Ecclesiæ reparationem obligatur."

VI. Unde & jam pridem cautum fuit, ut » quicunque ec» clesiasticum Beneficium habent, omninò adjuvent ad tecta Ec» clesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas." Ita ex Concilio Moguntino anni 813. Refertur in *Cap.* 1. ℵ *de Ecclesiis ædificandis*; & eodem tempore in quodam Capitulari Caroli M. *cap.* 24. confirmatum legitur. Habetur *tomo* 7. *Concil. Generalium*, *col.* 1289.

Concilium quidem Moguntinum, uti & hoc Capitulare de Clericis, aut Beneficiis Ecclesiasticis hîc non loquuntur; sed de Laicis qui decimas aliave bona Ecclesiæ jure *feudi*, seu *Beneficii* tenebant; uti rectè notavit, & ostendit Gonzalez in notis ad edictum *Cap.* 1. & non obscurè innuit totus contextus Canonis Concilii Moguntini, uti refertur in prima Decretalium Collectione apud Antonium Augustinum, ubi adduntur hæc verba (à Raymundo Decretalium Gregorii IX. collectore omissa) *& nonam decimam reddant*; quæ nonnisi ad Laicos decimas, & bona ab Ecclesia jure feudi tenentes referri possunt.

VII. Interim ex hac Decretali concludunt omnes passim Interpretes, habentes Beneficium in Ecclesia, teneri ad ejus reparationem; quæ conclusio, quamvis ex citato Canone Moguntino, prout primitùs editus fuit, deduci non posset, nihilominus aliis Canonibus, & naturali rationi consonat.

Canones enim passim ipsos Ecclesiæ Beneficiarios ad restaurationem ipsius Ecclesiæ obstrictos declarant; rationi justitiæque consonum judicantes, eos, qui redditus ac proventus Ecclesiæ percipiunt, ad earum quoque restaurationem teneri.

» De destructis Ecclesiis, ut ab eis, qui eas possident, re» ædificentur; & si non sufficiant, à populo adjuventur: ait Sy» nodus Romana sub Eugenio II. *Can. XXV.*«

Et generaliter Synodus Tullensis *parte* 2. *Can. XI.* » Ut » Ecclesiæ sarciantur, vel restaurentur ab iis, qui rebus earum » utuntur, aut ab unoquoque tale ex earum familia præbeatur » adjutorium, per quod, si fieri potest, reædificentur."

VIII. His conformis est dispositio Concilii Tridentini *Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reformat.* qua decernitur, Episcopi » Ec» clesias Parochiales collapsas restaurari procurent ex fructibus, » & proventibus quibuscunque ad easdem Ecclesias quomodo» cunque pertinentibus: Qui si non fuerint sufficientes (ait) om» nes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis » provenientes percipiunt....ad prædicta cogant."

Edictum quoque Principum nostrorum ante citatum expressè vult, ut contribuant ad reparationem Ecclesiarum, qui Beneficia in iis Ecclesiis possident; idque ait, *juxta juris communis dispositionem.*

IX. Jus Commune Beneficiatos ad Ecclesiarum restaurationem adstringit, inspecta ipsa fructuum portione, quam ab Ecclesia percipiunt: » Æquum enim est (ait Peckius *cap.* 20.) » eum, qui lucrum sentit, onus quoque sentire."

Adhæc jus commune ea conditione Beneficiatos ad restaurationem Ecclesiæ obligat, *si eis supersit*; quemadmodum respondit Alexander III. in *cap.* 4. ℵ *de Ecclesiis ædificandis*: » De his, qui Parochiales Ecclesias habent, duximus respon» dendum, quòd ad reparationem, & institutionem Ecclesia» rum cogi debent, cùm opus fuerit, de bonis, quæ sunt ip» sius Ecclesiæ, *si eis supersint*, conferre, ut eorum exemplo » cæteri invitentur."

X. Hinc communiter concluditur, & in praxi servatur, quòd Parochi, qui nullas decimas habent, sed sola pastorali competentiâ contenti sunt, ad Ecclesiarum reparationem non teneantur, eò quòd nihil eis ex bonis Ecclesiæ superesse credeatur; quandoquidem *competentia* honestæ Parochi sustentationi commensurata supponatur.

XI. Sed quia Beneficiati ad reparationem Ecclesiarum vocantur ratione proventuum, quos ab Ecclesia recipiunt, hinc Monasteria, Capitula, & alii, ad quos decimæ & proventus Ecclesiarum sunt devoluta, quamvis Beneficia Ecclesiastica verè non habeant in iis Ecclesiis, ad earum tamen restaurationem ratione perceptionis dictorum proventuum vocantur.

Synodus habita circa annum 1279. ab Archiepiscopo Rothomagensi ejusque Suffraganeis apud Pontem Audomari *cap.* 8. ait: » Statuimus etiam ut Abbates, Priores, & aliæ Ecclesias» ticæ personæ, quæ percipiunt *majores decimas* in Parochiali» bus Ecclesiis, compellantur ad *restaurandam* Fabricam, li» bros, & ornamenta, pro *rata*, quam percipiunt in eisdem."

XII. Synodus P. I. Cameracensis titulo *de Decimis*, *cap.* 8. vult, ut » in Ecclesiis, quarum instaturari, ac refici Chorus eo» rum sumptu debet, qui decimas capiunt, omnes Ecclesiasti» tici, qui easdem decimas obtinent, etiamsi patroni non sint, » ex proportione decimarum, quas recipiunt, pro sua quisque » proportione conferat; sivé instaurari tantum iidem Chori de» beant, sive de integro ædificari."

Hoc Decretum quoad concurrentiam in reparatione Ecclesiarum omnium generatim decimatorum servatâ proportione perceptionis, renovatum rursus fuit in Synodo P. II. *titulo* 24. *cap.* 12. additque: » prædictum Decretum ad omnes infra li» mites Parochiæ decimas possidentes, prout juris est & ratio» nis, extendatur; ubi nimirum integri Chori reparatio ad » eos, qui decimas possident, pertinet.

XIII. Similiter Edictum Principum nostrorum vult, ut proventibus Fabricæ, & iis, quæ in eum finem per Ædituos in Ecclesiis Rusticanis sub Officio Divino colliguntur, aut in gazophilacium ad id in templo positum à Fidelibus conjecta sunt, haud sufficientibus, subsidium sumatur ab omnibus decimis in manu mortua existentibus, sive liberis ad naturam primigeniam reversis, sive adhuc feudali, vel alio nexu adstrictis, sive in manu Laicali adhuc existentibus, quæ tamen doceri possint ab Ecclesia esse profectæ post Concilium magnum Lateranense sub Alexandro III. anno 1179. celebratum.

In Gallia quoque Decimatores ad reparationem, et instaurationem Ecclesiarum condemnantur, quemadmodum videri potest apud Brodeum in notis ad Leuetium *Litt. R. num.* 50. & novissimè ostendit Michaël Du Perray Advocatus in Parlamento Parisiensi in tractatu de *Portionibus congruis* &c. *parte* 2. *cap.* 28.

XIV. Verùm sicuti olim non nisi tertia, aut quarta proventuum ecclesiasticorum pars solebat cedere Fabricæ; ita & hodie solet ea moderatio circa decimatores servari, ut nonnisi certam portionem decimarum contribuere teneantur; ne aliàs contingat ob Ecclesiarum ruinas, ipsos decimarum possessores subitò, & inopinatò ad egestatem deduci.

Et quidem sæpiùs citatum Edictum nostrum, decimas in subsidium accipi vult ea moderatione, ut per annos sex triens illarum contributioni subjiciatur, sive integræ decimæ duorum annorum in restaurationem Ecclesiæ cedant spatio sex annorum, id est, singulis annis *triens* omnium decimarum: verba Edicti Gal-

Gallicè ita habent: *Requerant, y ètre par eux employé le revenu èntier de deux annees, à payer en six annees egalement; scavoir à chacune des six annees un tierce du revenu annuel*, id est: Requirentes, ut ad eum finem quolibet sexennio per eos æqualiter impendantur redditus duorum annorum, videlicet tertia annui redditus pars, in singulos sexennii annos adæquata.

Nequaquam obscurum est, quòd *æqualitas*, quam servatam vult Edictum, non sit referenda ad æqualitatem portionum annuarum, quas ex decimis varii Decimatores habent inter se; sed ad æqualitatem *trientis* in singulos annos ex decimis in reparationem Ecclesiarum impendendi; hoc est, ut singulis annis habeatur triens omnium decimarum, quæ iis annis colliguntur, ut rectè notavit Zypæus in Jure novo *tit. de Ecclesiis ædificandis*, *num.* 9.

XV. In Gallia quoque in hac contributione circa decimas solet plerumque ea servari moderatio, ut nonisi tertia pars adjudicetur; quemadmodum in summis Galliarum Prætoriis sedulò observari ex Joanne Papone, & Guillelmo Benedicto refert Peckius *cap.* 14. & affirmat Joannes Tournetius in sua Arrestorum collectione *lit. R. cap.* 14. ita sæpiùs judicatum; ac signanter 18. Decembris 1616. infirmatâ sententiâ, quâ incolis adjudicata fuerat *medietas* decimarum impendenda in reparationem Ecclesiæ.

XVI. Hæc autem decimarum portio intelligi debet deducto omni alio onere, uti ibidem Tournetius. Et Zypæus loco citato agens de triente decimarum per Edictum contributioni subjecto, ait *num.* 6. » Defalcanda autem est canonica portio, quæ » Pastori ex decimis solvitur, similiaque onera, atque ex re» siduo tantùm *triens* in Ecclesia reparationem exigi potest: Pro» ventus enim, bona, & fructus censentur ii, qui deductis » oneribus supersunt. «

Testatur idem Zypæus Consult. 2. De *Ecclesiis ædificandis*, *num.* 27. declarâsse aliquando S. Congregationem sub his fructibus reparandæ Ecclesiæ ibi affectis, non comprehendi, quæ Parocho pro victu sunt necessaria.

XVII. Sicuti competentia Pastoralis ex decimis assignanda propriè & primariò tantùm concernit Parochum, & Parochiam, atque ita in ejus determinatione hoc providendum, ut illud assignetur, quod *Rectoris*, *ac Parochiæ necessitati decenter sufficiat*, ut loquitur Synodus Trident. *sess.* 24. *cap* 13. *de Reformat.* ita quoque onus reparationis Decimatoribus injectum, tantùm concernit Ecclesiam ipsam Parochialem, sive eam, in qua de jure Parochiali divinum officium audire, & Sacramenta suscipere tenentur; quia ait Wamesius Consilio Canonico 511. *num.* 8. ut decima jure communi pertinet ad Parochum, *cap.* CUM CONTINGAT ✠ *de Decimis*: ita soli Parochiali Ecclesia deservire debet, non Capellis, veluti inde deductis coloniis.

XVIII. Similiter Peckius *in citato tractatu*, *cap.* 24. inquirens, qui teneantur ad reparationem Capellæ, rectè advertit, quòd Rustici, ad quorum commoditatem Capella fundata est, se queant ab onere eam reparandi eximere, si velint usu illius carere, & ad Ecclesim Parochialem potiùs accedere, quàm Capellæ reparandæ impensas ferre. » Licèt enim Parochiani, ut » Ecclesiæ Parochialis refectionem evitent, illi renuntiare, & » in Parochia nihilominus manere non possunt, in Capella ta» men alio jure utendum videtur: quia Parochiani ab ea rece» dentes, ad matrem suam redeunt, primævum suum statum, » vel veterem conditionem reassumunt, nullique planè in suo » jure præjudicant, aut detrimentum adferunt. «

Post hæc subjungit, » Quòd si nec Parochiani nec Patroni » Capellam reparare velint, aut ob paupertatem nequeant, » eam juxta decretum Concilii Trident. *Sess.* 21. *cap.* 7. *de Re*» *format.* transferendam esse: « evidenter declarans Decimatores nullatenus ad earum reparationem teneri.

XIX. Addit deindè hanc cautionem: » At si ejusmodi Ca» pella ex juxta causa Superiorem movente erecta, & constructa » sit, fortè ut periculum animarum, quod evenire posset, Ec» clesia Parochiali nimiùm distante, evitetur, eo casu non pu» to renuntiationem Parochianorum quidquam operari, sed è » contra non obstante illâ, ipsos pro præterito tempore ante» quam inde recedere velint, si facultates ipsis sufficiant, con» tribuere debere. «

Imò non dubium, quòd nonnunquam ipsi Decimatores ad reparationem hujusmodi Capellæ essent pro parte saltem aliqua vocandi. Si enim Decimatores non tantùm ad sustentationem Parochi, sed & aliorum Sacerdotum, qui pro administrandis Sacramentis & instructione populi sunt necessarii, debeant ex decimis contribuere: (ut infrà titulo De portione congrua ostendetur) quidni urgeri possint ad instaurationem non tantùm Ecclesiæ Parochialis, sed etiam Capellæ, ob distantiam à Parochiali Ecclesia, populo necessariæ? Præsertim cùm decimæ totius Parochiæ jure communi censeantur ad Ecclesiam Parochialem pertinere; ideoque juxta *Cap.* 3. ✠ *de Ecclessiis ædificandis*, nova Ecclesia, seu Capella ex his decimis eo titulo videatur ædificanda & restauranda.

XX. Ulteriùs restauratio à Decimatoribus, aliisque quibus incumbit ita exigenda, ut necessitati, & honestæ populi commoditati Ecclesia sufficere possit; at ea, quæ ornatum potiùs quàm necessitatem & honestam commoditatem spectat, requiri non potest. Unde Zypæus in Jure Novo titulo *de Ecclesiis ædificandis* monet, Edictum Principum nostrorum, ad necessarias » templi, id est, substantialium partium, tecti, parietum, » chori, vel navis, ut loquitur, &c. reparationes restringen» dum esse, non verò ad ornatum interiorem extendendum; ut » aliquid materiæ relinquatur devotioni aliorum. «

XXI. Verùm uti in determinanda Parochorum competentia non avara manu procedendum; atque ipsius Parochiæ amplitudo, necnon decimarum quantitas, aliaque consideranda; ita quoque in reparandis Ecclesiis justum, ac æquum esse censet Peckius *cap.* 1. „ si expensis ac ponderatis Ecclesiarum qua„ litatibus, fructibus, emolumentis & conditionibus, ad bo„ ni, æquique judicis arbitrium hoc totum referatur... Et cùm „ (ait) aliquando in supremis Galliarum Prætoriis, quæ vulgus „ *Parlamenta* appellat, similis quæstio de reparatione Eccle„ siarum incidisset, præcedente cognitione, missisque, qui „ Ecclesias visitarent, Commissariis; ita res temperata & trac„ tata fuit, ut pro ratione proventuum & circumstantiarum, ea „ refectio publico Senatûs Decreto decerneretur, teste Joanne „ Papone in Libro de *Arrestis Gallicis*, *lib.* 1. *tit.* 1.“ Hæc Peckius.

XXII. Ut in hac reparatione non nimiùm graventur Decimatores, aliique quibus onus reparandi incumbit; & omnia minore, quo potest, sumptu fiant, statuit Principum nostrorum sæpius citatum Edictum, „ quòd nihil poterunt statuere „ Ædiles sine iis quorum interest; quodque sine eorum con„ sensu vetus forma non mutabitur; sed inibitur ratio magis „ conveniens, vocatis in consilium peritis, & minus sumptuo„ sa. Edent etiam Ædiles computus suos iis, qui percipient „ decimas, ut videant, an benè administrentur, & quantum „ desideretur. “

XXIII. Ubi autem hactenus assignata ad reparationem Ecclesiæ non sufficiunt, vult Synodus Tridentina citato *cap.* 7. „ut „ in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportu„ nis ad prædicta Episcopi cogant; quacunque appellatione, „ exemptione & contradictione remotâ. “

Verum dum de promulgatione Concilii Tridentini hîc in Belgio tractaretur, ad hunc articulum notatum fuit à Consiliis Regiis, „ populum ad contributiones pro ædificandis Ecclesiis, „ sine auctoritate Judicis secularis constringi non posse. “

Hinc in edicto Principum nostrorum dicitur: „ ubi hæc non „ sufficiunt, ex indultu Principali transibitur ad collectam & „ capitationem eorum, qui in ea Ecclesia alimenta spiritualia „ recipiunt. “

XXIV. Porrò edictum satis insinuat, eo casu collectam illam instituendam inter eos, qui revera sunt Parochiani istius Ecclesiæ; sive qui in ea Ecclesia alimenta spiritualia percipiunt; quod & juri communi, & justitiæ consonum esse ostendit Peckius *cap.* 10. unà ostendens, quòd hæc collecta personis ibidem habitantibus, Ecclesia utentibus, & Sacramenta sua ibidem accipientibus, pro modo & ratione rerum suarum imponenda sit. Dein *cap.* 11. ex hoc fundamento infert, quòd Forensibus ratione bonorum, quæ in locis possident, collecta pro reparatione Ecclesiæ imponi nequeat; „ quia (ait) hoc onus » non est onus merè reale, sed mixtum; & imponitur personis „ principaliter, licèt fiat taxatio respectu rerum. “

Eodem fundamento passim ubique receptum est, ut ubi alii sunt termini Parochiarum quoad jurisdictionem Ecclesiasticam, & alii quoad jurisdictionem civilem, pro reparatione Ecclesiarum collectentur omnes, qui sunt intra terminos Parochiarum quoad jurisdictionem ecclesiasticam; id est, qui subsunt quoad spiritualia istis Ecclesiis Parochialibus, licèt in civilibus jurisdictioni alterius Parochiæ sint subjecti; uti refert Zypæus *Consult.* 1. *de Magistris*.

XXV. Hactenus dicta ferè procedunt, ubi consuetudo, aut particularis contractus, vel concordatum aliam in facienda reparatione legem non dedit; hæc enim si probari queat, servanda erit; eâ verò cessante, demum ad Jus commune, vel generales Patriæ leges recurrendum.

XXVI. Et quidem teste Zypæo, in reparandis Ecclesiis ferè passim consuetudo ad populum *Navis* reparationem transtulit; testaturque, ita judicâsse Concilium Brabantiæ pro Capitulo Antuerpiensi contra Incolas de Conteca anno 1602. additque: » Et ita habet generalis consuetudo locorum, quæ » nunc & olim sub Diœcesi Cameracensi fuerunt. «

Similiter in Gallia usu receptum, & Arrestorum auctoritate sæpius confirmatum est, Parochianos teneri ad reparationem Navis, Decimatores vero ad reparationem Chori. Uti videri potest apud Julianum Brodeum in notis ad Louetium *Lit. R. num.* 50. qui & rationem subjicit, quia *Chorus* Ecclesiæ est propriè locus Cleri; *Navis* verò laicorum, quibus multis seculis ingredi Chorum illicitum fuit. Recentiora Parlamentorum

Ar-

resta eandem distinctionem inter onus reparandi Navim Ecclesiæ, & ejusdem Chorum confirmantia, recitat Michaël Du Perray in *citato tractatu*, *de potione congrua*, *cap.* 28. (m)

XXVII. Navim Ecclesiæ esse, ait Peckius *cap.* 13. *num.* 3. eam corporis Ecclesiæ partem, quæ extra cancellum est, & in qua Parochiani sedent.

Monet tamen ibidem: » Non totam quidem illam partem, » *Navem* Ecclesiæ appellamus, quæ extra cancellos est, sed » eam tantùm, quæ in medio templi, columnis, parietibus, » fenestris & tecto constat, ac sustinetur: sic ut appellatione » *Navis*, appendices, & Capellæ Ecclesiarum, in quibus ma- » lo & improbato exemplo plerique ambulare solent, non con- » tineantur, etiamsi uno eodemque tempore ac opere *Navi* Ec- » clesiæ adjungantur, ipsaque Navis sine his non aliter, quàm » avis sine alis constare queat. Id quod nuper, ex informatione, » quam in causa super ea re controversa accepi, in qua deinde » sententiam dictavi, consuetudine & antiquâ interpretatione » receptum esse plenissimè cognovi. «

Hæc ille occasione Recordiarum sive Concordatorum Leodiensium, quorum ibi meminit; asseritque vi illorum subindè ipsius Navis reparationem rejici ad illum, qui decimas percipit. Unde etiam Zypæus postquam dixit, Parochianos in Diœcesi Cameracensi ex consuetudine receptâ teneri ad reparationem Navis Ecclesiæ, addit: *Quamvis Recordia Leodiensis rigorosius cum decimis agat.*

Hoc casu navis secundum descriptionem Peckii meritò accipienda est. Cùm enim laterales Capellæ, & appendices magis ad ornatum, quàm necessitatem spectare soleant; æquum non est, earum ædificationem aut reparatione Decimatores gravare; sed si eas ad suam commoditatem, aut majorem suæ Ecclesiæ ornatum desiderent Parochiani, eorum pietati hoc relinquendum.

XXVIII. Eâdem forsan ratione hîc receptum est, Decimatores non teneri ad extructionem, aut restaurationem *turris*, & ad ejus reparationem (ait Zypæus) neque ante neque post Edictum scio aliquem Decimatorem condemnatum. Turris enim, præcipuè elatior, magis ad ornatum, quàm ad necessitatem est.

XXIX. Sed quid de *campanis*? Ecclesiam Parochialem posse plures habere campanas, optâsseque S. Carolum, ut in omnibus Ecclesiis Parochialibus haberentur ad minus duæ, notavimus suprà *tit.* 5. *cap.* 2. *num.* 13. tamen quia usus præcipuus campanæ is est, ut per ejus pulsum ad divina officia populus vocetur, consuetudine passim receptum est, quòd Decimatores ad unius tantùm campanæ restaurationem teneantur, & ad eam necesariarum trabium. Testatur quoque Peckius *cap.* 13. quòd Concordata seu Recordiæ Leodienses, » Prælatum, cui » onus reparationis incumbit, ad *unius* tantùm campanæ, quam » *Bannalem* vulgò appellant, intertentionem adstringant: eam- » que (ait) ejusmodi esse volunt Interpretes, ut facilè in eo » loco exaudiri queat.«

XXX. Ratio, quæ multis locis Decimatores obligat ad restaurationem Chori, eadem quoque induxisse videtur, ut passim constringantur Decimatores suppeditare necessaria ornamenta pro celebratione Divini Officii, quemadmodum advertit Broudeau loco citato, ibidem plurima in hanc rem Arresta Parlamentorum proferens.

Et sanè jam pridem in Synodo Metensi anno 888. *Can. II.* statutum fuit, ut » qui decimas percipit, eas accipiat in sui sus- » tentationem, & ad luminaria concinnanda, & Basilicæ ædi- » ficia, vestimenta quoque Sacerdotalia, & cætera utensilia suo » ministerio congrua obtinenda.«

XXXI. Advertit Peckius *cap.* 13. quòd in Recordiis Leodiensibus ornamentorum intertentio & subministratio Decimatoribus quoque injungatur: & tametsi *casulæ*, *calicis*, & *vestimenti*, in numero singulari fiat mentio, plerique nihilominus arbitrari sint, quòd locutio illa *singularis* etiam pluralitatem in eodem genere in se contineat, si pluribus Ecclesia indigeat.

Deinde *num.* 6. ait: Quòd si inter eos, qui Ecclesiæ præsunt, & eum, ad quem onus reparationis pertinet, de modo & qualitate istiusmodi vestium, & ornamentorum quæstio exurgat, utique ratio habenda est qualitatum Ecclesiæ, & ipsius facultatum, ut secundum quod abundat facultatibus, sic meliora, & pretiosiora habeat ornamenta.

Cùm ergo ex varietate Ecclesiarum sint determinanda, meritò ibidem probat sententiam cujusdam Guillelmi, qui hoc totum arbitrio judicis relinquit; & voluptarias impensas excludit.

XXXII. Cæterùm optandum esset, ut Abbates & Monasteria decimas possidentia, eoque titulo ad separationem Ecclesiarum, & suppeditationem ornamentorum obligata, & quorum Ecclesiæ claustrales sæpè argento & auro fulgent, & interim Ecclesiis Parochialibus vix de ornamentis ad peragendum honestè Divinum Officium provident, attenderent illud S. Bernardi in Apologia ad Guillelmum Abbatem *cap.* 11. » Dicite, » pauperes, si tamen pauperes, in sancto quid facit aurum? Et » quidem alia causa est Episcoporum, alia Monachorum. Sci- » mus namque, quòd illi sapientibus, & insipientibus debito- » res cùm sint, carnalis populi devotionem, quia spiritualibus » non possunt, corporalibus excitant ornamentis. Non verò, » qui jam de populo eximus, qui mundi quæque prætiosa, ac » speciosa pro Christo reliquimus, qui omnia pulchrè lucentia, » canore mulcentia, suave olentia, dulce sapientia, tactu pla- » centia; cuncta denique oblectamenta corporea arbitrati sumus » ut stercora, ut Christum lucrifaciamus: quorum, quæso, in » his devotionem excitare extendimus? Quem, inquam, ex his » fructum requirimus? Stultorum admirationem, an simplicium » oblectationem? An quoniam commixti sumus inter Gentes, » fortè didicimus opera eorum, & servimus adhuc sculptilibus » eorum? «

XXXIII. Edictum Principum nostrorum clausulam hanc finalem subjicit: » Et si casus occurrat hîc non decisus, recur- » retur ad Principem, aut Concilium, ut amicabiliter, aut alio- » quin summariè, & sine strepitu transigatur.«

Quamvis Canones passim Episcopis injungant curam reparandarum Ecclesiarum, illisque specialiter mandent, ut Parochiales Ecclesias, etiamsi Juris Patronatus sint, colapsas instaurari procurent, nihilominus » ex consuetudine generali passim » ferè obtinente etiam coram laico judice; hoc est, in his Bel- » gii regionibus in auditorio Principis, seu Provincialibus ejus » Conciliis agi potest, « ait Wamesius *Concilio Canonico*, 512. *numer* 2.

Et in Gallia frequenter judicatum refert ex Aufrerio Peckius *cap.* 38. per plura Arresta, quòd Parlamentum Regium de Ecclesiarum reparationibus cognoscere possit; pronuntiaruntque contra Episcopos jurisdictionem Parlamentorum in hac materia declinare volentes. Et plurimæ extant in Concilio Brabantiæ (ait) » adversus diversos Prælatos super eadem repara- » tione, ad instantiam incolarum loci, in quo sita est, pro- » nuntiatæ, quod notorium est, soletque ea coactio de reparan- » dis Ecclesiis per Comissarios Regios fieri, solâ expensâ sine » alio salario contentos.«

Quinimò cùm hîc de publicatione Concilii Tridentini ageretur, nonnulli è Ministris Regiis monuerunt ad citatum caput 7. » totam hanc auctoritatem de Ecclesiis restaurandis ab » antiquo ad Curiam Provincialem pertinuisse.«

Et notoria, ac quotidiana praxis habet, quòd passim in hisce, ac vicinis Provinciis quæstiones refectionum Ecclesiarum spectantes in Conciliis Regiis Provincialibus tractentur.

Cùm enim ejusmodi cognitio tantùm respiciat proventus, & fructus bonorum Ecclesiæ, qui proveniunt ex temporalibus, super quibus Rex potest facere ordinationes, quæ in suo foro serventur, caret fundamento, eam Regi negare velle, ut ex Chassanæ notat Peckius *cap.* 28. *num.* 4.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT V.

DE EXPENSIS AD REPARATIONES ECCLESIARUM PERAGENDAS ITERUM QUÆSTIO PERPENDITUR.

1 *Primis seculis Ecclesiarum refectio fiebat ex liberalitate cujuslibet Christiani.*
2 *Constantinus Magnus jussit, ut pecunia fiscalis in hanc causam converteretur.*
3 *Observationes in eam Imperatoris agendi rationem.*
4 *Veterum Principum liberalitas eorum successores non obligavit.*
5 *Quid de proventibus fabricæ in reparationem Ecclesiarum impendendis statuat Edictum Principum Belgarum.*
6 *Circumstantia, in qua decimatores possunt petere, ut fabricæ computus sibi exhibeantur.*
7 *Decimatores extra Parochiam morantes ad expensas reparandæ Ecclesiæ necessarias cogi possunt.*
8 *Quid fieri debet, cùm Decimatores de suis proventibus aliquid conferre recusant.*
9 *Monitum, cujus observatio spensas reparationum imminuet.*
10 *Quomodo & quando Decimæ in reparationem fabricæ cedere debeant.*
11 *Quandonam Decimatores ad reparationem turris Ecclesiæ tenentur.*
12 *Quomodo, qui campanam subministrant, ad turris restaurationem tenentur.*

(m) *Ut certò innotescat, quinam in Gallis teneantur ad Ecclesias reparandas, legendum primò est Edictum Melodunense* art. 9. *addenda erit declaratio, quæ* 18. *Februarii anno* 1661. *data est; tandem consulere non pigeat Diarium Audientiarum* tom. 4. *ubi reperitur Arrestum* 12. *Decembris anno* 1623. *pronuntiatum.*

Quid

13 *Quid nomine* Recordiarum *Leodiensium intelligi debeat.*
14 *In Brabantia quæ sit auctoritas harum Recordiarum, & statutorum Archidiaconalium, signanter quoad onus reparandæ turris.*

I. * PRimis seculis, cùm Pax Christianis restituta est, solicitudo ædificandi, & reficiendi Ecclesias non tam onus habebatur, quàm pietatis eximiæ decus, & ad illud consequendum Principes, & subditi inter se decertabant. Non enim solùm plures Ecclesiæ noviter extructæ sunt, sed destructæ restitutæ fuerunt: id testatur Eusebius *lib.* 10. *hist. Eccles. cap.* 2. » Loca cuncta, quæ tyrannorum impietas ante subrue-» rat, tanquam ex diuturna, ac pestifera labe reviviscebant, » templaque nostra à solo in immensam altitudinem erigebantur, & longè majori cultu & splendore, quàm illa, quæ priùs » expugnata fuerant, nitescebant opera & divitiis Christianorum."

II. Ipse Constantinus Magnus jussit, ut *pecunia publica, seu fiscalis* in hanc causam converteretur. Quippe *lib.* 2. *cap.*... vitæ Constantini, quam adornavit Eusebius, laudatur ejusdem Principis lex, quâ Præsides Provinciarum admonuit, » ne pe-» cuniis largiendis parcerent; sed ut ex imperialibus thesauris » sumptus ad ædium sacrarum extructionem depromerentur."

Evidentius id apparet ex epistola ejusdem Principis ad Eusebium missa, quam iste auctor *cap.* 41. retulit: » quotquot, ait » Imperator, Ecclesiis, aut ipse præses, aut alios in singulis lo-» cis Præsidentes, & Episcopos, & Præsbyteros, ac Diaconos » nosti, cunctos admone, ut in opera Ecclesiarum omni studio, » ac diligentia incumbant, quo aut reparentur, quæ adhuc ma-» nent, augeantur in majus, aut sicubi usus postulaverit, no-» va ædificentur. Quæcumque autem necessaria fuerint, ipsi & » reliqui alii tuo interventu tum à præsidibus provinciarum pe-» tent, tum ab officio præfecturæ prætorianæ."

III. Ex ea Epistola tres erui possunt observationes 1. Supremam solitudinem pro reficiendis Ecclesiis sibi vindicant Imperatores. 2. Specialem nihilominus hanc curam Episcopis, & Clericis committunt. 3. Ad hanc refectionem necessario sumptus è suo penu fecerunt.

IV. Verùm sicuti liberalites Constantini Magni in largiendis sumptibus, qui ad reparandas, aut ædificandas Ecclesias erant necessarii, successores hujus Principis non absolutè obligavit; ita hoc onus secundum regulas juris ab aliis, qui eo obstricti erant, ferendum fuit. De iis agendum est (n).

V. Edictum Principum nostrorum de *anno* 1613. non tantùm præcipit proventus fabricæ in reparationem Ecclesiæ impendi, sed insuper, ut in augmentum proventuum fabricæ colligi deberent, signanter in Ecclesiis Ruralibus, eleemosynæ fidelium, easque per Parochos, & Concionatores esse commendandas in sacris concionibus, figendumque truncum, in quem intrantium & exeuntium Ecclesiam piæ & liberales oblationes recipiantur.

Insuper & hoc notandum, si forsitan à Pastoribus primitivis, & percipientibus decimas vigore Concordati, vel antiquæ consuetudinis, aliquid annuè pro intertentione, seu conservatione Fabricæ contribuantur, illud solere cum reliquis Fabricæ proventibus confundi, & adinstar aliorum Fabricæ proventuum in ordinarias reparationes expendi, nullo ordine servato.

Quandoquidem igitur proventus Fabricæ in reparationem Ecclesiæ, nec non ornamentorum, & utensilium, aliaque ad divinum cultum celebrandum necessaria impendi debeant, priusquam Decimatores, aut Beneficiati, in reparationem, aut subministrationem illorum contribuere debeant, non dubium quin ipsi Decimatores, & Beneficiati, aliique, quibus onus reficiendi Ecclesias, aut subministrandi ornamenta; in defectum proventuum Fabricæ incumbit, pro suo interesse intendere possint, ut hi proventus in conservationem Fabricæ, & ornamentorum ritè impendantur, neque in alios usus convertantur.

VI. Quin si ad reparationis expensas urgeantur, poterunt petere computus Fabricæ sibi exhiberi, ut videant, num proventus Fabricæ sufficientes non sint, vel utrum aliis usibus in eorum præjudicium non impendantur, prout & allegato Edicto Decimatoribus, aliisque interesse habentibus permittitur.

VII. Ubi deficiunt Fabricæ proventus, possessores decimarum ad reparationem Ecclesiarum vocari debent, tametsi non sint earum Ecclesiarum Beneficiati.

Imò rectè observat Zypæus in notitia Juris Belgici *tit. de sanctis Ecclesiis, num.* 11. quòd Concilium Tridentinum obliget decimarum possessores ante Parochianos, etsi apud aliam Ecclesiam, cui asignatæ sunt, resideant.

Jure enim Parochiali (ait) proveniunt, etsi per uniones, seu incorporationes aliis fuerint asignatæ: notatque ibidem *num.* 10. quòd in Diœcesi Leodiensi soleat Episcopus vel Archidiaconus visitans, & Ecclesiam reparatione indigere reperiens, ordinare eam faciendam sumptu hujus illiusve decimarum possessoris: » Quod (ait Zypæus) videri potest facere, sicut Prætores visi-» tantes vias, mox reparari jubent per possessores vicinorum » agrorum."

VIII. Cùm verò eo modo procedendo, inchoari videatur ab ipsa executione, monet Zypæus, vix in his partibus eum procedendi modum recipiendum, sed solere hîc procedi viâ Arresti, injiciendo Arrestum in decimas, aliave bona huic oneri subjecta, quorum possessores extra has ditiones degunt, idque ad fundandam contra eos jurisdictionem, illudque valdè convenire menti Concili Tridentini *Sessione* 21. *cap.* 7. credit Zypæus, dum primùm cupit Ecclesias reparari per Laicos Patronos, & quoscumque proventus Ecclesiasticos possidentes, quàcunque (inquit) *appellatione, exemptione, & contradictione remotâ.* (o)

IX. Cæterum indubitatum est, quòd si Episcopi, eorumve Archidiaconi, vel Archipresbyteri, Ecclesias Parochiales, vel etiam domos Pastorales visitantes, reparationibus ordinariis & minutioribus faciendis solicitè intenderent, frequenter contigeret exiguis sumptibus Ecclesias, domosque Pastorales sartas tectas conservandas, quæ aliàs defectu similium reparationum postmodum in notabilem ruinam decidunt; occasione cujus plures postmodum difficultates super earum reparatione, aut instauratione oriuntur.

X. Dictum est *num.* 14. *cap. præced.* quòd Ecclesiarum & Domuum pastoralium refectioni singulis annis triens omnium Decimarum destinari debeat. Quòd si ea summa à Decimatoribus separatim asservaretur, non ita gravatè concederent expensas, quæ ab iis exiguntur, ubi reparationes Ecclesiarum fieri debent.

Trientem decimarum, de quo in Edicto *anni* 1613. computandum esse detractis oneribus, quibus decimæ sunt obnoxiæ, *cap. præced. num.* 16. notatum est; & ita sæpiùs judicatum refert Laury in sua Arrestorum collectione, *Arresto* 40.

Notat etiam ibidem, Decimatores non defungi abdicatione decimarum factâ conformiter ad præscriptum Edicti, in reparationem Ecclesiæ, si eam *post factam reparationem* rursus in ruinam cadere contigerit; sed Decimatores iteratò teneri cedere trientem decimarum conformiter ad præscriptum Edicti in hanc novam restaurationem.

Verùm si Decimatores in restaurationem Ecclesiæ duorum annorum decimas, juxta tenorem Edicti, contulissent; sed Parochiani partem duntaxat Ecclesiæ restaurâssent, atque integram eam decimarum portionem in hujus partis instaurationem impendissent, ut se interim ab impensis restaurationis eximerent, non possent postmodum Decimatores obligare iteratam abdicationem in restaurationem partis Ecclesiæ, quam ipsi irreparatam permiserunt; eò quòd Edictum obligare non videatur Decimatores, nisi ad unicam decimarum abdicationem in restaurationem totius Ecclesiæ, sive Fabricæ collapsæ, & ita judicatum in Parlamento Mechliniensi 23. Februari 1685. ibidem refertur.

XI. Gravior occurrit difficultas circa turris reparationem, de qua *num.* 28. *cap. præced.* mentio brevior, quàm par est, facta fuit. Illud imprimis notandum, quòd ubi ex consuetudine, quemadmodum in patria Leodiensi passim obtinuit, Decimatores tenentur ad reparationem navis, etiam teneantur ad reparationem turris, si hæc sit pars ipsius navis, sive incumbat parietibus ipsius navis; quemadmodum in *Recordiis* Leodiensibus passim notatur: modò tamen non agatur de turri elatiori quæ magis ad venustatem, quàm necessitatem spectat.

Simili ratione, alibi obtinet ut ad reparationem turris, quæ ipsi choro Ecclesiæ adhæret, vocentur, qui ad ipsius chori reparationem obligantur.

XII. Denique juri communi conforme est, Decimatores, qui campanam subministrare tenentur, cujus sonitu Parochiani ad Divinum Officium vocari debent, etiam obligentur eatenus ad exstructionem, vel restaurationem turris in quantum hæc necessaria est, ut campana per totum Parochiæ districtum audiri queat.

XIII. Cæterùm sciendum Recordias Leodienses, de quibus loquitur Peckius in Opusculo *de ædificandis & reparandis Ecclesiis*, & quarum meminimus hîc *num.* 27. quæque ad Parochianos restaurationem turris rejicere videntur, esse privatas Decani, sive Archipresbyteri Ruralis, & Pastorum sui Decanatûs, sive districtûs simul Congregatorum attestationes; *quòd recordentur* hoc vel illud in suo Decanatu fuisse semper observatum.

XIV. Unde & hîc in judiciis, non nisi pro privatis instrumentis, & probationibus reputantur, uti de his Recordiis, pro-

(n) *Quod num.* 1. 2. 3. & 4. *continetur, desumptum est ex Epistola, quam D. Van Espen ann.* 1714. *scripsit ad Parochum Villæ Evri, quæ Parisiis septem circiter Leucas distat.*

(o) *Eadem in ferè Galliis observari debet Jurisprudentia: ut constat declaratione, quam Ludovicus XIV. die* 18. *Februarii ann.* 1661. *promulgandam curavit.*

prout & de Statutis Archidiaconatûs Hasbaniæ & Condrusii, occasione cujusdam litis, super restauratione turris inter incolas & Decimatores in Supremo Brabantiæ Consilio motæ se observâsse, mihi indicavit Amplissimus quidam ejusdem Consilii Assessor, ita ad me scribens: » Sanè vix est, ut quoad restau» rationem turrium, certi quid hisce in partibus definiri queat; » sive agatur de Ecclesiis quondam Episcopatui Leodiensi, si» ve de iis, quæ Cameracensi Diœcesi fuerunt subjectæ.

» Circumferuntur quidem Statuta Archidiaconalia Hasba» niæ & Condrusii; item *Recordiæ* plures Decanatuum Geldo» niæ, Fleurnacensis, Gemblacensis, aliæque; sed nec illas, prout » jacent, apud nos admitti in judiciis simpliciter adverti & » observavi, licèt iis majorem, quam habent, habere possunt, » aut debent, errans Peckius de reparandis & restaurandis Ec» clesiis auctoritatem attribuere videatur.

» Nisi enim usus, aut rerum judicatarum auctoritas, Sta» tutis aut Recordiis conformis sit, minoris Ordinis apud nos » habentur.

» Statuta enim Archidiaconalia, cùm exteræ auctoritatis & » Judicis sint, subditos nostros ligare nequeunt; & ut possint, » *Placetum* Senatûs Principem repræsentantis omninò necessa» rium est secundum Edictum Philippi II. anni 1571. citatum » per Stockmans in libello, quem super Jure Placeti cons» cripsit.

» Recordiæ verò, cùm tantùm sint declarationes extrajudi» ciales Curatorum & Pastorum, nullâ publica Principis auc» torirate ad legem condendam munitorum, nec ad hoc qualifi» catorum, ut circa facti quæstiones, declarationes conficiant, » quæ fidem in Judicis faciant, pro privatis scriptis repu» tanda sunt.

» Quin nec alio Jure à Principibus nostris Alberto & Isabel» la in Edicto suo de anno 1613. super restaurationibus, repa» rationibusque Ecclesiarum, Principumque nostrorum Com» missario, & ab iis, quos Ecclesiastica auctoritas pro confe» rentia nominaverat, habita fuerunt, ut Edictum illud apertè » manifestat.

» Si enim per dispositionem Statutorum Archidiaconalium, » ut & per *Recordias* difficultates in hac materia se offerentes » sopiri & decidi debuissent: si eæ vim auctoritatemque legis » habere debuissent, illud ipsum in dicto Edicto specialiter ex» pressum notatumque fuisset, dixissentque Principes optimi; » primò more antiquo, & concordiis specialibus, postea Sta» tutis Archidiaconalibus, utrisque deficientibus, *Recordiis*, » locorum lites, & jurgia decidenda & componenda.

» Postea verò quarto loco, ex redditibus Fabricarum, & » per alia media dicto Edicto proposita, restaurationes ac » reparationes fieri debere.

» Cùm verò nec de *Statutis* istis, nec de *Recordiis* ibidem » mentio fiat, nec iis auctoritas ulla tribuatur, manifestum eva» dit, Principes ad ea nec atendisse, nec per Judices attendi » voluisse, nisi quatenus more antiquo, aut concordiis appro» bata, & ad vim alligandi elevata forent. «

Hæc hîc apponenda judicavi, ut incidente in hac materia quæstione, intelligeretur, non nimium vel Statutis dictorum Archidiaconatuum, aut Recordiis esse fidendum, aut inhærendum, in locis in Ducatu Brabantiæ consistentibus, licèt ea ante erectionem novorum Episcopatuum fuerint de Diœcesi Leodiensi, vel etiam de eadem Diœcesi in spiritualibus remanserint, sed potiùs attendendum sit ad Edicta Principum nostrorum, vel receptam in hoc Ducatu consuetudinem.

TITULUS XVII.

De Celebratione Festorum.

CAPUT I.

De Institutione, et varia Specie Festorum.

1 *Celebratio Festorum ex traditione Apostolica.*
2 *Tempore Augustini Festum Natalis Domini celebratum; non tamen numeratum inter Festa ex traditione Apostolica descendentia.*
3 *Festa Martyrum primis seculis quomodo celebrata.*
4 *Priùs celebratum Festum S. Joannis Baptistæ, quam singulorum Apostolorum, & quare.*
5 *Festum Annuntiationis Divæ Virginis seculo VII. erant receptum.*
6 *Hoc Festum non semper eodem die celebratur; quod corrigit Synodus Toletana X.*
7 *Unde movilitas illius Festi provenerit.*
8 *Festum hoc æquali cum Festo Nativitatis Dominicæ veneratione celebratum.*
9 *Festum hoc propriè erat Festum* Incarnationis *Verbi; & tamen dicebatur Festum Matris* Dei.
10 *Potest & Festum Natalis Domini dici Festum Divæ Virginis.*
11 *Seculo VII. non videtur, saltem in Hispania, aliud Festum Divæ Virginis notum fuisse.*
12 *De Festo* Assumptionis *hæsitavit Carolus Magnus.*
13 *Sub initium seculi IX. resolutum Festum hoc esse celebrandum; & quid de eo scripserit Usuardus.*
14 *Festum Annuntiationis in Gallia seculo IX. nondum videtur fuisse notum.*
15 *Festum Nativitatis, non autem Conceptionis, tempore S. Bernardi erat receptum.*
16 *Quomodo plura Festa sensim invaluerint.*
17 *Præcipua auctoritas instituendi dies festos, est penes Episcopos.*
18 *Merito in hac institutione audiendus est populus, & quare.*
19 *Interdum Senatus Regius se opponit introductioni aut abrogationi Festorum.*
20 *Nimia Festorum multiplicatio habet sua incommoda.*
21 *Querela Synodi Trevirensis de hac nimia multiplicatione.*
22 *De eadem conquestus Urbanus VIII. & quæ rationes querelarum.*
23 *Synodus Trevirensis voluit aliqua Festa esse dimidiata.*
24 *Similia Festa jam pridem nota fuerunt apud Græcos.*
25 *Hæc Festa in plerisque Diœcesibus transierunt in Festa* devotionis.
26 *In Festis minoribus quædam permittuntur, quæ non in majoribus.*
27 *Episcoporum est ordinare, qua ratione sint instituenda.*
28 *Nonnulla Festa à solo Clero celebranda.*

I. Inter ea, quæ ex Apostolica traditione creduntur in Ecclesia observari, certorum dierum festorum celebrationem refert S. Augustinus *Epist.* 54. ad Januarium, dicens; » Il» la autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ » quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab » ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Eccle» sia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta reti» neri, sicuti quòd Domini Passio, & Resurrectio, & Ascen» sio in cœlum, & Adventus de cœlo Spiritûs Sancti, anniver» saria solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, » quod servetur ab universa, quacunque se diffundit, Eccle» sia. « Apud Gratianum *dist.* 12. *Can.* 11.

II. Nec tantùm hæc festa tempore S. Augustini celebrata fuisse ex ipso Augustino constat; nam Epistola sequenti eidem Januario quærenti, » cur anniversarius dies celebrandæ Domi» nicæ Passionis, non ad eundem redeat anni diem, sicut dies, » quâ creditur *natus*, « respondit: » Hîc primum oportet no» veris diem Natalem Domini non in Sacramento celebrari, sed » tantum in memoriam revocari, quòd natus sit, ac per hoc » nihil opus erat, nisi revolutum anni diem, quo ipsa res acta » est, festa devotione signari. Sacramentum est autem in ali» qua celebratione, cùm rei gestæ commemoratio ita fit, ut ali» quid etiam significari intelligatur, quòd sanctè accipiendum » est. «

Hîc clarè supponit Augustinus, diem *Natalis* Domini celebratum fuisse: quòd & aliis pluribus locis significat. Sed ideò forsan inter festa ex traditione Apostolica descendentia non retulit, quia non proinde ut de aliis constabat, hujus festi institutionem ab Apostolis descendere; neque tam universaliter per totam Ecclesiam hoc festum celebrabatur: cùm constet in aliquibus, saltem Orientis Ecclesiis Festum Nativitatis Dominicæ distinctum non fuisse à Festo Epiphaniæ, uti testatur S. Chrysostomus *Homil.* 36. dicens: » Prima festivitas apud nos sunt Epi» phania. Quæ porrò festi est occasio? Quoniam Deus in terris » visus est, & cum hominibus conversatus est. «

III. Dies quoque Martyrum etiam ante tempora S. Augustini celebratos fuisse testis est Eusebius *de vita Constantini*, *lib.* 4. *cap.* 23. » Missa quoque lex est (ait) ad Præsides Provinciarum, » ut diem Dominicum etiam ipsi venerarentur. (p) Iidem festos » Martyrum dies jussu Principis observabant, & Ecclesiarum » fes-

(p) *Idem stabilitum est in Hispania in leg.* 4. *tit.* 1. *lib.* 1. *Recopil.*

» festivitatum tempora debito honore prosequebantur.

Non meminit autem Festorum Martyrum S. Augustinus enumerans Festa ex traditione Apostolica dimanantia : quia Festa Martyrum, non nisi in locis Martyrii eorum celebrari consueverant, vel in Ecclesiis eorum nomini specialiter dedicatis, quemadmodum monet Ludovicus. Thomassinus tract. *de Celebratione Festorum*, *lib.* 1. *cap.* 4. ibidem examinans, quæ Festa seculo V. tum in Occidentalibus, tum Orientalibus Ecclesiis celebrarentur.

IV. Deinde *cap.* 5. examinat, quæ Festa celebrata fuerint ab anno 500. usque ad annum 800. notatque, sub initium seculi IV. in Concilio Agathensi inter Festa solemniora referri Festum S. Joann. Baptistæ : illudque esse è vetustissimis observat *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 6. quasi fundatum super ipso textu Evangelico, quemadmodum reflectit S. Bernardus *Epist.* 174. » Meritò Ecclesia, quæ cæterorum non nativitatem, sed mor» tem Sanctorum judicat, & prædicat pretiosam : singulari qua» dam exceptione, festis præfert gaudiis, veneraturque ipsius » Natalem, de quo nuntiante Angelo singulariter legit : *&* » *multi in nativitate ejus gaudebunt.* «

Seriùs instituta fuisse Festa singulorum Apostolorum, sed primitùs uno communi Festo omnium memoriam celebratam fuisse ostendit citato *cap.* 5.

V. Quando celebrari cœperint specialia Festa sub nomine Dei Genitricis, sat obscurum est. Hoc sat constat, seculo VII. usitatum, & in multis Ecclesiis stabilitum fuisse Festum *Annuntiationis*, quemadmodum fidem faciunt Synodus Trullana *Can.* LII. & Concil. Toletanum X. *Can.* 1. qui posterior Canon plura notanda docet.

VI. Primò docemur, quod hoc Festum jam tunc in pluribus Ecclesiis celebraretur, & incongruum visum fuerit Patribus, quòd hoc Festum non semper eodem tempore celebrari posset, sed uno anno citiùs, altero seriùs ; quam variationem tollendam præcipiunt, ac unà originem illius variationis indicant; verba Canonis sunt : » Invenitur enim in multis Hispaniæ parti» bus hujus S. Virginis Festum non uno die per omnes anno» rum circulos agi. Quoniam transducti homines diversitate tem» porum, dum varietatem sequuntur, unitatem celebritatis non » habere probantur. Qua de re, quoniam die, qua invenitur » Angelus Virgini Verbi Conceptum & nuntiâsse verbis, & » indidisse miraculis, eadem Festivitas non potest celebrari » condignè, cùm interdum Quadragesimæ dies, vel Paschale » Festum videtur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum so» lemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, con» venit celebrari : cùm etiam & ipsam incarnationem Verbi non » conveniat tunc celebritatibus prædicari, quando constat idip» sum Verbum post mortem carnis gloria resurrectionis attolli; » ideò speciali constitutione sancitur, ut ante octavum diem, » quo natus est Dominus, Genitricis quoque ejus dies habeatur » celeberrimus & præclarus.«

VII. Mobilitas igitur hujus festi, quemadmodum & hodie adhuc contingit, proveniebat ex eo, quod dies 25. Martii, cui hoc festum erat affixum, sæpiùs in Quadragesimam, aut Paschales dies incideret ; » in quibus (inquit Concilium) nihil de » Sanctorum solemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cau» tum est, convenit celebrari.«

VIII. Docemur insuper ex hoc Canone, Patres existimâsse, festum Annuntiationis non minore festivitate, quàm festum Nativitatis Dominicæ esse celebrandum. » Ex pari enim hono» re constat, ut sicut nativitatem Filii sequentium dierum inse» quitur dignitas, ita Festivitatem Matris tot dierum sequatur » sacra solemnitas.«

Rationem subjungunt : » Nam quod festum est Matris nisi » *incarnatio Verbi* ? Cujus utique ita debet esse solemne, sicut » est, & ejusdem nativitas Verbi.«

IX. Hîc docemur, quòd hoc festum propriè esset festum *Incarnationis* Dominicæ ; atque propterea meritò crediderint Patres, eâdem solemnitate celebrandum, quâ ipsius Verbi Nativitas.

Adhæc docemur, quòd Festum Incarnationis Dominicæ, sive Filii habuerint, & reputaverint festum *Matris* ; quia revera dum Filii Incarnatio recolitur, etiam ipsius Matris dignitas, in cujus utero Verbum incarnari dignatum est, recolitur.

X. Si ergo multis seculis festum Incarnationis Verbi reputatum sit pro festo Matris, quidni & Nativitatis solemnitas, pro solemnitate Matris reputari potuit ? Uti rectè reflectit Thomassinus *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 7. monetque, eam forsan fuisse rationem, cur antiquitùs festa Divæ Virginis non reperiantur instituta, quòd crederent Patres, solemnitates Filii esse quodammodo solemnitates Matris ; cùm vix Homo-Deus honorari queat, nisi unà per correlationem colatur Hominis-Dei Mater.

XI. Hoc insuper notat Thomassinus, quòd hoc festum hîc simpliciter dicatur, *Sanctæ Virginis Festum*, *Festivitas gloriosæ Matris* ; atque hinc verisimile fiat, quòd saltem in Hispania aliud Festum Divæ Virginis nondum celebraretur. Si enim inter festa tunc numeratum fuisset festum Assumptionis, aut Nativitatis ejus, verisimile non est, quòd festum Annuntiationis, seu Incárnationis Dominicæ simpliciter, & sine aliquo addito vocatum fuisset *S. Virginis festum.*

XII. Quoad alia specialia Divæ Virgininis festa, constat, ea non eodem tempore, nec ubique simul instituta esse ; sed alia seriùs, alia citiùs ; alia in una, alia in alia Ecclesia primitùs fuisse celebrata ; & sensim ad alias Ecclesias propagata.

De festo Assumptionis omnium festorum Divæ Virginis hodie solemnissimo, quodque præ omnibus aliis habet præcedentem Vigiliam cum obligatione jejunandi, legitur in Capitulari Caroli M. *lib.* 1. *Capitularium*, *cap.* 158. *De Asumptione S. Mariæ interrogandum relinquimus.*

Hîc videmus nondum in Regno Galliæ generaliter hoc festum esse stabilitum tempore Caroli M. ipsumque de eo *interrogandum* decrevisse; indubiè interrogandos sui Regni Episcopos.

XIII. Hi cùm anno 813. in Synodo Moguntiaca respondissent, eam festivitatem reponendam esse in catalogo festorum, Ludovicus pius Caroli filius eam celebrari jussit ; eamque inter alias festivitates enumerat, *lib.* 2. *Capitular*, *cap.* 35.

Usuardus Monachus Benedictinus, qui jussu Caroli Magni Martyrologium conscripsit, quo Romana Ecclesia, ac permultæ aliæ utuntur, propter eam Caroli forsan hæsitationem, hoc festum non assumptionis, sed *dormitiones* Dei Genitricis dixit, ad diem 15. Augusti hæc notans : » *Dormitio* Sanctæ Dei Ge» nitricis Mariæ. Cujus sacratissimum corpus, etsi non invenitur » super terram, tamen pia mater Ecclesia ejus venerabilem me» moriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrâs» se non dubitet. Quo autem venerabile illud Spiritus Sancti » templum nutu & consilio divino occultatum sit, plus elegit » sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire ; quàm aliquid frivo» lum, & apocryphum inde tenendo docere.«

XIV. Nec in hoc Capitulari, uti nec in Concilio Moguntiaco, neque in Regula Crodogangi, ubi omnia festa recitantur, ulla fit mentio *Annuntiationis* Divæ Virginis ; ut vel inde appareat, quòd licèt à seculo VII. in Hispania multisque aliis Ecclesiis illud festum esset receptum, nec tamen sub initium seculi IX. in Gallia celebratum fuisse.

XV. Festum Nativitatis Divæ Virginis in citatis locis non occurrit : quando institutum fuerit, haud certò constat. Tempore S. Bernardi receptum fuisse testis est S. Bernardus epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses, in qua ipsos redarguit, quòd festum Conceptionis B. Mariæ absque Sedis Apostolicæ auctoritate receperint ; » at ait, ortum Virginis dedici nihilo» minus ab Ecclesia indubitanter haberi festivum, atque sanc» tum, firmissimè cum Ecclesia sentiens eam accepisse in utero, » ut sancta prodiret.... Nec fallitur omninò sancta Ecclesia sanc» tum reputans ipsum nativitatis ejus diem, & omni anno cum » exultatione universæ terræ votiva celebritate suscipiens.«

Ex eadem Bernardi epistola intelligimus, festum Conceptionis Divæ Virginis in aliquibus minoribus Ecclesiis per Galliam celebrari cœpisse ; sed nequaquam generaliter receptum fuisse ; (q) ipsumque Bernadum reprobâsse admissionem illius Festivitatis in Ecclesia Lugdunensi.

XVI. Interim festum illud, uti & plura alia tractu temporis primùm in una Ecclesia instituta, ad alias Ecclesias propagata fuerunt ; quin & nonnulla primùm ex devotione citra obligaprimo suæ Animationis instanti ab omni labe preservatam fuisse.

Ast noster Rex Carolus III. in hac devotione omnibus præferens à SS. Papa Clemente XIII. impetravit, ut Deiparam sub titulo Conceptionis, Hispaniarum, Indiarumque principalem Patronam, omnes utriusque sexûs venerarentur : Quod illud officium, quod tantùm fratribus Minoribus erat proprium, in die Octava, & Sabbatis per Annum (alias non impeditis) ab Ecclesiasticis Secularibus & Regularibus recitaretur : Quod in Litania Lauretana post v. Mater Intemerata, Mater Immaculata *adderetur : & postremò quòd confirmâsset, approbâssetque (plurimis eodem tempore, & postea concessis indultis) Ordinem quem sub Patrocinio & tutela Conceptionis B. Mariæ, & nomine Ordinis Hispanici Caroli III. die* 19. *Septembris ann.* 1771. *ipse Rex fundaverat.*

(q) *Ab anno* 1708. *dictum Officium Conceptionis B. Virg. Mariæ Decreto Clementis IX. dato* 6. *Decembris ejusdem anni ubique terrarum sub præcepto recitare obligari cœpit: quod non tantùm in Hispania receptum, & executioni mandatum est, verùm etiam, cùm Regum nostrorum circa hoc Mysterium particularis sit devotio & veneratio, primùm acto Acordato (quod hodie est* 2. *tit.* 1. *lib.* 1. *Recopil.) die* 21. *Octobris ann.* 1655. *Philippus IV. præcepit: Ne deinceps liber quidve aliud, hoc Mysterium attinens typis mandaretur, quin priùs à doctium cœtu Virorum, ad hunc finem destinato, examinaretur. Deinde die* 24. *Januarii anno* 1664. *etiam mandavit ipsemet Rex suo acto (quod hodie est* 16. *tit.* 7. *lib.* 1. *Recopil.) ut præstaretur in receptione Graduum in Universitatibus Salmantina, Complutensi, & Vallisoletana juramentum defendi* Conceptionem B. Virg. Mariæ in

gationem celebrata, sensim in festa de præcepto transierunt, quemadmodum advertit Thomassinus *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 10.

XVII. Gregorius IX. in *cap.* 5. ✠ *De Feriis*, enumeratis quibusdam diebus festivis, in quibus judicialis strepitus debet conquiescere, subjicit generalem clausulam; » ac diebus Do-» minicis, certisque solemnitatibus; quas singuli Episcopi in suis » Diœcesibus cum Clero, & populo duxerint solemniter ve-» nerandas. «

Hîc intelligitur, præcipuam auctoritatem novas festivas solemnitates instituendi delatam Episcopis; quod & ex Decreto, quod sub nomine Concilii Lugdunensis retulit Gratianus *dist.* 3. *Can.* 1. *de consecrat.* habetur. Ibi enim relatis quibusdam solemnitatibus, quibus feriandum est, additur: » Et » illæ festivitates, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum » populo collaudaverint."

Hanc quaque Episcoporum auctoritatem apertè supponit Synodus Trid. *ses.* 25. *cap.* 12. *de Regularibus*, decernens: Dies » etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus » præceperit, ab Exemptis omnibus, etiam Regularibus, ser-» ventur."

XVIII. Verùm quia observantia festorum laicos in multis concernit, eosque ab opere manuum, quo victum suum lucrari non pauci jubentur, cessare oportet; atque ab omni strepitu judiciali Magistratus abstinere; meritò præcitatæ Decretales speciatim dixerunt, solemnitates illas celebrandas, quas Episcopi *cum populo* collaudaverint, aut instituerint, ut nimirùm populus, aut saltem Magistratus vice populi in hac institutione audiatur.

Et si advertatur, quàm difficile sit, imò quodammodo impossibile, sine Principum & Magistratuum civilium adjumento, laicos ad debitam festorum observantiam adducere, apparebit, rectè notâsse eruditum Notarum in *Epistolam* 3. *lib.* 11. S. Gregorii auctorem: » Ut feriæ aut imperentur, aut cessent, non » soli Pontifices, non soli Principes efficiunt, sed æquum est, ut » conspirent populi, jusque divinum, tam naturale quam po-» sitivum consulatur."

XIX. Cùm anno 1642. Episcopi Ducatûs Luxemburgensis publicari jussissent Bullam Urbani VIII. super abrogatione quorundam festorum, & nonnullorum nova institutione, interposuit se Senatus Luxemburgensis sustinens talem abrogationem, & institutionem fieri non posse sine consensu Regis: uti & ipsum Consilium privatum declaravit; & consultâ suâ Excelentiâ per Consilium resolutum fuit nihil innovandum, quousque advisamentum Episcoporum & Consiliorum Regiorum haberetur, tuncque ulteriùs deliberandum 7. Julii 1643.

XX. Interdum nimium multiplicatas fuisse solemnitates festorum, atque inde magna in populo murmura, quasi hinc ereptâ ipsi victandi ex opere manuum occasione, exorta; quin & ob earum multitudinem, ac frequentiam in neglectum universa penè festa adducta fuisse, plures Synodi deplorârunt; numerumque propterea eorum minuendum decreverunt.

XXI. Synodus Trevirensis anno 1539. *can. X.* narrat, » numerum festorum admodum crevisse, sed calentem Fide-» lium devotionem friguisse; eoque ventum esse, ait, ut bona » pars hominum *omnia* festa negligat, idque impunè, nec si-» ne Ecclesiæ dedecore. Pauperes, qui non habent unde alant » uxorem & familiam, clamant omnem ferè cessationem sibi » damnosam. Opere pretium proinde nobis visum est, festorum » numerum contrahere, quo & effrenes coerceantur, & aliquid » detur necessitati pauperum."

XXII. Similiter Urbanus VIII. in Bulla pro observatione Festorum anno 1642. emissa, quæ incipit: *Universa per orbem*, 164. *in Bull. R.* præfatur ad se delatum, tantam multitudinem Festorum per diversas Diœceses invaluisse, ut multi jam » dubitare videantur (inquit) quænam ex præcepto, quæve » ex libera cujusque voluntate, sint servanda, pietatis fervore » ob nimiam eorundem numerositatem tepescente; quinimò & » clamor pauperum frequens ostendit ad nos eandem multitu-» dinem ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessita-» tem, sibi valdè damnosam conquerentium, & quod summo-» pere dolendum est, magno cum animi nostri mœrore didici-» mus, tanta sæpè sæpiùs malignatum inimicum in Sancto, ut » ipsa multitudine non ad ædificationem, & ad laudandum in » Ecclesiis Deum populi utantur, sed ad otia, vanitates, & vi-» tia frequenter abuti non formident, ita ut quæ ad glorifican-» dum Divinum Nomen sunt primitùs instituta, temporis de-» cursu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offensio-» nem, gravemque jacturam converterit animarum.

Similiter Jacobus Boonem Archiepiscopus Mechliniensis in decreto anni 1652. quo populo permittit *operari* festis S. Nicolai, conversionis S. Pauli, Cathedræ S. Petri, SS. Marci, Lucæ, Martini & Catharinæ, inter alias causas nominatim expressit: » quia ob multitudinem festorum dierum, plurimi, ma-» ximè pauperes, non pro obligatione illos santificant. «

XXIII. Citata Synodus Trevirensis, enumeratis festis, quæ imposterum celebranda declarant, & præcipit, subjungit: » Cæ-» terùm dies Innocentium, Cinerum, Parasceves, Cœnæ Do-» minicæ, Sabbati Magni, Marci, Tres Rogationum, Comme-» morationis Animarum, & omnes reliquos dies stationum, quos » Ecclesia nostra Trevirensis in diebus aliorum Patronorum, vel » pro specialibus rogationibus ab antiquo introductis, in civita-» te nostra Trevirensi, vel ejus suburbio observatis, usque » in meridiem feriari volumus, ita ut facto Sacro, cuique ad » *labores*, aut *negotia* sua redire liceat. «

His dimidiatis festis annumerari possunt ea festa minora, in quibus Synodus Cameracensis anno 1604. *tit.* 4. *cap.* 6. declarat, *Christi Fideles Missam audire teneri.*

XXIV. Similia festa *dimidiata*, quæ nimirum quasi pro dimidia diei parte celebranda sunt, jam pridem nota apud Græcos fuisse indicat Constitutio Imperatoris Græci Manuelis Comneni *de Feriis*. Post expressos enim dies, quibus integre feriandum est, dicit: » Alii verò ex parte a judiciis cessent, à ma-» nè videlicet usque ad ipsum divini ministerii tempus; ut ju-» dicibus, precationibus, atque glorificando Deo vacare liceat, » ac deinde post divinum sacrificium justitiæ operam navent, se-» cundumque legum vim injuriam passis auxilium ferant. «

XXV. In aliquibus Diœcesibus minora illa festa transierunt in festa devotionis.

Synodus Audomariensis recensitis diebus, quibus nulla servilia, aut secularia opera fieri, nullum forum, aut mercatum rerum venalium haberi; nulla judicia exerceri vult, enumerat plures alios dies, » qui (ait) & ipsi aliquando indicti fuê-» re, vel *integrè*, vel usque ad finitum divinum officium ob-» servandi: sed cùm flaccescens populi devotio, dies festos non » rarò ob illorum multitudinem, quæ videbatur, violaret, quin » etiam illis abuteretur, sublata est hos observandi obligatio, quò » tantò interiùs & exactiùs reliqui observarentur. Cæterum cum » videamus, à magna populi parte etiamnum observari, volu-» mus illos publicari ut pro *devotione* observandos; & quo fo-» veatur populi devotio, officium in Ecclesiis ita fieri, ac si » essent dies isti ex præcepto festi observandi: nec quenquam » Sacerdotum liberum esse ab illarum onere Missarum, quas die-» bus festis debet. Denique moneri omnes, ut audiant, ut mi-» nimùm, his diebus Missam. «

Similiter Jacobus Boonen Archiepiscopus Mechliniensis in citato decreto, hortari vult populum » ut diebus istis » (citra ta-» men obligationem) audiant Sacrum. Fiant autem officia in » Ecclesiis æquè solemniter ac si celebrarentur in populo. «

XXVI. Synodus Iprensis sub Martino Rithovio *tit.* 21. *cap.* 4. » permittit in festis Cathedræ S. Petri, Sancti Marci Evangelis-» tæ, inventionis S. Crucis, B. Mariæ Magdalenæ, Laurentii, » Michäelis, Lucæ, Catharinæ, Nicolai, & SS. Innocentium, » hebdomadale, aut aliud quodcunque forum, hactenus obser-» vatum, celebrari; & in eo mercatum exerceri. Ita tamen, ut » ab omni opere manuali, ad illius diei mercatum non neces-» sario abstineatur; Divinumque Officium, ante tempus foro » designatum, ab omnibus frequentetur. «

Ita quoque Alexander III. dispensans cum Incolis cujusdam regionis, quòd possint diebus festis piscari, addit: *Præterquam in majoribus anni solemnitatibus.*

XXVII. Ex his intelligimus, variam fuisse Diœcesium Belgicarum circa Festorum celebrationem disciplinam, in aliis plùs, in aliis minùs festa fuisse restricta; in nonnullis plùs, in aliquibus minùs indultum: quid porro debita festorum celebratio, tum populi necessitas hîc & nunc requirat, quidvè expediat, Episcoporum est expendere, iisque rite expensis festorum celebrationem ordinare.

XXVIII. Allegata Synodus Trevirensis post memorata festa tum integra, tum dimidiata, addit: » Cætera verò festa, » quacumque ratione instituta sunt vel recepta, in foro libera » facimus. In choro vero de Ecclesia eadem festa, prout ab an-» tiquo observata sunt, devotè celebrentur, ita tamen, ut his-» toriæ, & lectiones parùm probatæ omittantur. «

Hujusmodi festa in choro a Clero celebranda, hodie plurima sunt; atque quotidiè Breviario Romano adjunguntur, ut vix dies ferialis supersit: at de his hoc titulo tractare non est animus, sed tantùm de Festis, quæ à populo celebrari præcepta sunt, quæque propterea festa *in populo* comuniter vocantur.

CAPUT II.

Quis sit finis institutionis Festorum; quomodo observanda.

1 *Vita Christiana continuum Festum.*
2 *Qua ratione vita christiana possit esse continuum Sacrificium.*
3 *Quinam spirituale Sabbatum observent.*
4 *Erronea de Sabbato idea.*
5 *Qua ratione omnes dies hebdomadæ dictæ fuerint* Feriæ.
6 *Ob imperfectiores potissimum dies Festi instituti.*
7 *Finis Festorum dierum.*

8 *Ut finis hic obtineatur, officium divinum in plures horas divisum fuit.*
9 *Officium Divinum seu Canonicum primitùs ad ædificationem populi institutum.*
10 *Etiam desiderat hodie Ecclesia, ut idem habeatur finis Officii Divini.*
11 *Jam pridem statutum, ut populus Officio Canonico, saltem diebus Festivis interesset.*
12 *Quid de hac obligatione habeant Capitularia Regum Francorum.*
13 *De observantia hujus præcepti inquirebant Visitatores.*
14 *Etiam seculo XI. vigebat hæc disciplina.*
15 *Officium Canonicum, quod in Ecclesiis quibusdam Parochialibus diebus Festis persolvitur sapit hanc disciplinam.*
16 *Idem insinuat Missa solemnis & Vesperæ pomeridianæ.*
17 *Edicta Principum indicant, Officia Divina à populo esse frequentanda.*
18 *Edicta hæc etiam complectuntur* Laudes *vespertinas.*
19 *Quare potiùs fiat mentio Missæ solemnis, quàm Concionis, quando de Celebratione Festorum tractatur.*
20 *Error est satisfieri santificationi diei Festi per auditionem Missæ* privatæ.
21 *Satisfit tamen præcepto de audienda Missa.*
22 *Totum diem debere santificari probatur.*
23 *Quomodo S. Carolus totum diem santificari voluerit; & quæ pietatis exercitia præscripserit.*
24 *Officiorum Divinorum sedula, & conveniens persolutio multùm conducit, ut populus diem Festum sanctificet.*

I. Continuum festum esse vitam hominis *christianè* vivendi jam pridem notârunt Patres. Dum enim christianè homo vivit, tunc ex monito Apostoli, jugiter *exhibet membra sua Hostiam viventem*, utendo nimirùm illis, ut obtemperet Deo. » Corpus etiam nostrum (ait Augustinus) cùm » per temperantiam castigamus, si hoc, quemadmodum debe» mus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nos» tra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo, *Sacri» ficium* est. « *Lib.* 10. *de Civit. Dei, cap.* 6.

II. Deinde subjicit Augustinus: „Si ergo corpus, quo infe» riore tanquam famulo, vel tanquam instrumento utitur ani„ ma, cùm ejus bonus, ac rectus usus ad Deum refertur, Sacri„ ficium est; quantò magis anima ipsa cùm se refert ad Deum, „ ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentiæ secula„ ris amittat, eique tanquam incommutabili formæ subdita re» formetur, hinc ei placens, quod ex ejus pulchritudine acce» perit, fit sacrificium? «

Imò est populi christiani dignitas, » ut verum sacrificium » esse dicat Augustinus, omne opus, quod agitur, ut sancta so» cietate inhæreamus Deo, relatum ad illum finem boni, quo » veraciter beati esse possumus. «

Itaque christianè per omnia viventes, universæ vitæ suæ tempus, & singula ejus momenta *sanctificant*, quando totum vitæ suæ tempus non impendunt, nisi ut sancta societate inhæreant Deo; quemadmodum impendere debent, si utiliter & christianè impendere velint: nam ut idem sanctus Pater *Epistol.* 130. *cap.* 7. » Neque enim utiliter in tempore vivitur, ni» si ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur.

III. Quare eodem Patre teste, » Spirituale Sabbathum ob» servant illi, qui se ita temperatè operibus terrenis acommo» dant, ut tam lectioni, quàm orationi, etsi non semper, rec» tè frequenter insistant, secundum illud Apostoli 1. Tim. cap. 4. » v. 13. *Attende lectioni, & doctrinæ*: & iterum 1. ad Thess. » *cap.* 5. v. 17. *Sine intermissione orate*: qui enim tales sunt, » quotidie spirituale Sabbathum colunt. «

IV. Parum ergo sanctè præceptum de *sanctificando Sabbatho* proponitur in hæc verba: Deus præcipit, ut postquam homo tota hebdomada laboravit pro corpore, tot dies impendit temporalibus, tanto tempore pro se solicitus fuit, septimam tandem diem animæ suæ & Deo impendat. Sic enim vivendum est, ut sive laboret, Deo laboret; sive otietur, Deo sanctè otietur, quatenus Psalmistæ concinere possit Psal. 73. *Tuus est dies, tua est nox; tu fabricatus est auroram, & solem.* Hæ sunt continuæ Christianorum feriæ: hoc Sabbathum continuum, quod jam tum pridem Decalogi præcepto mandavit Deus; dum nullam hominis actionem, nullum vitæ tempus voluit esse vacuum dilectione.

V. Reflectens autem Cardinalis Baronius ad loca Patrum, quibus dicitur, Christianos non hanc vel illam ad Divinum cultum præscriptam habere diem, sed cunctis propensius Divinum numen venerari, ait: » Ex his... inferri posse videtur, ea po» tissimum ratione in Ecclesia antiquitùs institutum, ut dies heb» domadæ omnes, *feriæ* nomine dicerentur. «

VI. Verùm cùm non omnium, imò paucorum Christianorum ea sit perfectio, ut continuum illud Sabbathum spirituale teneant & agant, visum est Patribus, propter infirmiores certos dies designare, quibus à negotiis terrenis cessantes, spiritualiter Deo mysteriisque divinis contemplandis se consecrarent, illosque specialiter his, quæ ad salutem animæ spectant, impenderent.

Origenes *lib.* 8. contra Celsum, postquam ostendit, quòd » qui perfectus est ratione, operibus, cogitationibus, perpe» tuò hæret Deo Verbo naturali nostro Domino, semper agit » Diem Domini, & nunquam non habet diem Dominicam, « tandem subjicit: » Vulgus autem eorum, qui credentes magis vi» dentur, quàm sunt: qui vel non vult quotidiè festum agere, » opus habet ut contineatur talibus sensibilibus admonitionibus, » ne omninò dilabatur ab officio. Hæc, ut opinor, cogitans » Paulus, partem diei festi nominavit festum statis diebus recur» rens, collatum ad festum illud aliud. Subindicat autem his » verbis, integrum & perpetuum festum esse in vita æterna, si» cut Sacra Scriptura docet. «

Similiter Chrysostomus probat omnes quidem dies Christianis spiritualem posse esse festivitatem; at non immeritò certos dies festivos, idque ob aliquorum imbecillitatem esse designatos: » Neque enim temerè, ait, & sine causa nobis hæc tem» pora Patres observârunt; sed prudenti aliqua ratione ducti id » egerunt, non ut libertatem nostram temporum necessitati » subjicerent, sed ut dum se inbecilliorum subjicerent egestati, » ad cognitionis opes illos proveherent. « *Homil.* 63.

Pluribus hæc prosequitur Thomassinus tractatu *de Festis lib.* 1. *cap.* 1. 2. & 3.

VII. Hunc ergo in finem Ecclesia quosdam præter diem Dominicum, qui in locum Sabbathi Judaici surrogatus est, alios nonnullos dies designavit, qui specialiter Deo, ejusque cultui impenderentur, & considerandis ejus mirabilibus operibus, etiam in Sanctis suis consecrarentur; & in iis, quæ ad animarum suarum salutem conducere possent, sedulò se occuparent.

Porrò sicut nemo dicet, quòd famulus aut operarius diem aliquem impenderit suo domino aut hero, qui aliquam duntaxat diei partem domino aut hero suo impendit; ita nec dici potest diem aliquem Deo impendere, qui partem solùm ejus dici consecrat, & piis operibus incumbendo sanctificat; sed requiritur, ut diem totum saltem moraliter sanctificet, Deoque impendat.

VIII. Hinc à primis penè Ecclesiæ nascentis exordiis statutum, observatumque fuit, ut Divinum Officium per certas horas distributum, in Ecclesia publicè ageretur; eique diebus saltem Dominicis, festisque populus assisteret, ut hoc pacto diem integrum sanctificaret, & Dei cultui se impenderet.

IX. Si enim Officii hujus primam institutionem attendamus, illud non tam in Cleri quàm Laicorum ædificationem, & gratiam institutum intelligetur.

Unde S. Thomas quærens utrum oratio debeat esse vocalis, respondet, quòd duplex sit oratio, communis & singularis: » Communis quidem oratio est, quæ per ministros Ecclesiæ in » persona totius fidelis populi Deo offertur. Et ideò oporter, » quòd talis oratio innotescat toti populo, pro quo profertur, » quod non posset fieri nisi esset vocalis. Et ideò rationabiliter » institutum est, ut ministri Ecclesiæ hujusmodi orationes etiam » altâ voce pronuntient, ut ad notitiam omnium possint perve» nire. « 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12.

Et post Doctorem Angelicum notavit pius Parisiensis Cancellarius Joannes Gerson in *Alphabeto*, *litt. N.* quòd inter cæteras » causas multiplicationis psalmodiarum *vocalium* in Eccle» siis, una sit vitæ *laicorum* laudabilis occupatio. «

A Sancto Ambrosio institutum fuisse, ut in Ecclesia Mediolanensi juxta morem Orientalium psalmi *alternatim* decantarentur, *ne* POPULUS *mœroris tædio contabesceret*, testis est Augustinus *lib.* 9. *Confes. cap.* 7.

X. Eadem quoque hodie est Ecclesiæ intentio; optatque æquè ut olim, Divinum Officium ita peragi, ut populi devotionem excitet. Unde præterito seculo Concilium Senonense anno 1528. *cap.* 17. hæc statuit: » Cùm in Ecclesiis Dei psal» modia cantanda præcipiatur, ut *Fidelium* devotio excitetur, » in hoc nocturnum, diurnumque officium & Missarum cele» britates, assiduè Clero ac populo sub maturo tenore, distinc» taque gradatione cantentur, ut eadem distinctione collibeant, » & maturitate delectent. «

XI. Optat quidem Ecclesia, ut non tantùm Clerus, sed etiam populus diurno nocturnoque officio, quantum per occupationes licèt, quotidiè assisteret; præcipuè tamen ipsi curæ fuit, ut diebus Dominicis, Festisque iis interesset; atque ita dies illos cultui divino *totos* consecraret.

Theodulphus Episcopus Aurelianensis in suo Capitulari *cap.* 24. ait: » Diei Dominici tanta debet esse observantia, ut » præter orationes & Missarum solemnia, & ea, quæ ad ves» cendum pertinent, nihil aliud fiat... Conveniendum & Sab» batho die cum luminaribus cuilibet Christiano ad Ecclesiam: » conveniendum & ad *Vigilias* sive ad *Matutinum Officium*: » concurrendum est etiam cum oblationibus ad *Missarum* so» lemnia. « Habetur *tom.* 7. *Concil. General. col.* 1137.

Synodus Turonensis anno 813. *Can.* 40. » Die Domi» nica oportet omnes Christianos in Laude Dei & gratiarum » ac-

» actione usque ad vesperam perseverare. «

XII. In Capitularibus Regum Francorum legitur *lib. 6. cap.* 205. » Ne illo sancto die (Dominico) vanis fabulis, aut » locutionibus, sive cantationibus, sive saltationibus stando in » biviis & plateis, ut solet, inserviant. Sed ad Sacerdotem aut » aliquem sapientem & bonum veniant, & eorum prædicatio- » nibus & bonis locutionibus, quæ ad animam pertinent, utan- » tur. Et illo die seu Sabbatho ad *Vesperas*, & ad *Matutinas* » sive ad Missam, cum eorum oblationibus, si fieri potest, om- » nes canendo *Kyrie eleison* veniant, & eundo & redeundo *Ky-* » *rie eleison* decantent. Similiter & pastores pecorum eundo & » redeundo in campum & ad domum faciant, ut omnes eos ve- » raciter Christianos, & devotos esse cognoscant.«

XIII. Imò adeò constans erat hæc disciplina, atque ad eam conservandam ita solicita Ecclesia, ut inter articulos, de quibus per Episcopum, Archidiaconum, vel Archipresbyterum in visitatione erat inquirendum, hic esset ordine decimus septimus: » Est aliquis, qui in die Dominico vel in præcipuis festivitatibus » quidquam operis faciat; & si ad *Matutinas*, & ad *Missam*, & » ad *Vesperas* his diebus imprætermissè omnes accurrant. « Apud Reginonem *de Eccles. Discipl. lib. 2. in Inquisit. n.* 57.

XIV. Quin & seculo XI. inter decreta Ferdinandi Regis & Sanciæ Reginæ, & omnium Episcoporum in diebus eorum in Hispania degentium, & omnium ejusdem Regni Optimatum anno 1050. in Concilio Coyacensi promulgata legitur *cap.* 6. » Sexto verò titulo admonemus, ut omnes Christiani die Sab- » bathi *advesperascente* ad Ecclesiam concurrant, & Domini- » ca *matutina*, *Missas* & *omnes Horas* audiant.«

XV. Ex hac disciplina in pluribus Ecclesiis Parochialibus, præsertim in civitatibus remansit usus Horarum Canonicarum saltem pro majore parte diebus Dominicis, & festis decantandarum; ut nimirùm populus iis diebus ad Ecclesiam istis horis conveniret. Verum hæc officia non rarò adeò perfunctoriè decantantur, ut mirum non sit, si à populo neglectui habeantur; neque de his frequentandis vel cogitetur.

XVI. Frequentia quoque Synodorum nostrorum decreta, quibus præcipitur, ut diebus Dominicis præter Missam solemnem & Concionem, etiam Vesperæ post meridiem, idque horâ statutâ, in omnibus Parochiis decantentur; pristinæ disciplinæ luculenta vestigia sunt.

XVII. Eodem tendunt Principum nostrorum Edicta, quibus cavetur, ne quis diebus Dominicis & Festis tempore Concionis, Summi Sacri, & Vesperarum, audeat ambulare in foro, aut locis publicis, aut prope Ecclesiam, neque intrare popinas, aut publicè quocunque ludo se occupare, vel choreas ducere, vel piscari, aut scholas gladiatorias, vel hortos sagitariorum frequentare sub pœna arbitraria, de quibus *parte* 1. *tit.* 3. *cap.* 11.

Ita Edictum Philippi II. ad Synod. Cameracensem *art.* 5. quod datum fuit ad instantiam Episcoporum istius Provinciæ, qui *tit.* 4. *cap.* 1. expressè decreverant hujusmodi Editum publicum à Regia Majestate, aut Magistratibus impetrandum; ut hoc pacto efficaciùs populus ad frequentationem Divinorum Officiorum adigeretur; & profanatio dierum festorum impediretur.

XVIII. Hîc notandum, quòd cùm Edictorum illorum finis sit, ut publica Officia Divina Diebus Dominicis & festis non impediantur, & negligantur, nullatenùs dubitandum appareat, quin Edicta comprehendant quoque publicas, ac solemnes *Laudes*, quæ in Ecclesiis Parochialibus ex præscripto Synodorum, aut Episcoporum, vel sanè ex laudabili consuetudine, & Parochorum probanda cura sub tempus vespertinum decantari consueverunt; utpotè quæ & partem Divini Officii hodie constituere videntur.

XIX. Sed mirabitur forsan quispiam quòd nec in hactenus citatis Canonibus, neque in Decretalibus Gregorii IX. ubi de celebratione festorum, aut feriarum agitur, Concionis, seu instructionis vix mentio fiat; at id mirum videri haud debet. Notorium enim est, moris fuisse in Ecclesia ut post lectionem Evangelii sequeretur ipsa Evangelii explanatio, quam hodie *Concionem* dicimus; hancque, non secus ac ipsam Evangelii lectionem, partem Missæ constituisse; uti latiùs ostensum est suprà *tit.* 5. *cap.* 2. adeoque dum in Canonibus præcipiebatur populo interesse *Missæ*, unà præceptum fuit *Concioni* assistere.

XX. Ex his facilè apparet, omninò à mente Canonum & Ecclesiæ esse alienam quorundam opinationem, qui arbitrantur, præcepto de sanctificando die Dominico, aut festivo satisfieri per unius *Missæ privatæ*, quæ semihoræ spatio absolvitur, auditionem, tametsi reliquam diei partem actionibus profanis & inutilibus impendant; quem abusum expressit Synodus Cameracensis anno 1604. *tit.* 4. *cap.* 1. eumque ut Parochi extirpare studeant, præcepit: » Ut abusus ille, ait, divino, & ecclesias- » tico præcepto contrarius semel tandem penitùs aboleatur, quo » se plerique existimant probè suo functos officio, si Missa » etiam *privata* tantummodò diebus Domincis & festis auditâ, » reliquum diem profectioni, negotiationi, lusibus, choreis, » potitationibus, & aliis secularibus, vel etiam illicitis actioni- » bus impendant: Parochi suis subditis frequenter inculcent ea, » quæ in Catechismo Romano ad tertium præceptum Decalo- » gi, & aliis auctoribus de recta dierum festorum observatione » traduntur.«

Et omnia illa Synodorum, atque Episcoporum decreta, quibus interdicitur diebus Dominicis & festis Missarum *privatarum* celebratio, quâ populus à Missâ Parochiali & solemni abstrahi posset, ad quid tendunt, nisi ut huic abusui occurrant; occasionemque populo adimant, auditâ Missâ privatâ negligendi Missam Parochialem, ac unà instructionem, quæ sub Missa Parochiali fieri consuevit?

XXI. Quapropter licèt ex Ecclesiæ conniventia, & longâ consuetudine præcepto Ecclesiæ de audienda Missa die Dominico, aut festo satisfiat per auditionem Missæ *privatæ*, nequaquam tamen ex mente Ecclesiæ, eâ solâ auditione impletur præceptum de sanctificando die Dominico, aut festivo.

An dicemus diem aliquem *sanctificari*, id est, in Dei cultum pietatisque opera impendi, dum vix vigesima illius diei pars Dei cultui, aut pietatis operibus impenditur?

XXII. Ut quid enim etiam hodie jubetur *toto* die festo ab opere servili, mercatu, strepitu forensi, aliisque secularibus actionibus abstinere, nisi ut totus dies cultui divino impendatur & sanctificetur? » Idcircò in diebus festis ab opere mundano ces- » sandum est, ut *liberiùs* ad Ecclesiam ire, psalmis & hymnis » & canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationem » offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad invitationem » eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynis in- » digentibus ministrare valeat Christianus: « Ita seculo nono ad Consulta Bulgarorum respondit Nicolaus I. *cap.* 11.

XXIII. Hæc apprimè pernoscens S. Carolus valdè solicitus fuit, ut diebus Dominicis ac festis populus pietatis exercitiis totaliter se impenderet, veraciterque dies illos sanctificaret; ac signanter in Concilio Mediolanensi III. *titulo* 1. decrevit, ut imprimis » Festis diebus sacrosancto Missæ Sacrificio Fideles om- » nes intersint. Neque verò excusentur puellæ nobiles, neque » deinceps viduæ, ne permissu quidem primi nostri Concilii, » ob recentem mariti mortem, aliove cujusvis consuetudinis » prætextu.«

Post hæc subjungit: » Ut verò ii dies omni pietate, & re- » ligiosiùs colantur, hæc crebrò populum Parochi, & Concio- » natores admoneant atque hortentur.

» Ut illorum dierum tempus, quod Deo, ejusque cultui de- » betur, in iis actionibus *totum* consumant, in quibus sanctè » consumendum est.

» Ut concionem mane, & sacram lectionem à prandio, ubi » explicari solet, audiant.

» Ut Divinis, vesperarum præsertim, Officiis præsentes piè, » religioseque adsint.

» Ut in christianæ doctrinæ rudimentis, ac præceptis, vel » percipiendis, vel recolendis versentur.

» Ut in operibus etiam, officiisque pietatis sese exerceant, » ægros homines visitando, morientes piè consolando, & alia » ejusmodi præstando.«

Eandem in rem videri potest ejusdem sancti Præsulis Monitorum libellus pro instituenda christiana videndi ratione à cujuscunque conditionis & statûs fidelibus, qui habetur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *pag.* 1002. & inter alia describitur *pagin.* 1011. exercitium speciale pro festis, sacris temporibus, & vigiliis.

XXIV. Sanè si ea esset Episcoporum & Parochorum cura, ut diebus Dominicis Officia Divina, aliaque pietatis exercitia tum ante, tum post meridiem congruis horis, eâ quâ decet reverentiâ, & exactitudine haberentur, non dubium, quin plurimum conducerent, ut populus ad ritè sanctificandum dies Festos incitaretur; & à profanis, quin & illicitis ac inhonestis actionibus, ad quas otium allicit, abstraheretur; ut notoria experientia in Parochiis benè institutis compertum est.

CAPUT III.

De Operibus servilibus die festo prohibitis.

1 *Sabbatum* cessatio, & *sabbathizare* cessare & requiescere *dicitur.*

2 *Olim Judæis præceptum erat Sabbatho requiescere ab opere servili.*

3 *Quomodo Ecclesia adoptaverit præcepta data Judæis pro sanctificatione Sabbathi.*

4 *Lex Constatini M. de cessatione ab operibus die Dominica, & an hic primus, qui de feriatione ab opere dixit.*

5 *Strepitus forenses magis repugnare videntur cum celebratione Festorum, quàm opus servile.*

6 *Quid sit opus* servile.

7 *Recensentur nominatim opera servilia.*

8 *Ratio prohibendi opera servilia festis diebus.*

9 *Marescalli & Barbitonsores à suis opificiis abstinere debent.*

Quid

10 *Quid de tonsoribus, pistoribus, aliisque statuerit S. Carolus.*
11 *Decreta Synodorum Belgii circa Laniones, Molitores, Braxatores, & similes opifices.*
12 *His consonat Edictum Principum.*
13 *Transcribere libros pietatis* gratiâ, *non esse illicitum diebus festis respondit Gersonius.*
14 *Excriptor talium librorum quomodo dicendus sit* prædicare.
15 *Potest continuò orare; & quomodo.*
16 *Est conveniens opus pœnitentiæ.*
17 *Opus hic utilius & magis necesarium tempore Gersonii quam hoc die, & quare.*
18 *Concludit Gersonius non esse servile.*
19 *Quomodo opera aliqua cum moderatione licita sint diebus festis, aliàs illicita.*
20 *Quomodo hic subinde excedant Advocati.*
21 *Circa itinerationem diebus festis moderatio servanda.*
22 *Itinera non necessaria in diem non festum convenit afferri.*
23 *Famulis dandum spatium sanctificandi Festa; nec ad opera servilia cogendi.*
24 *Monendi patresfamilias, ut suis famulis & operariis indulgeant tempus veniendi ad Offcia Divina.*
25 *Quid de hac obligatione statuant Capitularia Regum Francorum.*
26 *Qualis debeat esse Parochorum cura circa opiliones, bubulcos, & similes.*

I. SAbbathum, hebraicum nomen, si latinè interpretaris, *cessatio* dicitur (ait Catechismus Romanus, *part.* 3. in expositione tertii præcepti Decalogi *num.* 15. qui & addit): » Sabbathizare propterea *cessare & quiescere* latino vocabulo » appellatur, qua significatione factum est, ut Sabbathi nomine » dies septimus diceretur, quoniam absoluta, perfectaque mun» di universitate, Deus ab omni *opere*, quod fecerat, re» quievit."

II. Ut ergò esset cessatio, seu Sabbatum post verba illa: Exodi cap. 20. v. 8. *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices*, addit Deus: *Non facies* OMNE OPUS *in eo tu, & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, jumentuum tuum, & advena, qui est intra portas tuas.*

» Quibus verbis (ait Cathecismus Romanus *num.* 31.) ad id » primum instituimur, ut quæcunque divinum cultum impedire » possunt, omninò vitemus; facilè enim perspici potest, omne » *servilis operis* genus prohiberi, non quidem ea re, quòd suâ » naturâ, aut turpe, aut malum sit, sed quoniam mentem nos» tram à divino cultu, qui finis præcepti est, abstrahit."

III. Quemadmodum igitur Ecclesia præceptum illud populo Judaico datum adoptavit, in quantum in illo naturale præceptum colendi Deum, certosque dies ejus cultui specialiter impendendum continetur; ita & ea, quæ pro observantia ejus præcepti vetita erant Judæis, Christianis quoque interdixit; in quantum christianam, & religiosam sanctificationem Sabbathi impedire possent, mentemque ipsorum à divino cultu abstrahere.

IV. Legitur Constantini Magni lex in Codice Justinianæo sub titulo *de Feriis*, cujus hæc sunt initialia verba: » Omnes » judices, urbanæque plebes, & cunctarum artium officia, ve» nerabili die Solis quiescant."

De feriatione ab operibus eâ die primùm edixisse Constantinum credit eruditus Auctor Notarum in *Epistolam* 3. *lib.* 11. *S. Gregorii*, addens: » Alii Imperatores non tam de opere, quàm de judiciis statuerunt: sic Theodosius, *ut in die Domini» co emancipare ac manumittere liceat, reliquæ* CAUSÆ *vel* » LITES *quiescant.* Prohibent tamen spectacula & voluptates » obscœnas." Hæc ille.

V. Quidquid sit de hac reflexione, certum est, quòd arctiùs frequentiusque vetitum fuerit diebus Dominicis, & Festivis strepitus forenses exercere, quàm operi servili aut manuali occupari; tum quòd illi faciliùs differri possint, tum quòd magis mentem distrahere, & à rebus divinis avocare soleant, quàm opera servilia.

Ad hæc constat, subsequentibus seculis, tam Ecclesiasticis, quàm civilibus legibus opera servilia festis diebus vetita esse; in quantum scilicet & hæc religiosam Festorum celebrationem, & christianam quietem impedire possunt.

VI. Opera servilia propriè hîc dicuntur opera illa corporalia, in quibus unus servit alteri, atque communiter per *servos* olim, hodie per famulos, seu mercenarios exerceri solent; ac inde *servilia* à *servis* jam pridem nuncupata fuêre.

VII. Quæ inter opera servilia etiamnùm hodie computantur, ea ferrè expressa habentur in Capitulari Aquisgranensi Caroli Regis ann. 789. (r) *cap.* 79. & refertur *lib.* 1. *Capitular. cap.* 75. » Statuimus quoque, secundum quod in lege Domi» nus præcepit, ut opera servilia diebus Dominicis non agan» tur, sicut & bonæ memoriæ genitor meus in suis Synodali» bus edictis mandavit, quòd nec viri ruralia exerceant opera, » id est, nec vineam collendo, nec in campis arando, nec in » metendo, vel fœnum secando, vel sepem ponendo, nec in » silvis stirpando, vel arbores cædere, vel in petris laborare, » nec domos struere, nec in horto laborare, nec ad placita » conveniant, nec venationes exerceant. Sed tria carraria ope» ra licèt fieri in die Dominico, id est, hostilia carra, vel » victualia, & si fortè necesse fuerit corpus cujuslibet duci ad » sepulchrum. Item fœminæ opera textilia non faciant, nec ca» pulent vestitus, nec consuant, vel acu pictile faciant, nec » lanam carpere, nec linum battere, nec in publico vestimen» ta lavare, nec vervices tondere habeant licitum."

VIII. Rationem addit: » Ut omnimodis honor & *requies* » die Dominico persolvatur. Sed & ad Missarum solemnia ad » Ecclesiam undique conveniant, & laudent Deum pro omni» bus bonis, quæ nobis in illa die fecit."

IX. Concilium Parisiense, seu Senonense anno 1429. *cap.* 25. decernens » dies Dominicos & festivos cum omnimoda reveren» tia observari, abtinendo scilicet ab omni opere servili & manua» li, ac divinorum auditioni cum matura devotione vacando;" mox tanquam consequens subjungit: „ Illum abusum peni„ tùs reprobantes, quo *mareschalli*, & *barbitonsores* supradic„ tis Dominicis, & aliis B. Mariæ, & Apostolorum, & su„ pradictis Festivitatibus, credunt sibi licitum fore sua minis„ teria, etiam præter necesitatem, exercere, circa quem vo„ lumus per Ordinarios de oportuno remedio provideri, ip» sos monitione prævia corrigendo."

Et quis dubitet, quin Mareschallorum ac Tonsorum ministeria inter opera servilia, ac manualia numerari, adeoque unà cum his vetita censeri debeant diebus Dominicis & Festivis.

X. Quare S. Carolus in Concilio III. Mediolanensi reliquis opificibus tonsores annumerare non dubitavit dicens: » *Tonso» ribus* præterea, pistoribus, sutoribus, calcearíis, aliisque » ejusmodi, & reliquis opificibus, quibus prescribi oportet, » Episcopus certas regulas præscribat; ne deinceps dierum fes» torum cultum violent, in quo maximè peccare solent."

Quàm hodie abusus ille in multis Belgii locis communis sit, quamque parùm religiosè à tonsoribus dies festi collantur, ususque obtineat, ut penè magis diebus Dominicis, & Festis, quàm aliis diebus opificia sua exerceant, nimis notum est. Episcoporum, & Magistratuum est his abusibus occurrere, legesque prescribere, quibus & ipsi tonsores, & populus conformare teneantur.

XI. Circa laniones in multis locis non absimilis invaluit abusus, ut nimirùm diebus festis circa opificii sui exercitia occupentur; cui occurrere volens Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.* 12. *cap.* 2. præcipit: » ne subditi ulli operi servili, quod » sine evidenti periculo differri potest, manum admoveant, uti » panno lineo, vel lineo lavando, aut dealbando, aut tingen» do, oves & boves mactando, aut saliendo."

Similiter Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 4. *cap.* 2. de dierum festorum cultu agens, ait: » Neque etiam permittantur.... molito» rum, coctorum cerevisiæ, lanionum, pistorumque operæ, » nisi ob notabilem necessitatem." Idipsum iisdem penè verbis expressum est in Synodo Tornacensi anno 1589. *tit.* 4. *cap.* 1.

XII. His consonat edictum Philippi II. ad citatam Synodum Cameracensem *art.* 7. » declarans licitum non esse molitoribus, » braxatoribus, lanionibus, & pistoribus sua opificia diebus » festis exercere, nisi ob notabilem necessitatem determinatam » per Officialem, & Magistratum loci, de consilio Decani Chris» tianitatis, aut in ejus absentia, Pastoris loci."

XIII. Olim proposita fuit Joanni Gersonio à quodam Monacho domûs Carthusiæ hæc quæstio: *Si liceat diebus festivis scribere devotionis libros gratis.*

Huic quæstioni ut respondeat Gersonius, specialem tractatum composuit, quem inscripsit *de laude Scriptorum*, primumque inter ejus opera locum occupat, in quo ostendit per duodecim considerationes, transcribere *libros devotionis gratia* nullatenùs esse opus *servile*; eique laudabiliter diebus festivis incumbi posse.

XIV. Inter has considerationes una est, quod hujusmodi librorum excriptor prædicet non lingua, sed *manu*; eoque fructuosiùs, quo hæc prædicatio est magis permanens, plures instruere potest. » Certè (ait) si lingua silet, manus prædicat, & „ fructuosiùs aliquanto, quanto scriptura venit ad plures ube„ rior, quàm transiens sermo."

XV. Deinde consideratione quarta exponit, quomodo Scriptor talium librorum continuò orare, mentemque in Deum elevatam habere queat. „ Crediderit (ait) Scriptor noster & pie„ tate jugi recogitaverit, toties Deum, Sanctosque Angelos se„ cum *Dominicus celebraretur, omissis omnibus operibus servilibus, sub pœnis in eadem lege contentis.*

(r) *Ann.* 1387. *Joannes I. Hispaniarum Rex suo decreto, quod hodie est l.* 4. *tit.* 1. *lib.* 1. *Recop. præcepit, quòd dies*

„ cum esse, toties Scriptores sacros ipsum alloqui, toties Chris-„ tum sibi blanda quædam oscula consolationis dare, quoties „ dicta eorum salubria conscribit. Contemplationem itaque lec-„ tio, quæ scribenda sit, non impedit, sed pascit.“

XVI. Quinta consideratio asserit, scriptionem librorum esse laboriosum exercitium, macerationem quandam corporis, posseque imponi per modum pœnitentiæ à Confessario. » Nul-» lus, ait, negaverit laboriosum esse scribentis exercitium. Ac-» ceptet ergo istud in pœnitentiam seu satisfactionem, pro suis, » alienisque delictis, &c. Junge quòd in foro pœnitentiæ potest » iste labor ad satisfactionem imponi. Quem laborem si nullus » hominum imponit, imposuit sanè Deus ab initio, cùm dixit » Adæ & posteris ejus: In sudore vultûs tui vesceris pane tuo.“

XVII. Cæteræ considerationes Gersonianæ ostendunt, fructum multiplicem ex scriptione accurata piorum librorum in Ecclesiam, & populum dimanantem, qui eo tempore, quo scribebat Gersonius, nimirùm anno 1428. major erat, quòd necdum ars typographica esset reperta; unde nec mirum, si Gersonius & ipsam transcribendi libros necessitatem & utilitatem tantoperè extollat.

XVIII. Interim ex omnibus concludit Gersonius: » Nihil » impedit libros, seu tractatulos, vel codicillos devotionis scri-» bere festivis diebus; habito moderamine, quale sapiens judica-» vit in hoc opere, quod utique non servile censendum est; » sed in honorem Ecclesiæ aliquando plus vergens, quàm mul-» tiplicatio vocalis orationis, imò quàm insolens in aliquibus Mis-» sarum multiplicatio.“

XIX. Quæ hîc circa transcriptionem piorum librorum dixit Gersonius, eadem quoad alia multa exercitia *non servilia* dici possunt; quod nimirùm ea sanctificationem diei Festi non violent, modò cum ea moderatione, intentione, aliisque circumstantiis à Gersonio descriptis, fiant.

E contrario, si ea moderatio, eæque conditiones non serventur, facilè fiet, ut similia exercitia sanctificationem diei Festi impediant.

Quid enim, si quis diem Festum pro majore parte impendat scribendo acta, aut instrumenta litium sub debito salario: quemadmodum Procuratorum, Advocatorum, Notariorum, aliorumque Officiatorum ministri, sive Scribæ facere consueverunt? Quis dicet hujusmodi Scriptores diem Festum sanctificare? Et de tali scriptione indubiè intelligendus S. Bonaventura in *Speculo Discipl. ad Novit. part.* 1. *cap.* 22. ubi inter ea, quæ in diem non festivum differenda censet, numerat *scribere in quaterno.*

XX. Eadem ratione post alios Theologos docet Merbesius 1. *parte*, *quæst.* 190. *conclus* 12. » Peccare advocatos, qui » cupiditatis, & avaritiæ studio succensi solitos labores Domi-» nicis diebus, & Festis obeunt, & ita sese in secularia negó-» tia immergunt, ut nihil sibi temporis relinquant, quo Deum » singulari cultu iis præsertim diebus prosequantur, & suæ sa-» luti consulant.“ Idem erit de Procuratoribus, aliisque, qui negotiis tametsi liberalibus simili modo se immergunt.

XXI. Quin & circa ipsa *itinera*, quæ Synodus Aurelianensis anno 538. *can. XXVIII.* diebus Dominicis vetita non esse declarat, quædam moderatio tenenda est.

Sanctus Theodulphus Aurelianensis Episcopus in citato decreto, postquam dixit, tantam debere esse observantiam, ut præter orationes & Missarum solemnia, & ea quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat, immediatè subjicit: » Nam & si *ne-» cessitas* fuerit navigandi, sive *itinerandi*, licentia datur, ita » duntaxat, ut hac occasione Missæ & orationes non prætermit-» tantur.“

Quamvis ergo conformiter ad Synodum Aurelianense declaret hic Aurelianensium Antistes diebus Dominicis esse licentiam itinerandi, eam tamen non nisi *necessitas* concurrat concedere videtur; idque ulteriùs ea moderatione, ut *Missæ & Orationes* non prætermittantur.

Et fortiùs citata Synodus Coyacensis sub S. Ferdinando Rege Castellæ de celebratione diei Dominicæ agens dicit: » Servi-» le opus non exerceant, nec sectentur *itinera*, nisi orationis » causa, aut sepeliendi mortuos, aut visitandi infirmos; aut pro » Regis secreto, pro Sarracenorum impetu.“

XII. Sanè timoratorum plurium praxis etiam hodierna docet, itinera præcipuè longa, quæ notabilem diei partem occupant, diebus festis non esse facilè suscipienda; eaque, si sine notabili incommodo fieri queat, in alium diem esse differenda exemplo Comitis S. Geraldi, de quo in ejus vita narrat S. Odo *lib.* 2. *cap.* 24. » Item dum ab Urbe rediret, venit sabbatho » ad quandam Ecclesiam, juxta locum scilicet, ubi sulphurei » videntur acervi. Cùm autem vellet populus in crastinum pro-» ficisci, retinuit eos dicens; quòd ob reverentiam Dominici » diei, saltem usque ad *nonam* demorarentur. Nec illa demora-» tio fuit etiam sine beneficio temporali.“

Notandum per horam *nonam* hîc intelligi horam, quæ nostræ horæ *tertiæ* pomeridianæ respondet.

XXIII. Quod olim deploraverit Concilium Parisiense anno 829. *lib.* 1. *cap.* 50. quòd utcunque dies Dominica à quibusdam Dominis venerando custodiri videretur, sed à *conservis servitio eorum pressis* perrarò debito honore coli inveniretur, hodiè meritò deploratur; dum videmus plures famulos, famulasque diebus festis in tantum à suis Dominis impendi & operas adigi, ut iis vix tempus Missam audiendi indulgeatur; indeque non rarò contingat, ut circa fidei mysteria, ac vitæ christianæ normam planè rudes sint.

Inter leges ecclesiasticas sancti Canuti Regis Danorum *cap.* 14. legitur: » Herus si servo invito opus addixerit die quo-» cunque festo, servo mulctator suo, servus deinceps liber esto.“

XXIV. Apud Regionem *de Eccl. Discip. lib.* 2. *cap.* 416. refertur sub nomine Concilii Rothomagensis; » Admonere de-» bent Sacerdotes proles sibi subditas, ut bubulcos, atque por-» carios, vel alios pastores, vel aratores, qui in agris assiduè » commorantur, vel in silvis, & ideò more pecudum vivunt, » in Dominicis & in aliis festis diebus saltem ad Missam faciant, » vel petmittant venire. Nam & hos Christus pretioso Sangui-» ne suo redemit. Quod si neglexerint, pro animabus eorum abs-» que dubio rationem se reddituros sciant.“

Hîc notandum, quòd juxta illius temporis disciplinam, nomine *Missæ* hîc intelligatur *Missa solemnis*, sive Parochialis, sub qua ipsa concio comprehenditur, juxta dicta capite præcedenti.

XXV. Et in Capitularibus Regum Francorum legitur *lib.* 6. *cap.* 205. » Et illo die Sabbatho ad Vesperas & ad Matutinas si-» ve ad Missam cum eorum oblationibus, si fieri potest, omnes » canendo *Kyrie eleison* veniant, & eundo & redeundo *Kyrie* » *eleison* decantent. Similiter & *pastores pecorum* eundo & re-» deundo in campum & ad domum faciant, ut omnes eos vera-„ citer Christianos & devotos esse cognoscant.“ Idem eisdem penè verbis expressit Herardus Archiepiscopus Turonensis in suis Constitutionibus *cap.* 114. Habentur ad calcem tomi primi Capitularium Regum Francorum editionis Balluzianæ. Notandum autem per *Kyrie eleison* hîc intelligi *litanias publicas*, quæ per *Kyrie eleison* incipere solent. Consule Glossarium Du Cange, verbo *Kyrieleis.*

Quàm crassa soleat in hoc hominum genere esse ignorantia, & sæpiùs vita omnino gentilis, quin & impia, nimis notum est; ut meritò hîc rursus repetam, quod ex Synodo Namurcensi relatum est suprà *part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 3. ut „ Pastores tempore » messis, & etiam illis diebus, quibus *opiliones*, *bubulci*, vel » subulci in agris sunt, illos visitent ibidem & doceant, imi-» taturi ea in parte vestigia Salvatoris nostri Jesu Christi, qui per » vicos, & plateas transibat evangelizare Regnum Dei.“

CAPUT IV.

STREPITUS FORENSES, ET MERCATUS DIEBUS FESTIS VETITI.

1 *Ex præcepto sanctificandi dies festos profluit, à strepitu forensi abstinendum esse.*
2 *Quid de hoc dixerit Constantinus Magnus.*
3 *Lex Theodosii Imperatoris.*
4 *Amplior de hac re constitutio Leonis, & Anthemii Imperatorum.*
5 *Canones legibus consentiunt.*
6 *Sententiæ pronuntiatio, etiam ante conceptæ, die festo fieri nequit.*
7 *Similiter nec sententiæ executio.*
8 *Examen testium, licet jam ante juraverint, die festo non instituendum.*
9 *Actus judiciales die festo exerciti sunt invalidi; licèt partes consenserint.*
10 *Ob necessitatem, aut pietatem interdum liciti.*
11 *Mercatus cur diebus festis prohibitus.*
12 *Distinctio inter actus judiciales, & mercatum diebus illis exercitos.*
13 *De vetitis mercatu & nundinis die festo decretum Synodi Cameracensis.*
14 *Conforme Edictum Philippi II.*
15 *Simile decretum Synodorum Mechliniensium, & Edictum Principum.*
16 *Vetitum vendere carnes in macello; vel merces in domibus privatis, etiam foribus* clausis.
17 *Regulamentum Magistratus Bruxellensis circa venditionem edulium diebus festis.*
18 *Decretum S. Caroli diebus festis mercatum interdicens.*
19 *Etiam ementes violationis festorum complices declarat; minutoria tamen vendi permittit.*
20 *Quibus potissimum incumbat hisce invigilare.*

I. OPera servilia inhibita esse diebus Dominicis, & Festivis, ea potissimùm ex causa, quia hominem abstrahunt ab iis, quæ diebus illis tractare, & agere oportet; reddùntque eum nimis implicatum, quàm ut divinis pro exigentia, &

& sanctificatione ejusmodi dierum vacare possit, notatum fuit capite superiori.

Ex ipsa igitur ratione præcepti consequens est meritò per Canones jam pridem vetita esse diebus illis Deo sacris omnia ea exercitia, quæ hominem rebus terrenis implicare, & à cultu Divino nata sunt avocare; inter quæ eminent strepitus judiciales, qui, ut capite præcedenti notatum est, magis hominem rebus terrenis implicare solent, quàm opera servilia.

II. Constitutio Constantini Magni de observantia diei Domini ci seu *Solis* superiore capite relata, qua dicitur: » omnes ju» dices, urbanæque plebes, & cunctarum artium officia die *So*» *lis* quiescat: « sat apertè strepitus judiciales die illo debere quiescere indicat.

Quinimò eidem Imperatori consideranti, ipsos Gentiles à suis Feriis sive Deorum Festis jurgia litigiorum amovisse: » in» dignissimum videbatur diem *Solis* veneratione sui celebrem, » altercantibus *jurgiis*, *& noxiis* partium *contentionibus* occu» pari: « ut loquitur in *L.* 1. *Cod. Theod. de Feriis.*

III. Theodosius Imperator in *leg.* 2. *Cod. eod.* ait: » Ut die » Dominico emancipare, ac manumittere liceat, reliquæ *causæ*, » vel *lites* quiescant. « Dein paucis interpositis adjungit: » Sanc» tum quoque diem Paschæ, & diem Natalis Domini, & Epi» phaniæ, septem qui præcedunt, & septem qui sequuntur, » *sine strepitu* volumus observari... Et quod contra hoc factum » fuerit, omnibus modis irritatur."

IV. Verùm omnibus generalior ipsosque actus judiciarios propiùs exprimens est Constitutio Leonis, & Anthemii in *l. fin. Cod. eod.* » Dies festos Majestati Altissimæ dedicatos, nullis vo» lumus (inquiunt) voluptatibus occupari, nec ullis exactionum » vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ità semper » honorabilem decernimus & venerandum, ut à civitatis exe» cutionibus excusetur; nulla quemquam urgeat admonitio; nul» la fide jussionis flagitetur exactio; taceat apparitio; advocatio » delitescat. Sit ille dies à cognitionibus alienus; præconis hor» rida vox silescat; respirent à controversiis litigantes, & ha» beant fœderis intervallum; ad sese simul veniant adversarii » non timentes, subeat animos vicaria pœnitudo; pacta con» ferant, transactiones loquantur (s)."

V. Canones ipsam dierum festorum sanctificationem unicè desiderantes, eas Imperatorum leges laudârunt, atque frequenter adoptârunt, renovaruntque.

Sub nomine Concilii apud Compendium in *cap.* 1. ✠ *de Feriis*, præcipitur, omnes dies Dominici observentur & » in » eis mercatus minimè fiat, neque *placitum*: neque aliquis ad » mortem, vel ad pœnam judicetur, nec Sacramenta (nisi pro » pace vel alia necessitate) præstentur."

VI. Ex his juris textibus uno consensu tradunt Juris-Consulti, per Ferias omnem judiciorum actum quiescere debere, & si fieret, non valere, v. g. si sententia feratur, etiamsi tum solùm pronuntiaretur, jam ante juridico die composita & concepta; uti post Antonium Fabrum docet Tuldenus ad Codicem titulo *de Feriis*, *num.* 2.

VII. Rectè quoque ibidem Tuldenus reprobat quorundam opinionem arbitrantium, *executionem* sententiæ die Feriato licitam esse, eò quòd in ea non versatur causæ cognitio: » quia » (ait Tuldenus) Feriæ non magis disceptatione secura judicis, » quàm vexatione damnati violantur, & *anxia* perscrutatione » victoris apparitorisque. Hoc enim potissimum spectant leges. «

VIII. Notat quoque ibidem *num.* 5. non rectè quosdam Interpretes » admittere diebus festis examen testium, quamvis in » profesto *juraverint*, neque eorum citationem ob supra cita» tam legem finalem: nam ejus decretum utique judiciale est, » & executio inquietat... Sanè cùm constet, in festo testes adi» gi jurejurando non posse *cap.* 1. ✠ *de Feriis* (qui tamen ac» tus religionis est) nescio, qua ratione velint eos examine dis» tringi posse; cùm suæ potiùs conscientiæ, ad legis divinæ » normam examinandæ vacare oporteat."

IX. Et quidem usque adeo solemnibus Feriis, quæ ob reverentiam Dei noscuntur institutæ, à strepitu judiciali » conve» nit abstinere (ait Pontifex in *cap. fin.* ✠ *de Feriis*) ut *con*» *sentientibus* etiam partibus, nec processus habitus teneat, » nec sententia, quam contingit diebus hujusmodi promul» gari (t)."

Ratio decissionis est, quia, ut rectè monet Tuldenus *num.* 4. Feriæ religiosæ non ad litigatorum favorem, sed ad honorem Dei pertinent. Unde ibidem subjicit Pontifex: Licèt die» bus feriatis, qui gratia vindemiarum, vel messium ob neces» sitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium » processerit voluntate."

X. Addit nihilominus Pontifex hanc parenthesim, *nisi necessitas urgeat*, *vel pietas suadeat.* Hinc uno consensu concludunt Canonistæ, communi praxi comprobante, urgente necessitate, vel pietate suadente, posse subinde actus judiciales diebus festis exerceri. Casus plures passim referunt Interpretes, & Doctores ad titulum Codicis & Digestorum *de Feriis*; qui casu occurrente facilè consuli poterunt.

XI. Sicuti ob nimiam à rebus divinis distractionem diebus festis debet quiescere strepitus judicialis; ita eadem ratione cessare debet iis diebus mercatus, sive mercatura seu negotiatio. Licèt enim propriè non possit operibus servilibus annumerari mercatura, tamen ex illis est, quæ hominem secularibus implicat, & à divinis avocat: unde jampridem à Canonibus, uti actum judicialem, ita & *mercatum* diebus Dominicis vetitum esse, ex verbis *cap.* 1. ✠ *de Feriis*, videmus.

XII. Hanc tamen quoad eam prohibitionem inter actum judicialem & *mercatum* communiter notant distinctionem Doctores, quòd contractus in mercatu, aut nundinis die Dominico celebrati, seclusa consuetudine, sint validi; actus verò judiciales invalidi; licet enim omnes æqualiter vetentur in citato *cap.* 1. non tamen mercatus irritatur, neque contractus aliique actus mercaturam spectantes, sicuti irritantur actus judiciales in dicto *cap fin.*

XIII. Synodi nostræ Belgicæ observationem dierum festorum urgentes, mercatum nundinasque diebus illis proscribunt, vetitaque declarant; eaque ut etiam Regia auctoritate interdicerentur, postulârunt.

Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 4. *cap.* 2. ait: » Similiter » eidem Regiæ Majestati supplicetur pro Edicto contra aurigas, » nautas, & similes, ne Dominicis & aliis Festis diebus merces » vehere possint; utque etiam subhastationes, quas vulgò *re*» *cours*, aut *passemens* appellant, & multò magis *mercatus*, » *auctiones publicæ* tempore Missæ & Vesperarum sub gravi » pœna prohibeantur; *nundinæ* etiam annuæ, & *forum* rerum » *venalium* hebdomadarium, cùm in diem festum incidunt, in » alium transferantur ab Episcopis cum consilio Magistratuum. «

XIV. Synodi postulationi annuens Philippus II. edicto ad hanc Synodum mandavit *art.* 8. ut dictæ subhastiones, & auctione publicæ in alium diem non festum differantur: ita tamen ut denuntiationes, & proclamationes iis diebus, ob concursum populi, fieri possint extra Ecclesiam finita Missa, aut Vesperis. Nundinæ annuæ, & forum publicum hebdomadarium, si in diem festum incidant, vult ad diem non festum anticipari, vel differri per Magistratum cum communicatione, & consilio Episcoporum.

XV. Huic consonat quod jam ante statuerat Synodus P. I. Mechliniensis titulo *de Festis*, *cap.* 3. » Si forum, aut nundi» næ incidant in aliquo ex celebrioribus festis, serventur illæ, » vel ante, vel post festum, prout Magistratus cujusque loci » judicaverint expedire. « Et in Synodo P. II. Mechliniensi *tit.* 13. » *cap.* 4. renovatum, & edicto Principum *art.* 9. roboratum fuit.

XVI. Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.* 12. *cap.* 2. ait: » Merces etiam suas dictis festis *ante fores*, vel in *fenestris* domorum, vel alibi venales non exponant. «

Rursùs Synodus Tornacensis anno 1643. *tit.* 2. *cap.* 7. ait: » Promotor districtè invigilet contra eos, qui diebus Festis, & » Dominicis, etiam foribus *clausis* merces emere, vel vendere » præsumunt in civitatibus. « Et ejusdem Diœcesis Synodus anno 1589. *tit.* 4. *cap.* 2. » prohibuit, ne die Dominico aut Fes» to vendantur carnes in macello, vel etiam in domibus pri» vatis, nisi superveniente necessitate. «

Inter excessus commiti solitos diebus Festis, & in quos Magistratus cæterosque Officiarios invigilare hortatur Synodus Iprensis anno 1609. *tit.* 6. *cap.* 1. recensentur *venditiones carnium in macellis.*

Similia in omnibus passim Synodis decernuntur, mandaturque Pastoribus, Archipresbyteris & Officiariis, ut sedulo in contravenientes invigilent.

XVII. Circa venditionem edulium, quæque ad victum quotidianum penè necessaria sunt, nec diu conservari possunt; solentque hodie in omnibus passim civitatibus publicè exponi, extat longum ac moderatum regulamentum Magistratus Bruxellensis, confectum de consensu & cum interventione Jacobi Boonen Archiepiscopi Mechliniensis, libro 1. Edictorum Brabantiæ *pag.* 58. quòd licèt in multis ob consuetudinem inolitam condescendat, ac nonnulla permittat, quæ melioribus temporibus permissa non fuissent, optandum nihilominùs esset, ut quæ ibidem decernuntur, ubique exactè hodie observarentur, atque ad ejus normam dies Festi colerentur. Hoc inter alia præcipuè præ oculis habuisse videntur Regulamenti auctores, ne per hujusmodi mercatus, publica & parochialia officia impedi-

(s) *Huic conformis est l.* 4. *tit.* 9. *lib.* 3. *Recop. in qua ordinatur, ne in diebus Deo sacris, seu feriatis judicium vel admittatur, aut proferatur, sicut* (*ut ait ipsa lex*) *lege cautum est. Hæc erat* 10. *lib.* 2. *tit.* 1. *del Fuero Juzgo, emanata à Flavio Recesvinto, qui in Hispania ab anno* 650. *usque ad* 672. *regnavit, ab eoque tempore & Rege vacationes, quæ à Dominica in Palmis usque ad Quasimodo, & à die Natalis Domini usque ad Epiphaniam hodie servantur, dimanant.*

(t) *Acta judicialia facta diebus festivis, etiam de consensu partium, in Hispania nulla esse declarat. l.* 34. *tit.* 2. *Part.* 3.

direntur, consequenter nec ipsi vendentes aut ementes à frequentatione illorum officiorum retraherentur; ita enim pleraque ordinantur, ut vel ante tempus inchoandi Divini Officii debeant sistere, vel nonnisi post absolutum Divinum Officium inchoare queant.

XVIII. Decreto huic Magistratus Bruxellensis, in multis consonat monitum S. Caroli anno 1581. ad Parochos missum, cujus inscriptio est: *Ne quidpiam ematur, vendaturve diebus festis*, extatque in actis Ecclesiæ Mediolanensis *pag.* 351. Hic imprimis memorat, jam pridem specialibus à se editis decretis super observatione Festorum, prohibitas esse emptiones, ac venditiones quarumcunque rerum, iis duntaxat exceptis, quæ ad humanum illius tantùm diei victum necessariæ sunt, quæ tamen *publicè* non exponerentur, & non nisi determinatis horis venumdari possent, *clausis* omninò *officinis*, ostiolo solùm patente.

XIX. Post hæc deplorat, » hæc tamen admodum negligi, plurimis apertas exhibentibus officinas, aliis etiam pullos, fructus aliave id genus vendentibus per vicos, & plateas sicut cæteris diebus, citra discrimen, publico scandalo pravoque exemplo.... Monere verò non vendentes modò, verùm etiam » ementes censeri Festorum violatores, quippè qui peccato » cooperantur, atque adeò participes ejus fiunt; quare quisquis » ea quæ sunt usui suo necessaria pridie Festi sibi comparet, » exceptis quibusdam *minutioribus* rebus, quarum venditionem » certis locis primo mane permittimus edicto nostro. «

Citatum quoque Regulamentum Magistratûs Bruxelensis, permitti diebus festivis vendi *minutiores* aliquos fructus facilè corruptibiles, idque post absolutam Missam solemnem à Parochia usque ad horam primam pomeridianam; item omnis generis acetarii post Completorium.

XX. Quantus circa publicas mercium venditiones in multis civitatibus hodie sit excessus, nemini incolarum ignotum esse potest; ipsorum Archipresbyterorum, Officialium, Promotorum, & etiam civilium Magistratuum officio incumbit illis excessibus invigilare; atque delinquentes juxta Synodorum decreta, & edicta Principum coërcere & punire; ne alias Festorum profanationis ipsi participes efficiantur.

CAPUT V.

De Spectaculis, Choreis, et popinarum Frequentatione vetitis.

1 *Ab operibus illicitis, aut ad illicita trahentibus diebus Festis maximè abstinendum.*
2 *Distinctio inter observationem Sabbathi Judaicam, & Christianam.*
3 *Vetita à Theodosio spectacula die Dominico.*
4 *Hæc Constitutio extensa ad omnes dies Festivos.*
5 *Etiam Judæis, & Gentilibus exhibitio spectaculorum vetita diebus Festis.*
6 *Neque ob Natalem Imperatoris in diem Festum incidentem exhibitio licita.*
7 *Meritò spectacula vetita fuisse ostenditur ex Tertuliano.*
8 *Spectaculorum fœditatem delineat Cyprianus.*
9 *Abominationes in iis committi solitas expressit Lactantius.*
10 *Quid de his senserint SS. Augustinus & Chrysostomus.*
11 *Spectacula sui temporis describit S. Carolus.*
12 *Belgica nequaquam ab his planè dissimilia.*
13 *Synodi, & Principum edicta quomodo ea prohibeant diebus Festis.*
14 *Chorea, & tripudia inter personas utrisque sexus antiquis spectaculis admodum similia.*
15 *His meritò applicantur, quæ de choreis sui temporis dixit Chrysostomus.*
16 *Judicium Card. Bellarmini de choreis nostratibus.*
17 *Choreæ cum sanctificatione Festorum nullatenus conveniunt.*
18 *Abominandæ choreæ, quæ in popinis inter utriusque sexûs personas hodie frequentantur.*
19 *Decretum Synodi Tornacensis contra hæc conventicula.*
20 *Simile decretum Episcopi Gandensis.*
21 *Frequentantes hujusmodi conventicula Pastores Matrimonio jungere non possunt sine licentia Episcopi.*
22 *Quam abominanda in his conventiculis committantur.*
23 *Parochi contra eosdem abusus agere debent.*
24 *Potestatum Secularium est contra eosdem abusus agere.*
25 *Edicta Regia contra hæc conventicula.*
26 *Frequentantes hæc conventicula tanquam peccatores publici à Sacramentis arcendi.*
27 *Qui potissimum impedire tenentur frequentationem conventiculorum.*
28 *Multiplex Festorum profanatio per frequentationem popinarum.*
29 *Specialiter vetita popinarum frequentatio diebus Festis per Synodorum & Principum decreta.*
30 *Synodi procedi volunt judicialiter contra frequentantes popinas.*
31 *Exercitia enim aliàs non illicita, diebus Festis saltem tempore divini Officii vetita; & quare.*
32 *Profanatio Festorum præcipuè imputanda neglectæ executioni Decretorum Synodalium, & Edictorum Principum.*

I. SI diebus Dominicis, Festisque ab operibus servilibus aliisque haud alias de se illicitis abstinendum sit, ut facilius, liberiusque dies illos Deo, pietatisque operibus consecrare possimus; quanto magis igitur abstinendum ab operibus malis, aut ad malum de se incitantibus, ipsumque animum suo, quasi pondere ad peccata deprimentibus.

II. Augustinus hanc inter Judaicam, & Christianam Sabbathi observantiam assignat distinctionem, quòd vacatio Christiana à malis operibus sit, vacatio Judaica à bonis operibus. » Ecce & hodiernus dies Sabbathi est, ait, hunc in præsenti » tempore otio quodam corporaliter languido & fluxo & luxurioso celebrant Judæi; vacant enim ad nugas, & cùm Deus præceperit Sabbathum, illi in his, quæ Deus prohibet, exercent » Sabbathum. Vacatio nostra à malis operibus, vacatio illorum » à bonis operibus est. Melius enim est arare quam saltare. » Illi ab opere bono vacant: ab opere nugatorio non vacant. « *In Psalmo* 91.

Et rursus *Enarratione in Psalm.* 32. *num.* 6. » Observa » diem Sabbathi, non carnaliter, non Judaicis deliciis, qui otio » abutuntur ad nequitiam. Melius enim tota die *foderent*, quàm » totâ die *saltarent*. Sed tu cogitans requiem in Deo tuo, & » propter ipsam requiem omnia faciens, abstine ab opere » servili. «

Similia habet libro *de decem chordis*, *cap.* 3. asseritque de Judæorum fœminis, » quòd meliùs die Sabbathi lanam facerent, » quàm tota die in Neomeniis suis impudicè saltarent. «

III. Ne ergo Christiani vacando ab opere servili, aliisque functionibus civilibus, otio Judaico defluerent, deliciisque sensualibus, & operibus malis diem festum insumerent, admodum jam pridem solicitè cautum, ut ea omnia diebus Dominicis, Festisque vetarentur, quæ populum sensuali aliqua voluptate, aut curiositate allicere, & ad vitia quodammodo impellere solent.

Sic legimus à Theodosio anno 386. constitutum: » Nullus » *solis* (id est, *Dominico*) die populo spectacula præbeat, nec » divinam venerationem confecta solemnitate confundat. « *L.* 2. *Cod. Theodos. de Spectaculis.*

Id ipsum in Occidente, nominatim in Africa ab Honorio Imperatore sanciri anno 401. petiisse Patres Africanos, docet Canon LXI. in Codice Africano.

IV. Cumque in citata Theodosii lege diei *Solis* sive Dominicæ dumtaxat mentio fieret, adeoque spectaculorum exhibitio diebus Festivis permissa videretur; ac dein dubitaretur, an & Judæis Gentilibusque exhibitio hæc vetita esset; aut saltem si dies Natalis Imperatoris in diem Dominicum, aut Festivum incideret, in honorem saltem Imperatoris eo die spectacula exhiberi possent; hisce decidendis alteram, eamque generaliorem edidit Constitutionem tanto Principe dignam, quæ refertur in *L. ult. Cod. Tehodos. de Spectaculis.*

Primò ergo hanc prohibitionem ad universos dies Festivos extendit dicens: » Dominico, qui septimanæ totius primus est dies, & Natale, atque Epiphaniorum Christi Paschæ etiam, & Quinquagessimæ diebus, quandiu cœlestis lumen lavacri, imitantia novam sancti Baptismatis lucem vestimenta testantur, quo tempore & commemoratio Apostolicæ passionis totius Christianitatis Magistræ à cunctis jure celebratur, omni Theatrorum, atque Circensium voluptate per universas urbes earundem populis denegata, totæ Christianorum, ac Fidelium mentes Dei cultibus occupentur."

V. Post hæc dubium secundum resolvit subjiciens: „ Si qui „ etiam nunc vel Judæi impietatis, atque infamiâ detinentur „ aliud esse supplicationum noverint tempus, aliud voluptatum."

VI. Expendebat nimirùm ipse religiosissimus Imperator diebus illis spectaculorum voluptates haud convenire; nec minus periculi imminere Christi fidelibus à spectaculis per Judæos & Gentiles, quam per Christianos exhibitis.

Denique tertium scrupulum eximens, sententia Christiano Principe digna, suam legem concludit: „ Ac ne quis existimet „ in honorem Numinis nostri veluti majore quadam Imperialis officii necessitate compelli, & nisi divina religione contempta spectaculis operam præstat, subeundam forsitam sibi „ nostræ serenitatis offensam, si minus circa nos devotionis ostenderit, quam solebat, nemo ambigat, quod tunc maximè „ mansuetudini nostræ ab humano genere defertur, cùm virtutibus Dei omnipotentis, ac meritis universi obsequium orbis impenditur."

VII. Quam meritò scenica hæc spectacula, ludosque theatrales diebus festis proscripserint Imperatores, patebit, si advertatur, quid de his spectaculis, ludisque jam pridem dixerint Patres; & quomodo illa ut irritamenta vitiorum & ad eorum-

rumpendos animos potentissimè valentia, cautè, ac studiosè à Fidelibus fugienda monuerint; quamque ea veri Christiani exhorruerint.

Tertullianus in libro Apologetico *cap.* 38. nomine Christianorum loquens, ait: » Æquè spectaculis vestris in tantum re» nuntiamus, in quantum originibus eorum, quas scimus de » superstitione conceptas. Quin & ipsis rebus, de quibus tran» siguntur prætersumus. Nihil est nobis cum infamia circi, cum » impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum xysti vanitate.

Notat hîc Rigaltius ad verbum *Prætersumus*: » Præteresse » dicit, ut superesse. *Prætersumus* igitur iis rebus, quas præte» rimus, ac prætermittimus, & à quibus valdè alieni sumus, » videlicet ab infamia circi, impudicitia theatri, &c. «

VIII. Spectaculorum fœditatem, ac spurcitiam, necnon nocendi, & animos corrumpendi efficaciam graphicè describit S. Cyprianus, seu alius Auctor tractatus de Spectaculis inter opera Cypriani, atque inter alia scribit: » Et cùm nulli hominum, aut » generi, aut professioni, ab improbis isto sermone parcatur; ab » omnibus tamen ad speculum convenitur; commune dedecus » delectat, videlicet, vel recognoscere otia, vel discere; concur» ritur ad illud pudoris publici lupanarium, ad obscœnitatis » magisterium, ne quid secreto minus agatur, quàm quod in » publico discitur; & inter ipsas leges docetur quidquid legi» bus interdicetur. Quid inter hæc Christianus fidelis facit, cui » vitia non licet nec recogitare, quid oblectatur simulacris libi» dinis, & in ipsis deposita verecundia, audacior fiat ad crimi» na? Discit facere, dum consuevit videre.

IX. Lactantius *lib.* 6. *Divin. Instit. cap.* 20. solitâ suâ eloquentiâ theatralia hæc spectacula insectatur, eorumque abominandam, & perniciosam fœditatem vivacissimè proponit: » in » scenis, ait, quoque nescio, an sit corruptela vitiosior. Nam » & Comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, & amori» bus meretricum; & quo magis sunt eloquentes, qui flagitia » illa fixerunt, eo magis sententiarum elegantia persuadent, fa» ciliùs inhærent audientium memoriæ versus numerosi & or» nati... Histrionum quoque impudicissimi motus, quid aliud » nisi libidines docet, & instigant... quid juvenes, aut virgines » facient, cùm & fieri sine pudore, & spectari libenter ab om» nibus cernunt? Admonentur utique quid facere possint, & » inflammantur libidine, quæ aspectu maximè concitatur, ac se » quisque pro sexu in illis imaginibus præfigurat; probantque illa » dum rident, & adhærentibus vitiis, corruptiores ad cubicu» la revertuntur.“

Post hæc concludit: » Vitanda ergo spectacula omnia, non » solùm ne quid vitiorum pectoribus insideat, quæ sedata & » pacifica esse debent, sed ne cujus nos voluptatis consuetudo » deliniat, & à Deo, atque à bonis operibus avertat.“

X. Et S. Augustinus *lib.* 1. *de Consensu Evang. cap.* 33. vocat ea, *caveas turpitudinum, & publicas professiones flagitiorum.* Unde vitæ suæ juvenilis errata describens, ait: Rapiebant » me spectacula theatrica, plena miseriarum mearum & *fomitibus* ignis mei. « *Lib.* 3. *Confess. cap.* 2.

Sed non est quisquam, qui acriùs, acerbiusque theatra insectatus sit, & fideles ab iis advertere studuit, quàm S. Chrysostomus; cujus vix ulla Homilia spectaculorum reprehensione vacat. Homilia 29. in caput 6. Matthæi, scenicos ludos civitatis *pestem* vocat. Homil. 69. in 2. Matthæi: *Theatralem chorum malorum omnium fontem, scaturiginem ac fomitem.*

XI. Si hodiernæ comediæ, & theatrales ludi, ut communiter publicè exhibentur, propriùs attendantur, facilè apparebit, rationes, ob quas Christianis, & præcipuè diebus festis haud convenire olim Patres judicârint, etiam in hodiernis militare.

Hinc S. Carolus inter » publicorum peccatorum illecebras, » quas homines depravatæ consuetudinis errore decepti pro ni» hilo putant, ponit sui temporis spectacula, ludos ludicrasque » res id generis, quæ, ait, ab ethnicorum moribus originem » ducunt, disciplinæque Christianæ adversantur.

Hæc Concionator reprehendet.... perpetuò detestabitur, » execrabitur, demonstrabit incommoda, publicasque ærumnas „ inde in christianum populum dimanare.“

Utque ostendat quàm hæc cum pristinis spectaculis, in quæ Patres calamum strinxere, conveniant, addit: „ In quam sen„ tentiam valdè populum confirmabit argumentis, quæ gravissi„ mi viri, Tertulianus, Cyprianus Martyr, Salvianus & Chry„ sostomus afferunt.“ In actis Eccl. Mediol. *pag.* 400.

XII. Si spectacula, quæ *comœdiæ*, vel etiam *opera* dici solent, expendantur, quæ hodie in civitatibus Belgicis exhiberi solent, apparebit sanè, quòd non parùm jam descriptis spectaculis sint conformia; sanctificationi dierum Festorum minimè conveniant, & nata sint populum facilè à divinis officiis abstrahere; imò vix contingat, ut non tantùm ad vanitatem & curiositatem, sed ad libidinem provocent. Perfecta enim vix creduntur, nisi obscœna aliqua, ut minus saltem tectè, & sub terminis quibusdam æquivocis, quæ frequenter magis inhærent auditoribus, admisceantur.

XIII. Quapropter Synodus P. II. Cameracensis inter abusus, quibus per Synodorum Decreta hactenus mederi non potuit, numerat *spectacula ludicra*; eaque diebus Dominicis, & aliis Festis diebus tempore Divini Officii maximè Vesperarum & Concionis præcipit non haberi; desideratque idipsum Regio Edicto confirmari.

XIV. Si choreas, saltationes & tripudia, quæ hodiè, præcipuè ruri inter personas utriusque sexûs instituuntur, consideremus, apparebit his apprimè quadrare, quæ in spectacula, choreasque suo tempore dixêre Patres; atque ad ea » nunquam » verè conveniri sine multis, & iis quidem gravissimis Dei offen» sionibus (verba sunt S. Caroli in Synodo Mediol. III. *titulo* 1.) » idque ob turpes cogitationes, obscœna dicta, inhonestas actio» nes, morum corruptelas & pernitiosas ad omnia opera car» nis illecebras illis perpetuò conjunctas; tum propter cædes, » rixas, dessidia, stupra, adulteria, aliaque mala plurima in» de consequentia quàm sæpissimè.“

XV. Verissimeque de his dici plerumque poterit, quod de iis olim pronuntiavit Chrysostomus *Homil.* 48. *in Mathæum*: » Multa (ait) nostra hac ætate celebrantur convivia, multæ » *choreæ*, & *saltationes* homicidæ peraguntur; in quibus non jam » Sanctissimus Præcursor interficitur, sed ipsa Christi Jesu mem» bra immaniori quodam modo, sævitiaque jugulantur. Non » asportatur in disco caput in saltationis pretium, sed adstan» tium plerique omnes fœdis, belluinisque voluptatibus turpis» simè mancipantur: dum scilicet irretiuntur criminosis cupi» ditatibus, non abscisso cervicibus capite, sed anima à Chris» to Domino revulsa crudeliùs enecatur.“

XVI. De nostratibus audi Cardinalem Bellarminum in Concione 19. *Dominica Quadrages.* » De Choreis tantùm dicam » unum verbum, atque ideò potissimum, quòd intelligam non» nullis non videri hoc verum malum, & sciam Lovanii esse » publicas scholas, ubi docetur ars tripudiorum. Sed ego pro» fectò si adulterium, & fornicatio est malum, videre non » possum, quomodo viros cum fœminis tripudiare non sit ma» lum, cùm ad hoc illud maximè provocet.... Tu ad calorem » adolescentiæ addes calorem potationis, deindè ibis, & ridebis, » cantabis, saltabis cum puellis, & ego nihil mali suspicabor.“

XVII. Hæc si ritè expendantur fatendum erit jure meritò dixisse S. Carolum loco suprà citato, postquam de choreis locutus fuerit: » His tot offensionum, & peccatorum seminariis „ locum dari, iis præsertim diebus, qui dies propitiationis sunt; „ & iis ipsis diebus fideles plerosque nefariis istis Satanæ blandi„ tiis illectos, à Divinis Officiis, religiosis supplicationibus, lec„ tionibus sacris abduci, avertique rudes à percipiendis fidei ru„ dimentis; aliosque ab aliis christianæ pietatis officiis, in quæ „ eo tempore religiosè incumbendum est, abstrahi, & amoveri; » hoc certè gravissimum est in conspectu Dei & Ecclesiæ.“

XVIII. Saltationes, & choreæ hodiernæ nullibi turbiùs, majorique cum periculo & scandalo aguntur, quàm in conventiculis juvenum, ac puellarum, quæ diebus Dominicis, & Festis in popinis, præsertim in pagis haberi solent; quos Synodus Tornacensis 1589. *tit.* 4. *cap.* 11. describit dicens: » Et cum intel» ligamus in quibusdam Parochiis præsertim diebus Dominicis, » & Festis puellas, & viduas, vel etiam conjugatas sine suis ma» ritis deduci ad tabernas vel popinas, vel publica diversoria, » & illic cum juvenibus, aut viris potitare magno cum pudici» tiæ suæ periculo: præcipimus Pastoribus, & Concionatoribus » illorum locorum, ut acriter hortentur Parochianos suos & » Parochianas, ne deinceps tale quid faciant aut fieri permit» tant, ostendentes quàm hoc sit turpe, & periculosum pudi» citiæ puellarum, & mulierum, & tristissimos eventus inde » provenire, adhortantes omnes & singulos ne tale quid fiat. » Itemque ne tabernarii, vel caupones illud domi suæ fieri » patiantur.“

XIX. Cùm verò hoc malum hoc nostro seculo non imminutum, sed potiùs auctum videretur; ipsosque dies Dominicos, & Festos turpissimè per hæc abominanda conventicula profanari viderent Episcopi, omnibus modis, etiam invocato brachio seculari exterminandum censuerunt.

Synodus Tornacensis anno 1677. habita *articul.* 6. statuit: » Pluribus conquerentibus de puellarum, & adolescentum vi» rorum protervia, qui simul popinas adeunt..... tum etiam de » publicis choreis, tripudiis, aliisque ejusmodi, quibus cum » magno Ecclesiæ ludibrio, & pietatis detrimento operam dant » populi diebus Dominicis, & Festis, & maximè diebus Dedi» cationi & Patronorum..... adeantur seculares etiam Magis» tratus, ipsaque supremi hujus civitatis Consilii Curia... ut tan» tùm scandalum tandem compescatur.“

XX. Nominatissimus Gandensium Antistes Antonius Triest execrabiles has choreas execratus decretum edidit sub annum 1629. in hæc verba: » Abussus, qui committitur, præser» tim ruri à filiabus, quæ immemores pudicitiæ ipsis propriæ » & imprimis necessariæ, eo audaciæ veniunt, ut invitatæ à » juvenibus tabernas frequentent Dominicis præsertim & Fes» tis diebus, præbet & indies magis præbebit occassionem » plurimis dissolutionibus, & flagitiis: ea propter Pastoribus in» jun»

» jungimus, ut in sermonibus suis, ea qua poterunt diligen-» tia, in abusum illum invehantur, & parentes sedulò corri-» piant, de abominabili sua incuria, & indulgentia, quòd fi-» lias suas tanto cum periculo pudicitiæ & famæ suæ ejusmo-» di consortiis sinant interesse."

XXI. Episcopi Antuerpienses eundem abusum in sua Diœcesi invaluisse intelligentes, plura adversus illum edidere severissima decreta: quibus non obstantibus intelligens modernus Antistes Joannes Ferdinandus hoc malum ubi radices egit, indies grassari, & diffundi, Prædecessorum suorum decreta die 24. Feb. 1685. editâ constitutione renovavit; injungens Archipresbyteris, & Pastoribus cum Vicariis suis, ut hujusmodi conventus ab impari sexu agitari solitos pro virili sua extirpare studeant. » Si verò accideret (ait) ut quipiam a Pastore corr-» repti non resipiscerent, Pastor nobis deferet, ut si matri-» monio postmodum jungi vellent, despiciamus, num satius non » fuerit eos à matrimonio, vel Sponsalibus contrahendis ar-» cere: neque adducere nos poterunt, ut consensum præbeamus, » donec, & resipuerint, & datum scandalum reparaverint, &c."

Deplorat autem hic Antistes profanationem dierum festorum, quam hi conventus per ebrietates, perjuria, impudicitias, & intolerabiles abusus in hisce committi solita, inducunt.

XXII. Alphonsus de Berges Archiepiscopus Mechliniensis editâ de hoc abusu Epistola Pastorali anno 1675. significat, » quòd maxima & deflenda perniciens irrepserit juvenes inter & » puellas, qui Dominicis, Festivis, aliisque (quos vocant *Vro-» lijke Avonden*) tempore etiam Divini Officii ad tabernas iden-» tidem conveniunt, ubi potitant, & tripudia agitant in mul-» tam noctem: & interea ejusmodi miscentur colloquia, tam » obscenæ canuntur cantilenæ, & ab ipsis quidem conjugatis » qui dictis juniorum conventibus intersunt, tam impudici at-» tactus tentantur & exercentur, tamque frequentes scurrilita-» tes, & sordes cum magno animarum interitu contingunt, ut » vel ex auditu eorundem horreant pii, & timorati obstupes-» cant."

XXIII. Mandat dein Pastoribus, ut pro virili incumbant, & allaborent, quo intolerabile hoc malum & abominandum abusum, maximaque flagitia impediant: ut è suggestu, & confessionali, & quavis ferente occasione ob oculos efficaciter proponant pericula & innumera mala, quæ præfatos Conventus comitari solent.

XXVI. Post hæc dicit: quòd cùm id muneris quoque sit Potestatum secularium, ut cum Pastoribus invigilare, & ejusmodi mala, ubi grassantur, a juventute arcere obstringantur, Pastoribus incumbat, illas accedere, ut pro officio adlaborent, ad tantum malum extirpandum, *brachiumque*, ut vocant *seculare*, ubi opus, non denegent; quo fiat, ut strenuè ad executionem deducantur edicta, quæ a Majestate Regia pro sanctificatione Dominicorum Festorumque dierum non semel emanârunt.

XXV. Plura sunt Regia edicta hoc & præterito seculo edita pro observatione dierum festorum; quæ si juxta mentem Regis ab Officiariis, & Magistratibus civilibus executioni mandarentur, indubiè magna ex parte abusus diebus illis commiti soliti impedirentur; eaque omnia rursus innovata sunt per Decretum Regium 21. Martii 1682. quod ad instantiam Archiepiscopi Mechliniensis emanavit, specialiterque injungitur Officiariis Regiis sub Diœcesi Mechliniensi, ut operam suam conferant pro impediendis insolentiis expressis in hac Epistola Pastorali; utque illa secundum suum tenorem executioni mandetur, & observetur.

XXVI. Cùm autem dictus Archiepiscopus adverteret, quòd nec Epistola Pastoralis, nec Edictum Regium ad extirpandum hunc abusum sufficerent, fortiora remedia adhibenda judicavit.

Hunc in finem per litteras circulares significare jussit Archipresbyteris, quòd cùm intellexerit, multos adolescentes, aliosque ad tabernas ire contra suum decretum de anno 1675. etsi eidem accesserit Regium Edictum; idcirco mandet omnibus & singulis Dominis Pastoribus, ut » dictos publicos inobedientes habeant tanquam peccatores publicos, de quibus » in Pastorali, & ad Sacramenta non admitant, assistentiamque » suam iis denegent, tum in sponsalibus, tum in matrimoniis, » donec publicum scandalum repararint (u)."

Tandem Epistola concluditur his verbis: » qua in re illus-» tris-

Denique Vobis injungimus, ut identidem per Reverendos Dominos Decanos Rurales respectivè, certiores Nos faciatis eorumque, quæ circa prædicta apud vos contigerint, qualisque emendatio (prout speramus optamusque) super his omnibus secuta fuerit. Datum Bruxellis in Palatio nostro Archiepiscopali, die 25. Novembris anno Domini 1675.

Locus ✠ Sigilli.

ALPHONSUS Archiepiscopus Mechliniensis.

(u) Epistola Pastoralis Archiepiscopi Mechliniensis contra conventicula juvenum & puellarum.

PERCHARI ET DILECTI.

Frequenter Nobis exponitur, ex parte omnium propemodum Decanatuum Ruralium nostri Archiepiscopatûs, Juventutis gravem admodum & deplorabilem animarum esse jacturam, videlicet adolescentum, & puellarum, qui Dominicis, Festis, aliique diebus (quos Hilares nuncupant) stabiliter etiam tempore Officii Divini conveniunt in popinis, ut potitent & tripudient, ibidemque in seram vesperam hæreant, dum & talia inter ipsos colloquia, pariterque inter personas conjugio junctas quandoque se junioribus aggregantes, miscentur, tam indecentes cantilenæ decantantur, tales attactus quæruntur & committuntur, tot insolentiæ & absurditates fiunt, cum gravi conscientiæ labe, ut vel sola horum narratio personis timoratis horrorem incutiat.

Idcircò nos injungimus, ut omnem adhibeatis diligentiam, quo tantum incommodum, abusus, cæterique hujusmodi gravia peccata impediantur, proponentes efficaciter in concionibus, sedibus Confessionum, aliisque casibus, & opportunitatibus discrimina, & mala similibus Conventiculis annexa, Parentibusque insuper proponentes onus quod ipsis incumbit, ut liberos suos inde contineant, tantoque magis quòd probè sciant peccata & insolentias, quæ vel ipsi forsitan juvenili tum ætate commiserunt, aut tolerârunt, aut in similibus casibus & conventiculis viderunt, & consequenter etiam iisdem parentibus ob oculos ponatis, se coram Deo eorundem peccatorum compartícipes & reos fore, quæ in liberis aut famulantibus non impedierint, aut saltem omni modo conati fuerint impedire.

Quandoquidem verò obligatio, ut prædicta in juventute impediantur, præter Pastores, etiam spectet ad Magistratus locorum, in quibus tales indecentiæ committuntur, Vestri muneris erit, eos rogare, ut ad prædicta gravia mala impediendo cooperentur, & brachii secularis præstent auxilium, fideliterque procedant ad executionem edictorum sæpiùs promulgatorum suæ Regiæ Majestatis, quoad factum celebrationis Dominicorum, Festorumque dierum.

Si verò nulla sequatur emendatio, continuetque etiamnùm, aut pergat juventus taliter popinas frequentare, & in iis convenire, ut dictum est, postquam præfata media adhibita fuerint, declaramus nos compulsum iri, ut adversus talia provideamus suspensioni Officii Divini & administrationis Sacramentorum respectu eorum qui se emendare noluerint, aliisve pœnis Canonicis, ne Nobis extremi judicii die, animarum Nobis commissarum, quasque tanto pretio Dei Filius redemit, perditio imputetur.

Litteræ Circulares Archiepiscopi Mechliniensis de 10. Maii 1685. pro ulteriore executione allegatæ Epistolæ Pastoralis.

Cùm magno animi dolore audivit Illustrissimus Dominus quòd multi Adolescentes, aliique ad tabernas vadant contra illius decretum de anno 1675. etsi eidem nuper accesserit Regium Edictum; idcirco mandat omnibus & singulis Dominis Pastoribus, ut dictos publicos inobedientes habeant tanquam publicos peccatores, de quibus in Pastorali, & ad Sacramenta non admittant, assistentiamque suam iis denegent, tum in spon-

Decretum Regium super executione prædictæ Epistolæ Pastoralis Archiepiscopi Mechliniensis.

Carolus Dei gratia Rex Castilliæ, &c. Cum simus informati, quòd non obstantibus Edictis nostris die 7. Octob. 1531. 12. Aug. 1560. 1. Jun. 1587. 22. Jun. 1589. 20. Septemb. 1607. ultima August. 1608. 1. Julii 1616. & 10. Julii 1628. circa celebrationem diei Dominicæ & Festorum, frequentationem & multiplicationem tabernarum, publicos ludos durantibus Divinis Officiis, & aliis horis incongruis varii abusus, & irreverentiæ irrepserint per negligentiam, & incuriam nostrorum Officialium: Hinc est, quòd ad iis occurrendum, Nos, ex deliberatione chari & nobis admodum dilecti consobrini Alexandri Farnessi Principis Parmensis &c. præcipiendum duximus, prout præcipimus per præsentes omnibus Judicibus, Magistratibus, & Officiariis, soleter attendere, ut præcitata Edicta rite observentur, procedendo contra infractores per pœnas, & multas in iisdem expressas sub pœna correctionis: Et præterea speciatim prædictis nostris Officiariis Diœcesis Mechliniensis, in his ditionibus nostris & Ducatu Brabantiæ, porrigant manum auxiliatricem, ut occurratur insolentiis expressis in Epistola Pastorali Archiepiscopi Mechliniensis die 25. Novembris 1675. & hæc secundum formam & tenorem suum observetur: quoniam ita nobis placet. Datum Bruxellis 21. Martii 1682. Regni nostri decimo septimo. Signatum erat Ryc. Ut. *Super plicam erat scriptum:* Per Regem in suo Consilio. *Et signatum* Goubau.

» trisimus Dominus cupit, ut R. V. (Archipresbyterum alloqui-» tur) in suis visitationibus circa excessus istos & Vespera-» rum, ac Catechismi omissiones diligenter inquirat. «

Sanè si sincerè, & accuratè expendantur, nefanda, quæ in his adolescentum, & puellarum conventibus, & choreis perpetrari consueverunt, apparebit, jure meritissimo hodiernis illis choreis, & conventibus, applicari quæ de sui temporis choreis Patres dixêre; imò hisce choreis aptissimè convenire definitionem S. Carolo aliquando probatam: *Est circulus, cujus centrum est Diabolus, & cujus circumferentiæ sunt Angeli ejus circumstantes.*

XXVII. Plura de his conventiculis, nec non choreis, & tripudiis, eorumque pessimis effectibus videri poterunt in quodam tractatu de *Choreis, & tripudiis; prout agitari passim solent, præsertim diebus Dominicis, & Festis*, quem sub titulo Thesium evulgavit Bartholomeus Pasmans in hac Academia Doctor Theologus; ubi unà ostendit, quam arcta gravisque sit Episcoporum, Pastorum, nec non Magistratuum obligatio indesinenter omnibus mediis allaborandi, ut hoc malum extirpetur; quomodo item sub gravi peccato constringantur parentes proles suas, & Patres familias suos domesticos ab hujusmodi conventiculis retrahere.

XXVIII. Multipliciter per frequentationem popinarum & tabernarum dies Dominicos, & festivos violari, ob multiplicia peccata, quæ in illis committi solent, jam pridem notatum fuit, atque ob hanc popinarum frequentationem potissimum verificari illud S. Antonini *part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 7. §. 1. » Om-» nium lachrymis deflenda est Christianorum cæcitas: quòd » gravius Deum offendant diebus festis ejusdem divino cultui » dedicatis, quàm totâ hebdomadâ ad vitam parandam ins-» tituta. «

XXIX. Præter Principum edicta, quæ generaliter usum tabernarum, ob multiplices excessus, qui in iis committuntur, moderantur, relata *parte* 1. *tit* 2. *cap.* 4. sunt insuper plura Principum edicta, quibus cavetur, ut nullus incolarum ad tabernas recipiatur; nec taberna ulli incolæ pateat diebus Dominicis, aut festis, tempore Missæ, Sacri & Vesperarum. Ita edictum Philippi II. ad Synodum P. II. Cameracensem *art.* 5. Item edictum Alberti & Isabellæ an. 1607. quod habetur parte 2. edictorum Flandriæ *pag.* 33.

XXX. Quæ & Synodalibus decretis sepiùs injuncta fuerunt. Et quidem Synodus Antuerpiensis sub Miræo anno 1610. *tit.* 13. *cap.* 2. advertens non omnes ad sanctificationem Festorum monitionibus flecti: „ Volumus (ait) contra illos trans-„ gressores sine dissimulatione procedi juxta Ecclesiæ Præcepta, „ Serenissimorum Principuum nostrorum Edicta, Prædecesso-» rumque nostrorum Ordinationes.... Potissimum diligenter ob-» servetur, ne Dominicis & Festis diebus, eo tempore quo Di-» vinum Officium fit, aut Verbum Dei prædicatur, tabernæ » vel hospitia ulla aliis, quàm viatoribus pateant. Si verò ipsi » Officiarii caupones sint, & hac occasione lucri cupiditate hanc » justissimam legem ipsi violent, aut aliàs fuerint negligentes, » mandamus Pastoribus, & aliis in Parochia Sacerdotibus, nec-» non & Custodibus, ut tales ad Officialem nostrum deferant; » eidem Officiali nihilominus injungentes, ut in tales inquirat » etiam non monitus à Pastore.“

Similiter Synodus Mechliniensis anno 1609. *tit.* 12. *cap.* 1. ait: „ Diebus Dominicis, aut Festivis tempore concionis, sum-„ mi Sacri, vel Vesperarum in tabernis potitantes, aut publi-„ cis lusibus, vel tripudiis vacantes, denuntientur, pro quali-„ tate personarum, & modo scandali puniendi. “ In margine indicatur edictum Principum pro observantia Festorum.

Eadem passim in omnibus Synodis Belgicis inculcantur, & sub gravibus etiam pœnis injunguntur, nominatimque in ultima Synodo Namurcensi anno 1659. iisdem verbis adoptatur relatum decretum Synodi Mechliniensis; additurque: „ In quo casu „ & omnibus aliis servabitur edictum Alberti & Isabellæ de an-„ no 1607. publicatum Namurci anno 1608.“

XXXI. Sunt & alia exercitia, quæ licèt ex se non sint illicita, & eam malorum & insolentiarum non soleant habere sequelam, quam secum quasi infallibiliter trahunt choreæ, juvenum puellarumque conventicula ac tabernarum frequentatio; tamen nata sunt avertere à Divinis Officiis, & debitum Festorum dierum cultum impedire; quales sunt plerique lusus publici à corporum agitatione & industria dependentes; qui licèt cum moderatione ad aliquam corporis exercitationem etiam diebus Dominicis, & Festivis tolerari possint, tamen & Synodalibus decretis, & Principum Edictis vetitum est, publica hæc exercitia facere tempore Divini Officii: ita Synodus P. II. Cameracensis, & edictum Philippi II. ejusdem confirmatorium *art.* 5. & citatum edictum Alberti & Isabellæ.

XXXII. Ex omnibus hactenus relatis tum Synodorum, & Episcoporum, tum Principum decretis & edictis videre est, sat multa esse providè statuta pro Festorum debito cultu; eorumque neglectam executionem esse causam illius dierum Festorum profanationis, quæ multis in locis tam horrenda est, ut timendum sit à minis, quas olim Deus per Prophetam Malachiam *cap.* 2. populo Judaico denuntiavit his verbis: *Ecce ego projiciam vobis brachium, & dispergam insuper vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.* Et illud Isaiæ cap. v. 13. *Neomeniam, & Sabbathum, & solemnitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.*

CAPUT VI.

De licentia laborandi diebus Festivis.

1 *Ecclesia in observatione diei Festi vult illud servari Christi*: Sabbathum propter hominem *factum est*; & non homo propter Sabbathum.
2 *Lex charitatis cedit legi positivæ de observatione Sabbathi.*
3 *Lex generalis cedit legi particulari.*
4 *Christus docuit præferendam misericordiam, & charitatem* externo *cultui diei Festi.*
5 *Christus ostendit, quod conditor legis, in lege dispensare possit.*

Jam declaramus, mentem nostram fuisse, ut per Edictum nostrum die 2. Martii 1682. inhiberemus puellis innuptis, ne conventiculis adolescentum in popinis, aut circa eas interessent ad ibidem potitandum aut tripudiandum, seu Dominicis, seu Festis, seu diebus feriatis, qualicunque hora diei, seu tempore Officii Divini, seu alio, indictâ mulctâ sex florenorum ad onus cauponis seu cauponæ, & trium florenorum mulctâ, ad onus cujusque adolescentis & puellæ, qui contra hæc deliquerint, exigendâ eorum sumptibus à parentibus & tutoribus ipsorum pro prima vice, & arbitrariâ mulctâ pro secunda indictâ. Mandamus, quibuscunque Prætoribus, Præfectis justitiæ, aliisque Officialibus, ad quos poterit spectâre, ut desuper invigilent, & jurisdictionis suæ popinas præsertim Dominicis, Festisque diebus visitent, & prævaricatorum correctioni prædictæ muletæ & pœnæ executione intendant, iisdem etiam mandantes, ut omnem opem (quam offerre rogabuntur) Judicibus Ecclesiasticis, eorumque Officialibus præstent, quoad violationes, quæ Dominicis, aut Festis diebus in casibus, in quibus juxta præcedentia nostra Edicta & mandata ipsius permissum fuit agere per præventionem. Injungimusque dilectis admodum & Fidelibus Nostris Præsidi Supremo & Consiliarii Sanctioris nostri & magni Consilii, Cancellario, & Consiliariis Consilii nostri Brabantiæ, Præsidis & Consiliariis Provincialis nostri Consilii Flandriæ; & Scultero Mechliniensi, ut hoc nostrum præsens mandatum locis consuetis, & ubi opus fuerit, promulgari curent, & faciant observari juxta ejus formam & tenorem. Quia sic nobis placet. *Datum in urbe nostra Bruxellensi die 6. Martii anno* 1687. *Regnorum nostrorum 22. erat signatum* Blon. Ut. *in plica scriptum erat*: per Regem in suo Consilio, *subsignatum* L. A. de Claris *eratque obsignatum magno suæ Majestatis sigillo in cera rubra dependente ex pergamena duplicata lacinia.*

salibus, tum in matrimoniis, donec publicum scandalum reparârint, quâ in re Illustrissimus Dominus cupit, ut R. V. in suis visitationibus circa istos excessus, & Vesperarum ac Catechismi omissiones diligenter inquirat.

Erat signatum *A. A. M. Ut.*

Alterum Decretum Regium, quo prius renovatur & latiùs explanatur.

Carolus Dei gratia Rex Castilliæ, &c. Omnibus has visuris salutem. Notum facimus, quòd Archi-Presbyteri Provinciæ Brabantiæ, & districtûs Alostani Nobis exposuerint, quòd quantumvis renovassemus die 21. Maii 1682. præcedentia nostra Diplomata, & mandata, de observandis Dominicis, Festisque diebus, injunxissemusque quibusvis Officialibus nostris, ut conformiter ad Epistolam Pastoralem Archiepiscopi Mechliniensis die 25. Novembr. 1675. impedirent peccata, & scandalosas indecentias, quæ in popinis in conventiculis puellarum, & adolescentum committuntur, tum etiam cùm ipsæ domum vesperi deducuntur, interea aliqui Pagorum Toparchæ, eorum Prætores, Præfecti, aliique officiales denegâssent Ecclesiasticis auxilium præstare, quo impedirentur puellæ easdem popinas frequentare, ad evitandum proximas peccandi occasiones, quæ ordinariè post potitationem in similibus conventiculis occurrunt, eo titulo, quod mens nostra solùm fuisset, ut talia conventicula inhiberentur in popinis tempore Divini Officii. Idcirco *ad præveniendum abusus, & indecentias, quæ passim in talibus conventiculis occurrunt, Nos ex deliberatione chari, & Nobis admodum dilecti Consobrini, Francisci Antonii de Agurio Marchionis de Gastanaga, Equitis Ordinis Alcantaræ. Gubernatoris, & Archistrategi Generalis Belgii nostri, &c. judicavimus expedire, ut declararemus, prout per præsentes*

6 *Jam pridem ostendit Ecclesia, externum cultum diei Festi cedere debere necessitati.*
7 *Ob necessitatem indulsit generaliter Constantinus* Agricolis *laborare.*
8 *Legem hanc correxit Leo sapiens; qua correctione hodie utimur.*
9 *Necessitas determinanda à legitimis superioribus.*
10 *Notabilis species dispensationis ex Decretali Alexandri III.*
11 *Synodi Belgicæ pro dispensatione obtinenda remittunt ad superiorem Ecclesiasticum.*
12 *Judicium de* necessitate *Synodus Cameracensis delegat Archi-Presbytero vel Pastori.*
23 *Edictum Principum videtur remittere ad Magistratum civilem.*
* *An Episcopi sine Regio placito queant publicare ordinationes super observatione festorum.*
14 *Conciliatio prædictorum Edictorum cum Synodo II. Cameracensi.*
15 *Quid agendum Archipresbyteris & Parochis, si Officiales civiles eam auctoritatem sibi liberaliùs, quam oportet, usurpent.*
16 *Circa colligendas fruges dispensatio haud facilè neganda; præsertim si Magistratus judicet necessitatem esse.*
17 *Aliqua indulgeri possunt Festis minus solemnibus, non indulgenda solemnioribus.*
18 *Dispensatio danda ob necessitatatem* non affectatam.
19 *Quomodo adversus violatores Festorum ex Decretis Synodorum procedendum.*
20 *Ex Edicto Principum locus est præventioni inter judicem Ecclesiasticum, & Civilem; & quæ ab illo observanda.*

I. SIc Ecclesia ab operibus servilibus, aliisque per se minimè illicitis, sed mentem tamen à rebus divinis avocare solitis, abstinendum censuit diebus Dominicis, & Festivis, ut tamen semper meminerit moniti Magistri sui: *Sabbathum propter hominum factum est, & non homo propter Sabbathum.* Marci *cap.* 2. ℣. 27.

Quo suo monito indicatum voluit Christus, Sabbathum, omniaque ad ejus sanctificationem instituta, referenda esse ad sanctificationem, & utilitatem hominis: adeoque si huic fini hîc & nunc non conveniant; sed è contrario in hominis detrimentum vergerent, tunc Sabbathum ejusque leges cedere debere, utpote quod propter hominem factum est.

II. Hoc ipsum sæpiùs Christus tùm verbo, tum facto ostendit, ut Pharisaicum, & superstitiosum Sabbathi cultum destrueret.

Et quidem cùm quodam tempore abiens Jesus per sata Sabbatho, Discipuli ejus esurientes cœpissent vellere spicas & manducare, & Pharisæi id videntes, dicerent ei, Matth. cap. 12. v. 2. *Ecce Discipuli tui faciunt quod non licet Sabbathis.* Christus à Pharisaica hac reprehensione vindicans Discipulos suos, dixit eis, v. 3. & 4. *Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant, quomodo intravit in Domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum ipso erant, nisi solis Sacerdotibus.*

Hîc ostendit Divinus Magister, legem merè positivam etiam de concernentibus cultum Dei, postponendam legi naturali necessitatis; nullamque consecrationem rei aut dici eam legem abrogare posse, quæ proximo in necessitate charitatem exhiberi jubet.

III. Alterum argumentum in defensionem Discipulorum subjungit, dicens v. 5. & 6. *Aut non legistis in lege, quia Sabbathis Sacerdotes in Templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia Templo major est hic.*

Quibus verbis docet, legem positivam generalem colendi Sabbathum nonnunquam cessare, cùm alia particularis lex ad eandem sanctificationem pertinens concurrit.

IV. Dein subjicit Christus hanc regulam, vers. 7. *Si autem sciretis, quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium, nunquam condemnâssetis innocentes.*

Quasi diceret; quia lex charitatis præferenda est omni externo cultui, externisque sacrificiis, si eam sat expendissetis, nunquam condemnâssetis discipulos in necessitate positos die Sabbathi *spicas vellentes*, easque ad esuriem suam explendam manducantes: quia externum quidem Sabbathi cultum volo, sed magis misericordiam, & charitatem, quâ proximo in necessitate constituto succurritur.

V. Denique concludens ait, v. 8. *Dominus est enim Filius Hominis, etiam Sabbathi*, id est, Filius hominis, qui Sabbathum instituit, eique Leges præscripsit, eatenus est etiam Dominus Sabbathi, ut lege charitatis, vel necessitatis occurrente, possint in Legibus illis dispensare.

His divinis regulis insistens Ecclesia, Leges suas pro dierum Festivorum cultu, & sanctificatione institutas, ita semper intellexit, ut Legi necessitatis, & charitatis, aut Legi alteri speciali eas cedere debere profiteretur, seque dierum Festorum, Legumque ad illorum cultum spectantium ita Dominam esse, ut quando Lex charitatis, aut necessitatis postulaverit, à legibus illis recedendi potestatem facere queat; quo ostendat, quòd ad exemplum Sabbathi, dies festus factus sit propter hominem, non homo propter diem festum.

VI. A Patribus Synodi Laodicænæ jam pridem decretum legimus *Canon XXIX.* »Quòd non oportet Christianos judaizare, & in Sabbatho otiari, sed eo die operari; diem autem Dominicum præsentes otiari, *si modò possint* ut Christianos.«

Ad addictam clausulam, *si modò possint*, reflectens Theodorus Balsamon in commentario in hunc Canonem, ait: »Sed »& hoc scilicet die Dominico non operari, non necessariò mandârunt; sed adjecerunt, *si possint Fideles.* Si enim propter »inopiam vel aliam aliquam necessitatem, etiam die Dominico »fuerit aliquis operatus, præjudicium ei non affertur.«

Eandem clausulam observat Zonaras, additque: »Lex verò civilis à muneribus die Dominico paccationem esse, si agricolarum opera excipias, omninò jubet. Illis namque, quia fortè operibus primo quoque tempore obeundis alium diem pariter accommodatum nancisci non ità facilè fuerit, Dominico quoque die operam navandi facultas concessa est.«

VII. Lex civilis, cujus hîc meminit Zonaras, videtur Constitutio Constantini M. relata in *L. 2. Cod. de Feriis*, qua permittebatur agricolis die Dominico operas suas exercere, additâ hâc ratione; »quoniam frequenter evenit, ut non aptus alio »die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur; ne »occasione *momenti pereat commoditas* cœlesti provisione »concessa.«

VIII. Ad necessitatem Imperatorem reflexisse sat apertum est; sed quia necessitas hæc non semper occurrit, ac ideò videretur nimia à veneratione diei Dominicæ exemptio agricolis indulta, Leo Sapiens seculo IX. eam legem correxit *Constit.* 54. statuitque ut omnes in die sacro à labore vacent, »neque *Agricolæ*, neque quipiam alii in illo illicitum opus aggrediantur. Si enim, qui umbram quandam, atque figuram observabant, tantopere Sabbathi diem venerabantur, ut ab omni prorsus opere abstinerent, quomodo qui gratiæ lucem ipsamque veritatem colunt, eos hunc diem, qui à Domino honore ditatus est, nosque ab exitii dedecore liberavit, non »venerari par est?«

Agricolas igitur non secus atque alios opifices per cessationem operarum suarum colere dies Festos voluit Leo; quod & posteriores tam Principum, quàm Episcoporum leges decreverunt; eâ tamen cautione, ut necessitati Lex hæc positava cedat, quæ semper intacta mansit.

IX. Sed ne prætextu *necessitatis* Leges Ecclesiasticæ passim violentur, atque unicuique liberum sit legem transgredi, cùm pro arbitrio suo, & affectu necessitatem fingit, meritò hujus necessitatis determinatio non cujuslibet privati, sed Superiorum arbitrio, & judicio commissa est: ut hi necessitate, aut utilitate perpensa, judicent, an & quomodo in lege dispensandum sit.

X. Notabilis species dispensationis, quæ & regulas aliquas suppeditat occurrit in *Cap. 3. ✠ de Feriis*, ubi rescribit Alexander III. Archiepiscopo Triburiensi, ejusque Suffraganeis: „Quòd cum regio vestra non multum frugibus abundet, mare, „in quo populus majorem consuevit habere sustentationem, stelilitus solito effectum fuisse multorum relationibus cognoscentes, B. Petri auctorirate & Pauli & nostrâ indulgemus, ut liceat Parochianis vestris diebus Dominicis, & aliis Festis (præterquam in majoribus anni solemnitatibus) si alecia (x) terræ „se inclinaverint, eorum captioni ingruente necessitate intendere; ita quod post factam capturam Ecclesiis circumpositis, „& Christi pauperibus congruam faciant portionem.“

XI. Synodi nostræ Belgicæ pro dispensatione passim ad Episcopum, Archi-Presbyterum, aut Pastorem remittunt.

Synodus P. I. Mechliniensis titulo de *Festis*, *cap.* 3. „Vetat omnibus Magistratibus, & secularibus Judicibus, ne cuiquam ex omnibus prædictis Festis violandi, seu profanandi licentiam concedant, sed eos, qui ab ipsis licentiam hujusmodi „requirunt, ad Episcopum, ejusve Vicarium vel Pastorem remittant: alioqui contra eos tanquam Synodalium Statutorum „transgressores, & aliàs prout de jure, procedant.“

XII. Similiter Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 4. *cap.* 2. postquam dixit diebus Festis, nec permiti agrorum cultum, aut messem, molitorum, coctorum cerevisiæ, lanionum, pistorumque operas, additâ hac exceptione, *nisi ob notabilem necessitatem*, dicit: „Cujus cognitio ad Decanum Christianitatis, „vel eo absente, aut nimis procul degente, ad Pastorem loci „spectabit.“

XIII. Edictum Philippi II. ad hanc Synodum *art.* 7. pariter vult diebus Festis à prædictis exercitiis abstineri, »nisi ob neces-

(x) *Alecium significare solet tres species pisciculorum, qui sale conduntur, nempe* los Arenques, las Sardinas, y las Anchoas.

» cessitatem declarandam (ait) per Officiarium, & Magistratum » loci, de advisamento Decani Christianitatis aut in ejus absen- » tia Pastoris loci. « Idipsum habet Edictum Alberti, & Isabellæ, quod emanavit anno 1607. super observatione dierum Festorum.

* Episcopus Gandensis pro observatione diei Dominicæ & Festorum anno 1622. Ordinationem conceperat constantem triginta articulis, eamque communicandam censuit Principi in suo Consilio privato ob difficultatem, quam Episcopo movebat Consilium Flandriæ, prætendens fas non esse Episcopo similes Ordinationes & Leges promulgare, iisque populum adstringere sine prævio consensu Regis. Plura quoque per Consilium Flandriæ huic Ordinationi tanquam tempori & receptis moribus minimè convenientia opponebantur. Postquam verò hæc in Consilio privato fuêre examinata, Ordinatio Episcopi probata fuit, exiguâ in ea facta moderatione; nihil tamen decidit Consilium privatum super primaria difficultate, quam moverat Consilium Flandrie; utrum scilicet fas esset Episcopo sine prævio Regis consensu similes Ordinationes publicare; sed ut ab hac controversia abstraheret, hanc Episcopi Ordinationem quoad omnes suos articulos probavit, & sub nomine Regis in suo Consilio privato prodiit per modum Edicti, adhibita quâdam moderatione, ac signanter circa articulum 28. Ordinationis, per quem volentes obtinere facultatem operandi die Dominico aut Festo remittebantur pro ea obtinenda ad Episcopum, ejus ve Vicarium vel Officialem, aut etiam Archipresbyterum Ruralem, aut Pastorem loci, nullâ factâ mentione Magistratûs civilis: at verò Edictum declarat, quòd, qui ex causa necessitatis obtinuerint veniam operandi die Festo ab Episcopo, vel ejus Vicario, vel Officiali, Archipresbytero vel Pastore, aut etiam ab *Officiario vel Magistratu loci*, prævio advisamento vel interventu Archipresbyteri, vel Pastoris, conformiter ad Edictum de anno 1607. erant immunes ab omni mulcta. Hæc Ordinatio Episcopi una cum Regio Edicto habetur Parte III. Edictorum Flandriæ *Lib.* 1. *Rub.* 1.

XIV. Super hoc edicto & duobus aliis *num.* 13. relatis reflectens Zypæus in Notitia Juris Belgici, *tit. de Feriis*, *num.* 4. ait: » Judicio quidem Magistratûs quatenus de puro *facto* ne- » cessitatis quæritur: Archipresbyteri ruralis, aut ubi is non » est, Pastoris, quatenus de obligatione *præcepti* Decalogi, seu » Ecclesiæ agitur; quæ non habet alium interpretem, quam » Ecclesiasticum Magistratum... ut & dispensatio super obliga- » tione non alteri competere possit, sed tantùm super declara- » tione facti, & sic impropria locutione. «

XV. Inter acta & resoluta in Congregatione Archipresbyterorum, præsidente Archiepiscopo Mechliniensi habita die 25. & 26. Septembris anno 1663. *art.* 41. & 42. habetur: » Ad evi- » tandum abusum, quo in aliquibus locis Ballivi, & Officiarii » laici pro certo pretio permittunt inconsulto Ordinario, Archi- » presbytero, vel alio ad id deputato, quòd diebus Festivis & » prohibitis rustici arare possint & carrucare, Archipresbyteri » agent istic loci cum prædictis Ballivis, curabuntque significa- » ri dictis rusticis, eos per similem licentiam non evasuros cor- » rectionem judicis Ecclesiastici; & si idipsum non sufficiat, » aut tales Ballivi non desistant, transcribent Ordinario, aut » Vicariatui, aut Officiali, ut desuper provideatur; interim » non impeditur rusticus, qui ab Archipresbytero, vel Pastore » dispensationem obtinuerit, istum Ballivum vel Officiarium dic- » tæ dispensationis certiorem reddere. «

XVI. Dispensandi occasio, præsertim in pagis, præcipuè occurrit tempore messis ad colligendos fructus; quando vel ob irruentem militem, vel ob periculum intemperiei aeris collectio hæc moram non patitur; quando non morosè dispensari convenit; *ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa*, uti loquitur citata lex Constantini: idcoque si judicio Magistratus, *necessitas notabilis* videatur, haud convenit, ut Archipresbyter, aut Pastor licentiam hoc casu facilè neget.

XVII. Porrò in hac dispensatione circa quodcunque opus servile versetur, distinguendi dies Festivi solemniores à minùs solemnibus, quemadmodum distinguit Pontifex in citato *Cap.* 3. ✠ *de Feriis*, concedens facultatem incolis certarum regionum piscandi diebus Dominicis, & Festis, *præterquam in majoribus anni festivitatibus.*

Eam regulam secuta Synodus P. I. Mechliniensis titulo *de Festis*, *cap.* 2. postquam » interdixit omnibus suæ Provinciæ » Christi Fidelibus opera manualia, & secularia quæcunque, » mercatum item & forum rerum venalium, atque judicialia » exercere, « subjungit per modum moderationis: » Ita tamen » ut Episcopis in illis festis, quæ *minùs* celebria sunt, ad po- » puli commoditatem liceat aliquid pro sua discretione relaxare. «

Non dubium ergo quin aliqua permitti queant diebus Dominicis, & festis minoribus, quæ permittenda non sunt in solem- » nitatibus majoribus; majorque necessitas requiratur, ut licen- » tia laborandi in his solemnitatibus annuatur, quàm in aliis Festis, aut Dominicis diebus.

XVIII. Nicolaus V. à Transylvanis consultus, » an paupe- » ribus villanis, ac oppidanis licitum sit vendere die Dominico, » vel festo alicujus Sancti, panes, legumina, pyra, poma, & » alia legumina, vel sit licitum eis finitâ Missâ, post prandium » de campo tempore messis, cùm timetur de pluvia, portare » cum pecoribus vel equis, vel curribus, linum, fœnum, & » alia blada humano usui convenientia? « Respondit Pontifex: » Dicendum est, quòd cessante necessitate ab omni opere ser- » vili abstinendum est diebus Dominicis & Festivis; sed neces- » sitate cogente, non tamen *affectata* seu *procurata*, licitum est » præmissa exercere. « Habetur apud Odoricum Raynaldum ad annum 147. *num.* 28.

Rectè dixit Nicolaus, necessitate *non affectata* seu *procurata*: nonnulli enim ea, quæ diebus feriatis agere, aut procurare deberent, in diem Dominicum, aut Festum ex proposito differunt, atque ita necessitatem affectant, seu procurant; contra quos tanquam dierum Festorum violatores agit Catechismus Romanus in expositione tertii præcepti Decalogi *num.* 29.

XIX. Si citra licentiam opera vetita diebus Dominicis, & festis exerceantur, ex decreti Synodorum etiam pœnis pecuniariis adversus violatores agendum; quibus » per Officialem Me- » chliniensem inflictis requisitus Amannus Bruxellensis noluit » sententias executioni mandare, quasi ea auctoritas Ecclesiæ » non competeret, & juri Principum derogaret; sed instante » Illustriss. Archiepiscopo Mechlin. à Cancellario Brab. facta re- » latione Principi, condemnatus fuit eas sententias executioni » mandare, 28. Maii 1605. Ita Zypæus in Jure novo tit. *de Feriis*, *num.* 2.

XX. Edictum Principum nostrorum de anno 1607. ut efficacior & promptior sit executio eorum, quæ ibidem pro cultu dierum Festorum statuta sunt, vult contra violatores procedi tam per judices Ecclesiasticos, quàm Civiles jure preventionis: ita tamen ut si per judicem Ecclesiasticum procedatur ad mulctam pecuniariam, ea fiat cum decenti moderatione, applicanda ad usum pauperum, aut Hospitalium speciatim in sententia exprimendorum.

Insuper si citatus coram Judice Ecclesiastico alleget, probetque secum dispensatum ratione alicujus necessitatis per Officiarium vel Magistratum loci cum advisamento Pastoris, ut eodem Edicto ordinatum est, ipse Judex Ecclesiasticus tenebitur supersedere, neque ulteriùs inquirere poterit, an dispensatio benè vel malè data sit? (y)

(y) *Ex iis, quæ in titulo de celebratione Festorum dicta sunt, rectè concluditur, eorum observationem duabus absolvi partibus.* Prima, *quæ privativa dicitur, & in quiete seu cessatione ab opere servili consistit*; altera, *quæ positiva est, & in sanctificatione istius quietis, id est, in Religioso Dei cultu versatur.*

IN-

INDEX
RERUM ET VERBORUM,
QUÆ IN TRES PRIORES PARTES HUJUS OPERIS INVENIUNTUR.

Littera P. partem, T. titulum, C. caput, & N. numerum capitis indicat.

A

ABBAS.

Abbas nomen est generale, quo capita Congregationum Monachorum & Canonicorum appellabantur, p. 1. t. 31. c. 1. n. 1. Quid propriè significet, ibid. num. 3. Aliquando vocabatur Major, ibid. num. 6. Item Prælatus. Item Præsul, sed aliâ ratione, quàm hodie, ibid. n. 7. & 8. Item Prior, ibid. n. 10. Cur recentiora Instituta nomen Abbatis rejecerint, ibid. n. 12.

Abbates olim uni tantùm Monasterio præfecti, & soli Episcopo erant subjecti, ibid. num. 18. Seculo 10. cœperunt Abbates Generales, ibid. num. 19. Quid Pater Abbas, & quæ ejus auctoritas, ibid. num. 20.

Abbates alii perpetui, alii triennales, & quæ differentia inter ipsos ibid. num. 16. 17.

Abbates habent curam animarum, p. 1. t. 31. c. 3. n. 2. Qualitates in iis requisitæ, ibid. num. 12. & 13. Abbatum auctoritas & regimen est Monarchicum ex institutione, ibid. c. 4. num. 1. Sed ex plerisque constitutionibus Aristocratico temperatum, ibid. num. 24. Potestas eorum quantam prudentiam & solicitudinem requirat, ibid. c. 3. n. 13. & 14. In rebus arduis tenetur Congregationem audire. *Vide Capitulum Claustrale.*

Abbati cura temporalium primariò incumbit, p. 1. t. 31. c. 5. n. 1. & seq. Solus res Monasterii alienare non potest, etiamsi mensæ suæ sint annexæ, ibid. num. 7. Utens rebus Monasterii uti propriis censetur fur & proprietarius, ibid. num. 6. 7. In eorum administratione quæ cavenda, ibid. num. 8. &c.

Abbates à quo tempore & quo jure Pontificalibus utantur, p. 1. t. 31. c. 6. n. 1. Quid significet sudarium baculo ejus appensum, idid. n. 7. Usus Pontificalium metiendus est privilegii tenore, ibid. num. 29. Ad Synodum comparentes quibus mitris utantur, ibid. num. 28. A quo tempore tonsuram & minores ordines conferre cœperint, ibid. num. 19. Non subdito eos conferre non possunt quocunque casu, ibid. num. 21. & p. 2. tit. 9. c. 3. num. 5. ibid. c. 6. n. 6. & c. 9. n. 9. 13.

Abbatum benedictio à quo tempore invaluit, num. 13. &c. A quo impertienda. Ejus ritus & effectus, ibid. c. 9. n. 16. 17.

Abbates olim non erant Presbyteri, sed modò ad Sacerdotium promoveri tenentur, ibid. num. 10. num. 1. Requiritur ætas 25. annorum: à quo in Gallia recessum per Concordata, ibid. num. 11. & 12.

Abbatiæ Belgii cum suis taxis annotatæ in libro Cameræ Apostolicæ, ibid. c. 9. n. 9. Forent consistoriales, si Romæ peteretur earum provisio, ibid.

Abbatialis mensæ distinctio à Conventuali locum dedit commendis, item nominationi regiæ, convenit illam abolere, ibid. cap. 7. num. 54.

Vide Capitulum Claustrale, Confirmatio, Electio, Nominatio Regia, Superior Regularis.

ABBAS COMMENDATARIUS.

Abbates Commendatarii olim vocati Abbicomites, p. 1. tit. 31. c. 7. num. 9. Antithesis inter pristinos & hodiernos Commendatarios, ibidem num. 38. &c. Eorum potestas & prærogativæ, ibidem num. 44. Commendatarius factus Religiosus non potest sine nova collatione Beneficium retinere, *ibid. num.* 48. An jurisdictionem habeat in disciplinam monasticam, in Priores & Officiales claustrales, idid. num. 44. & 46. Quem locum habeant inter Abbates titulares, & alios in dignitate constitutos, ibid. num. 50. Tenentur vitam aliquatenus regulari conformare, ibid. n. 51. *Vide Commenda.*

ABBATISSA.

Abbatissa nomen Præfectæ Monialium, p. t. 1. 31. c. 1. n. 13. Recentiora instituta quare nomen illud rejecerint, ibid. n. 14. Solemniter benedicitur, ibid. c. 9. num. 20. Habent regimen in spiritualibus & temporalibus, ibid. num. 21. Quæ ætas in his requiratur, ibid. c. 10. num. 14. 15.

Abbatissas etiam habent Collegia Canonissarum, earum obligatio, par. 1. t. 33. c. 2. n. 1. & 26. Et præminentia, ibid. num. 22. &c.

ABBREVIATORES ET ABBREVIATURA.

Abbreviaturæ quâ formâ expediantur, p. 1. t. 23. c. 1. n. 11. Quid sint, & unde dicantur, ibid. Quomodo ex ea fiant Bullæ, ibid. n. 14. & seqq.

ABSENTIA.

Absentes studiorum causâ gaudent fructibus in absentia, part. 1. t. 7. c. 10. num. 5. An hodie requiratur consensus Episcopi, ibid. num. 6. Tenentur incumbere studio Theologiæ vel Canonum, ibid. num. 7. Item tenentur transmittere testimoniales studii, & quid hæ continere debeant, ibid. num. 8. Non temerè hæ concedendæ, ibid. num. 9. Clericus, si ad vota secularia transeat, condemnari potest ad restitutionem fructuum, quos absens causâ studiorum percepit, ibid. num. 8. Ad quæ Beneficia hæc privilegia restringantur, *ibid.* Clerici in Academiis versantes tenentur observare statuta de vita & honestate Clericorum, p. 1. t. 7. c. 10. num. 11. Familiares & domestici Regis gaudent fructibus in absentia, ibid. n. 12. Sub iis comprehenduntur Consiliarii Ecclesiastici in Parlamentis aliisque Senatibus regiis, ibid. num. 13. Tantùm hæc se extendunt ad grossos fructus, ibid. num. 12. & 15. Theologus gaudet fructibus in absentia & iis horis, quibus docet, & distributiones in absentia lucratur, ibid. num. 7. &c. & c. 11. num. 5. *Vide Residentia.*

ABSOLUTIO.

Absolutio pluribus seculis facta à Sacerdote alieno sine licentia proprii habita fuit ut nulla & invalida, p. 2. t. 6. c. 5. num. 8. A variis criminibus nec in finem vitæ concessa.

Absolutionem à censuris quis impertiri possit, p. 3. tit. 11. c. 11. num. 1. & seqq. Quid operetur absolutio à censuris, quæ in Bullis Pontificiis continetur, ibid. num. 15. Item ea, quæ à Confessario præmittitur absolutioni Sacramentali, ibid. n. 14.

Absolutio ad cautelam sive cum reincidentia multis seculis ignota fuit, ibid. num 17. Absolutio à censuris reservatis Pontifici Romæ impetranda, & quâ formâ ibidem expediatur, ibid. num. 73. Absolutione non obstante variis denegatur sepultura Ecclesiastica, p. 2. tit. 38. c. 6. num. 23.

Absolutio rei cognitâ ejus innocentiâ nullo prætextu differenda, p. 3. t. 8. c. 2. num. 12. Edicta Belgica redarguunt errorem eorum, qui putant absolutiones reorum officere honori justitiæ, ibid. n. 12.

ACADEMIA.

Academiarum institutio, p. 2. t. 11. c. 4. num. 2. &c. Spectat ad supremam potestatem, ibid. num. 2. Unde vocatæ Universitates, ibid. n. 4. Quodnam censendum Jurspatronatus ipsius competens, an Ecclesiasticum, an Laicum, p. 2. t. 25. c. 2. num. 28. Privilegium concessum studentibus in Academiis de perceptione fructuum in absentia, & ejus scopus, p. 1. t. 7. c. 10. num. 5. &c. Quænam studiosi observare debeant, ut hoc privilegio frui possint, ibid. num. 8. *Vide Collegia, Academia & Exemptio.*

ACADEMIA LOVANIENSIS.

Academia Lovan. privilegium, ut Clericis liceat studere Legibus & Medicinæ, 11. Collegia & fundationes quibus abundat, p. 2. t. 11. c. 4. num. 8. Disciplina eorum, ibid. num. 10. Privilegium de non promovendo ad Ordines sacros, ejus usus & restrictio, p. 2. t. 19. c. 3. num. 25. Privilegium concessum Facultati Medicinæ levandi corpora morte punitorum ad exercitium Anatomiæ.

Academia Lovan. sola in Belgio retinuit Conservatorem, reliquis omnibus Conservatoribus decreto principis exauctoratis, p. 3. tit. 12. c. 6. num. 18. Ejus Rector & Conservator privi-

vilegiorum quousque cognoscere possint de actionibus realibus, p. 3. t. 1. c. 4. num. 17. Quod jus ei competat in testamentis suorum Suppositorum, p. 3. t. 2. c. 2. num. 30. Officium Syndici ejus, p. 3. t. 6. cap. 3. num. 32. Item Advocati Fiscalis, p. 2. t. 6. c. 5. num. 7. Item Promotoris, ibid. num. 8. & seq. Tribunal habet quinque Judicum appellationum, p. 3. t. 9. c. 2. num. 19. Hujus tribunalis descriptio, ibid. num. 19. & p. 3. t. 10. c. 3. n. 39. & p. 3. tit. 10. c. 5. n. 19.

ACCEPTIO PERSONARUM.

Acceptio personarum quid, & quandonam committatur, p. 2. t. 30. c. 10. num. 1. & 3. Committitur in distributione Beneficiorum, præcipuè attendendo paupertatem providendi vel ejus parentum, ibid. num. 13. Meritò taxantur mandata in forma pauperum, ibid. num. 17. Committitur præferendo consanguineos, & an semper, & quæ in simili collatione attendenda & cavenda, ibid. num. 14. 15. &c.

Acceptionis personarum vitium ut evadatur, conferenda sunt Beneficia dignioribus, p. 1. t. 23. c. 5. n. 3. &c. & p. 2. t. 31. c. 2. num. 2. Idem procedit in Patronis, resignantibus & permutantibus, ibid. num. 4. 5. Jura electionem & præsentationem minùs digni habent validam, licèt peccetur contra justitiam distributivam, & quare ibid. num. 8. Unde pro tempore & circunstantiis major vel minor dignitas personæ desumenda, ibid. c. 3. num. 5.

Acceptio personarum non committitur prætereundo dignissimum ut minùs dignum excludatur, ibid. num. 7. Aliquando dignissimus etiam irrito conatu eligendus, ibid. num. 8. Vitium acceptionis personarum non evaditur, quia præfertur dignior inter solicitantes, ibid. num. 11.

Acceptio personarum quàm grave sit peccatum in Beneficiis præsertim Curatis, & ante omnia in Episcopatu, p. 1. t. 13. c. 5. num. 3. 5. &c. & p. 2. t. 32. c. 4. num. 2. 4. 6. &c. Ecclesiæ tenentur ad restitutionem, & quomodo hæc facienda, ibid. num. 11. Quid Patronis & Collatoribus agendum, ut adversus tentationes se muniant, ibid. num. 13. 14.

ACCUSATIO.

Accusatio quid sit, quâ formâ legibus Romanis fieret, & quomodo hæc forma olim in Curias Ecclesiasticas irrepserit, p. 3. t. 8. c. 1. num. 4. &c. Accusans tenebatur se inscribere, idque in Brabantia aliquando usitatum, ibid. num. 7. &c. Hujus inscriptionis forma, & effectus & scopus, ibid. num. 9. Hodie à foro recessit, ibid. num. 13. Admittitur tamen denuntiatio, ibid. num. 32. *Vide Denuntiatio.*

Accusatio hodie reservatur Officiariis publicis, iisque remissa est necessitas inscriptionis, & quare, ibid. Aliquandò tamen ob accusationem malè institutam extraordinariâ pœnâ puniuntur, ibid. n. 14. Etiamsi causâ cadant, regulariter in expensas non condemnantur, ibid. n. 15. Quandonam in eas possint condemnari, ibid.

ACTA.

Acta judicialia conscribi, & registrari debent per Grapharium Curiæ, p. 3. t. 6. c. 4. num. 7. Originalia remanere debent in registris Curiæ, & Partibus requirentibus tantum conceduntur copiæ, ibid. num. 10. Actis datur plena fides, & quâ formâ ad hunc effectum debeant esse expedita, ibid. n. 11. Prohibentur superfluæ eorum extensiones & sinistræ vel illegibiles expeditiones, & quâ pœna, ibid. num. 21. Motiva juris inter acta litis non comprehenduntur, ibid. Acta prioris instantiæ per Appellantem ad Judicem appellationis deferri debent, p. 3. t. 10. c. 2. num. 47. Pœna Graphiarii vel Judicis copiam eorum denegantis, ibid. num. 52.

ACTIO.

Vide Causa.

ADULTERIUM.

Adulteris matrimonium perpetuò olim interdictum, p. 2. t. 13. c. 2. num. 3. Impedimentum criminis ex adulterio, ejus antiquitas, & quandonam oriatur, ibid. c. 7. n. 3. & seq.

Adulterii tres species, & gravitas, p. 3. t. 4. c. 4. num. 1. Atrocissimis pœnis olim coercitum, ibid. num. 5. &c. Etiamsi leges olim mitiùs egerint cum viris, inde non sequitur, adulteria eorum non esse tam gravia, quàm adulteria fœminarum, ibid. num. 7.

Adulterii Pœnæ Canonicæ, ibid. num. 8. cum seq. Querimonia, quod hoc peccatum nimis leviter castigetur, & quænam hodie ordinaria ejus pœna, ibid. num. 16. &c. In Gallia sæpè adulteræ punitæ pœna juris in Constitutione Justiniani expressâ, ibid. num. 18. Item ob certas circunstatias pœnâ mortis, ibid. num. 21 Non convenit, ut adulteræ retrudantur in Monasteria Virginum, & quare, ibid. num. 20. Sæpè mariti ob adulteria uxorum puniendi, ibid. num. 23. An Judex connivente marito ex officio possit procedere adversus adulterum & adulteram, ibid. num. 27. Cujus fori crimen sit adulterium in Gallia & Belgio, ibid. num. 10. 11. 12. 14. *Vide Divortium.*

ADVOCATIA, ADVOCATUS.

Advocati Ecclesiarum à quo tempore exorti, & ex quibus olim assumpti, p. 2. t. 25. c. 1. num. 1. 3. 19. Vocati Defensores, Vice-Domini, Custodes, & ibid. num. 14. A quo constituti, & in quem finem, ibid. num. 16. & sequent. Eorum officium, item jura & emolumenta, ibid. num. 26. Advocatias quandoque in feudum concedebant, & Subadvocatum constituebant, ibid. num. 28.

Advocatorum extorsiones & excessus, qui eos Ecclesiis & Monasteriis reddiderunt exosos, ibid. num. 27. & 31. Privilegia concessa Monasteriis, quòd nullum habebunt Advocatum, nisi quem, & quando voluerint, ibid. num 31.

Advocatia Duci Brabantiæ competens omnium Ecclesiarum Brabantiæ ex concessione Imperatoris, ibid. num. 34. Concordatum inter Prælatos & Ducem Brabantiæ super juribus Advocatiæ, ibid. num. 35. Advocatiam exercet Dux per suum Præfectum Saltuum, & unde id ortum, ibid. num. 36.

ADVOCATUS.

Advocati quomodo & quando in Curiis Ecclesiasticis recepti, p. 3. t. 6. c. 2. num. 1. Quas qualitates habere debeant, ibid. num. 6. & 11. &c. Apud Romanos Advocati debeant habere testimonium suæ scientiæ à Profesoribus Juris, ibid. n. 12. Id hodie supplent Gradus Academici, ibid. num. 13. Pernicies, quæ Reipublicæ infertur ex nimis facili admissione ad Gradus, ibid. num. 16. Meritò hodie post studium Juris notabile tempus impenditur praxi discendæ, ibid. num. 19. Multitudo Advocatorum varia secum adfert incommoda, ibid. num. 23.

Advocatis avaritia & aviditas lucri, præsertim hodie, est periculosissima, & quare, ibid. num. 23. & 27. Vi sui juramenti non possunt causam injustam suscipere, ibid. num. 28. Id etiam procedit, etiamsi prævideant, quòd alios Patronos reperiet, & quòd gravia incommoda inde sibi immineant, ibid. Ubi causam in decursu litis injustam esse intellexerit, vi juramenti tenetur ejus patrocinium deserere, ibid. num. 30. Nec potest eo casu adversarium pollicere, ibid. num. 31. Idque etiamsi infamia aut alia incommoda ipsi imminerent, ibid. num. 32.

Advocatus in decursu causæ cavere debet involucra verborum, inutiles scribillationes, allegationes & disputationes superfluas, convitia, &c. ibid. num. 35. & seq. Pœnæ adversus Advocatos in hisce materiis excedentes, ibid. num. 41. & p. 3. t. 9. c. 3. num. 25. Incommoda, quæ oriuntur ex hodierna taxatione salarii Advocatorum pro numero pagellarum & linearum, p. 3. t. 6. c. 2. num. 47. Non convenit, ut Advocatus assumat patrocinium alicujus causæ, dum consultus fuit à parte adversa, p. 3. t. 6. c. 2. num. 43.

Advocati tenentur patrocinium pauperum gratis suscipere, nec possunt illos divitibus postponere, p. 3. t. 6. c. 2. num. 49. Cura, quam adhibebat S. Carolus, ut ex Ecclesiasticis haberentur Advocati pauperum, p. 3. t. 2. c. 3. num. 25. & p. 3. t. 6. c. 2. num. 56. Cur officium Advocati Clericis inhibitum, ibid. num. 53. In tribus tamen causis eis permittitur cum moderatione, ibid. num. 54. Non videtur per hos Canones eis inhibitum postulare in Curiis Ecclesiasticis, ibid. num. 55.

Advocatus Postulans contra reum in causa sanguinis fit irregularis, num. 47.

Advocati hodie non solent conveniri ob imperitiam aut imprudentiam in dirigendis causis, p. 3. t. 6. c. 2. num. 22. Si peccet in materia sui officii, à Judice causæ, in qua postulat, punitur, p. 3. t. 4. c. 5. num. 28. 30. &c. An & quando error Advocati noceat clienti, p. 3. t. 6. c. 2. num. 50.

ADVOCATUS FISCALIS.

Advocati Fiscalis quodnam apud Romanos officium & præeminentia, p. 3. t. 6. c. 5. num. 1. Quandonam in Curias Ecclesiasticas inducti, ibid. num. 4. Eorum officium, ibid. num. 7. & 9. cum seq. Officium Advocati Fiscalis Universitatis Lovaniensis, ibid. num. 7.

ÆDITUI.

Æditui jure communi & moribus hodiernis ex quibus eligendi, p. 1. t. 5. c. 1. num. 1. Eorum electio pendet à consuetudine, justum tamen est, ut Parochus interveniat, ibid. n. 3. 4.

Po-

Potest tamen subinde excludi, & quid tum illi incumbat, ibid. num. 5. 6.
Ædituorum juramentum, & à quo recipi debeat, ibid. n. 7. 8. Res sibi commissas ut proprias administrare debeat, ibid. c. 2. num. 1. Nihil alienare possunt sine Superiorum consensu, ibid. num. 2. Uti non suscipere lites, ibid. num. 6. Regulæ generales in tota hac materia observandæ, ibid. c. 6. num. 1. Æditui audiendi in reductionibus Missarum & fundationum, part. 2. t. 5. c. 7. n. 28. 29. Quale censendum Jus Patronatus competens Ædituis, an Ecclesiasticum, an Laicum, p. 2. t. 25. c. 2. num. 17. & 22. Quam Jurisdictionem moribus Belgii Episcopi habeant in Ædituos Laicos ratione sui officii, p. 3. t. 1. c. 4. n. 2. & seq.

ÆGYPTIACI.

Ægyptiaci quandonam in Europam advenerint, p. 3. tit. 4. c. 3. num. 48. Specialia adversus eos Edicta in Belgio, ibid.

AFFINITAS.

Affinitas quid & quotuplex sit, & quomodo contrahatur, part. 2. tit. 13. cap. 5. num. 23. Affinitas computatur, & dirimit matrimonium eo modo, quo consanguinitas, ibid. num. 25. Affinitas ex conjunctione illicita non dirimit ultra secundum gradum, ibid. n. 29. Si affinitas pro consanguinitate sit expressa, litteræ dispensationis erunt invalidæ.

ALEA.

Vide Ludus, Fortuna.

ALIENATIO.

Alienatio rerum Ecclesiæ olim non videtur Episcopis & Prælatis fuisse vetita, p. 2. tit 36. c. 3. n. 1 Canones posteriores eam vetantes, & eorum ratio, ibid. n. 2 &c. Juramentum Episcoporum de non alienandis bonis suæ mensæ, ibid. num. 20. &c. Juramentum Parochorum, ibid. Quænam hic veniant nomine alienationis, ibid. num. 28. Quænam res alienari prohibeantur, p. 1. t. 31. c. 5. n. 7. & p. 2. tit. 36. cap. 3. n. 28. An sub his comprehendantur arbores grandiores natæ in fundis Ecclesiæ, ibid. n. 29.
Alienationis causa triplex probata à Canonistis, ibid. c. 4. numer. 11. Solemnitas olim requisita ad alienationem, ibid. Quænam hodie requiratur, quinam consentire, quinam intervenire debeant, item quâ formâ omnia expediantur, p. 1. tit. 5. cap. 2. num. 2. & seq. part. 2. t. 25. cap. 6. num. 17. & part. 2. t. 36. c. 4. num. 19. 20.
Alienatio quibus de causi possit rescindi, ibid. num. 40. &c. Lapsus temporis notabilis inducit præsumptionem omnia solemniter esse facta, ibid. num. 46. Si Ecclesia in alienatione notabiliter sit læsa, datur restitutio, etiamsi omnes solemnitates intervenerint, ibid. n. 48.

ALIMENTA.

Alimentorum causæ in Gallia ne quidem incidenter spectant ad Tribunal Ecclesiasticum in causis coram eo pendentibus, part. 2. tit. 12. cap. 2. n. 8. & part. 3. tit. 2. c. 1. n. 27. 28. & quo tempore hæ causæ eidem substractæ, ibid. Quid obtineat in Belgio, p. 2. t. 12. c. 2. n. 10. & p. 3. t. 2. cap. 1. num. 29.
Alimenta Fundatori redacto ad inopiam debentur ex bonis Ecclesiæ, & quâ moderatione, part. 2. tit. 25. cap. 6. n. 1. & seq.
Alimentorum causa summariè tractanda, p. 2. t. 34. c. 5. n. 1. Non habet in ea locum compensatio, ibid. num. 16. An & quousque transactione tolli possit, ibid num. 9. Procedendum est per adjudicationem provisionis, ibid. num. 3. & part. 3. t. 9. c. 1. n. 16. Ab hac provisione non datur appellatio, p. 3. t. 10. c. 3. n. 32. Potest peti in omni parte litis & in omni instantia, p. 3. t. 9. c. 1. n. 17. & 18. Quid probare debeat filius, ut hanc provisionem ad onus partis obtineat, ibid. num. 19.
Alimenta adjudicanda Monacho litiganti ex causa permissa adversus suum Abbatem, ibid. n. 21.

ALTARE.

Altare portatile ante seculum 12. ignotum, p. 2. t. 5. c. 8. num. 10. Privilegium de iis utendis concessum Fratribus Prædicatoribus & Minoribus per Honorium III. ibid. n. 12. Revocatum per Concilium Trid. ibid. num. 11.
Altaritum redemptio quid olim fuerit, part. 2. tit. 33. c. 5. n. 23. 24. Pluribus improbatur, ibid num. 24.

ALTERNATIVA.

Alternativa in collationibus & electionibus inter Episcopum & Capitulum unde orta, p. 2. tit. 21. c. 1. n. 13. Si Capitulum vice suâ collationem negligat, devolutio fit non ad Episcopum, sed ad Metropolitanum, ibid. cap. 5. num. 11. Si alternativa vigeat inter Patronum Laicum & Ecclesiasticum, pro vice Ecclesiasticorum censetur Ecclesiasticum, part. 2. t. 25. c. 2. n. 19. &c.
Alternativa inter Papam & Episcopum in favorem residentiæ est introducta, p. 2. t. 23. c. 6. n. 1. Regula Cancellariæ de Alternativa refertur, ibid. n. 2. Soli Episcopi ejus prærogativa gaudent, ibid. num. 4. Qualis residentia requiratur, ut Episcopus Alternativâ gaudere possit, ibid. num. 7.
Alternativa est personalis, & debet à quolibet novo Episcopo acceptari, ibid. num. 14. Dum semel accepta est, Episcopus non potest pro libitu ab ea recedere, ibid. num. 15. Quid si acceptatâ Alternativâ non resideat, an quidem possit conferre per quatuor menses ordinarios, ibid. n 16. Formula acceptionis alternativæ, ibid. n. 18. Quænam beneficia vigore Alternativæ liberè conferuntur, ibid. n. 22.

AMBITUS.

Ambitus & officiorum venalitas quanta mala in Rempublicam inducat, p. 3. tit. 9. c. 2. num. 33. Juramentum, quod leges imponunt Candidatis ad Ambitum excludendum, ibid. numer. 25. 34. Juramentum, quod in eundem finem ab omnibus assumendis exigitur in Brabantia, ibid. num. 26. 36. Edicta Regia ibidem super ejusdem exactione, ibid. num. 26. Quinam illud sine perjurio præstare non possint, ibid. n. 39. Principis conniventia perjurium excusare non potet, ibid. n. 41. Juramentum, quod in eundem finem Principi præstat Magistratus Lovaniensis circa collationis officiorum ad se spectantes, ibid. n. 36. Resolutio trium Facultatum Academiæ Lovaniensis super præstatione horum juramentorum, ibid. num. 44.

AMORTIZATIO.

Amortizatio quid propriè sit, p. 1. tit. 29. c. 3. n. 25. A quo tempore, & quâ occasione in Belgio introducta prohibitio acquirendi bona immobilia per manus mortuas, ibid. n. 16. & 27. Abbates Brabantiæ illi se opposuerunt, sed sine successu, ibid. n. 19. Quænam dicantur manus mortuæ, ibid. num. 25.
Amortizationem quis concedere, & quinam consentire debeant, ibid. num. 27. Sæpè adjiciuntur conditiones, quibus præjudicium privatorum avertitur, ibid. n. 29.
Amortizatio an requiratur, dum quis pauperes certæ urbis vel Parochiæ instituit hæredes, ibid. n. 24. An requiratur, ut quis possit fundare Bursas in Collegio aliquo Academico aut Seminario, ibid.
Amortizatio non requiritur ad hoc, ut decimæ infeudatæ revertantur ad Ecclesiam, p. 2. t. 33. c. 4. n. 44.
Amortizata bona in Brabantia, eaque sola gaudent immunitate Ecclesiasticâ, & hujus ratio, p. 1. t. 29. c. 3. num. 27. Eâdem gaudent eorum Coloni, p. 2. tit. 35. c. 2. num. 17. Quænam bona ibidem censeantur amortizata, p. 1. t. 29. c. 3. n. 25. & p. 3. t. 2. c. 3. n. 4. Ea sola subsunt cognitioni Judicis Ecclesiastici adversus Laicos, ibid. cap. 3. num. 2. 3. Quid si contravertatur, an bona, de quibus quæstio, verè sint amortizata, ibid. num. 4. 6. &c. Quid de servitutibus prædiis impositis, ibid. num. 8.

ANCILLA.

Ancilla, disciplina hodierna Belgii circa ancillas Clericorum, p. 1. tit. 2. c. 3. n. 3. Ad solam monitionem Episcopi Pastores eas dimittere debent, ibid. n. 6.

ANGARIA.

Angaria quid sit, item Parangaria, p. 2. t. 35. c. 1. num. 11. Clerici ab iis immunes, ibid. & c. 3. Barbaro vocabulo dicuntur Coruweæ, p. 2. t. 25. c. 1. n. 35. Abbates Brabantiæ debent Duci pro juribus Advocatiæ certam quantitatem Angariarum, ibid. num. 36.

ANNATÆ.

Annatarum origo, & unde sic vocatæ p. 2. t. 24. c. 4. numer. 13. &c. Nomen Annatæ varias species continet, ibid. Vocantur commune servitium, item minuta servitia, ibid. n. 15. Ob taxationem Annatarum inducta est Regula Cancelariæ de exprimendo vero valore, ibid. n. 10. 12. Quomodo

do taxentur beneficia, in ordine ad Annatas, ibid. n. 9. Ad quorum utilitatem Annatæ cedant, p. 1. t. 25. c. 1. n. 15. & p. 2. t. 24. c. 4. n. 21. Formula, quòd proventus annui non excedant 24. ducatos, nihil aliud importat, quàm beneficium solutioni Annatarum non esse subjectum, & unde hoc introductum, ibid. n. 20. &c. Id locum non habet in facienda unione beneficiorum, & quare.

ANNIVERSARIUM.

Anniversaria à quo tempore nota, p. 2. tit. 5. c. 7. n. 2. Quo ritu olim celebrata, ibid. n. 4. 5. In Anniversariis Monachis & Canonicis præsentibus dabatur refectio, ibid. n. 6. & seq. Ex ea in pecunias conversa distributiones ortæ, ibid. n. 7. Anniversariorum distributiones debentur Theologo absenti iis horis, quibus prælegit, p. 1. t. 7. c. 11. n. 5. Non convenit, ut Pastores eorum fundationes suadeant, p. 2. t. 5. c. 7. n. 31.

ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS.

Vide Dedicatio.

ANNULUS.

Annuli tanquam ornamenti Episcopalis meminit Ordo Romanus, item Synodus Toletana IV. p. 1. t. 15. c. 3. n. 16. Serius in Gallia & Germania notum fuisse satis plausibile est, ibid. Episcopi Græci Annuli usum ignorant, ibid.

Annuli nuptialis benedictio, & traditio, p. 2. t. 12. c. 6. n. 8. Ejus origo & antiquitas, ibid. n. 9. Quid mysticè significet, ibid. n. 10.

Annulus Piscatoris quid sit, à quo tempore Pontifices eo utantur, p. 1. t. 23. c. 4. n. 5. & 12. Cautio quæ adhibetur contra falsitatem, ibid. n. 13.

ANNUS GRATIÆ.

Annus Gratiæ quis dicatur, p. 2. t. 32. c. 8. n. 29. Cur in variis Capitulis usitatus, ibid. pluribus rationibus improbatur, ibid. n. 30. Laudantur Canonici S. Petri Lovanii, qui illum generosè abrogarunt, ibid. n. 32. Similiter Ruremundenses, ibid.

APOSTATA.

Apostata habetur & punitur uti talis Regularis recedens à suo Conventu sine licentia Superioris in scripto, p. 1. tit. 27. c. 4. n. 12. &c. Decretum Caroli V. circa Apostatas & eorum receptores, ibid. c. 6. n. 18.

APOSTOLI.

Apostoli de jure intra certum terminum peti debent, & unde sic dicti, p. 3. t. 10. c. 2. n. 14. 22. &c. Triplex eorum species, idid. num. 23. Qui intra tempus non petit Apostolos, censetur appellationi renuntiare, ibid. n. 24. Quomodo hodie peti debeant, ibid. n. 25. Judex à quo non facilè recusare potest Apostolos reverentiales, ibid. n. 27. in Curiis secularibus eorum usus dessiit, ibid. n. 29. In Curiis Ecclesiasticis Galliæ non sunt necessarii, ibid.

APPARITOR.

Apparitorum officium in Curiis Ecclesiasticis, p. 3. t. 6. c. 5. n. 28. Eorum juramentum, ibid. n. 29. Quænam fides eorum relationibus habeatur, ibid. n. 30. Quâ pœnâ puniendus, qui falsam relationem fecisse probatur, ibid. n. 30. Quæ pœna eorum qui Apparitori in executione sui officii resistunt, aut injuriam inferunt, ibid. n. 31.

Apparitoribus committuntur executiones sententiarum, p. 3. t. 9. c. 4. n. 11. Pœna in apparitores, qui muneribus corrumpi se sinunt, ibid. n. 12. In executione sententiæ possunt ministros sibi adjungere, auxilium Magistratus implorare, & quandoque manum militarem advocare, ibid. n. 15.

APPELLATIO.

Appellatio olim à sententiis Episcoporum erat admodum rara, p. 3. t. 10. c. n. 1. Synodus Nicæna permisit sententias Episcoporum in Synodis examinari, idque erat species appellationis, ibid. n. 3. & p. 3. t. 11. c. 11. n. 4. 5. 6. A decretis Synodorum nulla ulterius dabatur Appellatio, idid. Canon Concilii Africani inhibens Appellationes transmarinas, ibid. n. 7. Ineptæ hujus Canonis interpellatio facta per Gratianum ibid. num. 8.

Appellationes seculo nono occasione Pseudo decretalium primorum Pontificum plurimum fuerunt multiplicatæ, p. 3. t. 10. c. 1. n. 6. Quem facilè in Curia Romana fuerint receptæ, & S. Bernardi, aliorumque de iis querelæ, ibid. n. 9. Quomodo sensim magis extensa sit appellandi libertas, ibid. num. 12.

Appellationum licentiam restringere volens Concilium Tridentinum, sanxit, ut Appellatio non admittatur à sententia interlocutoria, non habente vim definitivæ, aut per difinitivam reparabili, ibid. n. 15. 16. &c. Id concordat Juri Civili, & antea cautum erat per Regulam 36. Cancellariæ, item per Concordata Gallicana, ibid. n. 16. 17. 18. Decretum S. Congregationis sub Clemente VIII. eandem licentiam restringens, ibid. n. 19.

Appellationum à sententiis interlocutoriis nimia libertas adhuc eo non obstante permansit, ibid. n. 20. Hodie appellatio admittitur ab omni gravamine per sententiam definitivam, non, vel etiam difficulter reparabili, ibid n. 21. Ab admissione, vel non admissione probationum, ibid. n. 24. A coarctatione dilationum, ibid. n. 25. Ab indiscreta earum concessione, p. 3. t. 7. c. 4. n. 30. & seq. Ab assignatione brevioris termini in citatione, p. 3. t. 10. c. 1. n. 26. A delatione juramenti, ibid. n. 27. Item à prolatione Judicis super competentia, vel non incompetentia sui tribunalis, ibid. n. 27. Incommoda quæ ex hac frequentia appellationum oriuntur, ibid. n. 28.

Appellatio admittitur toties, donec habeantur tres sententiæ conformes, & quandonam illæ habeantur, ibid. n. 29. Quando habentur tres sententiæ conformes, mandatur executioni, non obstante quacunque oppositione, ibid. n. 35. Nec recipi non solet appellatio tanquam ab abusu, ibid. n. 37. In Gallia idem obtinet in secunda interlocutoria conformi, ibid. n. 36. Quandonam sententiæ dicantur conformes, ibid. n. 38. Huic praxi præcipuè adscribenda collapsio jurisdictiones Ecclesiasticæ, ibid. n. 40.

Appellationes in Curiis Ecclesiaticis etiam admittuntur in criminalibus, secus in Curiis secularibus, ibid. n. 41. Ratio hujus consuetudinis Curiarum secularium, & an satis sit fundata, ibid. n. 43. Quousque admittatur in Gallia in causis delicti privilegiati, quæ instruuntur per utrumque Judicem, p. 3. t. 3. c. 2. n. 39. &c.

Appellatio interponi debet ad Superiorem immediatum, p. 3. t. 10. c. 2. n. 1. In Curiis secularibus non admittitur appellatio ad superiorem omisso medio, tantum admittuntur ad Pontificem, ibid. n. 2. & 5. In Gallia id non admittitur, ibid. n. 6. In Gallia & Belgio causâ devolutâ ad Pontificem, delegandi sunt Judices in Partibus, ibid. n. 8. Per immediatam appellationem ad Summum Pontificem appellationes non minuuntur, ibid. n. 13. Quomodo hæ Appellationes in causis coram Pontifice decissis non obsint ejus Primatui, nu-
mer. 12.

Appellatio inter quod tempus interponenda, & quo tempore, & quâ formâ insinuanda, ibid. n. 14. Petendi sunt Apostoli, quo tempore, quoties, & variæ eorum species, ibid. n. 21. &c. *Vide Apostoli.*

Appellatio quo tempore coram Judice superiori introducenda, ibid. n. 38. *Vide Fatalia.*

Appellationum instantiæ moribus hodiernis sunt perpetuæ. Ut Judex à quo procedere possit ad executionem, debet per eum Appellatio declarari deserta, prævia causæ cognitione, p. 3. t. 10. c. 2. n. 44. Effectus desertæ Appellationis, ibid. n. 45.

Appellatione pendente an nova facta allegari possint, ibid. n. 46. Appellans tenetur acta primæ instantiæ inferre ad Judicem Appellationis, ibid. n. 46. Pœna Notarii vel Judicis copiam illorum denegantis, ibid. n. 52. Appellatione pendente si quid innovatum fuerit, ante omnia per judicem ad quem debet revocari tanquam attentatum, ibid. c. 3. n. 4. *Vide Attentatum.*

Appellationis ordinarius effectus est suspendere executionem sententiæ, p. 3. t. 10. c. 3. n. 13. Denegatur hic effectus Appellationi causa correctionis Regularis, p. 1. tit. 28. c. 4. n. 4. &c. & p. 3. tit. 10. c. 3. n. 15. Hic effectus denegatur Appellationi à statutis Reformationis, p. 1. tit. 32. c. 2. n. 17. Item Clericis in causa visitationis & correctionis legitimæ, p. 1. t. 17. c. 4. n. 7. & p. 3. t. 10. c. 3. n. 6. In iis tamen Appellatio habet effectum devolutivam p. 3. t. 10. c. 3. n. 19. Si Prælatus juridicè processerit, etiam habebit effectum suspensivum, p. 1. t. 17. c. 4. n. 14. & p. 3. t. 10. c. 3. n. 21. Ideo dum à correctione appellatur, debet exprimi causa gravaminis & excessus, p. 3. t. 10. c. 3. n. 22.

Appellatio à sententia lata excommunicationis non habet effectum suspensivum, & quare, ibid. n. 24. Ea non obstante procedi potest ad denuntiationem, ibid. n. 25. Ab excommunicatione nondum absolutè inflicta appellari potest cum effectu suspensivo, ibid. n. 27.

Appellationes Regularium præsertim à correctione Regulari, omnium maximè odiosæ, p. 1. t. 28. c. 4. n. 2. &c. Coercentur Decreto Concilii Lateranensis, ibid. n. 5. Privilegium con-

concessum Cisterciensibus, quod à Decreto Prælatorum Ordinis non liceat appellare ; ibid. n. 9. Quibus casibus Regularium appellationes vel recursus ad senatus Regios admittantur, ibid. num. 13. Amittitur eorum appellatio, etiam cum effectu suspensivo, si Visitatores limites visitationis excesserint, part. 1. tit. 32. cap. 5. n. 9. Decretum S. Congregationis Regularium adversus Regulares temerè ad Romanam Curiam apellantes, p. 3. t. 10. c. 3. n. 23. cum seq.

Appellationes cum effectu suspensivo varia Tribunali in Belgio non admittunt, ibid. n. 28. Interea est tribunal quinque Judicum Universitatis Lovaniensis, dum eorum sententia est conformis sententiæ Rectoris, ibid. n. 29. Variæ causæ in quibus Appellationes cum effectu suspensivo non admittunt Curiæ Ecclesiasticæ Provinciæ Mecliniensis, ibid. n. 30. Appellatio admittitur à sententia arbitrorum Juris, qui assumuntur in causa recusationis, p. 3. t. 10. c. 5. n. 12. *Vide Reformatio, Revisio.*

APPELLATIO TANQUAM AB ABUSU.

Appellatio hæc in Gallia hodie usitatissima, p. 3. t. 10. c. 4. n. 22. &c. Ejus origo & progressus, ibid. Quid abusus in hac materia, & quandonam huic appellationi detur locus, ibid. 23. cum seq. Instituitur directè adversus Decreta Episcoporum ; sed si sint Rescripta Rom. adversus eorum executionem, & hujus ratio, ibid. n. 30. 31. Admitti non debet nisi in causis arduis, & ubi publice interest, ibid. 35. In his causis semper intervenit Procurator Regius, & quare, ibid. n. 36. Abusus semel formatus semper durat, ibid., n. 37. Lapsus fatalium non reddit hanc appellationem desertam respectu Procutatoris regii, ibid. n. 38. An admittatur hæc appellatio adversus sententias conformes, p. 3. t. 10. c. 1. n. 37. & c. 4. n. 39. Non instituitur nisi coram supremis Curiis, p. 3. t. 10. c. 4. n. 40.

Appellatione hac institutâ, ligantur manus Judicis à quo, ibid. n. 41. Excipiuntur Decreta correctionis, & visitationis, ibid. n. 44. Decreta visitationis quoad officium divinum & disciplinam Ecclesiasticam ne quidem patiuntur effectum devolutivum, ibid. n. 42. idem obtinet in Belgio & Hispanica, ibid. num. 45.

Appellatio hæc ferè coincidit cum recursu ad tribunalia Regia in casu violentiæ, item & retentione litterarum Apostolicarum, quarum usus in Hispania, ibid. n. 46. & 47. Idem de remedio causationis & denegatione Placeti, quorum usus in Belgio, ibid. n. 47. *Vide Senatus Regius.*

APPROBATIO.

Approbatio Regularium in Conc. Trid. multam materiam concertationum dedit, p. 2. t. 16. c. 8. n. 15. Regulares non possunt concionari extra Ecclesias Ordinum suorum, sine expressa approbatione Episcopi in scriptis, ibid. n. 16. Nec in Ecclesiis suorum Ordinum sine petita benedictione ejusdem : nec possunt usquam, eo contradicente, etiam non dicta causa, ibid n. 17. & 18. Quomodo id involvat tacitam approbationem, ibid. n. 18. S. Carolus statuit, ne Parochus patiatur Regularem prædicare in Ecclesiis suorum Ordinum inter limites suæ Parochiæ, nisi ex scripto testimonio constet, eos benedictionem ab Episcopo petiisse, ibid. n. 19. Pastores in Ecclesiis suis neminem prædicare permittere possunt nisi de approbatione in scriptis docuerit, ibid. n. 22.

Approbatio ad audiendum confessiones non requiritur in obtinentibus Beneficium Parochiale, p. 2. t. 6. c. 6. n. 3. 4. Quinam censeantur tale obtinere, ibid. An Parochus vel alius obtinens Beneficium Parochiale possit extra suam Parochiam audire confessiones sine alia approbatione quàm licentia Parochi, ibid. n. 9. 10. An in alia Diœcesi, ibid. ante Concilium Trid. sola Parochi licentia sufficiebat, ibid. n. 11. Nunc absolutè requiritur approbatio Episcopi, nec sufficit quod etiam injustissimè denegetur, ibid. n. 12. 16. Seculares & Regulares in hoc æquiparantur, ibid. n. 12. Sine ea nec in locis exemptis potest quis audire confessiones, ibid. n. 15.

Approbatio unius Episcopi nihil operatur in alia Diœcesi, ibid. num. 13.

Approbationem limitare Episcopi possunt ad tempus vel tantum quacunque restrictione concedere, ibid. n. 17. In Italia & Roma nulli Regulari conceditur approbatio nisi ad tempus, idque limitatum cupit Conventus Clerici Gallicani, ibid. Episcopi possunt eam restringere ad certas personas, ibid. n. 19. Item ad certa loca, ibid. n. 25.

Approbatus generaliter non censetur approbatus pro Monialibus ibid. n. 20. Regulares non possunt sine approbatione Episcopi excipere confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum, ibid. n. 22. An Regularis approbatus ad audiendas confessiones Monialium unius Monasterii possit vigore ejusdem approbationis excipere confessiones alterius, ibid.

Approbationem etiam Regularibus concessam, Episcopus potest revocare, ibid. n. 25. Utrum possit pro nutu revocare approbationem Vice-Pastorum, aut aliorum Presbyterorum, ibid. n. 28. In Gallia auctoritas Episcoporum quoad approbationes Confessariorum, ejusque restrictiones & limitationes speciali decreto Regio roborata, ibid. n. 27.

AQUA BENEDICTA.

Aqua benedicta usitata in Dedicatione Ecclesiæ à quo tempore & ejus ratio, p. 2. t. 16. c. 3. n. 16. Item in reconciliatione Ecclesiæ pollutæ, ibid. c. 4. n. 20. Unde factum, quod ejus aspersio inter jura honorifica computetur, p. 2. t. 25. c. 7. n. 14. Quâ ratione Toparchis danda, ibid. n. 17. Prohibetur porrectio aspergili cujuscunque conditionis personis, nisi soli Episcopo, ibid. Aquæ benedictæ aspersio est species benedictionis, ibid. Unde aspergilli porrectio competat Episcopo, ibid. n. 20.

ARBITER.

Arbiter quid & quotupliciter accipiatur, p. 3. t. 5. c. 4. n. 1. &c. Ejus auctoritas dependet à compromisso, nec illud egredi potest, ibid. n. 5. An coram eo possit institui reconventio, ibid. n. 6. De quibus Arbiter possit cognoscere, ibid. n. 7. Si in plures fit compromissum, uno absente, an reliqui possint procedere, ibid. n. 12. Arbiter & Arbitrator in quonam differant, ibid. n. 22. Cur hodie plerumque compromittatur sub hac formula in *Arbitrum & Arbitratorem*, ibid. n. 26.

Arbitri sententia de jure provocationem non admittit, ibidem 27. 28. Hodie tamen admittitur, & vocatur reductio, ibid. n. 29. 30. Coram quo, & quâ formâ, & intra quod tempus instituenda, & quis ejus effectus, ibid. n. 31. In Brabantia coram Senatu Brabantiæ instituenda, idque intra decem dies, aliàs non habet effectum suspensivum, ibid. numer. 34. Si in compromisso reductioni sit renuntiatum, adversus hoc datur restitutio, ibid. n. 36. Ob facilem admissionem reductionum compromissa solent esse sine effectu, ibid. Quid faciendum ut arbitrales sententiæ sortiantur effectum ibid. n. 37.

Arbiter Juris sic dictus p. 3. t. 10. c. 5. n. 10. & seq. Judice recusato ex causa suspicionis assumuntur, ut de causa suspicionis judicent, & quomodo eligantur, ibid. More judiciario procedunt, & ab eorum sententia datur appellatio, ibid. n. 12. Judex recusatus potest eis præscribere terminum, intra quem debent procedere ad terminationem causæ, ibid. n. 13. *Vide Compromissum.*

ARCHIDIACONUS.

Archidiaconus primus Episcopi est Minister, p. 1. t. 12. c. 1. n. 1. Qualis & quanta olim Archidiaconorum auctoritas, ibid. n. 2. Præcipui solebant esse Administratores bonorum Ecclesiasticorum, p. 2. t. 18. c. 1. n. 4. & p. 2. t. 36. c. 1. n. 19. Inde ortum Jus deportos, quod in multis Ecclesiis ipsis competit, ibid. n. 20. Ejus auctoritas olim vicaria, quomodo sensim facta sit ordinaria, p. 1. t. 12. c. 1. n. 5. & part. 3. t. 5. c. 1. n. 18. Interdum habuerunt jurisdictionem fori contentiosi, p. 1. t. 12. c. 1. n. 8. A quo tempore habere cœperint suos officiales, ibid. Eorum potestas multum restricta, ibid. n. 10. Qualis sit in plerisque Ecclesiis, ibid. n. 12. In nonnullis Ecclesiis adhuc hodie amplissima est eorum jurisdictio, ibid. n. 22. & seq.

Archidiaconorum est, ordinandos præsentare Episcopo, ibid. n. 15. Examini ad ordines & beneficia jure suo interveniunt, ibid. An possint præsentare ordinandos, quos nesciunt dignos, imò putant indignos ; modò Episcopus eos judicet dignos, ibid. n. 27.

Archidiaconus jus habet visitandi totam Diœcesim, ibid. n. 17. De quibus in visitatione sua teneatur inquirere, ibid. An post Conc. Trid. sine consensu Episcopi possit visitare, ibid. &c.

Archidiacono de jure communi competit institutio corporalis. Beneficiatorum, & de consuetudine institutio tituli collativa ibid. n. 21. Quandonam jure proprio, & quandonam delegato, p. 2. t. 22. c. 4. n. 26. Quomodo hoc jus ad eos devenerit, p. 2. t. 26. c. 1. n. 9. Debent ad minus esse Licenciati in Theologia, vel Jure Canonico, & in Belgio debent assumi ex Canonicis Graduatis, p. 1. t. 12. c. 1. n. 28.

ARCHIEPISCOPUS.

Vide Metropolitanus.

ARCHI-PRESBYTER.

Archipresbyterorum institutio in Ecclesia est antiqua, p. 1. t. 6. c. 1. n. 1. Illorum electio & destitutio olim ad Episcopum &

Archidiaconum spectabat, nunc ad solum Episcopum, ibid. n. 3. &. p. 1. t. 12. c. 1. n. 21. Ab ejus arbitrio unicè nunc illorum functiones dependent, p. 1. t. 6. c. 1. n. 5.

Archipresbyteri Pastores sunt Pastorum, ibid. c. 2. n. 1. &c. c. 5. n. 1. Ipsis Sacramenta administrant, & pro illis officium funebre persolvunt, ibid. c. 5. n. 3. 4. Pastores tenentur annuè ei confiteri tanquam proprio Sacerdoti, p. 1. t. 6. c. 5. n. 19. Tenentur ad residentiam personalem, p. 1. t. 6. c. 2. n. 2. Dum expedire judicaverint, possunt Pastores sui districtus convocare, ibid. c. 4. n. 1. Annuatim cum Episcopo convenire debent, ibid. n. 5. De quibus in hac congregatione tractandum, ibid. n. 3. Jus habent visitandi Parochias sui districtus, ibid. c. 3. n. 2. &c. Quoties id facere debeant, & de quibus teneantur inquirere, ibid. Pastores & Beneficiatos in possessionem introducunt, ibid. c. 5. n. 5. Jus habent interveniendi computibus Fabricæ, Hospitalium, Monasteriorum, &c. p. 1. t. 6. c. 5. n. 6.

ARCHI-PRESBYTER CATHEDRALIS.

Archipresbyteri Cathedralis dignitas & officium multùm pendet à consuetudine, p. 1. t. 12. c. 2. n. 2. Ejus officia de jure communi, ibid. n. 4. Ejus officia de consuetudine ibid. n. 5. In Belgio ex Graduatis assumendus, ibid. n. 7. Est proprius Sacerdos aliorum Archi-presbyterorum, qui tenentur ei, uti tali, ad minus semel in anno confiteri p. 2. t. 6. c. 5. n. 19.

ARCHIVUM.

Archiva ad quid ordinata, 40. Decreta Synodorum & Edicta Principum circa diligentem custodiam Archivorum, ibid. Quid observandum, dum aliqua documenta inde extrahuntur, ibid. Monumenta fundationum & beneficiorum conservanda in Archivis Episcopi vel Capitulorum, quibus subsunt, p. 2. t. 36. c. 1. n. 9. & p. 2. t. 12. c. 6. n. 20. Scripturæ etiam minus solemnes extractæ ex publico Archivo, faciunt plenam fidem, p. 2. t. 12. c. 6. n. 20. & p. 3. t. 7. c. 7. n. 37. 41. ibid. n. 42.

ARRESTUM.

Arrestatio cadaverum, quæ per limites Parochiæ transvehuntur, improbatur, p. 2. t. 38. c. 1. n. 9. Unde verisimiliter mos iste originem habuerit, ibid. Irritum est arrestum injectum per Judicem secularem in pensionem Ecclesiasticam Clerico debitam, p. 3. t. 2. c. 3. n. 12.

ASSESSOR.

Assessorum apud Romanos origo, dignitas, privilegia & stipendia, p. 3. t. 6. c. 1. n. 3. Hodie Assessores Principum constituunt eorum Concilia & Parlamenta, ibid. n. 12. Magistratus minores in Brabantia juxta Jurisperitorum judicium pronuntiare tenentur, ibid. n. 15.

Assessorem Judices Apostolici, si non sint Graduati in jure assumere tenentur, ubi requiruntur ab altera partium, & juxta ejus relationem judicare, ibid. n. 18. Rationes ob quas Judex potest assumere Assessorem vel plures ad onus partium, ibid. n. 20.

Assessori debetur salarium ad onus partium, ibid. n. 24. 32. Quid hodie obtineat circa salaria Assessoris, ibid. n. 34.

ASSESSOR S. OFFICII.

Assessoris S. Officii munus, p. 1. t. 22. c. 3. n. 26. Facit relationem Sanctissimo resolutionum sacræ Congregationis, ibid.

ATTENTATUM.

Attentatum quid dicatur in materia appellationis, p. 3. t. 10. c. 3. n. 3. 4. Ante omnia debet cassari & annullari, ibid. Id etiam obtinet in appellatione, quantumvis frivola, si Judex, à quo eidem detulerit, ibid. n. 5. Appellatio ab interlocutoria non habet hunc effectum, nisi post inhibitionem Judicis ad quem, & hujus ratio, ibid. n. 8. Post inhibitionem attentatum est revocandum, licet ratio inhibitionis non subfuerit, ibid. n. 9. revocatio hæc fieri debet per Judicem, ad quem, ibid. n. 10. Judex à quo pendente appellatione varia adhuc potest, quæ non sunt attentata, ibid. n. 22.

AUDITIO.

Vidè Gradus Pœnitentiæ.

B

BACULUS PASTORALIS.

Baculus Pastoralis cujus formæ, & ex qua materia sit apud Græcos, p. 1. t. 15. c. 3. n. 14. Olim illum ab Imperatoribus accipiebant Patriarchæ & præcipui animarum Præfecti, ibid.

Baculo Pastorali non utuntur hodie Romani Pontificis, & quare, ibid. n. 15. Olim eo usi fuerunt, ibid. Eo non potest uti Prælatus extra terminos suæ jurisdictionis, p. 1. t. 31. c. 6. n. 25. Ejus usus ante alia Pontificalia Abbatibus competit, & quare, p. 1. t. 31. c. 6. n. 6. Quid significet sudarium Baculo Abbatiali appensum, & qui appensum illud habere debeant, ibid. n. 7. Olim vocabatur cambutta, p. 2. t. 16. c. 3. n. 17.

BANNUM.

Vide Proclamatio.

BAPTISMUS.

Baptismus quâ ratione dicatur Janua Sacramentorum, p. 2. t. 2. c. 1. n. 3. An Ordo validè conferatur non baptizato, ibid. n. 3.

Baptismus flaminis, & ejus efficacia, ibid. n. 7.

Baptismus sanguinis, & ejus efficacia, ibid. n. 10.

Baptismus fluminis solus habet rationem Sacramenti, ibid. n. 11. Ejus forma apud Latinos & apud Græcos quid requirat, ibid n. 12. Materia est aqua, & quænam, ibid. n. 15. De ejus applicatione per immersionem vel infusionem juxta varios temporum & locorum ritus copiosa dissertatio, ibid. n. 21. 23. & seq.

Baptismus olim ferè in sola Cathedrali administrabatur, ibid. c. 2. n. 14. Differentia erat inter Ecclesias Parochiales, & Baptismales, & illius distinctionis adhuc hodie extant vestigia, ibid. n. 25.

Baptismum extra tempus Paschatis & Pentecostes conferre olim non licebat, & quare, ibid. n. 18. Exceptus fuit casus necessitatis, ibid. n. 21. Quomodo sensim ea disciplina abolita, ibid. n. 22. Adhuc quædam extant illius vestigia, ibid. n. 25.

Baptismus infantium nullo prætextu differendus, ibid. n. 23.

Baptismi ritus antiqui & moderni comparatio & analytica explicatio, ibid. c. 3. n. 12. & seq. In multis convenit cum ritu Dedicationis Ecclesiarum, p. 2. t. 16. c. 3. n. 19. Sæpiùs pro concione singula ad Baptismum requisita explicanda, p. 2. t. 2. c. 4. n. 24.

Baptismalis innocentia olim requisita, ut quis possit ordinari, p. 2. t. 10. c. 6. n. 2.

Baptizatorum nomina in Registro Baptismali annotanda, p. 2. t. 12. c. 6. n. 19. Registrum hoc plenam fidem facit, ibid. n. 20. Edicta Principum Belgii circa hæc Registra, ibid.

Baptismi Minister Ordinarius olim erat Episcopus, p. 2. t. 2. c. 2. n. 1. Hodie Parochus jus baptizandi habet, sed ab Episcopo derivatum, ibid. n. 3. sine licentia Parochi nemo baptizare potest, ibid n. 5. Presbyrero & Diacono solemnis administratio baptismi delegari potest, sed non inferioribus, ibid. n. 6. Quinam in necessisate baptizare possint, ibid. n. 7. cum seq. Explicatur Canon Eliberitanus, qui bigamis & pœnitentibus in necessitate prohibet, ibid. n. 8. *Vide Catechumenus & Neophytus.*

BEGUINÆ.

Beguinarum, ortus, institutio, antiquitas & incrementum, p. 1. t. 33. c. 3. n. 1. & seq. Primitus nullam professionem emittebant, & hodierna formula, ibid n. 10. Multas subeunt vexationes, ibid n. 13. Errores ipsis adscripti, ibid. n. 14. Belgicæ per declarationem Joannis XII. tutantur, ibid. n. 15. Olim in Gallia frequentes, ibid. n. 17. Quomodo desierint, ibid. in earum locum ibi successerunt sorores Griseæ, ibid. In quibus earum institutum & moderna disciplina conveniat cum Regulari, ibid. n. 18. quâ ratione dicantur assumpsisse statum idque potiori ratione, quàm filiæ devotæ, ibid. n. 19. Quale censendum sit Jus Patronatus ipsis competens, an Laicum, an Ecclesiasticum, ibid. & p. 2. t. 25. c. 2. n. 27.

BELGIUM.

Belgium pro primaria sua lege tenet consuetudines inveteratas Provinciarum, & iis deficientibus Edicta suorum Principum, p. 1. t. 5. c. 6. n. 4. Quomodo Concilium Tridentinum in Belgio publicatum & admissum, ibid. n. 5. & p. 2. t. 25. c. 6. n. 21.

Belgarum jura non permittunt quemquam in quacunque causa vel instantia evocari extra Provinciam, p. 3. tit. 5. cap. 3. num. 10. 14. Id etiam obtinet in rebus & delictis Ecclesiasticis, ibid. num. 16. 17. Speciale quoad hoc privilegium Bra-

Brabantorum, ibid. n. 18. Pœna capitalis statuitur adversus eos, qui Brabantum extra Brabantiam evocant, ibid. n. 14. Solicitudo, quam habuerunt Senatus Regii in publicatione Concilii Tridentini, ut hoc privilegium sartum tectum conservarent, ibid. num. 19. Privilegium illud refertur: à Scriptoribus exteris, & agnoscitur à Sacra Congregatione Concilii Tridentini interprete, ibid. n. 20.

Belgium censetur Patria obedientiæ, p. 2. t. 33. c. 4. n. 19. Unde factum quòd praxis Galliæ in aliquibus ejus Provinciis plusquam in aliis sit usitata, ibid.

Belgium servos non agnoscit, p. 2. t. 13. c. 3. num. 13. Servi aliunde invecti beneficio regionis fiunt liberi, ibid. *Vide Edicta.*

BENEDICTIO.

Benedictio solemnis censetur inter Pontificalia, p. 1. t. 16. c. 3. n. 12. Episcopus non potest solemniter dare benedictionem præsente Legato de Latere, p. 1. t. 21. c. 2. n. 26. A quo tempore Abbates impetrarint auctoritatem solemniter benedicendi populum, p. 1. t. 31. c. 6. n. 9. Id non possunt, nisi in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis, ibid. n. 25. Nec præsente Episcopo, ibid. n. 27.

Benedictio ab Episcopo data Regulari in sua Ecclesia concionaturo est virtualis approbatio, part. 1. t. 11. c. 8. n. 19.

Benedictio solemnis Monachi quam vim olim habuerit, part. 1. t. 27. c. 1. n. 1.

Benedictionis nuptialis antiquitas, p. 3. t. 12. c. 6. n. 11. Convenit, ut fiat inter Missarum solemnia, ibid. n. 22.

BENEFICIUM.

Beneficiorum origo, natura, & definitio, p. 2. t. 18. c. 1. n. 1. 6. & seq. Quænam requirantur, ut fundatio aliqua censeri possit beneficium, ibid. n. 13. 15.

Beneficium regulare quodnam dicatur, ibid. c. 3. n. 2. Potest esse tale ex fundatione & præscriptione, ibid. n. 3. Quid ad præscriptionem hanc requiratur, ibid. n. 5. Beneficia Regularia ex natura sua non conferenda, nisi Professis, ibid. n. 12. 13. 14.

Beneficium seculare quodnam dicatur, ibid. n. 7. Omnia beneficia præsumuntur secularia, ibid. n. 8. Exceptiones, ibid. n. 9. Beneficia secularia non curata Regularibus conferri nequeunt, ibid. num. 17. Quid de Ecclesiis Parochialibus, ibid. num 18. An Monachi ad illas olim assumpti remanerent Monachi, ibid. n. 19. An assumi possint Canonici Regulares, ibid. num. 22. Canonici Præmonstratenses habent privilegium, cujus vigore ad Ecclesias Parochiales seculares præsentari & assumi possunt, ibid. num. 26. cum seq. An semel assumpti ad nutum suorum Prælatorum revocari possint, ibid. n. 27. An Ecclesiæ Parochiales Mendicantibus possint conferri, ibid. n. 28.

Beneficia curata unde sic vocantur, ibid. c. 4. n. 2. Quid requiratur, ut beneficium aliquod censeatur curatum, ibid. n. 3. Quam grave onus illis incumbat, ibid. n. 4. Sicuti Clericus amoveri non potest à beneficio sine causa, & servato juris ordine, ita nec privari potest cura animarum annexâ, ibid. num. 7. Vicaria perpetua est verum beneficium curatum, part. 3. tit. 34. c. 1. n. 27. Quinam censeantur habere Beneficium Parochiale, p. 2. t. 6. num. 3. cum seq. *Vide Cura animarum.*

Beneficia simplicia quænam dicantur, p. 2. tit. 18. c. 4. n. 8. An nomine hoc veniant Canonicatus Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, ibid. n. 9. Decretum Concilii Trid. ad instantiam Gallorum quoad beneficia simplicia, part. 2. t. 19. c. 4. n. 30. 32. *Vide Capellania.*

Beneficii ætas non legitur præscripta, quandiu beneficium ab ordine non distinguebatur, p. 1. t. 19. c. 1. n. 1. & seq. A quo tempore ætas beneficii præfixa, ibid. n. 5. Quænam ætas requiratur ad beneficia curata, ibid. n. 6. cum seq. Ad dignitates, ibid. num. 9. Ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum, ibid. num. 15. & cap. 4. Ætas 14. annorum requiritur à Concilio Tridentino pro omnibus beneficiis etiam Patronatus Laici, idque in Belgio receptum, ibid. num. 1. c. 11. An annus debeat esse completus, ibid. Ætas functionibus beneficiorum commensuranda, ibid. n. 13. Periculosa dispensatio quoad ætatem, ibid. n. 21. 23. Solus Pontifex dispensare potest, ibid. n. 24. Dispensatio hæc non solet concedi nisi simul à Papa petatur provisio, ibid. In Gallia apperta Regalia Rex dispensat quoad ætatem p. 2. t. 25. cap. 8.

Beneficium ab ordine olim non erat separatum, & ideo nihil de annexo ordine beneficiis statutum, p. 2. t. 19. c. 2. n. 1. Ordo aliquando actu, aliquando aptitudine beneficio est annexus, n. 3. Unde dignoscendum, utro modo sit annexus, ibid. n. 4. Quomodo ordo annexus Capellaniæ cum onere celebrandi Missas, ibid. n. 8. Quomodo dignitatibus & beneficiis curatis, ibid. n. 19. Quomodo Canonicatibus Ecclesiarum Cathedralium, ibid. n. 20. Quomodo Beneficiis Parochialibus, ibid. n. 19. Ordo actu beneficio annexus requiritur tempore provisionis, ibid. n. 5. Ordo aptitudini annexus debet suscipi intra annum, ibid. c. 3. n. 2. A quo tempore annus ille incipiat currere, ibid. n. 6. Quid de interstitiis, ibid.

Beneficium Parochiale obtinens, si intra annum ad Sacerdotium non promovetur, est beneficio ipso jure privatus, p. 2. t. 19. c. 3. n. 13. Exceptiones, ibid. n. 14. Debet tamen citari & declarari privatus, ibid. n. 17. Praxis in Gallia quoad hoc observata, ibid. n. 18. Quid de fructibus interim perceptis, ibid. num. 19. Potest resignare ultimâ die animi anni, p. 2. t. 27. cap. 4. n. 2. Episcopus dispensare potest cum Parocho quoad promotionem ad Sacerdotium, & pro quanto tempore, p. 2. t. 19. cap. 3. n. 24. Privationis ipso facto pœna locum non habet in dignitatibus etiam cum cura, ibid. n. 23. Privilegia Universitatis Lovaniensis circa non promotionem ad Ordines, eorumque usus & restrictio, ibid. num. 25.

Beneficia patrimonialia quænam dicantur, p. 2. t. 19. cap. 4. n. 17. Quâ ratione & quo ordine consanguinei Fundatoris ad ea præferantur, ibid. Censentur odiosa, nec facilè sunt admittenda, ibid. n. 20. 21. Non requiritur eorum publicatio, dum vacant, nisi in fundatione id exprimatur, ibid. Ecclesiæ Parochiales Patrimoniales quomodo subjectæ Concursui, p. 2. tit. 22. cap. 2. n. 11. &c.

Beneficia scientiam pro sua qualitate requirunt, p. 2. t. 19. c. 4. n. 1. &c. In Gallia requiritur, ut promovendus ad beneficia sit Regnicola, ibid. n. 13. Idem obtinet in Hispania & Belgio, ibid. n. 14. Qualitates ad beneficia requisitæ, ibid. n. 16. Necessitas vocationis ad beneficia requisitæ, ibid. c. 5. n. 9.

Beneficiorum pluralitas olim idem, quod adscriptio in duabus Ecclesiis, p. 2. t. 20. c. 1. n. 1. Canones quid de eo statuant, ibid. Ejus injustitia, abusus, & quæ mala inde proveniant, ibid. n. 8. 9. &c. Potest in certis circunstantiis esse licita, & quæ ad hoc attendenda, ibid. n. 12. & c. 2. n. 1. Quomodo & quibus prætextibus sensim invaluerit, ibid. c. 2. num. 7. Quantum invaluerat tempore Conc. Trid. etiam in Episcopatibus, & abusus inde nati, ibid. c. 3. n. 1. Statuta ejusdem Concilii adversus hanc pluralitatem, ibid. n. 7. 8. &c. Explicantur, ibid. n. 3.

Beneficia incompatibilia quænam dicantur, & variæ eorum species, ibid. c. 4. n. 1. &c. In quonam incompatibilitas fundetur, ibid. Omnium maxima est in Beneficiis Curatis, ibid. num. 3.

Beneficia uniformia & difformia quænam dicantur, ibid. n. 6. An duo difformia in eadem Ecclesia sint incompatibilia, ibid. Quid requiratur ut Beneficium vacet per assumptionem secundi incompatibilis, ibid. n. 7. In Gallia conceditur optio, & cautela quæ ibidem servatur adversus fraudes, ibid. n. 11. Quænam requirantur ut dispensatio super pluralitate Beneficiorum sit licita. In Gallia & Belgio nulla dispensatio admittitur super pluralitate Curatorum, ibid. c. 5. n. 3. Huic conformis est praxis Belgii, ibid. n. 4. Dispensatio reservatur Pontifici, & unde id ortum, ibid. n. 11. Requiritur in omni dispensatione causa, & qualis, ibid. n. 5. Dispensatio hæc est odiosa & restringenda, ibid. n. 13. Quænam exprimenda pro obtinenda dispensatione super pluralitate Beneficiorum, ibid. n. 14. Jus Ordinariorum circa examen dispensationum obtentarum ad quæ se extendat, ibid. c. 2. n. 13. & cap. 5. n. 15. Obtinens plura Beneficia non juvatur per Regulam de possessore triennali, ibid. c. 5. n. 18. Consuetudo hodie invaluit, ut sine dispensatione retineatur Beneficium simplex cum alio sufficiente, & unde id ortum, ibid. c. 4. n. 19. In supplica, qua petitur Provisio Apostolica de Beneficio, exponendum est Beneficium ante obtentum sub pœna nullitatis, p. 2. t. 24. c. 4. n. 30.

Beneficia quænam dicantur Electiva Collectiva, & quænam Electiva confirmativa, p. 2. t. 21. c. 4. n. 5.
Vide Collatio, Permutatio, Provisio, Resignatio, Reservatio, Simonia, Surrogatio, Unio.

BIGAMIA, BIGAMUS.

Bigami prohibentur assumi ad officium Custodis, p. 1. tit. 4. c. 2. n. 2. Olim ipsis inhibitum baptizare in necessitate, p. 2. t. 2. c. 2. n. 8. Jam à tempore Apostoli Bigamia induxit irregularitatem, & in quo ea fundetur. *Vide irregularitas.*

Bigamia similitudinaria habetur transgressio voti continentiæ, p. 2. t. 10. c. 2. num. 31.

Bigamis seu nuptias iterantibus pœnitentia olim imposita, & quare, p. 2. t. 15. c. 8. n. 16. Non tamen ideo secundæ nuptiæ habitæ fuerunt ut illicitæ, ibid. Presbytero inhibitum secundis nuptiis interesse, ibid. n. 17. Prohibentur a Sacerdote beneficii, ibid. n. 18.

BLASPHEMIA.

Blasphemia quid sit, & quænam eo nomine veniant, part. 3. t. 4. c. 5. n. 1. Hujus criminis atrocitas, ibid. & seq. Pœnæ decretæ per Canones, Leges, Edicta Hispanica, Gallica, & Belgica adversus Blasphemos, ibid. n. 5. & seq. Item Statuta Synodalia, ibid. n. 14. An consuetudo efficere possit ut aliquid non censeatur Blasphemia, ibid. n. 15. Cujus fori sit hoc crimen, ibid. n. 16.

Blasphemiæ affinis est consuetudo jurandi & pejerandi inter sermocinandum, ibid. n. 22. Media quibus ea consuetudo abolenda, ibid. n. 23.

BONA ECCLESIASTICA.

Bona Ecclesiæ olim per Episcopum Œconomum, vel Archidiaconum administrabantur, & Clericis singulis mensibus pro necessitate distribuebantur, p. 2. t. 18. c. 1. n. 4. & seq. Unde factum ut quilibet postea partem suam ad se retraxerit & inde origo Beneficiorum, ibid. n. 5.

Bona Ecclesiæ manserunt semper ejusdem naturæ, & spiritus Ecclesiæ circa ea immutatus, ibid. n. 27.

Bona, & reditus Ecclesiæ, quæ Clericis conceduntur, cur vocentur peculium; natura peculii, & quæ sub hoc nomine comprehendantur. *Vide Peculium.*

Bona Ecclesiæ debentur Ministris jure naturæ, titulo alimentorum, p. 2. t. 32. c. 2. n. 1. seq. Ita dantur ratione stipendii ut justè illa non accipiant, nisi veri operarii, ibid. n. 8. Id verificatur etiam quoad Canonicos, ibid. n. 14. Dictum illud, Beneficium datur propter officium, ineptè applicatur recitationi Horarum Canonicarum, ibid. n. 20. Clerici non possunt Evangelizare ut manducent, ibid. n. 22. & Signa ex quibus deprehenditur, an quis Evangelizaret ut manducet, ibid. num. 26.

Bona Ecclesiæ vocantur vota Fdelium, pretia peccatorum, patrimonium, pauperum, & ejus ratio, ibid. c. 3. n. 1. seq. Ex bonis Eclesiæ Clerici accipere non possunt, nisi necessaria, ibid. c. 4. n. 1. &c. Consanguineis dari non possunt, ut pauperibus, ibid. n. 2. Quàm frugaliter iis uti teneantur, etiam Cardinales & Episcopi, & prætextus in contrarium discutiuntur & refutantur, ibid. n. 6. 13. & seq. Decretum Concilii Tridentini adversus luxum Prælatorum, ibid. n. 11.

Bona & fructus Beneficii Clericus dives potest accipere, & jure exigere, ibid. c. 5. n. 1. 2. Non potest tamen reservatis Patrimonialibus ex bonis Ecclesiæ vivere, ibid. n. 5. & p. 3. t. 12. c. 3. n. 22.

Bona Ecclesiæ olim erant communia exemplo Christi, & distribuebantur inter Ministros & Pauperes, p. 2. 2. t. 32. c. 6. n. 2. Quandonam prima divisio in quatuor partes stabilita, p. 2. t. 16. c. 5. n. 2. & t. 32. c. 6. n. 6. & seq. Qua proportione hæc divisio facta, ibid. n. 10. Qua proportione & cujus judicio pars Clericorum inter Clericos, item pars Pauperum inter Pauperes dispensabatur, ibid. num. 13. & c. 5. n. 16. Per hanc divisionem natura bonorum Ecclesiæ non est mutata, ibid. c. 6. n. 16.

Bonorum Ecclesiæ alia divisio per erectionem Beneficiorum, item inter Episcopum & Capitulum, & Canonicos inter se, ibid. n. 18. 19. Nec per hanc divisionem natura bonorum Ecclesiæ fuit mutata, ibid. n. 21. Clerici non nisi frugaliter eis uti possunt, & reliquum in pios usus erogare tenentur, ibid. c. 4. n. 12. & c. 6. n. 28.

Bonorum Ecclesiasticorum administratio ab initio Ecclesiæ etiam post divisionem fuit penes Episcopum, Archidiaconum vel Œconomum, p. 2. t. 18. c. 1. n. 4. Post erectionem Beneficiorum primaria superintendentia competit Episcopo, p. 2. t. 36. c. 1. n. 7. Decreta Synodorum Belgii pro conservatione bonorum Ecclesiasticorum, ibid. c. 1. &c. *Vide Alienatio*, *Successio*, *Elocatio*, *Testamentum.*

BRABANTIA.

Brabantia Imperatorem pro superiore non agnoscit, p. 1. t. 13. c. 2. n. 12. Non comprehenditur Concordatis Germaniæ, ibid. Excepto Trajecto ad Mosam & Nivellis, & hujus exceptionis ratio, ibid. Prælati qui sunt de Statibus Brabantiæ, ibid. Activè & passivè stant Juri coram Senatu Brabantiæ. p. 3. t. 1. c. 4. n. 32. Et quare, p. 1. t. 19. c. 3. n. 6. &c. Hoc non intelligitur quoad functiones sacras, p. 3. t. 1. c. 4. n. 35. Dux Brabantiæ est Advocatus omnium Ecclesiarum sui Ducatus. *Vide Advocatia.*

Brabantiæ Clerus corpus distinctum à statutibus, & sub eorum censensu non comprehenditur. *Vide Subsidium.*

Brabantorum speciale privilegium, quod extra Brabantiam nullo prætextu, & in nulla instantia revocari possint, p. 3. t. 5. c. 3. n. 10. Pœna capitalis decernitur in eos, qui aliquid contra attentarent, ibid. n. 14.

BREVE.

Breve Apostolicum quid sit, p. 1. t. 23. c. 4. n. 4. Quid Annulus Piscatoris quo Breve signatur, ibid. n. 5. Quænam sint differentiæ inter Bullas & Brevia, ibid. n. 8. Quænam negotia per Breve expediri soleant, ibid. n. 12. Cautio quæ adhibetur ne Brevia falsificentur, ibid. n. 13. Quantâ Cura Minutæ eorum serventur, ibid. Quid Secretarius Brevium, ibid. n. 3.

BREVIARIUM.

Breviariorum cura etiam spectat ad Episcopos, p. 1. t. 16. c. 9. n. 2. & t. 22. c. 7. n. 19. Breviarium Aurelianense correctum & edictum auctoritate Episcopi Aurelianensis, quæ in ejus correctione servata, p. 2. t. 16. c. 9. n. 23. Ecclesiæ quæ Breviarium Romanum non receperunt, auctoritatem retinuerunt revidendi & mutandi Breviaria, aliæ secus, ibid. p. 1. t. 22. c. 7. n. 12. Breviarium Cluniacense, & in ultima ejus recognitione servata, p. 1. t. 32. c. 3. n. 5.

BULLA.

Bullæ expediuntur per Cancellariam, p. 1. t. 23. c. 1. n. 14. & c. 2. n. 22. Quid Bulla juxta stylum Curiæ Romanæ, ibid. c. 4. n. 6. Quandonam Pontifices cœperint litteras plumbo obsignare, ibid. n. 6. Bullæ gratiosæ obsignantur plumbo pendente ex cordis sericie, Buliæ justitiæ cordis ex filio canabis, ibid. n. 8. Differentiæ inter Bullam & Breve, ibid. n. 8. Quænam negotia per Bullam expediri debeant, ibid. n. 12.

Bulla non requiritur ad essentiam Provisionis, sed tantùm ad ejus executionem, p. 2. t. 24. c. 3. n. 12. Quid agendum ubi expeditio Bullæ haberi nequit, ibid. n. 18. Variæ clausulæ Bullarum explicantur, ibid. c. 5. n. 1. seq. *Vide signatura.*

BURSÆ, SEU ALIMENTARIÆ PORTIONES.

Bursæ an censendæ sint manus mortuæ, p. 1. t. 29. c. 3. n. 24. seq. Diversa eorum genera in Universitate Lovaniensi, p. 2. tit. 11. c. 4. n. 7. & seq. Solis Pauperibus eas concedi voluerunt Fundatores, ibid. num. 9. Abussus quem committunt Fundatores dando prærogativam suis consanguineis, conterraneis aliisque, ibid. num. 17.

C

CAMERA APOSTOLICA.

Camera Apostolica prætendit fructus beneficiorum malè perceptos, & quo titulo p. 2. t. 30. c. 7. n. 30. Eorum collectioni præpositus est Officialis, dictus Componenda, ibid. Hoc in Gallia non admititur, ibid. n. 32. Verificationi litterarum Legati Apostolici clausula id excludens inferitur, ibid. num. 33.

CAMPANA.

Campanas plures & grandiores sola Ecclesia Parochialis potest habere, p. 2. t. 5. c. 2. n. 13. Decimatores tantùm tenentur ad instaurationem & interventionem necessariam unius Campanæ Bannalis, part. 2. tit. 16. c. 5. n. 29. 30. Qualis illa debeat esse, ibid.

CANCELLARIA ROMANA.

Cancellarii unde olim dicti, & eorum dignitas, p. 2. t. 23. c. 1. n. 1. Erant in Cathedralibus, ibid. n. 3. A quo tempore creverit auctoritas Cancellarii Romani, ibid. n. 4. Quare vocetur Vice-Cancelarius, ibid. n. 5. Habet titulum Cathedralium fixum, & habitationem in Palatio Cancellariæ, ibid. n. 6. Ejus officium, ibid. n. 7. 8. Quænam in Cancellaria expediantur, ibid. Officiarii Cancellariæ, eorum jura & emolumenta, & horum taxa, ibid. n. 15. Habet suas regulas, ibid. n. 17. *Vide Regulæ Cancellariæ.*

CANDELA.

Vide Cereus.

CANONES.

Canonum & Theologiæ studium in multis convenit, p. 1. t. 10. c. 2. n. 6. Quomodo utrumque studium utiliter possit combinari, ibid. Improbatur hodiernum studium, quod non nisi circa Canones servientes ad lites versatur, ibid. n. 7. Conveniret, ut Gradus in Jure Canonico separaretur à gradu in Jure Civili, ibid. n. 8. Quænam pro antiquorum Canonum intellectu necessaria, p. 2. t. 4. c. 4. n. 4.

Ca-

Canones per consuetudinem in totum abrogari non possunt, p. 1. t. 2. c. 5. num. 4.

CANONES PŒNITENTIALES.

Canones pœnitentiales, & eorum origo, p. 2. t. 6. c. 3. n. 1. Episcoporum in iis condendis circumspectio, ibid. n. 3. Variæ eorum collectiones, ibid. n. 12. 14. &c. Quomodo & qua occassione abrogari, ibid. n. 44. Multis titulis adhuc hodie eorum notitia Confessariis utilis, ibid. c. 4. n. 17. 18. Canones Pœnitentiales à S. Carolo editi, ibid. n. 4.

CANONICUS.

Canonici Cathedralium & collegiatarum Ecclesiarum unde hodie dicantur seculares, p. 1. t. 7. c. 1. n. 1. & seq. Olim vixerunt in communi, quando à vita communi recesserint, ibid. n. 2. &c. Ipsa institutio semper mansit invariata, ibid. c. 4. n. 2. Alia habenda de Canonicis idea, quam vulgò habetur, ibid. n. 6.

Canonici soli Capitulum constituunt, ibid. c. 5. n. 3. Sacris non initiati Capitulo non interveniunt, ibid. n. 7. Utrum turnum suum habeant in collationibus beneficiorum, ibid. n. 8.

Canonicorum præcipua obligatio est persolutio divini officii & unde illa obligatio, ibid. c. 6. n. 1. seq. Omnibus horis etiam minoribus interesse debent, ibid. n. 3. & c. 9. n. 4. Tenentur per se divinum officium persolvere, ibid. c. 6. n. 4. Statutum contrarium improbatur, ibid. n. 5.

Canonicatus supernumerarii erectio ad futuram præbendam est prohibita.

Canonici Ecclesiarum Collegiatarum an teneantur ad professionem fidei, p. 2. t. 26. c. 2. n. 20. Non admittitur in Gallia resignatio Canonicatus, nisi resignans ad minus resederit 15. annis, p. 2. t. 28. c. 8. n. 30.

Canonici proventus Ecclesiæ percipere non possunt, nisi titulo operarii, p. 2. t. 32. c. 2. n. 8. &c. Non suficit recitatio Horarum Canonicarum, ibid. n. 16. & seq.

Canonici defuncti successio defertur Capitulo. *Vide Capitulum*, *Successio.*

CANONICI CATHEDRALES.

Canonici Cathedrales sunt Consiliarii nati ipsius Episcopi, p. 2. t. 19. c. 3. n. 5. Singuli præcedunt omnium inferiorum Eclesiarum Canonicos, non tamen Decanos & Præpositos aliosque in dignitate constitutos, p. 1. t. 8. c. 1. n. 6. 7. Dum Capitulariter præcedunt omnes alias dignitates, p. 1. t. 31. c. 7. n. 50. Possunt delegari Judices, p. 1. t. 8. c. 1. n. 7. fin.

Canonicos Cathedrales Episcopus convenienter assumit in examinatores, sed tamen non adstringitur, p. 2. t. 9. c. 4. numer. 14. 15. Quænam scientia & qualitates in iis requirantur, p. 2. t. 10. c. 4. n. 4. Tenentur ad professionem fidei, p. 2. t. 26. c. 2. n. 19.

CANONICI GRADUATI.

Canonici Graduati in quem finem instituti in erectione novorum Episcopatuum in Belgio, p. 1. t. 10. c. 1. seq. Ex iisdem eligendi Archidiaconus, Archipresbyter & Pœnitentiarius, ibid. n. 5. Assumuntur per Episcopum & Graduatos, & quare, ibid. n. 6. Episcopo mutuo per Graduatos superstites, p. 1. t. 9. cap. 2. n. 3. Episcopus habet votum decisivum, p. 1. t. 8. c. 3. n. 8. & t. 10. c. 1. n. 6. Sub nullis cadunt reservationibus, p. 1. t. 10. c. 1. n. 7. & p. 2. t. 23. c. 5. n. 21. Tres ex iis examinant admittendos ad sacros Ordines & curam animarum, p. 1. t. 10. c. 1. n. 8.

Canonici Graduati Theologi & Canonistæ solent æquiparari, & rationes pro eo multùm notandæ, ibid. c. 2. n. 1.

Canonici Graduati Nobiles in quem finem instituti, ibid. c. 3. n. 1. Quid illis præ reliquis incumbat, ibid. n. 6. Gradu Academico debent esse insigniti, ibid. n. 7.

CANONICUS THEOLOGUS.

Canonici Theologi institutio juxta Decreta Conc. Lateran. Basileens. & Trid. p. 1. t. 11. c. 6. n. 1 seq. Quoties & quo tempore prælegere debeat, ibid. n. 6. Canonici & omnes de Clero Ecclesiæ lectioni ejus interesse debent, ibid. n. 9. Iis horis, quibus docet, etiam distributiones in absentia lucratur, ibid. n. 11. Etiam Anniversariorum, ibid. Non tenetur observare tabellam Chori quoad decantationem lectionum, ibid. Præbenda non intelligitur ei affecta, nisi per actualem, Episcopi deputationem, & annexionem, ibid. n. 5. Præbenda Theologalis non potest gravari pensione, p. 2. t. 28. c. 6. n. 16.

CANONISSÆ.

Canonissarum origo, p. 1. t. 33. c. 2. n. 2. Quomodo ad hanc formam redactæ, & quando, ibid. n. 7. Earum dissolutio ferè processit ad exemplum Canonicorum, ibid. num. 12. Exceptâ Abbatissâ & quibusdam aliis, ad matrimonium transire possunt, & quæ exceptionis ratio, ibid. n. 18. Habent jurisdictionem, & qualem habeant Nivellenses, Montenses, Malbodienses, ibid. n. 23. &c. Ex mente Fundatorum tenentur canonicè vivere, ibid. n. 26. Censentur corpora Ecclesiastica, ibid. n. 30. Earum Abbatissæ vocantur ad Synodos, ibid. n. 31. Sunt sub immediata Regis protectione, & sine ejus licentia non possunt visitari, ibid. n. 32.

CANONIZATIO.

Canonizationis moderni ritus descriptio, p. 1. t. 22. c. 7. n. 7. Olim fiebat auctoritate Episcoporum sine multis cæremoniis, & earum varia exempla, ibid. n. 10.

Canonizatio per Pontificem non fiebat, nisi in Concilio Generali, & quandonam ab eo recessum, ibid. n. 12. A quo tempore Pontifici reservata, ibid. n 9. 14. In quo differat à beatificatione, ibid. n. 15. An & quis cultus possit exhiberi nondum canonizatis, ibid.

CANTOR.

Cantor olim dictus Primicerius, p. 1. t. 11. c. 3. n. 1. Ejus officium, ibid n. 2. Irreverentes & defectuosos in divino officio punire potest, ibid. n. 4. Cur baculum in præcipuis festivitatibus ferat, ibid. n. 4. In plerisque Ecclesiis inter dignitates numeratur, ibid. n. 6.

CANTUS.

Vide Musica.

CAPITATIO.

Capitatio in L. 33. Cod. Theod. de Annonis & Tributis, quid significet, p. 2. t. 35. c. 1. n. 17.

Capitatio sive tributum personale Clericis imponi non potest, ibid. c. 2. n. 42. Causâ urgente in Belgio aliquando fuit imposita, sed non nisi de eorum consensu, ibid. & n. 49. & seq.

CAPITULUM.

Capitula seu Collegia Canonicorum olim vocabantur Monasteria, p. 1. t. 7. c. 5. n. 1. A quo tempore hodiernum Capituli nomen invaluerit, ibid. n. 2. Soli Canonici constituunt Capitulum, ibid. n. 3. Canonici sacris non initiati Capitulo non interveniunt, ibid. n. 7. A quo tempore, & quam ob causam, p. 1. tit. 31. c. 4. n. 12. In dignitate constituti, si non sunt Canonici, non sunt de Capitulo, p. 1. t. 7. cap. 5. n. 4. Fallit in Decano, ibid. n. 3.

Capitula disciplinæ successerunt in locum collationum, quas Canonici quotidie instituebant, ibid. n. 9. 10. Quæ in eis proponenda, ibid. n. 11.

Capitula indici non possunt tempore divini offici, ibid. n. 15. Nec consuetudo in hoc excusare potest, ibid. n. 16. Responsum sacræ Congregationis super hac materia, ibid. n. 16.

Capitula habent jurisdictionem in suos subditos tantùm correctionalem, p. 1. t. 11. c. 2. num. 8. Etiam in Decanum, ibid. n. 9. Non contentiosam, nisi ex consuetudine vel privilegio, ibid. n. 7. Ad Synodos Diœcesanas vocantur, p. 1. tit. 18. c. 1. n. 10.

Capitula varia, quæ nullos admittunt, nisi Nobiles, part. 1. t. 11. c. 3. n. 1. An hæc consuetudo probanda, ibid. n. 2.

Capitula decimas quâ ratione acquisierint, p. 2. t. 33. cap. 5. n. 32. 33. & 35.

Capitulum quomodo congregari & deliberare debeat in causa alienationis, p. 2. t. 36. c. 4. n. 17. &c.

Capitula olim habebant sua hospitalia, p. 2. t. 37. c. 1. n. 13. Varia eorum vestigia, ibid. n. 19. Item suos carceres, p. 3. tit. 11. c. 1. n. 21. & seq.

Capitulum succedit suis Canonicis & suppositis ab intestato. *Vide Suffragium*, *Succesio.*

CAPITULUM CATHEDRALE.

Capitulum Cathedrale successit in locum Presbyterorum & Diaconorum, p. 1. t. 8. c. 1. n. 2. Senatum Ecclesiæ representat, & unum cum Episcopo corpus constituit, ibid. n. 3. In ea qualitate præcedit omnia corpora Ecclesiastica, ibid. n. 4. & p. 1. t. 31. c. 7. n. 50. Et ipsos Senatus Regios Præsidiales, p. 1. t. 8. c. 1. n. 5.

Capitulum Cathedrale, quantumvis exemptum, visitationi Epis-

co-

copi subjectum, p. 1. t. 17. c. 3. n. 13. Debet Episcopo tanquam Capiti reverentiam & honorem, & in quibus hæc consistant, p. 1. t. 8. c. 2. per tot. Quem locum Episcopus in Capitulo habeat, ibid. n. 7. Convenit, ut illi præsideat, ibid. *Vide Exemptio.*

Capituli consilium tenetur Episcopus petere, non tamen ordinariè sequi, ibid. c. 4. n. 5. In quibus requiratur consensus, ibid. n. 7. Moribus Belgii aliquando succedit Vicarius, ibid. num. 9.

Capitulis Cathedralibus olim competere solebant electiones Episcoporum, p. 1. t. 13. c. 2. tot. Quomodo hæ ad ipsa devolutæ, ibid. Quâ ratione jus istud iis ademptum, ibid. n. 4. & seq. Restituitur eis per Concilium Basileense, ibid. n. 7. Capitula Germaniæ illud hucusque retinent, ibid. numer. 9. & seq.

CAPITULUM CLAUSTRALE.

Capitulo Claustrali quinam interveniant, & suffragium habeant, p. 1. t. 31. c. 4. tot. Olim omnes omninò etiam Laici interveniebant, quod adhuc in Ordine S. Francisci obtinet, ibid. n. 6. Quandonam & quâ occasione exclusi, ibid. n. 7. & 12. Ubi requiritur consensus vel consilium Capituli, dandus ex capitulariter sub pœna nullitatis, ibid. n. 15.

Capituli consilium Abbas audire, non sequi tenetur, ibid. n. 20. Quæ sint negotia graviora, in quibus tenetur habere consensum Capituli, ibid. n. 25. In iis non requiritur omnium, ibid. n. 27. Actus est nullus, si non petierit consilium, si illud petere, & non sequi teneatur, ibid. n. 28.

Capitula Generalia, eorum utilitas, institutio, forma, & qui intervenire debeant, & quo tempore celebranda, part. 1. t. 32. c. 3. n. 19. & seq.

Capitula disciplinæ olim frequentissima, quæ in iis tractanda, ibid. n. 22. & 30.

Capitula quotidiana, & eorum forma, ibid. Vestigium eorum in officio Primæ, ibid.

CAPITULUM SEDE VACANTE.

Capitulum Cathedrale, uti Clerum repræsentans, vices Episcopi in administranda Ecclesia supplet, p. 1. t. 9. c. 1. tot. In quibus Episcopo regulariter succedat, ibid. c. 2. per tot. Quandonam succedat Episcopo in qualitate Apostolicæ Sedis Delegati, ibid. n. 2. Quomodo succedat in collationem beneficiorum, ibid. n. 5. & p. 2. t. 12. n. 25. 29. Quænam ejus potestas circa alienationem bonorum spectantium ad mensam Episcopalem, p. 1. t. 9. c. 2. n. 4. Potest dare facultatem ordines conferendi, item suscipiendi sub moderatione Concilii Tridentini, ibid. n. 6. & p. 2. t. 9. c. 3. n. 8. *Vide Dimissoriæ.*

An possit dare facultatem recipiendi Ordines titulo patrimonii, p. 1. t. 9. c. 2. n. 8.

Capitulum Sede vacante tenetur infra octo dies constituere Vicarium, ibid. c. 3. n. 7. Potest jurisdictionem Vicarii restringere, ibid. c. 4. n. 5. Quamdiu Sedes moribus Belgii censeatur vacare, ibid. cap. 2. n. 9. Constituit & Œconomum, ibid. c. 5. n. 9. Ad ipsum non diriguntur dispensationes matrimoniales, p. 2. t. 14. c. 2. n. 9. Dispensationes ad Ordinarium directas, eo mortuo, non possunt exequi Capitulum vel ejus Officialis, ibid. n. 8. potest unire beneficia, p. 2. t. 29. c. 1. n. 24. *Vide Vicarius Sede vacante, Œconomus*

CAPELLA.

Capellarum varia origo & significatio, p. 2. t. 16. c. 2. n. 7. & t. 18. c. 4. n. 11. Quid Capella S. Martini, ibid. num. 11. Quid Capellæ Palatinæ, ibid. n. 14. Quibus competant oblationes, quæ fiunt in Sacellis, p. 2. t. 33. c. 10. n. 3. 9. & 17. In admissione novæ Capellæ attendendum, ne populus ab Ecclesia Parochiali abstrahatur, p. 2. t. 16. c. 2. n. 9. Quæstus causâ non ædificandæ, ibid. n. 10. Capellarum reparatio cui incumbat, ibid. c. 5. n. 18.

CAPELLANIA.

Capellaniarum & *Capellanorum* origo, p. 2. t. 18. c. 4. n. 11. Eorum obligatio quoad officium Ecclesiasticum, ibid. n. 20. Unde factum, quod nomen Capellani quasi valuerit, ibid. n. 23. Eorum numerus meritò reducendus, ibid. n. 24.

Capellaniæ in parochialibus videntur institutæ in subsidium Parochorum, ibid. n. 26. Decretum Concilii Tridentini ad instantiam Gallorum circa Capellanias non requirentes residentiam, ibid. n. 31.

Capellaniæ quibus conferendæ, p. 2. t. 19. c. 2. tot. An requirant aliquem ordinem, p. 2. t. 18. c. 4. n. 26. & t. 19. c. 2. n. 8. Quænam requirant residentiam, ibid. n. 16.

Capellaniam habens cum onere Missæ quotidianæ an teneatur quotidie celebrare, p. 2. t. 5. c. 7. n. 14. Si Fundatio requirat, ut fiat de aliquo Sancto, an quotidie teneatur de illo celebrare, ibid. An, dum alium subsistuit, teneatur substituto ad stipendium, ad rationem redituum beneficii, ibid. n. 15. Capellaniæ cum solo onere celebrandi meritò abrogandæ, ibid. n. 19. & p. 2. t. 18. c. 4. n. 24.

CARCER.

Carcerandi subditos potestas non competit Capitulis, nisi id ex privilegio vel consuetudine habeant, p. 1. t. 11. c. 2. n. 7. Incarcerantur Regulares, qui exeunt sine licentia, part. 1. t. 31. cap. 3. n. 32. & t. 27. tot. Carceris pœna olim inter Monachos nota, p. 1. t. 31. c. 3. n. 32. & p. 3. tit. 11. numer. 26. 27. &c. Item inter Canonicos, ibid. Cur hodie usitatior in Monasteriis, p. 1. t. 31. c. 3. n. 23. &c. Successit loco ejectionis ab ordine, ibid.

Carceratorum causæ brevissimis terminis & resecatis superfluis agitandæ, p. 3. t. 7. c. 4. n. 40. Intra triduum tenetur Promotor vel Fiscalis adversus eos exhibere libellum, p. 3. t. 8. c. 3. num. 1. Nemo macerandus, nisi præviis informationibus & auctoritate Judicis, ibid. c. 2. n. 2. Quænam attendenda ex jure communi, & ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum, antequam incarceratio decernatur, ibid. c. 2. n. 2. Non facilè decernenda adversus Ecclesiasticos, ibid. n. 7. Nec adversus eos, qui cautionem præstant de parendo, ibid. n. 8. Sæpè ejusmodi relaxandi, etiam dum agitur de pœna corporali, sed non in attrocioribus delictis, ibid. n. 12. Deficiente cautione fidejussoriâ, sæpè sufficit juratoria, ibid. n. 15. Edicta Principum Belgii super expeditione captivorum, directione carcerum, electione custodis, solamine captivorum, &c. ibid. n. 18. Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Belgii iis in omnibus consonant, ibid. n. 18. Cura quam adhiberi voluit S. Carolus circa captivos, ibid. n. 32.

Carceres sæpius per Episcopos visitari voluerunt Imperatores, & quare, ibid. n. 29. Id meritò hodie sæpius facerent Episcopi & Pastores, ibid. n. 37.

Carceris Custodes quales eligendi, ibid. n. 17. &c. Custos stuprans captivam suam punitur pœnâ mortis, part. 3. t. 4. c. 4. n. 39. Ad quid teneatur custos, si ejus negligentia reus fugerit de carcere, p. 3. t. 8. cap. 2. num. 25.

Carcer ultimum medium executionis est, p. 3. t. 9. c. 4. n. 23. &c. Quando & quâ formâ pro debitis civilibus ad eum procedatur, ibid. Idem procedit in mulieribus, & quænam in earum incarceratione cavenda, ibid. num. 27. 28. An locum habeat incarceratio in Clericis constitutis in ordine sacro, ibid. n. 29. Ab incarceratione liberat cessio bonorum, ibid. num. 31.

Carceris pœna in Clericos criminum attrociorum reos jure Decretalium decerni potest, p. 3. t. 11. c. 1. n. 23. 24. Etiam carceris perpetui, ibid. Consonat hodierna praxis, ibid. n. 25. Tantùm possunt carceribus Episcopalibus mancipari, ibid. n. 27. *Vide Cessio bonorum.*

CARDINALES.

Cardinales quinam, & unde olim vocati, p. 1. t. 22. c. 1. tot. Cardinalium Romanorum origo, numerus, incrementum, ibid. n. 11. & seq. Multis seculis Episcopi fuerunt Prælati. ibid. n. 21. Quomodo ad eam dignitatem sensim ascenderint, ibid. n. 22. Circa seculum XII. cœperunt Cardinales Episcopi, ibid. n. 12.

Cardinales nullo alio titulo aut insigniis uti possunt, quàm Cardinalitio, ibid. n. 26. Eorum officia, ibid. n. 30. Si Abbatiam in commendam obtineant, habent etiam jurisdictionem in disciplinam claustralem, p. 1. t. 31. c. 7. n. 44. & seq. Per illos Episcopi malè tractari, & de eo querelæ, part. 1. t. 22. c. 1. n. 28.

Cardinalium Congregationes, p. 1. t. 22. c. 2. tot.

Cardinales utrum comprehendatur sub generali clausula derogationis, p. 2. t. 22. c. 2. n. 19. Portionem suam habent in Annatis, p. 1. t. 24. c. 4. n. 15. Quam frugaliter uti debeant rebus Ecclesiæ tam in vestitu, mensa, quam supellectile, p. 2. t. 32. c. 4. n. 6. & seq. Prætextus in contrarium discutiuntur, & refutantur, ibid. n. 8.

CASTITAS.

Castitas maximè decet Clericos, p. 1. t. 2. c. 3. n. 1. Synodorum Belgicarum decreta pro servanda castitate & bona fama Clericorum, ibid. n. 3. Conversatio mulierum eis interdicitur, ibid. n. 6. Synodus Leodiensis vetat admitti ad Ordines eos, qui in adolescentia fuerint mœchati, & lapsos post Ordinem susceptum ad altiorem gradum vetat promoveri, p. 1. t. 1. c. 3. n. 4. & p. 2. t. 9. c. 4. n. 26. In Diœcesi Mechli-

chliniensi nemo censetur approbatus ad absolvendum à peccato mortali contra castitatem complicem secum in eodem, p. 2. t. 6. c. 7. n. 31. Sacerdos ad libidinem inducens filias suas spirituales quâ pœnâ afficiendus, p. 3. t. 4. c. 4. n. 41.

Castitatis mentio expressa in antiquis formulis professionis, & in aliquibus recentioribus non invenitur, p. 1. t. 30. c. 1. n. 1. Tacitè tamen non includitur, ibid. Quænam votum castitatis involvat, ibid. n. 3. Hujus voti transgressio censetur Bigamia similitudinaria, p. 2. t. 10. c. 2. n. 31.

Castitati præcipuè inimica sunt spectacula seu Comœdiæ, p. 2. t. 17. c. 5. n. 8. Item Choreæ & tripudia in Belgio, præsertim ruri frequentata, ibid. n. 14. 18. Remedia à Synodis Belgii & Episcopis proposita, pro earum extirpatione, ibid. n. 19. & seq. Regia pro eorundem executione, ibid. n. 25. Obligatio Episcoporum, Pastorum & Magistratus Civilis eliminandi Meretrices, Statuas, Libros & Cantinelas inhonestas, p. 3. t. 4. c. 4. n. 67. Specialiter natationes publicas & denudationes corporum, ibid.

CATHECHISMUS.

Vide Instructio Christiana.

CATECHUMENUS.

Catechumenorum olim varii erant ordines, & quid in quolibet eorum fieret, p. 2. t. 2. c. 3. n. 2. Disciplina Ecclesiastica circa Catechumenos tota latissimè describitur, ibid. n. 7. & seqq. Quo tempore nomen darent, & quid hoc importet, ibid. n. 13. Quid redditio symboli in Catechumenis, ibid. n. 27. Quibusdam minutis Sacramentis utebantur, & quænam illa, & in quem finem, ibid. n. 33. Quid Missa Catechumenorum, p. 2. t. 5. c. 1. n. 2. Ritus hodierni baptismi plurima habent antiquæ circa Cathechumenos disciplinæ vestigia, p. 2. t. 2. c. 3. n. 22. & seq. Impedimentum cognationis spiritualis ex Cathechismo hodie videtur sublatum, p. 2. t. 13. c. 6. n. 15.

CAVEA SPIRITUALIS.

Vide Cella Capitularis.

CAUSA.

Causam criminalem olim quilibet poterat instituere inscribendo se ad pœnam Talionis, p. 3. t. 8. c. 1. n. 7. Hodie nemo potest criminaliter agere concludendo ad vindictam publicam nisi Officiarii ad hoc constituti, nec tenentur se præscribere, ibid. n. 9. Si accusationem malè instituant, quâ pœnâ afficiendi, ibid. n. 14. Quomodo hodie Judex procedat ex inquisitione, ibid. n. 20. Quomodo hodie processus criminales instituantur tam in Secularibus quam Ecclesiasticis Tribunalibus, p. 3. t. 8. c. 1. & seq. Quænam conclusio in criminalibus, ibid. c. 3. n. 8. Si reus ex sua confessione vel informationibus parum gravetur, processus instituitur modo in civilibus usitato, ibid. n. 16. &c. Nullo casu accusatori defertur juramentum suppletorium, ibid. Actio criminalis non cessat pro condonatione partium, p. 3. t. 4. c. 4. numer. 45. *Vide Confrontatio, Confessio, Depositio, informatio, Interrogatoria, Probatio, Purgatio, Tortura.*

Causa miserabilium personarum in Gallia hodie privativè spectant ad cognitionem Judicis Regii, etiam adversus Clericos, & ejus ratio, p. 3. t. 2. c. 3. n. 27. Quænam dicantur miserabiles Personæ, ibid. Cura quam Episcopi debent impendere, ut justitia illis administretur, ibid. & n. 18. In hisce causis Clericis licitum est Advocatum agere, p. 3. t. 6. c. 2. numer. 55.

CAUSÆ MAJORES.

Causæ majores Episcoporum juxta Canones terminari debent in Synodis, p. 3. t. 3. c. 4. tot. An & quid circa hanc disciplinam immutarit Synodus Sardicensis, Canones explicantur, ibid. n. 7. Disciplina moderna, quæ causas Majores reservat Pontifici à quo tempore invaluerit, ibid. n. 16. & seq. Decretum Concilii Tridentini circa eandem disciplinam, ibid. n. 29. Displicuit Gallis, ibid. n. 33. In Belgio non est receptum & quare, ibid. n. 35. Episcopus nequidem in crimine læsæ Majestatis conveniri criminaliter potest coram Judice Laico, ibid. n. 38.

CAUSÆ MATRIMONIALES.

Vide Possessorium, Forum competens.

CAUTIO.

Cautionem præstare tenetur Custodes seu Matricularii, & qualem, p. 1. t. 4. c. 1. n. 4. Item conductores bonorum Fabricæ & Mensæ S. Spiritus, p. 1. t. 5. c. 2. n. 4. Item Impetrantes rescripta moratoria solutionum, p. 3. t. 9. c. 4. tot. Item usurarius super restitutione usurarum antequam admittatur ad sepulturam Ecclesiasticam, part. 2. tit. 38. capit. 6. num. 25.

Cautio de rato an & quando in litibus admittatur, p. 3. t. 6. c. 3. n. 24.

Cautionem præstans de parendo non debet incarcerari, p. 3. t. 8. c. 2. n. 8. Sæpè talis relaxandus, etiam dum agitur de pœna corporali, sed non super delicto attrocioii, ibid. numer. 10. 12. Defficiente cautione fidejussoria sæpè sufficit juratoria, ibid. n. 15. Variæ causæ & Tribunalia in quibus sententiæ mandantur executioni sub cautione, non obstante appellatione, p. 3. t. 10. c. 3. n. 28. 29.

CELLÆ CAPITULARES.

Cellæ Capitulares lucri causâ secularibus patere non possunt, p. 2. t. 32. Quidquid emolumenti superest in pios usus erogandum, ibid.

CELLARIUS.

Cellarius aliter vocatur Procurator & Provisor, ejus officium, qualis eligendus, p. 1. t. 31. c. 5. n. 12. Quid specialiter debeat attendere, n. 13. Convenit ut negotia multum distrahentia committantur secularibus, ibid. n. 15. & p. 3. t. 6. c. 3. n. 28. &c. Potest Superior ejus potestatem restringere vel ampliare, p. 1. t. 31 c. 5. n. 17.

CENSURA.

Censuræ apud veteres non adeò præcisè acceptæ, uti apud modernos, p. 3. t. 11. c. 2. tot. Pro intellectu hujus materiæ etiam antiqui Canones expendendi, ibid. n. 3. Hodierna definitio censuræ, ibid. n. 7.

Censuræ tres tantùm sunt species, ibid. n. 4. Auctoritas eas ferendi dependet à potestate Clavium, ibid. n. 9. Mulieres eas ferre non possunt, ibid. n. 1. Explicatur c. 12. ※ *De Majoritate & obedientia*, ibid. n. 11. Hodie distinguitur potestas Clavium in ea quæ sunt ordinis & ea quæ sunt jurisdictionis, & huic reservatur potestas ferendi censuras, ibid. n. 16. Ad ferendas censuras requiritur Jurisdictio in foro exteriori, ibid. n. 17. Aliquibus Decanis seu Capitulis competere potest ex consuetudine, p. 1. t. 11. c. 2. n. 8. & p. 3. t. 11. c. 2. n. 18. Competere potest Clerico primæ Tonsuræ, ibid. n. 19. Hæc auctoritas acquiri potest præscriptione & consuetudine, ibid. n. 21. Regulares tenentur observare censuras latas ab Ordinario, ibid. n. 23.

Censura injusta nullum effectum habet coram Deo, ibid. cap. 5. n. 12. Quo sensu S. Gregorius dixerit eam esse timendam, ibid. n. 19. Interdum potest publicè contemni, ibid. n. 21.

Censura tolli non potest nisi ab eo qui eam tulit vel eum repræsentante, p. 3. t. 11. c. 11. n. 1. 2. Olim ab Episcopo eam tollere recusante dabatur ultima appellatio ad Synodum, ibid. n. 3. Ad quem hodie spectet facultas absolvendi à censuris, ibid. n. 10. *Vide Absolutio.*

An Judices Regii cogere possint Judices Ecclesiasticos ad tollendas censuras, ibid. n. 25.

CEREMONIÆ.

Ceremoniarum institutio & immutatio à Christo Ecclesiæ est relicta, p. 2. t. 5. c. 1. tot. Earum varietas non officit unitati fidei, ibid. n. 23. Quænam lex in illa varietate servanda, ibid. n. 20. In iis multa habentur pro lege, quo ab abusu irrepserunt, ibid. n. 28. Ceremoniarum Magister, de quibus debeat esse instructus, ibid. num. 25. Quam sit necessarius, ibid.

CEREUS.

Cerei dati Neophytis post Baptismum antiquitas & significatio, p. 2. t. 2. c. 3. n. 42. Septem diebus eo utebantur in Ecclesia, ibid. n. 43.

Cereorum in elatione funerum antiquitas & ratio, p. 2. t. 38. c. 1. n. 27. Cui competant Cerei feretro in exequiis appositi, p. 2 t. 38. c. 4. n. 43.

Cereorum extinctio in ritu excommunicationis quid significet, à quo tempore usitata, & ejus scopus, p. 3. t. 11. c. 8. n. 7. 10.

CESSIO BONORUM.

Cessio bonorum liberat ab incarceratione, p. 3. t. 9. c. 4. n. 31. Jure civili frivolâ professione absque alia solemnitate, ibid. n. 32. Solemnitas & forma inducta in Gallia ne facilis cessio ansam daret fraudibus, ibid. n. 33. & seq. Si impetrans litteras Cessionis alia bona acquirat, tenetur ea consignare ad opus creditorum, quid & quantum sibi retinere, ibid. n. 37. Ut litteras cessionis quis impetret, docere debet de infortunio, ibid. Decoctoribus & fraudulentis creditorum circumventoribus hoc beneficio non subvenitur, ibid. n. 38. Edicta adversus fraudulentas cessiones, ibid. n. 39.

Cessio bonorum variis personis in quibusdam causis ad evitandum carcerem necessaria non est, & quænam illæ, ibid. n. 40. Privilegium videtur concessum Clericis in c. *Odoardus*, de solut. ibid. n. 41. Quousque illud obtineat in Gallia, ibid. n. 42. Ejus effectus, ibid. n. 43.

CHARACTER.

Vide Sacramentum.

CHORUS.

Chorus est locus Clericorum, p. 2. t. 16. c. 1. n. 35. & t. 25. c. 7. n. 35. Dapellis & velo olim separabatur à reliqua parte Templi & ejus rei adhuc extant vestigia, ibid. n. 36. Quomodo Laicis patere possit juxta Canones, ibid. n. 37. Patronis competit jus sedis in choro, & qualis, ibid. n. 38. & t. 25. c. 7. n. 27.

Chorum ingredi prohibitum mulieribus, p. 2. t. 16. c. 1. n. 40.

CHOREÆ.

Choreæ cum sanctificatione festorum nullatenus consistunt, p. 2. t. 17. c. 5. n. 17. Choreæ quæ in popinis in Belgio frequentantur admodum sunt abominandæ, ibid. n. 18. Decreta Synodorum & Episcoporum Belgi pro earum extirpatione, ibid. n. 19. Decreto Regio roboratur, ibid. n. 25. Prohibentur specialiter in cœmeteriis, part. 2. tit. 38. cap. 2. num. 23. & sequent.

CHRISMA.

Chrisma à solo Episcopo benedici potest, p. 2. t. 3. c. 2. n. 11. Olim benedicebatur omni tempore, & quandonam in ad feriam V. in Cœna Domini restrictum, ibid. n. 12. 13. A quo accipiendum, & quæ in ejusdem distributione cavenda, ibid. n. 16. Ex quo conficiatur, ibid. c. 4. n. 5. An spectet ad essentiam Confirmationis ita ut non sufficiat unctio olei, ibid. n. 6. Quid unctio Chrismatis in vertice Baptizati, p. 2. t. 2. c. 3. n. 45. &c.

CITATIO.

Citationes extra Diœcesim ultra duas Dietas inhibet Concilium Lateranense & quare, p. 3. t. 5. c. 3. n. 2. Quomodo Dieta hic accipiatur ibid. Bonifacius VIII. restrinxit ad unam Dietam, ibid n. 3. In Gallia causa appellationis deleganda est in propria Diœcesi, ibid. n. 8. Privilegium Belgarum, quo non possunt ad judicium evocari extra Provinciam in quacunque causa & instantia, ibid. n. 10. & seq. *Vide Belgium.*

Quid obtineat quoad hæc in Hispania, ibid. n. 25. Quid in Gallia, ibid. n. 26. Quandonam aliquis dicatur citari extra Provinciam, ibid n. 22. & seq.

Citatio est exordium & fundamentum totius Processus, & est juris naturalis, p. 3. t. 7. c. 2. tot. An prævie ad citationem requiratur mandatum Judicis, ibid. n. 5. 6. An debeat citatio fieri ad personam, & an sufficiat ad domicilium, ibid. num. 12. Quodnam in hac materia dicatur domicilium, ibid. n. 20. Forma, quâ citatio fit ad domicilium, ibid. n. 16. 18. Quomodo citanda collegia & illustres personæ, ibid. n. 21. Forma citationis per edictum, & quo casu, & adversus quos eâ uti liceat, ibid. n. 27. Forma litterarum citatorialium, ibid. Apparitor tenetur dare relationem suæ citationis, & quâ formâ, ibid. n. 32. Citato concedendus est sufficiens terminus, ibid. n. 33. Ob hunc defectum admitteretur appellatio, p. 3. t. 10. c. 1.

Citatio personalis in causis civilibus hodie exolevit, p. 3. t. 6. c. 3. n. 7. In criminalibus hodie usitata affinis est apprehensioni, p. 3. t. 8. c. 2. n. 39. Constituit citatum in reatu & infamia, & suspendit ab officio publico usque ad plenam purgationem, ibid. t. 6. c. 3. n. 8. Citatus personaliter non potest comparere per Procuratorem, nisi ad allegandum impedimentum, p. 3. t. 8. c. 2. n. 41. Non relaxatur, nisi responderit, ibid. n. 43. Interdum citatio personalis decreto Judicis convertitur in simplicem, ibid. n. 42. Citatio personalis in aliquibus causis civilibus adhuc in usu est in Curiis Ecclesiasticis, ibid.

CLAUSURA MONIALIUM.

Clausuræ Monialium antiquitas, p. 1. t. 30. c. 3. tot. Ad omnes omnino Moniales se extendit, ibid. n. 8.

Clausura Monialium vigore Concilii Tridentini Episcopi curæ subjicitur quoad omnia Monasteria Monialium, ibid. n. 11. Potest ea etiam Regularibus subjecta quoad clausuram visitare, ibid. n. 12. Rationes, ob quas licentia exeundi concedi potest, ibid. n. 14. Causa exeundi ab Episcopo etiam in exemptis approbanda, ibid. n. 18.

Clausurâ vetatur ingressus personarum extranearum, nisi in casibus necessariis, ibid. c. 4. n. 4. Etiam Episcopi & Superioris extra casum visitationis, aut aliam causam necessariam, ibid. n. 3. Quænam dicantur causæ necessariæ, ibid. n. 4. Licentia intrandi in scriptis concedenda, & quâ cautelâ, ibid. n. 2.

Clausura violari potest per frequentiora colloquia ad Cancellos, ibid. n. 8. Episcopi est, similibus modum ponere, etiam in Monasteriis Regularibus subjectis, ibid. n. 9. Punire potest Regularem etiam exemptum ob colloquium cum Moniali, ibid. n. 10.

Clausura in toto rigore Concilii Tridentini & Constantiensis Pii V. in Belgio non potuit servari, uti nec adeo, ut alibi, est necessaria, & quare, ibid. n. 16. & seq. Varia Decreta Synodorum & Episcoporum Belgii circa exitum & conversationem Monialium ibid. n. 17. Decretum Concilii Tridentini de transferendis Monasteriis Monialium ad urbes in Belgio obtinere non potuit, ibid. n. 30.

CLERICUS.

Clericorum vita otiosa est admodum scandalosa, p. 1. t. 1. c. 4. n. 1. Alicui Ecclesiæ debent adscribi, ibid. n. 2. Quomodo Ecclesiæ sibi designatæ debeant inservire, ibid. n. 4. Singularis in eis morum honestas requiritur, p. 1. t. 2. c. 1. tot. In quibus hæc consistant, ibid. & c. 2. tot.

Clericos, titulo maximè speciali, dedecet incontinentia, ibid. cap. 3. tot. Familiarior cum mulieribus conversatio cavenda, ibid. num. 2. Etiam cum mulieribus devotionem præferentibus, ibid. num. 7. Decretæ Synodorum Belgii pro conservatione castitatis, & bonæ famæ Clericorum, ibid. num. 3. 4. &c.

Clericis ebrietatem Canones, & Synodi specialiter interdicunt, ibid. c. 4. n. 2. Commessationes similiter & compotationes, ibid. n. 3. Item ingressum tabernarum extra casum necessitatis, ibid. n. 4. Si necessitas id cogat, quomodo in iis se gerere debeant, ibid. n. 6.

Clericis ludum alearum non solum prohibent Canones, sed etiam Leges, ibid. c. 5. tot. Quomodo in ludis licitis se habere debeant, ibid. n. 8. *Vide Ludus, Fortunæ.*

Clericali Professioni contrariantur negotia secularia, ibid. c. 6. tot. Conductio prædiorum, terrarum, vel etiam decimatum alienarum eis interdicitur, p. 2. t. 36. c. 2. n. 16. 17. & p. 1. t. 2. cap. 6. n. 3. Famulatus secularium vel familiarum administratio, eis non convenit, ibid. num. 4. Quomodo Principum Capellani se gerere debeant, ibid. num. 5. Mercatura Clericis specialiter interdicitur, *Vide Mercatura.*

Clericos à strepitu forensi alienos voluerunt Patres & Imperatores, p. 3. t. 6. c. 2. n. 52. & seq. & ibid. c. 3. n. 39. Ratio hæc erat concessæ immunitatis Ecclesiæ, p. 3. t. 1. c. 3. numer. 20. Inhibetur eis officium advocati in Curiis secularibus, p. 3. t. 6. c. 2. n. 53. Excipiuntur causæ Ecclesiæ, miserabilium personarum & propriæ, quâ moderatione, ibid. n. 54. An idem eis prohibitum in Curiis Ecclesiasticis, ibid. n. 55. Non probatur in Clericis studium Legum. *Vide Leges Civiles.*

Commendatur studium Canonum, & quale. *Vide Canones.*

Clericorum Confessarios speciales deputabat S. Carolus, & Clericos in approbationibus aliorum excipiebat, & quanta inde utilitas, p. 2. t. 6. c. 5. n. 25.

Clerici officium, cui judicium sanguinis annexum est, exercere non possunt, p. 2. t. 10. c. 4. n. 7. Vetitum eos adesse, ubi vindicta sanguinis exercetur, ibid. n. 12.

Clericis matrimonium Canonibus interdictum, & rationes morales hujus prohibitionis, part. 2. tit. 13. cap. 4. numer. 15. Qui negotiis secularibus & desideriis sensualibus immiscentur, verè contra Canones & eorum spiritum impingunt, ibid.

Clericorum bona patrimonialia, deficiente legitimo hærede, deferuntur Ecclesiæ, excluso Fisco, & quare, p. 2. tit. 32. c. 8. tot. Quomodo de bonis suis patrimonialibus debeant disponere, ibid. & c. 7. n. 5.
Clericis prohibetur induere vestes lugubres in morte parentum, p. 2. t. 38. c. 1. n. 34.
Clerici in Academiis versantes tenentur observare statuta de vita & honestate Clericorum, p. 1. t. 7. c. 10. n. 11. & p. 3. t. 11. c. 5. n. 39.
Clericus dicturus testimonium coram tribunali laico, coram quo debeat præstare juramentum, p. 3. t. 7. c. 4. n. 29. *Vide Habitus Clericalis, Bona Ecclesiæ.*

CŒMETERIUM.

Cœmeteria vocantur loca sepulturæ Christianorum, & hujus nominis origo, p. 2. t. 38. c. 2. tot. Unde ortum, quòd deligerentur apud Ecclesias, ibid. n. 15. Requiritur, ut specialiter consecrentur, & à quo tempore, ibid. num. 19. Quid pro reverentia Cœmeteriorum statuerint Synodi, ibid. n. 23. &c.
Cœmeteria sunt ex instituto suo destinata sepeliendis fidelium corporibus, ibid. n. 25. Summus abusus est mos hodiernus promiscuè sepeliendi in Ecclesiis, ibid. n. 39. Quâ occassione, quibus motivis, quibus gradibus eò deventum, ibid. Decreta Synodorum pro restitutione moris sepeliendi in Cœmeteriis, ibid.

COGNATIO.

Cognatio legalis idem est quod adoptio, cur ita dicta & ratio, cur dirimat matrimonium, p. 2. t. 13. c. 6. tot. Ad quos se extendat, ibid. n. 3. An & quousque dirimat solutâ adoptione, ibid. n. 4.
Cognatio spiritualis inducta ad exemplum cognationis legalis, ibid. n. 7. Hujus impedimenti antiquitas, ibid. n. 9. Quousque olim fuerit extensum, & ratio, cur per Concilium Tridentinum fuerit restrictum, ibid. n. 13. Ad quos hodie tantùm se extendat, ibid. n. 15.
Cognatio hæc oritur inter conjuges, si alter eorum prolem communem suscipiat vel baptizet extra casum necessitatis, ibid. n. 16. &c. Hoc casu oritur inter fornicarios, non obstante, necessitate, ibid. Quid ad contrahendam cognationem spiritualem requiratur & sufficiat, ibid. Pro obtinenda dispensatione quænam exprimenda, p. 2. t. 14. c. 3. n. 18.
Cognatio ratione Catechismi hodie sublata videtur, p. 2. t. 13. c. 6. n. 21.
Cognatio spiritualis peccato carnis addit qualitatem incestus, p. 3. t. 4. c. 4. n. 48. & seq. Sacerdos stuprans, vel ad libidinem inducens filias suas spirituales quâ pœnâ afficiendus, ibid. n. 41. & 69. *Vide Patrini.*

COLLATIO BENEFICIORUM.

Collatores ordinarii quinam dicantur, p. 2. t. 21. c. 1. tot. Naturaliter spectat ad Episcopum per totam Diœcesim, ibid. n. 2. Episcopus tenetur consulere Capitulum, maximè quoad Collationes Canonicatuum Cathedralium, ibid. n. 7. 10. Diversis quoad Collationes Canonicatuum, item Dignitatum in diversis Ecclesiis & unde illa originem suum habeat, ibid. num. 20.
Collationes quidam sentiunt inter fructus computandos, ibid. n. 26. Opinio hæc nullibi in jure fundata, ibid. n. 27. 28. Quam perversam ideam imprimat, ibid. n. 30.
Collatio libera spectans ad Episcopum, non devolvitur ad Capitulum Sede vacante, & quare, p. 1. t. 9. c. 2. n. 3. & p. 2. t. 21. c. 1. n. 25. Excipiuntur Ecclesiæ Parochiales, ibid. n. 30.
Collatio quid sit, ejus divisio, item effectus, ibid. c. 2. tot. Utrum concedi possit à Laico, ibid. n. 6. Quâ formâ & per quem expediri debeat, ibid. n. 9. Si duæ Collationes ejusdem Beneficii factæ sint diversis, quænam præferenda, ibidem n. 19. Quid requiratur, ut una prior altera censeatur, ibid. & sequent.
Collatio Beneficiorum competens Regi in Gallia aperta Regalia, & ejus privilegia, part. 2. tit. 25. cap. 8. num. 28. & sequent.
Collationes Beneficiorum an per Reges & Principes fieri possint pleno jure, ibid. c. 9. n. 5. &c. Id faciunt Reges Galliæ & Principes Belgii, & quo titulo, ibid. n. 10. Cura animarum annexa eo non obstante ab Ordinariis accipienda, ibid. n. 12. Reprobatur sententia Molinæi censentis hæc Beneficia esse merè profana, ibid. c. 8. n. 66. & c. 9. n. 11. *Vide acceptio Personarum, Patronus, Præsentatio.*

COLLECTA.

Vide Impositio.

COLLEGIA ACADEMICA.

Collegia Academica an censeantur manus mortuæ, p. 1. t. 29. c. 3. n. 24. Eorum institutio, scopus & administratio, p. 2. t. 11. cap. 4. tot. Habent suos præsides & Provisores & quodnam eorum officium, ibid. n. 10. Quinam ad ea admittantur, ibid. n. 9. norma eorum vivendi non absimilis disciplinæ Seminariorum, ibid. n. 12. Quod ostenditur exemplo Collegii Adriani VI. ibid. n. 13. Ex Collegiis Academicis doctiores & meliores operarii prodire solent quam ex privatis Seminariis, & quare, ibid. n. 25. Laudanda cura Episcoporum qui capaciores ex suis Clericis potius mittunt ad Academias, ibid. n. 26. Quæ cautela in ea missione adhibenda, ibid. n. 27.
Collegium Adriani VI. à viginti tribus annis domicilium fuit Auctoris, p. 2. t. 11. c. 4. n. 13. Ejus disciplina. *Vide Bursæ Seminarium.*

COMMENDÆ.

Commendarum origo, usus, abusus, incommoda, incrementum, & modificatio latissimè describuntur, p. 1. t. 31. c. 7. tot. & p. 2. t. 20. c. 2. n. 17. In Gallia per Concordatum erant abolitæ & quomodo equidem permanserit, p. 1. t. 31. c. 7. n. 33. &c. Ab iis immunes manent Abbatiæ Ordinum Capita, ibid. n. 36. Antithesis inter Commendas pristinas & hodiernas, ibid. n. 37. & seq. Solus Papa potest Beneficium Regulare Clerico seculari in commendam concedere, ibid. n. 41. Commenda potest cum alio Beneficio permutari, ibid. n. 42. Cautiones adhibitæ ut Monachis & Monasterio de necessariis provideatur, ibid. n. 48.
Commendæ aliquando introductæ in Belgium, ibid, n. 8. & 52. Abbates Brabantiæ illis strenuè se opponunt & prævalent, ibid. n. 53. Duces Brabantiæ jurant se Commendas nunquam permissuros, ibid.
Commendis occasionem dedit distinctio Mensæ Abbatialis à Conventuali, ibid. n. 54. *Vide Abbas Commendatarius.*

COMMUNIO.

Communio apud antiquos sæpè vocatur Sacramentum Pœnitentiæ, & quare, p. 2. t. 6. c. 1. n. 5. Unde ortum quod electus Episcopus in consecratione simul cum Consecratore de eadem hostia participet, p. 1. t. 15. c. 3. n. 19.
Communio olim dabatur infantibus uti & hodie apud Græcos, quod Synodus Tridentina non improbavit, p. 2. t. 4. c. 2. n. 2. & 3. Hodierna disciplina id non admittit, ibid. n. 5. Quomodo pueri ad primam Communionem disponendi, ibid. num. 7.
Communione publicè priventur notoriè indigni ibid. n. 10. 13. Etiam Communione per modum viatici, ibid. Quinam tales censendi, p. 2. t. 4. c. 2. n. 19. Regulæ expendendæ dum est multitudo peccantium, vel persona quæ repellitur, multitudinem sibi habet obnoxiam, p. 3. t. 11. c. 7. n. 15. Non requiritur notorietas Juris, ibid. n. 20. Quid de occultis peccatoribus, ibid. &c.
Communio danda est damnatis ad mortem, ibid. n. 24. Pristina disciplina adversatur & quare, ibid. n. 25.
Communio infirmorum duplex est, una ex devotione, altera viaticum & earum differentia p. 2. t. 4. c. 4. n. 5. Utriusque hujus Communionis solus Parochus est minister, ibid. n. 8. Pœnæ decretæ in Regulares occultè deferentes Eucharistiam ad infirmos, ibid. n. 11. & in additamento, c. 2.
Communio ante seculum 12. vix unquam extra Missarum solemnia populo distributa, part. 2. tit. 5. cap. 3. num. 11. Contraria consuetudo à Mendicantibus introducta, ibid. n. 15. cum seq. Optandum ut ea disciplina reduceretur, & qua ratione id fieri possit, ibid. Missa ejusque orationes primitus sic instituta ac sic assistentes communicarent, & soli Communicantes interesse sinebantur, ibid. n. 4.
Communio Paschalis ex præcepto positivo sola est necessaria, part. 2. tit. 4. cap. 3. tot. Aliquando præceptum fuit ut fideles ter in anno communicarent, ibid. num. 3. Concilium Lateranense redigit ad minus ad semel, ibid. num. 4. Hæc in Ecclesia Parochiali facienda, ibid. numer. 8. Quid de famulis & domesticis Monasteriorum, ibid. n. 9. Quodnam censeatur tempus Paschale, & quis possit illud prorogare, ibid. n. 15. Pœna non communicantis in Paschate, ibid. n. 16. Parochus non potest hanc pœnam sua auctoritate infligere, & quare minus, quam à communione repellere, ibid. n. 17.
Communio in antiquis Canonibus non semper accipitur pro Eucharistia, p. 2. t. 6. c. 1. n. 5. & p. 2. t. 38. c. 6. n. 22. In quo con-

consisteret Communio Ecclesiarum totius orbis inter se, p. 3. t. 11. c. 3. n. 8. &c. & quomodo illa interrumpebatur, ibid. n. 12. Aliquando interrumpebatur inter Plebem & Episcopum, inter Episcopum & Metropolitanum, ibid. Ob abusus id prohibetur per Synodum VIII. ibid. *Vide Eucharistia.*

COMŒDIÆ.

Vide Spectacula.

COMPUTUS.

Computibus Bonorum Fabricæ & mensæ S. Spiritus quinam intervenire debeant, p. 1. t. 5. c. 3. n. 1. Concilium Tridentinum tantum cum limitatione in hac materia in Belgio receptum, ibid. c. 4. n. 2. Varia circa redditionem hujus Computus observanda, ibid. c. 5. tot. Defectus & abusus in Computibus per quos corrigendi, ibid. Quis cognoscere debeat de quæstionibus in hac materia exurgentibus. Regulæ generales in hac materia observandæ, part. 1. tit. 5. cap. 6. tot. Computus Fabricæ exihibendi sunt Decimatoribus, & quare.

Computus Hospitalium & aliorum piorum locorum Episcopi per se vel Commissarium interveniunt, p. 2. t. 3. c. 2. n. 33. & seq. Episcopo vel ejus Comissario visitanti & requirenti Computus conclusi sunt exhibendi, ibid.

Computus reddere tenentur Abbates & Superiores Regulares & coram quibus, p. 1. t. 31. c. 5. n. 8. An Episcopus Computibus exemptorum possit intervenire, ibid. n. 2.

COMPROMISSUM.

Compromissum quid sit, & qua forma debeat expediri, part. 3. t. 5. c. 4. n. 4. cum seq. An possit compromitti in plures, ibid. n. 11. An possit hodie compromitti in duos cum facultate assumendi tertium in casum dissensus, ibid. n. 15. Si in plures simpliciter fuerit compromissum, an uno absente reliqui possint procedere, ibid. n. 12. An compromitti possint in Judices ordinarios, ibid. n. 19.

Compromissis sæpè inseritur pœna, & quandonam illa debeatur, ibid. n. 19. An mediante solutione pœnæ liceat à compromisso resilire, ibid. n. 17. An compromissum fieri possit interposito juramento, ibid. n. 18.

Compromissi naturam in prima sua origine habuerunt Judicia Ecclesiastica, p. 3. t. 1. c. 1. n. 34. & c. 3. n. 1. &c. *Vide Arbiter.*

CONCORDATA.

Concordata cum Regularibus Parochi rarò inire debent super juribus suis Parochialibus & quare, p. 2. t. 37. c. 5. n. 39. In eorum concinnatione omnis obscuritas vel ambiguitas cavenda, ibid. n. 40. *Vide Transactio.*

CONCORDATA BRABANTIÆ.

Concordata Brabantiæ inita fuere inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem, p. 3. t. 2. c. 1. n. 13. Habentur in Brabantia pro lege, ibid. Auctoritas quàm tribuunt Episcopo in in omnes Fundationes pias, Hospitalia &c. p. 2. t. 37. c. 2. n. 43. Penè quoad omnes causas Laicos Judicis Ecclesiasticis substrahunt, p. 3. t. 1. c. 2. n. 19. &c. Quam auctoritatem tribuant Judici Ecclesiastico circa testamenta, Pacta ante nuptialia, dotes, alimenta, bona amortizata, p. 3. t. 2. c. 2. n. 19. seq.

CONCORDATA GALLIÆ.

Concordata Gallicana inita fuerunt inter Leonem X. & Franciscum I. & qua occasione, p. 1. t. 13 c. 3. n. 10. &c. Sanctio Pragmatica per illa abrogatur, ibid. n. 11. Non nisi summa difficultate recepta, ibid. n. 12. Regi reservant nominationes ad Ecclesias Cathedrales & Metropolitanas, Pontifici confirmationem, ibid. n. 13. 14. & t. 14. c. 1. n. 8. Excipiebantur Ecclesiæ quæ jus Electionis habebant ex privilegio Apostolico, illi mox derogatum, p. 1. t. 13. c. 3. n. 14. &c.

CONCORDATA GERMANIÆ.

Concordata Germaniæ qua occasione & inter quos inita, p. 1. t. 13. c. 2. n. 9. Electionem Episcoporum reservant Capitulis confirmationem S. Sedi, exceptis vacantibus in Curia, ibid. n. 10. Vigore eorum Episcopus Romæ confirmatus tenetur præstare juramentum aliaque debita Metropolitano, ibid. Ad quæ, & quos se extendant, ibid. n. 11. Non comprehendunt Brabantiam exceptis Trajecto ad Mosam & Nivellis, & hujus exceptionis ratio, ibid. n. 12. Tantum obligant illos, qui ea acceptarunt, ibid. n. 13. Varii qui illa non acceptarunt & quare, ibid. n. 14. Litteræ Maximiliani & Caroli V. ad Leodienses & Cameracenses pro eorum observatione, ibid.

CONCUBINATUS.

Concubinatus crimen juxta Concordata Brabantiæ est mixti fori, p. 3. t. 4. c. 4. n. 52. & seq. Non puniebantur Legibus Romanis, ibid. Constitutio Leonis sapientis vetans Concubinatum, ibid. n. 54. Decretum Concilii Tridentini in Concubinarios & Concubinas, ibid. n. 57. Matrimonium celebratum à Concubinariis in articulo mortis habetur in Gallia invalidum quoad effectus civiles, p. 2. t. 12. c. 5. n. 28. Decreta Synodi Mechliniensis adversus Clericos Concubinarios, p. 1. t. 2. c. 3. n. 4.

CONCURSUS.

Concursus juxta Decretum Concilii Tridentini de providendis Ecclesiis Parochialibus in Belgio receptus est, & usitatus, p. 2. t. 22. c. 1. tot. Defenditur adversus accusationem quasi faveret ambitioni, ibid. n. 5.

Concursus indicendus per edictum, & qua forma, quo loco, & quo tempore id publicandum, p. 2. t. 22. c. 1. tot. Quænam Ecclesiæ concursui sint subjectæ, in c. 2. n. 2. & seq. Ecclesiæ quibus præest Vicarius perpetuus subjacent concursui, ibid. n. 7. An ei subjaceant Parochiales annexæ Dignitati, ibid. n. 9. Modus quo Concursui se sistant præsentati ad Ecclesias Patrimoniales & Nominati Academici, ibid. num. 12. Quibus modis vacare debeat Ecclesia ut sit locus concursui, p. 2. t. 22. c. 2. tot. Reservatores quantumcunque generales non impediunt Concursum, ibid. n. 18. & c. 4. n. 16. Etiam Ecclesiæ Jurispatronatus mixti, ibid. n. 22.

Concursus ut rectè instituatur cum Episcopo requiruntur Examinatores ad minus tres, p. 2. t. 22. c. 3. n. 3. Qualitates necessariò in eis requisitæ, ibid. n. 8. Eorum juramentum, ibid. n. 13. Pœna adversus eos qui munera recipiunt, ibidem num. 15. 16. Episcopus non potest eis assignare stipendium, ibid. n. 16. Varia super quibus Concurrentes examinandi, ibid. n. 17. Peracto Examine idonei reperti per Examinatores renuntiandi, ibid. c. 4. n. 2. Qua forma hæc renuntiatio fieri debeat, ibid. n. 3. 4. Episcopi solius est eligere digniorem ex judicatis idoneis, ibid. n. 7. An ab hac electione Episcopi detur appellatio, ibid. n. 9. in Ecclesiis Jurispatronatus electio dignioris aliquando erit penes Patronum, & quando, ibid. n. 22. &c.

Concursus sede vacante instituitur per Capitulum, ibid. n. 29. & p. 2. t. 21. c. 1. n. 30.

CONFESSARIUS.

Confessarios pro tota Diœcesi approbandi consuetudo nondum invaluerat seculo XIII. p. 1. t. 12. c. 3. n. 3. & p. 2. t. 6. c. 5. n. 8. Jure Decretalium libera Confessarii electio loco privilegii habetur, ibid. n. 10.

Confessarius approbatus potest prorogare tempus communionis Paschalis respectu suorum pœnitentium, p. 2. t. 4. c. 3. n. 15. Hodie eorum arbitrio permittitur determinatio pœnitentiarum, p. 2. t. 6. c. 4. n. 4. Variæ qualitates in iis requisitæ & varia ad quæ attendere debent, ibid. ab omni specie quæstus, avaritiæ, expectationis temporalium debent esse alieni, ibid. n. 10. Multis titulis hodie convenit eis notitia Canonum Pœnitentialium ibid. n. 18.

Confessarii officium obibant olim soli Episcopi, p. 2. t. 6. c. 5. n. 1. Pœnitentes reconciliabant & præcipua eorum cura illis incumbebat, ibid. n. 3. Quomodo sensim ad Presbyteros ea potestas pervenerit, ibid. n. 5. 6.

Confessarios speciales pro Clericis approbabat S. Carolus, quod meritò Episcopi imitarentur, p. 2. t. 6. c. 6. n. 24. Qualitates quas requirebat in Confessario Seminarii, p. 2. t. 11. c. 1. n. 18. *Vide Confessio.*

CONFESSIO.

Confessio quare necessaria pro obtinenda remissione per Sacramentum Pœnitentiæ, p. 2. t. 6. c. 1. n. 15. Olim confessio erat secreta etiamsi imponeretur pœnitentia publica, ibid. c. 2. n. 6. Antiqua consuetudo confitendi in initio Quadragesimæ, ibid. c. 4. n. 8. Eam reduci optant Synodi Belgicæ, ibid. Olim solis Parochis licebat confessiones excipere, ita ut confessio facta alteri sine ejus licentia haberetur nulla, ibid. cap. 5. num. 8. Seculo 13. ea potestas concessa Mendicantibus aliisque Presbyteris, ibid. numer. 10.

Con-

Confessio Paschalis mansit tamen in obligatione, ibid. n. 13. & seq. Facienda est proprio Parocho semel in anno, ibid. Varia de illa obligatione Pontificum & Conciliorum Generalium item Synodorum, etiam Belgicarum Decreta, ibid. n. 14. & seq. Hæc obligatio etiam se extendit ad Clericos, & quisnam illorum proprius respectivè Sacerdos, ibid. n. 19. In Belgio ubi à Prælatis obligatio illa non urgetur, nec convenit ut Pastores nimis illum urgeant & quare, ibid. n. 24. Licentia alteri confitendi à Parocho non facilè deneganda, ibid. num. 25. Licentia illa in defectu Parochi ab Episcopo vel ejus Vicario concedi potest; quæ cautela in hoc necessaria, ibid. n. 25. Satisfacit huic præcepto confessionis annuæ qui confitetur Pœnitentiario Episcopi, p. 1. t. 12. cap. 3. n. 6. cum seq. *Vide Confessarius, Pœnitentia.*

Confessio rei quam fecit ad interrogatoria, si sufficiens, appareat, petitur super ea jus dici, p. 3. t. 8. c. 3. n. 9. Ex spontanea confessione indilatè procedi non potest ad condemnationem, sed adhuc datur terminus defensionis, ibid. n. 27. Confessio elicita per torturam exigui deberet esse momenti & quare, ibid. n. 35. & seq. Recusans respondere, item jurare, habetur pro confesso, p. 3. t. 7. c. 5. n. 35.

CONFICTIO.

Confictio Decretalium sub nomine primorum Pontificum ab omnibus recognita, p. 1. t. 3. c. 1. post n. 1.

CONFIRMATIO.

Confirmatio olim variis aliis nominibus vocata, p. 2. t. 3. c. 1. n. 1. &c. Unde nominis hujus origo, ibid. n. 3. Olim recenter baptizatis conferebatur & unde hoc mutatum, p. 2. t. 2. c. 3. n. 45. & t. 3. c. 1. n. 6. Decreta Synodorum & Episcoporum Belgii pro instructione & præparatione confirmandorum, p. 2. t. 3. c. 1. n. 9. &c. Episcopus ægrum non confirmatum invisere & confirmare tenetur, ibid. n. 14.

Confirmationis minister est solus Episcopus in Ecclesia Latina: in Ecclesia Græca etiam Presbyter, ibid. c. 2. tot. in Ecclesia Latina, seposita reservatione administrare hoc Sacramentum posset Presbyter, ibid. n. 7.

Confirmatio an essentialiter requirat Unctionem Chrismatis sic, ut non sufficiat Unctio olei, ibid. c. 3. n. 6. Unctio fit in fronte apud Latinos, apud Græcos in variis partibus corporis, ibid. n. 8. Differentia inter formam Latinorum & Græcorum, ibid. n. 10. Ritus hujus Sacramenti, ibid. n. 12.

CONFIRMATIO ELECTIONIS.

Confirmationes Episcoporum olim spectabant, ad Metropolitanum & Comprovinciales, p. 1. t. 14. c. 1. n. 1. 4. Quomodo sensim ad solum Metropolitanum devolutæ sunt, dein ad Rom. Pont. ibid. n. 3. Prævia informatione & causæ cognitione danda, ibid. c. 2. t. Quomodo & per quos informatio facienda, ibid. n. 5. 6. & c. 3. t. Quo ritu olim & quo ritu hodie expediatur, ibid. c. 4. n. 1. & seq. In Cancellaria registratur, p. 1. t. 23. c. 1. n. 11.

Confirmatione non expedita, administrationem suscipere non potest Electus, nequidem titulo Œconomi aut aliàs, idque sub pœna privationis, p. 1. t. 14. c. 5. n. 3. &c. Exceptio in remotis à curia concorditer electis, ibid. n. 5. Episcopus confirmatus omnia potest quæ non sunt Ordinis, ibid. n. 9. Non potest accipere possessionem nisi litteris confirmationis expeditis, levatis & Capitulo exhibitis, ibid. n. 11. Litteræ Confirmationis debent placetari, ibid. n. 12. & p. 1. tit. 31. c. 9. num. 10.

Confirmatio Electi vel nominati in Abbatem à quo fieri debeat p. 1. t. 31. c. 9. n. 1. Qui à Capitulo Generali cum Definitorio vel à Pontifice consistorialiter eliguntur, non indigent alia confirmatione, ibid. n. 3. A quo confirmandi in Germania & Gallia, ibid. n. 4. 5. Abbates in Belgio quomodo, & à quibus confirmentur, ibid. n. 7. Si Romæ petenda foret horum confirmatio, ea expediri deberet consistorialiter, sicut confirmatio Episcoporum, ibid. n. 8. Ex taxa Cameræ Apostolicæ apparet ferè omnes Abbatias Belgii fore Consistoriales, ibid. n. 9. *Vide Informatio.*

CONFRATERNITAS.

Confraternitatum erectiones ad varios fines & sub diversis titulis commendantur, p. 2. t. 4. c. 4. n. 23. & p. 2. t. 37. c. 6. t. Quale sit Juspatronatus competens Confraternitatibus an Laicum an Ecclesiasticum. Institui non possunt sine auctoritate Episcopi, & statuta per ipsum debent examinari & probari, p. 2. t. 37. c. 6. n. 22. Eorum officia sic ordinanda ut non obsint officiis publicis Ecclesiæ Parochialis, ibid. numer. 25. 27.

Confraternitates Laicorum etiam erectæ in Ecclesiis exemptis & omnia quæ ad eas spectant jurisdictioni & visitationi Episcopi sunt subjecta, ibid. n. 32. & p. 1. t. 32. c. 4. num. 12. Abusus in quo Episcopi invigilare debent in earum visitatione, p. 2. t. 37. c. 6. n. 34. Sub specie pietatis in eorum libellis varia irrepserunt quæ Synodus Cameracensis abominandam vanitatem vocat, ibid. n. 37. Quid de his monendus populus, ibid. n. 39. Perstringuntur absolutiones generales quæ Confratribus quibusdam dantur in articulo mortis, ibid. n. 44.

CONGREGATIONES CARDINALIUM.

Congregationum Cardinalium instititutio per Sixtum V. p. 1. tit. 22. c. 1. n. 17. In iis non admittuntur recusationes ex causa suspicionis.

Congregationis S. Officii institutio, p. 1. t. 22. c. 3. n. 3. Quod à majori parte præsentium resolvitur, ratum est, etiamsi tantum duo comparent, ibid. num. 19. Ejus Officiales, ibid. n. 21. Duæ ejus congregationes una feria III. & alia feria V. quæ fit coram Pontifice, ibid. n. 23. & 29. Quænam & quâ formâ in iis tractentur, ibid. n. 30. De quibus cognoscat, ibid. Licentia legendi libros prohibitos ab hac Congregatione petenda, ibid. n. 35. Ejus Decreta super censuris propositionum & prohibitione librorum in Belgio admittuntur, ibid. n. 36. *Vide Inquisitio.*

Congregationis Concilii Trid. prima institutio fuit pro executione, non pro interpretatione, p. 1. t. 22. c. 5. t. Sixtus V. ei dedit potestatem interpretandi, ibid. n. 7. Circa quid versetur, & quænam ad eam deferantur, ibid. n. 8. Informatio, quam tenentur Episcopi quotannis facere S. Sedi de statu suarum Diœcesium, fit apud hanc Congregationem, ibid. n. 10. Synodi quorum confirmationes à Pontifice petuntur ab hac congregatione revidentur, ibid. Quæ ad executionem Concilii Trid. spectant sæpè ad alias Congregationes mittuntur, ibid. n. 9. Quinam hanc congregationem constituant, ibid. n. 12. In causa nullitatis professionis restitutio adversus lapsum quinquenii ordinariè non conceditur, nisi prævia consultatione hujus congregationis, p. 1. t. 27. c. 6. tot. *Vide Declarationes Cardinalium.*

Congregationis Episcoporum & Regularium institutio, p. 1. tit. 22. c. 6. tot. Quæstiones hodiernæ inter Regulares olim ignotæ unde originem sumpserint, ibid. n. 23. Erectio hujus Congregationis, ibid. n. 4. Ob multitudines negotiorum dicitur occupatissima, ibid. n. 7. Quas causas Regularium audiat, ibid. n. 9. Stylus ejus, dum quæstio est cum Episcopis, ibid. n. 10. Quis, dum quæstio inter ipsos Regulares, ibid. n. 11. Moribus Belgii quæstiones inter Regulares & Episcopos & Parochos terminari debent in partibus, ibid. n. 12. Sine hujus Congregationis licentia nemo potest in Italia transire de uno Ordine ad alium etiam strictiorem, & quid in ea concedenda observetur.

Congregatio Indicis qua de causa instituta, p. 1. t. 22. c. 4. tot. Qui eam constituant, ibid. n. 10. & 26. Habet suos Consultores, ibid. n. 27. Pontifex ei non assistit, ibid. n. 31. Per ejus erectionem non est derogatum Congregationi S. Officii, cujus est quasi appendix, ibid. n. 32. Nec Episcoporum aut Inquisitorum auctoritati, ibid. n. 34. Decreta ejus in locis, ubi viget inquisitio Hispanica, non recipiuntur, ibid. n. 34. Et in Belgio non in omnibus, ibid. n. 35. *Vide Index Librorum prohibitorum.*

Congregatio Rituum in quem finem instituta, part. 1. tit. 22. c. 7. n. 1. &c. Qui interveniant, ibid. n. 2. Circa quæ præcipuè occupetur, ibid. n. 3. Stilus ejus procedendi, ibid. n. 6. Ad eam spectat Canonizatio Sanctorum, ibid. num. 7. Quomodo in iis procedatur, ibid. n. 8. *Vide Canonizatio.*

CONGREGATIO ORATORII.

Congregationis Oratorii institutio & propagatio, etiam in Belgio historicè describitur, p. 1. t. 33. c. 1. & seq. Ejus scopus & regimen, ibid. n. 24. & seq.

CONGREGATIO PASTORUM.

Congregationes Pastorum sui districtus Archipresbyteri quotannis celebrare debent, p. 1. t. 6. c. 4. tot. Quid in illis tractandum, & quis scopus earum, ibid. n. 3. Pastores etiam absque Archipresbytero utiliter habent suas cogitationes, ibid. num. 4.

CONGREGATIONES REGULARES.

Congregationum Regularium seculo nono quædam species fuit, sed mox evanuit, p. 1. t. 32. c. 3. tot. Decretum Concilii Lateranensis de Congregationibus & Capitulis Generalibus, ibid. n. 18. Decretum Concilii Tridentini de iisdem, ibid. nu-

numer. 19. Per illud absolutè Regulares non obligantur se redigere in Congregationes, ibid. c. 4. n. 17. Esse redactum in Congregationem, non est signum exemptionis, ibid. num. 8. Pleræque ortæ sunt ex Reformationibus, ibid. c. 4. n. 23.

Congregationis Cluniacensis origo, p. 1. t. 32. c. 3. n. 3. Ejus Breviarii nova edictio comendatur, ibid. n. 5.

Congregationis Bursfeldensis origo commendatur, ibid. n. 8.

Congregationis Windesemensis origo, incrementum & extensio, ibid. n. 9.

Congregationis novæ quator Abbatiarum in Belgio origo anno 1625. & ejus leges & statuta, ibid. c. 4. n. 24.

Congregationum variarum origines, ibid. c. 3. tot. & c. 4. n. 12. & seq.

CONSANGUINITAS.

Consanguinitatis linea & gradus quis sit, & quotuplex, part. 2. t. 13. c. 5. tot. Regula pro cognoscenda graduum distantia ibid. n. 6. Distinctio inter computationem civilem & canonicam, ibid. n. 8.

Consanguinitatis impedimentum olim extendebatur ad septimum gradum, ibid. n. 13. Concilium Lateranense restrinxit ad quartum juxta computationem canonicam, ibid. n. 16. Primus gradus in linea collaterali inducit impedimentum jure naturæ, ibid. n. 18. Rationes inductionis hujus impedimenti, ibid. n. 20.

Consanguinitas in linea recta in omni gradu dirimit matrimonium jure naturæ, ibid. n. 22. Pro obtinenda dispensatione super hoc impedimento quænam exprimenda, p. 2. t. 14. c. 2. tot.

Consanguinitas in præferentiis ad beneficia patrimonialia attenditur juxta computum civilem, p. 2. tit. 19. c. 4. n. 19. In consanguineorum promotione ad beneficia sæpissimè committitur acceptio personarum; an semper, & quid in eorum promotione attendendum, p. 2. t. 31. c. 1. tot. Improbatur præferentia ad bursas seu fundatione concessa seu consanguineis, p. 2. t. 11. c. 4. n. 17.

CONSECRATIO, CONSECRATOR.

Consecratio à Confirmatione olim vix separata fuit, p. 1. t. 14. c. 4. n. 1. & t. 15. c. 1. tot. Quot Episcopi ad eam requirantur, ibid. num. 4. Debet fieri intra tres menses, & à quo tempore computandi, ibid. n. 15. Quo loco fieri debeat, ibid. n. 16. Juramentum, quod consecrandus præstat, analyticè exponitur, ibid. c. 2. n. 9. &c. Ejus origo, ibid. Totius ritus consecrationis analytica expositio, ibid. c. 3. n. 8. & seq. Quis ejus effectus, ibid. cum seq.

CONSECRATIO ECCLESIA.

Vide Ecclesia.

CONSERVATOR.

Conservatoribus interdicitur cognitio causarum matrimonialium, part. 3. t. 2. c. 1. num. 20. Conservatores omnes in Belgio sublati unico Conservatore Academiæ Lovaniensi exempto, p. 3. t. 12. c. 6. n. 18.

CONSISTENTIA.

Vide Gradus Pœnitentiæ.

CONSILIARIUS.

Vide Senatus.

CONSISTORIUM.

Consistorium idem est quod Cardinalium congressus, & hujus nominis origo, p. 1. t. 22. c. 2. n. 2. Quo ritu ad Consistorium conveniant, ibid. n. 6. Quomodo & quâ formâ in Consistorio procedatur, ibid. n. 7. Quænam dicantur negotia consistorialia, ibid. n. 9. 10. 13. & seq. Expediuntur per Vice-Cancellarium, ibid. t. 23. c. 1. n. 8. Abbatiæ Belgii omnes forent consistoriales, si earum provisio Romæ peteretur, p. 1. t. 31. c. 9. n. 9. Unio beneficiorum consistorialium reservatur Pontifici, p. 2. t. 29. c. 1. n. 18.

CONSUETUDO.

Consuetudo antiqua Provinciarum in Belgio primo loco in controversiis decidendis attenditur, p. 1. t. 5. c. 6. n. 4. A consuetudine suæ Ecclesiæ quoad ritus non facilè recedendum, p. 2. t. 2. c. 1. n. 31.

Consuetudo recepta in exhibendis juribus honorificis servanda, p. 2. t. 25. c. 7. n. 38. Consuetudo Canones in totum abrogare non potest, p. 1. t. 2. c. 5. n. 4. Quàm perniciosum sit argumentum, quod ab insolita consuetudine petitur, part. 2. t. 5. c. 3. n. 39. & c. 9. n. 35. & t. 30. c. 3. n. 9. In materia decimali primariò consuetudo attenditur, p. 2. tit. 33. c. 8. num. 10. Consuetudo per turbas probari debet. *Vide Turba.*

CONSULTORES.

Consultores S. Officii quinam dicantur, p. 1. t. 22. c. 3. n. 21. 22. Eorum congregationes, & quænam in iis tractentur, ibid. n. 24. Eorum differentia à Qualificatoribus, ibid. n. 27. Suos etiam Consultores habet Congregatio Indicis, & eorum officium, ibid. cap. 4. n. 28. Item Pœnitentiaria, ibid. t. 23. cap. 2. num. 15.

CONVIVIA NUPTIALIA.

Convivia Nuptialia cum modestia & sobrietate facienda, p. 2. t. 12. c. 6. n. 22. Parochis & Sacerdotibus evitanda, ibid. Edicta Regia circa eorum moderationem, ibid. n. 23. Prohibentur tempore clauso, & quare, p. 2. tit. 13. c. 2. tot.

CRIMEN.

Vide Delictum, forum competens, Immunitas.

CRUX ARCHI-EPISCOPALIS.

Crux primitùs fuit insignia Legatorum Apostolicorum, p. 1. t. 19. c. 5. n. 18. &c. Præferri potest per quævis loca exempta, ibid. Non tamen extra terminos jurisdictionis, p. 2. t. 16. c. 3. tot. Nequidem Patriarchæ potest præferri præsente Legato de Latere, p. 1. t. 21. c. 2. n. 26.

CURA ANIMARUM.

Cura Animarum moribus Belgii distinguitur ab institutione auctorizabili, p. 2. t. 22. c. 4. n. 22. & p. 2. tit. 26. c. 1. n. 2. & p. 1. t. 16. c. 4. n. 9. & t. 12. c. 1. n. 21. Cura animarum totiùs Diœcesis primario Episcopo incumbit, & quantum illud onus, p. 1. t. 16. c. 4. n. 1. In cura animarum nemo aliquid agere potest, nisi cum subjectione ad Episcopum, ibid. n. 5. Nullus illam dare potest, nisi Episcopus etiam moribus Belgii, ibid. n. 9. & p. 1. t. 12. c. 1. num. 17. Nulla exemptio, quantumvis generalis, eximere potest ab obedientia & visitatione Episcopi in iis, quæ concernunt curam animarum, p. 1. t. 16. c. 4. n. 6. & t. 32. c. 4. n. 5. & seq. Cura animarum requirit Presbyteratum saltem hodie, ibid. t. 31. c. 10. n. 10.

Cura animarum sine vocatione cum summo discrimine suscipitur, p. 2. t. 22. c. 1. n. 8. & 11. Decretum Concilii Tridentini de concursu regulas legitimæ vocationis non infringit, p. 2. t. 22. c. 1. n. 8. Per quæ vocatio ad curam animarum dignosci possit, ibid. n. 11.

Cura animarum ab Ordinario petenda est in Gallia aperta Regalia, & Rege dignitates & beneficia curata pleno jure conferente, p. 2. t. 25. c. 8. Idem est in Belgio, ubi Rex pleno jure confert, p. 2. t. 25. c. 9. tot.

Curæ animarum Pastores primitivi sese immiscere non possunt, part. 2. t. 34. c. 1. n. 30. &c. *Vide Beneficium curatum, Parochus.*

CURIA ECCLESIASTICA.

Curiæ Ecclesiasticæ Officiarii instituti sunt ad normam præscriptam per leges civiles, p. 3. t. 6. c. 1. n. 1. Eorum origo, officia & regulæ ex eisdem petenda, ibid. n. 2. Si excedant in facto sui officii, à Judice Ecclesiastico puniuntur, p. 3. t. 4. c. 5. tot. Curia Ecclesiastica quotannis per Episcopum visitanda, p. 3. t. 5. c. 1. n. 38. Abusus, qui in illam irrepserunt, ibid. Cura S. Caroli pro ejus reformatione, ibid. Convenit, ut justitia gratis ibidem administretur, ibid. n. 39. Curia Ecclesiastica in causis civilibus suæ jurisdictionis sequi debet ordinationes Principum & consuetudines locorum, p. 3. t. 2. c. 2. n. 21. Quidnam forum illud adeò reddiderit odiosum, p. 3. t. 5. c. 1. n. 32. & t. 6. c. 5. n. 27.

CURIA ROMANA.

Vide Cancellaria, Consistorium, Congregationes Cardinalium, Dataria, Pœnitentiaria.

CUSTOS.

Custodum functiones ex Synodis Belgicis, p. 1. t. 4. c. 1. tot. n. 3. Ministris Ecclesiæ annumerandis, & horum qualitates habere debent, ibid. c. 2. n. 1. Secularibus officiis implicati assumi non possunt, ibid. n. 3. Cautionem præstare debent, ibid. c. 1. n. 4. Simoniam sapit vendere officium Custo-

todis, ibid. c. 2. n. 5. Ad Parochum jure communi spectat ejus electio, ibid. c. 3. num. 1. Quamvis de consuetudine ad alios spectare possit, ibid. n. 2. Unde ei competentia assignanda, ibid. n. 4.

D

DATA.

Data in omnibus collationibus beneficiorum exprimenda, & quare, p. 2. t. 21. c. 2. n. 17. Quid parva Data, & ad quid serviat, p. 1. t. 23. c. 2. n. 16. Privilegium Gallorum circa parvam Datam, ibid. n. 24. Quid magna Data, ibid. n. 19. Clausula quoad Datam cum gratificatione opportuna, quandonam in provisionibus Apostolicis apponatur, & ejus finis, part. 2. t. 24. c. 5. n. 12. In Gallia non admittitur, ibid. num. 13. Similiter clausula *anteferri* præcedenti similis, ibid. num. 14.

DATARIA, DATARIUS.

Datariæ origo, p. 1. t. 23. c. 2. tot. Et unde sic dicta, ibid. Si ad officium Datarii assumatur Cardinalis, is vocatur Prodatarius, & quare, ibid. n. 5. Varii ejusdem Officiales, eorumque officia, ibid. n. 7. & seq. Modus, quo negotia in Dataria per manus Officialium obambulant & expediuntur, ibid. n. 13. & seq.

DECANUS.

Decanorum origo, p. 1. t. 11. c. 2. n. 1. seq. Hodie unicus est in singulis Capitulis, cui totius Cleri cura incumbit, & solet esse Caput & Præses Capituli, ibid. n. 3. Jurisdictio ejus maximè à consuetudine pendet, ibid. n. 5. Jure communi non habet jurisdictionem contentiosam, nisi fortè consuetudine vel privilegio, ibid. n. 7. Subjectus est Capitulo, & ab eodem potest puniri, ibid. n. 9. Habet votum in Capitulo, etiamsi non sit Canonicus, p. 1. t. 7. c. 5. n. 5.

Decanorum quàm grave sit officium, p. 1. t. 11. cap. 2. n. 12. & p. 2. t. 17. c. 4. n. 5. Canonici Capellani aliaque supposita Capituli tenentur semel in anno confiteri Decano tanquam proprio Sacerdoti, p. 2. t. 6. c. 5. n. 19.

Decanatus Leodienses à reservationibus exempti, p. 2. t. 23. c. 5. n. 20.

Decani in Ecclesia Constantinopolitana erant Ministri funerum, eorum officium, p. 2. t. 38. c. 4. n. 7.

DECIMÆ.

Decimæ quo jure debitæ, p. 2. t. 32. c. 2. tot. & p. 2. t. 33. c. 1. tot. A quo tempore, & qua ratione præceptum dandi Decimas invaluerat, ibid n. 13. Apud Græcos non obtinet, si alia tributa dantur in sustentationem Cleri, ibid. n. 16. Quomodo ad omnia bona sit extensum, ibid. n. 31. Populus non potest ad earum solutionem constringi mediante juramento, ibid. n. 23. Quomodo etiam ad lucra personalia extensum, ibid. num. 34. Quid Decimæ personales, prædiales, item quid mixtæ, & quæ bona quælibet harum species comprehendat, ibid. c. 2. tot. Decimarum personalium loco hodie solvuntur jura pastoralia, p. 2. t. 1. c. 3. n. 18. 19. part. 2. t. 33. c. 3. tot. & t. 38. c. 4. n. 22. & seq.

Decimarum exactio consuetudine regulanda, & quare, part. 2. t. 33. c. 6. n. 9. & c. 2. n. 10. & seq. Edicta Regum Hispaniæ & Galliæ super hac materia, ibid. num. 14. 15. Edictum Caroli V. pro Ditionibus Belgicis super exactione Decimarum insolitarum analyticè explicatur, ibid. n. 15. & seq. Duo Edicta interpretativa hujus quoad terras noviter redactas ad culturam, & domus noviter ædificatas, ibid. n. 25. Quænam dicantur Decimæ insolitæ, ibid. n. 19. Attenditur consuetudo loci, & ea deficiente consuetudo vicinorum locorum, ibid. n. 30. 31. Quid si consuetudines non sint uniformes, ibid. Quid si nova species frugum primò incipiat seminari, ibid. n. 34. &c. Cui probatio consuetudinis incumbat, ibid. n. 37. Quomodo illa probetur, ibid. Requiritur consuetudo positiva, ibid. n. 38. Quandiu consuetudo non plenè probatur, Decimæ sunt solvendæ, ibid. n. 35. &c. Quid si Decimæ exactæ non fuerint, eò quòd fructus tantum in exigua quantitate fuerint seminati, ibid n. 38. 39.

Decimæ ex intentione populi & jure communi debentur Ecclesiæ Parochiali seu Parochis, ibid. c. 3. n. 2. Etiam excluso Episcopo, ibid. n. 10. Cuinam Parochiæ solvendæ Decimæ personales, ibid. n. 11. Cuinam Decimæ prædiales ibid. numer. 12. Cuinam Decimæ mixtæ, ibid. n. 14. Decimæ adjudicandæ Parocho, quandiu non probantur ad alium spectare, ibid. n. 18. Privilegia Decimas recipiendi in præjudicium Parochi sunt odiosa, ibid. num. 34.

Decima Ecclesiastica differt à censu debito Domino directo, qui vocatur Decima, p. 2. t. 33. c. 4. n. 1. &c. Quomodo jus decimandi sit spirituale, & Laici ejusdem incapaces, ibid. n. 3. Privilegium Regum Hispaniæ, item Comitis Flandriæ circa perceptionem Decimarum, ibid. n. 12. cum seq.

Decimarum infeudatarum origo, & cur toleratæ, ibid. n. 15. 16. & seq. Decretum Concilii Lateranensis vetans novas Decimas à Laicis acquiri, ibid. n. 33. Laicus prætendens Decimas, debet probare eas infeudatas fuisse ante illud Concilium & quomodo id possit probare, ibid. n. 37.

Decimæ infeudatæ à Laicis possidentur, alienantur, acquiruntur, item eidem judicio subsunt, ut alia bona patrimonialia eorum, ibid. n. 38. &c. Reversæ ad Ecclesiam recuperant primigeniam naturam, ibid. n. 42. Nec opus est amortizatione, ibid. n. 44. Dum Decimæ Ecclesiæ venduntur, non subsunt retractui gentilitio, ibid. n. 45. Quid si revertantur ad Ecclesiam, sed cum onere feudi, erga Laicum, an recuperent naturam primigeniam, ibid. n. 46. Quid si non revertantur per se, sed accessoriè cum castro & alio feudo per Ecclesiam empto, ibid. n. 47. Decretum Concilii Lateranensis, prohibens Laicos, acquirere novas Decimas, an in Belgio sit receptum, ibid. n. 48.

Decimæ quomodo & quo titulo pervenerint ad Monasteria, ibid. t. 33. c. 5. tot. Quomodo per Galliam à tempore Caroli Martelli & sequentium Regum maxima pars Decimarum occasione bellorum adversus Infideles Laicis fuerit occupata, ibid. n. 10. &c. Ab illis plurimæ devolutæ sunt ad Monasteria & Canonicorum Collegia, & qua ratione, ibid. numer. 15. & seq. Varia Conciliorum Decreta, quibus huic devolutioni obviare voluerunt, & decimas retrahere ad Ecsias Parochiales sine effectu, ibid. n. 19. 20. Hæ Decimarum receptiones pluribus Monachis displicuerunt, & quare, ibid. n. 28. Monachis Decimæ concedi potuerunt solo titulo eleemosynæ, & uti tales dispensandæ, ibid. n. 32. 33. Eo titulo specialiter obligantur ad eleemosynas in locis, ubi Decimæ coliguntur, ibid. n. 37. 38.

Decimæ minutæ, & quænam hoc nomine veniant, ibid. c. 6. tot. Speciali titulo Parochis debentur, ibid. n. 15. Sub generali donatione non comprehenduntur, ibid. n. 17. Ante omnes alias obligatæ sunt ad præstandam portionem congruam, p. 2. t. 34. c. 3. tot.

Decimarum præstatione solo titulo præscriptionis aut immemorialis possessionis Laici se eximere non possunt, ibid. t. 33. c. 7. num. 3. Ad solutionem Decimarum tenentur Toparchæ etiam ex fundis suis Dominicalibus, ibid. n. 5. Ad eas tenentur jure communi ipsi Principes, ibid. n. 5. Fiscales Brabantiæ sustinent ex consuetudine Domania Ducis ab earum præstatione esse exempta, ibid. Ad illas tenentur Monachi, p. 2. tit. 33. c. 3. n. 8. & c. 7. n. 9. Tenentur & Episcopi, ibid. c. 3. n. 5. Privilegia aliquibus Ordinibus concessa non solvendi Decimas de terris propriis manibus cultis, eorum ratio, & ad quæ se extendant, ibid. c. 7. n. 34. Privilegia hæc se non extendunt ad Decimas ab illis possessas titulo oneroso, vel ex contractu, vel quasi Principis, vel speciali fundatione, ibid. n. 40. & 43. Privilegium Cisterciensium in materia immunitatis à Decimis *Vide Ordo Cisterciensis*.

Decimæ quomodo solvendæ, p. 2. t. 33. c. 8. Ex mala dispensatione bonorum Ecclesiæ ortum, quòd populus ægrè ad solutionem Decimarum adducatur, ibid. n. 5. Ob has rationes populo liberum non est Decimas denegare, ibid. num. 8. Edicta vetantia dici jus Decimarum tantùm esse ab beneplacitum & eleemosynas, ibid.

Decimæ ut integrè solvantur, quota pars fructuum debeat solvi, ibid. c. 8. n. 9. An Proprietarius possit deducere expensas factas in colligendis fructibus, aliisque, item alia onera, ibid. n. 13. An expensas factas in melioratione terrarum, item in construendis aggeribus, ibid. n. 15.

Decimæ in Gallia solvendæ in specie, non obstante consuetudine immemoriali vel contractu cum Parocho, ibid. n. 22. Quid obtineat in Belgio, ibid. n. 24. Quomodo persolvendæ Decimæ animalium, & quando, ibid. n. 25. Edicta Principum Belgii ad obviandum fraudibus in solutione Decimarum, ibid. n. 18.

Decimæ quo animò accipiendæ, item exigendæ, ibid. cap. 9. n. 1. De jure Refractarii per censuras cogi possunt, sed in Belgio non admittitur, ibid. n. 5. 8. Quis Judex competens in materia Decimarum, ibid.

Decimæ sunt onus fructuum, iisque quocunque modo non natis, non debentur, ibid. n. 19. Onus Decimarum non solutarum non sequitur novum possessorem fundi, ibid. n. 24. Decimæ uno anno non petitæ altero peti non possunt, ibid. num. 25.

Decimæ quo termino elocari possint, part. 2. tit. 36. c. 2. n. 1. 2. Decimarum alienarum conductio Clericis & præsertim Pastoribus vetita, & quare, p. 1. t. 2. c. 6. num. 3. Decimarum conductores gaudent immunitate bonorum Ecclc-

clesiasticorum, part. 2. tit. 35. cap. 2. num. 27. *Vide Novalia.*

DECLARATIONES CARDINALIUM.

Declarationes Cardinalium, nisi debitè sint munitæ, non creditur, p. 1. t. 22. c. 5. n. 13. Frequenter dantur super particularibus casibus, quæ rarò alteri possunt applicari, ibid. n. 14. 15. Rarò publicantur, ibid. n. 16. Non habent vim legis, ibid. n. 17. interdum Congregatio à priori recedit, & alteram dat, ibid. n. 18.

DEDICATIO.

Dedicationis Ecclesiæ antiquitas & solemnitas, p. 2. tit. 16. cap. 3. n. 1. & seq. Et ritus, ibid. n. 11. 18. Convivia in iis celebrata, quæ modo in anniversariis remanserunt, ibid. n. 24. Abusus, qui inde remanserunt, ibid. Ut iis concurrerent, Synodi voluerunt anniversaria Dedicationum omnium Ecclesiarum, celebrari uno & eodem die, ibid. n. 25. Idem statuunt Edicta Principum Belgii, ibid. n. 26. Et recentissimè Episcopus Leodiensis pro aliquibus districtibus suæ Diœcesis, ibid. num. 27. An conveniat, quòd Pastores ad mutuarum Ecclesiarum Dedicationes accedant, omisso officio in suis Ecclesiis, ibid. n. 27. *Vide Ecclesia.*

DEFLORATIO.

Defloralionis emenda juxta Concordata Brabantiæ separatim coram Judice Ecclesiastico peti potest, p. 2. t. 12. c. 2. n. 10. Quid obtineat in Gallia, ibid. In causa civili defloralionis adhuc obtinet in Curiis Ecclesiasticis citatio personalis, p. 3. t. 8. c. 2. n. 44. Sententia in hac materia quantum ad expensas mandatur executioni, non obstante appellatione, p. 3. t. 10. c. 3. n. 31. *Vide Stuprum.*

DEGRADATIO.

Degradatio solemnis Clerici quandonam necessaria, p. 3. t. 11. c. 1. n. 45. & seq. Hujus Degradationis antiquitas, ibid. numer. 47. Olim causa Degradationis agebatur in Synodis, ibid. n. 48. Postea in defectu Synodorum permissum ut ageretur coram certo numero Episcoporum, qui interveniebant ut Judices, ibid. n. 49. Unde postea factum, quòd tantùm in sola actuali Degradatione intervenerint, ibid. n. 53. Decretum Concilii Tridentini permittens, ut defectus Episcoporum suppleatur per Abbates vel constitutos in dignitate, & ejus ratio, ibid. n. 55.

Degradationis hodierna forma & ritus, ibid. n. 56. An requiratur in Clerico simplicis tonsuræ, ibid. n. 57. In Presbyteris in Gallia pro attrocioribus delictis puniendos non servatur, licèt edicta id servatum velint, & ejus ratio, ibid. n. 62. Adhuc servatur in Belgio, ibid. Episcopus Degradator intercedit pro Clerico degradato, & hujus intercessionis ratio & effectus, ibid. n. 60. & p. 2. t. 10. c. 4. n. 2.

DELEGATUS DELEGATIO.

Delegatus ad Universitatem causarum subdelegare potest, p. 2. t. 12. c. 5. n. 20. Vigore Delegationis nemo extra Provinciam evocandus, p. 3. t. 5. c. 3. tot. Delegatio Sedis Apostolicæ Episcopis concessa per Concilium Tridentinum censetur favorabilis, p. 3. t. 12. c. 6. n. 33. In quibus Capitulum in hac qualitate Episcopo defuncto succedat, p. 1. c. 2. tit. 9. tot. Negotia, in quibus eligitur industria personæ, alteri demandari non possunt, p. 1. t. 3. cap. 5. n. 3. *Vide Judex.*

DELICTUM.

Delicta omnia etiam Laicorum cujuscunque naturæ, Episcoporum jurisdictioni erant olim subjecta, p. 3. t. 4. c. 1. tot. Forum contentiosum tunc non distinguebatur à foro pœnitentiali, ibid. n. 5. Ea distinctio cœpit seculo 12. ibid. n. 7. In causa fuit, quòd Laici varia delicta sibi reservarint, ibid. n. 26. Cujus generis delicta spectent ad forum Ecclesiasticum, ibid. n. 29.

Delicta Clericorum ex praxi Galliæ distinguuntur in communia & privilegiata, p. 3. t. 3. c. 2. n. 21. Modus, quo per utrumque Judicem, ibid. proceditur in causa delicti privilegiati, ibid. n. 23. Quid circa delicta privilegiata & crimina atrociora obtineat in Flandria, & quid in Brabantia, ibid. num. 44. & sequent. *Vide Forum competens, immunitas.*

DENUNTIATIO.

Denuntiatio hodie frequenter aperit viam inquisitioni seu informationibus præparatoriis, p. 3. t. 8. c. 1. n. 32. quid tamen conveniat Judicem attendere, antequam ad informationes capiendas procedat, ibid. n. 33. Si quis falsò denuntiaverat, condemnatur in expensas, damnum & interesse, ibid. n. 34. Reo absoluto Procurator officii tenetur Denuntiatorem indicare, ut reus absolutus agere possit ad expensas, damnum & interesse, ibid. n. 36. Dum instituitur inquisitio, convenit, ut citetur Decimator, ut producat informationes seu indicia, ibid. n. 40.

DEPORTUS.

Deportus origo & ratio, p. 2. t. 36. c. 1. n. 20. Jus Deportus in multis Ecclessiis est penes Archidiaconos, ibid. Quomodo bona sub Deportum cadentia administranda, ibid.

DEPOSITIO.

Depositio ab Ordinibus olim erat omni crimini, etiam occulto, annexa, p. 2. t. 10. c. 6. n. 5. Deponuntur ab ordine & beneficio Simoniaci, & hujus pœnæ æquitas, p. 2. t. 30. c. 6. tot. In quo Depositio differat à suspensione illimitata, p. 3. tit. 11. c. 10. num. 22. *Vide Degradatio.*

DEPOSITIO IN JUDICIO.

Depositiones testium debent esse juratæ, p. 3. t. 7. c. 6. n. 20. & seq. Convenit, ut juramentum præcedat, ibid. n. 22. Fieri debent citata parte adversâ, ibid. n. 24. Si postea coram Judice superiore depositionem suam renovare debeant, an debeant juramentum iterare, ibid. n. 22. Modus quo Judex vel Commissarius procedit ad examen testium, ibid. n. 24. Quomodo procedatur ad examen absentium vel infirmorum, ibid. Pars, contra quam testes producuntur, offert interrogatoria testibus proponenda, & quis eorum finis, ibid. n. 26. Id in Curiis secularibus non servatur, ibid. n. 30. Quomodo testes à Judice vel Commissario examinandi, & eorum depositiones in scriptum redigendæ, ibid. n. 36. Depositiones relativæ ad depositionem alterius rejiciendæ, ibid. numer. 34.

Depositionum publicatio fieri debet, & quando, ibid. n. 42. Quâ formâ, ibid. n. 47. & t. 8. c. 3. n. 13. Quis hujus publicationis scopus, ibid. Publicatis Depositionibus vetita ulterior productio testium super iisdem vel contrariis articulis, & adversus id in Belgio non datur restitutio, ibid. t. 7. c. 6. num. 48. *Vide Reprobatio.* Testes, qui in informationibus præparatoriis deposuerunt, debent in lite recolligi & examinari, p. 3. t. 8. c. 3. n. 9. &c. Quâ formâ & quare, ibid. n. 10. Debet fieri ante confrontationem, ibid. n. 12. Quandonam confrontatio necessaria, ibid. n. 11. Examen testium, quos reus in criminalibus pro se adducit, quomodo faciendum, ibid. numer. 19. In Relatorem causæ non designandus is, qui testes examinavit.

DEROGATIO.

Derogationum clausulâ generali utrum Cardinales comprehendantur, p. 2. t. 22. c. 2. n. 18. 19. An comprehendatur Imperator, p. 2. t. 25. c. 9. n. 21. 22. Sub generali derogatione reservationum non comprehenduntur beneficia vacantis in Curia, p. 2. t. 23. c. 4. n. 8. &c. Variæ Regulæ Cancellariæ, quarum Derogatio non admittitur. *Vide Regulæ Cancellariæ.*

Derogatio Juris Patronatus Laici in Hispania, Gallia & Belgio non admittitur, p. 2. t. 23. c. 7. n. 33. &c. & t. 25. c. 3. n. 30. Generalis derogatio statutorum in rescriptis Apostolicis apponi solita quid operetur, p. 2. t. 24. c. 5. n. 26.

DESERVITOR.

Deservitorem Episcopus solus constituit in omnibus Ecclesiis Parochialibus vacantibus, etiamsi essent Patronatus Regii, p. 2. t. 22. c. 5. n. 1. & seq. Etiam annexis dignitati in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, ibid. n. 7. Episcopus ei assignat portionem congruam ex proventibus Eclesiæ, ibid. num. 9.

Deservitoris onera, ibid. n. 12. In quibus Parocho succedat, & in quibus non, ibid. n. 14. Potest alteri Sacerdoti licentiam dare assistendi matrimonio, p. 2. t. 12. c. 5. n. 20. An validè assistat matrimonio contra interdictum Ordinari, p. 2. t. 13. c. 2. n. 24.

DEVOLUTIO.

Devolvuntur ad Superiorem collationes omnium beneficiorum, quæ intra sex menses conferuntur, p. 2. t. 21. c. 5. n. 1. 8. Episcopatibus & Prælaturis providendum intra trimestre, ibid. n. 2. A quo tempore computandum, ibid. n. 3. Tempus currit de momento in momentum, ibid. n. 5. Lapsum temporis excusat justum impedimentum, ibid. n. 6. Lapso tempore Collatores excidunt jure conferendi, & an mora purgari possit, ibid. n. 7. Negligentia Turnarii nocet Capitulo, ibid. n. 13. Si Episcopus una cum Capitulo jus conferendi habens, negligat convocare Capitulum, potest Senior id facere, & ad collationem procedere, ne detur locus devolutioni, ibid. n. 11.

Devolutio tempore lapso, ad quem fiat, ibid. t. 21. c. 5. tot. Ubi viget alternativa inter Episcopum & Capitulum, si Capitulum vice sua negligat, devolutio fit, non ad Episcopum, sed ad Metropolitanum, ibid. n. 12. Devolutio fit cum qualitatibus primæ collationis, ibid. n. 16.

Devolutâ collatione ad Pontificem, nullum tempus ei præscriptum est, quo teneatur conferre, p. 2. t. 23. c. 3. n. 10. Devolutio hæc non impedit, quo minùs Episcopus Beneficium, cujus collatio devoluta est, alteri possit unire, p. 2. t. 29. c. 1. n. 18. & seq. In Gallia aperta Regalia Rex tempore à Canonibus præscripto non arctatur, p. 2. t. 25. c. 8. n. 60. Patrono intra tempus præscriptum non præsentante Ordinarius confert non jure devoluto, sed ordinario, p. 2. t. 25. c. 5. n. 25. An institutio præsentati data sit intra semestre sub pœna devolutionis, p. 2. t. 26. c. 1 n. 17.

Devolvitur ad Metropolitanum constitutio vicarii generalis Sede vacante, si Capitulum intra octiduum non constituat, p. 1. t. 9. c. 3. n. 7.

DIACONUS.

Diaconus vocatur antonomasticè Minister, & quare, p. 1. t. 1. c. 3. n. 8. Olim habitus Minister necessarius Episcopi & Sacerdotis, ibid. n. 9. Varia & eminentissima erant olim ejus officia quæ recensentur, ibid. Disciplina circa illa officia multum collapsa, ibid. n. 12.

Diaconorum & Presbyterorum consilio olim Episcopi utebantur, p. 1. t. 8. c. 1. n. 1. & c. 4. n. 1. & p. 3. t. 5. c. 1. numer. 14. Episcopis in decisionibus causarum assistebant, ibid.

Diaconis committi potest solemnis administratio Baptismi, p. 2. t. 2. c. 2. n. 6. Olim etiam distribuebant Eucharistiam, p. 1. t. 1. c. 3. n. 9. & p. 2. t. 4. c. 1. n. 16. Sed propriè tantùm calicem, & unde id abrogatum, ibid. n. 18. Inde ortum quod unà cum Sacerdote offerrant calicem, non autem panem, ibid.

Diaconi olim Hospitalibus aliisque piis locis præficiebantur, quæ inde vocatæ sunt Diaconiæ, p. 1. t. 22. c. 1. n. 9. & p. 2. t. 37. c. 3. n. 2.

DIACONIÆ.

Diaconia quidnam sit, ibid. n. 3. Earum numerus Romæ, ibid. Quomodo & quando in titulum Cardinalium erectæ, p. 1. t. 22. c. 1. n. 10.

Diaconia etiam aliquando vocatur carcer Episcopi, p. 3. t. 11. c. 1. n. 27.

DIÆTA.

Diæta quomodo accipiatur in Constitutione Concilii Lateranensis, item in Constitutione Bonifaci VIII. de non evocando extra Diœcesim, p. 3. t. 5. c. 3. n. 2. Quomodo accipiatur in materia vacationis in Curia, p. 1. t. 13. c. 2. n. 10. & p. 2. t. 23. c. 3. n. 5.

DIGNITAS.

Dignitas quid sit, p. 2. t. 18. c. 2. tot. In quo differat à personatu, ibid. n. 8. Olim Dignitates mera erant officia, imò amovibilia, ibid. n. 3. Quid requiratur, ut officium aliquot sit Dignitas, p. 2. t. 18. c. 2. n. 14. Vicarius Generalis Episcopi non censetur in Dignitate constitutus, ibid. n. 13. In dispensationibus nomine Beneficii non veniunt Dignitates, ibid. n. 21. & t. 10. c. 3. n. 19. Nec in dispensationibus pro dignitatibus comprehenduntur Dignitates majores, ibid. t. 18. num. 21. Quænam dicantur Dignitates majores, ibid. numer. 24.

Dignitates quam ætatem requirant, p. 2. t. 19. c. 1. n. 6. &c. Obtinens Dignitatem etiam curatam non privatur ipso jure ob non promotionem ad ordinem annexum, nisi fuerit monitus, ibid. c. 3. n. 15. Si Dignitas aliqua debeat conferri Canonico, quo tempore ea qualitas debeat adesse, p. 2. t. 19. c. 4. n. 23. Per Concordatum in Gallia Pontifici reservatur potestas creandi Canonicos ad effectum obtinendi similes Dignitates, ibid. n. 34. Scientia requisita ad Dignitates, ibid. n. 1. Cui deferatur successio personarum in Dignitate constitutarum, p. 2. t. 32. c. 8. n. 7. &c.

DILATIO.

Dilatio Judicialis quidnam dicatur, part. 3. tit. 7. num. 30. Quænam dilationes citatoriæ seu deliberatoriæ, & quænam probatoriæ, ibid. num. 31. Quandonam & quoties concedi possint, ibid. num. 32. 33. Varia Decreta Curiarum Civilium & Ecclesiasticarum pro earum abbreviatione, ibid. num. 35. Ab earum indiscreta concessione appellari potest, ibid. Incommoda quæ ex hac indiscreta concessione oriuntur, ibid. n. 38. Appellatur etiam à nimia earum coarctatione, ibid. n. 34. 35.

Dilationes brevissimæ concedendæ, & superfluæ resecandæ in variis causis, p. 3. t. 7. c. 4. n. 38. 40. Specialiter in causis possessoriis Beneficiorum, & quare, ibid. n. 41. Idem voluit Justinianus in causis Monachorum & quare, ibid. n. 42. In Curiis Ecclesiasticis solent dari tres dilationes citato ad comparendum, & quid ad quamlibet perdat, si non compareat, ibid. n. 43. Decretum Synodi Tridentinæ quo voluit causas intra biennium terminari, ibid. n. 46. Hodie exiguus ejus usus, & quare, ibid. n. 47. Quid obtineat in Gallia dum Judex est morosus in causa decidenda, ibid. n. 48.

DIMISSORIÆ.

Dimissoriæ aliter olim acceptæ quàm hodie, p. 2. t. 9. c. 3. tot. Illas concedere ad solum Episcopum spectat, ibid. n. 4. Consuetudines & privilegia, quæ illud Capitulis aliisque inferioribus Prælatis concesserant per Concil. Trident. revocatæ sunt, ibid. n. 5. 6. Competit Capitulo Sede vacante, sed juxta Trident. cum restrictione, ibid. n. 8. Quinam censeantur arctari ratione Beneficii, ut à capitulo intra annum accipere possint dimissoriales, p. 1. t. 9. c. 2. n. 7 Episcopus confirmatus ante consecrationem potest eas concedere, uti & Archiepiscopus ante receptionem Palii, p. 2. t. 9. c. 3. num. 10. Potest potestas concedendi Dimissorias delegari alteri, ibid. n. 11.

Dimissoriales non nisi ex necessitate concedendæ, ibid. n. 14. Concedendæ tantùm examinatis & jam probatis, ibid. n. 15. An requiratur etiam examen Episcopi ordinantis, ibid. n. 18. Præcautiones requisitæ à S. Carolo in concedendis Dimissoriis, ibid.

Dimissoriæ concessæ ab Episcopo ejus Vicario, vel Vicario Sede vacante non expirant per mortem Episcopi, vel extinctam potestatem Vicarii aut Capituli, ibid. n. 29. 30. Episcopus potest per edictum omnes dimissorias concessas à se & à suis Prædecessoribus vel Capitulo Sede vacante revocare, ibid. num. 31.

Dimissoriæ Ad Abbates pro recipienda Tonsura vel Minoribus Ordinibus vetitæ, p. 1. t. 31. c. 6. n. 21. Abbates vigore dimissorialium illas conferre non possunt, ibid.

DIŒCESIS.

Diœcesium prima institutio, p. 1. t. 16. c. 3. n. 2. Apostoli vi suæ vocationis nulli parti Orbis erant adstricti, uti nec alii viri Apostolici, ibid. Episcopis interdictum in aliena Diœcesi, sine licentia Ordinarii Pontificalia exercere, & qua pœna, ibid. n. 12. Quænam Pontificalia censeantur, ibid. n. 11. Inter ea non computatur prima Tonsura, & actus voluntariæ jurisdictionis, ibid. n. 14. Quinam dicantur nullius Diœcesis, p. 1. t. 31. c. 6. n. 23. Solus Episcopus habet de Jure jurisdictionem in totam suam Diœcesim, p. 3. t. 5. c. 1. n. 8. Ad ejus exclusionem nemo jurisdictionem in ea exercere potest, nisi plenè eam probaverit, ibid. n. 12. Nemo ad judicium evocari potest ultra duas vel unam diætas extra suam Diœcesim, p. 3. t. 5. c. 3. n. 2.

DISCIPLINA MONASTICA.

Vide Monasterium.

DISPENSATIO.

Dispensatio meritò dicta omnis bonæ disciplinæ Noverca, p. 1. t. 1. c. 2. n. 9. Dispensatio sine justa causa etiam concessa à Summo Pontifice neminem reddit tutum in conscientia, p. 2. t. 20. c. 5. n. 5. & t. 28. c. 4. n. 12.

Dispensatio quoad Beneficia. *Vide Beneficium.*

Dispensatio super impedimentis Matrimonii à se inductis olim competiit Imperatoribus, p. 2. t. 14. c. 1. n. 2. Hodie super impedimentis dirimentibus fere competit soli Pontifici, ibid. n. 10. Auctoritas dispensandi competens Episcopo Leodiensi in tertio & quarto gradu consanguinitatis & affinitatis, ibid. n. 11. An eadem competat Episcopis Belgii in partibus quæ olim subfuerunt Episcopo Leodiensi, ibid. n. 12. In quibus impedimentis & quibus casibus Episcopus possit dispensare, ibid. n. 13. Quàm restricta olim fuerit Ecclesia in concedendis Dispensationibus, ibid. n. 4.

Dispensationes Matrimoniales sub qua forma expediantur in Curia Romana, & quibus committi soleant, p. 2. t. 14. c. 2. tot. Ad quem dirigantur Sede vacante; item si Oratores sint diversarum Diœcesium, ibid. n. 9. 10. Tres partes litterarum dispensationis, & quid pro verificatione cujusque Commissarius attendere debeat, ibid. c. 3. n. 1. Prohibetur omnis acceptio cujuscumque rei etiam gratis oblatæ, ibid. n. 6. &c. Sub hac prohibitione continentur jura sigilli & merces laboris, ibid. Variæ expressiones vel omissiones, quæ reddunt litteras dispensationis invalidas, ibid. &c. Variæ dispensationum causæ cum suis formulis in Curia Romana admissæ: & quo tempore subesse debeant, ibid. c. 4. n. 2. & seq. quænam pro verificatione causarum attendenda ibid. n. 6. *Vide Informatio.*

Dispensatio super Matrimonio cum impedimento dirimente contracto, ibid. c. 5. tot. Quænam pro ea obtinenda necessariò exprimenda, ibid. n. 2. Matrimonium nulliter contractum debet coram Parocho & testibus obtenta Dispensatione renovari, ibid. n. 9. An debeat prioris Matrimonii invaliditas utrique parti innotescere, ibid. n. 11.

Dispensatio in forma Pauperum unde sic dicta, & quæ pro ea obtinenda debeant exprimi, ibid. c. 6. tot. Formula testimonii pro hac dispensatione per Parochum expediendi, ibid. n. 4. Sæpiùs conceditur in causa incestus, vel ejus suspicionis & scandali inde nati, ibid. n. 6. Ante omnia debent separari, & imponi pœnitentia publica, & qualis, ibid. n. 11. Illa ante omnia peragenda, ibid. n. 15. Notabilis clausula apponi solita circa scandalum ex dispensatione orituram, ibid. n. 16.

Dispensatio super impedimento occulto in Pœnitentiaria, ejus expeditio, executio & effectus, ibid. c. 7. tot. Quodnam impedimentum dicatur occultum, ibid. n. 6. Quomodo informatio in hac dispensatione facienda, ibid n. 7. & seq. Matrimonium non est renovandum coram Parocho & testibus, ibid. n. 10. Varia quæ meritò à Parochis sæpè populo exponuntur in materia Dispensationum Matrimonialium, ibid. cap. 8. tot.

Dispensatio super Irregularitate. *Vide Irregularitas.*

Dispensatio super Simonia. *Vide Simonia.*

DISTRIBUTIONES.

Distributiones quid sint & quæ institutionis ratio, p. 1. t. 7. c. 7. tot. Omnibus Horis etiam minoribus assignandæ, ibid. n. 3. integris Horis interesse debent qui eas lucrantur, ibid. num. 4.

Distributionum intuitu officium frequentare multis rationibus improbatur, ibid. c. 8. n. 1. & seq. De Simonia redduntur suspecti qui principaliter ob illas frequentant, ibid. n. 5. Indicia ex quibus colligitur num principaliter ob distributiones quis frequentet, ibid. n. 6.

Distributiones jure communi absentibus vix unquam conceduntur, ibid. c. 11. Consuetudo Belgii non nihil laxior, ibid. n. 3. An iis gaudeant audientes confessiones & celebrantes tempore divini officii, ibid. n. 4. An tempore divini officii publicè docentes, ibid. n. 5. & t. 11. c. 6. n. 11. Quibus cedunt Distributiones absentium, ibid. t. 7. c. 11. n. 6.

Distributiones non computantur in tertiam partem fructuum Pensioni obnoxiam, p. 2. t. 28. c. 7. n. 13. An pensio aliquando imponi possit super Distributionibus, ibid. n. 14.

Distributiones in Anniversariis unde exortæ, p. 2. t. 5. c. 7. num. 7.

DIVERSORIUM.

Diversoria à Clericis intrare prohibitum, nisi causa necessarii itineris, aut alia necessitate compulsus, p. 1. t. 2. c. 4. n. 4. Si necessitas compellat, quomodo in iis se gerere debeant, ibid. S. Carolus volebat in qualibet Civitate unum aut alterum diversorium pro solis Clericis itinerantibus institui, quod merito Episcopi imitarentur, ibid. n. 5. Edicta Principum Belgii circa locum & numerum diversoriorum, item circa personas, quibus ea tenere permittitur, ibid. num. 7. Statutum S. Ludovici iisdem consonum, ibid. num. 8. *Vide Popinæ.*

DIVORTIUM.

Divortium quotupliciter sumatur, p. 2. t. 15. c. 1. n. 1. Ob Adulterium Matrimonium non dissolvitur quoad vinculum, ibid. n. 22. Adulterium est justa causa separationis, & ejus ratio, ibid. c. 2. n. 2. Ecclesia non agnoscit differentiam inter virum & uxorem, ibid n. 4. Olim vir uxorem adulteram ante actam pœnitentiam recipere non poterat, ibid. n. 5. An Maritus propia auctoritate uxorem adulteram recipere possit, si Divortium auctoritate Judicis factum sit, ibid. n. 9. Maritus adulterii conscius injuriam remisisse videtur, si uxorem cognoverit, ibid. n. 10. Maritus adulter non potest dimittere uxorem adulteram, ibid. n. 11.

Divortium seu Matrimonii dissolutio non fit ob Hæresim etiamsi olim secus dubitatum fuerit, ibid. n. 13. Potest tamen fieri separatio quoad thorum, ibid. n. 18. Variæ causæ ob quas fieri potest separatio quoad thorum, ibid.

Divortium fieri non potest sine auctoritate Judicis, ibid. n. 19. Magna prudentia & moderatione in hac materia Judex debet procedere, ibid. n. 22. Sententia divortii nunquam transit in rem judicatam, ibid. n. 23. Quis sit Judex competens in materia divortii, ibid. n. 25. Quid de dote, donatione propter nuptias, divisione bonorum, ibid. n. 27.

Divortii causæ brevissimis terminis assignandæ, p. 3. t. 7. c. 4. n. 40.

DOMUS PASTORALIS.

Domus Pastoralis in Portionem congruam non imputatur, p. 2. t. 34. c. 8. n. 4. 6. Obligatio eam constituendi distinguitur ab obligatione dandi portionem congruam, ibid. n. 6. Hæc obligatio consuetudine regulatur, ibid. n. 7. Quæ consuetudo obtineat in Gallia, item in Diœcesi Leodiensi & Diœcesibus ab ea dimembratis, ibid. n. 9. & 10. &c. Deficiente consuetudine hæc obligatio videtur iisdem Legibus regenda quibus reparatio Ecclesiæ & quare, ibid. n. 14. Decretum Consilii Privati circa hanc extructionem pro Provincia Flandriæ, ibid. n. 15.

Domus Pastoralis quibus commoditatibus debeat esse instructa, ibid. n. 21. In hac materia procedendum summariè & per provisionem, ibid. n. 22. Quis ad reparationes ejusdem teneatur, ibid. n. 24. Si Parochus reparationes, ad quas tenebatur neglexerit, ejus hæredes ad easdem via juris cogi possunt, ibid. n 27. Moderatio requisita in Domo Pastorali tam quoad ædificium, quam supellectilem, ibid. n. 28.

DONUM GRATUITUM.

Vide Subsidium.

DOS.

Dotium hodierna apud Regulares exactio an titulo paupertatis possit excusari, p. 1. t. 26. c. 2. tot. Concilium Tridentinum directè titulum insufficientiæ exclusit, ibid. c. 3. n. 9. Varia incommoda ex earum exactione provenientia, ibid. n. 12. &c. Canones earum exactiones vetantes perpetuam rationem habent & an possint dici consuetudine abrogati, ibid. n. 18. Sententia Sancti Caroli circa hanc materiam, ibid. n. 20. *Vide Simonia.*

Dotales causæ in Gallia, ne quidem incidenter aut accessoriè spectant ad tribunal Ecclesiasticum, p. 2. t. 12. c. 2. numer. 7. 8. & p. 3. t. 2. c. 1. n. 26. 28. &c. A quo tempore fuerint substractæ, ibid. Judex Ecclesiasticus non potest condemnare ad alternativam, Duc vel dota, p. 2. t. 12. c. 2. n. 9. Quid in Belgio super hac materia obtineat, ibid. & p. 3. t. 2. c. 1. n. 20. Maritus conventus ad restitutionem dotis non debet cedere bonis ut evadat incarcerationem, p. 3. t. 9. c. 4. n. 40.

DUCATUS.

Ducatorum 24. summam non excedere idem est in Curia Romana ac esse immune à solutione Annatarum: & cur hæc formula introducta, p. 2. t. 24. c. 4. n. 22. 23. Stylo Curiæ non admittitur Pensio super Beneficio Parochiali nisi Titulari remaneant centum Ducati, p. 2. t. 28. c. 6. n. 5. De quibus Ducatis intelligatur, ibid. n. 6.

E

EBRIETAS.

Ebrietas Clericos maximè dedecet, p. 1. t. 2. c. 4. tot. Mala ex eadem provenientia, ibid. n. 2. 3. &c. quibus pœnis cohibenda, ibid. Præcipiunt Synodi arcendum à celebratio-

tione Missæ Sacerdotem, qui pridiè fuisset ebrius, & pro sua irreverentia castigandum, ibid. num. 2. & p. 2. t. 5. cap. 9. num. 20.

ECCLESIA.

Ecclesiæ dicta fuerunt loca cultui divino destinata, p. 2. t. 5. c. 8. n. 1. & t. 16. c. 1. n. 1. Christiani primitus studiosè evitabant nomen Templi, & quare, ibid. n. 2. Quare conveniat certa loca ad orationem & cultum divinum destinare, ibid. n. 3. & 7. act. 5. n. 2. Qui extra loca privatim conveniebant censebantur unitatem Ecclesiæ scindere, ibid. n. 3. Actiones profanæ ab illis arcendæ, & quænam illæ, p. 2. t. 16. c. 1. n. 9. Item mendici, ibid. n. 13. Qualis earum ornatus esse debeat, ibid. n. 14. Superfluus ornatus non probatur, sed præfertur eleemosyna, p. 2. t. 36. c. 4. n. 5. Insignia & lystra si Ecclesiam nimis deforment, possunt non admitti, non obstante consuetudine in contrarium, p. 2. t. 25. c. 7. n. 39. Convenit ut mulieres à viris in Ecclesiis separentur, p. 2. t. 16. c. 1. n. 33. &c.

Ecclesiarum ædificationibus modum ponere debuerunt Imperatores, ibid. c. 2. n. 1. 2. Vetitum eas ædificare sine consensu Episcopi, ibid. n. 3. Quid antequam hic consensus præstetur, attendendum, ibid. n. 5.

Ecclesiarum consecrationis antiquitas, solemnitas, & veneratio, p. 2. t. 16. c. 3. tot. Episcoporum, Sacerdotum, Cleri, & Populi ad easdem Conventus, ibid. n. 3. 6. Rituum consecrationis Ecclesiarum origo, ibid. n. 11. In multis conveniunt cum ritibus Baptismi, ibid. n. 19. Analiticè explicantur, ibid. n. 20. An olim Anniversaria Dedicationum fuerint instituta, ibid. n. 22. Quandonam Ecclesia debeat de novo consecrari, ibid. c. 4. tot. Seculo 11. persuasum fuit majori Altari everso totam Ecclesiam debere reconsecrari. Alia hodie disciplina, ibid. n. 8. & 10. *Vide Dedicatio.*

Ecclesia polluitur per effusionem sanguinis & qualis effusio ad hoc requiratur, ibid. n. 13. Ejus effectus, ibid. Crimen pollutionis Ecclesiæ cujus fori sit, p. 3. t. 4. c. 5. n. 35. Reconciliatio facienda per Episcopum, & an Presbytero possit delegari, p. 2. t. 16. c. 4. n. 21. 22. & 23. Ubi reconciliatio delegatur Presbytero ea facienda est aquâ ab Episcopo benedicta & quare, ibid. n. 20. Reconciliatio hæc figura est Reconciliationis peccatoris, ibid. n. 25. Ecclesia etiam polluitur per sepulturam excommunicati & ejus ratio, p. 2. t. 38. c. 6. n. 30. Cadaver illud ante omnia exhumandum, ibid. num. 32.

Ecclesiarum reparationi olim quarta pars proventum Ecclesiasticorum cedebat, p. 2. t. 16. c. 5. n. 2. In Hispania cedebat una tertia, ibid. n. 3. Cessantibus omnibus conventionibus primo loco impendendi redditus fabricæ, ibid. numer. 4. Ad reparationem etiam tenentur concurrere ejusdem Ecclesiæ Beneficiati & quo titulo, ibid. n. 6. Pastor non habens nisi portionem congruam ad nihil tenetur, ibid. numer. 10. Tenentur Decimatores & pro qua portione suarum Decimarum, & qua moderatione, ibid. n. 11. Aliis mediis deficientibus recurrendum ad impositiones seu Collectas super Parochianis, ibid. n. 23. Ea fieri non potest sine auctoritate Judicis Secularis, ibid. Quomodo & quibus hoc onus imponendum, ibid. num. 24. Reparationes hæ tantum concernunt Ecclesiam Parochialem non Capellas, ibid. num. 17. Aliquando Decimator obligari potest ad reparationem Capellæ, ibid. n. 19. Tantum versatur circa reparationes necessarias & quænam illæ, ibid. n. 20. Fieri non possunt nisi vocatis quorum interest, ibid. num. 22. Quis teneatur ad reparationem Chori, ibid. n. 26. quis ad reparationem navis, quis ad reparationem turris, ibid. numer. 26. 28. Quis ad instaurationem campanarum, ibid. n. 29. Concordata & consuetudines in hisce materiis præcipuè attendenda, ibid. num. 25. Quis sit Judex competens in materia reparationis Ecclesiarum, ibid. num. 33. *Vide Fabrica, Ornamenta, Parochia.*

EDICTUM.

Edicta à Principe emanata non omnes Belgii Provincias concernunt, p. 1. t. 5. c. 5. &c. Unde dignoscendum, an dirigantur ad Provinciam particularem, an verò ad totum Belgium, ibid. cap. 6. num. 4.

EJECTIO AB ORDINE.

Vide Ordo.

ELECTIO.

Electio quid propriè dicatur, p. 2. t. 21. c. 3. tot. In quorum electione servanda forma *Cap. quapropter, de Elect.* ibid. n. 8. Quinam in Electionibus suffragiis gaudeant, ibid. numer. 9. 10. 12. Qui absentes vocandi, quomodo citandi, & quamdiu expectandi, ibid. n. 13. 14. 15. Varia jura circa Electionem per Procuratorem, formam mandati, item circa Electionem per litteras, ibid. n. 17. 22. Unus non vocatus Electionem irritare potest, ibid. n. 26. Quid si non opponat, ibid. n. 27. Suffragia in Electionibus debent capitulariter dari, ibid. n. 30. A majori parti concludi solet, & quomodo major pars intelligenda, ibid. n. 31. & c. 4. n. 23. An etiam requiratur pars sanior, ibid.

Electionis per compromissum forma, ibid. c. 4. n. 3. Requiritur, ut omnes Electores in compromissum consentiant, ibid. num. 6.

Electionis per inspirationem Spiritus Sancti forma, ibid. n. 7. Hodie ignota, ibid. n. 8.

Electionis per scrutinium forma. *Vide Scrutinium.*

Electionis Episcopi populus interveniebat, & quam partem in illa haberet, p. 1. t. 13. c. 1. n. 1. & seq. Antiqua disciplina circa Electiones Episcoporum, ibid. n. 2. Electio populi nullum jus tribuebat Electo, ibid. n. 10. Metropolitanus cum Episcopis suæ Provinciæ electionem & personam electam examinabat, ibid. n. 12.

Electiones seculo XII. cœperunt transire ad Capitula Cathedralia, ibid. c. 2. n. 2. Quomodo per reservationes Pontificias jus illud Capitulis sensim fuerit ademptum, ibid. n. 4. & seq. Restitutum fuit per Concil. Basil. & Sanctionem Pragmaticam in Gallia pro tempore, ibid. n. 7. Per Concordata Germania, in qua sola adhuc modò remansit, ibid. n. 9. 10. & seq.

Electio Abbatis & Prioris Conventualis ab omni tempore competiit Monachis, p. 1. t. 31. c. 8. n. 1. & seq. In Italia pleræque Abbatiæ per Regulas Cancellariæ reservatæ, ibid. n. 14. Olim in Belgio electiones eorum fuerunt liberæ, ibid. n. 26. Quid hodie obtineat, & quomodo eo sit deventum, ibid.

ELEEMOSYNÆ.

Eleemosynarum collecta in Belgio non admittitur sine consensu Magistratus civilis, p. 1. t. 29. c. 4. n. 39. Quænam dicantur consuetæ Eleemosynæ, p. 1. t. 26. c. 3. n. 8. Fœda simonia est, in collatione Beneficiorum exigere pecuniam in Eleemosynas distribuendas, p. 2. t. 30. c. 5. n. 2. Eleemosyna præfertur ornatui Ecclesiæ, p. 2. t. 36. c. 4. n. 5. Decimæ Monachis concessæ titulo Eleemosynæ, & uti tales dispensandæ, præsertim in locis ubi colliguntur, p. 2. t. 33. c. 5. n. 32. 33. & 37. 38. Modus colligendi Eleemosynas à Gregorio XIII. præscriptus, p. 2. t. 37. c. 3. n. 6. & seq. Item præscriptus à Principibus Belgii, p. 2. t. 37. c. 5. numer. 20. 24.

Eleemosynæ jam pridem in pœnitentias convenienter fuerunt impositæ, p. 3. t. 11. c. 1. n. 5. Hinc orta hodierna pœna pecuniaria imponi solita in Curiis Ecclesiasticis, ibid. n. 6. *Vide Mendicitas, Mensa S. Spiritus.*

ELOCATIO.

Elocationes Bonorum Fabricæ & Mensæ S. Spiritus publicè instituendæ, nec nisi præstitâ cautione, p. 1. t. 5. c. 2. n. 2. 3. In locationibus prandia non facienda, ibid. n. 5.

Elocatio Bonorum Ecclesiasticorum ad quantum tempus licita sit, p. 2. t. 36. cap. 2. tot. Elocationes factæ anticipatis solutionibus sunt nullæ in præjudicium successoris in Beneficio, ibid. n. 10. An in elocationibus liceat stipulari potentias, seu bibalia, ibid. n. 12. Quibus solemnitatibus fieri debeant, ibid. n. 13. Meritò à conductione excluduntur Clerici, & præsertim Pastores, item Toparchæ, eorum Ministri, aliique, p. 1. t. 2. c. 6. n. 1. cum seq. Elocatio facta à Prædecessore an & quousque obliget successorem, p. 2. t. 36. c. 2. n. 18. Conductores gaudent immunitate bonorum Ecclesiasticorum, p. 2. t. 35. c. 2. n. 17.

EPISCOPUS.

Episcopi successerunt in locum Apostolorum, p. 1. t. 16. c. 1. n. 6. In quibus Apostolis succedant, & in quibus non, ibid. n. 7. 8. Munus illorum est laboriosum, sicut munus Apostolorum, ibid. c. 2. n. 1. 2. Habent plenitudinem Sacerdotii, & in quo hæc consistat, ibid. c. 1. n. 9. In quo consistat eminentia Episcopatus suprà Presbyteratum, n. 2. t. 9. c. 2. n. 2. Alligantur Ecclesiæ, eamque desponsant, p. 1. t. 15. c. 4. n. 5.

Episcopi multis seculis Cardinalibus fuerunt Prælati, p. 1. t. 22. c. 1. n. 25. Magnus Pœnitentiarius, scribens ad Episcopum, nomen Episcopi suo præponit ibid. n. 21. Fuerunt aliquando per Cardinales malè tractati, & de eo querelæ, ibid. n. 28.

Episcopi qualitates requisitæ juxta Concordata Galliæ & Tridentinum, p. 1. t. 13. c. 4. n. 1. An magis expediat eum esse graduatum in Theologia, quàm in Jure, ibid. n. 2. Non

sufficit quod sit Graduatus, p. 1. t. 14. c. 3. n. 21. Quam remotus esse debeat ab ambitu, p. 1. t. 13. c. 5. n. 11.

Episcopus est primarius Pastor suæ Diœcesis, p. 1. t. 16. c. 4. n. 1. Omnes Presbyteri sunt in ejus adjutorium, ibid. n. 4. Solus potest dare curam animarum. *Vide Cura Animarum.*

Episcopus solus habet jurisdictionem per totam suam Diœcesim, p. 3. t. 5. c. 1. n. 8. Ad ejus exclusionem nemo jurisdictionem exercere potest, nisi eam plenè probaverit, ibid. n. 10. In hac sua jurisdictione non potest turbari, nequidem per Legatum à Latere, p. 1. t. 21. c. 3. n. 1. *Vide Exemptio, Jurisdictio, Officialis.*

Episcoporum præcipuum munus est prædicatio Verbi Dei, p. 1. t. 16. c. 7. tot. Quoties illud annuntiare teneatur, ibid. Cur hæc minus aliis potuerit committi ab Apostolis, quam administratio baptismi, ibid. n. 2. Eorum auctoritas circa prædicationem Verbi Dei. *Vide Approbatio, Prædicatio.*

Episcopus orationi pro grege suo tenetur insistere, & Missæ sacrificium offerre, quoties & quo tempore, ibid. c. 9. tot. Tenetur populo Spiritum orationis inculcare, & quibus mediis possit efficere, ibid. n. 4.

Episcopus non nisi frugaliter uti potest bonis Ecclesiæ, p. 2. t. 32. c. 4. tot. Frugalitas & parsimonia requisita in ejus vestitu, supellectile, mensa, & in tota ejus familia, ibid. n. 11. & seq. Prætextus in contrarium discutiuntur & refutantur, ibid. 23. 24.

Episcopus debet esse quasi Dispensator & Promus pauperum, ibid. n. 10. Episcoporum auctoritas in hospitalia, & loca pia, & testamenta à cura pauperum, quæ Apostolis incumbebat derivata, p. 2. t. 37. c. 2. tot. & seq. p. 3. t. 2. c. 2. n. 4. & seq. Qualis sit eorum in hac materia auctoritas. *Vide Hospitale, Testamentum, Fundatio.*

Episcoporum cura circa miserabiles personas, ut justitia illis administretur, p. 3. t. 8. c. 2. n. 23. & seq. Item circa captivos.

Episcopus semper habitus fuit Caput sui Cleri, & uti talis à Capitulo Cathedrali agnosci debet, non obstante exemptione, p. 1. t. 8. c. 2. tot. In Cathedrali exempta solemniter ad suam Cathedram deducitur, ibid. n. 6. Danti benedictionem omnes se tenentur inclinare, ibid. Quis locus ei competat in Capitulo exempto, ibid. c. 3. tot. Convenit, ut ei præsideat, ibid. n. 1. Consilium Capituli petere non tamen regulariter sequi tenetur, ibid. c. 4. tot. In quibus teneatur habere consensum, ibid. n. 5.

Episcopi Synodis Diœcesanis suam auctoritatem impertiunt, p. 1. t. 18. c. 4. n. 1. Soli in Synodis Provincialibus habent suffragium decissivum, ibid. t. 20. c. 4. n. 11.

Episcopi naturales sunt Inquisitores fidei, p. 3. t. 4. c. 2. n. 46. Episcoporum auctoritas circa officium divinum, Sacrificium Missæ. *Vide Missa, Officium Divinum.*

Episcoporum auctoritas circa Beneficia, item Bona Ecclesiæ tam ex antiqua, quam moderna disciplina. *Vide Beneficium, Bona Ecclesiæ.*

Episcoporum auctoritas in Monasteria, *Vide Clausura, Exemptio Regularis.*

Vide Ordinarius, Residentia, Translatio, Visitatio.

EPISTOLÆ PASTORALES.

Epistolæ Pastorales instructioni Cleri & populi multum inserviunt, p. 1. t. 16. c. 7. n. 9. Id egregiè præstitit S. Carolus, ibid. n. 10. Variæ ejus Epistolæ expediuntur, ibid. n. 11. &c.

ERROR.

Vide impedimentum.

EUCHARISTIA.

Eucharistiæ materia apud Latinos panis azymus, apud Græcos fermentatus, p. 2. t. 4. c. 1. n. 6. olim Ecclesia Latina etiam usa est fermentato, ibid. n. 7. Ejus forma in omnibus Liturgiis non eodem modo exprimitur, ibid. n. 10. Ejus diversitas quoad formam consecrationis calicis, ibid. n. 11. Solus Sacerdos potest Eucharistiam conficere, ibid. n. 15.

Eucharistiam solus Sacerdos potest hodie distribuere, ibid. n. 20. Olim etiam Diaconi distribuebant, p. 1. t. 1. c. 3. numer. 9. Sed propriè Calicem, p. 2. t. 4. c. 1. n. 18. 19. Ejus rei adhuc extat vestigium in oblatione Calicis, ibid. Solus Parochus eam distribuit jure ordinario, ibid. n. 20. Regularibus aliquando inhibita ejusdem distributio sine consensu Parochi, ibid. n. 21. Unde contraria licentia invaluerit, & quæ inde incommoda, ibid. n. 23. 24.

Eucharistia non deferenda ad ægrotos adorationis causâ, ibid. cap. 4. n. 13. A quo tempore invaluerint processiones, in quibus defertur Eucharistia, ibid. c. 5. tot. *Vide Communio, Missa, Processio, Viaticum.*

Eucharistiæ expositio ex ejusdem delatione in processionibus processit, p. 2. t. 4. c. 5. n. 13. Ad Episcopum spectat ejusmodi expositiones dirigere, p. 1. t. 16. c. 9. n. 10. & p. 2. t. 4. c. 5. n. 16. Regulares etiam exempti non possunt illam exponere in suis Ecclesiis sine ejus licentia, ibid. n. 17. Nec possunt acceptare fundationem cum onere exponendi Eucharistiam sine ejus consensu, ibid. n. 20.

Eucharistia non exponendâ, nisi rarò & ob causam publicam, ibid. n. 21. & seq. Hujus expositionis scopus, p. 1. t. 16. c. 9. n. 9. Quæ in illa expositione attendenda, & quâ solemnitate facienda, ibid. & p. 2. t. 4. c. 5. n. 24. Quomodo & quâ solemnitate exponenda in oratione quadraginta Horarum, ibid. n. 23. Non convenit, quod in hac oratione semper exponatur, ibid. Non exponenda in Ecclesiis, in quibus prævidetur non servanda debita reverentia, ibid. n. 34.

EULOGIÆ.

Eulogiæ nomine quidnam olim appellabatur, p. 2. t. 5. c. 4. n. 4. Earum benedictio, ibid. n. 5. Desumebantur ex panibus per populum oblatis, ibid. n. 6. Hodie vocantur panis benedictus, ibid. n. 4. Quid significet, ibid. n. 8. Ejus oblatio & receptio inter jura honorifica computatur, & quâ ratione, ibid. n. 10.

EXAMEN.

Examen ordinandorum Episcopis primariò incumbit, ex verbis Apostoli: *Manus nemini citò imposueris*, p. 2. t. 9. c. 4. n. 9. &c. Examen Episcopi Regulares nullo prætextu evadere possunt, ibid. n. 4. 35. Si jus examinandi alicui competat, non censetur exclusus Episcopus, ibid. n. 10. Convenit, ut Episcopus examini intersit, ibid. n. 12. Circa quæ examen instituendum, ibid. n. 13. Quale & quantum examen sit necessarium, ut Episcopus possit esse securus, ibid. n. 34. 36. 37. Quàm parùm sæpè fidendum testimonialibus etiam Superiorum Regularium, ibid. n. 35.

Examen Episcopi subire debent, juxta Concilium Tridentinum, omnes instituendi in Beneficiis per inferiores Prælatos, p. 2. t. 26. c. 1. n. 13. Id non observatur, nisi in Beneficiis curatis, ibid. n. 15. Non obstante exceptione Concilii, Nominati ab hac Universitate ad Beneficia curata examen subire debent, ibid. n. 16.

Examen Novitiorum. *Vide Novitius.*

Examen Testium. *Vide Depositio.*

Examen Rei. *Vide Interrogatoria.*

EXAMINATORES.

Examinatores jure suo sunt Archidiaconus, & tres seniores Canonici Graduati, duo Theologi & unus Canonista, p. 1. t. 12. c. 1. n. 15. In Synodo constituendi, p. 1. t. 18. c. 2. n. 18. & p. 2. t. 22. c. 3. n. 4. Qualitates requisitæ, p. 2. t. 9. c. 4. tot. & t. 22. c. 3. n. 8. cum seq. Convenit, ut assumantur Canonici Cathedrales, p. 2. t. 9. c. 4. n. 14. Iis tamen Episcopis non adstringitur, ibid. n. 15.

EXCEPTIO.

Exceptionem declinatoriam proponere tenetur Clericus conventus coram Judice seculari, alias justè ut contumax condemnatur, p. 3. t. 1. c. 4. n. 25. Quid obtineat in Belgio, Si Laicus convincatur coram Judice Ecclesiastico in materia competente, p. 3. t. 2. c. 3. n. 9. Si citatus primo termino non compareat, secluditur ab exceptione declinatoria, p. 3. t. 7. c. 4. n. 43. A rejectione declinatoria admittitur appellatio, p. 3. t. 9. c. 2. & t. 10. c. 1.

Exceptio peremptoria quænam dicatur, p. 3. t. 7. c. 4. Per tertiam contumaciam ab ea citatus secluditur, ibid. n. 5. *Vide Forum Competens.*

EXCOMMUNICATIO.

Excommunicatio olim usitata apud Monachos, p. 1. t. 31. c. 3. n. 24. Quæ forma ejus & effectus, ibid. n. 26. & p. 3. t. 11. c. 3. tot. Reconciliatio, p. 1. t. 31. c. 3. n. 29. Non erat Censura Ecclesiastica, ibid. n. 31.

Excommunicationis variæ species antiquis usitatæ, hodie sunt ignotæ, & contra, part. 3. tit. 11. num. 1. Species excommunicationis in Episcopo, qui jubetur esse contentus communione suæ Ecclesiæ, ibid. num. 5. Pœna erat censura, ibid. num. 6.

Excomunicationis altera species qua una Ecclesia recedebat à communione alterius, ibid. n. 7. In quo minuta hæc communio Ecclesiarum consisteret, & quâ ratione hæc abrumpebatur, ibid. n. 8. 9. Ejus fundamentum, 2. Thesal. 3. ibid. num.

num. 15. Hac ratione olim sæpè plebs se abstrahebat à communione sui Episcopi, Episcopus à communione sui Metropolitani &c. ibid. n. 16. Ob abusus tandem id prohibetur per Synodum VIII. ibid. n. 17.

Excommunicatio minor quid sit, ibid. num. 19. Ante seculum XIII. ignota, ibid. Hodie passim est absoleta, ibid. numer. 10. Quatuor gradus pœnitentiæ apud antiquos usitati erant species excommunicationis minoris, ibid. n. 22. Vocatur Excommunicatio pœnitentialis, item medicinalis, & quare, ibid. n. 27.

Excommunicatio major olim dicta mortalis, & quare, ibid. numer. 28. Hodie sola nomine Excommunicationis intelligitur, ibid. n. 29. Ejus effectus, & à quibus excommunicatum excludat, p. 3. tit. 11. c. 11. tot. & c. 4. tot. Per sepulturam excommunicati pollitur Ecclesia vel cœmeterium, & hujus ratio, p. 2. t. 38. c. 6. n. 30. Corpus illud ante omnia exhumandum, ibid. n. 32. An & quatenus pro eis liceat publicè & directè orare, ibid. p. 3. t. 11. c. 4. n. 7. An liceat cum eis communicare in civilibus, ibid. n. 11.

Excommunicatus ut hodie sit vitandus, requiritur, ut publicè tanquam talis sit denuntiatus, & quandonam talis dicatur denuntiatus, ibid. n. 16. Id non requiritur in notorio percussore Clerici, ibid. n. 19. Aliquando tamen meritò requiritur, ibid. n. 20.

Excommunicatio non potest infligi, nisi pro peccato mortali, eoque enormi, ibid. c. 5. n. 3. Improbatur Excommunicatio pro levi & temporali, ibid. n. 4. & c. 7. &c. Dum in Canonibus reperitur verbum Excommunicatio pro re levi, intelligendum est de Excommunicatione minori, ibid. c. 5. n. 7. Debet crimen etiam esse & judicialiter esse probatum, ibid. n. 8. Antiquitûs multis imposita pœnitentia publica pro peccatis occultis, sed nunquam Excommunicatio, ibid. n. 9.

Excommunicatio injusta quænam dicatur, ibid. n. 12. Nullus ejus effectus est coram Deo, ibid. Ejus timore veritas non erubescenda, ibid. n. 17. &c. Qua ratione S. Gregorius dicat eam esse timendam, ibid. n. 18. Interdum etiam publicè contemni potest, ibid. n. 21. Eam pro bono pacis pacienter ferre, magni apud Deum est meriti, ibid. n. 22.

Excommunicatio fieri non potest, nisi in contumacem, & quis talis dicatur, ibid. c. 6. tot. Quot monitiones & cum quo medio intervallo requiratur, ibid. n. 4. 5. &c.

Excommunicatio latæ sententiæ non videtur cum hac necessitate monitionum consistere, ibid. n. 12. Olim hæc Excomunicatio vix nota fuit, n. 19. An Excommunicatio Can. *Si quis suadente diabolo* caus. 17. q. 4. sit latæ, an tantùm ferendæ sententiæ, ibid. n. 20. Quantum Excommunicationes latæ sententiæ seculis subsequentibus fuerint auctæ, ibid. n. 21. Summis difficultatibus & incommodis sunt obnoxiæ, ibid. n. 22. Requiritur major causa pro Excommunicatione latæ, quàm ferendæ sententiæ, ibid. n. 24. Non incurritur, nisi post debitam & sufficientem publicationem juxta morem Provinciarum factam, ibid. n. 25.

Excommunicatio non ferenda nisi dolenter & tanquam ultimum remedium, ibid. c. 7. n. 2. Executiones sententiarum per Excommunicationes fieri prohibentur, quandiu per invocationem brachii secularis aliisque mediis haberi possunt, ibid. n. 3. & 5. Ordinarie plus obfuit, quam profuit Ecclesiis uti censuris ad defensionem temporalium, ibid. n. 7. Prudentia, quæ in censuris ferendis requiritur, ibid. num. 9. & seq. Et præsertim, ubi multitudo involvitur, ibid. n. 12. 13. Item adversus Judices Regios in casu conflictus jurisdictionis, ibid. num. 17. Quid in simili casu obtineat in Belgio & Gallia, ibid. n. 19. 20.

Excommunicationis ritus hodiernus præscriptus in Pontificali pro majori parte recens est, cur introductus, ibid. c. 8. tot. Recensetur, ibid. Sententia Excommunicationis ferenda est in scriptis, ibid. n. 18. Copia authentica relinquenda excommunicato, ibid. n. 19.

Excommunicatus ab uno Episcopo semper in Ecclesia ab omnibus vitandus fuit, p. 3. t. 10. c. 1. n. 2. & t. 11. c. 8. numer. 15. Synodus Nicæna id non introduxit, sed tantùm confirmavit, ibid. n. 16. Hinc mox invaluit, ut Excommunicatio per litteras notificaretur, ibid. n. 17.

Excommunicationis sententia per appellationem non suspenditur, & quare, ibid. t. 10. c. 3. n. 24. Excommunicatus, non obstante appellatione, potest denuntiari, ibid. n. 25. Ab Excommunicatione nondum absolutè inflicta appellatio habet effectum suspensivum, ibid. n. 27.

Excommunicatus si per annum insordescat, adversus eum proceditur ut hæreticum, p. 3. t. 11. c. 8. num. 13. Decretum S. Ludovici adversus eosdem, ibid. n. 11. An hæc hodie serventur, ibid. Absolutio a censuris in Bullis Apostolicis nihil operatur circa insordescentes. *Vide Absolutio, Censura.*

EXECUTIO.

Executio non præcipitanda, sed condemnatis aliquod spatium ad satisfaciendum sententiæ indulgendum, & quale, part. 3. tit. 9. cap. 4. numer. 2. Cujus auctoritate, & per quos, & quâ formâ facienda executio, ibid. num. 9. &c.

Executiones demandari solent Apparitoribus, ibid. n. 11. Apparitores, qui pecunia vel donis corrupti executionem differunt, quâ pœna plectantur, ibid. n. 12. Prætextu appellationis ab executione desistere non possunt, nisi de mandato Curiæ, ibid. n. 13. In executione sententiæ Ministros sibi adjungere, auxilium Magistratus implorare, aut etiam manum militarem advocare possunt, ibid. n. 14. 15.

Executioni res vel bona certo ordine juxta leges subjecta sunt, ibid. num. 16. An & quousque hic ordo servetur in Gallia & Belgio, ibid. n. 17. An hodie dentur aliqua bona exempta ab executione, ibid. n. 20. Privilegium concessum Clero Gallicano, quòd eorum mobilia capi non possint, quomodo hodie restrictum, ibid. n. 21. 22.

Executionis extremum remedium hodie est incarceratio, ibid. n. 23. &c. Quandonam & adversus quos ad eam procedi possit, ibid. n. 26. Ab hac incarceratione liberat cessio bonorum, ibid. n. 31. *Vide Cessio Bonorum.*

Executionis ultimum medium in tribunalibus Ecclesiasticis est excommunicatio, ibid. n. 44. Ad eam non procedendum, nisi omnibus mediis deficientibus, ibid.

EXECUTORES.

Executores litterarum Apostolicarum debent esse in dignitate constituti, p. 2. t. 24. c. 1. n. 22. Cognitio causæ, quæ iis tribuitur per Bullas in Belgio & in Gallia, est sine effectu, & quare, part. 2. t. 24. c. 6. n. 6. & seq.

Executores Testamenti. Vide Testamentum.

EXEMPTIO.

Exemptionum apud antiquos Monachos nullum extat vestigium, & quæstiones hodiernæ ex iis exortæ olim fuerant ignotæ, p. 1. t. 22. c. 6. n. 1. 2. Monachi primitùs fuerunt meri Laici, ibid. n. 2. & p. 3. t. 12. c. 1. n. 1. Cur in Concilio Calchedonensi specialiter Episcopis fuerint subjecti, ibid. n. 10. Regula pluribus Synodis, item Decretalibus probata, & à Canonistis communiter recepta est: *De jure communi Monasteria subjici Ordinariis*, ibid. n. 20.

Exemptiones à Seculo VI. & sequentibus concessæ tantùm respiciunt quietem Monasteriorum, conservationem temporalium, & liberam electionem Abbatum, p. 3. t. 12. c. 2. n. 1. & seq. Quomodo Episcopi aliique in his sæpè excederent, ibid. n. 3. Hæ privilegia spirituali auctoritati Episcoporum in Monachos & Abbates non præjudicabant ibid. n. 37.

Exemptiones hæ concedebantur ab ipsis Episcopis, vel saltem non nisi de eorum consensu, ibid. c. 3. n. 1. Sæpè in Synodis confirmabantur, ibid. n. 5.

Exemptionibus his etiam sæpè confirmatio Regia accedebat, ibid. n. 6. Quid hæc contineret, & circa quæ versaretur, ibid. n. 8. &c. Omnia fiebant ad instantiam Fundatorum, & qua intentione, ibid. n. 13. Meritò hæc à Monachis attenditur, ibid. n. 16. Auctoritas spiritualis Episcoporum in omnibus manebit salva, ibid. n. 17.

Exemptiones & privilegia hujusmodi ab Episcopis concessa & regia auctoritate roborata, Monachi & Fundatores curarunt per Sedem Apostolicam confirmari, ibid. n. 18. Pontifex tantùm confirmabat id, quod Episcopi concesserant, ibid. n. 20. 25. Hæc confirmatio nihil auctoritati Canonicæ Episcoporum detrahebat, ibid. n. 28. & ibid. c. 5. n. 5.

Exemptiones hodiernæ, & earum divisio, ibid. cap. 4. num. 2. Variæ exemptiones, quæ dicuntur concessæ ante seculum XI. arguuntur tanquam de suppositione suspectæ, ibid. n. 6. 20. Primùm exortæ sunt seculo XI. ibid. num. 21. &c. Querela S. Bernardi adversus easdem, & ejusdem concertatio cum Cluniacensibus, ibid. num. 23. &c. & 27. &c. Querela Petri Blesensis, ibid. n. 33. Joannis Sarisberiensis, ibid. n. 37. Petri Cantoris, ibid. n. 38.

Exemptiones Ordinum Mendicantium Fundatoribus eorum displicuerunt, & quare, ibid. n. 41. Quàm alienus ab iis fuerit S. Franciscus, ibid. n. 42. Nullo prætextu extendi possunt ad functiones Hierarchicas, ibid. n. 45. &c. & cap. 5. n. 43. Nimia earum extensio maximas contentiones & scandala peperit, ibid. c. 4. n. 45. &c.

Exemptiones pepererunt ferè omnes quæstiones ortas inter Regulares & Episcopos, & Parochos, item quæstiones Regularium inter se, p. 1. t. 22. c. 6. tot.

Exemptiones Capitulorum, præsertim Cathedralium, maximè sunt odiosæ, & quare, p. 3. t. 12. c. 6. n. 20. 23. Quandonam,

nam, quo prætextu, & quibus medis invaluerint, p. 3. t. 12. c. 4. n. 50. 51. Non se extendunt extra Capitularia, ibid. c. 5. n. 25. 32. Non ad curam animarum, ibid. n. 32. Acta in Concil. Trident. pro earum abolitione, p. 1. t. 8. c. 2. n. 4. & p. 3. t. 12. c. 6. n. 3. &c. Quomodo hodie restricta, ibid. Quænam Episcopo competant in Cathedrali exempta, p. 1. t. 8. c. 2. tot. & p. 3. t. 12. c. 6. n. 24. & seq. Quænam in Capitulo, p. 1. t. 8. c. 2. n. 6. Capitula exempta in quibus & quousque subdantur Synodis Diœcesanis, p. 1. t. 18. c. 4. n. 6.

Exemptiones Academiarum quandonam inceperint, p. 3. t. 12. c. 4. 53. Earum ratio, ibid. Non extendunt se, nisi ad Academica, ibid. c. 5. n. 38.

Exemptiones plurimùm invaluerant tempore magni schismatis, ibid. c. 4. n. 48. Bulla Martini V. eas omnes revocans, ibid.

Exemptiones omnes sunt odiosæ & restringendæ, p. 3. tit. 12. c. 5. p. 1. 2. &c. Ultra quam loquuntur, extendi non possunt, ibid. n. 4. &c. Variæ clausulæ privilegiis insertæ ex quibus exemptio deduci non potest, ibid. n. 14. & seq. Clausulæ ex quibus exemptio deduci potest, ibid. n. 14. & seq. Clausulæ ex quibus exemptio deduci potest, ib. n. 15. Habere Visitatores Regulares, & non est sufficiens signum exemptionis, p. 1. t. 32. c. 4. n. 19. Concessio potestatis corrigendi & puniendi suos Monachos, & Canonicos facta Abbati, Decano seu Capitulo, non arguit exemptionem, p. 3. t. 12. c. 5. n. 22.

Exemptio, quandiu dubia est, Episcopi jurisdictionem impedire non potest, ibid. n. 23. Fallit, si possessio sit pro exemptiones, ibid. n. 24.

Exemptio personalis quænam dicatur, ibid. n. 27. Est magis odiosa, quàm localis, ibid. n. 29. Si quis personam, ubicunque fuerit, ibid. num. 30. 33. Nihil operatur in materia non exempta, ibid. n. 36. Exempti omnes tenentur legibus generalibus, regimen Diœcesis in materia communi concernentibus, ibid. n. 45.

Exemptio localis simplex non reddit locum nullius Diœcesis, p. 1. t. 31. c. 6. n. 24. & p. 3. t. 12. c. 5. n. 44. Si debitum sit contractum, delictum commissum, res sita extra locum exemptum, exemptio hæc nihil operatur, ibid. n. 30. In locis simpliciter exemptis suæ Diœcesis Episcopus exercere potest Pontificalia, nec quisquam alius id potest sine ejus licentia, p. 1. t. 16. c. 3. n. 9.

Exemptionum generalem abrogationem in Concilio Tridentino postularunt Germani, magnam limitationem Galli, part. 3. tit. 12. c. 6. n. 3. 5. Limitatio exemptionum in Regularibus degentibus extra claustrum, & quinam tales censendi, ibid. n. 6. In Regulari degente in Monasterio delinquente cum scandalo populi, & quomodo in eo casù Episcopus procedere debeat, ibid. n. 11. Decretum habet locum in delicto commisso in loco exempto, ibid. n. 15. Constitutio Clementis VIII. ad evitandas fraudes, ibid. n. 16. Exemptiones specialem Judicem non habentes in civilibus coram Episcopo conveniuntur, ibid. n. 17. Exemptiones Clericorum secularium quomodo restrictæ, ibid. n. 19. 20. & seq.

EXEQUIÆ.

Exequiæ ultra sex septimanas non differendæ, part. 2. tit. 38. c. 1. n. 50. Hæredes defectuosi ad eas constringendi, ibid. numer. 51. In his Parochi notam avaritiæ vitare debent, ibid. n. 52. Fastus in exequiis improbatur, ibid. n. 53. Perstringitur defectus pietatis in earum celebratione, ibid. n. 59. Canonici & Capellani, qui usque ad finem non intersunt, injustè integram distributionem accipiunt, ibid. n. 60. Exequias meritò sequitur exhortatio Pastoralis, ibid. n. 61.

Exequiæ & sepultura omninò inter se disparata, & concessio juris sepulturæ non infert jus Exequiarum, p. 2. t. 38. c. 5. n. 4. cum seq. Bullæ Pontificiæ jus exequiarum reservantes Ecclesiis Parochialibus, etiam dum sepultura sit apud Ordines Mendicantes, ibid. n. 6. &c. Consuetudo generalis Galliæ illi est conformis, ibid. n. 15. Plurimis Ecclesiis Belgicis idem jus assertum per sententias supremorum Senatuum, ibid. n. 16. Quales & cujus generis exequiæ persolvendæ in Parochia, dum in alia Ecclesia electa est sepultura, ibid. numer. 13. *Vide Quarta Funeraria, Sepultura.*

EXERCITIA SPIRITUALIA.

Exercitia spiritualia præcipiuntur ordinandis, p. 2. t. 9. c. 4. num. 41. Convenit, ut fiant sub Directore ab Episcopo ad hoc probato, ibid.

EXILIUM.

Exilium sapiebat recessus à patria, qui olim in pœnitentiam peccatoribus imponebatur, & quis ejus scopus, p. 3. t. 11. c. 1. num. 28. De hac specie exilii Canones varii referuntur, ibid. n. 30. &c. Potestas relegandi non videtur competere Ecclesiastico Judici, num. 33. Potest tamen Episcopus Clericos immorigeratos extraneos ad suas Diœceses remittere, ibid. num. 36. Item cogere facinorosos, ut ex sua Diœcesi recedant, ibid. n. 37.

EXORCISMUS, EXORCISTA.

Exorcismorum in Baptismo antiquitas, & quid indicent, p. 2. t. 2. c. 3. n. 29. 30 Quid indicet exufflatio, ibid. Cavendum, ne superstitio se exorcismis immisceat, p. 3. t. 4. c. 3. n. 59. Quomodo exorcismi Ecclesiæ adhibendi, ibid. Nemo exorcizare potest sine licentia Ordinarii in scriptis, ibid. n. 60. Quomodo Exorcista se præparare debeat, ibid. Exorcismi olim adhibiti in purgationibus vulgaribus.

EXPENSÆ.

Expensarum materia in sententia definitiva debet terminari, p. 3. t. 9. c. 3. n. 18. Ab omissa condemnatione in expensas admittitur hodie appellatio, ibid. n. 19. Communis est regula, victum victori in expensas condemnandum, ibid. numer. 20. Quibus casibus admittitur compensatio, ibid. n. 21. Executores testamentorum meritò in expensas proprio nomine condemnantur, si lites infundatas suscitasse reperiuntur, p. 3. t. 2. c. 2. n. 38. Fiscalis seu promotor quandonam in expensas possit condemnari, p. 3. t. 8. c. 1. n. 16. Denuntiator condemnatur in expensas, damnum & interesse, si falsò denuntiaverit, ibid. n. 34.

Expensæ in interlocutoriis reservantur in definitivam, quòd non per omnia probatur, p. 3. t. 9. c. 3. n. 26.

Expensarum taxatio quâ formâ hodie fiat, & quæ dilationes concedantur, ibid. n. 27. Quænam Expensæ sub taxationem cadant, ibid. n. 29. &c. Quomodo taxanda salaria Advocatorum, p. 3. t. 6. c. 2. n. 46. Improbatur hodierna taxatio pro numero pagellarum, ibid. n. 47. Si Advocati excesserint per superfluas allegationes vel inutiles repetitiones, parte sui stipendii in taxatione multantur, p. 3. tit. 9. cap. 3. num. 25. Motiva juris in Expensas non taxantur, p. 3. t. 7. cap. 5. n. 4.

Expensis annumerantur damnum & interesse, item fructus restituendi, p. 3. t. 9. c. 3. Quomodo hæc taxentur, ibid. numer. 33. Improbatur, quòd Judices tantùm cogitent de transactione, quando Expensæ sunt factæ, p. 3. t. 5. c. 4. n. 25. Optandum ideò, ut citationes non fierent nisi de expresso mandato Judices, p. 3. t. 7. c. 2. n. 5. 6. &c.

EXPOSITIO EUCHARISTIÆ.

Vide Eucharistia.

EXPECTATIVÆ.

Expectativarum definitio & divisio, part. 2. t. 23. c. 1. n. 2. 4. Earum ortus, progressus, & Ordinariorum adversus eas oppositiones, ibid. n. 15. Acta Concilii Constantiensis & Basileensis pro earum abrogatione, ibid. n. 33. 35. Decreta hæc non ubique recepta, ibid. n. 37. Decreta hæc aliquo tempore recepta in Gallia, sed postea antiquitata & Expectativæ restitutæ per Concordatum, ibid. n. 36. Acta & Decretum Concilii Tridentini pro earum abrogatione, ibid. c. 2. tot. n. 6. Decretum hoc magno applauso receptum in Galia, ibid. n. 11. 12. Solæ remanserunt in Nominatis Academicis & Indultariis, ibid.

Expectativarum species sunt preces Imperiales, p. 2. t. 25. c. 9. n. 19. Declaratio Congregationis Concilii Tridentini, quod iis non sit per Concilium Tridentinum derogatum, ibid. num. 22.

Expectativæ non impediunt unionem, p. 2. t. 29. c. 3. n. 24.

EXTREMA UNCTIO.

Extrema Unctio est verum Sacramentum, p. 2. t. 8. c. 1. n. 1. Ejus materia, ibid. n. 3. Forma, ibid. n. 10. Forma hodierna apud Græcos ignota, & Ecclesia Latina usu fuit olim formâ indicativa, ibid. n. 13. Circa partes corporis inungendas & ritum unctionis pridem fuit varietas, & quid sequendum, ibid. n. 22.

Extrema Unctio ut conferri possit, qualis infirmitas requiratur, ibid. c. 2. n. 3. An pueris, an amentibus, & sensibus destitutis conferenda, ibid. n. 9. 10. Græci magnam infirmitatem non requirunt, imò quandoque sani eo utuntur, ibid. n. 5. Unde factum, quòd in Ecclesia Latina tandiu differatur, ibid. n. 6. 18. Stulta persuasio, ac si post acceptum hoc Sacramentum, testamentum condere non liceret, eamque eradicandam præcipiunt Synodi, ibid. c. 2. n. 14.

Extrema Unctio est complementum pœnitentiæ, idque, indicat antiquus ejus ritus, ibid. n. 22. Item modernus, ibid. n. 28. Usque ad finem seculi XVI. conferebatur ante viaticum, ibid. c. 2. n. 26. An conveniat illam disciplinam reducere, ibid. n. 30. Hodierno ritu Græcorum plures Presbyteri in ejus administratione interveniunt, & infirmum innugunt, ibid. c. 3. num. 3. Idipsum olim usitatum in Ecclesia Latina, ibid. n. 5. Convenit, ut plures Presbyteri interveniant, & quare, ibid. n. 7.

Extremæ Unctionis solus Parochus est Minister, ibid. num. 11. Pœna contra Regulares, qui illud sine Parochi licentia administrant, ibid. n. 10. An & quomodo conferendum tempore pestis, ibid. c. 1. num. 27. & c. 3. n. 15. Ritus & cœremoniæ post Unctionem faciendæ explicantur, ibid. n. 16. & sequent.

Extrema Unctio olim in eodem morbo apud Latinos reiterabatur, uti & modò apud Græcos, ibid. n. 26. Variæ de hac iteratione scholasticorum sententiæ, ibid. & seq. Concilium Tridentinum super eo nihil definivit, ibid. n. 33. Quid de hac reiteratione statuant Synodi & Ritualia, ibid. num. 34. Spectat merè ad disciplinam, ibid. n. 37. Abominanda est superstitio certò sibi persuadere, eò quòd per levia opera pietatis coluerit S. Barbaram, se non moriturum sine hoc Sacramento, p. 2. tit. 37. c. 6. num. 39. *Vide Oleum Infirmorum.*

F

FABRICA.

Fabricæ applicabatur olim quarta pars proventuum Ecclesiæ, p. 2. t. 16. c. 5. n. 1. In Hispania applicabatur tertia, ibid. n. 3. Inde ortum, quòd ad reparationem Ecclesiæ teneantur Beneficiarii, ibid. n. 6. Specialiter Decimatores, ibid. n. 11. Ante omnia bona propria Fabricæ impendenda ibid. *Vide Ecclesia.*

Fabricæ proventus in portionem congruam Pastorum vel Vice-Pastorum impendere, dum Decimæ sufficientes sunt, omninò injustum est, p. 2. t. 34. c. 3. n. 17.

Fabricæ proventus quousque subsint directioni & auctoritati Episcopi, quando administrantur per Laicos, p. 2. t. 37. c. 2. tot. Concilium Tridentinum quatenus reservat Episcopis dispositionem bonorum Fabricæ, exclusis Patronis, in Belgio non est receptum, quantum ad Parochos, ibid. numer. 27. *Vide Æditus, Computus, Elocatio.*

FALSARIUS.

Falsarius condemnatur ad carcerem perpetuum in pane doloris & aqua tristitiæ, p. 3. t. 11. c. 1. n. 24. Crimen falsi punitur per judicem coram quo commissum est, p. 3. t. 4. cap. 5. num. 27. & seq. Si commissum sit extra judicium, ad cujus forum spectet, ibid.

FATALIA.

Fatalia dicuntur terminus introducendæ & finiendæ appellationis de jure civili & Decretalium præscriptus, & quare, p. 3. t. 10. c. 2. n. 37. Judex à quo subinde eum abbreviare potest, ibid. n. 26. 33. Fatalia non currunt, si per compromissum aut de partium consensu differatur appellationis introductio, ibid. n. 34. Abierunt hodie in desuetudinem quantum ad tempus finiendæ appellationis, ibid. n. 36. Quid circa fatalia introducendæ appellationis hodie obtineat in Curiis tam civilibus, quàm Ecclesiasticis, ibid. n. 37. Non facilè adversus eorum lapsum danda est restitutio, ibid. numer. 43. Lapsis fatalibus, si non introducta sit appellatio, Judex à quo procedere potest ad executionem sententiæ, ibid. n. 39. Debet tamen ante declarare appellationem desertam, idque prævia cognitione causæ, ibid. n. 44. Lapsus fatalium nunquam obest Procuratori Regio, quò minus instituere possit appellationem ab abusu, p. 3. t. 12. c. 4. n. 40.

FAVORABILIA.

Favorabilia sunt amplianda, p. 3. t. 12. c. 5. n. 3. & part. 2. t. 23. c. 5. n. 6. & sequent. Talia censentur jura Ordinariorum, ibid. Quæ illis contrariantur restringenda, & ultra tenorem verborum non extendenda, ibid.

FESTUM.

Festorum variorum celebratio descendit ex traditione Apostolica, p. 2. t. 17. c. 1. n. 1. Inter hæc Festa non comprobatur Festum Natalis Domini, ibid. n. 2. Festum illud in variis Ecclesiis Orientis non distinguebatur à Festo Epiphaniæ, ibid. Festum S. Joannis Baptistæ admodum est vetustum & solemne, & ejus ratio, ibid. n. 4. Festa singulorum Apostolorum seriùs instituta, sed primitùs uno communi Festo omnium memoria celebrata, ibid. n. 4. Festa Martyrum sunt antiquissima, ibid.

Festa particularia D. Virginis quandonam celebrari cœpta, ibid. n. 5. Olim tardiùs celebrata, quia credebantur ea esse correlativa cum Festis Christi, ibid. n. 8. Festum Annuntiationis à quo tempore receptum, ibid. n. 5. Olim eadem solemnitate, qua Natalis Domini celebratum, & quare, ibid. n. 8. Decretum Concilii Toletani X. super mobilitate hujus Festi, ibid. n. 6. Festum Assumptionis seculo IX. institutum, ibid. n. 13. Festum Nativitatis & Conceptionis quandonam institutum, ibid. n. 15.

Festum Fatuorum quid olim fuerit, p. 2. t. 5. c. 9. num. 36. Ejus spurcities & turpitudines describuntur, ibid. Luculenta Facultatis Theologiæ Parisiensis Epistola ad Prælatos Galliæ pro ejusdem abrogatione, ibid.

Festorum institutio & abrogatio ad quos præcipuè spectet, p. 2. t. 17. c. 1. n. 17. 27. Audiendus populus seu Magistratus, ibid. n. 18. Intervenire debet auctoritas regia, ibid. num. 19. Nimia eorum multiplicatio habet sua incommoda, & quænam, ibid. n. 20. Ob eam causam non ita pridem varia Festa fuerant abrogata, ibid. n. 21. Convenit, ut instituatur Festa dimidiata, quænam, & quomodo celebranda, ibid. n. 23.

Festum continuum esse debet vita Christiani, ibid. c. 2. num. 1. Item continuum sacrificium, ibid. n. 2. Qua ratione id possit obtineri, ibid. Festa instituta sunt propter imperfectiones, & eorum scopus, ibid. n. 6. Ut scopus hic obtineatur, officia divina frequentanda sunt, & quænam, ibid. n. 8. & seq. Edicta Regum & Principum super hac materia, ibid. n. 17. Error est satisfieri præcepto sanctificationis diei Festi per auditionem Missæ privatæ, ibid. n. 20. Quid requiratur pro ejus sanctificatione, ibid. n. 22. & seq. *Vide Horæ Canonicæ, Officium Divinum.*

Festis diebus vetita sunt opera servilia, & quænam illa, ibid. c. 3. tot. Aliqua opera cum moderatione licita diebus Festis alias illicita, ibid. n. 19. & seq. Itinera non necessaria differenda, ibid. n. 21. Famulis & ancillis concedendum tempus frequentandi divinum Officium, ibid. n. 23. Cura Pastorum circa opiliones & bubulcos, ibid. n. 26. Iisdem diebus vetiti strepitus forenses, & quinam, ibid. n. 5. & cap. 4. tot. Item mercatus & nundinæ, ibid. c. 4. n. 11. Synodorum Decreta, & Principum Edicta, & ordinationes Magistratuum circa nundinas & venditiones eduliorum, ibid. n. 13. & seq. Contractus initi diebus Festis sunt validi, secùs actus judicialis, ibid. Exceptio, ibid. num. 6.

Vide Chorea, Opus servile, Popinæ, Spectacula, Strepitus Forenses.

Festorum violatio in Belgio est mixti fori & datur locus Præventioni, p. 2. t. 17. c. 6. n. 20. Quomodo Synodi adversus violatores Festorum procedi velint, p. 2. t. 17. c. 6. num. 19. Quid Judex Ecclesiasticus in hac materia debeat attendere, ibid.

FIDES.

Fides circa quod versetur, p. 3. t. 4. c. 2. n. 7. Potest quis deviare à fide & non esse hæreticus, ibid. n. 9. Exactè separanda ea quæ sunt fidei ab iis quæ non sunt, ibid. num. 11. Ad Romanum aliosque Episcopos remittunt Imperatores suos subditos ad hauriendam notitiam fidei, ibid. n. 13. Varietas rituum non officit unitati fidei, p. 2. t. 5. c. 1. n. 23.

Fidei Professio à Cathecumenis olim exacta, p. 2. tit. 2. c. 3. n. 22. Vocabatur reddictio Symboli, & quâ formâ fieret, ibid. n. 23. Fidei professionem facere debent obstetrices coram Archipresbytero, ibid. c. 4. n. 4. Item Ludi Magistri & coram quo, p. 2. t. 11. c. 5. n. 11. Item Canonici Ecclesiarum Cathedralium, p. 2. t. 26. c. 2. n. 19. An etiam Canonici Ecclesiarum Collegiatarum, ibid. n. 20.

FILIUS.

Vide Parentes.

FIRMA.

Firma quid dicatur, p. 1. t. 31. c. 2. n. 13. Prohibitum cellas obedientiarias Monachis ad firmam concedi, ibid. n. 14. Monasteria sæpè Secularibus prædia sua concedebant ad Firmam & quare, p. 2. t. 25. c. 4. n. 9. Natura & conditiones hujus contractus, ibid. n. 10. Jus Patronatus Prædio annexum transit in conductorem ad Firmam, ibid. n. 7.

FLAGELLATIO.

Flagellationis seu virgarum pœna apud Monachos usitata, p. 1. t. 31. c. 3. n. 22. Eâ olim Episcopi etiam usi fuerunt juxta S. Augustinum & Gregorium, p. 3. t. 11. c. 1. n. 39. Admo-

modum verisimile eam adhibitam per modum paternæ correctionis ad exemplum Parentum & Magistrorum artium, ibid. n. 40. Episcopus monetur in ea adhibere moderationem, ibid. Neminem Episcopus poterat cædere propriis manibus, ibid. n. 41. Id tamen permittitur Abbati respectu sui Monachi, ibid. n. 42.

FLECTIO.

Vide Gradus Pœnitentiæ.

FORMATÆ.

Formatæ dicebantur litteræ communicatoriæ inter Episcopos, p. 3. t. 11. c. 3. n. 8. Unde sic dictæ, ibid. n. 9. Earum substractio signum erat abruptæ communionis, ibid. n. 12.

FORNICATIO.

Fornicatio simplex dicitur accessus ad Meretrices, p. 3. t. 11. c. 3. num. 63. Probatur hujus peccati gravitas, ibid. Obligatio Pastorum & Episcoporum eliminandi Meretrices, statuas, libros inhonestos, aliaque hujus peccati incitamenta, ibid. num. 67. Quandonam habeat rationem sacrilegii, ibid. num. 68. *Vide Sacrilegium.*

FORUM COMPETENS.

Fori Ecclesiastici maxima olim fuit extensio quoad causas civiles laicorum, & quibus titulis causæ illæ eidem fuerint subjectæ, p. 3. t. 1. c. 1. n. 28. & seq. Quomodo in Gallia omnes causæ civiles Laicorum sensim & per frustra fuerint substractæ, ibid. n. 42. & c. 2. n. 11. 18. sequent. Quid actum in Belgio, ibid. Quænam Judici Ecclesiastico manserint subjectæ, ibid. num. 21. In Hispania & Gallia Laicus Jurisdictionem Ecclesiasticam pro rogare non potest, ibid. n. 22. Quid obtineat in Belgio, part. 3. tit. 2. cap. 3. num. 9. &c.

Foro Ecclesiastico quoad omnia suberat causæ Civiles Clericorum. *Vide Immunitas Ecclesiastica.*

Foro Ecclesiastico subsunt causæ puræ Ecclesiasticæ, p. 3. t. 2. c. 1. num. 3. &c. Causæ Matrimoniales spectant ad Tribunal Episcopi ad exclusionem inferiorum, ibid. n. 10. Harum cognitio inferioribus competere non potest nisi ex consuetudine immemoriali, ibid. n. 19. Multùm hodie restricta est in Gallia Jurisdictio Ecclesiastica quoad accessoria harum causarum, ibid. n. 26. Causæ Dotales & donationum propter nuptias & nullo modo subjiciuntur in Gallia, ibid. n. 28. Quid obtineat in Belgio, ibi. n. 29.

Foro Ecclesiastico in Galia omninò subtractæ sunt causæ testamentariæ. *Vide Testamentum.*

Foro Ecclesiastico an & quatenus subsint Hospitalia & loca pia à Laicis administrata. *Vide Hospitale, Æditui, Computus.*

Fori mixti sunt in Brabantia bona Ecclesiastica amortizata, p. 3. t. 2. c. 3. n. 2. &c. Cujus sit judicare an verè sint amortizata, ibid. n. 7. Bona Clericorum non subsunt Judici Laico, ibid n. 11. An eis possit injicere arrestum, ibid. n. 12.

Forum seculare sortiuntur causæ miserabilium Personarum etiam adversus Clericos, & quo titulo, ibid. num. 20. Item causæ Possessoriæ retinendæ & recuperandæ Possessionis etiam in materiis Ecclesiasticis, quo titulo & à quo tempore, ibid. c. 4. n. 9.

Fori Ecclesiastici latissima olim extensio ad omnia Laicorum, p. 3. t. 4. c. 1. n. 1. & n. 21. Forum contentiosum non distinguebatur à Foro Pœnitentiali usque ad seculum XII. ibid. n. 7. 19. Ea distinctio causa fuit diminutionis Jurisdictionis, Ecclesiasticæ, ibid. n. 26. Quænam delicta eidem manserint subjecta, eod. c. & seq. per totum.

Fori Præfecti saltuum in Brabantia subsunt injuriæ illatæ bonis Monasteriorum, & unde id ortum, part. 2. t. 35. c. 1. numer. 36. Quid obtineat in Belgio si Judex Ecclesiasticus materiam suæ Jurisdictionis excedat adversus Laicum, part. 3. t. 1. cap. 2. per tot. & p. 3. t. 2. c. 3. num. 15. & sequent. Si Judices Regii excedant adversus immunitatem Ecclesiasticam, inhibitum adversus eos procedi per censuras, p. 3. tit. 11. c. 7. n. 17. 18. Quodnam impedimentum in eo casu usitandum in Belgio, ibid. Quod in Gallia, ibid. n. 20. An Judices Regii cogere possint Ecclesiasticos ad revocationem Censurarum, ibid. c. 11. n. 25. *Vide Jurisdictio, Senatus.*

FUNDATIO.

Fundationum omnium munimenta in Archivis asservanda, p. 1. t. 5. c. 2. n. 7. Fundationes Missarum à quo tempore notæ, p. 2. t. 5. c. 7. n. 12. cum seq.

Fundationes merè ad celebrandum nullius utilitatis esse solent & meritò abrogandæ, ibid. n. 19.

Fundatorum intentio adimplenda, p. 2. t. 5. c. 7. n. 20.

Fundationes Missarum ad certum altare etiam in eo exsolvendæ, ibid. n. 32. Potest tamen ex causa dispensare Episcopus, ibid. n. 25. 33.

Fundatio perpetua Missarum nisi ab Episcopo erecta sit in Beneficium, manet laicalis, p. 2. t. 18. c. 4. n. 34. & p. 2. t. 18. c. 1. n. 22.

Fundationum conservatio quo jure ad Reges spectet, part. 2. tit. 25. c. 6. n. 18. Non facilè admititur notabilis alienatio bonorum Ecclesiæ sine Regis consensu & quare, ibid. & p. 2. t. 36. c. 4. num. 35. Superintendentia quam habet Fundator super bonis Fundationum, item super exsolutione onerum ad quæ se extendat, part. 2. t. 25. c. 6. n. 13. 19. Concilium Tridentinum huic minimè contrarium, ibid. num. 22. Quid Pastoribus incumbat circa Fundationes, p. 2. t. 5. c. 7. num. 22.

Fundationes redactæ in certum usum pium, si in illum amplius impendi nequeant, impendendæ sunt usui proximiori & quis iste, part. 2. t. 37. c. 4. n. 19. Commutatio Fundationum piarum qua auctoritate fieri possit, ibid. num. 21. *Vide Bursæ, Capellania, Hospitale, Honoraria, Missarum reductio.*

FUSTIGATIO.

Fustigatio publica sapit pœnam sanguinis, p. 3. t. 11. cap. 1. num. 39. A foro Ecclesiastico ubique recessit, ibid. numer. 44. Inhibitio eam imponendi facta in Gallia omnibus Judicibus Ecclesiasticis, ibid.

G

GRADUS ACADEMICI.

Gradus Academici sunt publica eruditionis testimonia, p. 1. t. 10. c. 2. n. 9. & p. 2. t. 19. c. 4. n. 7. Non tamen sunt sufficientia, p. 1. tit. 14. c. 3. n. 21. Quantum Ecclesiæ & Reipublicæ noceant, qui indignos ad eos admittunt, p. 2. t. 16. c. 4. n. 9. & p. 3. t. 6. c. 2. num. 13. Quàm exactum examem requirat visitatio Academiæ Lovaniensis in admittendis ad Licentiam Juris & ejus ratio, ibid. n. 15. & p. 2. t. 19. c. 4. n. 8.

Graduati in Theologia & Jure Canonico æquiparantur, & ratio multùm notanda, p. 1. t. 10. c. 2. num. 1. Optandum ut Gradus in Jure Canonico separaretur à Gradu in Jure Civili & quare, ibid. n. 8. Quid magis conveniat Episcopo, an quod sit Graduatus in Theologia, an quod in Jure, ibid. cap. 2. tot.

Graduatos ad Canonicatus preferri optat Ecclesia, p. 2. t. 19. cap. 4. num. 6. &c. An Collatio Beneficii debiti Graduato sit valida facta non Graduato si nullus Graduatus se præsentet, ibid. n. 18.

Gradus qui dantur in Ordinibus non intelliguntur in litteris Pœnitentiariæ directis ad Doctorem Decretorum vel Magistrum in Theologia, p. 1. t. 23. c. 3. n. 25.

GRADUS PŒNITENTIÆ.

Gradum Pœnitentiæ notitia pro intellectu Canonum Pœnitentialium necessaria, p. 2. t. 6. cap. 3. tot. Rectè vocantur excommunicationes minores, p. 3. t. 11. c. 3. num. 25. Primus Gradus est fletio, p. 2. t. 6. c. 3. num. 18. Describitur, ibid. Stabant extra Ecclesiam, ibid. Quid in hac statione ageretur, ibid. num. 20. Propriè non habebatur Pœnitentialis, ibid. n. 21.

Gradus secundus dictus Audientium describitur, ibid. num. 23. Quo loco obiretur, ibid. n. 24. Opera pœnitentialia illis non imponebantur, ibid. n. 26. Ratio cur fuerit institutus, ibid. n. 27. Ejus effectus, ibid. num. 28.

Gradus tertius dictus Substractio vel Subjectio & unde sic vocatus, ibid. num. 29. In hoc gradu crebræ fiebant impositiones manu, & orationes super Pœnitentes, ibid. n. 30. Imponebantur opera Pœnitentialia, & Gradus hic propriè censebatur Pœnitentialis, ibid. 32. 33.

Gradus quartus dictus Consistentia præscribitur, ibid. n. 34. In quem finem institutus, ibid. n. 35.

Gradus quilibet quanto tempore obiretur, ibid. n. 38. Episcopus habebat potestatem tempus abbreviandi, ibid. n. 39. Item ad altiorem stationem omisso medio promovendi, ibid. n. 40. Hujus œconomiæ Pœnitentialis ratio & scopus erat cognoscere veram conversionem, ibid. n. 41.

GRA-

GRAPHIARIUS.

Graphiarii succerserunt Cancellariis Romanis, p. 3. t. 6. c. 4. tot. Quo tempore & quare in Curias Ecclesiasticas inducti, ibid. n. 2. 3. Graphiarii officium & juramentum, ibid. n. 7. Originalia acta non potest à se dimittere, sed tenetur dare copias parti petenti, ibid. n. 10. Actis per ipsum conscriptis & registratis plena fides habetur, nisi stylus Curiæ aliud requirat, ibid. n. 11.

Graphiarii debent esse indifferentes, & utrique parti fideliter servire, ibid. n. 14. Possunt recusari ex causa suspicionis, p. 3. t. 10. c. 5. n. 15. Rectus ordo judiciorum multum ab iis dependet, p. 3. t. 6. c. 4. n. 17. Eorum officium olim erat vile, secus hodie, ibid. n. 18. Quænam in actis conscribendis ex juramento suo cavere debeant, & pœna si excedant, ibid. n. 21. Eorum salarium quomodo taxetur, ibid. n. 20. An fiant irregulares scribentes in causa sanguinis, p. 2. t. 10. cap. 4. num. 14.

GENERALIS.

Vide Superior Regularis.

GRÆCI.

Græcorum forma baptismi differt à forma Latinorum, p. 2. t. 2. c. 1. n. 13. Apud Græcos Presbyteri confirmant, ibid. t. 3. c. 2. n. 3. Differentia inter Græcos & Latinos quoad formam Confirmationis, ibid. c. 3. n. 10. Eucharistiam consecrant in fermentato, quod Ecclesia non reprobat, p. 2. t. 4. c. 1. n. 6. 7. Infantibus apud eos recenter Baptizatis datur Eucharistia, quod Synodus Trid. non improbat, ibid. c. 2. n. 3. Apud eos processiones cum Venerabili ignotæ, unicâ exceptâ, p. 2. t. 4. c. 5. n. 3.

Græcorum Presbyteri oleum ungendis infirmis conficiunt, p. 2. t. 8. c. 1. n. 6. Ritus apud ipsos ungendi se oleo ab Episcopo Benedicto feria 5. in Cœna Domini, ibid. n. 7. In Extrema Unctione plures Presbyteros requirunt, qui infirmum ungant, ibid. c. 3. n. 3. Non requiritur extrema infirmitas, ibid. c. 2. n. 4. Extremam Unctionem in eadem infirmitate sæpius iterant, ibid. c. 3. n. 27.

Græci traditionem instrumentorum in ordinationibus ignorant, p. 2. t. 9. c. 1. n. 9. Apud eos videntur jam pridem Matrimonia Catholici cum Hæretica fuisse invalida, p. 2. t. 13. c. 8. n. 6. Apud Græcos decimarum solutio nunquam fuit in usu, p. 2. t. 33. c. 1. n. 15. Quidnam apud eos præstetur in sustentationem Sacerdotum, ibid. n. 14. Exemptionem nullam omninò tolerant, p. 3. t. 12. c. 1. n. 13.

GULDÆ.

Guldæ sunt species confraternitatum institutæ ad exercitium rei militaris, & contra seditiones populares, p. 2. t. 37. c. 6. n. 4. &c. Hujus nominis antiquitas, ibid. n. 8. 9. Institui non possunt sine licentia Principis, ibid. n. 10. Sunt merè Laicales, ibid. n. 12. Eorum exercitia prohibentur tempore Divini Officii, ibid. 27.

H

HABITUS CLERICALIS.

Habitum Clericalem abjiciens censetur professioni suæ renuntiare, p. 1. t. 2. c. 2. n. 3. Quænam dicenda sit vestis Clericalis, ibid. n. 5. Eam non deferens omni Privilegio Clericali privatur, etiam Beneficio, ibid. n. 6. Quid requiratur, ut has pœnas incurrat, ibid. n. 8. & p. 3. t. 3. c. 3. n. 28. Recuperat Privilegium si habitum & tonsuram Clericalem reassumat, ibid. n. 31. Clericus captus in habitu seculari forum seculare pro ea vice declinare non potest, ibid. n. 23. Ad quem spectet judicare quænam vestis dicenda sit Clericalis, ibid. n. 22. & p. 1. t. 2. c. 2. Eam ferre tenentur Clerici in Academiis versantes, p. 1. t. 7. c. 10. n. 8. & p. 3. t. 3. c. 3. numer. 26.

HÆRESIS.

Hæresis vel hæreticus difficulter definitur, p. 3. t. 4. c. 2. numer. 1. Quid requiratur ut quis dici possit Hæreticus, ibid. n. 23. & seq. Varia attendenda ne quis alterum temerè judicet, vel notet de Hæresi, ibid. n. 32. & seq. Viri etiam Sanctissimi de Hæresi accusati, ibid. n. 30. Nemo damnandus nisi de Hæresi plenè convictus, ibid. n. 26.

Hæreticorum conversioni incumbentes meritò attendunt quo motivo ad finem veniant, part. 2. tit. 2. cap. 3. num. 5.

Hæreticorum Matrimonia. *Vide Matrimonium.*

Hæresis Matrimonium non dissolvit quoad vinculum, etiamsi olim fuerit dubitatum, p. 2. t. 12. c. 5. n. 36. & p. 2. t. 15. c. 2. n. 13.

Hæreticis Sepultura Ecclesiatica negatur, etiamsi fuerint Ecclesiæ Patroni & Fundatores, p. 2. t. 38. c. 6. n. 17.

Hæresis materia ad quale forum spectet, p. 3. t. 4. c. 2. n. 34. & seq. Obligatio & cura Principum pro extirpandis Hæreticis, ibid. n. 41. Variæ pœnæ per Principes in Hæreticos decretæ & S. Augustini de iis judicium, ibid. n. 43. &c. Edicta Principum Belgii contra Hæreticos, ibid. n. 48. 49.

HOMICIDIUM.

Homicidium quodcunque olim inducebat irregularitatem, p. 2. t. 10. c. 6. n. 17. & c. 7. tot. Clemens V. excepit homicidium in defensionem necessariam vitæ propriæ, ibid. c. 8. n. 8. Ex eo non sequitur, homicidium tale esse licitum, ibid. n. 9. Principia ex quibus dijudicatur an homicidium sit voluntarium, an tantùm casuale, ibid. n. 15.

Homicidis olim nec in fine vitæ dabatur absolutio, p. 2. t. 10. c. 8. n. 1. Homicidium quandonam causet impedimentum Matrimonii dictum criminis, p. 2. t. 13 c. 7. n. 12. Uxoricidæ olim Matrimonium perpetuò interdictum.

Vide Irregularitas.

HONORARIA MISSARUM.

Honoraria Missarum ex oblationibus originem habuerunt, p. 2. t. 5. c. 5. n. 4. Et à quo tempore nota, ibid. 2. 3. Olim Sacerdos poterat una Missa pro multis offerentibus satisfacere, hodie nullatenus, ibid. n. 6. 7. Et unde illa diversitas, ibid. Non minus hodie quam olim Sacrificium pluribus assistentibus pro ratione devotionis prodest, ibid. n. 19. Quid operetur intentio vel applicatio Sacerdotis pro offerentibus honoraria, ibid. n. 12. & 26.

Honoraria sunt species oblationis voluntariæ, & uti tales accipienda, ibid. c. 6. n. 1. Habenda ut alia bona Ecclesiastica, ibid. n. 2. & p. 2. t. 32. c. 1. n. 27. &c. Cavenda omnis stipulatio, p. 2. t. 5. c. 6. n. 6. Item animus mercenarius, ibid. n. 4. Unde is dignoscatur, ibid. n. 10. Varii abusus ex honorariis Missarum ortum habent, ibid. n. 12. & seq. p. 2. t. 5. c. 8. n. 6. 7. & seq.

Honoraria Missarum in titulum computari non possunt, p. 2. t. 9. c. 6. n. 36. Nec in competentiam Pastoralem, p. 2. t. 34. c. 6. n. 29.

HONOR.

Vide Jus honorificum.

HORÆ CANONICÆ.

Horarum Canonicarum persolutio præcipua est obligatio Canonicorum, & unde illa orta, p. 1. t. 7. c. 6. n. 1. Omnibus Horis etiam minoribus interesse tenentur, ibid. n. 1. Tenentur per se psallere, ibid. n. 4. Sola recitatio Horarum non tribuit eis jus vivendi de proventibus Ecclesiæ, p. 2. t. 32. c. 2. & seq.

Horæ Canonicæ institutæ sunt ad ædificationem populi, p. 2. t. 17. c. 2. n. 9. Quis earum scopus, ibid. n. 9. Solemnis decantatio earum quæ fit in pluribus Parochiis diebus festivis, hujus rei exhibet vestigium, ibid. n. 15. Votum Ecclesiæ ut à populo saltem diebus Festis frequententur, ibid. n. 10. Capitularia Regum Francorum super hac materia, ibid. n. 12. Item Decreta Synodorum Belgii & Edicta Principum, ibid. n. 17. Multum eorum intentioni conduceret decens & devota persolutio earum, ibid. n. 24. *Vide Distributiones, Officium Divinum.*

HOSPITALE.

Hospitalium nomine quænam veniant, p. 2. t. 37. c. 1. tot. Quænam sint Hospitalia privata, quænam publica, quænam profana, & quænam Ecclesiastica, ibid. n. 3. & seq. Canonicorum Collegia habebant olim sua hospitalia, de quibus variis locis adhuc extant vestigia, ibid. n. 13. 19. Qualis fuerit eorum administratio & disciplina, ibid. n. 15. Idem factum est in variis Monasteriis, ibid. n. 20.

Hospitalium hodiernorum quænam sit origo, ibid. c. 2. tot. Apostoli ab initio Ecclesiæ habuerunt curam Pauperum, & inde orta superintendentia Episcopi per Leges, & Canones, & Jus Commune asseritur, ibid. n. 2. & seq. Auctoritas eandem asseritur & renovatur per Concilium Tridentinum, ibid. num. 22. Limitatur Decretum Concilii in suæ admissione in Belgio quoad loca pia sub directione Laicorum existentia, ibid.

ibid. n. 38. &c. Quænam hodie Episcoporum auctoritas in Belgio in loca pia, quorum administratores sunt Laici, quoad visitationem, auditionem computus, aliaque, & varia super eo Edicta Regia, ibid. n. 43. & seq. Eorum auctoritas iis non obstantibus non extendit se ad loca non Religiosa, ibid. numer. 38. & 54. Nec ad loca Religiosa in quorum Fundatione contrarium cavetur, ibid.

Hospitalibus olim præfecti erant Diaconi, & inde vocatæ Diaconiæ, p. 1. t. 22. c. 1. n. 9. & p. 2. t. 37. c. 3. n. 2. Patres maluerunt Hospitalibus præfici Religiosos, quam Seculares, ibid. n. 6. & seq. Ordo S. Joannis Hyerosolimitani ex institutione sua fuit hospitalariis, ibid. n. 9. Ejus origo & institutum refertur, ibid. n. 11. Item Ordo S. Antonii Viennensis, ibid. n. 13. item charitatis Ordo Joannis de Deo, ibid. n. 19. In Occidente & Belgio Hospitalibus & Leprosariis præfecti Fratres & Sorores ad ministrandum utriusque sexus infirmis, ibid. n. 21. Quomodo solæ Sorores remanserint, ibid. n. 22. Quod jus competat Religiosis Hospitalariis quoad administrationem bonorum ipsius Hospitalis, ibid. n. 24. &c.

Hospitalia & infirmi de jure subsunt Ecclesiæ Parochiali & Parrocho loci quoad Sacramentalia, ibid. n. 36. &c. Hospitalia quæ à Monialibus tenetur, habent speciales Presbyteros, ibid. n. 38. Attendendæ sunt quoad omnia consuetudines, item Concordata, ibid. n. 40.

Hospitalium Administratores quales eligendi, ibid. c. 4. tot. Eorum juramentum, administratio, obligatio, item computus, ibid. n. 3. Magnus abusus est, quòd numerus ministrantium excedat numerum infirmorum, & varia adversus hunc abusum decreta, & præcautiones, ibid. n. 12.

Hospitale vel pius locus si sit erectus pro laborantibus certo genere morbi, isque certo tempore cesset, cuinam proventus eorum applicandi, item quâ auctoritate, ibid. n. 19.

Hospitalia cujusvis hominum generi patere non debent, sed varia discretio circa recipiendos adhibenda, ibid. c. 5. numer. 2. 3. &c. Quales meritò ab Hospitalibus excludendi, ibid. n. 34. &c. Personæ utriusque sexus sunt separandæ, ibid. Idem servandum in Orphanotrophiis & Bephotrophiis, ibid. num. 35.

I

ILLEGITIMUS.

Illegitimi à quo tempore & qua de causa ab Ordinibus exclusi, p. 2. t. 10. c. 3. tot. Causæ Natalium ad quod forum spectent in Gallia & in Belgio, p. 3. t. 2. c. 1. n. 24. Quandonam matri credatur, quis sit pater prolis illegitimæ, p. 3. t. 4. c. 4. n. 36. Si pater prolem illegitimam ad se delatam nolit agnoscere, ibid. deponi non potest, nisi priùs fuerit baptizata, p. 2. t. 2. c. 4. n. 23. Subsequens matrimonium parentum reddit proles legitimas, p. 2. t. 10. c. 3. n. 32. Excipiuntur proles natæ ex coitu damno, ibid. num. 33. In Gallia matrimonium contractum per concubinarios in articulo mortis est invalidum quoad effectus civiles, part. 2. t. 12. c. 5. n. 28. *Vide Irregularitas.*

IMAGINES.

Imagines seculariter comptæ nec in templis, nec in processionibus tolerandæ, part. 1. tit. 16. cap. 9. num. 13. In processionibus unà cum Venerabili non deferendæ, ibid. numer. 14.

Imagines sacræ cur in Ecclesia receptæ, & quomodo à Synodo Tridentina probatæ, p. 2. t. 16. c. 1. n. 15. Quænam populus circa cultum imaginum docendus, ibid. numer. 16. Si deprehendatur, quòd error vel abusus occasione certarum imaginum irrepat, auctoritate Ordinarii sunt tollendæ, & aliæ in earum locum substituendæ, ibid. numer. 17.

Imagines falsi dogmatis cavendæ, ibid. n. 21. An conveniat proponi imagines Sanctissimæ Trinitatis, ibid. n. 23. Superstitio in cultu imaginum vitanda, ibid. n. 24. Lascivia & levis ornatus in imaginibus & picturis vitandus, ibid. n. 25. Historiæ representantes fabulas Ethnicorum in Ecclesiis nullatenus tollerandæ, ibid. n. 26. Qui in supplicationibus similes exponunt castigandi, ibid. n. 26. & p. 1. t. 16. c. 9. n. 14. Imagines insolitæ nullo loco vel Ecclesia possunt exponi sine Ordinarii approbatione, part. 2. tit. 16. cap. 1. numer. 26. 27. &c.

Imagines inhonestæ Clericis prohibentur, p. 1. t. 2. c. 3. n. 11. Nec in ortis eorum tolerandæ, & qua pœnâ, p. 2. t. 16. c. 1. n. 27. &c. Obligatio Pastorum adversus eas quocunque loco positas conciones constituendi & laborandi pro earum amotione, ibid.

IMMUNITAS.

Immunitas Clericorum à muneribus & tributis publicis à Constantino aliisque Imperatoribus concessa, & ejus ratio, p. 2. t. 35. c. 1. tot. Erat tantum personalis, ibid. Ad quæ se extenderet, ibid. n. 6. Quandonam concessa quoad terras & prædia immunitas à tributis, ibid. n. 15. & 20. &c. Ad quæ bona sese extendat, ibid. n. 28. Non extendit se ad refectionem viarum & pontium, & quare, ibid. n. 29.

Immunitas Clericorum Jure Decretalium ad quæ bona se extendat, ibid. c. 2. n. 1. Seculo XI. etiam comprehendere cœpit bona patrimonialia Clericorum, ibid. n. 8. Hæc immunitas hodie desiit in Belgio quoad honera realia, ibid. n. 13. Immunitate bonorum Ecclesiasticorum tantùm gaudent Bona primæ Fundationis item amortizata, & quare, ibid. n. 14. Etiam eâ gaudent Coloni & Conductores, & diversæ super eo sententiæ Consilii Brabantiæ, ibid. n. 17. Quænam dicantur onera realia, quæ personalia, & quæ mixta, ibid. numer. 18. 19. &c. Fodrum, Albergaria & Regium species Tributorum, ibid. n. 40. Clerici ab iis immunes, ibid. numer. 43. Eorum immunitas ab hospitio militum, & ejus ratio, ibid. n. 34. Ad quas domos se extendat, ibid. Aliquando cessare potest tempore obsidionis aut alterius extremæ necessitatis, ibid n. 38.

Immunes sunt ab expensis militaribus, ibid. n. 43. An aliquando obligati ad vigilias & custodias murorum, ibid. n. 45. An teneantur contribuere ad reparationes mœniorum, ibid. numer. 46. An immunes sint à capitatione, ibid. n. 49. Ratio concessæ immunitatis Clericorum quoad bona Ecclesiastica, ibid. n. 50. Optima ratio hanc immunitatem conservandi est rectus usus illorum bonorum, ibid. n. 52.

Immunitas Ecclesiastica à judiciis secularibus, sive privilegium fori qua de causa concessum, & ejus scopus, p. 3. t. 1. c. 3. n. 18. Pœna adversus Clericos, qui ad judicia secularia recurrunt, ibid. n. 7. Item adversus Laicos, qui Clericos eò trahunt, ibid. n. 22. cum seq. Ad quæ & quousque jure communi se extendat, item an ei possit renuntiari, ibid. n. 25. Quibus casibus & in quibus causis Clerici, eo non obstante moribus hodiernis coram Laicis conveniantur, ibid. c. 4. tot. Dispositio Juris qua Clericus vetatur renuntiare privilegio fori, usu sublata est quoad causas civiles, ibid. n. 32. Quis judicare debeat an Clericus remittendus sit ad Judicem Ecclesiasticum, ibid. Clericus citatus coram Judice seculari tenetur comparere, & exceptionem declinatoriam instituere, & ejus ratio, ibid. & seq. In Belgio & Gallia quibusdam Prælatis & Corporibus Ecclesiasticis ex privilegio concessum ut stent juri coram solis Senatibus Regiis tam activè, quàm passivè, ibid. n. 33. ad quas causas id non extendatur, ibid. n. 35.

Immunitas Ecclesiastica in criminalibus quoad delicta civilia quandonam orta, & quomodo creverit, p. 3. t. 3. c. 1. tot. Jure Decretalium ad omnia omninò delicta se extendit, ibid. n. 16. Seculo XIII. & XIV. in Gallia etiam se extendebat ad crimina læsæ Majestatis, ibid. n. 22. & c. 2. n. 4. Rationes ob quas privilegium fori concessum fuit, ibid. n. 2.

Immunitas hæc quo tempore & quâ ratione arrodi, & impeti cœperit, ibid. n. 9. Conciliorum pro ejus conservatione Decreta, ibid. n. 10. Quænam in Gallia dicantur delicta communia, & quænam privilegiata, ibid. n. 11. Modus, quo in Gallia per utrunque Judicem proceditur, adversus Clericos in casu delicti privilegiati, ibid. n. 38. &c. Varia delicta in quorum cognitione Judex Ecclesiasticus ibidem non intervenit, ibid. n. 20. 29. 40. &c. Quid circa casus privilegiatos, item atrocia delicta obtineat in Flandria, item in Brabantia, ibid. n. 44. Clericus super delicto commisso in officio seculari fori privilegio non juvatur, ibid. n. 49. Multa vulnera inflicta Immunitati Ecclesiasticæ, & quâ ratione illis occurri ab Episcopis possit, ibid. n. 51. 52.

Immunitate an Clerici primæ Tonsuræ guadeant, part. 3. t. 3. c. 3. n. 1. An Clerici conjugati, ibid. n. 8. 9. An Immunitas refundenda in Tonsuram, an in ministerium, ibid. num. 19. Laicorum justæ querelæ de nimia extensione Immunitatis, ibid. n. 15. Decretum Concilii Tridentini eam restringens explicatur, ibid. n. 20. &c. Clericus tonsuratus etiam non conjugatus, captus in veste seculari, forum seculare pro ea vice declinare non potest, n. 23. *Vide Habitus Clericalis.* Edicta & praxis in Gallia conformia dispositioni Concilii Tridentini, ibid. n. 15. An Immunitas Clericalis extendatur ad delicta ante Clericatum commissa, ibid. n. 29. Clericus non servans requisita Concilii Tridentini excidit privilegio fori absque prævia monitione, ibid. n. 30. Recuperat tamen simul, ac se Decreto Concilii iterum conformat, ibid. n. 31. Episcopus nullo casu conveniri potest criminaliter coram Laico, ibid. c. 4. n. 38. Etiam in crimine læsæ Majestatis, ibid. Coram quo causæ majores Episcoporum hodie agitandæ. *Vide Causæ Majores.*

IM-

IMPEDIMENTUM MATRIMONII.

Impedimenta alia tantum sunt impedientia, alia etiam dirimentia, p. 2. t. 13 c. 1. n. 7. Impedimenta dirimentia etiam inter Catholicos, quantum est ex natura & fine matrimonii induci possunt tam per potestatem civilem, quàm Ecclesiasticam, ibid. n. 10. &c. Unde factum, ut modo ea potestas vel usus sit penes Ecclesiam, ibid. n. 16. 17. impedimenta dirimentia etiam consuetudine induci possunt, ibid. n. 20. Matrimonii interdictio olim erat frequens pœnitentia ob varia crimina, ibid. c. 2. n. 1.

Impedimenta hodierna impedientia, ibid. n. 7. Quis super iis possit dispensare, p. 2. t. 14. c. 1. tot. Interdictum Ordinarii etiam Synodi Provincialis non ponit impedimentum dirimens, p. 2. t. 13. c. 2. n. 21. Parochus contra interdictum speciale assistit validè, ibid. n. 23. Quid de Vicario, item Deservitore, ibid. n. 24. *Vide Tempus Clausum.*

Impedimentum erroris, dum error est circa personam, matrimonium dirimit, ibid. c. 3. tot. An possit etiam dirimere error circa qualitatem, dum redundat in personam, ibid. numer. 4. Cur faciliùs error qualitatis censeatur redundare in personam in sponsalibus, quàm in matrimonio, ibid. n. 6.

Impedimentum servitutis neque ad seculo XII. dirimit matrimonium, ibid. n. 10. Hodie non dirimit nisi simul adsit error, ibid. n. 11. Gallia & Belgium servos non agnoscit, unde id impedimentum cessat, ibid. n. 13.

Impedimentum voti. *Vide Votum.*

Impedimentum Consanguinitatis. *Vide Consanguinitas, item Affinitas.*

Impedimentum Cognationis legalis & spiritualis. *Vide Cognatio, Patrini.*

Impedimentum publicæ honestatis unde ortum, & ejus ratio, p. 2. t. 13. c. 6. n. 24. Oritur ex matrimonio rato non consumato, ibid. n. 25. Et ad quem gradum se extenderit olim, & ad quem hodie, ibid. n. 26. Oritur etiam ex sponsalibus validis, & quousque dirimat, ibid. n. 32.

Impedimentum criminis ratione adulterii, & ejus antiquitas, ibid. c. 7. tot. Quibus casibus ratione adulterii impedimentum hoc incurratur, ibid. n. 9. An ignorantia facti hic efficere possit, ut non oriatur impedimentum, ibid. n. 10. Hoc impedimentum ratione homicidii quandonam oriatur, ibid. numer. 12.

Impedimentum disparitatis cultus inter quos consistat, ibid. c. 8. tot. Olim fuit incognitum, & hodie rarus ejus usus, ibid. n. 2. 3. Ejus ratio, ibid. Apud Græcos matrimonium Catholici cum Hæretica jam pridem invalidum, secùs apud Latinos, ibid. n. 6. 7. Cur potiùs invalidum matrimonium cum non baptizato, quàm cum Hæretico, ibid. n. 11. Matrimonii Catholici cum Hæretica incommoda, & pericula, ibid. n. 9. 10. *Vide Matrimonium.*

Impedimentum Metus. *Vide Metus.*

Impedimentum Raptus. *Vide Raptus.*

IMPOSITIO.

Impositiones super Parochianis ad reparandam Ecclesiam fieri debent, ubi alia deficiunt, p. 2. t. 16. c. 5. n. 23. Impositiones hæ fieri non possunt sine auctoritate Judicis secularis, ibid. Quinam in hac impositione debeant taxari, ibid. n. 31. Idem obtinet pro invenienda portione congrua Pastoris, decimis aliisque mediis deficientibus, p. 2. t. 34. c. 3. tot.

IMPOSITIO MANUUM.

Impositio Manuum in consecratione Episcopi unde originem habeat, p. 1. t. 15. c. 3. n. 8. 9. Ritus est antiquissimus, semper in Ecclesia tam Græca, quam Latina usurpatus, ibid. Sed sine verbis: *Accipe Spiritum Sanctum*, ibid. n. 11.

Impositio Manuum in Baptismo antiquissima, p. 2. t. 2. c. 3. n. 31. Confirmatio olim vocabatur Impositio Manus, p. 2. t. 3. c. 1 n. 2. & c. 3. n. 2. Hujus ritus antiquitas, ibid. numer. 1. Eo Ecclesia adhuc utitur, ibid. n. 3. Olim vocabatur Sacramentum Pœnitentiæ impositio Manuum, p. 2. t. 6. c. 1. n. 4. Frequens erat Impositio Manus in decursu Pœnitentiæ, ibid. n. 4. & c. 3. n. 30. Inde Impositio Manus in Extrema Unctione, p. 2. t. 8. c. 3. n. 22. Etiam Ordo vocatus impositio Manuum, & quid: *Manus citò nemini imposueris*, p. 2. t. 9. c. 4. n. 2. &c.

INCESTUS.

Incestuosi olim perpetuò erant matrimonio interdicti, p. 2. t. 13. c. 2. n. 2. Litteræ dispensationum super impedimento Matrimonii mandant prius incestuosis injungi pœnitentiam publicam, & qualem, p. 2. t. 26. c. 6. n. 11. Quid incestus, & cum quibus personis comittatur, p. 3. t. 4. c. 4. n. 48. &c. Pœna ejus juxta Canones item juxta leges civiles, ibid. numer. 49. 50. Ad cujus forum spectet, ibid. n. 51. Sacerdos abutens filiabus suis spiritualibus quâ pœnâ afficiendus, ibid. n. 41. & 69.

INDEX LIBRORUM PROHIBITORUM.

Index, ut hodie, non erat librorum catalogus, quem confecit Gelasius, p. 1. t. 22. c. 4. tot. Indicem confecit Facultas Theologica Lovaniensis rogatu Caroli V. ibid. n. 5. Index Pauli IV. ibid. n. 6. Quid in eo reprehensum, ibid. n. 8. Index Concilii Tridentini, quid in eo actum, ibid. n. 10. Quâ ratione dicatur Tridentinus, ibid. n. 20. Regulæ Indicis quænam, & quid præcipuè contineant, ibid. n. 21. Non perinde dici possunt Tridentinæ, ibid. n. 22. 23. In Belgio hic Index non in omnibus receptus, ibid. n. 35.

INDULGENTIÆ.

Indulgentiarum nomen unde derivatum, p. 2. t. 7. c. 1. tot. Tres earum species seu formulæ antiquiores, ibid. n. 3. & seq. Prima species ex Apostolo 2. *Cor.* 2. cujus naturæ fuerit, & in quem finem data, ibid. Secunda ex Concilio Nicæno & Ancyrano, quæ erant moderatio pœnitentiæ, & cur concessa, ibid. n. 5. Tertia ex libellis & ad preces Martyrum, ibid. n. 6. *Vide Libelli Martyrum.*

Indulgentiarum duæ species seu formulæ recentiores ob expeditionem Terræ Sanctæ, & erogationes eleemosynæ, & alia, ibid. n. 9. Hæ Indulgentiæ causa abrogationis Canonum pœnitentialium, ibid. n. 13. Ante seculum XI. omninò Ignotæ; ibid. n. 17.

Indulgentias parcissimè concesserunt veteres, etiam Romani Pontifices usque ad seculum XIII. ibid. c. 2. tot. n. 12.

Indulgentiæ aliquot centenorum vel millium annorum fictitiæ, ibid. n. 14. De quibus Synodi populum circa Indulgentias monitum voluerint, ibid. c. 3. n. 19. & p. 2. t. 37. c. 6. numer. 43. Regulæ Cancellariæ circa Indulgentias earumque moderationem, ibid. c. 3. n. 19. Horribiles excessus Quæstorum eleemosynarum & mercimonia Indulgentiarum ante Concilium Tridentinum, p. 2. t. 7. c. 3. n. 9. &c. Decretum ejusdem Concilii super abolitione Quæstorum, ibid. n. 11. Omnes Indulgentiæ, pro quibus manus adjutrices porrigendæ, aut quæstandi dant facultatem, revocatæ & abolitæ, ibid. numer. 13. Quomodo hodie publicandæ indulgentiæ, ibid. numer. 15.

INDULTUM.

Indultum Principibus Belgii concessum nominandi ad primarias dignitates refertur, p. 2. t. 25. c. 9. n. 14. 15. Occasionem dedit mutationi circa electionem Abbatum & Priorum, p. 1. t. 31. c. 8. n. 28. 29. & p. 2. t. 25. c. 8. n. 14. &c. An possit dici, quod Principes nostri eo non utantur in suis nominationibus ad Abbatias, ibid. t. 25. c. 9. n. 15. Ejusdem vigore nominant ad primarias dignitates in Collegiatis, & primam post Episcopalem in Cathedralibus, ibid. n. 16.

Indulta varia Regibus Galliæ concessa tantùm fuerunt personalia, ibid. Indultum in favorem Parlamenti Parisiensis quoties & ad quæ beneficia nominare concedat, ibid. n. 17. Consiliarii jus illud in alios transferre possunt, & quæ forma observanda, ibid. n. 18. An vi Indulti Regibus Galliæ competat jus nominationis ad præbendam rationem felicis adventus ad regnum, ibid. n. 24.

INFAMIA.

Infamia orta ex publicis & manifestis criminibus irregularitatis habet speciem irregularitatis, p. 2. t. 10. c. 6. n. 6. 13. *Vide Irregularitas*, ibid. adhuc hodie excludit à dignitatibus, & quænam infamia ad hoc requiratur, ibid. n. 14.

Infamia etiam inducitur per citationem personalem, ejusque effectus, ibid. & n. 20.

INFORMATIO CRIMINALIS.

Informationes accipere, idem est, quod procedere viâ inquisitionis, part. 3. tit. 8. cap. 1. n. 22. Hodie in criminalibus procedi non potest nisi prævià informatione, & quare, ibid. num. 23. Judex ad nullius denuntiationem inquirens dicitur procedere ex officio, ibid. num. 18. Officialis aliquando mulctatus per Consilium Regium quia omissis informationibus processerat ad privationem Beneficii ex confessione à reo elicita, ibid. n. 24.

Informationes capi non possunt, nisi per Officiarios & auctoritate Judicis, ibid. n. 16. Ubi constat de delicto, sed de

auctore indicia non habentur, institui potest informatio generalis, & quâ formâ, ibid. n. 27. Quid requiratur, ut adversus particularem informatio possit institui, ibid. n. 28.
Informationes instituuntur parte non citata, ibid. n. 38. Debent institui quàm secretissimè, ibid. n. 41. An Judex possit procedere ex officio in casu adulterii connivente marito, p. 3. t. 4. c. 4. n. 46. Testes in informationibus auditi in lite debent recolligi, & quâ formâ, & quare, p. 3. t. 8. c. 3. n. 10. Recollectio hæc fieri debet ante confrontationem, ibid. numer. 11.

INFORMATIO PRO DISPENSATIONE.

Informatio pro dispensatione matrimoniali magna circumspectione facienda, p. 2. t. 14. c. 3. n. 3. Variæ omissiones vel sinistræ expresiones, quæ litteras dispensationum reddunt invalidas, & quid circa quemlibet inquirendum, ibid. c. 3. numer. 10. 11. & seq. Examen testium alteri committi potest, ibid. num. 9. Variæ formulæ in Curiis usitatæ, & quidnam pro earum verificatione inquirendum, & attendendum, ibid. c. 4. n. 2. & seq. Quo tempore veritas causæ subesse debeat, n. 10. Dispensatio in forma pauperum, & quandonam, quo tempore paupertas Oratorum verificanda, & quomodo in hac dispensatione procedendum, ibid. c. 6. tot. Quæ informatio requiratur in dispensatione super impedimento occulto expedita in Pœnitentiaria, ibid. c. 7. n. 6.

INFORMATIO SUPER ELECTIONE.

Informatio super electione per quos fieri debeat moribus Belgii, p. 1. t. 14. c. 3. n. 3. &c. Per quos moribus Galliæ, ibid. n. 6. Excluduntur consanguinei electi, ibid. n. 10. 15. Quâ formâ sumatur, ibid. n. 3. & seq. Qualitates requisitæ in testibus, ibid. n. 18. Ad quem informatio transmittenda, & quâ formâ, ibid. c. 4. n. 6.

INQUISITIO.

Inquisitionis origo, progressus, & propagatio inquisitionis historicè describitur, p. 1. t. 22. c. 3. & p. 3. t. 4. c. 2. n. 47. & seq. Tribunal ejus in Belgium aliquando introductum, indeque ortæ seditiones, ibid. n. 49. & seq. abrogatur & quare, ibid. n. 50.

INQUISITIO CRIMINALIS.

Vide Informatio.

INSIGNIA GENTILITIA.

Insignia propria, Patronus Ecclesiasticus, in Ecclesia non potest ponere, sed tantùm suæ Ecclesiæ vel Monasterii, p. 2. t. 25. c. 7. n. 31. Quibus usus lystræ in Ecclesia competat, ibid. n. 38. Si Ecclesiam nimis deforment, non admittendæ. ibid. n. 39. Cardinales alia ornamenta suorum insignium gestare non possunt, nisi solum Cardinalitium Galerum, p. 1. t. 22. c. 1. n. 26. Antiqua insignia publicis locis posita, quid & quatenus probent, p. 2. t. 25. c. 7. n. 35. & p. 3. t. 7. cap. 7. num. 38.

INSTITUTIO.

Institutio corporalis Beneficiatorum, de jure communi competit Archidiacono, p. 1. t. 12. c. 1. n. 20. Institutio auctorizabilis, seu tituli collativa, moribus Belgicis competit Archidiacono etiam in Beneficiis curatis, ibid. n. 23. Institutio auctorizabilis moribus Belgii distinguitur à Cura Animarum, ibid. & p. 1. t. 16. c. 4. n. 9. & p. 2. t. 22. c. 4. n. 25. & t. 26. c. 1. n. 2. Quandonam Institutio auctorizabilis censetur competere Archidiacono Jure proprio, & quandonam Jure delegato, part. 2. tit. 22. cap. 4. num. 24. & seq. Jure communi competit Episcopo, & quomodo ad Archidiaconos & inferiores Prælatos devenerit, part. 2. tit. 26. cap. 1. numer. 4. & 9.
Institutio an danda sit intra semestre sub pœna devolutionis, ibid. n. 17. An à dilatione vel recusatione institutionis detur, recursus vel appellatio, & ad quem, & quomodo in hac causa procedendum, ibid. n. 19. & seq. Quomodo hæc institutio rectè dicatur Collatio necessaria, & præcipuas partes in provisione Beneficii Patronati, partes esse Patroni, ibid. numer. 28. Concilium Trid. in quantum vult instituendos ab inferioribus, prius esse examinandos per Episcopum, non servatur, nisi quoad Beneficia curata, ibid. n. 13. 14.

INSTRUCTIO CHRISTIANA.

Instructio Christiana vulgò Catechisatio, multum commendatur à Synodis, p. 1. t. 3. c. 4. n. 4. & c. 11. n. 4. & seq. Adjuvatur per Edicta Regia, ibid. n. 3. Etiam adultis est necessaria, & nullo anni tempore omittenda, ibid. c. 4. n. 5. 6. cæteris paribus utilius fit per Parochos, quam per alios, ibid. c. 5. n. 5. Episcopi cogere debent Parochos per se id faciant, ibid. c. 6. tot. usus contrarius quantum diuturnus Parochos ab hac obligatione eximere non potest, nec ipsis præjudicare, ibid. numer. 2. Id recenter declaravit Congregatio Concilii Tridentini, & Innocentius XI. ibid.

INSTRUMENTUM.

Instrumenta publica quænam dicantur, & quæ eorum auctoritas, p. 3. t. 7. c. 7. n. 2. Debent esse conscripta à persona publica, ad conficienda instrumenta, ibid. n. 4. Scriptura Judicis vel etiam Regis, non est instrumentum publicum, ibid. n. 17. Notarii instrumenta confiçere non possunt nisi rogati, nec pro personis planè ignotis, ibid. n. 31. Debent in instrumentis exprimere qualitatem suam & locum residentiæ, ibid. n. 30. Tenentur omnium instrumentorum minutas in protocollis registrare, & fideliter conservare, ibid. n. 32. Acta à Graphiariis registrata, Scripturæ Notario signatæ, vel sigillo authentico munitæ &c. pro publicis instrumentis reputantur, num. 37.
Instrumentorum quodnam dicantur originale, ibid. n. 43. Scriptura ex originali per alium Notarium desumpta non est originalis, ibid. n. 45. Quare copiæ vel exemplaria fidem in judicio non faciant, ibid. n. 46. Facient si à Judice vel ejus Commissione cum originali fuerint collatæ, ibid. n. 47. Instrumenta quæ vetustate corrumpi incipiunt quomodo renoventur ibid. n. 49. instrumentis publicis plena fides adhibetur in iis, quæ dispositive asserunt, ibid. n. 52. An fides instrumenti per testes possit enervari, ibid. n. 53.
Vide Probatio.

INSTRUMENTA ORDINUM.

Vide Ordo.

INTERDICTUM.

Interdicti Ecclesiastici definitio, p. 3. t. 11. c. 9. tot. Dividitur in locale, personale, & mixtum, ibid. n. 7. Item in universale & singulare quidnam quolibet importet, ibid. numer. 10. &c.
Interdicta à quo tempore usitata, n. 19. Luculentum Interdicti exemplum seculo XI. in Ecclesia Lemovicensi, ibid. n. 20. Posterioribus seculis nimium multiplicata, n. 22. Inde varia incommoda, ob quæ Pontifices eorum rigorem moderarunt, ibid. n. 23. Quænam functiones Ecclesiasticæ fieri possint tempore Interdicti, ibid. n. 26. & Rationes ob quas solas permittitur Interdictum ex Constitutione Bonifacii, Decreto Synodi Basiliensis, & Concordatis Brabantiæ, ibid. & n. 31. & seq. Per celebrationem in loco interdicto incurritur irregularitas, ibid. num. 38. Quomodo Interdictum differat à cessatione à Divinis, ibid. n. 39.

INTERNUNTIUS.

Vide Nuntius.

INTERESSE.

Vide Expensæ.

INTERROGATORIA.

Interrogatoria Testibus examinandis proponenda Judici à parte adversus quam producuntur, tradi possunt, p. 3. t. 7. c. 6. n. 26. Eorum forma & scopus, ibid. parti producenti non communicatur, ibid. n. 29. Eorum usus non est in omnibus Curiis admissus, ibid. n. 30.
Interrogatoria in causa criminali adversus incarceratos, Promotor Fiscalis intra triduum tenetur exhibere, p. 3. t. 8. c. 3. n. 1. Reus super iis examinandus, ante datas defensiones, absque mora & dilatione tenetur respondere, ibid. n. 4. 5. Responsiones Rei rediguntur in scriptis & officio Fiscali traduntur, ibid. n. 7. Hujus examinis scopus, & quid in eo debeat attendi, ibid. n. 8. 9. &c.

INTERSTITIA.

Interstitia olim nota, & eorum scopus, p. 2. t. 9. c. 5. tot. Votum Ecclesiæ ut etiam serventur inter Ordines minores, ibid. n. 10. Inter sacros Ordines requiruntur Interstitia unius anni, & quomodo annus computandus, ibid. n. 11. 12. Quinam

nam in iis possint dispensare, & quid in hac dispensatione attendendum, n. 13. 15. Duo Ordinis sacri ne quidem ex dispensatione Episcopi possunt uni eodem die conferri, ibid. num. 17.

IRREGULARITAS.

Irregularitas quomodo apud antiquos nota, p. 2. tit. 10. c. 1. tot. & seq. Præcipuè fundata erat in crimine, ejusve suspicione, ibid. n. 3. Irregularitatis descriptio, ibid. n. 5. Hodie non contrahitur nisi casibus jure expressis, ibid. n. 8. Irregularitas crimini annexa hodie non contrahitur nisi crimine consummato, ibid. n. 9. Irregularitas non privat Beneficio, ibid. Proprium ejus est ut per Pœnitentiam non tollatur, quod pristinæ disciplinæ est conforme, ibid. n. 13. 14. Incurritur per celebrationem in loco interdicto, p. 3. t. 11. c. 9. n. 38.

Irregularitatis ex Bigamia antiquitas ex Apostolo, p. 2. t. 10. c. 2. n. 1. 2. Juxta Græcos ejus fundamentum est, ex suspicione incontinentiæ, ibid. n. 5. 6. Irregularitatis fundamentum in eo, qui duxit viduam, in quo juxta eosdem fundetur, ibid. n. 6. &c. Juxta Latinos Patres hæc Irregularitas fundatur in defectu Sacramenti, & in quo consistat, ibid. num. 8. Quinam hodie censeantur Bigami veri, & quinam interpretativi, ibid. n. 17. Quoad effectus juris censetur eadem, ibid. num. 21. An censendus Irregularis qui duxit unicam, sed ad alio prius corruptam, ibid. n. 20. Olim tantùm hæc Irregularitas excludebat ab ordinibus, sed hodie excludit ab omni Beneficio & Privilegio Clericali, ibid. n. 22. 25. Quis in hac Irregularitate possit dispensare, ibid. n. 26. An transgressio voti continentiæ inducat Irregularitem tanquam Bigamia, & an Episcopus in ea possit dispensare, ibid. n. 28. & seq.

Irregularitas ex defectu natalium orta est ex incontinentia Cleri & tantùm circa Seculum XIII. firmiter stabilita, p. 2. t. 10. cap. 3. tot. n. 1. Hujus Irregularitatis ratio, ibid n. 11. Quis in ea possit dispensare, ibid. n. 14. 10. Quæ pro obtinenda dispensatione exprimenda, ibid. n. 11. Strictè interpretanda, ibid. n. 19. Dispensatio se non extendit ad obtinendum Beneficium etiam simplex quod pater habuit, etiamsi fuerit persona intermedia, ibid. n. 22. Nec ab obtinendum Beneficium dissimile in Ecclesia in qua patet quomodo ministravit, ibid. n. 10. Tollitur hæc Irregularitas per Professionem Religiosam, & hujus ratio, ibid. n. 27. 28. Non tamen illegitimus per eam fit capax Prælaturæ, ibid. n. 30.

Irregularitas ex defectu lenitatis in quo fundata, part. 2. t. 10. c. 4. tot. Quinam illam incurrant, ibid. n. 5. An Prælati temporalem Jurisdictionem habentes & exercentes per Ministros Seculares, Irregularitatem incurrant, ibid. n. 8. An Episcopus degradatum tradens Brachio seculari; & quid operetur ejus intercessio pro Clerico degradato, ibid. n. 9. An Irregularitatem incurrat Pastor monens Magistratum, ut in facinorosos animadvertat, ibid. n. 17. Quid requiratur ut eam evadat Clericus persequens injuriam propriam in causa criminali, & an protestatio sit necessaria, ibid. n. 18. Ad incurrendam Irregularitatem requiritur ut mors aut mutilatio reipsa sequatur, ibid. n. 25. In Gallia Testes à Judice compulsi & Graphiarii hanc Irregularitatem non incurrunt, ibid. n. 26. 27. Solus Pontifex in hac Irregularitate dispensat, ibid. 28.

Irregularitas ex defectu corporis olim parum attendebatur, nisi talis esset, quæ functiones ordinis impediret, ibid. cap. 5. n. 4. Decretales Pontificum videntur hanc Irregularitatem fundare in debilitate & deformitate, quæ executionem ordinum impediret, ibid. n. 6. & seq. Defectus supervenientes post ordines susceptos non inducunt absolutam Irregularitatem, numer. 12. Judicare de hac infirmitate & deformitate, privativè spectat ad Episcopum etiam in Regularibus, & quæ in eo attendenda, ibid. n. 13. Rescripta dispensationum super hac irregularitate semper ad Episcopum, & non ad Officialem diriguntur, ibid. n. 17. Clausulæ ordinariæ pro hac dispensationes, & clausula specialis super defectu oculi Canonis, ibid. num. 19.

Irregularitas ex crimine inducebatur ex quocunque peccato mortali post Baptismum admisso, ibid. c. 6. tot. n. 2. &c. Indifferens erat, sive crimen esset publicum, sive occultum, ibid. n. 6. Quandiu hæc disciplina duraverit, ibid. n. 7. Ejus adhuc hodie quædam manent vestigia, ibid. n. 8. Hodie propriè tantùm inducitur ex criminibus in jure expressis, & quænam illa, ibid. n. 10. Crimina publica, quæ infamiam inducunt, speciem quandam habent irregularitatis, ibid. num. 13. Sufficit infamia facti, ibid. n. 14. Episcopus potest occultum criminosum ab Ordinibus repellere, item à susceptis suspendere, ibid. num. 24. In irregularitate ex crimine occulto potest Episcopus dispensare, ibid. n. 17. Quodnam crimen hic dicatur, ibid. n. 18.

Irregularitatem semper induxit homicidium etiam pro conservatione propriæ vitæ, p. 2. tit. 10. c. 7. tot. n. 4. 5. Primus Clemens V. excepit homicidium pro conservatione vitæ propriæ, ibid. n. 8. Sub hac decisione Clementis V. non comprehenditur homicidium commissum in defensionem bonorum, vitæ, parentum, liberorum, aut in defensionem patriæ, &c. ibid. n. 10. 11. 12. Sufficit, quòd sit voluntarium indirectè, & ex quibus principiis hoc dijudicare debeat, ibid. numer. 14. & seq. In dubio, an quis incurrerit irregularitatem, debet se pro tali gerere, ibid. n. 5. & n. 22. &c. Homicidium voluntarium ex mente Tridentini est homicidium directè voluntarium, ibid. n. 25. Difficilimè in eo dispensatur pro Ordinibus vel Beneficiis obtinendis, ibid. n. 26. Formula dispensationis pro Ordinibus vel Beneficiis ante susceptis, ibid. n. 28. In homicidio occulto non voluntario juxta mentem Concilii Tridentini dispensat Episcopus, ibid. n. 31.

JUBILÆUM.

Jubilæi prima institutio & forma per Bonifacium VIII. part. 2. t. 7. c. 4. tot. Non concessum, nisi personaliter visitantibus Limina Apostolorum, ibid n. 5. Contractum ad annum quinquagesimum per Clementem VI. ejusque contractionis ratio, ibid. num. 6. Quanta multitudo ad eas indulgentias lucrandas Romam perrexit, ibid. n. 21. Postea diversis vicibus tempus Jubilæi contractum, & remansit ad annum vigesimum quintum, ibid. n. 12. 15. & seq. A quo tempore ad alias Ecclesias extensum, ibid. n. 16. A quo tempore data potestas, pro eo tempore, Confessariis ad absolvendum à casibus reservatis, & quid de iis populus instituendus, ibid. n. 22. 23.

JUDEX.

Judex publicus, idem quod secularis, olim opponebatur Judici Ecclesiastico, p. 3. t. 1. c. 3. n. 23.

Judex Ecclesiasticus in causis civilibus suæ jurisdictionis tenetur sequi ordinationes Principum & consuetudines locorum, ibid. t. 2. c. 2. n. 21.

Judices ordinari quinam dicantur, p. 3. t. 5. c. 1. tot. n. 3. Jure suo Episcopus est Judex totius suæ Diœcesis & omnium personarum ejusdem, ibid. num. 8. 9. Quâ ratione Prælati inferiores & Archidiaconi sensim facti sint judices ordinarii, ibid. num. 18.

Judex delegatus quis dicatur, & quomodo differat ab ordinario, & quo tempore eorum officium invaluerit, ibid. c. 2. n. 1. & seqq. Judices delegati à Pontifice possunt subdelegare, & hujus ratio, ibid. n. 11. &c. Ad quæ & in quos se extendat illorum auctoritas, ibid. n. 15. Quænam personæ possint in Judices delegari, p. 1. t. 8. c. 1. n. 7. & t. 31. cap. 2. n. 23. & p. 3. t. 5. c. 2. n. 20. & seqq. Qui in dignitate constitutus delegatus fuit, potest, dimissa dignitate delegationem absolvere, ibid. n. 26. Quinam possint subdelegari, ibid. num. 28. Delegatio facta Ordinario transit in successorem, ibid. n. 32. Judex delegatus ante omnia debet habere delegationem suam in scriptis, eamque Citatorialibus inserere, ibid n. 33. Tenorem suæ delegationis servare tenetur, ibid. n. 36. Si plures ad eandem causam delegentur, quænam singulorum auctoritas, ibid. n. 37. Si plures delegentur in solidum, quid observandum, ibid. n. 42. Improbatur, quòd Judices dentur ad instantiam partis, & impetranti ex tribus detur electio, ibid. num. 44.

Judices Synodales juxta Tridentinum debent designari in Synodo, & inde dicti Synodales, ibid c. 2. n. 25. Hodie in defectu Synodorum designantur per Episcopum de consilio Capituli, ibid. n. 28. Officialis Episcopi potest delegari, etiamsi non sit ex designatis, ibid. n. 31. Judex delegatus neminem citare potest extra Diœcesim ultra duas diætas, ibid. cap. 3. n. 2. *Vide Citatio.*

Judex quo affectu causas examinare debeat, p. 3. t. 9. c. 2. n. 21. cum seq. & n. 45. & seq. Juramentum, quod Judex in assumptione ad officium præstat, ibid. n. 25. Juramentum ejus, quod nihil à partibus accipiet, ibid. n. 26. Judices ob malè judicata frequenter sunt restitutioni obnoxii, ibid. n. 29. Quandonam hodie Judex ob malè judicata in foro externo conveniri possit, ibid. n. 29. Si sit morosus in decidendis causis appellatur tanquam à denegata justitia, & agitur contra eum ad damna & interesse, p. 3. t. 7. c. 4. n. 48. Difficulter habebuntur boni Judices, ubi viget venalitas officiorum, p. 3. t. 9. c. 2. n. 31. Varia mala & incommoda ex illa venalitate profluentia, ibid. n. 33. & seq. Nullo privato affectu Judex duci potest, & alienus esse debet à casu pro amico, ibid. n. 47. 48. Quid si omnibus attentis causa maneat dubia, ibid. n. 49. 50. Qualitates in Judice requisitæ, ibid. n. 51. *Vide Assesor, Officialis.*

JUDICIUM.

Judicia Ecclesiastica in civilibus multis seculis fuerunt sine stre-

pi-

pitu forensi & quasi species compromissi, p. 3. t. 1. cap. 3. num. 1. 2. &c. & tit. 7. c. 3. num. 20. & t. 9. cap. 2. Forma Judicii Ecclesiastici in primitiva Ecclesia, part. 3. t. 5. cap. 1. num. 15. &c. Quandonam & quâ occasione strepitus forenses intrarunt, ibid. n. 32. & tit. 7. c. 1. n. 1. Votum Ecclesiæ est, ut elimitentur, præsertim in causis Clericorum, ibid. n. 16. Quid Judici, stante moderna forma judicii, faciendum, ibid. n. 17. Unde factum, quod forma procedendi præscripta per Decretales Tribunalia etiam secularia intraverit, ibid. n. 15. Etiam ante tempora Justiniani Judicia Ecclesiastica scripto fieri non poterant, nec sententiæ scriptis proferri, p. 3. t. 7. c. 3. n. 3. 4. Quomodo judicia civilia hodie instruantur in foro civili & Ecclesiastico, ibid. c. 1. tot.

Judicium summarium quodnam dicatur, & in quibus causis summariè procedendum, p. 3. t. 7. c. 3. n. 8. 9. & c. 4. numer. 37. &c. In his processibus non requiritur libellus, ibid. c. 3. n. 19. Nec litis contestatio, ibid. n. 18. Optandum, ut causæ Ecclesiasticæ eo modo deciderentur, ibid. n. 20. An partes possint ordinem juris suo arbitrio moderari, ibid. Hic modus procedendi non excludit juramentum calumniæ, ibid. c. 4. n. 21. Brevissimis terminis procedendum, & superflui resecandi, ibid. n. 37. 38. Decretum Concilii Tridentini, quo voluit causas intra biennium terminari, ibid. num. 46. Hodie exiguus ejus usus, & quare, ibid. num. 47. Quid obtineat in Gallia, dum Judex est morosus in causis decidendis, ibid. numer. 48.

JUDICIUM CRIMINALE.

Vide Causa Criminalis.

JURAMENTUM.

Juramentum electi in Episcopum olim erat simplex professio obedientiæ facta Metropolitano, p. 1. t. 15. c. 2. n. 2. Quandonam & quomodo Romam devolutum, & ad modernam formam redactum, ibid. n. 4. & seq. Ejusdem analytica explicatio, ibid. n. 9. & seqq.

Juramenta varia meritò examinanda, & multa abroganda, p. 2. t. 26. c. 2. n. 24. Vetitum decimas mediante juramento exigere, p. 2. t. 33. c. 1. n. 23. Non facilè dimittendum in exactione vectigalium, ibid. n. 24. Juramenta, quæ præstantur à Beneficiariis de defendendis bonis & juribus sui Beneficii, intelliguntur salvo honore Dei & ædificatione proximi, part. 2. t. 26. c. 2. n. 18. Olim omnes contractus, quibus interpositum erat juramentum, deferebantur ab Tribunal Ecclesiasticum, p. 3. t. 1. c. 1. n. 36. 37. Juramentum, quo Clericus renuntiabat privilegio fori, non obligabat, ibid. cap. 3. numer. 25. 26.

Jurandi consuetudo ejus attrocitas, & quomodo cohibenda, p. 3. t. 4. c. 5. n. 20. & seq. Meritò procederetur adversus eam, sicuti adversus blasphemiam, ibid. n. 24. An compromissa fieri possunt interposito juramento, p. 3. t. 5. c. 4. numer. 18. *Vide Ambitus, Perjurium.*

JURAMENTUM CALUMNIÆ.

Juramentum Calumniæ enixe voluit præstari Justinianus, p. 3. tit. 7. c. 4. n. 1. cum seq. Quomodo in plerisque Senatibus Regiis abrogatum, ejus abrogationis ratio, ibid. n. 4. 5. 7. In iisdem adhuc præstatur juramentum malitiæ, & in quo id differat à juramento calumniæ, ibid. n. 8. 9. In Curiis Ecclesiasticis servatur dispositio juris Pontifici, quænam illa, & quandonam introducta, ibid. n. 11. Quo judicii tempore juramentum illud exigatur, ibid. n. 14. 15. Pœna recusantis illud præstare, ibid. n. 22. Quid contineat, & quomodo parti, cui indicitur, debeat exponi, ibid. n. 23. Ecclesiastici præstare illud possunt per Syndicum vel Œconomum, nisi Judex aliud mandet, ibid. n. 25. Quid hodie obtineat quoad juramentum Clericorum, præsertim coram Judicibus Laicis, ibid. numer. 29.

Juramentum per verbum *credit*, vel *non* in responsione ad positiones adversæ partis, inductum ad restringendas probationes adhuc hodie perseverat in Curiis civilibus, p. 3. t. 7. c. 5. n. 40. Forma, qua illud exigitur, & pœna ejus, qui sine justa causa id denegat, ibid. n. 45. In Gallia Edicto vetitum illud exigi, & quare, ibid. n. 41.

Juramentum suppletorium defertur in defectu probationum, ibid. c. 8. n. 2. &c. Unde sic dictum, & quando in forum Ecclesiasticum intrarit, ibid. n. 3. 5. Quo casu possit deferri, ibid. n. 9. 10. Reprehenditur nimis facilis ejusdem delatio, ibid. n. 11. In Gallia consuetudinaria vix ullus, & in Belgio rarus ejus usus, ibid. n. 16. 18. Ob periculum perjurii non defertur in actionibus criminalibus, item famosis, nec in causis civilibus arduis, ibid. n. 19. 20. & t. 8. c. 3. n. 26. Quænam dicantur causæ arduæ, ibid. t. 7. c. 8. n. 21. Attendendæ etiam personæ, pauperibus minùs tuto deferri potest, ibid. n. 22. Non defertur, nisi parenti, ibid. n. 24. A Decreto Judicis juramentum deferente datur appellatio, p. 3. t. 10. c. 1. num. 27.

JURA.

Jurium exactio in admissione ad Beneficia unde introducta, p. 2. t. 26. c. 2. n. 29. Graviter taxantur ut de simonia suspecta, ibid. n. 30. An eorum solutio possit esse licita, ibid. n. 32. Exactio jurium in ordinatione suspecta de simonia, item exactio pro litteris & sigillis, p. 2. t. 30. c. 1. n. 16. 17. Hodierna exactio jurium pro licentia condendi testamentum in variis Diœcesibus usitata improbatur, p. 2. t. 32. c. 7. n. 23.

JURA PASTORALIA.

Jura Pastoralia orta ex oblationibus, p. 2. t. 1. c. 3. n. 7. &c. Pastores in administratione Sacramentorum ab omni exactione cavere debent quocunque prætextu, ibid. n. 8. Quâ occasione similia jura certis locis taxata, ibid. n. 17. & t. 38. c. 4. n. 51. Hæc taxa non concernit, nisi officia funeralia & matrimonium, & quare, ibid. p. 2. t. 1. c. 3. n. 18. Jura hæc successerunt in locum decimarum personalium, ibid. num. 19. Hæc taxatio non permitteretur in Belgio sine auctoritate Regis, ibid. n. 20. & t. 38. c. 4. n. 43. Taxa jurium funeralium pro variis civitatibus, ibid. n. 45. & seqq. Quænam in eorum taxatione & exactione conservanda, ibid. n. 51. & seq. & p. 2. t. 1. c. 3. tot. Tantùm fuerunt inducta, postquam decimæ fuerunt devolutæ ad Capitula & Monasteria, ibid. t. 33. c. 3. n. 21. In omni admissione Monasterii stipulatur, jura parochialia manere debere salva, p. 1. t. 24. c. 3. n. 14. 17. Non convenit, quod Pastores cum Regularibus super iis ineant concordata, p. 2. t. 38. c. 5. n. 40. Si ad concordata descendendum sit, omnis ambiguitas est cavenda, ibid.

JURA HONORIFICA.

Jura Honorifica dignitatum in quo consistant, p. 2. t. 18. c. 2. tot. Contentiones ob ea evitandæ, ibid. n. 16. Ad quid præcipuè instituta, ibid. n. 17. 18.

Jura Honorifica à quo honore sic dicta, p. 2. t. 25. cap. 7. tot. Enumerantur, ibid. n. 4. Quid honor processionis, unde ortus, & quomodo deferatur ibid. n. 5. &c. Quis processionaliter excipi possit, ibid. n. 8. Honor thuris in quo consistat, & unde ortus, ibid. n. 11. Quâ ratione inter jura honorifica censetur aquæ benedictæ aspersio, ibid. n. 14. Porrectio aspergili soli Episcopo competit, & prohibetur porrigi Laicis cujuscunque conditionis, & quare, ibid. n. 16. 17. 20. Honor precum in quo consistat, & quibus debeatur, ibid. numer. 21. Hujus prætextu Toparchæ aliique non possunt præcipere accelerari vel differre divinum Officium, & varia super eo Edicta & Synodorum Decreta, ibid. num. 24. In quo consistat honor Sedis, ibid. n. 26. Tantùm deferri potest Patronis ratione fundationis, ibid. n. 27. Non Nobilibus aut inferioribus Officiariis, ibid. num. 28. In quo consistat honor sepulturæ, ibid. n. 29. Transfertur unà cum Jure Patronatus, p. 2. t. 38. c. 2. n. 49.

Jura honorifica debentur Patronis tam Ecclesiasticis, quam Laicis, p. 2. t. 25. c. 7. n. 30. Non potest Ecclesiasticus Patronus in Ecclesia ponere propria insignia, sed tantùm suæ Ecclesiæ vel Monasterii, ibid. num. 31. Patronus quoad jura honoraria præfertur Toparchæ, ibid. n. 34. Quid de uxore & liberis Patroni, ibid. n. 36. In honoris exhibendis recepta consuetudo servanda, ibid. num. 38. Controversiæ ratione horum jurium ad quem deferantur, ibid. n. 40. Quâ ratione probetur jus ad honores, ibid. Quid Parochis & Rectoribus Ecclesiarum in hac materia incumbat, ibid. num. 42. *Vide Eulogiæ, Pastor, Primitivus.*

JURA FUNERALIA.

Vide Jura Pastoralia, Quarta Funeraria, Sepultura.

JURISDICTIO.

Jurisdictio ordinaria quid sit, & quinam illam habere dicantur, p. 3. t. 5. c. 1. n. 3. cum seq. Jurisdictio ordinaria nec auferri, nec restringi potest sine causa & citra ordinem juris, ibid. n. 6. An eam habeant Legati, ibid. n. 5. Episcopus eam habet jure suo in totam Diœcesim omnesque ejusdem personas, ibid. n. 8. Eam retinet, donec planè probetur exemptio, ibid. n. 10. Nullus per Diœcesim eam exercere potest cum exclusione Episcopi, nisi eam plenè probaverit, ibid. n. 12. Quâ formâ olim Episcopi jurisdictione sua quoad decisionem causarum uterentur, ibid. n. 13. & seq. Quomodo jurisdictionem

nem ordinariam acquisierint Archidiaconi & Prælati inferiores, ibid. n. 18. Quænam jurisdictio, & in quas personas competat Judicibus Apostolicis delegatis, ibid. c. 2. n. 6. Jurisdictio, alicui concessa in dubio cumulativè, non privative, censetur concessa, p. 3. t. 12. c. 5. n. 22.

Jurisdictionis Ecclesiasticæ origo & forma est in Cap. 9. *Cor.* 1. quod explicatur, p. 3. t. 1. c. 1. n. 2. & seqq. Jurisdictio Episcoporum ab initio Ecclesiæ fuit potiùs Arbitri, quàm Judicis, & tendebat ad componendas decissiones, ibid. n. 10. 54. ibid. c. 3. n. 2. & p. 3. t. 7. cap. 3. n. 3. Constantinus & Archadius Imperatores permiserunt partibus, ad Episcopi judicium recurrere, ibid. num. 17. 18. A judicio Episcopi sic electi provocare non licebat, ibid. n. 19. Idem renovat Carolus Magnus, & ejus ratio, ibid. n. 30.

Jurisdictionis Ecclesiasticæ summa extensio seculo XIII. etiam in causis Laicorum, & quibus modis ad culmen illud ascenderit, ibid. n. 31. & seqq. Confœderatio Procerum Galliæ adversus eandem, p. 3. t. 1. c. 2. n. 4. Seculo XIII. Jurisdictio Ecclesiastica quoad causas Laicorum multùm incepit declinare, p. 3. t. 1. c. 2. n. 3. Quomodo sensim in Gallia quasi interierit, ibid. n. 6. & seq. Quid factum in Belgio, ibi. n. 18. 19. 20. In Gallia Laicus jurisdictionem Ecclesiasticam prorogare, & in eam consentire non potest, ibid. n. 22. & p. 3. t. 2. c. 3. n. 15. 18. Quid in Belgio, p. 2. t. 2. c. 2. numer. 26. 27. & p. 3. t. 2. c. 3. n. 15. & seq. Rationes, quibus Jurisdictionis Ecclesiasticæ imminutio meritò adscribi potest, p. 3. t. 1. c. 4. n. 2. & p. 3. t. 2. c. 4. n. 48. & 50. & p. 3. t. 10. c. 1. n. 40.

Jurisdictio Criminalis Ecclesiastica olim erat latissima quoad omnia crimina etiam Laicorum, p. 3. t. 4. c. 1. n. 1. Forum contentiosum usque ad seculum XII. non distinguebatur à foro pœnitentiali, ibid. n. 10. & p. 3. t. 11. c. 2. n. 14. Quomodo Episcopi tunc procederent in inquisitione & punctione criminum, p. 3. t. 4. c. 1. n. 20. Ea distinctio in causa fuit diminutionis jurisdictionis Ecclesiasticæ ibid. n. 26. Quænam delicta eidem manserint subjecta, ibid. n. 18. & seq. Quænam jurisdictio competat Decanis & Capitulis quoad excessus suorum subditorum, part. 1. tit. 11. cap. 2. n. 5. 8. & 12. *Vide Forum Competens.*

JUS DEVOLUTIONIS.

Vide Devolutio.

JUS PATRONATUS.

Vide Patronus.

L

LAUDUM.

Vide Compromissum.

LEGATUM.

Legatorum piorum causæ in Gallia institui solent per Procuratorem Regium coram Parlamentis, excluso Episcopo, p. 3. t. 2. c. 2. n. 15. 16. Aliud obtinet in Belgio, ibid. numer. 18. & seq. Episcopis cura piorum Legatorum incumbit, etiam locis ubi non habent eorum cognitionem, ibid. n. 28. & 29. Idem incumbit Parochis pro executione piæ voluntatis suorum subditorum, ibid. n. 34. Cavere tamen debent omnem speciem avaritiæ, ibid. n. 37. *Vide Fundatio, Hospitale.*

LEGATUS A LATERE.

Legati à Latere quinam dicantur, p. 1. t. 21. c. 1. n. 2. Eorum origo, ibid. n. 8. Reputati fuerunt tanquam Proconsules Romani, ibid. c. 2. n. 24. Uti possunt insigniis legationis extra Provinciam, ibid. Eorum jurisdictio reputatur ordinaria & perpetua, ibid. n. 18. & seq. Debentur ei procurationes, & quâ moderatione, ibid. n. 22. Eo præsente nequidem Patriarchæ potest crux præferri, ibid. n. 26. Nec Episcopus benedicere populum, nec deferre vestes, jurisdictionem ordinariam significantes, ibid. Eo præsente aliorum Legatorum potestas cessat, ibid. n. 27.

Legatus à Latere jurisdictionem voluntariam exercet extra Provinciam, ibid. n. 28. Confert Beneficia in Provincia, ibid. amplitudo potestatis ejus vel restrictio pendet ab ejus commissione, ibid. n. 29. & seq. Non potest turbare Ordinarios in sua jurisdictione, ibid. c. 3. n. 1.

Legati à Latere non recipiuntur, nisi cum consensu Regis in Hispania, & Gallia & Belgio, p. 1. t. 21. c. 3. n. 4. 5. 6. & seq. Bullæ eorum debent verificari & modificari in Consiliis regiis, ibid. n. 7. Modificationes tantùm annotantur in Regestis Consiliorum, & quare, ibid. n. 10. Quænam ordinariè apponantur in Gallia & Belgio, ibid. n. 11. & seq. & ibid. n. 16. & p. 2. t. 30. c. 7. n. 33.

Legatus tenetur legationem exercere per se, p. 1. t. 21. c. 3. n. 12. Potestas ejus hodie non censetur ordinaria, ibid. n. 31. Nisi fortè impropriè, p. 3. t. 5. c. 1. n. 5. Non potest admitere resignationes in favorem, nisi sit speciali facultate instructus, p. 2. t. 27. c. 2. n. 5. *Vide Nuntius.*

LEGATI NATI.

Legati Nati quinam dicantur, p. 1. tit. 21. c. 1. n. 5. Eorum origo, ibid. n. 14. & 15. Amplissima olim eorum auctoritas, ibid. & cap. seq. n. 13. Quomodo sequentibus seculis multùm imminuta, ibid. c. 3. n. 14.

LEGES CIVILES.

Legum Civilium studium Monachis, Presbyteris, & constitutis in dignitate prohibitum sub pœna excommunicationis, & quare, p. 1. t. 2. c. 6. n. 6. Legum Civilium notititia quomodo Clericis possit esse utilis, ibid. n. 7. Quæ cautela in earum studio adhibenda, ibid. & n. 8. Dispensationis loco sunt privilegia Academiæ Lovaniensis & aliarum & quomodo accipienda, ibid. n. 9. Specialis dispensatio hodie in Belgio non requiritur, ibid. n. 10.

Legum Civilium studium multum florere cœpit seculo XI. in Italia & Clerici magna aviditate ei incumbere, p. 3. t. 7. c. 1. n. 6. & 9. Quomodo ea occasione strepitus forenses in Curias Ecclesiasticas intrarint, ibid. n. 11. ad normam Legum civilium instituta sint ferè omnia officia in Curiis Ecclesiasticis, p. 3. t. 6. c. 1. n. 1. Eorum origo & regulæ ex iisdem petendæ, ibid. n. 2.

LENOCINIUM.

Lenocinium quid sit, p. 3. t. 4. c. 4. n. 25. Quàm detestabile crimen semper habitum fuerit, ibid. n. 26. An & quando illud incurrat maritus dissimulans adulteria suæ uxoris, ibid. n. 24. & 27. Cujus fori sit illud crimen, ibid. n. 28.

LIBELLUS.

Libellus Conventionalis quid sit, p. 3. t. 7. c. 3. n. 1. Debet offerri Judici & ejus auctoritati reo communicari, ibid. n. 2. Olim etiam ante tempora Justiniani ignotus in Curiis Ecclesiasticis, præsertim in causis civilibus, quia in iis nihil scripto agitari poterat, ibid. n. 3. 4. Hodie non requiritur in causis summariè terminandis, & quænam illæ, ibid. n. 8. & 9. Quâ formâ concipiendus & offerendus, ibid. n. 10. In ejus formatione præcipuè attendenda conclusio, ibid. n. 12.

Libellus civilis quis dicatur, p. 3. t. 9. c. 2. n. 4. Post conclusionem in causa nulla nova facta allegari possunt sine licentia Judicis per Libellum civilem impetranda, ibid. Vetitum ejus occasione novum processum instituere, ibid. n. 5.

LIBELLI MARTYRUM.

Libelli Martyrum olim erant species indulgentiæ, p. 2. t. 7. c. 2. n. 6. Quid illorum librorum intuitu concedebatur, ibid. n. 7. & 8. Abusus ex eo provenientes, ibid. n. 10. Quomodo iis occurrerint Episcopi, ibid. n. 3. & seq.

LIBELLI PRECUM.

Libelli Precum meritò ab Episcopis examinandi, corrigendi & expurgandi, p. 1. t. 16. c. 9. n. 6. Item Libelli certarum Confraternitatum, qui sæpè multa periculosa continent, part. 2. t. 37. c. 6. num. 43.

LIBRI PŒNITENTIALES.

Libri Pœnitentiales mediis seculis compositi, & quâ ratione, p. 2. t. 6. c. 3. n. 12. Eorum descriptio, ibid. r. 13. Episcoporum auctoritate probabantur, & Presbyteris tradebantur, & juxta eos pœnitentias imponere tenebantur, ibid. n. 14.

LIBRI PROHIBITI.

Librorum prohibitio ad quos spectet, p. 1. t. 22. c. 4. n. 14. & seq. Varia meritò in prohibitione librorum attendenda, ibid. n. 22. Libri in una Provincia prohibiti possunt in alia esse utiles, ibid. n. 23. *Vide Index Librorum prohibitorum.*

LIMINA APOSTOLORUM.

Limina Apostolorum visitandi obligatio, quæ incumbit Episcopis, originem habet ab Episcopis ad Romanam Metropolim pertinentibus, p. 1. t. 15. c. 2. n. 16. & 17. Olim idem erat ac Synodum juxta eadem limina celebranda convenire, ibid. Quomodo ad Metropolitanos, deinde ad omnes Episcopos extensa, ibid. n. 18. Præcipuus scopus hodie est ad informandum Sedem Apostolicam de statu suæ Ecclesiæ, ibid. n. 22. Ea informatio fit apud Congregationem Concilii Trid. de quibus rebus, & quâ formâ, ibid. Episcopi Belgæ & Galli non possunt accedere per se ad Limina Apostolorum sine consensu Regis, ibid. n. 15. Praxis Belgii habet, ut illa per Commissarium fiat, ibid. n. 24.

LITIS CONTESTATIO.

Litis Contestatio quidnam dicatur, & quomodo inducatur, p. 3. t. 7. c. 3. n. 13. Processus defectu litis contestationis est irritus, ibid. n. 16. Primitùs in judiciis Ecclesiasticis solemnis contestatio in usu non fuit, ibid. n. 18. Nec hodie in summariis requiritur, ibid. n. 19. An per litis contestationem hodie lis transeat ad hæredes absque ulteriori resumptione, ibid. numer. 21.

LITURGIA.

Liturgia, Christus simpliciter modo in Scripturis expresso Sacrificium incruentum instituit, p. 2. t. 5. c. 1. n. 8. Apostolis tamen eorumque successoribus potestatem reliquit ritum & ordinem instituendi, ibid. n. 9. Unde Ecclesiarum in cæremoniis & Liturgiis varietas, ibid. n. 15. & seqq. Illa nullatenus obest unitati fidei, ibid. n. 23. Propriæ Ecclesiæ ritus servandus, ibid. n. 24. Multa hodie in cæremoniis habentur pro lege, quæ ex abusu irrepserunt, ibid n. 28. Unde plura in iis obscura, ibid. n. 29.

Liturgia, quâ usi sunt Apostoli à S. Justino descripta, part. 2. t. 5. c. 1. n. 12. 13. Liturgiæ, quæ nomine Apostolorum circumferuntur, sunt suppositæ, ibid. n. 13.

Liturgia Ambrosina à Romana distincta, ibid n. 16. Eâ statuitur Ecclesia Mediolanensis & eam retineri voluit S. Carolus, ibid.

Liturgia Mozarabica in Hispania viguit, & unde sic dicta, & à quo composita, ibid. n. 17. 18. Abrogata tempore Gregorii VII. eique substituta Romana, ibid. n. 18. Adhuc servatur Toleti, ibid.

Liturgiam particularem habuit Gallia usque ad tempora Caroli Magni, & quænam illa, ibid. n. 19. 20. 21.

LOCUS PIUS.

Vide Bursæ, Fundatio, Hospitale.

LUDIMAGISTER.

Ludimagistri quales assumendi, p. 2. t. 11. c. 5. n. 12. Debent emittere professionem fidei, & coram quo, ibid. n. 11. Jus eos admittendi est penes Scholasticum, ibid. n. 13. Penes quos sit jus eos admittendi in locis, ubi Scholasticus deest, ibid. n. 14.

Ludimagister corrumpens in materia libidinis suos discipulos, quâ pœnâ castigandus, p. 3. t. 4. c. 4. n. 40. *Vide Schola.*

LUDUS.

Ludus aleæ seu fortunæ legibus Romanis prohibitus, p. 1. t. 2. c. 5. n. 1. Speciatim interdicitur Clericis, ibid. n. 2. Ludus aleæ comprehendit ludum chartarum, taxillorum, & generaliter omnem alium dependentem à fortuna, ibid. n. 3. Incommoda ex iis lusibus provenientia, ibid. Consuetudo Canones in hac materia in totum abrogare non potest, ibid. numer. 4. Circa restitutionem lucri ex ludo vetito quid in Belgio obtineat, ibid. n. 6. victori actio non conceditur ad lucrum petendum, ibid. n. 7. Quid alicui sciens pecuniam credidit in ludum aleæ, repetendi actionem non habet, ibid. In Brabantia aliquando impositum vectigal aleis, sed sine effectu, id quare, ibid.

Ludi quales Clericis liciti, ibid. num. 8. Moderatio & discretio in iis servanda, ibid. Quomodo hæ convenienter haberi possint, ibid. num. 9.

LUDI THEATRALES.

Vide Spectacula.

M

MAGIA.

Vide Sortilegium.

MAGISTER S. PALATII.

Magister S. Palatii jure suo est consultor sancti Officii p. 1. t. 22. c. 3. n. 22. Item Congregationis Indicis, ibid. c. 4. numer. 27. Ejus institutio & auctoritas, ibid.

MALEFICIUM.

Vide Sortilegium.

MANDATUM.

Vide Procurator.

MANDATA DE PROVIDENDO.

Vide Expectativæ.

MANSUS.

Mansus Ecclesiæ quid dicatur, & quid contineat, p. 2. tit. 35. c. 1. n. 22. Ejus immunitas concessa per Ludovicum Pium, & Carolum Calvum, ibid. n. 21. & 24. Item per Decretales, ibid. num. 26. & seqq.

MANUS MORTUA.

Vide Amortizatio.

MANUTENENTIA.

Manutenentiæ definitio & effectus, p. 3. t. 2. c. 4. n. 42. & 43. Requisita ad litteras manutenentiæ obtinendum, ibid. n. 44. 45. Hoc titulo manutenentiæ ferè omnes causæ Ecclesiasticæ devolvuntur ad Concilia Regia, & quæ hujus ratio, ibid. n. 46. & 47. Incommoda, quæ inde oriuntur, & quâ ratione illis possit occurri, ibid. n. 49. 50. 51.

MATER.

Matri an & quando credatur, quis sit pater prolis suæ illegitimæ, p. 3. t. 4. c. 4. n. 36. *Vide Parentes.*

MATRICULARIUS.

Vide Custos.

MATRIMONIUM.

Matrimonii definitio, p. 2. t. 12. c. 4. n. 1. Perficitur per mutuum consensum, etiam per sola signa expressum, ibid. numer. 7. & 8. Potest contrahi per Procuratorem, & quodnam mandatum requiratur, ibid. n. 10. 11. Quid operentur conditiones, si contractui matrimonii adjiciantur, ibid. num. 15. Matrimonium difficillimè admittit conditiones suspensivas, & quare, p. 2. t. 13. c. 3. n. 6. Requiritur consensus Parentum, sed tamen ejus defectus Matrimonium non reddit invalidum juxta Concilium Tridentinum, p. 2. t. 12. c. 4. n. 19. In Gallia videntur haberi invalida, & in quo invaliditas illa ibidem refundatur, ibid. n. 20. Pœnæ eorum qui sine consensu Parentum Matrimonium contrahunt, tam in Gallia, quàm in Belgio, & quinam illas incurrant, ibid. n. 22. & 23. Pœnæ adversus Parochos qui talibus Matrimoniis assistunt, ibid. numer. 24. Consensum Parentum Judex supplere potest, quis iste Judex, ibid. n. 26. Quid Pastores conveniat agere, dum Matrimonium hoc casu coram ipsis contrahendum aut jam contractum est, ibid. n. 27. & 30.

Matrimonia à primis seculis apud Ecclesiam solemnizata, p. 2. t. 12. c. 5. n. 1. Decretum Concilii Tridentini circa Matrimonia Clandestina, ibid. n. 3. Quis dicatur proprius Parochus, ibid. n. 6. *Vide Miles, Vagus.* Sufficit Parochus ulterutrius contrahentium, ibid. n. 5. Non requiritur quod sit Sacerdos, ibid. n. seqq. Assistentia Parochi non est actus Jurisdictionis, & varia inde consectanea, ibid. n. 17. Potest vices suas alteri delegare, sed non nisi Sacerdoti, n. 18. An idem posit Vice-Pastor, Deservitor, vel Vicarius, ibid. numer. 20. Potest ordinarius invito Parocho licentiam assistendi alteri delegare & quinam veniant nomine Ordinarii, ibid. n. 21. & 22. Quinam testes sufficiant, ibid. n. 24. Quænam præsentia requiratur tam in parocho, quàm in testibus, ibid. num. 25.

Matrimonia clandestina non sunt irrita in locis, ubi Decretum Concilii Tridentini non est publicatum, & quænam illa loca, ibid. n. 29. 30. An necessitas aliqua defectum parochi supplere possit, n. 31.

Matrimonia Hæreticorum coram Magistratu vel Ministro Hæretico reputantur valida & quare, ibid. n. 32. Etiam ubi altera pars est Catholica, n. 36. Fortiter talibus Matrimoniis obsistendum, ibid. n. 38. Apud Græcos Matrimonium Catholici cum Hæretica jam pridem fuit irritum, & quare, p. 2. t. 13. c. 8. n. 6. Secus apud Latinos, ibid. n. 7.

Matrimonia celebrata à concubinariis in articulo mortis, habentur in Gallia invalida quoad effectus civiles, p. 2. t. 12. c. 5. n. 28.

Matrimonium quibus ritibus hodie contrahatur, p. 2. t. 12. c. 6. n. 1. & seqq. Annaliticè explicatur, ibid. In Templo inter Missarum solemnia, non in domibus privatis aut post meridiem Matrimonium contrahi volunt Synodi Belgicæ, ibid. Benedictionis nuptialis antiquitas, ritus, ibid. n. 11. De quibus novi conjuges specialiter admonendi, ibid. n. 17. 18.

Matrimonium cum impedimento dirimente contractum debet dissolvi, p. 2. t. 14. c. 5. n. 2. Obtenta dispensatione Matrimonium coram Parocho & Testibus renovandum, ibid. n. 9. Debet Matrimonii prioris nullitas utrique Parti innotescere, ibid. n. 11. Id non requiritur in dispensationibus concessis à Pœnitentiaria super impedimento occulto, ibid. c. 7. n. 12. Quid faciendum si alter conjugum impedimentum subesse sciat, sed illud probare non possit dum à Judice cogitur debitum reddere, p. 2. t. 15. c. 2. n. 21.

Matrimonium legitimum quodnam dicantur, p. 2. t. 12. c. 4. n. 2. & p. 2. t. 15. c. 1. n. 2. Non dissolvitur per conversionem alterutrius ad fidem, etiamsi cum impedimento dirimente, sed non jure naturæ fuerit contractum, p. 2. t. 15. capit. 1. n. 4. Si Pars infidelis nolit cohabitare nisi cum injuria Creatoris, Matrimonium dissolvi potest, ibid n. 5. Pars tamen fidelis redire compellitur si ante novas nuptias infideles convertatur, ibid. n. 6.

Matrimonium ratum quodnam dicatur, p. 2. t. 12. c. 4. n. 3. Dissolvitur per professionem Religiosam, p. 2. t. 15. c. 1. n. 8. & seq. Non per votum ordini sacro annexum, ibid. numer. 12. Nec per votum simplex emissum in Societate Jesu post probationem biennalem, ibid.

Matrimonium consummatum quodnam dicatur, p. 2. t. 12. c. 4. n. 4. Juxta leges Civiles etiam dissolvitur per professionem Religiosam, p. 2. t. 15. c. 1. n. 13. Canones repugnant, ibid. De consensu mutuo licitum est conjugibus Religionem ingredi aut continentiam vovere, ibid. n. 16. Qui sine consensu conjugis Religionem intravit redire compellitur, ibid. n. 15. Dum unus conjugum Religionem ingreditur, etiam alter ingredi debet & quare, ibid. n. 17. Datur subinde exceptio & quid tunc cavendum, ibid. n. 20. Convenit ut interveniat judicium & auctoritas Episcopi, ibid. n. 21. *Matrimonii* separatio. *Vide Divortium.*

Matrimonium iterari sive secundas nuptias inire tunc tantum permittitur, quando constat de morte prioris conjugis, p. 2. t. 15. c. 3. n. 4. Non sufficit aut captivitas aut absentia quantumcumque diuturna, ibid. n. 6. Quænam probatio ad hoc necessaria, ibid. n. 7. Legibus Romanis intra annum à morte mariti, vidua prohibebatur nubere sub pœna infamiæ, aliisque & harum Legum ratio, ibid. n. 8. 9. Hodie sunt abrogatæ in quantum respiciunt iterationem Matrimonii, sed non in quantum respiciunt bonum liberorum primi thori, ibid. n. 14. *Vide Bigamia, Vidua.*

Matrimoniales causæ in Gallia ad solos Judices Ecclesiasticos spectant, etiamsi coram Judice seculari tantùm incidenter motæ essent, p. 3. t. 2. c. 1. n. 5. & seqq. Quid de eo statuant Concordata Brabantiæ, ibid. n. 13. Causæ matrimoniales spectant privativè ad Episcopum, ibid. n. 16. Possunt inferioribus competere est consuetudine, sed nonnisi ex immemoriali, ibid. n. 19. Ex stylo Curiæ Romanæ, etiam in secunda instantia solis Episcopis committuntur, ibid. n. 21. Variæ causæ matrimoniales, quæ in Gallia reservantur Judici Laico, ibid. n. 26. 27. 28. Sententiæ matrimoniales ad minus quoad expensas mandantur executioni in Curiis Ecclesiasticis Belgii non obstante appellatione, sed sub cautione, & quali, p. 3. t. 11. c. n. 31.

MENDICANTES.

Vide Ordines Medicantes.

MENDICITAS.

Mendicitas in Ordinibus Regularibus magna secum fert incommoda, part. 1. tit. 29. cap. 4. num. 21. & seq. His occurrere volens Concilium Tridentinum, permisit, ut redditus & bona in communi possiderent, ibid. n. 26. 27. S. Franciscus primus hujus Mendicitatis Auctor, ibid. n. 5. Tantùm illam subsidiarie instituit, & ubi opus manuum aliaque vitæ subsidia deficerent, ibid. n. 32. cum seq. Petere vel accipere eleemosynam extra vel ultra necessitatem, speciem furti reputavit, ibid. n. 35. Non convenit, ut circumeant pro eleemosynis tempore quo aliquis ex suo Ordine concionatur, ibid. num. 38. Varia in quæstationibus observanda, ibid. numer. 40. 42. & 43. Sine consensu Magistratus civilis egrè permittitur collectio eleemosynarum, ibid. n. 39. Nec alio titulo, quam laboris spiritualis, ibid. n. 38. Qui mendicato vivunt, paucis debent esse contenti, ibid. n. 40. S. Gregorius vult præferri mendicis honestos egenos in distributione quotæ pauperum in bonis Ecclesiæ, p. 2. t. 32. c. 4. n. 13. Modus Mendicitatis à Gregorio XIII. præscriptus Ordini S. Antonii Viennensis, p. 2. t. 37. c. 3. n. 14. 15. Edicta Belgica vetant omnem murmurationem aut asperitatem in casum denegationis eleemosynarum, ibid. c. 5. n. 39.

MENDICUS.

Mendici validi Reipublicæ admodum odiosi semper fuerunt, p. 2. t. 37. c. 5. n. 7. Leges Imperatorum adversus eos, ibid. n. 8. 9. Edicta Principum Belgii adversus eosdem recensentur, ibid. n. 11. Varia media, quibus civitates se ab iisdem valeant liberare, ibid. n. 19. Edicta Principum Belgii, quæ mendicitatem verorum pauperum tolerant, sed restringunt ad certum locum & tempus, aliasque cautelas adhibent, ibid. n. 22. & seq.

MENSA S. SPIRITUS.

Mensa S. Spiritus an computetur inter manus mortuas, p. 1. t. 29. c. 5. n. 4. Proventus Mensæ S. Spiritus administrandi sunt ut proprii, p. 1. t. 5. c. 2. n. 1. In eorum dispensatione variè attendenda, ibid. c. 3. n. 2. & 3. Quomodo Parochus in eorum distributione intervenire debeat, ibid. n. 4. Qui eleemosynis gaudent, sæpiùs à Parocho examinandi, ibid. n. 5. Decimis sufficientibus injustum est, proventus Mensæ S. Spiritus in portionem congruam Pastorum aut Vice Pastorum impendere, p. 2. t. 34. c. 3. n. 17.

Mensa S. Spiritus quousque auctoritati Episcopi subsit, quando administratur à Laicis, p. 1. t. 5. c. 4. n. 1. & seqq. & n. 6. & p. 2. t. 36. c. 1. n. 30. & seqq. Regulæ generales pro tota hac materia observandæ, p. 1. t. 5. c. 6. n. 1. & omnibus sequentibus.

MERCATURA.

Mercatura Clericis specialiter interdicta, p. 1. t. 2. c. 6. n. 2. Mercaturam olim exercere iis permittebatur, & immunitate gaudebant, & ratio ejus, p. 2. t. 35. c. 1. n. 8. & 9. Postea hæc licentia & immunitas merito revocata, ibid.

Mercatura prohibetur in Ecclesiis & Cœmeteriis, p. 2. t. 16. c. 1. n. 9. & 38. c. 2. n. 23. Item diebus festis p. 2. t. 17. c. 4. n. 11. Acta sive contractus iis diebus celebrati non sunt invalida, secus actus forenses & ratio disparitatis, ibid. numer. 12. *Vide Festum.*

Mercatorum libri & scripturæ privatæ quam fidem mereantur, p. 3. t. 7. c. 7. n. 59.

Mercatura jure Decretalium præstationi decimarum obnoxia, p. 2. t. 33. c. 2. n. 2.

METROPOLIS.

Metropoles Ecclesiasticæ olim ad normam civilium formatæ fuerunt, p. 1. t. 19. c. 1. n. 5. Ejus ratio, ibid. n. 8. Postea sejunctæ fuerunt, ibid. n. 10. Earum erectio devoluta ad Pontificem, cum consensu tamen Regis & auditis, quorum interest, ibid. n. 11. Archiepiscopi Remensis protestatio contra erectionem Cameracensis in Metropolim, ibid. n. 14.

METROPOLITANUS.

Metropolitanorum institutio est antiquissima, ibid. n. 1. Qualis olim eorum auctoritas, ibid. n. 3. & c. 2. n. 1. & seq. Quam partem habuerint in electionibus Episcoporum, p. 1. t. 13. c. 1. n. 11. 12. 13. Confirmatio Episcoporum spectabat olim ad Metropolitanum & Comprovinciales & deinde ad solum Metropolitanum, p. 1. t. 14. c. 1. n. 1. 2. 13. S. Principes Nominationes Episcoporum solebant dirigere ad Metropolitanum & Synodum, ibid. t. 13. c. 3. n. 5. Quo ritu Confirmatio expediretur, p. 1. t. 14. c. 4. per totum. Consecrationes Episcoporum præcipuè spectabant ad Metropolitanum, p. 1. t. 15. c. 1. n. 1. Quo ritu confirmatio fieret, quomodo tandem hæc ad Pontificem devoluta, p. 1. t. 14. c. 1. n. 5. & 6. & ibid. tot. cap. seq. Episcopi tenebantur ei præstare juramentum & quale, p. 1. t. 15. c. 2. n. 8. 9. Id ipsis adhuc competit vigore Concordatorum Germaniæ, p. 1. t. 13. c. 2. n. 10.

Metropolitanorum auctoritas multùm restricta, & unde, p. 1. t. 19. c. 2. n. 9. & c. 3. n. 5. Quænam adhuc hodie eorum auctoritas in personas & subditos suorum Suffraganeorum, eorumque causas & officia, ibid. c. 4. n. 10. & seq. Quid in eorum Diœcesibus eis competat, ibid. n. 11.

Metropolitani est indicere Synodum Provincialem, p. 1. t. 20. c. 1. n. 1. Si dissideat à Suffraganeis illorum vota prævalent, ibid. n. 17. Non potest Synodum dissolvere, alicui silentium

imponere aliqua jubere legi, sine consensu Co-Episcoporum, ibid. n. 18.
Metropolitanus Monasteria Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, in sua Provincia constituta, potest redigere in congregationes, iisque præsidere, si ipsi id negligant, p. 1. t. 32. c. 3. n. 19. & c. 4. n. 6. 7.

METUS.

Metus quid sit, & an causet involuntarium, p. 2. t. 13. c. 9. n. 1. Metus cadens in constantem virum, ibid. n. 3. Quid metus levis, ibid. n. 3. Quis metus sit hic & nunc gravis, quis levis, quid in eo à Judice determinandum & quomodo in eo procedere debeat, ibid. n. 7. & 8. Metus gravis dirimit Matrimonium jure naturæ potiùs quàm positivo, ibid. n. 10. An Metus de se levis quandoque dirimere possit Matrimonium, ibid. n. 11. Quid Parocho agendum dum metum subesse suspicatur, ibid. n. 13. Quid requiratur ut Metus dirimat Matrimonium, ibid. n. 14. 15.

MILES.

Milites ubi domicilium habere censeantur, p. 2. t. 12. c. 5. numer. 15. Quisnam eorum proprius Parochus in ordine ad contrahendum Matrimonium, ibid. n. 16. Concordatum inter Ordinarios & Delegatum Apostolicum ad Exercitus Regios, ibid. Fraudes fictè militantium reddunt Matrimonium invalidum, ibid.
Milites Jure Decretalium tenentur ad Decimas de suis stipendiis p. 2. t. 33. c. 1. n. 31.

MINORENNIS.

Minorennis an detur restitutio adversus triennalem possessorem, p. 2. t. 26. c. 4. n. 26.
Minorennis per annum ætatis 14. in spiritualibus habetur pro majore p. 2. t. 27. c. 4. n. 16. Possunt resignare sua Beneficia, ibid. n. 17. Non tamen iis sub quorum sunt potestate vel cura, ibid. n. 12. Rescinduntur eorum resignationes, dum constat illas malis artibus esse exortas, ibid. n. 20. Validè resignant parentibus reluctantibus, ibid. n. 21.

MINORITÆ.

Vide FF. Minorum.

MISERABILES PERSONÆ.

Vide Ordo Causa.

MISSA.

Missa unde dicta & varia hujus voti acceptio, p. 2. t. 5. 1. numer. 1. & 4. & seq. Quo ritu Apostoli & primi eorum Successores eam celebrarint, ibid. n. 11. & seq. Est excellentior & efficacior species orationis, p. 1. t. 16. c. 9. n. 3. Ejus celebratio primis seculis non concedebatur Sacerdotibus, nisi absente vel impedito Episcopo, ibid. Quibus diebus Episcopum conveniat celebrare, ibid. & n. 4.
Missa Parochialis olim dicta Missa publica, ejus prærogativæ, p. 2. t. 5. c. 2. n. 1. & seq. De obligatione illam frequentandi ante seculum XIV. nunquam fuit dubitatum, ibid. n. 5. Obligatio illa multis adstruitur, ibid. n. 6. cum seq. Concordata Hannoniæ permittunt procedi juridicè adversus absentes à Missa Parochiali, ibid. n. 14.
Missa Parochialis semper eâdem horâ celebranda est, nec differenda vel acceleranda ad nutum Nobilium aut Toparcharum, ibid. n. 11. & 12. Missæ Privatæ, Missæ fundationum & Confraternitatum, item Officia in Cathedralibus & Collegiatis & in Monasteriis ita sunt ordinanda, ut populus non abstrahatur à Missa Parochiali, ibid. n. 8. 9. 10. Instructiones in ea fieri debent post Evangelium, ibid. num. 17. & seq.
Missa ut publica dici posset, olim præter Communicantes requirebatur assistentia populi, ibid. c. 3. n. 14. Quid Missæ solitariæ, ibid. n. 15. à variis Synodis reprobantur, ibid. num. 16. Defenduntur à Petro Damiano, ibid. num. 20. Hodie sunt prohibitæ, ibid. n. 22. Olim dubitatum an non requirerentur ad minus duo præsentes & ministrantes, ibid. n. 19. Item Diaconis, p. 1. t. 1. c. 3. n. 9. Fideles in Missa olim osculum pacis sibi mutuò dabant, & quare id mutatum, p. 2. t. 12. c. 6. n. 14. Ea quæ in Missa aguntur, populo explicanda & quæ inde utilitas, p. 2. t. 5. c. 9. n. 23. 24. Orationes omnes in Missa ita sunt ordinatæ, ut supponant omnes præsentes offerre & communicare. *Vide Communio.* Quinam in Oratoriis privatis Missæ interesse possunt, ibid. c. 8. num. 19.
Missarum à celebratione arcendi Sacerdotes ignoti, non instructi litteris commendatitiis proprii Episcopi, ibid. c. 9. numer. 2. & seq. Quid hæ continere debeant, ibid. n. 10. Requiritur etiam licentia Diœcesani, ibid. n. 9. Hæc etiam obtinent in Ecclesiis Regularium, ibid. n. 8. Varii Sacerdote à Missarum celebratione arcendi, ibid. n. 14. & seq. In Ecclesia Parochiali nemo celebrare potest sine licentia Parochi, ibid. num. 12.
Missæ Minister qualis eligendus & quomodo in ministrando se gerere debeat, p. 2. t. 5. c. 3. n. 23. usque ad 28. Mulieri prohibitum ministrare, ibid. n. 29. Indignitas quæ tanto Sacrificio infertur per ministros pueros, petulantes, sordidos & immoratos, ibid. n. 30. & seq.
Missam celebrare non potest Sacerdos, nisi adstantes sint ritè compositi, ibid. c. 9. n. 21. Simultanea plurium Missarum celebratio in eadem Ecclesia minus conveniens & quare, ibid. n. 26. Olim frequens erat plurium Sacerdotum celebratio, p. 1. t. 15. c. 3. n. 20. Vetitus in Missa cantus non satis gravis, & quis talis censeatur, p. 2. t. 5. c. 9. n. 27. 28. Penes Episcopos est summa auctoritas abusus in Missarum celebratione occurrentes tollendi, ibid. n. 30.
Missa specialis celebrata olim in purgationibus vulgaribus dicta Missa Judicii, p. 3. t. 8. c. 4. n. 7. Quo ritu purgationem illam subituris, data communio, ibid. n. 9. & 10. *Vide Honoraria Missarum, Liturgia, Oblatio.*

MISSI DOMINICI.

Missi Dominici vocati olim fuerunt Ministri Regii juncti Episcopis in visitatione & eorum officiis, p. 1. t. 17. c. 4. n. 11. & 12. Etiam Synodis interveniebant & in quem finem, p. 1. t. 32. c. 2. n. 11. Eorum vices hodie gerunt in Gallia Parlamenta, quâ ratione, ibid. n. 12. 13. & seq. & p. 1. t. 17. c. 4. n. 13. Idque conforme est menti Concilii Tridentini, p. 1. t. 32. c. 2. n. 16.

MITRA.

Mitra recens est ornamentum, p. 1. t. 15. c. 3. n. 21. Græci ab eo abstinent, & quare, ibid. Abbates ad Synodos comparentes cum Episcopis, quibus mitris uti possint, p. 1. t. 31. c. 6. n. 28.

MONACHUS.

Monachi olim erant merè Laici, imò prohibebantur fieri Clerici, p. 1. t. 22. c. 4. n. 2. & p. 3. t. 12. c. 1. & 2. Episcopis & Parochis suberant, ab iis Sacramenta accipiebant & Decimas ut reliqui offerebant, ibid. Simul cum aliis Laicis ad Ecclesias accedebant, sed locum honorationem obtinebant, ibid. n. 5.
Monachorum vita est privata secessio, p. 1. t. 24. c. 1. n. 3. Non tanta in Monacho requiritur sanctitas quàm in Presbytero, p. 2. t. 9. c. 4. n. 7. Officium & character veri Monachi, p. 2. t. 28. c. 3. n. 19. Seculares ad Ecclesias suas allicere quocunque prætextu à professione Monachi est alienum. Strepitus forenses eorum professioni repugnant, p. 3. t. 6. c. 3. n. 34. & 38. Justinianus ideo voluit causas eorum celeriter terminari, p. 3. t. 7. c. 4. n. 42.
Monachis Regulæ antiquæ & Canones solitudinem commendant p. 1. t. 27. c. 4. n. 1. Votum stabilitatis eos ad clausuram non obligat, ibid. n. 3. Quænam ab ingredientibus observanda, ibid. n. 5. Socius eis adjungendus, ibid. n. 6. Olim solus loqui non poterat cum extraneo, ibid. n. 7. Dum egrediuntur mensas Laicorum declinare debent, ex Constitutiones variæ de hac materia, ibid. n. 10. Pœnæ eorum qui exeunt sine licentia, ibid. n. 12. 13.
Monachis mulierum familiarior conversatio interdicta, p. 1. t. 30. c. 2. n. 1. & 17. Mulierum ingressus in Monasteria gravissimis pœnis interdicitur, ibid. n. 2. & seq. *Vide Monasterium.*
Monachus non potest esse Patrinus, & quinam nomine Monachi veniant, p. 2. t. 2. c. 4. n. 16. Monachus an assumi possit ad Ecclesiam Parochialem, p. 2. t. 17. c. 3. n. 18. An olim ad Parochialem Ecclesiam assumptus maneret Monachus, ibid. n. 19.
Monachis Decimæ concedi potuerunt solo titulo eleemosynæ, & tanquam Dispensatoribus, & inde resultans obligatio eas uti tales dispensandi, præsertim in locis ubi colliguntur, p. 2. t. 33. c. 5. n. 6. Decimarum acquisitio eis in tantum displicuit, ut inter eos turbæ inde nascerentur, ibid. n. 28. & seq. Tenetur ad decimas ex suis prædiis, ibid. c. 7. n. 9. & 10. & 20. Immunitas à Decimis aliquibus Ordinibus concessa, ad quæ sese extendat, ibid. n. 11. & seq.
Monacho litigandi ex justa causa contra Abbatem per provisionem adjudicantur necessaria pro alimentis & prosecutione litis, p. 3. t. 9. c. 1. n. 21. *Vide Exemptio, Monasterium, Regularis.*

MONASTERIUM.

Monasterium extrui non potest sine consensu Episcopi, p. 1. t.

t. 24. c. 3. n. 2. Non dandus consensus, nisi causâ cognitâ, ibid. n. 4. Quinam ante audiendi, & quorum consensus adesse debeat, ibid. & seq. Consensus Regius omninò necessarius, ibid. n. 11. & seq. Quænam specialiter in admissione novi Monasterii attendenda integritas disciplinæ, ibid. n. 21. Frequenter adjiciuntur conditiones circa jura parochialia numerum Fratrum limites & modum quæstandi, quantitatem bonorum acquisitorum, aliaque, ibid. n. 17. 18. Conditiones adjectæ in admissione Societatis Jesu in Gallia & in Belgio, ibid. n. 14. In admissione PP. Oratorii Rothomagi, ibid. numer. 16. In admissione Recollectarum ad oppidum de Eckelo Diœcesis Brugensis, ibid. n. 17. Et lis super earum observatione, ibid. In admissione FF. Minorum Turnhauti, &c. ibid. n. 28. In quolibet Monasterio non plures admittendi, quam vel ex redditibus Monasterii aut consuetis eleemosynis ali possunt, p. 1. t. 26. c. 3. n. 6. Quænam dicantur consuetæ eleemosynæ, ibid. n. 8. Seculo XI. magna erat liberalitas in iis fundandis, p. 1. t. 29. c. 3. n. 13.

Monasterii proventuum administratio rectè desumitur è norma primorum Christianorum, p. 1. t. 29. c. 5. n. 1. Quidquid à parentibus datur Religioso id in communi distribuendum, quin imò potiùs alteri, & quare, ibid. n. 6. 7. Omnibus necessaria ex communi substantia Monasterii subministranda sine personarum acceptione, ibid. c. 7. n. 1. & seq. & p. 1. t. 31. c. 5. n. 2. ibid. t. 29. c. 8. n. 3. Media, quibus illud exactè poterit servari, erunt, si non plures admittantur, quàm ex redditibus, seu consuetis eleemosynis ali possunt, p. 1. t. 29. c. 7. & 8. Item si necesearia statui paupertatis sint commensurata, ibid. c. 8. n. 10. Solicita cura ægrorum habenda, ibid. n. 4. Horum neglectus, præcipua radix peculiaritatis, ibid. n. 5.

Monasterii bonorum administratio concedi potest solis officialibus, p. 1. t. 29. c. 9. n. 2. 3. & 12. Concedi simplici Monacho non potest, etiam dependenter à nutu Superioris, ibid. n. 6. & seq. Omnia undecunque obvenientia in communem usum distribuenda, ibid. c. 5. tot. Prælati aliique Officiales, rebus Monasterii utentes ut propriis, censendi Proprietarii, ibid. c. 9. n. 13. & seq. & p. 1. t. 31. c. 5. n. 6. Tenentur ad computus, & coram quibus, ibid. n. 8. Si sunt exempti, an etiam coram Episcopo, ibid. n. 9. In omnibus cavenda species avaritiæ, ibid. n. 18. Quibus debeantur bona, quæ necessitati Religiosorum supersunt, p. 1. t. 25. c. 4. n. 5. & p. 1. t. 31. c. 5. n. 5. Injuriæ illatæ Monasteriis vel eorum bonis in Brabantia privativè puniuntur per Præfectum saltuum, & unde id ortum, p. 2. t. 25. c. 1. numer. 36. *Vide Allienatio*, *Cellarius*.

Monasteria virorum ingredi ab omni tempore mulieribus interdictum, p. 1. t. 30. c. 2. n. 1. & seq. Licentiæ concessæ mulieribus quibusdam illustribus per Pium V. sunt revocatæ, ibid. n. 6. Interdicitur illis ingressus sub pœna excomunicationis reservatæ, ibid. Olim etiam ad Ecclesias Regularium eis non patebat accessus, ibid. n. 9. Quænam hodie observanda, dum mulieres ad eas admittuntur, ibid. num. 15. & seq.

Monasterium seu retrusio in Monasterium pridem inter pœnitentias connumeratas, p. 3. t. 11. c. 1. n. 17. Quid de ea habeant Canones & Decretales, ibid. n. 18. 19. Hodie est pœna Ecclesiastica, præsertim adversus Clericos in crimina prolapsus, ibid. n. 20. & seq. Ex Constitutione Justiniani adulteræ post corporalem castigationem in Monasterium retruduntur, p. 3. t. 4. c. 4. n. 6. Hæc pœna adhuc obtinet in Sabaudia, & sæpius usitata fuit in Gallia, ibid. num. 18. 19. Non convenit eas retrudere, vel etiam admittere in Monasteria Virginum, ibid. & n. 20.

Monastica vita à vita primorum Christianorum originem habet, p. 1. t. 24. c. 1. n. 1. Ea tantum privata secessio, ibid. n. 3. Quanta mala adferat indiscreta ad illam admissio, p. 1. t. 25. c. 1. n. 1. & seq. In admissione ad illam omnis pactio de temporalibus est simoniaca vel prohibita, idque latissimè probatur, p. 1. t. 26. c. 1. n. 4. & seq. Non est semper utilis multiplicatio Religiosorum, ibid. c. 3. n. 17. Vitæ Monasticæ, ita essentialis est abdicatio omnis proprii, ut nequidem summus Pontifex in eo possit dispensare, p. 1. t. 29. c. 1. n. 2. *Vide Peculium*.

Monastica disciplina, quantumvis penè instituta, mutabilitati est obnoxia, p. 1. t. 32. c. 1. n. 2. Illius relaxationis variæ causæ, ibid. n. 3. & seq. Præcipuè ejus integritas attendenda in omni admissione Monasteriorum, p. 1. t. 24. c. 3. numer. 21.

Monasticæ pœnæ variæ in regulis præscriptæ, p. 1. t. 31. c. 3. n. 21. & seq. Etiam corporales, ibid. Species excommunicationis inter Monachos usitata ex Regula S. Benedicti, & ejus effectus, item reconciliatio, ibid. n. 24. & seq. *Vide Monachus*, *Ordo*, *Regula*.

MONIALIS.

Monialium distinctio inter Choristas & Conversas olim ignota, p. 1. t. 31. c. 4. n. 5. & n. 13. Hodie ferè solæ Choristæ Capitulum constituunt, ibid. A quo visitanda Monialium Monasteria, p. 1. t 32. c. 4. n. 13. Fornicatio cum Moniali legibus civilibus & statutis Italiæ punitur pœnâ mortis, p. 3. t. 4. c. 4. n. 68. Quis hujus criminis Judex juxta Concordata Brabantiæ, ibid. In Monasteria Virginum non convenit detrudere vel admittere adulteras, ibid. n. 19. & 20.

Monialium Confessarius. *Vide Approbatio*.

MONITORIALES.

Monitoriales ad finem revelationis in Belgio vix notæ, p. 3. t. 11. c. 5. n. 6. Quis earum usus in Gallia, ibid. Unde exortæ, ibid. E levibus causis non concedendæ, ibid. n. 7.

MOTIVUM JURIS.

Motiva Juris inter acta litis non computantur, p. 3. t. 7. c. 5. n. 4. Nec in expensas taxantur, ibid. Dantur post conclusionem in causa, p. 3. t. 9. c. 2. n. 7.

MULIER.

Mulierum nimia familiaritas Clericis interdicitur, etiam devotionem præferentium, p. 1. t. 2. c. 3. n. 2. & seq. & n. 7. Ingressus in Monasteria virorum ab omni tempore eis interdictus, p. 1. t. 30. c. 2. n. 1. & seq. Hodie est pœna excommunicationis reservatæ, ibid. n. 6. Licentiæ concessæ quibusdam mulieribus illustribus per Pium V. sunt revocatæ, ibid. Mulieribus inhibetur Missæ ministrare, cancellos altaris accedere, p. 2. t. 5. c. 3. n. 29. Intrare chorum, p. 1. t. 30. c. 2. n. 9. & seq. & p. 2. t. 16. c. 1. n. 39. 40. Convenit, ut in Ecclesiis separentur à viris, ibid. n. 41. Item in Hospitalibus, p. 2. t. 37. c. 5. n. 34.

Mulieres prægnantes immunes sunt à tortura, sic, ut per eam nequidem terreri possint, p. 3. t. 8. c. 3. n. 44.

Mulieres hodie ob debita civilia incarcerantur contra Constitutionem Justiniani, p. 3. t. 9. c. 4. n. 27. In carceribus debent à viris separari, ibid. n. 28.

Mulieres censuras ferre non possunt, p. 3. t. 11. c. 2. n. 10. Explicatur *Cap.* 12. ✠ *de majoritate & obedientia*, ibid. numer. 12. & seq.

MULCTA.

Mulctæ pecuniariæ, quarum usus in Tribunalibus Ecclesiasticis, originem habent ex eleemosynis, pœnitentibus olim imponi solitis, p. 3. t. 11. c. 1. n. 2. & seq. In earum impositione cavenda est species avaritiæ, ibid. n. 8. Quinam de illa vehementer suspecti, ibid. n. 9. 10. Non infligenda, ubi crimen aliam punitionem requiri, ibid. n. 9.

Mulctam pecuniariam Episcopus non potest directè, vel indirectè sibi applicare, sed tantùm piis locis, ibid. n. 12. Nec iis locis, ubi aliquid cederet in commodum Episcopi, ibid. n. 13. In Gallia & Belgio debet in ipsa sententia exprimi locus vel pius usus, in quem mulcta sit impendenda, ibid. numer. 15. & 16.

MUNUS.

Munus triplex est quorum singulorum interventu simonia committitur, p. 2. t. 30. c. 2. n. 1. 2. Quid munus à manu, & quantum ad simoniam requiratur, ibid. n. 3. 4. quid invenire debeat, ut simonia per illud contrahatur, ibid. n. 4. De eo meritò taxantur Patroni & Decimatores, qui eâ lege aliquem præsentant ad Ecclesia Parochialem, ut non petat argumentum competentiæ, ibid. n. 6.

Munus à lingua quid sit, & quandonam per illud simonia committatur, ibid. n. 7. & 8. Quandonam collatio facta ad preces alterius censeri possit simoniaca, ibid. n. 9.

Munus ab obsequio quid sit, & quinam eo titulo de simonia notari possunt, ibid. n. 14 16. Monitum in hac materia S. Caroli ad Episcopos & Collatores, ibid n. 17. An labes simoniæ abstergatur, si exigatur tantùm obsequium spirituale. ibid. n. 19. & 20. Ex quibus colligi possit an animus Collatoris fuerit motus per munus gratuitum ad conferendum Beneficium, ibid. n. 21. Quàm alieni Officiales esse debeant a muneribus & avaritia, p. 3. t. 5. c. 1. n. 35. 39. Judices nihil etiam gratis oblatum recipere possunt, p. 3. t. 9. c. 2. n. 26.

MUSICA.

Musica qualis in officio divino admitti possit, p. 2. t. 5. c. 9. n. 27. & n. 31. 32. Decreta Concilii Tridentini & Synodorum circa Musicam & Organa & tintinabula, ibid. Querela Cardinalis Bonæ & Lindani de hodierna Musica, ibid. numer.

mer. 28. 29. Ecclesiæ, quæ hactenus Musicam non receperunt, laudantur, ibid. Cura Episcoporum circa eandem, ibid. num. 30.

N

NATALES.

Vide Illegitimus.

NECROMANTIA.

Necromantia quid propriè dicatur, p. 3. t. 4. c. 3. n. 22. sæpè tantùm mera sunt phantasmata quibus diabolus oculis hominum illudit, ibid. Ejus pœna est vivicomburium, ibid. num. 23.

NEGLIGENTIA.

Negligentiam Superiorum Laicorum in exigendo computus piarum fundationum Episcopi supplere possunt ex Concordatis Brabantiæ, p. 2. t. 37. c. 2. n. 44. & seq. Canonistæ negligentiam Judicis secularis volunt suppleri posse per Judicem Ecclesiasticum in causis miserabilium personarum, p. 3. t. 2. c. 3. n. 20. Id nullibi locorum hodie admittitur, ibid. n. 21. *Vide Devolutio.*

NEOPHITI.

Neophitis dabatur olim vestis alba, quæ totum corpus tegebat, p. 2. t. 2. c. 3. n. 38. 39. Ea utebantur per septem dies, ibid. n. 40. Item cereis ardentibus, ibid. n. 42. Dabatur eis lac & mel, & quid per hoc significaretur, ibid. n. 48. 50. Propter eos dies Paschales sunt dies lætitiæ, ibid. n. 51. Statim post Baptismum confirmabantur, ibid. 45.

NOMINATIO ACADEMICA.

Nominatio Academica species est expectativæ, p. 2. t. 23. c. 2. n. 6. Nominatus vigore suæ nominationis non potest acceptare Beneficium, in cujus collatione intervenit Patronus Laicus, p. 2. t. 25. c. 2. n. 27. Beneficium vacans vi Regulæ Cancellariæ de publicandis resignationibus acceptare potest, p. 2. t. 27. c. 6. n. 20. Nominati hujus Universitatis examen pro cura animarum subire debent, non obstante, quod Concilium Tridentinum eos exemerit, p. 2. t. 26. c. 1. n. 16. Quomodo præsentare se debeant concursui, p. 2. t. 22. c. 1. n. 1. & seq. Nominatio non impedit unionem Beneficiorum.

NOMINATIO REGIA.

Nominationem olim non habuerunt Imperatores, etiamsi ex quo fidem susceperunt, electionibus intenderent, p. 1. t. 13. c. 3. n. 1. Seculo septimo Episcopi nonnisi de eorum consensu ordinabantur, ibid. n. 2. Seculo VII. & VIII. Imperatores, Reges Hispaniæ, Reges Galliæ habuerunt jus Nominationum, ibid. n. 3. & seq. Postea restitutis electionibus præcipuas partes in iis habuerunt, & quomodo, ibid. n. 6. & seq.

Nominationes Episcoporum quantum habeant onus, p. 1. t. 13. c. 5. n. 5. & seq. & p. 2. t. 31. c. 4. n. 12. Imperatores & Reges varii eas aliquando recusârunt, ibid. 2. 13. Quâ ratione occasione reservationum eas resumere voluerint & obtinuerint, p. 1. t. 13. c. 3. n. 8. & seq. Nominationes olim dirigebantur ad Metropolitanum & Concilium, p. 1. t. 13. c. 1. n. 12. & 13. Hodie dirigi debent ad Pontificem, p. 1. t. 14. num. 6.

Nominationes Episcopatuum Regibus Hispaniæ competunt vigore indulti Apostolici & juris patronatus, p. 1. t. 13. c. 3. n. 4. & seq. Nulli tempori adstringuntur, ibid. Qualem personam nominare teneantur, ibid. c. 4. n. 1.

Nominationes Regibus Galliæ competunt ex Concordato, ibid. c. 3. n. 11. Intra quod tempus, & qualem personam nominare teneantur, ibid. c. 4. n. 4. & 6. Quid si persona nominata non inveniatur idonea, ibid. n. 7. Extenditur jus Regium nominandi ad omnes Abbatias & Prioratus virorum electivos p. 1. t. 31. c. 8. n. 16. Debent esse tales, in quorum electione servatur. *Cap. Quia propter ✠ de Electionibus*, ibid. & p. 2. t. 21. c. 3. n. 8. Quomodo Nominatio etiam extensa ad Monasteria Monialium, p. 1. t. 31. c. 8. n. 23. Abbatiæ Triennales sunt exemptæ, ibid. n. 18. Et illæ, quarum proventus non sunt distincti à Mensa Conventuali, & quinam Ordines eo titulo exempti, ibid. n. 21.

Nominant ad Episcopatus Principes Belgii vigore Indulti & Regaliæ, part. 1. tit. 13. cap. 3. num. 15. & 19. Titulus Regaliæ Romæ non attenditur, ibid. Quid circa Abbatias hodie obtineat in Belgio, & quâ occasione eo deventum, p. 1. t. 31. c. 8. n. 29. Formula, quâ Rex Catholicus utitur in Belgio, nominando ad Abbatias, ibid. n. 30.

NOSOCOMI M.

Vide Hospitale.

NOTARIUS.

Notarius quid sit, & unde sit dictus, p. 3. t. 7. c. 7. n. 9. Rationes cur Notarii Episcopales hodie ferè interierint, ibid. n. 11. Concilium Tridentinum voluit Notarios, quacunque auctoritate creatos, per Episcopum examinari, ibid. n. 12. Decretum hoc in Belgio non est receptum, quantum ad Notarios Regios, ibid. n. 13. Quâ formâ examinentur Notarii Apostolici per Episcopos in Gallia, & ad quæ loca se extendat eorum auctoritas ibid. n. 18. & seq. Quomodo creationes Notariorum hodie in Curia Romana expediantur, ibid. n. 15. Fermè ubique gentium nulla profana negotia expedire possunt, ibid. n. 26. 27. 28. Circa quæ eorum potestas versetur, ibid. n. 29.

Notarius quâ formâ instrumenta sua expedire debeat, ibid. numer. 30. & seq. Quâ curâ minutas servare, & in protocollo suo registrare debeat, ibid. n. 33. & 34.

Notarius solus expedire potest litteras collationis; aliquibus partibus requiruntur duo, p. 2. t. 21. c. 2. n. 16. Item litteras præsentationis, p. 2. t. 25. c. 5. n. 31.

Notarius Apostolicus inducere potest in possessionem Beneficii, p. 2. t. 26. c. 2. n. 9. Formâ quâ uti potest, ibid n. 11. & seq. An hoc aliquando possit Notarius Regius, ibid. n. 10. Contractus conscriptus per Notarium Apostolicum olim contrahentes subdebat jurisdictioni Ecclesiasticæ, p. 3. t. 1. c. 1. n. 41. Hinc testamenta facta sunt fori Ecclesiastici, ibid. numer. 39. Confectio testamenti hodie est Notariis Apostolicis inhibita, p. 3. t. 2. c. 2. n. 12.

Notarius an fiat irregularis, scribens in causa sanguinis, p. 2. t. 10. c. 4. n. 13. *Vide Instrumentum.*

NOVALIA.

Novalia vel ager Novalis quis dicatur, p 2. t. 33. c. 6. n. 1. Quid decimæ Novales, ibid. n. 4. & seq. An tales censeantur decimæ collectæ ex fundo, qui ante quidem protulit fructus, sed non decimabiles, ibid. n. 9. & seq. Consuetudo in omni materia decimali præcipuè attendenda, ibid. n. 14. & ibid. c. 2. n. 10.

Novalia speciali titulo competunt Pastoribus, ita ut concessio decimarum facta alteri non possit interpretari de novalibus, p. 2. t. 33. c. 6. n. 15. & 17. Requiritur, ut habeat aliquod jus decimandi, etiamsi tantum quoad minutas decimas, ibid. n. 22. Quid si tantum habeat portionem congruam, ibid. n. 23. Quo titulo decimæ novales alteri possint competere. ibid. n. 24. Privilegia aliquibus concessa de percipiendis novalibus, pro ea portione, quâ veteres percipiunt, variis mediis limitantur & restringuntur, ibid. Privilegia variis Ordinibus concessa super immunitate novalium, quas propriis manibus colunt, p. 2. t. 33. c. 7. n. 32. & seq.

Novalia ante alias decimas oneri portionis congruæ subjectæ, si ab alio, quam à Parocho possideatur, p. 2. t. 34. c. 4. n. 2. In Gallia ultra portionem congruam 300. librarum novalia postea exurgentia competunt Pastoribus, ibid. c. 5. n. 20.

NOVITIUS, NOVITIATUS.

Novitiatum præcedere debet diligens probatio juxta Regulam & praxim S. Benedicti & aliorum, p. 1. t. 25. c. 1. n. 3. & seq. Cellæ Novitiorum eorumque loca separata debent esse à reliquis Fratribus, & quare, ibid. c. 2. num. 3. Quænam Novitiis maximè exponenda, ibid. n. 8. & p. 1. t. 28. c. 1. numer. 2. Qualis eis præponendus Magister, & ejus officium & cura, ibid. t. 25. c. 1. n. 6. in locis ubi novitiatus sunt, non sunt collocandi, nisi maximè graves, devoti & exemplares, & quare, ibid. n. 12.

Novitiatus duratio olim diversæ & successivæ disciplinæ subjecta fuit, ibid. n. 13. Illi rei occurrerunt variæ Decretales & efficacissimè Concil. Trid. ib. n. 16. Tempus Noviciatus voluit esse annum integrum & continuum, ibid. n. 17. 20. 21. Quænam interruptio reddat professionem nullam, ibid. n. 22. An renuntiatio Novitii possit professionem anticipatam reddere validam, ibid. n. 19. Si statuta specialia Ordinis requirant longius tempus Novitiatus, quam Tridentinum, professio ante illud tempus non est invalida, ibid. n. 24. Qui anno Novitiatus expleto deserit, reversus sine novo Novitiatu profiteri potest, ibid. n. 15.

Novitio ante professionem manet libertas redeundi ad seculum, p. 1. t. 25. c. 3. n. 1. Ideò olim usque ad seculum XI. Novitiatus peragebatur in veste seculari, ibid. n. 2. & 3. Synodus Mechliniensis vetat abscindi crines Virginum ante professionem, ibid. n. 8.

Novitiatum ingredi non licèt, inconsultis parentibus, licèt ab eorum consensu valor professionis non pendeat, ibid. n. 11. Interdum auctoritate regiâ filiifamilias extra Monasterium collocantur, ut parentibus detur liber ad ipsos accessus, ibid. num. 12.

Novitiorum renuntiationes & obligationes an & quando sint validæ, ibid. n. 14. & 15. Decretum Concilii Trident. sess. 25. de Regularibus, circa renuntiationes & obligationes tempore Novitiatus explicatur, ibid. n. 16. Item Decretum vetans donari aliquid de bonis Novitii Monasterio, ibid. n. 18. & seq. Nullatenus concedit aliquid posse exigi pro expensis Novitiatus, ibid. num. 20. Similia pacta improbantur, ibid. numer. 22. & seq.

Novitius liberè potest disponere de bonis suis per testamentum, & quæ debeat in eo attendere, p. 1. t. 25. cap. 4. n. 1. & 2. An & quando in favorem Monasterii possit disponere, ibid. n. 4. Donationes Novitiorum suis Monasteriis suspectæ sunt & odiosæ, & sæpiùs rescissioni obnoxiæ, ibid. n. 12. Praxis Galliæ & Belgii circa illas, ibid. n. 13. 14.

Novitiarum examen duplex institui vult Concilium Tridentinum, unum ante assumptionem habitus, alterum ante professionem, ibid. c. 5. n. 2. Episcopus ejusque Vicarius ad illud vocandus, etiam in Monasteriis exemptis, ibid. n. 4. Super quibus inquirendum, ibid. n. 7. & sequent. De quibus puella monenda, ibid. num. 11. Quam prudentes & experti Commissarii ad id eligendi, ibid. num. 13.

NUNDINÆ.

Vide Festum.

NUNTIUS APOSTOLICUS.

Nuntii olim vocabantur Legati, Missi, Responsales, Apocrisiarii, p. 1. t. 21. c. 1. n. 1. 3. 10. 11. Variæ Legatorum vel Nuntiorum species, ab iis, quæ olim gesta sunt, originem habuerunt, ibid. n. 6. Quinam dicantur Nuntii cum Facultatibus Legati à Latere, ibid. n. 2. Distinctio inter Nuntios & Internuntios, ibid. n. 13. Eorum potestas censetur ordinaria, ibid. c. 2. n. 18.

Nuntiorum Bullæ per Concilia verificandæ, p. 1. t. 21. cap. 3. n. 7. Modificationes, quæ ordinariè apponuntur, ibid. n. 8. & 11. In quo versetur eorum officium in Gallia & Belgio, ibid. n. 17.

Nuntii faciunt informationes super vita & moribus electi in Episcopum, p. 1. t. 14. c. 3. n. 6. 7. & seq. Hoc ipsis non competit in Gallia, ibid. n. 10. & seq. *Vide Legatus à Latere, Legatus Natus.*

O

OBEDIENTIA.

Obedientia prima virtus Monachorum, p. 1. t. 28. c. 1. n. 1. Quatenus dicatur primus gradus humilitatis, ibid. n. 3. Qualis esse debeat, & ad quæ se extendere, ibid. n. 4. & seq. Quænam dicatur cæca, & quâ ratione, ibid. c. 2. n. 1. & 5. Etiam requirit discretionem, & discussionem, ibid. num. 3. & 7. Promittitur secundùm Regulam, ibid. c. 3. n. 3. Quid si aliquid præcipiatur, quod est supra Regulam, ibid, n. 12. & seq.

Obedientia dicitur licentia Superiorum in scriptis exeundi extra Monasterium, p. 1. t. 27. c. 4. n. 12. Pœnæ eorum, qui sine illa extra Monasterium reperiuntur, ibid.

OBEDIENTIA, CELLÆ OBEDIENTIARIÆ.

Obedientiæ quænam dicantur, & earum origo, p. 1. t. 31. c. 2. n. 6. 7. Ad minus requiritur, ut à tribus Monachis inhabitentur, ibid. n. 9. Quid si tot haberi non possint, ibid. num. 11. Ad firmam dari non possunt, & quid sub nomine firmæ comprehendatur, ibid. n. 13.

OBLATIO.

Oblationum usus antiquus, p. 2. t. 5. c. 4. n. 1. Ejus ritus, ibid. n. 2. Quænam in Missis offerebantur, p. 1. t. 15. c. 3. n. 18. & p. 2. t. 5. c. 4. n. 2. Ex oblationibus consecrabatur Eucharistia, ibid. n. 12. Oblatio panis & vini sensim mutata in denarios, ibid. n. 14. In cujus usum primitùs hi cederent, ibid. n. 15. Oblationum usus penè defecit, & quæ ejus ratio, ibid. n. 16. Usus ille restaurandus, & quibus mediis, ibid. n. 17. 18. Notoriè criminosi ad eas non admittendi, ibid. num. 19. Rejiciendi publicè ab Eucharistia, non semper repellendi ab Offertorio, ibid. n. 21. Ex oblationibus originem habent honoraria Missarum, ibid. c. 5. n. 1.

Oblationes non computandæ in fructibus Beneficii, dum ei pensio imponitur, part. 2. tit. 28. cap. 7. num. 19.

Oblatio quid sit, & quæ hoc nomine veniant, p. 2. t. 33. c. 10. n. 1. & 2. In quo decimæ differant ab oblationibus, ibid. numer. 3. Cui jure communi oblationes cedant, ibid. n. 8. Cui cedant oblationes factæ in sacellis intra limites Parochiæ, ibid. n. 10. Penes quos sit administratio oblationum, ibid. numer. 24. & seq. Ab hac administratione Parochus non potest facilè excludi, ibid. quo titulo illa Laicis competere possit, ibid. n. 28.

Oblationes permittunt Canones, dum prohibent omnem exactionem pro sepultura, p. 2. t. 38. c. 4. n. 22. & seq. Quænam veniam nomine oblationum in funeribus, & cui cedant, ibid. n. 27. 36.

Oblationes factæ Ecclesiæ Parochiali non computantur in quartam funerariam, ibid. c. 5. n. 33. *Vide Eulogiæ.*

OBLATI MONASTERIIS.

Oblatio unius cuilibet Monasterio competit Regi Galliæ in adventu suo ad Regiun competit, p. 2. t. 25. c. 9. n. 24. Jus illud unde ortum, & quinam eo frui possint, ibid. num. 25. 26. 27. Ad quænam Monasteria jus illud sit restrictum, ibid. n. 28. Tantùm uno oblato Monasterium gravari potest, ibid. num. 31. Quomodo is nutriendus, & an cogi possit ad suscipiendum habitum, ibid. n. 32. 33. Monialium Monasteriis viri offerri non possunt, ibid. n. 35. Idem jus competit Principibus Belgii, ibid. n. 36. Formula, quâ in sua nominatione utuntur, ibid. Quâ summâ anno 1668. hoc onus redimi potuerit, ibid.

OBLATI MONASTERIORUM.

Oblati sepeliuntur in Ecclesia Monasterii cui oblati sunt, nec debet solvi portio Ecclesiæ Parochialis, p. 2. t. 38. cap. 3. n. 12. Requiritur tamen, ut sint verè & plenè oblati, & quinam tales dicendi, ibid. n. 13.

OBSTETRICES.

Obstetrices circa quæ debeant esse instructæ, p. 2. t. 2. c. 4. numer. 20. 24. Earum juramentum, ibid. n. 20. Non admittendæ, nisi à Pastore loci examinatæ, & quoad instructionem approbatæ, ibid. num. 21. Quid cavere debeant circa proles illegitimas, ibid. n. 23.

ŒCONOMUS.

Œconomus à Capitulo Sede vacante constituendus, p. 1. t. 9. c. 4. n. 9. p. 2. t. 36. c. 1. n. 33. & 34. Quod ejus officium, item quæ ejus potestas, ibi. Tenetur novo Episcopo ad computum, ibid. Semel electus sine justa causa removeri non potest, ibid. n. 35.

Œconomum Canones volunt in omnibus Ecclesiis constitui, & quare, p. 2. t. 36. c. 1. n. 23. & seq. & p. 3. t. 6. c. 3. numer. 39. Quandonam desierit istud officium, p. 2. tit. 36. cap. 1. num. 29. S. Carolus eorum officium restitui voluit, ibid. num. 30. & sequent.

OFFICIALIS.

Officialis & Vicarius Episcopi jure communi sæpè confunduntur, secùs moribus Belgii, p. 1. t. 12. c. 4. n. 1. 2.

Officialis hodie dicitur, qui ut Vicarius Episcopi foro contentioso præest, ibid. n. 3. Olim vocabatur Missus, ibid. Videtur habere aliquam dignitatem, ibid. n. 7. Episcopus jure communi potest creare plures Officiales, ibid. n. 4. Imò tenetur, si Diœcesis se in plures Provincias extendat, ibid. numer. 6. Quis Principalis, quis Foraneus, ibid. n. 5.

Officialis jurisdictio an sit revocabilis, ibid. n. 9. An Episcopi possint pro libitu suo alios Judices constituere, ibid. numer. 10. An possint per se jus dicere, ibid. n. 11. An Officialis principalis jurisdictio morte Episcopi extinguatur, ibid. n. 12. Litteræ directæ ad Officialem non possunt expediri per Episcopum, p. 2. t. 14. c. 2. n. 7.

Officialis & Episcopi tribunal idem est, & causæ, quæ Episcopo reservantur, per eum expediuntur, p. 1. tit. 12. c. 4. n. 13. & p. 3. t. 3. c. 1. n. 29. Quâ occasione & quo tempore constituti Officiales Episcoporum, p. 3. tit. 5. c. 1. n. 19. Seculo XII. notantur de variis abusibus, ibid. n. 22. & seq. Quâ occasione Archidiaconi & Prælati inferiores suos Officiales instituerint, ibid. n. 25. Per Officiales strepitus forenses intrarunt tribunalia Ecclesiastica, ibid. n. 32. Variæ querelæ Principum contra multitudinem & excessus Officialium, ibid. num. 27. 28. Pro Officialibus rationem reddent Episcopi, ibid. num. 34.

Officialibus multæ qualitates sunt necessariæ, ibid. p. 1. t. 12. cap.

cap. 4. n. 14. Quàm alieni esse debeant à recipiendis muneribus, ibid p. 3. t. 5. c. 1. n. 35. Convenit, ut assumantur ex alia Diœcesi, n. 37. Assumi non potest Regularis, nequidem de consensu Superioris, p. 1. t. 12. c. 4. n. 16.

Officiales reputantur Judices ordinarii non delegati, p. 3. tit. 5. c. 2. n. 7. & 31. Causæ Apostolicæ ipsis possunt delegari, etiamsi non sint designati per Synodum, ibid. n. 31.

OFFICIUM.

Vide Ambitus.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

Officium Defunctorum ortum ex Psalmis, qui in funeribus decantabantur, p. 2. t. 38. c. 1. n. 38. Quandonam compositum, ibid. n. 39. In eo decantabatur Alleluja, ibid. n. 40.

OFFICIUM DIVINUM.

Officii Divini persolutio præcipua obligatio Canonicorum, & undenam illa orta, p. 1. t. 7. c. 6. n. 1. & 2. Omnibus horis etiam minoribus distributiones sunt annectendæ, ibid. c. 7. n. 3. Eadem est obligatio Capellanorum, p. 2. t. 18. cap. 4. n. 20. Capitula indici non possunt tempore Divini Officii, & contraria consuetudo improbatur, p. 1. t. 7. c. 5. n. 15. 16. Sententia S. Congregationis, ibid.

Officia Divina frequentanda sunt, ut dies festus rectè sanctificetur, p. 2. t. 17. c. 2. n. 11. Non sufficit sola auditio unius Sacri, ibid. n. 20. Decreta Synodorum pro frequentatione Divini Officii, ibid. n. 11. Edictis Principum Belgii adjuvantur, ibid. n. 17. Officia Divina semper eâdem horâ celebranda, nec acceleranda vel differenda ad nutum Nobilium vel Toparcharum, p. 2. t. 25. c. 7. n. 24. 25.

Officiorum Divinorum celebratio an & quousque ad curam Patronorum pertineat, p. 2. t. 25. c. 6. n. 19. & seq. Statuta facta per Episcopum in visitatione concernentia Divinum Officium, non subjiciuntur appellationi tanquam ab abusu, p. 3. t. 10. c. 4. n. 42.

Officii Divini perturbatio ad quod forum spectet, p. 3. t. 4. c. 5. n. 32. *Vide Horæ Canonicæ, Missa.*

OLEUM INFIRMORUM.

Oleum Infirmorum apud Latinos per solum Episcopum benedicitur, idque feria 5. in Cœna Domini, p. 2. t. 8. c. 1. n. 3. & 4. Quomodo custodiendum, & annis singulis renovandum, ibid. num. 5. Apud Græcos à Præsbyteris benedicitur, quod Ecclesia Latina non improbat, ibid. num. 6. & 8. Ritus eorum ungendi se oleo ab Episcopo benedicto feriâ 5. in Cœna Domini, ibid. n. 6.

OPTIO.

In Gallia Beneficium non vacat per assecutionem secundi incompatibilis, sed datur optio eligendi alterutrum, p. 2. t. 20. c. 4. n. 11. & 15. Quantum temporis concedatur ad optandum, ibid. n. 13. Præcautiones adversus fraudes, ibid. n. 14.

OPUS MANUUM.

Opus Manuum ubique omni tempore per Fundatores Monachis commendatum, Fundatorum de eo sententiæ, part. 1. t. 29. c. 3. n. 2. & seq. & p. 2. t. 33 c. 5. n. 29. An prætextu orationis ab eo excusandi, p. 1. t. 29. c. 3. n. 3. An prætextu lectionis, ibid. n. 5. In quem finem Monachus laborare debeat, ibid. n. 4. & seq. Mendicitas tantùm instituta in casum defectus vel insufficientiæ operis manualis, ibid. c. 4. numer. 32. & 35. Olim varia opera Monachorum erant, inter quæ præcipuum scribere libros, ibid. c. 3. n. 6. Nicolaus III. declaravit ab eo exemptos, qui studiis & ministeriis Ecclesiasticis vacant, ibid. c. 4. n. 36. Ejus omissio in Monasteriis opulentis otium induxit, sic ut sacris ministeriis adversus illud obviandum Pontifex judicavit, p. 1. t. 31. cap. 4. n. 6. Juxta S. Bernardum potiùs Monachis competit vivere ex opere manuum, quàm decimis, part. 2. tit. 33. cap. 5. numer. 29.

OPUS SERVILE.

Opus Servile quodnam dicatur, p. 2. t. 17. c. 3. n. 6. Varia opera servilia recensentur, ibid. n. 7. Ratio cur prohibita sint diebus festis, ibid. n. 8. Varii abussus, qui in hac materia committuntur per varia opificia, ibid. num. 9. & seq. Edicta Principum Belgii circa eandem materiam, ibid. n. 12. Disquisitio Gersonis, an scribere libros pietatis gratis sit opus servile prohibitum die festo, ibid. n. 13. Adversus hoc præceptum sæpiùs excedunt Advocati, Procuratores & Notarii, ibid. n. 19. 20.

Opera Servilia quibus de causis possint permitti, ibid. cap. 6. n. 5. Licentiam à Superioribus Ecclesiasticis petendam volunt Synodi, Edicta verò ab Officiariis locorum cum advisamento Archipresbyteri vel Pastoris, ibid. n. 11. 12. 13. Synodorum & Edictorum conciliatio, ibid. n. 14. Quid Judex competens in materia hujus præcepti, ibid. n. 20.

ORATIO.

Orationem præcipuum munus suum esse censuerunt Apostoli, p. 1. t. 16. c. 9. n. 1. Primarium etiam officium est Episcopi, ibid. & seq. Certas horas illi convenit destinari, ibid. numer. 2. Qualis esse debeat oratio Episcopi, ibid. Tenetur populum ad studium orationis incitare, & modum orationis docere, ibid. n. 5. Libellos precum examinare & expurgare, ibid. num. 6. Patroni Ecclesiæ & Toparchæ, si velint publicè, orationi fidelium sunt commendandi, p. 2. t. 25. c. 7. n. 22.

Orationis quadraginta horarum institutio & directio ad Episcopum spectat, p. 1. t. 16. c. 9. n. 8. Quomodo eam instituerit S. Carolus, ibid. Non sufficit in hac oratione exponere Eucharistiam, ibid. Imò sæpè non convenit, ibid. & part. 2. t. 4. c. 5. n. 23. Præcipuè populus incitandus ad solidam devotionem, p. 1. t. 15. c. 9. n. 9.

Orationes publicas pro causa publica indicere ad solum Episcopum spectat, ibid. n. 9. & 10. Magistratus Laici huic immiscere se non possunt, eamque præcipere, ibid.

ORATORIA PRIVATA.

Oratoria domestica à quo tempore inceperint, p. 2. t. 5. c. 8. n. 6. Incommoda ex iis provenientia, ibid. n. 8. An Episcopi possint concedere potestatem in iis Missas celebrandi ibid. n. 13. Parce & non nisi gravibus de causis ea concedenda, & quænam ante inquirenda, ibid. n. 14. 15. Concedenda sine præjudicio Ecclesiæ Parochialis, & ad certos tantùm dies, ibid. num. 16. 17. Quinam in iis Missam audire possint, ibid. n. 19. Regularium Ecclesiæ naturam habent Oratoriorum, p. 2. t. 6. c. 8. n. 3.

Oratorium castralium origo, p. 2. t. 16. c. 2. n. 6. & part. 2. t. 25. c. 2. n. 13. Ex iis in Ecclesias Parochiales versis ortum suum habet Jus Patronatus, quod Nobiles varii in Ecclesiis Parochialibus obtinent, ibid. n. 13. Idem est de minoribus Ecclesiis Collegiatis, ruri, ibid. n. 16.

ORATORIUM.

Vide Congregatio Oratorii.

ORDINARIUS.

Ordinarius quis dicatur quoad Pontificalia exercenda, part. 1. t. 16. c. 3. n. 8. Ordinarius quis dicatur in materia collationis Ordinum, p. 2. t. 9. c. 2. n. 3. 5. Olim titulus originis & domicilii non attendebatur in adscriptione alicujus Laici in Clerum, ibid. n. 6. 7. Solus titulus ordinationis erat alicujus in Clerum adscriptio, ibid. n. 8. Hodie tres sunt tituli, quibus quis censetur proprius Episcopus: Beneficii, Originis, & Dignitatis, ibid. n. 11.

Ordinarius Originis quis dicatur, & quænam origo attendenda, ibid. n. 13. 14. & 43. Quis dicatur Ordinarius Domicilii, & quænam pro domicilio judicando attendenda, n. 15. & seq. & 43. Ordinariè potior habenda ratio originis, quàm domicilii, ibid. num. 22. & 29. Vel Beneficii, ibid. Quis dicatur Episcopus Beneficii, & quis ad hoc requiratur & sufficiat, ibid. n. 22. & 43.

Ordinarius quocunque titulo potest ordinare, ibid. n. 11. Item concedere dimissoriales, ibid. n. 30. Pœnæ adversus Episcopum, alienum Clericum ordinantem, & adversus Clericum taliter ordinatum, ibid. num. 26. Illæ etiam procedunt quoad primam tonsuram, ibid. Nemo potest vigore rescripti Apostolici ordinari ab alio, quàm à suo Ordinario, nisi ejusdem Ordinarii testimonio commendatus, ibid. n. 36.

Ordinarius Regularium quis dicatur, ibid. n. 38. Quænam fraus hic aliquando committatur, ibid. n. 39. Possunt eorum Superiores mittere ad alium si proprius non ordinet, & cautio in eo adhibita, ibid. n. 40. Decretum Innocentii XII. in tota hac materia proprii Episcopi quoad ordinationes jam dictis conforme, ibid. n. 43.

Ordinarius potest per totam Diœcesim matrimoniis assistere, & assistendi licentiam aliis delegare, etiam Parocho invito, p. 2. t. 12. c. 5. n. 21. 22. Concordatum inter Ordinarios & Delegatum Apostolicum ad exercitus regios quoad matrimonia militum, ibid. n. 16. Auctoritas Ordinariorum in examinandis &

& rejiciendis dispensationibus super pluralitate Beneficiorum, p. 2. t. 20. c. 5. n. 15. 16. Jura Ordinariorum semper censentur favorabilia & amplianda, & quæ illis derogant, odiosa & restringenda, p. 2. t. 23. c. 5. n. 6. Auctoritas eorum circa provisiones Apostolicas in forma Brevium. *Vide Provisio Apostolica.* Auctoritas eorum circa taxationem aliaque in materia portionis congruæ, part. 2. tit. 34. cap. 2. num. 3. & cap. 8. numer. 3.

ORDO.

Ordo est verum Sacramentum, p. 2. t. 9. c. 1. num. 1. 2. Ejus materia ex Decreto Eugenii IV. pro Armenis, ibid. num. 7. Mens Eugenii nullatenus fuit essentiales formas & materias assignare, ibid. n. 8. Traditio instrumentorum apud Græcos incognita, nec apud Latinos semper adhibita, ibid. n. 9. & 10. Primitùs adhibita post ordinationem, & quare, ibid. numer. 13. Verba traditioni correspondentia non possunt dici forma, ibid. n. 12. An Ecclesia possit hodie requirere tanquam essentiale, quod olim tale non fuit, est incertum, ibid. n. 16. Unctio in ordinatione est tantùm cæremonialis, nec semper adhibita, ibid. num. 17. An Presbyter jure delegato posset Ordinare Presbyterum, ibid. cap. 2. num. 4. A quo Episcopo Ordines suscipiendi. *Vide Ordinarius.*

Ordinandi quas qualitates habere debeant, p. 2. t. 9. c. 4. numer. 18. & seq. & 32. & 37. & 38. Quomodo de iis assecurari possit Episcopus, ibid. n. 19. & 32.

Ordinandi debebant olim innocentiam baptismalem conservasse, p. 2. t. 10. c. 6. n. 2. Lapsi in crimen, etiam occultum, ab omni ministerio Ecclesiastico excludebantur & deponebantur sine spe restitutionis, ibid. n. 3. & 4. Quid de iis habeat moderna disciplina, ibid. n. 15. Episcopus potest occultum criminosum ab Ordinibus repellere, & à jam susceptis suspendere, ibid. n. 22. & 24. Adversus hanc recusationem aut suspensionem datur recursus ad S. Sedem, sed non facilè admittendus, ibid. n. 25. 26.

Ordinationes fieri prohibentur extra quatuor tempora, part. 2. t. 9. c. 4. n. 30. In quem finem fuerint instituta, ibid.

Ordinationes simoniacæ qua ratione dictæ irritæ in substantia, p. 2. t. 30. c. 6. n. 7. *Vide Examen, Interstitia, Dimissoriæ, Ordinarius.*

Ordines Minores non semper, nec ubique noti fuerunt, p. 2. t. 9. c. 1. n. 4. Nec sunt immediatè à Christo aut Apostolis instituti, ibid. n. 5. 6. Non habent rationem Sacramenti, nec Trident. id definivit, ibid. n. 6. Olim Sacris Ordinibus non semper præmissi, sed modo plures vel pauciores, p. 1. t. 1. c. 2. n. 1. & 2. Nec ob id talis per saltum promotus censebatur, ibid. n. 1. & p. 2. t. 9. c. 5. n. 6. Votum Ecclesiæ, ut functiones illorum Ordinum restituantur, ibid. num. 10. Disciplina circa eosdem multùm collapsa, & quæ prolapsionis origo, p. 1. t. 1. c. 2. n. 8. 9. Zelus S. Caroli in hac disciplina restituenda, ibid. n. 10.

Ordines Minores à quo tempore Abbates soleant conferre suis subditis, p. 1. t. 31. c. 6. n. 10. 11. Non subdito eos conferre non possunt quocunque casu, ibid. num. 20. 21. & p. 2. t. 9. c. 2. n. 38.

ORDO REGULARIS.

Ordinum Regularium primis seculis nulla erat varietas, p. 1. t. 24. c. 2. n. 1. & seq. Illa incepit seculo X. & XI. multùm invaluit, ibid. n. 5. & 6. Concil. Lateran. sub Innocentio III. vetuit novum Ordinem institui, & quare, ibid. n. 7. Non observatum, ibid. num. 8. Idem renovavit Conc. Lugdunense, ibid. num. 9. Primi approbationem suorum Ordinum à Sede Apostolica petierunt Dominicus & Franciscus, ibid. n. 11. Quare necessaria, quid operetur, ibid. num. 12. & 14. Sedi Apostolicæ reservata, ibid. n. 13.

Ordinem suum Monachus liberè mutare olim poterat, & ad alium transire, idque erat satis frequens, p. 1. t. 27. cap. 5. n. 1. Postea rariùs id contingebat, & cur id expediat, ibid. n. 3. & 4. Non licebat transire ad laxiorem, nisi de consensu Pontificis, qui non conceditur, nisi ob infirmitatem, quæ expeditur in Pœnitentiaria, num. 8. 9. & 11. Quid de transitu Mendicantium, ibid. n. 10. Ex quibus judicandum de laxitate vel rigore in hac materia, n. 13. Quænam sit justa causa transeundi ad Ordinem strictiorem, ibid. n. 12. Cujus licentia ad hoc requiratur, ibid. n. 16. & 18. An debeat novum Novitiatum absolvere, ibid. n. 19.

Ordine abscindi, vel eo ejici Monachus olim poterat, & quâ formâ id fieret, p. 1. t. 27. c. 7. n. 1. & 3. Jus Decretalium id prohibet, in quo à veteri disciplina recedit, ibid. n. 6. 7. Constitutio Urbani VIII. circa eosdem, veterem disciplinam aliquatenus revocans, ibid. n. 9. Dubium est, an moribus nostris reciperetur, ibid. n. 10. Ubi in antiquis regulis invenitur *projiciatur de Monasterio*, hodie supplendum, *retrudatur in carcerem*, p. 1. t. 31. c. 3. n. 32. *Vide Monasterium, Regula, Ordo.*

ORDO CISTERCIENSIS.

Ordinis Cisterciensis origo, p. 1. t. 32. c. 5. n. 12. In suo exordio decimas possidere noluerunt, imò id fuit partim reformationis eorum occasio, p. 2. t. 33. c. 5. n. 30. Specialiter privilegiati sunt in materia immunitatis à decimis, ibid. c. 7. n. 15. Hujus privilegii origo, ibid. Querelæ Episcoporum & aliorum adversus Cistercienses, in quo fundatæ, ibid. n. 16. 17. Privilegium hoc non extenditur ad terras, quas alii elocant, ibid. n. 23. Item ad terras, quas ab aliis conducunt, ibid. n. 24. Nec ad terras post Concilium Lateranense acquisitas, etiamsi eas propriis manibus excolerent, ibid. n. 34. Eadem locum habent quoad omnes Regulares, privilegio eodem, quo Cistercienses, gaudentes, ibid. n. 30. Privilegia recentiorum Pontificum Cisterciensibus concessa, an & quousque recepta, ibid. n. 35. 36. Hæc exemptio tantum est personalis, neque fundis inhæret, ita ut cum iis transferri non possit, ibid. n. 42.

Ordini Cisterciensi Alexander III. & Bonifacius VIII. concedunt, quòd à Decretis Prælatorum non liceat appellare, p. 1. t. 29. c. 4. n. 9. Confirmatur hoc indultum Arresto Parlamenti Divionensis, ibid. n. 11.

ORDINES HOSPITALARII.

Vide Hospitale.

ORDINES MENDICANTES.

Ordines Mendicantes instituti sunt ut meri Parochorum Subsidiarii, p. 1. t. 3 cap. 7. tot. Instituto eorum contrarium est velle Parochis invitis concionari, ibid. c. 8. n. 1. Pro his per se concionari volentibus cedere debent, ibid. n. 2. Variis sententiis id confirmatum, ibid. n. 4. & seq. Eorum admissioni ordinariè adjicitur, quòd non possint se ingerere in aliquod spectans ad officium pastorale sine scitu & consensu Pastorum, p. 1. t. 24. c. 3. n. 17. Eorum admissio maximum fuit præjudicium Parochis, p. 1. t. 16. c. 8. n. 16. & seq.

Ordines Mendicantes olim bona & redditus habere non poterant, nequidem in communi, p. 1. tit. 29. c. 4. n. 2. & 19. Differentia inter Mendicantes ex Regula, & Mendicantes ex Constitutionibus, ibid. num. 3. Soli Franciscani possunt dici Mendicantes ex Regula, ibid. n. 4. Ordo S. Dominici in initio redditus possedit, sed quadriennio post suam approbationem abdicavit, ibid. n. 6. Cæteri Ordines quo tempore inter Mendicantes fuerint connumerati, ibid. n. 10. & seq. Ordines Minorum, Carmelitarum Discalceatorum declarantur Ordines Mendicantium, ibid. n. 16. & 18. Item Societas Jesu, & quo titulo, ibid. n. 17.

Ordinibus Mendicantibus Concilium Tridentinum concessit, ut possint redditus in communi possidere, & quare, ibid. n. 26. 27. Minores de Observantia & Capucini excipiuntur, & quare, ibid. & n. 28. Annotatio circa illud Decretum in receptione Tridentini Concilii in Belgio, ibid. n. 29. Per hanc concessionem tamen non desierunt dici Mendicantes à mendicitate, ibid. n. 30.

Ordines Mendicantes non debent otiosis, & non laborantibus gravari, p. 1. t. 29. c. 4. n. 41. Non potest transiri ab iis ad Ordinem non Mendicantem, nisi ad solum Carthusianum, sine licentia Papæ, & quare, p. 1. t. 27. c. 5. n. 10. Reprehenditur pruritus eorum ad Ss. Ordines, p. 1. t. 31. cap. 4. num. 11.

Ordinum Mendicantium multiplicatio ortum dedit penuriæ, & ex illa varia exorta quæ fuerunt causa prolapsionis eorum & quænam, p. 1. t. 32. c. 1. n. 17. & seq. Alia quæ eorum prolapsioni causam dederunt, ibid. n. 24. & 25.

Ordinibus Mendicantibus quodnam inhibitum Eucharistiam Populo distribuere sine consensu Parochi & quomodo licentia contraria invaluerit, p. 2. t. 4. c. 1. n. 21. 22. 23. Incommoda ex illa licentia exorta, ibid. n. 24. Licentia illa se non extendit extra eorum Ecclesias, ibid. c. 4. n. 9. Pœnæ contra eos qui sine licentia Parochi Communionem ad infirmos deferunt, ibid. num. 11. Item in administrantes Extremam Unctionem, p. 2. t. 8. c. 3. n. 10. Non possunt mulieres post partum ad purificationem in suis Ecclesiis admittere & Sententia S. Congregationis Concilii Trid. super eo, p. 2. tit. 2. c. 5. n. 8. & 9. An assumi possint ad Ecclesias Parochiales, p. 2. t. 18. c. 3. n. 28. *Vide Exemptio, Mendicitas, Approbatio, Statio.*

ORDO FF. MINORUM.

Ordo FF. Minorum primus fuit, cujus Regula per Sedem fuit ap-

approbata, p. 1. t. 24. c. 2. n. 11. A fundatore commendatur ei opus manuum, p. 1. t. 29. c. 4. n. 32. Mendicitas non nisi subsidiariè permittitur, ibid. n. 35. Soli vocantur Mendicantes ex Regula, & quare, ibid. num. 4. 5. Ob eam causam excipiuntur à licentia per Concilium Tridentinum cæteris Mendicantibus concessa, possidendi bona immobilia in communi, ibid. n. 26. Fratres Conversi apud eos habent suffragium in electionibus, p. 1. t. 31. c. 4. n. 6. Fundator omnium primus in formula professionis expressam mentionem fecit trium votorum, p. 2. t. 30. c. 1. n. 3. 4.

Fratres Minores adjunguntur Prædicatoribus in negotio Inquisitionis & quare, p. 1. t. 22. c. 3. n. 12. Conditiones adjectæ eorum admissioni Turnhauti, p. 1. t. 24. c. 3. n. 18. Item in oppido Eecloockeloo Diœcesis Brugensis & lis super earum observatione, ibid. p. 1. t. 24. c. 3. n. 17. A fundatore prohibentur eis privilegia & exemptiones, p. 3. tit. 12. c. 4. n. 14. 42. *Vide Mendicitas, Ordines Mendicantes.*

ORDO FF. PRÆDICATORUM.

Ordo FF. Prædicatorum primus fuit ex approbatis à Sede, p. 1. t. 24. c. 2. n. 11. Initio suæ Fundationis possedit bona in communi, etiam decimas, sed mox abdicavit, part. 1. t. 29. c. 4. num. 6. Summo zelo promovent officium Inquisitionis, p. 1. t. 22. c. 3. n. 6. & seq. Adjunguntur eis FF. Minores qui eorum zelum temperent, ibid. n. 12.

ORDO PRÆMONSTRATENSIS.

Ordinis Præmonstratensis in Brabantia zelus in resistendo introductioni Commendarum, p. 1. t. 31. c. 7. n. 52. 53. Canonici Præmonstratenses vigore sui privilegii, possunt assumi ad Ecclesias Parochiales seculares, p. 2. t. 18. c. 3. n. 26. An ex Pastoratibus revocari possint ad solum nutum suorum Prælatorum, ibid. n. 27.

ORNAMENTUM.

Ornamenta Ecclesiæ Parochiali subministrare tenentur Decimatores, p. 2. t. 16. c. 5. n. 30. Quot & qualia, ibid. num. 31. Ornamenta pretiosa potiùs conveniunt Ecclesiis Parochialibus quàm Claustralibus, & quare, ibid. n. 32. Ornamenta servientia ad usum Sacri Ministerii executioni non subduntur, p. 3. t. 9. c. 4. n. 22.

OSCULUM.

Osculum pacis inter Missarum solemnia sibi mutuò dabant Fideles, p. 2. t. 12. c. 6. n. 14. Quomodo & quare id mutatum, ibid.

OSTENSORIUM.

Ostensoriæ sive Remonstrantiæ in quibus Eucharistia exponitur & defertur in Processionibus, sunt recentissima, p. 2. tit. 4. cap. 5. num. 12. Quomodo antea Eucharistia in Processionibus delata, ibid. num. 11.

P

PACTA ANTENUPTIALIA.

Pactorum antenuptialium cognitio cum suis emergentibus & connexis, justa Concordata Brabantiæ est mixti fori, part. 3. t. 2. c. 1. num. 18. 19. Judex Ecclesiasticus in hac materia tenetur sequi ordinationem Principum & consuetudines locorum, ibid. num. 21. In pactis antenuptialibus requiritur subscriptio Notarii & duorum Testium, ibid. & p. 3. t. 7. cap. 7. num. 35.

PANIS ABBATIALIS.

Vide Oblati Monasteriis.

PANIS BENEDICTUS.

Vide Eulogia, Oblatio.

PALLIUM.

Pallii antiquitas in quo multa obscura, p. 1. t. 19. c. 5. n. 3. 4. Quomodo agni ex quorum lana conficitur specialiter offerantur, ibid. n. 7. Quomodo pallia benedicantur, ibid. n. 8. Quomodo petenda & qua forma dentur, n. 11. 12. Quomodo absentibus imponatur, ibid. n. 13. Qua restrictione ad loca & tempora concedatur, n. 15. Est merè personale, ibid. n. 16. Ejus ademptio signum exauctorationis, ibid. n. 17. Archi-Episcopus ante receptionem Pallii potest concedere Dimissoriales, p. 2. t. 9. c. 3. n. 10.

PAPA.

Papa est cæterorum Episcoporum caput & in Ecclesia Romana unitatis Ecclesiasticæ centrum, p. 3. t. 4. c. 2. n. 51. Ad fidem Episcopi Romani Imperatores remittunt suos subditos, ad hauriendam notitiam eorum quæ sunt fidei, ibid. n. 13. & seq. Quomodo ejus Primatui non obsit quod in causis coram eo decisis admittatur Appellatio, p. 3. t. 10. c. 2. n. 12. Ad eam solum appellari potest omisso medio, ibid. n. 5. Cardinales in regimine universalis Ecclesiæ illi assistunt & interveniunt, p. 1. t. 22. c. 1. n. 31. 32.

Papa permittit examinare Leges suas antequam recipiantur, p. 2. t. 24. c. 6. n. 3. Necessitas placeti supremæ ejus potestati non officit, ibid. n. 2. & 3. Nunquam vult tollere Jus alteri quæsitum, ibid. c. 5. num. 28. & seq.

Papæ reservantur confirmationes Episcoporum p. 1. t. 13. c. 4. n. 11. & p. 1. t. 14. c. 1. n. 5. Canonizationes Sanctorum, p. 1. t. 22. c. 7. n. 9. Correctio & mutatio Breviarii Romani, ibid. n. 19. Interpretatio Concilii Tridentini, ibid. c. 5. n. 3. Approbationes Ordinum & Regularium, p. 1. t. 24. cap. 2. numer. 13. *Vide Causæ majores, Devolutio, Dispensatio, exemptio, Præventio, Provisio, Regulæ Cancellariæ, Reservatio, Resignatio, Simonia.*

PARENTES.

Parentes consuli debent à filiis ante ingressum in Religionem, p. 1. t. 25. c. 3. n. 11. Provisiones quas aliquando concedunt Senatus Regii, eo casu, in favorem Parentum, ibid. n. 12. Cogi possunt ad designandum filio titulum super quo possit ordinari, p. 2. t. 9. c. 6. num. 28.

Parentibus invitis contracta matrimonia Ecclesia detestatur, sed tamen ea non habet tanquam invalida, p. 2. t. 12. c. 4. numer. 19. & 21. In Gallia habentur invalida, ibid. num. 20. & p. 2. t. 13. c. 10. n. 14. Pœnæ in Gallia & in Belgio adversus filiosfamilias invitis Parentibus contrahentes & quinam illas incurrant, p. 2. t. 12. c. 4. n. 22. & 25. Pœnæ adversus Pastores qui illas assistunt, ibid. n. 4. Consensum eorum supplere potest judex, & quis iste Judex, ibid. n. 26. Culpa quam incurrunt Parentes dum irrationabiliter consensum suum negant, ibid. n. 29. Quid Parocho agendum, dum auctoritate judicis matrimonium invitis parentibus coram ipso est celebrandum aut etiam celebratum, ibid. n. 27. & 30.

Parentibus invitis Resignatio Beneficii facta à filio an sit valida, p. 2. t. 27. c. 4. n. 21. Parentes in causis contra filios non tenentur cedere bonis, p. 3. t. 9. c. 4. n. 40.

PARLAMENTUM.

Vide Senatus Regius.

PAROCHIA, PAROCHIALIS ECCLESIA.

Parochiarum institutionis & divisionis antiquitas, part. 1. t. 3. c. 1. n. 2. Fines Parochiarum debent esse certi & distincti, ibid. n. 4. An duæ Parochiæ uni ad tempus possint concedi, p. 2. t. 20. c. 5. n. 12. An ad eas assumi possint Regulares. *Vide Beneficium Seculare.*

Parochiæ totius cura Parocho incumbit, ibid. p. 1. t. 3. cap. 1. n. 3. Sine ejus scitu & consensu circa terminos Parochiæ nemo potest baptizare, p. 2. t. 2. c. 2. n. 5. Nec in Ecclesia Parochiali celebrare Sacrum, quod in variis Judicatis probatur, p. 2. t. 5. c. 9. n. 12. 13.

Parochialis Ecclesia dicitur Mater Fidelium & quare, part. 1. t. 24. c. 3. n. 9. Quantam obligationem ei præ reliquis Ecclesiis habeant Fideles p. 2. t. 33. c. 3. toto. Obligatio eam frequentandi multis adstruitur, p. 1. t. 3. c. 10. toto. Tempore instructionis Parochialis, Missa in Capellis celebrari non potest, ibid. c. 11. n. 1. Tempore Concionis Parochialis nemo intra limites Parochiæ concionari potest, ibid. n. 2.

Parochialis Ecclesia sola habet plures & grandiores Campanas & quare, p. 2. t. 5. c. 2. n. 13. Potiùs conveniunt pretiosa Ornamenta, quàm Ecclesiis claustralibus, & quare, part. 2. t. 16. c. 5. n. 32. Mulieres post partum in propria Parochiali Ecclesia purificandæ, ad exclusionem Ecclesiarum Ordinum Mendicantium, p. 2. t. 2. c. 5. n. 8. & 9. Communio paschalis in ea necessariò facienda, p. 2. t. 4. c. 3. num. 8. Quid de famulis & domesticis Monasteriorum, ibid. n. 9. Licentia celebrandi in Oratoriis domesticis stylo Curiæ & Episcoporum non conceditur, nisi sint sine præjudicio Ecclesiæ Parochialis, p. 2. t. 5. c. 8. n. 16. & seq. Ecclesiis Parochialibus multum detraxit Institutio Mendicantium, p. 1. t. 16. c. 8. n. 16. & seq.

Parochiæ novæ erectio qua de causa fieri possit, p. 2. t. 16. c. 2. n. 12. Veteris Ecclesiæ Rector est necessariò audiendus, ibid. n. 16. Consensum ejus Episcopus supplere potest, ibid. numer. 17. Unde desumenda sustentatio Rectoris novæ Parochiæ, ibid. n. 18. In Belgio non facilè perficietur hæc erectio sine auctoritate Regia, ibid. n. 20. Si erectio novæ Parochiæ haberi non possit, quomodo incommodis ex amplitudine Parochiarum subveniendum, ibid. n. 22. *Vide Decimæ Exequiæ, Instructio, Missa, Oblatio, Quarta Funeraria, Sepultura.*

PAROCHIANUS.

Parochianorum & Parochorum oblationes sunt reciprocæ, & sicut Parochus tenetur eos instituere, illi vicissim tenentur eum audire, p. 1. t. 3. c. 10. n. 1. & seq. Obligantur frequentare Parochiam, ibid. n. 4. Hæc obligatio multis adstruitur, ibid. & seq. Decreta Synodorum & litteræ Pastorales, item Edicta Regia pro hac obligatione, ibid. n. 2. & seq. & n. 8. & p. 1. t. 3. c. 2. toto. Item p. 1. t. 3. c. 9. n. 3. *Vide Parochia.*

Parochiani tenentur ad reparationem Capellarum, quousque & quandonam teneantur ad reparationem Ecclesiæ. *Vide Ecclesia.*

Parochiani qualificati sunt ad agendum ad onus Decimatorum pro obtinenda portione congrua suo Parocho & tot Presbyteris quod sunt necessarii, p. 2. t. 34. c. 7. n. 5. 6. 7. In Gallia & pluribus locis in Belgio tenentur construere domum Pastoralem, ibid. c. 8. n. 8. & seq. *Vide Parochia, Parochus.*

PAROCHUS.

Parochus est principalis & proprius Sacramentorum Minister in sua Parochia, p. 1. t. 3. c. 1. n. 5. 8. & p. 2. t. 1. c. 2. numer. 14. 15. Parochorum in sua institutione juramentum, p. 2. t. 26. c. 2. n. 17. Cogendus ut necessarios Ministros sibi assumat, ibid. p. 1. t. 3. c. 2. n. 1. Vice Pastorum assumptio pertinet ad Parochos, nisi speciali titulo aliud obtineat, ibid. n. 2. Olim non poterant alienum Parochianum ad suam Missam admittere sine licentia proprii Parochi, p. 2. t. 5. c. 2. numer. 9.

Parochorum Functiones, p. 1. t. 3. c. 1. n. 3. & c. 3. n. 4. Præcipua eorum Functio est instructio populi, ibid. & c. 4. n. 1. Illam tenentur per se obire, ibid. Contrarius usus quantumvis diuturnus, Parochis obesse non potest, ibid. c. 6. n. 2. Nupera declaratio Congregationis Concilii Tridentini & Innocentii XI. ibid. & c. 8. n. 5. Parochis per se concionari volentibus Fratres Mendicantes cedere debent, ibid. n. 2. Variis id sententiis confirmatum, ibid. n. 4. & seq. Idque etiamsi jus nominandi Stationarium esset penes Pastorum Primitivum vel Ædituos, ibid. n. 9. Episcopus Parocho per se concionari volenti, Regulares substituere non potest, & explicatur Clem. *Dudum, de Sepulturis*, ibid. c. 6. n. 4. Quænam à Parocho observanda circa Stationarios, part. 1. tit. 3. cap. 9. toto.

Parochi est eligere Custodem nisi consuetudine alio titulo ad alios pervenerit ejus electio, p. 1. t. 4. c. 3. n. 1.

Parochus audiendus in erectione novi Monasterii intra limites suæ Parochiæ, p. 1. t. 24. c. 3. n. 9. Ordinariè receptioni Regularium adjicitur, quod se non poterunt ingerere officio Pastorali sine ejus consensu, ibid. n. 14. 15. 16.

Parochus est Minister ordinarius Sacramentorum, p. 1. t. 3. c. 1. n. 5. & p. 2. t. 1. c. 2. n. 14. 15. Quomodo in administratione Sacramentorum se gerere debeat, ibid. n. 1. & seq. Semper debet esse paratus illa administrare etiam tempore pestis, ibid. n. 6. & 7. Si id neglexerit Pastoratu privari potest, ibid.

Parochus est ordinarius & privativè Minister Baptismi in sua Parochia, p. 2. t. 2. c. 2. n. 4. 5. Non facilè assumere debet munus Patrini, ibid. c. 4. n. 16. Convenit ut sit instructus de modo excindendi infantem si casu Puerpera in partu moriatur, ibid. n. 25. Ejus officium circa Sacramentum Confirmationis, p. 2. t. 3. c. 1. n. 11.

Parochus solus Jure ordinario distribuit Eucharistiam, p. 2. t. 4. c. 1. n. 20. *Vide Communio.*

Parochus solus dare potest Communionem Paschalem, p. 2. t. 4. c. 3. n. 8. & 15. Tempus Paschale prorogare non potest, ibid. Non potest sua auctoritate infligere pœnam non communicanti in Paschate, & cur minus quàm à Communione repellere, ibid. n. 17.

Parochus solus potest deferre Eucharistiam ad infirmos, ibid. c. 4. n. 8. Omni tempore etiam noctu, debet esse paratus ad Viaticum Infirmis administrandum, ibid. n. 12.

Parochi cura circa Anniversaria aliasque fundationes, p. 2. t. 5. c. 7. n. 22. Audiendus in earum reductione, ibid. n. 29. Non convenit ut Fundationes Anniversariorum Subditis suadeat, ibid. n. 31. In Ecclesia Parochiali sine ejus licentia nemo potest celebrare, ibid. c. 9. n. 12.

Parochus olim privativè erat Minister Sacramenti pœnitentiæ, ita ut absolutio sine ejus licentia data, haberetur nulla, p. 2. t. 6. c. 5. n. 7. & seq. Adhuc hodie Parochiani tenentur semel in anno ei vel alteri de ejus licentia confiteri, ibid. numer. 13. Quod multis probatur, ibid. n. 14. & seq. Prudentia in hoc præcepto urgendo necessaria, ibid. n. 24. In concedenda licentia alteri confitendi debet esse facilis, ibid. n. 25.

Parochi potestas excipiendi confesiones, titulo sui Beneficii, non se extendit extra fines suæ Parochiæ, p. 2. t. 6. c. 6. numer. 7. 8. Vi tamen consuetudinis illam excipere potest in aliis Parochiis ejusdem Diœcesis in quo ea consuetudo fundata sit, ibid. n. 9. Etiam quandoque in Parochiis extra Diœcesim, ibid. n. 10. Ante Concilium Tridentinum poterat cuilibet Presbytero concedere licentiam excipiendi confesiones in sua Parochia, ibid. n. 11. Eadem obtinentes in habentibus Beneficium Curatum sive Seculare, sive Regulare, & quandonam tale censeatur, ibid. & n. 5.

Parochus est Minister ordinarius extremæ Unctionis, p. 2. t. 8. c. 3. n. 11. Quomodo infirmos ad ejus susceptionem tempestivam teneatur inducere, ibid. n. 11. & seq. Illam administrare tenetur cum periculo vitæ, ibid. n. 15.

Parochi Cura & visitatio Scholarum, p. 2. t. 11. c. 5. n. 14. Nec per Archipresbyterum aut Scholasticum excluditur, ibid. n. 20.

Parochi est assignare locum honorabiliorem in sua Ecclesia, p. 2. t. 15. c. 7. n. 28. Quomodo se gerere debeat si occurrant controversiæ cum Toparcha quoad Jura honorifica, ibid. numer. 42.

Parochi assitentia necessaria ad validitatem Matrimonii. *Vide Matrimonium, Metus, Parentes.*

Parochus ex Concordatis Brabantiæ & Edictis Regiis, Jus habet interveniendi Computibus Hospitalium & piorum locorum, p. 2. t. 37. c. 2. n. 43. Auctoritas ejus circa bona Fabricæ & Mensæ S. Spiritus. *Vide Ædituus, Fabrica, Mensa S. Spiritus* Cura quæ illi incumbit circa testamenta suorum subditorum, & eorum executionem, p. 3. t. 2. c. 2. n. 34. & seq. Meritò curam debent Captivorum, p. 3. t. 8. c. 2. n. 37. *Vide Congregatio Pastorum, Decimæ, Domus Pastoralis, Novalia, Portio congrua.*

PASTOR PRIMITIVUS.

Pastorum Primitivorum origo, p. 2. t. 34. c. 1. n. 29. Ecclesiis tenètur præficere Vicarios perpetuos qui ab ipsis in suis titulis sint independentes, ibid. n. 16. & seq., & n. 26. Unde dicti Pastores primitivi, ibid. n. 30. Curæ animarum sese immiscere non possunt, ibid. n. 31. Ex consuetudine ipsis competunt jura honorifica, & quænam illa, p. 2. t. 25. c. 7. n. 4. & seq. & p. 2. t. 34. c. 1. n. 32. 33. Tenentur Vicariis suis ad portionem congruam ante alios majores Decimatores, p. 2. t. 34. c. 4. n. 9. & seq.

PATER.

Vide Parentes.

PATER ABBAS.

Pater Abbas quis dicatur, p. 1. t. 31. c. 1. n. 20. Quæ ejus auctoritas, ibid.

PATRIA OBEDIENTIÆ.

Patria Obedientiæ unde sic dicta, p. 2. t. 23. c. 4. n. 19. & seq. Quænam hoc nomine appellentur, ibid. Inter eas comprehenditur Belgium, ibid.

PATRINI.

Patrinorum seu susceptorum origo, p. 2. t. 2. c. 4. n. 1. & seq. Eorum officia olim & hodie, ibid. n. 6. cum seq. Eorum obligatio, ibid. n. 9. 10. Quinam ab eo munere rejiciendi, ibid. n. 12. Edictum Caroli V. circa dotationes munerum, ibid. n. 15. Pastores & alii Ecclesiastici non facilè hoc officium assumere debent, ibid. n. 16. Monachis interdicitur, & quinam sub eo nomine comprehendantur, ibid. Olim Parentes prolium suarum erant susceptores, & quare hoc mutatum, ibid. n. 17. 18.

Patrini etiam assumuntur in Confirmatione, p. 2. t. 3. c. 3. numer. 14. Quodnam eorum officium, & quis delectus eorum habendus, ibid. n. 15. & 16. Cavendum ut per eorum assumptionem impedimenta matrimonii non nimis multiplicentur, ibid. n. 17. *Vide Cognatio.*

PATRONUS, PATRONATUS.

Patronatus antiquissimis temporibus notus, p. 2. t. 25. c. 1. n.

n. 2. A quo tempore nota distinctio inter Laicum & Ecclesiasticum, ibid. c. 2. n. 1. & 2. Quid sit propriè Jus Patronatus Ecclesiasticum, ibid. n. 6. Quid Jus Patronatus Laicum, ibid. n. 8. An Jus Patronatus reservatum Clerico ratione Fundationis factæ ex bonis Ecclesiæ censendum sit Laicale, ibid. & n. 9. In dubio Jus Patronatus potius judicandum Laicale, ibid. n. 10. Quodnam Jus Patronatus Laicum reale, & unde sic dictum, ibid. n. 11. Ejus origo, ibid. n. 13. Quodnam Jus Patronatus Laicum personale, unde sic dictum, ibid. n. 17. Ejus origo, ibid. Quodnam Jus Patronatus mixtum, ibid. n. 18. Si Ecclesiasticus concurrat cum Laico alternativè, illius turnus censetur totus Ecclesiasticus, p. 2. t. 22. c. 2. n. 25. & p. 2. t. 25. c. 2. n. 20. & ibid. c. 4. n. 23. Quid si uterque simultanee concurrat, quænam qualitas prævaleat, ibid. c. 2. n. 23. & seq. & ibid. c. 4. n. 24. & seq. Jus Patronatus Beguinarum, Ædituorum, Confraternitatum &c. Quale censendum, ibid. c. 2. n. 27.

Patronatus acquiritur per fundationem, & an debeat reservari specialiter, p. 2. t. 25. c. 3. n. 1. 2. Qualis fundatio requiratur, & sufficiat, ibid. n. 5. & seq. An acquiratur per donationem fundi, ibid. n. 6. An & quomodo acquiratur per dotationem, ibid. n. 11. & seq. An tribus hisce modis possint tres ejusdem Ecclesiæ Patroni constitui, ibid. n. 14. Alter titulus acquirendi est præscriptio, & quandonam cœperit, ibid. n. 16. Quid ad hanc præscriptionem requiratur, ibid. n. 17. & seq. Concil. Trid. abrogans Patronatum, qui non est ex Fundatione, admissum est in Belgio quantum ad Patronatus Laicos, ibid. n. 27. Jus Patronatus sæpè ortum ex occupatione Laicorum, & inde provenit ad Monasteria seu Capitula, ibid. n. 31. 32. An acquiri possit per privilegium Apostolicum, ibid. n. 33.

Patronatus Jus quâ ratione probetur, ibid. n. 20. 27. Concilium Tridentinum restringens ejus probationem, in Belgio non admittitur quantum ad Patronos Laicos, ibid. n. 26. 27.

Patronatus Ecclesiasticus an possit transire separatim à dignitate, p. 2. t. 25. c. 4. n. 2. Jus Patronatus Laicum reale transfertur una cum re, cui adhæret, ibid. n. 3. Etiamsi nominatim expressum non sit, ibid. n. 4. An transferatur simul cum Dominio utili, ibid. n. 6. An transeat in maritum ratione Dotis, in viduam ratione Dotarii, item in usufructuarium, ibid. n. 11. 12. 13. Non transit in Creditorem ratione Pignoris, ibid. n. 15.

Patronatus Laicus hodie censetur quid temporale, & de eo solus Judex Secularis cognoscit, ibid. n. 16. Judex Ecclesiasticus in Brabantia de eo cognoscere potest incidenter, p. 3. t. 2. c. 1. n. 30. Succedit ad Hæredes quo jure & quo ordine, p. 2. t. 25. c. 4. n. 17. & seq. Venditio juris Patronatus censetur irrita & Simoniaca, ibid. n. 27. 28. 30. Quandonam censeatur vendi, ibid. n. 32.

Patronatus distinguitur à jure præsentationis, ibid. c. 5. n. 2. An rectè dicatur jus Patronatus esse servitutem, ibid. n. 7. Ecclesiæ Parochiales juris laici vel mixti exemptæ à concursu, p. 2. t. 22. c. 2. n. 22. 25. Beneficia juris Patronatus Laici non cadunt sub reservationibus, etiam ratione vacationis in Curia, p. 2. t. 23. c. 1. n. 19. ibid. c. 3. n. 17. & ibid. c. 5. n. 22. Beneficia etiam juris Patronatus Ecclesiastici videntur à reservationibus exempta in Belgio, ibid. c. 5. n. 26. Beneficia Patronatus Laici exempta sunt à Jure præventionis, ibid. c. 7. n. 23. & p. 2. t. 25. c. 3. n. 25. & seq. Derogatio juris Patronatus Laici nunquam admittitur, ibid. Ex quocunque titulo jus illud competat, ibid.

Patrono redacto ad inopiam debentur alimenta ex bonis Ecclesiæ, quo jure & quâ moderatione, p. 2. t. 25. c. 6. num. 2. & seq. Non debentur titulo præsentationis, sed tantùm fundationis, ibid. n. 8. Potest Fundator sibi vel Successoribus aut etiam extraneo Pensionem annuam reservare, ibid. num. 10. 11. Item cavere ut fructus vacantis Ecclesiæ sibi cederent, ibid. n. 12.

Patroni superintendentia in rebus Ecclesiæ ad quæ se extendat, ibid. n. 13. An sine ejus consensu possit fieri notabilis alienatio, aut gravamen imponi, ibid. n. 17. & p. 2. t. 36. cap. 4. n. 34. An Pontifex possit exactionem imperare Ecclesiæ sine consensu Patroni, ibid. An & quatenus cura Patroni ad divinum officium se extendat, p. 2. t. 25. c. 6. n. 19. Concilium Tridentinum huic in speciem contrarium in Belgio non est receptum, ibid. n. 20. 21.

Patroni in permutatione Beneficiorum audiendi sunt, p. 2. t. 27. c. 2. n. 25. Consensum Patroni Ecclesiastici Ordinarius supplere potest, non verò consensum Parroni Laici, ibid. numer. 25. 26. Beneficia Collationis Regis Juris Patronatus Laici & mixti non possunt gravari pensione sine eorum consensu, p. 2. t. 28. c. 6. n. 21. 22. 23. Quid de jure Patronatus Ecclesiastici, ibid. n. 25. in unione Beneficiorum audiendus Patronus, p. 2. t. 29. c. 3. n. 9. Requiritur consensus Patroni Laici, ibid. Etiamsi fierent ad erectionem Seminarii, part. 2. tit. 11. cap. 3. num. 8. In Gallia appertâ Regalia, Rex liberè pleno jure confert Beneficia juris Patronatus Ecclesiastici, & quo titulo, part. 2. tit. 25. cap. 8. num. 58.

Patroni præcipuæ partes sunt in provisione Beneficiorum Patronatorum, part. 2. tit. 26. cap. 1. num. 28. Quàm grave onus sit jus Patronatus, p. 1. tit. 13. c. 5. n. 5. 6. 7. & sequent.

Patroni prohibentur ab Ecclesia exigere jura, p. 2. t. 25. c. 6. n. 23. *Vide Acceptio Personarum, Institutio, Jura Honorifica, Præsentatio.*

PAUPERTAS.

Paupertatis titulus an possit exactionem Dotis à Professuro excusare, p. 1. t. 26. c. 2. n. 1. & seq. Canones illum excludunt, ibid. n. 11. Et Tridentinum directè, ibid. c. 3. n. 9. & seq. Paupertas ad quam Religiosi ex voto tenentur quænam sit, p. 1. t. 29. c. 1. n. 2. & seq. Illi directè contrariatur proprietas, ibid. n. 6. & c. 5. n. 5. & seq. Recessus à Paupertate in victu, vestitu, &c. causa ruinæ disciplinæ Regularis, quomodo, p. 1. t. 32. c. 1. n. 5. & seq. Etiamsi non sit impossibile, tamen difficile est in divitiis paupertatem & disciplinam servare, & quare, ibid. n. 13. 14. Penuria etiam multis relaxationibus occasionem dat, præsertim in Mendicantibus, ibid. n. 17. & seq. & n. 23.

Paupertas quænam sufficiat, & requiratur obtinendæ dispensationi in forma pauperum. *Vide Dispensatio.*

Paupertas attendi non potest in Collatione Beneficiorum, & non probantur mandata in forma Pauperum, p. 2. t. 31. c. 1. n. 11. & seq. Episcoporum cura & auctoritas circa Pauperes ad Apostolorum officio originem habet, p. 2. t. 37. c. 2. n. 2. & seq. Parochis comendatur honesta Pauperum sepultura, part. 2. tit. 38. cap. 4. num. 61. 62. *Vide Advocatus, Eleemosynæ, Hospitalitas, Mendicitas, mensæ S. Spiritus.*

PECCATOR PUBLICUS.

Peccatores Publici quinam dicantur, p. 2. t. 4. c. 2. n. 19. Repellendi à Communione donec scandalum reparaverint, ibid. n. 14. & seq. & n. 20. Etiam à Communione per modum viatici, ibid. c. 4. n. 13. Nec sufficit quod fuerint confessi, ibid. c. 2. n. 16. Quid si emendatos Pastor sciat, sed eorum conversio nondum publicè sit nota, ibid. n. 18. An debeant esse declarati tales per sententiam Judicis, ibid. n. 20. Repellendi ab offertorio, p. 2. t. 5. c. 4. n. 19. Olim per Censuras & invocationem Brachii secularis ad pœnitentiam publicam compellebantur, p. 2. t. 6. c. 2. n. 16. Non absolvendi sine pœnitentia publica, ibid. n. 26. & seq. Etiam iis denegatur sepultura Ecclesiastica, part. 2. tit. 38. cap. 6. numer. 28.

PECULIUM CLERICORUM.

Peculium Clericorum Titulus est Decretalium, unde sic dictus, p. 2. t. 32. c. 1. n. 1. Cur & quando proventibus Ecclesiasticis nomen hoc inditum, ibid. n. 2. Peculium Clerici admodum simile Peculio servi, vel Peculio filii familias, ibid. mer. 17. Uti horum dominium manet apud Dominum vel Patrem, ita Peculium Clericorum manet apud Ecclesiam, numer. 18. An Clerici possint dici domini Proventuum Ecclesiæ, ibid. n. 19. & 20. Bona Ecclesiastica post mortem Clericorum redeunt ad Capitulum vel Congregationem Jure Peculii, non jure hæreditatis, ibid. c. 8. n. 1. & 8.

Peculii nomine quænam comprehendatur, ibid. c. 1. n. 24. & seq. Comprehenduntur & illa quæ Clericus parciùs vivendo sibi substraxit, ibid. n. 19. Bona Patrimonialia sub illo non comprehenduntur, ibid. n. 30.

PECULIUM MONACHI.

Peculii abdicatio ita essentialis vitæ Monasticæ, ut nequidem Summus Pontifex in eo possit dispensare, p. 1. t. 29. c. 1. n. 2. & c. 6. tot. Peculium Monachi & Peculium servi in multis conveniunt, ibid. c. 6. n. 1. 2. Peculium & proprium synonima, & Monachi peculia habentes reputantur proprietarii, ibid. n. 7. 8. Reservatio redditus vitalitii & cujuslibet alterius rei in usus particulares Voto Paupertatis diametraliter opposita, ibid. num. 9. Etiamsi fiat de licentia Superiorum, & dependenter ab eorum voluntate & nutu, ibid. num. 12. & 15.

Peculiaritatis origo, & media quibus illi obvietur, ibid. c. 7. n. 1. & seq. & c. 8. n. 5. & seq. Media quibus & extirpari possint, ibid. Decretum Capituli generalis Cisterciensis adversus Peculia, ibid. in calce, cap. 6. Decretum Episcopi Tornacensis, ibid. Cavendum Religiosi ne rebus sibi ad usum concessis utantur ut propriis, ibid. c. 7. 10. 15. Alias coram Deo

Deo erunt proprietarii, ibid. n. 11. Præcipuè id cavendum iis, qui extra Monasterium degunt, ibid. n. 16. Abbas & Officialis Monasterii quomodo in sua administratione possit esse fur & proprietarius, p. 1. t. 31. c. 5. n. 6. & p. 1. t. 29. c. 9. n. 12. Titulus administrationis in simplici Monacho, pallium est proprietatis, p. 1. t. 29. c. 9. tot.

Peculiaritas est radix & fomes omnium ferè malorum, ibid. n. 4. & seq. Ruina disciplinæ Monasticæ, p. 1. t. 32. c. 1. n. 3.

PEDUM.

Vide Baculus Pastoralis.

PENSIO.

Pensionum natura, origo, & prima ejusdem exempla, p. 2. t. 28. c. 1. n. 1. & seq. Acta in Concilio Tridentino super earum abusibus, item abrogatione, ibid. n. 12. & seq. & n. 19. & seq. Mens Concilii Tridentini & S. Caroli in materia Pensionum, ibid. n. 23. 25.

Pensionum varii abusus, quæ illarum reservationem reddunt odiosam, ibid. c. 2. tot.

Pensiones tribus de causis tantùm possunt imponi in Belgio, causâ pacis, causâ resignationis, item causâ permutationis ob inæqualitatem fructuum, p. 2. t. 28. c. 3. n. 1. & seq. & n. 4. Causæ hæ discutiuntur & ostenditur, quod nulla earum reddat exactionem Pensionum licitam, imò esse de Simonia suspectas, n. 6. & seq. In Gallia usitata Pensio super Beneficiis Collationis Regiæ titulo meritorum personæ, an hæc sufficiat, ibid. n. 26. Quænam consideranda sint, & quæ intervenire debeant ex parte Pensionariorum ut securi sint in conscientia, ibid. c. 4. & seq. Dispensatio Papæ non reddit Pensionarios securos, si desit justa causa, ibid. n. 10. & seq. Pensiones licèt sint illicitæ respectu percipientium, possunt esse justæ & licitæ respectu Superiorum imponentium, ibid. num. 15.

Pensionis creatio reservatur Papæ, & hujus ratio, origo, ibid. c. 5. n. 8. In Belgio & aliis Regnis etiam de Jure competit Episcopis secus in Gallia, ibid. n. 13. & n. 9. & 10. In Gallia aperta Regalia Rex admittit Resignationem in favorem retenta pensione, p. 2. t. 25. c. 8. numer. 63.

Pensio imposita à Papa censetur realis & afficere Beneficium Pensio ab Episcopo imposita tantum personalis, & afficere tantum personas, & utriusque differentia, p. 2. t. 28. c. 5. n. 14. & seq. Capitulum tenetur ad Pensionem à Papa impositam pro rata temporis quo fructus percepit, ibid. n. 18. Pensio imposita super Beneficiis curatis in Gallia non censetur Realis, ibid. n. 20.

Pensio nulla imponi potest Beneficio, nisi eâ detractâ restet sufficienter pro sustentatione illius qui deservit, p. 2. t. 28. c. 6. n. 3. 4. & seq. & n. 9. & c. 7. n. 1. Decretum Conc. Trid. vetantis imponi pensionem super Beneficiis Curatis, nisi remaneant liberi Titulari centum Ducati, ibid. n. 4. De quibus Ducatis id intelligatur, ibid. c. 6. n. 6. Quænam in illis debeant computari, ibid. n. 7. & seq. In Gallia sufficit quod remaneant centum libræ, & exceptis incertis & domo Pastorali, n. 10. cum seq. Quid obtineat quoad has pensiones in Belgio, ibid. n. 14. 19.

Pensione gravari non possunt Præbendæ Theologales, ibid. n. 16. Nec Canonicatus non excedentes valorem annuum centum Ducatorum, ibid. n. 18. Nec Beneficium quod dimittitur ob assumptionem alterius incompatibilis, p. 2. t. 20. c. 4. n. 16. & p. 2. t. 28. c. 8. n. 32. Privilegia certis Ecclesiis concessa, quod eorum Beneficia Pensionibus gravari non possint, sunt favorabilia, ibid. c. 6. n. 20.

Pensione gravari sine consensu Regis non possunt Beneficia Collationis Regiæ, p. 2. t. 28. c. 6. n. 21. Nec Beneficia Juris Patronatus Laici vel mixti sine consensu Patroni, ibid. numer. 22. 23. Beneficia Juris Patronatus mixti, si alternativè conferantur, & in Turno Ecclesiastici imposita sit Pensio, ea extinguitur dum vacat in turno Laici, ibid. n. 24. Beneficia Juris Patronatus Ecclesiastici possunt gravari pensione sine consensu Patroni, ibid. n. 25.

Pensionum quantitas restricta, ut tertiam fructuum partem excedere non possit, & quare, ibid. c. 7. n. 2. Hodie ex stylo Curiæ admittitur ad medietatem fructuum in Beneficiis simplicibus, ibid. n. 4. Pensio excedens tertiam partem non est in totam nulla, sed reducitur, ibid. n. 7. Quid si adsit clausula de non reducenda Pensione, ibid. c. 8. n. 19. Quis ad hanc reductionem petendam admittatur, ibid. c. 7. n. 8. & seq. Praxis Belgii est conformis in omnibus, ibid. n. 11.

Pensio hodie constituitur in quantitate non in portione fructuum, quare, ibid. n. 12. Quænam in tertiam partem fructuum pensioni obnoxiam imputanda, ibid. n. 13. & seq. Variæ clausulæ in litteris creationis apponi consuetæ, earumque effectus explicantur, ibid. c. 8. n. 1. 2. cum seq. An Pensionarius vocari possit in onera Beneficii imposita, ibid. n. 7. 8. Pensionem non solventes Censuras in litteris Pensionis appositas non incurrunt, nisi ad declarationem Judicis, ibid. numer. 11. 12. In Gallia & in Belgio nullius sunt effectus, ibid. n. 13. Quomodo ibidem subveniatur Pensionario adversus non solventem pensionem, ibid. n. 17. 18. *Vide Regressus.*

Pensio extinguitur morte, matrimonio, item professione Religiosa ipsius Pensionarii, p. 2. t. 28. c. 9. n. 1. 2. 3. Item libera ejusdem remissione, ibid. n. 14. Quid translatio pensionis. Et quibus modis concedatur, ibid. n. 4. 5. Est odiosissima, difficillimè conceditur, neque in Gallia vel in Belgio admittitur, ibid. n. 6. & 9. In Belgio non admittitur pensio super alio Beneficio quàm permutato, ibid. n. 10. & 11. In Gallia & Belgio ignota pensio de consensu, ibid. n. 13.

Pensionis redemptio sæpè fit auctoritate Papæ, & qua forma, ibid. n. 17. Magis de Simonia suspecta est quàm pensio, ibid. n. 26. Conventio de redimenda pensione, est Simoniaca, ibid. n. 23. Pro extinctione pensionis sola signatura sufficit, ibid. n. 20.

Pensio debita Clerico arresto subjici non potest decreto Judicis Laici, p. 3. t. 2. c. 3. n. 12.

PENSIONARIUS.

Vide Syndicus.

PERJURIUM.

Perjurii Crimen cujus fori sit, p. 3. t. 4. c. 5. n. 21. Ad vitandum perjurium, variis legibus inhibitum, ne contractus fiant mediante juramento, ibid. n. 23. Enormitas perjurii, n. 25. Quâ pœnâ hodie puniatur, ibid. n. 26. Ob periculum perjurii rarò indicenda purgatio Canonica, p. 3. t. 8. c. 4. n. 58. *Vide Ambitus.*

PERMUTATIO BENEFICIORUM.

Permutationes unde primitus ortæ sint & invaluerint, p. 2. t. 27. c. 1. n. 25. Sæpè sunt periculosæ & suspectæ, ibid. n. 29. & c. 2. n. 16. Cur potius permutatio, quàm resignatio coram Ordinario fieri possit, ibid. n. 12. Requiritur causa, ibid. n. 28.

Permutationum approbatio de jure communi ejus approbatio spectat ad Episcopum, etiamsi Beneficia non sint suæ collationis, ibid. t. 27. c. 2. n. 18. In Gallia apertâ Regaliâ Rex approbat permutationes etiam reservata pensione, part. 2. t. 25. c. 8. n. 63. In Gallia & Belgio ea auctoritas etiam est penes aliquos inferiores, p. 2. t. 27. c. 2. n. 19. 23. Patroni & Collatores super permutatione audiendi, ibid. n. 24. 25. Consensus Patroni Ecclesiastici suppleri potest, non verò Laici, ibid. Hodiernæ permutationes Beneficii notabilis cum Beneficio nullius valoris rarò, sed aliquando tamen licitæ, ibid. n. 35. 36.

Permutatio quandonam censeatur perfecta, ibid. c. 7. n. 14 & seq. Primo permutantium præmoriente coincidit permutatio, etiamsi ex una parte fuerit adimpleta, ibid. n. 15. Exceptio, ibid. n. 17. Beneficio permutato evicto resolvitur permutatio, ibid. n. 18. An requiratur auctoritas Judicis & nova collatio, ibid. n. 19. & 22. An in permutationibus locum habeat Regula Cancellariæ de infirmis resignantibus, ibid. c. 5. n. 28. 29. *Vide Acceptio personarum.*

PERSONATUS.

Personatus quid sit, p. 2. t. 18. c. 2. n. 5. Multis seculis ignoti, unde originem sumpserint, ibid. n. 6. In quo conveniat, & in quo differat à dignitate, ibid. n. 7. & seq. in Belgio sunt rariores, & inter Beneficia simplicia computantur, ibid. num. 10.

PICTURÆ.

Vide Imagines.

PLACETUM.

Placetari debent Confirmationes Episcoporum, p. 1. t. 14. c. 5. n. 12. & p. 1. t. 31. c. 9. n. 10. Item Bullæ Legationis p. 1. t. 21. c. 3. n. 7. Item gratiæ à Legato concessa, ibid. & seq. & p. 2. t. 24. c. 6. n. 11.

Placeti hujus necessitas super quo fundetur, p. 2. t. 24. c. 6. n. 1. Non obest supremæ auctoritati Pontificis, ibid. n. 2. 3. Antiquissima hæc Belgarum consuetudo, ibid. n. 5. Etiam obtinet in Hispania & Gallia, ibid. n. 7. Quænam rescripta debeant Placetari, & quænam non, ibid. n. 8. & sequent. Novæ Regulæ Cancellariæ sine placeto recipi non possunt, p. 2. t. 27. c. 5. n. 23. Scopus Placeti, p. 2. t. 24. c. 6. n. 13.

Placetum quomodo expediatur, & quinam audiendi, ibid. numer. 14. 15. Concessio Placeti non nocet juri privatorum, ibid. n. 16. Clausulæ litteris Placeti inseri solitæ, ibid. n. 17. & seq. Subinde annuitur cum limitatione & modificatione, & varia ejusdem exempla, ibid. n. 22. & seq.
Placeti denegatio coincidit cum appellatione ab abusu usitata in Gallia, p. 3. t. 10. c. 4. n. 47.

PLURALITAS BENEFICIORUM.

Vide Beneficium.

PŒNA.

Pœnas vel pœnitentias pro qualitate criminum imponendi auctoritas Ecclesiæ semper competiit, p. 3. t. 11. c. 1. n. 1. Eâ auctoritate XI. seculis usa fuit in ordine ad forum interius sive pœnitentiale, ibid. n. 2. Seculo XII. separatione factâ fori contentiosi à foro pœnitentiali ferè eædem pœnitentiæ ad vindictam publicam imposita fuere, & inde origo hodiernarum pœnarum fori Ecclesiastici, ibid. n. 3.
Pœnæ pecuniariæ ortum habent ex eleemosynis pœnitentibus imponi solitis, ibid. n. 4. 5. *Vide Mulcta.*
Pœna Ecclesiastica est retrusio in Monasterium. *Vide Monasterium.*
Pœna Carceris. Vide *Carcer.*
Pœna Exilii. Vide *Exilium.*
Pœna Virgarum. Vide *Flagellatio*, *Fustigatio.*
Pœna alia adversus adulteros hodie usitata est, expositio theatralis, circumductio infamis per plateas, amenda honorabilis, &c. p. 3. t. 4. c. 4. n. 17.
Pœnas ordinarias Episcopus in visitatione non potest imponere, sed tantùm correctiones, p. 1. t. 17. c. 4. n. 5.
Pœnæ Monasticæ variæ, & earum infligendarum modus & ratio, p. 1. t. 31. c. 3. n. 21. & seq.
Pœnæ quas Principes Chistiani adversus Hæreticos decreverunt, & S. Augustini de iis judicium, p. 3. t. 4. c. 2. n. 43. 44.
Pœna, quæ compromisso inseritur, quandonam incurratur, p. 3. t. 5. c. 4. n. 16. An mediante ejus solutione à compromisso possit resiliri, ibid. n. 17.

PŒNITENTIA, PŒNITENTES.

Pœnitentiæ Sacramentum quibus nominibus olim appellatum, p. 2. t. 6. c. 1. n. 1. & seq. Ejus definitio, ibid. n. 11. Partes, ibid n. 12. Quare quælibet istarum necessaria, ibid. & n. seq. Forma, ibid. n. 20. Effectus, ibid. n. 21.
Pœnitentia publica quænam dicatur, ibid. c. 2. n. 1. Multis seculis pro peccatis occultis imposita, ibid. n. 2. Differentia tamen erat multiplex circa pœnitentiam impositam propter crimen occultum, & impositam propter publicum, ibid. n. 6. & seq. Patres plures nullius criminis gravioris rei eam amplectebantur, ibid. n. 10. Ex impositione pœnitentiæ publicæ non sequebatur fractio sigilli, & cautio, quam Patres adhibebant, ne peccata occulta per hoc innotescerent, ibid. numer 12. Quomodo & quo tempore hæc disciplina desierit, ibid. n. 13. 14. Per censuras aliaque media peccatores publici ad Pœnitentiam publicam compellebantur, ibid. n. 16. & p. 3. t. 4. c. 1. n. 17.
Pœnitentia publica & solemnis ante seculum XII. non distinguebatur, p. 2. t. 6. c. 2. n. 18. Ejus distinctionis origo, & variæ inde natæ hallucinationes, ibid. n. 19. Adhuc hodie imponenda pœnitentia publica pro peccatis publicis, & qualis, ibid. n. 26. & seq. & 29. 30. De hoc meritò consuluntur Superiores, ibid. Rescripta Pontificia dispensationis matrimonialis in casu incestus mandant, ut priùs injungatur incestuosis pœnitentia publica, eaque ante dispensationem peragatur, p. 2. t. 14. c. 6. n. 11. Qualem in hoc casu conveniat imponere, ibid. n. 12.
Pœnitentiæ gradus olim erant quatuor, qui describuntur, p. 2. t. 6. c. 3. n. 17. & seq. Erant excommunicationes minores, p. 3. t. 11. c. 3. n. 22. & seq. *Vide Gradus Pœnitentiæ.* Præcipuus scopus istius œconomiæ pœnitentialis erat, ut nosceretur vera conversio, p. 2. t. 6. c. 3. n. 41.
Pœnitentialis hodierna disciplina quoad interiorem spiritum cum antiqua convenit, & tantum discrepat quoad exteriora, ibid. c. 4. n. 5. Probatur ex Tridentino aliisque, ibid. n. 6. Quales pœnitentiæ imponendæ, ibid. n. 4. & 9.
Pœnitentiale forum usque ad seculum XII. non fuit distinctum à foro contentioso criminali, p. 3. t. 4. c. 1. n. 5. 7. & 19. Quomodo Episcopi tunc procederent, & ad quæ eorum auctoritas se extenderet, ibid. n. 13. & seq. Ex impositione pœnitentiarum tunc usitata originem habuerunt pœnæ, quæ hodie in judicio criminali Ecclesiastico infliguntur, p. 3. t. 11. c. 1. n. 6. & seq. *Vide Absolutio*, *Canones Pœnitentiales*, *Confessio*, *Confessarius*, *Libri Pœnitentiales.*

PŒNITENTIARIA ROMANA.

Pœnitentiariæ Romanæ origo, p. 1. t. 23. c. 3. n. 3 Ejus reformatio facta per Pium V. ibid. n. 5. Pœnitentiariæ varii Officiarii, eorumque officia, ibid. n. 8. & seq. Eorum juramentum, ibid. n. 19. Negotia, quæ in pœnitentiaria expediuntur, ibid. n. 22. Sub cujus nomine litteræ expediantur, & ad quos dirigantur, ibid. n. 23. 24. Formula litterarum, ibid. n. 30. Omnia gratis expediuntur, ibid. n. 31.
Pœnitentiaria concedit licentiam transeundit ad Ordinem laxiorem & quâ formâ, p. 1. t. 27. c. 5. n. 11.
Pœnitentiaria dispensat cum Regulari illegitimo ad Prælaturas, p. 2. t. 10. c. 1. n. 31. Expeditio, executio & effectus dispensationum, quæ super impedimento occulto matrimonii conceduntur à Pœnitentiaria p. 2. t. 14. c. 7. tot. Obtenta dispensatione in Pœnitentiaria matrimonium debet renovari, sed non coram Parocho & testibus, ibid. n. 8. & 10. Dispensat etiam quoad simoniam occultam, & quomodo illa expediantur, part. 2. tit. 30. cap. 7. num. 29. 34. & seq. *Vide Pœnitentiarius Romanus.*

PŒNITETIARIUS.

Pœnitentiarii prima origo & institutio, p. 1. t. 12. c. 3. n. 1. 2. & seq. In omnibus Cathedralibus constituendus, ibid. n. 11. De consuetudine Belgii Pœnitentiaria est dignitas, & assumi debet ex Graduatis, ibid. n. 12. 13. Vi sui officii est Confessarius ordinarius totius Diœcesis, & quilibet etiam in Paschate ei confiteri potest, ibid. n. 14. Est quasi Vicarius natus Episcopis in audiendis confessionibus, ibid. n. 15. Cogi potest ab Episcopo Confessiones diligenter excipere, ibid. S. Carolus decrevit Pœnitentiariam per concursum conferendam, ibid. n. 17.

PŒNITENTIARIUS ROMANUS.

Pœnitentiarii majoris origo, auctoritas & officium, p. 1. t. 23. c. 3. n. 8. 10. 20. & seq. Præter hunc sunt minores Pœnitentiarii in tribus Ecclesiis Parochialibus, & eorum Officium, ibid. n. 9. Hi debent ei subjici in rebus sui officii, non obstante sua exemptione in qualitate Regularium, ibid. n. 10. In litteris quas ad Episcopum dirigit, nomen Episcopi suo præponit, ibid. n. 30. *Vide Pœnitentiaria.*

PONTIFEX.

Vide Papa.

PONTIFICALIA.

Pontificalia exerceri non possunt in aliena Diœcesi, sine licentia Ordinarii, p. 1. t. 16. c. 3. n. 7. Episcopus in loco simpliciter exempto suæ Diœcesis potest Pontificalia exercere, & aliter sine ejus licentia non potest, ibid. n. 9. Quænam Pontificalia censeantur ibid. n. 11. Quo tempore Abbates iis uti cœperint, & quo jure, p. 1. t. 31. c. 6. n. 1. & seq. & 4. Iis uti non possunt, nisi in Ecclesiis, pleno jure sibi subjectis, ibid. n. 24. 25.

POPINÆ.

Popinarum ingressus interdictus Clericis, nisi peregrinationis aut aliâ necessitate compulsis, p. 1. t. 2. c. 4. n. 4. Variæ pœnæ adversus ingredientes, etiam carceris, ibid. n. 5. Edicta Principum Belgii circa popinas, ibid n. 7. Per frequentationem popinarum indignè violantur dies Dominici & festivi, p. 2. t. 17. c. 5. n. 28. Edicta Principum, quibus prohibetur, quempiam admittere in popinam tempore divini Officii, ibid. n. 29. Synodi mandant, juridicè procedi adversus eos, qui diebus festivis tempore divini officii aperiunt vel intrant popinas, ibid. n. 30. *Vide Choreæ*, *Diversorium.*

PORTIO CONGRUA.

Portionem congruam honestam salvam vult Decretum Concilii Tridentini, vetans gravari pensione Ecclesiam Parochialem, nisi, deducta pensione, restent Parocho centum Ducati, p. 2. t. 28. c. 6. n. 4. Onus portionis congruæ omnibus unionibus adjicitur, p. 2. t. 29. c. 1. n. 15. & p. 2. t. 34. c. 1. n. 37. Præsentatio facta cum conditione non petendi augmentum portionis congruæ est manifestè simoniaca, p. 2. t. 30. c. 2. n. 6.
Portio congrua, ut dicatur sufficiens, quid requiratur, p. 2. t. 1. c. 3. n. 15 16. & p. 2. t. 34. c. 2. n. 1. 2. Ejus taxa committitur Ordinario, ibid. n. 3. Quænam pro illius convenienti taxatione attendi debeant, ibid. num. 7. & sequent. Si

am-

amplitudo Parochiæ requirat plures Sacerdotes, pro eorum numero requisito etiam portio congrua augeri debet, ibid. n. 12. & seq. Desumenda est ex proventibus Ecclesiæ Parochialis, ibid. c. 4. n. 12.

Portioni congruæ inveniendæ, primum medium à Concilio Tridentino propositum, est unio Beneficiorum, p. 2. t. 29. c. 2. n. 2. 3. 9. & seq. & p. 2. t. 34. c. 3. n. 3. 4. Onera Beneficiis incumbentia à Parocho ferenda, unde uniones moderate faciendæ, p. 2. t. 29. c. 2. n. 12. & seq. & p. 2. t. 34. cap. 6. n. 9. An possint in eum finem uniri duæ Parochiales, vel concedi deservituræ, p. 2. t. 29. c. 2. n. 12. & p. 2. t. 34. c. 3. n. 5. 7. Secundò excutiendæ primitiæ & oblationes, si alteri quàm Parocho cedant, & quare, ibid. n. 9. 10.

Portio congrua ut inveniatur, tertio loco excutiendæ decimæ, & quo ordine, p. 2. t. 34. c. 3. num. 11. Decimatores tenentur pro quota sua contribuere, dum non constat, quis eorum ante alios sit obligatus, ibid. c. 4. n. 13. Decimæ infeudatæ à Laicis possessæ, an oneri portionis congruæ sint subjectæ, ibid. n. 16. 17. Videntur subjectæ tantùm subsidiariè, ibid. n. 18. Hoc casu actio instituenda etiam in Petitorio coram Judice Laico, ibid. c. 7. n. 18. Reversæ ad Ecclesiam, etiamsi titulo oneroso, huic oneri subjiciuntur, ibid. c. 4. n. 19. 20. Quid si revertantur cum onere feudali, ibid. n. 21. Onus hoc est reale, eique Decimatores manent subjecti, quandiu decimas retinent, ibid. n. 25. Non est huic oneri satisfactum, si semel sufficiens competentia fuerit assignata, ibid. num. 26. Decimis sufficientibus injustum est, proventus Fabricæ vel Mensæ S. Spiritus in portionem congruam Pastoris vel Vice-Pastorum impendere, ibid. c. 3. n. 17.

Portioni congruæ inveniendæ ultimum medium est collecta seu impositio super Parochianis. *Vide Impositio.*

Portionis congruæ causa est causa alimentorum, & in ea summariè procedi debet. Item per provisionem Paroco adjudicanda, p. 2. t. 34. c. 5. n. 1. 2. 3. Utrum onus portionis congruæ assignandæ transactione, lapsu temporis vel lege positiva tolli possit, ibid. n. 15. Compensationis prætextu solutio negari non potest, ibid. n. 16. Parochus potest dimittere omnes proventus suos, & ad onus Decimatorum petere competentiam in re certa, & convenit, ut hoc fiat, ibid. num. 21. Portio congrua assignata in re certa, non obstante sterilitate & vastitate quacunque, solvenda, ibid. n. 23. Exceptio fundata in æquitate, ibid. n. 27.

In portionem congruam quænam computanda, ibid. c. 6. n. 1. & seq. An fructus Beneficii non uniti in eam computari aliquando debeant, ibid. n. 11. Quid de accidentibus incertis, ibid. n. 14. Varia incommoda, quæ ex rigorosa horum computatione oriuntur, p. 2. t. 1. c. 3. tot. & part. 2. t. 34. c. 6. num. 17. & seq. Domus Pastoralis in eam non imputatur, ibid. cap. 8. num. 6.

Portio congrua per quos convenientissimè petatur, ibid. c. 7. num. 1. & seq. Coram quo moribus hodiernis actio super portione congrua instituenda, ibid. n. 9. 10. & seq. *Vide Domus Pastoralis.*

Portio congrua exempta est ab omni impositione & subsidiis, p. 2. t. 35. c. 3. n. 62.

POSITIONES.

Vide Interrogatoria, Juramentum, Calumniæ.

POSSESSIO.

Possessio quandonam censeatur pacifica, p. 2. t. 19. c. 3. n. 6. 7. & p. 2. t. 20. c. 4. n. 9. 10. & p. 2. t. 9. c. 6. n. 21. Quandonam censeatur pacifica, prout in Regulis Cancellariæ. *Vide Regulæ Cancellariæ.*

Possessio Episcopatus accipi non potest, nisi Bullis expeditis, levatis, & Capitulo exhibitis, p. 1. t. 14. c. 5. n. 11. In Gallia hoc non requiritur in Beneficiis inferioribus, sed sufficit signatura, p. 2. t. 24. c. 3. n. 19. Bullæ requiruntur in Belgio, ibid. n. 22. In Gallia vetitum attendere resignationes, vi quarum non est accepta solemnis possessio, p. 2. tit. 27. c. 6. n. 11.

Possessionis traditio iisdem competit, quibus competit collatio, p. 2. t. 26. c. 2. n. 3. Eam Archidiaconi delegant Archipresbyteris ruralibus, ibid. n. 6. Solet demandari quibusvis Clericis, item Notariis Ecclesiasticis, ibid. n. 9. An aliquando sufficiat Notarius Regius, ibid. n. 10. Forma, quâ inductio fit per Notarium aut Clericum, ibid. n. 11. Quid si Ecclesiam ingredi nequeat, ibid. n. 13. Instrumenta quibus conceditur possessio, ibid. n. 12. Clericus aut Notarius inducens in possessionem, non cognoscit de justitia tituli, ibid. num. 14.

Possessio accipi potest per Procuratorem, & quale mandatum requiratur, ibid. n. 15. Hæc possessio tamen non impediret vacationem in Regalia, p. 2. t. 25. c. 8. n. 51. Juramentum præstandum in acceptione possessionis, & varia in eo meritò attendenda, p. 2. t. 26. c. 2. n. 17. & seq. Vetitum homagium exigere in admissione ad possessionem Beneficii, non tamen vetitum exigi obedientiam Canonicam, ibid. num. 26. & seq. Exactio jurium unde orta in admisione Beneficiatorum, ibid. num. 29. Taxantur tanquam suspecta de simonia, ibid. numer. 30. & seq.

Possessio facit præsumptionem juris pro possidente, & quare p. 3. t. 7. c. 5. num. 12. 13. Hujus præscriptionis effectus est onus probandi rejicere in adversarium, ibid. n. 14. Explicatur Regula, in pari causa melior est cognitio possidentis, ibid. n. 15.

POSSESSOR.

Possessor bonæ fidei fructus consumptos facit suos irrevocabiliter, p. 2. t. 25. c. 4. n. 14. In concursu plurium collationum pro Possessore judicandum, p. 2. t. 21. cap. 2. n. 21. Possessor habet pro se præsumptionem, p. 3. t. 7. c. 5. n. 12.

POSSESSORIUM.

Possessorium rei spiritualis jure communi spectat ad Judicem Ecclesiasticum, p. 3. t. 2. c. 4. n. 1. Quo jure & à quo tempore Possessorium retinendæ & recuperandæ possessionis privativè ad Judices Regios devolutum, ibid. n. 2. & seq. Concordata Brabantiæ reservant Judici Ecclesiastico Possessorium adipiscendæ possessionis, ibid. n. 9. Cur id potiùs Judici Ecclesiastico relictum, ibid. n. 11. Hodie titulo manutenentiæ, etiam causæ adipiscendæ possessionis, Judicis Regii foro subduntur, ibid. n. 46. *Vide Manutenentia.* Distinctio Recredentiæ à pleno Possessorio, ibid. n. 14. 15. Modus, quo in Gallia & Belgio in utraque materia Consilia Regia procedunt, ibid. n. 35. 36. & seq. Consilia Regia in effectu cognoscunt de petitorio, licèt tantùm pronuntiant super possessorio, ibid. n. 29.

Possessorio non evacuato petitorium intentari non potest, & quare, ibid. n. 31. Quandonam possessorium censeatur evacuatum, ibid. n. 32. Unde fiat, quòd post plenum possessorium rarò intentetur Petitorium, imò id in Gallia aliquando fuerit prohibitum, ibid. n. 37. 38.

Possessoriæ causæ Beneficiorum brevibus & paucis dilationibus agitandæ, p. 3. t. 7. c. 4. n. 41. Quænam Judex attendere debeat in adjudicando possessorio, ibid. c. 5. n. 10. 11. Ex possessione oritur præsumptio juris pro possidente, ibid. numer. 12. In causis merè possessoris non admittitur revisio seu propositio erroris, p. 3. t. 10. c. 4. n. 18.

PRAGMATICA SANCTIO.

Vide Sanctio Pragmatica.

PRÆCEDENTIA.

Præcedentiæ quæstiones componere ad Episcopum spectat de plano sine strepitu & remota appellatione, p. 1. t. 16. c. 9. n. 15. 16. Auctoritas tamen Regia præsertim, si de possessorio agatur, sæpè intervenire solet, ibid. n. 17. Episcopi Cardinalibus multis seculis fuerunt prælati, p. 1. t. 22. cap. 1. n. 21. Determinatio S. Sedis quoad præcedentiam inter Canonicos Cathedrales, Abbates Titulares, Comendatarios, Dignitates, Procuratores Capitulorum, p. 1. t. 31. c. 7. numer. 50. Patronus quoad jura honorifica præfertur omnibus Laicis, etiam Toparchæ, p. 2. t. 25. c. 7. n. 34.

PRÆCONIZATIO.

Præconizatio est nuda præpositio Nominati vel Electi ad vacantem Ecclesiam, facta per Cardinalem Relatorem, part. 1. t. 14. c. 4. n. 11. Ejus scopus, ibid.

PRÆDICATIO VERBI DEI.

Prædicationem Verbi Dei præcipuum Episcoporum munus vocat Synodum Tridentina, p. 1. t. 16. c. 7. n. 3. Synodi Belgicæ & S. Carolus obligationem Episcoporum per se annuntiandi verbum Dei multis inculcant, ibid. n. 4. 5. Cur minus Apostoli potuerint alteri committere prædicationem verbi Dei, quàm administrationem Baptismi, ibid. num. 2. Huic obligationi non satisfit aliquoties per annum publicè prædicando, ibid. n. 7.

Prædicatio Verbi Dei est præcipua functio Parochorum, illamque per se obire tenentur, non obstante usu quantumvis diuturno, in contrarium, p. 1. t. 3. c. 4. 5. 6. tot. Parochis per se concionare volentibus, cæteri, quantumvis privilegiati, cedere debent, quod variis Synodis & sententiis confirmatur, ibid. c. 8. num. 1. cum sequent. Sententia Con-

Congregationis Concilii Tridentini, ibid. numer. 5.
Prædicandi auctoritas in inferiorem Clerum ab Episcopo diffunditur, p. 1. t. 16. c. 8. n. 2. Non potest tamen hodie Episcopus pro libitu Parochos à concionibus suspendere aut impedire, ibid. n. 9. Nec potest iis per se concionari volentibus Regulares aut alios substituere, aut eos in suis stationibus continuare, p. 1. t. 3. c. 6. n. 3. Explicatur Clem. *Dudum, de sepult.* ibid. n. 4.
Prædicatores mittere Parochis legitimè impeditis, aut non sufficientibus, ad Episcopum spectat, iisque tenentur incolæ victum & hospitium exhibere, p. 1. t. 16. c. 8. n. 10. Solemne super eo arrestum Consilii privati in Gallia, ibid. numer. 13. Fallit, si consuetudo immemorialis hanc deputationem ad Parochos, Capitula aliosve detulerit, prout in Belgio passim fecit, ibid. n. 12. 13.
Prædicatorum excessus, malam doctrinam, aut scandala solus Episcopus punire potest, ibid. n. 23. Senatus Regii nullo titulo se huic negotio immiscere possunt, ibid.
Prædicationis tempore nullatenus convenit, ut eleemosynæ colligantur pro Prædicatore vel ejus Conventu, p. 1. t. 29. c. 4. n. 42. FF. Prædicatorum laudabile super eo statutum, ibid. *Vide Approbatio, Statio.*

PRÆLATUS.

Vide Abbas, Superior.

PRÆMONSTRATENSES

Vide Ordo Præmonstratensis.

PRÆPOSITUS.

Præpositi quales durante vitâ communi Canonicorum fuerint, p. 1. t. 11. c. 1. n. 1. Hodierni ab antiquis multùm distincti, ibid. n. 2. Non omnium eadem jura & officia, ibid. n. 3. In his attendenda fundatio, statuta & consuetudo, ibid. n. 4.

PRÆSCRIPTIO.

Præscriptione Beneficium regulare fit seculare, & contra, p. 2. t. 18. c. 3. n. 4. Quidnam requiratur ad hanc præscriptionem, ibid. n. 5.
Præscriptione an & quomodo Jus Patronatus possit acquiri, p. 2. t. 25. c. 3. n. 15. & seq.
Præscriptioni obnoxium non est Jus Regaliæ in Gallia, uti nec ea, quæ spectant ad Jura Coronæ, ibid. c. 8. n. 28.
Præscribi potest jus decimandi adversus Ecclesiam Parochialem, & quid ad hanc præscriptionem requiratur, p. 2. t. 33. c. 3. n. 23. Jure Decretalium Laici decimas nullâ ratione præscribere possunt, ibid. c. 4. n. 3. & seq. Laicus solâ præscriptione, etiamsi esset immemorialis, sine titulo non potest se à præstatione decimarum eximere, ibid. c. 7. n. 3.
Præscribere cognitionem causarum matrimonialium possunt inferiores Episcopo, sed requiritur possessio immemorialis, p. 3. t. 2. c. 1. n. 19.
Præscriptione acquiri potest auctoritas ferendi censuras, p. 3. t. 11. c. 2. n. 21.
Præscriptio locum non habet in stationibus Regularium adversus Parochum, p. 1. t. 3. c. 8. tot.

PRÆSENTATIO.

Præsentatio facta à bonæ fidei possessore est valida, nec irritatur re evicta, p. 2. t. 25. c. 4. n. 14.
Præsentationis Jus distinguitur à Jure Patronatus, & unum potest esse sine altero, p. 2. t. 25. c. 5. n. 2. Hoc Jus Præsentationis unde profluat, ibid. n. 5. An respectu Ecclesiæ rectè dicatur servitus, ibid. n. 7.
Præsentatum à Patrono, si capax fuerit, Episcopus tenetur instituere, ibid. n. 8.
Præsentandi tempus Patronus Ecclesiasticus habet sex menses, Laicus tantùm quatuor, & hujus distinctionis origo & occasio, ibid. n. 11. & seq. A quo tempore menses incipiant currere, n. 15. Patronus Laicus variare potest, non autem Ecclesiasticus; hujus distinctionis ratio & origo, ibid. n. 16. & seq. Cur variatio Patroni Laici censeatur accumulativa, ibid. n. 18. Quoties & quandiu possit variare, ibid. n. 20. 22. Ecclesiasticus præsentando scienter indignum excidit eâ vice Jure Præsentationis, ibid. n. 23.
Præsentationem negligens Patronus intra tempus statutum, Ordinarius confert jure ordinario non devoluto, ibid. num. 25. Collatio facta, spreto Patrono, est valida, si Patronus intra tempus nullum præsentet, vel invalidet, ibid. n. 26. Quare magis, quam prævento Papæ vel Legati, ibid. n. 27.
Præsentatio quâ formâ facienda, ibid. num. 29. 30. Hodie fieri debet per litteras per Notarium expeditas, ibid. numer. 31.
Præsentatio tantùm censetur perfecta, dum Ordinario est exhibita, ibid. n. 32. Ante Præsentationem perfectam Ecclesiasticus potest variare, ibid. n. 34. Item potest à Papa prævenire, ibid. n. 35. Si Præsentatio non sit perfecta tempore à Jure statuto, Ordinarius pleno jure confert, ibid n. 36.
Præsentatio competens Corpori vel Collegio quâ formâ fieri debeat, ibid. n. 37. 38. Quid si Patroni dissentiant, & diversi diversos præsentent, cui danda institutio, ibid. n. 40. & seq. Quid si super Jure Patronatus inter diversos Patronos lis moveatur, an interim tempus præsentandi currat, ibid. n. 43. Quid hodie in praxi obtineat Patronis dissentientibus vel litigantibus, dum diversos præsentant, ibid. n. 46.
Præsentatio facta cum conditione, quòd præsentatus non petet augmentum competentiæ, est simoniaca, p. 2. t. 50. cap. 2. n. 6. *Vide Acceptio Personarum, Patronus.*

PRÆSUMPTIO.

Præsumptio quid sit, p. 3. t. 7. c. 5. n. 19. Quid Præsumptio juris, ibid. Quid Præsumptio juris, & de jure, & utriusque exempla, ibid. n. 21. 22. Præsumptiones, quantumvis violentæ, tamen cedunt veritati, ibid. n. 23. 24.
Præsumptio hominis seu Judicis quid sit, ibid. n. 25. Hæc præsumptio satis infirma est ad effectum probationis, nec facilè in ea Judex sententiam fundare debet, ibid n. 26. 27. 28.
Præsumptio juris vel de jure rejicit onus probandi in adversarium, ibid. n. 8. &. 20.
Præsumptio inducitur per possessionem ibid. n. 20.

PRÆVENTIO.

Prævention Pontificia in quo ab expectativis & reservationibus differat, p. 2. t. 23. c. 7. n. 1. Cui fundamento jus illud innitatur, à quo tempore stabilitum, ibid. n. 3. Ad prævenien-das fraudes hic occurrentes, condita est Regula Cancellariæ de verisimili notitia, quæ etiam explicatur, ibid. num. 4. & seq. Quantum temporis requiratur pro verisimili notitia, ibid. n. 12.
Prævention minùs est odiosa, quàm expectativa, ibid. num. 19. Varii conatus Gallorum pro ejusdem abrogatione sine effectu, ibid. n. 21. & seq. Stabilitur in Gallia per Concordatum, quòd multis displicet, ibid. n. 26. 27. In locis, ubi est reservatio mensium, prævention non obtinet, ibid. num. 25. In dubio, quis prior consulerit, pro quo judicandum, numer. 32.
Prævention non subjacent Beneficia Patronatus Laici, ibid. n. 33. An subjaceant dignitates electivæ confirmativæ, p. 2. t. 21. c. 3. n. 6. & p. 2. t. 23. c. 7. n. 33.
Prævention tantùm obtinet rebus integris, n. 34. Quandonam res censeatur integra vel non integra, ibid. n. 34. & part. 2. t. 25. c. 5. n. 20.
Prævention impedit Collatio Ordinarii spreto Patrono facta, etsi per Patronum ideo invalidata, p. 2. t. 23. c. 7. n. 38. & part. 2. t. 25. cap. 5. n. 27.

PRECES.

Vide Oratio.

PRECES IMPERIALES.

Precum Imperialium formula, p. 2. t. 25. c. 9. n. 19. Quo jure nitantur, & unde originem ducant, ibid. n. 20. Earum effectus, ibid. n. 21. Sunt species expectativarum, ibid. n. 22. Declaratio Congregationis Concilii Tridentini interpretum, quod per Decretum Concilii ejusdem de expectativis non sint abrogatæ, ibid. Indultum quod Rex Galliæ prætendit se posse conferre præbendam titulo felicis adventus ad Regnum affine est Precibus Imperialibus, ibid. n. 23.

PRESBYTER.

Presbyterorum functiones ex Pontificali, p. 1. t. 1. c. 3. n. 13. & seq. Ordinantur in adjutorium Episcoporum, in utilitatem proximi, non in propriam, ibid. n. 19. 20.
Presbyterorum & Diaconorum Consiliis utebantur primis seculis Episcopi, p. 1. t. 8. c. 1. n. 1. ibid. c. 4. n. 1. Episcopo in decidendis causis assistebant, ibid. n. 2. Ejus vestigium adhuc remansit in hodierno ritu excomunicationis, p. 3. t. 11. c. 8. n. 6. Sunt in adjutorium Episcoporum, p. 1. t. 16. c. 4. n. 4. Nihil possunt in cura animarum nisi cum subjectione ad Episcopum, ibid. n. 5.
Presbyteri in Ecclesia Græca administrant Sacramentum Confirmationis, p. 2. t. 3. c. 2. n. 3. Idem possent apud Latinos ex Commissione Episcopi seposita reservatione, ibid. n. 7.

Presbyter solus potest Eucharistiam conficere & hodie distribuere, p. 2. t. 4. c. 1. n. 15. 20. Quales à Missarum celebratione repellendi, p. 2. t. 5. c. 9. n. 1. & seq.
Presbyter olim poterat reconciliare publicè pœnitentem pro peccatis occultis, secus autem pœnitentem pro publicis, p. 2. t. 6. c. 2. n. 7. Quomodo reconciliatio pœnitentium sensim ad Presbyteros devoluta, ibid. c. 5. n. 4. & seq.
Presbyter an jure delegato possit ordinare Diaconum vel etiam Presbyterum, p. 2. t. 9. c. 2. n. 4. In quo consistat eminentia Episcopatus supra Presbyteratum, ibid. n. 2. 3.
Presbyter majorem sanctitatem habere debet quàm Monachus, ibid. cap. 4. num. 7.

PRINCEPS.

Princeps juxta Pragmaticos, est fons & origo omnis jurisdictionis, p. 3. t. 1. c. 4. n. 24.
Principum Familiares & Domestici gaudent fructibus Beneficiorum in absentia sub certa moderatione, p. 1. t. 7. c. 10. numer. 12. & seq. Quænam hoc nomine intelligantur, ibid. numer. 13.
Principes quomodo interveniant visitationi Episcopali, part. 1. t. 17. c. 4. n. 11. & seq. Item Reformationi Regularium p. 1. t. 32. c. 2. n. 7. & seq. Antiquitus eorum ad hæc commissarii vocabantur Missi Dominici, p. 1. t. 17. c. 4. n. 11. & p. 1. t. 32. c. 2. n. 9. Quomodo interveniant Synodis, p. 1. t. 18. c. 4. n. 14. & p. 1. t. 20. c. 4. n. 1. & seq. Sine eorum consensu nulla Synodus potest celebrari aut etiam publicari, ibid. locis citatis. In Belgio erectio Seminarii, novæ Parochiæ non facilè perficietur sine interventione Principis, p. 2. t. 16. c. 2. n. 20. Pro extructione novi Monasterii vel Ecclesiæ, consensus ejus omninò est necessarius, p. 1. tit. 24. c. 3. n. 11. & 12. In Belgio & in Gallia sine Principis consensu, Episcopus non potest personaliter accedere ad Limina Apostolorum, p. 1. t. 15. cap. 2. num. 15.
Principes Supremi quantum est ex natura suæ potestatis, constituere possunt impedimenta dirimentia Matrimonii etiam inter Christianos, p. 2. t. 13. c. 1. n. 8. & seq. Item super impedimentis à se inductis dispensare, p. 2. t. 14. c. 1. n. 2. Unde factum quod ea potestas privativè hodie sit penes Ecclesiam, p. 2. t. 13. c. 1. n. 14. 16.
Principum curæ, quo jure conservatio Fundationum subsit, p. 2. t. 25. c. 6. n. 18. Consultum est ut Principis auctoritas interveniat in alienatione bonorum Ecclesiasticorum, ibid. & p. 2. t. 36. c. 4. n. 35. In Belgio sine Principis consensu non facilè admittitur commutatio piarum Fundationum, part. 2. t. 37. c. 4. n. 21. 22.
Principes an Beneficia pleno jure conferre possint, p. 2. tit. 25. c. 9. n. 2. & seq.
Principum terræ de jure tenentur ad Decimas, p. 2. t. 33. c. 7. n. 7. Fiscales Brabantiæ sustinent Dominia Ducis ab iis per consuetudinem esse immunia, ibid.
Principibus de bonis Ecclesiasticis liberaliter subveniri probat Ecclesia, sub certa tamem cautela, p. 2. tit. 35. c. 3. n. 5. & sequent.
Principum immediata protectio. *Vide Visitatio.*
Principum obligatio pro extirpatione hæresum, p. 3. t. 4. c. 2. n. 41. & seq. Decreta Imperatorum, & Principum Belgii in hac materia, ibid. n. 43. & seq.

PRIOR.

Prior inter Monachos hodie dicitur qui olim vocabatur Præpositus, p. 1. t. 31. c. 2. n. 1.
Prior Conventualis dicitur qui est caput Conventus, ibid. numer. 18. Etiam si tantùm sit triennalis non potest ante finem suæ administrationis removeri, nisi ex causa & servato Juris ordine, ibid. Non tamen requiritur ut Clericus privetur Beneficio, ibid. n. 19. Censentur constituti in Dignitate; secus Claustrales, ibid. n. 22. Possunt delegari Judices, ibid. num. 23.
Priores Conventuales habent curam animarum & Beneficium Curatum, ibid. c. 3. n. 1. 2. In eorum electionibus maturè deliberandum, ibid. n. 3. & 8. n. 1. & 7. Eorum officium, auctoritas & qualitates in iis requisitæ, ibid. c. 3. n. 4. & seq. & ibid. c. 10. n. 8. & seq. Quænam ætas in iis requiratur, ibid. n. 11. An debeant promoveri ad Sacerdotium, ibid. numer. 9. & p. 2. t. 19. c. 4. n. 23.
Prior Claustralis quis, & unde ita dicatur & ejus officium, p. 1. t. 31. cap. 2. n. 4. & seq. Ad nutum Abbatis est amovibilis, ibid. n. 17. Non tamen si Abbas sit commendarius, ibid. num. 20.
Prior Obedientiarius quis & unde dicatur, ibid. n. 5. Debet esse ad nutum amovibilis, ibid. n. 17. *Vide Obedientia.*

PRIVILEGIUM.

Privilegia contra Jus Commune censentur odiosa, p. 3. t. 12. c. 5. n. 1. & seq. Regulanda sunt juxta usum antiquum, p. 2. t. 33. c. 7. n. 41. Privilegia adversus speciales contractus se non extendunt, ibid. Privilegium nimium judicium præjudicans ex æquitate vel ex arbitrio boni viri restringendum, ibid. num. 41.
Privilegium Canonis an inducat excommunicationem latæ sententiæ adversus violentum Percussorem Clerici, p. 3. t. 11. c. 6. num. 20. An talis non denuntiatus sit vitandus, part. 3. t. 11. c. 4. num. 19. 20. Cujus fori sit hoc crimen, forma qua Romæ in Pœnitentiaria absolutio conceditur, p. 1. t. 23. c. 3. n. 29.
Privilegium fori Vide Immunitas.

PROBATIO.

Probatio quid sit & circa quid versetur & cui incumbat, p. 3. t. 7. c. 5. n. 2. & seq Jus Commune item præsumptio Juris & de Jure rejiciunt onus probandi in adversarium, ibid. numer. 8. 21. Idem sæpè facit possessio ibid. n. 14.
Probationes superfluæ ut evitentur, inductæ sunt positiones quibus pars adversa tenetur respondere sub juramento per *credit* vel *non credit*, ibid. n 29. 44. Quâ formâ & solemnitate hæc fiant & quomodo Judex in iis se gerere debeat, n. 32. & seq. Super quibus positiones hæ non admittantur, ibid. Si pars justa à judice respondere recuset, articuli illi habentur pro confessis, ibid. n. 35. An hæc responsio fieri postet per procuratorem, ibid. n. 39. Ad factum quod quis putat esse verum, non licet respondere per *non credit* citra perjurium, ibid. n. 42. In Gallia usus hujus responsionis per verbum *credit*, Edicto prohibitum & quare, ibid. n. 41.
Probationes præcedere debet sententia Judicis qua ad probandum partes admittantur, p. 3. t. 7. cap. 6. n. 3. 4. Ab hoc Decreto in Curiis Ecclesiasticis datur appellatio, p. 3. tit. 10. c. 1. n. 24.
Probationes efficacissimæ sunt quæ fiunt per testes, p. 3. tit. 7. c. 6. n. 1. Regulariter duo testes omni exceptione majores plenè probant, ibid. n. 11. 12. Super eodem facto non plures producendi quàm decem, ibid. n. 16. In probatione consuetudinis, usus vel styli Curiæ proceditur per Turbas, & quot Turbæ requirantur, n. 17. & seq.
Probatio per instrumenta quænam dicatur, ibid. c. 7. num. 1. Scripturæ signatæ à publicis Graphiariis vel Secretariis vel munitæ publico sigillo plenam fidem faciunt, ibid. n. 37. Item acta judicialia debitè conscripta & registrata, ibid. Antiquæ scripturæ & vetusta insignia antiqui libri & historiæ quam fidem faciant, ibid. n. 38. Quid de libris conscriptis per Officiales publicos, ibid. num. 40. Instrumenta scriptura desumpta ex Archivo publico plenam fidem faciunt, etiamsi fuerint minus solemnia, & quænam dicantur Archivia publica, ibid. n. 41. 42. Copiis licèt authenticis, in judicio fides non adhibetur & quare, ibid. n. 46. Instrumentis publicis plena fides adhibetur quoad ea quæ dispositivè asserunt, ibid. num. 52. An fides instrumenti per testes possit enervari, ibid. n. 53.
Probationem per scripturam requirunt dispensationes excedentes summam 217. Florenorum in Gallia & Belgio, variisque Regnis, ibid. n. 55. & seq. Non tamen per hoc excluditur Juramentum litis decisorium, item confessio partis, ibid. numer. 57. Quam fidem faciant libri Mercatorum, ibid. numer. 59. Quam fidem hodie faciant privatæ scripturæ, ibid. n. 60. Privata scriptura, etiam solemnis, probat contra scribentem, & in judicio recognita habet paratam executionem, ibid. n. 63. & seq. Quomodo scriptura alicujus probari posset, ibid. n. 74.
Probatio Tonsuræ hodie in Belgio non admittitur nisi per litteras, nec admittuntur Testes nisi in casu quo registrum foret deperditum, quam perditionem is qui allegat probare tenetur, p. 1. t. 1. c. 1. n. 8. Idem obtinet in probatione ordinum, ibid. cum seq. Item Professione Religiosa, p. 1. t. 27. c. 1. n. 3. 6.
Probatio Juris patronatus quomodo fiat, p. 2. t. 29. c. 3. numer. 19. & seq. Quomodo probatur infeudationem decimarum factam fuisse ante Concilium Lateranense, p. 2. t. 33. c. 4. n. 27. Quomodo probetur Jus ad honores sive Jura honorifica, p. 2. t. 25. c. 7. n. 38.
Probationes certissimæ in criminalibus, præsertim ubi de pœna corporali agitur, requiruntur, p. 3. t. 8. cap. 3. n. 25. Ubi tales habentur, non licet Reum applicare ad Torturam, ibid. num. 31. 32.

PROCESSIONES.

Processionum inductio, directio, ritus & forma ad Episcopum plenè spectat, p. 1. t. 16. c. 9. n. 11. & seq. Quænam in iis attendenda & cavenda, ibid. num. 13. An conveniat ut in iis Sanctorum reliquiæ cum Venerabili deferantur, ibid. n. 14. Ad illas exempti omnes accedere, vocati tenentur, ibid. numer. 19. Capitula etiam exempta nequidem titulo immemorialis consuetudinis se excusare possunt, ibid. n. 20. Episcopi possunt antiquas Processiones mutare vel etiam in totum abrogare, si abusus id postulent, ibid. n. 21.

Processiones cum Venerabili quo tempore inceperint & qua forma Venerabile in iis delatum, p. 2. t. 4. c. 5. n. 1. & seq. Apud Græcos unicà exceptâ ignotæ, ibid. n. 3. Quænam in eis cavenda, ibid. n. 21. & seq.

Processionis honor unde ortus, cui & quomodo debeatur, part. 2. t. 25. c. 7. num. 4. & sequent. Quinam processionaliter recipi possint, ibid. n. 8. 9.

PROCESSUS.

Vide Causa, Judicium.

PROCLAMATIONES.

Proclamationes seu propositiones nominum Ordinandorum profluunt ex antiqua disciplina, p. 2. t. 9. c. 4. n. 20. & sequent. Earum scopus, ibid. n. 28. Qua forma faciendæ, ibid. n. 25. Crea quæ inquirendum & quænam præcipuè denuntianda, ibid. n. 23.

Proclamationes Matrimoniales jam pridem vocatæ Bannum & quid illa vox significet, p. 2. t. 12. c. 3. num. 1. 2. Ejus origo, utilitas & scopus, ibid. n. 4. & seq. Quo tempore, quibus diebus, quibus locis, & qua forma faciendæ, ibid. n. 5. & seq. Deferenda sunt impedimenta etiam occulta & quæ judicialiter probari nequeunt & super eo populus admonendus, ibid. n. 11. 12. Ob illarum omissionem matrimonium non reditur invalidum, nequidem in Gallia, nec obstant Edicta Regia, n. 14. 15.

Proclamationes ob quas causas remitti possint & qua cautela, ibid. n. 16. & seq. Praxis & Edicta Regia in Gallia circa has dispensationes, ibid. n. 22. Quàm cautè Parochi concedere debeant testimonia pro impetranda dispensatione, ibid. n. 24. Quam perniciosum facilè dispensare, ibid. n. 25. Huic abusui Parochi in multis possunt occurrere, ibid. n. 27.

PROCURATIO.

Procurationes dicuntur victualia subministranda Prælato visitanti, p. 1. t. 17. c. 2. n. 5. Quænam hoc nomine comprehendantur, ibid. n. 6. Ea sola accipere permittit Trid. & qua moderatione, ibid. n. 7. & seq. Episcopus eadem die duas Ecclesias visitans contentus esse debet unica Procuratione, ibid. n. 10. Non debetur ei visitanti Ecclesias suæ civitatis, ibid. n. 11. Procurationes debentur Metropolitano visitanti provinciam, p. 1. t. 19. c. 4. n. 5. Debentur & Legato Apostolico & qua moderatione, p. 1. t. 21. c. 2. n. 22. 23.

Procurationes moribus Belgii & vicinorum exigi non possunt à Laicis, p. 1. t. 17. c. 2. n. 16. 17. Moribus hodiernis per censuras subditi cogi non possunt ad earum solutionem, ibid. n. 18. Quæstio de earum solutione in Gallia coram Tribunali Regio agitanda, ibid. n. 17. Pœna visitatorum qui majores procurationes exigunt, ibid. n. 19.

PROCURATOR.

Procuratore mediante matrimonium potest contrahi & quale mandatum requiratur, p. 2. t. 12. c. 4. n. 10. 11. Mandatum censetur revocatum etiamsi revocatio non sit intimata, ibid. n. 13. Procurator ad contrahendum matrimonium alium substituere non potest ibid. n. 12.

Procurator quandonam admitti possit ad dandum suffragium in electionibus, p. 2. t. 21. c. 3. num. 17. Varia jura circa Electionem per Procuratores & eorum mandata, ibid. numer. 18. & seq.

Procurator possessionem accipere potest, p. 2. t. 26. c. 2. n. 8. Possessio accepta tantum per Procuratorem non impedit in Gallia vocationem in Regalia, p. 2. t. 25. c. 8. n. 51. Consensus in resignationem in curia præstari potest per Procuratorem, varia observanda in ejus constitutione circa qualitatem & expeditionem mandati, ejus expirationem & revocationem, p. 2. t. 27. c. 3. tot.

PROCURATOR AD LITES.

Procuratorem ad lites constituere Jure Romano non erat permissum, p. 3. t. 6. c. 3. n. 2. Moribus Galliæ nemini præter Regem longo tempore licuit, vel nisi obtenta ab eo secularе, ibid. n. 3. Intellectus Cap. 7. ✠ *de Procurat.* ibid. n. 4. Quandonam id abrogatum, ibid. n. 5.

Procuratores ad lites quandonam in curias Ecclesiasticas intraverint, ibid. n. 9. Apud Romanos erat officium vile, n. 10. Eorum numerus limitatus & prævio examine admittuntur, ibid. n. 11. Moribus hodiernis causæ agitari debent per Procuratorem Curiæ, ibid. n. 12. Etiam inviti coguntur ad causam suscipiendam, nisi jurent se credere eam esse infundatam, ibid. n. 13. 14. Ex juramento suo non potest suscipere causam injustam, ibid. n. 16. Conjuncti sanguine aut habitantes in eadem domo non possunt in eadem lite pro utraque parte occupari, ibid. n. 20. Non possunt protrahere lites, aut superfluas dilationes petere, ibid. n. 21.

Procurator debet habere mandatum à suo Principali, nec sufficit quòd caveat *de rato*, ibid. 23. 24. An cautio de rato aliquando admittatur, ibid. & n. 25. Quomodo hodie mandatum expediri debeat, ibid. n. 26. An post litem contestatam revocari possit, ibid. n. 27. An morte Principalis extinguatur, ibid. Hodie sententia non fertur in Procuratorem, sed in Principalem, p. 3. t. 9. c. 3. n. 16.

PROCURATOR.

Vide Cellarius.

PROFESSIO.

Professionis Religiosæ Ritus ex Regula S. Benedicti & aliorum, p. 1. t. 27. c. 1. n. 2. & seq. Solemnis Monachi Benedictio olim usitata, quam vim habuerit, ibid. n. 1. Tacita professio hodie non admittitur, ibid. n. 7. Vestis Novitiorum hodie discrepat à vestibus Professorum, & quare, p. 1. t. 25. c. 3. n. 6. A parentibus olim oblati ante annos pubertatis vitæ Religiosæ postmodum adstringebantur, ibid. n. 9. Hodie nemo adstringitur nisi per liberam Professionem, ibid. n. 10. Admissioni ad Professionem annexum est jus ad sustentationem, p. 1. t. 26. c. 1. n. 8. Professio nulla est facta ante expletum annum Novitiatus. *Vide Novitius.*

Professionis antiquæ formulæ nullum votum aut Regulam exprimebant, p. 1. t. 27. c. 3. n. 1. 3. Primus observantiam Regulæ inclusit S. Benedictus, ibid. n. 4. Paupertatis & Castitatis vota censentur tacitè inclusa, ibid. n. 6. Voti Castitatis primus expressam mentionem fecit S. Franciscus, p. 1. t. 30. c. 1. n. 3. 4. Quid stabilitas de qua in Regula S. Benedicti, p. 1. t. 27. c. 3. n. 8. Etiam in omni professione censetur inclusa, ibid. n. 9.

Professio qua ætate fieri potuerit olim & quæ ætas hodie requiratur, p. 1. t. 27. c. 2. n. 1 & seq. In Concilio Trid. paratum erat decretum requirens ætatem 18. annorum & cur ab eo recessum, ibid. n. 7. Varii ordines majorem ætatem requirunt, ibid. n. 10. Si professio fiat ante tempus per statuta dictorum ordinum requisitum, sed post annum 16. erit valida, ibid. n. 11.

Professio hodie non nisi per scripturam probari potest, nisi allegetur Registrorum perditio, ibid. c. 1. n. 6.

Professio solvit matrimonium ratum, non consummatum, p. 2. 25. c. 1. n. 8. & seq. *Vide Votum.*

Professio tollit irregularitatem ex defectu Natalium, non tamen reddit capacem Prælaturæ, p. 2. t. 10. c. 3. n. 27. & sequent.

Professione pensionarii extinguitur pensio, p. 2. tit. 28. c. 9. numer. 3.

Professionis nullitas deducenda est infra quinquenium, etiamsi causa adhuc duraret, p. 1. t. 27. c. 6. num. 3. 4. Exceptio, ibid. n. 6. Reclamatio fieri debet per instrumentum authenticum, ibid. n. 10. Stylo Curiæ Romanæ datur restitutio & qua forma, ibid. n. 9. In Gallia hæc restitutio non admittitur, ibid. n. 10. Causa nullitatis coram quo deducenda, ibid. n. 11. Si Habitum dimiserit non auditur nisi eo à reo assumpto, ibid. n. 16. *Vide Votum, Novitius.*

PROHIBITIO LIBRORUM.

Vide Libri Prohibiti.

PROMOTOR.

Promotoris nomen undenam derivatum, p. 3. t. 6. c. 5. num. 5. Formula institutionis promotorum, ibid. n. 6. Eorum officium, ibid. n. 8.

Promotorum varii excessus jam à seculo XIV. notati, ibid. numer. 10. & seq. Remedia quibus Synodi iis occurrere vo-

lue-

luerunt, ibid. Non potest quemquam convenire, nisi habita informatione & cum magna discretione, ibid. n. 14. Si alter egerit quomodo puniendus, p. 3. t. 8. c. 1. n. 14. 15. Id maximè obtinet in causis Ecclesiasticorum, ibid. n. 17. & p. 3. t. 6. c. 5. n. 15. Juramentum Promotorum, p. 3. t. 6. c. 5. n. 16. & 24. Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum adversus Promotores dissimulantes crimina, ibid. n. 22. Juramentum & institutio Promotoris Universitatis Lovaniensis, ibid. n. 19. & 25.

Promotores moribus Galliæ debent esse Sacris Ordinibus initiati, n. 26. Incommoda quæ oriuntur ex eo quod ad officium admittuntur conjugati & sæpè tenuis fortunæ, ibid. n. 27.

Promotor non tenetur sese inscribere ad pœnam Talionis, p. 3. t. 8. c. 1. n. 13. Punitur ob malè institutam accusationem & qua pœna ibid. n. 14. Regulariter non condemnatur in expensas, ibid. n. 15. Quandonam in eas possit condemnari juxta ordinationes Curiarum, ibid. n. 15. 16.

PROPHANATIO ECCLESIÆ.

Vide Ecclesia, Cœmeterium.

PROPRIETAS.

Vide Peculium.

PROVINCIA.

Provinciæ Ecclesiasticæ olim eædem erant civilibus, p. 1. t. 19. c. 1. n. 5. & seq. Belgarum privilegium quo nullo casu vel instanti extra Provinciam evocari possunt, p. 3. t. 5. c. 3. n. 10. & seq. *Vide Belgium.* Specialiter Privilegiati sunt Brabanti, ibid. n. 14. & seq. Quid in hac materia obtineat in Hispania, ibid. n. 23. & seq. Quid in Gallia, ibid. n. 26. Quid moribus Galliæ & Belgii censeatur, eadem Provincia, ibid. n. 28. 30. Si Diœcesis in plures Provincias se extendat, sæpe tenebitur Episcopus plures Officiales constituere, p. 1. t. 12. c. 4. n. 6. Faciunt id hodie Episcopi exteri, quorum Diœceses se extendunt in Brabantiam part. 3. tit. 5. cap. 3. numer. 15. & sequent.

PROVINCIALIS.

Vide Superior.

PROVISIO.

Vide Sententia Provisionalis.

PROVISIO APOSTOLICA.

Provisio in forma *dignum* unde dicta, p. 2. t. 24. c. 1. n. 1. Provisus remittitur ad Ordinarium ut ei de Beneficio provideat, ibid. n. 2. Ante hanc provisionem nullum adhuc habet titulum Beneficii, nec illud potest resignare vel possessionem ejus accipere, ibid. n. 3. 4. 5. Ordinario recusante litteras Provisionis, ad quem recurrendum, ibid. n. 6. Forma *dignum* dividitur, in antiquam & novissimam & utriusque differentia, ibid. n. 7. 8. Formula litterarum Provisionis seu visa per Ordinarium, ibid. num. 9. Quis hic censeatur Ordinarius, ibid. n. 11. Ordinarius tenetur dare litteras seu visas, si Provisus prævio examine repertus sit dignus, ibid. c. 5. n. 34.

Provisio in forma gratiosa, p. 2. t. 24. c. 1. n. 16. Forma signaturæ in hac provisione, ibid. n. 18. Forma litterarum in hac Provisione, ibid. n. 20. 21. Deputantur Executores & quales, ibid. n. 22. In Gallia & Belgio non admittitur hæc Provisio quoad Beneficia curata, nisi provisi ante aditam possessionem subierint examen Ordinarii, ibid. n. 23. Ad quid inducta forma novæ Provisionis & quid operetur, ibid. c. 2. n. 1. & seq. Formula rescripti *perinde valere* in quem finem detur? quid operetur; & quid in supplica pro eo obtinendo exprimendum, ibid. n. 5. & seq. Quid rescriptum *perinde etiam valere*, ibid. n. 9. Quid rescriptum *rationi congruit*; cur ita dicatur & quis ejus finis ibid. n 11. & seq.

Provisiones Pontificiæ non censentur factæ motu proprio nisi disertè id exprimatur, ibid. c. 3. n. 2. In Gallia non admitterentur, ibid. n. 3. Provisio sæpè invalida est ob non rectam expressionem in supplica, ibid. n. 6. Quænam in supplica necessariò exprimenda, ibid. c. 4. n. 1. & seq. Exprimendum Beneficium, quantumvis exiguum, ante obtentum & quare, ibid. n. 30.

PROVISOR.

Vide Cellarius, Collegium.

PURGATIO CANONICA.

Purgatio Canonica jam pridem indici cœpit Clericis & de crimine infamatis, & quando, & in quem finem & quo ritu, p. 3. t. 8. c. 4. n. 41. & seq. Quandonam inducta necessitas conpurgatorum, ibid. n. 43. & seq. Compurgatores vocantur *manus*, & inde dicitur *manu quinta*, *sexta*, *septima* pro numero compurgatorum, ibide n. 47. Quot & quales compurgatores hodie requirantur, & quid debeant jurare, ibid. n. 48. & sequent.

Purgatio Canonica in Belgio nota fuit, ibid. n. 53. Concordata Hannoniæ concedunt Ecclesiastico judici facultatem eam Laico indicendi, ibid. n. 54. In Curiis secularibus vix ullus ejus usus, in Ecclesiasticis verò satis rarus, ibid. n. 55. 56. Non adhibenda nisi tanquam medium extraordinarium & rarò ob periculum perjurii, ibid. n. 31. 57. 58.

Purgatio Canonica indicitur publicè de Simonia infamatis, p. 2. t. 30. c. 6. n. 31.

PURGATIO VULGARIS.

Purgatio vulgaris à seculo septimo apud Europeos in usu, & in quem finem adhibita, p. 3. t. 8. c. 4. n. 1. 2. Purgatio per aquam frigidam; & cur vocaretur Judicium, ibid. n. 3. 4. Ritus quo peragebatur, ibid. n. 5. Orationes, Missa, adjuratio aquæ exorcismi qui eo casu abhibebantur, ibid. n. 6. & seq. Quo ritu & adjuratione subituris hanc purgationem, daretur communio, ibid. n. 9. 10. An probatio horum rituum rectè adscribatur Eugenio II. ibid. n. 15. & seq. Describitur Judicium aquæ ferventis, ibid. n. 10. Describitur ut Judicium ferri candentis, ibid. n. 21. 22.

Purgationum harum usus in quem finem valuerit & unde auctoritas ei tribueretur, ibid. n. 24. Earum usus in Hispania, & Gallia & Belgio multum invaluit, ibid. n. 23. 27. 28. Decretum à Gratiano relatum sub nomine Gregorii, adversus has purgationes, non rectè S. Gregorio adscribitur, ibid. numer. 29. 30. Varia Decreta Pontificum quibus purgationes vulgares reprobantur & abolentur, ibid. n. 33. & seq. Usus probationum vulgarium, præsertim adversus sagas adhuc hoc seculo in aliquibus partibus perseveravit, sed sine ritibus Ecclesiasticis, ibid. n. 37. 38. Ex antedictis ostenditur fallacia argumenti à praxi communi, ibid. n. 50.

PURIFICATIO.

Purificationis Mulieris post partum origo, p. 2. t. 2. c. 5. numer. 7. Fieri debet in propria Parochia, & per proprium Parochum, ibid. n. 8. Declaratio Congregationis Concilii Tridentini in hac materia in favorem Parochorum Antuerpiensium, ibid. n. 9. Purificationis ritus, ibid. n. 12. & seq.

Q

QUALIFICATORES.

Qualificatores quinam sunt & eorum officium, p. 1. t. 22. cap. 3. num. 27. Eorum differentia Consultoribus, ibid.

QUÆSTORES ELEEMOSYNARUM.

Quæstores eleemosynarum unde dicti & quo potissimum tempore cœperint, p. 2. t. 7. c. 3. n. 1. Eorum fraudes & excessus, ibid. n. 5. 6. Frustra à Concilio Viennensi compescuntur, ibid. n. 7. 8. Horribile eorum mercimonium circa indulgentias ante Concilium Trid. ibid. n. 9. 10. Decreto ejusdem Concilii aboletur, ibid. n. 12.

QUARTA FUNERARIA.

Quarta Funeraria unde originem habeat, & quo jure Ecclesiæ Parochiali competat, part. 2. tit. 38. cap. 5. num. 27. Semper vocatur quarta etiamsi major vel minor sit, ibid. num. 29. Ex quibus obventionibus desumenda, ibid. numer. 31. 32. An in eam computandæ oblationes factæ Ecclesiæ Parochiali, ibid. num. 33. Hæc quarta consuetudine regitur & quid de ea habeat consuetudo Galliæ & Belgii, ibid. num. 36. 37. Concordata in hac materia debent attendi, ibid. n. 39. Quid in faciendis concordatis benè observandum, ibid. n. 40.

QUADRAGESIMA.

Quadragesimæ tempus ut à populo suo sanctè transigeretur quid Sanctus Carolus providerit, p. 1. t. 16. c. 7. n. 12. Nuptiæ solemnes & traductio mulieris in domum viri eo tempore prohibentur & quare, p. 2. t. 13. c. 2. n. 12. 14. 15. Consilii est eo tempore ab actu conjugali abstinere, non præcepti, ibid. n. 16. antiqua est consuetudo confitendi in initio

Quadragesimæ, p. 2. t. 6. c. 4. n. 8. Eam reduci optant Synodi Belgicæ, ibid.

QUATUOR TEMPORA.

Quatuor Tempora in quem finem instituta, p. 2. t. 9. c. 4. numer. 30. Extra ea ordinationes fieri non possunt, ibid. c. 5. n. 18. Solus Papa super eo dispensat, ibid. n. 19.

R

RAPTUS.

Raptus gravissimè olim fuerunt puniti Legibus Romanis, p. 2. t. 13. c. 10. n. 1. Item Belgicis, ibid. n. 2. Videtur quod olim inter Raptorem & Raptam nunquam potuerit consistere Matrimonium, ibid. n. 3. 4. 5. Quandonam receptum ab ea recedi, ibid. n. 6. Decretum Concilii Tridentini circa impedimentum Raptus, & in quo à pristina disciplina recedat, ibid. n. 7. 9. Pœnæ à Concilio Tridentino decretæ adversus Raptores & quinam illas incurrant, ibid. n. 10. & seq. In Gallia attenditur Raptus seductionis quoad filiosfamilias, & in eo fundatur ibidem nullitas matrimonii eorum, invitis parentibus, ibid. n. 12. 14. & p. 2. t. 12. c. 4. n. 22. 23.

Raptus in quo differat à stupro violento & ejus pœna. *Vide Stuprum.* In Gallia solus Judex secularis de Raptu cognoscit, p. 2. t. 2. c. 1. n. 23. Item in Brabantia, p. 3. t. 4. c. 4. numer. 44.

RECONCILIATIO ECCLESIÆ.

Vide Ecclesia.

RECONVENTIO.

Reconventio an institui possit coram Arbitro, p. 3. t. 5. c. 4. num. 6.

RECREDENTIA.

Recredentia est sententia interlocutoria in materia possessoria, p. 3. t. 2. c. 4. n. 15. Unde sic dicta, & ejus scopus & effectus, ibid. & n. 16. Modus quo ad illam adjudicandam proceditur, & quænam ad eam obtinendam exhibenda, ibid. n. 16. Requiritur cautio, & qualis, ibid. n. 17. Non licet instituere duos distinctos processus, unum pro Recredentia, & alterum pro pleno Possessorio, ibid. n. 24. Sententia recredentialis non ferenda, si causa sufficienter sit instructa ad plenum Possessorium, ibid. n. 27. Sententia recredentialis sortitur executionem, non obstante oppositione vel appellatione, ibid. Qui obtentâ Recredentiâ tribus annis mansit sine molestatione, censetur Possessor triennalis pacificus, p. 2. t. 26. c. 4. n. 17.

RECUSATIO.

Recusatio quid sit, p. 3. t. 10. c. 5. 2. Quâ formâ debeat proponi, ibid. n. 4. Judex suspectus non renovetur, nisi à parte fuerit ut talis recusatus; ibid. n. 5. Judex recusatus non potest cognoscere de causis suspectationis, ibid. n. 9. Eligendi sunt Arbitri, & quâ formâ, ibid. n. 10. Cur hi dicantur Arbitri juris, ibid. n. 11. More judiciario procedunt, & ab eorum sententia datur appellatio, ibid. n. 12. Judex recusatus Arbitris terminum potest præfigere, intra quem procedere debeant, ibid. n. 13.

Recusari quinam possint, ibid. n. 14. 15. Hodie integrum Collegium seu Consilium recusari non potest, sed tantum singuli de Collegio, ibid. n. 17. 18. Causa suspicionis eo casu discutitur per alios non suspectos ibid. Quid si maxima pars Concilii recusetur, ibid. n. 20. Si Vicarius Generalis Sede vacante recusetur de causis recusationis judicat Capitulum, p. 1. t. 9. c. 4. n. 4. In Congregationibus Cardinalium non admittitur recusatio ex causa suspicionis, p. 1. t. 22. cap. 6. numer. 11.

Recusatio quo tempore litis proponi possit & debeat p. 3. t. 10. c. 5. n. 21. 22. 23. Effectus recusationis legitimè propositæ, ibid. num. 24.

REDUCTIO.

Reductio Missarum qua ex causa facienda, p. 2. t. 5. c. 7. numer. 25. Ejus potestas competit Episcopis in Synodo & Abbatibus & Generalibus Ordinum in Capitulo Generali, ibid. De consuetudine Episcopi Belgii id possunt extra Synodum, sed Abbates & Generales non extra Capitulum, ibid. numer. 27. Decretum S. Congregationis reductiones omnes reservans S. Sedi, in Belgio non est receptum, ibid. n. 28. Quinam audiendi, ibid. n. 29. Quænam causæ attendendæ, ibid. numer. 30.

Reductio pensionis qua de causa facienda, p. 2. t. 28. c. 7. n. 7. Si pensio excedat triennem fructuum, in Gallia & Belgio non admittitur, nisi reducatur, ibid. n. 9. 10. 11. Quinam ad reductionem petendam admittatur, ibid. n. 8. 9. Qui si adsit clausula, quod reduci non possit, ibid.

Reductio ad arbitrium boni viri. *Vide Arbiter.*

REFERENDARIUS.

Vide Relator.

REFORMATIO.

Reformatio Ordinum & disciplinæ monasticæ ad quem spectet, p. 1. t. 32. c. 2. n. 3. Episcopus & Superior non potest solus procedere ad reformationem, sed debet assumere Religiosos eandem Regulam professos, ibid. num. 4. Ad reformationem in Belgio & Gallia procedere non possunt Superiores extranei sine consensu Regis, ibid. n. 18. Abbates Commendatarii nullam quoad hoc habent auctoritatem, ibid. num. 5.

Reformationibus auctoritas Principum sæpè necessaria, & olim frequenter interveniebant per suos Legatos, ibid. num. 7. & sequent. Senatus Regii interveniunt, mandant Superioribus, ut procedant, iisque alios adjungunt, item Consiliarios deputant, qui assistant, & statuta reformationis exequantur, ibid. n. 10. & seq. Estque id conforme menti Concilii Trid. ibid. n. 16.

Reformationis Decreta per appellationem non suspenduntur, ibid. num. 17. & ibid. c. 5. n. 9. Quænam præcipuè attendenda, ut optatum finem & durationem habeant, ibid. num. 10. & sequent. Ex reformationibus ortæ sunt Congregationes, ibid. n. 23.

REFORMATIO JURIDICA.

Reformatio sententiæ in quo differat ab appellatione, part. 3. t. 10. c. 4. n. 3. A sententiis Magistratus quatuor primariorum civitatum Brabantiæ non admittitur appellatio sed tantum reformatio, ibid. n. 2. Id jus quibusdam civitatibus Flandriæ competit, ibid. n. 4.

REGALIA.

Regalia quid sit, p. 1. t. 14. c. 5. n. 16. Quandonam dicatur aperta, ibid. Quid requiratur, ut clausura Regaliæ plenum effectum habeat, ibid. n. 14. 15. Magna ejus extensio in Gallia, ibid. n. 17. & p. 2. t. 25. c. 8. n. 28. Quid obtineat in Germania & Imperio, & cur ibi moderatiùs agatur, ibid. p. 1. t. 14. c. 5. n. 18. Inter Episcopatus Belgii solus Tornacensis eidem subjectus, ibid.

Regalia nota tempore Innocentii III. etiam in Germania & Anglia, ibid. n. 6.

Regaliæ deffinitio, natura & origo, p. 2. t. 25. c. 8. n. 1. & seq. Primitùs tantùm se extendebant ad bona feudalia, & quare, ibid. n. 11. & seq. Unde factum, quòd hodie se ad decimas aliaque bona extendat, ibid. n. 14. Unde postea etiam ad omnes collationes Beneficiorum extensa, ibid. n. 18. Unde factum, quòd aliæ Ecclesiæ ei subjacent, aliæ sint exemtæ, ibid. n. 20.

Regaliæ extensio Decreto Concilii Lugdunensis prohibetur, ibid. n. 24. Quomodo nuper ad omnes Ecclesias Galliæ, eo non obstante, sit extensa, & regia super eo declaratio, ibid. n. 28. & seq. An Regalia sit Jus Coronæ, ibid. n. 27. 29. Consensus Cleri Gallicani in hanc extensionem, item ejusdem litteræ super eo scriptæ ad Innocentium XI. & hujus responsio, item cassatio dicti consensus, ibid. n. 34. & seq. Eo non obstante, Regalia manet extensa ad omnes Ecclesias Regni, ibid. n. 46.

Regaliæ usus & modificationes modernæ explicantur, & prima, de Beneficiis litigiosis, ibid. n. 47. & sequent. Secunda quoad Beneficia & Dignitates curatas, ibid. n. 52. Tertia quoad Beneficia spectantia conjunctim ad Episcopum & Capitulum, ibid. n. 54. In has moderationes consensit Rex salvâ Regalià quoad cætera, ibid. n. 56. Quis Judex in materia Regaliæ & incidentium, ibid. n. 57.

Regaliæ varia privilegia explicantur, ibid. n. 58. & seq. Eorum origo, & ratio est obscura, n. 64. Quomodo Ministri Regii in hac materia se gerere debeant, ibid. n. 66. Beneficia, ad quæ se extendit Regalia, uniri non possunt aliis sine consensu Regis, p. 2. t. 29. c. 3. n. 12.

REGALIA S. PETRI.

Regalia S. Petri quænam in formula juramenti Episcoporum intelligatur, p. 1. t. 15. c. 2. n. 11.

RE-

REGISTRUM.

Registro baptismali & matrimoniali quænam inscribenda, p. 2. t. 12. c. 6. n. 20. Edicta in Belgio circa eadem, ibid. Plenam fidem faciunt, ibid. n. 21.

REGRESSUS.

Regressus ob non impletam permutationem nec hodie sublatus, p. 2. t. 27. c. 7. n. 23. An requiratur nova collatio, ibid. n. 19. An requiratur auctoritas Judicis, & cujus, ibid. numer. 22.

Regressus ob non solutam pensionem non potest fieri sine auctoritate & declaratione Judicis, p. 2. t. 28. c. 8. n. 15. Quandiu eidem sit locus, ibid. in Gallia & Belgio non amittitur, sed defectuosus in solutione condemnatur ad solvendum vel cedendum, ibid. n. 16. & seq.

REGULA.

Regulæ veteres erant privatæ institutiones Monachis datæ ex tempore, p. 1. t. 24. c. 1. n. 8. Primis seculis vix litteris consignatæ, ibid. n. 10. Antiquitùs usque ad S. Benedictum frequens earum mutatio & varietas in eodem Monasterio, ibid. num. 11. 12. Olim nulla requirebatur approbatio regulæ, & quando cœpta requiri, ibid. n. 12. 14. Non dicitur vera Religio, quæ non profitetur Regulam ex approbatis, etiamsi tria vota emittant, ibid. n. 15. Talia vota non dicuntur solemnia, ibid.

Regulam inter & Constitutiones olim ignota fuit differentia, ibid. n. 16. Quænam sit inter ipsas hodie differentia, ibid. n. 17. & seq.

Regula vel Capitulum ex ea quotidie in fine Primæ olim recitabatur, & inde adhuc vocatur ad absolutionem Capituli, p. 1. t. 32. c. 3. n. 26.

REGULÆ CANCELLARIÆ.

Regulæ Cancellariæ à quo tempore, & in quem finem institutæ, p. 1. t. 23. c. 1. n. 16. & seq. & p. 2. t. 23. c. 4. n. 4. & seq. Sunt tantùm temporales, morte cujusque Pontificis extinguuntur, p. 1. t. 23. c. 1. n. 19. & p. 2. t. 23. c. 5. n. 14. Vacante Sede Apostolicâ cessant, ibid. n. 15. Varia, in quibus recentiores Regulæ à veteribus discrepant, ibid. n. 7. & seq.

Regulas varias Belgium non agnoscit, & quales, ibid. c. 4. numer. 15. & sequent. An novæ Regulæ ibidem recipi possint sine Placeto, p. 2. t. 27. c. 5. n. 23.

Regulis Cancellariæ in Gallia Rex non ligatur aperta Regalia, p. 2. t. 25. c. 8. n. 62.

Regula de verisimile notitia in quem finem introducta, p. 2. t. 23. c. 7. n. 4. & seq. In Gallia recepta est ut Lex Regni, ibid. n. 9. Quid requiratur, ut notitia dicatur verisimilis, ibid. n. 11. In quibus Beneficiis hæc Regula locum habeat, ibid. n. 15. Etiam ligat Collatores Ordinarios, ibid. n. 16. An ei possit derogari, ibid. n. 17. In Belgio parum nota, & quare, ibid. n. 25.

Regula Cancellariæ de Idiomate, p. 2. t. 24. c. 4. n. 2. De quibus Beneficiis curatis intelligenda, ibid. n. 4. 5. Ejus derogatio in Gallia & Belgio non admittitur, ibid. n. 7.

Regula de exprimendo vero valore. Vide Annatæ.

Regula de non tollendo jus quæsitum ad quæ se extendat, ibid. c. 2. n. 2. 3. 4. & ibid. c. 5. n. 28. & seq.

Regula de non judicando juxta signaturam, sed tantum juxta Bullam in Belgio obtinet, p. 2. t. 24. c. 3. n. 22. Non obtinet in Gallia quoad minora Beneficia, ibid. n. 19. *Vide Signatura.*

Regula de Possessore Annali refertur, ejus utilitas & scopus p. 2. t. 26. c. 3. n. 2. 4. Etiam in Gallia servatur, ibid. numer 3. Quinam ea se tueri possint, ibid. n. 6. & seq. Non habet locum in provisionibus Ordinariorum & quare, ibid. n. 10. Qualis possessio requiratur, ut huic Regulæ sit locus, n. 11. & seq. Quid exprimere debeat, qui validè vult impetrare Beneficium ab alio pacificè per annum possessum, ibid. n. 14. Quoad tempus instituendæ litis, item mulctam injunctam, nec in Gallia, nec in Belgio observatur hæc Regula, ibid. n. 15. 16.

Regula de triennali Possessore servatur ut Decretum Concilii Basileensis, ibid. c. 4. n. 2. Refertur, ibid. n. 4. Quænam requiratur possessio, ut quis se tueri possit per hanc Regulam, ibid n. 6. A quo tempore triennium incipiat currere, ibid. n. 7. & seq. Quænam possessio hic censeatur pacifica, idid. n. 12. 13. An turbatus ab uno censendus sit turbatus quoad omnes, ibid. n. 14. & sequent. Qui obtentâ recredentiâ, per tres annos sine molestatione possedit, censetur triennalis Pacificus ibid. n. 17. Requiritur titulus coloratus, quotuplex hic sit, & quo tempore adesse debeat, ibid. n. 18. & seq. Contra impeditum agere triennium non currit, & quodnam impedimentum ad hoc requiratur, ibid. numer. 25. Requiritur protestatio intra triennium, n. 25. An currat adversus minnorennem, item an huic possit subveniri per restitutionem in integrum, ibid. n. 26. An Resignatarius triennalis possessionis possit molestari, ibid. n. 27. Praxis hodierna, si aliquis post triennalem possessionem molestetur, ibid. n. 28. Hæc regula non impedit Ordinarios ex officio procedentes adversus Possessores sine legitimo titulo, ibid. n. 29. 30. Possidens plura Beneficia per hanc Regulam non juvatur, p. 2. t. 20. c. 5. n. 18. An in Gallia Regalista possit molestare triennalem Possessorem p. 2. t. 25. c. 8. numer. 62.

Regula de Infirmis resignantibus, p. 2. t. 27. c. 5. n. 1. Quis primus ejus auctor, ibid. n. 2. An obtineat in resignatione facta à non infirmo, n. 5. & seq. Quænam infirmitas requiratur, & quo tempore adesse debeat, ibid. n. 9. 10. & 8. Quandonam resignans de eadem infirmitate decessisse præsumatur, ibid. n. 12. 13. De quibus diebus hæc Regula intelligatur, & à quo tempore computandi, ibid. n. 14. & seq. An hæc Regula in Belgio locum habeat in resignationibus factis coram Ordinario, vel causa permutationis, n. 26. Derogatio hujus Regulæ est satis frequens, & etiam in Gallia admittitur, numer. 31. 32. Non tamen in Belgio, & ratio diversitatis, ibid. num. 33. 34.

Regulæ de publicandis Resignationibus, & ejus ratio, ibid. c. 6. n. 1. & seq. Quo loco publicatio facienda, ibid. n. 9. Intra quod tempus facienda, & quomodo computandum, ibid. n. 7. & 13. Solemnis & realis acceptio possessionis æquivalet publicationi, ibid. n. 10. Non sufficit possessio juris, ibid. n. 12. Quænam sufficiant, ut resignatio vigore hujus Regulæ non infirmetur, ibid. num. 16. 17. Edictum Regis Galliæ in favorem Patronorum & Indultariorum, ibid. numer. 18. An huic Regulæ possit derogari, aut tempus præfixum prorogari, ibid. n. 22. 23.

Regula de Beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias vel Monasteria, & ejus ratio, p. 2. t. 27. c. 4. n. 4. 5. Sapit reservationem, propter quam in Gallia non admittitur, ibid. numer. 6.

Regulæ Cancellariæ de unionibus, ut fiant in forma commissoria ad partes & vocatis, quorum interest, ferè ubique servatur, part. 1. tit. 29. cap. 3. num. 1. 2. In Gallia & Belgio ejus derogatio non admittitur, ibid. numer. 3. & sequent.

Regula de octo mensibus. Vide *Reservatio.*

Regula de Alternativa. Vide *Alternativa.*

REGULÆ JURIS.

Regula Juris quid sit, p. 1. t. 3. c. 5. n. 1. Quid pro itellectu earum inquirendum, ibid. n. 2.

REGULARES.

Regulares ab omni successionis jure sunt privati in Gallia & Belgio, p. 1. t. 29. c. 2. n. 3. Idque immemoriali consuetudine confirmata per Edicta, ibid. n. 3. & seq. An dispensatio Papæ cum absolutione à voto reddat eos capaces successionis, ibid. n. 10.

Regulares obligat Decretum Episcopi de non admittendo extraneos ad celebrandum sine sua licentia, p. 2. t. 5. c. 9. numer. 8. Nullas possint publicare indulgentias, nisi ab Episcopo examinatas & probatas, p. 2. t. 7. c. 3. n. 15. Debent ordinari à proprio Episcopo, & quis dicatur eorum proprius Episcopus, p. 2. t. 9. c. 2. n. 36. 38. Exceptio est, si proprius absit, vel non obtinet, & quæ cautio tum adversus fraudes adhibenda, ibid. n. 40. Nullius privilegii obtentu possunt evadere examen Episcopi pro Ordinibus, ibid. c. 4. n. 5. Sæpè parum fidendum testimoniis Superiorum, & quare, ibid. n. 35.

Regularia Beneficia solis Regularibus professis conferenda, p. 2. t. 18. c. 3. n. 11. 14. Beneficia non curata secularia iis conferri non possunt, ibid. n. 17. *Vide Beneficium. Vide Monachus.*

RELATOR.

Relator seu referendarius ad exactius & facilius examen causarum designatur, unde sic dictus, & per quem designandus, p. 3. t. 9. c. 2. n. 9. 10. Consiliarii relationem certæ causæ solicitare non possunt, ibid. n. 11. Relator partibus litigantibus indicari non potest, ibid. num. 12. Delectus in Relatorum designatione habendus, nec designandi ad solicitationem partium, ibid. n. 13. 14. Nec designandus ille, coram quo

quo testes auditi fuerunt ibid. n. 10. Quomodo causa per Relatorem in Consilio referenda, ibid. n. 15.

Relator in Curiis Ecclesiasticis non est, quia unicus tantum ibi est Judex, ibid. n. 18. In tribunali quinque Judicum appellationis Universitatis Lovaniensis Relator designatur, ibid. numer. 19.

Relator dicitur Cardinalis, qui refert in Consistorio informationes super qualitatibus promovendi in Episcopum, part. 1. t. 14. c. 4. n. 9. Quomodo relationem faciat, ibid. Cuinam hoc officium regulariter competat, ibid. n. 10.

RELIGIO.

Vide Ordo.

RELIGIOSUS.

Vide Regularis Monachus.

RELIQUIÆ.

Reliquiæ in Processionibus non deferendæ, nisi à Clericis sacris Ordinibus initiatis, p. 1. t. 16. c. 9. n. 13. An conveniat eas deferre in Processionibus simul cum Venerabili, ibid. numer. 14. A quo tempore Reliquiæ SS. necessariæ in Dedicatione Ecclesiæ, & unde mos iste exortus, p. 2. t. 16. c. 3. n. 12. 13. Cæremoniæ tam veteres, quàm hodiernæ in concedendo Reliquias in novis Basilicis & Altaribus usitatæ, ibid. n. 14. & seq. Reprehenduntur, qui occasione Reliquiarum populum, desertâ Ecclesiâ suâ Parochiali, ad sua oratoria aliciebant, p. 2. t. 33. c. 3. n. 4. Superstitio quomodo in cultu Reliquiarum sæpè se immisceat, p. 3. t. 4. c. 3. n. 56. Ab Episcopis collenda, ibid. n. 57.

REPROBATIO.

Reprobatio testium, publicatis depositionibus, partibus hodie permittitur, p. 3. t. 7. c. 6. n. 50. Omnes testes de jure censentur idonei, nisi specialiter ostendantur excepti, ibid. numer. 13. Judex testem non repellit, nisi parte opponente, ibid. n. 14. Rationes, ob quas testis possit reprobari, ibid. n. 51. An testis ab una parte productus possit ab eadem reprobari, si contra ipsam producatur, ibid. n. 53.

Reprobatione facta admittitur salvatio, ibid. n. 55. Qualis terminus datus est ad reprobandum, idem datur ad salvandum, ibid. n. 56. Quænam in reprobatione & salvatione allegari possint, ibid. n. 57. In criminalibus reprobationes fieri debent ante confrontationem, & post illam reus ad reprobandum non admittitur p. 3. t. 8. c. 3. n. 13.

RESCRIPTUM.

Rescriptum perinde valere quodnam dicatur, p. 2. t. 24. c. 2. n. 5. 6. & seq. Ejus usus, effectus, & quid necessariò pro eo obtinendo exprimendum, ibid.

Rescriptum perinde etiam valere quid sit, ibid. n. 9. Nullus ejus usus in Gallia, & quare, ibid. n. 10.

Rescriptum rationi congruit, cur ita dictum, ibid. n. 11. Ejus finis & effectus, ibid. n. 13. 14. Rarus est usus in Gallia, numer. 15.

Rescripta Romana quænam in Belgio debeant habere Placetum Regium, & quænam non, *Vide Placetum.* In Gallia adversus Rescripta Pontificia non instituitur directè appellatio tanquam ab abusu, sed tantùm adversus eorum executionem, & hujus ratio, p. 3. t. 10. c. 4. n. 31.

Rescripta Moratoria conceduntur debitoribus ad inopiam redactis adversus liquidum debitum, & eorum effectus, p. 3. t. 9. c. 4. n. 8. Requiritur, ut ante omnia præstetur cautio, ibid. Quid circa hæc obtineat in Belgio, ibid. Non habent effectum adversus sententias, quæ transierunt in rem judicatam, ibid.

RESERVATIO BENEFICIORUM.

Reservationis Beneficiorum origo & progressus, item oppositiones Ordinariorum adversus easdem, p. 2. t. 23. c. 1. n. 3. & seq. Acta Conciliorum Constantiensis & Basileensis pro earum abrogatione, ibid. n. 33. & seq. Non ubique statim recepta, ibid. n. 37. Recepta fuerunt in Gallia, sed postea per Concordatum reservationes & expectativæ restitutæ, ibid. n. 36. Acta & Decreta Concilii Tridentini pro earum abrogatione, ibid. c. 2. n. 2. & seq.

Reservationes Mentales quænam dicantur, ibid. n. 9. Abrogatæ sunt per Concilium Tridentinum, ibid.

Reservatio in Corpore Juris clausa quænam dicatur, p. 1. t. 23. c. 3. n. 1. 2. An sub iis comprehendantur Reservationes in Extravagantibus contentæ, ibid. c. 4. n. 1. 2. Talis est reservatio vocantium in Curia, ibid. c. 3. n. 3. Hujus reservationis ratio, ibid. n. 4. Quodnam beneficium dicatur vacare in Curia, p. 1. t. 13. c. 2. n. 4. & ibid. c. 4. n. 10. & p. 2. t. 23. c. 3. n. 6. Pontifex ea conferre debet intra mensem, aliàs collatio revertitur ad Ordinarium, ibid. n. 7. 8. A quo tempore mensis computandus, ibid. n. 9. Vacante Sede, Ordinarii conferunt Parochiales vacantes in Curia, ibid. n. 11. Hæc reservatio non censetur odiosa, & ut eidem derogetur, de ea facienda est mentio specialis, ibid. n. 14. 15. Pontifex ad instantiam Regis Galliæ quandoque huic reservationi per speciale Breve renuntiat, quantum ad certas personas, ibid. n. 16. Non extendit se ad Beneficia Jurispatronatus Laici, ibid. n. 17. Nec ad Canonicatus Graduatos ibid. c. 5. n. 21. & p. 1. t. 10. c. 1. n. 7.

Reservationes contentæ in Extravagantibus *Execrabilis & ad Regimen* tantùm fuere temporales, p. 2. t. 23. c. 4. n. 3. Quandonam per insertionem in Regulas Cancellariæ factæ sunt perpetuæ, ibid. n. 4. 5. Ne hæ Extravagantes, nec prima & secunda Regula Cancellariæ, nec additiones posteriorum Pontificum in Belgio receptæ, ibid. n. 11. & seq.

Reservationes aliæ in Belgio non usitatæ, nisi octo mensium, vel alternativæ, ibid. n. 21. Idem in Gallia observatur quoad patriam obedientiæ, ibid. n. 20. Refertur Regula Cancellariæ de octo mensibus, ibid. c. 5. n. 4. Reservationes hæ sunt odiosæ & restringendæ, ibid. n. 6. Quomodo menses computandi, ibid. n. 7. In dubio quis præferendus, an provisus ab Ordinario, an Apostolicus, ibid. n. 9. 10. Mortuo Papâ Reservationes cessant, & Ordinarii liberè conferunt, ibid. n. 13. 15.

Reservationes in Belgio usu exceptæ sunt Ecclesiæ Parochiales, ibid. n. 17. Item dignitates electivæ, ibid. n. 18. A Reservationibus exempti Canonicatus Graduati ibid. n. 21. An Beneficia Jurispatronatus Laici omninò exempta, ibid. n. 22. & p. 2. t. 22. c. 2. n. 21. An Beneficia Patronatus mixti, p. 2. t. 23. c. 5. n. 24. 25. In Belgio Beneficia cujuscunque Patronatus per usum videntur à Reservationibus exempta, ibid. n. 26. Idem est in Regnis Castellæ, ibid. n. 26 An beneficia patrimonialia, & illa quæ certo generi personarum sunt conferenda, subjaceant Reservationibus, ibid. n. 27. In Belgio & alibi in multis Ecclesiis à Resevationibus libera sunt beneficia simplicia & quare, ibid. n. 29. Quomodo vacare debeat Beneficium, ut locus sit reservationi, ibid. n. 30. In locis, ubi reservatio mensium est, præventio locum non habet, ibid. c. 7. n. 25.

RESERVATIO CASUUM.

Reservationis certorum peccatorum antiquitas, scopus & utilitas, p. 2. t. 6. c. 7. n. 4. & seq.

Reservatio Papalis primis seculis ignota, ibid. n. 8. Circa seculum XI. incepit, & ob quam rationem, ibid. n. 9. & seq. Primitùs nemo à casibus eis reservatis absolvebatur, nisi personaliter ad eum accederet, & ejus rei utilitas, ibid. n. 12. Quinam à personali accessu excusarentur ibid. n. 13. Illi poterant ab Episcopis absolvi, ibid. Quomodo hodie Romæ detur absolutio à casibus Papæ reservatis, p. 1. t. 23. c. 3. n. 19. & seq. & p. 3. t. 11. c. 11. n. 23.

Reservationes Episcopales olim multo frequentiores erant, quàm hodie, p. 2. t. 6. c. 7. n. 6. 7. Quænam in his reservationibus attendenda, ibid. n. 20. 21. Facultas absolvendi à Reservatis quàm parcissimè concedenda, exemplo Antiquorum, ibid. n. 23. & seq. Regulares nullo obtentu possunt absolvere à casibus Episcopo reservatis sine ejus approbatione, ibid. n. 26. & seq. Facultas absolvendi à casibus reservatis Papæ non infert facultatem absolvendi à casibus reservatis Episcopo, ibid. n. 30. Episcopi possunt facultatem suam restringere & modificare, ibid. n. 31. Item certa peccata in certis personis & circumstantiis excipere, ibid.

RESIDENTIA.

Residentiam omnia Beneficia jure communi requirunt, p. 1. t. 7. c. 9. n. 1.

Residentiam eorum, qui curam habent animarum, esse juris divini, probatur ex Concilii Tridentini, part. 1. tit. 3. cap. 3. num. 1. Edicta Belgia in Belgio non permittunt concedi Placetum super provisionibus Beneficiorum Parochialium sine expressione obligationis Residentiæ, ibid. numer. 3. Synodi Belgicæ vix temporariam à Parochia absentiam, quantumvis brevem, concedunt, ibid. num. 4. Earum rigor moribus nonnihil mitigans, ibid. num. 5. Archipresbyteri tenentur ad residentiam in suis districtibus, p. 1. t. 6. c. 2. n. 2.

Residentiam obligantur Canonici ex Decreto Concilii Tridentini, p. 1. t. 7. cap. 9. n. 2. Quid sit residere ibid. n. 3. Sine causa nequidem ad tres menses abesse possunt, ibid. n. 5. Faciliùs à Residentia excussantur, quàm Pastores, ibid. c. 10.

n.

n. 1. In servitio Episcopi occupati excusantur à Residentia, ibid. n. 2. Non requiritur licentia Capituli, ibid. n. 3. Tantùm duo, iique simplices Canonici, cum privilegio assumi possunt, ibid. n. 4. Sub quibus conditionibus, ibid. In Gallia non admititur Resignatio Canonicatus sub pensione, nisi resignans ad minus resederit 15. annis, p. 3. t. 28. cap. 8. num. 30.

Residentiam Episcoporum esse juris divini, multis argumentis probabatur, p. 1. t. 3. c. 3. n. 1. & p. 1. t. 16. c. 5. num. 1. & seq. Nec sufficit corporalis residentia, sed requiritur laboriosa, n. 10. & seq. Ab hac residentia excusare non potest ulla substitutio Vicarii, inveterata consuetudo, vel eminentia personæ, &c. n. 6. 7. Causæ legitimæ absentiæ, & earum usus & modificatio, ibid. c. 6. n. 1. & seq. Episcopi legitimè absentis obligatio, ibid. n. 13. Quàm stricta residentia requiratur, ut Episcopus alternativâ in collationibus beneficiorum gaudere possit, p. 2. t. 23. c. 6. n. 8. & seq. *Vide Absentia.*

Residentiæ obligatio causat incompatibilitate beneficiorum, p. 2. t. 20. c. 3. n. 1. seq. maximè 11. Debet tamen esse obligatio præcissa, non causativa, & utriusque definitio, ibid. n. 14.

RESIGNATIO.

Resignationes omnes olim non erant, nisi simplices renuntiationes, p. 2. t. 27. c. 1. n. 1. Hodie in Curia Romana Resignatio in favorem vocatur resignatio simplex, & resignatio simplex vocatur resignatio sine provisione, & hujus rei ratio, ibid. n. 5. & seq. Circa initium seculi XVI. multùm disputatum fuit, an resignationes in favorem essent licitæ? ibid. num. 12.

Resignare vel dimittere beneficium Jure Decretalium nemo potest inconsulto Episcopo, ibid. c. 2. n. 3. Quomodo eo non obstante renuntiationes simplices invaluerint, ibid. n. 4.

Resignatio in favorem aliquando facta coram Ordinario, ibid. n. 5. Hodie reservatur summo Pontifice potiùs titulo dispensationis, quam purgationis Simoniæ, ibid. & seq. Legatus illam admittere non potest, nisi speciali facultate instructus, ibid. n. 5. Aperta Regalia Rex in Gallia admittit resignationes in favorem, etiam retenta pensione, p. 2. t. 25. c. 8. numer. 63. & p. 2. t. 27. c. 2. n. 12.

Resignatio fieri potest per Procuratorem etiam Laicum, ibid. t. 27. c. 3. n. 1. Varia servanda in constitutione Procuratoris, qualitate & expeditione mandati, ejus explicatione & revocatione, ibid. n. 2. & seq.

Resignatio perficitur per consensum, quis consensus requiratur, ubi & quomodo præstandus, ibid. n. 14. & seq. Dato Procuratorio ad resiguandum coram Papa, non valet resignatio facta coram Ordinario, & quare, ibid. n. 27.

Resignare sua beneficia quinam hodie possint, p. 2. tit. 27. c. 4. n. 1. An obtinens beneficium parochiale illud possit resignare ultima die anni ad suscipiendum Sacerdotium, ibid. n. 2. 3. An promovendi ad Dignitates seu Prælaturas, quandiu promoti non sunt, Regula super eo, ibid. n. 4. An conventus criminaliter id possit ante sententiam privationis, ibid. n. 7. Collatio beneficii in casum privationis in Gallia & Belgio non admittitur, ibid. n. 11. An in Gallia & Belgio valeat resignatio, etiam si resignans aliunde nihil habeat, ibid. n. 15. An minorennes possint beneficia sua resignare, ibid. n. 17. Prohibentur resignare iis, sub quorum sunt potestate, ibid. n. 19. Quandiu resignanti maneat libertas eâ resignatione resiliendi, ibid. c. 7. n. 1. & seq.

Resignationes, vi quarum non est accepta & solemnis & realis possessio, in Gallia attendi vetantur, ibid. cap. 6. n. 11. In Gallia non admittitur resignatio Canonicatus sub pensione, nisi resignans ad minus resederit 15. annis, part. 2. t. 28. cap. 8. numer. 30.

RESPONSIO.

Vide Interrogatoria, Probatio.

RESTITUTIO.

Restitutio lucri ex ludo vetito an & quousque obtineat in Belgio, p. 1. t. 2. c. 5. n. 6.

Restitutionem fructuum, quos absenti studiorum causâ concesserat, petere potest Capitulum, si is qui illos percepit, transeat ad vota secularia, p. 1. t. 7. c. 10. n. 8. Ad restitutionem fructuum beneficii obligatur, qui, ut promotionem ad ordinem annexum evaderet, lites sibi fingit, p. 2. t. 19. c. 3. n. 8. Item qui beneficium accipit sine intentione ordinem ei annexum suscipiendi, ibid. n. 19. Tenetur ad restitutionem Ecclesiæ, qui beneficium contulit, vel ad illud præsentavit minùs dignum, omisso digniori, & quomodo, p. 2. t. 31. c. 4. n. 11. Victus in lite, victori tenetur ad restitutionem fructuum, & quomodo hi taxentur, p. 3. t. 9. c. 3. n. 33.

RESTITUTIO IN INTEGRUM.

Restitutio in integrum an detur adversus lapsum quinquennii dati ad reclamandum adversus nullitatem professionis, p. 1. t. 27. c. 6. n. 9. An detur minorenni adversus triennalem Possessorem, p. 2. t. 27. c. 4. n. 16. An detur Ecclesiæ adversus alienationem factam debitis solemnitatibus, p. 2. t. 36. c. 4. n. 48.

Restitutio adversus renuntiationem reductionis insertam compromisso nimis facilè conceditur, p. 3. t. 5. c. 4. num. 36. In Belgio non conceditur Restitutio, ut post publicatas depositiones liceat producere testes super iisdem vel contrariis articulis, p. 3. t. 7. c. 6. n. 48. Non facilè concedenda adversus lapsum fatalium, p. 3. t. 10. c. 2. n. 43.

REVISIO.

Revisio aliter vocatur propositio erroris, p. 3. t. 10. c. 4. n. 5. Describitur, ibid. n. 6. Debet peti à Principe vel ejus Senatu per libellum, & quidnam hic continere debeat, ibid. numer. 7. 8. Intra quod tempus petenda & instituenda, ibid. n. 9. 10. Judices causæ eidem interveniunt, ibid. n. 11. Eisdem à Principe adjunguntur alii vocati Adjuncti, ibid. n. 12. Ex quibus hi assumendi, ibid. n. 15. 16. Eorum juramentum, ibid. n. 17.

Revisio instrui debet ex iisdem actis, ibid. 20. Nullum omninò habet effectum suspensivum, ibid. n. 21.

REX.

Vide Indultum, Preces Imperiales, Princeps, Regalia.

RITUS.

Ritus Ecclesiastici nullo titulo ad cognitionem Laicorum spectare possunt, ne quidem titulo Juris honorifici, p. 2. t. 25. cap. 7. num. 18. *Vide Sacramentum*

S

SACRAMENTUM.

Sacramenti variæ acceptiones, p. 2. t. 1. c. 1. n. 1. Minuta Sacramenta Cathecumenorum quænam olim dicta, & eorum effectus, p. 2. t. 2. c. 3. n. 33. 34.

Sacramentorum institutio & numerus, p. 2. t. 1. c. 1. n. 3. Eorum explicatio per formam & materiam, quandonam & qua ratione inceperit, ibib. 6. 7.

Sacramenta quænam dicantur necessaria, & quænam voluntaria juxta Canonistas, & quænam juxta Theologos, ibid. numer. 9.

Sacramentalis character quid sit, & variæ de eo sententiæ, ibid. n. 11. Sacramenta non initerabilia olim rursus fuerunt collata, dum de eorum validitate rationabiliter dubitatum fuit, ibid. num. 15. Quandonam sub conditione administrari cœperint, ibid. n. 16. Quænam Sacramenta, & quibus casibus sub conditione iteranda, ibid. & n. 17. 18.

Sacramentorum ordinarius Minister in sua Parochia est Parochus, p. 1. t. 3. c. 1. n. 5. & p. 2. t. 1. c. 2. n. 15. Quomodo vitam suam instituere debeat, ut semper sanctè ea administrare possit, p. 2. t. 1. c. 2. n. 1. Quomodo ante eorum administrationem se debeat præparare, ibid. n. 2. Quomodo in ipsa administratione se gerere, ibid. n. 3. Tenetur semper esse paratus ad ea administrandum, ibid. n. 6. Etiam tempore pestis, si nullus alius adsit, ibid. n. 7. Meritò tempore pestis speciales Præsbyteri pro infectis designantur, ibid. n. 7.

Sacramentorum ritus in quem finem ahibiti, ibid. n. 8. Adhibendi juxta præscriptum Ritualium cujusque Ecclesiæ, ibid. n. 11. Ab iis recedere non licet sub prætextu, quòd ritus contrarius magis conformis sit ritui primitivæ Ecclesiæ aut alio quocunque prætextu, ibid. n. 12. & p. 2. t. 2. c. 1. n. 31. Libros Rituales Episcopi meritò sæpiùs revidere debent, p. 1. t. 1. c. 2. n. 13.

Sacramenta gratis sunt administranda & cavendum ab omni exactione, directè vel indirectè, etiam prætextu paupertatis, ibid. cap. 3. num. 1. & sequent. Per hoc populus non liberatur ab observanda consuetudine aliquid offerendi, ibid. n. 8. Quænam circa receptionem à Parocho observanda, ibid. num. 13. & seq.
Vide Jura Pastoralia.

SACRILEGIUM.

Sacrilegii rationem habet peccatum carnis admissum cum persona voto castitatis obstricta, p. 3. t. 4. c. 4. n. 68. Fornicatio cum Moniali statutis Italiæ punitur pœna mortis, ibid. Ad cujus forum hoc crimen spectet juxta Concordata Brabantiæ, ibid. Pœnæ Clericorum in peccatum carnis incidencium, ibid. num. 69. Quâ pœnâ afficiendus Sacerdos filias suas spirituales corrumpens, aut libidinem provocans, ibid. num. 41. & 69.

SALVATIO.

Vide Rprobatio.

SANCTIO PRAGMATICA GALLIÆ.

Sanctio Pragmatica Galliæ ubi, quandonam & quò edita, p. 1. t. 13. c. 2. num. 7. Ex Decreti Concilii Basileensis fuit concinnata, ibid. Electiones Episcoporum restituit Capitulis, & Confirmationem Metropolitanis, & abolet & limitat reservationes, ibid. num. 8. Multum concertatum fuit super ejus abrogatione, ibid. Tandem per Concordatum inter Leonem X. & Franciscum I. abrogatus, ibid.

SCHISMA.

Schisma quid propriè sit, & quis illud facere censendus, p. 3. t. 4. c. 2. n. 51. Quâ ratione fit crimen Ecclesiasticum, & quâ ratione civile, ibid. n. 52.

SCHOLA.

Scholas suas olim, durante vitâ communi, Capitula habebant, quibus qui præerat, vocabatur Scholasticus, p. 1. t. 11. c. 4. n. 1. 1. Item Episcopi habebant scholas pro suo Clero, quibus successerunt Seminaria, p. 2. tit. 11. c. 1. n. 1. & seq. Utilitas & antiquitas scholarum puerorum, ibid. c. 5. n. 1. & seq. Media, quibus Synodi Belgicæ voluerunt promoveri earum restaurationem, ibid. n. 2.

Scholarum illarum cura & visitatio est penes Scholasticos, ibid. n. 16. Circa quæ debeant in sua visitatione inquirere, ibid. num. 17. Ubi Scholastici non sunt penes Archipresbyteros, ibid. n. 14. Per hoc tamen non excluditur Parochus, ibid. n. 20. Ad eandem scholam masculi simul cum puellis non admittendi, ibid. n. 19.

SCHOLÆ DOMINICALES.

Scholæ Dominicales ad quid præcipuè institutæ, ibid. num. 6. Vota Synodorum Belgii pro earum instauratione, ibid. n. 2. & seq. Edicta Principum pro earum restauratione, ibid. n. 8.

SCHOLASTICUS.

Scholasticorum origo, p. 1. t. 11. c. 4. n. 1. 2. Olim simplex beneficium ibid. n. 3. Eorum officia, ibid. n. 6. & seq. Per se formandæ juventuti incumbere debent, ibid. n. 5. Eorum jus & cura in constituendis scholarum Magistris, ibid. n. 6. & p. 2. t. 11. c. 5. n. 16. Sæpiùs scholas frequentare debent, ibid. n. 16. & p. 1. t. 11. c. 4. n. 7. Circa quæ in visitatione sua inquirere debeant, p. 2. t. 11. c. 5. n. 17. & seq.

SCRIPTURA.

Scriptura fieri debent omnes dispositiones excedentes summam 300. florenorum in Gallia, & Belgio & variis regnis, & quare, p. 3. t. 7. c. 7. n. 55. 56. Non requiritur ad substantiam actus, sed tantùm ad probationem, ibid. num. 58. Ideòque in judicio non excluditur juramentum litis decissorium, nec confessio in judicio facta, ibid. n. 57. Quid de libris mercatorum, ibid. n. 59.

Scriptura privata quam fidem faciat, ibid. n. 61. & seq. Facit fidem contra scribentem, etiamsi esset minùs solemnis, & sine subscriptione, ibid. n. 63. Scriptura à scribente in judicio recognita paratam habet executionem, ibid. n. 68. & seq. Edicta circa hanc recognitionem in Gallia & Belgio, ibid. n. 72. 73. Quomodo Scriptura probetur, ibid. n. 74.

Scriptura etiam minùs solemnis extracta ex Archivo publico plenam fidem facit, ibid. n. 41.

SCRUTINIUM.

Scrutinii forma ex Cap. *Qua propter, de Electionibus*, p. 2. t. 21. c. 4. n. 10. Quænam electiones hâc formâ celebrandæ, ibid. n. 25. & p. 1. t. 31. c. 8. n. 5. & seq. Non requiritur in electione Superiorum Regularium, qui non sunt perpetui, ibid. n. 17. Quænam forma in illa requiratur, & sufficiat, ibid.

Scrutatores tres assumendi ex ipsis Electoribus, unde sic dicti, & eorum officium, p. 2. t. 21. c. 4. n. 11. & seq. Modus, quo in hac electione exquiruntur, dantur & publicantur suffragia, ibid. n. 15. & seq. Suffragia non absolutè data sunt rejicienda, uti charta alba, ibid. n. 19. Publicato Scrutinio facienda est communis electio, ibid. n. 24.

SECRETARIUS.

Secretarii in Curia Romana olim nulli erant, & quare, p. 1. t. 23. c. 4. num. 1. Secretarii status, auctoritas & officium, ibid. n. 2. Quid Secretarius Brevium, & ejus officium, ibid. num. 3.

Secretarius Episcopi debet esse Notarius, ut litteras collationis beneficiorum possit expedire p. 2. tit. 21. c. 2. num. 16. An excusari possit eorum exactio pro litteris ordinariorum, p. 2. t. 30. c. 1. n. 17. & seq. Convenit, ut sua salaria recipiant ab Episcopo, ibid. n. 20. In quibus causis eorum actis plena fides habeatur, p. 3. t. 6. c. 4. n. 14. & seq.

Secretarii Collegiorum Ecclesiasticorum, in quibus causis actis eorum fides adhibeatur, ibid. num. 13.

SEDES VACANS.

Vide Capitulum Sede vacante.

SEMINARIUM.

Seminariorum origo & antiquitas, p. 2. t. 11. c. 1. n. 1. & seq. Eorum instauratio per Concilium Tridentinum, ibid. n. 7. 8. Eorum scopus, ibid. n. 9. Magnus delectus habendus quoad admittendos, ibid. n. 11. Simplices Sacerdotes in iis nolebat educari S. Carolus, ibid. n. 14. Major morum, quàm ingenii ratio habenda, ibid. c. 2. n. 2. Divites sumptibus Seminarii admitti non possunt, ibid. n. 4. 5. Obligantur ad refusionem expensarum, si in statu Ecclesiastico non perseverent, n. 6. In variis Diœcesibus super eo requiritur cautio, ibid. Item tenentur ad refussionem expensarum, si assumere nolint officium quod Episcopus eis injungendum existimaverit, ibid. Tenentur promittere, quòd si ad pingiorem fortunam devenerint, Seminarium de bonis suis temporalibus adjuturos, ibid.

Seminarii cura Spiritualis Episcopis committitur, ibid. n. 7. In directione disciplinæ tenetur audire consilium duorum de Capitulo, non tamen sequi, ibid. n. 8.

Seminarii visitatio quandonam instituenda, ibid. n. 9. Ejus scopus & forma ex S. Carolo, ibid. n. 10.

Seminario Rector sive Præses præficiendus, ejus officium & qualitates in eo requisitæ, ibid. n. 12. 13. Qualitates in Professoribus requisitæ, ibid. Quænam in Seminariis præcipuè docenda, ibid. n. 14. Officium & qualitates Confessarii Seminarii, ibid. c. 1. n. 17. 18.

Seminariis fundandis media per Concilium Tridentinum suggesta, p. 2. t. 11. c. 3. & seq. Duo priora non videntur habuisse effectum in Belgio, & quare, ibid. n. 4. Maximè conveniens est beneficiorum simplicium incorporatio, & quare, ibid. n. 5. 6. Episcopis quoad hoc plenissima tribuitur auctoritas, ibid. n. 9. 10. In Belgio non admittitur quantum ad beneficia Juris Patronatus Laici, ibid. num. 8. Difficulter Episcopus perfringet, nisi interveniat auctoritas regia, & quare, ibid. n. 11.

Seminarii temporalia administranda sunt per Episcopum cum consilio quatuor Deputatorum, & per quos hi constituendi, ibid. n. 12. Distincti sunt à duobus Canonicis pro administratione spirituali assumptis, ibid. n. 13. Tantùm habent votum consultivum, ibid. n. 14. *Vide Collegia Academica.*

SENATUS.

Senatus Regii sunt Assesores Regis seu Principis, p. 3. t. 6. c. 1. n. 3. & seq. Consiliarii eorundem censentur familiares & domestici Regis, p. 1. t. 7. c. 10. n. 12. Eo titulo percipiunt fructus beneficiorum in absentia, ibid.

Senatus Præsidiales debent cedere Capitulis Cathedralibus, p. 1. t. 8. c. 1. n. 2. & seq.

Senatorum Parisiorum indulta circa beneficia. *Vide Indultum.*

Senatus Regii quomodo vissitatione Episcopali interveniant, p. 1. t. 17. c. 4. n. 11. & seq. Mandata in visitatione circa divinum officium & correctionem morum, nequidem titulo abusus ad eos possunt devolvi, p. 3. t. 10. c. 4. n. 43. Non possunt cognoscere de doctrina & moribus Concionatorum, Confessariorum, aliisque materiis purè spiritualibus, vel Episcopos in earum cognitione impedire, part. 1. t. 16. c. 8. n. 23. 24.

Senatus Regii uti non possunt coactione adversus Episcopum denegantem approbationem vel *visa*, sed partes remittere debent ad Superiorem, p. 2. t. 26. c. 1. n. 25. Quæstiones super juribus honorificis, in quantum ritus Ecclesiæ concernunt ad eorum cognitionem non spectant, p. 2. t. 25. c. 7. n. 18. Nullo modo se immiscere possunt causis sacramentalibus, etiam matrimonii, quantum ad vinculum, p. 3. t. 2. c. 1. n. 4. & seq. De quibus causis matrimonialibus possint cognoscere, ibid. n. 22. & seq. An & quomodo de simonia inter Clericos possint cognoscere, p. 2. t. 30. c. 6. numer. 36. & seq.

Senatus Regii quomodo reformationi Regularium interveniant, p. 1. t. 32. c. 2. n. 7. & seq. Quibus casibus ad eos Regulares possint habere recursum, ibid.

Senatus Regii in Belgio & in Gallia soli cognoscere possunt de materia decimarum insolitarum, p. 2. t. 33. c. 9. n. 15. 16. Item de possessorio retinendæ & recuperandæ possessionis, quo titulo, & à quo tempore, p. 3. t. 2. c. 4. n. 2. & seq. & n. 39. Materia portionis congruæ quo titulo ad eorum cognitionem spectet, ibid. n. 38. & p. 2. t. 34. c. 7. n. 10. Quam vim in hac materia habeant eorum sententiæ provisionales, ibid. n. 11.

Senatus Regii in Gallia cognoscunt de causis miserabilium personarum etiam adversus Clericos, & quo titulo, p. 3. t. 2. c. 3. n. 21. 22. Item de causis variorum Prælatorum & Corporum Ecclesiasticorum tam activè, quàm passivè, p. 3. t. 1. c. 4. n. 25. & seq. Non tamen de causis concernentibus functiones sacras, ibid. n. 35.

Senatus integer recusari non potest, sed benè quilibet de Senatu, p. 3. t. 10. c. 5. n. 17. 18. Quid si major pars recusetur, ad quem spectet de causis recusationis judicare, ibid. *Vide Forum Competens.*

SENTENTIA.

Sententia quid sit, p. 3. t. 9. c. 1. n. 1. Quid sententia definitiva, & quare hæc sola propriè dicatur sententia, ibid. numer. 3. Quid sententia interlocutoria, ibid. n. 4. Variæ ejus species, ibid. n. 6. Quandonam censeatur habere vim definitivæ, ibid. n. 7.

Sententia provisionalis quid sit, cura ejus usus inductus, & quandonam, & quibus casibus locum habeat, ibid. n. 14. Ei locus est in causis ubi est periculum diminutionis divini cultus item in causis alimentorum, ibid. n. 15. 16. Portionis congruæ, &c. ibid. n. 20. An & quousque justa causa, quando Monachus litigat contra Abbatem, ibid. n. 21. 22. Potest peti hæc provisio in quacunque parte litis & in quacunque instantia, ibid. n. 18. & 24. In ipsa sententia exprimendum est, sententiam tantùm esse provisionalem, ibid. n. 25.

Sententia provisionalis de jure fieri potest per Judicem causæ principalis, ibid. n. 26. In Gallia auctoritas Judicis Ecclesiastici in hac materia multùm est restricta, ibid. n. 27. Quid obtineat in Belgio, ibid. n. 28. Quam vim habeant sententiæ provisionum consiliorum regiorum in materia portionis congruæ, p. 2. t. 34. c. 7. n. 11. & seq.

Sententia quomodo concipienda, in scriptum redigenda sit, p. 3. t. 9. c. 3. n. 1. & seq. Quâ formâ, quâ die, per quem, & quibus præsentibus pronuntianda, ibid. n. 9. & seq.

Sententia prolata die festo est nulla, etiamsi ante fuerit concepta, p. 2. t. 17. c. 4. n. 6. A tempore Justiniani in Tribunalibus Ecclesiasticis vetitum erat, sententias in scriptum redigere, & quare, p. 3. t. 7. c. 3. n. 3. & seq. & p. 3. t. 9. c. 3. n. 6.

Sententia definitiva pronuntiari debet super expensis, damnis & interesse, ibid. n. 18. Si id omiserit hodie super eo admittitur appellatio, ibid. n. 19. In sententiis interlocutoriis expensæ reservantur in definitivam, quod non per omnia probandum, ibid. n. 26. Quomodo expensæ, damnum & interesse hodie taxentur, ibid. 28. & seq.

Sententiæ omnes debent in libro particulari registrari, p. 3. t. 6. c. 4. n. 8.

SEPULTURA.

Sepultura honorifica Justorum probata per Scripturam & Patres, & quare, p. 2. t. 38. c. 1. n. 1. & seq. Apud Romanos summus sepulturæ fervor, ibid. n. 5. Expensæ funerariæ ante omne æs alienum solvendæ, ibid. n. 7. Creditores prætextu debiti sepulturam impedire non possunt, ibid. n. 8. Perstringitur inhumanitas quorundam Pastorum, qui cadavera, quæ per suam Parochiam transferuntur, arrestant pretextu juris sibi competentis, ibid. num. 9. & ibid. cap. 4. numer 56. & seq.

Sepulturæ sive apparandi & offerendi cadavera ritus plerique à Romanis exorti, ibid. c. 1. n. 11. & seq. Immodica luctus indicia à Gentilibus abhibita, fuere à Patribus in funeribus improbata, & quare, ibid. n. 32. Psalmi, Officium & usus cereorum, unde exorti, ibid. n. 36. & seq. & n. 27. *Vide Officium Defunctorum.*

Sepultura vespertina non facilè permittenda, ibid. num. 43. Missa celebranda est præsente corpore, & antiquo more, ibid. n. 42. & seq.

Sepultura urbana olim vetita, & quare, ibid. cap. 2. n. 1. & sequent. Quomodo eo non obstante invaluerit, ibid. n. 11. & sequent.

Sepultura in Ecclesiis multis seculis prohibita, ibid. n. 26. & seq. Quâ occasione & quibus motivis hodiernus mos sepeliendi promiscuè in Ecclesiis invaluerit, ibid. n. 31. & seq. Decreta Synodorum pro restringendis sepulturis in Ecclesiis, & reducendis sepulturis in cœmeteriis, ibid. n. 37. & seq. Ad quem spectet concedere locum sepulturæ in Ecclesia, ibid. num. 46. Inter jura honorifica Patrono competit jus sepulturæ in Ecclesia etiam in choro, ibid. & p. 2. t. 25. c. 7. num. 29.

Sepulturæ locus jure communi est Ecclesia Parochialis, aut ejus Cœmeterium respectu omnium Parochianorum, p. 2. t. 38. c. 3. n. 2. Quinam in ordine ad sepulturam censentur Parochiani, ibid. n. 7. An famuli, ancillæ & commensales Monasteriorum censendi sint Parochiani, ibid. n. 16. Quid de oblatis Monasteriorum, ibid. n. 12. & seq. Ubi sepeliendi Canonici aliique beneficiati, ibid. n. 18. An sepulchrum Majorum præferendum Ecclesiæ Parochiali independenter ab electione, ibid. n. 19. & seq. Quid prosit sepultura in loco religioso, ibid. n. 23. 25. Ubi sepeliendi uxor, item filiifamilias non electa sepultura, ibid. n. 27. & seq.

Sepulturæ electio cuilibet est libera, ibid. num. 26. Quibus argumentis electio probetur, ibid. n. 32. & seq. Pœnæ adversus eos, qui fideles solicitant, ut sepulturam apud suam Ecclesiam eligant, ibid. n. 40.

Sepultura gratis facienda, ibid. c. 4. n. 1. & 12. Stipendium constitutum ex ærario publico pro Clero Constantinopolitano ad hoc, ut exequiæ gratis fierent, ibid. & n. seq. Ministri, qui efferunt & committantur funera Constantinopoli, ibid. n. 5. & seq. Omnis exactio pro loco sepulturæ & exequiis per Canones & Decretales vetita, ibid. n. 14. & seq. Non tamen vetitæ oblationes, & quid hoc nomine veniat, ibid. n. 22. & seq. & n. 27. Quid de pallio imposito, ibid. n. 32. & seq. Quibus cedant oblationes funerariæ, ibid. n. 36. Laicis similiter vetitum infringere laudabiles consuetudines offerendi, ibid. n. 37. Conveniens fuit, ut oblationes consuetæ taxarentur, per quos, & quare, ibid. n. 41. & seq. Taxæ jurium auctoritate regiâ pro Comitatu Namurcensi, item pro Civitatibus Mechliniensi & Antuerpiensi referuntur & explicantur, ibid. n. 44. & seq. Reprobatur mos exigendi jura ratione cadaveris, quod transfertur per limites Parochiæ, & cadavera in eum finem arrestandi, ibid. c. 1. num. 9. & ibid. cap. 4. n. 56. & seq. Unde verisimiliter hic mos ortus sit, ibid. n. 56.

Sepultura Ecclesiastica quare aliquibus denegetur, ibid. c. 6. n. 7. Quibusnam illa deneganda, ibid. n. 8. & seq. Non semper concedenda iis, qui in extremis acceperunt absolutionem, ibid. n. 23. Quomodo Parochus in denegatione sepulturæ se gerere debeat, ibid. n. 29. 34.

Sepultura excommunicati polluit Ecclesiam, & quare, ibid. n. 30. 31. Corpus hujusmodi exhumandum, & quâ auctoritate, ibid. n. 32. 33.

Vide Exequiæ, Quarta Funeraria.

SERVITUS.

Vide Impedimentum Matrimonii.

SIGILLUM.

Sigilli appositio in instrumento quid operetur, p. 3. t. 7. c. 7. n. 63. & 71. Scriptura munita sigillo publico plenam fidem facit, ibid. n. 38. Improbantur exactiones pro juribus sigilli, p. 2. t. 30. c. 1. n. 16. & seq.

SIGNATURA.

Signatura quid, unde sic dicta, & quid contineat, p. 2. t. 24. c. 3. n. 8. & seq. Quâ formâ Papa signet, p. 1. t. 23. c. 2. n. 11. Modus, quo signatura per manus Officiariorum Curiæ obambulat & expeditur, ibid. n. 15. & seq.

Signatura duplex est una per *fiat*, altera per *concessum*, utriusque differentia, & quæ præferenda, p. 1. t. 23. c. 2. n. 12. & 13. & p. 2. t. 24. c. 4. n. 32. 33.

Signatura expedita gratia censetur perfecta, & ad quid necessaria Bullarum expeditio, p. 1. t. 23. c. 2. n. 21. 22. & p. 2. t. 24. c. 3. n. 11. 12. Regula Cancellariæ de non judicando juxta signaturam, ibid. n. 13. An signatura sine Bulla aliquan-

quando fidem plenam faciat, ibid. n. 17. In Gallia signatura sine Bullis sufficit in plerisque beneficiis, & quare, ibid. n. 19. Cautio, quæ adhibetur adversus fraudes, ibid. n. 20. Formula, qua signatura ibid. verificatur per Banquarios, ibid. n. 21. In Belgio necessariæ sunt Bullæ expeditæ, ibid. n. 22. Sufficit signatura in extinctione possessionis, p. 2. tit. 27. c. 9. n. 24.

Signaturæ tres partes describuntur, p. 1. t. 23. c. 2. n. 13. & p. 2. t. 24. c. 3. n. 9. Quænam in prima & secunda parte necessariò exprimenda, ibid. c. 4. n. 1. & seq. Explicantur clausulæ tertiæ partis signaturæ, ibid. c. 5. n. 1. & seq.

SIMONIA.

Simoniacum est, admittere aliquem ad Religionem amore pecuniæ, p. 1. t. 26. c. 1. n. 4. & seq. & ibid. c. 2. n. 9. Similiter accipere pecuniam pro admissione, ibid. c. 1. n. 5. Item exigere pro sustentatione Professuri, quando Monasterium est sufficiens, ibid. n. 6. Item exigere pecuniam, ut Monasterio provideatur de mediis, unde sustentare Professurum poterit, ibid. n. 15. & seq. An titulus paupertatis excusset, ibid. c. 2. n. 1. & seq. Fœda Simonia est exigere pecuniam pro conviviis in die vestitionis & Professionis, ibid. n. 7.

Simoniam redolet exactio jurium in admissione ad Beneficia, p. 2. t. 26. c. 2. n. 30. 31. & p. 2. t. 30. c. 3. n. 10. Item in ordinationibus etiam ratione salarii Notarii & Ministrorum, ibid. c. 1. num. 17. & seq. Variæ constitutiones pensionum de Simonia suspectæ sunt earum redemptiones, ibid. t. 28. c. 9. n. 21. 22. Conventio de redimenda pensione manifestè simoniaca, ibid. n. 23.

Simoniam omnium criminum gravissimum semper reputatum, p. 2. t. 30. c. 1. n. 1. In quo ejus inordinatio consistat, ibid. n. 2. & seq. Primis seculis magis actum contra simoniacas ordinationes, & posterioribus magis contra simoniacas provisiones beneficiorum, & quare, ibid. n. 10. Speciales aliquot Simoniæ etiam hodie in ordinationibus alicubi inveniuntur, ibid. n. 16. Eos non minùs detestatur Ecclesia, quàm olim, ibid. n. 15. Probatur, venditionem beneficiorum esse Simoniam de jure divino, ibid. c. 7. n. 6. & seq.

Simonia quibus modis committatur. *Vide Munus.*

Simoniæ vitium quàm commune olim fuerint, ibid. c. 3. n. 1. & seq. Consuetudine inolitâ factum, ut sine remorsu conscientiæ fieret, ibid. n. 4. & 9. Variis pallis hoc vitium tegitur quibus detegendis aptissima est sententia, *Gratis accepistis, gratis date*, ibid. n. 12. & seq.

Simoniæ pallium est separatio temporalis à spirituali, item dare per modum motivi, ibid. c. 4. n. 1. & seq. & n. 12. & seq. Multis exagitatur & reprobatur, ibid.

Simoniæ aliud pallium est sub specie pietatis & eleemosynæ, c. 5. n. 1. 2. 5. Abominabile est, pecunias simoniacè accipere, ut ex iis construantur vel juventur Monasteria, ibid. n. 3. 4. Quinam sub hoc pallio Simoniam committant, ibid. n. 7. 8.

Simoniæ aliud pallium est redemptio vexæ, & an quandoque possit à Simonia excusare, ibid. n. 10. & 15. Improbatur transactio in lite super beneficio, mediante refusione expensarum, ibid. n. 13.

Simoniæ aliud pallium dictum gratuitæ remunerationis multis reprobatur, ibid. n. 16. & seq. Quænam attendenda, ut sciatur, an munera animum collatoris moverint, ibid. n. 20.

Simoniacorum pœna antiquitûs erat perpetua depositio, nec post pœnitentiam restituebantur, p. 2. t. 30. cap. 6. n. 2. & seq. Quâ ratione ordinationes eorum dicebantur irritæ, ibid. n. 7. 8. Hujus pœnæ justitia, ibid. n. 10. Militat etiam in simoniacè provisis de beneficiis, ibid. n. 11.

Simoniacæ provisiones declarantur irritæ, ibid. n. 14. & seq. Sufficit Simonia conventionalis, ut detur locus huic pœnæ, ibid. n. 17. Qui per Simoniam ab altero se ignorante commissam provisus est, debet beneficium illud dimittere, ibid. numer. 23. 24. 26. Excipitur, si Simonia commissa sit in fraudem Provisi, ibid. n. 25. Simoniacus occultus beneficium dimittere tenetur, ibid. n. 30. Deponi non potest, sed indicitur purgatio canonica, si sit publicè de Simonia infamatus, ibid. n. 31. Ut quis ob Simoniam à beneficio deponatur, requiritur sententia Judicis, ibid. n. 33.

Simoniacus tenetur ad restitutionem fructuum, ibid. n. 40.

Simonia est crimen purè Ecclesiasticum, & de eo solus Judex Ecclesiasticus directè adversus Clericos cognoscet, ibid. numer. 34. 35. Quomodo Judex Laicus aliquando de hoc crimine cognoscat etiam adversus Clericum, ibid. n. 36. 39.

Simoniam tollere Pontifex non potest, sed tantùm in pœnis adversus Simoniacos dispensare, ibid. c. 7. n. 12. 13. Quantâ ratione hæ dispensationes olim concederentur, & mala, eo non obstante, inde secuta, ibid. n. 20. & seq. Rationes, ob quas posset esse licita dispensatio in Simonia, ibid. n. 28. Styl s Datariæ quoad expeditionem hujus dispensationis, ibid. n. 29. Exprimendi fructus malè percepti in finem compositionis cum Camera Apostolica, ibid. n. 30. Quo fundamento fructus simoniacè percepti debeantur, eidem Cameræ Apostolicæ, ibid. n. 31. Hæc compositio in Gallia non admittitur, ibid. n. 32. Quomodo expellatur dispensatio in Pœnitentiaria, ibid. n. 34. & seq. Rarò dispensatur cum Simoniacis, ibid. numer. 40.

SOCIETAS JESU.

Societas Jesu admissa fuit per Regem in Belgio sub hac expressa conditione, quòd se non poterunt ingerere exercitio ullius rei spectantis ad munus pastorale, sine scitu, consensu & beneplacito Curatorum, p. 1. t. 3. c. 7. n. 3. & part. 1. t. 24. c. 3. n. 14. An possit succedere parentibus, & conditio quoad hoc adjecta admissioni ejus in Gallia, p. 1. t. 29. c. 2. n. 9. Annumeratur Mendicantibus, & quo titulo, ibid. c. 4. n. 17. Votum illorum post biennium Novitiatus potest quodam sensu dicat solemne, p. 1. t. 30. c. 1. num. 15. Non solvit matrimonium ratum non consummatum, uti professio religiosa, p. 2. t. 15. c. 1. num. 12. Immunitas eis concessa à decimis per Gregorium XIII. ad quæ se extendat, p. 2. t. 33. c. 7. n. 43.

SORTILEGIUM.

Sortilegii definitiones, species & malitia, p. 3. t. 4. c. 3. n. 1. & seq. Inter maleficia reputantur, ibid. n. 5. & seq. Legibus Romanis puniebantur pœnâ capitis, qui de statu Reipublicæ aut salute Principis sortilegos consuluissent, ibid. n. 11. Tempestariis, Necromanticis variisque aliis leges decernunt vivicomburium, n. 23. & seq. An licita sint sortilegia ad bonum finem, & an maleficium maleficio possit tolli, ibid. n. 29. & seq. Edicta Principum Belgii contra magos & sortilegos, & specialiter contra eos, qui vocantur Ægyptiaci, ibid. n. 47. 48. Episcopi & Pastores tenentur populum monere & præmunire adversus hujusmodi impostores, ibid. n. 54. Item ut caveant de suspicionibus, ibid. n. 60.

Sortilegii crimen cujus fori sit tam in Gallia, quàm Belgio, ibid. n. 51. 52. Quantâ circumspectione Judex in his causis procedere debeat, ibid. n. 53. Unde fiat, quòd in locis, ubi magna inquisitio adversus sagas non instituitur, longè minori numero de hac materia, quàm alibi reddantur suspectæ, ibid. Tortura in hac materia multis incommodis est subjecta, p. 3. t. 8. c. 3. n. 38.

SPECTACULA.

Spectaculorum fœditas & abominatio à SS. Patribus graphicè depingitur, p. 2. t. 17. c. 5. n. 8. & seq. Quantum adferant periculi, ibid. Spectacula hodierna, vulgò dicta comœdiæ, item opera ab iis non multùm dissimilia, ibid, numer. 12. Lex Theodosii, qua spectacula prohibentur diebus Dominicis & festivis, etiamsi incideret in eas dies natalis Imperatoris, ibid. num. 4. 6. Prohibentur hodie tempore Divini Officii, ibid. n. 33.

SPOLIA CLERICORUM.

Vide Successio.

SPONSALIA.

Sponsaliorum definitio, p. 2. t. 12. c. 1. n. 2. Olim etiam apud Gentiles matrimonio præmitti solita, & hodie ob varias rationes meritè præmittuntur, ibid. n. 3. Publicè coram Parocho contrahenda, & cur potiùs coram Parocho sponsæ, quàm Parocho sponsi, ibid. n. 4. 5. Quomodo fieri debeant, ibid. n. 6. & seq. Circa quæ sponsi præcipuè admonendi, ibid. numer. 16.

Sponsalia clandestina sunt valida, ibid. n. 12.

Sponsalia impuberum de jure sunt valida, & quæ ætas requiratur, ibid. n. 13. A Parochis non admittenda, ibid. n. 14.

Sponsalia si alterutra pars nolit adimplere, an cogi possit, & quibus mediis, ibid. c. 2. n. 2. An conveniat illam cogi, ibid. n. 3. quid circa obtineat in Gallia, ibid. n. 7. & seq. Quid in Belgio, ibid. n. 10.

Sponsalia mutuo consensu inita, mutuo consensu dissolvuntur, ibid. n. 11. Fallit in sponsalibus impuberum, & quare ibid. n. 12. Item in sponsalibus publicè coram Parocho contractis, & quare, ibid. n. 22.

Sponsalia variis ex causis dissolvuntur, ex quibus, & quid circa quamlibet attendendum, ibid. n. 13. & seq. Cur faciliùs admittant conditionem suspensivam, quàm matrimonium, p. 2. t. 13. c. 3. n. 6.

SPOR-

SPORTULÆ.

Sportulas exigi vetat S. Carolus in Curia Ecclesiastica, p. 3. t. 5. c. 1. n. 39.

STABILITAS.

Stabilitas, quæ vovetur juxta Regulam S. Benedicti, quid importet, p. 1. t. 27. c. 3. n. 9. Etiam tacitè continuerunt in formulis recentioribus, ibid. n. 8. Ad perpetuam clausuram non adstringit, ibid. c. 4. n. 3.

STATIONES REGULARIUM.

Stationum quæ sit origo & natura, p. 1. t. 3. c. 8. n. 3. Nullum jus tribunt, quantumvis diuturnæ, concionandi invito Parocho, maximè, si per se id facere velit, ibid. n. 2. 4. Id variis sententiis confirmatum, n. 5. & seq. Idque etiamsi jus nominandi Stationarium sit penes Pastorem primitivum vel Ædituos, ibid. n. 9. Quæ à Pastore observanda circa Stationarios, ibid. c. 9. n. 1. & seq. Convenit, ut apud Pastores hospitentur potiùs, quàm apud Laicos, ibid. n. 5. Episcopus non potest Regulares in stationibus suis continuare adversus Parochum volentem & sufficientem per se prædicare, ibid. n. 3. & seq. Explicatur Clem. *Dudum*, *de sepult.* ibid. n. 4.

STATUÆ.

Statuæ vel imagines minùs honestæ Clericis interdictæ, p. 1. t. 2. c. 3. n. 11. Contra illas quocunque loco positas frequenter conciones instituendæ, ibid. Qui illas retinent, absolutione non facilè donandi, p. 3. t. 4. n. 67.

STATUTA.

Statuta Capitularia aliquando abusus continere possunt, etiamsi à Sede Apostolica sint confirmata, p. 1. t. 7. c. 5. n. 12. Hinc cæco modo in ea non jurandum, ibid. n. 13. & part. 2. t. 26. c. 2. num. 23. Ab Episcopis revidenda & corrigenda, ibid. n. 24. Clausula generalis derogationis statutorum in litteris Apostolicis apponi solita quid operetur, p. 2. t. 24. c. 5. n. 26.

STREPITUS FORENSES.

Strepitus Forenses diebus Dominicis & festivis quiescere debent, p. 2. t. 17. c. 4. n. 1. Leges & Canones super hac materia, ibid. n. 2. & seq. Sententiæ, etiam ante conceptæ, pronuntiatio, ejusdem executio, examen testium, hisce diebus facta, nulla sunt & invalida, ibid. n. 6. 7. 8. Idem est de omnibus actibus judicialibus, etiamsi fiant de consensu partium, ibid. n. 9. Quibus de causis in hoc possit dispensari, ibid. n. 10.

Strepitus Forenses ut evitarentur, inducta fuit jurisdictio Ecclesiastica, p. 3. t. 1. c. 1. n. 1. & seq. & ibid. num. 54. & c. 3. n. 1. & seq. Imminutio jurisdictionis Ecclesiasticæ eorum inductioni potissimùm adscribenda, ibid. c. 2. n. 24. & p. 3. t. 2. c. 4. n. 47. & seq. p. 3. t. 2. c. 1. n. 32. Quo tempore in tribunalia Ecclesiastica inducti, ibid. n. 20. 21. Clericis & Monachis iis ampliari vetitum, p. 1. t. 31. cap. 5. n. 15. & p. 3. t. 6. c. 2. n. 32. & seq. & ibid. c. 3. n. 34. & sequent.

STUPRUM.

Stuprum quid sit, & in quas personas committatur, quæ ejus pœnæ de jure civili, item juxta Canones Pœnitentiales, p. 3. t. 4. c. 4. n. 30. & seq. Moderatio pœnarum per Jus Canonicum introducta hodie servatur, ibid. n. 33. 35.

Stuprator tenetur stupratam dotare, & ducere in uxorem, ibid. n. 34. Usus tamen reduxit ad alternativam adoptionem Stupratoris, nisi adsit promissio, quæ facilè præsumitur, ibid. n. 35. Tenetur Stuprator ad alimentationem prolis, ibid. n. 36. Quandonam mulieri credatur prolem ex Stupratore esse natam, ibid.

Stuprans virginem nondum viri potentem, punitur pœnâ mortis, ibid. n. 37. Item Custos carceris stuprans captivam, ibid. n. 39. Qua pœnâ afficiendi Tutor stuprans suam pupillam, Ludimagister pueros suæ disciplinæ concreditos, ibid. n. 38. 40. Quid de Sacerdote filias suas spirituales stuprante, vel ad libidinem provocante, ibid n. 41.

Stuprum violentum quid sit, & in quo differat à raptu, ibid. num. 42. 43. Ejus pœna atrocissima antiquissimis legibus Brabantiæ, ibid. n. 44. Ejus pœna hodierna, item eorum, qui operam præstant, & parentum, qui dissimulant, ibid. Actio criminalis in casu stupri violenti non cessat per contractum matrimonium aut condonationem partium, ibid. *Vide Defloratio.*

SUBDIACONATUS, SUBDIACONUS.

Subdiaconatus multis seculis Ordinibus Minoribus anumeratus fuit, p. 1. t. 1. c. 3. n. 1. Etiam postquam lex continentiæ ei fuit annexa, ibid. num. 2. Hodie Ordinibus sacris annumeratur, ibid. n. 3. 4. De servanda castitate seriò monendi, ibid. n. 4. 5.

Subdiaconorum officia verbis Pontificalibus expressa, hodie ad solam Epistolæ decantationem reducuntur, ibid. num. 5. 6. Illa tamen antiquitùs in Ecclesia Latina inter officia Subdiaconi non numerabatur, nec hodie in Ecclesia Græca, ibid. Obligantur ad recitandas Horas Canonicas, ibid. n. 7.

SUBSIDIUM.

Subsidia liberalia de bonis Ecclesiæ Regibus pro defensione Regni contribui, ab Ecclesia probatur sub certa moderatione, p. 2. t. 35. c. 3. n. 6. & seq.

Subsidia primùm Clero imposita fuerunt occasione belli sacri, & vocâta sunt Decima, ibid. n. 11. & seq. Ex quibus bonis, quâ quotâ, pro quo tempore colligerentur, ibid. numer. 14. 15. Clerus solicitus fuit, ne invitus cogeretur, ibid. n. 16. Aliquando restitit, ne quod dabatur in gratiam, in necessitatem verteretur, ibid. n. 22.

Subsidiorum horum occasione quantâ servitute Clerus oppressus in Gallia fuerit tempore Philippi Pulchri, ibid. n. 29. & seq. Constitutio Bonifacii VIII. hac occasione edita, ibid. n. 32. Ejusdem modificatio facta per eundem Bonifacium, Benedictum XI. & revocatio per Clementem V. ibid. n. 35. & seq. Multis exactionibus Clerus vexatus fuit tempore magni schismatis, cui occurrit Concilium Constantiense, ibid. n. 41. In Gallia decima imposita bonis Ecclesiasticis, occasione belli adversus Calvinistas, ibid. n. 43. Quomodo jam facta ordinaria & perpetua, ibid. Præter hanc decimam nova impositio Clero facta titulo doni gratuiti, & ad quam summam ascendat, ibid. n. 44.

Subsidia, quæ Regi annuuntur Clerum Brabantiæ non concernunt, quia non consensit, ibid. n. 49. Aliquando speciale subsidium Principi concessit, ibid. n. 50. Clerus Brabantiæ est corpus separatum à statibus, & nominatim à primo statu, qui constat ex Abbatibus, etiam postquam Archiepiscopus Mechliniensis & Antuerpiensis ad status fuerunt admissi, ibid. n. 54. A Principibus ut corpus separatum agnitus fuit etiam hoc seculo, ibid. n. 56. Clerus juridicè, etiamnum hodie, contendit se consensu Statuum non comprehendi, ibid. n. 57. Nunquam nominatim per Status taxatur ne certa quota ei imponitur ibid. n. 58.

Subsidia quando Clerus contribuit, colligi non debent per Laicos, sed per Deputatos ex Clero, ibid. n. 59. Convenit, ut immunis sit competentia pastoralis, ibid. n. 62. Contributiones Cleri in Brabantia factæ sunt sola auctoritate Ordinariorum, etiam inconsulto Pontifice, ibid. num. 60. 61. Quomodo colligantur in Belgio subsidia, quæ Regi adducuntur, ibid. n. 63. 64.

SUFFRAGIUM.

Suffragium quinam habeant in Actibus & Electionibus Capitularibus, p. 1. t. 7. c. 5. n. 3. & seq. & p. 2. t. 21. cap. 3. n. 9. & seq. Quinam illo gaudeant in Electionibus & Capitulis Claustralibus, p. 1. t. 31. c. 4. n. 5. & seq. Olim indifferenter Clerici & Conversi suffragiis gaudebant, quod adhuc servatur in Ordine sancti Francisci, ibid. n. 6. A quo tempore, & quare id immutatum, ibid. n. 7. & seq.

Suffragium potest dari per Procuratorem, & varia tunc observanda, p. 2. t. 21. c. 3. n. 17. & seq. An possit dari per litteras, ibid. n. 22.

Suffragia dari debent Capitulariter, ibid. n. 30. Hodie suffragia solent numerari, non ponderari, ibid. n. 34. Quænam pars in Electionibus dicatur sanior, ibid. n. 33. & ibid. c. 4. n. 23. Quomodo danda & colligenda suffragia in Electione per scrutinium, ibid. n. 15. & seq. Quomodo danda in Electionibus Superiorum Regularium, qui non sunt perpetui, p. 1. t. 31. c. 8. n. 8.

SUCCESSIO.

Successione parentum Monachi Jure Justinianæo non excluduntur, p. 1. t. 29. c. 2. n. 1. In Gallia & Belgio penitus excluduntur, ibid. n. 3. & 5. Quinam sub incapacitate hac comprehendantur, ibid. n. 7. An comprehendantur tertii Ordinis S. Francisci, ibid. An Eremitæ & Hospitalarii, ibid. n. 8. Quid circa PP. Societatis obtineat, ibid. n. 9. Nec dispensatio Papæ, nec promotio in Episcopum potest Regularem reddere capacem successionis, ibid. n. 10. Rescripta Apostolica absolventia à voto cum facultate succedendi in Gallia non admittuntur, ibid.

Successio Clerici, etiam in bona patrimonialia, deficientibus hæredibus defertur Ecclesiæ, excluso Fisco, p. 2. t. 32. c. 1. n. 32.

Successio Clericorum quoad bona Ecclesiastica post mortem eorum defertur Ecclesiæ, & quid nomine Ecclesiæ hic intelligatur, p. 2. t. 32. c. 8. n. 1. 2. 3. 4. Juxta Decretales devolvuntur vel ad Congregationem vel ad Successorem, titulo peculii, non verò hæreditatis, ibid. n. 5. & 8. Ad quem devolvantur bona Episcopi, Archidiaconi vel alterius in dignitate constituti, ibid. n. 7. Jure communi à successione Clericorum videtur exclusus Episcopus, ibid. n. 5. Sed consuetudo ei videtur deferre eam quoad bona mobilia tantùm, ibid. n. 9. & seq. Canonicis hodie ab intestato succedunt Capitula quoad bona mobilia tantum, ibid. n. 14. Quinam ad hunc effectum dicuntur decedere intestati, ibid n. 15. & seq.

Successio Clerici decedentis intestati, generati consuetudine totiùs Regni Galliæ defertur indistinctè proximis consanguineis ibid. n. 19. Etiam successio Episcopi, qui vitam monasticam professus fuerat, quod & in Belgio servatur, ibid. numer. 20. 21. Id tamen non procedit, quoad omnia bona, ibid. n. 22. 23. Quid de fructibus anni currentis, & quâ ratione dividendi, item de oneribus ejusdem anni ferendis, ibid. n. 34. & sequent. Annus Gratiæ, qui in multis Capitulis datur, pluribus improbatur, ibid. n. 29. & seq. Quo titulo consuetudo deferens bonâ Ecclesiastica ad hæredes ab intestato, substineatur in foro exteriori, ibid. n. 33.

Successionem hanc hæredes tenentur bona Ecclesiæ administrare, ibid. n. 35. Ad idem tenentur Episcopus Capitulum vel successor, ibid. n. 36. An Canonici bona mobilia defuncti inter se dividere possint, ibid. n. 37. Laudabile quoad hoc statutum Capituli secundæ fundationis D. Petri Lovanii, ibid.

SUPERIOR REGULARIS.

Superiores Monasteriorum olim omnes erant perpetui, & cur in aliquibus institutis hoc mutatum p. 1. t. 31. c. 1. n. 15. 16. Inter triennales & perpetuos quoad dignitatem & actoritatem nulla distinctio, ibid. n. 17. Superiores generales vel provinciales, durante termino suæ administrationis, sine causa & ordine judicii removeri non possunt, ibid. c. 2. n. 21.

Superiorum tam perpetuorum, quàm temporalium eligendi forma, ibid. c. 8. n. 5. & seq. & n. 8. Illegitimus in Prælatum eligi non potest, non obstante quod per professionem sublata sit irregularitas, p. 2. t. 10. c. 3. n. 30. Solus Pontifex eum potest habilitare, ibid. n. 31. In litteris dipensationis per Pœnitentiariam expeditis excipi solet Generalatus, ib.

Superiores Regulares habent primam correctionem in suos subditos, iisque deficientibus Episcopus, p. 1. t. 32. c. 2. numer. 3. Eorum auctoritas circa reductionem fundationum, Missarum & Anniversariorum, p. 2. t. 5. c. 7. n. 25. Superiorum, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, interventio & consensus sufficit in alienatione bonorum, p. 2. t. 36. c. 4. n. 29.

Superiores extranei in Gallia & Belgio non possunt ad reformationem procedere sine consensu Regis, p. 1. t. 32. c. 2. n. 18. Nec visitare, ibid. Tenentur constituere Vicarium Regnicolam, qui Regularibus sui Ordinis in regno superintendat, ibid. *Vide Abbas, Abbatissa, Prior.*

SUPERSTITIO.

Superstitiones sunt illicitæ etiam ad conservationem vitæ, vel ad maleficium aliquod repellendum, p. 3. t. 4. c. 3. n. 27. & seq. & n. 37. Varia Synodorum Belgicarum adversus eas Decreta, ibid. n. 38. Regula ad dignoscendum, an aliquid superstitiosum, ibid. n. 40.

Superstitionum variæ species, de quibus Synodi præcipiunt, populum esse monendum, ibid. & seq. ibid. n. 47. & seq. Principum Edicta adversus superstitiones, ibid. n. 57. Circa quæ Episcopi & Parochi præcipuè inquirere debeant pro abolendis superstitionibus, ibid. n. 57. In cultum imaginum Sanctorum & reliquiarum sæpè irrepunt superstitiones, p. 3. t. 37. c. 6. n. 38. & seq. & p. 3. t. 4. c. 3. n. 41. & 59. Cavendum ne superstitiones immisceantur Exorcismis, ibid. num. 60.

SUPPLICATIO.

Vide Processio.

SURROGATIO.

Surrogatio in Beneficia litigiosa, altero Collitigantium decedente prohibita per Cap. *Si ii. Ut lite pendente*, p. 2. t. 24. c. 5. n. 5. Clausula provisionibus Apostolicis inseri solita, quæ dispositioni hujus Cap. derogat, ibid. n. 6. Dispositio hujus Capituli nec in Gallia, nec in Belgio obtinet, ibid. n. 7. In Gallia & Belgio surrogatio fit apud Judicem, coram quo litigatur, & quâ formâ, ibid. n. 9.

SUSCEPTORES.

Vide Patrini.

SUSPECTATIO.

Vide Recusatio.

SUSPENSIO.

Suspensionis definitio, p. 3. t. 11. c. 10. n. 2. Est censura propria Clericis, ibid. n. 5. Alia est suspensio ab officio, alia à Beneficio, & quid quælibet importet, & à quibus privet, ibid. n. 6. & seq. An Abbatissa suppositionem ferre possit, ibid. c. 2. n. 10 Explicatur Cap. 12. ✠ *de majoritate & obedientia* ibid. n. 11. & seq.

Suspensio lata simpliciter non tollitur, nisi per absolutionem, ibid. c. 10. n. 11. In quo differat à dispositione, ibid. Lata ad tempus per lapsum temporis expirat, ibid. n. 13. 22. Suspensio à Beneficio quid importet, ibid. n. 14. An suspensio ab officio hodie importet suspensionem à Beneficio, ibid. numer. 16.

Suspensionis sententia ferenda est scripto cum expressione causæ, ibid. n. 17. Quandonam incurratur suspensio latæ sententiæ, ibid. n. 19. Suspensionem suam violans per exercitium Ordinis, à quo suspensus est, fit irregularis, ibid. numer. 23. Episcopus potest occultum criminosum suspendere, p. 2. t. 10. c. 6. n. 24. Ab hac suspensione datur recursus ad S. Sedem, sed cautè admittendus, ibid. n. 25. 26.

SYNDICUS.

Syndicus quid sit, & quinam Syndicum habere possint, p. 3. t. 6. c. 3. n. 29. 30. Hodie in majoribus civitatibus dicitur Pensionarius, ibid. Ad quæ negotia Syndicus constitui soleat, ibid. n. 31. Officium & juramentum Syndici Universitatis Lovaniensis, ibid. n. 32. Ratio cur Corpora Ecclesiastica conveniat habere Syndicum, eumque secularem, ibid. n. 34. & seq.

SYNODUS DIŒCESANA.

Synodi Diœcesanæ olim erant frequentissimæ, p. 1. t. 18. c. 1. n. 1. Quænam in illis agitarentur, ibid. c. 2. n. 6. & sequent. Multo ad minus annuatim ex mente Concilii Tridedtini celebrandæ, ibid. c. 1. n. 5. Quod tamen non servatur, ibid. n. 6. Quinam intervenire debeant, ibid. n. 7. 10. An Regulares, ibid. & n. 8. An exempti, ibid. n. 13.

Synodorum Diœcesanarum Scopus, & quæ in iis olim pertracta, ibid. c. 2. n. 1. & seq. Quænam hodie pertractanda, ibid. n. 9. & seq. Earum forma, ibid. n. 1. Unde robur & auctoritatem suam obtineant, ibid. c. 4. n. 1.

Synodis Diœcesanis Capitula exempta an & quatenus subjecta, ibid. n. 6. & seq. Item Regulares exempti, ibid. n. 9. & seq. An Laici, ibid. n. 13. In Belgio non permittitur earum promulgatio sine consensu Regio, & quare, ibid. n. 14.

SYNODUS PROVINCIALIS.

Synodi Provincialis olim bis quotannis celebratæ, & quæ in eis tractata, p. 1. t. 18. c. 1. n. 2. 4. & c. 2. n. 1. & seq. & p. 3. t. 10. c. 1. n. 4. Ab iis non dabatur appellatio, ibid. n. 1. & p. 3. t. 11. c. 11. n. 6. Obligatio Episcoporum visitandi limina Apostolorum originem habet à Synodo apud limina Apostolorum celebrari consueta, p. 1. t. 15. c. 2. n. 17.

Synodi Provincialis indictio ad Metropolitanum, & eo impedito, ad Seniorem Comprovincialem spectat, p. 1. t. 20. c. 1. n. 1. 2. Quoties celebranda, ibid. n. 3. & seq. Quinam debeant interesse, ibid. n. 12. Quid de Episcopo, qui nulli Archiepiscopi subjicitur, ibid. n. 13. Abbates ad Synodum comparentes quibus mitris uti possunt, p. 1. t. 31. c. 6. numer. 28. Soli Episcopi habent suffragium decissivum, alii tantùm consultivum, p. 1. t. 20. c. 1. n. 16. Quid si suffraganei dissentiant à Metropolitano, ibid. n. 17. Metropolitanus non potest Synodum disolvere, silentium alicui imponere, aliaque sine consensu Coepiscoporum, ibid. n. 18. Quænam in iis pertractanda, & quis modus in iis servandus, ibid. c. 2. tot.

Synodi Provinciales convenientissimæ sunt pro morum reformatione, ibid. c. 2. n. 14. Qui eis subjiciantur, ibid. c. 3. n. 1. Cur postremis temporibus pro confirmatione ad Sedem Apostolicam sit recursum, ibid. n. 3. In confirmatione Synodorum Provincialium Mechliniensium varia fuerunt mutata, & quænam, ibid. n. 8. & seq. In Italia non permittitur earum convocatio inconsultâ Congregatione Concil. Trid. ibid. c. 4. n. 4.

Synodi Provinciales interdum per Principes fuere congregatæ, ibid. n. 1. Ægrè permitteretur ejus convocatio sine licentia Regis, & quare, n. 4. & seq. & n. 10. Olim aliquando intererat Minister Regius, & ejus officium, ibid. n. 12. Ante publicationem petitur Confirmatio Regia, & quare, ibid. numer. 15. 16. Id etiam olim solitum, ibid. n. 14.

TEM-

T

TEMPUS CLAUSUM.

Tempore Clausi origo & ratio quoad impedimentum matrimonii, p. 2. t. 13. c. 2. n. 8. & seq. Decretum Concili Tridentini circa hanc materiam nihil novi introduxit, ibid. n. 13. Quænam illo tempore vetita, ibid. n. 14. Quis in eo possit dispensare, ibid. n. 18. Est impedimentum tantùm impediens, ibid. numer. 19.

TERMINUS.

Vide Dilatio.

TESTAMENTUM.

Testamentum Novitii liberè condere possunt, & quid in eo debeant præcipuè attendere, p. 1. t. 25. c. 4. n. 1. 2. An disponere possint in favorem Monasterii, ibid. n. 4. 5. Dispositiones Novitiorum in favorem Monasterii, præsertim excessivæ, sunt admodum odiosæ & recissioni obnoxiæ, ibid. num. 12. & sequent.

Testamentum ut & salutariter & tempestivè subditi condant, meritò Parochi curam habent, p. 3. t. 2. c. 2. n. 35. Stulta aliquorum persuasio ac si post acceptam extremam Unctionem testamentum non valeret, est eradicanda, p. 2. t. 8. c. 2. n. 14.

Testamento de bonis suis patrimonialibus quomodo Clericos disponere conveniat, p. 2. t. 32. n. 1. 33. & ibid c. 7. n. 5.

Testari de bonis Ecclesiasticis, Episcopis & Clericis prohibent Canones, & eorum ratio, ibid. n. 1. & seq. De quibus bonis id intelligatur, ibid. n. 6. Ne quidem olim poterant testari ad pias causas, ibid. n. 12. Quomodo hodierna consuetudo olim invaluerit, ut liceat eis testari liberè, etiam ad usus profanos ibid. n. 17. & seq. In Hispania & Gallia consuetudo hæc universaliter recepta, ibid. n. 21. 22. In Belgio nonnulli Episcopi prætendunt ad hoc necessariam esse suam licentiam, & eo nomine Jura quædam exigunt, ibid. n. 23. Jura quæ eo nomine exiguntur in Diœcesi Leodiensi, ibid. Exactiones hæ improbantur, ibid. n. 24. Quid circa hanc consuetudinem observatum in Italia, ibid. n. 26.

Testandi licentia an possit concedi Regularibus, ibid. n. 27. An testari possint Regulares assumpti ad Episcopatum, ibid. numer. 28. An per hanc consuetudinem natura bonorum Ecclesiæ sit mutata, ibid. n. 30.

Testamenta Clericorum in usus profanos quo titulo in foro exteriori sustineantur, ibid. n. 32.

Testamentum quodnam sufficiat ad hoc, ut non sit locus successioni Episcopi vel Capituli, ibid. c. 8. n. 16. 17.

Testamenta olim erant fori Ecclesiastici, p. 3. t. 1. c. 2. n. 1. & n. 19. & p. 3. t. 2. c. 2. n. 3. & seq. Unde auctoritas Ecclesiastica circa testamenta originem suam habeat, ibid. numer. 3. 4. Concordata inter Episcopum Cameracensem & Magistratum Antuerpiensem causas testamentarias privativè deferunt Judici Ecclesiastico, ibid. n. 24. Quid Concordata Hannoniæ, ibid. n. 25. Ex Concordatis Brabantiæ sunt mixti fori, unà cum suis emergentibus & connexis, ibid. n. 19. Judex Ecclesiasticus in hisce materiis tenetur sequi ordinationes Principum & consuetudinis locorum, ibid. n. 21.

Testamentariæ causæ in Gallia usque ad annum 1508. fuerunt fori Ecclesiastici, ibid. n. 11. Quâ ratione harum cognitio sensim eidem substracta, ibid. n. 12. & seq. Hodie omnis cognitio de testamentis, etiam Clericorum, uti talium, ibidem est fori secularis, ibid. n. 15. 16.

Testamentorum ad pias causas executores, si negligentes fuerint reperti, juxta Concordata Brabantiæ puniuntur per Judicem Ecclesiasticum, ibid. n. 26. Idem supplet eorum negligentiam, ibid. Eos absolvere potest ab executoris Officio, ibid. n. 27. Executores, si lites infundata suscitâsse reperiantur, in expensas nomine proprio condemnantur, ibid. n. 38.

Testamentorum ad pias causas cura & executio Episcopo incumbit juxta Synodos Belgicas, etiamsi Testator expressè illud interdixisset, n. 28. 29. Eadem incumbit Parochis quoad executionem ultimæ voluntatis suorum subditorum, ibid. n. 34. & seq. Cavenda est nota avaritiæ, ibid. n. 37. *Vide Successio.*

TESTIMONIALES.

Testimoniales proprii Ordinarii requirunt, ut quis possit ordinari vigore Rescripti Apostolici ab alieno Episcopo, p. 2. t. 9. c. 2. n. 35. Innocentius XII. requirit Testimoniales Episcopi qui prius Clericum ad Tonsuram promovit, ad hoc, ut idem Clericus ad altiores Ordines ab alio Episcopo, titulo Beneficii promoveatur, ibid. n. 43. Ejusdem requirit ab Episcopo originis, ut Clericus ab Episcopo domicilii ordinetur, ibid.

Testimoniis Præsidum, Parochorum, item Superiorum Regularium pro suis subditis sæpè parum fidendum, ibid. c. 4. numer. 34. 35.

Testimoniales studii requiruntur ad recipiendos fructus in absentia, causa studiorum, p. 1. t. 7. c. 10. n. 8. Quid continere debeant, ibid. Non temerè concedendæ, ibid. n. 9.

TESTIS.

Testes quales admittantur, & quales non in informatione super electione aut nominatione ad Episcopatum, p. 1. t. 14. c. 3. n. 18. & seq. Testes in causa sanguinis, si à Judice fuerunt coacti, fiunt irregulates, p. 2. t. 10. c. 4. n. 16. Id non obtinet in Gallia, ibid. n. 26. Testes quales sufficiant ad contrahendum matrimonium, p. 2. t. 12. c. 5. n. 24. Qualitates requisitæ in Testibus pro verificatione causarum in ordine ad dispensationem matrimonialem, p. 2. t. 14. c. 3. n. 5. Examen Testium à Judice alteri committi potest, ibid. n. 9. In Collatione Beneficiorum requiruntur Testes, & quales, p. 2. t. 21. c. 2. n. 14. 15. Quales testes sufficiunt ad probandam electionem sepulturæ, p. 2. t. 38. c. 3. n. 32. 33.

Testes à Judice citandi sunt, licèt à parte produci debeant, p. 3. t. 7. c. 6. n. 6. Etiam inviti cogi possunt ad deponendum ibid. n. 7. Variæ personæ, quæ à testimonio ferendo excusantur, ibid. n. 9. Quid hodie obtineat circa Clericos in sacris Ordinibus constitutos, si coram laicis ad deponendum citentur, ibid. c. 4. n. 29. & ibid c. 6. n. 9. Testes infirmi vel in remotis agentes examinantur per Commissarios, ibid. n. 10.

Testes quot & quales requirantur ad faciendam plenam fidem, ibid. n. 11. 12. Hodie super eodem articulo non licet procedere ultra decem Testes, & quare, ibid. n. 16. Exceptio in probatione consuetudinis, styli privilegii, &c. quæ probari debent per turbas, ibid. n. 17. 18. Quot testes eo casu produci possint, ibid. n. 19. An fides instrumenti per Testes enervari possit, ibid c. 7. n. 53.

Testis, qui falsum deposuit, per quem & quâ pœnâ castigandus, p. 3. t. 3. c. 1. n. 27. & p. 3. t. 4. c. 5. n. 21. 27. 28. *Vide Depositio.*

TESTES SYNODALES.

Testium Synodalium necessitas, officium, & qualiter exercendum, p. 1. t. 18. c. 3. n. 1. & seq. Formula juramenti eorum, ibid. n. 7. Circa quæ inquirere debent, ibid. n. 9. Cui & quandonam teneantur facere relationem, ibid. n. 10. Quomodo eorum defectus possit suppleri, ibid. n. 14.

THESAURARIUS.

Thesaurarius unde dictus, p. 1. t. 11. c. 5. n. 1. Interdum simplex est officium, interdum dignitas, ibid. n. 2. Ei incumbit cura supellectilis Ecclesiasticæ & Custodia actorum & munimentorum Ecclesiæ, ibid. n. 4. 5.

THUS.

Thuris incensatio ad quid primitùs instituta, p. 2. t. 25. c. 7. n. 13. Honor Thuris unde ortus, & in quo consistat, & cui deferendus, ibid. n. 11. 12. Ritus apud Græcos, quo Patriarcha incensat Imperatorem & Aulicos, ibid.

TITULUS.

Titulus olim dicebatur Ecclesia, ad quam deserviendum Clericus ordinabatur, p. 2. t. 9. c. 6. n. 1.

Titulum illum deserere non poterant, ibid. n. 2. Publicè olim coram populo denuntiabatur, ibid. n. 5. Seculo XIII. moderna idæa de titulo ordinationis invaluit, ibid. n. 11.

Tituli patrimoniales à quo tempore & quâ occasione exorti, ibid. n. 10. Concilium Tridentinum agnoscit Titulum patrimonialem tantùm ut extraordinarium, ibid. n. 13. Sæpè est admodum utilis, ibid. n. 17. Quid veniat nomine patrimonii, & qualitates in eo requisitæ, ibid. n. 20. & seq. pater cogi potest ad assignandum titulum filio, ibid. n. 28. Patre mortuo, an filius Titulum in divisionem hæreditatis conferre non teneatur, ibid. n. 43.

Tituli Beneficii nomine quid veniat, ibid. n. 18. Quandonam censeatur verè & pacificè possideri, ibid. n. 21.

Titulus quam quantitatem bonorum requirat, ibid. n. 30. Honoraria Missarum in Titulum non imputanda, ibid. n. 36. Juramentum, quod Titulum verè possideat, eumque non alienavit, quomodo intelligendum, ibid. n. 24. & 18. Pœna sine Titulo Ordinatorum, ibid. n. 23. & 44. An hæredes, an verò Successores Episcopi ordinantis sine Titulo sufficienti teneantur ad alimentationem Ordinati, ibid. n. 46.

TONSURA.

Tonsura olim non fuit separata ab Ordinibus, p. 1. t. 1. cap. 1. n. 1. Hodierna separationis occassio, ibid. n. 1. Per eam quis fit de foro Ecclesiæ, ibid. n. 3. Solicitudo Episcoporum circa ton-

tonsurandos, & commoda ex illa solicitudine separanda, ibid. num. 6. 7.
Tonsuræ susceptio quomodo hodie probetur, ibid. n. 8.
Tonsura potest conferri subdito in aliena Diœcesi sine consensu Ordinarii, p. 1. t. 16. c. 3. n. 14. A quo tempore Abbates soleant eam conferre suis subditis, p. 1. t. 31. c. 6. n. 11. & seq. Non subdito eam conferre non possunt, nequidem de consensu proprii Abbatis, aut etiam dimissorialibus Episcopi, ibid. n. 21. & p. 2. t. 9. c. 2. n. 36. Pœnæ decretæ in Episcopum ordinantem alienum Clericum, & in Clericum taliter ordinatum procedunt, etiam circa Tonsuram, ibid. n. 34. Episcopus dispensat super defectu natalium quoad primam Tonsuram & Beneficium simplex, p. 2. t. 10. c. 3. n. 14.
Tonsura circa seculum XIV. & XV. annumerabatur Ordinibus, p. 3. t. 3. c. 3. n. 11. Incommoda exorta ex facili admissione ad Tonsuram, ibid. c. 2. n. 17. & ibid. c. 3. n. 12. & seq. Ut Clericus primæ Tonsuræ tradatur brachio seculari, hodie non requiritur degradatio, p. 3. t. 11. c. 1. n. 62. *Vide Immunitas.*

TOPARCHA.

Toparchis quâ formâ danda aqua Benedicta, p. 2. t. 25. c. 7. n. 14. Prohibitum, illis porrigere aspergillum, ibid. n. 16. & sequent.
Toparchæ nominatim, si velint, precibus fidelium commendandi, ibid. n. 22. In quo consistat honor precum ipsis debitus, ibid. & n. 21. Non possunt eo pretextu jubere, divinum officium differri vel accelerari, ibid. n. 24.
Toparchæ quoad jura honorifica cedere debent Patrono seu Fundatori, ibid. n. 34. Quomodo Parochi cum ipsis agere debeant quoad jura honorifica, ibid. n. 42. Non convenit, ut super eisdem cum Toparchis privatâ auctoritate se committant, ibid.
Toparchæ tenentur ad solutionem decimarum de suis terris, etiam non obstante possessione immemoriali non solvendi, p. 2. t. 33. c. 7. n. 5.
Toparchæ in jure vocantur seniores, p. 2. t. 35. c. 2. n. 4. & seq. Jura & servitia, quæ olim exigebant à Clericis eodem modo ac Laicis, ibid. Immunitas ab iisdem servitiis Clericis concessa, ad quæ se extendat, ibid.

TORTURA.

Torturæ Reus applicari hodie solet, dum plena probatio non habetur, p. 3. t. 8. c. 3. n. 28. Hodierna Tonsuræ praxis pluribus improbatur, ibid. n. 29. & seq. Juxta Edictum Philippi II. non licet procedere ad Torturam, ubi certæ & indubitatæ probationes haberi possunt, ibid. n. 33. Quare contrarium hodie usitatum, ibid. n. 47. Confessio elicita per torturam exigui est momenti, ibid. n. 35. Idem est de ejus renovatione extra torturam, ibid. n. 37.
Torturæ nemo applicari potest, nisi ob crimen admodum grave, ibid. n. 40. Debent adesse indicia gravia, adeò ut tantùm videatur deesse confessio, ibid. n. 41. 42.
Torturâ exemptæ sunt mulieres gravidæ, nec possunt de ea terreri, ibid. n. 44. Si dubitetur an sint gravidæ, consulendi sunt Medici vel obstetrices, ibid. n. 45.
Tortura adhibenda est præsente Judice, & moderanda est ipsius arbitrio, ibid. n. 46.
Tortura quare in Curiis Ecclesiasticis non adhibeatur, ibid. n. 48.

TRANSACTIO.

Transactio super portione congrua obligat transigentem, ad minus manentibus iisdem circumstantiis, p. 2. t. 34. c. 5. n. 10. Si intervenerit auctoritas Episcopi, obligat etiam Successorem, ibid. n. 13. Nullâ transactione onus illud in totum tolli potest, ibid. n. 15.
Transactio in lite super Beneficio mediante temporali, aut refusione expensarum improbatur, ut de simonia suspecta, p. 2. t. 30. c. 5. n. 12. 13. Obligatio Judicis partes inducendi ad transactionem antequam in litem præcipitentur, p. 3. t. 5. c. 4. n. 23. & p. 3. t. 7. c. 2. n. 9. Quibus mediis id Procuratores poterunt, ibid. p. 3. t. 5. c. 4. n. 23. Improbandum quòd Judices tantùm de transactione cogitent, quando expensæ factæ sunt, & ob eas transactio facta impossibilis vel difficilis, ibid. n. 25.

TRANSLATIO EPISCOPORUM.

Transmigratio de una Ecclesia ad aliam olim severissmè vetita, etiam sub pœna privationis Communionis in articulo mortis, p. 1. t. 15. c. 4. n. 5. & seq. Translationes olim fiebant auctoritate Synodi Provincialis, ibid. n. 15. Seculo XII. Sedi Apostolicæ videntur fuisse reservatæ, ibid. n. 17. Eidem hodie reservantur, ibid. n. 12. Quomodo intelligndum dictum Innocentii III. institutione divina translationes Episcoporum esse reservatas, ibid. n. 19. Hodie fieri nequit sine consensu Regis ejusque nominatione, & in Bulla debet fieri ejus mentio, ibid. n. 21. nec possunt fieri sine necessitate & utilitate Ecclesiæ, ibid. n. 22.

TRIBUTUM.

Vide Immunitas, Subsidium.

TURBA.

Turba quid sit, unde sic dicta, & quot testibus constet, p. 3. t. 7. c. 6. n. 18. Consuetudo, usus, stylus Curiæ vel privilegium per turbas probari debent, ibid. n. 17. In probatione per turbas hodie non licet plus quàm triginta testes super uno & eodem articulo producere, & quare, ibid. n. 19.

TURNUS.

Turnus quoad collationes beneficiorum in quem in finem quibusdam Ecclesiis institutus, p. 2. t. 21. c. 3. n. 35. An eum etiam habeant Canonici sacris non intiati, p. 1. t. 7. c. 5. n. 8. An Capitulum propria auctoritate possit electionem mutare in collationem turnariam, p. 2. t. 21. c. 3. n. 36. Negligentia Turnarii nocet Capitulo, ita ut jus devolvatur, ibid. c. 5. numer. 13.

TUTELA, TUTOR.

Tutelâ moribus Belgii immunes sunt Clerici, p. 1. t. 2. c. 6. n. 4. 5. Si assumant tutelam Laici, non possunt quoad eam materiam declinare forum seculare, p. 3. t. 1. c. 4. n. 29. Novitiæ admitti vetantur sine consensu tutoris, p. 1. t. 24. c. 3. n. 19.
Tutor stuprans pupillam suam punitur pœna extraordinaria, p. 3. t. 4. c. 4. n. 38.

V

VAGUS.

Vagi quinam reputentur, & quis illorum proprius Parochus in ordine ad contrahendum matrimonium, p. 2. t. 12. c. 5. n. 9. 10. Quid si tantùm una pars sit vagabunda, an coram illius Parocho matrimonium celebrandum sub pœna nullitatis ibid. n. 11. Requiritur licentia Ordinarii, antequam procedatur ad solemnizationem matrimonii vagorum, ibid. numer. 12. 13. An aliter factum sit nullum, ibid. n. 13.
Vagi quomodo citari possint per edictum, p. 3. t. 7. c. 2. n. 23.

VESTIS CLERICALIS.

Vide Habitus Clericalis.

VIATICUM.

Viaticum in antiquis Canonibus acceptum aliter quam hodie, p. 2. t. 4. c. 4. n. 3. 4. Solus Parochus illud potest administrare, ibid. n. 8. & seq. Pœnæ in Regulares, qui illud ægris administrare attentarent, ibid. n. 11. Parochus semper debet esse paratus illud administrare, ibid. n. 12. Non deferendum ad publicos peccatores, nisi scandalum reparaverint, ibid. n. 13. Non deferendum occultè extra necessitatem inevitabilem, ibid. n. 16. & seq. Indulgentiæ comitantibus concessæ, ibid. n. 22. Optant Synodi erigi Confraternitates, quorum Sodales Sacramentum associent, ibid. n. 23.
Viaticum adhuc in fine seculi XVI. dabatur post extremam Unctionem, p. 2. t. 8. c. 2. n. 26. An conveniat illam disciplinam reducere, ibid. n. 29. 30. Abominanda est vanitas & superstitio, ob levia opera pietatis facta in honorem S. Barbaræ vel alterius Sancti certò sibi persuadere, quòd non morietur sine hoc Sacramento, p. 2. t. 37. c. 6. n. 38. & seq.

VICARIA, VICARIUS PERPETUUS

Vicariarum & Vicariorum perpetuum origo, p. 2. t. 34. c. 1. n. 4. & seq. Olim solebant tantum præfici Vicarii amovibliles & mala, quæ inde provenerunt, ibid. n. 13. & seq. Decretum Concil. Trid. de constituendis Vicariis perpetuis, ibid. n. 20. Decretum Regis Galliæ de eadem materia, ibid. numer. 23. In Vicarios amovibiles constituere quibus permissum sit, ibid. n. 24.
Vicarius perpetuus est independens à suis Principalibus, ibid. n. 26. Vicarius perpetuus à Pastore primitivo turbari non potest in iis, quæ ad curam animarum spectant, ibid. n. 31. Si aliquod vel minimum jus decimandi habeat, fundatus est

ad petendum decimas novales per totam Parochiam, p. 2. t. 33. c. 6. n 22. Oblationes ei competunt excluso Pastore primitivo, ibid. c. 10. n. 12.

Vicaria perpetua est verum beneficium, & confertur in titulum, p. 2. t. 34. c. 1. n. 27. Vicaria perpetua priùs erigi debet, quàm constituatur Vicarius, ibid. n. 37. & p. 1. t. 9. c. 4. n. 6. & seq. Vicariæ perpetuæ subjectæ sunt concursui, p. 2. tit. 22. cap. 2. num. 7.

VICARIATUS.

Vicariatus quidnam dicatur, p. 1. t. 12. c. 5. n. 2. Multis locis in Belgio loco Capituli consulitur Vicariatus, & negotia in eo expediuntur, ibid. n. 4. & p. 1. t. 8. c. 4. n. 9. Vicariatus multis locis etiam constituitur Sede vacante, de cujus consilio vel assensu Vicarius Generalis procedere debeat, p. 1. t. 9. c. 3. n. 11.

VICARII CHORI.

Vicarium in choro officium est Canonicorum legitimè absentium vices supplere, p. 1. t. 7. c. 6. n. 6. 7. Iisque in officio persolvendo adjutores accedere, ibid. Quænam in illorum assumptione præcipuè attendenda, ibid. n. 8.

VICARIUS EPISCOPI.

Vicarius Episcopi jure communi sæpè confunditur cum Officiali, secùs moribus Belgicis, p. 1. t. 12. c. 4. n. 1. 2. & 9. Nullam jurisdictionem contentiosam habet, nec potest negotia judicialiter examinare, ibid. c. 5. n. 2. 3. Debet habere commissionem suam in scriptis, & quâ formâ, ibid. n. 6. Ejus potestas tantùm est delegata, & ad nutum revocabilis, ibid. n. 5. Quâ formâ revocari debeat, ibid. n. 6. Episcopo mortuo, vel aliâ suâ jurisdictione destituto extinguitur jurisdictio, ibid. n. 8. Potest dare licentiam assistendi matrimonio, etiam Parocho invito, p. 2. t. 12. c. 5. n. 21. 22. Non censetur constitutus in dignitate, p. 2. t. 18. c. 2. n. 13.

VICARIUS SEDE VACANTE.

Vicarium & Officialem pro uno eodemque accipit Synodus Tridentina, secus in Belgio obtinet, p. 1. t. 9. c. 3. n. 3. 4. Infra octo dies à Capitulo constitui debet, vel ab Episcopo constitutus continuari, ibid. n. 6. 7. Aliàs devolvitur constitutio ad Metropolitanum, ibid. Non debet esse graduatus in jure, ibid. n. 8. Possunt plures constitui, ibid. n. 10. Item constitui Vicariatus, de cujus consilio vel assensu Vicarius teneatur procedere, ibid. n. 11. Accipit jurisdictionem à Capitulo, quod & potest limitatam conferre, ibid. c. 4. n. 1. 5. Si suspectetur, de causa suspectationis cognoscit Capitulum ibid. n. 4. An pro libitu & arbitrio Capituli possit revocari, ibid. n. 6. Quandiu Sedes censeatur vacare moribus Belgii, ibid. c. 2. num. 9.

VICE-PASTOR.

Vice-Pastoris assumptio spectat ad Patronum, nisi speciali titulo aliud obtineat, p. 1. t. 3. c. 2. n. 2. Concil. Trid. *sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.* agit de Vice-Pastoribus, non de Fratribus Mendicantibus, ibid. n. 3. Propriè cura Parochiæ illis incumbit, ibid. n. 4. An ejus approbationem pro libitu Episcopus possit revocare, p. 2. t. 6. c. 6. n. 28. An Vice-Pastor possit licentiam assistendi matrimonio alteri committere, p. 2. t. 12. c. 5. num. 20.

VIDUA.

Viduarmm iteratæ nuptiæ probantur ab Apostolo, p. 2. t. 15. c. 3 n. 1. Legibus Romanis Vidua intra annum luctus gravibus pœnis nubere prohibebatur, ibid. n. 8. Harum legum ratio, ibid. n. 9. Hodie pœnæ hæ sunt abrogatæ in quantum respiciunt iterationem nuptiarum, non in quantum respiciunt favorem liberorum primi thori, ibid. n. 14. Vidua si intra annum non nubat, sed luxuriosè vivat, aut ex stupro pariat, an pœnas has hodie incurrat, ibid. n. 13. Viduitas meritò commendatur, sic tamen, ut secundæ nuptiæ non improbentur, ibid. n. 19. Vidua ob recentem mortem mariti diebus festivis à Missa abesse non potest, p. 2. t. 17. cap. 2. num. 23.

Vidua computatur inter miserabiles personas, p. 3. t. 2. cap. 3. n. 20. & seq. In Viduam committitur stuprum, p. 3. tit. 4. cap. 4. n. 29.

VIRGA.

Vide Flagellatio, Fustigatio.

VISITATIO.

Visitatio Decanorum ruralium annuè instituenda, p. 1. t. 6. c. 3. n. 2. Quæ in illa specialiter observanda, ibid. n. 3. & seq.

Visitatio totius Diœcessis competit Archidiacono, p. 1. t. 12. c. 1. n. 16. An Archidiaconi & alii inferiores visitare possint sine consensu Episcopi, ibid. n. 17. Quæ in eorum visitatione attendenda, ibid. n. 18.

Visitationis Episcopalis necessitas, p. 1. t. 17. c. 1. n. 1. 2. Tenetur per se cessante impedimento, ibid. n. 6. Quoties & quo tempore instituenda, ibid. n. 3. & seq. Scopus ejus, & circa quæ versare debeat, & de quibus in eadem præcipuè inquirendum, ibid. n. 8. & seq. & c. 4. n. 1. & seq. Quomodo populus ad eam præparandus, & quæ præmittenda, ibid. c. 1. n. 15. 16.

Visitari ab Episcopis quænam loca possint & debeant visitare, ibid. c. 3. n. 1. & seq. & p. 1. t. 32. c. 4. n. 2. & seq. Loca sub immediata protectione Principum sine eorum consensu visitare non potest, p. 2. t. 37. c. 2. n. 31. Quænam talia censeantur, p. 1. t. 33. c. 2. n. 32. Si controversia incidat, an locus talis visitandus sit, cui competat decisio, ibid. p. 2. t. 37. c. 2. n. 33. Episcopo loca hæc visitanti solebat adjungi Consiliarius Regius, & quodnam ejus officium, ibid. num 34.

Visitando Capitulum Episcopus solus potest procedere, p. 1. t. 17. c. 3. n. 14. Procedendum non judiciali, sed paterno modo, ibid. c. 4. n. 2. Procedere, non possunt, nisi circa notoria, non formare processus, non ferre sententias, neque imponere pœnas ordinarias, sed tantùm correctiones, ibid. n. 4. & seq.

Visitationes olim interdum instituebant Episcopi junctis Ministris Regis qui olim Missi Dominici vocabantur, ibid. n. 11. Eorum officium magno Ecclesiasticæ disciplinæ compendio, ibid. n. 12. & seq. Suppletur aliquando per Consiliarium Regium Episcopo junctum, & in quem finem aliquando talis assumatur, ibid. n. 13.

Visitationis Decreta nullâ exemptione vel appellatione suspenduntur, ibid. n. 14. & p. 1. t. 32. c. 4. n. 9. & part. 3. t. 10. c. 3. n. 15. & seq. Nequidem per appellationem tanquam ab abusu, p. 3. t. 10. c. 4. n. 42. & seq. Exceptio, p. 1. t. 17. c. 4. n. 14. & p. 1. t. 32. c. 4. n. 9.

Visitatio Metropolitanorum in Diœcesibus suorum Suffraganeorum hodie non fit, & quare, p. 1. t. 19. c. 4. n. 7.

Visitationis Regularium utilitas, p. 1. t. 32. c. 4. n. 1. Olim generaliter ad Episcopos spectabat, ibid. n. 2. Quandonam Monasteria Sede Apostolicæ immediatè subjecta visitare possit, ibid. n. 6. Quandonam commendata, quæ sunt exempta, ibid. n. 7. Forma & scopus Visitationis Regularium, & modus in eisdem procedendi, ibid. c. 5. n. 1. & seq.

Visitationis Seminarii scopus & forma, p. 2. t. 11. c. 2. numer. 9. 10.

Visitatio Hospitalium juxta Leges, Canones, Jus commune competit Episcopo, p. 2. t. 37. c. 2. n. 2. & seq. Idem ipsi asserit Concilium Tridentinum, ibid. n. 27. Modificatio quædam abjecta in ejus admissione in Belgio, quoad hospitalia & loca pia subjectione Laicorum existentia, ibid. n. 40. & seq. Concordata Brabantiæ, item Edicta Regia auctoritatem visitandi ei asserunt etiam quoad pia loca, ibid. n. 48. & seq.

VISITATORES.

Visitatores in Capitulis Generalibus eligendi, p. 1. t. 32. c. 4. n. 5. & 14. Et quales, ibid. c. 5. n. 4. Cum Episcopo cumulativè concurrunt, nec se mutuo excludunt, ibid. cap. 4. n. 15. Habere Visitatores Regulares non est sufficiens argumentum exemptionis, ibid. n. 19. Eorum auctoritas ex constitutionibus petenda vel ex diplomatibus Pontificis aut Superiorum, ibid. c. 5. n. 7. An Acta Visitatorum aliquando per appellationem suspendantur, ibid. n. 9.

Visitatores Monialium quomodo hodie ab Episcopis deputentur, p. 1. t. 32. c. 4. n. 13.

VITA COMMUNIS.

Vita Communis olim viguit in plerisque Capitulis, quæ hodie vocantur secularia, p. 1. t. 7. c. 2. n. 1. 2. Quando desierit, & qua de causa, ibid. n. 3. 4. Ex ejus desertione naturaliter secuta est vitæ canonicalis dissolutio, ibid. c. 3. numer. 1. Non minor hodie in Canonicis requiritur vitæ puritas, quàm durante vita communi, ibid. c. 4. n. 3.

Vitam Communem involvit votum paupertatis, p. 1. t. 29. c. 5. n. 4. & seq. Quidnam ad illam requiratur, ibid. præcipuè n. 5. Ei directè adversatur proprietas, *Vide Peculium, Paupertas.*

VI-

VITA MONASTICA

Vide Monasterium.

UNCTIO.

Unctionem in consecratione Episcopi apud Latinos Morinus contendit esse antiquisimam, p. 1. t. 15. c. 3. n. 13.
Unctio Chrismatis in vertice baptizatorum olim non fiebat, & quid illa significet, p. 2. t. 2. c. 3. n. 46.
Unctio olei ab Episcopo benedicti feriâ 5. in Cœna Domini apud Græcos usitata, p. 2. t. 8. c. 1. n. 6. & seq.
Unctio in ordinationibus tantùm est cæremonialis, nec semper adhibita, p. 2. t. 9. c. 1. n. 17.

UNIO BENEFICIORUM

Unio ad vitam est pallium pluralitatis beneficiorum, quæ nec in Gallia, nec in Belgio admittitur, p. 2. t. 29. c. 1. n. 4. 5.
Unio perpetua quid sit, ibid. n. 6. Quid Unio per suppressionem, ibid. n. 9. Quid & quomodo fiat Unio accessoria, ibid. n. 10. Quandonam censetur facta æquè principaliter, ibid. n. 12. Harum unionum effectus, ibid. n. 13. Quomodo quælibet species possit dignoscit, ibid. n. 14. Onera censentur, reservata, quatenus cum unione consistunt, ibid. n. 16.
Unio Beneficiorum consistorialium hodie reservatur Pontifici, ibid. n. 18.
Unio Beneficiorum de jure competit Episcopo per totam Diœcesim, ibid. n. 19. Fallit, si ipsa Beneficia sint exempta, ibid. n. 22. Hæc auctoritas etiam competere potest inferioribus, ibid. n. 26. In Gallia Rex unit Beneficia pleno jure ad collationem suam spectantia, ibid. n. 27. Denegatâ Unione potest institui appellatio, ibid. n. 25.
Unio est odiosa, nec sine magna causa fieri potest, ibid. c. 2. n. 1. 2. Uniones at quæ hoc titulo improbatæ, ibid. n. 3. & seq. & n. 7. Quænam Ordinarii pro causa legitima Unionis attendere debeant, ibid. n. 8.
Uniones Beneficiorum simplicium probantur variis in casibus, ibid. n. 9. 10. Qualitas & ritus Beneficiorum attendenda, ibid. n. 11. & 16. Beneficia diversarum Diœcesium, item diversorum regnorum non unienda, ibid. n. 18. 19.
Unionis litteræ expediri debent in forma commissoria, & fieri cum cognitione causæ, ibid. c. 3. n. 6. Quinam necessariò audiri & consentire debeant, ibid. n. 8. & seq. Debet exprimi verus valor & quare, ibid. n. 19.
Unionis dissolutio qua de causa facienda, ibid. c. 4. n. 2. & seq. Quis Unionem dissolvere possit, ibid. n. 5. An Episcopus possit dissolvere Uniones factam à Pontifice, ibid. Etiam requirit causæ cognitionem, & qualem; item audiri & consentire debeant, ibid. n. 6. 7. Dissolutio ad vitam hodie non admittitur, ibid. n. 9. Effectus dissolutionis, ibid. n. 10.

VOLUNTARIUM.

Voluntario quâ ratione opponatur metus, p. 2. t. 13. c. 9. number. 1. 2. Voluntarium directè quænam dicantur, p. 2. t. 10. c. 7. n. 14. Principia, ex quibus dignoscitur an aliquid sit indirectè voluntarium, ibid. n. 15. & seq.

VOTUM.

Votum nullum particulare pristinæ professionis formulæ exprimebant, p. 1. t. 27. c. 3. n. 1. Tacitè tamen tria vota essentialia in omni professione continentur, ibid. n. 2.
Votum castitatis quænam involvat, p. 2. t. 30. c. 1. n. 9. Ejus transgressio vocata Bigamia similitudinaria, ibid. p. 2. t. 13. c. 4. n. 3. Pejor est adulterio, ibid. n. 4. Peccato carnis ratione voti superadditur sacrilegium. *Vide Sacrilegium.* Matrimonium contra votum castitatis initum semper graviter fuit damnatum, p. 2. t. 13. c. 4. n. 1. Pœna capitalis decernitur in eos, qui virgines sacras ad nuptias solicitare audent, ibid. n. 2. Olim tamen matrimonium earum non erat invalidum, ibid. n. 3. & seq. Dispensatio super voto castitatis perpetuæ qua ex causa concedatur, p. 2. t. 14. c. 4. n. 12. Hujus dispensationis formula, ibid. Ejus vigore tantum semel potest contrahi matrimonium, ibid. n. 14. Hoc non procedit, si matrimonium non fuerit consummatum, ibid.
Voti distinctio in simplex & solemne olim ignota, p. 2. t. 13. c. 4. n. 7. Monachorum & Virginum matrimonia, etsi gravissimè damnata, habebantur valida, ibid. n. 3. & seq. Quandonam illa distinctio recepta, ibid. n. 7. 8. Solemnitas voti & ejus efficacia ad dirimendum matrimonium in quo consistat, & unde procedat, p. 1. t. 30. cap. 1. n. 13. & p. 2. t. 13. c. 4. n. 20. & seq. Primum votum quod emittunt Scholares Societatis Jesu, rectè quodnam sensu dici potest solemne, p. 1. t. 30. c. 1. n. 15. Ordo, ex quo capite dirimat matrimonium, p. 2. t. 13. c. 4. n. 14.
Votum annexum Ordini sacro non dissolvit matrimonium ratum non consummatum, p. 2. t. 15. c. 1. n. 12. Nec illum effectum habet votum quod emittunt Scholares Societatis Jesu post biennalem probationem, ibid. *Vide Matrimonium.*

USURA USURARII.

Usurariis denegatur sepultura Ecclesiastica, nisi usuras cum effectu restituerint, aut sufficientem de eo cautionem præstiterint, p. 2. t. 38. c. 6. n. 25. Hæc pœna erit sine effectu, si hodierna usuræ pallia admittantur, ibid. n. 26. Crimen usuræ ad cujus cognitionem spectet juxta Concordata Brabantiæ, p. 3. t. 4. c. 5. n. 37. Varii contractus de usura notantur, ibid. & n. 38.

X

XENODOCHIUM.

Vide Hospitale.

FINIS.

BIBLIOTECA PUBLICA SORIA





VAN ESPEN
JUS
ECCLESIAS

1

2953